




TOMUS POSTERIOR

LECTIONUM MEMORABILIUM ET RECONDITARUM

IOANNIS VVOLFFII.



pag. 1. NOBILITATE GENERIS, VIRTUTE ET DOCTRINA PRÆSTANTI VIRO, DOMINO JOACHIMO A SCHULENBURG, &c. Domino & fautori suo gratiosissimo S.


STRÆAM virginem, qvæ antiqvis justitiæ & pietatis est Patrona, aureo seculo è cœlo in terram migrasse, & tandem mortalium sceleribus offensam, cœlum repetivisse, sedemqve inter Libram & Leonem fixisse: exporrecta autem manu sinistra, caput inter sidera, ne conspiceretur, condidisse; Autores sunt Seneca Tragicus, Gellius, Chrysippus, Alex. Aphrodisæus, & Pictius. Qvod Cicero pulchrè unica sententia expressit lib. 1. de natura Deorum, dicens: sublata adversus Deos pietate, etiam Justitia, hoc est, fides & societas generis humani tolluntur.

O pulchra igitur institutionis pars; qvæ relictis vitiis ad virtutem impellit. Nam si laudamus Ethnicos, qvòd ad probitatem & justitiam in omnibus respexerunt, & ad emendandam vitam classes vitiorum, ut illis medicina ex eventib. præteritis adhibeatur, proponendas duxêre: qvantò magis convenit Christianis alta mente infigere, qvæ 2. ad Timoth. cap. 3. à Paulo dicuntur, dum scribit: omnis scriptura utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Habent autem & divina & prophana scripta multa utilia, vitæq; humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones, mundi instabilitatem, & Imperiorum præcipites casus, ac in his omnibus respiciunt præcipuè ad emendationem vitæ hominum, & propter hoc malorum perversa facta (qvibus & Ecclesiæ & Politiæ status evertuntur) optimorum rebus gestis annumerant, ut, qvantum inter se boni & mali dissideant, à legentibus cognosci possit, qvò malorum exemplo à vitiis deterreantur, & bonorum factis ad virtutem impulsi, vitam ducant beatiorem, Platina. Legimus enim qvædam, non ut teneamus, sed ut repudiemus: ut Ambrosius ait super Lucam, &c. legimus 37. dist. Id qvod mihi præter alia multa, ut edixi superiùs, ansam atqve occasionem hoc congerendi opus præbuit.

Qvaliter autem in priori libro demonstrari cœptum est, qvomodo abusibus defœdatam Ecclesiæ, & ex hac dependentis Politiæ, communisq; vitæ conditionem semper pij deploraverint, & media ad repurganda statuum deliqvia ostenderint, ipsq; ipsum cœlum, rerumq; natura subinde inhorruerint, tali pariter modo hac altera parte ex scriptis vatum piorum & doctorum virorum idem continuabitur. pag. 2.

Licet autem unicus saltem annorum centenarius supersit, tamen cæteris nullo modo posthaberi debet: sed certè vel unico hoc maximè præcellere, qvòd in eo vera Evangelij lux, multis annis, qvæstu & dominandi libidine (heu deplorandum) oppressa, & à piis viris diu ardenter & efflictim desiderata, tandem Dei gratia iterum fulgere cœpit.

Nam cùm diutius connivere Deus ad miseriam hanc non posset (doluit enim Dominus super miseriis populi sui, Jud. 10.) suscitavit eum, qvi, virtute & auxilio Spiritus sancti, Ecclesiæ falsas traditiones detexit, & sic verbum veritatis, tot annos, gladio, igne & sangvine suppressũ, in lucem vendicavit, & qvod cæci privatim fieri impediebant (concionibus gravi interdicto prohibitis) id Dei impulsu & dispositione, publicè in amplissimo Imperii conventu coram toto mundo, Regibus, Principibus, & ipsis Pontificiis præsentibus atqve audientibus, ipsimet exeqvi debuerunt. Ex qvo deinde in toto mundi spacio illa confessio in diversas, Latinam, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Græcam, & Sclavonicam qvoqve, lingvas conversa, cunctis populis divulgata innotuit.

Postulent nunc, ut solent, ab Evangelicis miracula, majus verè illi de suis neq; eunt ostendere: nunqvid enim virtutis & divini miraculi hoc satis est, qvòd unus homo regnum hoc, id est, coronam & ventres monachorum (ut Erasmus interrogatus à principe Electore Saxoniæ, qvid de Luthero sentiret, respondit) est adorsus feliciter, & oppugnavit, qvod ante eum tot Imperatores præstare non potuerunt, imò succubuerunt.

Abeant igitur hinc longè cum putidis (qvorum plaustra aliqvot ex scala Cœli, Vincentii Speculis hist. historia Francorum, Regula canonicorum, Conformitatum, & aliis libris educere qvis posset) & qvæ ipsimet Jure suo Canonico, ut suprà fol. 340. rejiciunt & prohibent, suorum monachorum Bernensium, Aurelianensi-



um; Gangulfi martyris, suprà fol. 200. VVilfinaeunsium suprà 690. & aliorum multorum impostorum miraculis, & laudent acobtrudant Ecclesiæ suas blasphemias.

Quid autem inter alia multa (de quibus in toto opere) magis turpe & execrandum esse potest, quàm hoc, quòd suæ partis hominibus suadent, mandant ac impellunt, ut interficiant [contra expressam verbi divini legem] reges & magistratus suos, & tales parricidas ob tale factum absolvunt ab omnibus peccatis, sacram cœnam communicant, affirmant, eos ideò certò consequi vitam æternam, & martyrib. similes fieri; & in certitudinem hujus, se pro illis Deo oppignoraturos animas suas. Quæ certè pia & Catholica facta nec esse, nec nominari posse, quilibet sanus facile deprehendere potest. pag. 3.

In prima verò præfatione dictum & probatum, & in toto primo Operis volumine ex infinitis penè authoribus est demonstratum, quòd ipsorum proprii Catholici & optimates, adeoq; ipsi summi Pontifices ante hæc tempora passim aperte confessi fuerint, plenam esse vitiis & abusibus & vitam & doctrinam suam, & reformationem omninò necessariam. Quibus unum tantùm atq; alterû [infinita namq. similia opus hoc subministrat] hoc loco, & inprimis illud Nicolai Florentini, cujus ingenium Lipsius, vir Catholicus, acre & igneum esse dicit, addâ; ubi inquit:

Quòd si hæc tam diligens cura divini cultus à Reipublicæ Christianæ principibus observata esset, secundum primam institutionem, & præcepta ejus, qui illam nobis primùm tradidit, longè majori felicitate ac pace in orbe Christiano frueremur. Nunc cùm nusquam minus vel pietatis vel religionis sit, quàm in iis hominibus, qui Romæ viciniores habitant, eâq; ie Christianæ religionis caput censeatur, facilè conjicere potes, Christianum orbem magnopere periclitari. Quòd si quis etiam diligenter consideret eum religionis cultum, qui nostra ætate jam in usu est, eumque conferat cum prima Christianæ religionis institutione, ac veris fundamentis, is non potest illius interitum non metuere, vel divinam ultionem non formidare. Imò omnis Italiæ infelicitas ex eo redundat, quia Romana Ecclesia nequaquam secundum Christianæ religionis præcepta vivit, sed ea adulterat atq; corrumpit. Hæc Nicolaus.

Et plato in Epinomide, quem thesaurum sapientiæ Marsilius Ficinus esse affirmat: f... orum corruptionem certò eversionem Reipublicæ portendere, dicit.

Unde autem, & ex qua causa præcipuè corruptio hæc initium sumserit, & hoc quoque loco aliquid opus est dicere; quod vir Catholicus & doctissimus, Joannes Goropius Beccanus, ob Metum Judæorum apertè dicere non ausus, sub B. anchidarum nomine sic expressit.

Illorum sacerdotes cùm olim viderent, corruptos hominum animos ad superstitionem, quàm veram religionem, ad fabulas & nugas, quàm ad solidam veritatem proniores, rationem excogitaverunt, qua simul & vulgo essent in admiratione, & sibi uberrimum facerent quæstum. Deserta igitur Nochi & Jani doctrina, ceu parùm utili & lucrosa, mercatum mendaciorum aperuerunt, commenti, Apollinem hominibus propitiû esse, si donis placaretur. Huic imposturæ Cacodæmon, mendaciorum pater statim favit, subserviens huic sacerdotum avaritiæ; huic consulentium vanitati. Nusquam enim liberaliùs sumtus fit, nusquam magis prodigi sumus, quàm ubi hæ nugæ venduntur, & nulla ad quæstum faciendum pretiosior via est, quàm ea, quæ per sacra religionemque ducit. pag. 4.

Hoc modo ex scholis veritatis factum est emporium mendaciorum, hâc ventum est à veræ religionis intelligentia & professione, ad dæmoniacam superstitionem, & fœdos de divinis rebus errores. Mirum certè est, quàm arctum sit vinculum Cacodæmonis & avari pastoris, quamq; faciles sint & præcipites mortalium animi, ad perfugiendum è castris Dei ad Mammonæ signa. Sed [proh dolor] interim evenit, ut præsertim in rebus ad religionem spectantibus, à superstitione in hominum animis confirmata, & distragravium pœnarum comminatione sancita, tardissima fiat digressio. Quibus vir doctus innuit, etiam nostras Ecclesias per avaritiam primùm corruptas fuisse.

Alteram deinde causam superbiam & fastum tectè sub imagine turris Babel esse dicit. Ut enim illi olim, cùm plus ad magnificas structuras & terrestria, ut etiam hodie fit, quàm gloriam Dei respicerent, & superbi & splendidi operis talia fundamenta jecissent, ut id jam portentosa sublimitate sua ipsi cœlo astrisque minitaretur; Deus, cui nihil magis quàm arrogantia, & stolidus sui ipsius amor displicet, dementes elatorum hominum cogitationes, & vesana consilia, solis humanis virib. innixa, momento temporis dissipavit: & quò extaret memoria, quàm Deo omnis displiceat fastus, non modò ipsam cœpti operis molem dejecit; sed ipsos etiam, qui stupida arrogantia inflati, monstrosam arcis amplissimæ altitudinem moliebantur, linguarum suarum oblivione, ceu apoplexia quadam percussit, & loco unius varias multasque ipsis mox inspiravit, quibus inter se, veluti ebrii aut mente capti, dissidentes, ruinam sibi acquisiverunt.

Sic quoque illis, qui hodie, relicto Deo, solis



solis humanis vanitatibus, hujus seculi splendori, divitiis & pompis insistunt; & impudenter, se in astra & Angelos in cœlo imperium habere: non homines, sed Deo planè similes, & ipsum in terris, quod Deus in cœlo, esse: imò nec se, nec concilia errare posse, affirmant; obventurum, vir prudens & literatus ostendit. Nam quanta confusione, & contrariis inter se sententiis & rationibus, Papatus defensores, quasi seipsos invicem oppugnantes, disfiuant, cognoscere licet ex contradictionum doctorum Romanæ Ecclesiæ, libro doctissimi Theologi Joannis Pappi, Argentorati excuso. Et quantum etiam concilia & canones sibi adversentur, propediem proprio tractatu demonstrabitur.

Licet autem in conventibus ac colloquiis, VVormatiæ, Hagenoæ, Ratisbonæ, & alibi, initio multa concesserint Evangelicis: attamen, cùm postea intentiùs ponderarent, quòd, si reformatio admitteretur, etiam temporalibus bonis eò, quòd hæc sint causa corruptionis, & impedimenta spiritualium (solicitudo enim seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficit. Matth. 13) dominiisque ac illecebris mundi valedicendum, ac secundum normam vitæ Apostolicæ ad paupertatem redeundum foret, ibi demum renuere, vacillare, & sententiis mutatis retrò vestigia legere cœperunt, noviq; cujusdam ordinis homines subornârunt & excitârunt, qui ipsorum dd. fœdatam abusibus & traditionibus religionem defenderent, ac quibuscunque sophisticis technis pingerent atque munirent, ne sua dominia & mundanam gloriam non retinere, aut voluptatibus non vacare præcisis opibus possent.

Chrysostomus scriptum reliquit: sacerdotes cùm viderent, se à Christo accusari, & vivente eo, sacerdotes esse, & lucra retinere non posse, eum ad mortem condemnârunt: sic fit & hodie: nam impii sacerdotes verbum veritatis dignum interitu judicant, & ejus amatores morte conficiunt, quia si retinerent, ipsi in sacerdotio consistere, gloriam & avaritiam suam tueri, & sacerdotalia lucra & dominia percipere non possent.

Constat autem, ipsos omni tempore religiosorum multitudinem, ut destructricem Ecclesiæ, sic esse detestatos: scribit enim Cranzius Canonicus Hamburgensis: sed quando erit finis, inquit, multiplicandarum religionum in uno magno Ecclesiæ monasterio, sub Abbate Christo? Si enim regulam per Evangelia digestam strenuè observaremus, nihil esset opus illis repertitiis, & novis religionibus: sed sistendus est illarum: quia si exundiderint, multi consurgent in prælium, paratiores contendere, quàm animum ad observantiam legis divinæ intendere.

Et Polydorus Virgilius: quàm conducibile esset, ait, hasce hominum feces, tanquam membra Christianæ religionis agnata, conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus cultum divini nitorem & moribus diutius conspurcarent.

Unde in Lateranensi concilio, anno 1215. sub Innocentio 3. ut & in Lugdunensi anno 1274. sub Gregorio 10. decretum fuit, ne in futurum ullus novus ordo in Ecclesia Romana institueretur. Hoc tamen non obstante, quot (quæso) interea temporis ordines, hisce conciliorum decretis planè contrariis eruperunt? De quib. partim in præcedentibus, partim verò in hoc volumine infrà.

At de postremo prioribus suffecto certè excusandus omninò est Papa: quia enim vim vi repellere licet, cum videret, in doctos priores ordines non sufficere ad sui defensionem, novos hos famularios, de quibus Plato in Dialogo de eo quod est, ad fulciendam labascentem Ecclesiam suam, literis operam dare jussit, ut erroribus & abusibus ex verbo Dei, toti jam mundo detectis, plausibilem saltem speciem aliquam orationis lenocinio inducerent, fucoque illinirent, ut Hospinianus refert. Sed è contrà Bernhardus, graviter, inquit, præcepit nobis Deus, ut doceamus, & discamus; non argutias Platonis, nec versutias Aristotelis, sed doctrinam filii.

Nam si cupias veritatem Ecclesiæ clarè intueri, abstergas necesse est crassam nubem affectuum & passionum, & mox clariùs luce meridiana deprehendes, multos magis pro focis, ventribus, culinâ, dignitatibus, honoribus, & hujus mundi splendore, quàm aris & Christo pugnare.

Sed qua occasione tum reformatio Evangelica, cùm ordines novi inceperint, uberius in hoc centenario traditur.

Laudabile tamen hoc unicum est in illis, quòd juventutem ad humanas artes, bonasque literas industriè & fideliter erudiunt, si modò etiam ad veritatem divinam. Nam in eo imitantur primos & antiquissimos monasteriorum authores, qui ideò illa extruxerunt & condiderunt, ut ibi juventus ad pietatem & studia educaretur.

Verùm hoc ut durum, sic naturæ prorsus contrarium, multi vehementer mirantur,

cùm (secundum philosophos) nihil tam sit naturale, quàm simile sibi procreare, & illud modis omnibus, quibus fieri potest, fovere, sustentare & stabilire; tamen evenire, ut ex ordinibus quidam, in religione & aliis partibus planè sibi similes loco pellant, conficiant, & seipsos in nidum eorum constituant. Viperas, inquiunt, execratur natura, quod latera perrumpunt occisa matre; laudat lupos, inter quos etiam dirissima hyeme pax est, & nulli ab aliis devorantur: periculosa igitur instare tempora necesse esse, quibus lupus lupinam est, refert Claudius Minois Gallus. At quid hoc quæso aliud est, quàm cornicum oculos configere & pag. 7. ψυζαι. De quo proverbio Aristoph. in Pluto, Persius. Sat. 5. Hieronymus in Epist. ad Rusticium Monachum, & Macrobius Sat. 7.

Unde piè & laudabiliter fit ab illis, qui ea hominibus ociosis, ignavis, sed & factis ex ocio impiis, expulsis, denuò illorum bona, ad conservandas Ecclesias, scholas, xenodochia, aliosque pietatis & necessitatis usus, utpote pro redemtione captivorum, liberatione oppressorum, & quocunque necessitas postulat, conferunt, 12. q. 2. c. monemus, c. tertulas sine exceptione, c. aurum, & ibi D. D.

Habemus autem exemplum necessitatis in Ungaria ob oculos, ubi miseri Christiani vim patiuntur, ad crucem & mortem rapiuntur, necantur, in servitutem perpetuam abducuntur: ad quorum liberationem optimus Imperator omnia pro viribus confert; at quid faciat? quid & nos faciemus; quænam consilia salutaria adhibebimus? nemo de his verbum proferre audet: si enim quid salutare quis consulat, os in cœlum ponit, illicò Lutheranus & cruce dignus est.

Videmus interim, adeò attenuatas esse vires & reditus Imperii, totevulsas pennas aquilæ à Romano clero, tot excussas gemmas coronæ Cæsareæ à Pontifice, de quo suprà & insequentibus, ut omninò opus sit remedio. De hoc cùm Lutherani nihil fari ausint, audiantur ipsi Romanistæ: fuit enim jam dudum agitata hæc quæstio, & inprimis à Laurentio Valla, dum scribit; teneri Cæsarem & alios principes, sub pœna æternæ damnationis, operam dent, ut reddantur politico ordini Roma, & omnia, quæ ab Imperio sunt abalienata.

Constat enim, donationem Constantini fictam, ementitam & nullam esse; Papirius in dialogo, Antoninus, Raph. Volaterranus, Hieronymus Gabhalanus, Renus Episc. Paduanus de vitis Pontificum, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Ulricus ab Hutten, & alii plurimi, de quibus suprà: cujus etiam optimi historici, & docti plurimi, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, nec ipse Damasus Papa in Chronicis, nec Beda, nec Orosius meminerunt; nam viros pios hujus mendacii puduit. Negare enim nemo sanus potest, per plures quàm 300. annos post Constantinú, Imperatores tenuisse gubernacula urbis Romæ & Italiæ, per præsides & exarchos, usq. ad tempora Innocentii 2. de Justiniano vide l. 1. & 2. de off. præf. præt. Aphricæ proœm. Instit. l. 2. c. de vet. jur. enud. l. bene à Zenone: & notum est ex multis Chronicis.

Quia autem veritatem scripsit Valla, patritius Romanus, & Canonicus Eccl. D. Joannis Lateranensis, qui vixit anno 1420. quá illi homines ferre nullo modo possunt, in exilium ejectus, ab Alfonso, rege Neapol. servatus fuit. pag. 6 Cujus exemplo motus Lupoldus à Babenberg, sacerdos parasitus, ad assequendum Episcopatum Bambergensem, in libro de viribus Regni & Imperii Romani, contra conscientiam scribit, se nescire, quorum opinio sit verior? Sed ad rem.

In libro Elizabethæ virginis sanctæ extat quoq; admonitio, sic se habent omnia, inquit, præpotens rerum humanarum moderator Deus, legitimè ac æqualiter distribuit: cœlum cœlitibus, terram mortalibus habitandam concessit, quæ partitio respectu proportionis seu mensuræ justa est, cùm nimirum Ecclesiasticus sua bona, sua item politicus ordo tenet, ac neutra pars alteram prædas agendo dispoliat. Non enim præcepit Deus, ut uni ex filiis soli & pallium & tunica detur, alter verò nudus dimittatur, sed hic tunicam, pallium ille accipiat oportet.

Sic etiam civilis magistratus, cùm propter amplitudinem & magnitudinem aulæ, tum propter subinde crescentem sobolem, pallium ille obtineat: sacerdotalis verò chorus tunicam sibi retinere debet, ne aut ciborum, aut vestium indigentia laboret. Ex hoc judicamus nos, ac decernimus, ut omnia prædicta bona ritè dividantur, & si qui sacerdotes cum tunica pallium quoque habuerint, auferendum illud, & tantum tribuendum statuimus, quantum necesse habent, ne propter egestatem miseriam persentiscant.

Cæterùm qui primùm sese huic æquitati opponent, suprema erunt capita Ecclesiæ, Papa videlicet Cardinalium, Episcoporum, & Abbatum caterua; nec non cætera Præsulum & Prælatorum turma, prioribus subjecta: qui omnes ac singuli hoc sedulò agent, ut excommunicationis suæ fulmine, ac dira comminatione, QVA COELUM SE PRÆCLUSUROS FABULANTUR, Principes absterreant.

At verò cùm animadverterint, se neq; ligandi aut solvendi potestate, nec eleemosynis ac sacrificiis, nec armorum multitudine, nec deniq; ullis vel blanditiis vel minis, pro-

per divinum judicium ijs resistere, ac terrorem incutere posse: tum demum inanem illum fastum ac superbiam, qva supra modum semper efferebantur, deponent: & postqvàm in seipsos descenderint, miserabiles qvestus & lamentationem edent, dicentes: Propterea, qvòd omnipotentem Deum in officiis nostris, eorum qvæ ordinatione rejecerimus, ideò turpitudo ac dedecus omne nunc ad nos redundat: ut videlicet ab iis jam supprimamur, erga qvos nos hactenus submissos gerere debebamus. pag. 9.

Et enim qvi Principibus jam olim præpositi eramus, ac humilem eorundem obedientiam, ceu subditorum experiebamur; illis jam servile jugum Deus detraxit, ac nobis imperare permisit. Idcircò præclare intelligimus, justè nos Dei judicio affligi, siqvidem aliàs universi Mundi regna nobis subjecissemus, haud aliter, atq; jam ipsi ejusdem imperio subesse, & servitutis triste onus portare cogimur. Qvin etiam justum Dei judicium pronunciare opus habemus; qvia omnibus carnalium voluptatum lenociniis dediti fueramus.

Eadem: In Ecclesia propter lupos ejus universum Christiani nominis Imperium labascit; qvin igitur auferimus illis, qvæ non justis rationibus, sed propter suum nefas & injuriam possident, expulso nefariis sceleribus innocente Christo. Hæc Elizabetha.

Ex quo ejus sermone certè afflatus divinus inter alia in eo quoq; conspicitur, dum sub verbis proportionis & justæ mensuræ intelligit distributionem illam justitiæ, sine qua Rempublicam salvam esse non posse, affirmant Plato & Aristoteles, & post hos Paulus ab Eytzen & Hieronymus VVildenbergius. Unde Platoni familiare fuisse dicunt: ἀεὶ τὸν θεὸν γεωμετρεῖν, Deum geometrica semper tractare. De qua etiam Theognis dicit, nautam fluctibus opprimi necesse esse, ubi proportio justa non observatur. Et Achilles (ut Homerus, Dictys Cretensis, & Dares Phrygius scribunt) statum, in quo justitia distributiva negligitur, plane rejecit.

Et in Primis celebris ille historicus Crantzius multis locis, ut & Theodorus à Niem Paparum intimus Secretarius, conquerentes referunt: habere multos Archiepiscopos & Episcopos terrarum, opum & redituum plus, quàm Imperatorem; hoc se non posse laudare, quia deficientibus rerum facultatibus, & potentiâ seculari in Imperio, Imperator impotentem defensare Christianum populum non posset.

Quæ autem proportio aut justa mensura hodie sit inter Imperatorem & Papam, cujusvis facilè est cernere, & propediem de Imperatorum & Paparum patrimonio prodibit tractatus. Ac proinde non injuria mirari quis possit, cur à doctis viris, qui de rebus Reipublicæ & justitiæ, ut sunt historici & Jureconsulti, tractant, hactenus de hac materia, cùm utili tum necessaria, & sub qua omnes status aut consistunt, aut concidunt; tam paucissima literis sunt consignata: causa autem latens est, de qua alibi in hoc Opere.

Nec non etiam frustra illicitis artib. papatum sua corrasisse, affirmat eadem piissima virgo Elisabethe. Nam vel unico saltem omnium pag. 10. exemplorũ, quorum plenus est ille liber, hoc constet; tam cæcos & fatuos homines reddiderunt, ut eum, qui testamento illis nihil reliquisset, sepultura indignum, & qui intestatus sic obiisset, fisco ejus relicta bona cedere decreverint, lexque ab illis constituta fuerit, ut si quis inopinatò mortuus fuisset, sacrificulus, Pontificis jussu, mortuo testamentũ pro placito condiderit, & ex defuncti bonis (debetur enim Æsculapio gallus, quæ fuit postrema vox Socratis apud Platonẽ in Phædone) Ecclesiæ, quæ vellet attribuerit. Quibus aucupiis rem eo deduxerunt, ut tantùm in Gallia circa annũ 1563. duodecim milliones in reditibus, & duas fere trientes in agris, possessionibus & dominiis habuerint; quibus sola Gallia fuit prægravata.

Sed quid quæso putas in aliis regnis, Germania, Italia, Hispania, Anglia, Scotia, Dania, Succia, Polonia factum? certè plus quàm tertiã partem terrarũm, & redituum dimidiam acquisiverunt. Quæ iniquitas supremũ magistratũ movit, ut multa talium fraudum à curia Parisina anno 1401. sublata fuerint, & quoq; à senatu Veneto, ut etiam Carolo V. Imp. in Belgio lege cautum sit, ne in posterum possessiones, juraq; Ecclesiastico ordini attribuantur, quod testantur Annales Gallici, Guicciardinus de rebus Belgicis, & liber statutorum Venetorum c. 4. l. 56.

Talia igitur hac ætate pro novo haberi non possunt, cùm prædecessorum exemplo id fiat. Sic enim Manuelus Imp. cùm Ecclesiasticos (propter possessiones & mundana negotia) parum religioni cultuique divino deditos esse videret, nullas eis vineas, nullos agros, nullas possessiones adsignavit, sed ex fisco tantum pendi jussit, quantum ad sustentationem vitæ satis esset. Et ex eadem causa legem finxit Nicephorus Phocas, de nõ augendis monasteriorum latifundiis. Otho Frisingensis refert, quòd Henricus Imp. cernens, fratres Fuldenses ob nimis temporalia malè ambulare, multa illis prædia, tanquam luxuriæ incitamenta, ademerit; opulentiam enim facilè Dei sui oblivisci.

ficere, sed ipsorum contagionem etiam ad alia bona permeare, atque ea juxta se posita [quod de aquilarum pennis Pierius, & ante eum multi alii tradiderunt] adurere & consumere, Deumq; Opt. Max. id censem execrandam, vehementer punire. Id quod exemplis præteritis & quotidianis manifestum satis est: liceat unicum saltem hic ex chronicis adducere.

Cum enim Henricus senior, Marchio Misniæ & Lusatiæ Ecclesiastica bona occupasset, & ob hoc præsuli Bennoni, qui illa repetiit, colaphum impegisset; eo ipso die post annū subitanea morte extinctus est: Chron. Misnæ. His & Orosius annuit, referens: divinæ indignationis judicium accensum esse ex eo, quòd male utentibus ea bona, quæ fructus miserorum esse decebat, nutrimenta libidinum facta fuerint. pag. 11.

Non ergò aliò, quàm jam dictum est, & ipsum jus canonicum præcipit, convertere talia bona licet: d. 12. q. 2. c. monem &c. cū sequentibus. Quæ autem major hodie necessitas esse posset, quàm est miserorū Christianorum in Ungaria? Quid verò super eo [præcipuè verò de ociosis & superfluis ordinibus] & hactenus & hodie quoque plures magno consilio pollentes viri, & Theologi & politici, inter quos non postremi sunt Lutherus, & fortis ille heros Lazarus à Suendi, suaserint, ex hoc Opere & aliunde notū est.

Sic in sumtus belli olim etiam in necessitate de bonis Ecclesiæ contributum fuisse refert Aventinus. Et in Constantiensi concilio, ad sublevandas vires Imperatoris, annatæ primùm in bello contra infideles sunt destinatæ, quibus Ecclesiæ & monasteria per universum orbem taxata (de quibus propediem, Deo dante, luculenter & seriatim alibi) immensam argenti summā contulerunt; sed abhinc interim à Papa retentæ, & non ad Imperii; sed alios, nescitur quos usus collatæ. Illud cùm ante hæc tempora licuerit, cur hodie quoq; ad liberandā patriā non liceat?

Et si Augustæ anno 1500. à Maximiliano Imp. & aliis Imperii Statibus in comitiis unanimiter & firmiter decretum fuit, proventus & reditus illos Annatarū & Vacantiarū, contra Turcos primitus institutos, à pontificibus repetere, cur sancta Imperii decreta tam frigidè exequimur? cur, dum certos, constitutos, deputatos, & sufficientes nervos contra Turcos habemus, aliunde patriam labefactamus, exhaurimus, & in nihilū redigimus? Ex actis Imperii.

(Possent hic salutaria plurima alia, ad conservandam jamjamq; ruentem patriam, coacervari & prodi, sed quid faciendum? veritatem ferre non possumus; cæci in exitium ruimus.)

Idem sentit & suadet Paulus Langius, Monachus Zitizensis in Chronico, dum scribit: si pontifices contra Turcam, ut debebant, officium facerent; dudū ipsum extra Europam fugatum conspiceremus; est quia eorum incuria, fraude & avaritia quotidie ejus vires accrescunt, habet Roma timere, ut, qui hodie detrectant modicū pro tuitione fideliū, tandem totum sint amissuri. Sic olim quoq; Senatus populusq; Romanus (quorum loca & bona illi occupârunt) bello, & aliunde parta pro aris, focis, & necessitatibus in medium contulerunt. Livius lib. 9. Idem ergò & ipsi (si quidē communis salutis sinceri assertores esse velint, ut jactant) similiter præstent, aut Imperio reddant ablata: cujus etiā supra ex Laurentio Valla facta est mentio. pag. 12.

Quo loco me continere non possum, quin illud Goropii commemorē, ubi ait: Romulum ideo lupinum lac suxisse, quòd domini Romanæ urbis, qui ad unum omnes Romuli dici possunt, totius orbis divitias, quæ regib. devorâtur, haud secus ac lupus oves devoraturi essent: & hoc antiquissimū oraculū eo figmento tectū fuisse, cujus significationē successus omniū ferè cunctis seculis hinc à primo Romulo dederit minimè obscuram.

Cùm igitur ex multorū vatum prædictione tanta, tamq; horrenda extent de impendentibus malis vaticinia, de quibus in prioribus & sequentibus; & Joan. Hilten monachus prædixerit, ab an. 1600. regnaturū hominem sævissimum in universa Europa; cum item duplices literæ F, in rota Joachimi supra part. 1. fol. primo sub imagine bestiæ Turcica tela evomentis innuant, nos duplici FATO ad supplicium rapi; & per literam T, quam Aquila ore gestat, crux & miseriæ significentur, quibus non solùm caput, sed etiam membra tam immani dolore prementur, & terrebuntur, ut nullo modo solvi ab iis ante mortē possint; cumq; hoc mysterium per conversionem literarū plus innotescat, quia VAT est imperantis, & capitur pro arripe, & hoc intellectu omnes admonentur, ut crucem arripiant, eaq; se servēt, & illa ceu fune firmissimo sese in salutis portu retineant atq; figant: [ut author est Angelo Cattanius Anglariensis, Antonius Chevallerius, Abrahamus de Balmis, & Goropius Beccanus] hi de causis vellent pii & prudētes viri, multas imperii gazas in meliores usus converti, constitui legiones militum, sustentari exercitus perpetuos, qui contra hostes ejus pugnarēt, ne adeò debilitarētur principes Christiani, & nervi Imperii membris præciderētur.

In quo, proh dolor, etiam ab Ethnicis multùm superamur: qui, ut Græcorum historiæ docent, collectos thesauros suos in templo Delphico, quos ab initio belli, quod sacrum vocabant 100. tonnis auri fuisse scribunt Pausanias & Thucydides; non in alios usus, quàm pro liberatione patriæ ad alendos exercitus insumserunt. Et Athenienses semper aliquot talenta in arce seposita habebant, nunquam nisi in summa necessitate auferenda, qui secus fecisset, illi capitale erat

tale

pat. Et Branchidæ (de quibus etiam quædam supra) olim ultrò vetustæ superstitionis & vanitatis Græcanicæ, quam contra conscientiam suam lucri duntaxat causa (ut etiam hodie fit) alebant, tandem pertæsi, occasionem arripuerunt, qua liceret, dæmoniaca fraude prodita & deserta, adversus cultum redire; & templum suum cum thesauris Xerxi attribuerunt: Strabo, Plutarchus & Goropius. Deus Opt. Max. tandem similiter cæco Papatui oculos Spiritu S. aperiat, ut in viam redeat, & abjectis mundanis fragilibus, cœlestia perpetua plus, quàm hactenus, spectet.

pag. 13.

Talia igitur antecessorum & majorum nostrorum fuerunt pia instituta, sapientia consilia, fortiaq; facta. At quibus nos hodie consiliis & mediis pericula propulsamus? Epimenidis somno, de quo Gellius, Diogenes, Laërtius, Plinius, & Lucianus in Timone.

Quia ergo, proh dolor, de his forsan apud multos frustra, nunc ad te, Vir Nobilissime, Generosissime, orationem dirigo. Et hoc loco quidem impetuosè afferri possent plurima de tuis & ornatissimæ tuæ familiæ laudibus, virtutibus atq; præstantia: ex te enim verè illucet illud, quod dicitur: fortes creantur fortibus & bonis; & constat, majores tuos fuisse viros consiliis graves, manu fortes, in rebus gerendis industrios, atq; justitia ac prudentia in administranda ac gubernanda tum patriæ, tum aliorum regum atque principum vicinorum Republica, nemini secundos, adeoq; omnigenis & bellicis & pacis virtutibus clarissimos. Requiris namque Platonis viro forti & Comicarum & Tragicarum rerum notitiam: quam utramque in te quoque & jucundo & adverso tempore elucescere, ipse expertus sum, cùm aliquando te in necessitate fidum Achatem haberem.

Vivit etiam ex tua familia laus pietatis Christophori de Schulenburg, qui cùm per triennium Raceburgensis Episcopus fuisset, tandem pertæsus hodiernæ religiosorum conditionis, & propriis contentus, piè sibi, quàm splendidè mundo vivere mavolens, muneri renunciavit; teste Chron. Saxoniæ. Non minor est enim aliquando in contemnendis, quàm consequendis magistratibus dignitas, ut Natalis comes in Mythologicis sentit.

Sed & ex Chronicis cognita est excellens virtus, prudentia, & fortitudo VVerneri de Schulenburg, Illustr. Ducum Pomeraniæ olim vicarii.

Item summis quoq; laudum atq; honorum encomiis ornandus est Alexander de Schulenburg, omnes coævos suos superans, qui cunctas ferè terras suo nomine, virtutibus politicis & bellicis implevit. Res gestas & peregrinationes ejus descripsit in itinerario Joannes Fraxinæus: novit (vidit enim) Gallia, Anglia, Italia, Melita, Ægyptus, mons Sina, Palæstina, Æthiopia, India, Servia, Russia, Dania, Svecia, Germania, & alia loca.

Habuit enim hic heros præ oculis antecessores nostros, veteres Germanos, qui ociosi & desides domi nunquam perstiterunt, sed militatum abierunt ad exteras & longinquas gentes. Sic enim cum Brenno Svevo Italiam ingressi sunt; Godefridus Viterbiensis. Sic Hispaniam occuparunt; Orosius. Sic bellis in Gallia, Syria, Ægypto, & ad claustra Caspiarum increbuerunt. Imo etiam sub Herode (de quo Josephus) Julio Cæsare, & contra eum pro Ariovisto stipendia meruerunt; Julius Cæsar, Hircius, Cornelius Tacitus, & Eutropius. Sic memorabilis illius pugnæ Pharsalicæ præcipui authores extiterunt; L. Florus. Sic Hadrianus secum habuit Majorem Germanum, strenuum militem, ut amicum; Dion.

pag. 14.

Fuerunt enim in exercitio perpetuo armorum, venationis & natationis; Egesippus, Seneca de Ira, Pomponius Mela, Livius in Geographia, Symmachus, Herodianus, & Hunibaldus. Quod quid efficiat in viris strenuis, ostendunt Vegetius de re militari, Modestus, & Onosander. Sed quid hodie? doleo referre, vide prædictum Fraxinæum: redeo ad Alexandrum.

Is si quæras, quo pacto omnia hæc perficere homo mortalis, & qui variis fortunæ fluctibus subjectus est, potuerit? respondeo; respexit vir fortis ad illud, fortia agere & fortia pati, Romanum, & viri fortis esse: & ad illud Polybii: si quis in adversum aliquem casum inciderit, & in forti & magno animo tulerit (ut & tu in similibus facis) certè fortunam suam in melius convertit. Unde Virgilium dicere consuevisse refert Donatus in ejus vita: cum nulla tam aspera sit fortuna, quam prudenter patiendo non vincas, ideò nullam virtutem homini magis necessariam esse patientia, ut idipsum testatur 5. Æneid.

Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Sic etiam linum à patiendo, quia injuriâ semper melius evadit, nomen accepisse, refert Plinius. Et nullam rem in toto mundo plura tormenta quàm linum pati, scribit Goropius; & tamen ad tantam perfectionem pervenire, ut etiam corpori nostro nihil propriùs, quàm indusium ex eo paratum constituamus. Hoc quia fit, cur quæso in adversis non similiter ad patientiam confugimus, inq; illa proximam spem & auxilium ponimus, & cum Vate regio dicimus: Tu es patientia mea, Domine! Cur asserimus, eam in nostris hortis non crescere, cum certè propria, non aliena culpa id fiat. Quomodo enim accrescat, quod nunquam severis?

Tantum autem virum Magnates magnis sæpè alliciebant promissis; ut in suis aulis perseveraret, & officio cuidam vacaret. Marchio etiam Elector vicarium suum constituere cupiebat; ad ille honestè semper abnuit, quod in tanto viro notabile atque mirabile est. Motus enim eo, quo dicitur, *si curiam curas, pariet tibi curia curas*: & illo Pyndari; accidere viris de Republica benemeritis, ut pro beneficiis pessimam gratiam nonnunquam auferunt, quia antiqua dormit gratia, & homines sunt immemores; aulas fugit. pag. 15.

Hujus innumera possent adduci exempla: Parmenionis & Clyti apud Alexandrum, Eudemidis apud Ptolomæum, Pannoniani apud Alcimenidem, Arati apud Philippum Macedonem, Ætii apud Valentinianum, Belisarii apud Justinianum, Narsetis apud Justinum, Sejani apud Tyberium, Papiniani apud Bassianum, Pauliani apud Severum, Cleandri apud Commodum, Petri de Vineis apud Fridericum secundum, & aliorum.

Herodotus causam esse dicit, quia etiam vir optimus quandoq; in magna potentia corrumpitur: hanc multò fortiorem dixerim, quòd in aulis τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ, τὰ δεύτερα ὁ συκοφάντης sæpè habent, quos parasitos, calumniatores, sycophantas, invidos, malignos & proditores, Plato in Socr. apolog. seu pestem fugiendos, & per hos multos bonos viros eversos fuisse, dicit.

Hi inquam (exceptis semper pio Josepho, Nahaman, & similibus) licet eos optimos tibi amicos esse putes, & proinde perfidos nebulones potiùs dixeris; tametsi innocenter vivas, & dominum æquum, justum, pium, & propitium habeas; tamen quia meliores se ferre non possunt, venenata tela in te conjicient, & calumniis ejicient. Quo tametsi illi sanguisugæ, vel potiùs aulisugæ, libidini suæ omninò satisfactum existimant; certius tamen est, saluti tuæ prospexisse, servitute, perverso sceleratoque eorum consortio & inferno eripuisse te; seipsos verò in inferni barathrum, nunquam inde reversuros, conjecisse.

Sed relinquamus hoc hominum genus, quod est, fuit, & erit sibi simile semper, & in aulis & alibi, donec (utinam hoc possibile esset) recoctum ab aliqua Medea, integritati & virtuti restituatur, de quo scribunt Pherecides, Simonides, & Lycophron.

Ob hæc igitur (ut dictum) ab aulis abstinuit, exemplo motus David regis, qui etiam malebat se commit-

committere manibus Dei, qvàm hominum: & illo cujusdam apud Arist. phanem in Pluto dicto, qvi jactanti, se habere nescio qvem annulum magicum, in qvo inesset remedium adversus omne malorum genus, respondit: ἀλλ' οὐκ ἔνεςι συκοφάντου δήγματος. Verè enim si ad hoc malum respicias penitius, proh dolor, homo ipse homini fit dæmon; &
pag.16. ferè non reperitur hodie qvisquam bonus & justus, qvi talium viperarum morsus atqve calumnias non sit expertus.

Sapienter igitur Plinius dixisse videtur, inqviens: cætera animantia in suo genere probè degere, congregari, & stare contra dissimilia; & leonum feritatem inter se non dimicare; serpentum morsus non petere serpentes; ac ne immanes qvidem belluas & pisces: at hercule homini plurima ex homine pervenire mala, homine nihil esse miserius, & tamen nihil superbius. Unde Lucianus in Dialogo de hæresibus refert: in homine desiderari, qvòd pectus non fenestratum habeat, ut sciri possit, qvid in animo qvisqve versat, num mentiatur, an verum dicat?

Pulchrè etiam Demosthenes oratione prima contra Aristog. inquit: neminem unqvam vestrûm vipera momordit, neqve phalangium; & absit, ut mordeat unqvam; sed tamen omnia ejusmodi animalia ubi conspexeritis, mox interficitis; itidem igitur & cùm delatorem & calumniatorem videbitis, habere viperinam naturam putate; nec expectate, dum aliqvem vestrûm mordeat, sed cum primum occurrit, tollite. Simile ferè refert Qvintus Calaber de Achille, qvi maledicentem Thersiten occidit colapho. Sed bone Deus, hoc si fieret, qvantùm expurgandæ forent nobis aulæ; de his igitur satis.

Qvia verò hoc malum non aliunde, qvàm ex invidia provenit, dicamus cum Basilio Magno in sermone de invidia; habent dæmones invidos sibi conformes, qvibus pro libitu abutuntur: fugiamus, fratres, intolerabile malum; serpentis est præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrabo, pietatis inpedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum privatio.

Verùm enim verò fit tandem, Deo ita disponente, ut hi, multarum calamitatum causæ, assentatores aulici & sycophantæ, plerumqve etiam pœnas meritas ferant; exemplo esse possunt duo sycophantæ, Theodosius & Stephanus apud Justinum, Constantini Barbati filium, qvos funibus ad pedem alligatis per urbem traxerunt & postea combusserunt: sic Sejanus apud Tyberium, Plautianus apud Severum, Eutropius apud Theodosium minorem digna morte perierunt; & Thurinū Verconium Alexander Severus fumo sustulit, qvia fumum vendiderat; & in calumniatores ac eos, qvi corrupti pecunia injustè judicaverunt, duriter animadvertit; sæpè hunc versum recitans: ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Possent etiam recentiora exempla adduci, sed de illis alio loco commodiùs.

Cùm autem secundum Philosophorum doctrinam, tutius sit ad summum qvàm in summo, & habeat hoc natura, ut si qvem ad summum citiùs adspira-
pag.17. re velit, citiùs etiam dejiciat: (hinc Alexander M. cùm altiùs neutiqvam ascendere posse, gloria & potentia, 32. annorum ætate vitam finiit: & Mauricius Saxo, Germanorum Achilles, fortissimus & incomparabilis; etsi à Thersite illo Gallo, Germanicarum laudum hoste, contumeliosè, sed mendaciter, carpatur; etiam è vita est sublatus ea ferè ætate: & possent alii qvoqve strenui & eximii viri perplures recenseri; inter qvos etiam Arminius, Vari Qvintilii celebris victor, unus foit; qvibus idem vitæ immaturus exitus contigit) sic qvo qve præstantissimus iste heros perfectionem sam mature consecutus, qvamvis jam maximè hominibus usui esse potuisset, præcoci morte est abreptus.

Hos & alios similes viros plures familia tua insignes habuit, qvos tu jam, tanqvam novus Phœnix, insequeris.

Sed qvantùm & tu qvoqve tum religione erga Deum, cùm erga homines virtute (qvam solam pietatem Plato dixit in legum appendice) & integritate præstes, genusqve tuum ornes, dicere non est opus, res declarat, multa de his afferri possent documenta. Non enim is es, ut alii qvidam, qvi propter gloriam majorum (qvod turpe esse idem Plato in Menexemo esse dicit) honorandos se exhibent; sed propriæ virtuti studes ac incumbis, qvod singulariter in te admiratus sum sæpè: ex multis unum hujus exemplum, & qvod me saltem tangit, referam.

Cùm eam, qvæ olim Amelius & Andegaviæ in Galliis inter nos cœpit, amicitiam intermori nolles; sed per ea, qvæ nobiles viri, VVolfgangus Ulricus à Venningen ante hæc Heidelbergā, deinde etiam Joannes Ridesel ab Eusenbach ex Ratisbona, & noviter ex itinere Danico Osualdus Suave, viri certè & generis & virtutis nobilitate eximii, jussu tuo retulerunt; qvæq; nuperrimè qvoqve per teipsum epistolis, omnis humanitatis & officiorum plenis, imò etiam liberalitate summa in meum affinem Gregorium Rollvvagen, Juris studiosum in Academia Helmstadiensi, collata declarasti; omninò renovatam & redivivam velles: ego, ut vicissim officio meo non deessem, committere non potui, qvin hunc generosum, fortem & constantem animum tuum publicè proderem & commendarem; & declarandæ gratitudinis ergò, meæq; in te summæ observantiæ (cùm suavior animi cibus, qvàm lectio historiæ, ut Nicolaus Perottus sentit offerri non possit) hanc Secundam Lectionum Memorabilium & reconditarum Partem tuis Auspiciis consecrarem.

Calles enim optimè veteres sapientum Philosophorum leges, amicitias sempiternas esse debere, & amicum non deserendum, etiam desperatis fructibus ac emolumentis; referente Cic. de legibus, qvi & pag.18.
in Lælio suo, cùm difficilem qvæstionem esse alter collocutorum diceret, num amici novi veteribus sint anteponendi, ut eqvis vetulis teneros anteponere, solemus; indignam homine dubitationem esse, per alterius fictæ personæ responsum infert: non enim amicitiarum, ut aliarum rerum, satietatem; sed veterrima qvæqve suavissima esse debere: ac proinde locum hunc, insigni sententia & doctrina concludit, dicens: qvi in amicitia constantem & stabilem se præstiterit, eum (ut certè tu facis) ex maximè raro hominum genere judicandum esse, & penè divino.

Sicut igitur initiò amicitias non facilè admittis; ita constitutas constantissimè tenes: qvod etiam Suetonius in Augusto summoperè extulit: & ex Græco Antipatris epigrammate fit clarum, amicos tales deligendos, qvi nec temporum diuturnitate, nec locorum distantia, sed ne qvidem post mortem amare desinant. Finem igitur nunc illius Poetæ versibus faciam, qvi canit:

Et decet, & certè vivam tibi semper amicus,
Nec tibi qvi moritur, desinet esse tuus.
Ipse ego, qvicqvid ero, cineres interq; favillas,
Tunc qvoqve non potero non memor esse tui.


Capies ergo benevolo animo, qvod fidus tibi & verus amicus servitorqve, candido & syncero animo offert; Deum orans, ut unà cum filiis, charis pignoribus, paternarumqve & virtutum & bonorum hæredibus, incolumis feliciter Nestoreos in annos vivas, & post hæc vitam æternæ cœlorum hæreditatis feliciter consequaris. Cal. Februar. M. D C.

Gen. T. Nobil.

addictissimus

Joannes Wolfius J. C.


p.2.


p.9




p.61.


p.314.


p.319.


p.393


p.395




p.441.


p.478


p.486.


p.488.









9.18.


397




489




p.61.










p.2.



p.491
SPR




p:492




p.61.



p:494



p:494






p:497



497





p:500



p:500





p:513



p:514




n:492


n:495


n:498
F


n:501


n:517




S




































N°3. in z. badt. p. 5.


Jt.600.


Jt.713


Jt.719.




Jt.734.



cùm (secundum philosophos) nihil tam sit naturale, quàm simile sibi procreare, & illud mediis omnibus, quibus fieri potest, fovere, sustentare & stabilire; tamen evenire, ut ex ordinibus quidam, in religione & aliis partibus planè sibi similes loco pellant, cohibeant, & seipsos [illegible] nidum eorum constituant. Viperas, [illegible] execratur natura, quòd latera perrumpunt occisa matre; laudat lupos; inter quos etiam diris[s]ima hyeme pax est, & nulli ab aliis devorantur: periculosa igitur instare tempora necesse esse, quibus lupus lupinam est, refert Claudius Minois Gallus. At quid hoc quæso aliud est, quàm cornicum oculos configere &

pag. 7. κρώζειν? De quo proverbio Aristoph. in Pluto, Persius Sat. 5. Hieronymus in Epist. ad Rusticium Monachum, & Macrobius Sat. 7.

Unde piè & laudabiliter fit ab illis, qui ea hominibus ociosis, ignavis, sed & factis ex ocio impiis, expulsis, denuò illorum bona; ad conservandas Ecclesias, scholas, xenodochia, aliosque pietatis & necessitatis usus, utpote pro redemptione captivorum, liberatione oppressorum, & quocunque necessitas postulat, conferunt, 12. q. 2. c. monemus, c. [illegible] sine exceptione, c. aurum, & ibi D. D.

Habemus autem exemplum necessitatis in Ungaria ob oculos, ubi miseri Christiani vim patiuntur, ad crucem & mortem rapiuntur, necantur, in servitutem perpetuam abducuntur: ad quorum liberationem optimus Imperator omnia pro viribus confert; at quid faciat? quid & nos faciemus; quænam consilia salutaria ad hibebimus? nemo de his verbum proferre audet: si enim quid salutare quis consulat, os in cœlum ponit, illicò Lutheranus & cruce dignus est.

Videmus interim, adeò attenuatas esse vires & reditus Imperii, totevulsas pennas aquilæ à Romano clero, totexcussas gemmas coronæ Cæsareæ à Pontifice, de quo suprà & insequentibus, ut omninò opus sit remedio. De hoc cùm Lutherani nihil fari ausint, audiantur ipsi Romanistæ: fuit enim jam dudum agitata hæc quæstio, & inprimis à Laurentio Valla, dum scribit; teneri Cæsarem & alios principes, sub pœna æternæ damnationis, operam dent, ut reddantur politico ordini Roma, & omnia, quæ ab Imperio sunt abalienata.

Constat enim, donationem Constantini fictam, ementitam & nullam esse; Papirius in dialogo, Antoninus, Raph. Volaterranus, Hieronymus Gabalanus, Renus Episc. Paduanus de vitis Pontificum, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Ulricus ab Hutten, & alii plurimi, de quibus suprà: cujus etiam optimi historici, & docti plurimi, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, nec ipse Damasus Papa in Chronicis, nec Beda, nec Orosius meminerunt; nam viros pios hujus mendacii puduit. Negare enim nemo sanus potest, per plures quàm 300. annos post Constantinú. Imperatores tenuisse gubernacula urbis Romæ & Italiæ, per præsides & exarchos, usq. ad tempora Innocentii 2. de Justiniano vide l. 1. & 2. de off. præf. præt. Aphricæ procam. Instit. l. 2. c. de vet. jur. enud. l. bona à Zenone: & notum est ex multis Chronicis.

Quia autem veritatem scripsit Valla, patritius Romanus, & Canonicus Eccl. D. Joannis Lateranensis, qui vixit anno 1420. quá illi homines ferre nullo modo possunt, pag. 8. in exilium ejectus, ab Alfonso, rege Neapol. servatus fuit. Cujus exemplo motus Lupoldus à Babenberg, sacerdos parasitus, ad assequendum Episcopatum Bambergensem, in libro de viribus Regni & Imperii Romani, contra conscientiam scribit, se nescire, quorum opinio sit verior? Sed ad rem.

In libro Elizabethæ virginis sanctæ extat quoq; admonitio, sic se habens: omnia, inquit, præpotens rerum humanarum moderator Deus, legitimè ac æqua iter distribuit: cœlum cœlitibus, terram mortalibus habitandam concessit, quæ partitio respectu proportionis seu mensuræ justa est. cùm nimirum Ecclesiasticus sua bona, sua item politicus ordo tenet, ac neutra pars alteram prædas agendo dispoliat. Non enim præcepit Deus, ut uni ex aliis soli & pallium & tunica detur, alter verò nudus dimittatur, sed hic tunicam, pallium ille accipiat oportet.

Sic etiam civilis magistratus, cùm propter amplitudinem & magnitudinem aulæ, tum propter subinde crescentem sobolem, pallium ille obtineat: sacerdotalis verò chorus tunicam sibi retinere debet, ne aut ciborum, aut vestium indigentia laboret. Ex hoc judicamus nos, ac decernimus, ut omnia prædicta bona ritè dividantur, & si qui sacerdotes cum tunica pallium quoque habuerint, auferendum illud, ac tantum tribuendum statuimus, quantum necesse habent, ne propter egestatem miseriam persentiscant.

Cæterùm qui primùm sese huic æquitati opponent, suprema erunt capita Ecclesiæ, Papa videlicet Cardinalium, Episcoporum, & Abbatum caterva; nec non cætera Præsulum & Prælatorum turma, prioribus subjecta: qui omnes ac singuli hoc sedulò agent, ut excommunicationis suæ fulmine, ac dira comminatione, QVA COELUM SE PRÆCLUSUROS FABULANTUR, Principes absterreant.

At verò cùm animadverterint, se neq; ligandi aut solvendi potestate, nec eleemosynis ac sacrificiis, nec armorum multitudine, nec deniq; ullis vel blanditiis vel minis, propter

per divinum judicium ijs resistere, ac terrorem incutere posse: tum demum inanem illum fastum ac superbiam, qva supra modum semper efferebantur, deponent: & postqvàm in seipsos descenderint, miserabiles qvestus & lamentationem edent, dicentes: Propterea, qvòd omnipotentem Deum in officiis nostris, eorum qve ordinationes rejecerimus, ideò turpitudo ac dedecus omne nunc ad nos redundat: ut videlicet ab iis jam supprimamur, erga quos nos hactenus submissos gerere debebamus.

Jer. 9. Et enim qvi Principibus jam olim præpositi eramus, a humilem eorundem obedientiam, ceu subditorum experiebamur; illis jam servile jugum Deus detraxit, ac nobis imperare permisit. Idcirco præclare intelligimus, justè nos Dei judicio affligi, siquidem aliàs universi Mundi regna nobis subjecissemus, hæud aliter, atq; jam ipsi ejusdem Imperio subesse, & servitutis triste onus portare cogimur. Qvin etiam justum Dei judicium pronunciare opus habemus; qvia omnibus carnalium voluptatum lenociniis dediti fueramus.

Eadem: In Ecclesia propter lupos ejus universum Christiani nominis Imperium labascit, qvin igitur auferimus illis, qvæ non justis rationibus, sed propter suum nefas & injuriam possident, expulso nefariis sceleribus innocente Christo. Hæc Elizabetha.

Ex quo ejus sermone certè afflatus divinus inter alia in eo quoq; conspicitur, dum sub verbis proportionis & justæ mensuræ intelligit distributionem illam justitiæ, sine qua Rempublicam salvam esse non posse, affirmant Plato & Aristoteles, & post hos Paulus ab Eytzen & Hieronymus VVildenbergius. Unde Platoni familiare fuisse dicunt; ἀεὶ τὸν θεὸν γεωμετρεῖν, Deum geometricè semper tractare. De qua etiam Theognis dicit: nautam fluctibus opprimi necesse esse, ubi proportio justa non observatur. Et Achilles (ut Homerus, Dictys Cretensis, & Dares Phrygius scribunt) statum, in quo justitia distributiva negligitur planè rejicit.

Et inprimis celebris ille historicus Crantzius multis locis, ut & Theodorus à Niem Paparum intimus Secretarius, conquerentes referunt: habere multos Archiepiscopos & Episcopos terrarum, opum & redituum plus, quàm Imperatorem; hoc se non posse laudare, quia deficientibus rerum facultatibus, & potentia seculari in Imperio, Imperator impotentem defensare Christianum populum non possit.

Quæ autem proportio aut justa mensura hodie sit inter Imperatorem & Papam, cuivis facilè est cernere, & propediem de Imperatorum & Paparum patrimonio prodibit tractatus. Ac proinde non injuria mirari quis possit, cur à doctis viris, qui de rebus Reipublicæ & justitiæ, ut sunt historici & Jureconsulti, tractant, hactenus de hac materia, cùm utili tum necessaria, & sub qua omnes status aut consistunt, aut concidunt; tam paucissima literis sunt consignata: causa a. latens est, de qua alibi in hoc Opere.

Nec non etiam frustra illicitis artib. papatum sua corrasisse, ait eadem piissima virgo Elisabetha. Nam ut unico saltem omnium exemplorũ, quorum plenus est hic liber, hoc constet; tam cæcos & fatuos homines reddiderunt, ut eum, qui testamento illis nihil reliquisset, sepultura indignum, & qui intestatus sic obiisset, fisco ejus relicta bona cedere decreverint, lexq; ue ab illis constituta fuerit, ut si quis inopinatò mortuus fuisset, sacrificulus, Pontificis jussu, mortuo testamentũ pro placito condiderit, & ex defuncti bonis (debetur enim Æsculapio gallus, quæ fuit postrema vox Socratis apud Platonē in Phædone) Ecclesiæ, quæ vellet attribuerit. Quibus fraudibus rem eo deduxerunt, ut tantum in Gallia circa annũ 1565. duodecim milliones in reditibus, & duas fere trientes in agris, possessionibus & dominiis habuerint; quibus sola Gallia fuit prægravata. pag. 10.

Sed quid quæso putas in aliis regnis, Germania, Italia, Hispania, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Polonia & sic in? certè plus quàm tertiã partem terrarum, & reditum dimidiam acquisiverunt. Quæ iniquitas supremũ magistratũ movit, ut multa talium fraudum à curia Parisina anno 1401. sublata fuerint, & quoq; à Senatu Veneto, ut etiam Carolo V. Imp. in Belgio lege cautum sit, ne in posterum possessiones, juraq; Ecclesiastico ordini attribuantur, quod testantur Annales Gallici, Guicciardinus de rebus Belgicis, & liber statutorum Venetorum c. 4. 156.

Talia igitur hac ætate pro novo haberi non possunt, cùm prædecessorum exemplo id fiat. Sic enim Manuelus Imp, cùm Ecclesiasticos (propter possessiones & mundana negotia) parũ religioni cultuiqve divino deditos esse videret, nullas eis vineas, nullos agros, nullas possessiones assignavit, sed ex fisco tantum pendi jussit, quantum ad sustentationem vitæ satis esset. Et ex eadem causa legē sanxit Nicephorus Phocas, de nõ augendis monasteriorum latifundiis. Otho Frisingensis refert, quòd Henricus Imp. cernens, fratres Fuldenses ob nimia temporalia malè ambulare, multa illis prædia, tanquàm luxuriæ incitamenta, ademerit; opulentiam enim facilè Dei sui oblivisci.

Nec

ſcere, ſed ipſorum contagionem etiam ad a-
ſia bona permeare, atque ea juxta ſe poſita
(quod de aquilarum pennis Pierius, & ante
eum multi alii tradiderunt) adurere & con-
ſumere. Deumq; Opt. Max. id certè rem exe-
crandam, vehementer punire. Id quod e-
xemplis præteritis & quotidianis manife-
ſtum ſatis eſt: liceat unicum ſaltem hic ex
chronicis adducere.

Cum enim Henricus ſenior, Marchio
Miſniæ & Lauſatiæ Eccleſiaſtica bona occu-
paſſet, & ob hoc præſuli Bennoni, qui illa re-
petiit, colaphum impegiſſet; eo ipſo die poſt
annû ſubitanea morte extinctus eſt: Chron.
Miſniæ. His & Oroſius annuit; referens: di-
vinæ indignationis judicium accenſum eſſe
ex eo, quòd malè utentibus ea bona, quæ
fructus miſerorum eſſe decebat, nutrimen-
ta libidinum facta fuerint.

Pag. 11. Non ergò aliò, quàm jam dictum eſt, & i-
pſum jus canonicum præcipit, convertere
talia bona licet: d. 12. q. 2. c. monemus, cû
ſequentibus. Quæ autem major hodie ne-
ceſſitas eſſe poſſet, quàm eſt miſerorû Chri-
ſtianorum in Ungaria? Quid verò ſuper eo
(præcipuè verò de ocioſis & ſuperfluis ordi-
nibus) & hactenus & hodie quoque plures
magno conſilio pollentes viri, & Theologi
& politici, inter quos non poſtremi ſunt Lu-
therus, & fortis ille heros Lazarus à Suendi,
ſuaſerint, ex hoc Opere & aliunde notû eſt.

Sic in ſumtus belli olim etiam in neceſſi-
tate de bonis Eccleſiæ contributum fuiſſe,
refert Aventinus. Et in Conſtantienſi con-
cilio, ad ſublevandas vires Imperatoris, an-
natæ primùm in bello contra infideles ſunt
deſtinatæ, quibus Eccleſiæ & monaſteria per
univerſum orbem taxata (de quibus prope-
diem, Deo dante, luculenter & ſeriatim ali-
bi) immenſam argenti ſummâ contulerunt;
ſed abhinc interim à Papa retentæ, & non ad
Imperii; ſed alios, neſcitur quos uſus colla-
tæ. Illud cùm ante hæc tempora licuerit, cur
hodie quoq; ad liberandâ patriâ non liceat?

Et ſi Auguſtæ anno 1500. à Maximiliano
Imp. & aliis Imperii Statibus in comitiis u-
nanimiter & firmiter decretum fuit, provê-
tus & reditus illos Annatarû & Vacantiarû,
contra Turcos primitus inſtitutos, à ponti-
ficibus repetere, cur ſancta Imperii decreta
tam frigidè exequimur? cur, dum certos,
conſtitutos, deputatos, & ſufficientes ner-
vos contra Turcos habemus, aliunde patri-
am labefactamus, exhaurimus, & in nihilû
redigimus? Ex actis Impe. ib.

(Poſſent hîc ſalutaria plurima alia, ad
conſervandam jamjamq; ruentem patriam,
coacervari & prodi, ſed quid faciendum?
veritatem ferre non poſſumus; cæci in exi-
ium ruimus.)

Idem ſentit & ſuadet Paulus Langius, Mo-
nachus Zitizenſis in Chronico, dum ſcribit:
ſi pon-

ſi pontifices contra Turcam, ut debebant,
officium facerent; dudû ipſum extra Euro-
pam fugatum conſpiceremus; at quia eorû
incuria, fraude & avaritia quotidie ejus vires
accreſcunt, habet Roma timere, ut, qui ho-
die detrectant modicû pro tuitione fideliû,
tandem totum ſint amiſſuri. Sic olim quoq;
Senatus populusq; Romanus (quorum loca
& bona illi occupârunt) bello, & aliunde
parta pro aris, focis, & neceſſitatibus in me- Pag. 12.
dium contulerunt. Livius lib. 9. Idem ergò
& ipſi (ſi quidê communis ſalutis ſinceri aſ-
ſertores eſſe velint, ut jactant) ſimiliter præ-
ſtent, aut Imperio reddant ablata: cujus etiã
ſuprà ex Laurentio Valla facta eſt mentio.

Quo loco me continere non poſſum, quin
illud Goropii commemorê, ubi ait: Romu-
lum ideo lupinum lac ſuxiſſe, quòd domini
Romanæ urbis, qui ad unû omnes Romuli
dici poſſunt, totius orbis divitias, quæ ere-
gib. denotâtur, haud ſecus ac lupus oves de-
voraturi eſſent: & hoc antiquiſſimû oraculû
eo figmêto tectû fuiſſe, cuius ſignificationê
ſucceſſus omniû rerû cunctis ſeculis hinc à
primo Romulo dederit minimè obſcuram.

Cùm igitur ex multorû vatum prædictio-
ne tanta, tamq; horrenda extent de impen-
dentibus malis vaticinia, de quibus in prio-
rib. & ſequentibus; & Joan. Hilten mona-
chus prædixerit, ab an. 1600. regnaturû ho-
minem ſæviſſimum in univerſa Europa; item
item duplice, literæ F.) in rota Joachimi ſu-
prà part. 1. fol. primo ſub imagine beſtiæ
Turcicâ tela evomentis innuant, nos duplici
FATO ad ſupplicium rapi; & per literam T,
quam Aquila ore geſtat, crux & miſeriæ ſi-
gnificentur, quibus non ſolùm caput, ſed e-
tiam membra tam immani dolore prementur,
tur, & terrebuntur, ut nullo modo ſolvi ab
iis ante mortê poſſint; imò hoc myſterium
per converſionem literarû plus innoteſcat,
quia VAT eſt imperantis, & capitur pro ar-
ripe, & hoc intellectu omnes admonentur,
ut crucem arripiant, eaq; ſe ſervêt, & illa ceu
fune firmiſſimo ſeſê in ſalutis portu retine-
ant atq; figant: (ut author eſt Angelo Cati-
nius Anglarienſis, Antonius Chevallerius, A-
brahamus de Balmis, & Goropius Beccanus)
his de cauſis vellent pii & prudêtes viri, mul-
tas imperii gazas in meliores uſus converti,
conſtitui legiones militum, ſuſtentari exer-
citus perpetuos, qui contra hoſtes ejus pugna-
rent, ne adeò debilitarêtur principes Chriſti-
ani, & nervi Imperii membris præciderêtur.

In quo, proh dolor, etiam ab Ethnicis multum
ſuperamur: qui, ut Græcorum hiſtoriæ docent, col-
lectos theſauros ſuos in templo Delphico, quos ab initio
tio belli, quod ſacrum vocabant, 10. tonnas auri fuiſſe
ſcribunt Pauſanias & Thucydides: nonnisi alios uſus?
quàm pro liberatione patriæ, ad alendos exercitus in-
ſumſerunt. Et Athenienſes ſemper aliquot talenta,
in arce ſepoſita habebant, nunquam niſi in ſumma ne-
ceſſitate auferenda, qui ſecus feciſſet, illi capitale e-
rat.

tale

eat. Et Branchidæ (de quibus etiam quædam supra) olim ultrò vetustæ superstitionis & vanitatis Græcanicæ, quam contra conscientiam suam lucri duntaxat causa [ut etiam hodie fit] alebant, tandem pertæsi, occasionem arripuerunt, qua, licere, dæmoniacam fraudem
pag. 13. prodita & deserta; adversum enim redire; & templum suum cum thesauris Xerxi attribuerunt: Strabo, Plutarchus & Goropius. Deus Opt. Max. tandem similiter cæco Papatui oculos Spiritu S. aperiat, ut in viam redeat, & abjectis mundanis fragilibus, cœlestia perpetua plus, quàm hactenus, spectet.

Talia igitur antecessorum & majorum nostrorum fuerunt pia instituta, sapientia consilia, fortiaq; facta. At quibus nos hodie consiliis & mediis pericula propulsamus? Epimenidis somno, de quo Gellius, Diogenes, Laertius, Plinius, & Lucianus in Timone.

Quia ergo, proh dolor, de his forsan apud multos frustra, nunc ad te, Vir Nobilissime, Generosissime, orationem dirigo. Et hoc loco quidem imprimis afferri possent plurima de tuis & ornatissimæ tuæ familiæ laudibus, virtutibus atq; præstantia: ex te enim verè illucet illud, quod dicitur: fortes creantur fortibus & bonis; & constat, majores tuos fuisse viros consiliis graves, manu fortes, in rebus gerendis industrios, atq; justitia ac prudentia in administranda ac gubernanda tum patriæ, tum aliorum regum atque principum vicinorum Republica, nemini secundos, adeoq; omni genere & bellicis & pacis virtutibus clarissimos. Requirit namque Plato in viro forti & Comicarum & Tragicarum rerum notitiam: quam utramque in te quoque & jucundo & adverso tempore elucescere, ipse expertus sum, cùm aliquando te in necessitate fidum Achatem haberem.

Vivit etiam ex tua familia laus pietatis Christophori de Schulenburg, qui cùm per triennium Raceburgensis Episcopus fuisset, tandem pertæsus hodiernæ religiosorum conditionis, & propriis contentus, piè sibi, quàm splendidè mundo vivere mavolens, muneri renunciavit; teste Chron. Saxoniæ. Non minor est enim aliquando in contemnendis, quàm consequendis magistratibus dignitas, ut Natalis comes in Mythologicis sentit.

Sed & ex Chronicis cognita est excellens virtus, prudentia, & fortitudo VVerneri de Schulenburg, Illustr. Ducum Pomeraniæ olim vicarii.

Item summis quoq; laudum atq; honorum encomiis ornandus est Alexander de Schulenburg, omnes coævos suos superans, qui cunctas ferè terras suo nomine, virtutibus politicis & bellicis implevit. Res gestas & peregrinationes ejus descripsit in itinerario Joannes Fraxinæus; novit (vidit enim) Gallia, Anglia, Italia, Melita, Ægyptus, mons Sina, Palæstina, Æthiopia, India, Servia, Russia, Dania, Svecia, Germania, & alia loca.

Habuit enim hic heros præ oculis antecessores nostros, veteres Germanos, qui ociosi & desides domi
pag. 14. nunquam perstiterunt, sed militatum abierunt ad exteras & longinquas gentes. Sic enim cum Brenno Svevo Italiam ingressi sunt; Godefridus Viterbiensis. Sic Hispaniam occuparunt; Orosius. Sic bellis in Gallia, Syria, Ægypto, & ad claustra Caspiarum interfuerunt. Imò etiam sub Herode [de quo Josephus] Julio Cæsare, & contra eum pro Ariovisto stipendia meruerunt; Julius Cæsar, Hircius, Cornelius Tacitus, & Eutropius. Sic memorabilis illius pugnæ Pharsalicæ præcipui authores extiterunt; L. Florus. Sic Hadrianus secum habuit Maiorem Germanum, strenuum militem, ut amicum; Dion.

Fuerunt enim in exercitio perpetuo armorum, venationis & natationis; Egesippus, Seneca de Ira, Pomponius Mela, Livius in Geographia, Symmachus, Herodianus, & Hunibaldus. Quod quid efficiat in viris strenuis, ostendunt Vegetius de re militari, Modestus, & Onosander. Sed quid hodie? doleo referre, vide prædictum Fraxinæum: & redeo ad Alexandrum.

Is si quæras, quo pacto omnia hæc perficere homo mortalis, & qui variis fortunæ fluctibus subjectus est, potuerit? respondeo; respexit vir fortis ad id, fortia agere & fortia pati, Romanum, & viri fortis esse: & ad illud Polybii: si quis in adversum aliquem casum inciderit, & in forti & magno animo tulerit [ut & tu in similibus facis] certè fortunam suam in melius convertit. Unde Virgilium dicere consuevisse refert Donatus in ejus vita: cùm nulla tam aspera sit fortuna, quam prudenter patiendo non vincas, ideò nullam virtutem homini magis necessariam esse patientia, ut idipsum testatur 5. Æneid.

Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Sic etiam linum à patiendo, quia injuriis semper melius evadit, nomen accepisse, refert Plinius. Et nullam rem in toto mundo plura tormenta quàm linum pati, scribit Goropius; & tamen ad tantam perfectionem pervenire, ut etiam corpori nostro nihil propriùs, quàm indusium ex eo paratum constituamus. Hoc quia fit, cur quæso in adversis non similiter ad patientiam confugimus, inq; illa proximam spem & auxilium ponimus, & cum Vate regio dicimus: Tu es patientia mea, Domine? Cur allerimus, eam in nostris hortis non crescere, cùm certè propria, non aliena culpa id fiat. Quomodo enim accrescat, quod nunquam sereveris?

Tantum autem virum Magnates magnis sæpè alliciebant promissis; ut in suis aulis perseveraret, & officio cuidam vacaret. Marchio etiam Elector vica-
pag. 15. rium suum constituere cupiebat; ad ille honestè semper abnuit, quod in tanto viro notabile atque mirabile est. Motus enim eo, quo dicitur, *si curiam curas, pariet sibi curia curas*: & illo Pyndari; accidere viris de Republica benemeritis, ut pro beneficiis pessimam gratiam nonnunquam auferant, quia antiqua dormit gratia, & homines sunt immemores; aulas fugit.

Hujus innumera possent adduci exempla: Parmenionis & Clyti apud Alexandrum, Eusenidis apud Ptolomæum, Pannoniani apud Alcimenidem, Acati apud Philippum Macedonem, Ætii apud Valentinianum, Belisarii apud Justinianum, Narsetis apud Justinum, Sejani apud Tyberium, Papiniani apud Bassianum, Pausani apud Severum, Cleandri apud Commodum, Petri de Vineis apud Fridericum secundum, & aliorum.

Herodotus causam esse dicit, quia etiam vir optimus quandoq; in magna potentia corrumpitur: hac multò fortiorem dixerim, quòd in aulis τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ, τὰ δεύτερα ὁ συκοφάντης sæpè habent, quos parasitos, calumniatores, sycophantas, invidos, malignos & proditores, Plato in Socr. apolog. seu pestem fugiendos, & per hos multos bonos viros eversos fuisse, dicit.

Hi inquam (exceptis semper pio Josepho, Nahaman, & similibus) licet eos optimos tibi amicos esse putes, & proinde perfidos nebulones potiùs dixeris; tametsi innocenter vivas, & dominum æquum, justum, pium, & propitium habeas; tamen quia meliores se ferre non possunt, venenata tela in te conjicient, & calumniis ejicient. Quo tametsi illi sanguisugæ, vel potiùs aulisugæ, libidini suæ omninò satisfactum existimant; certius tamen est saluti tuæ prospexisse; servitute, perverso sceleratoque eorum consortio & inferno eripuisse te; seipsos verò in inferni barathrum, nunquam inde reversuros, conjecisse.

Sed relinquamus hoc hominum genus, quod est, fuit, & erit sibi simile semper, & in aulis & alibi; donec (utinam hoc possibile esset) recoctum ab aliqua Medea, integritati & virtuti restituatur, de quo scribunt Pherecides, Simonides, & Lycophron.

Ob hæc igitur (ut dictum) ab aulis abstinuit, exemplo motus David regis, qui etiam malebat se committ-

committere manibus Dei, qvàm hominum: & illo cujusdam apud Aristophanem in Pluto dicto, qvi jactanti, se habere nescio qvem annulum magicum, in qvo inesset remedium adversus omne malorum genus, respondit: ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος. Verè enim si ad hoc malum respicias penitius, proh dolor, homo ipse homini fit dæmon; & ferè non reperitur hodie qvisquam bonus & justus, qvi talium viperarum morsus atqve calumnias non sit expertus.

pag. 16.

Sapienter igitur Plinius dixisse videtur, inqviens: cætera animantia in suo genere prolis degere, congregari, & stare contra dissimilia; & leonum feritatem inter se non dimicare; serpentum morsus non petere serpentes; ac ne immanes qvidem belluas & pisces: at hercule homini plurima ex homine pervenire mala, homine nihil esse miserius, & tamen nihil superbius. Unde Lucianus in Dialogo de hæresibus refert: in homine desiderari, qvòd pectus non fenestratum habeat, ut sciri possit, qvid in animo qvisqve struat, num mentiatur, an verum dicat?

Pulchrè etiam Demosthenes oratione prima contra Aristog. inquit: neminem unqvam vestrûm vipera momordit, neqve phalangium; & absit, ut mordeat unqvam; sed tamen omnia ejusmodi animalia ubi conspexeritis, mox interficitis; itidem igitur & cùm delatorem & calumniatorem videbitis, habere viperinam naturam putate; nec expectate, dum aliqvem vestrum mordeat, sed cum primum occurrit, tollite. Simile ferè refert Qvintus Calaber de Achille, qvi maledicentem Thersiten occidit colapho. Sed bone Deus, hoc si fieret, qvantùm expurgandæ forent nobis aulæ; de his igitur satis.

Qvia verò hoc malum non aliunde, qvàm ex invidia provenit, dicamus cum Basilio Magno in sermone de invidia: habent dæmones invidos sibi conformes, qvibus pro libitu abutuntur: fugiamus, fratres, intolerabile malum; serpentis est præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum privatio.

Verùm enim verò fit tandem, Deo ita disponente, ut hi, multarum calamitatum causæ, assentatores aulici & sycophantæ, plerumqve etiam pœnas meritas ferant: exemplo esse possunt duo sycophantæ, Theodosius & Stephanus apud Justinum, Constantini Barbati filium, qvos funibus ad pedem alligatis per urbem traxerunt & postea combusserunt: sic Sejanus apud Tyberium, Plautianus apud Severum, Eutropius apud Theodosium minorem digna morte perierunt; & Thurinũ Veronium Alexander Severus fumo sustulit, qvia fumum vendiderat; & in calumniatores ac eos, qvi corrupti pecunia injustè judicaverunt, duriter animadvertit; sæpè hunc versum recitans: ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Possent etiam recentiora exempla adduci, sed de illis alio loco commodiùs.

Cùm autem secundum Philosophorum doctrinam, tutius sit ad summum qvàm in summo, & habeat hoc natura, ut si qvem ad summum citiùs adspirare velit, citiùs etiam deficiat: (hinc Alexander M. cùm altiùs neutiqvam ascendere posse, gloria & potentia, 32. annorum ætate vitam finiit: & Mauricius Saxo, Germanorum Achilles, fortissimus & incomparabilis; etsi à Thersite illo Gallo, Germanicarum laudum hoste, contumeliosè, sed mendaciter, carpatur; etiam è vita est sublatus ea ferè ætate: & possent alii qvoqve strenui & eximii viri perplures recenseri; inter qvos etiam Arminius, Vari Qvintilii celebris victor, unus fuit; qvibus idem vitæ immaturus exitus contigit) sic qvo qvre præstantissimus iste heros perfectionem suam mature consecutus, qvamvis jam maximè hominibus usui esse potuisset, præcoci morte est abreptus.

pag. 17.

Hos & alios similes viros plures familia tua insignes habuit, qvos tu jam, tanqvam novus Phœnix, insegveris.

Sed qvantum & tu qvoqve tum religione erga Deum, cùm erga homines virtute (qvam solam pietatem Plato dixit in legum appendice) & integritate præstes, genusqve tuum ornes, dicere non est opus, res declarat, multa de his afferri possent documenta. Non enim is es, ut alii qvidam, qvi propter gloriam majorum (qvod turpe esse idem Plato in Menexemo esse dicit) honorandos se exhibent; sed propria virtuti studes ac incumbis, qvod singulariter in te admiratus sum sæpè: ex multis unum hujus exemplum, & qvod me saltem tangit, referam.

Cùm eam, qvæ olim Aurelii & Andegaviæ in Galliis inter nos cœpit, amicitiam intermori nolles; sed per ea, qvæ nobiles viri, VVolfgangus Ulricus à Venningen ante hæc Heidelbergâ, deinde etiam Joannes Ridesel ab Eisenbach ex Ratisbona, & noviter ex itinere Danico Osualdus Suave, viri certè & generis & virtutis nobilitate eximii, jussu tuo retulerunt; qvæq; nuperrimè qvoqve per teipsum epistolis, omnis humanitatis & officiorum plenis, imò etiam liberalitate summa in meum affinem Gregorium Rollvvagen, Juris studiosum in Academia Helmstadiensi, collata declarasti; omninò renovatam & redivivam velles: ego, ut vicissim officio meo non deessem, committere non potui, qvin hunc generosum, fortem & constantem animum tuum publicè proderem & commendarem; & declarandæ gratitudinis ergò, meæq; in te summæ observantiæ (cùm suavior animi cibus, qvàm stilo historiæ, ut Nicolaus Perottus sentit, offerri non possit) hanc Secundam Lectionum Memorabilium & reconditarum Partem tuis Auspiciis consecrarem.

Calles enim optimè veteres sapientum Philosophorum leges, amicitias sempiternas esse debere, & amicum non deserendum, etiam desperatis fructibus ac emolumentis; referente Cic. de legibus, qvi & in Lælio suo, cùm difficilem qvæstionem esse alter collocutorum diceret, num amici novi veteribus sint anteponendi, ut eqvis vetulis teneros anteponere, solemus; indignam homine dubitationem esse, per alterius fictæ personæ responsum infert: non enim amicitiarum, ut aliarum rerum, satietatem; sed veterrima qvæqve suavissima esse debere: ac proinde locum hunc, insigni sententia & doctrina concludit, dicens: qvi in amicitia constantem & stabilem se præstiterit, eum (ut certè tu facis) ex maximè raro hominum genere judicandum esse, & penè divino. pag. 18.

Sicut igitur initiò amicitias non facilè admittis; ita constitutas constantissimè tenes: qvod etiam Suetonius in Augusto summoperè extulit: & ex Græco Antipatris epigrammate fit clarum, amicos tales deligendos, qvi nec temporum diuturnitate, nec locorum distantia, sed ne qvidem post mortem amare desinant. Finem igitur nunc illius Poetæ versibus faciam, qvi canit:

Et decet, & certè vivam tibi semper amicus,
Nec tibi qvi moritur, desinet esse tuus.
Ipse ego, qvicqvid ero, cineres interq; favillas
Tunc qvoqve non potero non memor esse tui.

Capies ergo benevolo animo, qvod fidus tibi & verus amicus servitorqve, candido & syncero animo offert; Deum orans, ut unà cum filiis, charis pignoribus, paternarumqve & virtutum & bonorum hæredibus, incolumis feliciter Nestoreos in annos vivas, & post hæc vitam æternæ cœlorum hæreditatis feliciter conseqvaris. Cal. Februar. M. D C.


Gen. T. Nobil.

addictissimus

Joannes Wolfius J. C.

pag.


































9.28.

397


1489


p.2.


p.61.









p.2.

p 491
SPR

p:492


p.61.

p:494.

p:494



p:497

497



p:500

p:500



p:513

p:514.



N:492


493.


N:495




N:498.
F


99


N:501




17.





SI





































N°. 3. in z. bat. p. 5.















P.737


P.738


P.739


P.743


P.744


P.745


P.822
INRI


P.823
REPASCOR


P.855


P.869


P.869


P.869


P.872


P.872


P.872


P.739


p745


P.855


P.869


P.872
Nº IV.


NAPOLI







P.869



P.872







P.877

P877


P.879

P879


P.906.

P.912.


P.905

LEONEM

VINCIRI
NEGAT













) Anno
M

:a ve-
diano

irage-
ı cum
Nam
lebel-
atem,
:avit,

do, se 1501.
ios ac
; nar-
cutu-
acriſ-
n, pa-
litum
l cer-
io er-
ſico-
ac vi:
rare,
: eſſet
, qui-
:ædes
grati-
ıs ſua

as de
nomi-
n ca-
mer-
ılera-
periri
Imp.
6. ut 1502.
pag. a.
*

ı qua
turrī
ndiq;
m re-
viri,
alium
m









Anno pag. 1.

LECTIONUM MEMORABILIUM ET RECONDITARUM CENTENARIUS DECIMUS SEXTUS.

1501. *Pater Friderici Myconii.*



Clarissimi viri & Theologi constantissimi, Friderici Myconii patrem non tantùm verè pium, sed & probè gnarum fuisse purioris religionis, facilè ex scripto filii, cui Somnium nomen imposuit, cerni potest. Unde pauca huc transscribam:

Instituerat me pater meus (inquit Fridericus Myconius) adhuc puerum, & infantem, Decalogi verba, orationem Dominicam, & Symbolum, & cogebat me frequenter orare: à solo enim Deo esse nobis gratis omnia, & illum nos gubernaturum, si diligenter orarem, persuadebat.

Item, sanguinem Christi esse precium pro peccatis mundi, & cuilibet Christiano esse necessariam hanc fidem. Quòd si tantùm tres homines debeant salvari per sanguinem Christi, tamen se certissimè statuere debere, se esse unum ex illis tribus: contumeliam esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare.

Indulgentias papales esse retia, quibus caperetur pecunia simplicium. Certè remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia: sed offendi sacerdotes, si ista dicerentur. Hæc ille.

Hinc apparet, illum virum rectè sensisse de justificatione, de vera ac non dubitante fide, qua omnia à Deo impetremus: de invocando solo Deo, & de indulgentiarum vanitate. Fuit haud dubiè aut Uvaldensium discipulus, aut alioqui Θεοδίδακτος, mirabili modo a Deo veritatem edoctus: quales multi in omnibus locis fuerunt. Catal. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S.

1501. *Hieronymus Paulus Catalanus.*

Hieronymus Paulus Catalanus, Alexandri sexti cubicularius fictam Constantini donationem in sua practica vehementer improbat. Imp. Maximiliano I. Papa Alexandro 6.

Portentum.

Hoc anno circa principium Quadragesimæ, apparuit crux rubra magna cum corona regali manè circa Solem. Nam valdè Turcus in propria persona debellaverat insulas Venetorum: & civitatem, Madon dictam, spoliavit, & incineravit. Linturius, Imp. & PP. V. S.

Conradus Stifelius. 1501.

Michaël Stifelius dixit aliquando, se admodum sæpè olim inter monachos ac sacrificos versantem audivisse eos narrantes, esse veteres prophetias, secuturam adhuc aliquando violentam sacrificorum reformationem. Dixit etiam, patrem suum, Conradum Stifelium solitum esse crebris sermonibus repetere, id certò breviqúe esse futurum. Et pro suo erga impietatem & impuritatem sacrificorum odio, quendam suum amicum ac vicinum, nomine Petrum Pirer, orare, ut, quandoquidem se mortuo ipse esset certò usque ad ea tempora victurus, quibus dudum prædicta sacrificorum cædes fieret, velit unum seorsim, in sui gratiam interficere, præter illos, quos sua sponte esset interfecturus.

Apparet, fuisse multas Prophetias de sacrificorum reformatione, quas homines non rectè acceperunt de eorum cæde: propterea, quòd & dignos tali mercede judicarent, & nullam aliam tolerabilem reformationem facilè reperiri aut fieri posse, existimarent. Cat. Imp. Maximiliano 1. Papa Alexandro 6. ut suprà. 1502. pag. 2.

Memorabile. *

Hujus temporis extat figura, in qua primùm pictum est templum, cum turri contigua, intus vacuum, foribus undiq; patentibus, Ab hinc in extremo, seu remotissimo schematis angulo stant viri, coronis papalibus, galeris Cardinalium

infulis Episcopalibus, & mitris ornari, gestantes sceptra cruciformia, & baculos Episcopales, & apud eos alii Clerici, monachi, & moniales. Propiùs ad templum picta est effigies Cereris. Juxta illam pictus est quidam Bacchum repræsentans: redimitus corona confecta ex pampinis & racemis vitium, & elevata manu ostentat simile sertum & uvas. Secus hos quidam indutus cucullo morionis, altero pede claudus, in cæteris divo Ethnico nō absimilis, incedit versus nos, ejusdemque alia imago, sed aversa facie, & tergum nobis obvertens, duas in humeris alas habens, altero poplite claudicans, ut prior, quoque. Huic picturæ addita erant pauca hæc, quæ sequuntur, à quodam pio ejus seculi viro verba: Sic ferè in Ecclesia comparatum esse, ut relicto templo vacuo, sacerdotes multi attentiores sint ad Cererem & Bacchum, id est, voluptates, ventrem, & bona terrestria plùs, quàm Deum curent, & colant. Nam hoc significat imago Cereris, quæ Græcis δημήτηρ quasi γημήτηρ vocatur. Bacchi verò effigies docet: quòd sacerdotes quidam Dei se filios & cultores, ut Bacchus ille quondam, jactent: sed nihil sint aliud, nisi Epicuri de grege porci, fruges consumere nati, qui Curios simulent & Bacchanalia vivant. Plutus accessu & recessu claudus, cæcus, alatus, & stultum repræsentans inter alia ostendit, esse quosdam, qui officii pensa malè expediant: iis claudicando suas opes & mundi gazas esse acquisitas: claudicando brevi iterum avolaturas, id quod Constantinus Manasses accidere plerũque solere dixit, ut possessiones non diu maneant apud illos, qui eas malo titulo occupârunt, sed avolent citò, quasique aufugiant, tanquam si paulatim incipiant dominos agnoscere. Sic cùm Adam & Eva in Paradiso omnia haberent superflua, cœperunt abuti prosperitate: quare ejectis & in paupertatem redactis Dominus dixit: spinas & tribulos germinabit tibi terra, hoc est, priùs ad paupertatem redigendus es. August. in Genes. cap. 11. Item Ioachimus de flore, Marsilinus, & Dandalus expresse affirmant, quòd per concilium generale ordinabitur ut Clerus habeat tantùm victum & amictum, & naturæ necessaria, rejectis omnibus pompis & deliciis, & dabuntur pauperibus.

1502. *Wolfgangus Aitinger clericus Augustanus.*

Commentariis illustravit prophetias Methodii, ac non rarò cùm turpitudine vitæ sacrificulorum, tum officii neglectionem, ac beneficiorum immensam coacervationem, tum denique & religionis contaminationem gravissimis verbis ac prolixè taxat, & insectatur. Sed adscribam aliquod ejus verba.

Spirituales devorant labores pauperum, salutem animarum non curant: nec subditorum suorum notitiam habent, sed valorem proventuum ac redituum subtiliter ponderant: diu noctuque pro majoribus beneficiis Romæ, aut in curiis Principum & dominorum plùs solicitant, non contenti suis stipendiis: quòd multò plus habent: quàm scientia eorũ se extendat. In vinea Domini nihil boni operantes, nec prædicant, neq; sacramenta ministrant: sed magnum absentes aut præsentes reservatum ex præbendis extorquent. Ignaros & idiotas sacerdotes in vicarios & mercenarios locant in suis pastoriis, qui populum Dei nesciunt docere. Quia parùm in his sapiunt, de quibus Dominus in Evangelio dixit: Si cæcus cæco ducatum præbet, nonne ambo in foveam cadunt?

Illud quoque memoratu dignum est, quòd contendit, Antichristum non in corporea, sed mystica Babylone nasciturum. Ea porrò, teste Petro, Roma est. De hoc autore etiam suprà in Methodio. Imp. Maximiliano 1. Papa Alexandro 6.

Biturigibus Gallorum hi versus lapidi fuerunt incisi in Ecclesia apud S. Stephanum.

Hic des devotè, cælestibus associo te:
Mētes ægrota per munera sunt tibi lota
Ergò venitote gentes à sede remota.
Qui datis, estote certi de divite dote.
Te precor, accelera, spargas hic, dum potes, æra:
Et sic revera securè cælica spera.
O si tu scires, quantum data prosit ibi res
Tu juxta vires donares, quod dare quires.
Te miser à pœna, dum tempus habes, aliena.
Ut tibi sit pœna venia, sit aperta crumena.
Consors cælestiū fabrica, qui porrigit, est iis:
Ex hoc sum testis, hic vos mundare potestis.
Fratres, haurite de trunco pocula vitæ:
Hic aliquid sinite, veri velut Israëlitæ.
Crede mihi, crede, cæli dominaberis æde.
Nam pro mercede, Christo dices: Mihi cede.
Hic datur exponi paradisus venditioni.
Currant ergò boni, rapientes culmina throni.
Vis retinere forum? mihi tradas pauca bonorum,

Pro

Pro summa quorum reserabitur aula
polorum,
Hic si largè des, in cœlo sit tua sedes,
Qui feret hic parcè, parcè comprendet
in arce.
Cur tardas tantum? nummi mihi des
aliquantum, (mo,
Pro solo nummo gaudebis in æthere sum.
Denos sume quater: unum semel: hæc
sacra mater
Annos condonat, sanctus pater ista coronat.
Tot quadragenas dat, & abluit hic tibi
pœnas.
Mil missus decies, socius, si des, ibi fies.

Et hoc expilationis genus longè olim in V. T. præfiguratum fuit per Biliam, ut ex numer. c. 22. constat hoc modo. Rex Chananæus oppugnans Israëlitas vincitur: sed & Amorrhæorum Rex Sehon, & Og Rex in Basan, inferentes bellum Israëlitis, regna sua amittunt. Idem igitur metuens Balac, Rex Moabiticus, mittit ad Balaam Prophetam seniores & majores suos, habentes divinationis precium in manibus, ut veniat & maledicat populo Israëlitico. Cumque venissent ad eum, respondit, manete hac nocte hic, & inquiram, quid mihi mandet Dominus.

Dixitque Deus Balaamo: noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est. Qui mane consurgens dixit ad Principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus ire vobiscum.

Rursum Balac multò plures & nobiliores prioribus misit, nuncians: ne cuncteris venire ad me, paratus enim sum honorare te, & quicquid volueris dare tibi: veni, & maledic populo isti. Balaam igitur, etsi in eo proposito persistere constanter debuisset, tamen spe prædæ, ob promissos honores & præmia, hoc est, ambitionem & avaritiam (propter quæ etiam Romanam Ecclesiam ab Apostolica defecisse dubium non est) neglecto mandato Dei, strata asina sua, profectus est cum illis.

Iratus igitur Deus misit Angelum suum: quem asina videns evaginato gladio contra se stantem in via, avertebat se de itinere, & ibat per agrum. Fam igitur cùm verberaret Balaam, & vellet reducere ad semitam, in angustum locum pervenit: ubi nec ad dextrā nec ad sinistram poterat deflectere, nec etiam propter obvium Angelum procedere. Concidit igitur sub pedibus sedentis: at ille iratus vehementer, cædebat eam fuste.

Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci, inquiens, tibi? cur percutis me jam tertiò? Respondit Balaam: quia commeruisti, & illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem. Dixit asina: nonne animal tuum sum, cui insidere consuevisti usque in præsentem diem? Dic, quid simile unquam fecerim tibi? At ille ait: nunquam.

Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. Cui Angelus, cur, inquit, tertiò verberas asinam tuam? Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria: & nisi asina declinâsset de via, dans locum resistenti, te occidissem: & illa viveret.

Profectus Balaam cum novo accepto mandato à Domino, ne populo Dei malediceret, incepto desistit. Commotus Balac contra Balaam, complosis manibus dixit: ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus è contrario benedixisti: revertere igitur ad locum tuum. Decreveram enim honorare te: sed nunc nihil accipies. Cui Balaam: nihil tibi dixi aliud, quàm quod Dominus jussit: veruntamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. pag. 4.

Postea enim hoc consilium subiecit Regi, ut Moabitæ non armis, sed blanditiis & deliciis perderent Israelitas: nimirùm, ut Moabitæ cum Israelitis amicitiam jungerent, unà convivarentur, & pulcherrimas Moabiticas fœminas conviviis adhiberent, per quas Israelitæ ad impudicitiam provocarentur: à quibus deinde Israelitæ deliniti & persuasi, Deo suo relicto, alienis cultibus, & idololatricis sacrificiis Moabitarum sese pollueren.: quibus rebus exasperatus Deus eos postea derelinqueret, & graviter puniret, defensioneque sua destitueret. Sic enim futurum, ut populus, qui aliàs insuperabilis sit, vinci à Moabitis sine labore & sanguine possit.

Hoc fuisse consilium Balaam, infrà c. 31. perspicuè docetur: & quantum Moabitæ hoc dolo effecerint, mox proximo capite apparet.

Quam mortem tandem obierit Bileam, ex eodem 31. capite conspicitur.

Ioannes Hilten monachus Franciscanus, vates.

Philippus in Apologia, in capite de votis monasticis narrat, fuisse monachū quendam Isennaci in Turingia, nomine Joann. Hilten, qui ob reprehensos quosdam monasticos abusus, in carcerem coniectus fuerit, ac tandem graviter laborans, ad se Guardianum conventum vocaverit, petieritque, sui morbi ratio-

nem haberi: & cùm insuper duriter ab eo objurgatus esset, dixerit, se quidem nihil admodum contra monachatum docuisse: sed venturum anno 1516. qui sit monachos eversurus, ac cui repugnare planè non queant. Eo autem anno Lutherus docere incepit.

Quæ fuerit porrò ejus doctrina, non satis indicat, sed tamen innuit, eum de aliis etiam quibusdam articulis satis rectè sensisse. Imperatore Maximiliano 1. PP. Alexandro 6. V. S.

Obiit in oppido Isenach in Thuringia, in carcere. Inter multos autem bonos libros, quos scripsit, etiam in Danielem edidit commentaria: & prædixit varia, quæ evenerunt in urbe Gotha. Scripsit propria manu, brevi futuram esse mutationem doctrinæ religionis: & doctrinam priorem abrogatum iri.

1503. *Ptolomæus Lucensis.*

Bonifacius octavus cùm aliquando in Bavarum quendam incidisset, qui faciem ejus ita referebat, ut alterum diceres Bonifacium: ex ipso per ludibrium quæsivit, num mater ipsius unquam Romæ fuisset? Bavarus scomma intelligens, par pari refert, & patrem quidem suum ibi fuisse asserit, matrem verò nunquam. Imp. Max. 1. PP. 223, Julio 2.

Idem. Innocentius tertius affirmavit, Papam esse membrum Christi, atque id esse unum ex fidei articulis, sine quo nemo animæ salutem consequi posset.

Idem in Rudimento Novitiorum. Imperii Caroli quarti (coronati & electi in Ach) decimo octavo anno Lubeci quidam scholaris in quodam domus habitaculo obdormivit, & totum septennium dormivit continuè: postea expergefactus adhuc diu vixit. Idem refert Alb. Krantz.

1503. *Vartomannus in Itinerario.*

Eo, inquit, tempore, quo Medinæ oppido Arabiæ fui, volebat capitaneus quidam trecentorum aureorum jacturam facere, modò cadaver Mahometis intueri posset, cui ejus fani sacerdos respondit: Quid tu homo profanus inspiceres tanti Prophetæ corpus, cujus solius gratia Deus cœlum & terram condidit? inquit Capitaneus; quæso, fac, ut videam prophetam, non dubitabo deinde, meos etiam oculos in observantiam ejus eruere. Sacerdos autem, ohe, inquit, Mahomet quidem est mo: tuus, ut & nobis exemplum relinqueret, atque ad superos veheret: verùm minimè est sepultus, sed ab angelis ad cœlos sublatus, ubi apud Deum proximus sedet. Interrogat Capitaneus: ubi autem quæso Iesus Christus est? Respondet Sacerdos: locus ipsi est ad pedes Mahometis. Satis est, inquit Capitaneus, satis est, nolo à te scire aliud. Et quæ hæc est abominanda cæcitas Turcarum? Imperatore Max. PP. 222. Pio 3.

Signa.

Eo anno, ceciderunt cruces in superiori Alimannia, in Noriberga, Ratisbona, Lantshuta, & alibi, ad vestes virorum & mulierum, plus tamen mulierum, ut opinor, propter horribilem superbiam, luxuriam, avaritiam, homicidia, intrinseca bella, inobedientiam Ecclesiæ Catholicæ, & erga ejus præcepta, & tribulationem cleri in eorum libertate, propter vim laicorum tunc regentium, & ordinem versum quasi in omni statu. 1503.

Fuerunt autem coloris fusci ad rubedinem declinantis, & secundum superbiæ diversos colores in togis & camisiis: quæ etiam in pauperibus tunc excellenter viguit, & omne malum regimen, prout suprà, anno 1500. & 1501. in inferiori Alemannia, & Rheno factum est; ut isto loco diximus. Qui etiam cruces extinguere conati sunt, serpentes ad collum usq; ad introitum habuerunt, aut qui maledixerunt ipsis saltem. pag. 5.

Sic Bambergæ, Egræ, in Hof, Culmbach, Misnia, Bohemia, totoque penè Romano imperio eædem cruces visæ sunt in vestibus hominum variis formis, secundum omnia arma passionum Christi. Speratur inde tempus miserendi. Linturius. V. S.

Ex Chronico Ioannis Stellæ, 1503.

Sacerdotis Veneti.

Marcellius Papa idolis thura obtulit, & ea adoravit.

Liberius 1. Papa sensit cum hæreticis, & Arrianis.

Damasus 1. adulterii fuit accusatus.

Sixtus 3. de adulterio accusatus fuit.

Symmacho à Romanis maxima crimina objecta fuerunt.

Sylverius accusatus fuit, quòd Romam Gothis prodere voluerit, quare etiam in Ponthum relegatus fuit.

Vigilius Papa dicitur causam præbuisse, quòd Prædecessor ejus Sylverius de Papatu dejectus fuit: nimirùm ut, sede vacante, sibi esset locus succedendi.

Gregorius primus Imperatorem Trajanum ab inferno liberavit. Mirum, quis ex inferno hæc retulerit?

Sabinianus Papa, cùm pauperes eum rogarent, ut sicut Gregorius antecessor, illos sublevaret, noluit dicens, Gregorium patrimonium Ecclesiæ nimia largitione erga pauperes dissipasse. Et tanta invidia erga eum arsit, ut cùm libros ejus exurere vellet, Gregorius ei per visionem appa-

apparuerit: & cùm desistere nollet, ab eodem in capite percussus expirârit, & ejus cadaver pro infami habitum fuerit.

Donnus Papa locum, quem Paradisum vocant, in palatio Romano, in hac vita, quasi de futuro dubitans, ædificavit.

Constantinus 2. Papa corruptionibus ex laico in Pontificem promotus iterum dejectus, excæcatus, & ad perpetuos carceres damnatus fuit.

Leo 3. multorum scelerum accusatus, dejectus, lingua & oculis privatus, in carcerem conjectus fuit: sed à Carolo magno liberatus, & à Deo oculis & lingua receptis, eum pro referenda gratia Imperatorem creavit, & Imperium à Græcis ad Germanos transtulit.

Eugenius 2. Papa excæcatus & interfectus fuit.

Sergius Os porci dictus, primus nomen, ob deformitatem, mutavit, unde occasio mutandorum nominum inolevit.

Leo 4. muros Romæ refecit.

Joannem 8. Papam fœminam fuisse, certò & indubitanter author affirmat: sed de eo suprà.

Martinus Papa superbus, ambitiosus, & malis artibus Pontificatum adeptus, brevi mortuus est.

Formosus causa conjurationis, cur Joannes Pontifex in vincula conjectus fuerat extitit, quare fugiens ex Roma juravit, se non ampliùs eam ingredi velle, sed tamen rediit, & largitione sellam iterum conscendit.

Stephanus 6. à Formoso Papa Episcopatum adeptus, adeò ingratus fuit, ut non solùm Formosi acta omnia abrogaverit, sed & ejus corpore è tumulo extracto, id Pontificalibus exui, & secularibus indui, abscissosque ei duos dextræ digitos, & caput in Tyberim projici, fecerit. Magnum & inauditum scandalum hoc fuisse, ajunt, in Ecclesia.

Sed & Romanus primus scandala scandalis addidit, & Stephani prædecessoris acta destruxit. Horum nempe Pontificum intentio atque virtus tota in alterius nominis aut dignitatis extinctione erat.

Theodorus 2. etiam in viis seditiosorum Pontificum ambulavit: qui nulla virtute præditus, postposito Dei timore atque honore, vixit.

Ioannes X. Stephani acta rescidit, & malè eum judicasse, dixit, cùm tamen Papæ nullatenus errare possint.

Sub benedicto 4. Papa accidit, ut illa ætate omnis virtus, tam in capite quàm in membris, ex hominum ignavia, consumta fuerit.

Leo 5. à Christophoro familiari, in quem multa beneficia contulerat, in vincula conjectus, dolore animi obiit.

Christophorus à Sergio iterum dejectus, miserabili morte incarceratus obiit.

Sergius Papa Formosi acta quoq; rescidit, ejus corpus è sepulchro tractum, ac si viveret, capitali affecit supplicio, postea etiam in Tyberim abjecit: ordinatosque ab eo iterum ordinari fecit.

Joannes XI. Bellator, Romam triumphator, ut veteres Imperatores, pompose intravit: & superbia sua peregrinas gentes in Italiam accivit, & multarum miseriarum causa, tandem in vincula conjectus, enecatusque fuit. pag.

Ioannes 13. homo fuit ab adolescentia opprobriis & omnibus sceleribus contaminatus, ac magis voluptatibus quàm orationibus deditus. Cardinales Ottonem ad corrigendum Papam vocant, qui propterea duos Cardinales cepit, & uni nasum, alteri manum abscidit: & tandem in adulterio confossus interiit.

Bonifacius 7. malis artibus, Pontificatum adeptus male vixit. Ecclesiæ thesauros sacrilegus abstulit, & constantinopoli vendidit: Romam autem rediens Cardinalem excæcavit, & tandem turpiter vitam finivit.

Ioannes 16. à Clero & omnibus odio habitus, Ecclesiæ bona in cognatos turpiter, postposito Dei timore & honore, contulit: quem certe errorem ad nostra tempora pervenisse cernimus.

Ioannes 18. muneribus Pontificatum obtinuit: sed quia ut fur & latro, non per ostium in ovile intraverat, ideo post decimum mensem, tanquam proditor & latro, ignominiose interiit.

Sylvester se totum Diabolo mancipans, Pontificatum obtinuit ea conditione: ut post obitum totus illius & corpore & anima esset.

Ioannes 20. in ocio & voluptatibus vixit.

Benedictus 9. ignavus & nullius precii vir, post mortem cuidam apparuit, ut bestia sive monstrum, dicens, ut bestia vixi, ut bestia mortuus sum.

Sylvester 3. Papa largitionibus ad sedem pervenit. Nam eo tempore sic de Pontificatu constitutum erat, ut qui plus largitionibus aut ambitione valeret, is Papatum obtineret. Non per ostium in ovile intravit, ideoque ut fur & latro meritò pulsus est.

Per Damasum 2. adeò corruptela hæc inoleverat, ut cuivis ambitioso liceret Petri sedem occupare: sed Deus malevolo & ambitioso viro, in exemplum cæterorum, obstitit, quia tertio & vigesimo tyrannidis suæ die mortuus est.

Benedictus 10. per vim & largitiones sedem occupat, ideo statim dejicitur.

Victor 3. Veneno in calicem misso, Imperatorem interemit.

Paschalis 2. à religione ad arma se convertebat.

Innocentius 2. Bellator in prælio captus fuit.

Alexander 3. Imperatorem humi prostratum pedibus conculcavit.

Ioannes 22. cùm se longævum fore, omnibus prædicaret, ecce, ludens in pretioso thalamo interiit, domo cum ipso corruente.

Nicolaus tertius Venator fuit, in cognatos suos nimia contulit, & dum de duobus regibus ex domo sua Ursina, unum in Hetruria, & alium in Lombardia creandis cogitabat, apoplexia extinctus est.

Celestino 5. Bonifacius, vir callidus, & Iureconsultus versutissimus, quendam subornavit, qui per vocem quasi divinitùs datam nocte ei revelaret: Celestine, si salvus fieri cupis, Pontificatum fuge. Simplex igitur Celestinus, relicto Papatu, in eremum secessit. Sed metuens Bonifacius, ne iterum forsan ad Pontificatum revocaretur, ut certus de illo esset, eum in carcerem conjecit, ubi ex dolore animi brevi mortuus est. Tandem & ille, propter tyrannidem & improbitatem, in carcerem projectus periit. De eo Prophetia extat: intravit ut vulpes, vixit ut leo, mortuus est ut canis.

Gregorii XI. Papæ tempore Avinionense palatium, nullo autore, incensum fuit, & totum fere conflagravit, magno schismate insecuto.

Urbanus 6. improbus & superbus vir, 5. Cardinales in mare demersit.

Bonifacius 9. Annatas instituit, ut quilibet primi dimidii anni ventus Papæ conferret, In cognatos quia per fas & nefas corrasa multa contulit, & indulgentiis nimium tribuit, ideo magnæ sibi infamiæ notam conquisivit.

Concludit Stella historiam suam his verbis: Fateor quidem, atque Deum meum testor, me non falsa scripsisse, cùm nihil tam contrarium sit historiæ, quàm mendacium. Quia igitur Sacerdos fuit Stella, quis de veritate dubitabit?

Idem Stella, & Nicolaus Clemangis. Ioannes 24. patria Neapolitanus, Balthasar Cossa antea vocatus, tituli Sancti Eustachii Cardinalis, Papistici juris peritus, ac militaris disciplinæ, quàm religionis studiosior, Alexandro VI. ejus arte sublato, Papatum sceleribus comparavit. Illum autem ferunt Pontificum munus violenter potiùs usurpasse, quàm liberis assumsisse suffragiis.

Cum enim Bononiæ potiùs ut dominus, quàm legatus esset, magnoque exercitu imperaret, & patres pro novo Pontifice deligendo ibidem convenissent, multa eis interminatus est, nisi Pontificem sibi gratum elegissent. Et ea de causa multi producti fuerunt, quorum neminem approbare voluit.

Quum verò obsecraretur, ut quem vellet, significare dignaretur: Date mihi, inquit, Petri chlamydem, & ego dabo Pontifici futuro. Quòd cum factum esset, ille pallium suis humeris imponens: Papa, ait, sum ego. Quæ res quamvis patribus displicuisset, fortè tamen sententiam abscondi, consultius fuit. Hominem videlicet terribilem atque armatum territare, non videbatur utile. pag. 7.

Hac igitur arte pontificatum obtinuit. Qui in Papam coronatus, statim in Germaniam misit, ut Sigismundum Hungariæ regem in Cæsarem solito more constituerent. Et voti compos effectus, Romæ synodum celebravit, ut imperiali diademate ipsum illi cornaret. In cujus prima sessione, post Missam de Spiritu sancto, cùm ipse Ioannes in subliminiore cathedra præsideret, mox aderat bubo, qui supra templi trabem sedens, horrifica voce injectis in Papam oculis, ipsum monstrifico more salutavit. Adstantes autem vehementer admirari cœperunt: & quidam eorum submissa voce dicebant: En Spiritus sanctus adest: quem tam ardenter invocabant, ut illis expectatum ferat auxilium. Cæteri se mutuò spectantes, & Papam, vix risum continere poterant. Joannes ipse rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit. Tandemque non inveniens qua posset alia ratione suæ tam magnæ confusioni consulere, soluto concilio, surgens abscessit.

Secuta est deinde altera sessio, in quâ similia rursum, sed majori cum verecundia passus est: nec poterat bubo aut clamoribus abigi, aut fustibus terreri: ita ut in ea synodo nihil prorsus actum sit. Tales ex hoc portento spirituales columbas, Ecclesiam illam longo tempore texisse, crediderunt tunc multi.

Urbs Italiæ Montefiascon ex Annalibus. 1503.

Vinum sapidissimum universæ Italiæ nascitur in collibus urbis Montefiascon, cujus in laudem incolæ historiam narrant de Episcopo quodam, qui solitus erat id vini genus appellare propter excellentiam: EST EST. Accidit autem aliquando, ut Reverendus pater eum Bacchi liquorem avidiùs hauriret, atque ita accenso iecinore exspiraret. Fecit ergò Epitaphium illi famulus: Propter EST EST, Dominus meus mortuus est. Requiescat in pace. V. S.

1505. *Rap. Volaterranus.*

Paulus secundus Papa totus ambitioni, luxuriæ ac voluptati deditus, dies totos aut gulæ, aut nummis pensitandis, aut veterum numismatis sive gemmis, sive imaginibus spectandis tradebat: ac si reseratis vitiorum omnium ianuis, unumquodque scelus committere liceret, dum iactitaret, jus fasque se habere in scrinio pectoris sui. Imp. Max. PP. Pio 2. v. S.

Idem. Laurentius Valla contra religionem (papisticam) latravit: scriptis quoque probare conatus est, nullum jus sive munus imperii, Pontifici concessum, &c. Qui senator Romanus, & vir eruditissimus, prolixo opere fictam Constantini donationem, Papæ primatum, ambitionem, superbiam, cœlibatum sophisticum, mendacia, & alia magna scelera coarguit. Fuit sanè vir ille Pontificiæ impietatis ac tyrannidis, aliorumque criminum acerrimus hostis: & propterea in exilium ab eo missus fuit; sed à Rege Neapolitano honorificè exceptus.

Idem lib. 22. Anthrop. Nicolaus quintus hoc vitium habuit, quòd nimio bibendi studio arsit, perquisitis undique vinorum generibus.

Idem. Ante annum Domini 654. Pontifices carceres habuisse, non legimus: sed primum Eugenium illos constituisse ut delicta Clericorum in iis plecterentur. Ita sensim ad se traxerunt utrumque gladium.

Idem de Papa sixto quarto. Conscio & adjuvante pontifice, conjurati Florentiam veniunt, & in ædem sanctæ Reparatæ manè omnes ad missam & sacrificium conveniunt. Salviatus interim cum suis clàm armatis templo discedens, in curiam, ut vexilliferum alloquatur, alio simulato negotio, proficiscitur, eo tamen consilio, ut orta cæde in templo ipse præstò esset, qui curiam simul cum magistratu invaderet.

Igitur dato signo, cùm Eucharistia tolleretur (nota insigne papalis pietatis testimonium: cum Eucharistia tolleretur) Bandinus Iulianum Medicem, Laurentii fratrem, confodit. Antonius, qui primas sibi partes depoposcerat, Laurentium ex altera parte aggreditur post tergum: paululumque infra jugulum ferit. Cùm ille statim ad clamorem conversus ictum vitaret, iterare vulnus volentem properè subterfugit in ædis sacrarium proximum.

Tum legatus Papæ, (qui signum illud cædis faciendæ contulerat, dum Eucharistia tolleretur) à civibus comprehensus, & è templo in curiam ductus, ac custodiæ traditus, pro viri dignitate tractatus est. Interea Salviatus Pisanus Episcopus, qui cum vexillifero de industria sermonem protrahebat, ut finem expectaret, statim comprehensus, eodem die ad curiæ fenestras suspensus fuit. Quo nuncio Pontifex accepto, Laurentium Medicem (quem fuga salutem sibi quæsiisse docuimus) sacris interdixit, quòd Dei sacerdotes, legatumque attigisset; bellumque Florentinis apertè decrevit.

Idem. Concessionibus, quas Carolus Magnus, ejus filius, & sequentes Cæsares Papæ fecerunt, Otto Imp. sub Ioa. 12. deinceps subscripsit his verbis: Ego Otto Imp. omnia suprà dicta, pro animæ meæ, filiique ac parentum meorum salute, tibi, beate Petre, successoribusque tuis libenter concedo. Factum anno 900. Persuasi enim Cæsares, & alii fuerunt à Romanensibus, se aliter saluti animarum consulere non posse, nisi plurima Ecclesiis conferant. Sed &, ut ex Adriani epistola ad Carolum constat, ulteriùs persuaserunt omnibus, in aula Apostolica, ob delictorum veniam, sedulò à Papa, & cunctis Dei sacerdotibus precationes fieri. Quibus aucupiis principatus & Regna sibi acquisiverunt.

Idem. Sub Pontifice Eugenio 4. Francisca, Romana matrona claruit prodigiis & sanctitate. Nam voluptatem inviti coitus, ardente supra vulvam lardo posito, reprimebat. Quam Iulius 2. in sanctorum propterea catalogum retulit, anno 1504. pag. 8

Idem. Cæsar Borgia, Alexandri Pontificis filius, quotidianis epulis ducentos aureos dicavit: parasitis quandoq; vestes duorum millium donavit.

Idem. Petrus Cardinalis, ordinis Minorum, duobus annis, quibus sub Sixto 4. Pontifice in potentiâ, & auctoritate vixit, trecenta aureorum millia in luxu nugisque consumsit: secundis familiæ tricliniis argentea vasa, ac epulas principales quotidie adhibitas, voluit.

Idem. Paulus 2. Papa suo Francisco dilectissimo oppida nonnulla, urbi vicina, dedit, Laurentiique Medicis filiam, formosam puellam, matrimonio ei locavit: alteram, Theodorinam Gerardo Usumario Genuensi nuptam, opibus perquàm magnis ornavit. Cardinalem fecit Laurentium, antiquum ejus contubernalem.

Idem. Dantes Aligerius, vel Alepherius, poëta Florentinus opusculum scripsit de Monarchia: in quo fuit ejus opinio, quòd Imperium ab Ecclesia minimè dependeret. Cujus rei gratia tanquam hæreticus post suum exitum damnatus est, Bartholi Saxoferratens. & aliorum jurisperitorum sententia.

Anno 1504. *Sylvester Prieras, sacri palatii Apostolici Leonis 10. magister.*

Hinc scripto contra Lutherum affirmat: sacram Scripturam vim omnem, & authoritatem accipere ab Ecclesia, & Papa: qui contrà sentiat, aut Romanæ Ecclesiæ doctrinam non sequatur, aut ejus deprimat potestatem, esse hæreticum. Et in alio libro, à Papæ authoritate vim Scripturæ omnem dependere, affirmat. Imp. 116. Max. 1. Papa 223. Julio 2.

De eodem.

Primus hic contra Lutherm pro indulgentiis scripsit, & expresse posuit hanc propositionem: indulgentiæ autoritate Scripturæ non innotuêre nobis, sed autoritate Ecclesiæ Romanæ, & Romanorum Pontificum, quæ major est autoritas. Addit autem & hanc propositionem: Quicunque non innititur doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romani Pontificis, tanquam regulæ Dei infallibili, à qua etiam sacra Scriptura robur trahit & autoritatem, hæreticus est, &c.

Iulius Mediceus Papa.

Hic Papa sedis Pontificiæ occupationem pluribus, quàm octingentis millibus aureorum, à diversis mercatus est. Joan. Rebvvitz.

1506. *Iurgium inter Spirituales & seculares.*

Hoc anno in conventu quodam dissensio suborta fuit secularium adversus Spirituales, ut scilicet sedentes juxta Regem Spirituales non ambas partes ejus cingerent, sed tantummodò in dextra parte sederent: & quia Spirituales plura bona & terras, quàm seculares, possiderent: ab bella etiam plura, quàm illi, conferrent, & ipsi irent. Miechovius.

Ægidius Faber Monachus.

Scripsit Chronicon sui ordinis, & præcepta vitæ religiosæ, orationesque ad Clerum. Imp. Max. 1. Papa Iulio 2. V. S. pag.

Ordo Indianorum.

Sub Iulio 2. Pontifice Romano, & Maximiliano 1. Cæsare hic ordo institutus fuit. Vestitus est extra atricolor, interius albatus, utpote Carmelitarum progenies: Francisco Modio authore, qui in hunc modum de iis canit:

Arbitrium Augustæ Romæ alter Julius habebat,
Imperii & Princeps Æmilianus erat
Tempore, quo nobis extremis inditum ab Indis.
Nomen nunc etiam, quod fuit antè, manet.
Nimirum inventis noviter tot gentibus, & quæ.
Undiq; sunt vasta ac oppida cincta mari,
Debuit accessus fieri ad sacraria nostrûm;
Qui tegimus purâ pallia pulla toga.

Ioannis Quintini Hedui I. C. de Christiana civitatis Aristocratia.

Hæc est illa plenitudo potestatis, tam in datis clavibus, quàm in commendatis ovibus, quæ solis & omnibus Christi vicariis, Petri successoribus, hactenus à sinceris Christianis tributa est, & servatur ab universa, quocunque se diffundit, Ecclesia Christi, per quam plenitudinem totum mundum pedibus habent suppositum, de qua quidem scriptum legimus xxij. dist. c. j. quod illud verbum, quo constructum est cœlum & terra, beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni, simul & cœlestis imperii iura commisit.

Iura autem, non quæ vi constent & atrocitate, quæ tantum copiis, opibus satellitio defendantur, quibus insontes opprimantur: Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic: Lucæ xx j. in hujusmodi pompis & potestatibus non Petro, (qui nec aurum nec argentum se habere, gloriatus est) sed Constantino successerunt Pontifices, ait Bernardus libro de consideratione quarto, ad Eugenium Papam: sed jura, per quæ potens est pontifex exhortari quemque in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere, non, ut fidei nostræ, nostrisque dominetur, ac solus omnia possit & possideat, unus est enim Christus, cujus omnis terra est possessio, qui sibi totius orbis Imperium vendicat, quippe cui data est omnis potestas in cœlo & terra Matth. vult.

Curam duntaxat, & custodiam Pontifex habet, non dominium, quem tunc Dominus ille cœlestis constituit super familiam suam, non ut ad libitum conservos percutiat, edat & bibat cum ebriis, sed ut singulis cibum det in tempore, Matth. xxiiij. id est, non tam ut præsit, quàm ut prosit.

Exemplo fortè dicam faciliùs id, quod sentio. Quod est in villa villicus, quod in ædibus inquilinus, quod puero pædagogus, domino servus, hoc pontifex summus in orbe Christiano: villicus evellit & plantat in agro, & inquilinus aperit & obstruit sæpe limina domus, & ferulam manu gestat pedagogus, interdum verberans: non alia conditione præfectus est Domini sui famulitio Christi vicarius, & Petri successor, Papa, quam ut doceat, moneat, increpet, peccantes corrigat: (Hic est ille gladius Spiritualis) qui Na-

bothi exemplo, vineam suo proprio cruore defendat, iij. Reg. xxj. qui se murum pro domo Israel opponat. Imp. Max. 1. PP. Julio 2.

1506. *Joannes Linturius Sacerdos Hofensis.*

Hoc anno, circa Nativitatis Christi festum, initio anni, ignis in quantitate dolii cecidit e cœlo ad montem patibuli. Desuper cecidit vir magnus, niger extensis brachiis ad ignē & combustus fuit: post cecidit stella ignita quasi super prætorium. & versa cecidit ad montem Plassenbergk, & citra montem castri in Culmbach. Imp. Max. 1. PP. Julio 2. V. S.

Idem. Anno 1505. in die S. Erhardi, in noctis crepusculo, circa oppidum Pilsin Bohemiæ, muliere prætereunte, signum

pa. 10. magnum crucifixi cum latronibus à latere, ante oppida consuete positum, se inclinavit versus dextrum latronem, ita ut trabes crucis fragorem magnum facerent. Mulier audiens & videns, oppidanis narravit: qui exeuntes viderunt, signum Christi ad latronem, & latronem ad Christum versos esse, inferiori stipite non verso: & ita se imagines aspiciūnt adhuc.

Idem. Anno 1502 oritur nova secta, & plurimorum confœderatio in partibus Rheni, qui propria authoritate & vi multos spoliārunt sacerdotes ditissimos, dividentes hæc bona inter pauperes sacerdotes, qui dicebant, omnia bona debere dividi æqualiter: volentes corrigere, & occidere sacerdotes, & nobilitates. Sed excommunicantur, subjugantur, cremantur, ut hæretici, & occiduntur aliàs multi: quorum capitaneus erat supremus dictus Joannes vom Drath/ nobilis, habens plurima millia suæ sectæ, more Bohemorum.

1507. *Factum detestandum quatuor Monachorum Prædicatorii ordinis in civitate Helvetiorum, Bernâ.*

Magna erat concertatio, multis jam annis agitata, ab anno scilicet Christi 1370. quo orta fuit, inter Monachos ordinis Prædicatorum & Minorum, seu Franciscanorum, de conceptione Mariæ virginis. Prædicatores asserebant, *B.* Mariam, ut alios homines, in peccato originali conceptam esse: Franciscani id negābant, & pernegabant. Tandem eò usque progressa est contentio, ut prædicatores ad solita arma confugerent, & falsis miraculis suam opinionem stabilire ac confirmare, statuerent.

Conveniunt igitur in capitolio Wimpfenii, oppido Germaniæ, ibique deliberant, ubi commodus & opportunus locus ad hanc rem inveniri posset? Cunctis Berna Helvetiorum, placet, quòd gens simplex, sed bellicosa, & propterea suæ opinioni armis & vi defendendæ idonea, si res postularet, in iis regionibus esset.

Quatuor igitur primarii ordinis in monasterio Prædicatorum Bernæ telam ordiebantur: & quoniam Supprior, unus ex his quatuor, artis magicæ peritus erat, adjurabat cacodæmonem, ut unà cum ipsis consilium iniret, quo pacto rem commode possent conficere. Is specie Æthyopis apparens, omnem suam illis operam hac conditione promittebat, si sese illi dederent: id quod non gravati fecerunt, datis ei chirographis proprio sanguine scriptis.

Opportune autem accidit, ut illis ipsis diebus Joannes Iezerus, homo simplex, artificio sartor, in ordinem ipsorum cooptaretur, qui proposito ipsorum commodus videbatur. Tentabant ipsum, jacientes lapides in ejus cubiculum, nocturno tempore, excitantes strepitum, simulantesque, se spiritus esse. Res ab initio non malè eis cessura videbatur.

Die quodam veneris Supprior involvens se linteo, unà cum aliis spiritibus, quos ad hoc magicis artibus evocaverat, irrumpebat in cellam fraterculi illius, magno cum impetu & fragore, simulans, se oportere ab eo multa multis cum lachrymis petere: aquam verò lustralem, & reliquias Sanctorum illi jam ante in cellam illius reposuerant. Frater ille exterritus, negabat, se opem illi posse ferre, commendans ipsum servatori Christo, & matri ipsius.

Spiritus respondit, in ipsius & fratrum facultate positum esse, ut his malis liberetur, si per octiduum singulis diebus ad sanguinem usque se ipsum flagellaret, & octo Missas in sacello D. Joannis celebrari in ipsius gratiam, curaret, & interea dum celebrarentur, brachiis extentis humi jaceret: significabatque illi, quòd sequenti die Veneris, vel feria sexta ante intempestam noctem maximo cum impetu rediturus esset, monens ipsum, ne consternaretur: diabolos enim ipsi, quippe sancto viro, nihil posse obesse.

Stolidus ille postero die ipsis coryphæis rem omnem detexit, obsecrans, ut sibi adessent, quò misera illa animula posset liberari. Res statim per totum oppidum divulgata est: publicè pro suggestu illis de rebus sermones à monachis habiti sunt: laudabant sanctitatem ordinis sui, quæ vel ex hoc perspici posset, quod spiritus ille ab ipsis, non ab impiis & temulentis Franciscanis, opem expeteret.

Tem-

Tempore constituto rediit spiritus ille, comitatus aliis malis spiritibus, magno cum tumultu, in fratris cellam, qui adjurans ipsum, de quibusdam rebus interrogabat. Spiritus narrabat, quisnam esset, & quas ob causas tam miserè vexaretur. Gratias agebat cùm ipsi, tum fratribus ipsius, quòd ejus cura tangerentur, adiiciens: si adhuc missas 30. & 4. vigilias celebrarent, & ipse adhuc semel ad sanguinem usque virgis seipsum castigaret, se ex maximis cruciatibus, quos annis 160. jam continuatos pertulisset, protinus liberandum esse. De rebus quoque aliis mirandis cum eo conferebat, quas nihil attinet hoc loco referre.

Postea spiritus ille iterum fratri apparuit, & ordinem Prædicatorum aliis omnibus antetulit, significans, multos ex illis, qui huic ordini adversati fuissent, in purgatorio atroces pœnas luere: Bernam quoque funditus evertendam, nisi Franciscanos eiiceret, & ab annuis pensionibus, quas à Rege Galliæ accipiebant, sibi deinceps caveret. Quædam etiam com-
pag. 11 memorabat, quæ fratri evenissent: quæ omnia ab ipso per confessionem auricularem expiscati fuerant. Gratias simul agebat fratri pro beneficio liberationis, significans ei, quòd si in septimum Angelorum chorum receptus esset, se ibi Missas celebraturum pro benefactoribus suis.

Postea alia quadam nocte alius, habitu mulieris, veniens, dicebat, se Barbaram esse, cujus cultui addictus fuisset, & significabat, apparituram ei divam virginem, atque ad quæstiones illas responsuram, quas unus ex monachis ei in scheda quadam conscripserat. Hæc Barbara promittebat, se Mariæ virgini daturam schedam illam, quam mox postea mirabiliter signatam in loco quodam sacro reperturi essent.

Frater suis patribus rem omnem detexit, confiteri volens peccata sua, ut apparitione divæ virginis dignius efficeretur. Jubebat eos schedam in loco sacro quærere: tandem invenerunt eam in ciborio, ut vocant, ubi eam antea reposuerant. Ferebant eam in summum altare, dicentes, signatam esse Christi sanguine, & lucernas sua sponte accensas fuisse.

Matutino tempore apparebat Maria fratri, multa referens, quæ filius ejus Jesus eam jussisset illi recitare: nempe, Julium Papam sanctum illum virum esse, qui duos ordines inter se conciliare, & festum pollutæ conceptionis Mariæ instituere deberet. Se enim Papæ illi crucem quatuor guttis sanguinis sui filii signatam, missuram, in testimonium, quòd in peccato originali concepta sit: aliam crucem, quinque guttis sanguinis signatam, reperiendam in ciborio, quam Romam mittere debeant. Pontificem enim largis indulgentiis eam confirmaturum: & Bernam remissurum: & alia hujus generis, de quibus multa ultrò citroque dicebantur, & scribebantur.

Maria illa in testimonium prædictarum rerum, clavum ferreum adegit per manum fratris, dicens: Hoc vulnus die, quo filius meus crucifixus est, & in festo corporis mei renovabitur.

Deinde encausticam aquam magicis artibus parârunt, qua sensum illi adimentes, vulnera alia quatuor ei impresserunt: postea cùm sibi restitueretur, dicebant, circa ipsum nescio quid sancti apparuisse.

Cumque multi confluerent, ut novum illum Christum viderent: instruebant ipsum (agrestibus enim erat moribus) quo pacto se gerere deberet. Cumque potionem illi dedissent, quæ eum sensu spoliabat, & efficiebat, ut spumaret, dicebant, ipsam luctari cum morte, Christus in monte oliveti.

Postea apparebat alius, ei multa referens, sed frater, agnita ejus voce, omnia suspecta habere cœpit, illumque à se repulit.

Sequente nocte apparebat ei Prior, dicens, se Mariã esse, de qua antea dubitasset, & ad omnem suspitionem depellendam, se hostiam corporis filii sui ipsi offerre (offerebat autem ei hostiam tinctam veneno) ne deinceps putaret, se spiritum malum videre: dicebat enim, se afferre vitreum vasculum plenum sanguine filii sui, quo & ipsum & monasterium donaret.

Frater, qui hanc quoque apparitionem suspectam habebat, respondit: Si non es malus spiritus, recita mecum orationem Dominicam, & salutationem Angelicam. Prior recitabat orationem Dominicam: postea dicebat loco Mariæ, salutata ego sum Maria, gratia plena, Dominus mecum, &c. Frater, cognita voce Prioris arrepto cultro vulnus ei inflixit, cumque ille se defenderet, frater fortiter illum repulit.

His peractis, sperans Supprior, se illa, quæ illi duo perdidissent, restituere posse, apparebat fratri, dicebatque, se Catharinam Senensem esse, objurgabat eum, quòd tam inhumaniter divam virginem tractasset, adiiciens: Jussa sum tibi indicare, quod vera vulnera Christi in corpore tuo habeas, quæ neque ego neque Franciscus habemus, idque multis verbis exaggerabat. Cæterum frater eum ita excipiebat, ut statim fuga salutem quæreret. Quo-

Quoniam verò frater nolebat amplius ludibrio ab eis haberi, anxii & perturbati, habito consilio, dicebant ei, se quidem liberè fateri, quòd aliquot apparitiones mentiti fuissent, non alio consilio, quàm ut in religione permaneret, summam tamen negotii veram esse, neque debere eum dubitare, quin vulnera Christi in corpore suo gereret. Et quandoquidem res jam invulgata esset, rogabant, ne tergiversaretur, alioquin ignominia afficiendum ordinem, & eum unà cum ipsis magnum periculum incursurũ: sin verò constans esset, hoc sibi & illis utilissimum fore: verbisque blandis ipsi persuadebant, ut, deinceps se eis obtemperaturum, promitteret.

Post longam itaque institutionem, imponebant eum altari divæ Mariæ, genibus flexis, in sacello quodam ante simulachrum sacræ virginis. Unus ex monachis stabat post velum, & loquebatur per cannam, ac si Christus esset, ad Mariam, Mater cur lachrymaris? an non promisi, quicquid volueris, id futurum esse? Respondebat simulachrum, ideò lachrymor, quòd huic negotio non imponitur finis. Addebat simulachrum Christi: Mihi crede, manifestabitur. Postea monachus clàm egressus, sacellum clausit.

Hæc cum ab aliquot aniculis per totum oppidum disseminarentur, statim magnus factus est hominum concursus. Quatuor monachi statim accurrebant, simulantes, se nescire, quid ageretur, mandabant aperire sacellum, interrogabant Fratrem, quomodo illuc venisset. Is respondebat, se raptum esse à spiritu. Referebat etiam, quid simulachrum dixisset, quodque non antè loco se movere posset, quàm venirent ad se 4. primarii viri ordinis Senatorii, quibus quædam indicanda haberet: adhæc, Sacramentum Eucharistiæ sibi dari, postulabat. Senatores illi pauca dicebant. Monachi statim hostiam veneno illitam illi afferebant, quam cùm accipere recusaret, aliam ei afferebant, quam sumebat, simulque cum pompa in chorum (ita vocant templi supremam versus ortum Solis partem) ducebatur.

pag. 12

Frater & quatuor monachi vocabantur in senatum, ut, res illas ita se habere, assevrarent. Quatuor verò illi metuentes, ne Frater, qui suspectos eos habebat, aliquid effutiret, struebant ei insidias, cibis veneno infectis, adigebantque eum, ut hostiam veneno tinctam deglutiret, quam per vomitum rejecit: miserum variis modis ita excarnificabant, ut ex ipsorum collegio effugeret, multisque rem detegeret.

Interea duo legati à monachis Romam mittuntur, qui confirmationem rerum illarum à Pont. impetrarent, cui postea contradicere nefas fuisset. Cumque illi redirent, & sperarent, rem esse (ut vulgò dici solet) in portu, amplist. senatus quatuor monachos custodiæ mandavit: antea enim ex fratre, quem in vincula conjecerant, rem omnem cognoverant.

Senatus neque laboribus neque sumtibus parcens, & ipse legationem Romam misit, ut, quid in hoc negotio agendum esset, liquidò constaret. Tandem quatuor monachi & Frater tormentis subjecti rem omnem detexerunt: cumque convicti essent tot fraudum & scelerum, permittente Papa, sacris fuerunt exauthorati (vulgò degradationem vocant) & exusti, anno Domini 1509. ultimo Maii.

Ex illo autem tempore Monachi suam in Helvetiis authoritatem amiserunt, & hominibus etiam cuncta illa suspecta esse cœperunt, quibus ceu columnis Papatus nititur. Nulli enim, vel pauci admodum, credere ampliùs voluerunt, animas defunctorum opem & auxilium expetere, cereas sua sponte accendi, imagines loqui, lachrymari, ab uno loco in alterum moveri: cruces sanguine Christi conspergi: item, quod hic vel alius in ecstasin incidens, res mirandas in cœlo, purgatorio, aut inferno viderit. Ad hæc dubitare cœperunt de transsubstantiatione panis in verum corpus Christi: de indulgentiis, purgatorio, aqua lustrali, satisfactionibus, similibusque nugis.

Ac licet confirmationem summorum Pontificum super his rebus impetràrint, multi tamen credere noluerunt, rem ita se habere: Die Bauren fingen an die Sach mercken. Ac fuit sanè hæc impostura Monachorum non minima causa reformationis Ecclesiarum Helveticarum.

Anton. Benivenius cap. 68. de Abditis. 1507.

Monachum vidimus atque curavimus, qui ob zelum castitatis, sed indiscretum tamen, ac minimè secundum Dei rationabile obsequium, colem sibi, & quidem pubetenus (exemplum rarum) prorsus absciderat: ex quo cùm sanguis copiosus efflueret, ac propterea medicamenta omnia vinceret & exuperaret, arduum sanè ac laboriosum fuit, ejusmodi profluvium sistere atque inhibere. Oportuit enim singulas venas, quæ sanguinem fundebant, apprehendere, atque ita deligare, ut ora præclusa coirent. Quo facto, reliquum curæ genus haud admodum difficile fuit, donec vulnus ritè curatum

ratum, penitus sanesceret. Imp. Max. 1. Papa Julio 2. V. S.

1507. *Guilhelmus de Mara.*

Hic videns, ventrem, plumam, & venerem in Ecclesiasticum ordinem irrepsisse, conflictum in Chymæram conscripsit: & alia multa. Imp. Max. 1. Papa Iulio 2. V. S.

1507. *Horrendum.*

Mediolanensis quædam prope portam Comensem puerum strangulavit, & devoravit. Cùm super sceleris immanitate torqueretur, ab ipsis Diis inferis sibi persuasum, ajebat, si trimum vel quadrimum puerum immolasset, omnia, quæcunque vellet, consecuturam. Proinde gravissimum de ea supplicium sumptum est, rotarumque radiis cancellatim inflexam, ægreque collisis ossibus defractam, mors lenta sævaque confecit. Artunus in Hist. Mediol.

1509. *Petermannus Etterlin, autor vetustissimi Chronici Helvetici.*

Anno 1417. cùm Cæsar Sigismundus Constantiam rediret ad concilium, inter alia comperit, Sacerdotes non obtemperasse commendatæ reformationi: ideoque valdè perturbatus constituerat, se non concessurum, eligi novum Pontificem, donec reformatio esset perfecta: at in hoc non admodum consentiebant, aut Industrios se exhibebant sacerdotes: & si carendem esset pontificæ, donec emendarentur clerici, sane in perpetuum carendum foret Papa. Imp. Max. 1. Papa Julio 2.

pag. 13.

Inter memorabilia multa, alia quædam scriptura in Chronicis illis Helvetiorum antiquis habetur, manu annotata, dicens: mirum esse, non quenquam beatorum Sanctorum per vitam suam invocasse alium aliquem Sanctum, præter unum Deum, suum creatorem & Servatorem: & tamen nos ejus vecordiæ & pertinaciæ esse improbos, ut Deum nostrum derelinquentes, eos divos subinde imploremus.

Idem. Monachum, qui Cæsari Henrico propinaverat venenum in calice Sacramenti altaris, Papa magnis donavit bonis & thesauris: Cæsar autem sentiens, sibi datam esse mortem, ingressus Sacristiam consuluit Monacho, velit ocyùs loco discedere, aliàs enim ipsi pereundum fore per manus ministrorum suorum. Cùm autem aperiret suis optimatib. calamitatem suam Cæsar, & se venenum hausisse, maxima orta fuit querimonia, & miseria: & obsecrabant eum medici, vellet admittere pharmacum, tunc ab ipso recessurum toxicum: at ille renuit, inquiens: eum non eijciam, quem alumnû in solatium, & auxilium. Mortuus igitur post dies decem Paphiæ, solenniter mandatus fuit sepulturæ. Imperatore & Papa ut sup.

1507. *D. Ioan Scheyringus.*

Quantò Papatus sese altiùs evexit, tanto profundiùs iterum deijcietur: quod nisi propediem fiat, non poterimus ampliùs, illæsâ conscientiâ prædicare. Itaque Deus restauratorem Ecclesiæ suæ missurus est, qui verbum suum in apertâ luce proferat, atque è tenebris, quibus est involutum, eruat. Imp. Max. 1. Papa Iulio 2.

1507. *Bernardinus de Busto Mediolanens. Ordinis Franciscanorum.*

Possumus (inquit 2. part. quadr. Serm. 11. per Babylonam intelligere Romam. Unde super illud. 1. Pet. 5. Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta, ait glossa: Romam appellat Babyloniam, propter confusionem multiplicis idololatriæ. Et nos dicere possumus, propter confusionem multiplicis malitiæ: in qua fortè nascetur Antichristus ex aliquo malo Pontifice, qui fuerit alicujus sanctæ religionis professor, sed inobservator & prævaricator regulæ suæ. Imperatore & Papa ut suprà.

Idem in Mariali lib. 1. cap. 3. Dominus fuit cum Mariâ & ipsa cum Domino in eodem labore, & in eodem opere redemtionis. Mater enim misericordiæ adjuvit patrem misericordiarum, in opere nostro salutis.

Ibidem libro 1. cap. 2. Salomon dicit: turris fortissima nomen Domini: ad ipsam confugiet justus & exaltabitur: Nobis autem dicendum est, Turris fortissima nomen Dominæ: ad ipsam confugiet peccator, & salvabitur.

Ibidem. Sæpe quos filii justitia damnat, matris misericordia liberat.

Ibidem. Peccatores ad Mariæ nomen confugiant, ipsum enim solum ad medendum sufficit.

Iacobus Spiegelius commentator super Guntheri Poëta versus, qui extant libro 6.

Fuit hic Spiegelius Catholicus, Papista, Consiliarius Cæsaris, sed quàm parum cum illis sentiat, illorumque doctrinam & vitam, etiam ante Lutherum, taxet, scripta ejus monstrant.

pag. 14 *Ecce, paterna fides, & magni præsulis alma*
Integritas, humilisq; Petri vestigia sectans,
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet & Augustus mavult, quàm Petrus haberi
Ecclesiæ pacem, gladiis quæ ritè duobus
Utitur, alterutro nunquã benè firma remoto,
Scindit, & in sese geminos exasperat enses:
Dumq; sacerdoti conatur jungere regem,
Non uno tantum contentus, lædit utrumq;,
Quid voluêre duo gladii, quos Petrus in illo
Indicat esse globo? totidem nisi nomina summi
Juris in Ecclesia: quæ cùm sibi mutua quondam,
Fœderis alterni nexu suffragia præstent,
Sunt divisa tamen, nec in unũ posse videntur
Juncta coire caput: nec eodem sæpè recurrunt
Instituenda modo, licet unus utriq; sit autor
A quo nomen habet sub cœlo quæq; potestas:
Alter honos cleri consensum postulat: alter
Arbitrio procerum, regniq; favore paratur.
Ergò quid ad summũ de regni jure, quid, oro,
Pontificem spectat? nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cœlorum rege, potestas.
Ecclesiam regat ille suam, divinaq; jura
Temperet, imperiũ nobis fascesq; relinquat.
Adde, quòd infandum tractantes pectore votum,
Latores apicum, mandatorumq; sequestri,
Divinas spoliare domos, sacra tollere vasa,
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurũ
Omnia, quæ possent, avidè corradere sævis
Unguibus & secum collecta referre parabant
Utq; minùs cautos mendacibus angere possent
Ac terrere notis, &c.

Gladiis quæ ritè duobus utitur) Sequitur commenticiam Scholasticorũ Theologorum sententiam, qui Christi verba de duobus gladiis, ut pleraque alia, quæ propriè ad Philosophiam cœlestem pertinebant, subverterunt, reclamantibus omnibus Christi præceptis, reclamante tota ipsius vita, reclamante doctrina apostolica, refragantibus tot martyrum millibus, repugnantibus vetustis interpretibus. Paucis illis verbis, Ecce duo gladii hîc, Mundi gladium imperatori, & Ecclesiæ, si Christo placet, asseruerunt: quãvis ipse affirmet, Regnum suum non esse de hoc mundo: & Apostolus: arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Dei. Sed quid attinebat, hinc trahere publicam magistratuum functionem, quam neque Christus, neq; Apostoli ademerant, quin, eam etiam idololatris incolumem esse, voluerunt, quòd justitiæ divinæ serviret.

Dumq; sacerdoti conatur jungere regem) hoc est: dum superioritatem, ut vocant, dominandi, sacerdotibus planè interdictam à Christo, usurpat.

In illo globo) id est, in cœtu apostolico.

Summi Juris) Potestatis, quo vocabulo etiam homo potestate prædit⁹ dicitur.

Sub cœlo quæque potestas) Non enim est potestas nisi à Deo, ut Apostolus dicit ad Rom. c. 13.

Alter honos) scilicet pontificalis. Alter) scilicet Regalis.

Ergo quid ad summum) An nescis, Friderice, Princeps Christianissime, dictum Christi, inter vos non dominabimini, sicut subditis dominantur reges gentium, hoc valere scilicet: tu Petre, cum tuis successoribus Romani Imperii, hæres esto perpetuus? Item: Ego veni ministrare, & non ministrari, esse: Imperatores & reges terrarum tua, ac successorum tuorum, in solio pl⁹ quàm regio, venerabundi gemmata osculentur vestigia? Tum illud? Qui primus voluerit esse inter vos erit vester servus: & qui voluerit inter vos fieri major, sit vester minister: aliud significare nihil, quàm, apud vos est præcipiendi potestas, reliquam Ecclesiam manet parendi necessitas: constat enim dicere solitum Benedictum XII. Omnem imperii potestatem suam esse: eò quòd Christi Iesu superni regis esset unicus in terris vicarius, & successor Petri.

Nullum caput ista super se) Hoc si quis hodie constanter asseveraret, hæretici nomen apud pontificios adulatores non effugeret. Contrariam tamen partem, ut veritati affinem, magni nominis viri tutati sunt: licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui universam propè Scripturam divinam adulterinis interpretationibus subverterunt. Apud quos nata sunt pag. 15. illa olim ignota penitus Sanctis vocabula: Caput universalis Ecclesiæ: Generalis vicarius, Deus terrenus Pontifex Maximus. Suprema potestas, Legitima potestas, Habitus gladii, Usus gladii, & alia multa hujusmodi. Quid pluribus? hodie habet Imperator, ut eorum utar verbis, recognoscere Papam in superiorem, & expectare ab eo personæ approbationẽ.

Ecclesiam regat ille suam) Juxta præceptum Pauli: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus: sed hîc in promptu adest duplex nobis solutio: una Romanum Pontificem non alligari verbis Apostoli: quoniam inferior non habet imperium in superiorem. Altera, quòd ipsius uterque sit gladius solius. Item, omnia esse ejusdem, propter illum Christi sermonem: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Latores apicum) id est, literarum apostolicarum. Sequestri) signat legatos, sive gestores negotiorum Papæ. Lavinius in lib. quem scripsit de verbis sordidis, Sequestrum dici, vult, quòd ejus utraque pars fidem sequatur. Idque etiam Aul. Gellius probat, & Alciato non displicet: licet Etymologia vocis hujus à Modestino tradita, subdura videatur.

Divinas domos] Templa. Taxat Cæsar avaritiam, & sacrilegia sacerdotum Cardinalium, imprudentibus rerum pietatis prætextu imp onentium.

Idem in scholiis Gunth. lib. 6. ad Regem Ferdin. Inv enias hodie, inquit, qui tam impudenti mendacio subscribant, (D. Petrum omnia jura Romæ tenere solum) cùm à Nerone, sub quo Romæ Petrum passum esse credimus, usque ad Phocæ tempora & principatum, urbs Roma in Imperatoris potestate fuerit.

Nam Bonifacio non licuit, τὸ πάνθεον (Pantheum. Cybelæ matri, & omnibus Diis commune) in honorem Mariæ Virginis transferre: nisi potestate ædificandi à Phocâ impetratâ: adeò Pontifex (urbis non tam dominus, quàm inquilinus) omni ditione carebat: ut ne sacellum quidem unum, sine Imperatoris jussu ædificare potuerit.

Ibidem. *Cogitet antiquos primævi temporis annos*
Præteritosq́; dies, & secula prisca revolvat,
Num Petrus? aut Clemens? num cætera turba piorum
Sceptra latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul, regali munere crevit:
Nec tamen, ut fasces, & regni jura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit.
Excessêre modum magnorum munera regũ,
Si tantum cuiquã jus in sua regna dederunt.
Sed nec tanta fuit largitio, nec dare quisquam,
Quo caret ipse, potest: hujus collatio regni,
Autorem sortita DEUM, contingere nulli
Jure potest hominum: collator muneris hujus
Est DEUS, hoc summis regnum confertur ab astris.
Hoc tamen arbitrium Romanus tempore nostro
Vendicat antistes, documentaq́; vana figuris
Exprimit, & chartis dat grandia verba superbis.
Jamjam pictura, moneo, tollantur inanes:
Cauta verecundis mittẽscat: Epistola verbis,
Jam veris tractare libet, jam muta loquaxq́;
Cedat, & è medio mendax tollatur imago, &c.

Num Petrus, aut Clemens) Profectò dolendum est, opus Lini, qui mox Petro successit, intercidisse, quo complexus est res gestas Petri. Quæ enim circumfertur à Clemente conscripta Petri cum Simone mago concertatio, prorsus aliena est à pectore Apostolico. Receptum est, Petrum Ecclesiæ Christi præfuisse annos XXV, Antiochiæ VII. reliquos Romæ: præterea observatum id, quod rei experimentum veritasque hactenus edocuit, uuniversorum scilicet divi Petri successorum, cujuscunque illi sortis sumantur, neminem tot diebus in ejus sede ant consedisse, aut consessurum esse, quot diebus divus Petrus, primus à Christo Ecclesiæ Pontifex institutus, in ea consedit. Et rursus, non tantùm divi Petri dies nullus Romanorum Pontificum suo in Pontificatu permensus attigit, sed & ipsum quoque Petri nomen, quod ad Christianæ ecclesiæ solidissimam Petram non immeritò alludit, Romanorum Pontificum obtinuisse, hactenus nemo visus est, quod hoc disticho Bovillus cecinit:

Petri successor consedit nemo diebus
Tantis, & nomen nemo secundus habet.

Clementis autem pietas, eruditio, atq; modestia summa commendata est à scriptoribus temporum, rerumq; Romanorũ Pontificum. Hujus meminisse volunt D. Paulum cap. ultimo ad Philippenses, ejusq; esse eam, quæ ad Hebræos nunc vulgò inscripta est, Epistolam.

Num cætera turba priorum] scilicet pag. 16 Romanorum Pontificum, quos idem Bovillus non inscitè in triplicem ætatẽ dispartitus est: ut scilicet prima eorum sit, qui in initio nascentis Ecclesiæ, sub cruentis imperatoribus viventes, mortalem corporis amictum proprii sanguinis effusione, ad Christi imitationem, exuerunt: de his sentit indubiè Fridericus. Secunda eorum est ætas, qui quanquam pro Christo sanguinem non fuderint, nec palmam martyrii adepti sint: secundo tamẽ loco per beatorum martyrũ vestigia incedentes, doctrinis, eleemosynis, & aliis hujusmodi pietatis operibus eximiam animi mundiciem & puritatem consecuti, templum Dei, & cohæredes Christi effecti, in sanctorum contubernia transierunt. Tertia summorum Pontificum distinctio eorum est, quorum quàm plurimi vel a prioris vitæ sanctimonia paulatim degeneres, animum genialibus deliciis inflexerunt, aut magis dominandi libidine, quam pietatis studio, sumi Pontificatus dignitatem contentiosis ambitionib. inierunt: qui neq; ut primi illi viciniores petro, martyrii palmam adepti sunt, neq; ut mediorũ syncera cohors, usquequaq; vitæ sanctimoniam coluerunt, ut piorum confessorum catalogo publicè promererentur inscribi.

Romanus præsul) id est, Episcopus. Nam ab initio neque Papa, neque Pontifices, sed Romani Episcopi vocabantur. Nomen a vetustis temporib9 deductum. Nam Athenienses, quos speculatum mittebant, quid in unaquaque subditarum civitatum boni malivè, æqui aut iniqui ageretur, hos Episcopos, id est, speculatores vocabant, ut patet in cap. qui Episcopatum. VIII. quæst. I. Unde verè, quare Rom. Episcopo nomen hoc Papæ fuerit inditum, tradit Joan. Andr. in præfat. Clement.

Regali

Regali munere crevit) scilicet tempore Constantini Magni, & Sylvestri Papæ.

Sed neque tanta (sui largitio) designat vulgatam illam Constantini jam dicti donationem, de qua apud nullos extat autores, præterquam in libro Decretorum idque in antiquis voluminibus minime contineri, autor est Antoninus in Chronicis. Quanquam Isidorus in historia sua scribit, eum urbe Roma Pontifici cessisse, rebus ornamentis & omnibus imperialibus, diademate videlicet, habitoque & albo equo, quo vehebatur. Basilicas item dicitur nonnullas in urbe condidisse: sed quid hæc ad tam immensum Petri, ut ajunt, patrimonium, elephantiasis Constantini, sanguine puerorum, & Sylvestri baptismate partum? O beatas nugas, quæ tantum constituere imperium.

In Laurentium Vallam, virum propter veritatem odio habitum, & persecutiones passum eò, quòd probare conatus est eo libello, qui jam vulgò notissimus est, nullum jus sive munus imperii concessum esse Pontifici, hujusmodi distichum jactatum, legimus:

Ohe, at Valla silet, solitus qui parcere nulli est?
Si quæris, quid agat, nunc quoque mordet humum.

Picturæ tollantur inanes) Quæ Lotharium Imp. adorantem pontificem exprimebat.

Quod nunquam) Taxat avaritiam Rom. curiæ, & aperit imposituram ad corradendum argentum à clero Germanico. Lege totum authorem, videbis, eum fuisse Catholicum, sed non Romanum.

1507. *Scala cœli Fratris Ioannis Minoris ordinis F. Prædicatorum.*

Clericus quidam hospitabatur in domo militis, cujus uxor monachum habebat amasium: ex quo gravis erat ipsi præsentia clerici. Milite ergo recedente, vinum acetosum, panisque clerico ministratur: & inducitur ad intrandum lectum. Cumque intrasset cameram, & amasius cum multis generibus ferculorum venisset, & jam posuissent mensam, miles rediens ad portam pulsavit. Tunc domina monachum inclusit subtus scamno, & vidente clerico, cibaria abscondit.

pa. 17. Ingreditur dominus, vocatur clericus, & cum comederent, interrogatur clericus, quam scientiam didicisset? tunc ille, nigromanticam, inquit, & cùm rogaretur de domina, ut aliquod experimentum faceret, ait: Dabo vobis bonam cœnam: & fictis incantationibus, dixit: Volo, ut in tali loco sint talia & talia cibaria, & in tali talia; nec timeatis, quia ego expellam de ista domo dæmonem, qui portavit ista ferum & quia est horribilissimæ figuræ, aperientur omnes portæ, & claudatis oculos vestros, & ego conjurabo eum, ut in figura monachi exeat de domo ista: cumque omnia fuissent completa, clamavit clericus: Dæmon, qui es sub illa banca, exi statim. Tunc monachus surgens velociter exivit hospitium, sine aliqua confusione. Imperatore & Papa ut supra.

Ibidem. Fuit quidam Episcopus, qui plus divitiis, deliciis, & vanis honoribus vacans, quàm utilitati & bono exemplo subditorum suorum, dum semel agrotaret, intravit cursor cum lancea dicens: Citat te summus Papa, ut venias coram eo, ad reddendum rationem de ovibus tibi commissis, & de hæreditate, quam acquisivit sanguine suo. Et facta citatione visum fuit Episcopo, quòd traheretur ad judicium: & cùm esset coram Christo, videbatur sibi, quòd dæmones infinitas rationes adducebant suæ damnationis, & præcipuè quinque.

Prima fuit, quòd spoliabat pauperes, & inducebat divites & meretrices. Secunda fuit, quòd vestes sacerdotales, & omnia ornamenta domus, & utensilia erant aurea & argentea. Tertia erat, quòd de limo rei temporalis optime curavit: sed de animarum informatione nihil, imò infinitas animas suo malo exemplo corrupit & ostenderunt sibi plus quàm duo millia animarum, quæ damnatæ fuerant sub regimine suo. Quarta fuit, quòd studium vanitatum summum erat studium, literarum nullum. Quinta erat, quòd nolebat, nec permittebat, quod alii salvarentur.

Tunc summus Papa dixit: O maledicte, quæ ego acquisivi sanguine, tu consumsisti, ut fulgeres in apparatu regio. Ego acquisivi manibus crucifixis, & tu expendisti cum manus ludo, & aleis perdidisti: ego acquisivi coronam spineam portando, sed tu expendisti molle pulvinar capiti tuo supponendo: ego acquisivi nudatus propriis indumentis, & tu expendisti in sericis vestibus variegatis, & in vestibus nimiæ vanitatis: ego acquisivi cum opprobriis & flagellis, tu consumis in vasis argenteis & scutellis: ego acquisivi fel & acetum potando, sed tu expendisti delicatissimis cibariis visitando, vinumque & nectar potando: ego flendo clamavi, ut oves ad ovile reducerem, sed tu clamasti ad eas, ut tanquam lupus mactares, ac ideo assigno talem diem, ad audiendam sententiam diffinitivam.

Cùm autem de his solicitus & anxius evigilasset, narravit familiæ, quidnam vidisset? Qui volentes ei placere, & plus curantes de rebus, quàm de animis, reprehenderunt eum eò, quod curaret de

somniis. Tandem tempus labitur sine pœnitentia, usque ad diem statutum. Et illo die, in illa hora sibi assignatâ venerunt Dæmones horribiles ad cameram suam, dicentes: Surge maledicte, & audias sententiam diffinitivam à summo Pontifice de vita tua.

Tunc ipse clamabat ad scutiferos & ad familiam: Expellite illos, expellite illos. Cùm autem neminem viderent, licet vocem audissent, Episcopus hoc videns volens in dæmones irruere, & eos de camera expellere, cum tanto impetu venit ad columnam, quæ erat in medio cameræ, quod fracto capite expiravit.

1508. *Bonifacius Simoneta lib. 6. cap. 11. Chronicorum.*

Anno 1287. mortuo Honorio 4. Cardinales, qui alterius Pontificis creandi causa convenerant, repentina lue affecti moriuntur: insuper terræmotus usque adeò magni invaluerunt, ut fuga sibi consulentes, electionem in aliud tempus distulerint. Imp. & Papa ut sup.

Idem lib. 3. de Christianæ fidei persecutione. Petrus, Christi minister æquus, sincerus, mandato Domini Pontifex summus, non è gentib. opes, non oppida congessit: non regnare avidus, orare, prædicare, ac jejunare intentus: languores auferre, miraculis sanitatem conferre semper cogitavit.

Idem libro 5. cap. 11. de pontificibus. Ludovicus Imp. Nicolao Pontifici obviam ad mille passus procedens, ex equo descendit, & frenum equi Pontificis tenens, duxit eum pedes in castra sua.

1502. *Annales Misnenses.*

Hoc anno Præsul fuit Sextus Joannes, cui accessit vexatio ab exteris: nam indulgentiarii Livonienses, Romæ literis ab Alexandro & Julio Pont. impetratis, suas merces exponere cupiebant in ejus urbibus, nomine & authoritate Antistitis Magdeburgii, hoc ille planè rejiciebat, & suæ Ecclesiæ ingenuæ objiciebat libertatem, ideò ab omnibus locis suæ

pag. 18 diœcesis illos nugivendas severitate arcuit, & causam tandem obtinuit apud Julium II. Adversarius ejus erat *Christianus* Baumhauer, quasi dicas, arborum cæsor, aut eversor, qui ex illis indulgentiis pecuniam faciebat, adhibitis duobus impostoribus Scirpio, & Hermanno quodam Sacerdote Hildeshemio.

Vix defunctus erat hoc negotio, ecce illi bellum imminebat à nobilitate, cujus multitudinis duces erant Alexander comes Leisnitius, & Joannes Kitlicius, item Gogeritii, familia antiqua & fortis. Accedebat direptio Verdæ episcopalis oppidi satis lauti, à quodam Guterstenio *Bohemo* facta: ad id recuperandum misit Georgium Angerum, præfectum Dresdensem, Georgius Dux Saxoniæ, cujus prudentia sunt res compositæ, sed sine recumpensatione sumtuum.

In tot simultatibus & turbis præsul sagacitate, & animi robore hostes superabat: nec erat in suo munere non maximè industrius. In superstitionem suorum temporum sæpe jocabatur. Dixit aliquando, si sacra *Biblia* lego, aliam invenio religionem, quam quæ nostra hodiè est: & illam nostris moribus, & institutis valde dissimilem.

Cùm videret multitudinem Joanni Tecelio Dominicano, Theologiæ initiato, & impostori astuto numerantem pro indulgentiis pecuniam, ô cæcam plebam, ait, quæ mittit pecuniam in eam cistam, ad quam reserandam non habet clavem. Dixit de eodem Tecello, ipsum fore indulgentiarum institorem ultimum, quod nimia esset impudentia & temeritate præditus. Cùm subjiceret ei Canonicus eruditus, Tecel lingua Turcica significare diabolum, effusè risit, sed verbum nullum addidit.

Georgium Frichenhusium Dominicanum Lipsiensem, contra bullam, de esu butyri concionantem, defendit, & pro eo contra Canonicos *Fribergios* liberam tulit sententiam: nam quod Romæ passim & impune per totum anni tempus venditur, id Germanis sine ære permittere, aut sine pœna edere non licebat.

Cùm monachum videret, dicebat, nullum animal audacius esse eo, quod è cucullo prospiceret. In ejus mensa nullum esse monachum visum, non leves homines mihi affirmárunt. Sacerdotum mores egere correctione, & licentiam vitæ eorum nimis longè progressam, constanter profitebatur. Dedicationem quorundam templorum aut dissvasit, aut quoad potuit, distulit, cum videret, ultra modum superstitiones venales crescere. De fundatione sacri perpetui, quod Missam nominant, adhibitus in consilium respondit, pulcherrimum quidem in equo oculos esse membrum, & id ad decorem spectare præcipuè: sed si totum equi corpus nihil esset, præter oculos, id ipsum, quod ornamento fuerat, jam futurum prodigio: indicare volens, minuenda potius, quam augenda sacra nummaria.

Joannem Pfenningium Theologum Ersurdianum, qui habitum religiosum mutaverat, Fretensem suffraganeum, in Annæbergo pastorem, annos sex Wurcenæ & Stolpenæ tenuit vinctum, qui & in carcere, lumine non custodito, stramine ardente, fumo suffocatus est.

Ejus temporibus dux Georgius cœnobium in Annæbergo, & aliud in rupe regia, altissima ad Albim specula, funda-

bat

bat: de quibus cùm fortè præsulem rogaret sententiam, ei respondit: Illud vix duraturum, propter fumum è coctione metallorum: hoc vero propter auram BoëmicamHussiticam brevi interiturum: quod præsul ioco dicens, divinator fuit: nam rupis regiæ cænobium, vivente adhuc Principe, deserebatur.

1509. *Ex Epistola Helenæ, matris Regis Æthiopiæ ad Regem Emanuel Portugalliæ.*

Haud equidem longe absumus ab illo tempore, de quo Dominus noster Jesus, & ejus dulcissima mater, B. Virgo Maria prædixerunt, quod in temporibus ultimis in Francia nasciturus esset Rex, & per eum Deus omnes gentes, Deique ignaros & hostes eversurus. Si igitur V. D. consultum visum fuerit, filios suos cum nostris filiabus connubio conjungere, in confirmationem mutuæ & perpetuæ amicitiæ, rogamus maximopere, illud acceleret. Ad extirpandos infideles promtissime omnes nervos conferemus, sed cum nostrates minùs sint apti ad bella navalia, oramus, ut vos ejusmodi conducatis milites: tunc illis nos nostris sumtibus, victualibus, & omnibus necessariis nunquam deerimus.

1509. *Carolus Bovillus Nicolao Horio, Episcopo Remensi, Gallo S. D.*

Literas tuas accepi, colendissime domine, ex quibus intellexi, quod intra seculi spatium ad hunc usque diem nihil ejusmodi, ut tibi de duobus illis Christi militibus superiori meâ scriptione narravi, evenisse, statuas.

pag.19 Cæterùm aliud aperiam tibi, quo magis mirère, de sancto quodam nostræ ætatis Eremita, qui ante 20. annos in pace obiit. Appellant ipsum Nicolaum de Petrâ. Fuit autem Germanus, ex Helvetiâ oriundus: ipsi verò Helvetii superiorem Germaniæ partem usque ad Alpes inhabitant.

Isthâc cum iter facerem anno labente 1503. & non obscure rumore populi advertere m, quòd in viciniâ raræ sanctitatis homo, Nicolaus ille, vitam egisset: protinus ea loca visendi, remque omnem experiendi, incredibili desiderio tenebar. Ergo haut multa moratus, arreptâ viâ, rectâ lucum Eremitæ versus contendi, ubi à Nicolai filio adultiore hospitio excipiebar, qui tum mihi parentis sui vestimenta monstravit.

Alterâ luce nos ambo ad Eremitæ cellam procedimus, in quâ ipse per 22. annos, absque ullo cibi vel potus usu, perseveravit, usque dum hac vita eximeretur: quo sane mortales cæteros edocuit, immotam esse veritatem illius sancti & divini dicti: Non in solo pane homo vivit, sed in quolibet verbo, quod per os Dei egreditur.

Helvetii quidem, Ecclesiastici pariter & politici, fucum subesse, rati, omnes illius sylvæ semitas undiquaque obsedêre, si fortè aliquem cibos ipsi ferentem deprehenderent: at apparuit tandem ipsa rei veritas, quòd nimirum altiùs humano caput exeruerit ille, & quodammodo angelicum quiddam in carne ejus habitet, gratiâ cujus cœlesti rerum affluentiâ vivat, atque communibus hujus mundi infirmitatibus non sit obnoxius.

Hic Eremita Nicolaus, ut ajunt, & quod egomet in actis ejus legi, antè & postquàm obiisset, insignis fuit miraculis.

Porrò proponam tibi visionem quandam, quæ illi precibus suis intento, nocte, cœlo sudo, in æthere comparuit.

Vidit autem humanum caput, horridum, minax, & iratum, cui triplex auro corona Pontificia fuit imposita: supra cujus apicem figura crucis, orbe circumducto, fulsit: horrida mento canities, & hæc quidem trifida, dependit.

Sex sine capulis enses è facie illius, oppositi invicem, emicuêre: & unus quidem fronte nitens, superiorem illam cruciculam cuspide verberavit, eam quasi transacturus. Alii duo prodierunt ex oculis, apicibus in eos impressis, reliquo verò dependente nutaverunt.

Ex naribus etiam duo, demissis tamen aculeis, arrectâ superficie descenderunt. Sextus denique, in os impactâ summitate, à labiis ad inferiora porrectus, apparuit.

Hi simul omnes à Nicolao, nullo temporis observato discrimine, visi sunt. Ipsumque totum caput, ut apparuerat, in spelæum sibi ad parietem obtutui proximum penicillo referri, curavit. Eremita. Id quia paulò attentius conspiciebam, similem animo ideam concepi, memoriæque impressi.

Quoniam ergo, quid monstri hoc caput alat, ignoro, licet utcunque interim, nihil boni sanè ipsum portendere, metuam: existimo tamen, te accuratâ conjecturâ id consequuturum esse, quodcunque Deus hac visione innuere voluerit: ut hac ratione me trepidantê erigas, & tantarum rerum cognitione erudias. Quod si vero ne tu quidem inde extricare te potueris: scribe tamen, ut, quæ mea sit de hoc sententia, percipias. Vale. Dat. ex nostrâ SanCuriâ, feriis Laurentii: A. 1508.

Nicolaus Horius Carolo Bovillo. S. D.

Magnam cepi voluptatem ex literis tuis, quas mihi familiaris tuus attulit. Illis enim dici non potest, quàm mihi singularem erga me tuam benevolentiam comprobaveris: de quâ si unquam aliâs dubitassem, vel hoc unico argumento omnes dubitandi caussas sustulisses. Quòd verò me rogas, ut tibi visionem illius Eremitæ, qui, postea quàm duos & viginti annos in deserto singulari pietate Deum coluisset, exutâ mortalitate, tandem in cœlos migraverit, exponam: haut certè tantum tibi promittere possum, quantum ad tam arduæ rei intellectionem videtur pertinere. Ita enim statuo, non id quemquam facilè præstiturum esse, nisi à Spiritu longè præstantissimo fuerit illuminatus.

pag.20 Quanquam autem, ut dixi, hæc & alia videantur ad hæc mysteria mihi aditum intercludere, ut qui nihil in his, aut parum sapiam: tamen, utcunque potuero, meam tibi sententiam communicabo.

Primum quidem judico, caput ipsum neminem alium, quàm maximum quendam in Sacerdotio nostro significare, cum id Pontificio diademate splendeat.

Quod verò caperatis superciliis, & candescente iratâ rubedine vultu, torvum spicit, haut dubito, quin illius summi Pontificis ingravescentem tyrannidem denotet.

Anne præterea me audire cupis? Ecce quidem ut lubet. Gladius in fronte, qui crucem pungit, declarat, Pontificem Antichristum esse: in oculis autem, unus quidem inexplebilem illius avaritiam, sed alter abominandam fornicationem innuit: in naribus ostenditur ejus tyrannis, & rerum spiritualium contemtus, & irrisio: Labia, quæ sunt postremo gladio transfixa, pigrum nebulonem, & mutum in Ecclesiâ, verbumque Dei non docentem subinferunt.

Sed quid sibi volunt decussa manubria? hoc videlicet: quod, quemadmodum expertem capuli pugionem sine læsione tangere non licet, ita maximum sit periculum, si coneris dominum illum redarguere, & gladios ab ejus faciei dimovere.

Quantum ad Barbam prolixam, horridam, & trifurcatam attinet: eam puto omnis generis infortunia & calamitates portendere. Nam quia Papa, quando homines barbam ejus mulcebant, eos quidvis agere, contra verbum Dei concessit: verisimile est, id ipsum haud impune laturum esse.

Habes ergo sententiam meam, quam petieras, eam tibi pro amicitiâ nostrâ mitto. Vale. Dat. ex urbe Rems. 28. Augusti, anno cIↃ IↃ VIII Imperatore Maximiliano I. Papa Iulio 2.

Hic videre licet, quid Episcopus iste, sæviente Papatu, de capite suo, & Pontifice Romano senserit.

Audiamus etiam Lutherum

Tom.4. Ger. Ien. fol.354. b.

Caput est Papa cum Ecclesiâ sua.

Vultus iratus est latrocinium animæ & corporis.

Gladius in fronte est humana traditio, bona opera, & cæteræ phantasiæ, quibus passioni Christi meritum derogant, & Evangelium pervertunt pontificii.

Gladius in dextrâ nare Ius est Canonicum illud, irâ plenum. Nasus enim iram denotat, Psalm. 78.

Gladius in sinistra nare est affectata Politiæ gubernatio, ferox, inquieta, arrepta sine verbo Dei. Et quemadmodum aliâs humores cerebri & sordes ad nares defluunt: ita traditio quædam humana est, & cerebri Romani rheuma, quòd Papa regibus terræ dominatur.

Gladius in ore est Verbum Dei, quod Antichristi fauces, & mendacia coarguit.

Gladius in oculo dextro est Verbum Dei, quod Spirituales ordines, & hypocritas, jura, decreta, fabulas, idololatrias, & omnes Papæ illecebras è fundo subruit.

Gladius in oculo sinistro est Verbum Dei, quod Politicum imperium & sceptrum Papæ è manibus extorquet.

Cæterùm, quòd hoc caput avulsum est ab humeris, & corpore caret: indicium est ipsum non esse caput Ecclesiæ.

Tripartita barba designat tres ordines & sectas à mento Pontificio pendentes: 1. est turba Hypocritica, rasa. 2. est turba Doctorum, ut sunt Jureconsulti, Theologi, Magistri. 3. est turba Potentium, ut sunt Cæsares, Reges, Principes, & domini hujus mundi. Hæc tria genera hominum sunt illâ barba, quæ quia neque humeros, neque præcordia tangit, id est, Ecclesiam: ideo neque illa membra sunt Ecclesiæ.

Gladii capulorum expertes innuunt, pro & contra Papam decertatum iri testimoniis Sacrarum literarum. Nam Papistæ utuntur quidem ensibus, id est, dictis Scripturæ, sed inversis & depravatis: & hoc ipso tamen se jugulant: perinde, ac si quis, mucrone contrà se directo, digladiare conetur, & adversarius, impacto in corpus ejus apice, vincat: ita Papistæ contra veram Ecclesiam Catholicam expediunt testimonia verbi Dei, tamquam enses, & non vident interim, quod

quòd rectà contra se faciant, & ipsi cuspides acutissimas in ore & oculis suis habeant.

De eadem visione alia sententia.

Pestilentes Papæ errores & tyrannides, quibus Ecclesiam Christi vastat, per gladios 3. egredientes ex facie ejus: & calamitates ejusdem, quibus eum Deus perdet, per gladios 3. in ipsum tendentes significantur.

pag. 21. *Portentosa.*

1509. Anno Salut. 1509. decima quarta Septembris, terræmotus gravissimus, diebus decem & octo continuis murum Constantinopolitanæ urbis, quâ mare spectat, cum omnibus adiacentibus domibus diiecit, fossatumque ruderibus implevit, ac terræ æquavit. Arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinque turribus munitissimis custoditur, & insignis est domus, qua leones nutriuntur, tanquam in vivario, destruxit. Cuniculos, qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in urbem devehunt, maximis & laboribus & impensis fabricatos, concussit. Sinus autem maris inter Constantinopolim & Param, violentia terræmotus adeo intremuit, ut in utramque civitatem ultra muros aquam injiceret. Domus tributaria juxta muros Constantinopolis in mare tota decidit, ut nullum illic appareret vestigium. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit. Calliopoli munitissima arx penitus rupta est. Nec ulla domus illic integra mansit, totamque Græciam ad danubium usque hic terræmotus longe lateque pervagatus est. Fertur, Constantinopoli tredecim millia hominum interiisse: & nisi Baiazetes Imp. monitus fuisset à quodam Caligero Monacho Græco, sene, quem familiariùs dilexit, secumque crebrò detinebat, ut in hortos descenderet, ruina oppressus fuisset Baiazetes. Cuspinianus.

1509. *Zoppinus.*

Scripsit hic tractatum de Romanis meretricibus. Fuit autem olim Leno, postea Cardinalis cujusdam famulus, demum verò fraterculus: nihilque, ipsomet teste, non bene compertum narrat. Imp. & Papa ut sup.

1509. *Ioan. Menardus.*

Refert hic in lib. de Regula Francisci omni execratione dignam hanc historiam: quod nonnullæ fœminæ in habitu monachi cum monachis pila ludentes, præmium hoc sibi proposuerint, nempe, ut utra pars vicerit, ei optio data sit concubitûs.

In peregrinationes ad limina Apostolorum, ex quodam vetusto codice.

Roma vale, vidi satis est vidisse, revertar,
Et leno, meretrix, scurra, cynædus ero.

Aliud.

O, Roma à Roma quantū mutata vetusta est?
Nunc caput est scelerum, quæ caput orbis erat.

Ex veteri quodam Miscellaneorum libro.

Roma manus rodit, nil dantē crimine prodit,
Curia Romana, quasi febris quotidiana,
Clerum corrodit corrosum spernit & odit.

In Commentario magistrorum Parisiensium. 1509.

Legitur in hoc commentario de Julio secundo Papa, quòd duobus nobilissimi generis adolescentibus, quos Anna Gallarum Regina Nanetensi Cardinali informandos commiserat, & aliis multis diabolicâ rabie (proh facinus) stuprum intulerit. Simile quiddam ab alio scriptore narratur, cui Gerbelius hoc addidit distichon:

Venit in Italiam spectabilis indole rarâ
Germanus: redit de puero mulier.

Imp. Max. 1. Papa Julio 2. ut sup.

Distichon Romæ legitur; ubi S. Petrus in urbe pictus ut piscator dicit. 1510.

Ecclesiā pro nave gero, mihi climata mundi
Sunt mare, Scriptura retia, piscis homo.

Iacobus Wimphelingus in Chron. Argentinensium Episcoporum. 1510.

Argentinenses Episcopi, qui ab exordio ad hæc usque tempora floruerunt, septem & quadraginta, alium sibi titulum non desumserunt, nisi sub hac humili formâ: Ego N. divina favente clementia, Argentinensis Ecclesiæ pastor indignus. Quænam est laudis aut gloriæ excellentia, tam præclaro & digno Præsulatus titulo, terrarumque dominatu non esse contentum: & à Ducatu seculari, in quo neque prædium neque ovile quisquam possidet, vanum aut vacuum usurpare fulgorem? Imp. Max. 1. Papa Julio 2. ut sup.

P. Rasteriscus D. Iacobo Wimphelingo, divinarum literarum Licentiato S. D.

Remitto ad te, vir ornatissime, fido cum hoc commensali meo, medullam illam Pragmaticæ, perquàm scite, sincereque abs te excerptam, unà cum pruden-

tissima Cæs. Majest. instructione. Faxit Deus Opt. Max. ut aquila nostra circumspectissima oculatissimaque ipsam summo culmine (perinde ut Liliatus Princeps) eripiat conservetque, ne scilicet posthac beneficiorum isti harpagines universam hanc nobilem Germaniam medullitus exenterent, enerventque.

Negotium ipsum, mehercle commodissimum atque divinum, summopere commendo: nec non cum tuam ea in re diligentiam, tum Cæsar. Majest. ad Remp. Germaniæ zelum, haud immeritò maximi facio, mirificeque laudo. Nihil prorsus demendũ in ipso facto, adiiciendumve (hac præsertim pestifera tempestate, proindeque nobis inquietissima) operæ precium duximus.

Æneam Sylvium de Germaniæ situ propediem aut ipse reducam, aut fido cum tabellione ad suum remittam authorem. Vale faustissime, Ræsteriscoque tuo, tametsi scabro & inculto, utare pro tuâ sinceritate, ut voles. Datum festinanter & ex tempore, urgente contubernali hoc meo, probatæ vitæ viro, quẽ tuæ humanitati commendo. Calendar. Decembris anno Christi M. D. XI.

Idem Wimphelingus. Credibile est, multos comites olim filios suos tradidisse vel monastico, vel Ecclesiastico statui, ne paternæ hæreditatis cohæredes essent, & filii reliqui seculares exaltarentur, & familiæ propagarentur. Quod si genitores Deo Universali provisori confisi essent, & filios suos frugaliter vivere instituissent: hodie forsitan ipsorum progenies subsisterent, nec essent prorsus extinctæ.

Idem. Hentzelo cupiens similiter, ut prædecessor suus, cultum amplificare divinum, residuas sex Ecclesiæ sancti Petri Junioris præbendas erexit, atque fundavit. Sicut autem venerandus hic Hentzelo & Guilhelmꝰ, suus prædecessor, speraverunt, Canonicos in præbendis à se fundatis personaliter residentes, perpetuo Deum laudaturos: sic & alii (quicunque fuerint) qui in aliis collegiis sufficientes præbendas instituerunt, aut distributiones quotidianas auxerunt, voluêre, ab earum futuris possessoribus (haud evacuatis stallis) Deo & Ecclesiæ, animabusque servitum iri: & id Deo gratius, animabus jucundius, rebusque publicis magis salutare fore: immo & Episcopis plus honoris allaturum. Quo enim plures in Episcopatu fuerint Ecclesiastici, vel docti, vel devoti, tantò Episcoporum gloria major, & salus reipublicæ Christianæ.

Idem. Utinam vel una domus in universâ hac diœcesi foret, in qua honesti & maturi sacerdotes, à passionibus liberi, & castimoniæ dediti, in communi simul vivere possent: sicut sunt tot beguttarum, & Lolhardorum, aliorumque conventicula, & mansiones.

Idem. Hermannus in Chronico, quod Flores temporum inscribitur, de cœnobio Eresthheim sic scribit: Proh dolor, tanta moderno tempore in eodem cœnobio facta est mutatio non dexteræ excelsi, sed potiùs sinistræ diaboli maledicti, in tantum, quòd potiùs possit dici prostibulum lasciviæ carnalis, quàm monasterium continentiæ regularis. Hæc Hermannus. Quid si hodie superstes esset? De similibus forsitan locis, pro fœmineo sexu fundatis, in quibus choreas, stupra, adulteria (sacris etiam noctibus) in multorum scandalum atque ruinam exerceri, adulteros, sibique junctos feudis Ecclesiasticis & secularibus, pro venere præmiari, publica vox & fama est: procul dubio flebiliùs lamentaretur. pag. 24

Idem. Falluntur nostræ ætatis militares, & ordinis equestris viri, existimantes, cœnobia esse filiorum suorum xenodochia, tanquam sui majores sibi illa fundárint. Ecclesiæ enim & monasteria ab Imperatoribus, à Regibus, à Ducibus, ab Episcopis, & à cæteris præclarissimis viris olim erecta atque fundata sunt, non pro venatoribus, non pro lascivis, non pro ociosis, aleæ, veneri, & gulæ deditis: sed pro his, qui dies & noctes, sedulò & enixè, conditori, redemtorique nostro, pro nobis crucifixo (apud quem non est personarum acceptio) famularentur, ac debitum obsequiũ præstarent. Nec tamen inficior, procerum filios, literis & virtutibus deditos, & ad Deo serviendum idoneos, cæteris posse præferri.

Taceo de collegiis pro fœmineo sexu (quem Gregorius magnus devotum appellavit) institutis: utinam sexus ille Deo dicatus, qui de Christi patrimonio delicatè pascitur, seipsum non aliquando de stupro, & adulterio, prolisque partu, suspectum redderet, atque infamem. Utinam non herbis, non quarundam incisione venarum, non luridis potionibus non lotionibus pedum exquisitis vel abortum procuraret, vel fœtum præfocaret.

Scandala multa, & horrenda flagitia è medio tollerentur, si Episcopi officio suo pastorali satisfacerent: qui meritò terreri possent, si crederent, sanguinem & vicia, quæ sua negligenti dissimulatione propagantur, de manibus suis tandem requiri, seq; de subditorum vita, coram supremo tribunali, rationem justissimo Deo reddituros. Neque enim frustra inter duodecim seculi abusiones Episcopus negligens decimo gradu est collocatus.

Idem. Argentinenses summo Pontifici

ti (ut par erat) obtemperaturi, Joannem de Lone tertium in Pastorem suum susceperunt, undecima Junii die, anno post millesimum & trecentesimum sexagesimo sexto.

Fuit Joannes iste Gallicus, homo dulcis, mansuetus, blandus, & simplex, & corpore formosus: sed lurco, gulæ ebrietatique deditus: cui nihil tam assiduum, tamque preciosum erat, quàm delicatis epulis, vinique potionibus vacare. Nec enim mane cuiquam advenanti facilè responsa dabat, nisi jentaculo priùs sumto: imò nisi gallinam antè elixam devorasset. Permittebat majorem regiminis & administrationis partem præfectis & officialibus suis.

Rarum enim est, ut ab homine nunquam sobrio postulanda sit prudentia. Quòd nisi Magnatum & antistitum officiati Deum timeant, avaritiam oderint, ac munera spreverint, jus læditur, Respublicæ pereunt, imò regna labant.

Gaudeo tamen, illum Gallum fuisse, non Germanum, ne solis nostratibus vini cupiditas ab alienigenis improperari possit. Adeò siquidem Gallus ille ventri & gulæ deditus fuit, ut à vulgo capivorax, linguâ suâ Ceppenfresser appellaretur.

Maximilianus, divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, &c. honorabili, devoto, nobis dilecto, Iacobo VVimphelingo Selestadiensi, sacræ Theologiæ Professori, familiari nostro.

Honorabilis, devote, dilecte: mittimus in præsentiarum ad te Secretarium nostrum, cum prachmatica sanctione regni Franciæ, commisimusque ei tibi nostro nomine nonnulla referenda. Quæ cum ex mente nostra proficiscantur, cupiamusque, ut illa, interveniente opera & industria tua, in taliòus nobis satisfieri: ideo hortamur te, & per fidem in nos & sacrum Romanum Imperium observantiam (quam opusculis & lucubrationibus tuis jamdudum habuimus compertam) requirimus, ut non modò Secretario nostro indubitatam adhibeas fidem, sed te eum in his, quem etiam non requisitus à nobis præstitisti, exhibeas. Cupimus autem, dictum Secretarium nostrum (quoniam ejus opera diutius carere non possumus) cum hoc voto nostro à te expeditum, quam primum ad nos remitti. Datum in oppido nostro Imperiali Uberlingen, die 13. mensis Septembris, anno Domini M. D. X. Regni nostri Romani XXV.

Invictissimo D. nostro Imp. Maximiliano Jacobus VVimphelingus Selestadiensis humilimam commendationem.

Victoriosissime Cæsar, lecta Cæsareæ tuæ Majestatis epistola, moxque accepta à Secretario instructione, totis ad id viribus me accinxi, ut id, quod Cæsarea tua Majestas desiderat (quoniam cum Deo, & absque conscientiæ vulnere fieri potest) efficiam.

Ab ineunte enim ætate omnem operam meam Cæsareæ primum tuæ Majestati, deinde Germanicæ nationis & sacri Romani imperii amplificationi devovi atque dedicavi. Quamvis me voto tuo & instituto longè imparem sciam. Scio tamen sint in aula tua, qui hoc munus absolutissimè implere valeant: quibus majorque rerum statuum communium experientia. Sunt & apud reliquos Principes, & apud Senatus Rerumpub. optimi doctissimique viri, qui Germaniam exornare, & ad pacem concordiamque universalis Ecclesiæ, atque totius cleri ad Christianam disciplinam reducendi famam & gloriam persuadere possent: in qua re non modò tua Majestas, sed & tui in Imperio prædecessores Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius, Othones denique, Conradi, Friderici, & Henrici, novissimè autem Sigismundus, summa industria operam navarunt, impellente ipsos indubiè zelo & charitate in Deum Opt. Max. & gratitudine in Christum, pro ipsius in humanum genus beneficiis, præcipue autem amarissimæ passionis. Pag.

Neque enim Christus pauper pro nobis factus est, ut nos in omni rerum opulentia & luxu, de ipsius patrimonio cupiditatem nostram & ambitionem pascamus: neque tamen pertulit, ut nos ingurgitemur: neque labores, calamitatem, & dira tormenta subiit, ut nos in ocio, in lascivia, inque omnibus deliciis & voluptatibus versemur.

Neque hi, quibus res Ecclesiastica sua debet incrementa, quantum ad ditionem temporalem attinet, hoc respexisse videntur, ut in ocio tantùm clerici degerent, omnibus rebus ad vota fluentibus, citra tamen laborem. Alia certe causa fuit, cur illi seque suosque nonnunquam spoliantes, Ecclesiam ditandam censuerint: nimirum, ut commodius divinis officiis vacare possent, absque sollicitudine defuturi victus, quem ex agris, nemoribus, pratis, ac aquis facile colligere liceret. Et ut pauperibus Christi, viduis, orphanis, & senibus, quos robur

cer-

corporis prorsus destituit, ac ægrotantibus, eleemosynam liberiùs impertirent.

Sic enim in institutionibus canonicæ professionis, quas auspicio Imp. Ludovici Pii conscriptas putamus, & ab episcoporum concilio comprobatas, sic inquam legitur: Res Ecclesiæ (sicut à sanctis Patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur) vota sunt fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque, fidei ardore & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut iis & milites Christi alerentur, Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodò usus convertant: sed magis (juxta possibilitatem rerum) Christo famulantium, imò eorum, in quibus Christus pascitur & vestitur, curam gerere penitus non negligant.

Subscribit huic sententiæ Prosper, asserens, viros sanctos res Ecclesiæ non vendicasse in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus divisisse. Nam hoc esse possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere: nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet (inquit) Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, erogare debet: quando nihil aliud est habentibus dare, quàm perdere. Hactenus aliena retulimus.

Proinde cùm, omnes Christi religionem professos eidem Servatori nostro gratos esse, expediat, magis tamen id peculiares ejus ministros, hoc est, sacerdotes, sacris initiatos, & de liberalitate tanta Imperatorum & procerum, cæterorumque fidelium affatim provisos, ut ab aratro & manuum laboribus alieni simus tantorum beneficiorum decet meminisse, quò nostra vita populo bilem non moveat, nec ad oblocutionem & odium præbeat ansam: sed ut ædificentur laici, amicitia mutua floreat, offendicula & sentes evellantur, reverendi antistites cum suo clero pietati dedito sint in sua veneratione, & in ipsum quoque summum Pontificem, sacrosanctamque Romanam Ecclesiam universorum filialis affectus, & in spiritualibus obedientia fulciatur.

Quapropter, serenissime Cæsar, celsitudini tuæ, quæ tã honesto & sancto negocio Christianissimè afficitur, non potui non morem gerere, collectis tumultuariè nonnullis, quæ dedita opera & apud diversas Ecclesias, & in conventibus præstantium virorum partim vidi, partim ex fide dignis audivi, quæ mihi, si tollantur, ad Germaniæ commodum, & ad divini cultus amplificationem plurimùm conducere videntur.

Et eo ad id absolvendum, tuæque Majestati in omnibus obsequendum, promtior fui, primùm, quòd nepotem meum Jacobum Spiegel, tuæ Majestatis Secretarium, ex labore meo majorem tuam in se benignitatem assecuturum, confisus sum: deinde, quòd sub Imperio Romanus & aliquo merito, uti naturâ, subditus tuæ inservio voluntati: postremò, ut hac opera patriam meam Majestatis tuæ patrocinio commendatiorem facerem.

Selestadium enim natale mihi oppidum, omnibus terris charius, in Alsatiæ meditullio situm, provinciis Austriacæ ditionis parvo sanè intervallo cingitur. Quantum enim Brisages absunt? quantum Sungavii? quantum vallis Alberticæ in Vosego? ut de minutioribus locis taceam. Si igitur Selestadium vel à Gallis, vel ab aliis hostibus (quod absit) premi contingat, quis illi melius subvenire possit, quàm Princeps Austriacus? siquidem vicinus vicino Deus est. Et solet nonnunquam ingentis beneficii esse causa parvum obsequium in tempore exhibitum. Ex Argentorato, Calend. Novemb. M. D. X.

Epitome in Proœmium Pragmaticæ Sanctionis. pag 21.

In proœmio Pragmaticæ sanctionis narratur, quòd ab exordio nascentis Ecclesiæ Reges Franciæ, Prælati & Proceres in Regno & Delphinatu, erexerint & dotaverint Ecclesias, cœnobia, & alia loca sacra, ad gloriam Dei, & ad augmentum divini cultus. Item, quod instituerint in illis locis ministros idoneos ad propagandam fidem, bonos mores, & exempla virtutum. Item, quod à sanctis Patribus conditi sunt canones, pro felici regimine status Ecclesiastici. Item, quod, quàm diu canones illi observati fuerunt, floruit in Ecclesia Dei honestas, disciplina, religio, pietas & pax.

Additio ad Pragmaticæ proœmium.

Similia narrare posset Cæsarea tua Majestas, quomodo Ecclesiæ cathedrales & collegiatæ in Germania erectæ, & amplissimis possessionibus dotatæ sunt à Romanis Imperatoribus, ab illustrissimis Ducibus, & cæteris Principibus, sicut in Luitpoldo de zelo & fervore vete-

rum

rum Principum Germanorum clarissimè reperitur. Et certò constat, multas Ecclesias à Carolo Magno & Henrico Cæsare erectas & dotatas: Spirensem à Ducibus Sveviæ & Austriæ locupletatam, &c. Argentinensem à Dagoberto Rege Austrasiæ exaltatam. Sicque de aliis Ecclesiis & cœnobiis Germanicæ nationis, in Austria, Saxonia, utraque Burgundia, cæterisque Germanorum Principum regionibus, erectis atque dotatis.

Consequenter exordium Pragmaticæ narrat, quòd ex ambitione & avaritia (quæ patrum decreta contemnit) subsecutæ sunt morum corruptiones atq; deformationes: status Ecclesiastici dehonestationes: usurpationes gravissimæ: præsertim hæc fieri per prælaturarum & dignitatum, aliorumq; beneficiorum ecclesiasticorũ reservationes, & per gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum à jure valde exorbitantium, multiplicationes, & per innumerabiles concessiones, gravissimaque & importabilia onera, quibus Ecclesiæ, & personæ Ecclesiæ & regni afflictæ, oppressæ & quasi ad internecionem redactæ his diebus conspiciuntur.

Nam Ecclesiarum & beneficiorum pecunias indigni exterique occupant. Majores dignitates opulentioraque benificia personis conferuntur incognitis, & non probatis. Pauci in Ecclesiis resident: quia cùm sint plurales, ubique residere & præsentias deservire non possunt, vultusque commissi sibi gregis non agnoscunt.

Animarum cura neglecta, temporalia lucra solummodò quæruntur. Christi cultus diminuitur. Animarum cura negligitur. Subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt. Ruunt ædificia. Populi devotio attenuatur. Clerici regni nostri scientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis nostræ vacare possent, & qui pro Regiis & Ecclesiæ publici consiliis forent opportuni, divinarum humanarũmque scientiarum studia deserunt, propter promotionis ad beneficia spem eis ablatam. Votum alienæ mortis oritur. Lites infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Christi ministros suscitantur, nutriuntur atque foventur. Pluralitatis beneficiorum execrabilis ambitio fovetur. Pauperes clerici cum rerum suarum discrimine per calumniosos cavillososque opprimuntur. Beneficia inofficiata relinquuntur. Beneficia simoniacè acquiruntur. Juvenibus bonæ indolis evagandi licentia præbetur, qui literis & virtutibus intendere deberent. Prælatis, & cæteris ordinariis collatoribus jus suum atque ministerium aufertur. Ordo Ecclesiæ hierarchicus confunditur. Plurima adversus divina atque humana jura in animarum perniciem, & Ecclesiarum regni nostri oppressionem & conculcationem perpetrantur. Sicque jura coronæ nostræ depereunt, atque thesauri regni nostri in externas regiones deportantur.

Præmissa hæc Carolus VII. *Rex Francorum*, cæterique Prælati Ecclesiarum cognoscentes, talia, stimulantibus eorum conscientiis, absque gravissima Dei offensa, diutius dissimulare non potuerunt. Itaque, decreta hæc Basiliensis synodi, partim ut jacent, partim cum quibusdam moderaminibus, aut *ἐπιεικείαις* recipienda, consenserunt.

Additio ad proœmium Pragmaticæ.

Ut ad oculum hæc omnia vera esse demonstrentur, discernant boni & æqui judices (qui saltem diligenter considerarunt) si non floreat diligentior divinus cultus, ordinatior cantus: si non fiant pauciores in choro confusiones: si non sint minores factiones, minores lites, minor pecuniarum effusio, minora offendicula seu scandala, minor concubinarum pompa & luxus, in illis collegiis & Ecclesiis, ad quæ per gratias Apostolicas non patet aditus?

Exemplum sumatur de Ecclesia parochiali Friburgensi, de collegio Badensi, Heidelbergensi, & Novæ civitatis Spirensis diœcesis, ubi licet parva sint collegia, mediocresque præbendæ, quasdam tamen alias (quas insatiabiles Curtisani occupare, & in quibus post crebras litis patrimoniorumque dissipationes, præbendas pinguiores possidere possunt) in omnibus divinis officiis, in omni Ecclesiastica disciplina, & in personarum concordia, pace & tranquillitate excellere videntur. Ignoscant mihi multi optimi sacerdotes, qui in cathedralibus & in collegiatis devotè Deo serviunt, quibus contentiones, lites, levitates, evaginationes, confabulationes, & cæteræ dissolutiones admodum displicent. pag. 26

Exemplum denique sumatur ab Ecclesiis parochialibus, ad quas gratiæ Apostolicæ sese non extendunt, quibus de idoneo Rectore seu curato citiùs providetur, quàm his, quæ sub gratiis cadunt: quippe quæ interdum propter diversos collitigantes, variasque ipsorum astutias, ad biennium aut triennium certo & idoneo pastore caverunt. Et cùm vix tandem aliquis Curtisanorum victor aliorum in parochia aliqua utcunque evaserit, vel in ea non residet, vel si residet, non prædicat, nec cancellos ascendit, ut saltem pro summo Pontifice, proque sacrosancta Ecclesia Romana, proq;

Cæ-

Cæsarea majestate, aut contra Turcas, ad Deum preces à populo fieri, exhortetur.

Non sic contingit de Ecclesiis parochialibus, ad quas Curtisani seu curiales per gratias Apostolicas non admittuntur. Exemplum sumatur de Ecclesia parochiali Friburgensi, Heidelbergensi, Badensi, Ulmensi, Francofurdensi, ad quas, cùm vacant, è vestigio de idoneis Rectoribus salubriter, absque omni lite, multa pecuniarum effusione providendas, vel Vniversitates, vel Senatus, jus præsentandi habentes, maturè & statim deliberant, & ad Dei honorem, animarumque salutem, bonos atque doctos viros eis absq; controversia præficiunt: qui personaliter residenter, per seipsos prædicant, populum verbo & exemplo ædificant, ac suas oves in viam salutis (ut veri pastores) dirigunt, de quo summis Pontificibus, pastoribusque nostris gaudendum & exultandum esset: qui & rectè agerent, si ad similes quoque curatos in aliis locis fideli populo præficiendos, sint cooperaturi.

Ipsi enim de animabus omnium Christi fidelium, precioso ejus sanguine redemptorum, exactissimam Domino Deo, in extremo judicio rationem sunt reddituri: sicut Julius secundus summus Pontifex noster, in exordio Bullæ suæ contra Joannem Bentivolum, sponte & humillimè confitetur. Et Platina in Celestino V. eidem reverendissimos dominos Cardinales affirmasse, narrat, omnia mala, tum accidentia, in die judicii sibi imputatum iri.

De Electione.

Generalis reservatio omnium Ecclesiarum, monasteriorum, & dignitatem electivarum, per Romanum Pontificem fieri non debet: neque factis est utendum, præterquàm in terris Ecclesiæ Romanæ subjectis.

Quòd omnibus illis ecclesiis per electionem & confirmationem canonicam, secundū juris communis dispositionem, provideatur.

Quòd privilegiis & consuetudinibus rationabilibus per hoc nomen derogatur.

Nec summus Pontifex contraveniat, nisi ex legitimis causis in bullis nominatim expressis.

Papa in assumtione sua juret, hæc se observaturum.

Electione Prælati vel Episcopi facta, confirmator non solùm (ratione confirmationis) aliquid quantumcunque parvum non exigat, sed etiam gratis oblata sub nomine subventionis, subsidii, gratitudinis, aut alio colore, prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, per se vel per alium, nullatenus recipere præsumat.

Qui his contravenerit, ipso jure confirmationis perpetuò sit privatus.

Nec summus quidem Pontifex aliquid pro confirmatione accipiat: alioquin futuro concilio deferatur.

De reservationibus.

Omnes reservationes revocantur, exceptis illis, quæ vel in corpore juris expressæ sunt, vel in terris Ecclesiæ Romanæ subjectis fiunt.

De Collationibus.

Præter damna, quæ in proœmio narrata sunt, alia etiam incommoda oriuntur ex multiplicatione gratiarum expectativarum.

Primò, quòd clerici in gratiis patrimonium & parentum opes exhauriunt.

Secundò, quòd hi, quibus aut major proximum circumveniendi astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior, beneficia sibi vendicant.

Tertiò, quòd sub involutionibus prærogativarum, aut antelationum, & aliorum hujusmodi gratias concomitantium, plurimæ fraudes committuntur.

Propter istas & alias in proœmio expressas causas statuit sancta Basiliensis synodus: quòd summus Pontifex gratias expectativas aut nominationes amodò nulla ex causa concedat.

Potest tamen disponere Papa de uno beneficio ad collationem, in qua decem: & de duobus ad collationem, in qua fuerint quinquaginta & ultrà beneficia. pag. 25

Locus est præventioni, si ordinarii sint negligentes.

Ordinarii hunc ordinem in conferendis beneficiis & dignitatibus servent.

In omnibus Metropolitanis & cathedralibus Ecclesiis sit Theologus. Tertia pars præbendarum conferatur graduatis, præcipuè Theologis: nisi fortè esset, qui duas priùs obtineret præbendas, quarum una ad æstimationem valeret ducentorum florenorum Cameræ, hoc est ducatorum.

De parochialibus Ecclesiis sic provideant ordinarii.

In Ecclesiis parochialibus, qui in civitatibus aut villis muratis existunt, instituantur personæ idoneæ, quæ ad tres annos in Theologia, vel altero Jurium studuerint, seu magistri in artibus sint.

De numero Cardinalium.

Ecclesiæ Romanæ Cardinales sint numero tantùm viginti quatuor: nec assumantur minores triginta annis. Sint magistri, doctores, vel licentiati in jure divino

divino & humano. Sit saltem tertia vel quarta pars de magistris aut licentiatis Theologiæ. Paulo vero ex eis sint filii, fratres, aut nepotes Regum & magnorum Principum. Reliqua, ut nimis prolixa, omisi: videat Lector authorem ipsum. Habet etiam Robertus Gaguinus quædam de Prag' sanctione, de quo Anno 1494.

1511. *Nicolaus Kus.*

Nicolaus Kus, sacerdos Rostochiensis, magister & baccalaureus (ut vocant) formatus Theologiæ, reliquit prolixum librum, impress. in Saxonica lingua, titulo de Triplici funiculo. Est autem expositio Symboli, Decalogi, & orationis Dominicæ, in qua multa contra Papam disputat, præcipue autem hæc: Indulgentias esse meram deceptionem priorum, & quæstum: veras Indulgentias contingere à solo Deo gratis, propter Christum, omnibus vere pœnitentibus: Papam non eam potestatem habere, quam ei multi tribuant: nec aud endum, nisi recta præcipiat. Sanctorum ossa non esse adoranda: Sanctos non esse invocandos: Spirituales debere dare censum, & subesse magistratibus.

Reprehendit quoque traditiones humanas, varios abusus, & superstitiones. In primis verò gravissime insectatus est spiritualium turpissimam vitam, & officii neglectionem. Dicit, eos Antichristi ministros esse. Habuit etiam suos auditores, eosque non paucos. Soliti enim sunt Rostochium ex Bohemia venire certi homines, haud dubiè Waldensium concionatores, qui cum ipso & aliis suæ doctrinæ hominibus proprios conventus habuerunt.

Sed excitata est ab impiis contra persecutio, multique cives sunt propterea expulsi. Nam præter alia, etiam illud contra eos commenti sunt: solere illos noctu convenire, & in illis suis conventiculis promiscuas libidines exercere. Quare vulgo dictitatum est convenire eos in Kußkeller / id est, osculorum cellario.

Ipse Nicolaus Kus primum ob persecutionem coactus est Rostochio Wesmariam secedere, ubi circiter sesquiannum vixit. Unde reversus denuo Rostochium, rursus ob novam persecutionem in Livoniam abiit, ibique diem suum obiit.

Scripsit harmonias Evangeliorum. Apparet, fuisse hominem doctum & diligentem. Ejus in humanioribus studiis discipuli fuerunt hi duo pii & docti viri, D. M. Conradus Pegellius, & D. M. Vitus fidelis Christi minister ad sanctum Ioannem in urbe Rostochiana.

Liber ipsius an ante mortem vel post sit impressus, ignoratur: certum tamen est indulgentiarios impostores, & inquisitores summo studio illius exemplaria conquisivisse, & pleraque exussisse. Bonus quidam vir unam arcam plenam illis exemplaribus in terram defoderat, quæ usque ad Lutheri tempora sub terra fuerunt. Quare & pleraque computruerunt, eoque paucissima extant, non illæsa tamen à putredine. Cæs. Imp. Maximiliano 1. PP. Iulio 2.

Edictum Maximiliani 1.

Summum Ecclesiæ Pastorem, & omnem clerum, exemplo charissimi patris nostri Friderici, Romanorum Imperatoris tertii, hactenus venerari, non parvos dignitatum & Ecclesiarum parochialium proventus exterrarum nostrarum finibus, clericis & prælatis absentibus, inferri, clementer permisimus: quos & clàm pro humana fragilitate delinquentes, cum Constantino prædecessore nostro, chlamyde operire non dedignaremur. Verùm cum ex nostra largitate divini cultus decrementum profluat, unde divinæ laudis, Psalmorum & Missarum amplificatio debuerat proficisci: nostra interest (qui absque meritis in solium Romani Imperii electi sumus) ut inter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoque circumspiciamus, ne Ecclesiæ pereant, ne religio labascat, ne divinus cultus diminuatur, & ne animabus defunctorum (qui Ecclesiis & sacerdotibus de suo patrimonio benefecerunt) contra ultimas ipsorum voluntates tardius succurratur: quod manifestissimè experti sumus, & indies experimur, ex ineffabili atque à nullo dispensabili quorundam avaritia provenire, qui in beneficiis assequendis nullum finem constituunt: per quorum absentiam (cùm in uno solo personaliter resideant, & distributiones deserviant) divinus cultus diminuitur, ultimæ benefactorum voluntates cassantur, defunctorũ animæ tardiùs ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, Ecclesiæ decrescunt, Ecclesiastica libertas læditur, & monumenta perduntur, hospitalitas & eleemosynæ minorantur, patrimonia parentum & nervi Rerumpub. ex crebris hujusmodi aurorum colligationibus evanescunt: clerici pro doctrina sua & virtute beneficiis digni, suaque prudentia Ecclesiis in temporalibus & spiritualibus utiles, a præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, injustè eis lites moventur, scandala laicis præbentur, ipsorumque odium & murmur in reliquos honestos sacerdotes excitatur atque augetur.

Eas ob res ex officio Cæsareæ Majestatis, ex amore incrementi cultus divini, ex zelo Rerumpubl hortamur &

Pag. 17

requirimus, ne quisquam à modò in una nostrarum nostrique Rom. Imperii civitate, canonicatum aut vicariam possident, in altera ejusdem civitatis Ecclesia aliam præbendam occupet, nisi primam infra spatium anni in personam idoneam ac Ecclesiæ utilem sit dimissurus: neque alium in beneficiis assequendis per injustas lites aut ambages indignè vexet, aut circumveniat, nec quemcunque, qui non sit de numero descriptorum familiarium, juxta concordata Principum & pacta nationis Germanicæ, falsò, familiarem fuisse, fingat, in ordinariorum collatorum præjudicium.

Nec Laicis jus patronatus auferre tentet, nec exiles præbendas, potissimum verò curatas Ecclesias, pensionibus gravet. Nec adipiscendis beneficiis & bullis quacunque fraude, dolo, falsis instrumentis, corruptis testibus, simonia, etiam palliata utatur. Neque regressum aut alia sacris canonibus inimica, contra jus, æquum, honestum, & rectam rationem impetrare præsumat, sub pœna criminis læsæ majestatis, & gravissimæ nostræ offensæ: quam non solùm ipsos, sic contra Deum & honestatem omnem exorbitantes, sed & omnes eorum fautores, auxilium, consilium, hospitium, & mutuum eis dantes, omnesq; nuncios, cursores, sollicitatores, notarios, procuratores, fideiussores, & reliquos amicos incidisse volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & nostri hujusmodi mandati contemtu, pœnam accepturus. Ex Oeniponte.

De eodem.

Hic magnanimus Cæsar cum Augustæ Vindelicorum D. Martinum Lutherum conspiceret, compellavit ipsum, ac demulsis ejus humeris ad circumstantes, Hem proh Deum, inquit, sinite nobis, quæso, hunc monachum mures capere. Hedio. in Ecc. hist.

1511. *Ringmannus Philesius in descript. Europæ, & Guilhelmus Caxtonus in Chron. parte 6.*

Anno millesimo primo, ajunt, septem Imperiales Electores constitutos esse, cum ordinatione quadam in perpetuum duratura: sc: ut deinceps autoritatem omnem à Romana bestia caperet Cæsar. Hac occasione plumas nonnullas amisit Aquila, quæ & tandem relinquetur nuda. Imp. Max. 1. Papa Julio 2. V.S.

1511. *Antonius Rosellus I. V. D.*

Vir prudens iste & bonus, ut quidam historici testantur, doctus certè, ut ejus scripta indicant, scripsit librum titulo Monarchiæ. In eo probat, Papam non esse dominum Mundi, nec posse aut debere Cæsari imperare, nec omnino habere gladium temporalem. Affert quoq; multas rationes, cur Papa non sit superior aliis Episcopis. Imp. Max. 1. PP. Iulio 2. V. S.

Idem. Christus plerumque & multoties non est cum Papa.

1511. *Marquardus Græter, Patricius Biberacensis, Suevus.*

Hic, arreptis Bibliis, acerrimè contra sacrificulos disputavit, & Papam magnū Pfaffum vocavit. Et certe nulla urbs imperialis est, quæ non habuerit, in medio Papatu, viros animose contra illum intra mœnia pugnantes. Pantal. prosop. part. 3. Imp. Max. 1. PP. Iulio 2. V. S.

Iulius 2. PP. Ex annalibus Gallicis. pag. 28

Neque verò prætereunda hoc loco videtur exsecratio, quia Rex Galliæ Ludovicus XII. unà cum Ioanne Navarro Rege, cognato ac populari suo proscriptus est. Nam anno 1511. quo tempore bellum illud inter papam Iulium secundum & Regem Galliæ Ludovicum XII. patriæ suæ parentem appellatum, vehementissime exarserat, ac tyrannus ille furiosus eundem regem brutis suis fulminibus terrere conabatur, ejusq; regnum prædæ ac direptioni exposuerat, regnabat in Navarris Ioannes hujus Henrici 4. proavus. Is cum & in Galliæ regno natus esset, & Galliæ regi propinquus, & propter magna, quę in ipsius regno possidebat feuda, ejusdē cliens ac vasallus, rogatus à rege Ludov. est, pro senioris jure, & clientelarum feudalium institutis, ut sibi adversus hostem suum auxilium adduceret. Navarrus sui erga regem officii non immemor, mature coactis in regno suo peditum equitumq; copiis, tantum in Galliæ fines adduxit exercitum, ut regnum suum viris propè nudatum ac destitutum relinqueret.

Qua re cognita, Papa Iulius confestim cum Hispanorum rege Ferdinando (cui tum primùm catholici cognomentum a. 1492. imposuit) per internuncios agere instituit, ut celeriter copias compararet, Regisque Navarræ absentis ditionem invaderet: pollicetur q; se & Navarrum pro hæretico ac schismatico proscripturum, & ipsius regnū eidem pro præmio addicturum.

Ferdinandus tantam rei gerendæ occasionem nactus, sibi non deesse voluit. Promulgata in Navarrum regem execratione, manus cogit: atq; in vicini regis absentis fines ingressus, primum urbē primariam, nomine Pompeiopolim, cum dein

deinde maximam totius regni partem occupante auctore (ut dictum est) Papa Iulio, bono, & sine ulla dubitatione idoneo: si modò in regula juris, quæ dicitur, eum injustè possidere, qui prætore auctore. scriptum esset, Papa auctore. Imp. Maximiliano 1.

Bellicosus hic Iul. 2. Papa obsidioni Mirandulæ interfuit, & tormenta ipse collocavit, & displosit. Unde Wicelius in Chron. Marti eum, quàm Deo devotiorem fuisse, scribit.

Papales insaniæ.

Anno Christi 1512. Papa Julius 2. bellicosus clericus, 17. Martii ipso S. Paschatis die signa contulit Ravennæ cum exercitu Regis Galliæ: ubi ex utrâque parte acriter dimicatum fuit. Pugna tamen cecidit Pontificis miles, & victoria amissa succubuit. Devoravit acies plurimos [illegible] sedecim millia hominum. Et tum, cùm hoc nuncium deferretur [illegible] Pontificem, sedebat ad quendam caminum ignis, legens in quodam libro precum: audito autem malo, quod fecisset contra se Dominus, indignatus abjecit librum in flammam & blasphemare cœpit solenniter Deum, in hæc verba erumpens: Sis ergo Gallus in omnium Diabolorum nomine, &c.

Quidam dicunt, eum, conjecto in ignē volumine, addidisse: precetur igitur porro Diabolus.

Impiissimus fuit Papa, nihil omnino curans religionem: sæpius ire in castra, & ad milites, & ad milites, ac armamentaria consueverat, quàm ad templa: dixisse [illegible], se librum S. Pauli clausurum, & usurum gladio Petri. Præcipuè delectabatur ganeonibus, & illis, qui crapulæ [illegible] exercitiis dediti erat maximè. De quo vide Poponem de Lapide, Chro. Plat. [illegible]ationis 4. par. & colloq. Luth.

De eodem.

Eodem circiter tempore in quadragesima, Iulius 2. Rom. Pontifex Jubilæi gratiam pro fabrica Basilicæ [illegible] Petri Romæ, in Poloniam destinavit. Ea res initio non successerat: ne verò frustrà tentata esset, Reip. dux & Pontifici una petunia [illegible] partes, seu tertiæ admissæ [illegible] duæ partes integræ in Reipubl. [illegible] contra Tartaros erogtræ [illegible] Fuggari mercatores, summi Pon[illegible] perceperunt, certè in hanc [illegible] summā non modica. At magis [illegible] arces in confini[illegible] pro Reip. Christianæ defensione extruere, quàm peculium Romanum [illegible] & ut divi Petri templum ([illegible] ædificandum forte) di[illegible] Hoc mihi certo [illegible], quæ Reip. [illegible] atque

annis singulis ærarium in eum usum exhauriri. Mercator.

Ioannes Syringus.

Vixit Magdeburgæ doctor Theologiæ, 1511. & summi templi canonicus, & concionator, nomine Jo. Syringus, clarissimi viri D. Joannis Syringi jurisprudentis pater 9.

Docuit amplius 30 annos. Multi testantur, eum crebrò solitum etiam in concionibus dicere: Das der Pfaffen thun nit recht were/sie müste fallen; eorum religionē non esse sinceram, necessariò ruituram: multaq; in eam sententiam sæpè disserere solitum.

Dicitur etiam passim in suis Theologicis libris in margine adscripsisse, ubi aliqua parum vere sententia in textu fuit, hæc verba: sic nunc sentit communiter Ecclesia, sed contrarium ex scriptura probari potest.

Alioquin eum admodùm piè ac religiosè vixisse, multi affirmant. Sed adscribam aliquot ejus dicta. pag. 30

Zum Ersten hat er also pflegen zu sagen zu seinem Bruder Emmerman Schenckh/ wenn er mit ihm redete: Lieber Bruder/ du bist ein rechter Pfaffenfeind/ als ich wol vermercke/ und aus deinen reden wider sie verstanden: Aber das sey dir gesagt: das die Pfaffen (welches ich nicht/ sondern du wol erleben/ und mit der Zeit erfahren wirst) welche jetzt so hoch erhaben/ solchen Anhang an ihnen haben/ und so groß vor der Welt geachtet seind/ so hoch sie jetzt geachtet unnd geehret seyn/ so veracht werden sie/ so hoch sie jetzt geachtet und geehret seyn. Denn Gott muß sie straffen. Wie wann ihr Wesen und Abgötterey (welches doch nicht recht/ sondern ein Teuffelisch und Abgöttisch wesen ist) noch lenger stünde/ und zunehme/ und GOTT seine Macht an ihnen nicht beweise/ und straffete/ und sie weidlich angriffe: so würden sie mit ihrer Abgötterey und falschem Gottesdienst die gantze Welt verführen/ und unter sich bringen. Aber ich weiß fürwar/ und bin deß sicher und gewiß/ sie müssen fallen/ und einen grossen Anstoß erleiden. Darumb/ daß ihr wesen nicht recht/ noch GOtt gefällig ist.

Zum andern/ hat er unter andern auch also gesagt: Es ist ein solches böses und gifftiges Kräutlein umb die Gottesläfferlichen Pfaffen/ das/ wann einer mit etlichen Pfaffen zu thun/ oder zu kriegen hat/ deß Sache schwerlich mit ihm kan vertragen/ und zum guten Ende gebracht werden/ dann sie lassen nicht abvon ihren bösen Tücken und Stücken/ es sey denn/ das man den Pfaffen die Köpffe zuschlage/ und so gantz und gar außrotte/ daß man von ihnen weder zu reden noch zu singen weiß.

Zum dritten/ hat er auch also nicht einmal/ sondern zum offtermal pflegen zu sagen: Lieber Bruder: du sihest alhie/ das

ich damit umbgehe / ein Predigt zu thun / und höre / lieber Bruder / ich lauffe von einem Ort zum andern / auß einem Buch zum andern / so finde ich nichts / denn das an allen Orten vom einem hie / von andern dort / die Warheit eigentlich jämmerlich verfälschet ist worden: Und daß der böse und arge Feind der Teuffel / an allen Orten seinen Dreck auch mit untergemenget und geseet hat: Daß mir so schwer unnd angst darüber wird / das / so ein Mäußlein oder Vögelein in der Stuben ein geraspel oder gekritzel hat (welches ich nicht wol leiden könte) ist mirs schon entfallen / was ich studirt und zusammen gelesen habe: So schwere und so grosse Arbeit kost es auff das man die Göttliche Schrifft recht verstehe / unnd von dem Teuffels Dreck / und Abgötteren / damit sie von vielen verfelschet / und fein außgespicket wird / recht und rein abfege und unterscheide.

Zu dem / hat er auch offt gesagt: wenn der liebe getreue fromme GOtt / keinen aus gnaden erwecken würde / der uns die Heilige Schrifft klar an den Tag gebe / so würde auch keiner mit freyem Hertzen und guten Gewissen eine rechte Predig thun. Derhalben werde er nicht wissen / was recht oder unrecht ist. Aber GOtt wird die Lästerung seines Nahmens nicht leiden / und sein Göttlich Wort an den Tag geben. Hat auch pflegen das Volck zuermahnen / das sie nicht recht daran thun / daß sie einen Heiligen hie / den andern dort für einen GOTT anbeten / welche doch ohne den rechten GOtt / Schöpffer alles daß / so im Himmel und auff Erden lebt und schwebet / nicht ein Augenblick ihr Leben erhalten können / und sollen andern helffen?

Hat auch die Pfaffen mit predigen / lesen / und an allen Orthen sehr hefftig gestrafft: Das ihr thun und Leben nicht recht / und stracks wieder GOtt und sein Gebot sey. Darvon er der Pfaffen ungunst auff sich laden / und sind ihm selbige nicht gut gewesen.

Clarissimus vir D. D. Ioannes Syringus, ejus nepos, morienti affuit, ac diserte affirmat: illum ante integrum quatriduũ, diem & horam mortis suæ prædixisse: quo toto tempore diligenter se promissionibus divinis de gratuita misericordia per Christum, neglectis omnibus humanis meritis & præsidiis, sit consolatus: atque ita tandem cum ter repetito dicto, In manus tuas commendo &c. fidentem Deo, læto ac constanti animo exspirasse. Unde clarissimè apparet, eum cum de aliis tum & de justificationis articulo rectissimè nobiscum sensisse: quin & prophetico spiritu futura prævidisse. Cæs. Imp. Maximiliano 1. PP. Iulio 2 V. S.

Pag. 31. 1531. *Ioannes Multivallis, & Petrum Boaisteau.*

Ravennæ natum monstrum, cornutum capite, & alas, brachia nulla, pedem unum ut avis rapax, oculum in genu, sexũ utrumque, in medio pectore ypsilonis & crucis effigiem, habebat.

Aliqui interpretati sunt, cornua superbiam & ambitionem: alas levitatem, & mentis inconstantiam: carentiam brachiorum, defectum virtutum & bonorum operum, oblivionemque Dei: pedem rapacem rapinam, usuram, & omnimodam insatiabilem avaritiam: oculum in genu solùm ad res terrenas mentis defectionem & apparentiam: utrumque sexum Sodomiam denotare, & propter hæc vitia Italiam sic bellicis contritionibus quati; Regem autem Franciæ non sua virtute id facere, sed solum esse Dei flagellum: Ypsilon verò & crucem signa esse salutis (nam Y figura est virtutis) ideo si ad virtutem recurrant, & ad Christi crucem se convertant, ab his pressuris & tribulationibus respirationem, & pacem, conquassationibus desiderabiliorem esse habituros. Idem Hedio & alii Imp. Max. 1. PP. Iulio 2. V. S.

Petrus Boaisteau, Launæus, & Claudius de Tesserant, Galli. 1512.

Hi scripserunt Historias prodigiosas, ex quibus multæ ad nostrum propositum essent aptissimæ: quæ tamen brevitatis studio omittendæ fuerunt.

Ioann. Keisersberg. 1511.

Argentinæ magna in eximatione apud Cæsarem Maximilianum Ioannes iste floruit. Septimo autem antè anno, quam à Luthero Pontificiæ sordes ab Ecclesia removerentur, qualem ille virum avidissimè semper exspectabat, percupiens eò vita pertingere, uti coram futuram illam Reformationem cerneret, humanis rebus est exemtus.

Hic porrò in flagitia clericorum, quæ tunc passim inveteraverant, acerrimè est invectus, asininam eorum ruditatem, negligentiam atque intolerabilem impietatem sacra detestatione perstringens, sæpenumerò dicendo: quòd, cum olim lignei fuissent calices, ac aurei sacerdotes, hodie aurei calices, lignei sacerdotes in Ecclesia viderentur.

Inprimis autem mirum in modum Monachis infestus erat, & qui inter eos nigræ camisiæ ordinem assumserant, appellare solebat Diabolos: qui vero album induerant cucullum, hos Diaboli matrem esse, dicebat: qui medii tandem coloris erant, & cinericea toga incedebant, istos progeniem illorum superiorum, ac sobolem esse, asserebat, hoc ipso unumquemque bonum sedulo monens, ne filios suos huic pessimæ vitæ mancipe-

& in monasticum habitum conjiciat. Imp. Maximiliano I. PP. Julio 2. V. S.

Idem scripsit libros variis titulis; Scutum fidei, catellum Zeli divini, Calceum [illegible], pecuniam tribulationis, pileum patientiæ, pallium charitatis, colum [illegible]. Baculum imperii, Chirothecas indulgentiarum.

Non malè aliàs sensit de religione: abusus taxavit multis in locis. patres indulgentiis multis utos, dixit. & quare? nam Indulgentias nihil esse, propriis satisfactionibus neglectis, impie agere. Non enim opus esse Romam ire, sed domi suæ pie & benè agere, & alia.

Invehitur autem subinde in suis scriptis, in corruptissimum prælatorum statum: accusat eos, quod sint indocti & inhonesti, sintque causa omnis mali in populo. Dicit, [illegible] pravos successisse prioribus prælatis, qui olim boni & veluti sepes quædam Ecclesiæ fuerint. Quare jam ipsorum culpa prodi & dissipari Ecclesiam. Monachos parum æquos habuit. Arguit & Romanam Ecclesiam erroris, non seguitur. Est quoq; solitus in publicis concionibus hanc quæstionem proponere: Eja, Qui sunt illi homines, qui incedunt rasi, sicut moriones: tecta facie, sicut infames: & sunt vincti, sicut [illegible]? & postea nos ipsi subjicere: Sunt monachi [illegible], nudi pedes. Imposuit [illegible] damnationem Velani, [illegible] invidia monachorum damnatum. Habeo plura alia utilia dicta & scripta hujus viri, sed omittenda fuerunt.

pag. 32.

D. Andreas Proles, Augustinianorum provincialis.

Henningus monachus Augustinianus, [illegible] de D. Andrea Prole [illegible] Me [illegible], erat Prior [illegible] D. Andreas. Proles Lipsensis, vir doctus & magni animi, bonumque pro Christiano populo zelum habens. Ab ipso sæpe [illegible] inter prælegendum, hæc verba:

Auditis, fratres, testimonium Scripturæ [illegible], quod gratia sumus [illegible] quicquid sumus: & ejus gratia habemus quicquid habemus. Unde igitur tantæ tenebræ, & horrendæ superstitiones? O fratres, [illegible] Christiana opus habet forti & magna reformatione, quam quidem jam prope instare video.

Quærentibus fratribus, quare ipse non inciperet reformationem, ac erroribus [illegible] se opponeret? respondebat: Videbis, fratres, quod sim ætate grandævum, corporis viribus debilem: & agnosco, me non [illegible] tanta doctrina, industria & eloquentia, quantam hæc res postulat: sed excitabit Dominus heroem, [illegible], industria, & eloquentia [illegible], qui reformationem incipiet, erroribusque sese opponet: ei Deus animum dabit, ut Magnatibus contradicere ausit: & ipsius ministerium salutare, Dei beneficio, comperietis.

Solitus est etiam sæpe dicere inter prælegendum: Regnum Papæ magnam minatur ruinam, quia nimis alte & nimis cito crevit. Hæc testatur prædictus frater Henningus, se sæpe ex ore D. Andreæ Prolis audivisse. Hunc ipsum D. Prolem, jam decrepitum, vidit & audivit D. Martinus Lutherus, admodum tamen juvenis, Magdeburgæ.

Testatur & sequentia Henningus, vocatum esse prædictum D. Prolem paulo ante mortem ad synodum quandam, utpote jam provincialem, cujus locum ac nomen ipse ignorat. quidam suspicantur, esse eam, quæ primo fuit Pisis indicta, post Mediolani acta, & demum in Laterano [illegible] absoluta. Ibi cum ageretur de indicendo [illegible] quodam novo festo, omnesque id probarent, solus ille D. Proles contradixit, & usque in finem contradicturum se, affirmavit: quod populus Christianus sanguine Christi liberatus, alioqui nimium esset traditionibus [illegible]. Tentavit Papa una cum concilii patribus, [illegible] adulatoribus, Prolem a sententia sua deducere, & ut revocaret, persuadere: [illegible]. Quare Papa eum excommunicavit.

Proles, contemta excommunicatione, ad suos confugit. In hac fuga, ut ipsemet postea narravit, est solitus, persuasus a comite, emere arcum [illegible]: quem, cum dies [illegible] aliquot gestasset, tandem secum cogitans, causam [illegible] non suam, sed Dei esse, quæ nec opprimi potius mundi armis, nec defendi possit, quantò minus à decrepito & debili sene: arcum unà cum pharetra ex curru in itinere projecit, seq; Domino commendavit.

Affirmavit quoque, sæpe in eo itinere in maximis fuisse periculis, quòd ei Papa insidiatores subornarat: ex quibus, si non fuisset divinitus protectus, nequaquam evadere potuisset.

Demum reversus, narravit fratribus omnia ordine, qui pietate & gravitate viri moti, cœperunt primùm contemnere excommunicationem: ac fuit anno integro in excommunicatione: quo tempore etiam gravius, quàm antea, errores ac superstitiones Papæ reprehendit.

Verùm tam multum tandem actum ac laboratum est ab Archiepiscopo Magdeburgensi Ernesto, Duce Saxoniæ (qui cum eo, quòd in suo Episcopatu ageret Proles, tum quòd Lipsiæ erat natus, de eo homine & causa erat solicitus) ut tandem Proles à Papa absolveretur: sed ea conditione ut ipsemet accepto salvo conductu, ut vocant, adiret Papam. Profectus

rentis, innumerabiles jacturas fecit, & nisi esset servata divinitus, eo miseriæ & calamitatis prolapsa fuisset, ut frustra nunc, Pater sanctissime, Leo decime, & vos Ecclesiæ Cardines, & Antistites, conventum haberetis, ut in meliorem statum redigi quiret.

Optabam certè, ut ex doctissimorum hominum numero aliquis hanc sibi provinciam desumsisset, ut majorem & authoritatem, & potestatem in audientium animis habitura esset oratio. sed nuda fortassis veritas, puraque simplicitas viribus non carebit.

De luxu, de libidine, de avaritia vitanda, positas esse leges ab antiquis Patribus, nemo est, qui nesciat. De pietate, de justitia, cæterisque virtutibus traditas esse normas, vel mediocriter novere, eas partim negligi, partim jacere, plus etiam quàm volumus, experimur.

Multi nostræ Principes Reipublicæ priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam, liberalitatem & parsimoniam in luxum & avaritiam convertere.

Apud plerosque religionis nostræ promotores, ad quorum exemplum componere atque formare plebs ignara debuisset, aut nullos, aut certè exiguus Dei cultus, nulla benè vivendi ratio atque instituto, nullus pudor, nulla modestia: justitia vel in odium, vel in gratiam declinarit: pietas in superstitionem pene procubuit, palamque omnibus in hominum ordinibus tractatur sic, ut sæpenumero virtus in obscuris vitio vertatur, vitia loco virtutum honorari soleant ab his, qui flagitiorum criminum quasi sepes, & tanquam mœnia, & [illegible] [illegible] [illegible] impunitatem esse, putaverint.

Hi tibi morbi, hæc tibi vulnera sananda sunt, Maxime Pontifex: alioqui si mederi (quoniam id ad te multis de causis potissimùm spectat) recusaveris: vereor, ne non fomentis jam, sed igne ferroque, is cujus vices geris in terris, membra ipsa infecta dissecet, atque disperdat: signa jam dedisse illum ejus futuræ medicinæ, planè crediderim. An puellæ Deo dicatæ, in Brixiana direptione à religiosissimis abstractæ templis, cesserunt militibus loco prædæ? An in Ravennati excidio sacerdotes trucidati? An in Pratensi clade sanctimonia olim celebratæ Virgines prostitutæ? Quid aliud, Pater sanctissime, quidnam aliud nobis intelligendum dedere, quàm sacras ædes & templia [illegible] commissa, quàm [illegible] optimi pastoris ovilia demandata, quæ dicata Virginibus olim fuerant, ipsaque in urbibus in meretricea lustra, & obscœna lucubria fuisse conversa?

Sed initia illa malorum, & prægustationes, vereor, propinandæ nobis à perfidis nostræ religionis desertoribus potionis amaræ, & luctuosæ, ni bonis eam moribus avertamus, ni precibus & supplicationibus, non ex summis labris, sed intimis ex animi penetralibus, iratum placemus Deum, cujus ad hæc monita, & tanquam cœlestia tonitrua non aures modò arrigere visi non sumus, ut resipiscamus: sed deprimere visi sumus tanquam Æthiopes ad prolabentis Nili strepitum obsurdescere, prava consuetudine [illegible], ut audiamus suadentibus vitiis, obaudiamus monenti Deo optimo, maximo, sapientissimo, qui se contemni [illegible] nostro seculo nolle, satis, [illegible] signis atque portentis [illegible], pestilentia, fame, cruentissimis paulò antè præliis.

Quid enim aliud? aut si quid aliud, certè hoc tamen nostris [illegible] recentibus plane non tot per tot ex [illegible] hominum millia, quorum cadaveribus & [illegible] tempora & [illegible] [illegible], omnique cruore superum [illegible] [illegible] si quoddam purpura infectum [illegible] memoriam subeat, innumera in nos collato beneficia, nobis non debere esse ludibrio: scilicet, Christus ille servator humani generis tantum sanguinis effuderit, ut qui eo sanguine non redivivi solùm facti, sed ditati etiam sunt, deliciantur in plumis? Quid plurimarum faci mentionem, & scortorum prætereli catervas, & greges exoletorum, & cocinia & diviod ta [illegible]?

Sperare poteram, Pater sanctissime, postquam ad summum sacerdotii culmen evectus es, non malis artibus, non pecuniis, ut plerique olim, pactionibus & ceremoniis, qui per [illegible] decades summum decus appetivere, (ut ita mihi, ita non parum multis visum) gratissima humanitate fore aliquando, uti meliorem in statum reformaretur Christiana Respublica: sed nec omninò desperarim, si adniti volueris, & tuæ isti humanitati, lenitati, facilitati, aliquid supercilii, aliquid rigoris, nonnihil pœnarum admiscere.

Danda est opera, Maxime Pontifex, ne quid detrimenti nostra Respublica patiatur. Bellum enim tibi cum multis, bellum inquam intestinum, periculosum, grave, quod avertendum est severitate disciplinæ. Luxum cohibe cujuscunque ordinis: modum pone ambitioni, compesce indomitos & effrenatos libidinis [illegible] furores [illegible] sacerdotum (quod & legibus Ecclesiæ cautum est) contubernio frena constitue: aviditati, & scelerata habendi cupiditati terminum præfige.

Non concredita & commendata fidei sacerdotum, sed commessa veriùs ab illis & devorata piorum virorum patrimonia vindica, & effice, ut in bonos dispertiantur usus: ne ampliùs ab impuris helluonibus, ab omnium scelerum gurgitibus absorbeantur. Qui auctionibus sacrorum, pudendisque licitationibus invigilaverint, dent pœnas temerariæ mercaturæ. Qui non prospexerint commisso gregi, qui vanitati studuerint innumeræ, superstitionibus, commessationibus, pudendis exercitiis, & familiaribus oblectati, vel corrigantur omninò, vel amoveantur à sacris: quandoquidem omnia fœdant exemplo, & pravæ consuetudine vitæ eos, qui benè morati & egregiè instituti sunt, planè corrumpunt: ut hinc non plebis modò, sed omnis ordinis fiat lapsus in crimina.

Nec sanè mirum, quando, malum omne prodire de templo, Ioannes Chrysostomus censet. & Hieronymus scribit: se invenisse neminem, qui seduxerit populos, præterquam sacerdotes, quos quidem si probè institueris volentes, vel nolentes edùxeris, universo Christiano orbi, ad benè de omni reformatione sperandum, quasi signum aliquod sustulisse videbere.

Potes, summe Pontifex, nec in terris alius potest: & cùm possis, debes: & cùm debes, nisi volueris, & curaveris, ut fiat, quid sit periculi, ex probatissimis iisdemque divinis exemplis animadverte.

Succurrat, quæso, tibi vetustus ille sacerdos, in quem filiorum non vindicata scelera magna ex parte reciderunt. Etenim, qui præsunt aliis, non modò est opus, ut sint innocentes ipsi, sed ut & resistant nocentibus, eorumque mala facinora compescant.

Et tum quidem ex Lebete carnes tridenti infixa subtrahebantur ab illis: quod peccatum sacra Regum testatur historia nimis grande fuisse, quia homines à Dei sacrificio retraheret: nunc autem malorum caterva exemplorum plebs ignara, & à divino cultu, & ab omni pietate deterretur.

Illi cum mulieribus ex tempestate dormiebant ad ostium tabernaculi, nostra verò & in sacras ædes fit irruptio, & ab illis etiam (proh pudor) fœminæ abiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorii pueri à parentibus commodantur, & condemnantur iis, qui ab omni corporis, etiam concessa, voluptate sese
pag 35. immaculatos custodire deberent: hi postea ad sacerdotiorum gradus promoventur, ætatis flore transacto, jam exoleti.

Non igitur miremur, si palàm, & falsò, utrumque se nosse sacrarum literarum instrumentum, profiteantur: qui nunquam, quid eius nomen significat, [illegible] novère. Ac memini, puerum quendam in episcopi locum ascitum, quoniam literas penitus ignorabat, per iocum, cùm rogaretur, an magnos fecisset progressus in disciplinis, respondisse ing[illegible] nondum se didicisse exordium eius orationis, quam de more sacerdotes præfari solent, divina facturi.

Novi &, qui annuas sacerdotii pecunias, commendatas eorum fidei, spurcissimis voluptatibus & impendant, [illegible] impendisse glorientur. Hæc tu mod[illegible] LEO Decime, tolerabis? Hæc & videbis, & patiens, inquam, ut ignari literarum, ut ad omnia magis apti, quàm ad tractanda sacra, per ignominiam & contumeliam abutantur divinis: & opes ad templa vel tuenda, vel instauranda paratas, ad sublevandam pauperum miseriam, à piis hominibus, qui jam vita sunt functi, destinatas, in alienos & profanos usus convertant?

Scribit Hieronymus, eos, qui rebus Ecclesiæ abutuntur, similes scribarum esse, & pharisæorum, & sacerdotum, Christi servatoris sanguinem mendacio redimentium.

Equidem nec Dionysii mysticam Theologiam, & divinorum dogmata nominum, neque subtilitates hypostaseon, notionum, originum, & cæterarum disceptationum, quæ in Lutetia Parisiorum exagitatæ ad nos manârunt, ab omnibus exquiro sacerdotibus: si se tamen dedecerent sacris literis, & præcellentium nostræ religionis Antistitum doctrinis navarent operam, multa sanè commoda ad benè beatèque vivendum consequi possent, non eò solùm, quòd multa docerent, & pro se magna, & ipsis nullis: sed quoniam eiusmodi studiis præstaretur, uti facilius illecebris sensuum nocentium renitterent, cùm honestissimo in officio occupati, tum ab ipsis studiis admoniti, ad meliorem vitam nos esse natos & hanc, quam vivimus, plenam esse ignorationis, tenebris, & sensum si humana solùm placita sectari volumus: plenam ærumnarum, plenam calamitatum, si humanis fidere votis velimus: cuius etiam vitæ incommodis, & tanquam stimulis invitamur, ut ad eam, quæ futura est, libentiùs properemus.

Quis, quæso, mente paulùm vegetiore non advertat, prima hac in vita magis ad dolorem homines, quàm ad voluptatem natos? Tanto enim spatio nunquam aut bibere, aut commedere, aut vacare proli quisquam potuit: quanto aut sitiunt febrientes, aut mendici & tabidi esuriunt, aut rei criminum torquentur. Id etiam emolumenti nancisci facilè

pellit

possent, ut frenarent ambitionem, malorum omnium matrem atque nutricem: quandoquidem omnia, quæ magna corporeis, & humanis tantùm intuentibus oculis apparent, exigua videntur oculis spiritualibus, & æterna contemplantibus. Idque ipsum jure optimo, quandoquidem terræ moles collata cœlo, instar est puncti, raris habitata locis, sterili arena, noxiis serpentibus, sitique deserta, vastis invia paludibus, altissimis intersecta montibus, profundissimis interpolata fluctibus.

In hac exigua naturæ portione tumultuatur genus humanum, brevis & incertæ vitæ, etiam si diuturna, si longissima, si stabili nixa fundamento videatur. Quid enim diuturnum mortalibus? si æternitati futuræ, & immortalis vitæ [illegible] ipsum conferatur. Quid certum & stabile in homine, in quo nutant omnia? in quo, ut externas taceam & circumjacentes molestiarum moles, ipse conflictus pugnantium inter se qualitatum corporei temperamenti, bellum intestinum illi ipsi ciet identidem, & confecto bello minatur excidium.

Adde tenebras, quibus humana mens sibi relicta circumfunditur, unde & variarum opinionum prælia cooriuntur & votorum sibi succedentium, subindeq; fluctuantium æstus planè continui. Adde impetus hostiles, dolos, fraudes, injurias. Adde & superiorum mentium & insultus & astus: ut verissimum sit illud elogium: Vita hominis militia super terram. Militia dubio procul: sed qua & victoriam, & coronam, & regnum nobis in cœlo comparare possimus ejusmodi, ut ne animo capere, nec concupiscere votis planè queamus: quando & animi & corporis felicitas, quæ illic reposita Dei amicis ejusque legis custodibus post hujus vitæ cursum asservatur, omninò superet captum humanæ mentis, nec, nisi Deo docente, hominibus pateat: nihilq; ei omninò sint, si ei conferantur felicitates, quas vanæ vetustatis illustratores, poetæ atque Philosophi commenti sunt de fortunatis insulis, de fluminibus nectareis, de via lactea, de reditu ad compares stellas, & cæteris, quæ ad veritatem hallucinantes suis lucubrationibus inseruere.

Hæc illi, & similia de sacro literarum ocio nancti facilè possent: sed ea non ab omnibus exigo, quæ sacerdotibus: at ne literas omninò ignorent, ne salis [illegible] notam gerant. [illegible] quæ ad eorum pertinent officium [illegible] exposco, hoc exigo, & ni [illegible] planè desidero. Inprimis autem & [illegible] innocentiam, & morum disciplinam, non exactissimam illam quidem [illegible] summam, sed mediorem.

Non peto, ut instar Hieronymi saxo pectus identidem verberent: sed nec, ut meretricum pectora baccatis monilibus, nec crepidas hydaspeis gemmis exornent. pag. 36

Neque etiam postulaverim, ut Hilarionis inediæ assuescant, sed ne Sybaritarum cœnas aut æmulentur, aut superent.

Minùs etiam efflagitaverim, ut in spinis & nive volutentur, more Francisci & Benedicti: sed cum mollem Cycnorum plumam ingenti pecuniis mercantur, aut redimendis captivis, aut virginibus nuptui tradendis jure optimo dedicata, id planè damnaverim. Mediocritatem suadeo, præcellentiam illam virtutum, quam demirari faciliùs, quàm imitari plurimi possunt, si sequi etiam maluerint, & laudabo & prædicabo.

Sed neque ita rem ad vivum reseco, ut, cum eos & largos & faciles esse ad tribuendum moneo, ita moneam, ut velim, eos omnino imitari egregium illud Martini, & celebratissimum facinus scindendæ vestis, uti mendicus, & frigore tremebundus pauper amiciretur: verum eos, quibus abundant acervi pecuniarum monitos velim, Martini exemplo, nudis vestes tribuendas potiùs, quàm coccineis atque purpureis pannis cooperienda jumenta.

Neque item exigo, in sacrarum sumtibus ædium censum ut omnem dispertiant, æmulenturq; aut Sibyllina Cumis olim extructa delubra, aut Simandii & Artemisiæ prærruptas murorum moles & minas, aut Salomoniana templa, aut etiam nostræ tempestatis Iulia ædificia: sed libenter postulaverim, ne sinant corruere, quæ ab illis exstructa sunt, templa, à quibus ipsi opes tantas nacti sunt, ut multo auro dicantur Salmacidas noctes coemere: postulaverim, ne sacella à priscis olim frequentata patribus, permittant histricum latibula constitui, fœdeque adeo haberi & negligenter, ut sit sæpe numero videre, ferarum lustra equorumque præsepia & mundiùs & honestiùs asservari: cùm nihilominus ipsorum cubicula interim auro splendeant, & substrata etiam purpura longè preciosissima sint: mensarum verò & coquinarum instrumenta opere cælato refulgeant.

His incommodis cum aliarum beneficio sanctionum, tum illius maximè custodia legis consuleres, Maxime Pontifex, qua sanctissime cavetur, ne multa ab uno sacerdotia, quibus annexa sit animarum cura possideantur. Dispensatio, ita solet appellari, efficit, ut jam non multa, non plura, sed innumera teneant multi, qui ne Diaconi quidem mererentur officio defungi: ad ejusmodi rem dis-

dissipationem non ego, sed Bernardus tot antea seculis appellavit.

Opponete huic petulantiæ, Pater beatissime, & unum hoc inter alia negocium & munus egregie suscipe, ut, qui luxu diffluunt, qui ambitione deferuent, qui vel coëmtis vel ejusmodi dissipationibus paratis sacerdotiis lasciviunt, qui leges denique ritè positas non observant, sentiant tuæ vim justitiæ, atque intrepidæ virtutis, ut, etsi aliqua culpa teneantur erroris humani, ab ejusmodi tamen scelerum immanitate liberentur. Liceat bonis & modestis vivere, quibus nec ociosis in communi ocio jam licet esse, illis ipsis omnia arripientibus, & servitutem indicentibus maximam his, qui eorum indigent opera, ad famem tolerandam.

Hoc si non egeris, Antistitum summe, si malis hominibus frena laxaveris, si jamdiu multumque laxata non cohibueris, vereor, ne te Pontifice decidat eò nostra Respub. ut dici non falso possit, à libidine pudorem: ab audacia timorem: ab amentia rationem penitus esse devictam: & intestinum à nostræ religionis hostibus ante audias geri, quam parari.

Si egeris, & utilitatem omnibus, & tibi etiam gloriam, non hanc solum momentaneam & caducam, quæ parvi temporis angustiis coërcetur, sed & stabilem & perpetuam, non in terris modo, sed in cœlesti sede comparabis: & non modo timendum tibi ab exteris non erit: sed intrepide sperandum, venturos nostræ religionis hostes ad nostræ fidei disciplinam, bonis exemplis facilius, quam vi & armis invitatos.

Redactum olim ad nostræ pietatis instituta terrarum orbem per Apostolos efficacius sanctissimis eorum vitæ moribus, quam non modo Constantini Cæsaris legibus, prœliis, atque triumphis, sed etiam peractis ipso Apostolorum ministerio supra vim naturæ miraculis, præclarissimi nostræ fidei assertores judicavere. Et quis rogo nobis assentiretur bonos mores suadentibus, si pravis ipsis abuteremur? Quis religioni, quam colimus, initiari per nos cuperet, quos videret, quod ore asserimus, factis pernegare? Præstat itaque in reducendis hostibus & desertoribus ad nostræ fidei pietatem, ut collapsos mores ad normam priscæ virtutis instauremus: quam, quod multi ambiunt, ut classe petamus Euxinum, & exposito in continentem milite, concussaque maximis confectis prœliis Colchica Trapezunte, cruentata vexilla inferamus Armeniæ.

Eia igitur, Pater sanctissime, & naturæ lege non scripta, sed nata, & revelata divinitus disciplina, & majorum tuorum sanctionibus atque decretis, & utilitate simul & gloria excitatus, indue sanctissimum in desertores & impios, saluberrimumque furorem: quo discant pœnarum agere formidine, quod virtutis amore deberent.

Moses, ille legislator quanquam mitissimus, terrifica tamen percitus est ira, cum posthaberi Deum agnovit, & severam in desertores pœnam exercuit.

Deus & homo Christus Iesus, omnium virtutum exemplar, irrogatas in se contumelias patientissime tulit: non tulit paterni honoris notam, cum sacrilegos venditores emtoresque ex templo expulit, & flagello discussit. Et ille quidem vituli unius aurei cultores maxima est cæde persecutus: & hic columbas venales & turtures à templo voluit ejectas.

Tu vero earum cultores vitularum, pag. 57
quæ maximo numero in urbe non stabulantur modo, sed dominantur, & auro, purpura, margaritis, more regio, incedunt ornatæ, ut ad earum aspectum, nedum congressum, plurimi & obbrutescant, & pereant, exilio saltem, & honorum omnium mulcta non compesces? Tu sacras ædes sceleribus omnifariam prophanari, & in eis tot monstra Circea grunnire, permiseris? Tot Sirenes, & verius tot Sirenum millia, patieris, naviculæ tibi divinitus commissæ, quantum in ipsis est, procurare naufragium? Tu Dei Opt. Max. templorum, Tu Christi sanguinis mercatum sustinueris? cujus supremum sacerdotium nullis mercimoniis es consecutus.

Si clemens videris Pontifex, id pietati facile adscribetur: si nimis placidus, naturæ tuæ consuetudini & corporis temperamento. Sed si posthaberi Deum ejusque legem patieris, & immania scelera passim & nullâ prorsus verecundiâ peragi: nullus erit tam injustus rerum æstimator, qui vereatur id tribuere vel malitiæ, vel negligentiæ.

Quapropter, si attendere diligenter & æstimare hac omni de re, de qua disseruimus, volueris, Pater sanctissime, sic, ni fallor, plane constitues, ut leges jam rite positæ, pœnæ saltem formidine custodiantur, dabisque operam exemplo non solum & innocentia vitæ, sed animadversionis in alios, ne, quicquid collibitum fuerit, impune fecisse audeant improbi: atque ita & tibi simul & omnibus consules, & collabentem jam ac prope intermorituram Christianam Rempublicam ab interitu vindicabis.

Hoc omnis ordo, hoc consensio bonorum omnium exposcit & obsecrat. Quæ ubi per te sacra fuerint, ubi pestiferæ vitæ monstra vel edomueris, vel extinxeris, ne postea repullulent, adhibenda erit legum cautio, & severior aliquantò disciplina.

Non

Non in vestibus modo & sumptibus, sed in studiis sacræ literæ utriusque instrumenti recognoscendæ, & cum antiquis & castigatis primæ originis exemplaribus conferendæ, ut ab erratis, quæ vitio temporum & librariorum incuria in illas irrepserunt, omninò purgentur, solennes ceremoniæ, de quibus olim fuere quæpiam difficultates, prioribus oblatæ synodis, statuendæ firmandæque sunt: quotidianæ in statum & probatum ordinatum ordinem: & veræ historiæ ab apocryphis nugis segregandæ: præscribenda principibus viris officia: ut scelerata illa & nostræ Reipub. deletrix opinio, licere quæ placeant, & à vulgi animis omninò amoveatur, & penitus exulet. Sit inter ipsos principes pax & discordiarum finis, ut à diuturnis dissensionibus aliquando quiescamus: daturi operam eis officiis, quæ mortales evehunt ad immortalem vitam, & excedentem animantium omnium vota felicitatem Imp. Max. 1, Papa Leone 10.

Ejusdem in duos libros de injustâ excommunicatione, pro Hieronymi Savanarolæ innocentia, ad illustrem virum Herculem Æstensem, Proœmium.

Opusculum de injustâ excommunicationis sententiâ, in Hieronymi prophetæ nostri defensionem, ut tibi, Hercules Æstensis, datam fidem veluti ex diario reluam, jam aggredior.

Efflagitasti enim, dum hac de re simul verba faceremus, ut, quæ coram pro tutanda illius innocentia adversus calumniatores attuleram, literis aliquanto latius exararem: promisi (quod nunc exsolvo) me facturum, & quidem tam libenter, quam videbam, me unicâ operâ & tibi, nec non prophetæ nostro, ac veritati ipsi debitam rem facturum: illi, ne commentitium & subdole fictum crimen tot prælatissima eius gesta ad tempus aliquod obnubilaret, lucidissimæ quoque veritati tenebras fortasse allaturum tibi, ne falsa hac impostura atque præstigio forsitan movereris. Sed & alia causa se his immiscebat, quando ansula hæc duntaxat, solaque garriendi occasio relicta, videbatur malevolis, benè sibi actum putantibus, si fautoribus divini viri obtrectari possent, defendi ab eis hominem, qui esset ab Ecclesiæ corpore, ceu marcidum & noxium membrum, anathematis ex acie resecatum: nāmq; rationes eæ, quæ Prophetias jam publicatas doctrinamq; fulcirent, ab ipsomet allatæ, magna ex parte maledicorum rabiem compescuerant.

In eandem quoque sententiam cum Dominicus Benivenius, tum alii plerique scripserant, modo verum astruentes, modo falso resistentes: quod etiam a nobis & sparsim per lucubratiunculas nostras, & dicatis etiam apologeticis, factitatum est. Quare post hujus calumniæ dilutionem nihil putabā residui, quod blatterarent, etsi dementibus delirandi materia nunquam desit.

Duos igitur libros institui: Primo generalia quædam explicabuntur, quorum ope tam multifarie, quàm facile pro defendendo ipso sumus muniti: Secundo dehinc sumus declaraturi, eum neque culpæ neque crimini confinem.

Et sane potuissem, hoc officii exequens, ingens volumen efficere: cum adeò multa ab iis, qui de hujuscemodi negotiis tractavere, præsertim pontificii juris Interpretibus, effusa sint, tantaque diversitate & contentione, ut ne legi quidem ab otiosissimis possint, nedum narrari ab occupatissimis. Delibaui, quæ mihi maturiora sunt visa, eorum more in commentando posthabito: & à crebris illis allegationibus, quæ tædium & motam lectori plerunque afferunt, consulto ratus, commodius & optabilius tibi satisfactum iri, si, quæ ipsi subobscure & peculiaribus quibusdam notis, idem sæpius repetentes, innuunt, & facile & latine, aut saltem minus barbare, quoad fieri hac in re a me potuerit, recenserem.

Eam autem præfari veniam non tibi, qui nos apprime novisti, sed apud ignotos, si nostra hæc forte lecturi sunt, convenit: nihil me unquam voluisse assertum, nec in posterum velle, quod Ecclesiæ Catholicæ dogmatis dissonaret, cum, cujusvis recte definientis decreto semper acquieturum me, ut Christianum hominem decet, libere profitear, nedum sanctionibus Ecclesiæ & eius legitimorum præsidum assentiri. pag. 38.

Rationibus igitur rem agemus, nitentes divinis eloquiis, ac Pontificiis Imperatoriisque legibus, necnon eorum interpretes, atque inprimis Theologos, in testimonium citantes.



LIBER

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Nullum esse in terris judicium, quod errare quandoque non possit.

ILlud autem commonuisse in primis expediet, solum DEVM, qui à seipso est, omninoque independens, ab omni errore & falsitate prorsus immunem: ab eoque, utpote primaria veritate & suprema regula, quarumlibet functionum universam substantiam interdum deflectere & labi, nisi eius ope fulta & directa fuerit.

Hominis namque naturam ab adolescentia pronam ad malum, cum sacræ literæ docent, tum frequens testatur experientia: sed & inter separatas mentes, quas vocamus angelos, error olim peccatumque irrepsit, & ad infernas mundi partes eorum non parvam manum præcipitem jecit.

Et quanquam præter virginem Christi matrem, quæ nullum unquam peccatum fecit, mortalium nonnulli à peccatis eis, quæ æterno igne puniuntur, divino beneficio exemti fuerint: non adeo tamē confirmati erant, quin quoquo modo posse à vero excidere, censerentur. Sed per paucorum etiamnum hoc privilegium: illi namque innumeri, qui latâ viâ gradientes triplici offendiculo cespitant, tametsi beneficentissimi Dei assiduæ gratiæ influentia resipiscere commoneantur.

Verum, cum Ecclesiam uti sponsam sibi Christus copulaverit, ob continuas Dæmonum insidias & aperta bella, quibus, dum militat in terris, assidue quatitur: decuit, ut ei judicium relinqueret, quo aut deciperet aut decipi non posset in eis maxime decernendis, quæ & fidei substantiam concernerent, & ad mores pertinerent. Christianis ad beatitudinem adipiscendam necessarios: eam namque sibi in fide & justitia æternum desponsandam, Hoseæ Prophetæ Vaticinio sanxit.

Merito igitur statuerunt Theologi, & legum Iurisque periti, ipsam universalem Ecclesiam, cum de hujusmodi causis agitur, non nisi æquam sententiam ferre posse, Christo opem ferente: qui & pro eius fide oravit: &, cum ea ad consumationem usque seculi se permansurum, spopondit: quod irritum foret, nisi in judicium condonasset, quo repudiata falsitate, veritas eligeretur.

At animadversione dignum, locutos nos duntaxat de fidei substantia, & moribus ad salutem consequendā necessariis: atqui id non abs re aut de nihilo dictum, siquidem eam in reliquis errare aliquando, sententia doctorum est, atque ipsiusmet Ecclesiæ consensus, ut ex epistola Innocentii tertii ejus nominis Pontificis manifeste indicatur, quæ postea à Gregorio nono inter decretales relata est, libro videlicet quinto, ubi de sententia excommunicationis agitur. Ita namque scriptum legimus:

Iudicium, Dei veritati, quæ non fallit neque fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli: quod liquido constare videmus, dum, vi excommunicationis, interdum quempiam cum aliqua fœmina thori inire consortia jubet, qui nihilominus vero apud Deum matrimonio alteri erit astrictus, utpote cum secunda nuptiali lege palam conjunctus, cum prima clam, omnibusque semotis arbitris, perpetuoque Ecclesiæ sanctionibus compelletur hærere secundæ: de cujus commercio idoneis testibus apparebit.

Mitto quæ multi Doctorum super huiuscemodi judiciis elucubraverunt: ne superflue nimis & ambitiose factum à nobis judices, in re admodum nota verba prodigere. Porro ex his consequens fiet, reliqua & conciliorum & Pontificis judicia errori ignorantiæque subjecta: quando universalis Ecclesia à decipulis ejusmodi exemta est.

Hinc plerique cum Theologorum, tum Iuris Interpretum asseverantissime voluerunt, Pontificem conciliumque in dirimendis controversiis hallucinari posse, pro vero falsum pronunciantes, præterque rationes afferunt exempla: quandoquidem & Ariminense, & Ephesinum secundum, & Aquisgranense, aliaque nonnulla aberraverunt. Et summorum Pontificum alius Arrianæ pravitati subscripsit: alius aliter devia sectatus est: quanquam sunt qui velint, tam Pontifices summos, quam concilia legitime congregata vero semper niti, in iis dijudicandis, in quibus universalem Ecclesiam falli posse negavimus.

Sed hæc à suscepta disputatione sequestrabimus: tum quia propositæ quæstionis limites prætergrederemur: cum quod & ab aliis multifariam, & à nobis etiam nonnihil in theorematis nostris de necessitate & ordine credendi, sunt pertractata pag. 37

tractata. Hoc nobis sit satis, in dubio apud literatos haberi, Nullum est in terris judicium, quod errare, labi, decipi non possit: ut magna ex parte allusisse veritati Thebanum Cebetem cogitemus, fingentem, à muliere illa, cui nomen Apaten, id est, fraudem esse voluit, mortales omnes seductos, atque errore & ignorantia potatos.

CAPUT II.

Multis modis contingere, ut excommunicationis sententia ab Ecclesiæ Prælatis inflicta, irrita & inefficax reddatur.

Ex his facilè colligi datur, eos, qui Ecclesiæ præsunt, in absolvendis puniendisque subditis multifariam posse delinquere. Fit enim plerumque, (quod à Gregorio homilia 15. prolatum est, & à Gratiano in decretis repetitum) ut judicis locum teneat, cujus ad locum vita minimè concordet: ac sæpè agitur, ut vel damnet immeritos, vel ipse alios ligatus solvat, & sæpè in ligandis subditis atque solvendis, suæ voluntatis motus, non autem causarum merita, sequatur: atq; ob id ligandi, solvendique potestate se privet, mortificando animas, quæ non moriuntur, & vivificando, quæ non vivunt, quod à Michea legimus exprobratum.

Perpetuò pontificio jure decretum invenimus, multis modis contingere, pœnas, quæ à Prælatis infliguntur, inanes esse, ipsamque excommunicationis sententiam, qua nulla in Ecclesia major, irritam & inefficacem reddi. Namque in Decretorum volumine causa 24. & quæst. 1. Alexandrum ejus nominis secundum pontificem Valeriano episcopo & martyri scripsisse, legimus, ab eo, qui aut hæreticus, aut excommunicatus fuerit, excommunicationis sententiam nequicquam in alium irrogari.

Et libro primo epistolarum decretalium, titulo de consuetudine, extat Innocentii Pontificis ejus nominis quarti sanctio: qua edicitur, sententiam, quæ à judice non suo lata fuerit, Nullam obtinere firmitatem.

Decrevit quoque Gregorius ejus nominis nonus, archiepiscopo Bracharensi scribens, irritas esse & inanes eas excommunicationis sententias, quæ à judice violatore interdicti proruperant: ut est videre in libro eius operis quinto, titulo de Prælatorum excessibus. Vbi etianum Clemens tertius decernit, eas non tenere sententias, quæ promulgatæ fuerint in subditos ob denegatam Prælatis procurationis exactionem, cum Ecclesias visitant, si numerum personarum in Lateranensi concilio constitutum excesserint,

Eodem libro, titulo de privilegiis Innocentius tertius episcopum Lingonensem monet, excommunicationis sententiam in aliquem contra sui privilegii tenorem nequaquam promulgandam. Ibidem & Honorius, severitate debita eos, & Episcopos & Archiepiscopos, castigandos, pronunciat: qui ejusmodi sententias in fraudem privilegiorum ferunt.

Cæterùm Gregorius nonus, quem dudum citavimus, diffinit vacuam & inanem excommunicationem, quam efful-minaveritis, quem constet in exequendo officio limites ejus, quod in mandatis à superiore habuerat, prætergressum: quemadmodum apparet libro tertio decretalium, titulo De præbendis & dignitatibus, capite ult.

Libro item sexto ejusdem operis Bonifacius octavus ejus nominis Pontifex, edixit, pœnas eas in vanum jactari, quæ ferantur à Prælatis in subditos, insinuantes inquisitoribus, vel Apostolicæ sedis legatis statum Ecclesiarum, monasteriorumve, quæ corrigi per eos & reformari oporteret.

Ex epistola quoque Innocentii tertii ad Archiepiscopum Senonensem, quæ quinto libro decretalium sita est, titulo de sententia excommunicationis, colligitur, sententiam eam, quæ vel post legitimam appellationem infligitur, vel intolerabilem errorem continet, viribus cassam esse: cui Innocentius quartus in concilio Lugdunensi adstipulatus est: quod licet videre libro sexto, ubi per sententiam excommunicationis pariter agitur, capitibus secundo & septim.

Eodem in concilio statutum fuit, excommunicationis sententiam in collegium non irrogandam: atque illam nihil habere virium, quam judex tulerit in participantes cum excommunicatis locutione & aliis, quibus minor excommunicatio incurritur: nisi eos priùs canonicè monuerit: ut liquido apparet tertio & quinto capite tituli ejusdem.

Sed & Nicolaus Abbas Panormitanus libro decretalium primo, titulo de rescriptis, cap. 41. & libro tertio, titulo de censib. cap. cap. 6. & etiam alibi docet, excommunicationem nullam esse, cùm ob causam notoriè injustam fuerit irrogata.

Possem & alia connumerare, quibus hujusmodi censuræ fiunt inefficaces: ea tamen consultò prætereo, cum ne morosior evadam, tum quia celebres Iuris pontificii interpretes eas recensent, & in promtu sunt eorum libros legentibus. p. 40

Caput III.

Aliquos esse ex suprà memoratis casibus, quibus summorum etiam Pontificum sententia irritæ fiunt: inter quos est error intolerabilis: & qui sit, & quomodo debeat intelligi, declaratur.

cum igitur omnis excommunicatio, quæ in ejusmodi casibus inflicta fuerit, langueat prorsus, & vires amittat (judicandum enim de futuris omnibus per ea, quæ jam diffinita sunt, ut est Gregorii ejus nominis noni Pontificis edictum, ab universali Ecclesia receptum in ipsa Decretalium epistolarum publicatione) benè actum nobis fuerit, si aliquẽ invenerimus, quo Hieronymum Savonarolam à falsa suspicione & calumnia vindicemus.

Et quanquam hi, quos memoravimus, modi summorum Pontificum sententias non omnes retundant: aliqui tamen sunt, quibus ipsæ omninò infringuntur. Ac ut alios omittamus, ille, qui error intolerabilis nuncupatur, nobis desumendus erit: sed primò, quid sibi velit, quoq; modo intelligendus, pro virili explicabimus.

Innocentius tertius, ut constat libro sexto Decretaliũ, titulo de sententia excommunicationis, cap. 7. errorem intolerabilem definit in sententia patenter expressum, cùm aliquid sub vi præcepti vel mandati apertè in ea continetur, quod communiter vel in genere suo peccatum est.

Consentiunt in hoc interpretes, tã hunc locum pertractantes, quàm ejusdem pontificis ad Archiepiscopum Sennonensem Epistolam, quam paulo ante memoravimus. Additur ab aliquibus, quoties quid contra jus scriptum pronunciatur, pari erroris nomine debere censeri. Item, dum aliquod aut turpe aut impossibile præcipitur. Namque eorum, quæ fieri nequeunt, nullam esse obligationem tam canonicæ leges in sexto libro Decretalium, titulo de regul. Juris, quam civiles, eodem titulo in Digestorum volumine, astruunt. Cujus operis libro 41. titulo quæ sententiæ sine appellatione rescindantur, lege ultima, ex Pauli Jurisconsulti authoritate pariter decretum est, impossibile præceptum judicis nullius esse momenti: qui etiamnum rescripsit, ab ea sententia, cui pareri per rerum naturam non poterat, sine causa appellari.

Sed tam remotas authoritates consectari non est necesse: cum nobis, Dei maximi & optimi clementiâ, consertum indictumque sit, nec in peccata declinandum, nec quenquam illi efficiendo adstringi posse, quod supra suas vires collocatum, nec turpe ullo pacto operandum? à quo tam abhorret natura: ut Aristoteles, ejus interpres, in Ethicis censuerit, optabilius esse hac vita excedere, quàm turpe quicquam operari: ut omittam, quid sacræ literæ præceperint.

Caput IV.

Quid deinceps agendum. Item, quid propriè sit excommunicatio: & de causis, ob quas infligenda est.

Enimvero, priusquam ipsam defensionem aggrediamur (quod secundo libro agendum nobis est) fecisse operæ precium videbimur, si de causis, ob quas ferenda est excommunicationis sententia, paucula delibemus. Et cùm multifariam exorbitare Prælatos, monuerimus: ne inde occasio pravis hominibus contemnendi eorum præcepta daretur: de obedientia quoque nonnulla proloqui opportunùm fuerit. Deinde, cum satis constet, vulgatum illud dictum. Sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est, perperam vulgo usurpari solere: quomodo intelligi debeat, declarare pro viribus enitemur. Primum igitur primitùs exequamur.

Theologorum, Iurisque interpretum omnium, cum veterum tum novorum, sententia est, neminẽ temere, levibusque de causis, anathematis mucrone feriendum: siquidem, nullam atrociorem pœnam ipsa excommunicatione majori, de qua nobis in toto opere sermo, & quæ proprie hac nomenclatura censetur, in Ecclesia reperiri, contingit. Est enim separatio ab Ecclesiæ communione, quoad fructum & generalia suffragia, seu à qualibet licita communicatione fidelium segregatio.

Quare in Agathensi concilio statutum legimus, Episcopos non debere eos, qui minimis causis culpabiles essent, excommunicare, Sanctum profectò decretum, & sacris literis mirifice consonans, quando in eis reperiri non datur, quenquam, p. 41. nisi pro enormi scelere, anathemate damnatum, atque id etiam perraro.

Frequentior autem erat postea usus in Ecclesia: quem moleste admodum fert & damnat Ioannes Scotus, Theologus insignis, distinctione decima nona, & vigesima quinta quarti libri sententiarum, ibi fatuam ad ferendas sententias pronitatem carpens, hic maximum numerum earum, quæ à jure infliguntur, excommunicationum detestans.

In concilio quoque Alvernensi determinatum est, à nullo sacerdote quenquã rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis debere ab aliorum communione suspendi, præter eas culpas, pro qui-

quibus antiqui Patres arceri ab Ecclesia delinquentes jusserunt.

Verum quas ab causas id fieri solitum esset, concilii Meldensis canone colligitur: quo promulgatum est, ab Episcoporum nemine sine certa & manifesta peccati causa quenquam à communione Ecclesiastica privandum: neque sub anathemate absque conscientia Archiepiscopi aut coëpiscoporum ullum esse ponendum, nisi canonica doceret authoritas: cum anathema æternæ sit mortis damnatio: neq; debeat infligi, nisi pro mortali crimine: atque illis præsertim, qui aliter corrigi non potuerunt.

Propterea crediderim, plerisque doctoribus in quartum Theologicarum sententiarum librum, distinct. 18. & Thoma in primis Aquinate, divini ingenii viro, binas has causas excommunicandi hominis assignatas: peccatum dignum æterna morte, & contumaciā. Cum enim, qui ecclesiæ præest, per excommunicationis gladium subditos quodammodo à cœlesti regno præscindat: in eo duntaxat id perpetrandum, qui indigni sunt superna patria: qua omnes, qui charitatis erunt compotes, donabuntur: privabunturque, qui peccato mortali infecti fuerint. Quare, quos labefactatos eo crimine constiterit: ii ejusmodi pœna potuerunt mulctari.

Atqui nihil atrocius ab Ecclesia erumpere potest, pœnasque comparatione medicinarum propinari ægrotis debere, Aristoteles XI. Ethicorum libro edisserit: quas, si prudens fuerit medicus, nec violentas, nec graves, nisi cum necessitas postulat, exhibiturus est: idcirco in eum etiam, qui crimine morte digno obvolutus erit, nisi idem fuerit contumax, minimè adigenda.

Assentit Scotus 25. distinctione mox citata, inquiens: neque à judice debere infligi pro quocunque peccato mortali, sed gravi, cui annexa sit contumacia. Nam quam diu paratus quispiam est audire Ecclesiam, Publicanus & Ethnicus non est habendus: quandoquidem ex Christi dogmate pœna ejusmodi servanda est extreme contumacibus.

Qui autem contumaciæ notâ censeantur: tam in decretis pluribus ex locis, quam in decretalibus licet deprehendere.

Extat inter alia concilii Triburiensis sanctio, quæ tria contumaciæ genera, ob quæ dubio procul infligi excommunicatio poterat, recenset: cum videlicet quis ad synodum canonice vocatus vel venire contemnit, vel si, postquam illuc venerit sacerdotalibus respuit obedire præceptis, vel si ante finitam causæ suæ examinationem à synodo abire præsumit.

Trifariam autem quispiam existimatur contumax, ad synodum judiciumve non accedens, ut est videre secundo libro Decretalium, ubi scribitur, testes lite non contestata meritò admittendos: si is, in quem fuit actio dirigenda, aut peremtoria citatione recepta venire contemnit, aut seipsum malitiose occultavit, aut impedivit, ne posset ad eum citatio pervenire. Et libro quinto ejusdem voluminis, titulo de verborum significationibus, cap. 23. eum contumacem judicandum, apparet, qui jussus, emendare maleficium noluit.

CAPUT V.

De obedientiâ subditorum erga Prælatos.

Cæterum, ne omnis inobedientia contumacia judicaretur: quoniam, qui præcipienti injustè non paret, tantum abest, ut pœnam mereatur & dedecus, ut etiam gloria & præmio sit provehendus: de obedientia subditorum erga Prælatos consequenti ordine quæpiam tractabimus.

Cum ii, qui aliis præsunt, quantum ad hoc attinet, vice Dei fungantur in terris: omnis siquidem potestas est à Deo: præceptis eorum obaudire convenit. Propterea Princeps Apostolorum secundo capite Epistolæ primæ inquit: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis. Et magister Gentium Tito præcipiebat, ut, quos instruendos susceperat, admoneret, Principibus & potestatibus (quanquam Ethnicis) subditos esse.

Neque enim (ut Thomas docet) fides Christi justiciæ ordinem aufert, qua exigitur, ut superioribus suis inferiores obediant: alioquin rerum humanarū status corrueret. Verùm, scire oportet, quatenus hæc obedientia extendenda. Namq; omnibus parere imperiis, nec necessarium, nec consentaneum rationi.

Fieri enim posset, ut vel delira, vel noxia, vel divinæ legi adversa præciperentur: ut rectissimè scripsisse Gregorium deprehendamus, admonentem, subditos plus, quam expedit, non adstringi superiorum mandatis: ne, cum studerent plus, quam necesse est, hominibus subjici, compellerentur eorum vitia venerari: ni forte, qui alios regunt, supra humanam naturam collocatos existimemus, variisq; affectionum moribus non repelli. pag. 4

At dum ira inflammantur, invidia roduntur, damno moventur, efferuntur e studio, diffluunt libidine: & quod est exitialius Circeis (ut sic loquar) poculis deformantur in bruta, aliosque etiam & sibi similes evadere & ratione posthabita obbrutescere procurant, ob id à viris san-

sanctissimis, quibus Ecclesiæ instruendæ cura olim incubuit, edocta est posteritas, cavendum sibi ab sibi ab iniquis imperiis eorumque, quibus subsunt, metiendam authoritatem. Etsi illud jubeatis, quod facere non debeas, contemnendam esse potestatem: quod Augustinus inter alios asseveravit.

Scripsit quoque Hieronymus, Pauli epistolam ad Ephesios enarrans, subjiciendum esse Domino servum: si ea, quæ adversa non essent sanctis Scripturis, præciperentur. Si verò mandarentur contraria: magis spiritus Domino, quàm corporis, obediendum.

Rursus, ipsos humanarum legum gradus advertendos, Augustinus censet: à quibus si diversa manaverint jussa, majori serviendum, illudque semper ante oculos habendum: ne aut minus aut illecebris hominum jussa Dei mandatis præponamus: quod Christianos illos milites, qui sub Juliano Imperatore nequissimo stipendia merebant, observasse, tam ipse, quàm Ambrosius, scribunt.

Possent mille hujusmodi sententiæ afferri, quas brevitas gratiâ dimittam: cùm lumen divini vultus super nos signatum, binas has Apostoli sententias vero veriores esse demonstret: & omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, & Deo magis, quàm hominibus, obedire oportere.

Illud autem minimè prætereundum, quod Thomas Aquinas, & doctrina, & judicio, & vitæ perfectione mirabilis, multis in locis lucubrationum suarum, præsertim postrema parte secundi voluminis Theologicæ summæ, docuit: non quenquam. s. ad obediendum superiori obligari, nisi in quibus ei subditur: propterea nec quoad interiorem voluntatis motum (quod & Seneca voluit) nec quoad naturam corporis, homini hominem subijci: sed in his duntaxat, quæ ad actũ, rerumq; humanarum dispositionem pertinent: atque in hoc etiam secundum rationem superioritatis: sicut miles Duci exercitus in his, quæ spectent ad bellum: servus Domino, quoad servilia opera exequenda: filius patri in his, quæ concernunt vitæ disciplinam, curamque rei domesticæ. At eis, qui in seculo degunt, spiritualibus Prælatis obtemperandum in his virtutum operibus, quæ necessario à Christianis omnibus patrari debent. Illos verò, qui religionum votis mancipati sunt, ipsis obnoxios reddi, quantum ad illa, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere, secundum quam subjectos se profitemur.

Trifariam quoq; eorum obedientiam partitus est, ut sit, quæ ad salutem consequendam sufficiat: qualis ea, qua necessariis (ut suprà diximus) operam navant: quæ cumulum perfectionis attingat, cujus vi omni mandato, quòd liceat, obsequantur: quæ indiscreta, ob quam sine delectu passim quicunque jussa capessant: in his etiam, quæ aut divinæ legi, aut regulæ, quá sunt professi, refragantur, obedientes

Cæterum memoriæ est roditum à plerisque, (quod hinc fortè sumsit exordium) esse, quæ supra, quæ contra, quæ præter, quæ secundum regulam præciperentur: & ei duntaxat, cujus postremò facta mentio est, necessariò obediendum: reliquis adstringi neminem. Nam contra eam cùm quid jubetur, non teneri quenquam præcepto, docet Decretalium glossa super 43. cap. tituli de symonia. Quod Innocentius ibidem & confirmat & auget.

Arnoldus quoq; in summa sua, ut refert Io. Beetes in sermonibus de decem præceptis, obedientiæ quempiam non obligari, narravit, nisi dum juxta suam cujusquam vivendi normam aliquid præcipiebatur: ab ea autem eximi, si contra mandabatur: ac præsertim, si vita laxior indiceretur.

Ægidius item Romanus in secundum sententiarum librum distinctione 44. decernit, subeundam potiùs mortem, quàm præceptis illicitis obtemperandum: atque ipsi Pontifici, non modò contra jus divinum, sed etiam naturale imperanti, nullo pacto parendum: nec subditos ullo modo Prælatis obsequi debere, si aut quicquam eorum, quæ suprà diximus, aut regulæ, quam sunt professi, adversans jubeantur.

Scribit & Innocentius super 42. capite, tituli de sententia excommunicationis, libro 5 non solum mandato Papæ, quod contineret hæresin, obediendum non esse: sed nec præcepto iniusto, quo vehementer præsumeretur Ecclesiæ status perturbari, vel etiam forte alia mala inde ventura. Malum autem, juxta dogma Dominici de sancto Germiniano in 7. caput de sententia excommunicationis, libro 6. dicitur, quod tale est ex suo genere, & prima fronte malum apparet: licet aliqua latenti causa possit excusari.

Pari pacto nec præcepto injusto, aut inhonesto, aut commodo acquiescendum docet Decretorum glossa super tertia quæstione undecimæ causæ & confirmari facile potest per ea, quæ à Nicolao Abbate Panormitano super 42. cap. tituli de sententia excommunicationis. libro 5. pag. 43
Decretalium, afferuntur. Per ea item, quæ legi conveniunt, ut inter alia sit justa, honesta, atque possibilis. Quæ conditio omni mandato subaudienda est: quemadmodũ præter id, quod supra docuimus, colligi detur tam ex epistol: Alexan. & Innocentii ejus nominis Pontificis

tertii

tertii, positis secundo Decretalium libro, titulo de jurejurando, capitibus 10. & 17. quàm ex glossa in 2. caput de voto, libro 3.

Dubitatum autem cùm à Theologis, tum ab interpretibus pontificii juris esset anne iis, qui præsunt, parendum, cum eorum præcepta, utrum sint illicita, sub dubio versantur: decretum ijs est, quandiu ambigitur, utrùm rectè sint imperata, necne, charitativè consonent, an adversentur, jugum subeundum esse tum ob obedientiam, quæ non mediocre bonum est, digna sit præmio: nec, illum temere levibusque de causis perperam mandavisse quicquam, existimandū. At si fortè conjectura moveantur, & in sinistram partem vergat rationis libra, ab exequendo officio supersedendum, donec de jussionis vel æquitate vel iniquitate constiterit. Fieri enim facile potest, ut vel malitia propria, vel falsis suggestionibus moti, qui præsident, subjectis aut quæ fieri licet, prohibeant, aut non committenda demandent. Quare minimè obeundum id officii subdito est; & quare non obtemperaverit Prælato, significandum.

Propterea Alexander tertius ejus nominis pontifex Ravennati Archiepiscopo scripsit, si quando ei dirigebat aliqua, quæ ipsius animū exasperare viderentur, turbari non debere, sed qualitatem negotii, pro qua scribebatur, diligenter considerando, aut mandatū reverenter adimpleret, aut per literas, quare adimplere non posset, rationabilem causā prætendens, tunc patienter sustineret, si id minime fecisset, quod fuisset sibi prava insinuatione suggestum: ut traditur primo Decretalium libro, titulo de rescriptis, cap. 5.

Quod pertractans Abbas Panormitanus, affirmat: Si quicquam obeundum cuipiam mandatur, etiam sub excommunicationis pœna statim, nisi paruerit, incurrenda: & ob ejus executionem timetur maximum scandalum vel de mente Principis ambigitur, licere illi ab implendo jussu continere se, atque rescribere. Illud etiam adjecit, si contingat illi, cui præcipitur, soli notū sit, in mandato contineri peccatum, tametsi Princeps ex justitia agere se credat, à navanda opera abstinendum: nitens pro fundamento tertio decimo capiti de restitutione spoliatorum secundo Decretalium epistolarum libro: ubi Innocentius tertius archidiacono Bituricensi scribit, Mulierem eam, quæ conscia est, se matrimonium contraxisse in gradibus consanguinitatis, à viris sæpe prohibitis, potius excommunicationē sustinere debere, quam viro ad judicis imperium conjungi.

Idem Abbas tertio libro super capite 6. de præbendis & dignitatibus multa monet, multa docet, quibus Prælatorum imperia subditos declinare deceat.

Extat quoq; Accursii Florentini glossa in primum codicis Justiniani librum, titulo Si contra jus vel utilitatem publicam, l. 3. & in authentico volumine, titulo de mandatis Principum reperitur, arguens miseros Prælatos, qui metu iniquis jussis obtemperantes, veritatem minime sequuntur: cum secus agentes, & Deo & Papæ magis obsequerentur.

Hæc veluti in transcursu, de obedientia subditorum in Prælatos enarrasse sufficiat. Nam, meo judicio, non est quicquam afferre, cujus ope, qui subest, præsidis imperium declinare queat: quod aut non recensuerimus, aut sub quopiam eorum capitum, quæ memoravimus, collocari non possit.

Illud in calce monendum, quòd si aliquid mandetur, quo non obligetur quispiam, neque etiam excommunicatione ob id injuncta obligari. Nam si præceptum non tenet, non tenet excommunicatio: ut docet Baldus in sextum Justiniani codicis librum, titulo de testam. l. 24.

CAPUT VI.

Nōtum illud dicterium, Sententia Pastoris sive justa sive injusta timenda est, perperam vulgo usurpari.

Hinc opportunè capitulum occurrit, non adeo (ut vulgus autumat) ab iniquis sententiis formidandum. Invaluit enim apud multitudinem consuetudo, ut majori cum celebritate proferatur, Metuendam esse sententiam Pastoris, sive justa sive injusta fuerit, quàm, ex duobus charitatis mandatis pendere legem & prophetas: atque utinam, quid Pastor, quid sententia, quid injustum, ab illis dignosceretur. Nam uti sensu aliquo vero quid effantur, ita & aliquo falsum explosa ignorantia judicarent.

Primo etenim satis constat, non omnem excommunicationis sententiam (id enim ipsi intelligunt) timendam esse: alioquin fateri oporteret, eam, quæ cuipiam ob adoratum Christum infligeretur, pariter metuendam.

At inquient fortasse, à Pastore ullo erumpere non posse ejusmodi facinus; nec si eruperit, sententiæ appellatione dignandum. Respondebo vicissim. Quantum me dubitare licet de quopiam, Pastor ne sit, an lupus, tantum de sententiis ipsius ambigere: cum extra controversiam sit, nullum, qui verè & propriè sit pastor, oves & armenta disperdere, & feris immanibus dilaceranda committere: sed cum, sub ovium vestimentis rapaces latitare lupos, à Christo DEO nostro edocti simus, eosque ex ipsorum met operibus cognosci, considerandā esse mul- p. 44.
credidesim, & qua pietate & pru-

 den-

prudentia decet, Prælatorum justa examinanda: quandoquidem tam ignorantia juris, quàm malitia, errare & labi sæpenumerò possunt: & propterea iniquis eorum sententiis nequaquam acquiescendum: siquidem refutare eas quandoque, nedum aut non timere aut non recipere, consentaneum.

Angelus Clavasinus in summa sua quindecim enumeratis modis, quibus excommunicationis sententia labefactatur, subdit, In omnibus illis sententiam nullo modo timendam esse, quoad DEUM, aut quoad Ecclesiam: si notoriè de ipsorum quopiam constiterit: & rectè quidem. Si enim secundum civiles leges non est metuendum filiis à quacunque exhæreditatione, sed quæ legitimè facta fuerit, submoveri se a bonorum possessione contra tabulas, ut scribitur libro 36. Digestorum octava lege: quantò minus nobis formidandum erit, ut injuste vexati, aut ab æterna hæreditate in ipsa justitia stabilita dimoveamur, aut de matris Ecclesiæ gremio, quæ cultrix & auctrix est justitiæ, deturbemur.

Porrò excommnicationis sententia vires ex justitia sumit: qua destituta, languet & emoritur. Rursus cum multæ earum sint, quæ omnium Doctorum consensu nullæ appellantur, eas itidem non esse, verè ac propriè colligere possumus. Quod verò non est, nec vim potestatemque ullam habere, nec cujuspiam effectus causam esse posse, adeò patet, ut probationis luce non egat: quanquam suffragatur tam Alexander de Hales in ultima parte Theologicæ summæ, docens injustam excommunicationem nequaquam, nisi secundum inanem vocem, excommunicationis appellatione censendam: quàm Thomas Aquinas, distinct. 18. in quartum sententiarum librum scribens, eam excommunicationis sententiam quæ ejusmodi errorem claudit, quo nullo reddatur neque affectum parere, neque excommunicationem esse.

Quid? quod Gelasius Pontifex Orientalibus episcopis scribit, excommunicationem injustam ex eo curari non debere, quòd neque apud Deum, neque apud Ecclesiam, quisquã potest iniqua sententia gravari, ut in Decretis est videre, ubi etiam scribitur, aliud esse terrenam sellam, aliud tribunal cœleste, ab inferiori accipi sententiam, à superiori coronam. Item, si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, potius ei obesse, qui facit, quàm qui hanc patitur injuriam.

Et Solomon priùs in hanc sententiam locutus, sanxit, maledictum frustra prolatum super eum venire, à quo missum fuerat.

Rursus Augustinus super Psal. quod in Decretis etiam allatum est, justo, cui maledicebatur injuste, præmium reddi, censuit.

Scribit præterea Ioannes Gerson, Christianissimus Theologus, in libello de excommunicationibus & irregularitatibus, excommunicationes injustas aliquando non repellere, fatuo timori, asininæque patientiæ adscribendum esse.

Idem in quendam Pontificis vices gerentem, peculiari tractatu invehitur, qui in suis scriptis clausulam hanc apposuerat: Sententiæ nostræ etiamsi essent injustæ, sunt tenendæ & timendæ.

Glossa quoque Decretorum super tertia quæstione undecimæ causæ cap. 65. asserit, posse eum judici violenter resistere, cui constiterit, sententiam judicis iniquam esse.

Et Ioannes de *Baccone* in quartum librum sententiarũ, distinct. 17. quæstione & articulo tertio, tradit, eum, qui excommunicatus fuerit ob justam causam, modò id sit occultum, posse omnium Ecclesiæ ordinum officio fungi.

Capvt VII.

Quomodo debeat intelligi.

Ostendimus, sententias excommunicationis injustas quandoque non timendas; nunc eas & aliquando formidandas fore & quomodo elogium illud Gregorii intelligi debeat, pro virili declarabimus; quod facturis nobis, res ipsa altiùs repetenda est.

Tripliciter sententia excommunicationis injusta censetur à Theologis & canonum interpretibus, & cum juris prætermittitur ordo, & cùm de pravo animo promitur, falsave & iniqua causa pronunciatur.

Pravus animus in causa esse non potest, ut timeri non debeat, si is, in quem promulgatur, alioquin sit anathemate feriendus. Iuste enim tum subditus pacitur, tametsi judex agat injuste, posthabito quoque ordine, si sententia feratur, non usquequaque parvipendenda, nisi ob aliquid eorum, quæ supra memoravimus, viribus effœta redderetur.

At propter falsam & iniquã causam jam minime timenda est, nisi forte ob scandalum, in quod inde rudes impingerent. Est enim magnopere ratio proximi habẽda, quod unicuique DEUS mandavit, ut scribitur in sacris literis, abstinendumque vigili cura, ne aliquod ei offendiculum pag. 43 inhonestis operibus præbeamus. *Propterea*, tametsi quispiam conscius sit, contra jus fasque anathemate se mulctatum, nihilominus, si aut falsitas hæc & iniquitas palam non est, & timere & observare eam debet, quoad veritas elucear.

Fieri tamen posset, ut oporteret statim

quid esset in causa, manifestare, dum inde præjudicium aliquod veritati pullularet: tum instruendi, quibuscum versaremur. & auferenda scandali suspicio, quantum ad nos attinet, & adversus illam agere oporteret.

Præterea glossa Decretorum timendam astruit, nisi aut intolerabilem errorem contineat, aut post legitimam appellationem feratur, aut pro exactionibus indebitis effulminetur.

Alii metuendam dicunt, modo non sit invalida: alioquin sententiæ nomine nō dignandam. Quibus autem modis id fiat, supra ex parte narravimus.

Carere quoque eius metu num debeamus, dum juste fuerit allata, necne, in dubio versatur: alioquin metu quoque dicitur carere nos posse, modo ex superbia minime contemnatur.

Cæterum, ex iis, quæ subduntur à Gregorio, intentionis eius notitiam capimus: siquidem, ut recte ab Hilario, quarto de Trinitate libro definitum est, & id Decretalibus, titulo de verborum significatione, repetitum, dictorum intelligentia ex dicendi causis est assumenda. Subjecit enim statim, ne is, cui infligitur, eam ex alia causa mereatur: dans intelligere, eatenus injustam sententiam timeri debere ab aliquo, quatenus ei ambigendum, ne quopiam occulto crimine ipsa pœna dignus sit, vel tacite innitens, eam, quæ suapte natura injusta esset, justam ex contemtu reddi posse. Injustam igitur sententiam per se metuendam nequaquam statuit, sed ob aliud, quasique dixeris, ex accedenti.

Et in hanc sententiam loquens Petrus de Plaude, distinct. 18 quarti libri sententiarum, prodit, excommunicationem injustam propter culpam ratione scandali, ut supra monuimus, metuendam. Sed nullo pacto ob juris pœnam, cum in nullam incidat pœnam, qui sententiam irritam minime custodit, si veritati ipsi niti voluerimus.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quid superiori libro actum, & quid deinceps agendum.

NVnc tempus postulat, ut defensionem ipsam cominus aggrediamur. Iactis enim superiori libro Doctorum sententiis, instar fundamentorum veritatis, sequens est ædificium ejus erigere. Ea quippe fecisse nos, credimus, de judiciorum infirmitate inprimis pertractare, deque speciebus excommunicationis injustæ nonnulla recensere, & quam ob causam ipsa sententia ferenda esset. De subditorum item obedientia erga Prælatos, atque de timore ipsius excommunicationis injustæ, non solum ob id, quod hæc per se cognitu utilia & digna sint, verum, quia his perspectis & in memoriam revocatis, commodius exactiusque prophetam nostrum ab injuria irrogatæ calumniæ contractæque suspicionis asseremus.

Namque, ut Aristoteles sapienter libro primo Physicæ Auscultationis monet, à communibus exordiendum est: qui & tertio Primæ Philosophiæ docet, veritatis cognitionem eorum, quæ in dubium revocantur, solutionem esse. *Facilius* etenim constabit, potuisse in eum perperam infligi sententiam, cum prius, & omne mortalium judicium quandoque falli, & excommunicationes multas esse, palam sit, quæ irritæ & inefficaces suapte natura reddantur.

Demum expeditius monstrabimus, eum ab omni credita culpa alienum, & quia jure mandato rescripsit, & quia falsa ex causa vexatus est, & quia id, quod nec fieri poterat, nec debebat, tanquam & rectum, & facile factu, hostibus veritatis ita Pontifici Maximo suggerentibus in mandatis habuit.

Monstrabimus hæc, inquam postquam luce clarius ostensum jam est, & à præceptis implendis abstinere, atque rescribere unumquemque posse, qui ea injusta & nocua crediderit, pœnasque non nisi pro causa idonea, non autem commenticia & falsa, infligendas: justisque tantum jussis, & quæ obire sit in facultate nostra, acquiscendum, nec ab omni excommunicatione, quæ injusta sit, formidandum.

Exequi ergo, quod polliciti sumus, exordiemur, si prius causam, ob quam multi prophetam nostrum excommunicatum autumarint paucis subjecerimus.

pag.46

CAPUT II.

Ob quam causam plerique Hieronymum Sauanorolam excommunicatum autumârint.

Epistola quædam ex eorum numero, quæ brevia vocant, sub Pontificis nomine Florentiam delata est, cujus erat summa: Hieronymum ipsum perniciosam doctrinam in eâ urbe seminasse, monitum, non cessasse. Cæterum, præcepto ei sub pœna excommunicationis latæ sententiæ dato, ut conventum sancti Marci Florentiæ situm congregationi cuidam, quæ vocabatur Romanæ & Thusciæ provinciæ, copularet, non paruisse, Ecclesiasticam censuram sprevisse, in eâ pertinaciter perseverare, ob id mandari Ecclesiarum ministris sub eadem pœna, Hieronymum excommunicatum declarent, subditosque monerent, ei nullo pacto communicandum, sed tanquam ab Ecclesia præcisum atque suspectum criminis hæreseos, evitandum.

CAPUT III.

Ex ipsâ causâ elici argumenta dedefensionis. Et primò, quòd malè cognita res fuit Pontifici, utpote subdole ab iniquis suggesta.

Ex sententia hujus epistolæ tantum aberit, ut prophetam spirituali laqueo irretitum credamus, quod etiam inde pro tuenda ipsius innocentia validas rationes sumemus.

Primo namque malè cognita causa est Pontifici, ob quam proferri anathema veritatis hostes procuraverunt: cum tamen in eo infligendo requiri ordinem, causæque cognitionem, & ratio convincat, & decretales multæ glossæ, atque ipsa etiam decretorum glossa adstruat in primum caput 3. quæstionis, undecimæ causæ.

Quis enim ambigat, aliunde, quam malo zelo, quanquam ignoratione causæ, provenire, ut enuncietur, Hieronymum Sauanarolam, qui nil docet, præter Christi verba, falsam in animarum pernicium doctrinam sevisse? Hoc omnibus notum, qui aut illius videre scripta, aut sermones ad populum habitos audivere. Hoc vel pueri norunt, quod & hostes veritatis quanquam ore dissimulant, pectore tamen non diffitentur.

Suggesta Pontifici sunt à perfidis hominibus hujusmodi contra innocentissimum virum nugamenta, quæ credita fecere, ut in comminanda pœna maturior causæ disquisitio non expectaretur: quæ autem falso nituntur, corruant necesse est.

Hujusce quippe sinistræ persuasionis gratia pravis consiliis auscultatum est, ex re esse religionis, fratres eos, qui sub Hieronymo degebant, aliis, quos reformandos dicebant, copulari: idque in ipsius arbitrio situm, qui dum de conficiendo negocio tentatus, rei, uti perniciosæ, abnuisset, incaluit ardor sæviendi, effecitque, ut pœna pontificio mandato nectteretur: quod cum & ratione duce, & patrocinante jure declinasset, nihilominus effera luporum rabies, sub ovina pelle delitescens, potens adeo fuit, ut contemtor Ecclesiasticæ majestatis insimularetur, & extorta è palatio epistola, uti contumax, anathemate percussus, & hæreseos suspectus publicaretur.

Vide, quàm paruo è fonte mendacii ingentia falsitatis flumina eruperint, & sane (ut de me fatear) postquam certior essem, factus promulgatæ hujusce excommunicationis, quanquam sciebam Hieronymum & doctrina cumulatissimum, & sanctis moribus clarum, atque in primis obedientissimum, minime tamen credebam, è loco tam celebri prodire sententiam, quæ saltem verisimilitudine non fulciretur. At legens diplomatis exemplum, & prima fronte falsæ eum doctrinæ insimulatum, offendens, quem certius certitudine comperteram, nunquam ne latum quidem unguem à Catholico dogmate recessisse, causam diligentius examinandam suscepi, ubi, præter id, quod diximus, trifariam defendi cum posse ab omni criminis suspicione, deprehendimus.

CAPUT IV.

Quod mandatum fuit impossibile.

Revocandum profecto in dubium non est, supra vires proprias, supraque authoritatem agere posse neminem, & ob id pœnam, si mandato adjungitur, incassum proferri, nec effectum aliquem parituram. probavimus hoc superiore libro præter naturæ dictamen etiam authoritate juris civilis & pontificii. pag.47

Potuerit autem, necne Hieronymus, urbis illius advena, unico vicariatus officiò fungens, vertere tot religiosorum fratrum voluntates, ut in id concederent, cui ex professo adversabantur: nullus puto sapiens judicabit. Repugnarunt namque non minus ipsi Hieronymo, unionem illam, quæ tunc proponebatur, publicis literis, uti pestiferam detestantes, addentes, se malle extrema pati, quam fratribus tam deformatis copulari. quorum tantam vesaniam narrari audivi ab ...

qui hanc mixtionem affectabant, ut motos se ad procurandum hoc negotii dicerent, ne monasteria ad ipsis habitata, quæ jam speluncæ latronum evaserant, penitus destruerentur.

Eos autem, qui secundum sanctorum Patrum decreta & probatas ab Ecclesia Catholica sanctionis vivere enituntur, inducere, ut velint latronum speluncas habitare, & deformatis inquinatisque hominibus se immiscere, factu impossibile est. Quid ergò fuit causæ, ut communis hæc repugnantia in solum Hieronymum reiiceretur?

At fortè inquient, nihil efflctam arduum, tam difficile, quod non libenter fratres reliqui Hieronymi gratia subiissent? At hoc fundo nixi vana argumentatione deluduntur, cùm palàm sit, nec plus ditionis habere eum in ipsos, quàm jura sibi permittant officii, nec (quanquam haberet) adstringi posse, ut ea uteretur.

Suprà ii. probavimus, nullum reddi præcipienti Prælato obnoxium, nisi ea ratione, qua præsidet. At ipse Hieronymus Pontifici hoc in negocio non subditur, nisi quatenus ex prædicatorum ordine, & congregationis eius, quæ sancti Marci nominatur, præses ad tempus est. Eatenus autem procuratam hanc fertum inationem conficere potis non est, ut dudum ostendimus.

Ad ridiculum non judicaretur, si aliis fratrum vicariis, qui de observantia dicuntur (ita enim appellari consuetum) jussum foret, ut, quos sub imperio haberent, eis, qui conventuales nominantur, misceretur, maximè repugnantibus illis, & rem talem nequaquam se laturos, protestantibus? Sanè quenquam extare non puto, modò rationis capax sit, qui præceptum id vires & hominis & officii excedere, non arbitretur.

Cæterùm dato etiamnum hoc atq; concesso, ut jussus factu facilis judicetur, & qui in eis congregationibus sunt vivant sanctissimè, si fratrum tamen suorum collegio id non videatur, poterit nequisquam (quod Dei solius est prærogativa) eos cogere, ut id velint & amplectantur? At, si hoc supra illius facultatem erit, qui fieri poterit, ut eosdem compellere, queat, perpetua deformatorum fratrum inire consortia.

Caput V.

Quòd exequendum non erat.

Videmus præceptum impleri non potuisse nunc, an suâ naturâ esset implendum, disquiramus. Cum perversis nos perverti, cum sanctis fieri sanctos, David monet. Et Christus docet, à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, enixè cavendum. Præterea, quicunque reformandis religionibus, congregarionibusque jam collapsis, & divini amoris igne destitutis, operam dederunt, tantum abfuit, ut cum pravis & deformatis monachis fratribusue, diuturnis commerciis implicarentur, ut etiam se ab eis sequestrârint, conarenturque calorem penè emortuum, additis sibi pauculis, qui idem vellent nollentque, veluti fomitibus reparare: ut tandem ferè extincta flamma revocaretur, & solido fulgore splendesceret.

Scimus, hoc ducentorum annorum decursu, & eo etiam minùs à plerisque factitatum. Nisi enim à malis boni sejungentur, pax religiosis maximè expetenda, incassum quæretur. Inter bonos siquidem & malos semper bellum: his argui metuentibus, & odio habentibus lucem, illis Ecclesiam malignantium perosis, & cum impiis non sedentibus, quos facilius est probos corrumpere, quàm contrà ab illis eos sanari & integros reddi: quandoquidem pomorum acervus ab unius marcidi contagio maculatur, unaque conspecta livorem ducit ab una.

Et sanè, cùm rei hujusce merita perpenduntur, tolerabilibus malum, quod ex hac mixtione, qui jam reformati sunt, paterentur, videretur esse infamia, quam ex deformatorum commercio contraherent: quæ quanti facienda sit, & oraculo sapientis ediscimus, qui docuit, habendam curam de bono nomine, & Ecclesiæ traditione, qui contemtores ejus crudeles appellavit: quibus facilè præter, & noxium esse religioni, probos improbis copulari. Quod ipse Hieronymus peculiari demonstravit apologetico: & illud præceptum Pontificis tametsi potuisset impleri, nihilominùs non debuisse.

Namque jussui, qui malum cleudat, obtemperare non convenit, neque regulæ, quam professus est quispiam, fas est moribus adversari, quemadmodum suprà probavimus. Vnde errorem tolerantu indignum in mandato deprehendimus, quando id, quod & factu impossibile, & quod minimè honestum & salubre, sed & turpe & nocuum esset, complecteretur.

Caput VI. pag.48

Quòd jure rescripsit. Item, liquere, cum nunquam censuram incurrisse.

Sed veritatis hostes criminatoresque potiori etiam in loco constituto: do eis gratis, nullaque extorquente ratione, pro

pro comperto non haberi, quod duobus superioribus capitibus manifestavimus. Experiamur, an alia via possimus prophetam nostrum de faucibus obloquentium eripere. Quantò enim particulariùs acta èius negotii examinaverimus: tantò colliquebit apertiùs, ab re prorsus fuisse, in eum quicquam esse adstructum.

Recepto namque diplomate, quo pœnam statim incurrendam, nisi pareret mandato, Pontifex minabatur, hoc est, nisi congregationem, quæ sancti Marci dicitur, cui præerat, illi, quam Thusciæ & Romanæ provinciæ vocabant, conglutinaret: rescripsit, ejusmodi unionem subdola mente à quibusdam Pontifici oblatam, cùm in ea simul & se persequi conarentur, quem ex suscepta asserendæ veritatis causa acerrimo odio insectabantur rem perniciosam serere, qua scandalum exoriretur.

Confectoque libello, cujus antè meminimus, dedit etiam Epistolas, quibus significabat, eam, quæ procurabatur, ferruminationem tam divino honori contrariam, quam animarum saluti pestilentem, Demum ab eo peti, quo præstare non poterat. Consensu etenim Vniversorum fratrum opus fore. Rogarentur ipsi: consentientibus enim repugnare non posse, compellere invitos, & contranitentes, sui arbitrii non esse.

Quæ cùm ita sint: quis revocabit in dubium, virum hunc ab omni culpa insimulati criminis immunem? Siquidem suprà, cùm de obedientia ageremus, multis modis ostendimus, licere subditis à Prælati mandatis, quæ excommunicationem annexam gererent, abstinere, atque rescribere. Hoc clamant jura: hoc eorum interpretes asseverantissimè volunt, monentque, secundam jussionem expectandam: si aut de mente Principis ambigatur, aut in exequendo præcepto scandalum malique aliquid formidetur. Et præter ea, quæ ibi allata sunt, in eandem sententiam loquitur B. Idus in Iustiniani Principis codicem, titulo de Vsuris. Et Petrus de Ancharano consilo 235. docet, cùm res aliter se habeat, quàm scribentis mens præsupponat, supersedendum esse licet mandato excommunicationis latæ sententiæ pœna misceatur.

Ac perfidi homines, mandari aliud Hieronymo, non procurarunt, scientes, ei, qui iure à primo belli insultu se defenderat, secundo etiam & tertio non defutura propugnabula: sed epistolam extorserunt, cujus vi possent ostendere rudibus ipsius negocii, justa eum pœna mulctatum, quam & caruisse justitia & viribus, & illi quicquid non obfuisse, jam arbitror comprehendi. Patrocinante quippe ratione, & suffragantibus legibus, rescripsit: quo fit, ut corrogemus, nulli eum aut culpæ aut pœnæ subfuisse, modò, cùm ex epistola nil aliud colligatur, quàm cùm ob inobedientiam censura damnatum, & parte alia juste jureque non obedivisse, à nobis monstratum sit, omnis excommunicationis scrupulus & suspicio cum omni metu prorsus eliminanda est.

Caput VII.

Neque ei necessariam absolutionem, neque ab eius communione abstinendum esse.

Ab his consequens est declarare, nullam ei necessariam absolutionem fore, nec ab illius communione ullo pacto abstinendum esse. Et sane, quanquam ob reverentiam Apostolo & sedis, sententiam ipsam petierit aboleri: id tamen, quantum ad se attinet, minime oportuit, ut ex verbis Gelasii pontificis in lib. Decret. satis abunde edocemur.

Postquam enim scripsit ad episcopos Orientales, eam sententiam, quæ injusta esset, ex eo curari non debere, ex quo, nec apud Deum, nec eius Ecclesiam, nemo poterat iniqua sententia gravari: hæc subdit, Ita ergò ea se absolvi non desideraret, qua se nullatenus percipit obligatum. Cui mirifice consentit ratio. Nam solutione sibi opus non fore, manifestum est, ubi non est nodus & ligamentum. Eos autem non alligari, qui sunt insontes, divus Hieronymus censet.

Nec Augustinus dissentit, docens, injusta vincula à justitia disrumpi: qui alibi quoque testatus est, non obesse homini, quòd ex illa tabula velit eum delere humana ignorantia, si de libro viventium non deleat iniqua conscientia.

Præterea Io. Gerson in libello de excommunicationibus & irregularitatibus affirmat, nequaquam ligari eum, qui à quopiam aut Theologo aut juris interprete responsum habuerit, sententiam in se jactatam tenendam timendámue nó esse, præsertim dum habita fuerit ratio, ne ignari simplicesque offendantur. cap.49

At non unus modò juris aut divinorum eloquiorum consultus: sed multi in hanc sententiam catervatim inierunt, perperam & injuria prophetam nostrum lacessitum atque vexatum, nec quicquam ei ob id metuendum: quibus admodum suffragatur Decretorum glossa, ut alia omittam, dum in xi. causa, 65. caput tertiæ quæstionis pertractans, satis innuit, eum, qui celebraverit post excommunicationem injuste latam, non debere sustí-

sustinere aliquam pœnam: cùm is ad illam satisfactionem cogendus non sit, qui sententiam injustam probat quod ille epistolis, tam latino, quàm materno sermone conscriptis, factitavit, & rationibus credens, & superno lumine exquisite cernens, se ab omni vinculo exemptum.

Cæterùm ut scrupulus omnis mentibus ambigentium trepidantiumque extrudatur, scire convenit, argui eos à divinis eloquiis, qui, ubi timor non est, trepidaverunt. Nequaquam enim metuendum ei communicare, quem non solùm emaculata sceleribus vita, & verisimilibus suspicionibus illibata, Deo ac Ecclesiæ minime contumacem, sed etiam cùm rationibus multis, tum authoritatibus ab omni calumnia & falsa opinione vindicatum constat.

Succurrant ad exemplum trecenti aut circiter eiusdem ordinis fratres integerrimæ vitæ, & sanctæ conversationis, & eorum aliquot doctrina clari, & jam diu probati, nonnullique à pueris ad decrepitam usque senectam in collegio Prædicatorum fratrum magna cum laude viventes, qui omnes eum alloquuntur, honorant, verentur, observant, ipsi ea impendentes charitatis obsequia, quæ Prælatis ab his, qui gubernantur, debita sunt.

Crediderimùsne, forsitan eos aut mente captos, aut salutis propriæ contemtores, unicaque collatione cum illo habita, dignos effici velle æterna morte: quam ut effugerent, alii maxima patrimonia reliquerunt, alii dignitates & ecclesiastica beneficia, alii triginta, alii quadraginta, atque etiam quinquaginta annos religiosæ vitæ mancipati expenderunt.

Succurrant & alii quàm plurimi, cum in urbe Florentia, tum alibi degentes, quibus (quanquam in cœnobio non vivunt) sua salus plurimùm est cordi, ac Christum diligunt, in eum transformari cupientes, ac jam solitos ad nomen anathematis exhorrere, quos nec pravorum commentitiæ minæ, nec subdolæ blanditiæ deterruerunt ab eius commercio, quem uti hominem & doctrina & bonitate prudentiaque refertum observant, uti parentem diligunt, uti prophetam divinum honorant.

Hi profectò in propriæ conscientiæ luce viderunt, nullo eum spirituali laqueo irretitum, quod ipsum præterquam, quod hinc & vita ipsius & conversatio, inde persequentium mores & fama pervasit, ex ipsa etiam causa, ob quam excommunicatio est publicata, plane confirmatum est.

Demum sit anathema aut irregularitas, contemtusue clavium, ioanne Gerson authore, non incurritur, dum aut Theologi cujusdam, aut Iurisperiti authoritate monemur, eam, quæ irrogata fuerit, sententiam non tenendam: quantò magis non ligabitur, qui obstantibus tot præjudiciis tantùm communicaverit, & maximè fauentibus Pontificum decretis & eorum interpretibus. Ita enim in capite 65, quæstione tertia causæ undecimæ scriptum vidimus.

Non ergò ab eius communione abstinendum est, nec ei ab officio cessandum in quem cognoscitur iniquè prolata sententia. Et Innocentius in secundum cap. tituli de sententia excommunicationis lib 6. docet, ei communicandum, quem manifestum est injusta sententia vexatum, posseque aliquem, qui jus communicandi contra se habeet, injusta sententia peti.

Quid, quòd nono capite Evangelii Ioannis legimus, cæcum illum abortu naturæ donati visus miraculo praclarum, quem Iudæi maledicentes ob Christi nomen eliminaverant, ab eo susceptum: & nihilominùs satis constat, legem Moysis non adeò emortuam, quin & servari posset & deberet, quam etiam ipse Iesus servandam præcipiebat, inquiens: Super cathedra Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, quæ vobis dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere: dans intelligere, nullo pacto eorum vitam, quæ mala erat, trahi in exemplum debere: attamen doctrinam servandam; si eos apertè non contingeret à vero deviare, tum eis nullo pacto acquiescendum, nec ab injustis excommunicationibus metuendum, ut in suscipiendo, quem illuminaverat, cæco faciendum monstravit. Et alibi, cùm palàm discipulis edixit, prædixitque futurum, ut absque synagogis fierent.

Caput ultimum, in quo nonnulla in defensi Propheta laudem afferuntur, quibus futuris persecutionibus resistendum.

Ab eis, quæ attulimus, innocentiam viri prophetæ tibi arbitror manifestam, atque etiam his, qui opusculum legerint, si qui tamen futuri sint, qui verum defæcata sceleribus vita investigaverint.

Plerumque enim quorundam mens adeò malitia obtenebratur, ut, qui suapte natura vel in controversiarum crepusculo veritatem exquisitè cernerent, quandoque interdiu, Soleque meridiano illucescente, errorum nebulis caligent, quos erroris sui causam sibi, non aliis, adscribere decet, quandoquidem, demtis impedimentis, lux etiam ad eos pervaderet. Scriptum quippe in sacris literis: Exortum pag. 52

tum est in tenebris lumen rectis. Et alibi: Quàm bonus Israël Deus iis, qui recto sunt corde.

Quare, divino lumini non obstiterint, hæc puto satis superque futura, sin autem & claudere oculos, & obdere auribus ceras maluerint, quæcunque aut dicta unquam in veritatis hujusce probationem, aut in posterum dicenda, incassum, quantum ad eos spectet, proferentur, quæ scripta erunt ad fideles confirmandos, atque ad pravorum versutias & detegendas & impugnandas.

Sed cùm hæc simulachra sint belli, pugnæque ludicræ, atrocis comparatione prælii, quod ei pro Christo ineundum est (siquidem futurum sibi prædixit certamen ingens, de quo omninò sit triumphaturus, se adversus duplicem potentiam, sapientiam, atque malitiam instructa priùs acie, dimicandum) paratos in stationibus stare convenit eos, qui vitam istam deserere, quam veritatem, malunt, atque armis confertos, bellicisque instrumentis stipatos classici sonum expectare.

Hæ profectò militum copiæ, quibus exercitus mendacii profligabitur: hæ bellicæ machinæ, quarum vi falsitatis & trepidorum mœnia corruent, pensari Prophetam ipsum, quantum humana fert infirmitas, IESVM Dominum imitari, eaque insistere semita, quæ fuerit priorum Prophetarum & martyrum calcata vestigiis, divini honoris ardentissimum, salutis animarum sitibundum, intrepidum præterea, atque omnis pravoris expertem.

Nihil profectò in eius vita, quod à probata illa, quam professus est, vivendi norma deliret, nihil in doctrina, præter veritatem fidei, puritatem Christiani ritus, rerumque futurarum prænotiones, adeò constanter tenet, prædicat & asseverat, ut ipsa Roma, Italiaque pene universa ab incepto revocare illum procurans, nequicquam laboraverit, eundemq; sæpenumerò agressa modò cæsim truncare, modò punctim confodere, viribus cassæ fuerint.

Vnde cerni, nisi exoculatis, datum est, fuisse hunc Dei ministrum, rerum futurarum præconem, Christianæ fidei & promulgatorem & propagatorem, eorumq; omnium, qui ad supernam Hierusalem suspirant, peritissimum ducem.

Tria, olim mecum ipse cogitans, fidem Christi doctrinamque & gignere & augere, sum contemplat9. Lumen superne demissum, quo ea intueamur, ad quæ cernenda in limitibus nostræ naturæ jam infectæ de relicti cœcutiremus: Efficacissimæ rationes ex effectibus desumtæ: Miracula atq; prodigia, in testimonium allata, quæ omnia rei ipsius Hieronymi adeò conveniunt, adeò quadrant, ut ipsum simul & Christi sectatorem, & eius doctrinæ fidum deprehendas interpretem.

Lumen quippe cœlitus missum in causa est, cur illi assentiamur: quandoquidem statim à plerisque subscribi ei vidimus, nulla ratione percepta, nullo viso prodigio, meræ narrationi acquiescentibus, qui tamen & prudentia cumulati, & doctrina referti: nonnullos contra protinus refragari, nec rationum molibus cedere nec prodigiis flecti.

Quales autem sint, & quantæ rationes adstipulentur: cùm aliunde, tum ex Dominici Benivenii, doctissimi & integerrimi viri, lucubrationibus huic muneri dedicatis colligere licet.

Prodigia verò cùm multa tum magna, dignissimorum hominum relatu, prædicationes illius & vitæ rectitudinem roborare extollereque, factus sum certior. A meipso quoque perpetratum ab eo vidi, quod vi naturæ fieri nullo pacto posse judicavi, & plerique mecum, quibus explorata naturæ potestas, eandem sententiam tulerunt, ut tibi olim me narrasse memini.

Hæc & similia, vero (ut dici solet) veriora, quanquam nec diffusius tractata, nec vexactis probata, utpote qui tibi & mihi eius uiri amicis & domesticis scribo, habere ad manum oportet, quibus & bellare possimus, & vincere.

Eam enim doctrinam, quæ Christianæ omni ex parte sit consona, imò similima, imò eadem, licet aliquandò particulariùs pro temporum conditione explicata, uti lucidissimum jubar effulgens huic nostræ tempestati, qua rerum potiuntur vitia, virtutes in universum exulant, refriguit charitas, dejecta est spes, fides clanguit: Eam, inquam, doctrinam, quæ omnibus his damnis afforre opem occepit, Deique maximi, & optimi providentia, atque clementia universo jam orbi monstrata: ut eius deturpata facies, depositis larualibus simulachris, se ad ipsam affingens, ad exemplar veram induat speciem, non sequi, non magnificare non extollere, omnique conatu tueri, non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

In Epistola quadam hic idem Mirandulanus adhortatur Imp. Maximilianum ad reformationem Ecclesiæ, hisce verbis: Reliquum est, maxime Cæsar, ut, qua te fide & pietate possem, deprecer, ut sanctissimum illud propositum tuum, vendicandæ in pristinam libertatem Christianæ Reipublicæ, quam citius fieri potest, adimpleas. Concutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & Iesu

Christi Domini nostri sanguine circumseptum & consecratum ovile, peiora multò perpessum est, indiesque patitur à lupis, magis sub ovina, quam propria pelle grassantibus. Age igitur iam, optime, & excitis, qua ratione potes, Christianis Regibus, te Christo regum omnium Regi, oves suas tam ab hostibus, quàm à perfidis pastoribus jamjam liberaturo, fidum ministrum exhibe. Mirandulæ, Calend. Decemb. Anno Christi 1500.

pag. 51.

Antonius Mancinellus.

1512. Quidam celebris vir hanc narravit historiam. Mancinellus in solenni quodam festo Romæ sub processione, more solito, albo insidens equo, publicè coram omni populo elegantem habuit orationem contra Alexandrum sextum Pontificem: ubi omnes Papistarum & Antichristi regni abusus, impios mores, spurcissimam vitam, inaudita scelera & scandala reprehendit, ac valde acriter in easdem abominationes est invectus: & in fine, postquam peroraverat, orationem scriptam inter populum astantem sparsit. Comotus hac oratione Pontifex, illum comprehendi, & utramque ei manum abscindi, jussit.

Sed cōvalescens Antonius, paulò post iterum in alio quodam festo, simili modo multò graviorem & vehementiorem habuit contra Pontificem orationem, qua ita accensus ille Satanæ minister Alexander, linguam Antonio excindi curavit: quo dolore aggravato, pius vir interiit. Hujus rei fides sit penes authorem. Illyr. Imp. & PP. V. S.

Georgius Tansteter.

1512. Maximiliano I. Imperatori à Mathematico Georgio Tansteter mors prædicta fuit, sex annis antè, quam ei contigit, propter solis Eclipsin, quæ ante mortem ipsius accidit anno 1518. septimo die Iunii, cum ille Ianuarii die 12. obiit. Imp. Max. 1. PP. Iul. 2.

Pisanum Concilium.

1512 Actum fuit in hoc concilio inter alia, de reformandis Ecclesiæ moribus: item de immortalitate animæ, quoniam id in dubium Romæ venerat. Imp. Max. 1. PP. Iulio 2. V. S.

Lilius Gregorius Gyraldus historia Deorum syntagmate XVII.

1512. Sacerdos in omnibus sacrificiis celebrandis, antequam deis immolaret, aut rem divinam faceret, quibusdam se priùs sacris præparabat. Vnde Græcis verbum frequens ἐξοργιάζειν. quod est, ad cultum sacrorum se expiare. Inter hæc erat corporis ablutio, unde & Æneas ex ritu deos precaturus, ait in secundo Æneid.

Donec me flumine vivo Abluer.

Tum etiam à Venere abstinebat, ut ad celebranda sacra lautus ac mundus accederet.

Legimus, Numam Pompilium, cum pro frugibus sacra faceret, esu carnium & venere abstinuisse: & Iulianum Cæsarem, & si Procopio credimus, Iustinianum oleribus leguminibusque contentum sæpè cœnitasse, ob religionem: eos item, qui initiandi essent Isidis sacris, dies X. parcere carnibus & vino. Quin & Ægyptios festis quibusdam diebus jejunia servasse: id quod & Hebræos adhuc observare animadvertimus.

Aquæ quidem aspersionē corporis labem tolli, & castimoniam præstari, putabant: præterque Mysos & Essæos, aliosque, qui ob religionem animantibus abstinebant, ut suprà dictum est, cælibemque vitam agebant, qui Abii & Anymphi dicti fuêre. constat, sacerdotes matris deum Samia testa sibi virilia amputasse, atque illos, qui maxima sacra obibant, ut in casta religione manerent, & procul à mulierum contagio vitam agerent, herbis quibusdam evirari, & virilitatem amittere: utque nulla nisi sacrorum maneret cura, nudique & vacui pietati & religioni intenderent, cunctarum se rerum dominio abdicare, quod jure pontificio veteri caveri quidam putant, illis verbis: Ad divos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amovento: qui secus faxit, Deus ipse vindex erit.

Quam castimoniam apud exteros quoque servari, notavimus. Quippe in Thesmophoriis matronæ Athenienses ut venerem cohiberent, foliis viticis cubilia substernebant: nonnulli garo ex pisciculis, qui squamam non haberent, (quod incendia libidinum reprimere feruntur, & irritos conatus facere venereos) in sacris usi fuêre: quod Agesilaus putabat, deos non minus religiosis operibus, quàm sacrificiis castis delectari: quod & Rex & Poëta Iudæus ante illū monuerat.

Legimus præterea, hierophantas Atheniensium, postquam in sacerdotium cooptati erant, ut castè sancteque sacra facerent, cicutæ sorbitione se castravisse: Ægyptios verò sacerdotes, negotiis omissis, mulieribus nunquam indulsisse, carnibusq; & vino abstinuisse. Itemq; Gymnosophistas adeò abstinentiæ studiosos fuisse, ut pomis solùm, oryza, & farina alerentur.

In Creta quoque, Euripides testatur, quos vocabant Iovis Prophetas, non modò non carnibus, sed ne coctis quidem vesci solitos fuisse: & Indorum Magos proditum est, qui ad Solis sacerdotium promoti fuerant, carnibus abstinuisse, & nunquam sub tecto fuisse, sed lineis velatos sub dio vitam egisse.

Quin etiam observatum antiquis invenimus, eum, qui rem divinam facturus esset, ad suas levandas culpas, se inprimis reum dicere solitum, & noxæ pœnituisse, & admissa fassum, vultusque summisisse, & ad omnen modestiam finxisse: quod utinam & hodie perseveraret in nostris, inter quos plerique nulla reverentia sacra obeunt.

1512. *Egidius Viterbiensis in oratione ad Iulium Pont.*

Egidius Vitebiensis Augustiniani ordinis præfectus, in Oratione ad Iulium 2. habita inter alia sic ait: Principiò quis non videt, rerum alias divinas, alias cœlestes, alias humanas? Ac divinæ quidem, quòd sunt motus ac mutationis expertes, emendatione non egent: cælestes verò atque humanæ, agitationi obnoxiæ, instaurationem desiderant.

At quemadmodum si pratis imbres, si hortis aquam aut puteos, si agris cultum, si vineis putationem, si denique viventibus alimenta subduxeris, illa arescent brevi, silvescentque, hæc vivere desinent, atque emorientur: ita ferè post Constantini Magni tempora (quæ ut sacris rebus multum adiecere splendoris & ornamenti, ita morum & vitæ sanctitatem non parùm enervârunt) vidimus malas cupiditates, diram auri atque habendi sitim: vidimus, multos adeò ad functiones sacras vocatos, partim bella & serentes & alentes, partim deditos corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam ætatem agere: vidimus, inquam, vim, rapinas, adulteria, incæstus, omnem denique scelerum pestem ita sacra profanaque miscere omnia, ita in sanctum navigiolum impetum facere: ut penè scelerum fluctibus illa latus dederit, ac propè mersa & pessundata sit.

Et circa finem: Quæ quidem omnia (nisi ferrei sumus) quidnam aliud, quam cælitus missæ sunt voces monentis Dei, ac præcipientis, ut synodum habeas? ut Ecclesiam emendes? ut Sponsæ tuæ undique lacessitæ pacem utramque restituas? ut gladios avertas, urbis & italiæ jugulis imminentes? ut nostram frenes vivendi licentiam, Ecclesiæ viscera majoribus vulneribus ferientem? Non enim multum referr, quantum agri possideamus, sed quàm pii, quam divinitatum rerum studiosi simus. Imp. Maximiliano 1. PP. Iulio 2.

A512. *Arnoldus Ferronus Burdegalensis de Julio 2.*

* Arnoldus hic Galliæ historicus, & Burdegalensis qnondam Parlamenti Senator, itemque alii complures memoriæ prodiderunt: quod cum Iulius 2. Papa exercitu comparato Romæ in Galliam infesto in regum animo, contenderet, suasque armatas copias ipse loricatus ex urbe per Tyberis pontem educeret, multis hominum millibus audientibus, hæc pronunciârit: Quando nobis claves Petri nihil prosunt: age, gladium Pauli distringamus: simulq; claves, quas secum attulerat, in Tyberim projecit, gladiumque vaginâ eduxit, quâ de re notum illud vetus carmen est Gilberti Ducherii Vultonis Poëtæ:

In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum,
Armatam educit Iulius urbe manum.
Accinctus gladio, claves in Tybridis amnem
Proiicit, & sævus talia verba facit:
Cùm Petri nihil efficiant ad prælia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Pontifex Romanus unde habeat claves pro insignibus. pag. 53.

Janus, antiquissimus Italiæ Deus & Latii Rex, claviger dictus est ideò, quod cum clave & virga formaretur. Clusius præterea Ianus, & Patulcius, à claudendis & patefaciendis portis. Vnde Naso in Fast.

Nomina ridebis, modò namque Patulcius idem.
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.

Ex quo patet, Romanenses Ianos sua insignia cum Regno & divinitate non à Petro Apostolo, qui nulla unquam habuit, sed à jano Ethnico accepisse in jure hæreditario. Clavis est Plutonis insigne apud Pausaniam in El. l. 5. fol. 596. ea proditum ratione, quòd inferorum sedes ita clausa est, ut nemini inde reditus pateat. Girald. lib. 4. Suid. Ovidius, Virgilius 6. Æneid.

Idem Arnol. Ferr. lib. 4. de rebus Gestis Gallorum. Iulius 2. Papa ea fuit perfidia, ut Federicum Sanseverinum, unum è purpuratis, qui ad regem Galliæ transierant, blandis literis ad reditum pelliceret: alteris maximè petebat à Francisco Gonzaga Mantuano, & Iacobo Trivultio, darent operam, ut quacunque ratione interceptum deprehenderent: item ut, ut dum per legatos pacis conditiones scribuntur cum rege, aliis legatis Helvetios summis invitatos stipendiis uno eodemq; tempore in Regem armaret: Gallos verò in universum, novo nomine augens Romanam supellectilem, Micturivinos vocaret, quasi immodicos vini potores, quod mox emittendum esset: quo vitio ipse maximè laborabat. Neque hisce maledictis abstinebat, quæ in ipsum dupliciter recidebant. Vnde factum est, ut Gallici poëtæ palàm in eum, his affixis undique versiculis, luderetur:

Patria cui Genua est, genitricem Græcia, partum
Pontus & unda dedit, qui bonus esse potest?

Sunt vani Ligures, mendax est Græcia, Ponto
Nulla fides : malus est, hæc tria quisquis habet.

1513. *Gvilielmus Budæus lib. 5. de Asse.*

Cleri magister sanguinarius, effractis timoris divini repagulis, feras nationes in Domini populum immittebat, & Gallorum partes, eorumque fautores diris exsecrationibus devovens, scelere plusquam Tragico totum penè orbem religione solutum, in devotos concitabat.

An ejus temporis status in mentem non venit, cùm Divus Petrus Paulusq; & eorum sequaces, Ecclesiæ Architecti, non armorum splendentium fiducia infecti ad prælia grassabantur, sed innocentia freti, cætera inermes, ad castra Christi tuenda in tumultu flagrantissime charitatis classico ciebantur? Nunc inania tantùm ipsi nomina tanto intervallo facti, etsi eorum demum majestate apud populos sacrosancti sacerdotum ordines primarii fastus suos obumbrant.

O duram portentosamque vecordiam sacrosanctæ potestatis? Quis enim unquam tantum animo concepit nefas, ut sacerdotum culmen, ut clerici magister, ut sacrorum summus opifex manus inauguratrices, ab altaris operata adhuc calentes, in familiam Domini armare sustineret? ut animo plusquàm gladiatorio grassaretur ad Christiani nominis culmen, nempe Christianissimum mundo stupente delendum, & nunc mysticum illum ensem cæsim punctimque irato, ut credimus, proposito vibraret, nunc à Marte sanguinariam frameam mutaretur, & consternatos diris exsecrationibus, quæ fortasse in eum ipsæ vertendæ erant, ad internecionem quoque committeret?

En quos pedes, quas manus lubens exosculêre, unde vel os cruentum, atq; pollutum referres.

Miserum verò te tum, Iuli, qui usque adeò iræ cæcæ indulgendum putâris, tute ut transversus vesana animi excitate rapere? & nec decorum majestatis beatissimæ præ odio respicere, sed ordinem amplissimum, sed senatum illum purpuratum præcipua veneratione insignem, sed Libani gloriam tecum rapiens invitum bona ex parte, & mussitantem, arcis Ecclesiæ ruina nos obruere, teq; adeo ipsum, cuperes? orbem etiam penè totum immutares, fulminibus ciendis intorquendisque collabefactum, ut nos odio & invidia flagrantes, igneque deinde ardentes torvis istis oculis inspiceres nec jam recusares, quin in regem nostrum flammantem voti compos insilires?

Proh superi immortales! tantumne de summo sanctuarii vertice licuit malesuadæ noxæ, vel æstro vindictæ plusquam Atreiæ percitum, per fas agere, nefasque præcipitem? ut vel corpus animumque in busto inimicorum properaret ire perditum.

Non fuit iræ efferatissimæ satis, retrò nos in fines fulmine perterrefactos egisse, Italiæ perditæ nobis adamatæ possessione cedentes cum fremitu gemituque: nisi de aris insuper & focis dimicare extremaque deinde exempla timere coëgisset? cum interim sub ipso lanista sanguinario totus propemodum hic orbis nobiscum pariter digladiaretur animo infestissimo.

Vbinam erat igitur ille zelus Domini, quæ est ira justa, læsæ aut imminutæ vindex divinæ majestatis? hoc enim demum signifero in aciem prodire sacris cohortibus fas est, si quando prodire fas est. Num tandem igitur ex illa arce charitatis, aut fidei sacello auxilia promserat; & signa cruciata?

Ecquid igitur eum pudebat Servum servorum Dei se vocare, cum Franciam, Christianorum decus semper, & Pontificum ædem, religionisque asylum, bustis ipse Gallicis insignire gestiret? Cum sacerdos septuagenarius Christi, pacis conditoris & parentis legatus, Bellonæ sacris operaretur, cui cum generis humani luculento dispendio litare contendebat. Idque tum, cum profanum vulgus ad delubra pacis & concordiæ miserabili specie supplicationes inibat. pag. 54

Enimvero visendum spectaculum. Patrem non modò sanctissimum, sed etiam senio & canitie spectabilem, quasi ad tumultum Gallicum Bellonæ fama suos evacuatos cientem: non trabeâ, non augustis insignibus venerandum, non pontificiis gestaminibus sacrosanctum: sed paludamento & cultu barbarico conspicuum, sed furiali, ut ita dicam, confidentia succinctum, & fulminibus illis brutis & inanibus lucidum, eminente in truci vultu cultuq; spirituum atrociate.

Profectò nos vidimus in paucis annis multa, quæ prorsus majora fide posteris videbuntur. Hoc turbine, hac procella laxata Ecclesiasticæ authoritatis ac disciplinæ compage, quônam modo fides recta, nisi clavis trabalibus & æternis fixa, sacrisque monimentis semel affirmata constabilitaque fuisset? Imp. Max. 2. PP. Iulio 2. & Leone 10.

Idem, testatur Decretales & Extravagantes nihil aliud esse, nisi fraudulentos quosdam laqueos, & insidiosa retia, quibus Papæ, eorumque Prælati omnes fortunas ac dignitates laicorum, cùm publicas, tùm privatas, ad se rapiunt ac pertrahunt.

Idem alibi ait oportere quamprimùm refor-

reformari Ecclesiam: id nisi fiat, funditus interituram.

Idem l.2.de legibus, homines stolidissimos & infantissimos in Galliis Episcopos fieri, dicit.

1513. *Georgius Simlerus in præfat. in Rabanum.*

Saltem parvulæ cuidam lectioni aliquid operæ impenderent, non tam propensè pyrgo imminentes: aleâ quadam festiva & honesta lusitarent, ne in numerum suffecti viderentur, quorum Babtista meminit, cui Pio cognomentum est in Rudente Plauti: Tales, inquiens, sacerdotes esse debent, qui sicuti templi sunt antistites, ita probitatum sint præsides.

Nunc meri sunt gulones, cuppediæ, ganeique voraginibus impliciti, & mulierositati, ut cum illos videas, vultum & pallium videre possis, sacerdotem desideres: iis pulchellis coma gradatim scansilis: omnes valgii, calceos follicantes respuunt, colobia indignantur, manuleatas tunicas appetunt, pætis & incastigatis oculis, quos cùm videas, non presbyteros censeas, sed procos, & quibus in solo vivendi causa palato est, verbis Aristidæis, operibus Sardanapaliciis, ut id verum sit, sacerdotium orbi religionem & advexisse & abstulisse.

Recolligant tandem mentem, & Apollinaris id aureum dictum memoria teneant. Nam sacerdotis pater filiusq; Pontificis, nisi sanctus est, rubo similis efficitur, quem de rosis natum, rosasque parientem, & genitis gignentibusque floribus medium, pungentibus comparanda punctis dumorum vallat asperitas. Imp. Maximiliano 1. PP. Leone 11. V.S.

1513. *Guido de fonte Nayo de rerum humanarum varietate.*

Caracallus Papinianum I. C. occidi præcepit: quia prohibuerat cum Noverca matrimonium.

Idem. Anastasius 2, Papa cùm esset in latrina, nulla neque morbi, neque alia (quod mirum est) quæ videri posset, antecedente causa, repentina morte correptus est.

Incantationes Turcarum.

Habent quoddam genus Incantationis Turcæ, quo invitos retrahunt. Nomen servi in schedula scriptum suspenditur in tabernaculo, vel domicilio servi, deinde divis verbis & devotionibus illius caput impetunt: deinde fit vi dæmoniaca, ut fugiens putet, sibi in itinere vel leones, vel dracones incurrere, vel mare vel flumina contra se exundare, vel omnia tenebris nigrescere, iisque terriculis repulsus ad herum redit N. Honiger.

Prognoma sive Præsagium Mehemetanorum, primùm de Christianorum calamitatibus, deinde de sua gentis interitu, ex Persica lingua in Latinum sermonem conversum, Authore Bartholomæo Georgievits. pag.55. 1513.

Ad reverendissimum Principem, & Dominum, D. Othonem, ex illustri prosapia Baronum Waltburgens. oriundum, sacrosanctæ Romanæ Curiæ Cardinalem, & Episcopum Augustanum, Cæsareæ Majestatis apud Vanigones in Comitiis Ordinum Imperii vicem locumque tenentem, Dominum, Mœcenatemque suum, Bartholomæus Georgievits clientum deditissimus.

Vt nautæ post naufragia libenter recitant sua pericula, hîc Scyllam latrare, illic Symplegades concursu suo in medio interceptas naves collidere, alibi Syrtes quotidie vadum mutare, alibi submarina saxa latêre, alibi immanibus cetibus mara obsideri, alibi Anthropophagos de humanis artubus epulas instruere, alibi piratas, quicquid vehit mare, in suas prædas convertere, alibi voragines subsidentium aquarum circumrotatas naves in abyssum absorbere: ita mihi dulce est, Princeps Illustrissime, in memoriam revocare exantlata in in bello Hungarico pericula, durissima vincula, captivitatem plus quàm Babylonicam, servitutem omnium acerbitate suppliciorum refertam, & cum multiplices mei mutato domino nundinationes, tum varios in mea fuga casus.

Cæterum, cum mala ejus servitutis editis commentariis evulgârim, simulque perscripserim, qui apud quamque gentem ritus, & ceremoniæ habeantur, quaque disciplina in pace & in bello vivant, quæque item in singulis locis cum Asiæ, tum Europæ, vel majestate visenda sunt, vel religione veneranda, vel novitate admiranda, Omnia enim peragravi, neque id cursim, sed cum longâ mora, adeò, ut rerum indagationi spacium temporis non defuerit, qua in re Platonem, Pythagoramque sum imitatus, quantum nostræ tenuitati licuit.

Superest nunc, ut de Prophetia quadam inter Mehemetanos celebratissima mentionem faciam. Illa enim gens ut ab initio à Christianis derivata est, (nihil enim à principio, nisi secta quædam & hæresis fuit) ita multa adhuc habent non abludentia à rebus Christianis, adeò ut eos non semichristianos, ut [illegible] Eras.

Erasmus, sed simias Christianorum dicas: in maximis enim rebus à nobis diversi, in minimis planè iidem videntur: sic simulacrum quoddam leænæ in fele conspicias, in rubeta crocodili, in simia hominis, quanquam indole, magnitudine, imò moribus factisque in immensum differant.

Habent igitur nostrum immorem multa vaticinia, obambulantque ubique fatidici & fanatici prophetæ: sed tamen nihil tam certum & exploratum habent, quam hoc genus prophetiæ, qua numerosæ istæ de nostra gente victoriæ, ac tandem ipsorum interitus describitur: id quia hactenus verum deprehenderunt, alios quoque adhuc futuros casus verissimum fore, existimant, adeò, ut publicè in ploratum effundantur, quotiescunque finem istius prophetiæ legunt, non aliter, quàm si in futurum denunciata calamitas, jam in præsentia eorum cervicibus incumberet.

Mihi ut non libet, nec licet quicquam de istius oraculi fide adstruere, ita dulce est versari in iis, quæ in fine istius oraculi continentur, optoque, exitium sceleratissimæ gentis vero augurio ab ipsis prædici, & ut propheta, qui hactenus contra nos verus debrehenditur, etiam pro nobis verus reperiatur.

pag. 55. Etiam extra Israël Balaam verus Propheta fuit: inter gentes multæ sunt Sibyllæ inventæ, quæ vera canerent: quid vetat, quo minùs extra Christianos aliquis sit, qui Spiritu prophetico utatur: verùm ut dixi, nihil assevero, sed tantummodò quia tristia nostra (ut pronunciatum ibi fuit) evenere, ita læta quoque evenire vellem. Quod si nostri mores corrigerentur, ac non potius in deterius omnia quotidie pessum irent, omninò sperarem, in proximo esse illud tempus, in quo Christus calamitates suæ gentis respiceret, quod quidem & ipsi Turcæ iam adesse putant, quia multi existimant, easdem vices rerum Christianis fore, quæ Judæis olim fuerunt.

Abductæ sunt decem tribus Israël in captivitatem, salva adhuc & aliquandiu postea florente Iudæa: jam plerique ex eorum fatidicis asserunt, decem istas tribus Arabiam, Syriam, Chaldæam, Armeniam, Phrygiam, Thraciam, Græciam, Hungariam, Ægyptum, & Africam esse; & id quod superest in Europa, esse unicam tribum Iudæ, cum reliquis Benjamin, atque proinde illam aliquandiu in imperio fore, & multis invicem cladibus inter Turcas nostrosque variatum iri.

Alii credunt, tenorem victioriarum Turcicarum perpetuum fore, donec omnia regna Christianorum ipsis subiiciantur: ac tum demum omnia in diversum mutatum iri, efflorescentibus denuò Christianorum rebus, & veteres ditiones recuperantibus, dominante & sæviente Christianorum gladio, quem aut Prophetam, aut Principem aliquem Christianorum fortissimum interpretantur, qui nos subjugando ad veram fidem Christi revocabit. quæ res melius ex vaticinio intelligetur.

Verùm ego postquàm usu cognovissem, illustrissimos eruditissimosque viros ob excellentissimas tuas in Ecclesia Dei, ac Reipublicæ administratione virtutes, te Reverend. Princeps venerari, & in summo honore habere, inprimis Reverendissimum Heroëm, dominum Christophorum Madrucium, sacrosanctæ Romanæ curiæ Cardinalem, Episcopumque Tridentinum, virum animi magnitudine, fide, sapientia præstantissimum, Ferdinandi regis Hungariæ, Bohemiæ &c. & Caroli Romanorum Imperatoris amicum fidelissimum, qui cum nuper post cladem Carinai acceptam cum tota Lombardia in periculum venisset, ne in ditionem Gallorum recideret, fratre cum subitario milite misso, suis opibus & viribus rem illic nutabundam sustentavit: dominum item Granvellanum, intimum Cæsaris consiliarium, & ejus filium Episcopum Atrebatensem, in quo cùm omnes dotes animi emineant, maximè tamen elucet humanitas, ut qui illud Titi Vespasiani sibi videtur æmulationi habere, ne quem tristem à se dimittat: item & clarissimum Principem D. Wolfgangum, Episcopum Pataviensem, virum summa eruditione, pietate, & omni laude sublimem: Reverendiss. item Præsulem Constantinensem, D. Ioannem Veza, robore animi & corporis, sanctitateque & pietate, eruditioneque excellentissimum, multis in Cæsariis rebus felicissime obitis legationibus: ut interim omittam Cornelium Sceperum, multarum linguarum peritum, Cæsareæ Maiestatis non solum inter Christianos, sed etiam apud Turcarum Imperatores legatum incomparabilem, cujus fidem an felicitatem magis mireris in tractandis negotiis, in dubio est. Omittam quoque omnes Electores Romani Imperii, Satrapas, Consiliarios, & summi Pontificis proceres, qui omnes in te honorando, & venerando mirificè consentiunt. Imò ipse Carolus Rom: Imperator tanti te habet, eaque veneratione & charitate amplectitur, ut te suum vicarium, locumque tenentem in Comitiis ordinum Imperii in Germania fecerit.

Iam igitur cum & ego devotionem animi mei erga tuam amplitudinē declarare vellē nihil habebam, nisi istud Turcicum

lum Memleket, imperium potius significare solet, quam regnum apud illas nationes.

Alur) est verbum, & significat, capiet, sive accipiet.

Kuzul almai) est nomen, quod significat rubrum pomum, quia Kuzul significat colorem rubrum, & almai pomum: & dicunt, esse urbem aliquam fortissimam, & amplissimam imperialem.

Et interdum oritur quæstio inter doctiores hanc ob causam, quia alii volunt interpretari illud vocabulum urbem Constantinopolitanam, eò quòd in nonnullis eorum voluminibus dupliciter legitur, videlicet, Kuzul almai, & Vrum papai, id est, rubrum pomum, sive Græcum sacerdotem, vel patriarcham: quia, ut jam diximus, Vrum significat Græcum, eò, quòd olim erat sub Imperio Romano tota Græcia, & est corruptum per adjectionem v literæ in principio, & mutatione o in u, quia huic nomini Vrum, si demas primum u, & medium mutetur in o, erit Rom. Itaque multi sunt hujus opinionis, quòd significet Imperium Constantinopolitanum, cujus differentiam suo loco prolixius declarabimus.

pag. 58 Kapzeiler) est verbum, & significat opprimere jugo servitutis, & nemo dubitat, illorum tyrannicam afflictionem esse crudelem oppressionem, quod facilè probabunt ii, qui eorum captivitatem, & tributi exactionem experti sunt, quemadmodum Græci, Armenii, Thraces, & prout facilè poterunt intelligere hi, qui legerunt nostrum libellum de afflictionibus, Latina, Gallica, Teutonica & Bohemica linguis divulgatum.

Iedi yladegh) septimum ad annum usque; post capitionem eius loci supra dicti.

Gyaur keleci cslihmasse) id est, ethnicus sive gentilis gladius si non apparuerit, & contra illum non insurrexerit. Putant, hæc fata anni septimi in potestate Christianorum esse, qui si vellent communi opera contra ipsos gladium stringere, haud dubie essent plena victoria potituri: verùm quò minus id fiat, nostram ignaviam in culpa esse, dum mutuò inter nos bello civili digladiamur, vel turpi ocio consenescimus.

On ikiyledegh) hoc est usque ad annum duodecimum.

Onlarum beghligheder) id est, eorum (videlicet ethnicorum) dominabitur. Verùm quia neque post septimum, neque post duodecimum annum (capto Imperio Constantinopolitano) Christianorum contra ipsos gladius prævaluit: jam enim fere ad centum annos tota Thracia, & imperium Orientale est sub eorum ditione: augurantur, aliam imperii sedem sub nomine rubri pomi significari. Cæterum ingens incertitudo est sub involucris annorum. Nam si in literis sacris hebdomada dierum septem annos significat, quem numerum & magnitudinem temporis statuemus in ipso anno? Quamobrem sunt inter eos, qui singulos annos computant pro singulis annis Iubileis, qui quinquaginta annis olim constabant: alii, singulos annos significare singulas centurias annorum, credunt. Nec desunt, qui unum annum trecentos quinquaginta sex annos continere existimant, quot nimirum dies habet annus solaris. Cæterum, quemadmodum oracula non nisi ex eventis rectè intelliguntur, ita certum & diffinitum temporis spacium intelligetur, cùm res extiterit.

Eusi iapar) id est, domum ædificabit. Per ædificationem domus significari putant, quòd templa nostra suo Mehemeto sit dedicaturus: ut autem jam totius Asiæ, ubi olim erant Christiani, usq; in Hierosolymam imò ipsum templum Domini, quod est Hierosolymæ, prophanàrunt: ita quoque majorem partem Europæ, videlicet Græciæ, Thraciæ, usq; Austriam, totius fere Hungariæ, Sclavoniæ & Illyriæ.

Ac nescio, an nos ista indignitate iram divinam provocamus, dum alius cum canibus tanquam venator in templo obambulat, alius de fœnore, alius de scorto garriat; alius ad templum nunc urinam, nunc oletum faciat, qualia neque inter infideles quisquam videre potest. Credibile est, quod propter hanc irreverentiam Deus ipse malit, nostra templa sub Machometo, quam sub nobis esse.

Baghi diker) id est, vineam plantabit: per vineæ plantationem novas colonias, & gentium è suis sedibus emigrationes intelligunt, & dilatationem imperii.

Bahcsai, id est, hortos, sive illas planatationes vinearum.

Baglar) id est, muniet, subintelligunt novas provincias undecunque muniet, ut recuperatu sint difficillimæ. & hoc est mirum, quòd à tot annis, postquam incepit sævire, ita munivit omnia, ut ne pagum quidem ab eo recuperare potuerimus.

Oglu kezi olur) id est, filium & filiam habebit. Hic per procreationem liberorum interpretantur propagationem Mahometanæ gentis, prout manifestum est omnibus, illam esse in tantum propagatam & multiplicatam, ut nihil supra. Itaque iam nihil aliud restat, nisi interitus & diminutio eorum.

On ikiyldenssora) id est, post duodecimum annum. Hristianon) id est, Christianus.

Kelcci) id est, gladius. Csikar] id est, insurget, seu apparebit. Id quoque apud illos in controversia est, utrùm gladius ille, quo Christianorum natio in libertatem vindicabitur, talionemque Mehemetanis reddet, si rex aliquis Christianus, magnis copiis totum imperium Turcarum expugnaturus, an sit propheta aliquis Christianus, sua doctrina Mehemetanos conversurus ad nostram religionem. Quamobrem (ut dixi) ultima verba hujus oraculi viri cum gemitu, pueri cum fletu, mulierculæ cum planctu & ejulatione excipiunt.

Utinam tandem Itali suas pilas, Hispani suas lanceas, Galli sua gæsa, Angli suas balistas, Germani & Hungari suas frameas contra istos canes fidei, ipsis (ut ita dicam) fatis damnatos, distringere velint, & discordia, quæ solummodò moratur nostras victorias, à nostris rebus auferre studeant. Sed redeamus ad verba vaticinii de interitu eorum.

Turki) id est, Turcam ipsum hactenus regnantem.

Gheressine) id est, retrorsum unde egressus est, adeò, ut vel ad latebras Bithyniæ, unde primùm erupit, vel in Scythiam, unde originem traxit, repellatur.

Tuskure) id est, pellet, sive profligabit. Cæterùm quia ille gladius vindex nescitur, unde oriturus sit: certè Turcæ, hinc sive aliunde metu concepto, non permittunt Christianis ullum usum gladiorum & armorum.

Et quanquam jam magnoperè degenerârunt à Christiana fide, in bellis tamen plerique eorum pro amuleto certissimo Evangelium Ioannis sub axillis portant, videlicet, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, id est, In principio erat verbum, totum usque ad finem græcè scriptum: putantq; ea re ita se tutos esse, quasi aliqua panoplia communiti essent, quod genus scripti sua lingua Hamaili solent appellare. Unde cùm sint tantæ reliquiæ nostræ religionis, spes est, eos aliquando non difficulter ad Christi cultum revocari posse. pag. 59.

Quamobrem, cùm omnia suspecta habeant, interdictum est Christianis (ut jam diximus) qui apud illos degunt, omni usu armorum, adeò, ut præter rustica instrumenta nihil ferreum eis habere liceat, quanquam ne sic quidem tuti sunt à Christianis servitiis, quæ nunc dominos dentali, nunc vomere, nunc ligone, aut stipite mactant. Quod si foris, secus arma Christianorum illata viderent illicò quicquid est ibi mancipiorum, in bellum consurgeret, quorum ibi tantus numerus, ut omnes cujusque regionis incolas Turcas in duplum, imo in triplum, atque adeo in quadruplum superent.

Utinam Christiani principes istis fatalibus victoriis se præpararent, & obsisterent, ne ulteriùs vires Mahometanorũ crescant, quæ jam plùs nimio invaluerunt. Amisimus Africam & Asiam, extincta est Græcia, ægrota est usque ad mortem Hungaria, debilitata est Austria, vis mali istius jam Germanorum cervicibus, velint nolint, incumbit, atque universæ Christianitati imminet, adeo, ut nemo ab hoc periculo tutus videatur: posthac ergo non alienam, sed suam rem agent pro suis limitibus adversus hostem depugnaturi, nisi velint pro principibus servi fieri, vel potius mactari. Nam Turcæ plebeiis parcunt, in servitutem, nobilibus vitam eripiunt, ut plebeii capite careant. Quod si singuli unum emendarent, hoc est, quisque seipsum, ita, ut plebeii magistratus non minus ament, quam timeant, magistratus plebeiis parentes se exhibeant, docti idiotis viam virtutum & veritatis commonstrent, idiotæ suam imperitiam agnoscant, neque se rabinos jactent in illis artibus, ubi nihil didicerunt: miles pro victoria militet, dux pro honore, Ecclesiastici luxum omittant, mercator usuram, caupo lenocinium: & in commune, omissis erroribus, & pertinacia defendendorum errorum, in unitatem fidei, & concordiam Ecclesiæ conspirarent Principes, omissis principibus Christianis, vires in Turcas converterent: quis dubitat, quin ut Israëlitis ob peccata in servitutem redactis, tandem de sceleribus suis pœnitentiam agentibus, servatorem Deus miserit, & in libertatem restituerit, ita quoque nobis brevi cœlitus auxilium sit mittendum?

Quod si fieret, quis non speraret, quin brevi futurum sit, ut Imperator Romanus non minus Constantinopolitano, quam Romano imperio insignis sit futurus? Ferdinandus non minùs in Hungaria, quam apud Getas, Dacos, Scythas regnaturus: atque itidem rex *Franciæ* suis ditionibus Asiam minorem additurus: Lusitani Ægypto potituri, Hispani tota Africa: Itali omnia littora, quæcunque habet mare mediterraneum, in sua potestate habituri. Angli quoque inter Turcas suum imperium amplificaturi.

Nunc digladiamur pro uno & altero oppidulo, & post acerrimas præliorum conflictationes, post exhaustas opes, nihil imperio auctiores efficimur.

Heu quantum pelagi potuit, terraq; parari
Hac, quem civili fuderunt sanguine dextra?

Nunc

Nunc igitur, cum potentiss. monarchæ, & verè Christiani in pacem inter sese consentiunt, spes est, eos occasionibus temporum, & fatorum mutationibus uti velle, neque permissuros, ut reliquiæ Hungaricæ ditionis, quæ adhuc supersunt, & adjunctis aliorum viribus plurimum possunt, in ditionem & potestatem Turcarum veniant: quorum nomina, etsi non omnium, infra subjeci, ut qui omnia amissa putant in Hungaria, aliquid consolationis accipiant, cum videant, tantum in eo regno adhuc incolume superesse.

Alii rursum doleant, si modò dolere possunt, magis ac magis suum appropinquans periculum sentire, tam tenues portiunculas Hungarici imperii (olim à mari Baltheo usque ad paludes Mæotidis exporrecti) in tantas angustias redactas esse. Quanquam, ut hoc obiter dicam, ipsi nos Hungari maximè nobis hanc causam mali dedimus, dum Germanos ferè ita exosos habemus ut Turcas, dum omnia in duos reges distrahimus, dum alii Turcam accersunt, alii propellunt: nec nisi serò didicimus, omne regnum in se divisum collabascere, & domum supra domum cadere, ac maximas res discordia comminui. Sed seræ sunt querimoniæ, malo epinicia, vel triumphum canere, saltem lætiora ominari volo. Quamobrem carptim Hungarorum nomina, quæ nuper ab eorum legatis, egregio viro Georgio Euskero Senatore Cremonensi, & Christophoro Hoffkircher, viris doctissimis, ad Majestatem reginæ Mariæ missis, pro petendis præsidiis, conscripta habui, qui etiam fatebantur, reliquias Hungariæ posse præstare exercitatissimos equites, si tantùm, Rom. Imperatoris ac cæterorum Principum Christianorum copias adesse, viderent. Quapropter in quibus aliquid virium est, nunc subiiciam, nullo ne hîc quidem servato ordine: sed ut quisque se nostræ memoriæ ingerit, ita prius ponetur. Magnificè sperandum est de Reverendiss. D. Paulo de Varda, Archiepiscopo Strigoniensi, cuius opes adhuc prævalidæ, & tantum prudentiæ, in eius animo est, ut eius sine opibus magna in eo fiducia collocanda esset, quamvis etiam amiserit majorem partem dominii, ex quo captum est Strigonium. Læta quoque ac magna Nicolai Olahi, Episcopi Zagrabiensis, & vicecancellarii regni Hungariæ authoritas, rerum peritia, & multiplex eruditio, corporis, animique robur de se promittit.

Egregios item Spiritus gerit Reverendiss. D. Martinus de Kecheth, Episcopus Vuesprimensis, elegantia & belli laudibus mirè insignis, & natus (ut videtur) in Turcarum perniciem, vir prædecessori suo Petro Berislo in re militari vel jam par, vel mox futurus. His addo Franciscum Turzonem Ecclesiæ Nitriensis præsulem, de quo omnes multa & læta augurantur.

Item inter Barones clarissima est domus Bathorea, qui avita indole præditi, armis animisque infestissimi sunt Turcico generi. Nec magnifici viri Thomas Nadasdi, Franciscus Batyani, Balassea domus illustrissima dignitatis suo officio deerunt, inter quos facilè primus Melchior Balassa. P. 60.

Atque adeò nuper in gratiam regis Ferdinandi recepti Barones incliti, egregiam spem de se præbent Raphaël & Ioannes Apodamian, quibus meritò adjungitur Franciscus Revai vicepalatinus regni Hungarici, de cujus consilio, prudentia, & fide quidvis sperare licet: ut omittam Nyari Franciscum, Bartholomæum Horuat, qui sæpius cum victoriis multis occisis, multisque captis, ad regem Ferdinandum redierunt.

Frater quoque Georgius, Episcopus Vradiensis, nunc tutor regii pueri & uxoris Ioannis Vuaiuodæ, ducis Transsiluaniæ, & qui, si firma subsidia contra Turcas videret, defenderet facile, & promte, ut nunc de eo certa perpersuasio est, cum prædictis Baronibus Hungariæ, ad minus quadraginta millia equitum in re bellica expeditissimos producerent, quibus hactenus perpetua bella cum Turcis fuêre.

Itaque isti omnes, quoniam jam pertæsi sunt Turcarum sæviciem, potiùs cupient unanimiter studere, pro patriæ salute mori, quan eorum jugo tyrannicô subiici: id quod constat ex multorum legationibus. Tantas & tam prævalidas reliquias regni Hungarici confirmabimus sit tandem bellum moverimus; aut omninò amittemus, si, ut hactenus, cessatores fuerimus.

Advertendum est, istud oraculum in Alchorano non legi, sed in aliis libris, quibus magnam authoritatem & reverentiam deferunt. Habent enim & omnes nostros Prophetas, & sui generis complures.

Oraculi ejusdem declaratio per Paschalium Regiselmum.

Vulgò nota historia fertur, quæ ad hujus oraculi explicandam obscuritatem primas partes tenet, eiusmodi illa est.

Mahometi secundo, Othomanorum Principum sævissimo, Christianorumque hosti immitissimo, Constantinopolitanam urbem obsidenti, nocte præclarissimæ urbis, & deplorandi imperii exi-

exitium præcedente, tale oblatum fuit somnium.

Videbatur huic dormienti, tentorium patulum hinc inde fieri, cœlum aperiri, ex eoque descendere senem venerabili aspectu, reverenda facie, augustiori habitu, quam humano, & excelsiori flatu corporis. Simulque ex cœlo annulus demittebatur, filo appensus, quem senex, apprehensa Mehemetis dextra manu, septies per omnes digitos circumduxit, hoc ordine.

Prima vice maximum se percipere gaudium, sentiebat Mehemetes, quod secunda, tertia, & sequentibus usque ad septima, juxta mutationis modum, imminuebatur: idque etiam ipso dolente, & dolore, quoties mutabatur annulus, crescente. Tandem ad septimam in cœlum sublatus est annulus, & illico senex evanuit, tanto Mehemetis dolore, ut ingentem emiserit clamorem, ad quem Eunuchi, juxta morem gentis, tentorium & lectum Principis custodientes, accurrêre. Hique ipsius jussu, ad illum, quos Visiros, Bassas, Bellerbeios dicunt, ceterosque consiliarios convocant, narrat somnium: exsurgit à Christi fide Apostata magnus Visir, Constantinopoli capienda interpretatur, incitat hominem, mos geritur, urbsq; capitur.

Hanc vero hoc oraculo intelligi, deprehendent curiosi, si septem septies multiplici numeratione efferentes, Caroli Octavi tempora notabunt, quibus fama erat, Gallum Regem victorem in Græciam contra Turcas trajecturum, & hac de causa Roma in Galliam Turcarum Principis fratrem, qui Romæ in custodia asservabatur, duxit, ut eo duce, & fautore contra Turcas uteretur. Quo Rege mortuo, & Turcarum terror desiit, & Christianorum spes lapsa est. Ex eoque semper Turcici Principes Gallorum Regis amicitiam coluere, cùm etiamnum persuasum habeant, ex Gallico regno sibi cladem impendere.

Sic autem præsentis oraculi in septimo anno dubietas sepulta hucusque jacuit, & ad hæc tempora jacet, quibus à Constantinopoli capta duodecim numeri duodecies in se circum ducti explicationis finis instat.

Nec mirum cuiquam sit, quod Turcæ & omnes orientales, Ægyptii præsertim, & Syri, in nonagesimum secundum annum Othomanicæ familiæ fata reservant, quod Solimanno quoque ab Arabe prædictum, clarissimus vir, Stephanus Theupolus, dum Constantinopoli pro augustissima Veneta Republica legatum apud ipsum Solimannum ageret, disertissimis verbis, se præsente, ajebat, stupente, & rem futuram constanter credente Turcarum Principe.

Cui conjungere possemus, quæ de arbore Turcica quindecim ramorū vulgò circumferuntur: verum hæc & alia modo reticenda sunt, alias uberius dicemus.

Equidem aptissimus hic locus esset, in quo numerorum in divinatione hac potestatem demonstraremus, & quam conveniat illi Philosophorum Arabum opinioni, asserentium, omnes generationes, mutationesque, species rerum naturalium, & earum, quæ supra naturam sunt, certis numeris distingui, per eos earum affectus cognosci, quibus veteres Theologi omnes, & Cabalistæ subscribunt.

Colligiturque simul ex scriptis Origenis, Hieronymi, Augustini, Hilarii, Basilii, Gregorii Nysseni, Rabanique, numerorum vim permaximam esse: in rerumque universitate constituenda septenarium numerum primas tulisse, fatentur cuncti: & sapientes, in Duodenario Christianissimi firmitatem & innovationem esse, censent, quod in eius cubo & superficie explorant, dum M. D C C. XXVII. ex tota eius perfectione constituunt, & id aliud non est, quam cum duodenarium (qui primus fœcunditatis numerus duob. senariis componitur, priorque perfectionis numerus existit) duodecies, ad duodecies usque in sua superficie & cubo revolvimus, & inde superiorem numerum conficimus. Pag. 61

Eo in numero & Picus Mirandulanus seculi durationem statuit, nos vero Christianæ religionis amplificationem, & reliquiarum Israëlis salutem ponimus, veteri, & reconditæ harum rerum scientiæ, per traditionem hucusque demonstratæ, adhærentes, & Intelligentiarum universum regentium cursum, & temporum spacia magni facientes, quæ ita nos radiis sui splendoris illuminent, ut purioribus studiis, & sanctioribus sacrarum literarum obsequiis Deum Opt. Max. digne colamus, nobis placemus & rite cognoscere, contemplari, & possidere valeamus.

F. A. F. Poëtæ regii libellus de obitu Iulii 2. Pontificis Maximi.

Interlocutores.

Iulius, Genius, & S. Petrus.

Iulius II. P. M. Quid hoc rei est? non aperiuntur fores: opinor, aut mutatam, aut certe turbatam seram. Gen. Quin potius vide, ne tu non attuleris clavem, quam oportet: neq; enim eadem aperitur hoc ostium, qua arca nummaria: atq; adeo, cur non utrasq; attulisti nam ista quidem potentiæ clavis est, non scientiæ. Iul. Imo præter hanc nulla mihi unquam fuit: neq; video, quid opus sit illa

cum

rum hæc adsit. Gen. Nec ego, sane: nisi quod interim excludimur.

Iul. Effervescit mihi bilis. Pulsabo fores. Heus heus, aperite hoc actutum aliquis ostium. Quid hoc rei est? nemo prodis. Quid ita cessat hic ianitor? Stertit, opinor, adprobe potus. Gen. Ut hic ex se metitur omnes. Petrus. Bene est, quòd portam habemus adamantinam: alioqui, quisquis est, perfregisset: Gigantem aliquem, aut satrapam, Urbium eversorem adesse oportet. Sed ô Deum immortalem, quam hic cloacam olfacio? Non statim aperiam ostium: sed hinc è fenestella cancellata prospectans, quid portenti sit cognoscam. Quis es? aut quid tibi vis?

Iul. Quin tu fores aperis, quantum potes: quem, si tuo fungi voluisses officio, obviam oportebat venisse, vel cum universa cœlitum pompa. Pet. Satis imperiose. At tu mihi priùs exponito, quisnam sis. Iul. Quasi verò ipse non videas. Pet. Videas? Ego verò novum & hactenus non visum spectaculum video; ne dicam monstrum. Iul. At ni plane cæcus es, agnoscis, opinor, clavem hanc, siquidem argenteam, si quercum auream, ignoras: & vides triplicem coronam; nec non undique gemmis & auro lucentem pallam.

Pet. equidem argenteam clavem utcunque agnosco, licet & solammet; & multò dissimilem iis, quas olim mihi verus ille pastor Ecclesiæ tradidit Christus. Porrò coronam istam tam superbam qui, quæso, possim agnoscere? quam nec barbarus unquam Tyrannus ausus est gestare, nedum is, qui huc admitti postulet. Nam palla ista nihil me movet, qui gemmas & aurum perinde ut rudera calcarim atque contemserim. Sed quid est hoc? Video passim & in clavi, & in corona, & in palla notas sceleratissimi cauponis & impostoris, mei quidem prænominis, sed non instituti, Simonis, quem ego quondam Christi præsidio dejeci.

Iul. Mitte nugas istas, si sapis. Nam ego, si nescis, sum Iulius ille Ligur, & agnoscis, ni fallor, duas literas, P. M. nisi omninò literas non didicisti. Pet. Significant, opinor, Pestem Maximam. Gen. ha ha he: ut hic divinator rem acu tetigit. Iul. Imò Pontificem Maximum.
pag. 61 Pet. Ut ter maximus sis, ac magis etiam, quàm optimus, hoc est, sanctus? Iul. Atque adeo, si quid ad rem pertinet, appellari me sanctum. Nimiùm impudens es, qui mihi cuncteris aperire fores: cùm tu tot jam seculis tantummodò sanctus dicaris, me nullus unquam vocàrit nisi sanctissimum: extant sex millia Bullarum. Gen. Verè *Bullarum*. Iul. In quibus non semel sanctissimus Dominus nominor: imò tam sanctitatis nomine decotabar, non sancti, ut quicquid mihi libuisset. Gen. Vel temulento. Iul. Id sanctitatem sanctissimi Domini Iulii dicerent fecisse. Pet. Quin tu igitur ab istis adulatoribus cœlum postulato, qui sanctissimum fecerunt, & iidem tribuant felicitatem, qui dederunt sanctitatem. Quanquam usque adeo nihil interesse censes, dicaris sanctus, an sis. Iul. Irritor: si modo vivere licuisset, ego tibi istam nec sanctitatem inviderem, nec felicitatem. Pet. O vocem sanctissimæ mentis indicem: quanquam & alioqui jam dudum oculis totum collustrans, multam impietatis, nullam in te sanctimoniæ notam animadverto. Quid enim sibi vult novus iste comitatus, tam non Pontificius? Nam viginti fermè millia tecum adducis, nec ullum in tanta conspicio turba, cui vel vultus sit Christianus: video teterrimam hominum colluviem, nihil præter fornices, temetum, ac pulverem bombardicum olentium. Latrones conductitii mihi videntur, vel larvæ potiùs tartareæ, huc ab inferis eruisse, ut bella cœlo moveant. Iam teipsum quo magis ac magis contemplor, hoc minùs video Apostolici viri vestigium. Principio, quid hoc monstri est, quod cùm supernè sacerdotis ornatus geras, idem intus armis cruentatis totus horrès crepasque? Adhæc, quam truces oculi, quam contumax os, quam minax frons, quam elatum & arrogans supercilium? Nam pudet dicere: ac piget interim videre, nullam corporis partem non conspurcatam notis prodigiosæ & abominandæ libidinis. Ut ne dicam, quod etiamnum totus & ructas & oles crapulam & temetum: ac mihi quidē modo evomuisse videris. Denique is est totius habitus corporis, ut non tam ætate morbisue, quam crapula quietus marcidus ac fractus videaris. Gen. Ut graphicè hunc suis pinxit coloribus? Pet. Tametsi video te jam dudum mihi, supercilio minantem: tamen haud queo reticere, quod sentio: suspicor, pestilentissimum illum Iulium Ethnicum ab inferis rediisse personatum, ut me videat, adeo tibi cum illo conveniunt omnia. Iul. Madisi. Pet. Quid dixit? Gen. Iratus est, ad hanc vocem nemo Cardinalium non fugitabat: alioquin fustem illum sanctissimum sensurus præsertim à convivio. Pet. Tu mihi vidêre probe callere sensum hominis: proinde dic mihi, quis es? Gen. Ego sum magnus ille Iulii Genius. Pet. Imo, malus, opinor. Gen. Qualiscunque sum, Iulianus sum. Iul. Quin tu nugas istas missas facis, ac fores aperis? nisi mavis effringi: quid multis opus est? vides, cujusmodi ducam comites? Pet. Sanè video latrones exercitatissimos: verùm ne sis insciens, hæ fores tibi sunt aliis armis expu-

expu-

expugnandæ. Iul. Verborum inquam jam satis: ni propere pares, excommunicationis fulmen vel in te torquebo, qui summos aliquando reges, ac adeo regna terrui: bullam vides jam in hæc paratam? Pet. Quod malem fulmen? quod tonitru, quas bullas, quas ampullas mihi narras, obsecro? Nam istorum nihil unquam audivimus à Christo. Iul. At senties, nisi pares. Pet. Si quos olim istis fumis territasti: nihil ad hunc locum: non hic vi res agas oportet: benefactis, non maledictis hæc arx expugnatur. Sed quæso te, tu mihi fulmen excommunicationis minitaris, dic quæso, quo jure? Iul. Optimo: quando jam privatus es, nec aliud, quam quilibet plebeius sacerdos, imò ne sacerdos quidem, ut consecrandi impotens. Pet. Nempe quidem mortuus opinor. Iul. Videlicet. Pet. At ista quidem ratione nihilo mihi præstas, plus quam mortuus. Iul. Imo quam diu Cardinales de novo Pontifice subrogando litigant, mea est administratio. Gen. Ut adhuc vitæ somnia somniat? Iul. Sed jam aperi, inquam. Pet. Ni merita narras, inquam, nihil agis. Iul. quæ merita? Pet. Dicam: excelluisti doctrina sacra? Iul. minime: nec hoc vacabat, tot occupato bellis. Verum abunde satis est fratrum, si quid hoc ad rem pertinet. Pet. Ergo vitæ sanctimonia multos Christo lucrifecisti? Gen. Tartaro quam plurimos. Pet. Claruisti miraculis? Iul. Obsoleta loqueris. Pet. Pure orasti & assidue? Iul. Quas nugas hic gannit? Pet. Iejuniis vigiliisque macerasti corpus? Gen. Desine quæso frustra hæc apud hunc, ne ludas operam. Pet. Ego alias egregii Pontificis dotes non novi: si is magis apostolicas noverit, narret ipse. Iul. Quanquam indigna res est. Iulium illum, omnibus antehac invictum, nunc Petro cedere, ut ne quid aliud dicam, piscatori, ac pene mendico: tamen uti cognoscas, cujusmodi contemnas Principem, audi jam paucis. Principio, Ligur sum, non ut tu Judæus, cum quo mihi vel hoc esse commune doleo, quod naviculator fuerim. Gen. Nihil est, quod id graviter feras. Nam hic quoque permultum interest, quod is victus parandi gratia piscabatur, tu ad stipem exiguam scalmum remis subigebas. Iul. Deinde Sixti Pontificis vere maximi. Gen. De vitiis sentit. Iul. E sorore nepos, hujus singulari favore, meaque industria, primum ad Ecclesiasticas opes, deinde ad gradus Cardinalitii galeri fastigium sum evectus, post multis fortunæ procellis exercitus, ac durissimis casibus sursum jactatus ac deorsum, ac præter alios morbos comitiali quoque obnoxius: denique scabie quoque, quam Gallicam vocant, totus opertus: ad hoc exul, invisus, damnatus, omnibus abjectus ac pene deploratus. Tamen ipse de summo apice Pontificio spem nunquam abjeci: ea erat animi fortitudo, cum tu mulierculæ voce territus statim cesseris: tibi mulier animum ademerat: mihi mulier quædam fatidica sive sortilega fiduciam hanc addiderat, quæ quondam tot merso malis, clam insusurravit in aurem: perdura Iuliane: nihil te pigeat vel facere vel pati triplici olim corôa decoraberis: eris Rex Regû, & Dominus dominantiû. Neq; verò me fefellit vel mea spes, vel illius vaticinium: huc quoque præter omnem spem sum eluctatus, partim ope Gallorum: qui rejectum foverunt, partim inæstimabili vi pecuniarum, multo conflata fœnore, nec id absque ingenio tamen meo. Pet. Quod tu ingenium narras? Iul. Hoc est, non absque promissis ex pacto sacerdotiis, atque in hoc repertis arte fideiussoribus: aliquando quidem tam ingentem pecuniam vix Crassus ipse, præsertim totam, numerasset. Verum hæc frustra tibi narro, quæ nec omnes intelligunt mensarii: habes, quomodo pervenerim. Iam in Pontificatu me ita gessi, ut nemo sit, non dicam priscorum illorum Pontificum, qui solo titulo mihi videntur esse pontifices, sed nec recentiorum, cui tantum Ecclesia, tantum Christus ipse debeat, quantum mihi. Gen. Vt thrasonem agit belua. Pet. Expecto, quorsum evadas. Iul. Nam multis officiis (sic enim vocant) novis repertis, non mediocriter auxi fiscum pontificium. Tum rationem inveni, ut citra Simoniæ vitium Episcopatus emerentur. Nimirum constitutum est à majoribus meis, ut, cui contigerit Episcopatus, is deponat officium: id ita sum interpretatus, Deponere juberis: at non deponitur, quod non habes. Emendum igitur, quod deponas. Hac arte singuli Episcopatus sena statim aut septena ducatorum millia adferebant, præter illa, quæ ex more pro bullis extorquentur. Quin ex nova moneta (qua totam explevi Italiam) non exiguum emolumentum conflavi, nec ulla cessavi parte in accumulandis pecuniis: nimirum intelligens, absque iis, nihil recte geri, neque sacrum, neque profanum. Et ut ad majora veniam, Bononiam à Bentivolis occupatam Romæ sed restitui. Venetos ante invictos omnibus Marte contudi. Ferrariæ ducem diu male vexatum bello, propemodum in nassam illexeram. Conciliabulum schismaticum simulato contra concilio feliciter elusi, & clavum (quod dici solet) clavo pepuli. Postremo Gallos tunc orbi formidabiles universo, ex universa Italia deturbavi, deturbaturus & Hispanos

pag. 63.

nos (nam huc ibam) nisi me fata terris eripuissent. Atq; hic quoque quàm invictum præstiterim animum, vide: Gallis superioribus latebras circumspectare cœpi: canam alebam barbam: rebus propemodum in desperationem adductis, cùm repentè nuncius affertur aureus, apud Ravennam aliquot Gallorum millia trucidata, ibi revixit Julius. Ad hoc, triduum ferme pro mortuo habebar etiam mihi. Atq; hic quoque rursum præter omnium, atq; adeò meam etiam spem revixi. Tantum igitur valet mea vel authoritas vel astucia, ut hodie nemo sit Regum Christianorũ, quẽ non ad arma concitaverim, ruptis, discissis, discussis fœderibus, quibus inter se fuerant arctissime conciliati, proximo quoq; fœdere (quod Cameraci inter me & Gallorum & Rom. Regem, aliosq; coierat principes) ita abolito, ut ejus ne mentio quidem unquã sit facta. Super hæc omnia, cum tantum alverum exercitum, tot splendidissimos triumphos adornârim, tot exhibuerim ludos, tot locis ædificaverim: tamen moriẽs reliqui quinquagies centena millia ducatorum, majora gesturus, si Iudæus ille Medicus, qui diu mihi vitam arte sua prorogârat, amplius proferre potuisset. Atq; utinam nunc quoque Magus aliquis me in vitam restituat, quo egregiis cœptis meis colophonem liceat imponere: tametsi id moriens sedulò curavi, ne bella per me concitata componerentur, dedique operam, ut pecuniæ in eum duntaxat usum essent incolumes: hæc erat suprema vox animã exhalantis. Nunc sic de Christo, sic de Ecclesia merito Pontifici gravâre Christi fores aperire. Atque hæc magis mirabitur, qui perpendet, me hoc solum animi virtute perpetrasse, nullis aliis adjutum adminiculis, quib. alii ferè solent: Non natalibus, cum nec ipse patrem noverim, quod quidem ad gloriam meam dixerim: non forma, cũ larualem faciem omnes horruerint: non literis, quas nunquam attigi: non corporis viribus, quod mihi tale quidẽ contigit, quale superius descripsi: non ætatis favore, senex hæc gessi: non popularitate, nam nemo non oderat: non clementia, qui adeò fuerim inexorabilis, ut in eos quoq; sævierim, quibus alii solent omnia permittere. Pet. Quid hoc rei est? Iul. Sed reluctante fortuna, ætate, corpore, breviter, Diis atq; hominibus, solo tamen meo fretus ingenio & pecuniis, hæc tam paucis annis gessi, tanta relicta materia posteris, ut sit, quod agant, vel in decimum annum. Hæc de meipso verissime quidem, sed modestissimè dixi, quæ si quis eorum, qui Romæ solebant apud me dicere, suis phaleris exornasset, Deum audires, non hominem. Pet. Invictissime bellator, quoniam mihi nova & inaudita sunt omnia, quæ narras, quæso, veniam hanc meo des vel stupori vel imperitiæ, ne molestum sit crassius de singulis percunctanti respondere. Qui sunt isti candidi comatulique? Iul. Hos quidem animi causa alebam. Pet. Qui nigri isti & cicatricosi? Iul. Milites sunt ac duces: qui mea & Ecclesiæ causa fortiter in bello mortem oppetierunt, partim in expugnanda Bononia, complures in prælio adversus Venetos, plerìq; apud Ravennam, quib. omnibus vel ex pacto indulgentiarum debetur cœlum: siquidẽ jampridem magnis bullis sum pollicitus, rectà in cœlum evolaturos, quicunque Iulii auspiciis pugnarent, etiam quæcunq; vita præcessisset. Pet. Proinde quantum conjectura consequor, ex istis erant, qui mihi sæpius ante tuum adventum molesti fuerunt (cum huc tamen non vi conarentur irrumpere) plumbeas quasdam bullas ostentantes. Iul. Ergò non admisisti, quantum audio? Pet. Ego ne unum quidem istius generis. Non ita me docuit Christus, has fores aperiundas his, qui plumbo graves adducunt bullas, sed qui nudos vestierunt, esurientes paverunt, sitienb. potum dederunt, captivos inviserunt, peregrinos collegerunt. Etenim si eos quoq; voluit excludere, qui in nomine suo prophetârunt, qui dæmonia ejecerunt, qui signa fecerunt, ut censes admittendos, qui tantum modò huc bullam efferunt Iulii nomine? Iul. Quid si scissem? Pet. Si quis ab inferis reversus ea tibi nunciasset, bellum indixisses mihi. Iul. Quin & excommunicassem te. Pet. Sed perge, cur armatus ipse? Iul. Quasi nescias, summo Pontifici utrumque esse gladium, aut nisi velis bellare nudum. Pet. Ego sanè cũ istum tenerem locum, nullum novi gladium, nisi gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Iul. At non idem prædicat Malchus, cujus auriculam absque gladio credo amputasti. Pet. Memini & agnosco: sed tunc pro magistro Christo pugnabam, non pro me: pro vita domini, non pro nummis, aut ditione seculari pag.64 tunc pugnabam nondum Pontifex, promissis duntaxat clavib. non acceptis: nõdum accepto Spiritu sancto: & tamen jussus sum recondere, & palàm admonitus, hoc pugnæ genus non convenire sacerdotibus. Imò ne Christianis quidem: verum hæc aliàs. Cur te tam accurate Ligurẽ esse prædicas, quasi quicquam hoc ad Christi vicarium pertineat, qua gente sit oriundus? Iul. Imò summam existimo pietatem, gentem nostram nobilitare. Proinde titulum hunc numismatis, statuis, fornicibus, ac parietibus omnib. inscribo. Pet. Ergò patriam novit, qui patrem non novit? At ego initio putabam, te de cœlesti

Ierusalem, credentium patria loqui, deque illus unico principe, cujus optant illi sanctificari, hoc est, illustrari nomine. Sed addis Sixti ex sorore nepotem: quem quidem hominem demiror nunquam huc accessisse, præsertim cùm & summus fuerit Pontifex, & tibi tanto duci cognatus. Quare dic obsecro, quid hominis fuit, sacerdosne? Iul. Imò miles egregius; tum eximiæ religionis; nempe Franciscanæ. Pet. Equidem Franciscum vidi quendam virum inter laicos optimum; opum, voluptatis; ambitionis summum contemtorem. An pauperculus ille tales nunc habet satrapas? Iul. Quantum video, nolis quempiam ad meliora proficere: pauper erat & Benedictus, & tamen hujus posteri nunc adeò divites sunt, ut nos etiam illis invideamus. Pet. pulchrè: sed ad rem redito de Sixti nepote. Iul. Consultò hoc feci, nempè ut obturem os illis, qui me ex illo prognatum affirmant, nimium liberè. Pet. Liberè, sed num & verè? Iul. Atqui non est istud è pontificia dignitate, cujus ubique habenda est ratio. Pet. At ipsa sui rationem ita demum rectissimè videtur habitura, si nihil admittat, quod jure possit opprobrari: sed per pontificiam majestatem, dic mihi bona fidei ista, estnéiam via vulgaris ac solennis ad summum pontificium perveniendi, quam modo depingebas? Iul. Aliquot jam secula haud fuit alia, nisi fortè, qui mihi successurus est, alia creabitur via. Nam ipse summum assecutus potificatum, statim certâ formidabili bullâ cavi, ne quis simili ratione penetraret, eam bullam & paulò ante mortem renovavi: quantum sit valitura, viderint alii. Pet. Opinor, neminem rectius id malum describere potuisse: sed illud miror, quenquam inveniri, qui munus hoc velit suscipere, præsertim cum tot occupationibus sit obnoxium, & tanto negocio ad id sit eluctandum. Nam me Pontifice vix quisquam vi poterat adigi, ut presbyteri aut diaconi susciperet honorem. Iul. Neque mirum adeò: nam illis temporib. status Episcoporum & patrum nihil aliud erat quam labores, vigiliæ, jejunia, doctrina; sæpenumerò mors. Nunc regnum est ac tyrannis: & quis pro regno, si spes sit, non dimicet? Pet. Sed age, quid Bononia, num à fide desciverat, ut fuerit sedi Romanæ restituenda? Iul. Bona verba, non hoc agebatur. Pet. Fortasse Bentivolo male administrante marcebat Resp. Iul. Imò maxime florebat: at civitas ea multis ædificiis aucta & illustrata, & ob eam rem impensius inhiabam. Pet. Intelligo, Præter jus igitur invaserat? Iul. Nec hoc quidem, ex pacto possidebat. Pet. Cives ergò non ferebant eum principem? Iul. Imò mordicus illum tenebant: me aversabantur universi ferme. Pet. Quid igitur causæ? Iul. Nempe quod ille sic administrabat, ut ex immensa pecunia, quam à civitate collegerat, vix paucula illius ad nostrum redirent fiscum. Præterea sic expediebat ad id, quod cum agitabam animo. Itaque Gallis operam navantibus & nonnullis meo fulmine territis, profligatis Bentivolis, Cardinales & Episcopos urbi præfeci, ut nulla pars emolumentorum non rediret ad usum Rom. Ecclesiæ. Adhæc, titulus & Imp. dignitas illius esse videbatur: nunc undique nostræ visuntur statuæ, nostri leguntur tituli, nostra adorantur trophæa: ideò passim Iulius æneus stat & saxeus. Denique si spectasses, quàm regali triumpho Bononiam sum ingressus, fortasse contemneras omnes Octaviorum ac Scipionum triumphos, & intelligeres, me non absque causa tam strenuè pro Bononia dimicasse: vereq; spectasses eodem tempore, & militantem & triumphantem Ecclesiam. Pet. Ergo te regnante, quantum audio, contigit illud, orare quod nos jusserat Christus: Adveniat regnum tuum. Iam vero Veneti quid admiserant? Iul. Primum græcissabant, & me propemodum pro deliramento habebant, nihil non convitiorum in me jacientes. Pet. Verorum an falsorum? Iul. Quid refert: sacrilegium est, de Rom. Pontifice vel mutire, nisi in laudem. Denique sacerdotia suo conferebant arbitratu: nullas lites huc transferri patiebantur. Nullas jam mercabantur dispensationes. Quid multis opus est? intolerabili jactura Romanam sedem affligebant, quippe qui non exiguam insuper patrimonii tui partem occupârant. Pet. Mei patrimonii? quod obsecro mihi narras patrimoniū, qui relictis omnibus nudum Christum nudus sum secutus? Iul. Aliquot inquam oppida, sedi Rom. debita: sic enim peculiarem illam possessionum suarum partem, sanctissimis patribus placuit appellare. Pet. Mea quidem infamia probe vestris lucris consulitis. Hanc igitur appellas jacturam intolerabilem? Iul. Quidni? Pet. Vtrum corrupti mores: refrixerat pietas? Iul. Apage, de nugis agis, imo detrahebantur nobis infinita ducatorum millia, quotque vel legioni militum alendæ sufficiebant. Pet. Magna sane jactura fœneratori. At Ferrariensis ille quid tandem designârat? Iul. Quid ille homo hominum omnium ingratissimus, huic honorem eum habuerat ille Christi vicarius Alexander, ut alteram filiam illi daret uxorem, addidit dotis nomine luculentissimam ditionem, homini alioquin ignobili, ta-

men

men immemor tãtæ humanitatis: semper oblatrabat mihi simoniacum pederastẽn, ac emotæ mentis hominem dictitans, & insuper vectigalia nonnulla vendicabat, non illa quidem maxima, tamen haudquaquam aspernanda diligenti pastori. Gen. Imo negociatori. Iul. Adhæc, quod veriùs ad rem pertinet, expediebat hoc ad id, quod parabam, hæc Imperii mei ditioni copulari, propter situs opportunitatem. Proinde conatus sum, hoc deturbato, ditionem meam cognato meo conferre, viro strenuo, & quidvis pro dignitate Ecclesiæ ausuro, ut qui nuper suapte manu Cardinalem Pampiensem in nostram gratiam confoderit. Nam filiæ maritus sua sorte contentus est. Pet. Quid audio? Uxores & liberos habent summi Pont. Iul. Vxores quidem non habent: liberos autem eos habere, quid monstri est: qui viri sunt, non eunuchi? Pet. Sed quæ tandem res coëgerat schismaticum conciliabulum? Iul. Perlongum fuerit, rem à prima repetere origine. Dicam summatim. Jam quosdam tædere cœperat Romanæ curiæ. Aiebant, turpi quæstu, prodigiosis ac nefandis libidinibus, veneficiis, sacrilegiis, cædibus, simoniacis nundinis, inquinata esse omnia: meipsum ajebant simoniacum, temulentum, spurcum, mundano turgidum spiritu, & omnibus modis eum, qui locum illum indignus, cum summa Christianæ Reipublicæ pernicie occuparim. Itaque generali concilio succurrendum esse rebus tam afflictis. Addebant, adjuratum me, ut post acceptum honorem intra biennium, generale concilium indicerem, hac lege creatum pontificem. Pet. atque id verè dictum. Iul. Imò & factum. At ipse me ab eo jurejurando, cùm visum est, absolvi. Quis autem dubitet vel quidvis deierare, cum de regno agitur? in aliis colenda pietas, ut eleganter ille Julius dixit, alter ego. Sed audaciam hominum specta: vide quorsũ evadant: desciscunt novem Cardinales: denunciant mihi concilium: invitant, orant, ut præsideam: cum non impetrant, inducunt universis authore Maximiliano tanquam Imperatore (quod historiæ testantur, olim ab Imperatoribus Romanis concilium indici solere) authore item Gallorum Rege Ludovico, ejus nominis duodecimo (horresco referens) ac tunicam illam Christi inconsutilem conantur discindere, quam hi quoq; reliquerunt integram, qui Christum crucifixerunt. Pet. Eras homini, qualem illi prædicabant, similis? Iul. Quid ad rem? summum etiam Pontificem finge vel Cercopibus sceleratiorem, vel Morycho stultiorem, indoctiorem stipite, spurciorem lernâ: quisquis hanc tenet potentiæ clavem eum decet ut Christi vicarium revereri, ut sanctissimum suspicere. Pet. Etiam aperte malum? Jul. Vel apertissime. Quin non ferendum est, ut is qui Dei vicem agens in terris, omnino Deum quendam inter homines præstat, à quopiam homuncione reprehendatur, aut conviciis violetur. Pet. Atqui reclamat sensus communis, ut bene sentiamus de eo, quem palàm sceleratum cernimus: aut bene loquamur de eo, de quo male sentimus. Jul. Cogitet quisque, quod volet, modò benè loquatur, aut certè sileat. Porrò reprehendi non potest Romanus Pontifex, nec à concilio generali. Pet. Unum scio. Qui Christi vicem sustinet in terris, debere quam potest, illi simillimum esse, atque ita vitam omnem peragere, ne quid in eo possit reprehendi, neve quidquam merito de illo male loqui queat. Male vero cum Pontificibus agitur, si ut bene de se loquantur homines, minis extorquent potius, quam benefactis impetrant, quos nisi mentiendo laudare non possis, quorum summa gloria sit hominum male sentientium coactum silentium. Verum illud mihi responde, nulla ratione potest summoveri scelerosus ac pestilens pontifex? Jul Ridiculum. A quo amoveretur, qui summus est? Pet. Atqui ob id ipsum maxime debebat amoveri, qui summus est. Nam quo major, eo perniciosior. Si humanæ leges Imperatorem, male rem administrantem, non solum abdicant, verum etiam capitis afficiunt supplicio: quænam est tam infelix Ecclesiæ conditio, ut Romanum Pontificem, omnia subvertentem, ferre cogatur, nec ullo pacto possit publicam pestem depellere? Jul. Atqui si corrigendus est Romanus Pontifex: per concilium corrigatur oportet. Porro concilium cogi non potest, invito Pontifice: alioqui conciliabulum fit, non concilium. Quod si maxime cogatur: nec statui quicquam potest, refragante Pontifice. Denique restat extremum præsidium, absoluta potestas, qua longe ipsum superior est unus Pontifex universo concilio. Cæterum summoveri sacerdotio non potest, ob quodvis crimen. Pet. Num ob homicidium? Iul. Non ob parricidium. Pet. Non ob fornicationem? Iul. Bona verba: heu ne ob incestum quidem. Pet. Non ob simoniacam impietatem? Iul. Non ob sexcentas. Pet. Non ob veneficium? Iul. Ne ob sacrilegium quidem. Pet. Non ob blasphemiam? Iul. Non inquam. Pet. Non ob hæc omnia simul, in unam ceu lacunam conflata? Iul. Adde, si libet, sexcenta flagitiorum nomina, his quoq; fœdiora: non potest tamen Romanus

pag. 65

Pontifex ab isto summoveri loco. Pont. Novā mihi Rom. Pontificis dignitatē prædicas: siquidē huic soli licet impunè pessimum esse. Qin magis novā infelicitatē & Ecclesiæ, si tale portentū nulla via queat excutere, talemque cogatur adorare pōtificē, cujusmodi nemo tolleraret stabulariū. Iul. Quidam ob unum duntaxat amoveri dicunt. Pet Ob quod obsecro benefactum? quandoquidem ob malefacta non potest, si ob hæc, quæ dixisti, non potest. Iul. Ob crimen hæreseos: & ita demum, si publice sit convictus: verùm id quoque frivolum est. Neq; vel tantillum officit pontificiæ majestati. Primum illi in manu est legem ipsam abrogare, si minus placeat. Deinde quis ausit summum Pontificem in crimen vocare, præsertim tot armatum præsidiis. Adhæc, si forte prematur concilio: facilis est palinodia, si inficiari non liceat. Postremò, mille sunt cuniculi, quibus facile possit elabi, ni prorsus stipes sit, non homo. Pet. Sed dic mihi per pontificam dignitatem, quis leges istas tam præclaras condidit? Iul. Quis alius, nisi fons legum omnium, Rom. Pontifex? Atqui ejusdem est legem abrogare, interpretari, dilatare, utcunque visum est suis expedire commodis. Pet. felicem profectò pontificem, si legem ferre possit, qua Christum etiam eludat, nedum concilium: quanquam adversus hujusmodi pontificem, cujusmodi tu modò descripsisti, palam scelerosum, temulentum, homicidam, simoniacum, veneficum, perjurum, rapacem, portentosis libidinum generibus undique conspurcatum, idque propalam, non tam optandum generale concilium, quam ut plebs armata saxis, ut publicam orbis pestem è medio tollat. Verùm age, dic mihi, cur Rom. Pont. tantopere horreat generale concilium? Iul. Quin idem à monarchis quæris, cur senatum & celebres consessus oderint, nempe quod turba tot excellentium virorum nonnihil obscuraretur regia dignitas. Qui docti sunt, his literæ fiduciam reddunt: qui bonâ conscientia freti liberiùs loquuntur, quam nobis expediat. Qui dignitate præditi, authoritate utuntur suâ. Accedunt & inter hos nonnulli, quæ invident gloriæ: & hunc animum secum afferunt, ut minuant Pontificis & opes & authoritatem. Præterea nullus hîc assidet, quin putet sibi aliquid adversus Pontificem licere, concilii titulo: nimirum aliàs invictum. Proinde vix ullum concilium tam feliciter cessit, qnin summus ille Pontifex non ali-
pag.66 quam majest. suæ jacturam senserit, minusq; summus discesserit: cujus rei vel ipse testis esse poteris, nisi prorsus excidit. Namquantumcunque quidem de rebus agebatur leviculis, nō de Imperiis & regiis censib9. cùm Iacob9 ausus est tuæ orationi nonnihil de suo addere. Etenim cū tu Gentiles onere Mosaicæ legis in totum liberares: Iacobus succedens fornicationem excepit, & sanguinem & idolothytum, veluti corrigens tuam sententiam, ut hodie sint, qui hac re cōmoti, non tibi, sed Iacobo putent fuisse summi Pontificis autoritatem. Pet. Vnum igitur spectandum existimas, ut salva sit regia summi Ponficis majestas, ac non magis publica utilitas rei Christianæ? Iul. Ad suum quisq; negocium speciet: nos nostrū agimus negocium. Pet. Atqui si Christus idem fecisset: jam non esset Ecclesia, cujus te Monarcham jactitas esse. Et non video, quî conveniat, ut qui Christi Vicarius appellari gaudeat, Christo diversa sequatur: sed illud jam expedi, quanam arte schismaticum illud, uti vocas, concilium discusseris? Iul. Dicam equidem: assequere, si potes. Primum Imp. Maximilianum, cum per solennes nuncios concilium indixerat, per non dicendos modos ab instituto subduxi. Præterea Cardinales aliquot arte simili persuasi, ut quod publicatis iam instrumentis statuerant, rursum accitis notariis & testibus negarent. Pet. An istud licet? Iul. Quidni liceat, approbante summo Pontifice? Pet. igitur si volet, jusjurandum non est, ut à quo passim, quos vult, liberat? Jul. Sed tamen ut ingenuè dicam, erat id paulò quidē impudentius, verùm non patebat via commodior. Deinde cum videbam futurum, ut nonnullorum invidia concilio premerer, maximè quod sic esset indictum, ut non excluderer, sed suppliciter invitarer rogarerque præsidere. Vide, quam jam technam repererim, superiorum secutus exemplum. Ipse vicissim *Pisie* ad concilium provocavi, causans, nec tempus, nec locum satis esse idoneum, quem quidem illi præstituissent, & Romæ subito concilium indixi, quo neminem venturum arbitrabar, Iulio non amicum, aut certe non obsequium daturum. Sic n. multis exemplis docueram. Ac protinus in hūc usum complures Cardinales creavi, meis institutis accommodos. Gen. Hoc est, facinorosissimos. Iul. Rursum hoc concilium nisi indixissem, concilium non fuisset: & tamen haudquaquam expediebat rebus meis, tantam Episcoporum & Abbatum turbam huc confluere, inter quos fieri non potest, quin aliquot probi piique fuerint futuri. Itaque monui, ut sumtib. parcerent, & singulæ regiones unum aut alterum duntaxat mitterent. Deinde cum hoc quidem satis tutum viderem, at paucos ex tot provinciis ad magnū rediturosnumerum: denuo illis jam ad iter accinctis denunciavi, ne venirent. Concilium in aliud tempus pro-

prorogandum: consentius ad id causas utrinque probabiles: atq; his artib. exclusis undecim fit. Rursum antevertens quem praescripseram diem Romae concilium indixi cum his duntaxat, quos ad id paraveram: inter quos etiam si qui fuerant, qui dissentirent, & me tamen illud certum habebant, Iulio neminem refragaturum, tantis agminis & satellitib. stipato. Jam [illegible] hunc modum ingentem invidiam movi Gallicano illi concilio: dimissis quoquoversum literis, in quib. de nostro sacrosancto concilio faciebam mentionem, concilium illorum execrans, conventiculum Sathanae, conciliabulum Diaboli, schismaticam conspirationem subinde nominans. Pet. Oportet sceleratissimos fuisse Cardinales, autores ac principes concilii. Iul. De moribus nihil queror: sed caput huius negocii fuit Cardinalis Rothomagensis, qui nescio qua sanctimonia semper huc spectavit, ut Ecclesiam redderet emendatiorem. Idque fecit locis aliquot. Hunc mors eripuit, mihi rem faciens omnium gratissimam. Successit huic Cardinalis titulo sanctae crucis, Hispanus, vitae quidem inculpatae, sed rigidus senex ac Theologus. Quod quidem genus hominum fermè solet esse infestum Rom. Pontificib. Pet. Atqui Theologus huiusmodi nihil habebat, quod suo facto praesertim obiiceret? Iul. Permulta: aiebat, nulla fuisse tempora inquinatiora, quam tunc essent: nunquam Ecclesiae morbos magis intolerandos. Itaque generali concilio succurrendum. Me, cum ad summum pontificium admitterer, sacramentis adactum, ut secundo ab initio pontificatus anno concilium indicerem, & id additum, ut nec a Cardinalium consensu possem absolvi. Deinde saepe a fratribus Cardinalibus meis admonitum, & rogatum, interpellatum à principibus, quidvis potius hoc in aurem admisisse, ita ut palam [illegible], Iulio vivo, nunquam futurum concilium. [illegible] exempla superiorum conciliorum. Citabant leges aliquot pontificias, quibus ostendebant, me cum meis detrectantibus concilium: ad se ius indicendi devolutum. Caeteris item principibus conniventibus, indicendi munus ad Imperatorem Rom. qui olim solus indicebat: & ad Gallorum Regem, qui praecipuus esset, pertinere. Pet. Num interim in te nefanda dicta scribebant? Iul. Imò lurcise- [illegible] plus sapiebant, quam volebam. Rem calidissimam mirâ modestiâ tractabant: & non solum temperabant à maledictis, sed me nunquam nisi cum honorifica praefatione nominabant: rogantes & obtestantes, per omnia sacra [illegible], ut quod me dignum erat, quodque iurando pollicitus essem, concilio indicto praesiderem, pariterq. secum sanandis Ecclesiae malis operam commodarem. Nec dici potest, quantum haec temperantia mihi conflarit invidiae, praesertim cum omnia si a sacris literis condirent. Nam apparet, eruditos aliquot ad id adhibitos. Addebant interim ieiunia, orationes, miram vitae frugalitatem, ut magis etiam me premerent opinione sanctitatis. Pet. Tu contrà, quo titulo concilium indixeras? Iul. Longè splendidissimo. Ostendebam, mihi in animo esse primùm corrigere caput Ecclesiae, hoc est, me ipsum: Deinde principes Christianos: Postremò plebem universam. Pet. Bellam audio comoediam: sed jam expecto catastrophen. Iuvat audire, quid Theologi illi in Satanae conciliabulo statuerint. Iul. Indigna, abominanda, refugit animus commemorare. Pet. Obsecro, nefanda? Iul. prorsus impia, sacrilega, plus quàm haeretica, quibus nisi manibus obstitissem, imò armis pariter atque ingenio, actum erat de dignitate Ecclesiae Christianae. Pet. Tantò magis expecto, quae sint ista. Iul. p. 96. Horresco referens. Id agebant scelesti, ut Ecclesiam, tot opibus ac tanta ditione florentem, ad veteres illas sordes ac miseram frugalitatem revocarent: ut Cardinales, qui nunc vitae strepitu quo suis antecellunt tyrannos, ad paupertatem redigerentur: ut Episcopi multò contractius viverent, minus satellitum, minus alerent equorum. Decreverant, ne passim Cardinales absorberent Episcopatus. Illos, qui per fas (ut aiebant) nefasque sexcenta, si possent, cumularent sacerdotia, coërcendos censebant, ut iis essent contenti censib. qui frugali sacerdoti satis essent. Ne quisquam crearetur summus Pontifex, aut Episcopus, aut sacerdos interventu munerum, aut respectu favoris aut turpis obsequii, sed duntaxat ex vitae meritis. Quod si compertum esset, illicò submoveretur, ut liceret, Rom. Pont. palam facinorosum ab honore depellere: ut Episcopi scortatores ac temulenti privarentur administratione: ut sacerdotes, palam facinorosi, non solum sacerdotio, verum membro corporis mutilarentur: aliaque id genus permulta. Nam omnia referre piget, quae prorsus eo tendebant, ut nos oneratent sanctimonia, divitiis & imperio spoliarent. Pet. Quid contra haec statuebant in illo sacrosancto concilio Romano? Iul. Jam videris mihi oblitus, quod dixi, me nil aliud agere voluisse concilii praetextu, nisi ut clavum clavo pellerem. Primus ille conventus consecratur solennibus quibusdam ceremoniis ex antiquitate relictis, quas ob antiquitatem utcunque ple-

am, si modo numerent, & principem agnoscant vectigalibus. Verum hos omnes excidimus digne, ut proxime Graecos, quod homines nimium tenaces parum agnoscerent Romani pontificis majestatem. Pet. Ergo *Rom.* sedes totius orbis veluti horreum est? Iul. Magnum verò id videtur, si omnium metamus carnalia, cum omnibus nostra spiritualia seminemus? Pet. Quae narras spiritualia? Nam adhuc quidem praeter mundana audio nihil: fortasse doctrina sacra trahas ad Christũ? Iul. Sunt, qui concionentur, si velint: nec eis prohibemus, modo ne dicant adversus majestatem nostram. Pet. Quid igitur? Cur regib. datur, quicquid exegerint, nisi quia his acceptum referunt, quicquid possident, etiamsi nihil acceperunt? Ita quicquid est sacri unquam, nobis imputandum est, etiamsi totam sterteamus vitam. Quanquam praeter ista largissime donamus indulgentias exigua pecuniola, dispensationem in rebus gravissimis non maxima summa, passim omnibus obviis benedicimus, idque gratis. Pet. Equidem nihil horum intelligo: sed redi ad id, quod institutum erat. Quamobrem tua sanctissima majestas tantopere barbaros horreat, ut coelum terrae miscendum duxeris, quo illos ab Italia depelleas? Iul. Dicam. Superstitiosum est cum omne barbarorum genus, tum praecipue Gallorum. Nam cum Hispanis non pessime nobis convenit, sive linguam spectes sive mores. Quanquam hos quoque submotos volebam, quo prorsus liceret more nostro agere. Pet. Colunt praeter Christum & alios Deos? Iul. Imò Christum ipsum nimis anxie colunt. Antiquis quibusdam & jam pridem obsoletis vocabulis mirum est, quam adhuc homines stultissimi permoveantur. Pet. Forte magicis? Iul. Nugaris, imo simonia, blasphemia, sodomia, veneficio, sacrilegio. Pet. Bona verba. Iul. itidem ut tu nunc abominaris, & isti. Pet. Omitto nomina, quae res sunt apud vos, bene dicam apud ullos Christianos. Iul. Sane barbari non ipsi vacant vitiis, sed cum diversis laborarent, nostra execrantur, suis blandiuntur. Nos contra nostris blandimur. Nos abominandum probrum ducimus, ac per fas, nefasque fugiendum, paupertatem: illi vix esse Christianum existimant opib. frui, vel sine fraude quaesitis. Nos ebrietatem nec nominare audemus (quanquam hac in parte non ita vehementer ab illis dissentiamus, si caetera conveniant) at Germani leve putant erratum, & festivum magis, quam scelestum. Usuram vehementer execrantur illi. At [illegible]nos nullum hominum genus aeque necessarium Ecclesiae Christi. Venerem praeposteram usque adeo spurcam ducunt ibi, ut si quis vel nominet modò, & aërem & Solem existiment pollui. Nobis longè sententia diversa est. Item simoniam, jam olim à rerum natura sublatum vocabulum, velut umbram formidant illi, & antiquatas jam veterum leges mordicus tenent. Nos aliò spectamus. Atque hujusmodi permulta sunt alia, in quibus dissimili vitae instituto procul arcendi sunt à nostris mysteriis, magis suspecturi, si nesciant. Nam si semel intellexerint arcana curiae nostrae, protinus evulgant. Et nescio, quo pacto ad vitia reprehendenda sunt oculatissimi. Scribunt maledicentissimas ad suos literas. Clamitant passim, apud nos non esse sedem *Christi*, sed sentinam Satanae. De me disputant, num sim assecutus pontificatum sic vivens: num pro pontifice sim habendus? At ita primùm minuerant nostram apud ignotos sanctitatis opinionẽ, simul & autoritatem, qui adhuc de nob. nihil audierant, nisi quòd *Christi* vicem gereremus, & proximam, atque adeo parem potestatem teneremus. Atqui his è rebus intolerabilis Ecclesiae *Christianae* jactura nascitur. Dispensationes & paucioris & minoris vendimus. Minor census redit ex Episcopatibus, & sacerdotiis & abbatiis. Vulgus, si quid exigitur, malignius dat: breviter, undecunq; paucior quaestus, & rariores nundinae. Postremo fulmina quoque nostra minus ac minus horrent. Quod si semel eò processerit audaciae, ut dicant, sceleratum pontificem nihil agere, ac fulmen minasque contemserint: nobis ad famem planè redierit res. Quòd si procul abfuerint, ita ingenium est barbarorum, impensius venerabuntur, nostrisque literis commodò scriptis ex animi sententia rem gerent. Pet. Non optimè nobiscum agitur, si hinc pendet authoritas apostolica, ut vita ignoretur, nesciantur technae. Nos nihil aliud optabamus, nisi ut universis esset cognitum, quicquid vel in cubiculis ageremus. Atque ita demum plurimi fiebamus, si verè innotuissemus. Verum illud expedit, adeò religiosos principes nunc habet mundus, tantaque est apud illos sacerdotum reverentia, ut ad unius atque adeo talis nutum, ad arma descenderent universi. Nam meis quidem temporibus hos infestissimos hostes patiebamur. Iul. Quantum ad vitam attinet, non sunt admodum superstitiosi Christiani. Nos planè contemnunt ac pro [illegible]mentis habent: nisi quod aliquot ex his infirmiores nonnihil metuunt terrificum illud fulmen excommunicationis. Nec hi tamen perinde re atque opinione commoventur. Sunt, qui nostras opes

vel sperant vel metuunt, eoque nonnihil nostræ deferunt authoritati. Quibusdam persuasum, ingens aliquod infortunium manere hos, qui sacerdotibus qualibuscunque negotium facessunt. Omnes fermè ut sunt civiliter educati, nonnihil tribuunt ceremoniis, præsertim à nobis provocati. Nam ceremoniæ ceu fabulæ quædam vulgo dantur. Cæterùm res interim seriò agitur. Nos illos magnificis titulis decoramus, etiamsi sint sceleratissimi: hunc Catholicū appellantes, illum serenissimum, alium, illustrissimum alium augustum, omnes dilectos filios nominamus. Illi vicissim nos sanctissimos patres in suis literis vocant, & aliquoties ad oscula pedum se submittunt. Et ubi non multum negocii vertitur, cedunt nonnunquam autoritati nostræ, quò sibi pietatis opinionem apud vulgus pareut. Nos illis rosas mittimus consecratas, tiaras, gladios, & illorum dignitatem maximis bullis confirmamus. Illi vicissim mittunt equos, milites pecuniam, nonnunquam pueros, atque ita mutuum (quod ajunt) muli scabunt. Pet. Si tales sunt, nondum intelligo, quo pacto potueris summos Reges ad gravissima bella concitare, præsertim ruptis tot fœderibus. Iul. Atqui si nunc assequi possis ea, quæ dicam, intelliges ingenium plus quam Apostolicum. Pet. Adnitar equidem, quoad potero. pag. 66 Iul. Illud inprimis mihi studio fuit, omnium gentium, præcipuè principum ingenia, mores, affectus, opes & conatus pernoscere, cui cum quo conveniat, cui cum quo dissidium sit. Deinde his omnibus ad nostram commoditatem uti. Principiò Gallos facile concitavimus in Venetos, quod inter hos intercederet fœdus atque antiqua simultas. Deinde sciebamus, eam gentem avidam Imperii prorogandi. Et Veneti illorum quoque nonuullas urbes occuparant. Itaque meum negocium cum illorum negocio miscui. Tunc Imp. quanquam non admodum amicus Gallo, tamen quia non erat alia spes à Venetis recipiendi, quæ tenebant (tenebant n. urbes aliquot egregias) pro tempore se huic bello adjunxit. Deinde cum non placeret, Gallos supra modum crescere (res enim successerat felicius, quam volebam) primùm Hispaniarum Regem in eos extimulavi, primum hominem fidei non admodum adamantinæ: deinde cujus magnopere referebat, utcunque premi Gallorum potentiam, cùm ob alia multa, tum præcipuè, ne quando ditione Neapolitana excluderetur. Adhæc Venetos tametsi non probarem, fictè tamen in gratiam recepi, ut hos quoque recentis cladis dolore exacerbatos in Gallos immitterem. Rursum Imp. quem paulò ante cum Gallis conjunxeram, ab illis distraxi: idque partim literis, partim nunciis, renovato veteri in Gallus odio. Iam Anglis sciebam genuino odio esse Gallorum gentem & his conjunctissimos Scotos. Adhæc intelligebam nationem esse praeferocem, & belli cupidam: idque potissimum prædandi spe. Tum etiam superstitiosam aliquantulum, quod longissimè absit à Roma. Postremo id temporis, nova libertate (quæ tandem illis morte regis omnium severissimi contigerat) insolentes ac pene tumultuantes, ut facilè jam possent ad quamvis insaniam extimulari, quod maximè volebam. Accessit ad opportunitatem rerum mearum Rex admodum adolescens vel puer potius, nuper regno potitus, ingenio acri vividoque, ac verè juvenili, hoc est, inquieto & bellicoso, nec ætate tantum ambitiosus, & ad res non mediocres erectus. Qui jam tum a primis annis huc spectasse dicebat, ut Gallos adoriretur armis. Super omnia affinis erat Hispano Regi, quem jam ad arma traxeram. Hisce rebus omnibus usus sum ad Ecclesiæ commoditatem: ac sexcentis literis, non absque ingenio scriptis, tandem involvi principes bello omnium gravissimo. Neque verò quenquam cæterorum intentatum reliqui, neque regem Ungarorum, neque Lusitaniæ, neque Burgundionum regibus parem ducem. Verùm quia ad hos nihil harum rerum attinebat, repellere non quivi, ac sciebam, his tumultuantibus neminem cæterorum quieturum. Hi igitur cùm suo morem gererent animo, tamen honestissimum titulum acceperant à nobis, ut quò majorem cladem inferrent populo Christiano, hôc religiosius viderentur Ecclesiam Dei protegere. Atque uti magis admireris vel ingenium meum, vel felicitatem: belligerabatur id temporis Hispaniæ Rex cum Turcis, incredibili rerum successu, maximoque suo quæstu, & tamen illis omnibus omissis, in Gallum universas vires convertit. Adhæc Imp. non fœderibus modò multis, verùm etiam beneficiis immensis devinctus erat Gallis, vel hoc nomine, quod horum sumtu operaque, suas in Italia civitates recepisset. Et huic erat quod ageret: nempe ut Geldros hostes gravissimos (in quos belli suscipiendi fuerat autor) à nepote suo Burgundionum principe depelleret. Et tamen effeci, ut suis omissis meum ageret negocium. Cùm nulla gens sit, apud quam minùs valeat summi pont. authoritas, quam Anglorum (id quod protinus liquebit, si quis Divi Thomæ Cantuariensis Episcopi vitam, ac veterum Regum constitutiones evolverit) ea tamen gens, alioqui exactionum impatientissi-

entissima ; passa est se propemodum deglubi. Mirum autem, quam sacerdotes quoque à nob. consueverint, quicquid possunt subtrahere, his quantumvis mulctas admisetint, haud perpēdentes, cujusmodi fenestram Regibus in posterum aperuerint : quanquam nec ipsi reges satis animadvertebant, quod exemplum induxerint adversus seipsos : nempe ut liceat Rom. Pontifici regno movere, quem oderit principem. Et Rex adolescens majore etiam motu re aggressus est, quam volebam, aut quam jusseram, tametsi malebam in hanc peccari partem. Jam verò fuerit nimis longum explicare sigillatim, quibus artibus eos principes ad tam periculosum bellum excitarim in Christianos, quos nullus unquam pontifex vel in Turcas potuit excitare. Pet. At fieri potest, ut bellorum incendium per te suscitatum, universum denique mundum corripiat. Iul. Corripiat sanè, modò Romana sedes dignitatem & possessiones tueatur suas. Tametsi conatus sum omnem belli molem ab Italis in barbaros reiicere : dimicent illi, quantum velint, nos spectabimus, & fortassis illorum fruemur insania. Pet. Hæc ergò nihil pertinent ad pastorem & patrem sanctissimum & Christi vicarium? Iul. Cur excitant schisma? Pet. Atqui peccata nonnunquam ferenda sunt, si plus malorū est à medela. Deinde si tu concilium admisisses, non erat locus schismati. Iul. Bona verba. Ego sexcenta bella malim, quam conciliumquod si me submovissent à pontificio veluti simoniacum & negociatorem pontificii, non pontificem. Quid? si omnem vitam meam prodidissent in vulgus? Pet. Etiam si verus pont. esses; tamen satius erat honori cedere, quam tantis orbis Christiani bellis malis tuam tueri dignitatē. Si modo dignitas est, Episcopatus indigno commissus, ac ne commissus quidem, sed & emtus & arreptus. Vnde illud mihi obiter venit in mentem, te concilio quodam divino Gallis extitisse pestem, qui priùs Ecclesiæ te pestem invexerint. Iul. Per triplicem coronam juro, perque meos clarissimos triumphos, si mihi bilem moveris, senties & tu vim Iulii. Pet. O phræneticum. Verùm hactenus quidem nihil audio, nisi ducem non Ecclesiasticum, sed mundanum, plurimum potuisse ad discindenda fœdera, ad inflammandum bella, ad strages hominum excitandas. Ista Satanæ potestas est, non pontificis. Qui CHRISTI vicarium se fecit, cum oportet ad illius exemplar quam proximus accedere. Est in illo summa potestas, sed cum summa bonitate conjuncta. Et summa sapientia, sed simplicissima. In te potestatis imaginem video, cum summa malicia summaque stultitia copulatam. Quod si malorum princeps diabolus vicarium sibi cupiat subrogare, quem potius adsciscat, quam tui similem? Dic, ubi, ubi verum apostolicum egeris? Iul. Quid magis apostolicum, quam augere Christi Ecclesiam? Pet. Atqui, si Ecclesia est populus Christianus, Christi spiritu conglutinatus : subvertisse mihi videris Ecclesiam, qui orbem universum ad teterrima bella excitaris, quo tu impunè malus & pestilens esses. Iul. Nos Ecclesiam vocamus sacras ædes, sacerdotes, & præcipue curiam Rom. me inprimis, qui caput sum Ecclesiæ. Pet. At Christus nos ministros fecit, se caput, nisi nunc secundum accreverit. Sed quibus tantum aucta est Ecclesia? Iul. Nunc ad rem accedis, itaque dicam. Illa olim famelica omnium & pauper Ecclesia, nunc adeo floret ornamentis omnibus Pet. Quibus? ardore fidei? Iul. Rursum nugaris. Pet. Sacra doctrina? Iul. Obtundis. Pet. Contemtu mundi? Iul. Sine me dicere, veris inquam ornamentis : nam isthæc verba sunt. Pet. Quib. igitur? Iul. Palatiis regalibus equis & mulis pulcherrimis, famulatu frequentissimo, copiis instructissimis, satellitiis exquisitis. Gen. Scortis formosissimis, lenonibus obsequentissimis. Iul. Auro, purpura, vectigalibus ut nullus Regum non humilis ac pauper videatur, si cum Rom. Pont. opibus strepituque conferatur. Nemo tam lautus, qui nsuam condemnet frugalitatem : nemo tam nummatus, nec fœnerator, quin nostris invideat opibus : hæc inquam ornamenta & tutatus sum & auxi. Pet. Sed dicito mihi, quis omnium primus istis ornamentis inquinavit & oneravit Ecclesiam, quam Christus purissimam pariter & expeditissimam esse voluit? Iul. Quid istud ad rem attinet? Certe, quod est caput, tenemus, possidemus, fruimur, quanquam ajunt, Constantinum quondam universam Imp. sui majestatem in SylvestrumRom. Pontificem transfudisse, phaleras, equos, currus, galeam, baltheum, plaudamentum, satellitium, enses, coronas aureas, & auri quidem purissimi, exercitus, machinas bellicas, urbes, regna. Pet. Et extant munificentiæ certa monumenta? Iul. Nulla præter paleam unam decretis admixtam. Pet. Fabula fortassis est. Iul. Id vel ex meipso conjicio. Quis enim sanus tam magnificum Imp. cederet vel patri? sed tamen valet, libet credere, & omnibus hæc refellere conantibus, silentium magnis minis indicimus. Pet. Atqui nihil adhuc audio nisi mundum. Iul. Tu fortasse veterem illam Ecclesiam ad huc somnias, in qua tu cum famelicis aliquot Episcopis frigi-

pag.70

frigidum sanè Episcopum agebas, paupertati, sudori, periculis, ac mille obnoxius incommodis. Iam ætas in melius commutavit omnia. Alia longè res nunc est Rom. Pontifex: tu nomine tituloque duntaxat eras pontifex. Quid nunc? si videres tot sacras ædes, regiis extructas opibus, tot ubique sacerdotum millia, plerosque censu amplissimo, tot Episcopos armis & opib. summis pares regib. tot splendidissima sacerdotum palatia. præcipuè verò, si Romæ nunc videas tot purpuratos Cardinales, legionib. famulorum stipatos, tot equos plus quam regios, tot mulos bysso, auro, gemmis ornatos, aliquot soleis aureis & argenteis calceatos. Iam si summum Pont. conspiceres sublimem in aurea sella militum humeris vehi, ad manum motam omnes passim adorantes, si crepitum audires bombardarum, si clangorem tubarum, si bombos classicorum, si fulmina machinarum videres: si populi applausus, si acclamationes, si omnia tædis collucentia, si summos etiam principes ad beatorum oscula pedum vix admitti. Si spectasses Rom. illum sacerdotem, pede coronam auream imponentem Imp. qui Rex est regum omnium (si quid modò valent scripta) quanquam nihil obtineat, nisi magni nominis umbram. Hæc, inquam, si audisses vidissesque, quid tandem diceres? Pet. Tyrannum plusquam mundanum videre me, Christi hostem, Ecclesiæ pestem. Iul. Secus loquereris, si vel unum meorum triumphorum expectasses, vel eum quo Bononiam sum invectus, vel quem egi Romæ subactis Venetis, vel quo Bononia refugiens Romam sum revectus, vel quem hîc egi postremum, Gallis præter omnem spem fusis apud Ravennam: si mannos, si caballos, si militum armatorum aciem, si ducum ornamenta, si delectorum spectacula puerorum, si faces undique lucentes, si ferculorum apparatum, si pompam Episcoporum, si Cardinalium fastum, si trophea, si manubias, si in cœlum reboantes plebis ac militum acclamationes, si plausu perstrepentia omnia, si omnia lituorum, cantuum, tubarum tonitrua, bombardarum fulmina, si sparsos in populum nummos, si me veluti numẽ quoddam sublimẽ ferri spectasses, totius pompæ caput & authorem. Scipiones, Æmilios, Augustos, sordidos ac frugales dixisses præ me. Pet. Ohe, satis iam triumphorum, gloriosissime miles, imo illos, licet Ethnicos, odio tui complector, qui cæsis tua causa tot Christianorum millib. triumphos agebas in Christo sanctissimus pater, tot legionib. interitus autor extitisti, qui nec unam animam neque verbo, neq; vita Christo lucrifeceris. O paterna viscera, ô dignum Christi vicariũ, qui seipsũ impendit, ut omnes servaret. Tu ut unũ pestilens defẽderes caput: tot⁹ orbis exitiũ accersisti. Iul. Ista loqueris, quòd inuideris gloriæ nostræ, dũ perspicis, quã humilis fuerit tuus Episcop. cũ nostro collat⁹. Pet. Audes impudens tuã gloriã cum mea conferre, Tametsi mea gloria Christi gloria est, nõ mea. Primùm omniũ si mihi das, Christũ esse verum principẽ Ecclesiæ, ipse mihi claves regni tradidit, ipse pascendas oves cõmisit, ipse meã fidẽ suo præconio approbavit: te pecunia, te studia mortalium, te fraudes fecère pontificẽ, si modò pontifex is appellandus est. Ego tot animarũ millia Christo lucrifeci: tu tot in exitiũ traxisti. Ego Romã ante gentilẽ, primus Christũ docui: tu Christianæ jam gentilitatis extitisti magister. Ego vel umbra corporis sanabam ægrotos liberabã à Dæmonio vexatos, ad vitaã revocabã defunctos, & quocunq; incederẽ, beneficiis implebã omnia: quid tui simile habẽre triumphi? Poteram verbo, quem voluissem, tradere Satanæ, & quantum potuerim, experta est Saphyra cum suo marito, tum quicquid habebã potestatis, in utilitatẽ omnium consumsi: tu omnibus inutilis, si quid poteras, imo quid non poteras? ad publicã orbis perniciẽ vertisti. Iul. Demiror, cur in catalogum gloriarum tuarum non hæc etiam addas, pauperiẽ, vigilias, sudores, tribunalia, carceres, vincula, probra, plagas, cruces deniq;. Pet. Rectè admones. Nã istis de rebus justius gloriabor, quã de miraculis: horum nomine Christus nos jussit gaudere & exultare, horum nomine beatos nos vocavit. Ita Paul. collega quondã meus cùm sua jactat facinora, non cõmemorat urbes armis expugnatas, non legiones ferro cæsas, non principes orbis ad bella concitatos, pag.71
non fastus tyrãnicos: sed naufragia, vincula, flagra, insidias. Hic est triumph⁹ verus & Apostolic⁹: hæc est gloria Christiani ducis. Iactat ille, quos genuerit Christo, quos ab impietate retraxerit, nõ quot ducatorum millia congesserit: deniq; nos Christo perpetuum jã agentes triumphũ laudib. prosequuntur & mali: te nemo nõ exsecrabitur, nisi vel tui similis, vel adulator. Iul. Rẽ inauditã audio. Pet. Credo. Nã quomodo tibi fuisset ociũ, Evang. evolvere literas, Pauli measq; Epistolas lectitare, tot legationib. tot fœderib⁹. tot rationib. tot exercitib. occupato. At cæteræ quidẽ artes omnes animũ desiderãt: sordidis vacuũ curis: Christi vero disciplina pect⁹ exquirit ab omni cõtagio terrenæ solicitudinis purgatissimũ. Nec enim tant⁹ magister è cœlo descẽdit in terras, ut facilẽ aliquã aut vulgarem Philos. traderet mortalib⁹. Non ociosa, neq; secura professio est, esse Christianũ, voluptates ceu venenum aspernari, divitias perinde ut lutum calcare, vitam pro nihilo ducere. Hæc intolerãda videtur his, qui nõ Christi spiritu aguntur, ad inania quædã vocabula merasq; ceremonias deflectũt: & fictitio capiti Christi fictitiũ addunt corp⁹. Iul. quid tandẽ

boni mihi reliquum facis, si me numinis exuis, si regno spolias, si nudas honore, si voluptatibus abdicas, si vita denique privas? Pet. Quin tu igitur ipsum Christum infelicem pronuncias, qui cum esset omnium summus, ludibrium factus est omnium. In paupertate, sudoribus, jejuniis, siti, fame vitam omnem peregit: denique morte omnium probrosissima defunctus est. Jul. Inveniet fortassis, qui laudent, qui immitentur, neminem, his sane temporibus. Pet. Atqui hoc ipsum denique laudare, est imitari. Quanquam Christus non orbat suos bonis, sed pro falsis bonis, veris & æternis locupletat, at non, nisi prius omnibus mundi bonis abdicatos ac purgatos. Ut ipse totus erat cœlestis, ita corpus suum, hoc est, Ecclesiam sui simillimam esse voluit, id est, à mundi contagiis alienissimum. Alioqui quomodo posset esse idem cum illo, qui sedet in cœlis, si terrenis ad huc fecibus immergatur? Verum ubi fuerit excussum ab omnibus huiusmodi commodis, atque etiam, quod amplius est, affectibus: tum denique Christus suas explicat opes, pro relictis mellitis (imò multa aloë tinctis) voluptatibus, cœlestium gaudiorum gustum impartit. Jul. Quas obsecro? Pet. An tu vulgares opes putas donum prophetiæ, donum scientiæ, donum miraculorum, nisi vilem putas Christum ipsum, quem quisquis habet, in ipso possidet omnia. Postremò, nisi nos hic pauperem vitam agere putas. ha ha. Quò quisquis in mundo est afflictior: hoc uberius deliciatur in Christo. Quo quis in mundo pauperior, hoc est in Christo locupletior. Quo in mundo dejectior: hoc in illo sublimior & honoratior. Quo minus vivit in hoc mundo, hoc magis vivit in Christo. Verum cum totum corpus suum purissimum esse voluit: cum præcipue ministros, hoc est episcopos, & inter hos quo quisq; major est, hoc debet Christo similior, & ab omnibus mundi commodis expeditior & exornatior esse. Nunc contra video, eum, qui Christo proximus atque adeo par haberi vult, omnibus maxime rebus sordidissimis demersum, pecuniis, ditionibus, copiis; bellis, fœderibus ut ne interim quid de vitiis dicam. Et postea cum sis alienissimus à Christo: Christi tamen titulo abutere ad tuam superbiam, & illius prætextu, qui regnum mundi despexit, mundanum tyrannum agis, & verus Christi hostis, exigis honorem Christo debitum. Benedicis aliis, ipse maledictus. Aperis aliis cœlum, unde ipse procul exclusus es. Consecras execratus: excommunicas, cui nihil est cum sanctis commune. Quid enim inter te & Turcarum ducem, nisi quod tu Christi vocabulum prætexis? Certe mens eadem, consimiles vitæ sordes, tu major orbis pestis. Jul. At ego cupiebam Ecclesiam omnibus bonis ornatam: sed Aristotelem ajunt tres bonorum ordines constituere, quorum quædam sunt fortunæ, quædam corporis, quædam animæ. Itaque nolebam bonorum ordinem invertere: à fortunæ bonis cœpi, fortasse paulatim ad animi bona perventurus, nisi præmatura mors terris me eripuisset. Pet. Præmatura sane; nempe septuagenarium, quanquam quid opus esset aquam igni miscere? Jul. Atqui si desint illa commoda: vulgus nos non pili faciet. Quin nunc quoqve metuunt & adorant. Atqve ita tota Respub. Christiana collaberetur, ni contra vim inimicorum sese tueri queat. Pet. Imo si Christianorum vulgus conspiceret in te veras Christi dotes, nempe vitæ sanctimoniam, sacram doctrinam, charitatem flagrantem, prophetiam, virtutes: hoc te magis suspiceret, quo a mundi commodis intelligeret mundiorem. Et Christiana Respub. latius floreret, si puritate vitæ, si contemtu voluptatum, divitiarum, imperii, mortis, gentilibus esset miranda. Nunc non solum contracta est in angustum, verum etiam si diligentius excutias, plerosqve, nomine duntaxat invenies Christianos. Quæso te; non reputabas tecum; cum esses summus Ecclesiæ pastor, quibus modis nata esset Ecclesia, quibus aucta, quibus constabilita, num bellis, num opibus regiis, num eqvis? Imo patientia, sanguine martyrum & nostro, carceribus, flagris. Tu Ecclesiam dicis auctam, cùm mundana ditione onerati sunt illius ministri: ornatam vocas, cùm Mundi muneribus & delitiis inquinatur: defensam appellas, cùm pro sacerdotum peculio Mundus universus bellis perniciosissimis conflictatur. Florentem dicis, cùm Mundi voluptatibus ebria est. Tranquillam, cùm nemine reclamante divitiis, imò vitiis fruitur. Atqve his bracteatis principibus imposuisti, qui te præceptore docti; magna latrocinia sua ac furiosos conflictus, Christi defensionem vocant. Jul. Atqui ista nunquam ante audivi. Pet. Quid igitur docebant te concionatores? Jul. Ab illis nil nisi meras laudes audiebam: phaleratis verbis mea præconia detonabant: me Jovem concutientem omnia, me verum numen quoddam esse prædicabant, publicam orbis salutem & alia id genus permulta. Pet. Nec miror sanè nullum extitisse, qui te condiret, cùm tu sal esses insulsus & fatuus. Nam id proprium Apostolici viri munus est, alios docere Christum, idque purissime. Jul. Non aperis igitur? Pet. Cuivis potius, quam tali pesti: nam

pag.72 nam tibi omnes quidem excommunicati sumus. Sed vis consilium non malum? habes manum hominum strenuorum: habes pecuniam immensam: es ipse bonus ædificator: extrue tibi novam aliquam paradisum, sed probè munitam, ne possit à Cacodæmonibus expugnari. Iul. Imò faciam, quod me dignius est. Operiar menses aliquot, & auctis copiis meis, vi deturbabo vos isthic, nisi in meam deditionem veniatis. Neque enim dubito, quin brevi sint è bellorum stragibus sexaginta hominum millia perventura. Pet. O pestem: ò miseram Ecclesiam. Sed heus Genie: nam tecum magis libet confabulari, quam cum isto teterrimo monstro. Gen. Quid est? Pet. Suntnè istiusmodi & cæteri Episcopi? Gen. Bona pars est hujus farinæ: verùm hic omnium antesignanus est. Pet. Tu videlicet hominem ad tot excitasti flagitia? Gen. Ego minimè: imò adeò præcurrebat, ut ipse vix alis adiutus assequi possem. Pet. Sanè non miror, quòd huc tam pauci adveniunt, cùm hujusmodi pestes Ecclesiæ gubernaculis assideant: quandoquidem vulgus utcunque sanabile esse vel hinc conjicio, quòd ob solum Pontificis titulum, tam spurcæ cloacæ defert honorem. Gen. Rem ipsam dicis: sed jam dudum innuit mihi meus Imperator, & baculum movet. Itaque vale. Imp. Maximiliano 1. Papa Iulio 2. mortuo.

1513. *Nicolaus Hanapius, Patriarcha Hierosolymitanus.*

Hic ex sacris Bibliis selectiores sententias & doctrinas collegit: & inter alia, abundantiam rerum temporalium occasionem & causam multorum peccatorum esse, dicit. Sic terram fœcundissimam Sodomitas inhabitasse: Gedeonem, Saulem, Davidem in paupertate piè vixisse, postea verò in abundantia peccasse: & similia, ut apud illum. Imp. & Papa ut sup.

1513. *Ponchetus Arch. Turonensis.*

Hic primus Regi Galliæ author fuit, quæsitores instituendi, qui pios cremarent. Sed is febri ardentissima primò ita ustus fuit, ut exteriora membra illi putrescerent, nec calor iste, membris articulatim dissectis, sedari potuerit, qui tandem ustorem combussit. Imperatore ut sup. Papa 224. Leone 10.

1513. *Augustinus Niphus.*

Scripsit libros de Prophetia, auguriis, calamitatibus nostrorum temporum, & alia lectu dignissima, adque propositum nostrum accommodatissima. Imp. & Papa ut sup.

Notandi hoc in loco & alii, qui de talibus scripserunt, inter quos primus fuit Tages: eum secuti sunt Theophrastus, Themistius, Theocritus, Melampus, Phæmon, Antiphon, Caras, Orpheus, Amphiaraus, Thesias Thebanus, Amphicteon, Hylas, Massurius, Appion, Phavorinus, Iambelichus, Plotinus, Eben Ragel, Petosius, Necocepsus, Porphyrius, Mercurius Trismegistus, Averrores, Nonius Marcellus, Varro, Livius, Hesiodus, Chrysippus, Democritus, & alii.

Doctor Mellerstadius. 1514.

Hic Doctor, quo tempore ad clavum universitatis Wittebergæ sedebat, singulari curæ sibi habuit Lutherum, idque & aliis severiter injunxit: Attendite, inquit, diligenter adolescenti monacho Luthero: eo enim ingenio præditus est, quo nemo alius: & profectò in præstantissimum virum evadet, Imp. Max. 1. Pp. Leone 10. ut sup.

Idem de Luthero eodem pronunciavit quoque: Hic, inquiens, Monachus omnes aliquando Doctores confundet, novemque doctrinam afferens, universam Ecclesiam reformabit. Nititur enim Prophetarum & Apostolorum scriptis, & soli verbo Iesu Christi confidit, quod nullus ullâ Philosophiâ Sophisticâ, Scotisticâ, Albertisticâ, Thomisticâ, neque universo Tartareto confundere, vel evertere poterit.

Petrus Varadiensis Episcopus, Fatidicus. 1514.

Hic vates, cum acies in prælio, quo Ludovicus Ungarus periit, contra Turcam instrueretur, se non tenuit, sed prædixit: ferunt, majores nostros decem millia martyrum, quorum diem in Ecclesia celebramus, neci quondam dedisse: multò plures, ut ego perspicio, hic Monachus (Paulus Archiepiscopus Coloniensis, caput belli) hodie Martyres consecrabit. Dubravius. Imp. 116. Maximil. 1. Papa 224. Leone. 10.

pag.73.

Eugelinus de Brunsviga, & Keysersbergius. 1514.

Hi Doctores Theologi etsi Papistæ, tamen hoc tempore contra Papam multa scripserunt: ut apud eos.

Iohannes Grevenstein. 1514.

Præceptorem habuit Lutherus Ioannem Grevensteinium, virum doctum &

pium, à quo sæpius audiverat, Concilium Constantiense, absque habito judicio, atque legitima defensione, ad supplicium innocentem hominem, Ioannem Hussium abripuisse. Quæ dum diligenter secum pensitaret, commodum se obtulit liber quidam de sermonibus Hussi, in bibliotheca Erphordiana, in quo, hinc inde versando folia, legebat aliqua non à fide abhorrentia dicta: sed quia piaculum erat, Hæretico diligentius attendere, tanquam canis è Nilo bibens, illinc se mox recepit. Posteaquàm autem, collatis ad biblia, tanquam Lydium lapidem, opinionibus Scholasticorum, intellexit, quid distarent æra lupinis: Papatui valedixit. Imp. & PP. V. S.

1514. Theodoricus Gresmundus de Romæ petulantia.

Roma caput scelerum, nivei jactura pudoris,
Exitium fidei, luxuriæque parens.
Sola Venus dispensat opes, dispensat honores.
Sola facit serva quicquid in urbe libet
Extollit magnosq́, facit sapientia turpis:
Sit procul, in tenero cui sedet ore decor
Tartara sunt molli potius adeunda juventa.
Si non est alius, sit tibi barba comes.

Imp. Max. 1. PP. Leone 10. V. S.

1514 *Iacobus Almainus Theologus Parisiensis, Monachus.*

Scribit hic inter alia, multos valde prædicare, & extollere dignitatem, & authoritatem Papæ, non propterea, quod ipsi ita sentiant: sed ut tantum his assentatiunculis gratiam Papæ sibi concilient, & ita beneficia, & bona Ecclesiastica ad se attrahant. Cujus rei exemplum illustre habetur in ipso etiam Cajetano, qui talibus artibus paulò pòst in Cardinalem evasit. Imperatore & Papa ut suprà.

1514. *Franciscus Alvares, Presbyter ex Portugallia.*

Hic in Æthiopiâ, ubi Christiani degunt, quondam fuit, ea scilicet in terra, quæ paret Imperio magni Presbyteri Ioannis: cujus longitudo assurgit in milliaria Germanica 750. latitudo 300. de quo scripserunt etiam Andreas Corsali, Damianus à Goes, Thomas Iunta, & Paulus Polus. Et cùm ibi aliquando Missam celebraret, infantesque baptizaret, laudabant & probabant ejus ceremonias & ritus Christiani Æthiopes: hoc unicum tantum eis displicebat, quod non omnes in celebratione Missæ communicarent; ut ipsi solebant. Et cum quodam tempore Presbyter Ioannes interrogaret eum, an facienda essent omnia, quæ mandaret Papa Romanus? ille autem (Alvares) affirmasset, omnino: addens, illud esse ex fidei Apostolicæ articulis unum: in fide enim asseri, nos credere unam sanctam & Catholicam Ecclesiam: hanc autem esse illam, cujus caput & summus Princeps atque moderator sit Pontifex Romanus. Vicissim respondens Alvari Presbyter: Ego verò, inquit, si Papa præceperit, quod ad Apostolorum scripta non quadrat, nullo modo ipsi credam. V. S.

Frater Flecken, Monachus Steinlausicensis prope Bitterfeld, vates. 1514.

Nunquam voluit celebrare Missam. Accusatus propterea pigritiæ, dixit, aliam esse ejus rei causam.

In refectorio primùm vidit propositiones Lutheri de indulgentiis. Ibi cum alioqui silentium præstandum de more esset, præ gaudio ridens & gestiens (fuit autem grandi & pleno corpore) dixit, Ha, Ha, Ha. Er ist kommen/ders euch thun wird. Iam is venit, qui vos rectè tractabit: monachos & sacrificulos putans. Vnde apparet, eum ante prædicationem Lutheri expectasse redemtionem Israël, ex captivitate Babylonica Antichristi.

Lutherus facit ejus mentionem in Præfatione Alcorani Minoritarum, tanquam à monachis violenter oppressus sit. D. Martinus, piæ memoriæ, sic aliquando de hoc bono monacho est locutus: Ich hab Flecken lieb/ quia fuit homo plenus consolatione: verba ejus erant plane consolatoria: scripsit ad me statim, cum edidissem meas propositiones, optimam epistolam, ich wolte zehen Gülden darumb geben/das ich sie noch hette. Erat autem ferme hæc sententia: Venerabilis domine D. pergite & urgete pedes vestros: & mihi displicuerunt hi abusus Papistici, &c. Die Münch waren ihm auch gram/ denn zu Steinlausick hat er gesagt/ er ist da/ der es thun wird: so hat er auch nie kein Meß gehalten/ welches ein gut Zeichen gewesen. Illyr. Imp. & PP. V. S. pag. 74

Idem. O quanti referret (de Lutheri Thesibus inquit) adhuc unum talem monachum habere, ut dignis modis Papam exciperemus: diu satis redemtionem Israël ex captivitate Babylonis exspectavimus.

Postquàm Fridericus Elector Academiam annos 1502. 18. Octobris Wittenbergæ fundasset: in ejus inaugurationem hunc Fleckium concionari jussit: qui inter alia piè dicta hoc etiam, tanquā Propheta protulit: ab isto inquiens, candido nostro monte (solebat hoc nomine Wittenbergā appellare) gentes universi

commercia rerum in promiscuo forent, ac orbis terrarum arcana paterent, armisque Francorum nihil esset inaccessum. Jam opus processerat ad trium millium passuum longitudinem, trecentorum latitudinem (altitudo non traditur, sed eam pro natura loci depressam esse, ut patiens magnarum militariumq; navium esset, necesse fuit) cùm, quò long.ᵒ tendebatur, eò magis velut palustri limo in se residente, quicquid interdiu exhauriebatur: quo quasi miraculo pavefactæ operæ, ac curatores id religiosum rati, ut conatu desisteret Rex, pervicere: atque ita facies rerum naturæ, quam mutare Francus statuerat, ut ab ævo fuerat, permansit: irritis hujuscemodi mortalium conatibus.

Idem. Sub Carolo pulchro Francorum Rege, ii, qui Fraterculi vocabantur, divitias ecclesiasticas fando scribendoq; damnabant, purpuram, opes, dominatum à religione aliena esse, prædicabant. Christum Dominum Deumque nihil in terris, quod suum diceret, habuisse. Apostolos eadem qua servatorem Christũ, paupertate fuisse. Non exemplum modò, sed & legem eandem successoribus datam. Jus sacerdotibus nullum esse facultatum potiundarum.

Hanc sententiam Ioannes XXII. Pontifex impiam censuit, damnavitque. Illi Pontificem impiâ hæresi laborare prædicabant, qui id quod Christus Dominus Deusque sanxisset, impietatis insimularet: & eò contentionis devenère, ut Ioannem, quòd de religione, & de numine impiè sentire eum dicerent, Pontificem esse negarent; ac velut solio pontificio vacuo, creandum Pontificem novum, verumque, contenderent.

Occamus Theologus Minor, cùm Augustorum jura copiosè tutaretur, in Ioannem Pontificem monumenta edidit atrocia, quæ extant: eum non criminibus modò, sed & maledictis lacerans. Intemperantia lapsus scribit, eum contendisse elaborasseque, ut Romanum Imperium vel sibi subiiceret, vel penitus laceraret. His enim verbis invehitur. Eundem impiæ quoque hæresis coarguit.

Idem lib. 5. Petrus Tarraconensium (vulgò Arragonum) rex, Carolum Andegavensem Siciliæ regno deiecerat. Martinus 4. Pontifex maximus, Petrum nominatim numero impiorum habendum, sancit: sacrum in eum bellum decernit: jus regni etiam Tarraconensis ei abrogat: idque Carolo Valesio Comiti, Philippi 3. Regis Franciæ ex sorore Petri filio attribuit, ne, in alienam cognationem transferri sceptrum, populares conquererentur: eosque à vinculo fidelitatis jurisque jurandi religione solvit; qua se Petro obligarant. Milites, ut in sacra militia, cruce pro insigni belli utebantur. Petrus, quia pontifex nomen ei regium sanctione abrogârat, vetueratq; ei ceu Regi adscribi, per superbam ludificationem, se patrem duorum regnorum, marisque dominum scribebat.

Idem. A Panormitanis ad Pontificem oratores missi sunt viri sancti, qui ad pedes illius strati, velut pro ara, hostiaque Christum agnum Dei salutantes, dixerunt: *Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Hæc etiam alibi iterum recitantur.

Idem. Anno Domini 1399. Petri Cugnerii actio in Episcopos pro Philippo Valesio Gallorum rege producta est, qua conabatur illis cùm temporalem auferre jurisdictionem, tum illorum totiusque cleri mores in melius conformare, Petro Bertrando Eduorum Episcopo præcipuò defensore. Eam finiit rex, quare nomen Catholici meruit.

Ex alio Chronographo de eodem.

Petrus de Cogneriis, miles & consiliarius Philippi Francorum regis, scripsit de gravaminibus prælatorum, anno Domini 1329. Petrus Bertrandi, juris doctor & Episcopus Eduensis, adversus Cugnerium scripsit, ex quo factus est Cardinalis. De his etiam suprà.

Dubravius in historia Bohemica. 1515.

Ladislao regi Vngariæ ac Bohemiæ, Alberti Imperatoris filio insigni pompa equestrium pedestriumq; copiarum Pragam introëunti & nuptias ibidem cum Caroli Galliæ regis filia celebraturo, Nicolaus quidam ex eorũm numero, qui pronunciandi scientiam ex decretis Astrorum profitentur, malè faustum ingressum, planeque stellæ crinitæ (regibus horrendæ) quæ eodem anno apparuit, congruentem pronunciavit: quod vaticinium apud paucos curam, apud reliquos risum, velut vanitate plenum, excitavit, omnisque solicitudo omnium, ac maximè regis intenta fuit in apparatum nuptiarum. Sed rex paulo post morbo correptus, post sex & triginta horas, quã ægrotare cœpit, animam efflavit, & sic vaticinium Nicolai mœrore tristi completum est. Imp. Max. & Pp. Leone X. pag 75

Fuit Dubravius Bohemus natione, plebeius; sed equestri primò, deinde Doctorali etiam dignitate auctus, consiliarius Regis, & in obsidione Viennæ Ductor exercitus, tandemque Episcopus Olomucensis etiam factus.

Idem. Cucullat' quidã sorori Ziscæ vitium

vitium obtulerat, proter quam causam vindex ille & multos occidi mandavit, & ipse occidit.

Idem de vita scandalosa Ecclesiasticorum. Tam turpiter tunc vivebant, ut ægre aliquis ex sacerdotibus inveniretur, qui se Lupa concubinaque, infamem cum incestis liberis non faceret.

Idem de Orebitarum secta. In Bohemia Orebitarum secta plurimum incrementi cepit: cui addicti, si quando clericum Pontificium nacti sunt, eum protinus igne cremârunt, aut intensissimo in frigore ad glaciem alligârunt, & enecuerunt: quem verò inter eos rudem & despectum esse putabant, eum exsectis genitalibus dimiserunt.

Idem de prodigiosa pœna hæreditaria. Duo quidam, alter barba rutila, alter vero pede claudus, ob quoddam perpetratum scelus ita puniri sunt à Deo, ut qui hodie ab illis nascuntur, vel rufescant, vel pedibus laborent, quorum utraque familia apud Bohemos etiam nunc extat.

1516. *Leo X. Papa 224.*

Misit per Carolum Miltitium Rosam Electori Friderico, ut eò facilius Lutherum Romam pertraheret, & id à Friderico impetraret. Et quidem Miltitius modis multis cum Luthero egit, ut revocaret; Habebat autem Miltitius 70. Brevia Apostolica, ut si princeps Fridericus Lutherum traderet, sicuti Papa per Rosam flagitabat, per singula oppida affigeret unum, & ita tutus perduceretur Romam. Probat autem Luthero cor suum Miltitius, dicens, ô Martine, ego nunc video, te esse adhuc integrum ætate & validum: si haberem 25. millia armatorum, non confiderem, te posse à me Romam perduci. Exploravi enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent, ecce, ubi unum pro Papa stare inveni, tres pro te contra Papã stabant.

Illud verò ridiculum erat, exploraverat etiam mulierculas & virgines in hospiciis, quidnam de sede Romana sentirent? Illæ, ut ignaræ vocabuli, & sellam domesticam cogitantes, respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romæ habeatis sellas, ligneasne an lapideas?

Quoniam incredibili multitudine Cardinalium Ganymedes atque exoleti Romæ, totaque Italia vagabantur, ut iam cœlibatui suo metuere illi inciperent: lex in Concilio Laterano hac de re lata fuit, qua Cardinales jussi sunt, ut aliqui de Sodomia remitterent, sub amara paucitate continerentur. At vero hic Leo Papa, quorum & ipse pars magna fuit, plus aliis sapiens, hanc legem delevit, asserens: non tam id prohiberi, quam anteacta (privatio enim præsupponit habitum) flagitia propalari.

Cum Cardinalis Bembus citaret locum ex Evangelio, Papa iste respondit: ô quantas divitias nobis dedit ista fabula Iesu Christi.

Polonis anno Christi 1516. Leo X. Pontifex Iubilæi gratiam venalem dedit. Et sequenti anno in uno die 31. Cardinales creavit. Quo die facta est Romæ tempestas ingens fulminis, & tonitrui: quæ templum, in quo creati erant, feriit: atque puerulum Iesum è gremio Deiparæ, & claves è manibus Petri excussit. Quod omen multi interpretabantur portendere ruinam sedis Romanæ: carminaque acerba scripserunt in eandem.

Ludolphus Castrick, Pastor ad D. Michaëlem in suburbio Magdeburga: 1516.

Sæpe ante prædicationem Lutheri (nam & post id tempus vixit) solitus est hic in publicis concionibus reprehendere Papæ indulgentias, hortari omnes, ut à Christo petant indulgentias, seu peccatorum remissionem: Et denique prædicere, futurum, ut errores illi ex Ecclesia Dei per piam quandam reformationem brevi expurgentur, & removeantur. *Cat.* Imp. Max. 1. Papa Leone 10. V. S.

Iodocus Gallus Rubiacensis in mensa Philosophica. 1516.

Quidam clericus citabatur ab Episcopo suo, quod asinum suum solenniter sepelisset cum exsequiis: at ille comparens dixit, asinum fecisse testamentum, & legasse Episcopo quinque libras: tunc Episcopus ait: requiescat in pace. Imp. Max. 1. PP. Leone 10.

Indulgentiæ. pag. 77 1516.

Circa illa tempora Legatus Leonis Papæ Arcumboldus in Saxoniam venit, & ex indulgentiis tantum quæstum fecit, ut etiam argenteis patellis, more principum, uteretur. At cum ad altiora scenderet, & sibi universoque Ecclesiastico ordini hoc privilegium adscriberet, ut ipsis solis in omnia adulteria censuram agere, & animadvertere jus esset, in domo cujusdam impudicæ mulieris deprehensus, in puteum conjectus fuit. Hermannus *Bonnus* in Chron. Saxoniæ. Potius enim omnia lupanaria intranda sunt, quam traditiones vitandæ. Theodorus Abbas, & Chemnicius de Imaginibus.

Exi

1516. *Ex Prophetia Simplicis Militis ad statum Ecclesiæ scripta per Christian. F. de Landeck.*

Antipapa habebit decem cornua, id est, decem partes terræ vel Ecclesiæ, & per consequens verus Papa solum duo cornua. Huic concordat prophetia sancti Cyrilli martyris, qui dicit: quod verus pontifex in ortu schismatis habebit de 12. partibus Christianorum solùm duas partes. & pseudopontifex 10. sicut Roboam & Ieroboam habuerunt in schismate populi Israël post mortem Salomonis, ut habetur 3. Regum 12. sed tamen omnes cubicularii, id est, Cardinales & custodes Romanæ Ecclesiæ sequentur Roboam, mali verò Ieroboam. Imp. & PP. V. S.

1517. *Marinus Barlerius.*

Hic scripsit, Mahumetum 2. Turcarum Imp. astrorum maximum observatorem fuisse: & omnia acta agendaque ad eorum cursum instituisse: unde & illum fructum tulerit, ut duo Imperia Constantinopolitanum & Trapezuntinum, subegerit: regnaque 12. & urbes 200. rapuerit. Imperatore & Papa V. S.

1517 *Miraculosa.*

Cum anno 1517. theses D. Lutheri de indulgentiis primùm in locum prodiissent, inclyti hi tres Saxoniæ principes, Fridericus, item Ioannes, & hujus filius Joannes Fridericus, cum in nocte festi Nativitatis Christi, Vinariæ ex monasterio post mediam noctem ivissent cum multis ministris, super arce ibidem in sudo & sereno cœlo sanguinei coloris crucem conspexerunt, quæ lucidè & propriè coruscabat. Quo Deus illis significare voluit, jam instare tempus, in quo syncera de cruce & merito Christi doctrina, contra incestam Papæ doctrinã, iterum sit prædicanda, ob quam Evangelicã prædicationem Saxoniæ domus, & tota pariter Germania persecutionem, crucem, & calamitates sustentura sit. Iobus Fincel. par. 2. V. S.

1517. *Doctor Ioannes Staupitius, primarius Augustinianorum.*

Ante adventum Lutheri, in Curia Papæ Romæ vulgaris sermo erat, Eremitam aliquem sub Leone exoriturum, qui Papæ triplicem coronam infestaturus sit, & Papatum vestaturus. Quod vaticinium de Fratre Nicolao Helvetio, qui caput Papæ cum diademate triplici in sudo cælo noctu vidit, intelligi potest: vel de D. Luthero, ut qui Augustiniani ordinis D. Augustini, ut communiter vocantur, fuerat. Selneccer, & Cyr. Spangenb. Imp. Maximiliano 1. PP. Leone 10. V. S.

Cum Ioanni Staupitio mirari subiret, qui fieret, quòd res longè maxima conficeretur ab humilima persona, fertur ad Lutherum dixisse: Euge mi Martine, hoc mihi plurimùm arridet, quod non in tui gratiam, sed honorem Dei, cui nimium dari non potest, omnia tua studia dirigis. Cyr. Spang.

Cùm anno 1518. comitiis Augustæ florentibus, Pontificius ille legatus, Thomas Caietanus, plurimum urgeret Staupitium, ut ad palinodiam canendam summo studio Lutherum invitaret: inquit Staupitius, vir maximæ auctoritatis: hoc ipso oleum & operam in Luthero perditum iri. Nam se longè doctiorem in sacris literis esse.

Idem hujusmodi verbis Augustæ Vindelicorum allocutus est Lutherum: Memento, mi Martine, ne tantam rem negligenter agas, quam in nomine Iesu Christi incepisti.

Memorabile. pag. 78

Amirabile vaticinium de tempore & adventu D. Lutheri, quo contra Antichristum Romanum scribere cœpit, in literis hujus versiculi, numerum anni repræsentantibus, continetur, quod est apud Christi fideles admiratione & notatu dignum: 1517. *

TIbI CherVbIn & SeraphIn InCessabILI VoCe proCLaMans.

Ajunt pii viri, incipiente Luthero contra papam scribere, tum demum Angelos, qui prius continuisse videbantur, de integro in laudem iterum erupisse. Sepultum enim ante Christi meritum in lucem extulisse, & veram hominum fidem in ea sola defigendam instaurasse. Simile fere habes supra ab initio operis & in Cusentia, ut etiam infra anno 1541. in Theophrasto Paracelso.

Martinus Lutherus. 1517.

Fuit tale vaticinium eius propria manu scriptum, & post obitum ipsius, in Bibliotheca, per eos, qui ad inquirendam illam ab Illust. Electore Saxoniæ Ioan. Friderico missi fuerunt, repertum.

Adest tempus, ait, olim prædictum, quòd post revelatum Antichristum essent homines futuri, qui sine Deo viverent, unusquisque secundum suas concupiscentias, & illusiones.

Nam Papa quidem fuit supra Deum: nunc sine Deo omnes agere volunt. Et cùm à nostris legibus Papæ liberi sint: volunt etiam à lege Dei liberi esse, nihil nisi Politica sequi. Sed dum nos fingimus, illos abesse longius de quibus talia prædicta sint: nos ipsi sumus, qui talia facimus. Sicut Iudæi finxerunt, & fingunt, longè alios esse, qui Christum suum promissum repudient.

Et de Papistis quidem nihil solicitus sum. Nam ne ipsi quidem Papam ex animo colunt, nisi, quod, odio nostri, ipsi volunt adulari, ut ditescant, & potentes fiant. Adeò verùm est: Regnum, si destruendum est, non externis, sed suis viribus destruitur: mole ruit sua corpus magnum, &c. Imp. Maximiliano 1. PP. Leone 10. V. S.

Idem ad D. Schnepfium dixit: post obitum meum ex istis nostris Theologis pauci permanebunt constantes, & quod Turca vel Papa non faciet, à nostratibus expectabimus.

In Apocalypsi Ioannis cap. 17 Lutherus hoc vaticinium annotat: Defensores Papæ devoratores ejus.

Cùm eunti Wormaciam Luthero ad comitia pro religione sua, multa dicerentur ab amicis de magnitudine periculorum, quæ in ipsius necem intendebantur: quòd jam affixo mandato libri ejus anathemate percuterentur, & quaqua diverteret, insidiæ ponerentur: excelso animo ait: quoniam vocatus sum, decrevi comparere: & si exploratum haberem, tot in me diabolos in urbe conjurasse, quot tegulæ lateresque tectis ædium incumberent: tamen officium facturus intrabo.

Idem. Ego precatus sum à Deo semper summa animi intentione & Zelo, & precor indesinenter, ut quoad ego vivam, pacatam mihi Germaniam, & liberam à bello concedat: & sane firmiter credo, quod effectum sit daturus, ad hoc unicũ, ut ipsius S. S. verbum subinde majus lumen acquirat. Vnde Nicolaus Marcus, vir pius Francofurti, hoc in more positum habuit, ut, quoties de bellis in vicinia fama percrebesceret, ipse contra diceret vivente Luthero nil tale metuo.

Hinc etiam Lutherus aliquoties affirmabat: se non ab Electore, sed Electorem à se defendi, id quod etiam ipso opere per omnem Lutheri vitam luculenter est completum.

Idem, Turca, inquit, Germaniæ quoq; plagam infligere debet: metuo certè, ne transeat, eamque depopuletur: soleo sæpenumero miseriam illam considerare, & illius cogitatione sudare.

Epistolam D. Martini Lutheri ad D. Iustum Ionam, ex qua palàm fit, quis Augustanæ Confessionis sit author, vide infrà in brevi syntagmate actorum in Comitiis Augustanis. Conscripserunt autem Pomeranus & Ionas, cum præeunte Luthero, delineationem primum Augustanæ Confessionis, & 17. certos articulos, quos postea Philippus Augustæ retexuit, ac eos Luthero iterum emendandos misit. Errant igitur qui Philippum Augustanæ Confessionis autorem faciunt. pag. 79

In literis ipsius Lutheri ad civem quendam Gonbergensem, cui nomen Hartmut, anno 1522. exaratis hæc habentur: Deus sit testis metus illius & curæ, quæ cor meum afflictum habet: etenim vereor, ut, ni dies ille novissimus abrumpat terminum, subducto Germanis sacrosancto verbo, datisque illis in reprobum sensũ, ejusmodi tenebræ immittantur, ira Dei uindicante contemtum eorum, quas si cogitatione assequar, totus exhorresco. Et sane præterquàm, quòd jam adeò multi illis irretiti tenentur. hoc omnium maxime deplorandum est, quòd moleste ferant homines si quando pro concionib. ingratitudinis, & contemtus hujus arguuntur, & fideliter, ut resipiscant, admonentur.

Et in literis ad Electorem, & comitem Provinciarum Philippum, indubitato plane spiritu, vaticinatus est Lutherus de captivitate Herois eximii, Ioannis Fridrici Saxoniæ Ducis inclyti. Fecit autem mentionem præcipuarum circũstantiarum, quomodo, & à quo esset eo infortunio involvendus: & quo pacto liceret ipsi illud effugere, ex verbo Dei clare edocuit.

Vaticinium aliud ejusdem.

In comitiis Augustanis cùm Imperator conciones Protestantium ferre nollet. Lutherus vates, quid hinc, inquit, suspicer fore, nisi ut finis comitiorum is sit, scilicet, ut cogat Cæsar abstinere à tota doctrina: sic meæ cogitationes sunt, & tunc primùm erit paroxysmus comitialis verus, in quo Dei manus expectanda est & imploranda. Nam Papistas dæmonibus traditos aliud non posse, quam furere, certissimum est. Premit eos sanguis Abel, abominationes suæ indurant eos, ut nisi sanguinem biberint, vivere non possint.

Putant Adversarii, præclare se rem gessisse, quòd conciones per interdictum C. M. intermitti curârunt, sed non vident miseri, perscriptam Confessionem Cæsari exhibitam, plus prædicatam & latiùs propagatam hanc doctrinam, quam mille concionatores facere potuissent.

Egregiam vero sapientiam adversariorum. Dum enim concionatori aulico privatas conciones interdicunt, ecce prodit Elector Sax. & cæteri Principes ac domini cum scripta Confessione, & concionantur multo liberius & palam coram ipso Imperatore & toto imperio in omnium conspectu, ut audire cogantur, nec contradicere quicquam possint. Ich mein ja/ hoc interdictum de intermittendis concionibus nõ inultum abivisse: nolunt domini concedere, ut concionatores audiantur, & coguntur ipsimet audire, & obmutescere: Christus profectò non tacet in Comitiis. Ac etiam si insaniant, tamen plus ex Confessione au-

audiverunt, quam si totum annum concionatores audivissent: ita completur, quod Paulus inquit, verbum Dei non esse alligatum: si in suggestis prohibetur, tum in palatiis Regum illud audiri oportet.

Fuit hæc confessio in Linguam Italicam, Hispanicam, & Gallicam translata, & Pontifici ac Regibus aliis transmissa: ut vere dici possit, Evangelium toti mundo fuisse revelatum & prædicatum.

Liber de dictis & factis memorabilibus Lutherus.

Si quando Monachus professionem, ut vocant, fecerat, ac ordinem monasticum assumserat, nomen prius mutavit, & aliud novum assumsit, persuasus, hanc mutationem esse tam efficacem, utilemque ac si rebaptizaretur. Sic igitur suas humanas traditiones conferebant, vel præferebant potius sacro Baptismati Christi. Annon teterrimum hoc est, & execrandum peccatum & sacrilegium: dogmata & figmenta vanorum mortalium Christi Baptismo, verbis & mandatis comparare, imo longe præponere, & sic merita, sanguinemque unici nostri Salvatoris Iesu, pedibus, ô desperatam diabolicam ingratitudinem, conculcare?

Idem D. M. L. de causis perdituris Christianam Religionem, Hæc perdent Christianam Religionem: primum oblivio beneficiorum ob evangelium acceptorum: deinde securitas, quæ jam passim & ubique regnat: postremo sapientia mundi, qui vult omnia redigere in ordinem, & publicæ tranquillitati impiis consiliis mederi. Hanc Prophetiam Reverendi patris (piæ & sanctissimæ memoriæ) jam proh dolor cursu impleri, videmus.

Ibidem. Si Imperator noster Carolus aliquid funesti contra Evangelium tentaverit, certissimum est, amittet universum suum regnum in Belgico.

Audivi ex Doctore Ioanne Pomerano, Lubecæ in curia in quodam antiquo Chronico reperiri quandam prophetiam: quod circa annum 1550. ingens tumultus in Germaniam sit grassaturus
pag.30 propter religionem: & si Imperator suas illis negotiis sit intricaturus manus, amissurum eum omnia regna, & potestatem.

Verum non spero, quod imperator Papæ gratia bellum sit moturus cuiquam cum magnos requirant sumtus bella: quod si verò pecuniis non opus foret, equidem non dubito, quin jam pridem aliquid cœpisset Cæsar: sed magnos facere pro pontifice Romano sumtus, parum collubet Imperatori.

Ibidem. Quodam tempore devenit Rex Ferdinandus in quoddam monasterium Franciscanorum mendicantium. Ibi quidam ex Secretariis Regis offendit hasce literas, valde eleganter scriptas in quodam pariete: M.N.M.G.M.M.M.M. Stante autem sic Secretario, & contuente ac considerante literas, quænam posset earum esse significatio, interea devenit eò loci ad ipsum etiam Rex, & conspicatus literas easdem, etiam quærit, quidnam notarent? Tunc respondit Secretarius: Si non succensere mihi vellet R.V.M. sperarem, me earum significationem facile conjectaturum, & explicaturum esse. Igitur respondit Rex, & eum monuit, nihil sibi metuendum inde periculi. Tunc infit Secretarius: Mentitur Neusea (qui erat Episcopus Viennæ.) Mentitur Gallus (Ecclesiastes Regis aulicus.) Mentiuntur Majores, Minores (id est, Franciscani) Minoritarii (ii sunt singularis cujusdam monastici ordinis fratres, & degunt in Alpibus) Quæ dicta Ferdinandus non sine dolore tacito percepit, & abiit: nam scitè & urbanè Secretarius explicaverat literas.

Ibidem. Totus horresco & malè metuo, ne etiam Germania brevi visitetur, & gravibus subpplicijs corripiatur, propter tantam ingratitudinem (ex nostris scilicet partibus) & horrendam execrationem dulcissimi Dei verbi, cuius lux tanta claritate nobis hisce miseris & calamitatosis temporibus affulget. Et potest quidem connivere Deus ad improbitatem hominum, sed si ipsius verbum nimium contemnitur & abiicitur, patientia desinit, ac in furorem abit, & extrema in propinquo est omnium malorum lerna: id quod exempla testantur Iudæorum, Græcorum, Romanorum, quibus nos summus proximi.

Sic Apostolorum, & longo pòst tempore Evangelium feliciter cucurrit in Arabia, Syria, Ægypto, Asia, Græcia, aliisque regnis & terris, quæ jam Tyranni di Imperatoris Turcarum subjacent: verùm cùm homines tædio affici Evangelii occiperent, & multæ hæreses ac dissidia gliscerent: surrexit scelestus Mahomet cum suo Alcorano, & ab eo tempore Christum, eiusque verbum abjecerunt & amiserunt, & Diabolum Mahomet cultu divino adorarunt.

Idem & sub Papatu accidit: post nostram ætatem eadem pœna etiam Germaniæ superveniet, propter atrocissimum, & horrendum sanctissimi Dei verbi contemtum, quod jam purè & abundanter habemus. Et hanc lucem ferè nissimam maximæ & terribiles excipient tenebræ. Christus Iesus soletur & adjuvet exiguum suum gregem, & malorum horum finem faciat claritate gloriosissimi adventus sui: Amen.

Ibidem. Etiam Germania adhuc luet pœnas suorum peccatorum: ea enim perpetuo suspirant & clamant ad Deum in cœlis, nec absistent, donec victum ad justam iram permoveant Deum, ut indignetur graviter & dicat: dedi vobis dilectum meum filium, thesaurum preciosissimum, percupiebam loqui vobiscum, instituere & informare vos, docere vos viam ad vitam æternam, sed ecce, nemo est, qui velit audire, arrigere aures,& intendere voci meæ: cogor igitur in vos seriò animadvertere. Ipsemet namque Christus dicit Ioan. 3. Hoc est judicium, quod lux in mundum venit, & homines magis diligebant tenebras, quam lucem, mala enim erant eorum opera.

Ibidem. Idolum quoddam vidit Illustrissimus Dux Ioan. Frid. repræsentans divam virginem Mariam cum suo infantulo Iesu. Ad eam si dives quis accessit, & coram ea oravit, infans ab ipso se ad matrem convertit, quasi non dignaretur aspicere peccatorem: isque ideo suppetias & intercessionem rogare deberet Mariam. Quando autem cœpit promittere magna donaria, quæ velit in monasterium tribuere, puerulus ad eum denuò se reflexit propitius. Sic verò magis adhuc ingentiora & plura perrexit addere, infantulus magnam clementiæ, & favoris, ac gratiæ spem ipsi facere cœpit, & extensis manibus signo crucis ei benedixit. Erat autem excavatum interiùs hoc idolum, & feris, funiculis, ac aliis machinamentis sic compositum: in eo perpetuò delituit quidam sacrilegus & nequam, qui traxit, flexit & movit illa: sicque homines miseros vexavit, occæcavit, & fraudavit: ut oportuerint ipsi promittere & vovere quælibet. Si verò Sacerdotes volebant, ut infantulus se iratum & inclementem exhiberet cuiquam, faciem ab eo penitus avertit, & saltem tergo aspexit.

Ejusmodi statuam reperit alicubi etiam Rex Angliæ: & populo commonstravit publice, & deinde perfregit, ac dissipavit.

Verùm præstaret, ejusmodi res probe asservari, quo posteri nostri viderent, quales fuerint homines Papistæ, qui se nulla labe maculatos subinde gloriantur ut sic manifesto suorum dolorum & fraudum possent redargui & convinci.

Et hanc imaginem acquisivit Princeps Wolfgang de Anhalt in bello Russicorum, & dono dedit clem. Principi meo,
pag. 81. Duci Saxoniæ.

1517. ***Ambrosius Catharinus Politus, Dominicanus, Antagonista Lutheri.***

Scripsit de consecratione in ipsorum (patrum Tridentini Concilii) Missa proprium librum: & multorum testimoniis, multisque rationibus probat, Christum non iis verbis consecrasse, quibus ipsi in sua Missa consecrant. Quod est notatu longe dignissimum, ut tanto magis appareat, quanti sit eorum Missa facienda.

Fatetur alioqui, plures Pontificios valde ægere hoc dogma ferre, adeo, ut propterea de ea controversia dicere audeat, quod omnes eò in ipsum, veluti scopum, sua spicula colliment. Quin etiam confitetur, ista suas Papistas urgeri, & veluti in angustias quasdam redigi in disputatione de Missa ut non possint invenire rationem evadendi, & respondendi: atque adeo in varia dubia concludi, ut ipsimet inter se dissentiant.

Composuit quoq; hic idem Catharinus librum de Imaginibus: in quo confitetur, vehementem disceptationem esse inter suos Papistas de imaginum adoratione, cujus verba amplioris fidei gratia adscribam.

Verum (ut ab initio diximus) de ipsarum imaginum cultu, ac veneratione etiam inter Catholicos disputatio aliqua est: videlicet præter utilitates prædictas, & solatia spiritualia, quæ de imaginibus capiuntur, vtrum etiam ad hoc sculpantur, vel pingantur imagines, ut ipsæ adorentur, & aliquis eis cultus reddatur. Sunt enim, qui hoc omnino negent, & clament, esse idololatriam. Videntur autem non futilibus argumentis moveri, nec absque majorum, imò etiam scripturarum authoritate, &c.

Vlricus ab Hutten, Eques, Cardinalibus, Abbatibus, Episcopis, Præpositis, & universo Sacerdotum concilio, Lutherum, & veritatis, ac libertatis causam aqud VVormaciam nunc impugnantibus, resipiscere. 1527.

Si per machinationem istam vestram, qua tutum non est inter homines versari nobis, licuisset, quæ nunc scribo, vestris coram auribus magno animo, & optima conscientia ingessissem. Nunc quia vos per potentiam video æquitatem opprimere, & leges conculcare: continebo præsentiam quidem meam à vobis, sententiam tamen & veritatis testimonium non continebo. Quî possem enim? cui propositum est, si moriendum etiam sit, non deesse æquitati, & pro patriæ libertate contra oppressores & tyrannos, ad ultimum usque spiritum depugnare.

Neque

Neque hoc tantum, ubi ad me (quem nescio cui novæ calamitati reservaris nunc) ventum fuerit, sed vel maximè jam, quando Martinum Lutherum, hominem vita & moribus sic probatum, ut ne ab inimicis quidem vobis improbatus adhuc ibi sit, prædicatorem veritatis, & Evangelicæ doctrinæ dispensatorem fidelissimum, per scelus & iniquitatem affligi à vobis, lacerari, & concerpi, video. Ubi egregios habeo concertatores vos, qui desperata probatissimarum scripturarum authoritate, diffisi ratione & testimoniis, mutantes clypeos, Danaumque insignia vobis aptantes: id est, ad pessimas artes inito refugio, armati fraude & dolis, novo certandi usurpato genere, edictis oppugnare nos paratis.

Rem novam & inauditam, vestroque indignissimam officio & instituto.

Quid autem vi & coactione opus vobis est; qui hujusmodi certamen decertatis, in quo cogi nemo debet? Aut quid imperatorem epistolis & diplomatibus opus vobis; qui tot habetis, quæ tueri vos debeant, sacras & irrefragabiles scripturas?

Sed etiam ultra leges, & Christi instituta extulistis potentiam vestram: & jam non scripturæ testimonium, sed vestræ majestatis intuitum vincere vultis. Estis enim Episcopi ac sacerdotes: & Christi vicem agitis hic. Quare obsistere vobis non licet: neque dicere quicquam adversum licet, imo etiam non sentire. Nam & conscientias vobis nostras subiicitis. Et quod à vobis dictum aut factum fuerit, pro sacro & sancto haberi debet. Nulla contra ratio; nulli testes valere debent. Vos audiendi; vos sequendi estis, quocunque abduxeritis.

At jam amplius non sequemur: quandoquidem non sequimini ipsi Christum. Si sequeremini enim, utique posthabitis opibus, delitiis, ambitione & luxu, crucem eius ferretis. Sed quia discessistis ab illo, donec quidem abestis; non accedemus ad vos. Quo minus enim à cæcis ductoribus in errorem abstrahamur, melior Apostolus Paulus multo ante cavit: jubens, se suique similes, qui exemplaris vitæ nobis esse possint, sequi: neque unquam abire post eos, qui male ambulent, inimici crucis: quorum, inquit, finis preditio est, quorum Deus venter, & gloria in dedecore ipsorum: qui terrestria curant. Conversationem enim Apostolorũ (qui vere sunt) in cœlis esse.

En, quam Propheta Apostolus graphice vos describit: quam omnium oculis atque animis vitam vestram exposuit: An parum agnoscitis de vobis dictum, cum huiusmodi vitæ conscii vobis sitis? neque aliter ambulare vos omnes sciant, omnes videant, quàm post voluptatem carnis, ac odisse crucem Christi: cum dura omnia fugiatis, neque unquam adversi aliquid pro Christo feratis: in omni mollicie, inertia, & deliciis vitam agatis.

Sed quomodo vim ferretis, quibus justitia gravis est? Aut quomodo maledictum audiretis, qui veritatis sonitu offendimini? Verbera autem, tormenta, & mortem pro Christo pateremini? cum, si quis à somno vos excitet, aut aliquid voluptatum istarum interturbet, bellum indicatis? Ergo igitur ex irrefragabili sanctiss. vatis prædicto, finis perditio manet vos. cap. 82

Nam deum ventrem colitis, & gloriam posuistis in dedecore, nullamque habentes in cœlis conversationem, neq; aliquid minus quam Christum expectantes, omni cura & solicitudine ad terrestria vos accommodatis. Et tales cum sitis, legum tamen, morumque regimen ad vos trahitis. Cumque in vobis dissoluta sint omnia, & confusissima, tamen sine provocatione imperium vobis pertinacissime vendicatis.

Vbi sunt isti patientes, qui hæc ferre possunt? Vos autem, quando erit, ut in tanta improbitatum & scelerum licentia, modum inveniatis? Nihilne ubique temperabitis vobis? Nihil curabitis? Neminem respicietis? Certe periculosam istam vobis securitatem arbitor. Nam ut non tangat nos indignitas, neque pudor vos turpitudinum vestrarum apud homines subeat, illos perpetuo in vos excubantes Dei oculos non verebimini? & pœnam, quæ hujusmodi facta manet, non timebitis? Sic vivitis, ut pudicam conjugem nolit quis domos vestras adducere: & tamen imperare in publico vultis.

Possemus ferre imperium, quorum fugimus consuetudinem? Ecce autem, nihil cum CHRISTO, nihil cum Apostolis convenit: & tamen Spiritualem vocatis sectam vestram, homines adeo carnales, ut studio voluptatum mundi hujus, omnem saniorem mentis cogitationem longissime à vobis relegetis: nihil quærentes aliud, quam regalem istam vestram opulentiam quod sustentet. Divitias autem fraude, & perfidia expeditis vobis: neque in alium finem, quam ut male partis utamini longe adhuc peius: nihil prius affectantes, quam ut profundissimam vestram gulam expleatis: totis lexuriæ dediti, inertiæ devoti, in desidia longe ignavissima torpentes: ut rectius popinam hanc, aut cauponam, quam Ecclesiam dixeris.

Neque

Neque tamen, cum habetis hæc, adhuc contenti estis, sed urbem quoque Romam cervicibus nostris imponere cogitatis, jugum & gravius, quam ut ferri possit, & fœdius, quam ut à viris debeat. Quasi nec usquam sit, nec esse debeat Libertatis vindex: & sic animos vobis desponderimus, ut ne revocare unquam ab errore liceat.

Quin aliquando vos recognoscitis & facta istiusmodi vestra perpenditis, ac illud prospicitis: fieri non posse, quin aliquando isti vestri mores summam in vos licentiam infimo cuique faciant? Videlicet, ut vobis pecuniæ sint, non ad usum necessariæ, sed ad luxum jam superfluæ: ut in voluptatibus degatis, in deliciis molliter versemini: neque aliquid non assequamini inexplebili ista vestra avaritia: cedantque omnia ambitioni vestræ, cupiditati omnia pareant: ut inquam sitis voti ubique compotes: omnia omnium commoda averti par est, omnium detrahi necessitati, neque suum cuiquam esse. Quin etiam, ut causam defensam habeatis, Evangelium mori oportebit.

Quis tam trito est collo, & sic assuevit jugo, ut in tanta scelerum vestrorum accumulatione, præsertim rerum oblata opportunitate jam excutere illud non velit? Aut si homines nolint neque usquam mens, nusquam ratio sit, CHRISTVS tandem suis deerit? Vos Apostolorum loco habeant homines, ab illorum instituto cum vivatis alienissime: & clericos vocent, quasi quos ut meliores Deus sortitus sibi sit: quibus dicit, Ego sum pars vestra: cum minus nihil agatis, nihil minus cogitetis, quam quod Apostolorum est, & ad clericos pertinet?

Imo cum perversius nemo vivat, nemo Deum minus esse putet, nemo sic fas nefasque, sacra & prophana omnia misceat & confundat. Nam quis vel in re nummaria audet fidem habere vobis? cum soleatis interpretari, lucrum esse Ecclesiæ: ubi quid fraude & impostura, vi & violentia acquisivistis: & à jurejurando sciant omnes, facili me absolutionem dare Pontificem Romanum.

Proinde, aut finite haberi vos ut vivitis: aut opere, factis, & vita ostendite, esse vos, quod vocari vultis. Et tunc, ubi facta convenient, noveritis, esse Sacerdotes vos, non dominos: Dei ministros, non seculi gubernatores. Opes vestræ cœlestes sunt, non terrenæ. Nam si quid aliud habueritis præter Dominum, non erit jam Dominus pars vestra, neque vos clerici eritis. Qua ratione jam statim non estis. Omnia enim præpostere agitis & transverse: cum interim tamen de nostra vivatis eleemosyna, & patrimonia nostra indigni atque immeriti devoretis, nulla etiam cum gratiarum actione, sed contemtu adhuc Dei atque hominum. Tanta mercede, ut scelera eveherentur, tyrannidem nobis comparavimus.

Olim clericorum sanctitatem venerabantur seculares homines, nunc opes & potentiam formidare cogimus. Et jam Evangelium neque ipsi prædicatis, neque prædicari ab aliis, nisi magna interposita cautione, finitis: timentes, ne quod vobis ulcus tangatur. Ac LUTHERO, quia veritatem dixit vobis, exitium molimini: alios, qui optima conscientia tyrannidi vestræ reclamamus, auferre è medio cogitatis.

Quid tandem futurum est? Quibus non malis causam aliquando dabitis? Si quando Dei mandata exponeretis nobis, & Evangelium prædicaretis, interim tamé ut nunc viveretis: utique optimo jure admussitaremus: cur ergò sic ipsi non vivitis? At jam & docere vos, si sciatis etiam, pudet: & pessime vivere non pudet. Quid adhuc sacerdotum & Episcoporum nomina adscribitis vobis, & de Ecclesiasticorum classe censeri vultis? pag. 83

Potest quicquam minus convenire, quam cum his nominibus vestri mores, vestraque vita? Tandem si vultis fidere in sublimitate honorum, etiam perfectitudinem vitæ induite: nec ab Episcoporum titulis, sed onere gloriamini. Nam quousque carnalia nostra metetis, cum spiritualia interim nulla nobis adseminetis? Semperne nostra de pecunia vestri erunt sumtus, etiam ad vitæ turpitudinem confovendam?

Paulus cum Evangelium prædicaret Thessalonicensibus, ne oneri esset ipsis, si penitus eorum sumtibus aleretur, die ac nocte opus interim fecisse se, scribit. Atqueis, quasi vitæ rationem suæ reddens, testificatur, exhortationem suam non fuisse ex impostura, neque ex immundicia, aut cum dolo, neque Evangelium prædicantem se quæsivisse, ut placeret hominibus, sed ut Deo: atque igitur nihil studio avaritiæ vel inanis gloriæ admisisse: unum laborasse, ut optimis doctrinis & institutionibus foveret & enutriret.

Tale quippiam vos agitis? Aut cum non agere vos, sed ex toto contra factos atque aptos sciatis, tamen in Apostolorum locum audetis succedere? atque hoc prætextu immunitates, privilegia, & libertatem, quam nulla Respub. ferre posset, vendicatis? Omnia in omnes licere vobis, vultis, in vos nemini quicquam? Quis modus indignitatis? Aut quem impotentiæ finem statuetis? Proripite à purissimis fontibus vos, immundi porci. Excedite sacris adytis,

adytis, scelesti negociatores. Ne tangite manib. toties pollutis sacra altaria. Nam quid cum Christo Domino vobis, qui servi facti estis mammonæ iniquitatis? Secundum carnem estis, atque igitur quæ carnis sunt, sapitis.

Huc spirituales homines, qui, quæ spiritus sunt, sentiant, quæruntur.

Atque igitur quid vobis cum eleemosyna parentum nostrorum, quam in pauperes Christo erogandam illi concesserunt: & idcirco ad Ecclesias conferentes, hæredibus nobis ademerunt?

Quid ad pios usus contributis, ad crapulam, scortationem, fastum, & pompam abutimini: cum interim boni multi & religiosi homines esuriant?

Quid vos in luxu abundatis: cum meliores vobis, & quos hunc tenere locum oportuit, fame atq; algore conficiantur?

Quid pecuniam Ecclesiæ, quam egentibus distribui decet, in popinationibus & nequissimis nequitiis profunditis & dilapidatis?

Vos Lutherum damnabitis, divini verbi annunciatorem invictum: cum è vobis idoneus nullus sit, doctrina vel cohortatione excitare fidem Christi? Vos in ocio & desidia, ac omni levitatis genere luxuriantes, summis viribus & opere maximo laboranti in vinea Domini molestiam obiicietis? Imò, quia fructum facere videtis, per scelus opprimetis? Sic alienæ industriæ ignavi ipsi & nullius bonæ frugis invidebitis?

Quinetiam idcirco persequimini, quia veritatem docet: quam postergantes vos, in locum eius Pontificum constitutiones meras nugas, sed quæ seria vobis dicant (nam lucro sunt) supposueratis. Et nunc irreprehensibilem eius doctrinam, novis mendaciorum cuniculis aggressi, ipsum authorem optimi meriti conscium sibi, invidia virtutis eius, & dolore interversi vobis lucri, evertere & pessundare conamini. *Timetis n. ne, si reviviscat* Evangelium, vestræ authoritati decedat nonnihil.

Nimirum frugalitatem cum doceat ille, ac pure nos sancteque velit vivere, & jam passim accipiatur eius doctrina: vos, qui in copia & luxu, in stupris & flagitiis supini decubantes, ætatem degere consuevistis, periculum vobis futurum intelligitis. *N*eque non erit. Quare etiam libros eius, plenos omnis probæ institutionis, exuri passim curastis, eorumque lectione humano generi interdictis: manifestamque voluntatis vestræ significationem datis, cupere vos, nec ingenia esse in Germania, & virtutem omnem depressam atque extinctam.

Vbi tam placidum est ingenium, quod atrox injuria non accedat? Quem reliquistis ulteriori iniquitati locum? Obtenebrata jam diu veritas fuit, & obscurata Christi doctrina: hæc divinitus oborta lux est, vos extinguetis?

En pastores Christianæ plebis, quos cum orare deceat, ut sermo Domini currat, & glorificetur, impedimentum obiicere illi videmus, & dedecus admoliri. Inspiciat hæc ab alto Servator Christus, & judicet: tandemque efficiat, ut in capita invenientium regerantur tam insolita sceleris & imprudentiæ exempla.

Sed unctis vobis & consecratis manū admoliri nemo audet, ubi pulchro prætextu, verba Christi, & sacræ scripturæ authoritatem, ad tutelam scelerum & fraudis vestræ detorquetis: & cum religioni nusquam, vestro ubique lucro consulatis, religionis tamen summam ad vos contrahitis: & isti Christianismi totius fastigio audacissime & impudicissime vos ingeritis. Nihil enim pudet vos aut dicere jam, aut facere.

Sed non succedet in perpetuum fraus: neque semper proficient doli. Et jam forte periculosissime nutat res. Id quod nec ipsi ignoratis, & intelligere alios ac sentire videtis, quam metuatis causæ vestræ. Ipsis enim factis documenta datis palam, salvis veritatis & fidei monumentis, consistere vestram tyrannidem non posse. Vbi miror, spem fuisse unquam vobis, pervicturos. An in mentem non veniebat vobis divini illius oraculi, cœlum, terram, & omnia transitura; Christi verba non transitura?

Itaque oppugnate nos, quantis omnino potestis viribus, nunquam tamen expugnabitis. Fundamentum habemus Christum: atque igitur ruinæ securos constitutos nos arbitramur. Quanquam recte summo in precio haberemus vos, si inter nos laboraretis, & in Domino nobis præessetis: nunc crapulari vos, scortari, & per omnia ineptire, graviter nihil agere vel cogitare cum videamus, hoc permittemus vobis, ut de fide, quam nullam habetis, & religione, quam nullo opere agnoscitis, judicetis? Quibus tandem præstigiis ita creditis destitui posse nos, ut non aliquando resipiscamus? pag. 84

Præcipit Paulus, & per Christum obtestatur, ut nos subducamus ab omni, qui inordinate se gerit: & Timotheum vult sejungi ab iis, qui quæstum putant esse pietatem. Quod cum oculis objectum sit, & auribus insonet, tamen sperandi finem non facitis, in servitutem delapsos nos, haud unquam remersuros. Et perpetuò successurum arbitramini ut precario quasi sub vobis victu agamus, homines

extreme dementes, & jam animis pariter ac sensibus destituti.

Quid enim non videtis, moveri hæc posse, auferri non posse? Nam concutietis forsitan, nunquam tamen convelletis. Vestra autem ista quis diuturna fore credat, qui quidem viderit, & si speretis adhuc, tam anxie tamen interim metuere vos? Quare hunc definite inanissimum obvertere nobis metum, & terrendi finem facite.

Scimus, à quibus abstinere vim oporteat, quorum veneratione teneri & majestatem vereri conveniat. *Neque* ignoramus, quid debeatur veris Dei Sacerdotibus, & quam non sit hoc polluere religionem, aut sacra prophanare, homines nihili, & non virtutis tantum inanes, sed per fraudem etiam & dedecus, sacratissimum nomen pessimis moribus obtegentes, ab Ecclesia Dei vi ac violentia repellere, eorumque ab oppressione manibus & gladiis vindicare nos.

Quia enim stomachum movistis mihi, audeo dicere, ex vobis neminem esse Episcopum: Omnes enim emistis Episcopatum. Neque aliquem ex vobis merita, sed aurum provexit ad gradum hunc. Illam gratis dandam gratiam pecunia æstimastis: & ideo gratiam non habetis: quare etiam Episcopi non estis. Quamquam ut non intercesserit ista nummatio, & tantum per manus impositionem facti Episcopi sitis, tamen abhorret vita: nec Episcoporum in vobis opera videmus, quod non sequimini ea, quæ haudquaquam redarguendus ordinis istius institutor Paulus, in Episcopis & presbyteris desiderat.

Nam inculpatos & irreprehensibiles vult esse, vigilantes, sobrios, modestos, Dei dispensatores, hospitales, bonarum rerum studiosos, temperantes, pios, iustos, ad docendum aptos, veræ & solidæ eruditionis tenaces: qui idonei sint, qui exhortentur doctrina sana, & contradicentes convincant: non præfractos, iracundos, rixosos, aut percussores: non vinolentos, nec turpi lucro deditos, aut avaritiæ studiosos: etiam fama integros, in quos ne suspicio quidem mali cadat. Vult enim, in opinione quoq; hominum de se bona versari tales, nec utcunque calumniæ obnoxios esse.

Et ut videatis, quam non ferat corruptos in Episcopis mores, ab eorum etiam familia integritatem & vitæ innocentiam postulat. Qui si Episcopos censeat hodie, creditis, in vobis ferat depravatam vivendi consuetudinem: cum Episcoporum libros & ministros voluerit probatis esse moribus?

Proinde animum aliquando advertite, ut vos cognoscatis. Ac illud definite, hominum judicia cogere, & velle per terrorem à nobis extorquere: ut, cum sitis ab Episcoporum officio alienissimi, plus tamen, quam veris Episcopis debetur, vobis tribuamus. Audite vero Christum, ut ad eius doctrinam cum vos formaveritis, non sine fructu nobis quoq; præeatis.

Atque ut non tantum nomine, sed re quoque ipsa beati sitis, mittite caducas seculi opes: & frugalitatem hic colentes, thesaurum in cœlis constituite. Pro lascivia verò & vitæ petulantia, luctum diligite pro ferocitate mansuetudinem, pro ebrietate & crapula jejunium & sobrietatem, pro sævitia misericordiam, pro mala conscientia mentis puritatem, pro turbulentia & seditione pacem induite: aut tandem discite, non molliter delitias sectari, sed fortiter dura pati. Convicia ab aliis ferte, non ipsi priores facite.

Quales cum esse cœperitis, etiam in vos congruent magnificæ illæ appellationes, SAL terræ LVX mundi, & si quid est hujusmodi. Tunc etiam vos fertilissimos vitis illius palmites vocabimus, & jus ligandi ac solvendi hic, quod in cœlis quoque ligatum & solutum sit, concedemus. *Neque* enim, ut nunc videbimus, ex hominibus quærere gloriam vos, sed dare illam Deo, aut fraudare in negocio fratrem, vel per invidiam opprimere: sed fideliter conversari, in charitate exhortari, & doctrina fovere addecet.

Propterea non ut nunc propter rapacitatē intolerabiles, sed propter obsequium & liberalitatem eritis omnibus desiderabiles. Tunc enim videre licebit, non multis nocere vos, sed prodesse omnibus.

Huc animos advertite, hunc vitæ scopum vobis statuite. Nam quid vanos titulos, & inanem adpellationem satis esse arbitramini, cur honorem habeamus vobis? Vita æstimatur hoc, & factis.

Nosse autem decet vos secundum Pauli doctrinam, quomodo versari oporteat in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei, columna & basis veritatis. Ille certe Episcopum formans, stude, inquit, te ipsum probatum exhibere Deo, operarium non erubescendum, recte secantem sermonem veritatis. Et: Sectare justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei. Atque iterum: Esto forma fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate. pag. 85.

Quale est hoc autem, de se quod profitetur ille? Si adhuc hominibus placerem (inquiens) Christi seruus non essem. Et quod à Ioanne dicitur: Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.

Quo-

Quoniam omne quod est in mundo, veluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo.

Ne vero (quod Hieronymus cavet) lucra seculi in Christi quærite militia. Sic autem agite Episcopos: ut non sitis oneri, sed adjumento: & quemadmodum ille ait, ut vos expleamini, sed ut ne nos inanes remaneamus, pro quibus omnia decet expendere vos, vitam etiam, exemplo ejus pastoris, qui animam suam posuit pro ovibus suis, vobis exemplum dans, quod imitaremini.

Sed quid hæc ego frustra apud vos, animales homines, non accipientes, ea; quæ sunt spiritus Dei? Utinam autem acciperetis. Nam in vestram hoc rem esset: qui valde metuo, ut citra ingentem Reipub. Christianæ concussionem, redigi in ordinem possitis. Sic pertinaciter enim errorem defenditis, ut acerbissima opus esse medicina videatur, quo gravissimo languentes morbo, in sanitatem restituamini. Quod reputanti mihi, in mentem venit, hæc illa esse periculosa tempora, quibus de nunquam falsus vates Paulus prædixit, cum ait:

Erunt enim homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, nescii fœderis, caluminatores, intemperantes, immites, negligentes, bonorum proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius, quam amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint.

Ex quib. verbis non obscure sentitis, quos homines futuros impedimento fidei & religioni prædixerit? Aut non agnoscitis vitam moresque vestros hoc in speculo? Sed quemadmodum pessima tentaturos vos ille, & idcirco fugiendos, præmonuit: ita exitum quoque rei eodem prævidit spiritu, quemadmodum (inquiens) Ianues & Iambres resistebant Moysi, ita & *hi resistunt veritati*, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed non amplius proficient: siquidem amentia istorum evidens erit omnibus, quemadmodum & illorum fuit.

Atque hoc est, quod sæpe ego monui: fore, ut nimia ista immodestia, ac impotens tyrannis vestra exitium vobis accerseret necessariò. Jam enim omnes vident & cognoscunt, fraude & versutiis coalitam vestram audaciam in imensum progredi, ipsos vos indignissime rerum capita haberi, ut exemplo vitæ meliores alios reddatis, qui estis ipsi magna ex parte ob luxuriam & libidinem muliebriter infames. Sed ibi consilium fallendi exquisivistis, ut ne liceret in mores vestros cuiquam declamare. Atque igitur LUTHERUM invasistis primum: cujus damnatio si procedat, certe me quoque oppressum iri. Quanquam mea longe alia ratio est. Etiam enim victoriam spero: tantum abest; salutem mihi ut desperem.

Vos autem quomodo credemus viam virtuti patefacturos, cum claudatis veritati? Illa tamen non latebit, sed ostendet se, invitis vobis: ut jam quoque videre licet oculis atque auribus hominum; vel lapidibus & roboribus, si nos taceamus, proclamantibus. Sed non tacebimus.

De me enim quod polliceor: addam stimulos libertati, subdam calcaria, incitabo, impellam. Quos non habebo statim assentientes; vincam assiduitate commonitionis salutaris, cogam pertinacia necessaria. Neque aut cura mihi; aut metus est, ne qua hanc sortem fortuna aggravet: paratus in utrumque, seu perniciem excitare vobis magno patriæ hujus commodo, seu nulla mea mala conscientia strenue occumbere.

Nec stulta hæc temeritas est: falso enim interpretamini. Virilis & summa cum honestate conjuncta Libertas est. Quare ut videatis, quanta vestras minas fiducia contemnam: donec quidem aut Lutherum, aut hujusmodi quenquam persequemini; hostem me vobis profiteor infensissimum. Atque hanc voluntatem mihi nulla vestra vis, nulla fortunæ injuria auferet, nec mutabit quidem.

Porro, vitam cum abstuleris: hoc meum tamen, quo minus permaneat; in patriam bene meritum, hoc rectè factum ut moriatur, non efficietis. Quod in cursu est, forsitan sisteris: quod futurum, præveniretis: quod factum vero, infectum non reddetis. Fieri enim non potest, ut cum vita simul auferatis vitæ memoriam: Non. Mihi quidem sicut dubium est, ad quem hæc tendant exitum, ita certum proponitur, optimæ conscientiæ opinionem ad posteros venturam. Hunc maximum vitæ fructum cepero.

Et ut alia quoque de causa pertinaciss. esse mihi persequendi vos obstinatiam, cognoscatis, à Deo præmium mihi, si quid contra vos obtineam, spero: quo minus arbitremini, pœnam me timere. Gratum enim illi esse scio: ut amotis à sacrorum contrectatione talibus, locus sit iis, qui digne administrent. Et in extremo illo judicio tutum magis fore confido, offendisse vos, quàm demeruisse: & cum tumultu exegisse melius, quam per quietem patienter tulisse: præsertim piam commonitionem cum sitis aspernati.

An memoria excidit vobis, impeditæ alioqui per vinum & crapulam cogitationis, quod, cùm ante aliquantum modestia

sta exhortatione aggressus essem, bellicum cecinisse me clamabatis? Ita insuetum fuit hoc vobis, ita dignum factu visum. Quare etiam mathematicum illum nuper veriti non estis, apud gravissimum concilium, quasi læsæ majestatis reum agere: quod vos in reti aucupatio, quod nescio quis captabundus attraheret, depinxisset. Ita teneros habemus vos & delicatos, atque omnis injuriæ impatientes.

pag.86

Non describi vultis, non pingi, non fingi. Si quid omnium fiat, capitale esto. Quod ut obtineatis, tamen ita modum dissolutè & turpiter vivendo exceditis, ut perire vos vestro judicio necesse sit.

Prius, quicquid foris fuit, depasti estis: nunc hærentes in medullis nostris, & viscera jam aggredientes, quis vel mediocriter fortium potest continere se, quin impetu, vi & violentia invadat, vobisque cædem & exitium moliatur?

Ipse imò non feret diutius indignitatum Dei Ecclesiam onerantem populus Christianus, passim jam patrimoniorum exitium, corruptionem morum, & vitæ pestem clamitans vos, & diris ac devotionibus insectans. Vos tamen, quasi in omnium sensibus quæ insita sunt, ulla pertinacia vinci queant, ambitione quadam plus quam pharisaica inflati, non desinitis LUTHERO, viam veritati facienti, & ob id magnis adjuto omnis generis hominum favoribus, mortem, & si quid inveniatur morte adhuc gravius, sævissime & atrocissimè intentare.

Quem virum fingite errasse: quanquam minimè cura vobis est, in Ecclesia erret quis, an benè sentiat vel dicat: neque hoc negotium accepissetis unquam, nisi de vestro luxu & potentia agi vidissetis: tamen ut erraverit, utrum ut inimicum hostiliter infestare, an ut fratrem pie commonere decuit?

Agite verò, ubi (quàm diu conati hoc estis) ulla in vobis apparuit vel imago charitatis? Ubi cordium puritas enituit, & animorum sinceritas? Nonné præcipites irruistis, neque cum ratione egistis? Nónne, ut innocentem damnaretis, multa à vobis in eum ficta & ementita protulistis? Nónne in gratiam Rom. Episcopi, per insidias conati estis opprimere? Nónne etiam nunc, omnibus honestissimis viris reclamantibus, hoc agitis: ut non auditum, non convictum, sine crimine & testibus, damnatum pronunciet Imperator Carolus?

En præclaros vitæ magistros, qui in omni sinceritate & mansuetudine præeant aliis. Est hoc Episcopos esse? Aut Christianos est hoc esse? Si nos vexarent alii, vos consolari debebatis. Quam præposterè aguntur igitur omnia. A quibus bonum sperare conveniebat, ii mali inferunt abundè satis: ac molestiis nos, dolore, & afflictionibus aggravant.

Nónne igitur rectissimè cum Ambrosio, autore gravi & sancto, vobis dixero? Nomen habetis inane, & crimen immane: honorem sublimem, & vitam deformem: deificam professionem, & illicitam actionem: religiosum amictum, & irreligiosum profectum: gradum excelsum, & deformem excessum. In Ecclesia habetis cathedram sublimiorem, & reperitur conscientia vestra humilior: locutionem simulatis columbinam, & mentem habetis caninam: professionem monstratis ovinam, & ferocitatem habetis lupinam. Ut per prophetam possit responderi vobis: Populus hic me labiis adorat, cor autem eorum longè est à me. Etiamne hæc in vos non competunt? Aut modus & mensura est eorum, quæ ex probatissima Scriptura in vitam & mores vestros dici possunt?

Verùm surdis cantilenam hanc, ut priora omnia. Sic in LUTHERO estis, ut neque oculis, neque auribus uti rectè liceat. Talis est invidia. Sic vos occæcatos reddidit furor. Ita stuporem mentis incussit iracundia vobis. Ubi ut reliquorum omnium gratiam vobis faciam, ista excogitata à vobis ingeniorum supplicia minimè omnium ferenda videntur. Quid indignius enim, quàm proscribi ingenia? exuri libros? aboleri literas? interimi Scripturam? Etiamne studendi nobis solatium adimetis, & scribendi fructum? Colloquendi & familiariter conversandi usu interdicetis? homines extremè inclementes & barbari.

Sed hæc si vulgò moneretis, & in populo conaremini, tamen bello & cæde vindicanda viderentur. Nunc in illis (ô patientiam Germanicæ nobilitatis) Imperatoriis auribus hæretis, quas pessimis institutis, & conatibus supra modum impiis & sacrilegis opplevistis. Et jam edictum extorsistis illi, magnum damnationis nostræ præjudicium. Verùm agite, furite, utimini successu, neque à quoquam, in cogitationem quod venerit, dicto aut facto continete vos: ruite per vesaniam, ite præcipites, impellite, vastate, proterite, vecordes & amantes invadite & invehimini. Etiam nostra aliquando aderunt nobis tempora. Quanquam interim videte, qui rectores jam nunc estis Imperatoriæ juventæ, quo abducatis hoc ingenium, reddituri procul dubio consiliorum omnium istiusmodi rationem apud eos, apud quos minime voletis,

Scio

Scio, qua est indole, diu renuit iniquiss. postulationem. Verùm efflagitationibus fatigatus, etiam minis compulsus (nam & huc impotentiæ pervenistis) ut & molestia vacaret, & periculum declinaret, dedit quod dare non potest: si possit, non debet. Hoc vos exultatis, hoc invicem gratulamini: & quasi Babylone debellata, sic triumphatis: cùm id minimè nos moveat: quemadmodum illa quoque ulterius, quæ demiramini, exilium, & mors, digna (ut vobis videtur) præmia, quæ libertatis assertoribus rependantur. Nam ut persuadeatis illi, inceptam proscriptionem ut exerceat acerbissime, nos rebus, patria, etiam vita exuat: tamen multa & interim, & in futurum metuenda vobis sunt.

Primum enim videtis, nobis quoque conjurandi pro partibus nostris & causã esse, & occasionem. Deinde meminisse vos decet, si quid in his rebus (ut varia est fortuna) male cadat, fore, ut innocentiss. Principis lapsum à vestris manibus requirant homines. Discite vero mortales homines, inter blanda fortunæ obsequia ejus mutabilitatem habere suspectam. Non possunt diuturna hæc esse: cum sint fortuita.

Sed ita forsitan Deo visum, ut ipsi provocetis exitium priùs vestrum quàm inferre alii cogitent: ipsi persequendi vos causam ante detis, quàm alii quærant. Certè enim spe finiendæ potestatis vestræ multi aguntur nunc. Multi ubique. pag. 87 Præsertim tot fortes viri non ferent libidinosè & crudeliter imperantes vos. Non ferent.

Vt autem pervincatis libertatis assertores nunc, fore prædico, ab hujus motus compressione, novi & acrioris multò initia vobis. Nam duorum hominum numero res tanta æstimanda non venit. Sciatis, multos esse LVTHEROS, multos passim HVTTENOS: & si quid nobis accidat, eò majus futurum ab aliis periculum vobis: quòd cum libertatis assertoribus innocentiæ vindices, & injuriæ ultores conjungi videbitis. Vnum omnium certissimum proponite, non defuturos Evangelio suos defensores, non defuturos libertati vindices. Vbi si astuta vobis ratio est, etiam fortè non deerit necessarium nobis consilium.

Iterum verò commonitos volo, quia se nimiùm superfudit vobis fortuna nunc, ut rerum vicissitudinem cogitetis, & cupiditatibus aliquando vestris frenum ingeratis. Ad summum pervenistis. Jam non est, quod incrementum concipiatis animo ulteriùs. De lapsu jam cogitandum est. Nam labi proclive est omnibus, in edito qui consistunt: introrsus referte istos ambitionis fines, istam avaritiæ metam arctius circumscribite, & luxuriæ modum ponite.

Nam quò se tandem illa porriget cupiditas vestra? Quem accumulandi modum statuetis? Non aliquando vos respicietis: & non, quò tendatis, sed unde veneritis, considerabitis?

Redite in viam. Redite, & ab errore, quando integrum hoc est, vos recipite. Semper fuit melius recurrere, quam periculosè procurrere. Estote non bonorum hostes, sed malorum vindices. Aliis prodesse, non vobis concupiscite. Sic agite, ut medicinam à vobis sperare liceat, non timere venenum. Imperate cupiditatibus vestris & rationi parete: ac istum moderamini fraudis & imposturæ successum.

Non perpetuò cæcutient, qui aliquot jam annos male usi sunt oculis. Videtis illam spirare libertatis auram, homines tædio præsentium innovare hunc rerum statum cupere. Vbi nescio, an tuto possimus nos contemni. Aliquando ex modica favilla ingens statim incendium emicuit.

Hæc si in mentem vobis venerint, non poterunt non esse salutaria. Sin vero ulterius fortunæ fidendum videbitur, & LVTHERVM pertinacissime ut instituistis, persequemini, eadem opera (videor enim quod futurum est præsentire) fatum, quod vos manet, accersetis. Mementote autem, vindices esse Dei oculos in infima hæc semper directos, & desuper imminere vobis judicium. Certè profecto, innocentis viri dammatione capita vestra consecrata sciatis. Imp. & Papa ut sup.

Dn Indulgentiis Julii per eundem Huttenum.

Fraude capit totum mercator Iulius orbem:
Vendit enim cœlos, non habet ipse tamen.
Vende mihi, quod habes. Nam qui pudor,
ut mihi vendas,
Ipsum te, Iuli, cujus egere vides?
Quin fera centimanos emittat terre Gigantes
Iulius expulso, vendat ut astra, Jove.
Donec enim cœlos alius regit & tonat inde,
Non ego tam magni muneris emtor ero.

Papa Julii 2. descriptio per eundem.

Qui chalybe & duris amicitur Iulius armis,
Terribilis barbâ, terribiliq; coma:
Cui torvos horrore oculos frons occulit atrox,
Tartarea ignescunt cujus in ore minæ:
Ille inquam gladiis atq; occidente sagittâ,
Et terra populis. & metuendus aquis:
Qui trucibus reges terrarũ innexuit armis,
Qui totum exciro sevit in orbe, malum:

Ille tot exitiorum & tanti criminis autor,
Quo secum populis imminuère duces,
Quiq; manu, quiq; ingenio dira omnia patrat,
Natus in humanum pestis acerba genus:
Cujus opus mors est, turpissimus ocia luxus,
pag 88. *Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit:*
Ille, inquam, talis cum vitâ & moribus extet,
Dissimilis Christo dissimilisq; Petro:
Quid facit, aut quid habet, quod tandem dicere possis
Dignum Romani nominis Pontificis?

Idem. Novi ego Episcopum quendam, qui cum exploratum habuisset, quod quidem Christiani sub utraq; specie cœnam Domini assumsissent, mandavit, ipsos in vincula conijci, & ibidem inperpetuá fame sitique detineri. Postequàm autem adhuc unâ vice tentavit ipsos, utrum eligere vellent, & illi contra verbis inniterentur Christi, de quibus se cedere negabant: jussit eos ante paratam exquisitis epulis mensam alligari, ut escas tangere nequirent: & pone ministros subornari, qui dicerent: Accipite & edite. Quo pacto crudelissimus ille miseros homines enecuit.

Idem. Adeò aperte beneficia émuntur & venduntur, ut etiam mercatoribus illorum nundinationem permittant Romæ. Et ipse argento in Germaniâ redemi, ut lacte & butyro jejuniorum diebus vesci liceret: & Romam veniens, nullum ibi clausum eo tempore vidi macellum.

Certum est, Moguntiæ quendam ex beneficio suo mulieri Florentinæ vectigal pendere. Qualiter hoc fiat, cogita. Et vidi quendam non doctum, qui tamen Romæ titulum Doctoris pecunia impetravit, & Ratisbonæ Canonicus factus est. Præter nobiles enim & Doctores nemo admittitur.

Idem hic Huttenus Lutherum fideliter admonuit anno 1521. dum inquit: Ita statuas tecum, Luthere, quod non tuam rem promoveas, sed ejus, qui sit Dominus omnium in hoc mundo: ille de fine felicissimo contra pericula maxima jam deliberat.

Idem in libro ad Carolum 5. Imperatorem. Constitutiones ad suum libitum, ex lucri sui modo proposuerunt: quibus omnem hîc libertatē obterebant, omnia nostra potestatis suæ nexibus constringebant: quæ majorum nostrorum liberalitate Ecclesiis donata sunt, avarissimè ad se pertraxerunt. Episcopos in Germaniâ esse noluerunt, quibus non pallia magno vendidissent ipsi: omnes apud nos præfecturas sacerdotales magnō suo commodo locandas sibi desumserunt. Primum aliquando, deinde quotannis iterum, jam tandem quotidie novas indulgentiarum merces venales huc afferunt.

Tum absolutiones, dispensationes, relaxationes, & infinitas id genus bullas, fraudulentissimis apud vulgum usi persuasionibus, in magnâ de se hominum opinione vendiderunt: atque his modis, & aliis compluribus (neq; enim numerus est) tantum pecuniæ, quantū dici non potest, diu jam trans Alpes hinc deportârunt.

Præterea multos sæpe hîc, & in his principes viros, anathematis inflictu perculerunt. Quibusdam venenum miscuerunt: alios per speciem amicitiæ hostibus nefariè prodiderunt. Semper discordias inter Principes nostros excitârunt, & aluerunt, pulcherrimis sæpe reb. splendidissimis facinoribus, magno totius Reipublicæ Christianæ incommodo, ac publico malo, impedimentum attulerunt.

In eodem libro. Videmus, non esse aurum in Germaniâ, nec argentum pene; Si quod reliquum verò est, ipsum avarissime ad se trahit, novis quotidie inventis artibus, ille sanctissimus Romanistarum senatus: ubi quid eripuerit verò, tum in pessimos confert usus.

Vultis enim scire Germani, quæ vidi ipse, quid faciat Romæ nostra pecunia? Non nihil facit. Partem in nepotes suos, & cognatos profundit Decimus. Habet autem ita multos ille tales, ut proverbio locum dederint, Leonis Romæ cognati, & affines. Partem absumunt tot Reverendissimi, quos triginta & unum pater ille uno, atque eodem creavit die: tot Referendarii, tot Auditores, Protonotarii, abbreviatores, Scriptores apostolici, Camerarii, Officiales, & id genus alii Principis Ecclesiæ primates. Nam hi post se trahunt maxima adhuc cum impensa, Copiistas, Pedellos, Cursores, Scobatores, Muliones, Stabularios, & scortorum utriusque sexus innumerabilem turbam, ac lenonum exercitum. Alunt & canes, equos, ac simias, & cercopythecos, & hujusmodi multa, animi causâ. Domus verò extruunt, solido quidam è marmore, & gemmas habent: cœnantq; laute, ac splendide vestiunt: & genio indulgentes, secure deliciantur.

In summa, nostræ pecuniæ præsidio, magna ociatur Romæ pessimorum hominum multitudo. Nulla ibi religionis cura, magnus est contemtus, qualem vix apud Turcas esse arbitror. Fraudant, imponunt

ponunt, furantur; mentiuntur, falsum obsignant, spe lucri omnia dicunt & faciunt. Propositum verò habent ibi omnes, pecuniis nostris insidiari, ac vivunt, ut edant, atque bibant, & sumtuosissime delicientur: nostrisque impensis assequuntur hoc.

Has ob res immensam auri vim Romam quotannis hinc mittimus, nec adhuc intelligimus, perdi, quod sic elargimur. Imò non perdi rem tantum, sed materiam fieri adhuc magnorum infinite malorum. Itaque si philosophari libet, ob idque pecuniam adjicere decretum est: patent tot in propinquo maria, sunt fluvii, ille apud nos Moganus, ultrà Rhenus, tuus istic Albis, atque alii. Demittamus eò, ut perdantur ipsa potius, quam perditionis causa fit ubiq; multis: dũ istã pascimus turpitudinem Romæ, superflue adeo, ut huc nonnihil inde redundet: dum hanc alimus publicam morum pestem, hanc ipsi fovemus vitæ contagionem.

Sed non abijciamus, tantùm aliò transferri non sinamus. Hæc prima & optima est destruendæ illius tyrannidis via, hic modus. Certe enim subducto hoc luxuriæ fomento minus se efferent, tractabiliores passim erunt. Postea duce aliquo Othone, illum censebimus senatum, urbem Romam lustrabimus, & ejectis malis complurib. paucos quosdam sua illic sacra curare jubebimus, regnare non permittemus. Ipsi imperatori, siquidem esse volet, Imperii sedem reddemus. Romanum Pontificem, ut æqualitas episcoporum sit, in ordinem redigemus. Sacerdotum etiam hîc censum minuemus. Ipsos ad frugalitatem perducemus, & pauciores faciemus, centesimo quoque delecto.

pag. 89

De iis vero, qui fratres vocantur, quid statuemus? Quid enim aliud, quam quod ego censeo, abolendum omne monachorum genus. Quod ignorari non debet, si fiat, quam sit utile, quamque fructuosum Reipub. Christianæ futurum. Primũ enim coactis tot sectis, tot conciliatis invicem diversitatibus, ablata vivendi dissimilitudine, intestina simultas cessabit, pravæ æmulationis causa non erit, neque invidiæ materia suppetet. Omnes in Christo unum erimus. Stabit publica concordia ac inter nos omnes conjungemur, ut exterius differamus ab aliis.

Nemo tunc mollis & delicatus, vel avarus ad sacerdotia, ut nunc, adspirabit. Probi & docti, qui vitæ quidem exemplo meliores alios faciant, doctrina vero multos erudiant, ipsi accersentur. Deinde, quod optandum inprimis est, tot hypocritæ desinent simplici plebi fucum facere, pauperum sudorem ac sanguinem emendicare, omnes exhaurire, se implere, sub falsa religionis specie fraudare & decipere.

Annón vides, quod magni nebulones, quot callidi veteratores sub monachali cucullo magna nonnunquam flagitia patrant? & quod multi nunc insidiosi accipitres columbinam simplicitatem simulant? multi rapaces lupi agninam præferunt innocẽtiam? Quorum tamen si qui meliores sunt, sua quædam & nova superstitiosè sequũntur, impie ab iis, quæ Christus instituit, prævaricantur. His tot Germaniam atterentibus, magisque ac magis omnia devorantibus ablatis, simul ea, quæ in nos feruntur Romanistæ, diripiendi licentia ademta, multum hîc auri, multum erit argenti. Verum id quantumcunque nobis, aut qualecunque relinquetur, in meliores verti usus poterit: nempe ut alantur magni exercitus, & imperii propagentur fines: etiam Turcæ, si videbitur, debellentur: ut multi, qui per penuriam furantur nunc & rapiunt, stipendiis tunc vivant: aut qui aliter egent, publicitus, quo inopiam tolerent, accipiant. Vtque doctissimi alantur homines, & literarum studia foveantur.

In summâ, ut virtuti præmia sint, internæque egestatis habeatur ratio, ignavia exulet, fraus occidat. Hoc videntes Bohemi, per omnia nobiscum facient. Nam antè, quòd adversus avaros sacerdotes sibi consuluissent, prohibiti erant. Facient & Græci: qui cum ferre nec vellent, nec possent Romanam tyrannidem, Romanorum Pontificum instinctu, pro schismaticis sunt habiti, multo jam tempore. Ac Rhuteni erunt nostri: qui cum esse nuper vellent, repulsi à Sanctissimo sunt, jubente pendere sibi aureorum quotannis quater centena millia. Etiam Turcæ minus oderint: nec ulli Ethnici calumniandi, ut prius, occasionem habebunt. Hactenus enim eorum, qui religioni præfuerunt, vitæ turpitudo odibile apud alienos Christianum nomen reddidit.

Eritné hoc afflixisse fluctuantem Petri naviculam, destruxisse Ecclesiam Dei: & (quemadmodum sacrilegi clamant Romanistæ, fœdaque vociferatur Epicureorum schola) inconsutilẽ Domini tunicã discerpsisse: an vero accessione tot populorum, emendatis publicè moribus, & contagiosis ablatis è medio exemplis, depurgasse, provexisse, & auxisse?

Ibidem. Atque ut planè intelligatis, à quibus insidiæ mihi fiant, hi sunt, quibus authoribus, quibusq; ministris ea fiunt, quæ ego nisi reprehendissem, jam salvus essem: si laudassem, etiam beatus. Hi, ut compiletur nove quotidiè patria hæc, adjumento sunt, consilium dant, opem

opem advertunt, impii Curtisani, detestabiles Symoniaci, qui istam miscent abominabilem publice praxim, qua Christo illuditur: veritati fucus fit: Germaniç non tantum, quando in pecunias ejus & possessiones impetus istinc fit, detrimentum adfertur, sed populi etiam mores, pessimis inductis ab urbe Roma exemplis, depravantur.

Ab ipsis enim sunt istiusmodi malorũ causæ, qui cum tanto suo commodo ministri sint Romani Pontificis, hoc faciunt posse illum, à quò longissime alioquin aberat. Horum opera fit, ut regnet superstitio, vera exulet pietas. Hi animaverunt Romanos Pontifices, in tantum, ut constitutionibus ad lucri sui intuitum latis, Evangelicam abolere magna ex parte doctrinam aggressi sint. Hi illam alunt Romanam voraginem, illum pascunt insatiabilem istic gurgulionem, qui patrimonia hic nostra devorans, hanc illinc revomit morum perniciem. Atque hi effecerunt, ut hunc illi nationi huic laqueum induerint: quem vereor, ne haud solvatis, nisi destructis his: ne haud, nisi aboleantur hi, enodetis. Hi sunt quasi quidam in patriæ malũ nati illices. Hi Romanæ mensæ aucupes, qui, quod Roma voret, capiunt: & capiunt tam nimis multum, quam non satiatur illa vorando.

Aperite oculos Germani, & videte, qui hic vos dispolient, qui apud exteros infatuent, omnisque vobis malæ fortunæ, omnis depravati status authores sint. Atque ecce vobis sceleratos indulgentiarum mercatores sacrilegos gratiarum, dispensationum, absolutionum, & omnis generis bullarum institores: qui sacrarum rerum mercatum in Ecclesia Dei instituerunt, cum prophanarum ille emtores & venditores templo olim eiecerit. Qui istas architectant fraudes: illos concinnant dolos, unde hæc est servitus, hæc nationis hujus captivitas. Qui me impeditum reddiderunt: in has turbas, hanc inquietudinem conjecerunt. Qui hoc mihi discrimen, hoc periculum conciliarunt, haud aliam ob causam, quam quia suas artes prodidi, crimina detexi, rapinis obstiti, grassaturæ impedimentum attuli: quoniamque per me quadam ex parte effectum est, ut nonnihil ipsorum decesserit lucro, veræ pietati multum accesserit.

pag. 90 *Idem Huttenus in libello ad Marinum Caracciolum, Oratorem Romanum.*

Non ego illis credidi quidem, Marine Caracciole, qui te magna contentione frugi hominem prædicabant, biennio abhinc agentem Moguncíæ. Namq; enim audieram, frugi oratorem demissum ab urbe Roma unquam huc: sed tam confidenter malum non putassem, ut frequentissimo hoc principum & po. Germaniæ conventu, quo Libertatis causa agitur, & Romana iniquitas, ut nunquam prius in accusationem venit, nihilo secius interim audeas nundinari tu, ac peculatui, prædæ, & compilationib. operam dare. Nam quid jam ultra cogitabimus, quidve proponemus: cum tu eo tempore, quo maxime adnituntur jugum abijcere Germani, pecuniam, qua nos oppugnes, non aliunde quam à nobis ipsis cogas & extorquas?

Reclamamus tyrannidi vestræ crudeli & abominandæ: contra vim reluctamur: imperium detrectamus: potentiæ resistimus: ad libertatem passim conspiramus: atque hæc omnia obfirmatè adeo & pertinaciter agimus, ut putatum nuper sit, satis invidiosos vos infestosque vulgo redditos: tu nihilominus, quasi nihil horum ad te pertineat, sceleratas negociationes secure, ut nunquam ante, exerces: & aliis quidem precio peccata indulges: aliis verò pacta pecunia, ut peccent, permittis. Iuventutem Germanicam precium pro connubiis postulas. Ius, fas, licitum, & honestum emi abs te pateris. Fidem, religonem, æquum & iniquum precio addicta habes: contra leges aurum & argentum accipis: nefario instituto à pauperibus nostris pecuniam exprimis. O audaciam singularem.

Ibidem. Quid putem morari te potuisse, aut pudorem, quem nullum habetis Romani, aut timorem Dei, quem esse non creditis? En frugi legatum, probum ex omnibus unum Pontificis oratorem, prædicatum à curtisanis mihi magna cum jactatione sua, magnaque gloria. Quid ageres, improbissime, si in illa incidisses tempora, quando nulla in Germ. vox, ne gemitus quidem liberi fuerunt? Quando contra vestram iniquitatẽ nemo aliquid mutire, nemo vel torve obtueri audebat? Qualem te tunc habuisses: cum jam bene sperantibus nobis, etiam non pessime habentibus, sic avare, sic intemperanter audeas quæstum facere, & in patria hic nostra inq; oculis hominum, ad libertatem undiq; concurrentiũ, confiscari nos, & pecuniam hinc avertere? Quin etiam non occulte facis cauponationes has, aut celare tuas sordes aliquo modo cogitas.

Quare jam pridem ægre adduci potui, ut crederem: cum nunciatum mihi esset, à quodam, qui uxorem petebat eam, cui compater erat, petiisse te trecentos aureos. Cumq; ille, & quia te propter sordes contemnebat, & quia videbat negotiationem tuam esse longè iniquissimam, contraque fas omne, omnem honestatem, & Christi leges institutam, octo obiiceret:

ret: respondisse, te pro octo aureis non solere verbum mittere, nedum: signa & literas velle perdere. At paulo post alia nunciata sunt. Quorum unum responde mihi.

Quæ æquitas est, eum qui uxorem duxit, cujus aliquando filium Confirmationi adhibuerat, petere septuaginta aureos? Et tamen adeo obstinate egisti hoc: ut cum decem tibi offerret, excedere hominem à tuo conspectu jusseris, quasi qui molestus tibi esset, tam parui æstimans tuas nugas.

Porro licentiam mensarum quanta mercede vendidisti tota jam hyeme? Nam cui tu butyri esum gratis indulsisti? lactis & ovorum? cum vescaris ipse quadrupedum & avium carnibus indiscretissime. Sed hoc quoddam interpretor malum populi Christiani fatum, qui dementari sic potuerit, ut non videat, si quippiam, nisi à Pontificibus ante permissum, usurpandum non sit, quantum tamen non conveniat, pecunia illud emercari. Tua vero incomparabilis hæc audacia est, qui, quod sani quidem homines ferre nullo possent tempore, hoc tu facias in his motibus, hac ad res novas hominum aspiratione.

Non vel tantillum moræ iniici potuit cupiditatibus tuis, quo hæc transirent comitia? quæ ad hoc habentur maximè, ut in libertatem vendicetur Germania: vobis rapere amplius hic, fraudare, & furari non liceat: tributarii deinceps urbi non sint, quos imperare Orbi convenit. Morum aboleatur hæc à vobis inducta isthinc contagio. Liberæ sint hominum conscientiæ. Veritas in luce versetur. Evangelium in auribus vulgi sonet. Pontificum constitutiones ultra Garamantas & Indos exulent. Bullis vexare posthac Germaniam non liceat.

Indicium, quomodo unoquoque tempore Pontifices Rom. erga Germanicos Impp. sese gesserint, per D. Ulricum ab Hutten ex historiis & Chronicis excerptum. Cæs. Majestati exhibendum.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum, inquit poëta: & id non abs re: sed & is non minus felix est, qui leviculo aliquo damno ex periculis sese extricat, quod postmodum ei loco regulæ est, quomodo cautius & circumspectius in posterum res suas administret, & revocato in memoriam prioris casus exitu, à similibus sibi caveat. Sin vero quendam duplicia, sua videlicet & aliena, damna providum & cautum reddere nequeant, sed omnium præteritorum oblivisci velit: hic si in extremum conjiceretur discrimen, nemo benevolorum etiam illius casu moveretur misericordia, malevoli verò se isthoc infortunio oblectarent, quin & suæ id fortunæ ducerent: demum & qui nec amici nec inimici sunt, ex merito hæc ei evenire, dicerent, propter quod toties & taliter admonitus, sare tamen & imminentia pericula anticipare non disceret. pag. 91.

Eam ob rem igitur Cæs. Majestas adhortanda est, ut reminiscatur primum, quid jam modo ipsi à Papa contigerit, & ex eo colliget, quam ulterius fidelitatis charitatis, virtutis, & integritatis spem in Papam ponere, & quid ab eo expectare debeat: præterea ex annalibus & chronicis Cæsarum superiorum indicia repetat, quomodo cum ipsis interdum actum sit: reipsa comperiet, quod nulli unquam Imperatori Germanico ulla à Papis fidelitas & æquitas (præterquam si è re ipsorum fuerat) præstita sit, sed sæpe numero non raro, pessime non simpliciter, horribiliter non leviter, præter omnem datam fidem, citra omne stipulata manu præstitum juramentum proditi ab ipsis, circumventi, & sub specie religionis ludificati sint, & cum impositum illis nequiter satis fuit, extrema ignominia & infamia affecti sint. Aliqui etiam pro exhibitis beneficiis scelestissimam in gratitudinem & infandam malitiam rependerint, nimirum, quod vi & armata manu eos adorti sint, & debellarint.

Operæ precium profecto esset, omnium ordine Paparum, & singulorum singula prolixius erga imperatores egregia facinora commemorare, verum in quantum illud volumen excresceret, cum tantum illorum scelera excreverint, ut plus etiam, quam Æneis Virgilii, temporis conscribendi requirerent. sed obiter & saltuatim quasi, enormiora & nobiliora laconico modo contexere sufficiat.

Prima igitur sermonis exordia sumemus ab Othone eius nominis primo Cæsare, quia primum esse eum arbitramur, qui Papis bene & fecerit & voluerit, sed pro gratia injurias sustulerit. A Ioanne etenim duodecimo Pontifice Rom. cum contra Sarracenorum Regem Berengarium eiusque filium Albertum in Italiam ab his infestatam precario accersitus fuerat, & ad succurrendum ecclesiæ venisset, Romam ab hostili vi & utriusque impressione vindicasset, Italiæque pacem & tranquillitatem dedisset, ille ipse Papa Ioannes ab eo ad regem Albertum, qui in Corsicam aufugerat, turpiter postea descivit, & adversus hunc optimum Cæsarem Othonem arma crudelia sumens, multa funesta bella & tumultus excitavit: hanc pro collatis beneficiis gratiā Otho 1. Cæsar à suo Papa reportavit.

Sub hoc Papa & Cæsare cœpit gravissimum illud juramentum, quod omnes post Othonem Cæsares Papæ præstare coacti sunt: & tale est in jure suo Dist. 63.

Tibi domino Ioanni Papæ ego rex Otho promitto, & juramentum facio, per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, per hoc lignum vivificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod si permittente Deo Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, & vitam aut membra, neque ipsum honorem quem habes, mea voluntate aut meo consilio, aut meo consensu, aut exhortatione perdes, & in Romana civitate nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te aut Romanos pertinent, sine consilio tuo: & quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam, & cuicunque regnum Italicum commisero, jurare faciā illum, ut tui adiutor sit ad defendendum terram S. Petri, secundum meum vel suum posse.

Hoc juramentum imponendi potestatem Papa habet juxta Decret. XII. Q. 1. Clericus. Hoc est omnia regna mundi deglutire. Otho hic primus cum omnibus successoribus Cæsaribus vasallus fit Papæ, & potentissimum preciosissimumque regnum universi orbis cedit in feudum papale, & Imperium pendet à Papa. Sic inversa est potestas. Olim Constantinus & eius successores Christiani eligebant & confirmabant omnes Romæ & alibi episcopos, nunc Papæ omnes Reges & imperatores instituunt.

Et ne longius progrediamur, in occursu est Otho tertius primi nepos, Cæsar Romanorum: eum ipsum quoque multifaria benefacta non avi sui, non patris sui, non sua ipsius propria identidem & affatim in Papas cumulata tutari & salvare potuerunt, verum tantopere & tam diu seditionibus, factionibus, tumultibus, insultibus, injuriis & periuriis irritatus & lacessitus fuit, donec divinis ulcisci jussus contumaciam legibus, Ioanni duodecimo pontifici oculos exsculpi mandaverit, quæ pœna eos aliquandiu in timore & metu continuit, usque dum imperium ad inclitum Heroëm Henricum quartum Romanorum imperatorem augustissimum, cujus similem Titan inter Teutones neminem unquam vidit, fœmina nunqam peperit, & hujus testimonium ipsius infensi hostes Itali perhibent & ea laudis adorea celebrant, quod omnium bellicosissimorum ducum, qui unquam vixerunt, potiori parti, virtute militari & fortitudine, numero autem acierum, quas committebat, omnibus antecelluerit: nam quoad vixit, sexcenta duo prælia, si non plura, commisit, & pene in iis omnibus victor & triumfator evasit.

Sed quo magnanimior, animosior, virtutibus excellentior extitit, eo duriores & truculentiores perpeti Paparum persecutiones coactus fuit: ut enim in ipso magnitudinem animi & omnium rerum scientiam animadverterunt, sese ei pro virili opposuerunt, ne major illis & excellentior evadat: & primum hunc commenti sunt & consuerunt dolum.

Saxones, tum temporis Germanorum potentissimos, clam astute ei invisos efficere, quod & præstiterunt, conabantur, ita quidem, ut nonnulli principes contra ipsum conspirantes conjurarent, à pontificibus & eorum asseclis sic persuasi; eum scilicet Cæsarem natura sanguinolentum, & ad tyrannidem natum esse, privaturum eos esse omnibus suis privilegiis, libertatem antiquam ademturum & omnibus immunitatibus exuturum eos, ad quæ nonnulli spirituales principes gnaviter operam suam contulerunt.

Itaque his ita solerter conflatis, Papa Romam eum vocavit, Simoniæque insimulavit, puta, quod ministris suis spiritualia salaria distribuat. Interea rerum incomparabilis Cæsaris matrem in superstitionem tantam adduxerunt, ut se ab ipso abstraheret, & in Italiam peregrinaretur, & ibidem commorando vitam finiret. Ceterum & alios multos principes Germaniæ diffidentes ab eo, & discordantes fecerunt. pag. 91

Exinde crudelia plurima homicidia secuta sunt, multa prælia truculenta exarserunt, & humani sanguinis largissima profusio facta est, neque hoc uni ei ab uno vel altero tantum, sed à quatuor & quinque humani sanguinis hirudinibus pontificibus evenit, inter quos tamen ex sceleribus & flagitiis consutus, & quo nemo unquam peior & profligatior extitit monachus, Hildebrandus nomine, plus reliquis eum insectatus est atrocissime, nullo habito respectu beneficiorum, quibus ab ipso, antequam ad Papatum pervenisset, affectus fuerat.

Is ipse Papa præter id, quod Cæsar ad eum in Italiam profectus est, & ante eum se humilians, omnia ea, quæ contra ipsum fecerat, deprecatus est, ex omni parte cum ipso depaciscens, reconciliatus fuit, super quæ etiam pactum & fœdus conjurantes inierunt, rem compositam literis obsignatis stabilierunt, his, ajo omnibus posthabitis, quam primum Cæsar in Germaniam redierat, Papa principibus omnibus, clam literis ad eos missis, magnas opes & divitias pollicitus est, ut Cæsarem imperio deiicerent.

Quoniam autem integer & sincerus Cæsar

sar tale quid, pacto videlicet stans & memor, neutiquam verebatur, eo res rediit, ut alius quispiam rex ei surrogatus imperium attentaverit, & postea alius adhuc unus, demum & tertius: omnes autem prostravit, depulit, & neci dedit.

Hæc cum omnia frustra suscepisse, omnemque operam, quod ajunt, & oleum perdere se, vidisset pontifex astutus & vafer, aliud aliquid machinari, filium nempe contra patrem instigare, & discordiam inter ipsos serere ausus est: & primum igitur Regem Cunradum. qui tum in Italia fuerat, excitavit, ut contra parentem suum insurgeret, & universam Italiam ad arma provocaret.

Sed cum Rex Cunradus infecta re, morte præveniretur, Itali profligati trucidarentur, Roma à Cæsare occupata erat, lepidæ sane sanctimoniæ pontifex, & pater sanctissimus in Angeli castrum sese abdidit, clam deinde se illinc proripiens, & largissimo Christianorum sanguine effuso, prorsus aufugiens decessit.

Post hujus obitum simillimus ad unguem Papa Victor 3. contra eundem Cæsarem insurrexit, sed cito interiit.

Post hunc eiusdem farinæ Papa Vrbanus 2. sequebatur, qui cum nihil intentatum, nihil inausum reliquisset, tandem ipsius filium contra eum irritavit, eoq; rem deduxit, ut ille adolescens magnam Germanorum multitudinem à sua parte stantium sibi acquisiverit, qua etiam patrem suum in extremo vitæ actu devicit; miserabiliter, & quod dictu horrendum, tractavit, morti tandem destinavit.

His igitur modis heros præstantissimus accipiebatur, Postquam autem illum ita depexum dederunt, & in eius locum ipsius filius Rex Henricus quintus suffectus imperare cœpit, quamquam illi adiutores adipiscendi regni fuerint, tamen potentiam eius tolerare non potuerunt, sed se ei quoque opposuerunt, qui nihil unquam laudabile aut honestum quicquam gessit, præterquam quod ipsos acriter puniverit, & loris, prout digni erant, durissimis oppexuerit, cæterum ab aliquibus egregiis facinoribus, quibus intentus erat, bellis suis eum abstraxerunt, suisq; fraudibus & imposturis vitam eius universam inqvietam & periculosam reddiderunt, nec id extra meritum, nam in pium parentem qvæ peccaverat, expianda quodammodo fuerunt.

Post hujus obitum, Lotharium Saxoniæ ducem & Conradum Ducem Sueviæ diffidere, fecerunt, ne, si concordarent invicem, alteruter sese extolleret, & ipsis potentior fieret, attamen Lotharius Cæsar ubi imperium obtinuerat, postquam illi Conradum ducem ei opposuissent, quem probe ulciscebatur, pœnas de ipsis competentes sumsit.

Hunc subsecutus est electissimus heros Cæsar Fridericus primus, quem post Henricum quartum, pugnacissimum & fortissimum inter Germanicos, quotquot etiam vixerint, Imperatorem arbitror; quamvis fortunatior & felicior in rebus gerendis: quam primum igitur perfectam & absolutam animositatem in eo deprehenderunt, machinamentis consuetis eum etiam adorti sunt. Verum quoniam hujus Cæsaris res gestæ, & præclara facinora adeo nota sunt, ut nemo nesciat, nulla ulterius de iis verba faciemus.

Pontifices ei fidem juramento astrinxerunt, nec tamen servarunt, & si unquam Roma fraudibus & versutiis usa est, in hoc ipso attentavit, & ita sedulo & continue, ut etiam literis proditum reperiatur, quomodo ipsum Papa Alexander Sultano gentilitio prodiderit, ut in eius potestatem incideret, veruntamen auxilio divino è manibus ipsius elapsus sit. Postmodum omnes occasiones captaverat, funditus eum ut extirparet, sed Deus ipsum custodivit, & victorem suorum hostium fecit. Multæ adhuc epistolæ extant, quas Cæsar hic & Papa sibi invicem scripserunt, ex quibus videre est, quænam facinora comm serint.

Repressis igitur Papæ conatibus, profligatis Romanis, & sedata per heroëm hunc augustissimum universa Italia, ipsoque, postquam omnes hostes devicerat, è vivis laudabiliter discesso, insequentes papæ in filio, quod in patre non potuerunt, machinati sunt. Et primum de occupanda Neapoli contendebant cum rege Henrico, eumque invitum pacem cum ipsis inire coëgerunt.

Post hujus obitum, catis & cautis dolis conflaverunt discordiam Principum Germanicorum in eligendo Imperatore. Et cum Rex Philippus. prædicti Henrici frater majorem partem Germanorum sibi adherentium haberet, & potiorum votis eligeretur, illi è contrario Othonem Saxoniæ ducem confirmaverunt: pag. 93 cum autem à rege Philippo devictus & depulsus esset, nihil pontifices eorumque complices moliti sunt, quamvis non palam, sed clam & furtim, eum ut insectarentur: sæpe numero perfidi & perjuri facti sunt in ipso: suspectus enim illis Cæsaris Friderici sanguis fuerat, donec tandem à Comite aliquo Palatino gladio transfixus fuit, & ut aliqui non abs re autumant, ex instinctu & iussu Papæ Innocentii.

Sic itaque ex illorum sententia & voto Otho Dux, quamvis abnuentibus Germaniæ principibus, tamen ad ineundam aliquam apud Papam gratiā, in regem electus: sed Papæ hujus gratia non ita longe

longe post excidit: quam primum enim in omnibus rebus, ad enervandum imperium, ei obsequi, & ab eius voluntate pendere nolebat, hostiliter eum insequi, & anathemate ferire cœpit, nec his explere mentem quivit. Sed tantum apud Principes laboravit, ut Fridericum ducem adolescentem, Philippi Cæsaris filium, contra eum elegerint: & sic sibi metipsis flagellum paraverunt.

Hic enim imperator Fridericus secundus est, quem in omni vita sua cum Papis (quorum tres alius ex alio eiacerrime adversati fuerunt) altercari & litigare oportuit. Cæterum alioquin excellentibus & corporis & animi dotibus adeo ornatus fuit, ut merito mundus sibi de principe tali gratulari debeat: Pontifices autem tam contumelioso & obscœno decreto, quod iuri suo Canonico postmodum, ubi & nunc extat, inseruerunt, infamare eum ausi sunt, perfidiæ & perjurii cum insimularunt, cui fidem & promissa nunquam servaverunt, aliorumq; criminum multorum reum agunt: cum tamen aperta vis & injuria, sicut ex verissimis historiis & chronicis probatu facilimum est, ei ab ipsis illata sit.

Sincerus enim & bellicosus, gloriosusque dux fuit, & quia viventem ulcisci non potuerunt, omnem iram & lividam animi bilem in defunctum euomuerunt: ea intentione & spe, ut posteris & nepotibus viderentur, ac si causam justam & æquam defendissent, ideoque aliquos historiographos, ut rem ita literis mandarent, subornarunt: verum in antiquis & nullis partibus faventibus historicis, ut & ex literis ipsiusmet Friderici, quarum multæ supersunt, veritas liquet, quod Papæ calumniose & turpiter eum insectati fuerint: primo Honorius 3, qui Othonem Landgravium contra eum extulit, & deinde quasdam civitates Italiæ in eum concitavit.

Cum autem eas Dei Opt. Max. auxilio, attamen haud absque humani sanguinis profusione, superasset, maximoque exercitu & sumtibus immensis, ad recuperandam terram sanctam, ab infidelibus occupatam, expeditionem peravisset, & jam tunc cum copiis suis mare conscendisset, Papa seditionem ei in Italia commovit, ut expeditionem ex omni parte gloriosam interrumpere, & domum reverti coactus fuerit, & ita invidia pontificis toti Christianitati obstaculo & impedimento fuit commodorum & honorum ingentium.

Nihilominus tamen tanquam magnanimum ducem sese exhibens, & remp. longe suis privatis commodis anteponens, cum pontifice exhibita supina humiliatione, reconciliari & in gratiam eius redire curavit: iterumq. deinde ad terram sanctam expeditionem fecit, Hierosolymam aliasque civitates recuperans orbi Christiano restituit. pro quib. omnib. beneficiis successu temporis Gregorius Papa ei undiquaque insidiatus est, & principio ipsum per templarios, ut vocant, Regi gentilitio vel ethnico prodere voluit, postea filium eius regem Henricum in ipsum instigavit, Mediolanum, Bononiam, Parmam. Venetias, aliasque Italiæ urbes magno tumultu, & seditione contra ipsum concitavit, demum & anathemate ipsum damnavit.

Cum autem hos omnes devicisset, dolis etiam & strophis per Gregorium primum Papam, deinde per Cœlestium in Germania adversus ipsum consutis & inventis, postquam elabens evasisset, & ita se gessisset, ut innocentia eius deprehendi, & magnanimitas conspici manifesto potuerit, Papa Innocentius, ut alias malitiosus, concilium in Gallia adversus ipsum coegit, in quo & deposuit ipsum & excommunicavit, nihil respiciens & recordans beneficiorum irrecompensabilium, quæ ab ipso Cæsare Friderico antea acceperat, & haud dubie in Papam nunquam evasisset, nisi ab ipso promotus fuisset.

Ita cum hoc Imperatore pientissimo pontifices usq; ad mortem eius egerunt: attamen odium, quo vivum ipsum prosecuti sunt, post mortem eius non deposuerunt, sed in filium eius Conradum strinxerunt, & spurium Friderici 2. patre veneno sublato, Manfredum, in ipsum Conradum extimularunt, in quo bello veneno per Manfredum, quod procul dubio ab Innocentio Papa subministratum fuerat, interfectus est.

Multi Papæ Cæsaribus necem intulerunt, licet non aperte; clam tamen, & eorum instinctu oppetierunt.

Clemens IV. Friderici secundi filium, & ultimum Sueviæ ducem, & hæredem Neapolitani regni publice capite plecti fecit. Hunc igitur cum e medio sustulissent, cum notho Manfredo similiter egerunt: Alexander enim Pontifex 4. Florentinis, aliisque civitatibus Italiæ invisum eum reddidit: postea etiam Galliæ regem contra ipsum instigavit, quod & deinceps Vrbanus, & ultimo Clemens fecerunt: usque dum apud urbem *Beneventã* à Gallis devictus & interfectus fuit.

Post hunc Rodolphus Cæsar ab ipsis divexatus fuit, & id clam quidem, cum in ipsum propterea, quod nonnulis Italis, à quibus pecuniam acceperat, libertatem concesserat, calumniando & criminãdo debacchari conati sint, in quod Papa Honorius studio non segni incubit.

Quis insuper Henrici septimi Cæsaris mortis causa, & in quem faba cudenda sit, nõ equidem ignotum est: nemo enim est qui

am-

ambigat, monachum illum à Florentinis subornatum fuisse, qui in sacra Eucharistia toxico eum vita spoliavit. Et hoc lippis & tonsoribus, quod ajunt, notum est, quod Clemens Papa, qui eum non secus, quam cum conditione & limitatione, Imperatorem esse voluit, invitus & prius excitato tumultu coactus, eum inauguravit & coronavit, & propter regnum Neapolitanum sese humanum & amicum erga ipsum exhibuit: interea misere Imperator optimus interiit, qui tantæ sagacitatis, prudentiæ, doctrinæque fuit, ut toti imperio spem faceret, eximii quiddam se præstiturum, atque adeo regere incepit, ut non alium, quam fortissimum, animosissimum, & optime conciliatum principem futurum, omnium expectatio fuerit, & propterea a Papa crudelius affligebatur.

pag. 94

Quas vero machinationes clandestinas in hoc aggressi sunt, in Ludovico Cæsare manifesto continuantes in actum produxerunt: hunc ipsum Ludovicum Ioannes Papa omnium, quotquot vixerunt, ambitiosissimus & avarissimus, propterea, quod præter eius assensum in Cæsarem electus est, anathematizavit, & quantum in se fuit, imperio privavit, cum autem vi & armata manu ei restitisset, magnoque exercitu Romam profectus fuisset, Papa vero imparem se viribus vidisset, omnes Italiæ urbes & ditiones, quotquot potuit, contra eum arma sumere commovit, & quam diu Cæsar vixit, cladibus eum afflixit, nec ullo unquam modo cum illo reconciliationem admittere, aut ullatenus convenire voluit.

Hic Imp. Ludovicus ab insultibus eorum potenter & regio more sese vindicavit, licet magno suo cum damno, regnavit annis 33. tandem à principe fœmina quadam veneno lucis usura privatus est.

Eius autem successor Carolus quartus admodum muliebriter se dedit. *N*am ab Innocentio Papa cogi se passus est, saltem ut conoretur ab ipso, jusjurandum præstandi, velle se è vestigio Italia exire, & Romam in omni vita sua nunquã petere aut accedere: præterea aliquot urbes Imperii ei possidendas dedit, & multos alios illicitos & illiberales pactus & conventiones cum ipso inivit.

*Q*uamquam in hunc culpa sit conferenda, quod totus adeo excors & abjecti animi ad imperium aspiraverit, excusati tamen & culpæ expertes ii non sunt, qui talia à Monarcha Romano & mundi domino efflagitare non veriti sunt: non enim ut episcopos Christianos decebat, sed astute, fraudulenter, infideliter, & tyrannice egerunt.

Posthæc Sigismundus Imperator verbis interdũ ipsis abblandiens, & officiose se erga ipsos exhibens, premi se aliquandiu passus est, usque dum Hussitarum negotium intervenit, dissensionesque inter ipsos ortæ sunt, & res ad concilium provocata fuit. Nam ab eo tempore aliquandiu inter ipsos melius conveniebat: attamen se primum in Concilio Constantiensi, postea & Basileæ obstinatissime & proteruiter invicem opposuerunt: quamlibet autem cleri reformationem instituere Imperator volebat, tamen occasio ei defuit, ideo ipsum ab incepto desistere oportuit.

Ingratissimi in hunc quoque Papæ fuerunt, & imprimis Eugenius, quem in Concilio Basiliensi ad omnes suas dignitates evexit, ab eo deinceps adeo despiciebatur, adeo contumeliose & procaciter deridebatur, ut sex integros mẽses Senis eum remoraretur, antequam regiõ diademate insignierit. Hic ipse ille proditor fuit Eugenius, qui, ut sensit, Basiliense Concilium contra se & suos adornari, Delphum in Gallia eo adegit, ut in Alsatiam magnum exercitum duceret, regiones devasteret, incolas miserum in modum perderet: & sic Germanos principes ulcisci volebat.

Si unquam quisquam Cæsarum ad Papas se accommodare, aut lenius eos tractare potuit, sane id potuit Cæsar Fridericus tertius: nihilominus tamen suis technis eum adorsebantur, & præ cæteris Paulus Papa, cum ultimo Romæ fuerat, ei furtim & proditorie insidias tendebat, eius tamen veteratoriam versutiam effugit, & profecto, si quemquam pietas & studium pacis tutari potuissent, merito hic ab illorum insultu immunis fuisset, sed ne hilum quidem ei profuerunt.

Hic multa dicenda essent de profligatissimo & infidelissimo omnium Paparum, quos unquam terra tulit, Pio secundo. *N*am hic ab ineunte ætate in Germania commoratus est, in aula Friderici Imperatoris longe tempore Secretarium egit, ita ut omnium Germanicarum rerum & conditionum gnarus esset, eiusque statum à teneris imbiberet, postea Cæsaris authoritate & promotione, vel etiam, quod adhibitus negotiis fuerat, Episcopus primum, postmodum Cardinalis, demum & pontifex creatus est.

Quam primum igitur ad eam dignitatem evectus, & pontificatum adeptus est, ab ipso tempore, vel è momento illo ad ultimum usque vitæ spiritum, eo omnes ingenii & corporis vires intendit, nec unquam cessavit, ut Germaniam intolerabilibus oneribus & infinitis molib. aggravaret: enimvero omnis fœnoris & quæstus sordidissimi, quib. Papæ occupantur, solertissimus ipse autor fuit & inventor, & quod cæteri precario, blandiloquentia,

tia, & verbis mellitis à nobis consequuti sunt, ille vi & impetu efferate invasit, abstulit. Et quia, quomodo se feuda spiritualia apud nos habeant, compertum habebat, pensiculate & solerter censere ea novit, novisque auctionibus & tributis citra omne fas & æquum pressit: pallia, annatas, & alias rapinas & expilationes sine omni specie æquitatis, nec occultò exercebat.

Hic ipse quosdam Germaniæ principes excommunicatione damnavit, puta Sigismundum Austriæ ducem, & Archiepiscopum Moguntinum: primus itidem fuit, qui refugium illud, quod ante ipsum semper in Concilia ponebatur & restabat, decreto quodam ademit, lata lege, qua statuit, ne unquam liceat à Papis ad Concilia appellare. Et hoc se modo Papa hic (vappa potius) erga ingenuos Germanos præstitit, qui ei ad honores & facultates eiusmodi autores soli fuerũt.

Hæc paucula ex pluribus, paucis comprehensa sunt, de singulis enim fraudibus & perfidiis, quibus Papæ Cæsaribus Germanicis verè germanis imposuerunt, sermocinari, nimis longo opus haberet tempore, & in grandem librum excresceret, ne autem *Cæsarea* Majestas obruatur & molestetur verbis prolixioribus,
pag. 95 dicendum primo paucis est, & postea, ne opus sit longa repetitione retrorsum instituta, cogitandum, quid avo eius Maximiliano acciderit.

Eum omnis generis fallaciis circumvenire studuerunt, fidem nunquam servaverunt, nec juramentis nec promissis steterunt, ita ut ex ore ipsius auditum sit, cum Leo Papa etiam, ut cæteri antea, fidem ipsi violavisset: Eia & hic nunc Papa etiam fœdigradus, & perjurus factus est: nunc fere dicere possum, quod nullus Papa nunquam, quoad vixi, fidem & promissa mihi servaverit, & spero, si Deo visum fuerit, hunc ultimum fore, cujus etiam voti compotem Deus ipsum reddidit, nam brevi post Deus in cœlestem aulam ipsum transtulit.

Hæc ædepol in animo perpendenda Cæs. Majestati sunt, & serio quidem advertenda, qua ratione, quo modo, quibusve mediis sibi à vafris insidiis & tendiculis caveat, & custodiat, nullam ipsis fidem habeat, nec quicquam blandimentis, pollicitationibus fraudulentis, & veteratoriis illectamentis confidat.

*N*am quod Papa principaliter dominum nostrum clementissimum, Carolum Imperatorem labefactare & deiicere laboret, ex his conjectari in proclivi est, quod legatum alium ex alio ad eum mittat, eumque episcopis & Cardinalibus (qui omnes Papæ juramento devincti, & ad eius commodum attenti sunt) oneret: inventæ enim opportunitatem arripuit, velut tempus, quo technæ & fallaciæ commodissime exeri queant.

Hic inspectione acuta opus est, & non est, quod Majestas Cæsar. se in spem erigat, fideliorem hunc, sequen, tésue Papas futuros, aut promissa firmius, quàm antehac olim Cæsarib. Majestati eius servaturos esse: & licet possibile videatur, ab hoc tamen Papa talem candorem & fidelitatem profecturam esse, omni spe destituimur.

Nam modo jam, quid in animo habeat, subindicavit, ubi videlicet in regia electoratus dignitate nanciscenda, ei, quantum potuit, obstitit, & impedire conatus est. Eius etiam documento esse potest obsidio Florentiæ, ubi Papa & Veneti eius adversarii fuerunt, ità ut copiæ obsidionem solvere cogerentur, sed Roma plectebatur, prout dignus erat Papa.

Quandoquidem autem talia, & quæ sæpe gladiatorio animo contra majestatem eius manifeste susceperat, succedere noluerunt: hac nunc, adhibitis in consilium (ut dubium non est) Florentianis (quorum nomen *Cæsari* quoque suspectum sit) via insistit, & sub specie amicitiæ, & prætextu familiaritatis, dolis eum circumvenire arbitratur, & id propter hanc causam potissimum, quod videt omnia undique eò inclinare, & sensim progredi, ut Germani à Pontificiis insatiabilibus habendi libidinibus, & inexplebili avaritia se liberandi, ab illoq; jugo, quod iniquissime illis impositum fuerat, vendicandi, eant: ideoque Cæs. Majestas locum relinquere admonitionibus & institutionibus debet, nec unquam sibi à Papis persuaderi blandiloquis verbis patiatur, ut eos, qui toti imperio & Christianitati consultum volunt, si salutaria consilia & monita suggerunt, eliminari, relegari, & suppliciis affici sinat.

Hoc equidem agnoscatur ab omnibus oportet, quod D. Martini Lutheri scripta una cum meis, in Cæs. Majestatis eius, totiusque Germaniæ honorem, emolumentum, & commodum redundent & hoc in confesso est, quod multis *Cæsaribus*, qui etiam ex animo Germaniam salvam voluissent, & pristinæ libertati libenter restituissent, nihil aliud defuerit, quam quod neminem habuerint, qui eos has res ex scripturæ fundamentis, ut necessitas postulabat, edocuerit. Pauci enim norunt, Papæ cor ubi repositum jaceat: & quantumvis aliqui sciant, aut ex parte, tam cordati tamen & audaces non sunt ut manifestare ausint: metuunt tyrannidem pontificiam.

Siquidem igitur nunc aliqui sunt, qui id exploratum habent, & audent in communem utilitatem, præsertim autem in Cæs. Majestatis honorem & emolumentum,

veri-

veritatem in lucem proferre, non modo non persequendi, aut abstrahendi à veritate, verum multo plus & facto & verbis adjuvandi strenue sunt. Ad hoc Cæs. Majestati adjumento sit Iesus Christus, redemtor, mediator hominum, benedictus in secula, Amen.

Ioannes Tezelius, Indulgentiarum Scrutarius, & Æruscator Pontificius.

Devectis hic in Misniam, & expositis suis mercibus, cum quodam in oppido concionaretur, quo magis sese hominibus commendaret, promisit, allaturum se ad meridianam concionem egregium quiddam de reliquiis, ac imprimis pulcherrimam pennam Archangeli Michaëlis, quam illi diabolus in duello Apocalyps. 12. ex alis evulserit esse monstraturum. Aderant quidam (nequaquam fatui) quibus fraus illa subolebat. Quapropter, esitante cum sacerdote Tezelio, cum is à tergo fasciculum cum panno in periclinio positum haberet: illi eandem inde suffurantur, & pro ea carbones ingerunt.

Minime hoc Tezelius advertebat, sed arrepto vasculo, doli nescius, ac probe potus in templum properabat, pecunia senes emuncturus. Ibi ergo unum ex alio mendacium consuens, & de penna Michaëlis mira prædicans, magnum apud omnes inauditæ rei expectationem, incredibileque desiderium concitavit: ac jam decurso tempore, & prehenso vasculo, Hem, inquit, infelix ego, quid egi? cupiebam vobis, ô auditores, pennam Michaëlis conspiciendam præbere at erravi, & pro illa carbones arripui, quibus D. Laurentius est crematus. Hoc est ingeniose mentiri? Imp. & Papa ut sup.

De eodem.

p. 98. Missus autem hic à Papa in Germaniam, fidem mortalibus fecit, quod si literas indulgentiarum nummis redimerent, securos esse de salute sua. Item quod animæ de purgatorio statim evolent, ubi contributionem in cistam conjecerint. Deinde tátas esse has gratias ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiam (ut ajunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin posset solvi. Item quod homo per istas indulgentias liber sit ab omni pœna & culpa.

O Deus optime, sic erudiuntur animæ tuis curis, optime pater, commissæ, ad mortem: & sit atque crescit durissima ratio tibi reddenda super omnibus istis. Ad Marchi. Brand. Archiepiscopum Mogun. tinum Luth. Tomo primo.

Idem Tezelius aliquando, nollem ego, *inquit*, de potiori loco in regno Cœlorum cum Petro optionem inire. Meis enim indulgentiis plures ab interitu animas redemi, quam Petrus Evangelii sui prædicatione.

*Conting*it verò hoc tempore, quo per Lutherum fucus indulgentiarum, occasionem ipsi nimia hujus Tezelii impudentia præbente, patefactus est, & Papistæ omnes, hæreticum tollendum esse, clamitarunt, idem, quod olim etiam c. 16. in act. Aposl. ubi quidam per puellam habentem Spiritum Pythonem, quæstum magnum faciebant. Ad quem Paulus dixit: præcipio tibi in nomine Iesu Christi, exire ab ea, & exiit eadem hora. Videntes autem domini eius, quia exivit spiritus quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Sylam, virgis cæsos, conjecerunt illos in carcerem. Sic enim optimo Luthero quoque à Papistis contigit, de quibus etiam alibi.

De Reformatione Ecclesiæ. 1517.

Certum est, à tempore donati mundo Lutheri, Pontifices, Cardinales, & Episcopos, artibus suis incipientibus tam liquido patere omnibus, ipsosmet sibi, intra tamen parietes, sub rosa, confessos aperte fuisse: Ecclesiam Dei multiplicibus abusibus valde contaminatam & deturpatam esse: tantumque lucri & nefarii quæstus gratia, ac ex dominandi libidine excogitata, inventa, & pessimis illi consiliis obtrusa fuisse pleraque sua sacra: utpote vigilias, exequias, oblationes, peregrinationes, sacrificia, indulgentias, taxas, sanctorum reliquias, missas pro vivis & mortuis, Iubilæos, miracula, ambarualia, itinera crucis, ferias, festa, ordines, regulas, initiationes, consecrationes, vota, dedicationes templorum, lustrationes, campanarum baptismata, simulachrorum & idolorum cultus, sancta sanctorum, cereas, candelas perennes, chrismata, pœnitentias, præbendarum collationes, eleemosynas, sacella, pallia, pileos Cardinalium, annatas, cruciatas, vacantias, reservata, ciborum discrimina & dierum, & matrimoniorum prohibita, lupanaria, cortisanas, dispensationes, purgatoria, & opera supererogationum, ac cœlorum pollicitationes: & alia fere infinita.

Ideoque graviter & serio hanc causam, utpote suam ipsorum salutem maximè concernentem, consultabant sæpius: num vel omnino efficta illa abrogare, excindere, fateri publicè, & revocare velint: aut verò aliis, quibus possent, modis vestire, pingere & suffulcire. Verum, cum præsagirent non infeliciter, confessionis candore futurū, ut, quas mundi gazas subdolo prætextu in se derivassēt iterum auferantur, ipsi falsi postulētur, & proprio sibi tandem, ut cochlea Plau-

tinis, fueco vicitandum foret: ne in hanc miseriam, & desperationem subigerentur, (ut qui fodere non valent, & mendicare erubescunt) alteram illam viam elegerunt, & factis suis sibium obducendo, eaque quibuscunque artibus & tenebris obnubilando, & conductis sycophantis os hominibus sublinendo & obverberando, asserere, consultius statuerunt. Quinam verò sint illi mercenarii suarum nugarum defensores, ipsimet optime noverunt.

1517. *Appellatio Universitatis Parisiensis à Decretis Papæ.*

Vniversis præsentes literas inspecturis Rector & Vniversitas magistrorum, doctorum & scholarum Parisiis studentium, Salutem in Domino.

Notum facimus, quod nos apud S. Bernardum Parisiis, super infra scriptis *&* aliis nostris negociis agendis, per juramentum congregati *&* convocati, modo *&* forma contentis in quodam codice papyreo, cujus tenor inferius describitur *&* inseritur, provocavimus *&* appellavimus, provocamusque *&* appellamus, cujus quidem codicis papyrei tenor sequitur, *&* est talis.

Præmissis expresse protestationib. quod contra unā sanctā Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram, & obtinere principatum credimus, sanctæque sedis Apostolicæ authoritatem, ac sanctissimi domini nostri Papæ benè consulti potestatem nihil dicere intendimus: si quid ex lubrico linguæ forsan male dictum sit, parati emendare.

pag. 97 Sed quoniam is, qui vices Dei gerit in terris, quem Papam dicimus, quamvis à Deo potestatem immediate habeat, per hanc potestatem non impeccabilis efficitur, nec potestatem peccandi accepit: ita ut, si quid, quod injustum est, faciendum esse præceperit, patienter sustinere debeat, si non fiat, quod ei prava fuerit insinuatione suggestum: ique parendum non sit, si quid contra divina præcepta statuendum esse, decreverit: imo ei resisti jure potest.

Quod si illi potentum auxilio, forsan suggestione, vel minus sano consilio deceptorum, adjuto resisti non potest, sublataque sunt restituendi remedia: unum tamen jure naturali proditum est, quod nullus Princeps tollere potest, appellationis remedium, cum sit quædam defensio, quæ jure divino, naturali, & humano cuique competit, quæ non potest auferri à Principe, ut in Cle. pastoralis. de sen. & re judic. & no. Splendor ille canonistarum. Imo in c. Quæ in Ecclesiarum. de Constit.

Ad hujusmodi ergò appellationis remedium, quo oppressi relevantur, confugientes nos, Recto & universitas studii Parisiensis, illustrissimi ac Christianissimi Principis nostri Francorum Regis filia primogenita, antiqua studiorum parens, vice ac nomine nostris, singulorumque doctorum, magistrorum, & scholarium Parisiensium, studentium, animoque & intentione provocandi & appellandi, à personis & gravaminibus infra scriptis, dicimus & proponimus, nosque loco & tempore opportunis & congruis probaturos, offerimus, quæ sequuntur.

Inprimis, quod cum priscis illis temporibus hæreses multæ pullularent, plurimique errores insurgerent, & Christi fidelium dissidia orirentur, Ecclesiasticique status deformatio conspiceretur, fuerunt sacra generalia concilia provide statuta, in quibus hæreses extirparentur, mores reformarentur, Christicolarum dissidentium ad invicem reconciliationes fierent, prout sacrorum generalium conciliorū incumbit officio.

Et præcipue ante omnia, per sacra Constantiense & Basil: concilia, quæ successive ac legitime in Spiritu sancto congregata, universam Ecclesiam representantia, quam plurima circa præmissa statuerunt, maxime circa status Ecclesiastici tam in capite quam in membris reformationem, quæ illis diebus præcipue indigere reformatione videbantur, cum deformitates in Ecclesia Dei excrescere, & mores corruptos eandem Ecclesiam inficere conspicerent, repressis deformitatum scelerumque regnantium enormitatibus perniciosis, quæ per Christianitatem (spretis antiquorum Patrum decretis & institutis salutaribus) multas clades, multaque discrimina injecisse videbantur, divinus honor refloreret in terris, lumen catholicæ Veritatis, Christo vera luce auxiliante, effulgeret, & Ecclesiasticæ libertatis conversatio subsisteret, populusq; Christianus salubriter regeretur, & ad salutem perduceretur æternam.

Et inter cætera perpendit ipsum sacrum Basiliense concilium, qualiter per sanctos Patres antiquos sacri canones, salubriaque decreta pro felici regimine jam dicti status Ecclesiastici tam super electionibus, modisq; ministros Ecclesiæ assumendi, & instituendi, conditi fuerunt, qui

qui quàm dui fuerunt observati, Ecclesia Dei fructus honoris & honestatis felici ubertate produxit, disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, religio, pietas, charitas vbertim floruerunt, hominesque in quietudine animi constituti, DEVM authorem pacis devotissimè coluerunt.

Sed postquàm damnatæ ambitionis improbitas, & detestandæ cupiditatis insatiabilitas, humanitatis iura violando ipsa sanctorum Patrum decreta paulatim cœpit deserere atque contemnere, & in vitia ruere, subsecutæ sunt deformationes statusEcclesiastici, atque decolorationes & vsurpationes, præsertim per prælaturarum dignitatumque & aliorum beneficiorum reseruationes, & gratiarum ad vacatura beneficia, expectativarum à iure exorbitantium multiplicationes & innumerabiles concessiones, & alia gravissima & importabilia onera; quibus Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ graviter afflictæ, ferè ad extremam euacuationem & destructionem illis diebus ruere conspiciebantur.

Cùm beneficiorum Ecclesiasticorum patrimonia & bona indigni occupabant, & sæpè dignitates ac beneficia notabilia & opulentiora, personis conferebantur incognitis & indignis, quæ in eisdem beneficiis minimè residebant: & animarum cura, quæ est ars artium, neglecta, velut mercenarii solùm temporale lucrum quærebant, sicque cultus minuebatur, diuinus, animarum cura negligebatur; Ecclesiastica iura peribant, ruebant ædificia, quæ magnificentia extruxerat prædecessorum.

At Clerici literarum scientiis & virtutibus effulgentes, qui ad Christianæ plebis ædificationem salutarem vacare possent, quorum perlucida & salutaria documenta prædictam illustrarent Ecclesiam, decorarent virtutibus, & moribus informarent; per quos, quasi per luminosas ardentesque lucernas, super candelabrum in domo Domini positas (errorum tenebris profugatis) totius corpus Ecclesiæ tanquam sydus irradiaret matutinum, eorumque fœcunda facundia, cœlesti irriguis gratia influente, Scripturarum ænigmata resecarent, obscura dilucidarent, dubiaque declararent, profundisque ac decoris illorum sermonibus, ampla ipsius Ecclesiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilaret, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscaret: qui etiam regnorum & rerum publicarum consiliis forent opportuni, propter spem congruæ promotionis eis ablatam, divinarum & humanarum scientiarum studia deserebant. Insuper reservationum & expectativarum occasione, spes capta de mortis alienæ votis ingerebatur, lites suscitabantur, contentiones & rixæ inter Christi ministros oriebantur, ambitio pluralitatis beneficiorum execrabilis fovebatur, pauperes clerici variis & innumeris personarum & rerum discriminibus subiiciebatur, & per callidos & calumniosos opprimebantur: beneficia quoque Ecclesiastica per litium involutiones & multiplicationes sæpius injuste occupabantur, & sine divinis officiis sæpius remanebant, materia injustis vexationibus parabatur, abusus pestiferi, horrenda & detestanda specie labis simoniacæ respersi committebantur: juvenibus bonæ indolis, qui studiosis & virtuosis actibus intendere deberent, evagandi materia præbebatur: & breviter, status Ecclesiæ confundebatur plurimaque adversus divina & humana jura in animarum perniciem, ac Ecclesiæ & regnorum atque provinciarum, præcipue regni Franciæ & Delphinatus, Viennensium oppressionem & destructionem, perpetrabantur: quorum quarumque thesauri in extraneas regiones asportabantur, ut eo exhausto, sacerdotioque depresso, regna ipsa & subditi debiliores in adversis redderentur: beneficiaque jam non gratis, juxta Evangelicam doctrinam, Christique præceptum, dicentis; Gratis accepistis, gratis date: sed contra Concilium Lateranense, &c. unicum. Ecclesiastica beneficia cum summa authoritate & avaritia, aurique & argenti exactione conferebantur. pag. 98

His igitur tam detestabilibus incommodis divinæ procul dubio displicentibus voluntati, saluberrime providere cupiens concilium *Basiliense* memoratum, contra hæc saluberrima constituit & edidit statuta & decreta, volens & ordinans, ut tales Ecclesiæ præficerentur pastores, qui tanquam columnæ & bases ipsamEcclesiam doctrina & meritis firmiter sustentarent, non quidem per reservationes generales Ecclesiarum hujusmodi, reprobando (certis duntaxat exceptis) certam salutarem formam, antiquis formis, à jure introductis, adiiciendo.

Et insuper, ut per singulas Ecclesias ministri instituerentur idonei, qui scientiis & virtutibus effulgerent, ad Christi gloriam, & populi Christiani salutarem ædificationem, reprobando multitudinem gratiarum expectativarum, quæ digniorum ministrorum institutioni & promotioni obviabat, ac reservationes quascunque beneficiorum, sive per Papam, sive per legatos reprobant, ac nullas & invalidas declarant.

Voluit insuper & statuit, ut per prælatos, & eos, ad quos beneficiorum collatio &

& dispositio spectare dignoscitur, viris studiosis, certisque qualitatibus specificatis prædictis, qui per universitates generalium studiorum eisdem prælatis & patronis nominarentur, canonice provideretur, certis modificationibus & decreto irritant. adiectis.

Præterea, ut fraterna charitas in clero & populo, & nequis proximum suum indebitis vexationibus opprimeret: sed justitia ordine debito cuilibet ministraretur, ad obviandum infinitis abusibus & variis incommodis, quæ inoluerant: statuit, ut pro salute & quite subditorum, justitia in partibus cum honestate & facilitate ministraretur, ne studium & alii subditi extra regna & provincias suas ad curiam Romanam traherentur & citarentur, ne etiam per hoc hujusmodi regnorum & provinciarum facultates exhaurirentur.

Damnavit insuper hujusmodi sacrum concilium abusum illum jam damnatū, de annatis solvendis, salutifere prohibens illarum exactionem & solutionem: multaque alia sancta & salubria statuit idem concilium, ad divini cultus augmentum, ac salutem & quietem subditorum, quæ omnibus innotescunt.

Quæ quidem statuta serenissimus ille Princeps, divini nominis & Ecclesiastici honoris exaltator devotissimus, & conservator excellens, Carolus septimus Francorum Rex, in suo celebri concilio Ecclesiæ Gallicanæ Bituris celebrato, recenseri fecit: & ea, quasi sint salutifera, & suo regno ac Delphinatui utilissima, saluti subditorum consulens, inconcusse servari præcepit, & per regnum & Delphinatum promulgari fecit, prout conservata & observata fuerunt.

At ex eorum observantia cultus perseveravit divinus, salus advenit subditorum, omniaque in eisdem regno & Delphinatu prospere successerunt.

Sed Romani propriis cupiditatibus & commoditatibus inhiantes, attendentes, his mediis aurum & argentum, sicut antea, ex dictis regno & Delphinatu ad se pro suo voto non deferri, hujusmodi statutis invidentes, ea per Romanos Pontifices abrogari, facere studuerunt. Quod auxiliante Domino, hactenus prohibitum extitit, donec advenit dominus Leo Papa decimus, qui Romanis plus debito favens, in quodam cœtu in Romana civitate, quæ contra nos est, nescimus qualiter, non tamen in spiritu Domini congregato, cum quo nihil contra legem divinam & sacra concilia statui, decerni, aut ordinari potest, (opera enim, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me) præmissa tam salutifera statuta abroganda esse, nescimus, quo fretus consilio, censuit: contra fidem catholicam, & authoritatem sacrorum generalium conciliorum veniendo, sacrum Basiliense concilium damnavit: in quo inter cætera judicatum est, gloriosam virginem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam, nec de illo Ecclesia habet aliam decisionem: quædam etiam alia statuta pro libitu voluntatis (cum venia dictum sit) condendo, in perniciem regni & Delphinatus prædictorum, & subditorum illustrissimi Principis nostri Franciæ Regis detrimentum. pap.99

Per hoc enim canonicas electiones, quibus sanctè & salubriter Ecclesiis Metropolitanis, cathedralibus, monasteriis & aliis collegiatis Ecclesiis eorundem regni & Delphinatus providebatur, destruxit, hujusmodi Ecclesiarum provisiones cùm vacaverint, collationem sibi reservando, collationesque & impetrationes beneficiorum, non expresso vero valore, irritas esse, declaravit: subditorumque regni in prima instantia per Cardinales & Curiales sedis Apostolicæ passim vocari, & nominationes Universitatum in parte reprobavit & damnavit: ita ut amodo, si talia statuta tolerarentur, non his, quibus virtutum merita & literarum scientia, sed quibus pecuniarum acervus & potentum favores suffragabuntur, ad ipsarum Ecclesiarum non dicimus regimen, sed (proh dolor) perniciem & ruinam assumantur, cum hujusmodi personarum mores & vitia non perscrutabuntur, & indigni sæpius ad regimen assumentur animarum, & propterea statuens, ut is, ad quem pertinet electionis confirmatio, processum electionis, & electi personam diligenter examinet, antequam eidem, electo munus confirmationis impendat, pœnam contrà facienti imponens.

Per hæc etiam & alia, quæ idem dominus Leo statuendo decrevit, viris studiosis & literarum scientia pollentibus spem promotionis ademit & aptissimum modum, facultatem & substantiam totius regni & Delphinatus exhauriendi invenit, quo etiam hujusmodi regni & Delphinatus subditi improbis machinationibus ad curiam Romanam evocentur, & indebitis vexationibus fatigentur.

Hujusmodique sic noviter edictis statutis, jam dictus dominus Leo Papa serenissimum Principem nostrum Franciscum Regem, modernum in partibus Italicis agentem in maximo strepitu armorum, consensum præbere quorundam suasu coëgit. Et ne promissionis infractor idem Princeps illustris videretur, jamdicti domini Papæ monitis ob-

obtemperans, hæc quæ dicta sunt, de novo edita statuta (quæ Concordata vocantur) ruinam Ecclesiæ totiusque regni inde imminentem non attendens, nobis, dictaque universitate, & aliis, quorum intererat, non vocatis, nec auditis, publicanda esse imperavit: non diiudicans, quam ei dictoque regno & Delphinatui ac subditis perniciosa esse viderentur.

Ex quibus nos Rector & universitas gravatos, læsosque & oppressos esse nos, sentientes, cum, per ea ad superius enarrata incommoda sensim perveniri posse, prospiciamus: idcirco à domino nostro Papa non rectè consulto jam, dictique sacri Basiliensis concilii, & ei adhærentis pragmaticæ sanctionis statutorum abrogatione, novorum statutorū editione, consensus præstatione, ac attentata illorum quadam publicatione, & omnibus inde secutis & secuturis, tam pro nobis, quàm omnibus & singulis suppositis ipsius Vniversitatis, & nobis & illis adhærere volentibus, ad futurum concilium legitimè ac in loco tuto, & quem libere & cum securitate nos eadem Vniversitas vel à nobis & ab ea deputandi adiri poterimus: & ad illum vel illos, ad quem seu quos de jure, privilegio, consuetudine, vel aliàs nobis provocare licet & appellare, provocare licet & appellare, provocavimus & appellavimus, prout in his scriptis provocamus & appellamus, instanter, instantiùs, & instantissimè protestantes, hanc appellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, iniquitatis, vel in justitiæ, & aliàs, prout meliùs poterimus, optione nobis reservata: astantes in testimonium invocatum addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, & in melius reformandi, omniumque alio juris beneficio nobis ac nostris adhærentibus & adhærere volentibus semper salvo. Datum & actum Parisiis, in nostra congregatione generali apud S. Bernhardum solenniter celebrata: anno 1517. die vicesima septima Mensis Martii, ante Pascha.

Postmodum verò præinserta appellatione sic interjecta, die prima mensis Aprilis, vir venerabilis, Arnolphus Monmart, in artibus Magister, & in jure civili licentiatus, noster procurator generalis, & ad hoc specialiter constitutus, coram venerabili circumspecto viro, magistro Guilhelmo Huc, utriusque juris licentiato, insignis Ecclesiæ Parisiensis Decano, tanquam coram persona authentica, & in dignitate constituta, personaliter comparens: cum illū seu illos, ad quem seu quos appellamus, adire non possumus, hujusmodi appellationem & contenta in ea nomine nostro, & pro nobis intimavit, insinuavit, & notificavit, Apostolosque cum instantia debita sibi dare petiit & requisivit.

Qui quidem dominus Decanus cum reverentia & honore debitis eidem appellationi reverenter detulit, & Apostolos reverentiales, & tales, quales de jure & consuetudine vel privilegio dare poterat & debebat, dedit & concessit.

Acta fuerunt hæc ultimò dicta & facta in Ecclesia Parisiensi, anno & die prædictis: præsentibus ibidem venerabili & scientifico viro, magistro Petro de Valle in Theologia Doctore, canonico dictæ Ecclesiæ Parisiensis, & magistro Arturo Alauff in artibus magistro, testibus ad præmissa vocatis & rogatis. Sic Sign. le. Roux & Hubert, & sigillata in duplici cauda, & cera rubea magno sigillo dictæ Vniversitatis. p. 1001

Verùm, ut aliquando tandem Gallicas miserias finiamus, & ad Germanicas redire possimus, quædam Epilogi vice ex Molinæo adscribemus. Vtq; paucis videas, quanta vis pecuniarum singulis annis exhauriatur è regno Franciæ:

Primò innumeræ myriades auri expiscantur per eas, quas vocant annatas seu vacantias Archiepiscopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Conventualium, & aliorum sacerdotiorum electivorum. Et hoc tributum exigit Papa ante ullam expeditionem, vel traditionem bullarum.

Secundò, non solum exigit de sacerdotio tunc collato, sed etiam de omnibus aliis sacerdotiis, quæ impetrans tenet, & quî cùm, ut ea simul cum collato novo sacerdotio retinere possit, dispensatur, non obstante, quòd in prioribus collationibus eorundem sacerdotiorum annatas persolvisset.

Tertiò, rursus omnium eorundem novas annatas exigit, etiam ab eodem possessore vel titulario, toties, quoties eodem modo per novi sacerdotii assecutionem vacant, seu vacare finguntur, & de novo dispensatur, etiamsi bis, ter aut quater in anno hoc contingat. Ita quod sæpius contigit, & visum est in Gallia, eundem Prælatum pro eodem beneficio tres aut quatuor annatas integras Papæ dependisse, non sine magno etiam imperiorum & simplicium scandalo, cum videant, feuda & res prophanas semel tantùm in vita Vasalli domino directo unius anni tantùm reditum dependere, & adhuc hoc raro contingere: & quando casus exigendi contingit, non plus quam semel in vita vasalli exigi.

Quod si unquam, maximè hîc exclamat sancta illa L. Si quenquā. C. de Epis. & Cleric. Quem (inquit) murū integritatis aut

aut vallum fidei providebimus? & auri sacra fames penetralia veneranda proserpit. Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset igitur deinceps altaribus imminere prophanus ardor avaritiæ, & à sacris adytis repellatur peculiare flagitium.

Quartò, infinitas quotannis exigit pecunias etiam de simplicibus, ratione præventionum à ducentis circiter annis, contra disciplinam Ecclesiasticam & antiquos canones usurpatarum. Hâc enim via nequissima provocantur homines ambitiosi, ut Romam mittant: quin quandoque vel pauperes versuram facientes huic se aleæ committant: quin etiam (ut aliquando vidi) viles, imò famuli ad furta etiam domestica alliciuntur, cum trapezitis Papæ, spe venandi beneficia, negocientur: adeò ut nonnunquã ad idem beneficium tres, quatuor, vel sex (ut vidi) per simoniacæ hæresis trapezitas (ita vocat eos text. in c. 1, 25. dist.) Romam mittant, ut etiam pro eodem beneficio quandoque plures bullæ precium numerantes. Nihil enim ad eos de exitu, lucro, vel damno emtoris seu collatarii modo precium habeant.

Et hac via non solùm affligitur regnũ in pecuniarum ingenti evacuatione, sed & in morum depravatione, disciplinæque Ecclesiasticæ corruptione. Hac enim arte Romana non solum irritantur, qui suapte natura sunt ambitiosi, sed etiam & majores provocantur, ut postergata vera disciplina, ambitioni & avaritiæ studeant: cumque multi eandem aleam subierint, & unus tantùm ex currentibus Βραβεῖον obtinere possit, sese litibus infinitis, nec non odiis & vexationibus invicem atterunt & conficiunt: hic scilicet interim officii Ecclesiastici cura subjacet.

Quintò, propter resignationes in favorem: quæ licet quandoque de idoneis syncere fieri possent, ut sunt exempla veterum c. petiisti. 8. q. c. 1. 8. q. 1. & hoc etiam admittit Ægidius Bellemere: tamen Papa maioris cujusdam religionis prætextu, in universum prohibuit, sed ut sibi soli hoc genus negotiationis exercere liceret, ut eventus docuit.

Sextò, ratione commendarum.

Septimo, ratione vacantium in curia quovis modo. Est enim recens inventum novorum Pontificum: & utcunque Clemens tertius in c. 11. de præbend. in 6. jactat, antiquam consuetudinem talem esse, tamen illa prætensa consuetudo etiam post ejus obitum non erat ab omnibus cognita & recepta: tantum abest, ut vivo Clemente tertio, & multo minus ante eum, antiqua fuerit, ut patet in c. inter cætera, de præbend. Extra. ubi Celestinus tertius, successor dicti Clementis, non declaravit, nullam esse collationem ordinarii factam de beneficio resignato, in manu sui decessoris: quo nõ omisisset, si quid tunc fuisset de illa prætensa consuetudine, quæ tamen sensim cum reliquis abusionibus cancri more serpsit: & quia non mox compressa fuit, pro lege venerari cœpit, inquit Rex in c. mala consuetudo. 9. distinct.

Octavo, propter infinitas dispensationes, puta ætatis, ordinis, beneficiorum incompatibilium, & varias species incompatibilium, puta numeri, ordinis, certi monasterii, & tecti, cum dipensationis variarum specierum irregularitatis, sive corporalis vitii vel delicti, vel ceremoniæ omissæ aut præposteratæ, tum dispensationum in gradu prohibito matrimonii, vel affinitatis canonicæ, inventa etiam arte, qua gradus distenderentur. Hinc enim acervi pecuniarum Romam fluunt, ubi non erubescunt publicas gravesque taxas prostare, velut leges certo præscripto precio refigendas.

Vidi, qui ultra mille aureos numerarunt pro dispensatione commentitiæ cujusdam, quam spiritualem cognationem vocant. Et nuper simplex prioratus à Rupe Guidonis, in diœcesi Carnotensi, non conventualis, nec electivus, ob curam animarum & minorem ætatem impetrantis, constitit Romæ nongentis aureis; & tamen imperans arresto Parisiensis senatus & precium & mercedem amisit, ob levem quandam omissionem, vel subreptionem dispensationis: & juste quidem amisit. Sed indignum & pudendum est, Romanos institores & trapezitas sic Ecclesiæ Gallicanæ illudere, & tam ingentem & auream messem pro illius vexatione & difformatione percipere. p. 104

Nonò, ab infinitis privilegiis, exemtionibus, gratiis, quas vocant, non visitandi, vel procuratorem visitandi, confirmationibus privilegiorum, homologationibus concordatorum, transactionum sub beneplacito Papæ factarum, permutatione beneficiorum cum dispensatione, vel pensionis creatione, aut alia negotiatione jure communi vetita.

Decimo, de mandatis. Singuli enim Papæ infinita prope concedunt mandata, cum quilibet ordinarius uno, si decem, vel si quinquaginta ad suam collationem vel præsentationem habet, duobus mandatis, ab unoquoque Papa gravari posit, & pro singulis mandatis circiter viginti ducati exiguntur. Hinc ingens vis pecuniarum æruscatur, quanquam non possunt, nisi unum, vel ad summum duo mandata super singulos ordinarios

nariis

nariis concedi: tamen tot venduntur & bullantur, quot sese redemptores offerunt, & numerant, periculo suo.

Vndecimo, propter aliud genus aucupii, quod pœnitentiarum Papæ vocant, propter absolutiones casuum Papæ reservatorum, infractiones vel commutationes votorum, translationes monachorum, non solum de uno monasterio ad aliud, sed etiam de uno ordine in alium, potestate, ingrediendi quævis monasteria, altaria deferendi, & alia innumera, mensæ pœnitentiarii Papæ deputata.

Duodecimo, propter confessionem vel confirmationem condonationem, quas vocant indulgentias Papæ, quæ mirum in modum non solum in magnis templis, sed etiam in privatorum quorundam ædiculis multiplicata sunt, adeo, ut jam vulgus hoc genus τῆς καπηλικῆς irrideat: tamen ab institoribus & lucrum inde quærentibus, quandoque centum vel quinquaginta aureis Romæ redimuntur.

Decimo tertio, in creandis protonotariis, & aliis notariis (quos Apostolicos vocant) & Episcopis, quos Rota & aulici Papæ nullatenances vocant, vulgus Gallorum portativos, quidam ludibrii causa potativos vocant.

Decimoquarto, propter bullas & commissiones novarum fundationum, vel immutationes antiquarum, vel reductionis regularum monasteriorum in secularem statum, vel restitutionum in integrum, & infinitorum rescriptorum ad lites, etiam in his, quæ jure communi per ordinarios expediri deberent: ex quibus etiam, non computato primo annatarum articulo, tempore Ludovici undecimi inventum est, ultra ducenta millia aureorum singulis annis regno efferri.

Quare idem Rex omnino vetuit Romam quicquam deferri, vel ullam bullam inde auehi, ut supra eo. gl. 15. num. 181. Certum est autem, hodie quantitatem illam ad minus duplicatam esse, tam propter augmentationem populi, plus media parte ab illo tempore aucti, quam propter augmentationem taxarum curiæ Romanæ.

Psiquam autem locum pragmaticæ subintravit concordatum, & sic locus apertus est annatis, cœpit ultra quantitatem præcedentem (quæ circiter quater centum millia aureorum ascendit) alia similis quantias annatarum nomine extrahi.

Præterea cœperunt multi curiæ Romanæ aulici Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & pinguiora beneficia regni possidere, quorum redditus singulis annis regno evehuntur: ita quod singulis annis fere decem myriades (quem millionem vocant) soleant regno Romam evehi. Vnde nihil unquam redit, sed vel in Luxu Romanæ curiæ consumitur, vel inimicis Regis datur. Nulla enim negociatio mercaturæ, ad usum hominum utilis, nobis cum illis intercedit. Aliæ quidem nationes bonas & utiles pro pecunia inferunt, justa & æquali commutatione: Romana vero curia plumbum duntaxat, nisi qvod (vt dentes Cadmi) etiam ingentia seminaria & anfractus litium, pro ingentibus acervis auri ingerit.

Nunc veniamus ad Germanica gravamina, & primum ea adscribemus, quæ circa annum Domini 1274. acciderunt.

Circa 1274. Domini annum Gregorius decimus sacricolarum concilium Paschalibus Lugduni habet: vndecunque Pontifices certos accivit ex Alemannia, Gallia, Anglia quaternos, Hispania duos: ex Sicilia, regno Ecclesiæ, Vngaria, Bacia, Bohemia, Polonia, Suionibus, Nordovicis & Scotis singulos. Vocataq; concione, ex libris sacræ historiæ, quos Machabæorum nominant, præfatus, curam studiumque belli, vtriusq. Reipublicæ administrationem ad Episcopos & Antistites attinere, multis verbis persuadet collegis: ad Palæstinæam expeditionem, & Græcos subigendos Romano sacerdoti arma induenda, censet. Deinde leges, qvibus vitia sacerdotum, monachorumqve Antistitum castigentur & corrigantur, rogat. Zopfnonnas, genus fœminarum sacratarum abolet. Tum omnium rerum Ecclesiasticarum decimas in sex annos Monachis, mystis majoribus, minoribusque Pontificibus imponit: partem octavo Calendas Iulii, alteram portionem octavo Cal. Ian. numerare jubet. pa. 102.

Postremo hæc decreta icicit, promulgat, piacularii atque sacro auriculario præfecti dent operam, orent, instent, suadere non desistant, ut rei sanctissimo proposito Pont. Max. ære, pecunia, opibus faveant. Quisque Christianus, puer, vir, infans, puella, fœmina, sacerdos, prophanus, capite census sit, quotannis nummum tribuat. Devotus esto, quisquis lis pensionibus adversus iverit.

Pleraque alia tum, ut alias, magis argutorum hominum more, quàm ex æquo & bono, commenta sunt Romulei vultures, quibus defraudari atque compilari populus solet, & quæ neutiquam Deo immortali cordi fuisse exitus probavit; eventus docuit: pleriqve ad concilium coacti ire, eo luxu habitum est, impendiis non sufficere aurum, argentum gemmæ, vestes pretiosæ artis, opes templorum venundatæ, pauperibus qui sol-

vendo non erant, diræ dictæ. Cistercienses monachi, quibus Pontifex Romanus amicus erat, hasce luarum ædium decimationes redemêre millibus unciarum argenti puri sexcentis atque quadraginta. Furstenfeldenses duo pondo argenti Teutonica pensitarunt: sunt unciæ duæ & triginta. A cæteris omnibus decimæ superbe atque avare exactæ: & licet decimus eodem anno animam efflasset, nihilo secius tamen Romani flamines decimas per sex annos, extorta per vim pecunia, à Germanis emunxerunt. Rumore dissipabant, se suo periculo atque stipendio Palæstinam, Ægyptum, Asiam, Aphricam erepturos Turcis, Saracenis, Tartaris.

Quamobrem & Rudolphus, illa lege atque omine, primario sacerdoti Bononiam, præfecturas, ducatus, urbes, regiones Italiæ, hactenus Imperatoribus parentes, (Romaniolam Martinus vocat) quæ quotannis millia drachmarum auri septingenties pensitarent, concessit: quemadmodum & Imperator Maximilianus anno abhinc decimo Principibus aperuit, edictoque dato ex Oenobriga 12. Calend. Augusti, anno Christi 1511. conquestus est: dum eodem anno ad Calendas Septembris Pisam, adversus Iulium secundum Pontificem Maximum, Senatum Christianum, novem Rom. flamines, idem Maximilianus atque Ludovicus Franciæ occidentalis Rex convocarent, pro reformatione morum (ut eorum verbis utar) universalis Ecclesiæ, in capite & membris primum collapsorum, ac emendatione criminum gravissimorum interiorum, continuorum, ac incorrigibilium, universalem Ecclesiam enervantium. Imperatore Maximiliano 1. Pap. Leone 10.

Indultum Duci Wirtembergico Vlrico.

Beatissime Pater, ut animarum saluti devotorum oratorum vestrorum Illustrissimi Vldarici Ducis Wirtembergensis & Teck. ac Comitis montis Peligardi, Constantiensis diœcesis, ac duodecim aliarum personarum per eum semel duntaxat nominandarum, conjugatorumq;, uxorum ac utriusque sexus liberorum, salubrius consulatur, supplicant humiliter sanctitati vestræ Oratores præfati, quatenus eis & eorum cuilibet specialem gratiam faciatis, ut Confessor idoneus secularis, vel cujusuis ordinis regularis presbyter, quem quilibet eorum duxerit eligendum, ipsos & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, ac votorum quorumcunq;, & Ecclesiæ mandatorum transgressionibus, perjuriorum, & homicidii casualis vel mentalis reatibus, manuum violentarum in quasuis personas Ecclesiasticas, non tamen Prælatos, de præterito injectionibus, jejuniorum, horarumque canonicarum, ac divinorum officiorum, & pœnitentiarum injunctarum in toto vel in parte omissionibus: nec non ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictes quantumcunque gravibus & enormibus, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, etiamsi tali forent, propter quæ sedes Apostolica merito foret consulenda: de reservatis, exceptis, contentis in Bulla Cœnæ Domini, semel in vita & mortis articulo, de aliis vero, eidem sedi non reservatis casibus totiens, quotiens opus fuerit, absolvere, & pro commissis pœnitentiam salutarem injungere: vota vero quæcunque ultramarinarum visitationum, liminum Apostolorum Petri & Pauli de urbe, ac Iacobi in Compostella, religionis & castitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare: & iuramenta quæcunque, sine juris alieni præjudicio relaxare: nec non semel in vita in & mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & absolutionem autoritate apostolica impendere valeat.

Quodque liceat Duci ac nominandis Nobilibus, aut Graduatis, vel presbyteris, & eorum cuilibet habere Altare portiale cum debitis reverentia & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam non sacris, & Ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate suppositis, dummodo causam non dederint hujusmodi interdicto, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, in sua & familiarium suorum domesticorum præsentia, Missas & alia divina officia seipsos, qui presbyteri fuerint, celebrare, seu per alios sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti hujusmodi divinis interesse, ac Eucharistam & alia Ecclesiastica sacramenta, sine alicujus præjudicio, præterquam in Pascha Dominicæ Resurrectionis, recipere. p. 105.

Et ut decedentium eorundem corpora Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ, sine funerali pompa.

Et insuper, ut unam vel duas Ecclesias, aut duo vel tria Altaria in partibus illis, ubi eos residere contigerit, quadragesimalibus, & aliis temporibus & diebus stationum urbis Romæ, quas vel quæ quilibet qorum duxerit eligenda, visitando, tot & similes Indulgentias ac peccatorum remissiones, consequantur, quas con-

consequerentur, si singulis diebus eisdem singulas dicta vrbis & extra eam Ecclesias, quæ à Christi fidelibus propter stationes hujusmodi visitari solent, personaliter visitarent.

Præterea, ut quadragesimalibus & aliis temporibus prohibitis, de utriusque medici consilio, Ovis, Butyro, Caseo, & aliis Lacticiniis ac Carnibus uti, frui, & vesci libere, & absque conscientiæ scrupulo: ceterum, ut singulæ oratrices præfatæ, una cum aliis quatuor honestis mulieribus, per ipsarum quamlibet eligendis, quater in anno quæcunque monasteria Monialium, cujusvis, etiam sanctæ Claræ ordinis, de licentia inibi præsidentium ingredi, & cum iisdem monialibus conversari, dummodo ibidem non pernoctent, possint & valeant: concedere, & indulgere dignemini de gratia speciali, Non obstante constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, & Cancellariæ apostolicæ regulis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Et de reservatis, exceptis, præmissis, semel in vita & in mortis articulo ut suprà.

Et de non reservatis sedi prædictæ casibus totiens, quotiens opus fuerit.

Et de commutatione votorum, & relaxatione juramentorum, ut præmittur.

Et de plenaria remissione & absolutione semel in vita, & in mortis articulo.

Et de altari portatili cum celebratione ante diem, & in locis interdictus, ut suprà.

Et quod tempore interdicti corpora oratorum Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ.

Et de indulgentiis stationum Vrbis. visitando Ecclesias vel Altaria, ut suprà.

Et de esu Ovorum, Butyri, Casei, & aliorum Lacticiniorum, ac Carnium, ut suprà.

Et de ingrediendo Monasteria Monialium pro oratricibus præfatis, ut suprà.

Et cum derogatione Cancellariæ apostolicæ regularum in contrarium edictarum.

Et quod præsens Indultum duret, nec censeatur revocatum, vita oratorum durante.

Et quod præsentis Indulti sola signatura sufficiat, absque aliarum expeditione literarum.

Et quod præsentium transsumtis etiam, pro unoquoque oratore separatim confectis, non facta mentione de aliis, ac manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, plena fides adhibeatur.

Fiat, ut petitur.

Alexander, miseratione divina sancti Eustachii sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Diaconus Cardinalis, Farnesius nuncupatus, universis & singulis præsentes literas inspecturis, visuris, lecturis pariter & audituris Salutem in domino sempiternam.

Notum facimus & attestamur, quod literas originales confessionales, quarum copia præinseritur, vedimus, legimus, tenuimus, & diligenter inspeximus, easque manu propria sanctissimi domini nostri, domini Leonis Papæ decimi FIAT, VT PETITVR, signatas fuisse & esse, reperimus. Idcirco pro parte suprà dicti Illustrissimi domini Vdalrici, Ducis Wirtembergensis, in præinsertis literis originalibus principaliter nominati, requisitum, sine expensione aliorum nominum per eum semel nominandorum, transsumi & exemplari mandavimus, decernentes & volentes, ac prout idem sanctissimus dominus noster Papa in eisdem literis voluit & decrevit; quod hujusmodi transsumto in Iudicio & extra, ac ubique locorum plena fides adhibeatur, qualis & quanta dictis originalibus adhiberetur, si in medium produceretur. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes literas fieri; & per Notarium publicum infrà scriptum subscribi & publicari mandavimus, sigillique nostri jussimus & fecimus appensione communiri. Datæ Romæ in domibus nostris solitæ residentiæ, sub anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo decimo septimo, Indictione quinta, die vero decima mensis Aprilis, Pontificatus præfati sanctissimi in Christo Patris, & domini Leonis, divina providentia Papæ decimi, anno quinto; præsentibus ibidem venerabilibus viris, dominis Stephano Rosino, Ecclesiarum cathedralium Freysingensis & Pataviensis Canonico, ac Caspare wirth, collegiatæ Ecclesiæ Episcopalis Zert. præposito, & Ernesto Banff: Ecclesiæ collegiatæ Georgii & Martini in Tüwingen Canonico, testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis. p. 104.

Et ego Bartholomæus de Thœdolis cleri-

clericus, Nicien, diœcesis, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus Notarius, & in Archiuo Romanæ curiæ descriptus, quia præmissis omnibus, dũ sic, ut præmittitur, agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui: ideo hoc præsens publicum transsumti Confessionalis Instrumentum, manu mea scriptum, exinde subscripsi & publicavi, signoque ac nomine ac cognomine meis solitis & consuetis appositis, una cum præfati Rever. domini Alexandri, diaconi Cardinalis sigilli appensione signavi, in fidem præmissorum rogatus & requisitus.

1517. *Parricidium Monachorum.*

Hoc anno, regnante Polonorum Rege Sigismũdo, duo Monachi Franciscani decollati sunt, duoque perpetuis damnati vinculis, eo, quod Cracoviæ Albertum Fontinum, spectatum pietate & eruditione virum, quique eorum fuerat Abbas, & fortassis durius in ipsorum improbitatem animadverterat, noctu iugulaverunt.

O facinus hominum memoria pessimum, hominem, qui præter id, quod optimos mores institueret, quod vitæ sanctimoniam induceret, & quod jampridem labefactatã religionem restitueret, nemini unquam fuit iniuriatus, pro tanto beneficio pessimam tulisse mortem. Chron. Polon. de Sigis. Imp. & Papa ut supra.

1517. *Andreas Barbatia.*

Cardinales sunt cardines ostii S. Ecclesiæ: caveant igitur, ne sint dracones, stantes juxta arcam Domini, 18 dist. C. legant Episcopi. Et ne sint nebulæ, & nubes sine aqua devotionis & lachrymarum, turbinibus dæmonum agitatæ. Imp. Maxim. 1. PP. Leone 10. V. S.

1517. *Ioannes Pauli monachus, Lector in Than.*

Hic in sermonibus suis ad populum inquit, conqueritur Augustinus, quod nos ipsi fidem & legem nostram corrumpamus & gravemus: quid igitur, si hodie ad nos rediret Augustinus, diceret? interim enim accesserũt Decreta, Decretales, Textus, Glossæ, Clementinæ, Extrauag. &c.

1517. *Onus Ecclesiæ, scriptum à quodam, qui Episcopo Salisburgensi & Chemensi à suffragiis fuit.*

Cap. II.

Ego Dominus suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret: & contritum non sanabit: & id, quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet: & ungulas eorum dissoluet. O pastor, & idolum derelinquens gregem? gladium super brachium eius, & super oculum dextrum eius.

Ista propheria licet in pluribus summis & inferioribus Pontificibus, aliisue perversis prælatis verificata sit, quia omnes sunt huius idoli præcursores: tamen specialiter adimplebitur in hoc Antipapa, qui magni Antichristi erit præcursor specificus. Imp. Max. 1. PP. Leone 10. V. S.

Ibidem. Prælati insuper, atque sacerdotes Sacramenta paratis porrexerunt: gratiam Spiritus sancti non, sicut hodie fit, vendiderunt: ab his verò, quibus spiritualia administraverunt, fuerunt sustentati, & liberaliter bonis temporalib⁹ remunerati: quæ in tres partes divisere, (prout Deus penes Catharinam Senensem jubet) unam Ecclesiæ pro cultu divino, aliisue necessariis: alteram pauperibus distribuendo: tertiam ad sustentationem reservabant, prædicationibus, & celebrationibus incumbentes, caste & sanctè viventes: ut facile pro sua dignitate à populo honorifice observarentur. p. 105.
Quoniam virtuosi, & fideles sacerdotes olim fuerunt: & quam scelerati hodiè sint, proditur à Spiritu sancto in dialogo Catharinæ Senen. Nam sicut olim rari fuerunt mali: sic hodie rarò boni reperiuntur clerici. Nempe omnia in primitiva Ecclesia erant inter Christianos tali spirituali charitate fulcita, & radicata: ut sol justiciæ facilè in clypeos aureos refulgeret. Iste vetus sol est, Iesus Christus, prout declaratur penes Catharinam Senensem.

Idem. Sicut anima sine corpore non vivit corporaliter, sic Ecclesia sine temporalibus in nullo proficit. Sed rursus canones decernunt, res Eccesiarum in usum clericorum moderatum, & in restaurationem Ecclesiarum, & potissime pro indigentia egenorum esse dispensandas: id tamen nostro jam seculo minime observatur: etsi opes Ecclesiæ sint natæ ob opum contemtum, & gloria Ecclesiæ à gloriæ neglectu, quoniam Deus temporalia ad sufficientem competentiam largitur humilibus, qui ei devote serviunt in spiritualibus: nec non laici bona temporali libentius largiuntur, ubi ea vident rejici ab his, quos pl⁹ sapere credunt: tandem opulentia cleri cedit Ecclesiæ potius ad lapsum, quam ad augmentum, siquidem Christus in Evangelicis literis hortatus est ad divitiarum contemtum, ad

volu-

voluptatum abdicationem, & ad gloriæ neglectum.

Quando ergò sui vicarii & clerici tanquam duces Christianæ professionis, ita viuere possunt ut opum accumulandarum studio, ut gloriæ sublimitate, ut belli ferocitate, cæterisque vitiis ipsos superent Ethnicos: cur igitur Constantini donum, Petri patrimonium vocatur, quod ipse Petrus se non habere gloriatus est? Temporalibus nempe bonis, tanquam spinis, Ecclesia Christi magis irretitur, & obruitur: quam ædificatur. Eam enim hujus sęculi solicitudo & ærumna decipit, diuitiarum fallacia & deceptio suffocat: quia clerici, & cæteri seruitores Ecclesiæ, in voluptatibus vitæ ac in concupiscentiis euntes, nullum, vel modicum fructum afferunt: ideó Ecclesia ad pristinam paupertatem redigetur.

Ibidem. Priori illo tempore salubres canones, quos in prioribus statibus boni patres, iuxta diuinæ legis tenorem, instinctu Spiritus sancti, ad Dei laudem, animarumq; salutem constituebant, cæperunt abrogari, & propè deleri: loco quorum in præsenti quinto statu, nonnulla nova decreta, omissis evangelicis, & spiritualibus negotiis, ad quæstum & vsum temporalium sunt adinuenta. Et sic norma spiritualis, & veritas Euangelica, ac fides sincera quodammodo explosa est per capitosos iusticiarios.

Ibidem. Plerique contra Ecclesiastica statuta in Pontifices simoniacè electi, ambitiosè intrusi, & aliquando in tantum viriati fuerunt, quòd rursus ab Ecclesia reiecti, è sede expulsi damnatique, ac interdum propter suos defectus manifestè à Deo percussi. Quocirca in canonibus cauetur, quòd sententiam Pontificiæ Romanæ sedis commutare, & ea, quæ non bene sunt diffinita, retractare liceat. quin imò unus Papa alterius indulgentias, etiam licitè prius concessas, plerumque revocat. Verùm Sixtus indulgentias etiam à seipso concessas revocavit.

Ibidem. Ecce, in Evangelicis regulis & doctrinis quilibet potest inuestigare, ac invenire viam salutis, & consolationis suæ. Sed his neglectis, hodie obseruant hominum adinuentiones, consuetudinesque inueteratas: quibus etiam magis ad Dei irreuerentiam, quàm laudem: magis ad animarum perniciem, quàm salutem, abutimur. Vltra prædicta denique antiqua, seu Decretalia iura, quotidie Romæ eduntur novæ constitutiones, quas cancellariæ regulas nuncupant, & pro vberrima litium materia ad vnguem obseruari iubent, tanquam artes anfractibus iurium accommodatas, simplicibusque clericis, & fraudis urbanę nesciis, quemquam absque controversia cauillosa beneficium Ecclesiasticum obtinere, vel securè possidere. Ob tales similesque adinuentiones Deus iustus aliquando nos perdet: quia væ illis, qui condunt leges iniquas.

Ibidem. Telesphorus meminit cuiusdam sancti eremitæ: qui formidandum nimirum fore censet, propter malitiam præsentis temporis, quód irata divina Maiestas nequeat ultrà nostras tolerare iniquitates: sed mittat super nos iram indignationis suæ, quoniam dies mali sunt, & mundus totus immundus est, & in maligno positus, terraque repleta iniquitate: & non est, qui faciat bonum, non est vsque ad unum: sed omnes declinaverunt, & elongauerunt se à semita mandatorum Dei, atque inutiles facti sunt.

Hinc Vbertinus coniicit: Quia Iesus Christus à clero & populo multipliciter iam vilificatur, & despicitur, Ecclesiaque contemnitur, ideoque magna nos expectant his temporibus mala, qui modo à ducentis annis hactenus sumus in initio sexti status Ecclesiæ, & submergimur in fecibus quinti status: in cuius fine dignitas Ecclesiastica supprimetur.

Cùm autem venerit filius hominis (utpote ad extremum iudicium) putasne, inveniet fidem in terra? unde elicitur, quod mundus in sui fine malis moribus, & superstitionibus laborabit, ac in malitia usque adeò abundabit, qnod Christus Dominus propè sua iusticia compulsus, ad extremum iudicium sit venturus.

Item c. 9. ait: sicut Synagoga Iudaica in quinta & sexta ætate pluribus malitiis se involuit, & ideo plures adversitates passa, & tandem penitus rejecta: ita modo in quinto & sexto statu, Ecclesiastica membra vitiosis moribus laborant: iccirco adversitates patiuntur, & indies ampliores plagas expectare habent: donec Christus Ecclesiam peruersam cum suis legibus, quibus iam abutuntur, reformaverit, & Evangelicum statum reduxerit.

Ibidem. Qui indulgentias proclamant, nummorum querunt contributionem, non hominum salutem. Nam etsi pecunia indulgentiarum exigatur fuco pietatis, utpote ad expeditionem contra infideles, aut ad sacra ædificia, aut in aliam piam causam: tamen potior pars huiusmodi pecuniæ, ex indulgentiis & Iubilæis hactenus collectæ, appensa est fisco quàm Christo, plus redacta in vanitatem, quam in pietatem. Christus quidem cum mammona iniquitatis amicos nobis p. 109.

nobis facere præcepit, non verò inimicos expugnare, vel ædificia extruere docuit: imò nummos colligere inhibuit, inquiens: Videte, & cauete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet.

Ibidem. Indulgentiæ itaque in intuitu ædificiorum concessæ, parum sunt meritoriæ. Sanctius est enim gratis retribuere, quam intuitu veniarum, siquidem bonum opus absque mercede, & propter Deum finaliter homo facere tenetur.

Ibidem. In Apocalypsi dicit Dominus: Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, age pœnitentiam, & prima opera fac. Contrà nituntur indulgentiarum promulgatores, qui dignos pœnitentiæ fructus penitus tollentes, & Dei iudicium corrumpentes, erroneè asserunt, cum vivos tum mortuos per plenarias indulgentias passim, absque omni delectu, ab universis pœnis pariter & culpis solui, statimque salvari. Allegant absolutam authoritatem summi Pontificis: de cujus potentia illud Sapientiæ induci potest: *Nec* timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum: quis enim dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes? non enim est alius Deus, scilicet terrestris, quàm tu.

Ibidem, Operæpretium esse duxi, aliquid in medium afferri de modo indulgentiarum, quæ passim è Roma aduolent, & in Germania ostiatim veniunt, ac venales in nundinis simoniacis ubique exponuntur. Papales enim indulgentiæ publicantur hodie indiscretè, & adeò perverse, ut claves quodammodo contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervetur: quia quæstores indulgentiarum eas friuole extendunt contra canonis prohibitionem, atque sacris indulgentiis ad avaritiam, cæteramque malitiam penitus abutuntur. Vnde prope infelicia redduntur tempora nostra: in quibus fugit à nobis veritas, & abundat falsitas. Quid enim Papa cum mortuis agere potest, qui nunc suum forum egressi, ad tribunal justi Dei devenerunt?

Sed nihilominus indulgentiarum concionatores inter alia figmenta proclamant absurdum scandalum, ut comedent sacrificia mortuorum, dicentes: Statim ùt jactus nummus in cistam tinniverit, euolare ad cœlos animam, pro qua nummus imponitur. Certum profectò est, nummo in cistam tinniente, augeri quæstum posse: suffragium verò Papæ, seu Ecclesiæ in solius Dei arbitrio consistere.

Tales in concilio reprehenduntur quæstores, qui suis prædicationibus decipiunt simplices, & aurum subtili, vel fallaci potius ingenio ab eis extroquent; de purgatorio mendaciter extrahunt animas, quæ sunt Dei iudicio reservatæ.

Item paulò post: Pontifex quoque venias gratis dare debet, quia gratis accepit: utrobique autem queritur peculiare commodum, non honor Dei, vel utile proximi. Adhibetur interea contractus turpissimus, manifeste simoniacus: quando quæstores pro certo pretio in capsam ponendo præbent indulgentias, quas singuli homines unusquisque pro sua facultate emunt. *Quo* pacto homo plus, quam Deum, observat Papam, seu ejus quæstorem, tanquam idolum, qui sibi pro mercibus porrigit indulgentiarum literas, ac remittit pœnas divinæ justitiæ debitas.

Itidem & gentiles olim factitarunt, servientes Febri, Plutoni, aliisque noxiis numinibus, ne læderent. Ita hodie insipidi nituntur consequi venias, quo minus post Christum crucem portent.

Ex præmissis denique apparet, nostram matrem Ecclesiam una cum filiis suis Christianis, circa normam & modum pœnitentiarum & veniarum non mediocriter esse perplexam, atque dilaceratam: & absque divina ope semetipsam ex illis ærumnis resolvere impotentem: vehementerque lamentantem de Indulgentiarum quæstoribus, ac dicentem: Percusserunt me, & vulneraverunt me custodes murorum, eosdem denotando quæstores

Ibidem. Summus Pontifex debet esse ejusdem doctrinæ, cujus & Petrus: siquidem ipsius successor, & par in potestate esse velit.

Ibidem. Mox postquàm aliquis veritatis zelator verbum (superioritatem Ecclesiasticam mordens) profert, hæreticus accusatur, igni deputatur, & morte dignus condemnatur, penitusque opprimitur: quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Aliter nos instruit exemplo patientiæ & doctrinæ primus Papa: cui discipulus in faciem restiterat.

Summi quoque Pontifices illud pestiferum considerant dictum: Non præsumi, tantæ celsitudinis apicem errare, &c. Verùm Pontifex tot ministris dæmonum, & impiorum aulicorum obsessus magis quam stipatus, non potest errare, nisi cum totius Ecclesiæ maximo damno. Assentantur insuper eidem pontifici adulatione illa: in pectoris sui scrinio esse omnia: vnde in veteri Testameto pontifex rationale ferebat in pectore. Sed Papæ pectus non semper justum exinde nonnullæ iniuriæ sæpe emanant, quia carneum est atq; Papa homo unus ex ipsis, quorum curam habet. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumitur, quibus aliquando

do non solum errores, sed & portenta placent. Et licet Papa cum Cardinalium cœtu censeatur esse Ecclesia virtualis, & repræsentativa, tamen errare potest, tametsi universalis Ecclesia, quam repræsentat legitimum concilium generale, errare nequeat: uti doctissime probat quidam Cardinalis Cameracensis.

Advertendus est itaque Papa, quando ut Papa id est, secundum canonicam scripturam, loquitur: non quando pro arbitrio sui capitis profatur. Alioquin multorum crudelium pontificum cædes, hæreses, factiones, alique facinora præsumerentur fuisse beneficia piorum pastorum, cum tamen fuerit immania tyrannorum latrocinia.

Ibidem. Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire, scilicet indulgentiam. Ecce in potestate Pontificis non stat, purgatorio liberatio animam, quæ Dei potestatem effugere, vel indulgentiarum cibum apud inferos invenire nequit.

Ibidem Hactenus nullus Antichristus apparet, præter clericorum æmulos, quorum infinitus est numerus. Quippe Antichristus iam diu venit in membris, & figuris suis, utpote à tempore Neronis usque in hodiernum diem. Ergo Antichristus jam venit. Nunc verò multi sunt Antichristi, id est, Christo contrarii, & eius legi, unde scimus, quia novissima hora est.

Ibidem. Catholica Ecclesia, durante quinto statu, in tam vilem cecidit conditionem, ut iam prope interiisset, nisi pius Iesus ei subvenisset per immensam suam gratiam, multimode hactenus concessam. Insurrexerant namque contra fidem Christi diversæ sectæ, quæ omnes condemnant, ab Ecclesia possideri bona tēporalia, quibus clerici abutuntur. Vnde ait Thelesphorus: Abundantia rerum temporalium Ecclesiis traditarum, est occasio ruinæ Ecclesiasticæ. Nam bona temporalia spiritualem vitam facilè impediunt, imò prælatos cæterosque clericos plerunque ad vitia trahunt, quorum exempla laici imitantur. Ac exinde hæretici suarū sectarum occasionē sumunt.

Quamobrem in præsenti sexto statu Deus dignabitur bona, & dominia temporalia à clero iterum auferre, propter vitia, & peccata cleri, ex divitiarum abundantia, & ex dominii secularis exercitio provenientia, ut ecclesia bonis temporalibus spoliata, & rebus superfluis circumcisa, discat spiritualibus intendere, ac viuere secundum normam datam Petro, qui postquam audisset Dominum, tunica succinxit se erat enim nudus. & misit se in mare.

Ad hoc Ioachim super Hieremiam prudenter innuit, dicens: Olim Imperatores se gloria suæ dignitatis pro Christo paupere exuentes, induerunt Ecclesiam, quasi novum hominem, in Sylvestro: ideo necesse erit, postquam Ecclesia eodem indumento abutitur, ut succincta sive nuda fiat, ne in fluctibus hujus maris submergatur, quæ prius in rerum abundantia nimiam libertatem habuit, superfluamque quietem quæsivit siquidem talis quies corlorum, & abundatia temporalium causauit, atque incendit vitia cleri.

Quocirca contra hujusmodi exorbitantem licentiam idem Ioachim exclamat: Væ huic libertati, & quieti nimiæ, propter quam fides Christi pluribus acutis gladiis ferietur. Delectatio enim metallorum, & avara cupido temporalium spem improbam concipiet, quæ quidem elegans, & formosa vetula radix, & inceptrix omnium malorum, accendit vitia clericorum. Nam postquam Ecclesia nimis multiplicavit bona temporalia sibique dominia secularia vendicavit, tunc ædificauit domum suam super arenam, vel super petram sine fundamento. Ideo tanto flumine rei transitoriæ illisa faciliter cadet, atque submergetur: nisi aliquando bona reformatione, vel aliquo novo fœtu sustentata fuerit.

Ioachim igitur gratias referebat Deo: qui dignatus esset eum superioribus creare temporibus, ut præueniret, atque non inspiceret, tam iniquam per ipsum prævisam hominum perversitatem, prognosticans: quod hoc tempore quinti & sexti status, pauci homines absq; cæcitate essent permansuri, tametsi idem Ioachim de huiusmodi nostro per eum præviso malo, ingenti afflictus fuerit compassione.

Ibidem. Equidem reprobi prævalent jam bonis iniqui dominantur justis, ab omnibusq; in mundo cessat iustitia: quoniam unusquisque quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, uel proximi. Et beatus est, quicunque non fuerit scandalizatus in Christo.

Ibidem. Ob hujusmodi doctrinas (quibus forte à Roma tolleretur locus, & gens sua) in Concilio Constantiensi, rupto salvo conductu, ambo exusti sunt. An hæc vel alia eorum dogmata fuerint novæ vanitatis, an Evangelicæ antiquitatis; nescio? Ego non judico quenquam: hoc certum habeo, eos sua sponte tam forti animo supplicium incendii subiisse ut nemo Philosophorum in sustentanda morte superaverit illos.

Ibidem. Sigismundus Cæsar in Constantiensi Concilio contra dispensationū exorbitantiam obiecit dicens: Legimus Christum Petro potestatem dunta-

 xat

xat relaxandi peccata, non admittendi, dedisse: quot & quantæ exorbitantiæ cum concessione & publicatione apostolicarum indulgentiarum committantur, explicare potest nemo.

Ibidem. Si summus Pontifex superiorem, vel etiam æqualem in his terris non recognoscens, lege positiva est solutus: legi tamen divinæ & naturali est obnoxius: imò, ipsum secundum legem suam, & suorum prædecessorum vivere, honorificum est: quoniam sua potestate uti debet in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ: siquidem nihil tam proprium imperii est, quàm legibus vivere. Vnde Imperator ait: licet legibus soluti sumus, attamen legibus vivimus. Et alibi: Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri: adeò de authoritate juri pendet principis authoritas.

p. 108.

Decreta itaque sanctorum Canonum, & conciliorum neminem magis, quàm Apostolicum servare oportet. Sicut enim Christus, qui legem dedit, eam non dissolvit, sed implevit, sic pontifices docet suos custodire canones.

Porrò si Christus super alios Apostolos Petrum, & fortè ejusdem Petri successores super alios sacerdotes præposuit, tamen hoc fecit ob Petri præcipuam fidem, humilitatem, & charitatem. Ideò successoribus pontificibus, nisi essent ejusmodi, talem præeminentiam non præsumitur attribuisse, neque super eos ædificasse suam Ecclesiā universalem, quæ simpliciter pēdet à Christo, qui est angularis lapis, & fundamentum ipsius Ecclesiæ.

Quid? quòd Papa incedit deauratus, gemmatus, vario ornatu decoratus, milite stipatus, equo albo vectus, aut à ministris in altum portatus? Hæc sunt magis dæmoniorum quàm ovium pascua: ubi non est pastus ovium, sed fastus hominum: ibi non Petro, sed Constantino succeditur. Nam illius quivis est vicarius, cujus vicem gerit, & quem in moribus sequitur.

Hieronymus nempe ait: *Non est facile stare in loco Petri, & Pauli, ac tenere cathedram regnantium cum Christo,* quia hinc dicitur, Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Qui benè sederit super cathedram, honorem facit cathedræ: qui malè sederit, injuriam facit cathedræ. Non enim locus Pontificius, sed mores & vita faciunt sanctum Pontificem.

Verùm equidem Ecclesia à Spiritu sancto regitur: sed ejus rectores, tanquam homines fragiles, quandoque à spiritu maligno exagitantur. Ita Papa Liberius Arrianæ hæresi consensit. Ita fæmina Agnes, quæ ultra biennium papatum occupavit, impraegnabatur, ac palàm peperit prolem. Vnde non omnis Papa est sanctus, sed aliquando ceu reprobus ponitur. Exemplo est Anastasius secundus, natione Romanus.

Pluries quoque in canonibus reperitur, pontificum facta esse correcta, tanquam iniqua. Alioquin Iulii tertii acerbitates essent sanctæ. At si Papa, suæ & fraternæ salutis oblitus, tyrannus esse deprehenditur: aut inutilis, & remissus in suis operibus, à bono insuper taciturnus, officit sibi & omnibus: quoniam salus omnium ex ipso dependet, similiter & ejus perversitas in damnationem plurium cedit: ideò perversus Papa sine spe veniæ condemnandus est, ut diabolus. Et si omnium Pontificum sancita essent inviolabilia, veluti Evangelia: certè sedes Apostolica hujusmodi pontificum sancita (prout sæpè contingit) non enervaret, neque commutaret, neque unus Papa alterius sui legitimi antecessoris decreta vel indulta revocaret, neque infirmaret: alioquin Christus (cujus personam uterque Papa successive gerere gestit) esset divisus. Ad hoc optime sacra scriptura affirmat, Paulum primo Papæ Petro reprehensibili in faciem restitisse.

Nimirùm Ecclesiastica modò sublimitas multifariam est lacerata: hoc in Apocalypsi ostenditur in apertione sexti sigilli, id est, moderni nostri temporis: quando sol, qui est spiritualis potentatus, factus est niger: quia non serenum cælum, sed tetrum infernum aperit. Propterea perversus Pontifex nuncupatur angelus abyssi. Et Luna, id est, potestas secularis, est sicut sanguis, contra Ecclesiam tyrannizando. Et stellæ, id est, prælati, qui in Ecclesia lucere deberent, de cœlo, hoc est, de cœlesti conversatione ceciderunt super terram, sequendo terrenam cupiditatem: exin totius Ecclesiæ causatur occasus.

Imprimis sedes Bestiæ, id est, Ecclesiæ perversæ est in curia Romana, cujus regnū est tenebrosū. *Nam* de Hierosolyma in typo Romanæ Ecclesiæ legitur: Quia Rex Iuda, id est, princeps Ecclesiæ, fecit abominationes pessimas. Propterea dicit Dominus: Ecce, ego inducam mala super Hierusalem, & delebo eam: sicut deleri solent tabulæ. Ob hanc rem noluit Deus propitiari. Item, cum sancta civitas habitaret in omni pace, & leges custodirentur: propter Pontificis dispositionem & pietatem, ac propter animos odio habentes mala, fiebat, ut ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent.

Postquàm autem sacerdotes non circa altaris officia dediti fuerunt, sed contemto templo & sacrificiis neglectis, festinârunt participes fieri palestræ, & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur, quorum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremtores habuerunt: in leges verò divinas impie agere: impune non cessit. Ideò propter peccata habitantium per Antiochum civitatis Hierusalem exitium factum est: quia pessima, & universis gravis erat malorū incursio.

Nam templum luxuria & comessationibus erat plenum, & scortantium cum meretricib. sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur: neq; etiam sabbata custodiebantur, neq; dies solennes patrii servabantur.

Ad idem Esaias: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justicia habitavit in ea, nunc autem homicidæ: argentum tuum conversum est in

Pi 109. scoriam.

Item Dominus in Hieremiâ: Clama contra Aquilonem, id est, contra Ecclesiam Latinam, dicens: Revertere aversatrix Israël, & non avertam faciem meam à vobis. Et infra: Hierusalem est civitas visitationis: omnis calumnia in medio eius: & frigidam fecit malitiam suam: iniquitas & vastitas audietur in eâ coram me semper, infirmitas, & plaga. Igitur erudire, ne forte ponam te desertam terram inhabitabilem. Et infra: Dabo Hierusalem in acervos arenæ, & cubilia draconum: & putrescere faciam multam superbiam eius, dicit Dominus. Et alibi: facta est Hierusalem, quasi polluta menstruis: ideò quasi acervus lapidum erit.

Idem, Heu, sicut olim in Romano imperio, sic hodie in Romanâ curiâ est vorago divititiarum turpissima, crevit avaritia, periit lex à sacerdote, ac visio de propheta, consilium à senioribus: claves Ecclesiæ sunt in abusu, & servitute simoniæ ac ambitionis: vitia enim ferme curialium celari, negarique vix possunt, Roma quasi gurges flagitiorum. Sicut prophetæ olim sunt locuti de Hierusalem, sic & Christus apud Brigittam loquitur de Roma, inquiens: Olim habitavit in Roma justitia, & principes eius principes pacis, nunc autem versa est in scoriam, & principes eius homicidæ.

O si cognosceres dies tuos, Roma, fleres utique, & non gauderes. *Portæ* tuæ sunt sine custodia, & desolatæ, quia defensores & custodes earum inclinati sunt ad cupiditatem: muri tui disrupti sunt, ac depressi, quia jam non curant animarum damna: sed clerus & populus, qui sunt muri tui, dispergentur ad faciendam utilitatem carnis: vasa tua venduntur; quia sacramenta Dei propter pecuniam & favorem mundanum dispensantur. Altaria tua desolata sunt: vivum sacrificium & incensum matutinum comburitur in atrio: quia qui celebrant cum vasis, manus habent à charitate Dei vacuas, & oculos ad offertorium. Et licet Deum verum habeant inter manus, cor tamen vacuum est à Deo, quia mundanis vanitatibus est repletum. Ideo non egreditur de Sancto sanctorum sanctus odor suavissimus, id est; desiderium divinæ fruitionis, vel charitas, ad Deum & proximum: quia tota divina charitas versa est ad incontinentiam & mundi vanitatem. Offertorium expenditur in tabernis, offerentes pl⁹ vacāt mundo, quā Deo.

Ibidem. Vehementer prætimendum est, ac provide timendum, propinquam nunc esse ruinam Ecclesiæ Latinæ circa dignitatem ecclesiasticam, quoniam debile fundamentum ruinam causat. Vnde calumna Dei viventis jam pene videtur nutare, & sagena summi piscatoris, scilicet Petri, procellis intumescentibus, cogitur in naufragii profunda submergi. Quod nemo percipit corde, neq; ad prædictas revelationes & avisationes fit cujuspiam emendatio: sed singuli Pontifices, tam summi quam inferiores, carnalia sequentes, exhibent se magis mixti Antichristi præcursores, quam veri Christi fideles servitores.

Ibidem. Insuper Episcopi debitam solent omittere hospitalitatem, pauperes Christi negligendo, semetipsos impinguando, canes aliaque animalia alendo; & sic una bestia nutrit aliam, ac si sponte velint esse de numero eorum, in quos Dominus proferat sententiam justam: Hospes, id est, pauper fui, & non suscepistis me: ideo discedite à me maledicti in ignem æternum.

Passim quoque episcopi penè omnes morbo cupiditatis (quæ mater est omnium hæresium) laborant, aliena rapientes, ecclesiastica bona dilapidantes: quæ divinis usibus & pauperibus Christi dispensare deberent, aliorsum expendunt. Non autem sua sunt: sed calium bonorum administrationem duntaxat gerunt: ideo proprietatem sibi inbursare non licet: quoniam ecclesiasticarum rerum episcopi procuratores tantum sunt, non domini. Ait enim canon: Gloria episcopi est, pauperum opibus providere: ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis.

Ibidem. Fit nunc temporis, ut Episcoporum status & dignitas perpendatur in terrenis opib. in sordidis ac plebeiis curis, in

bellorum procellis, in imperiis mundalibus. Heu, Dominus Iesu palam negavit, regnum suum huius esse mundi: quinimo ipse solus fugit in montem, cum cognovisset, quia populi venturi essent, ut raperent eum, & facerent Regem: quomodo ergo convenit, ut Christi locum tenens, mundanam ditionem non solum admittat, verum etiam ambiat, ut libidine, luxu, violentia, superbia, fastu, divitiis, rapacitate regnet, quem Christus docuit humilem esse, & corde mitem. Nulla equidem comparatio regni cœlorum (sic enim Christus suam vocat Ecclesiam) cum regno terrarum: ubi est cura congregandi pecuniam, tyrannisandi, tumultuandi, bellandi, triumphandi, ac alia faciendi, sine quibus imperium temporale administrari nequit. Ideo Deus videtur clericis inhibere dominationem mundanam, per prophetam dicens: Væ vobis, qui opulenti estis in Syon, confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël, libentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis: quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absynthium, qui lætamini in nihilo.

Ibidem. Sunt nonnulla monialium monasteria (è quibus professas juxta regulæ tenorem, nunquam exire, vel quempiam introire decet) adeo propatula, ut ipsa loca veneris prostibulo sint similiora, quam Dei sacrario. Hinc procacitas, stuprum, incestus mulierum sacrarum: hinc quoque verenda scandala, & offendicula oriuntur quàm plurima, quæ singula recensere jam nolo.

Ibidem. Præterea in Ecclesiis tam cathedralibus, quam conventualibus innumera committi solent scandala: ubi hodie plerunque feces mundi ecclesiasticis gubernaculis præficiuntur, utpote, quibus mundus uti, vel frui nequit. Nam potentum, & nobilium geniti intruduntur, dignitatibusque Ecclesiasticis potiuntur: quibus multoties seniores, atque in gradu digniores subiiciuntur: ut modo verificata censeatur illa Gregorii sententia, dicentis: Sæpe conspicimus, sapientes subesse, stultos verò arcem dominii tenere: sapientes serviliter obsequi, stul-
p. 110. tos autem tyrannica elatione dominari. Item ut plurimum, qui defectuosiores inter filios nobilium apparent, clericali statui adijciuntur, quasi mundo inutiles, licet Deo execrabiles: siquidem contra Dei præceptum ecclesiis, & monasteriis offeruntur aut claudi, aut cæci, aut in aliquâ parte deformes & debiles.

Ecclesiastici insuper de nobilibus progeniti, naturali appetitu, & germinis inclinatione plus sequuntur secularia, quam spiritualia: quando enim regulam & prosapiam mutuò luctari contingit, necesse est, ecclesiasticam succumbere regulam.

Principes tùm Ecclesiastici, cùm seculares frequenter suscipiunt, & ad beneficia sui jurispatronatus præsentare solent suos, vel amicorum suorum necessarios, & eos, qui nihil sacerdotio dignum, sed animas ad venandum crudeles, & ad convivandum cupidos habent.

Rursus, beneficia ecclesiastica non sincerâ electione: sed muneribus, precibus, favoribus, ac personarum acceptionibus frequenter conferuntur: accipere autem personam impii non est bonum, neque habemus fidem Christi in personarum acceptione. Episcopi quoque non attendunt, neque considerant habilitatem promovendorum, sed ipsi amore temporalium, vel negligentia spiritualium, tales indignos beneficiatos admittunt, absque omni delectu, & debitâ examinatione instituunt, in magnam indignationem omnipotentis Dei, cui districtam ob hoc reddent rationem: quoniam contra canonum dispositionem hujusmodi ignaros in dignosq; promovent qui magis rustica ministeria, mercantias, piscationes, aliaue servilia opera, & secularia negotia, quam ecclesiastica officia exercere callent.

Ibidem. Quidnam expedit, tantam tempore nuper elapso esse electam multitudinem Cardinalium, qui omnem substantiam, quâ reliquus clerus sustentari deberet, devorabunt; & ita census ecclesiasticus ad cardines cœli dissipatur? Modo verificatur Hieronymi sententia: singuli superiores per potentiam vendicant totum, quod inferiorum clericorum est, ac in suos usus redigunt. Mendicat infelix clericus servili operi mancipatus, qui, dum stipendia perdit, clamat ad Dominum, & exauditur à Christo: nec differetur divinæ ultionis sententia, si Cardinales, bona pauperis cleri defraudantes, non reddant universa.

Ibidem. Ambitio præterea, & simonia contra canonum decreta, in clero jam ubiq; regnat, ut hodie verificetur illud prophetæ: A minore usque ad majorem omnes, scilicet clerici, avaritiæ student, & à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Qui dicunt, aquam nostram, id est, gratiam sive donum Spiritus sancti pecunia bibimus, hoc est, Simoniace ministramus sacramenta Dei. Ideo subjungitur: Linguam nostram pretio comparavimus. Quam acriter sub severis pœnis Deus strictissimus judex statuit, ne sui ministri vendant Spiritus sancti gratiam: sed eos absque simoniaco com-

commisso sustentari jubet ab eis, quibus spiritualia porrigunt?

At verò quisnam clericus, præsertim beneficiatus, vel in exili beuificio, vel in potenti dignitate constitutus, contra jus divinum & humanum, non est percussus leprâ simoniæ? Ob quam pleriq; ipso facto incurrunt excommunicationem, vel suspensionem, aliásue censuras: quorum absolutiones, juxta canonum decreta, summis pontificibus reservantur, à quibus tamen illi simoniaci absolvi minime curant. Imo omni absolutione neglecta, se divinis immiscent, & per consequens irregularitatem incurrunt.

Præterea, beneficia & dignitates, quibus propter simoniacam labem ipso facto sunt perpetim indigni atque privati, contra Deum jusq;scriptū occupant:inde offensio Dei, læsio animarum, ecclesiæ enorme scandalum consurgit. Super quo obstupescunt cœli, & portæ eius desolantur vehementer. Pater namque, simoniacos, veluti primos & præcipuos hæreticos, ab omnibus fidelibus esse respuendos, quoniam cætera crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur. Simoniaca enim pestis sui magnitudine alios morbos vincit: & tamen, ad majoris damnationis cumulum, illam simoniacam pravitatem, ex inveteratæ consuetudinis jure, quidam malitiose defendere nituntur, qui cum Giezi & Simone condemnabuntur.

Ibidem. Quicquid in collegiis & capitulis statuitur, communiter magis sapit peculiare commodum, quam Dei honorem, vel Christianam rempublicam. Una inter reliquas abusiones subsannanda apparet, ac mentalem simoniam sapit: quod ad interessendum divinis Canonici non charitate Dei inducuntur, sed per pecuniam, quam præsentiam vocant, singulis præsentibus distribuendam, alliciuntur. Quæ quidem distributio non fit clericis in Ecclesia occupatis, sed ociosis, tanquam dignioribus, Canonicis. Qui licet à canendo nuncupentur *Canonici*, nunquam tamen in Ecclesia canunt.

Ibidem. Deteriores sunt Iuda, qui pro solis denariis me vendidit: illi autem qui me sanctificare deberent, ad me non accedunt, nisi sperent sibi fructum: in prælo me premunt: quia inter suam luxuriam, & cupiditatem me ponunt: poscunt nempe mulieres maledictas, ut voluptatem suam perficiant, & me replent: ipsi quasi fures, & proditores produnt me, & quasi meretrices me contingunt.

Ibidem. Istam futuram nostram calamitatem deflevit Iesus super universam Ecclesiam, ajens: Quia si cognovisses & tu: & quidem in hac die tua, id est, in præsenti tempore, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, scilicet, mala Ecclesiæ futura: quia venient, dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumcingent te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquet lapidem super lapidem, eo, quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Et licet eadem Salvatoris prophetia ad literam impleta sit in destructione Ierosolymæ, & partim in Ecclesia orientali, tamen finaliter in futura & propinqua occidentalis Ecclesiæ ærumna mysticè reiterabitur. pa.111.

Ibidem. Implebitur ergo verbum Domini, ad Latinam seu Romanam Ecclesiam dicentis: Ego tradam te in manus eorum, quos odisti: & agent tecum in odio: & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, & ignominia plenam: & revelabitur ignominia fornicationum tuarum. Ex Ezech. 23.

Ibidem. *Primum* caput fuit Cain, qui Ecclesiam malignantium incepit, eique præfuit, & ædificavit primam civitatem Enoch. Secundum Nemroth, qui post diluvium cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator, id est, oppressor aliorum. Tertium caput fuit regnum Assyriorum. Quartum regnum Medorum. Quintum Græcorum. Sextum & ultimum caput Antichristus magnus, Ex hoc Telesphorus argumentatur, adveniente Antichristo, Romanum imperium extinctum iri.

Ibidem. Nota, licet post nativitatem Christi, Roma (quæ autoritate plurium conciliorum, loco capitis est universæ ecclesiæ) ter destructa est: primo à Soldano Rege Saracenorum, tempore Gregorii quarti: tertio per Imperatorem Fridericum primum, ut habetur in chronicis: tamen in Brigittæ revelatione intelligitur quarta urbis destructio prope futura: de qua sic habetur in libro Cyrilli Episcopi:

Antequam Ecclesia renovetur, permittet Deus, vocante Papatu, maxima schismata oriri, inter Romanos & Imperatorem: quid de sua confisus potentia, nitetur constituere Papam pro suo libitu: Itali autem resistere conabuntur aquilæ grandi: quæ furore incensa, cum Alemannis cæterisque gentibus ferocibus, armata manu Romam intrabit: Prælatos & religiosos cives trucidabit, in cæterum quoque clerum adeo desæviet, ut aliqui coronas suas abradi facient, alii fugam ad montes sylvasque dabunt.

Hæc prophetia partim est incepta: nã proximis temporibus, videlicet ab anno 1510. Italia quæ per Romam intelligitur,

intolerabiles, infinitasque calamitates hactenus passa est perlongæva & immania bella: nec non adhuc indies major timetur fieri eiusdem Italiæ, ac etiam Germaniæ & Galliæ devastatio, in gladio forinseco vel intestino, aliisvè horrendis plagis, quæ evenient ob detestanda peccata tam laicorum quàm clericorum: quam obrem latina Ecclesia (ut jam sequitur) plagas substinebit, ac divino bono carebit. Nempe peccata nostra prohibent bonum è nobis. Navicula autem Petri non extinguetur penitus, sed reformabitur.

Ibidem. Mercatores de virtute deliciarum eius divites facti sunt: prout hodie quidam Florentini mercatores exaltantur, & ditantur ex patrimonio beati Petri, ac ex eleemosyna Ecclesiæ Romanæ.

Ibidem. Ne turbemur (sicuti formidandum est) à Turcorum invasione, per illa foramina & nova belli adversus Turcum præparamenta, quæ Papa Leo & Maximilianus quondam Cæsar, cæteriq; reges Catholici mutuo pepegerant. Dummodo enim interiorem Ecclesiam non reformaverimus, nil juvat aurum vel argentum, aut quiuis exterior apparatus. Nam & olim super hac re per superiores principes & potentatus Christianæ Reipublicæ multa sunt tractata, multa excogitata, vel consulta, & aliquando agitata, nulla tamen ad effectum deducta: verum quo plura moliti sunt, eò asperius & turbatius evasit negotium, Deo, qui habitat in cœlis, labores nostros irridente, imo nos jugiter irritante, qui absque eius adjumento, illud ipsius opus nostrâ inutili solertiâ expleri credimus.

Ibidem. Ob primam in urbe Hierusalem ecclesiæ fundationem, & Christi passionem, ne credamus, jam catholicam Ecclesiam, sicut olim synagoga ab Hierusalem, pendere: quemadmodum ambitiosi pontifices statuunt, & stulti creduli æstimant, Romam esse caput universalis Ecclesiæ: quæ tamen principaliter consistit in spirituali collectione Christi fidelium, ubique terrarum degentium: & eius caput solus est Christus in omnibus primatum tenens, quem Deus dedit caput omnem Ecclesiam.

Ibidem. Si nos Christiani Turcos aggredi intendimus, inprimis instituamus bellum adversus nostras iniquitates, tanquam capitales Dei inimicos, non adversus virgam iniquitatum, quasi Deo repugnaturi, cujus iræ nemo resistere potest. Per Turcum namq; ceu virgam, Deus nostras visitat iniquitates, eò, quod nos non visitamus eas. Iustus quippe Deus de nobis Christianis, ceu Christi filiis, in baptismo ex Ecclesia tanquam matre renatis, dicit: Si derelinquerint filii eius legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, si justicias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virgâ iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.

Ibidem. Deponamus sarcinam peccatorum nostrorum, tanquam causam concitantem virgam ferream.

Ibidem. Vtamur ergò præcipue adversus Turcos lorica charitatis, cingulo veritatis, gladio spiritus, quod est verbum Dei, scuto fidei & galeá, id est, spe salutis: primum debellando intrinsecos Ecclesiæ hostes, videlicet superbiam, simoniam, ambitionem, avaritiam, libidinem, cæterasque impietates: hi Turci à Christianis sunt observandi, semperque oppugnandi: imó non est perniciosior aut capitalior Ecclesiæ inimicus, quam iniquus clerus, qui imprimis erit reformandus, deinde reliqui Christi fideles bene instituendi, tandem forinseci hostes Christi ad pugnam provocandi. Tunc demum sperari poterit contra Turcos debellandos Christianorum victoria.

Vaticinium antiquum. 1518.

F. 112.

Reperta est propheria in quodam codice ex Bibliotheca Medicorũ Florentiæ: in quo insignia seu arma Paparum, hinc à Calixto summo pontificatu functorum, usque ad Leonem, erant depicta, hujusmodi verbis: Post Lunam Quercus, post Quercum Sanguisugæ: cum aliis pluribus versiculis, qui innuebant, hunc Papam aliquid maximi momenti esse facturum. Quia igitur Pius 3. Papa Lunam pro insigni habuit: & Julius 2. Quercum, intellexit Leo, verbum Sanguisugæ se attinere: habuit enim pro insignibus Cucurbitulas, quibus utuntur Sacrificatores: & fuerant eius majores balneatores: unde etiam in Papatu suo tributis, vel, ut verius dicam, scarificatione, homines ad vivum usque exsuxit. Rebwiz.

Petrus de Piperno Cardinalis 1511.

De hoc refertur, quòd fuit unus barattator, & fuit occisus visibiliter in Ecclesia: & hoc diabolos cuidam Eremitæ, ita fuisse factum, retulisse. De hoc vide gl. c. præsenti. de off. leg. in 6. & And. Barb. lib. de Cardinal. leg. à latere. Imp. & Papa ut sup.

Ianus Pannonius de Pauli 2. Cælibatu sic scribit. 1512.

Pontificis Pauli testes ne, Roma, requiras,
Filia, quam genuit, sat docet, esse marem.

San-

Sanctum non possum, patrem te dicere possum,
Cùm video natam, Paule secunde, tuam.
Imperat. & Papa ut sup.

1519. *Bonifacius de Vitalinis.*

Hic in Clement. & alij alibi sequenti clausula utuntur: Salva tamen in præmissis omnibus Romani Pontificis, ad quem plene & libera &c, Omnium enim decretorum & statutorum resolutoria est, Si Papæ libeat. Hæc verba quidam Draconis caudam de cauda Papali vocant, Imp. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

1529. *Sebastianus de Rotenhan, Canonicus.*

Scribit, adhuc anno 800. tempore Caroli Magni, neminem unquam Paparum pedum oscula exegisse aut admisisse, qua Tyrannide tamen hodie glorientur. Imp. & Papa ut sup.

1519. *Franciscus Irenicus.*

Aruspices, quos Greci σπλαγχνοσκόπους nominant, apud Hetruscos omnium primi apparuerunt, ut ait Cicero de divinatione lib. 2 Multa apud Q. Curtium & Virgilium in Æneide passim constant. Inde Germani Romanos secuti, maxime per auguria vaticinati sunt, ut Cor. Tacitus in Germania author est, qui, ex equorum hinnitu ipsos augurari solitos, scribit: & ab eorum hinnitu certissimum Germanos cepisse experimentum. In bello vero captiuum quoquo modo interceptum, cum electo milite armis committebant. Hæc Cor. Tacitus.

Plutarch. quoque tradit in vita Cæsaris, Cæsarem ideo Germanos vicisse: mulieres enim Germanorum noluisse, viros suos in prælium procedere, nisi nova Luna fuisset. Tanta fides Germanis auspicii fuerat. Consentit & Frontinus lib. 1. stratagematum. Cornelius fœminis hoc fuisse commissum scribit, & se sub Vespasiano novisse, vates præcipuas extitisse fœminas.

Cimbricæ mulieres, ut Strabo lib. 7. scribit, in bellum assumuntur divinarum rerum peritæ. Hæ captivis strictis occurrebant gladijs, & ex stillatione sanguinis vaticinia fundebant. Hæc Strabo.

Cornelius Tacitus libro pen. historiarum inquit, veteri more Germanorum, qui plerasque fœminas fatidicas, & (languescente superstitione) arbitrátur Deas.

Franci etiam, ut Hunnibaldus scribit, vxorem Antenoris Campriam ut Deam coluerunt: fuit enim astutissima. Item Saxones, dum contra Suevos pugnavetunt quæ Prædicebant, licet aliter, quam futurum erat, ut Paulus Diaconus lib. 4. rerum Longobardarum scribit. Eidem sententiæ adstipulatur Picus

p. 113. in secundo Hymnorum commentario, allegans omnem Germanorum circa auspicia morem, illis carminibus:

Captivo & iugulo fundebat carmina vates
Cymbria, quæ eripedum fremitus servabat equorum,
Bellax Rhiphæo Germania proxima cœlo.

Sortes vero decisis virgis in surculos jactabantur, temere & quasi fortuito, quæ virgulæ spargebantur mox, & si publice agebatur, sacerdos: si privatim, paterfamilias, facta mentione ad Deos, sortes interpretabantur. Hæc Cornelius. Hunni varia auspiciorum genera habuerunt, unde Attilæ varia augurando prætensa fuerunt, ut Priscus, Sabellicus, & Iornandes scribunt. Similiter Franci apud Hunnibaldum, Gotthi apud Iornandem, Longobardi apud Paulum Diaconum. Fuit & Veledæ mulieris nomen peculiare apud Cornelium Tacitum, quæ temporibus Augusti vaticinabatur. Meminit illius Statius lib. 1. Sylua.

Non vacat Arctoas acies, Rhenumq́; rebellem,
Captiuæq; preces Veledæ, cui maxima nuper
Gloria.

Celebratur & clara memoria Cattæ mulier, ita ob regionem nativam Cattorum appellata, cui Imperator non nihil credidit, referente Suetonio. Habemus & in Græcis commentariis, quandam mulierem, nomine Dryudam, Diocletiano Imperatori coronam imperij prædixisse, quando aprum occideret. Cæterum & auguriorum peritissimi fuerunt Germani: unde Trogus ac Iustinus Hist. lib. 24. Galatas in Illyricum translatos fuisse, tantum ob auguriorum peritiam, refert. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10.

Idem. Ceterum, ut & optimum finis volumini huic eveniat, illud prius annectere volui, ante multos annos, ac ante rei eventum etiam, sæpe Germanorum fortitudinem fuisse prædictam. Heraclitus enim Græcus, ab Hyperboreis Romam capiendam, prædixerat. Similiter & Aristoteles, referente Plutarcho in Mario. Valerius etiam, quædam prodigia Gallorum Senonum irruptionem præcurrisse, testatur. Plinius lib. 2. quædam prodigia ac pluvias ante Cimbricum bellum, ac quasdam species armaturarum in cœlo apparuisse, affert. Iustinus historicus, Philippum quoque, Historiarum volumine vigesimo nono, Romam Gallis ac Pœnis prædæ futuram, prædixisse, voluit.

Idem. Ioanni Escuidensi persuasum est, dæmones varij generis hominum servituti subjectos in Noruegiâ reperiri. Mons mari Norbegico circumseptus; Hechelberg dictus, inferni aut purgatorij specie

speciem repræsentat. Hunc horrendo clamore instincti vultures ac corui nigerrimi circumuolando perterrefaciunt. Totus præterea mons eiulatu lachrymabili intonat, clamor ad unum milliare dilatatus diffunditur.

Idem. Omnium, quæ crudelitatis impulsu sibi mortalitas nostra excogitauit, crudelissimum bombarda locum obtinuit, contra quam nullæ, ab humano ingenio elaboratæ, prævalent artes, nulla virtus. Fulmine enim minacius omnia obuia prosternit, solo æquat: nihil hominum manibus adeò firmum acq; stabile fundatum est, cujus vires non excedant bombardarum tonitrua ac faces.

Quæ mare, quæ terras, Cælumq; profundum
Quippe ferunt rapide secum, verruntq; per auras.

Hujus inventorum tot funeribus dignum, quot cœlo stellæ, Polydorus de Inventione rerum scribit. Stapulensis Politica Aristotelis enarrans, congruum fuisse, ait, auctorem tantæ machinæ opus imbuisse. Non me latet, multarum rerum fontem esse, non tamen auctor memoriâ, ut rei cum rerum naturâ prælianus repertor, defraudetur. Polydorus nomen auctoris reticuit: Stapulensis, hujus artificij originem an Burgundis an Germanis adscribat, hæret. Campanus in oratione Ratisbonensi, ac Platina in vitâ Vrbani VI. Germanis adscripserunt.

Multi id monacho cuidam concesserunt, qui ex libris Philosophi de cœlo videns, ignem multò majus sibi spacium, quam terram vendicare, ac mixta corpora, ut Physici loquuntur, in ignem redigi: æream ollam, undique circumseptam, sulphure ac pulvere repletam, igne accendente conflavit, agnoscens, roboribus acernis densissimos ornos contusos, bombardam à sono dictam, effinxerat.

Alij vero cuidam, nomine Petro, tribuerunt, qui perspectivâ arte imbutus, ex duabus rebus diversissimis ista coniectarit: nam altera summo frigore ex saligno salpetro, altera calore naturali instructa, pulverem conglutinasse, ac in morem fulminis naturali ratione constituisse, & sic bombardam reperisse dicitur.

Adrianus Cardinalis in libro de venatione inquit:

Erat Sycamber Fortè in tam celebri sodalitate,
Audax, prælia tanta qui cieret:
Libs cognomine, machina repertor
Mirandæ, horrifica, minacis, atra:
Qualem nec Steropes, nec ipse fertur
Pater Lemnius inferis cavernis
Informasse Iovi, nec ulla in orbe
Per tot secula cogitavit ætas.
Nam truncum teretem, aeneum, cauumq;
Nitro, sulphure, pulvere & saligni
Carbonis replet, usq; ad umbilicum,
Includitq; pilam ex liquente plumbo,
Supernè tenue oppido foramen
Spirat, hanc iacit igneam favillam: p. 214.
Non sic fulminis impetus trisulci.
Nec Balarica sic rotata fertur.

Multa Nauclerus, & alij. Non autem hæc de funda balearica similia sunt, quę sine sulphure emittebatur. Sabellicus, Germani nomine hostis, denique id nobis reliquit, licet, sæpe fundis & alios populos usos, scribat. Tanais Scytharum rex in epistolâ ad Vexorem regem Ægyptiorum, Parthos olim & fragosis vasis consuevisse, ait, & ijs procul hostes ferire, in modum ac sonum tonitrui. Id tamen certo certius, Venetos contra Genuenses primos bambardis consuevisse, & primò tunc ea tormenta fuisse visa, ut Platina in loco prædicto asserit, ac Germanos hujus repertores assignat: nec non Campanus in oratione Ratisbonensi: nec Beroaldus illo carmine ejus inventione Germanos defraudare voluit:

Nitidus are, machinisq;
Ad nos belligeras subinde mittis.

Annus autem tunc 1380. agebatur, quando bombardarum tonitrua à Germanis sunt reperta. Et tantum de illâ. Sunt præterea longe optimi in Germaniâ, qui à Græcis τορευτολυεργοποιοὶ πηγοὶ dicuntur, quorum artificio nil absolutius alius orbis produxit, de quo & infra apud Polydorum Virgilium an. 1530.

Max. Imp. iudicium de Luthero. 1591.

Hoc anno Christi Imperator Maximilianus I. conscripsit comitia. D. Luthero admodum favit, & bene cupit: & Doctorem Degenhardum Pfeffinger, Electoris ducis Saxoniæ Ioannis Friderici Legatum jussit hoc mandati referre: scilicet, ut hũc Monachum tutaretur, & benè haberet ac tractaret: ipsis enim brevi eius operam valde necessariam contra injurias & conatus Romanensium. Legerat enim Imperator Lutheri disputationem contra æruscatorem illum, venditorem indulgentiarum, Tetzelium. Hondorp.

Roma fœcunda. 1519.

Romæ reperti sunt adeo multi infantes supposititij, Sacerdotum, Monachorum & Nonnarum fœtus, ut opus fuerit, peculiaria xenodochia, & monasteria construere, in quibus educarentur & alerentur. Hi in processionibus solennibus præeunt Papæ, & vocitant ipsum suum PARENTEM non sine mysterio.

Non

Non contenti autem fuerunt corruptionibus propriarum suarum Religiosarum, sed & peregrinas sub fuco salubrioris & fortioris absolutionis & benedictionis, si ipsæ in persona adessent, Romam pertraxerunt. Quorum extrema impudentia, lascivia, fornicatio, & Sodomia universo mundo ita innotuit, ut ante hæc tempora Synodo Foroiuliensi opus fuerit, propria lege cavere, ne ullo unquam tempore post ulla vel Monialis vel Abbatissa, ut prius, Romam proficisceretur. Unde, Lullum Episcopum Osuitâ quandam Abbatissam excommunicasse, scribitur, quod Romam spreta lege inviserit. Hospin.

Ex actis Imperij.

5.19. Cum de novi Imperatoris electione verba in Senatu Arch. Moguntinus faceret, vir prudens vaticinatus est, inquiens: Hoc mihi venit in mentem, si quando Cæsar iratus veniat in Germaniam, & Hispanos adducet, libertati nostræ magnum fore periculum: cogito etiam, posse fieri, ut Imperij dignitatem hanc vix ægre nobis aliquando restituant Hispani Et si Mediolanum vi recuperent, futurum, ut sibi retineant. Præterea, quæ de religione, indulgentiis, item de Pontificis potestate natæ sunt disputationes, videntur nunc quidem esse sanabiles, sed paulo post magnam secum trahent ruinam, & Ecclesiæ mutationem. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

Vaticinium de Imperatore Friderico.

Vaticinium eo tempore tritum hoc fuit: Imperator Fridericus quando advenieт, liberabit sanctum Sepulchrum Domini. Sed cum prophetiæ ita se habeant, ut citius impleantur, quam intelligantur: ita cum hac quoque accidit. Nam Dux Saxoniæ Fridericus elector (sub quo Lutherus Papatum reformare cœpit) Francofurti ab Electoribus uno consensu in imperatorem electus fuit, & reverâ Imperator fuerat, si saltem assensum præbuisset: sed propter senectutem Carolum V. voto suo Imperatorem designavit, & periit.

Perinde autem Deo est, quàm diu quis Cæsar sit, modò sit. Idcirco hic Cæsar Fridericus, id est, Elector Saxoniæ,
225. per prædicationem D. Lutheri sanctum sepulchrum, id est sacram Scripturam, (in quâ veritas Christi, extincta à Papistis, sepulta jacuit: Mendicantes & inquisitores hæreticæ pravitatis custodierant ne discipuli Christi venirent, & auferrent eam) liberavit per ministerium Lutheri à custodibus monachis & sacrificulis

Vide Thom. 2. Luth. Germ. Imper. 117 Carolo 5. Papa 224, Leone 10.

Albertus Pighius Campensis, Theologus. 1520.

Pighius de Eccles. Hierar. libro 1. cap 2. dicit, Apostolos quædam conscripsisse, non ut scripta illa præessent fidei, & religioni nostræ, sed ut subessent potius. Et tandem concludit, Ecclesiæ authoritatem, non solùm non inferiorem, non solùm parem, imò quodammodo & superiorem & notiorem esse autoritate Scripturæ: siquidem Ecclesia præcipuis Scripturis canonicam impartita est authoritatem, quam nec ex se, nec ex authoribus suis habebant. Cap. 3. dicit, Apostolicas epistolas non Ecclesiæ Catholicæ, sed pro nata occasione necessitatis unius aut alterius Ecclesiarum particularium, scriptas esse: ideo esse opinandū, Apostolum universis suis Epistolis voluisse comprehendere universa nostræ fidei, Christianæque doctrinæ præcepta & mysteria. Et addit epistolam ad Philemonem, quia præter deprecationem pro servo fugitivo nihil prorsus continet, esse in hoc scriptam à Paulo, ut publicè legeretur in catholica Christi Ecclesia. In fine inquit: Anathema sunt; quicunque communi receptæque ab antiquo observationi, & traditioni Ecclesiasticæ contradicunt, tametsi nulli Scripturæ vel contradicant, vel adversentur.

Hunc cæterosque scriptores Pontificios, P. Paulus 4. in Epistola ad Ioannem Gropperum designatum Cardinalem, scribit, malè defendere doctrinam & ceremonias Ecclesiæ Romanæ, in quibus multa nec excusari, neque defendi possint. Imperatore Carolo 5. Papa Leone 10.

Ee eodem.

Hic Astrologus, Canonista, & Chimista, scripsit pro Romana Ecclesia libellum, qui Romæ clàm excusus, datus est Campegio Cardinali, & Legato Papæ, profecturo in Germaniam, ut illum communicaret Principibus Germaniæ, ad concitandum inter ipsos odia adversus Lutheranos.

Hujus Campegii machinationes alias plures, cruenta & nefanda quævis spirantes, reperiet Lector apud Rebuvizium. Literas vero, quibus nomine Papæ, Imperatori ultimam sedis Pontificię resignavit amicitiam, & bellum indixit perpetuum, offendes apud Georgium Capellam: sed responsio Imperatoris, perquam appositè relata Papæ, habetur in Apologetico, anno 1522. Moguntiæ impresso.

Quia

Quis enim imperator religionem Lutheranam, tanquam nondum cognitam, nec dum erroris convictam, persequi & tollere, uti placebat Papæ, nolebat: sed prius generali concilio offerri & examinari, æquum esse, dicebat: ideo Papa eum excommunicare, aliumq; Cæsarem substituere decrevit, qui libidini & tyrannidi Pontificis magis pareret. Missis igitur ad Turcarum Sultanum (illum Christi, membrorumque eius hostem abjuratissimum, & infensissimum) Legatis cum diplomatis, eius amicitiam sibi expetiit: utq; Vngariam & Austriam bello adoriretur, rogavit, ne Concilium in Germania procederet, & Cæsar atque Principes ita à proposito conventu avocarentur. Heu stupendam impietatem Paparum, crudelitatem, atq; malitiam? Rebwitz.

Ex libro Primo Ceremoniarum

Nobilior laicus, etiam Imperator aut Rex, aquam ad lavandas Pontificis manus, primo ferat hoc ordine. Magister sacri hospitii cum clerico ceremoniarum, (quem adesse oportet in ordinandis hisce rebus omnibus, cum servientibus armorum) si Imperator aut Rex aquam ferre debet cum aliquibus, etiam principibus sociatus, Imperatorem aut Regem ad credentiam ducit. Si est nobilis inferior, solus erit, & in credentia aquã, prius à ministris probatam & prægustatam, accipit, in pelvibus, fertque consuetis ceremoniis ad Pontificem, præeunte uno ex auditoribus cum mantili, ad tergendum manus. Imp. & Papa ut sup.

Ibidem. Stabunt ante mensas lavantes eo ordine, quo sedere debent in mensa: prior Episcoporum in capite ad dextram: si aderit Rex aliquis, erit secundo loco: si plures Reges, mixti erunt cum primis Cardinalibus, primo Cardinalis, deinde Rex successivè.

Ibidem. Cardinales, ut Cæsarem convenient, congratulationibus & oblationib. factis nomine Papæ & collegii, illum habentes medium inter duos primos Episcopos Cardinales, deducent usque ad tentorium, sive alium locum sibi deputatum extra urbem: nam Cæsar non consuevit ea die, qua appulit, urbem intrare, sed pernoctare saltem una nocte, extra mœnia in campis. Cardinales, & alii omnes, postquam Cæsar ad locum deputatum pervenerit, in urbem revertuntur. Consueverunt etiam electi Imperatores hac die, antequam ponticulum, qui primus ante ingressum urbis post descensum montem occurrit, pertranseant, præstare juramentum Romanis, in hanc formam: Ego Carolus Rex Romanorum, futurus Imperator, juro, me servaturum Romanis bonas consuetudines suas: sic Deus me adjuvet.

pa. 116.

Ibidem. Et notandum, quod Cæsar, antequam coronetur Imperiali diademate, sedet post primum Episcopum Cardinalem.

Ibidem. Cæsar deductus ad altare capellæ illius, quæ vocatur beatæ Mariæ inter turres, in manibus primi Cardinalis præsentis, & pontificis nomine recipientis beato Petro, summo Pontifici, & suis successoribus solitum juramentum præstabit in forma subscripta, videlicet: Ego N. Rex Romanorum, adjuvante Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, atque defensorem fore summi Pontificis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus eius, custodiendo & conservando possessiones, honores, & jura ac jus, quantum divino fultus adjutorio fuero, secundum scire & posse meum, recta & pura fide. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Ibidem. Et hæc quidem fiunt ad altare beati Mauritii: nam ad altare beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, nisi Romanus Pontifex solus.

Hæc ferè omnia servata fuerunt, cum Carolus quartus coronatus fuit Romæ per dominum Petrum Episcopum Hostiensem; quem ex Avinione Innocentius sextus nuncium Apostolicum ad hoc miserat & per dominum Egidium de Albornozio tituli sancti Clementis presbyterum Cardinalem, ac Legatum Apostolicum in Italia, anno Salutis millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, Nonis Aprilis, ut ex literis ipsius Caroli, quæ adhuc extant, & registratæ sunt in archivis Ecclesiæ, publicè patet. Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales prædicti publicè protestarentur domino Imperatori, quod propter omissionem reverentiarum, obsequiorum, & multarum ceremoniarum, quæ pertinent ad personam Romani Pontificis, non esset aliquo modo derogatum privilegiis & honorificentiis Romanæ sedis, & suorum successorum: & de hac protestatione & consensu Imperatoris exigerent quadruplices literas, Regalibus & Imperialibus sigillis munitas, sicut & factum est.

Ibidem. Imperatrix coronata mox osculatur pedem Pontificis cum corona, & surgens reducitur à Diaconis ad suggestum, & cum cantatur deinde offertorium, revertatur ad pontificem, & illi offerat aurum, quantum placet.

Ibidẽ. Electo Põtifice, prior Diaconorũ incipit solus alta voce, quasi legendo: Exaudi Christe: Subdiaconi, auditores, scri-

scriniarii, & advocati respondent: Domino nostro Innocentio, à Deo decreto Summo Pontifici, & universali Papæ vita: & sic tertio dicitur per priorem, & totiens per illos quoque respondetur. Subsequenter idem prior Diaconorum dicit: Salvator mundi: & illi respondebunt: Tu illum adjuva: & sic ter dicetur, & ter respondetur. Deinde idem prior dicit: S. Maria: & illi respondebunt: Tu illum adjuva: & bis dicetur, & bis respondebitur. Inde prior idem subjunget: sancte Michaël: & illi respondebunt: Tu illum adjuva. Et tunc deinceps semel dicetur, & semel respondebitur. Sequitur prior.

Sancte Michaël,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphaël,
Sancte Ioannes Baptista,
Sancte Petre, Tu illum adjuva.
Sancte Paule,
Sancte Andreas,
Sancte Stephane,
Sancte Leo,
Sancte Gregori,
Sancte Benedicte,
Sancte Basili,
Sancta Sabba, Tu illum adjuva.
Sancta Agnes,
Sancta Cecilia,
Sancta Lucia,

Ibidem, Ducitur per familiarem sacristæ rubro indutum, & baculum in sinistra habentem, equus albus, mansuetus, portans Sacramentum corporis Christi; habens ad collum tintinnabulum benetinniens. Post Sacramentum equitat immediatè sacrista: qui, ut cæteri prælati, habet equum totum coopertū bocasino, &c.

p. 217. Item sect. 12. cap. 1. Ducitur post hos equus albus, phaleratus, mansuetus, & pulcher, cum tintiñabulo ad collum bene sonante, qui capsulam vehit cum sacrissimo Christi corpore.

Item cap. 4. Ante Pontificem semper præfertur crux per subdiaconum, & post crucem portatur corpus Christi super equum album cum campanella.

Ibidem tit. 15. §. de ægrotatione. Scriptum est, Papam quoque in purgatorium descendere: quod mirum videri poterat, cum ausit affirmare, se alios inde posse eximere.

Ibidem. Cum Papa per scalam, panno rubeo coopertam, quam portate equus albus ductus per unum ex parafrenariis, purpurea veste indutum, ascendit equum, major princeps qui præsens adest, etiamsi Rex esset aut Imperator, stapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frenum aliquantulum. Si Imperator aut Rex soli essent, id est, non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu. Sin vero esset alius, dignor à dextra, alter à sinistra frenum tenerent. Si non sunt reges, dignores ducant equum. Et postquam Imperator, Rex, sive alius magnus princeps aliquantulum equum duxerit, substituantur alii duo magni nobiles eorum loco, & mutentur. Si verò pontifex non equo, sed sella veheretur, quatuor majores principes, etiamsi inter eos Imperator, aut quivis maximus princeps adesset, in honorem Salvatoris Iesu Christi, sellam ipsam cum pontifice humeris suis portare aliquantulum debent.

Ibidē paulo post. Ipsē pontifex à priore canonicorū Ecclesię Lateran. & Canonicis cæteris ducit[ur] ad marmo[re]am sedem, ante portam principalem à sinistra stantē, quæ stercoraria appellatur; & ibi eum sedere faciunt, qui ita tamen sedet, ut magis jacere videatur: ad quem mox accedentes Cardinales, elevant eum honorificè; dicentes: suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Surgens Pontifex, accipit de gremio camerarii sibi assistentis, quantum pugno potest complecti pecuniarum: ubi tamen nihil prorsus sit argenti vel auri; & spargit inter populum, dicens: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc do vobis. Actor. 4. hoc est, nucem proijcit, & sibi servat nucleum.

Ibidem. Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit assurgendo manifestè, aut caput inclinando, seu detegendo.

Ibidem. Omnes mortales, & præsertim Christi fideles, cujuscunque sint dignitatis & præeminentiæ, cum primum in conspectum Pontificis adveniunt, distantibus spaciis ter debent ante illum genua flectere, & in honorem Salvatoris nostri Iesu Christi, cujus vices in terris gerit, eius pedes osculari.

Ibidem Quinque Agnus Dei Papa Vrbanus 5. Orientali Imperatori cum hisce versibus, ceu grande munus, dono dedit:

Balsamus & munda cera, cum Chrismatis unda,
Conficiunt Agnum, quod Munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per Mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit:
Pregnans servatur simul, & partus liberatur:
Dona defert dignis: virtutem destruit ignis.
Portatus mundè, de fluctibus eripit undā.

Ex

Ex Pontificali Romano.

Signum vel Campana benedicenda debet benedici, antequam ponatur in campanili, hoc ordine. Inprimis debet campana ipsa ita suspendi & situari, ut commodè possit intus & extra tangi, tractari & circuiri: deinde prope ipsam campanam benedicendam, paratur Pontifici faldistorium, vas aquæ benedicendæ, aspersorium, vas cum sale, linteа munda ad extergendum campanam, quando opus erit, vas olei sancti infirmorum, sanctum chrisma, thymiama, thus, Myrrha, & thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & dalmaticam albi coloris.

His ordinatis, Pontifex in sacrista aut alio convenienti loco, paratus amicto, albâ, cingulo, stolâ, pluviali albi coloris, & mitrâ simplici, baculum pastoralem manu gestans, venit prope campanam: ubi sedens super faldistorium ibidem sibi paratum, dicit cum ministris Psalmos sex, scilicet 51. 54. 57. 67. 70. & 76. Tunc surgit pontifex, & stans cum mitra, benedicit sal & aquam, dicens.

Exorcizo te, creatura salis, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum: per Deum, qui te per Eliseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorarcizatum, in salutem credentium: ut sis omnibus te sumentib. sanitas animæ & corporis: & effugiat atque discedat ab eo loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Resp. Amen.

p. 118. Deinde depositâ mitrâ dicit versus: Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum Spiritu suo.

Oremus. Immensam clementiam tuam, omnipotens, æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere, & sanctificare tuâ pietate digneris: ut sit omnib. id sumentibus, salus mentis & corporis: ut quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ, per virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Resp. Amen.

Tunc acceptâ mitrâ, extēsa dextrâ super aquam, stans absolutè dicit: Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filii eius, Domini nostri, & in virtute Spiritus sancti, ut fias aqua exorcisata, ad effugandum omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus &c. Resp. Amen.

Deinde depositâ mitrâ dicit: Domine, exaudi orationem meam. Resp. Et clamor. Vers. Dominus vobiscum. Resp. & cum Spiritu suo.

Oremus. Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantiâ condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abiiciendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda asperserit, careat omni immundiciâ, liberetur à noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantiū invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem tui sancti nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa: per virtutem D. N. &c. Resp. Amen.

Oratio alia. Oremus. Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, & assistat super eā virtus Spiritus sancti, ut cum hoc vasculum ad invitandos filios Ecclesiæ præparatum, in eā fuerit tinctum, ubicunq; postmodum sonuerit eius tinnitus, procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum: & cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gremium, cantent ibi in Ecclesia sanctorum canticum novum in laudes eorū, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, exultationem organi, deprecantes Dominum cœli pro sceleribus, & pro omnibus necessariis suis, quatenus invitare valeant in templo sancto tuo, suis obsequiis & precibus, multitudinem exercitus angelorum: & intercedentibus omnium sanctorum meritis, impetrare, quod poposcerint, mereantur, Salvator mundi Deus, qui cum patre, &c.

Post hæc Pontifex mittat sal in aquam. in modum crucis, semel dicens: Hæc commistio salis & aquæ efficiant salutare sacramentum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quo facto, super sal & aquam commixta dicit vers. Dominus vobiscum. Resp. & cum spiritu. Deinde

orant.

orant, ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspiciat, benignus illustret, pietatis suæ rore sanctificet Deus, ut ubicunque aspersa fuerit per invocationem eius sancti nominis, omnis infestatio immundi spiritus abiiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, &c.

His peractis, pontifex, acceptâ mitrâ, incipit lavare campanam cum dictâ aquâ, & ministri prosequuntur lotionem, lavantes eam totaliter, intus & extrà: deinde cum linteo mundo extergunt, pontifice cum mitrâ sedente, & cum aliis ministris dicente psalmum 146. 147. 148. & 149.

Quibus finitis, surgit Pontifex cum mitrâ: & cum pollice dextræ manus facit ab extrà supra campanam de oleo sancto infirmiorum signum crucis; quo facto, depositâ mitrâ, dicit orationem, ut Deus campanam suo sancto Spiritu sanctificet, ut, si auditur eius sonitus, in hominibus crescat devotio, & omne malum abigatur.

Deinde Pontifex, acceptâ mitrâ, extergit cum linteo mundo crucem à se factam. Deinde inchoat, scholâ prosequente, antiphonam, deinde repetitur antiphona: Interim pontifex cum mitrâ stâns, facit cum pollice dextræ manus de oleo sancto infirmorum 7. cruces exteriùs super campanam: & deintus cum chrismate quatuor, pari distantiâ, dicens, dum quamlibet crucem facit: Consecretur, & sanctificetur, Domine, signum istud in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti. Pax tibi. Deinde iterum orat, ut Deus tintinnabulum cœlesti benedictione perfundat, purificet, sanctificet, & consecret, &c.

Tunc sedet pontifex, & acceptâ mitrâ imponit in thuribulo thymiama, thus, & myrrham, si haberi possunt: alioquin, quæ ex ipsis habentur: quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur campanæ, ut totum fumum recipiat. Deinde pontifex osculatur librum Evangeliorum. Tum producit super campanam benedictam signum crucis, & reassumtâ mitrâ, discedit.

Ibidem. Pontifice Leone 3. qui fuit sub finem imperii constantini, 16. Aprilis, Indictione 11. Luna vesperi post cœnam Domini cœpit obscurari: & sanguinem multum præ se tulit, usque ad gallicinium, anno 796.

p. 119. Stephanum II. in Pontificem electum, & humeris exceptum, primum in basilicam Constantinianam deportatû, tradit liber hic Pontif. & Francus de Pontificibus. Oppresso Aistulpho, in pompâ solenni ad Lateranensem basilicam se portari curavit: eius pedes humi prostrati osculari sunt Pipinus, filius eius Carolus Magnus, Luitprandus Longobardorum rex: & stapedes eius apprehenderunt, & frenum equi illius tenentes, stratoris officia ei præstiterunt. Martinus in Chronico. Blondus libro 1. Decadis 1. Carolus Magnus Adriani I. pedes osculatus scribitur à Blondo libro 1. Decadis 2. & Æmilio. Iustinianus Imperator Constantini Papæ pedes Nicomediæ osculatus est.

Qualiter benedicatur & consecretur baculus pastoralis, sal, aqua, lapis primarius pro Ecclesia ædificanda, altare, tobalea vasorum & ornamentorû (jejuno stomacho) cæmiterii, (reconciliatione) crucis, signi campanæ, capsarum pro reliquiis, armorum, ensis, vexilli bellici, vasculi pro Eucharistia conservanda, vide ibidem.

Ibidem. Adrianus tertius, cum legatos suos Constantinopolim misisset ad Synodum celebrandam, libellum eis tradidit, in quo de principatu Romanæ Ecclesiæ, & de imaginum cultu scriptum erat: ac jussit, ne quem ex Græcis ad Synodum admitterent, nisi prius ei libello subscripsisset: an. 885.

Vide ibidem, & confer introitum in Ierusalem Salvatoris nostri Iesu Christi, & processionem Papæ ad Lateranum, videbis, hunc procul abesse à Christo.

Ibidem. Hoc affirmamus, ante Carolum Magnum, in cujus personam imperium translatum est à Græcis per Latinos neminem Imperii Romani coronam ex manu Romani pontificis Romæ suscepisse. Et paulo post: Legimus & in aliis historiis, quosdam imperatores Arelatæ etiam coronam suscepisse de regno Arelatensi: & alibi aliâs, pro aliis regnis.

Ibidem. Imperator accedens equum Pontificis, in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vices Pontifex in terris gerit, tenet stapham, quoad Pontifex equum ascenderit: & deinde accepto freno equi, ducit equum pontificis: Pontifex, dum Imperator hæc humilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum honeste recusare.

Ibidem. Imperator post coronationem recipitur à Canonicis sancti Petri in Canonicum: & in fratrem. Quare?

Ibidem. Ego N. electus Ecclesiæ N. ab hac horâ in antea fidelis & obediens ero B. Pero, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & domino nostro, domino N. Papæ N. suisq; successorib. canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione: aut in eos violenter manus quomodo libet ingerantur: vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios suos, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum & regalia sancti Petri adjutor

eis ero ad retinendum & defendendum, salvo ordine meo, contra omnem. Legatū Apostolicæ sedis in eundo & redeūdo honorificè tractabo & in suis necessitatib. adjuvabo. Iura, honores, privilegia, & authoritatem Romanæ ecclesiæ, domini nostri Papæ, & successorum prædictorum, conservare, defendere, augere & promovere curabo. *Nec* ero in consilio vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur. Et si, talia à quibuscunq; tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse: & quanto citius potero, significabo eidem domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam perveniri. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata apostolicà totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, & rebelles eidem domino nostro, vel successoribus prædictis; pro posse persequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Apostolorū limina singulis annis, curia existente citra, ultra verò montes, singulis bienniis: ultra verò mare, singulis trienniis per me ipsum visitabo: et si post primam visitationem personaliter factam, aliquo legitimo negocio præpeditus, personaliter visitare non potero, per aliquem fidum nuncium de gremio meæ N. Ecclesiæ bene instructum, (qui vice meâ Apostolico conspectui se præsentare, & de legitimo impedimento hujusmodi, saltem per juramentum legitimum, fidem facere teneatur,) id adimplebo. Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano pontifice, etiam cum consensu capituli mei: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Et inter examinis articulos, antequam consecretur Episcopus, interrogatus: Vis B. Petro Apostolo, cui à Deo data est potestas ligandi & solvendi, eiusque vicariis, Romanis pontificibus fidem, subjectionem & obedientiam, secundum canonicam auctoritatem exhibere? Vis mores tuos ab omni malo temperare: & quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare? Vis semper in divinis esse negotiis mancipatus, & à terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus: quantum te humana fragilitas consenserit posse? Vis humilitatem & patientiam in teipso custodire, & alios similiter docere? Ad quæ & alia singula Episcopus respondet: Ita, ex toto corde volo in omnibus obedire & consentire.

Et cum de fidei articulis interrogatur, etiam hoc quæritur: Anathematizas etiam omnem hæresin, extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam Catholicam? Resp. Anathematizo. Et sic deinde consecratur.

Electio summi pontificis seculo VII. post Christum aliquandiu, sicut & antea, fuit penes clerum & exercitum simul, itemque exarchum Italiæ: postea Constantinus quintus ad pontificem Benedictum 2. hominis sanctitate permotus, sanctionem misit, ut deinceps, quem clerus populus exercitusque Rom. in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi vicarium esse, omnes crederent, nullâ aut Constantinopolitani principis, aut Italiæ Exarchi expectatâ autoritate, ut antea fieri consueverat. Id enim ratum erat in creando pontifice, quod princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gerebat. Platina, Liber pontificalis in Benedicto, & Sabellicus libro 6. Ennead. 8. p. 120.

Polydorus Virgilius addit, hanc legem haud diu esse servatam. Nam cum paucis post annis Gregorius 3. ac nonnulli alii deinceps pontifices, Longobardorum iniuriis pressi, nihil auxilii à Constantinopolitanis principibus haberent, ad *Carolum* primò Martellum & Pipinum; deinde ad *Carolum* magnum Pipini filium, Francorum reges, fugere coacti sunt. Quas ob res Leo tertius ipsum Carolum Magnum fecit Imperatorem: cujus successores consueverunt itidem pontificis electionem cōfirmare. Atque sic usuvenit, ut tunc primum tutela Romani pontificis ab Imperatoribus Constantinopolitanis ad alios translata sit. Postremo circiter annum salutis 1059. Pontifex Nicolaus 2. concilio celebrato, pontificum electionem ad *Cardinales* illos, qui animarum curam gerebant, tantum reduxit, idque hodie observatur. Polydorus libro 4. cap. 10.

Stephanus electus in pontificem, statim Legatos ad Imperatorem misit, qui ab eo confirmationem peterent. Aimoinus libro 4. cap. 103. de Francis. Et Paschalis, sine Imperatoris Ludovici Pii assensu, Pontifex appellatus, in clerum & populum electionis culpam per oratorem rejecit. Imperator id moleste quidem tulit, sed tamen moderate respondit: debere eos videre, ne maiestatem læderent, nec pacta violarent. Simoneta lib. 5. cap. 4.

Defuncto Valentino Papa, Gregorius presbyter electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus Imperatoris Romam

nam venit, & electionem populi, qualis esset, examinavit. Aimoinus lib 4. cap. 114.

Cum Sergius sine Lotharii assensu pontificatum iniisset, misit Romam Ludovicum filium suum, & Drogonem Metensem archiepiscopum, & plures alios episcopos, abbates, & comites, cum valido exercitu, qui cum pontifice diu multumque disputârunt, ac ostenderunt, Papam subjectum esse Cæsari, nec recte sine ejus consensu consecrari. Coëgerunt etiam cives Romanos fidem Imperatori jurare Liber Pontificialis, Luitbrandus Ticinensis.

HenricusCornelius Agrippa ab Nettesheym, I. V. D. Eques auratus, à consiliis & archivis Iudiciarius sacræ Cæsareæ Majestatis.

Quâ pompâ Augustalis coronatio suscepta sit: & quo ordine Summus Pontifex templum divi Petronii ingressus.

Describenda nobis nunc est Augustalis coronationis solennitas, quæ postridie à Longobardicâ coronatione peragenda restabat. Erat illa dies sexta Calend. Mertias: dies ter felicissima, terq; albo calculo signanda: dies, qua in hanc lucem æditus Cæsar, maxima omnium spe, nec una quidem, Mundi dominus natus est: dies, qua de Gallis ab antiquo hostibus jam sæpe antea victor, tum etiam triumphator, capto illorum Rege, gloriosissima & inaudita superis temporibus, semperque veneranda victoria potitus: unde tandem hæc nobis cum Gallis felicissima pax & affinitas parta est. Qua eadem die nunc Augustale Romani Imperii diadema, è septimi Clementis, summi Christianorum Pontificis, beatissimis manibus suscepit.

Iamiam aderat optatissima illa dies, qua fugato atræ noctis nubilo, cœlum matutino crepusculo, disjecta obscura tenebrarum caligine, ante Solis radios, adhuc propriæ lucis candore resplenderet: cum discursu triumphali nobilium turbæ plateas complent, tantaque hilaritudine cuncta gaudebant, & serena facie gestiebant, ut præter peculiarem morem, etiam equi & canes, & quæque domestica hominibus animalia jucundis gestibus vocibusque exultare sentirentur, canoræque aviculæ suavissimos concentus ultra consuetum adsonarent, exultantiumque vocibus ipsum cœlum reboaret. Admurmurabant dulci zephyro per flatæ arbores, erumpentibusque odoriferis floribus, turgentibusque gemmis, amœna viridiria arridebant. Sic campi, sic nemora, sic prata, fiorulento virore alacritatem præ se ferebant, ut non bruma, sed ver ipsum pareret. Omnis creatura futurum Imperatorem, temporum dominum, orbisque totius Rectorem, velut numen aliquod cœlitus demissum, venerari videbatur.

Longum esset hîc referre incredibilem inæstimabilemque vestium ornatum, quibus inter se cum pomposi Hispani, tum magnifici Itali, & profusi Burgundiones, & vinci impatientes Germani, magnificentissimis sumptibus concertabant, & quisque quibus potuit quam maximo sumtu comparatis, suum præ ceteris in Cæsarem affectum ostentare nitebatur. p. 121. Hi aureis, illi argenteis, isti holosericis, alii polymiris, alii planis; alii villosis cum infectis purpura, & tinctis murice & cocco, tum Attalica Semiramideaque textura, & Phrygio opere elaboratis, insertisque cum unionibus variarum gemmarum lapillis resplendebant. Equi omnibus tales, quales Turno fuisse describit Vergilius, & Homerus ad Trojam venisse narrat Menonis.

Ea erat pomparum solennitas, cui nihil adiici ad gloriæ magnitudinem potuisset. Iamque crescentibus orientis Solis radiis, illuxerat clara dies, cum Principes & satrapæ, cæterique nobiles palatium protinus adeunt: ubi in amplissimam basilicam, ad alteram palatii contignationem ascendentes, omnes ad Cæsarem conveniunt. Quod ubi rescisset Pontifex, dispositaque esse omnia, ipse prior, pontificio ornatu sacrisque vestibus indutus, multis admodum Cardinalibus & Episcopis singulis in pontificalibus eorum, sociatus, templum divi Petronii hoc ordine ingreditur:

Prægrediebantur bini & bini, cubicularii, ostiarii & scribæ apostolici. Post illos duodecim Bononiensis scholæ veterani legum doctores, equestri ordine & palatinatus dignitate à Cæsare recenter donati. Deinde octo ejusdem civitatis viri patricii venerabili pompa succedebant, quos sequebatur Rector Vniversitatis sua purpura superbus. Deinde Prætor urbis Bononiensis, quem Potestatem vulgò vocant, in veste aurata admodum conspicuus. Postea ibant auditores Rotæ, cæterique judiciorum officiales. Demum 53. cum Episcopi, tum Archiepiscopi, singuli in Pontificalibus suis venerabiles. Hos proximè sequebantur reverendissimi Cardinales per ordinem, videlicet Medices, Dorias, Grimaldus, Gaddi, Mantuanus, Pisanus, sanctæ Crucis, Cornarus, Grimannus, Perusius, Ravennates, Inchefordius, Campegius, Anconitanus, Sanctorum quatuor, Senensis,

Farnesius, singuli in suis mytris & palliis, quæ pluvialia vocant, quorum patagium scuti instar in terga dependet. Dehinc duo Ecclesiæ tribuni sive capitanei, quos Italicum vulgus Confalonerios vocat, magnanimus comes Ludovicus Rangon, & magnificus dominus Laurentius Cibo, ambo armati incedebant. Post quos adhuc alii tres reverendissimi Cardinales, Ceserinus, Cæsius, & Cibo; beatissimo Pontifici assistentes, ambulabant, in quorum medio sanctissimus Pater Clemens, eius nominis Papa septimus, Pontificio ornatu; triplici diademate coronatus; in aurea pontificiali cathedra ab octo purpuratis stipatoribus sub aureo umbraculo sublimis ferebatur. Quem deinceps ingens Abbatum, protonotariorum, aliorumque, cum Ecclesiasticorum Prælatorum, tum secularium; nobiliumque satraparum, Magnatumq; turba sequebatur.

Cumque jam beatissimus Pontifex intra templum prædictum, ad altare majus usque applicuisset: singulis sua loca occupantibus, inceptum est officium, quam concinentibus psalmis; Tertiam vocant: tum exhibita Pontifici consueta obedientia, à seniori Cardinalium Farnesio incepta, singulis deinceps pro suæ creationis ordine Cardinalibus manum pontificis deosculantibus. Proinde singuli Archiepiscopi, post etiam Episcopi consimili ordine ad pedum oscula processerunt. Interea missi sunt duo ex reverendissimorum Cardinalium cœtu, videlicet Salviatus & Rodolphus Diaconi Cardinales, ut Cæsarem adducerent in templum, qui hac, quam nunc dicemus, pompa palatio egreditur.

Quo ordine ex palatio itum est in templum.

Anteibat ingens nobilium puerorum caterva; pulcherrimam de se speciem præbens: subsequebantur magno numero fulgidæ nobilitatis & equestris ordinis viri, omnes quidem magnifico ornatu spectabiles. Deinde complures Barones, Comites, Marchiones, & plerique duces, & sacri Romani Imperii Principes; quibus Cæsareæ Aulæ diversorum munerum præfecti, satrapæ succedebant. Deinde externorum Regum atque Principum, videlicet Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Lusitaniæ sive Portugaliæ, Vngariæ, Poloniæ, Bohemiæ, Austriæ, Sabaudiæ, tum etiam Cæsaris, multorum suorum regnorum principatuumque, Castellæ, Legionum, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Granatæ, Burgundiæ, totiusque Austrasiæ & reliquorum paludati Heraldi, cæterique cum Feciales tum Caduceatores, & Corynophori inspectione digni ambulabant. Post quos Cæsareæ aulæ architriclini, quos vocant Magistros domus, cum suis arundinibus (scipiones antiqui vocant) bini & bini, pariter incedebant. Supremus autem & primarius magister generosus dominus à Rhodio, elevata arundine sua sequebatur illos solus.

Continuo Cæsar, & qui coronationis insignia ferebant Principes, hoc ordine successerunt; Primum ibat Illustris Princeps Bonifacius Palæologus, Marchio Montisferrati, toga holoserica coccinea indutus, & supervestitus ex villosa purpura, patagiata chlamyde, candidissimis armellinis pellibus suffulta, cum & maximi sumtus gemmata tyara caput eius integebat, sacrumque imperiale sceptrum aureum magnificentissima cum arte tum impensa elaboratum, dextra præferebat. Iuxta sequebatur illum strenuissimum & magnanimus Princeps Franciscus Maria Rovera, dux Vrbini, etiam suo ducali ornatu incedens, qui Imperatorium gladium (cujus capulus & vagina arte aurifica & gemmaria supra omnem æstimationem ad miraculum spectantium sunt elaborata) sua dextra elevatum attollebat.

Insequuntur istos per ordinem, ex Palatinis Rheni & Bavariæ ducibus, illustris Princeps Philippus, ducali purpura ac tyara magnifice ornatus, qui aureum mundum manibus sustinebat. Deinde potentissimus Sabaudiæ dux Carolus, in suo ducali habitu tam superbissimo sumtu eleborato, ut tyara illius supra C. millia ducatorum æstimata sit. Hic sacrum Imperii diadema ex auro obryzo, preciosissimis lapillis refertum, adeoque sumtuosum, ut omnem æstimationem excedat, ambabus manibus gestabat. E vestigio divus Cæsar Carolus, abolla regia vestitus, superindutus ex crispato auro Babylonicæ texturæ prælongo patagio, corona regia insignis, medius inter prænominatos illos duos pontificio ornatu infulatos diaconos Cardinales incedebat, eiusque postremas fimbrias illustris comes Henricus à Nassau sustinebat. p. 122.

Proxime deinde sequebantur quatuor insignes Episcopi, cum Regnum Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Portugalliæ, Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ, ducis Ferrariæ, aliorumque Principum, tum Venetorum, Genuensium, Senensium, Lucensium, Florentinorum, & aliarum gentium oratores atque legati, clarissimi quidem omnes. Postremo Cæsarei consilii senatores ac viri consulares, secretorumque scribæ, & reliqua togatorum turba, suis discreta ordinibus succedebat.

Deniq; post longũ illorũ ordinem, novissimo loco, fulgentes auro, loricati ali-

aliquot bipenniferi processionis totius pompam claudebant.

Quibus ceremoniis Augustalis coronatio peracta est: atque generosus Adrianus de Croy, dominus à Rhodio, in comitem provectus est.

Convenerat omnis hæc multitudo in ea, quam diximus, altiore palatii basilica, ex qua narrato ordine in inferiorem quæ in primo solario est, basilicam descendebat. Erat ibi perforato muro constructum ostium peramplum, à quo extructus pons sublimis, utraque parte munitus, & undique virentibus sertis ex hedera, myrto, lauroque vestitus, insertis pontificiis & Cæsareis clypeis, per forum medium ad ostium templi divi Petronii, per ducentos ferme passus, ea altitudine qua erat prima palatii contignatio, sublimis protendebatur, atque exinde intra templum in chorum usque contra altare majus paulatim declinabat: ad cujus extremum contra ostium templi in sublimi suggesto fabricatum sacellum, divæ virginis intra turres phanum repræsentabat: per hunc pontem in templum usq; tota pompa à sublimi procedebat.

Cumque jam Cæsar ipse ad sacellum illud (quod diximus ad extremum pontis extructum) pervenisset: à Romanis canonicis & Decano divi Petri (qui ad hoc ex urbe Romana Bononiam venerant) correptus, ductus est intra sacellum ad altare: ubi paratum illi erat pulpitum, preciosa tapeto ac aureo hypocorismate instratum, in quod procumbens in genua Cæsar, post brevem oratiunculam jusiurandum beato Petro, ejusq; sanctissimo Vicario Romano Pontifici præstitit, in manus Salviati Cardinalis, ea forma, qua Ludovicum Caroli filium jurasse, decreta confirmant.

Tunc per venerabilem Ciceræ episcopum, Ariostum Ferrariensem, summi Pontificis architriclinum, indutus Cæsar lino stolio, quod superpellicium vocant, acceptaque quæ dicitur amicia, in Canonicum sancti Petri investitus est. Cui sic stanti ante altare, Decanus & singuli per ordinem Canonici, exhibita augustali reverentia, manus deosculati sunt. Egressus deinde sacellum illud, à duobus Cardinalibus medio interceptus, traductus est intra templum, ad cujus ostium ab aliis duobus reverendissimis, [illegible] post priorem senioribus Episcopis Cardinalibus Anconitano & Sanctorum quatuor coronatorum, summa cum honorificentia obviam exceptus, post certas preculas intra templum abducitur.

Vix Cæsar cum Cardinalibus prætergressus ostium templi, insequentibus aliquot armatis stipatoribus, pons ipse, super quem ingrediebantur xx. ferme pedum longitudine, confractus corruit, cecideruntque innumeri, unus aut alter moribundi, pauci vulnerati inventi sunt: res ab omnibus miraculo tenus habita, non omnes una periisse. Plerique hanc rem in omen vertentes, ex confracto ponte, nullum deinceps alium Imperatorem coronatum iri, vaticinari ausi sunt.

Iamque Cæsar ingressus templum [illegible] sacellum, divo Gregorio intitulatum; traducitur: ubi positis superpellicio atq; amicia, per venerabilem Caurientem antistitem, sacris vestibus, humerali, & alba, & Dalmatica, & tibialibus, & sandaliis indutus est, ac Imperiali trabea circumdatus, quæ Babylonicis ac Phrygiis artibus contexta, & insertis preciosissimis gemmis multiformiter variegata; sic ut cum descriptione sit difficilis, tum pondere ferè importabilis, magnificentia eius etiam supra omne precium inæstimabilis exstat.

Hoc sacro atq; preciosissimo habitu adornatus Cæsar, duobus Præsulibus à quovis latere, videlicet Barensi; & Palatinensi, Brixiensi, & Cauriensi, ac illustri Comite de Nassau à tergo gemmatæ trabeæ grave pondus sustinentibus, medius duorum Cardinalium ad medium usque templi, cui loco Rotæ Porphyreæ nomen indiderant, traductus est: ibi trinam benedictionem accipiens, proinde ducitur ad altare majus, quod D. Petri Apostoli Romanam aram repræsentabat.

Ibi super auream mattam; aureo pulvino subdito provolutus, usque post cantatas litanias, aliaque suffragia, permansit: quem postea attollentes duo Cardinales, videlicet Campegius prior presbyterorum, & Cibo prior diaconorum, in sacellum, divo Mauricio adscriptum, adduxerunt: ubi per præstantissimum patrem cardinalem Farnesium, Ostiensem antistitem, & Cardinalium Episcoporum priorem, sed [illegible] totius reverendissimorum Cardinalium collegii seniorem atque decanum (exutus prius & solutus vestibus) sacrosancto chrismate, à dextræ manus restricta usq; in cubitum, atq; intra utrasque spatulas in dorso, non sine sacrissimis benedictionibus & ceremoniarum ritibus delinitus est & per venerandum Cauriensem Episcopum detersus, & quo fuerat indutus, sacro preciosoque amictu rest;tutus.

Tunc rursus Salviatus & Rudolphus Cardinales, qui Farnesio adstiterant, una cum illo conducunt eum ad summum Pontificem primum; qui sacro pontificio ornatu, in sancta Apostolica cathedra, Omnipotentis Dei Vicarius, p. 123.

sedebet juxta altare: Cui exhibens solennem reverentiam Cæsar, super stratum magnificentissimum ante illum procumbebat.

Accedens autem ad altare Pontifex, rem divinam pari religione, maxima cum solennitate inchoavit: peractaq; confessione cum absolutione, ac intonato per eum alta voce Missæ introitu, & suffito altari, accedens Pontificem divus Cæsar, osculatus est illum in maxilla & in pectore: deinde præcedentibus Principibus, atque coronationis insignia ferentibus traductus est Cæsar in solium quod illi paratum erat in imo chori, quo etiam abductus erat Pontifex, in cathedram illi paratam. Redeuntesque Principes ad altare, posuerunt insignia, quæ per ceremoniarum magistrum, qui sacris præerat, locata sunt super altare: reversique sunt Principes ad Cæsarem in subsellia sua.

Interea cum res divina diversis ceremoniis usque post canonicæ epistolæ lectionem (quam duo acolyti, Ioannes Alberinus subdiaconus apostolicus Latinè, & Baccius Martellus camerarius Pontificis Græce canebant) peracta esset: adduxerunt Cæsarem prædicti duo Cardinales ad Pontificem, ante quem super pulvillo aureo Attalicæ stragulæ injecto ingenua procubit.

Tunc per Episcopum Pistauriensem sublatus ex altari sacer gladius, & datus Diacono Cardinali, è cujus manibus accipiens illum Pontifex, & eductum è vagina sua benedicens, dedit in dexteram Cæsari, & belli jura tradidit, inquiens: Accipe gladium sanctum, munus à Deo, in quo confides adversarios populi Dei Israël. Quem rursus accipiens è manu Cæsaris, qui Missæ ministrabat diaconus Cardinalis, remisit in vaginam, reddiditque Pontifici: qui juvantibus Cardinalibus, accinxit illo Cæsarem super femur suum sinistrum.

Tunc surgens in pedes Cæsar, eductum gladium valida dextra, ter in aëra vibravit, & ad singulas vices aciem in terram defixit. Porro remisit illum in vaginam suam, & reclinavit se in genua ante Pontificem: qui solennibus ceremoniis ad singula benedicens, aureum illud pomum, mundi repræsentaculum, dextræ: atque sceptrum, immortale virtutis & fidei pignus, sinistræ manibus ejus per vices imponens, orbis imperium illi tradidit gubernandum, quod & ille magno animo regendum suscepit. Postremo solennissimis ceremoniis sanctissimisque benedictionibus Imperiale diadema sacrato capiti imposuit, sacratissimum illi Imperatoris nomen characteremq; contribuens.

Mox omnis ætas, sexus & ordo, ad sacrati capitis diadematisq; conspectum effusissimo gaudio stupefacti, & quasi extra se positi sunt. Quorum intimam candidissimi animi lætitiam quæ res magis exprimere potuit, quam lachrymæ, quæ plurimum spectantium genas irrigabant?

Tunc provolutus ad pedum beatorum oscula Imperator: jacentem illum ad pedes suos Clemens Pontifex clementissimo affatu, juvantibus Cardinalibus, attollit. Tum discinctus est & gladius, & evaginatus traditus est strenuissimo duci Vrbinati, præferendus.

Tum duo illi reverendissimi Cardinales, Salviatus & Rudolphus, imperatorem jam diademate coronatum, in sinistra sceptrum, in dextera mundum gestantem, in thronum suum, qui juxta summi Pontificis cathedram magnificentissime apparatus erat, produxerunt: & statutis ceremoniis inthronisarunt Carolum V. Romanorum Imperatorem semper Augustum, Mundi totius dominum, universis Principibus & populis semper venerandum metuendumque, denunciantes. Sedebatq; Imperator ad sinistram Pontificis, superior primo Cardinale Episcopo: assidebantque illi duo cardinales Diaconi, sicut assidere solent Pontifici, & quatuor Episcopi.

Interea cantata sunt pro Imperatore suffragia, quam Litaniam vocant, invocantibus Divos Cardinalibus diaconis, & respondentibus cantoribus: Tu illum adjuva: loco illius quod dici solet: Ora pro nobis. Finitis tandem suffragiorum supplicationibus, sanctum Domini Evangelium utraq; lingua, primum Latina per Cardinalem Cæsarinum, deinde Græca per Archiepiscopum Rhodiorum, alta voce lectū est. Postea fidei Christianæ Nicenum symbolum dulcissima harmonia cantatū.

Cumque ad offertorium ventum esset, Imperator depositis in manus Principum diademate, sceptro, & pomo, ac simul magnificentissima illa trabea, nudus capite in sacra Dalmatica tunica procedens ad altare, obtulit munus suum ad pedes Pontificis. Erat autem munus 30. numum aureorum, & singuli valoris ducatorum x. eo quod esset ei dies illa natalitia, qua jam 30. ætatis annum complevit. Consuevit enim quotannis die illa totidem numos aureos offerre, quot annorum tunc complevisse ætatem.

Facta oblatione, offertur Pontifici solennibus ritibus lavamen: qui lotis manibus accessit ad altare: quem secutus Imperator, ministravit, illi & hostias, & aquam sacrificanda porrigens: deinde flexis genibus procubuit in pulpitum aureis peristromate & pulvinis constratum quod illi paratum erat ad cornu altaris, permansitque ibi intentus sacro

sacro Missæ canoni, usqueque caneretur: Agnus Dei. Tum surgens adiit Pontificem, illumq; osculo pacis in dextra maxilla, atq; in pectore deosculatus est. Tum secutus Pontificem ab altari, ambo reversi tunc ad sedes suas: iuxtaquas prostrati in genua, junctis manibus, nudis capitibus, devotissimis orationibus intenti, sacratissimum Eucharistiæ pabulum summa cum religione expectabant, quam summus sacerdos & Pontifex super patinam reliquerat in altari.

Accipiensq; Cardinalis Cibo, qui diaconus Missæ ministrabat, sacram patinam, elevansque ante altare, coram universo populo monstrabat, tradiditq; deinde alteri Cardinali Cesis, qui subdiaconum agebat. Hic accipiens illam, religiosissima reverentia pertulit ad Pontificem, qui accipiens manibus Eucharistiam, quæ majuscula hostia erat, benedixit & fregit per medium, in cujus una Parte, devotis-
p. 224. sima mentis contemplatione, Christi corpus depastus est. Deinde allato sibi benedicto calice, sacratissimum Christi sanguinem aureo calamo pari devotione exuxit: porro ex alio calice vinum ablutionis hausit.

Deinde fregit alteram partem hostiæ, dedit duobus Cardinalibus, Cæsarino diacono, & Alberino subdiacono. Communicato Pontifice & duobus illis Cardinalibus, procubuit ante illum Imperator: coram quo illustris comes à Nassau, & generosus dominus à Rhodio, hic cubiculi, ille architriclinii præfecti primarii, magnificentissimam mappam, ex bysso auroque contextam, atque ex margaritis aliisq; preciosis lapillis elaborato sumtuoso limbo circundatam, tenebant.

Tunc Pontifex Imperatori sacrosanctissimum Dominici corporis Sacramentum, in alia minore hostia propriis manibus ministravit. Quod cum ille devotissima reverentia accepisset, surgens, Pontificem in maxillam osculatur: rursusq; recumbens in genua, è manibus diaconi Cardinalis vinum, quod vocant Preceptionis, recepit, prægustante sibi reverendo Cauriensi Episcopo.

Deinde pluribus orationibus à Pontifice benedictus, surgens; regressus est in thronum suum: indutusq; Imperiali trabea, accepis in manibus Mundo atq; sceptro, imposito sacro capiti diademate, vocari ad se iussit generosum virum Adrianum à Croy, Rhodii dominum, jamdudum aurei velleris militiæ adscitum, ac architriclinio supra cæteros præfectum: cui ante majestatem suam procumbenti, in hæc verba locutus est:

Non me latent, generose Adriane, majorum tuorum vetustissimæ nobilitatis imagines, eorundemq; erga prædecessores nostros ingentia merita: sed nec tuam in majorum tuorum virtute imitanda constantiam ignoro, qui tua strenue gesta magnificeq; facta expertus, dignum virtutibus tuis præmium referre statuens, te unum uocavi & elegi, in quem hujus sacri diadematis primitias impenderem; teq;, quod & merita tua deposcunt, & virtutes tuæ merentur, in sacri Romani Comitem proveherem. Quæ dignitas nunc nostro Imperio gloria, tibique ac tuis successoribus perpetuo decus esto: Sacri Romani Imperii Comes bona fide appellator, tuoq; Rhodio dominio, cum adiacentibus illi terris tuis, tu & successores tui deinceps Comitatus titulo fruuntor, æqualem cum cæteris Rom. Imperii Comitibus dignitatem habento, paribus honoribus, privilegiis, præeminentiis, libertateq; sine ulla contradictione utuntor. Qui in istis contradicere tibi ausus fuerit, aut obstinatus non paruerit: sacri Rom. Imperii rebellis, & majestatis nostræ reus habetor.

Attonitus insperatæ dignitatis gaudio Rhodius Comes, cum longiore sermone Imperatori gratias dicere intenderet: Pontifex ad altare concessit, Missamque cum benedictione peregit, omnibus & singulis cum in templo, tum foris, Imperialis coronationis venerationi intentis, plenariam peccatorum omnium remissionem condonans.

Quæ in foro & civitate, durantibus sacris, intereagesta sunt: & quo apparatu Bononiensis populus coronatum Imperatorem videre gestiens, excipiebat.

Dum hæc, quæ diximus, in templo geruntur: erant in foro, quod ante templum est, erectæ marmoreæ duæ columnæ, supra quas insidentes una prægrandis ac biceps aquila, duoque à lateribus inaurati leones, epistomiorum fungentes officio, interea quo sacra peragebantur, perque totam diem & profundam noctem, hinc leones album, inde aquila rubrum, suavissima vina continuò profundebant: iuxtà vero auratis cornibus & ungulis bos Trojanus, varii generis minutis bestiolis, cum quadrupedibus tum volatilibus infarcitus, integer in prælonga ac robustissima cuspide volutus torrebatur. Pluebant à fenestris panes artolagani, placentulæ, brachiola, panesque dulciarii, tum furctus varii, poma, pira, castaneæ nuces, & incrustatæ saccaro avellanæ, amygdalæ; coriandri, atque id genus plura, quæ expectabundam plebem juventutemque interea cum reficerent, tum solatiarentur.

Præterea ingens electissimorũ militũ ex-

exercitus, multiplici cataphractorũ equitum turma, gemina & Hispanorum & Germanorum peditum acie, numerosisq; sclopetariorum sagittariis, tum supra viginti ingentium bombardarum machinis instructus, nequa seditio oriretur, omnes aditus occupabat, ac circa palatium atque templum custodias agebat: cui Antonius de Læva, dux primarius, nomine Cæsaris imperabat. Eratque ipse armatus totus, sedens in cathedra sua in foro antè prætorium, & cæteri militum duces, cum Hispani, tum Burgundiones & Alemanni iuxta illum.

Peractis sacris, data est mora quieti, dictaq; Imperatori Panegyrica, quousq; populus templo excederet, cæterique ad processionis pompam sese, conscensis equis, in ordinem disponerent. Iam ergo promiscuus utriusq; sexus populus, qui supra centum millia hominum æstimatus est, egrediens templo; per varias turmas & cuneos Imperatorem suum videre gestiens, quo ille ingressurus esset, ferebatur: omnes sui ordinis & decoris obliti, quem fors cuiq; locum obtulisset, occupabat. Conscendunt alii tecta, & summis pendent tegulis, alii columnis implexi, alii muris hærent: omnes fenestræ, omnes rimulæ suis spectatoribus refertæ: perforati parietes; & diruptæ maceries, quo oculos suos tam expectati Imperatoris spectaculo populꝰ expleret, nullus locus nõ occupatus, ne is quidem, qui non nisi ruinosum & periculo proximum caperet vestigium.

Laborant referta hominum pondere tecta, neque minus vias omnes densissimæ populi turbæ opplebant: non ætas, non sexus, non valetudo quendam detinere
p. 125 potuit: omnes pari gaudio, pari alacritate ad novi Imperatoris spectaculum, tamquam ad numen aliquod in communem omnium salutem è cœlis demissum, procurrere.

Quid referam civitatis apparatus, publice privatimq; supra modum adornatos. Quacunque via ingressurus erat Imperator, expurgatæ plateæ, & viridibus iuncis graminibusq; & multorum colorum floribus inspersæ, suavissimos odores late profundebant. Parietes omnes peripetasmatibus auro purpuraque distinctis, & hinc atque hinc longe pendentibus late radiabant, affixaq; matronarum sumtuosa monilia, pendentiaque longis tractibus aurea balthea, tum aurea & argentea vasa instar scalarum per gradus exposita, crebris repercussi Solis radiis fulgurabant: neq; minus uenustissimæ quæq; mulieres & puellæ in fenestris & porticibus per distincta interualla dispositæ, preciosissimis vestibus & monilibus ornatæ, transeuntium quorumq; oculos perstringebant.

Sed vicit privata studia publicus apparatus. Extructi arcus triumphales, erecta trophea, æditi ludi, celebratæ multæ admodum Imperatoris felicissimæ victoriæ, parata ad omnes angulos spectaculorum ostenta, & inscripta aureis literis encomiorum & panegyricorum heroica carmina. Nihil unquam visum aut etiam auditum festivius, nihil lætius, nihil magnificentius ejus diei spectaculo.

Qua pompa post coronationem publica processio habita est.

CÆterum nunc processionis ordo recitandus est. Digressa enim à templo plebe, Pontifex summus sacerdotalib. interea exutus, accaptaq; in caput magnificentissima corona, ac triplici insignita tyara, una cum Imperatore diademate coronato, templo prodibat: ad ostium productus est Pontifici nivei candoris equus gradarius, aureis habenis, ac monili frontalitio, purpureoq; ephippio insignis. Ad cujus stapedes insiliente Pontifice, cum Imperator manum apposuisset: vix passus hæc clementissimus pater, his verbis imperatorem alloquitur: Nequaquam id feceris, fili mi, Imperatorq; inuicte. Satis mihi, superq; satis humanitatis tuæ obsequentissima voluntas, quam tamen non in meam personam, sed illius, cujus vices gero, habeo acceptissimam. Cumq; jam inscendisset equum Pontifex: apprehendens frenum Imperator, ductoris obsequium erat illi aliquot passus exhibiturus: quod beatissimus pater nequaquam passus est.

Tum datus est Imperatori equus, etiam niveo candore, & sublimi altitudine illustris, quin & magnificentissime ephippiatus, phaleratusq; auro & gemmis undiq; refulgens: cui insidens imperator, altior omnibus eminebat, ut à cunctis conspiceretur. Post cæteri Principes totaq; nobilitas, conscensis equis, hoc ordine procedebant, ut duo & duo pariter ambularent: Pontifici à dextris, Cæsari à sinistris præequitabant, cocco & purpura relucentes, cum Cardinalium Pontificumque tum Principum secularium familiares ministri.

Sequebantur auro & argento magnifice fulgentes Pontificii ac Imperatoris satrapæ, & phaleratis equis bellorum maximi duces. Post quorum agmen duodecim Bononiensis populi vexilla alba, rubra cruce insignita, totidem signiferi pedites præferebant. Quos è vestigio Tribuni plebis sequebantur, quibus sedecim Bononiensis scholæ duodecim legum doctores sua purpura aureisq; armillis insignes, atque Bononiensis urbis gubernator, elevatam arundinem tenens, suis lateronibus & satellitibus stipatus:

cum

tum nobilis & strenuus vir Angelus Raynuntius, capitaneus justitiæ, phalerato equo insidens, armatus & aurea lacinia superamictus, Bononiensis urbis vexillum attollebat.

Deinde quatuor rubra vexilla totidem Pontificii satellites, quos vocant cursores, ferebant: ad quæ Pontificii cubicularii, atque ipsa ducis Pennæ familia sequebatur. Post quos antiquum populi Romani vexillū Julius Cæsarinus comes portabat. Deinde quod dicitur divi Georgii vexillū, junior Marchio Anguillariæ gestabat. Postea Romani Imperii Aquilā generosus ex Vergeria prosapia Baro Autregius attollebat: succedebant vexillum Pontificis, vexillum Ecclesiæ, porro vexillum Crucis: quorum primum comes Ludovicus Rangon, alterum nobilis Baro Gabriel, Romanæ militiæ tribunus, tertium magnificus Laurentius Cibo, nudo capite gestabant.

Sequebantur deinde sex albicantes equi superbissimis ephippiis phalerisque magnificentissime adornati, quos totidem purpurati helciarii a manibus ducebant. Tum quatuor Pontificis insignes tyaras totidem cubicularii ferebant: quos deinde longissimus cæterorum cubiculariorum, acolytorum, & Pontificiæ aulæ clericorum, scribarumque ordo secutus, tum causidicorum, aduocatorum, & jurisconsultorum ingens numerus. Porro auditores Rotæ, suo cocco & purpura insignes, obequitabant.

Sequebantur deinde tympanistarum, tibicinum, cornicum, tubicinum, singulis suum taratantara tonantibus, multitudo non modica. Quos è vestigio sequuntur ostiarii, janitores, lictores, virgiferi, bacularii, corynophori: deinde Principum Regumque & imperatoriæ Majestatis Heraldi, suis paludamentis ac phaleris magnificentissimi. His succedebant diversorum populorum, tum principum atque Regum oratores, & legati. Postea subdiaconus quidam summi Pontificis pastoralem baculum triplici cruce insignitum præferebat: post quā alter pontificiam prædivitem tyaram ostentabat. Sequuntur alii duo qui totidem ardentibus lychnis aurea candelabra gestabant. Deinde Dominici corporis adorandum Sacramentum in sua capsula, super nivei candoris, aurato tegmine, magnifice phalerato gradario ferebatur sub holoserico umbraculo, quod duodecim Bononiensium cum viri patricii, tum doctores physici sustentabant, atque duode-
p. 126. cim candidæ ceræ ardentibus tædis pontificii cubicularii ab utraque parte comitabantur. Proxime deinde sequebatur summi Pontificis sacrista, candidam virgam manu gestans.

Tum procedebant celeberrima pompa ad septuaginta fere diversi ordinis, & per sua distincta agmina, Comitis, Marchiones, Duces & principes, omnes aureis vestibus, & singuli suis lateronibus & satellitibus magnifice stipati. Quos deinceps fere ducenti holoserico & polymito vestitu superbissimi satrapæ, etiam suo satellitio stipati, per ordinem sequebantur.

Postea elevati arundinibus suis Imperatorii Architriclini, quos Magistros domus vocant, tum & magnus Magister, jam comes à Rhodio; succedebat solus, quam proxime armorum Rex Heraldus, cui à Burgundia nomen est, paludatus antecedebat, aureo argenteoque numismate plenas bulgas (hypoperas alii vocant) ab equi ephippio suspensas ferens, è quibus ad utraque viæ latera, cum inter eundum, tum inter redeundum plenis manibus in plebem spargebat, Imperatoris liberalitatem proclamans, quæ tunc Imperium, Imperium, Imperium, vivat Carolus Imperator Catholicus, vicissim acclamabat. Erat autem numisma, quod largiebatur, Imperatoris effigiem, cum inscriptione, CAROLVS IMPERATOR AVGVSTVS, ab una parte insculptam habens: ab alia vero ejusdem divi Imepratoris sphrageticum signum, duas videlicet columnas, in quarum medio annorum Christi numerus arithmeticis apicibus expressus erat, circumscriptumque, PLVS VLTRA.

Post magnum domus Magistrum, purpuratorum patrum, reverendissimorum videlicet Cardinalium cœtus, suo cardineo ornatu procedebat: sequebantur suo ordine Principes illi superius nominati, sacri Imperii insignia ferentes. E vestigio beatissimus Pontifex, atq; à sinistris eius divus Imperator, diademate illo sumtuosissimo coronatus, aurea gemmataque trabea circumamictus, sed illa superinæstimabili, quam antea diximus, propter importabile pondus relicta, ambo eodem sub umbraculo, quod à tribus Venetorum oratoribus, & aliis tribus Bononiensium patriciis attollebatur, mirifico decore incedebant. Quos ab utroque latere Pontificii Imperatoriique laterones, cum Hispani, tum Burgundiones, & Germani, Alemannique satellites longissimo tractu à plebis intercursu constipabant. Acclamabant omnis sexus, omnis ætas, omnis status, vivat Carolus, vivat Imperator, Imperii quoque nomen in cœlum tollebant: tum redolentissima diapasmata imposita thymiateriis adolebant, Cyprioque pulvere transeuntes perfundebant.

Sequebantur proxime à tergo Pontificem duo cubicularii, & duo alii, ob Pontificis

ficis in eos fidem ac benevolentiam, conspicui viri: horum unus illi à secretis scriba, alter vero vitæ illius valetudinisque præ ceteris curam agens, physicus atq; medicus. Imperatori vero proxime succedebāt illustris comes à Nassau, deinde Archiepiscop⁹ Barrensis, post Cauriēsis Episcop⁹, demumq; generosus simul & reverendus Georgius Austrius, episcop⁹ Brixinensis: postea spectabilis vir Nicolaus Pernotus, dominus Grandivallis, tum spectabilis dominus Michaël Majus, Imperatoriæ Majestatis apud summum Pontificem Orator perpetuus: porro innumeri Canonum legumque doctores, ac viri consulares, multi etiam Ecclesiastici proceres & Prælati.

Horum omnium turbam postremo premebant longis ordinibus cataphractorum equitum galeatæ phalanges, suis signis tesserisque distinctæ, ut quæ Marchioni Ascolensi, quæ comiti à Rhodio, quæ Baroni Antregio quæ Viennæ domino, quæ Baroni sancti Saturnini, cæterisque strenuissimis ducibus parerent, facile internoscerentur, quorum agmen auratis loricis interlucentes hypotoxotæ claudebant.

Hac celeberrima pompa Pontifex atque Imperator ad divi Dominici templum versus progrediebantur. Cumque medium itineris ad quingentos ferme passus pariter jam emensi essent: tunc multa honorificentia sese consalutantes, Pontifex benedicens Imperatori, per aliam viam divertens, cum suis stipatoribus ad palatium regressus est, Imperatore suis cum ordinibus ad præfatum templum procedente. Cumque jam desiliisset equo ad fores templi, aderant ibi ex vrbe Roma in albis suis Canonici divi Ioannis ad Lateranum, qui Imperatorem, qua decuit reverentia excipientes, institutis ad id ceremoniis, in Canonicum Lateranensem adsciverunt.

Tum Imperator divi patris Dominici sacram ædem ingressus, Deo gratias agens, adorabat ad altare, peractisque precibus, sumto in caput diademate, paratum ibi solium censcendens, assumensque in manus cum aureum pomum, tum evaginatum gladium, multos & strenuos & bene meritos viros equestri ordini ascivit, ac aurata militia condonavit.

His peractis, rursus conscendens equum Imperator, eadem qua venerat pompa, sed per aliam viam palatium versus regreditur. Itaque jam arcubus & spectaculis omnibus prætenitis & perlustratis, ubi ad forum ventum est, extemplo, qui restiterunt, ad custodiam supra octo millia delectæ militiæ cum Hispani tum Germani pedites, sclopetas omnes, tum & majores machinas tanto sonitu fulgureque exonerant, ac si Iuppiter ipse, quicquid uspiam in thesauris suis fulminum tonitruorumque conclusum habuerit, id totum pariter simulque tunc cælo demisisset. Præterea personabant in cœlum campanæ, tum vero vario genere tympanorum, tibiarum, tubarumque nubes perstrepebant. Tum populus omnis ingentibus clamoribus Imperii vocem in cœlum efferens Caroli nomen, ejusque victorias & triumphos indefessis vocibus extollebat. Omnes supinis manibus gratias agebant Deo, gratulabanturque novo Imperatori: applaudebant mutuo sibiipsis: felicem Carolum Augustum, felicem eo Imperatore Italiam, felices sese omnes, qui eum diem vidissent, exclamabant.

Tum excitati per universam urbem ignes, turres omnes facibus, & impositis stipitibus flammis coruscabant: fenestræ omnes lucernis, tædis, & cujuscunque generis facti luminis cœlestium siderum splendorem vincebant: suburbia præterea & circumquaque adiacentes pagi, oppida villæ, & castella, accensis in cœlum ignibus, dici noctem æqualē reddebant, pulsatisq; campanis lætitiæ signa late monstrabant. p. 127.

Nulla species pulchrior, nulla pompa felicior, nullus triumphus illustrior unquam visus est. Nullsu dierum, quos annalium vetustas consecratos in literis habet, cujus tam insignis gratulatio, tam effusum gaudium, tam celebris triumphi cum fuerit, tum esse debuerint, unquam à condita urbe Bononiensi populo illuxit.

De reditu Imperatoris in palatium, & convivii solennis adparatu.

Hac magnificentissima pompa, inclinante se jam die, reversus ad palatium Imperator, desiliens equo, primum eos, qui signa & vexilla præferebant, tum umbraculum gestaverant, & alios plerosq;, cum nobiles tum cives & scholasticos equestris ordinis auratos milites procreavit. Deinde Basilicæ amplissimam auratis laquеariis & Babylonicis peripetasmatibus suspensam, tapetisq; instratum, Principibus comitantibus, ascendit. Cernebantur ibi appensi laquearibus argenti polymixi pensiliaque candelabra, quæ luminosis cereis redolentibusq; lychnis referta, lumina late profundebant. Conspiciebatur ibi etiam extructus amplissimus abacus, varii generis aureis escariis & poculis, puta lancibus & lebertibus, œnophoris, amphoris, phialis, scyphis, cyathis, pateris, tragematariis miro artificio cælatis, gemmatisque calicibus, & id genus epitrapeziis confertus.

Ad

Ad caput autem Basilicæ, sub aureo conopæo Imperatoris mensa sita erat, & juxta non longe altera mensa, qua magnificentissimus Sabandiæ dux, cæteriq; Principes, qui coronationis insignia portârunt, recubituri essent. Erant etiam cæteris Principibus ac prælatis, primoribusq; satrapis suspensa peristromatibus & instrata aulæis, suisq; abacis & mensis magnifice parata cœnacula.

Iam hora aderat convivii, & instructis mensis, accumbebat summum thronum Imperator, ac deinde per ordinem cæteri Principes suas mensas accumbunt. Dantur aquæ manibus, & solenni oratione mensæ benedicitur.

Tunc primores satrapæ (Dapiferos idcirco vocât) præeuntibus cum suis scipionibus architriclinis; argenteis canistris panem, & auratis patinis varia tuccesa, leucophaga, fricellas, tortas, & quicquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, inferunt. Deinde secundis mensis grandioribus lancibus exquisitissimas per ordinem epulas copiose apponunt, assa, elixa, jusculenta, frixa, pastilia, promulsidaria, plutaria, crustulenta, aliaq; lautissimorum eduliorum genera, sapidissimis succorum multijugis condimentis suffusa, multa quoq; supra appetentiam discumbentium magnificentiæ causa illata sunt. Porro tertiis mensis, quæ cœnam clauderent, variegata coquinariis artificiis multarum figurarum tragemata bellariaq; ministrabantur: nec deerant toto convivio varii generis generosissima vina, stabantq; præsto pincernæ, pocula singulis pro libito ingerentes, propinatoresq; omnes epulas & pocula prægustabant.

Illud quoq; magnificæ liberalitatis spectaculum multis admirationi fuit, quod post singulas dapes levatæ mappæ & mantilia, una cum auratis argenteisq; patinis & lancibus, cumque cibariis à fenestris in forum præda plebi proiiciebantur, structoribus interea alia supra alia imponentibus.

Cumque jam absoluta esset cœna; dilutis pro more odoratissima manibus, remotis mensis, iterum solennibus redditæ sunt Deo gratiæ. Tunc Imperator, accepto in manus sacro gladio, plurimos rursus cum nobiles tum consulares viros ad equestris ordinis honorem dignitatemque provexit. Magna denique parte noctis transacta, Principes singuli, consalutato Imperatore, ad sua diversoria cubitum facessunt, populo *Bononiensi* adhuc pluribus florulentis diebus, ignitisq; noctibus festivitatis celebritatem jugiter continuante. F. Anno 1530.

Operæ pretium hic est contemplari pomposum, atque aureum Christi vicarium, qua humilitate, quâ devotione se gestari, & coli patiatur. Nempe Servus servorum hic est, quem Domini dominorum adorant, atque exosculantur.

Idem. Paulus tertius rubrum galerum, consuetis lenociniis & dolis instructus, sic meruit primum: Roderico à Borgiâ, Hispano, seu Alexandro sexto, Romano Pontifici sororem suam Iuliam Farnesiam stuprandam tradidit, ut Cardinalis & Episcopus Hostiensis fieret, ac se ære alieno liberaret. Sic enim solent Papæ teterrimis libidinibus æstuare, ut mitras & galeros illis promittant, qui ad se sorores violandas, aut quod dictu horribilius est, fratres iuniores adducant. His artibus multi perpinguia venantur beneficia. Nec est via ulla compendiosior. Matrem suam ac neptem impudens parricida veneno sustulit, ut omnis ad illû coräflueret Farnesiorum hæreditas. Alteram deinde sororem suam, cum qua rem habuerat, videns, quod nimis aperte Farnesiorum sequeretur mores, atque alios ardentius ad actum venereum, quam ipsum, amaret, toxico interemit.

Idem. Iam vero & magistratus, & variæ hominum sectæ sunt in Ecclesia, cum ad ornamentum religionis, tum pro servando sacrorum ordine, ne fiat confusio. Quicquid autem agitur in Ecclesia, sive ad ornamentum, sive ad ædificationem religionis, tam in deligendis magistratibus, quam instituendis ministris Ecclesiæ, nisi id fiat diviniSpiritꝰ instinctu, qui quasi anima estEcclesiæ, vanum est & impium. p. 128.

Quicunque enim ad magnum officium, & apostolatus dignitatem à Spiritu Dei vocatus non fuerit, sicut Aaron: & qui non ingressus fuerit per ostium, quod est Christus, sed aliunde in Ecclesiam ascenderit per fenestram, per favores hominum, per emtitias voces, per imperium principum, certe hic non est vicarius Christi, nec Apostolorum: sed fur & latro, & vicarius Iudæ Iscariotis, & Simonis Samaritani.

Hinc ab antiquis patribus, de electione prælatorum (quod sacer Dionysius vocat nominationis sacramentum) tam arcte statutum est, quod Pontifices & Apostoli, qui præessent ministeriis in Ecclesia, nominarentur viri vita & moribus integerrimi, potentes in doctrina sana de omnibus rationem reddere: sed antiquis patrum constitutionibus paulatim à sua majestate cadentibus, ac recentiore pontificio iure cum damnabili consuetudine invalescente, tales plerique super sedem Christi conscendunt pontifices & Apostoli, quales olim super sedem Moysi sedebant Scribæ & Pharisæi, qui dicunt & non faciunt, alligantes onera gravia in humeris populi, ipsi autem nolunt digito movere.

Hypo-

Hypocritæ sunt, omnia opera sua faciunt, ut videbantur ab hominibus, ostentantes religionem suam in scenis: cupiunt primas stationes in choro, in Synagoga: & ubique, in foro, in plateis rabbi, & magistri, & doctores vocari volunt, laudant viam cœlorum, & ipsi non introeuntes, etiam alios excludunt, & non sinunt intrare: comedunt domus viduarum, orationes longas factitantes, circumeuntes mare & aridam: seducunt & furantur pueros, nacto uno proselyto, exaugent perditum eorum numerũ, ut & ipsi perditi & addicti gehennæ igni, alios secum multo magis disperdant: suis commentis & traditionibus piissimas Christi leges labefactant: verum Dei templum, ac vivas Christi imagines, & aras animarum populi negligentis: aurum & oblationes auaro oculo curant, leviora & quasi sinistra legis facientes: de decimis, collectis, oblationibus, & eleemosynis accurate nova cudunt: & leges ceremoniarum arcte sanciunt, decimantes fruges, pecora, pecunias, & etiam quævis minima, mentham, anethum, cuminum, & de his canum more collatrantes à suggesto confligunt cum populo. Quæ vero graviora, & dexteriora sunt Evangelii & Legis, & justitiæ Christianæ, judicium, misericordiam, & fidem omnino negligunt: excolant culicem, deglutiunt camelum; cespitant ad lapidem, ingens saxum transiliunt: duces cæci, falsi & dolosi: genimina viperarum: tersi calices: sepulchra dealbata, foris in mitris, in pileis, in habitu, in vestitu, in cuculla ostendentes sanctimoniam, intus pleni spurcitia, hypocrisi, iniquitate, scortatores, saltatores, histriones, lenones, aleatores, temulenti, venefici, qui jam antea (quod notat Ioannes Carnotensis Episcopus) non ex virtutum meritis, sed aut per turpe obsequium, aut intuitu munerum, aut favore principum, aut vi armorum, ad sacerdotia, ad beneficia, ad Episcopatus conscenderunt: aut sub hypocrisis fuco hæc ad se traxerunt: ex bonis Ecclesiæ, quæ pauperum sunt, sibi privatas divitias cumulantes: monopolia & nundinas constituentes, eleemosynis parentum nostrorum abutentes in scortis, in venatione, in omni luxu & spurcitia,

Gaudent equis, canibusq, & aprici gramine campi.

Concutiunt populos, vexant regna, solicitant bella, diruũt Ecclesias, quas religiosorum patrum construxit devotio, ipsi extruentes palatia, incedentes in vestibus purpuratis & deauratis, magno plebis detrimento, & religionis infamia, ac reipublicæ insupportabili onere: quos non mercenarios pro pastoribus: non lupos pro mercenariis: sed pro lupis diabolos beatus ille Claravallensis Bernhardus in sermone ad generalem Remensem synodum, præsente Romano Pontifice, definivit.

Iam etiam ipse Romanus summus Pontifex (quod idem sanctus Episcopus Carnotensis conqueritur) omnibus gravissimus, & intolerabilis est, cujus pompam & fastum nullus unquam tyrannorum æquavit: atq; ii interim in se solis jactant religionis & Ecclesiæ statum consistere: cum religionis onera, & verbum Evangelij, quod verum pontificium munus est, in alios reiicientes, ipsi in condendis propriis legibus occupati, Ecclesiæ accipiant emolumenta, otiosi simul & flagitiosi. Et quia (ut aiunt) sedes ipsa Pontificia aut sanctos recipit, aut sanctos facit, hinc sibi nihil non licere putant: adeo, ut etiam sacris Ecclesiæ ceremoniis, quas sancti patres ad instruendos mortalium animos, & pro conferenda nobis Dei gratia, magna observantia instituerunt, nefaria voluntate pro sua libidine, impudenter flagitiosissimeq; abutuntur; cujusmodi exemplum de Bonifacio octavo Pontifice in Porchetum Cardinalem legimus apud Crinitum.

Hic est ille magnus Bonifacius, qui tria magna & grandia fecit: primum, falso oraculo deluso Clemente, persuasit sibi cedere aposto latum: secundum, condidit sextum decretalium, & Papam asseruit omnium dominum: tertium, instituit Iubilæum, indulgentiarum nundinas, illasque primum in purgatorium extendit.

Transeo cætera illa Romanorum pontificum monstra, quales Formosus Papa, & novem sequentes olim Ecclesiæ turpiter præfuerunt. Taceo etiam posteriores illos, Paulum, Sixtum, Alexandrum, Iulium, famosos Christiani orbis perturbatores. Prætereo Eugenium, qui ob violatum Turcæ iusiurandum Christianam Remp. in tot funestissima bella conjecit; ac si non etiam hosti fides servanda sit. Alexander sextus quanto Christianæ Reipublicæ damno Zizimum, Paiavathæ Turcæ fratrem veneno sustulerit, omnibus notum est. p. 129

Iamque ipsi etiam Romanorum pontificum legati, quod ait Carnotensis, & quotidiana experientia notissimum est, sic interdum in provinciis debacchantur, ac si ad flagellandum Ecclesiam egressus sit Satan à facie Domini: commovent & conturbant terram, ut videatur habere, quod oporteat sanare: lætantur, cum mala fiunt, exultantes in rebus pessimis:

Vixq, tenent lachrymas, cum nil lachrymabile cernunt.

Si-

siquidem peccata populi comedunt, & vestiuntur, & nutriuntur, & luxuriantur in eis. Sed habent virorum suorum efficacissimos titulos: nec quicquam illis obiici potest, quod non alicujus sanctorum exemplo constantissimè excusent, aut tueantur.

Nam si improperetur illis, quam indocti & illiterati: dicent, tales Christum delegisse apostolos, qui nec magistri legis nec Scribæ fuerint, nec Synagogas, nec scholas unquam frequentaverint. Si linguæ barbaries obiicitur: dabunt Moysen impeditæ linguæ, & Ieremiam nescientem loqui, quin & Zachariam, quod mutus esset, à sacerdotio non exclusum. Quod si etiam sacrarum literarum ignorantia, aut in fidelitas, aut error, aut hæresis obiiciatur, dicent: Ambrosium nondum Christianum, sed catechumenum adhuc, in Episcopum electum; & Paulum non ex infideli modo, sed ex persecutore ad apostolatum vocatum: Augustinum quoque aliquando Manichæum fuisse, & Marcellum martyrem in papatu idolis thura adolevisse. Quod si obiiciatur illis ambitio, exemplo illis erunt filii Zebedæi. Si timiditas, timidi erant Ionas & Thomas, ille ad Ninivitas, hic ad Indos accedere metuentes. *S*i perfidia, Petrus perfidiæ addidit perjurium. Si fornicatio Oseas meretricem, & Samson scorta complexi sunt. *S*i percussio, si homicidium, si militia: Petrus Malcho auriculam amputavit, Martinus Iuliano militavit, & Moyses Ægyptium interfecit, & abscondit in sabulo.

Adeo nihil penes eos refert, qualis quisque sit, qui accedat ad sacerdotia: atque tunc horum magistrorum gladio oportet ut quisque cervices suas supponat: gladio inquam, non gladio verbi Dei cuius ille custodes, & ministri esse debent: sed gladio ambitionis, gladio avaritiæ, gladio mulctæ & extorsionis, gladio mali exempli, sanguinis, & occisionis, quo armantur contra omnem veritatem, & iustitiam, & honestatem.

Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit, evertetq; aras respectus honesti.
Libertas scelerum est, qua regna invisa tuetur,
Sublatusq; modus gladii facere omnia sævè.

Non impunè licet illorum placitis contradicere, nec libidini eorum resistere: nisi quis paratus sit martyrium subire pro Christo: hoc erat excremari pro hæretico: quemadmodum Hieronymus Savonarola, Prædicatorii ordinis, Theologus simul, ac propheticus vir, olim apud Florentiam exustus est.

Verum quoniam omnis potestas bona est, quia à Deo est, à quo sunt omnia, & omnia bona: & licet utentibus aut patientibus aliquando mala sint, universitati tamen semper bona sunt, providente sic illo, qui benè utitur malis nostris. Propter multitudinem enim delinquentium superinducit Deus tyrannos, & peccata populi faciunt regere hypocritam.

Quicunq; igitur à Domino est constitutus Episcopus in Ecclesia, dignum & justum est obedire illi, & non contradicere. Qui enim Episcopo & Sacerdoti obedire contemnit, non illum, sed Deum contemnit: quemadmodum de contemtoribus Samuelis ille locutus est, inquiens: Non te spreverunt: sed me. Et Moyses adversus populum murmurantem ait: Non adversus nos murmuralstis: sed adversus Dominum Deum.

Non igitur inultus permanebit à Domino, qui se contra Episcopum, & Prælatum suum opposuerit. Datan & Abiron restiterunt Moysi: & terra vivos absorbuit. Multi cum Chore conspiraverunt adversus Aaron: & igne consumti sunt. Achab & Iezabel persecuti sunt prophetas: & canes comederunt eos. Egressi sunt pueri, ut illuderent Helisæo: & ursi dilaniarunt illos. Ozias contra sacerdotes sacerdotium sibi arrogare ausus, leprosus factus est. Saul, quia præter Samuelem Sacerdotum principem sacrificare præsumsit, regia unctione simul, & prophetico spiritu privatus à Deo, datus est spiritu malo.

Infidele est sacris Scripturis non credere: impium est sacerdotes spernere. Boni sunt sacerdotes, melior Episcopus, super omnes sanctissimus summus pontifex, princeps sacerdotum, cui creditæ sunt claves regni cœlorum & commissa sunt secreta Dei, princeps quidem secundum Deum, pontifex secundum Christum: quem qui honorat, honorabitur à Deo, qui inhonoraverit, inhonorabit illum Deus, & ultionem evadere non poterit.

Ibidem. Quid possit auricularis nostra confessio, ipsa tripartita indicat historia: nec desunt mihi, si referre velim, cognita recentia exempla. Habent enim sacerdotes, monachi, fraterculi, moniales, & quas vocant sorores, specialem lenociniorum prærogativam: cum illis religionis prætextu liberum sit quocunque, pervolare, & quibuscunque quantum, & quoties libet, sub specie visitationis, & consolationis, aut confessionis, secreto & sine testibus loqui.

Nam pie personata sunt illorum lenocinia, & sunt ex illis, quibus pecuniam tetigisse piaculum est: & nihil illos movent verba Pauli dicentis: Bonum est,

mulierem non tangere, quas illi non raro impudicis contrectant manibus. Et clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant sacras virgines, vitiant viduas: & hospitum suorum adulterantes uxores, nonnunquam etiam, quod ego scio, & vidi, Iliaci prædonis instar abducunt, & Platonica lege compopularibus suis communes prostituunt: & quarum animas lucrati debent Deo, illarum corpora sacrificant Diabolo: aliaq; his multò sceleſtiora, & quæ nefas est loqui, insana libidine perpetrant, interim castitatis voto abunde satisfacientes, si libidinem, si luxuriam, si fornicationem, si adulteria, si incestum verbis acerrime incessant, detestenturq; , & de virtute locute clunes agitent. Sed flagitiosissimi lenones, sceleſtissimæque lenæ sæpe sub illis religonum pellibus delitescunt. Tales habent aulicæ dominæ plerumq; sacrorum suorum mystas, & aulicarum nuptiarum scortationumq; consultores.

Idem. Nulla lenociniis accommodatior ars, quam medicina, quæ concupitam venerem a quavis pathica puella facilè obtinet, dum pollicetur, resarcinato hymenæo, amissam virginitatem restituere, papillas, ne excrescant, cohibere, uterum prohibere, sterilitatis venena in longam securamq; libidinem ministrans, aut quassata spina conceptum semen eiicere docens, ut canit Lucretius:

Idq; sui causa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebrò, gravidæq; jacerent,
Et simul ipsa viris Venus & concinnior esset.

Qui uno medicorum beneficio jam multæ matronæ simul & puellæ, aulicæ etiam dominæ securæ fuerunt: faciunt ad hanc rem etiam vetularum incrustationes & reliqui meretricantium mulierum fuci, qui apud medicos in libris de decoratione passim traduntur, docenturque, quibus noxias meretricum merces vendibiliores reddant, quæ idcirco sacræ literæ vocant unguenta meretricia, & cum istis alia permulta pharmaca libidinum incentiva: cujusmodi ope gloriatur Ovidius ad novenarium numerum se inscendisse, & Theophrastus scriptam reliquit plantam quandam, ad septuagesimum coitum vires extendentem.

Iam verò nullum lenocinium opportunum tempestiuumq; magis, quam quod medicinæ prætextu peragitur, nulla siquidem domus tam clausæ, nulla monasteria tam reclusa, nulli carceres tam custoditi, quæ non admittant, quæve excludant lenonem medicum: à quibus (teste Plinio) etiam in Principum domibus adulteria perpetrata sunt, ut Eudeni in Livia Drusi, & Vectii Valentii in Messalina Claudii.

Idem. Sed & recentioribus temporibus Sixtus Pontifex Maximus Romæ nobilè admodum lupanar exstruxit, Leno fuit Imperator ille Heliogabalus, qui domi suæ meretricum cohortes aluit, amicisq; & servis exhibuit. Iam vero etiam reginarum, cæterarumque principum, & dominarum nonnunquam id curæ est: atque regum matres nonnunquam filiorum suorum lenæ sunt.

Neque præterea optimates magistratusque id officii abhorrent: quippe lenones olim fuerunt Corinthii, Ephesii, Abydeni, Cyprii, Babylonii, & multi alii magistratus, qui in civitatibus suis lupanaria construunt foventque, nonnihil ex meretricio quæstu etiam ærario suo accumulantes emolumenti: quod quidem in Italia non rarum est, ubi etiam Romana scorta in singulas hebdomadas Iulium pendent pontifici: qui census annuus nonnunquam viginti millia ducatos excedit: adeoque Ecclesiæ procerum id munus est, ut una cum Ecclesiarum proventibus, etiam lenociniorum numerent mercedem.

Sic enim ego illos aliquando supputantes audivi: habet (inquientes) ille duo beneficia, unum curatum aureorum viginti, alterum prioratum ducatorum quadraginta: & tres putanas in Burdello, quæ reddunt singulis hebdomadibus Iulios viginti.

Iam verò nihilominus lenones sunt Episcopi illi, & officiales, qui censum pro concubinatu à Sacerdotibus quotannis extorquent: idque tam palam, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa eorum concubinaria exactio, sive lenocinium, quod dicunt: habeat vel non habeat, aureum solvet pro concubina, & habeat si velit.

Sed in regno avaritiæ nihil turpitudini adscribitur, quod lucrum parit. Mitto tolerantiæ commentum, quo certa pecunia Episcopis soluta, absentis mariti uxor, præter adulterii (ut dicunt) offensam, alteri cohabitare permittitur. Quæ omnia tam manifesta sunt, atque frequentia: ut nescire cogamur, Episcoporum ne impudentia, an plebis patientia hactenus fuerit ineptior: ut tandem opus fuerit Germaniæ principibus, inter cætera nationis illius gravamina, hæc quoque deferre: ex quibus quæ hic silentio premuntur, elicere poteritis.

Ejusmodi igitur patronos habet ars Lenonia, quique tueantur artem metriciam: cui in hunc usque diem proh dolor in Christiana repub. locus est: & in civitatibus publica theatra, immunitates & stipendia concessa sunt, unica illa contra divinas leges, atque ipsum Dei verbũ humanæ

phanâ ratiuncula; sive potius lenonio commento militante, qua in quiunt, ut juventus egesto illic libidinis impetu pejora conari desistat. Tolle (ajunt) de Reipub. meretrices, cuncta stupris, incestis, adulteriis permiscebuntur: nulla matrona integra manebit: nulla vidua pudicitia incolumis persistet: vix virgines ac vestales inviolatæ servabuntur. Hinc tandem impossibile esse concludunt, reipublicæ tranquillitatem sine meretricib. posse consistere: sine quibus tamen populus Israel olim per tot secula continentissime duravit, sicut præcepit illi Deus: Non erit meretrix, neque scortator in filiis Israel.

p.i11. Atq; præterea hæc spurcitia olim etiam sub religionis specie Ecclesiam insiliit, ac Nicolaitarum hæresim propagavit, qui ob vitandam zelotypiam uxores prostituebant, ac veluti Platonia lege communes habendas docebant.

Quicunque autem Principes, judices & magistratus lupanaria fovent, sive quovis modo permittunt: etiam licet ipsi non scortentur: dicetur eis à Domino, quod ait Psalmista: si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Hæc fecisti, & tacui: existimasti inique, quod ero tui similis: sed arguam te, & stabo contra faciem tuam.

Idem. Iam vero hæc valida mendicitatis lues non inter prophanos modo; & extremæ fecis vilissimos nebulones hospitatur, sed etiam in religionem, in monachorum, & sacerdotum usque ordinem conscendit. Hinc illæ fratrum, monachorum, cæterorumq; quæstuariorum sectæ natæ sunt: è quorum numero sunt, qui malefica religionis specie, divorum (ut ajunt) reliquias circumferentes, aut insidiosa sanctitate pietatem præ se ferentes, cum multis confictorum miraculorum appendicibus, divorum iras comminantes, indulgentias, & dispensationes pollicentes, eleemosynarum prætextu venantur divitias: atq; provincias peragrantes, ab incautis rusticis, ac credulis mulierculis superstitiose attonitis, ovem, agnum, hœdum, vitulum, porcum, pernas vinum, oleum, butyrum, triticum, legumina, lac, caseos, ova, gallinas, lanã, linum, etiam pecuniam corradentes, universam regionem deprædantur, ac onusti opimis spoliis, domum redeunt: ubi à suis magno omnium applausu accipiuntur, collaudanturque: quod simplici plebi piisque mulierculis tam religiose imposuerunt: putantq;, per hujusmodi mendicitatis artes, insignesque fraudum versutias, sese Deo atq; Sanctis sanctissima offerre sacrificia, quoties ad istum modum onusti præda, magno populi dispendio, ac reipub. detrimento, sui famulitii satellites saginent ociosos, ipsa misericordiæ opera, quorum prætextu tanta donaria illis conferuntur, penitus posthabẽtes, negligentes, & contemnẽtes.

Lusit olim istorum fabulam Apuleius in suo asino de sacerdotib. Deæ Syrist. Accedunt istis multi admodum ex fratrum mendicantium, atq; beguardorum (ut vocant) numero, qui postergata professionum suarum sanctimonia, quæstum cum pietate commutarunt: ac si non in aliud religionem professi sint, quam ut sub paupertatis titulo liceat illis impudenti mendicitate quocunq; pervolare: & perfricata fronte, importuna hypocrisi undique pecunias corradere: nullius quæstus pudere: ac insigni sycophantia in choris, in templis, in scholis, in aulis, in palatiis, in publicis & privatis colloquiis in confessionib. in concionib. è subselliis, è cathedris, è pulpitis, è suggestis impudentiæ suæ arcus spargere in vulgus: indulgentiarum merces vendere: sua benefacta ementiri ceremoniis: & à mercatoribus, & à nobilib. prædonib. male partorum prædam extorquere: & à crassis civibus, & indocta plebecula, superstitiosisque aniculis emungere nummos, ac serpentis exemplo, stultas mulierculas primum allicere, & per illas sibi aditum parare ad fallendos viros: qui cum affectata vestium vilitate paupertatem ostendunt, & vociferando prædicant, spernendam pecuniam, fugiendam ambitionem, ipsi nihil magis curant, quam ut plurimum pecuniæ possideant, atque ob id causæ mare & aridam circumeunt, omnium domus & tabernas penetrant, nec sacra nisi pro mercede ministrant: eleemosynas quam tyrannice, tanquam tributum, postulant: omnium negotiis se miscent, compingunt matrimonia male cohærentia: intervertunt testamenta: componunt lites: reformant sacras virgines: sed omnia hæc nõ nisi suo compẽdio.

Hæ sunt artes fratricæ: quib. plerique illorum in tantam excreverunt authoritatem, ut timori sint ipsis pontificibus & monarchis: divitiasq; plus quàm mercatorum opes, ac principum thesauros congesserint, & multis aureorum millib. mitras & capella mercati sint, summumq; pontificatum ingentib. pecuniis ambierunt. Tanta potest religiosa illa mendicitas. Cumq; ingentes possideant pecunias: pleriq; interim severam paupertatem, & plus quam evangelicam perfectionem præstare ostentant: etsi hanc nudis digitis non contrectant: sed habeant suum Iudam, qui illorum gerat loculos, & rationem reddat: interea dicere ausi, sicut Petrus & Ioannes, argentum & aurum non est mecum.

Quod si hi hic non mentirentur, & fidelis sit sermo eorum: haberent etiam jus dicendi: surge & ambula. Et cum beato patre Francisco pecuniis pariter & vitiis nudato, imperarent creaturis, & obedirent, aquam in vinum converterent, flumina siccis pedibus transirent: rabidos lupos mansuetos redderent: hirundinum garritum solo jussu compescerent: falconem veluti gallum excitatorem redderent: igni præciperent: & multa eius generis, quæ sanctus ille vir miracula fecit, peragerent. Sed non faciunt hæc omnes, qui dicunt, Domine, Domine: & velut Stoicæ simiæ exterius duntaxat Christi, & Francisci insignia, & vestes gerunt: voluntatem autem, & testamentum illorum non observant.

Scripserunt contra istos quondam Episcopus Richardus Armachanus, & Malleolus præpositus Tigurinus, & Ioannes Episcopus Carnotensis, & plerique alii commeminerunt: quorum scripta tolerabiliora forent: si non adeo religiosam hanc mendicitatem, sed illius abusum duntaxat damnassent. Verum de his modo satis, ut ad ulteriora progrediamur.

Idem. Imaginum itaq; cultum jam ab antiquo non omnes populi admiserunt. Siquidem Iudæi (ut narrat Iosephus) nihil magis exhorruerunt quam simulacra: nec aliquam effinxerunt imaginem eius, quod coluerunt, neque eorum quorum memoriam tenuerunt. Lex siquidem Dei per Moysen prohibuit illis simulacra fieri, aut in templis poni, aut oderare coram eis

P. 128 Apud Seres populos (teste Eusebio) etiam lege cautum erat, ne simulacra venerarentur. In Romanorum quoque templis, apud Clementem & Plutarchum, ex decreto Numæ, annis centum & septuaginta ab urbe condita, nullam imaginem, neque fictam neque pictam esse conspectam, legimus. Augustinus quoq; idem testatur, autore Varone, cujus (inquit) verba clarissime testantur, nullum fuisse simulacrum deorum per annos centum sexaginta, factumque deinceps, ut ex imaginum ac statuarum multitudine religionis cultus negligeretur, atq; contemtui haberetur.

Persæ (etiam testibus Herodoto & Strabone) statuas non extruebant. Ægyptiorum autem in istis summa erat impietas & stultitia, exinde in omnes gentes derivata, qui quidem corruptus gentilium mos, & falsa religio, cum ipsi ad Christi fidem converti cœperunt, nostram quoque religionem infecit, & in nostram Ecclesiam simulacra, & imagines, multasq; pomparum steriles ceremonias introduxit, quorum nihil omninò fuit apud primos illos, & veros Christianos. Nec dici potest, quanta superstitio, ne dicam idololatria, penes rudem, & indoctam plebem alatur in imaginibus, conniventib. ad ista sacerdotibus, hinc non parvum lucri quæstum percipientibus.

Atque hinc tuentur se Gregorii verbis dicentis: imagines esse libros vulgi, ut possit rerum memoria retineri, atque in his legant, qui literas nō didicerunt, illisque conspectis ad Dei contemplationem trahantur. Verùm hæc sunt excusantis Gregorii humana commenta, licet Sanctus ille vir imagines probet, non cultum. Non enim decet nos ex vetito imaginum libro discere, sed ex libro Dei, qui est liber Scripturarum.

Qui ergo cupit Deum nosse, non requirat ex imaginibus pictorum, & statuariorum: sed (ut inquit Ioannes) scrutetur scripturas, quæ testimonium perhibent de illo. Qui autem nesciunt legere: ii audiant verbum scripturæ. Fides enim eorum (ut ait Paulus) ex auditu est. (Non ex visu.) Et Christus apud Ioannem ait: oves meæ vocem meam audiunt. Iamque etiam, si (quod ait Christus) nemo potest venire ad eum, nisi pater traxerit illum: & nemo venit ad patrem, nisi per ipsum Christum, cur auferimus gloriam Deo, tribuentes illam picturis, & statuis: ac si possent trahere in contemplationem Dei?

Ibidem. A jure civili dimanavit canonicum sive pontificium, quod plerisque sacrosanctissimum videri posset: tam ingeniose avaritiæ suæ præcepta, ac rapiendi formulas specie pietatis adumbrat: cum tamen paucissima in eo statuantur ad pietatem, religionem, ac Dei cultum, Sacramentorumque ritus spectantia: taceo, quod nonnulla Dei verbo contraria, aut repugnantia. Cætera omnia non nisi jurgia, lites, fastus, pompæ, tum quæstus, ac lucri negotia, pontificumque Romanorum placita: quibus neque satis sunt, qui olim à Sanctis patribus conditi sunt, omnes canones: nisi his continuo accumulent nova decreta, paleas, extravagantes, declaratorias, cancellariæ regulas: ut nullus sit condendorum canonum finis, neq; mensura, quæ una omnium Romanorum pontificum ambitio, atque libido est, condendorum scilicet novorum canonum: quorum eo usque excrevit arrogantia, ut angelis cœlorum præciperent, & ex inferno sublata præda rapinam facere præsumerent, & in mortuorum manes manes mitterent: etiam in divinam legem, interpretando, declarando, disputando, nonnunquam tyrannidem exercerent, ne quid plenitudinis aut potestatis suæ posset deesse, aut derogari.

Nonne

Nonne Clemens Papa in bulla, quæ hodie adhuc Viennæ, Limonis, Pictavii in privilegiorum scriniis plumbata servatur, præcipit angelis de cœlo, quod animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis, à purgatorio absolutam, ad gaudia perpetua introducant? insuper inquiens, nolumus, quod pœna inferni sibi, aliquatenus infligatur: concedens insuper cruce signatis ad eorum vota tres aut quatuor animas, quas vellent, è purgatorio posse eripere, quam erroneam intolerabilemq; temeritatem, ne dicam, prope hæresim, tunc Parisiensis schola palam detestata est, atque corripuit: sed fortassis pœnitens hodie, quod non hyperbolicum illum Clementis zelum pio aliquo commento interpretati sunt, ut res valeret potius, quam periret: cum propter eorum affirmare vel negare nihil mutatur in re, & authoritate summi pontificis: cum jus, canones, decreta ipsam Theologiam totam sic adstrinxerunt, ut nullus, quantumcunque contentiosissim⁹ Theolog⁹ quicquam audeat statuere, nedum opinari aut disputare à pontificium canonibus diversum, absq; protestatione & venia: ceu de Rufo canit Martialis. (*Rufo*:

Quicquid ait Rufus, nihil est nisi venia
Si gaudet, si flet, si tacet, aut loquitur.
Cenat, propinat, poscit, negat innuit, una est
Venia: si non sit venia, mutus erit.

Ex horum præterea canonibus & decretis didicimus, Christi patrimonium esse regna, castra, donationes, fundationes, allodia, opes ac possessiones: ac Sacerdotium Christi, Ecclesiæque primatum esse imperium, regnum: & gladium Christi esse jurisdictionem, ac potestatem temporalem: & petram ac Ecclesiæ fundamentum, esse personam Pontificis: Episcopos esse Ecclesiæ non ministros modò, sed capita: & bona Ecclesiæ non modò esse doctrinam Evangelicam, ardorem fidei, contemtum mundi: sed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, potestatem: summi pontificis esse gerere bella, dissolvere fœdera, solvere juramenta, absolvere ab obedientiâ, & domum orationis facere speluncam latronum: ita, quod potest Papa Episcopum deponere sine causa: quòd potest dare rem alienam: quòd non potest committere simoniam: quòd potest dispensare contra votum, contra juramentum, contra jus naturale, & nemo habet illi dicere, cur ita facis? Posse insuper gravi, dicunt, aliquâ de causa dispensare contra totum novum testamentum, & etiam vel tertiam partem, & ultra, fidelium animas in infernum pertrahere.

Episcoporum verò officium esse jam non prædicare verbum Dei: sed datis alapis confirmare pueros: conferre ordines: dedicare templa: baptizare campanas, consecrare aras & calices: benedicere vestes & imagines. Quibus verò super hæc altius ingenium est: ij relinquentes illa nescio quib. titularib. Episcopis, ipsi regum funguntur legationibus: illorum præsunt oratoriis, aut comitantur Reginas: magnam satis, & grandem ob hanc causam excusati, ne serviant Deo in templis, si magnificè venerentur Regem in aulis.

Ex ijsdem fontibus prodierunt cautelæ istæ, quibus hodie citra simoniam Episcopatus, & beneficia emuntur venduntur que, & quicquid præterea est nundinationum & monopoliorum in gratiis, in condonationib. in indulgentiis, in dispensationibus, & similib. rapinarum formulis, à quibus etiam in gratuitis ab ipso Deo factis peccatorum remissionibus precium statutum est, & in inferorum pœnis inventum est lucrum.

Insuper & juri huic debetur ementitia illa Constantini donatio: cùm reverà atq; contestante Verbo Dei, nec Cæsar sua relinquere, nec clerus, quæ Cæsaris sunt, sibi debeat usurpare.

Sed ex multis admodum ambitionis, superbiæ ac tyrannidis legibus, duntaxat aliquas vobis referam, quò ijs, quæ nunc diximus, faciant fidem. Scrutamini igitur, si libet, in decretalibus cap. Significasti, c. venerabilem. de elect. c. solitæ de ma. & obed. c. cum olim de privileg. c. summus pontifex de sent. ext. c. inter cætera de off. iud. ord.

Deinde in sexto Decret. quem compilavit *Bonifacius* octavus, videte, quid loquatur in illius prologo: & in c. 1. de immunitate Ecclesiarum: neq; cedit illis illa Clementina pastoralis de sen. & re jud. cum extravagante Ioan. 22. quæ incipit: Ecclesiæ Romanæ. & alia ejusdem super gentes, & extravagans Bonifacii 8. unam sanctam.

Ex compilatione deniq; *Gratiani* occurrunt nobis c. si cujus. d. 14. c. si omnes. d. 18. c. si omnes. & cæt. è numero c. in memoriam. c. si Romanorum. d. 19. c. omnes. D. XXII. c. tibi domino. d. 60. Constantinus. d. 96. & cæt. Quando. d. 86. & gl. ibid. & c. si Papa. d. 60. Porro etiam accedunt istis q. 9. 3. c. cuncta. & cæt. conquestus. 25. q. 6. c. autoritatem. xvij. q. iiij. Nemini. xxi. q. v. sunt qui xxiij. q. v. omnium. & q. viij. c. Omni. xxx. q. i. 2. Omnia.

Hos & horum simul canones qui diligenter examinarit: comperiet, cujusmodi sint illa magna, & admirabilia, & abscondita mysteria, quæ aliqui Romani pontifices in suis canonib. fructificant, etiam ea, quæ alicubi dicuntur in Scripturis sacris, convertentes, & nonnunquam adulterantes, atq; illis suis figmentis assimilantes, & adaptantes.

Hinc illæ, quas uocant concordantias bibliæ, & cannum. natæ ſunt. Accedunt iſtis tot rapinarum tituli de palliis, de indulgentiis, de bullis, de confesſionalib. de indultis & reſcriptis, de teſtamentis, de diſpenſationib. de privilegiis, de electionib. de dignitatibus, de præbendis, de religioſis domibus, de ſacris ædibus, de immutationibus, de foro, de judicio, & eiuſmodi reliquis.

Deniq; totum ipſum jus canonicum omnium eſt conſtantisſimū, ac ipſo Proteo, atq; Chamæleonte mutabilius, ac Gordio nodo magis implicitum: ipſaq; Chriſtiana religio, à cujus ordine Chriſtus finem impoſuit ceremoniis, nunc hoc canonum jure plures habet, quam umquam habuerunt olim Iudæi, quorum pondere addito, ipſum leve, ac ſuave Chriſti jugum nunc redditum ſit omnium graviſſimum, coganturq; Chriſtiani plus canonū præſcripto, quam ex ipſo vivere Evangelio.

Tota autem utriuſq; juris peritis, non niſi circa caduca, fragilia, fluxa, inania, ac prophana negotia, vulgiq; commenta atq; contumelias: tum circa hominum cædes, furta, compilationes, graſſationes, factiones, conſpirationes, injurias, proditiones verſatur. Accedunt ad hæc perjurationes teſtium falſifica ſcribarum, prævaricationes cauſidicorum, corruptiones judicum, ambulationes conſiliariorum, rapinæ præſidum: quib. opprimūtur viduę, proſternūtur pupilli, exulāt probi, proculcantur pauperes damnātur innocentes, atq;, ut eſt apup Iuvenalem:

Dat veniā corvis, vexat cenſura colūbas.

Et cæci homines, quæ putaverunt per leges & canones poſſe evitare, ſibi paraverunt & incurrerunt: quia non ſunt hæ leges & canones à Deo, nec ad Deum, ſed à corrupta hominum natura, ingenioq; profecta, & ad quæſtum, & avaritiam excogitata.

Idem. Spectant ad hunc cœtum etiam ordinis prædicatorum hæreticorum inquiſitores: quorum juriſdictio cum tota in theologicis traditionib. & Scripturis ſacris fundata eſſe deberet: ipſi tamen hanc omnem ex jure canonico, pontificiis decretis, ac ſi Papam errare impoſ-
p. 134. ſibile ſit, crudeliſſime exercent: ipſam Scripturam ſacram, velut mortuam literam, & non niſi umbram veritatis, à tergo relinquentes: & veluti hæreticorum, ut ajunt, ſcutum, & propugnaculum procul reiiciunt.

Neque etiam antiquorum doctorum patrumque raditiones recipiunt dicentes: quia falli poſſunt, & fallere: ſed unam Romanam Eccleſiam, quæ ut dicunt errare non poteſt: cujus caput Papa eſt, ejuſq; curiæ ſtylum ſibi ſcopum fidei præfigunt: non aliud cum inquerendo expoſtulantes, quam ſi credat in Romanam Eccеſiam: quod ſi affirmārit, illico dicūt: Eccleſiam Romanam hanc propoſitionem, ut hæreticam, aut ſcandaloſam, aut piarum aurium offenſivam, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, derogativam damnat, moxq; ad palinodiam & revocationem compellunt.

Quod ſi tunc inquiſitus opinionem ſuā Scripturæ teſtimoniis, aliiſue rationibus tueri conetur: interrumpentes ſtrepitu iratis buccis, dicunt: illi non eſſe negotium cum baccalaureis, & ſcholarib. ad cathedram, ſed cum judicibus ad trabunalia non eſſe ibi litigandum & diſputandum ſed ſimpliciter reſpondendum, ſi velit ſtare decreto Romanæ Eccleſiæ, & opinionem ſuam revocare: ſin minus, faſciculos & ignem oſtendunt, inquientes, cum hæreticis non cum argumentis & Scripturis, ſed cum faſciculis & igne eſſe decertandum: hominemq; nec pertinaciæ alicujus convictum, nec meliora edoctum, contra conſcientiam ſuam ſua abjurare compellunt: quod ſi nolit, veluti Eccleſiæ deſertorem ſeculari foro tradunt, ut comburatur, dicentes cum Apoſtolo: auferte malum de medio veſtri. Tanta olim fuit Eccleſiæ manſuetudo, pontificumq; clementia, ſicut in quarta diſtinctione de conſecratione compilavit Gratianus, ut nec relapſos in Iudaiſmum capite punirent, nec blaſphemos ſupplicio afficerent: ipſeq; Berengarius in abominabilem hæreſim relapſus, non ſolum non occiſus, ſed nec Archidiaconi dignitate privatus eſt.

At hodie in minimum errorum prolapſus, pluſquam capitis reus agitur & ab iſtis inquiſitorib. nonnunquam pro minimo crimine traditur incendio.

Forte expedit hodie Eccleſiæ tam ſevera animadverſio: modo interea non occidat Germana pietas. Sunt hæreticæ pravitatis inquiſitores ipſimet pravi, poſſuntq; etiam eſſe hæretici: quæ res novæ conſtitutionis Clementi occaſionem præbuit. Debent ergo inquiſitores contra hæreticos non per tenebricoſa argumenta, & rixos ſyllogiſmos ſed per verbum Dei de fide catholicā diſputare, & hæreticum per ſacras literas convincere: deinde juxta canonum documenta, & ſacrorum conciliorum conſtitutiones negotium terminare, & inquiſitum ad fidem orthodoxam reducere, aut hæreticū declarare.

Neq; enim hæreticus eſt, qui temerarius non eſt: nec fautor hæreticorum cenſendus eſt, qui innocentem criminis & indamnatum hæreſeos defendit, quo minus ad iniquorum aliquot inquiſitorum, imo rapacium luporum tribunal, & in locum non tutum tradatur dilacerandus.

Iam etiam cum jure expreſſe cautum ſit, inquiſitores nec cognoſcendi poteſtatē,

nec

ere jurisdictionem vllam habere super quovis Hæresis suspicione, defensione, receptatione, vel favore, ubi & quando non constat manifeste, quod ibi sit hæresis expressa, & explicite condemnata: tamen isti sanguisitibundi vultures, ultra privilegia officij inquisitionis sibi concessa, contra jura & canones sese jurisdictioni ordinariorum ingerunt, arrogantes sibi jurisdictionem pontificum in ea, quæ non sunt hæretica, sed duntaxat piarum aurium offensiva, aut ita scandalosa, aut alio quovis modo circa hæresin erronea: & in rusticas mulierculas crudelissime sæviunt, quas sortilegij aut maleficij accusatas denunciatasve, sæpe nullis juridicis indicijs præcognitis, atrocibus enormibusque tormentis exponunt: donec extortis nunquam cogitatis confessionibus, habeant quod condemnent, & tunc vere sese inquisitores agere putant, quando non desistunt ab officio, donec mitera sit combusta, aut inquisitori manum inauraverit, quo misereatur, & tanquam tormentis sufficienter purgatam, absolvat.

Potest enim inquisitor non raro pœnas mutare, de corporali in pecuniariam, & suo inquisitionis officio applicare. Vnde illis non modicum lucrum est, habentq; ex illis miseris non paucas, quæ annuum illis censum pendere coguntur, ne denuo rapiantur ad inquirendū. Præterea cum bona hæreticorum Fisco proscribuntur: etiam inde non parva præda est inquisitori. Sola denique accusatio aut denunciatio, vel levissima etiam suspicio hæresis aut sortilegij, ipsaque inquisitoris scitatio, infamiam annexam habent, cuius integritati non, nisi data inquisitori pecunia, consulitur, atq; illud non nihil est.

Hac cautela, dum essem ego in Italia, plerique inquisitores in ducatu Mediolanen simultas honestissimas matronas etiam ex nobilioribus vexarunt, ingentemq; pecuniam à timidulis territisque clam emunxerunt. Tandem cognita fraude, à nobilibus male mulctati sunt, vixq; gladium, & ignem evasere.

Fuit mihi olim, cum apud Mediomatricos reipub. à consilijs avocatus ut præessem, gravis admodum cum inquisitore quondam pugna, qui rusticam mulierculam ob futiles quasdam, & iniquissimas calumnias in suam carnificinam, & in locum non debitum homo nequam nequiter traxit non tam inquirendam quam trucidandam. Hanc ego cum tuendam suscepissem, ostendissemq; in ipsis actis nihil esse indicij, quod ad quæstionem faceret, ille in faciem resistens, est, inquit, unum sufficientissimum. Nam mater illius quondam pro sortilega cremata est.

p. 135.

Hunc articulum ego cum impertinentem, & de facto alieno citatis juribus, etiam ex judicis officio rejiciendum esse, ostenderem: ille mox contra (ne sine ratione locutus videretur) ex mallei maleficarum penetralibus, & peripateticæ Theologiæ fundamentis, talem eduxit, inquiens: ideo id esse, cum quia solitæ sint maleficæ mulieres fœtus suos illico natos sacrificare dæmonibus, cum quia soleant illos ex incuborum dæmonum concubitu plurimum concipere: quocirca contingit tunc, in hac prole, veluti ex hæreditario morbo, radicatam remanere malitiam.

Infero ego, siccine tu perverse theologizas? Hisce figmentis ad torturam protrahis insontes mulierculas? istis sophismatibus alios judicas hæreticos? tu ipse Fausto Donatoque hæreticis ea sententia non inferior: esto ita, ut dicis: nonne evacuas gratiam baptismi? ac frustra dixerit Sacerdos, exi immunde spiritus, da locum Spiritui sancto, si propter sacrificium impiæ parentis proles remansura sit diabolo.

Quod si tibi libeat etiam illorum opiniones tueri, qui incubos dæmones generare posse fatentur: certe nullus eorum, qui hoc asserunt, adeo desipuit unquam, ut sentiret, dæmones ipso una cum suffurato semine aliquid de natura sua extra mittere in genitū. Quin ego tibi dico, inquam, ex fide, quod ex propria natura humanitatis nostræ, sumus omnes nati una massa peccati, & maledictionis æternæ, filij perditionis, filij iræ DEI, & hæredes inferni: sed per gratiam baptismi ejectus est de nobis Sathanas, & effecti sumus nova creatura in Iesu Christo: à quo nemo potest nisi per peccatum proprium separari, tantum abest, ut obsit illi factum alienum. Vides nunc, quam sit hoc tuum, quod ais, sufficientissimum judicium jure irritum, & ratione vacuum, & assertione etiam hæreticum?

Incanduit super ijs crudelis hypocrita, & comminabatur, sese adversum me, ut contra fautorem hæreticorum, causam acturum. Ego misellam illam defendere non destiti, hac tandem juris potentia ab ore Leonis illius salvam eripui. Fuit ita sanguinolentus ille monachus coram omnibus confusus, & crudelitatis nomine perpetuo infamis: etiam calumniatoribꝰ illis, qui mulierem traduxerant, metensis Ecclesiæ capitulo, cujus subditi erant, insigni mulcta condemnatis.

Idem. Sed auarum sacerdotale genus, auari homines, non modo ex lignis & lapidibus, sed etiam ex mortuorum ossibus, & sanctorum martyrum reliquijs materiam auaritiæ suæ captantes, suæ rapinæ instrumenta fecerunt. Attolunt sepulchra

chra confessorum: exponunt reliquias martyrum: vendentes illorum contactus, oscula: exornant eorum simulachra: & festa illorum magis pompis decorant: prædicant illos sanctos, & extollunt magnis præconijs: vitam autem illorum, quos tantopere laudant, longissime fugiunt.

Nonne istis locutus est Salvator? Væ vobis, qui ædificatis sepulchra prophetarum, similes illis, qui occiderunt eos? Proinde gentilium more sanctis ipsis officia distribuunt: & hunc cum Neptuno aquarum periculis subvenire: illum cum Iove fulmen incutere, aut cum Vulcano Ignem: alium messes curare cum Cerere: alium præesse vitibus cum Baccho.

Et habent mulierculæ suas divas, à quibus ceu à Luciná, aut Venere petant, & quæ cum Iunone iratos placant, vel vindicant maritos. Iam vero etiam sunt, qui furta, & amissa, seu perdita recuperare faciunt: atque nullum morbi genus est, quod inter divos non habeat suum medium: quæ causa est, quo minus lucrentur medici, quam causidici, cum nulla sit lis tam pusilla, tam iusta, quæ divũ aliquem habeat patronum.

Idem. Sic postmodum in Ecclesiâ ab Apostolis, Evangelistis, pontificibus, sacerdotibus, & doctoribus factum, ut illam pijs quibusdam ceremonijs eleganti busque ritibus, & institutis, tanquam sponsam ornatam viro suo, decorarent. Multa insuper statuta & decreta ediderunt posteriores, juxta hominum imbecillitatem. Sed quod solet sæpe contingere, ut quod provisum est ad remedium, tendat ad noxam: sic accidit, ut crescentibus ijs ceremoniarum legibus, pluribus constitutionibus hodie onerentur Christiani, quam olim Iudæi. Quod magis dolendum est, quod, cum ipsæ per se nec bonæ sint nec malæ, plus illis fidat populus, arctiusque observet, quam tradita à Deo præcepta: dissimulantibus illa nostris Episcopis, & sacerdotibus, & monachis, ac suo ventri interim egregie consulentibus. Ceremoniæ autem etsi nullas contra fidem hæreses dederint: innumeras tamen in Ecclesiâ sectas introduxerunt, maximorumque Schismatum semina fuerunt.

Hinc primum Græca à nostra Ecclesia abscissa est, quod illa non in azymo consecraret, sed fermento: cum tamen illam vere consecrare fateamur. Deinde etiam Bohemorum Ecclesia separata est, quia sub utraque specie communicaret Eucharistiæ.

Quod si (ut ait Apostolus) circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: sic & ceremoniæ nihil sunt, nisi observatio mandatorum Ecclesiæ: nefas ergo est utrobiq; propter modicas & quaslibet causas, quæ Christianæ fidei nihil officiunt, unitatem Ecclesiæ scindere, & corpus Christi dividere: & quod Pharisæis Salvator improperat, excolare culicem, & camelum glutire, atque turbatâ pace Ecclesiæ in illis pugnare, unde plus obsit Schismatis pernicies, quam prosit correctio.

Potuissent Romani Pontifices multa sustulisse, pacatamque, & integram servare Ecclesiam: si tolerassent Græcorum fermentum, & Bohemorum calicem. Neque vero majora hæc sunt, quam quod Innocentius octavus (Volaterano teste) concessit Norvvegijs, ut liceret sine vino illis sacrificare calicem. p. 116

Idem. Victor Romanus Pontifex omnes ferme Orientales & Australes Ecclesias à communione amputavit, eâ sola de causa, quod in diei Paschatis observatione morem à Romana consuetudine sequerentur diversum, cui tunc inter cæteros excellentissimos viros restitit Polycrates Asiæ Episcopus. Præterea Hirenus Lugdunensis Episcopus, quamvis ipse Romano ritu Pascha celebravit, magna tamen libertate Victorem Pontificem obiurgare ausus est, quod, præter exemplum prædecessorum suorum, pacis perturbator, abscidisset ecclesiam, non in fide errantes, sed in solis ritibus quibusdam à Romana Ecclesia dissidentes.

Multa deinceps super hac Paschatis observatione, conciliorum & Pontificum decreta, ac patrum ratiocinationes, & quæ vocantur Ecclesiastica computa, emanarunt: neque tamen in hunc usque diem, veram, atque per universum orbem eandem Paschatis diem constituere potuerunt, & in hunc diem usque consultis astrologis de calendarij reparatione: sed de indeciso negotio disputatur: digna profecto res, pro qua ob unius Romani Pontificis pertinacem religionem, tantum Ecclesia pateretur naufragium.

Idem. Legimus, ab Aristotele probatam, & lata quoque lege permissam in Cretâ insulâ masculam venerem. Aristotelis autem verba in Politicis, ubi censet, utilem esse reipublicæ, ne sit plebeiis hominibus numerosa soboles, hæc sunt: Ad cibi temperantiam, veluti perutilem, multa legislator sapienter ac studiose constituit, & de mulierum divortiis: siquidem, ne superfluam parerent multitudinem, cum masculis indixit concubitum.

Hic est ille Aristoteles, quem Colonienses theologi Divis adnumerarunt, librumque sub prælo evulgatum ediderunt, cui titulum fecêre, de salute Aristotelis. Sed & alium versu ac metro, de vitâ & morte Aristotelis, fecerunt, quem theologicâ insuper glossâ illustrarunt, in cujus calce concludunt, Aristotelem sic

fuisse

fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum Ioannes Baptista in gratuitis.

Scripsit quoque Lambertus de Monte quæstionem magistralem, & satis acutam (inquit Balthazarus Colmarius in additionibus Trithemii) ostendens per authoritates sacræ Scripturæ, quod juxta saniorem doctorum sententiam probabilius dici possit de salvatione Aristotelis Stagiritæ.

Idem. Canonici Regulares & Fratres Augustiniani coram Pontifice Rom. pertinaciter litigabant super beati Augustini habitu, videlicet, nigramne ille stolam super alba tunica, an candidam super nigra induisset? Et cum pro lite dirimenda deficerent Scripturæ: visum fuit Romanis iudicibus, rem omnem (ridiculum sane) ad statuarios & pictores relegare: ut illi ex cucullato tentatore diabolo ultimam ad ferrent sententiam. Videat hic prudens inania per hanc ætatem Papistarum studia, & quam sancte rem curarint divinam.

Idem. Sunt adhuc in Ecclesia diversarum Sectarum populi, monachi, & fratres anachoritæ, quibus vetus lex omnino caruit. Caruit etiam Ecclesia eo tempore, quo fuit optima, nec tot ceremoniarum retibus implicita. Qui hodie religiosorum nomen sibi soli vendicant, arduas profecto vivendi relugas, & officia sanctissima professi, laudabiliumque virorum, sanctissimorumque patrum nomina, puta *Basilij*, Benedicti, Bernardi, Augustini, Francisci, & similium præ se ferentes: sed hodie inter eos ingens malorum turba.

Siquidem huc, tanquam in malorum omnium asylum confluunt, quoscunque scelerum conscientia terret, qui ob legum vindictam nusquam alibi tuti sunt, qui crimina commiserunt supplicio expianda, quos vitæ turpitudo abstraxit ad infamiam, quos rebus suis scortis, aleâ, ingluvie profusis, æs alienum ac turpis egestas mendicare compellunt: & quos laborem subterfugientes, spes ocii, ac fraudatæ cupidinis impatiens desperatio, aut circumventa juventus, aut injusta noverca, aut iniqui tutores huc impegerunt: quorum omnium agmen jungit simulata sanctimonia, cucullatus habitus, & valida mendicitas, atque illud mare magnum, in quo cum cæteris piscibus habitant. Leviathan, & Behemoth, cete grandia, beluæ, & reptilia, quorum non est numerus: de quo exiliunt tot Stoicæ simiæ, tot insolentissima poscinummia, tot palliata mendicabula, tot cucullata monstra, barbigeri, funigeri, restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, ferrati, nigritæ, grisones, albichlamydes, versicolores, multipelles, linostolii, retiarij, palliati, chlamydati, pullati paludati, præcincti, bracchati, ac id genus aliorum turba histrionum: qui cum de reb. humanis nullam fidem habeant reliquam, ob monstruosæ vestis habitum creduntur illis divina, hodieq; sacrum religionis nomen sibi soli usurpant, ac se Christi sodales, Apostolorumque contubernales jactant: quorum vita sæpe scelestissima est, avaritia, libidine, gula, ambitione, temeritate, petulantia, & omni scelere referta: sed religionis prætextu semper inulta.

Romanæ. n. Eccle. privilegijs muniti, & à jurisdictione omnium exemti sunt, quo plura illis impune liceant: cumq; ipsi pro foro rei alios quosq; ubiq; conveniant, ipsi tamen conveniri non possunt, nisi aut Romæ, aut Hierosolymis. Horũ vanitates & errores, si mihi calamo explicandi forent, nõ caperent omnes pelles Madian, eorum, inquam, qui non pietatis causa professi sunt religionem, sed ventris gratiâ cucullam induerunt. p. 137.

Neque vero bonos offendet hic sermo, quem de solis improbis dictum volo, qui sub pellibus agninis sunt lupi rapacissimi, & in vestibus ovium astutam gerunt sub pectore vulpem: adeo dissimulantes artes fallaciæ, ut nihil aliud professi videantur, quam scenicam quandam hypocrisin, & merum quæstum pietatis imagine personatum: dum pallido vultu mentiuntur jejunia: & obsequentibus lachrymis profunda à pectore trahunt suspiria. & mobilibus labris frequentes orationes simulantes: & gressu ingressuq; composito, gestibus tranquillis.

Obstipo capite, & figentes lumina terræ, modestiam sibi vendicantes: fucato habitu humilitatem, & suspensa à collo cuculla sanctimoniam foris professi: intus autem detestandos mores secum ferentes.

Atque cum inter hæc sceleratissima quæque nonnunquam committant: servantur, vincuntq; religionis titulis, cuculla veluti clypeo, cuncta fortunæ spicula repercutiente: & ab omnibus mundanis periculis, civilibusque molestiis securi, panem ociosum, & emendicatum, pro eo, qui laboribus acquiritur, vescentes, securi & sine solicitudine dormientes.

Cumque summam humilitatem profiteantur, incedentes vili vestitu, ut rustici: nudipedes, ut histriones retiarij: cincti funibus, ut capti latrones: raso toto capite, ut fatui: cuculla, auriculis, ac tintinabulis, morionibus, ac laruis carnis privialibus quam simillimi: cæteraq; quæcunque contumeliæ & abjectionis signa propter Christum, & religionem sese suscipere, fateantur: vincuntur ambitione, & om-

& omnem instituti sui rationem in arrogantissimos titulos referunt: ac paranymphi, rectores, gradiani, præsides, prioros, vicarij, provinciales, archimandritæ, generales vocari gloriantur: ut nullum hominum genus videatur tam primi loci appetens, quam istud.

Non desunt, quæ de istis perplura mala male dici possent: sed jam præcesserunt, qui de ijs amplissimis maledictis concionati sunt: adeo, ut non solum multos probos, & integræ vitæ vere religiosos patres, sed ipsas etiam sanctorum patrum bene vivendi regulas, & instituta contemtui exposuerint. Quocirca nihil ego hic in suggillationes eorum dixisse volo, qui recte in professionibus suis ambulantes, sanctorum illorum patrum vestigia sequentes, ad cumulum adspirant perfectionis.

Fateor, regulas & professiones illorum sanctas: fateor, esse in hunc diem sanctos monachos, sanctos fratres mendicantes, sanctos anachoritas, sanctos canonicos regulares: tamen inter hos plurimos infideles, & reprobos, & apostatas, quibus religionis professio deformatur: atque hoc est propositum nostrum, voluisse ostendere, nullam unquam cujusuis religionem tam castam extitisse, in quam non irrepserit erroris & malitiæ macula: siquidem & angelos apostatas legimus, & primos fratres parricidas, prophetas reprobos, apostolos proditores, & discipulos Christi perfidos, atque inter Romanos Pontifices multos schismaticos, & reprobos, & hæreticos, aliquando etiam mulierem ad tanti apicis culmen conscendisse, quæ vocata est Ioannes Octavus, texitque sedem Apostolicam, laudata ab omnibus, annos duos atque aliquot mensibus, & diebus: & quod mulieribus in Ecclesia negatum est, contulit sacros ordines, promovit Episcopos, ministravit sacramenta, cæteraque Romanorum Pontificum exercuit munera; & facta ejus in Ecclesia non fuerunt irrita: commune videlicet errore faciente jus, quo prævalente, puto, ecclesiam tunc coactam multa dissimulare, quæ religionis rigor alias non tulisset: adeo nec in religionibus quicquam integrum, stabile, & perpetuum reperiri potest.

Quicunque autem in Ecclesiam Dei sectas introducunt, & tanquam sibi placentes, quæstus causa, aut fictæ sanctitatis gloria seceduut à Principe Romana Ecclesia: ij tanquam Nadab & Abiu alienum ignem offerentes ad altare Dei, ab eo comburentur. Qui vero elati, & perversæ sententię excogitatis hæresibus, exsurgere audent adversus Ecclesiam Dei, cum Dathan & Abyron voragine terræ absumti, vivi descendent in infernum. Qui autem scindunt unitatem religionis, & Christi membra dividentes affligunt Ecclesiam Dei, tandem pœna, qua Ierobo-am, exterminabuntur.

Idem. Reliquum nunc, quia apud Ægyptios, primos religionum authores, neminem olim sacerdotem fieri licebat, qui Priapi non prius initiatus fuisset, atque in nostra Ecclesia receptum sit, quod carens testibus Papa esse non possit, prohibeantque, spadones, Eunuchos, & castratos in Sacerdotes ordinari: palam videmus, ubi sunt magnifica ista templa, & sacerdotum monachorumque collegia, ut plurimum in Proximo esse lupanaria, quin & plurimas monialium, & vestalium, ac beguinarum domos: quæ privatæ quædam meretricularum fornices sunt, quas etiam monachos & religiosos (ne diffametur eorum castitas) nonnunquam sub monachali cuculla, ac virili veste in monasterijs aluisse scimus.

Idem. Nonne Carolus octauus rex Francorum, repudiata Margareta, Maximiliani Cæsaris filia, illius sponsam rapuit, & vxorem sibi copulavit? Quam eandem postea Ludovicus duodecimus, repudiata sua, sibi consimili thoro conjunxit, consentientibus & adiuvantibus regni Episcopis, & pontificibus: quibus visum est, pluris facienda jura acquirendæ Britanniæ, quam jura observandi legitimi matrimonij. Et hodie adhuc nescio cui regi persuasum audio, ut liceat sibi jam plus viginti annorũ spacio vxorem dimittere, & nubere pellici. p. 158.

Idem. Philosophos an inter bruta, an inter homines numerem, nescio: brutis siquidem præstare videntur eò, quod rationem habent & intelligentiam: homines autem quomodo erunt, quorum ratio nihil constans persuadere potest, sed semper in lubricis opinionibus vacillat, quorũ intellectus ad omnia incertus, non habet quod teneat aut sequatur.

Idem. Et nobis Christianis diversi diversis temporibus religionis pontifices nostri religionum mores præscripserunt, mirum, quod legibus inter se dissidentes, circa ritus, ceremonias, circa cultum, circa cibos, circa iejunia, circa quæstus, circa pompas, circa mitras, & circa purpuram, & eiusmodi. Sed vnum admirabilium vincit admirationem: quod illi, his ambitiosis moribus se cœlum posse ascendere, putant, quibus Lucifer olim cœlo deciderit. Attandem omnes illæ religionum leges nulli alio fundamento incumbunt, quam suorum instituentium placitis: nec aliam insuper certitudinis regulam habent, nisi ipsam credulitatem.

Idem. Immunitate munita nunc in tantam excrevere multitudinem, accedentibus illis tot fratrum oratorijs, privatisq; sacellis, ut maxime necessarium foret

multa,

multa ex illis, tanquam superflua & indebita membra, resecari. Accedit ad hæc structuræ superba magnificentia, in quam multæ admodum sacræ pecuniæ, & eleemosynæ indies profunduntur: quibus, quod & superius diximus, multi Christi pauperes (vera Dei templa, imaginesq;, fame, siti, æstu, algore, labore, debilitate, egestate periclitantia) sustentari deberent.

Idem de libro suo Occultæ Philosophiæ. Verum de magicis scripsi ego juvenis adhuc libros tres amplo satis volumine, quos de occulta Philosophia nuncupavi, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo: permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quod sciam, quis rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.

Caspar **Goldtwurm** *in libro de miraculis.*

Ante annos aliquot Erphordiæ corvum domi suæ aluit civis quidam, quem cum aliquando tacitum mœstumque videret, per jocū his eum verbis affatus est: Micor ve, quid mœres, quidue animo cogitas? Ad quæ ille præter omnem expectationē respondens, diserte & clara voce versū Psalmi septuagesimi septimi protulit: Cogitavi dies anti quos, & æternos in mente habui. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

Ludovicus Guicciardinus in descriptione Belgici.

Carolus V. quo Ecclesiasticos, omnes regiones populosque sibi subijcere conantes, coërceret, constituit, ne eis in Belgia fine expresso mandato quicquam emere liceret. Deinde ne Papa, sine consensu & approbatione Principis, in multis causis ullum disponendi jus, aut potestatem habeat.

In Archivis Ferdinandi fratris reperitur fere simile edictum, in ducatu Wirtembergico impressum & publicatum anno 1524.

Idem in aliis quoque locis eo tempore fuerat diliberatum, sed cum Lutheri doctrina idem iuberet, tali constitutione nō amplius opus erat. Imp. & Papa ut sup.

Idem dicit ibidem, tractum Leodiensem omnes terras fertilitate, & amœnitate superare, ac proinde non immerito Paradisum Presbyterorum nominari: lapidem nigrum ex terrâ ibi fodi, quo pro ligno utantur, & ex ejus venditione singulis annis plus quam 100000, coronatorum colligi: ex Hollandia, Selandia, & Flandria, ex solis halecibus decies quater centena, & septuaginta millia coronatorum recipi.

Vadiscus de corrupto Ecclesiæ statu.

Moscavienses quum vellent ad Ecclesiam redire, atque legatos suos misissent Romam petentes, ut in Ecclesiæ gremium reciperentur: Romanus Pontifex pro inobedientia, quod se summum ac maximum non agnovissent, & alium adorassent Pontificem, octies centum millia ducatorum petiit. Quod cum illi audissent: Tanti, inquiebant, nolumus nos emere unionem. De Bohemis nescio quid simile actum est, quorum principes ad hoc conantur compellere, ut ad verum redeant Christianismum: tantum de bonis Ecclesiasticis adhuc agitur, & de Pontifice, quem nolunt adorare pro Deo. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10.

Ibidem. Non ante pacem habebit Ecclesia Christi, nisi prius exturbata fuerit sedes illa Satanæ, quæ est Romæ, & tota illa cohors scribarum & Pharisæorum. p. 139.

Ibidem. In libidine Romæ non naturam ducem imitantur, sed varietatem Sodomiticam, & monstrosam exquirunt: Germanis, qui naturam sequuntur, rusticitatem objicientes.

Ibidem. Contra Turcam nihil molitur Papa, nec vellet oppressum, huic enim expedit esse Turcas, multis, & gravibus ex causis: hac inprimis, ut exigat pecuniam. Idem est in impetrandis indulgentijs, in quibus Germani reperiuntur stultiores omnibus nationibus. Itali enim neque illas emunt, nec gratis datas accipiunt, neque contribuunt adversus Turcas: sunt enim illæ expilationes tantum erga Barbaros adinuentæ, ut loquuntur.

Dietherus à Dalburgio, Germanus, ordinis equestris, solida sanctaq; pacis studiosissimus.

Quotiescunque illo præsente sermo fuit de calamitatibus Ecclesiæ, & ipsius reformatione, & quod eam ad rem opus esset concilio generali, dicere solitus est: sibi quoque videri consultum esse, ut Ecclesiæ afflictæ mature succurratur concilio generali, Christiano, & legitimo: cui necessario præficiendi sint quatuor judices minime corrupti, minime partiales, aut suspecti: Biblia Ebraica, biblia Græca, biblia Latina, biblia Germanica. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

Admiranda Tria.

Vnus Petrus in Roma, unus in Ancona, una turris in Cremona.

Trias Romana, qui liber Vadisco adscribitur: doctis vero notum est, quis fuerit ille Vadiscus.

Tria

Tria Vrbis Romæ dignitatem tuentur: authoritas pontificis, reliquiæ sanctorum, & merx indulgentiarum. Tria Roma reportantur: depravata conscientia, corruptꝰ stomachus, & vacui loculi. Tria maxime conservanda Roma interficit: bonam conscientiam, religionis zelum, & jusiurandum: ideo fugienda. Tria, si commemorantur, Roma deridet: majorum exempla, pontificatum Petri & extremum judicium.

Tribus reb. abundat Roma: antiquitatibus, venenis, & vastitate. Tria inde exulant: simplicitas, continentia, & integritas. Tres sunt Romanorum negotiatorum merces: Christus, sacerdotia, & mulieres. Tria auditu Romæ sunt gravissima: Generale Concilium, emendatio status Ecclesiastici, & quod Germani oculos recipiunt. Rursumq; tria dolenter ferunt: Principum Romanorum concordiam, populi intelligentiam, & quod suæ fraudes innotescant. Tria maximo in precio Romæ sunt: venustas mulierũ, equorũ præstantia, & diplomata pontificis. Tria sunt in usu frequenti Romæ: carnis voluptas, vestium luxuria, & animorum fastus. Tria faciunt otiantes Romæ: deambulare scortari, & convivia agere.

Tria sunt ibi pauperum obsonia: olus, cæpe, & allium. Ac tria locupletum: sudor pauperum, usuræ, & spolia Christiani populi. Tria calamitosa syrmata post se trahunt Cardinales Romæ: indumenti, quibus pulverem excitantes insequentium oculos tota nonnunquam Roma infestant: familiam, quæ ex meris utplurimum grassatoribus sit, ex lenonibus, sicarijs, & catamitis, ex proditoribus, & improbis curtisanis, aut aliter flagitiosis, ac pessime moratis hominibus, & contaminato per omnia grege: vectigal, id enim, cum sit totum ex fraudatione, rapina, & furto, quam longissime verrere, quæ attingat, secum omnia, & trahere contagione quadam omnia vicina.

Tria nunquam satis proveniunt Romæ: episcoporum pallia, memses Papales, & annatæ. Tribus opus est ei, qui Romæ lites habet: pecunia literis commendaritijs, & mendacio. Tria omne negotium Romæ promovent: munera, favor, & potentia: sed favor conciliatur & ipse dando, cui quis inutiliter enim Romæ favet? Tria Romæ evehunt: pecunia, audacia, & impudentia. Tria Romam ire suadent: admiratio, Lucrum, & male vivendi licentia.

Tria Germaniam hactenus sapere non permiserunt: principum ignavia, literarum imperitia, & vulgi superstitio. Triplex inventum Romæ consilium extorquendi ab exteris aurum: per indulgentiarum nundinas, per simulatas in Turcam expeditiones, & concessas legatis apud barbaros facultates. Tria semper aguntur Romæ, neque unquam peraguntur: animarum beatio, collapsarum ædium sacrarum restauratio, & in Turcas expeditio: hæc sunt tria illa, quorum sub prætextu fiunt exactiones. Tria omnes petunt Romæ: breve sacrificium, vetus aurum, & vitam in delitijs agendam.

Tria obuia sunt omnibus, & videntur: equitatio, tabellarij, & benedictiones. Tria Romæ admodum laute vestiuntur: sacerdotes, muli, & meretrices. Tria Roma exportari prohibentur: sanctorum reliquiæ (quæ an ibi sint, quales ostenduntur, propter ambiguam apud omnes de Romana fide opinionem, incertum est) grandes lapides, & pietatem, quæ penitus ibi nulla. Tria Romæ paucissimi credunt: animarum immortalitatem, communionem sanctorum, & inferorum pœnas.

Tria Romæ cum minime sint, tamen ut nusquam alibi, ostentantur: pietas, fides, & innocentia. Tria Romæ cum sint maxime, videntur tamen perraro: vetus aurum (abstruditur hoc à curtisanis, & fœneratoribus) Pontifex (rarò is, ut augustior sit ejus apud vulgum conspectus, prodit in publicum) & venustæ mulieres (quibus propter zelotypiam, & adulteriorum ibi licentiam, metuunt, qui habent, atque igitur custoditas observant.) Tria homines osculantur Romæ: manus, altaria, & buccas. p.140.

Tria misericordia sunt Romæ: monasteriorum, si qua sunt opulentiora, census dare in commendam (ut vocant) Cardinalibus: canonicorum vectigal, & pingvia ubique sacerdotia obvertere collationi Pontificiæ: inæstimabilibus superstitionibus, ac magis plane terroribus coactas ad desperationem fidelium mentes, condonationum & veniarum refovere medicamento. Avaritiam video & fraudem inexplebilem, nullum opus misericordiæ. Quid diutius fascinari mundus sustinet? an quid in mora est, quo minus confestim evertat eos, qui peruertunt omnia? Deniq; miseria quæ, persuasum esse, non licere morbosum hoc, ut melius sit corpori universo, submovere caput?

Tria sunt Romæ in comperto: Romanorum virtus, Italorum versutia, & Germanorum inertia. Tria sunt graviter ferenda: quod pessima factio Florentinorum in urbe dominetur, quod pro Deo habendum Pontificem, quodq; nimium licenter usurpat ille sibi veniarum beneficium, & anathematis pœnam.

Verum quia omnia terna sunt Romæ, etiam præter duos illos, spiritualem & secularem, tertium Papa gladium habet, illũ scilicet, quo tondet gregem suũ pastor ille

ille Christi vicarius, & quo resecat, si quid ulcerosum est, ne contagio pervadat: non forpice, ut alii pastores, sed gladio agit hoc, ut simul terreat: alioqui tonderi oves non sustinerent: tum interficere oportet aliquas, hoc aptius fit gladio. O gladium! ô pastorem! ô tondere ac resecare! quam nihil his cum Christo convenit, qui Apostolis suis reliquit gladium Spiritus sancti, quod est verbum Dei. Faxit Christus, ut gladio percutiatur, qui gladio percutit.

Inter tot consertas in urbis mores tricas, tria etiam mala imprecor colluvioni isti, id est, orbis corruptelæ, & publico contagio: pestilentiam, famem, & bellum. Atq; hæc mea trias esto. Alioquin tribus erat illa morbis obnoxia: febri, paupertati, & fraudi. Alia tria sunt urbis mala: annonæ caritas, perfidia, & cœli intemperies. Tria urbs Roma ab se excommunicat: egestatem, primitivam Ecclesiam, & veri prædicationem. Tria sunt Romanæ avaritiæ instrumenta: cera, membrana, & plumbum.

Tria Romæ sunt extreme despecta: Paupertas, timor Dei, & æquitas. Trium est nusquam, ut Romæ, disciplina: crapulandi, fidem fraudandi, & turpitudinis genus omne exercendi. Fex ternionum est, trium esse Romæ copiam: mulorum, bullarum, & procurationum. Trium esse Romæ versiculorem gestare amictum: servorum, mulierum, & monachorum. Habentq; tria villes Romæ: cinguli virorum, marsupia curtisanorum, & equorum habenæ. Imperatore Carolo 5. Papa Leone. 10.

1520. *Marcellus Cervinus Cardinalis, deinde Papa.*

Cum Carolus V. & Ferdinandus fratres expeditionem in Turcam valde urgerent, hic Marcellus Cardinalis scriptum edidit, quo affirmavit, expeditionem in Lutheranos potius adornari debere. Hos enim multo deteriores esse omnibus Turcis. Ibidem quoq; ad concilium Tridentinum missus, à Papa mandatum acceperat: ne quid omnino pateretur in concilio constitui, quod contra majestatem Romanæ sedis esset: verum extirparet potius illas personas, quæ ejusmodi tentarent.

Hanc ob causam cum Iacobus Clodiæ fossæ Episcopus dixisset: se non posse probare decretum, in quo scriptum erat, traditiones pari pietatis affectu & reverentia suscipi atq; asservari debere, quo scriptum Evangelium: continuo à Cervino è concilio ejectus fuit.

Et cum quidam Wilhelmus ordinis S. Dominici in concilio dixisset: Constantiense concilium fuisse supra Papam: Cervinus eum continuo jussit ex concilio excedere. Eodem modo etiam ab hoc Vergerius fuit è concilio rejectus. Sed Vergerius discessurus cum causam requireret: respondit Cervinus: quia audivi, te legendas sanctorum Gregorii & Christophori negasse esse veras. Papa factus postea tantum 23. dies Papa vixit. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

Monachus Dominicaster Gregorius, Concionator ducis Friderici. 1520.

Quidam monachus Dominicaster, Gregorius, concionator ducis Friderici, qui admodum à Luthero & cæteris probabatur, cum aliquando pro concione vitia in principibus taxare vellet, nec palam id facere auderet, arte in populum derivavit, usus hac similitudine: concionator non absimilis est ei, qui detrahit lepori corium: etsi enim à toto corpore facile detrahatur pellis, tamen cum ad caput ventum est, aliquid est difficultatis: ita concionator dum populi vitia taxat, non est, quod metuant difficultatem: sed cum ventum est ad caput (digitis inter hæc monstrans principem astantem) Do streiff dich der Teuffel. Princeps Fridericus etsi sentiebat, se taxari ac reprehendi, tamen sine indignatione adeo modeste se gessit, ut Monacho etiam novam cappam dederit. p. 142.

Vdalricus Hugualdus Durgeus in dialogo suo. 1520.

Christus Iesus omnes è templo vendentes & ementes ejecit. Hodie maxima merces, maximum lucrum in sacrificiis, in periculis, voculis, quæ pro pecunia ad mensuram, ad pondus numerantur, situm est: nihil refert, à quib. proferantur. Nam aut incantamentorum vim quandam in divinum numen habere creduntur, aut, ut est hominum insania, Deum, qui cor & oculum fecit, corda hominum non videre putant: ita divina humanisq;, cœlum terræ in tenebris miscent.

Quanta, bone Iesu, dementia est (vix præ dolore & admiratione à risu me contineo) Deum serpentum, porcorum, fornicatorum, in murmure, & sine mente sono, quem labiis non intellectum ob pecunias cantillant, beneplacitum habere, putare: & non potius videre, Deum irritari, obtundi: & Ioannem audire, apud quem est: Scimus quod peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit: Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet.

Et paulò post, Quare omnes auari, fornicatores, prævaricatores, vendentes ex Dei Ecclesia eijciantur: ut qui non Deum, sed otium, scelera, avaritiam, ventres

tres sequuntur. Porro quemadmodum sacerdotum vita paupertatis, frugalitatis, humilitatis, omnis probitatis exemplum esse debet: nihil autem illi vita morib. & habitu docent, nisi avaritiam, luxum, fastum, omnem breviter malitiam: ita cum in domo Dei homines paupertatis, humilitatis & aliarum Christianarum virtutum amore imbuendi essent picturis & Christi sanctorumq; pauperum imaginibus: jam contra preciosa templa, magnifica, superba, auro & argento linita, divitias, & rerum omnium inutilium luxuriam admirari docentur: atq; ita Dei sancti, qui olim in vita hic in terris virtutes, id est, Christum docuerunt, jam vitia, id est, diabolum picti mortui docent. Imp. Carolo 5. Papa Leone. 10. ut sup.

1520. *D. Pfenningius.*

Cum paulo severius in concionib. suis indulgentias Papæ exciperet, & veritatem diceret, odium omnium Sacrificulorum in se concitavit. Fugiens autem in Bohemiam, à nonnullis Sycophantis arreptus, ad Episcopum Naumburgensem attrahitur, qui ipsum carceri inclusit, usque dum in eo contabesceret.

1520. *Pamphilus Gengenbachius.*

Hoc tempore varia prodigia conspexit mundus: quæ Pamphilus Gengenbachius imaginib. expressit, & ad Carolum Regem misit. Imp. & Papa ut sup.

1520. *Ioannes Major Scotus.*

In Scotorum historia sacerdotes avaros, ac monachos vagos quibusdam in locis vehementer taxat. Opes (inquit) primitiva devotio peperit, sed matrem lasciva filia suffocavit: & pastores eos vocat, sed semetipsos pascentes.

Lib. 3. cap. 11. Amplos proventus appetunt, non ut prosint, sed præsint, & marsupia refarciant. Ad modum locifugarum per rimas templa in tenebris, ut oleum exsugant, ingrediuntur. Abbas opulentus curiam indisciplinatam alit. Ad Ægyptum, quam reliquerunt, redeunt. Abbas & procurator officium habent à vera religione tam alienum, quam erat inter Apostolos officium traditoris Judæ de servandis loculis.

Lib. 3. cap. 15. De jure divino est, ut Clericus sit à Laico judicandus.

Lib. 4. cap. 3. Missarum celebratio quandoq; ex delirio procedit: ut patet de quinq; monachis, Suuinseri in Angliâ quotidie missantibus, pro liberanda ab inferni pœnis eius monachi Bernharditæ anima, qui Ioannem regem veneno occidit.

Lib. 4. cap. 7. Sophistica Rom. Pontificis execratio illis timenda non est, qui justum habent titulum. Nullo modo formidanda est Papæ excommunicatio, si injusta sit: quia non aliter est excommunicatio, quam homo mortuus est homo.

Lib. 4. cap. 9. Magis irritatur Deus in pertinaci ceremonialium Mosaicæ legis observantia, quam in publica meretricum pernicie. Inter Christianos tam utiles sunt Iudæi, ut inter mundum triticum mures: de Papistis sacrificis, ac monachis idem dici posset. p. 142.

Libro 4. cap. 14. In turpi promisso fidem rescindere, & decretum irritare operæ precium est.

Lib. 5. ac cap. 20. damnat in Minoritis magnifica templa, & alibi alia agit. Imperat. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

1520. *Desiderius Erasmus Roterodamus.*

In hunc Papa singulare præsidium collocaverat, quem confidebat solum Luthero satisfacturum, & silentium injuncturum esse: ideo, ut Erasmo interim spes lucelli cujusdam affulgeret, ad quod in suis cum Martino dimicationib. more Pontificio collinearet, optimum & pinguiss. in universo Romano Imperio Episcopatum ipsi promisit, si quando partes suas egregie defenderet. At vero præter expectationem Papa spe sua fallitur, respondente Roterodamo: Lutherum majus apud se pondus habere, quam ut contra ipsum calamum suum stringere sibi libeat: eum enim suas scriptiones ita sacris literis obfirmasse, ut non videat, quâ in parte carpere eas possit: esse præterea tam absolutæ eruditionis hominem, ut ex scriptorum eius unâ paginâ plus addiscere, quam ex universo Thomæ centone queat: item, Majorem esse Lutherum, quam ut à se intelligatur. Tradidit quoque illo tempore Erasmus quædam axiomata Georgio Spalatino pro causa Lutheri, quæ 2. Tom. oper. Luth. reperiuntur, fol. 314. Imp. & Papa ut sup.

Idem in Epist. lib. 12. Cum Theologorum sit proprium docere, nunc video, multos nihil aliud agere, nisi ut cogant, ut perdant, ut extinguant: cum Augustinus ne adversus Donatistas quidem, non hæreticos modo, verum etiam sævissimos latrones, probet eos, qui cogant tantum, non etiam doceant. Homines, quos maxime decebat mansuetudo, nihil aliud sitire videntur, quam humanum sanguinem: tantum in hoc inhiant, ut capiatur, ut perdatur Lutherus. Atqui hoc est carnificem agere, non Theologum.

Si se magnos Theologos volunt ostendere, convertant Iudæos, convertant ad Christum à Christo alienos, emendent publicos Christianorum mores, quib. nihil est corruptius, ne apud Turcas quidem.

Quo pacto æquum est, rapiatur ad pœnam, qui primum proposuit disputanda, de quibus in omnib. Theologorum scholis semper est disputatum? cur affligi debet, qui cupit doceri? qui se submittit judicio Rom. sedis, qui se committit judicio scholarum, quas Universitates appellant. Quod si se non credit manibus quorundam, qui illum mallent extinctum, quam probum, mirum videri non debet.

Spectandi inprimis sunt hujus mali fontes. Mundus oneratus est constitutionibus humanis, oneratus est opinionib. & dogmatibus scholasticis, tyrannide fratrum mendicantium, qui cum sint satellites sedis Rom. tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Rom. Pont. atque ipsis adeo regibus sint formidabiles. His, cum pro ipsis facit, Pontifex plus quam DEVS, in his, quæ faciunt adversus eorum commodum, non plus valet quam somnium.

Non damno omnes, sed plurimi sunt hujus generis, qui ob quæstum ac tyrannidem, datâ opera illaqueant conscientias hominum. Ac perfricta fronte, jam cœperant, omisso Christo; nihil prædicare, nisi sua nova, & subinde impudentiora dogmata. De indulgentiis sic loquebantur ut nec idiotæ ferre possent. His & ejusmodi multis rebus paulatim evanescebat vigor Evangelicæ doctrinæ & futurum erat; ut rebus semper in deterius prolabentibus, tandem prorsus extingueretur illa scintilla Christianæ pietatis, unde redaccendi poterat extincta charitas: ad ceremonias plus quam Iudaicas summa religionis vergebat. Hæc suspirant ac deplorant boni viri: hæc ipsi etiam Theologi, non monachi quidam in privatis colloquiis fatentur.

Hæc, opinor, moverunt animum Lutheri, ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentiæ opponere. Quid enim aliud suspicer de eo, qui nec honores ambit, nec pecuniam cupit? De articulis, quos obiiciunt Luthero, in præsentia non disputo; tantum de modo & occasione disputo.

Ausus est Lutherus de indulgentiis dubitare, sed de quibus alii prius nimis impudenter asseveraverant: ausus est immoderatius loqui de potestate Rom. Pontificis, sed de qua isti nimis immoderate prius scripserant, quorum præcipui sunt tres prædicatores, Alvarus, Sylvester, & Cardinalis sancti Sixti. Ausus ex Thomæ decreta contemnere, sed quæ Dominicani pene præferant Evangeliis. Ausus est in materia confessionis scrupulos aliquos discutere, sed in quâ monachi sine fine illaqueant hominum conscientias. Ausus est ex parte negligere scholastica decreta, sed quib. ipsi nimium tribuant, & in quib. ipsi nihilò minus inter se dissentiunt: postremo, quæ subinde mutant, pro veteribus rescissis inducentes nova.

Discrutiabat hoc pias mentes, cum audirent in scholis fere nullum sermonem de doctrinâ Evangelicâ, sacros illos ab Ecclesia jam olim probatos autores haberi pro antiquatis, imo in sacris concionib. minimum audiri de Christo: de potestate Pontificis, de opinionib. recentium fere omnia: totam orationem jam palàm quæstum, adulationem, ambitionem, ac fucum præ se ferre. His imputandum opinor, etiamsi aliqua intemperantius scripsit Lutherus.

Idem in Epistolis lib. 22. Monachis quis nescit deberi plurimum honoris? Sed da verè Monachos, non deerit honos. Verum ubi sunt isti, aut quid habent; præter vestem & rasuram? Obsecro te vir pietatis amator, obambula per tuæ regionis monasteria, & vide, quantulum illic inventurus sis, veræ, Christianæque pietatis, quantulum sacræ eruditionis quantulum vigoris spiritalis? Apud nos verò tyrannidem etiam mirificam obtinét. Perspiciunt, quas ob causas (ut etiam caput Pontifex, & omnia membra) sint invisi, nec tamen ea corrigunt, sed improbitate, violentia, & conspiratione contendunt vincere. Nec quicquam illos pudet inscitiæ, vanitatis, calumniæ, malitiæ. p. 143.

Illud cavendum, ne quid nostrum scriptorum vertatur in linguam popularem, nam ea res illicò proderet illorū mendacia. Ita nimirum vincunt. Quid istis animis malitiosius? Et hæc est Monachorum pietas.

Augustinus dicit, nusquam rectius vivi, quam in monasteriis, nusquam periculosius errari: & tamen loquitur de his qui nullis astricti votis, duntaxat perpetuis, simul vivebant. Quid nunc diceret, si videret multa monasteria, quæ nihil differunt à publicis lupanaribus: quid de monacharum multis collegiis, in quibus nil minus reperias, quam castitatem?

Et in his, qui commendantur observantiæ nomine, Deum immortalem, quam rari sunt, in quibus animadvertas sinceritatem Christiani pectoris? Et tamen ædificamus quotidie nova monasteria. Per horum stoliditatem, improbitatem, cum pari malitia conjunctam, prospicio futurum, ut hunc tumultum, cui Lutherus dedit exordium, excipiat alius tumultus, multo etiam gravior, ni Principum & Episcoporum authoritas in tempore vigilet.

Idē in Epist. lib. 22. Iam nūc erigunt capita Dominicani quidā & Franciscani, per quamvis occasionem sævientes in eos, quos oderunt: oderunt autem omnes

qui fauent meliorib. literis, & syncerio- ri pietati. Nuper in Galliâ conjecerunt in carcerem tres, quorum unus erat exurendus, ni principis æquitas illum sublevasset, causa Lutetiam rejecta. Crimen expectas? Ædificabatur illic regali sumtu monasterium. Is alioquin ab omni Lutheranismo alienissimus, dixerat: hi sumtus fortassis rectius collocarentur in orphanos, viduas, & pauperes. Hoc dicto Monachorum læsa majestas depoposcit hominem probum, ac doctum ad incendium. Iam faces erant in manibus: jam extructus rogus: jam sententia definitiva pronunciata.

Capti sunt alii duo gravem ob causam scilicet. Morbo coacti duobus quadragesimę diebus vescebantur carnib. nec id inficiabantur. Hæc sunt præludia monasticæ tyrannidis, quæ nisi cohibeatur, quid tandē futurum esse divinandum est? Vates enim optimus, vir prudens. Erumpet populi dolor in atrociorem tempestatem.

Soli mendicantes (quosdam improbos inquam, noto, non ordines) fuere fons & caput totius hujus mali: nec conquiescet mundus, donec illi redigantur in ordinem, quod ut fiat, in ipsorum quoq; rem est: quin hoc ipsum si non major, certe melior monachorum pars exoptat. Violentum est, tollere monasteria, quod aliquot locis tentatum est: illud potius agendum est, ut monasteria, scholæ sint sobrietatis, pudicitiæ, modestiæ, veræq; pietatis. Quibus id rationib. fieri possit, alias indicabitur: nunc in transcursu illud attingam modo.

Monachorum dignitati rectius consultum iri, si legib. oppositis vetarentur, pueros ac puellas blanditiis, aut terriculamentis ad suum institutum pellicere: si quas constaret arte pertractas, ijs autoritate præsulum redderetur libertas, & ad pœnam vocarentur plagiarii. Præterea, si professis viris pariter ac mulierib. prospiceretur, ut essent viri graves & integri, qui illos pabulo doctrinæ cœlestis alerent, nec quisquam sineretur in ocio vivere: nec mediocriter conduceret ad Ecclesiæ concordiam ut si qua fieri posset, titulorum, vestium, ac rituum tam immensa varietas tolleretur: satis erat, vestitum esse vilem ac simplicem, ac vultus potius, moresque compositi monachum testarentur, quam amiculi color, ac forma. Adhæc, si resignatis diplomatibus, quibus adversus monarchas, episcopos, magistratus, & populum, imo verius adversus semetipsos supra modum armati sunt agnoscant Episcopos suos: quemadmodum fecerunt ac voluerunt illi, qui proceres & autores ordinum fuere.

Ibidem. Breviter id synceris studiis agendum est, ut in hoc rerum tumultu vincat Christus, eique soli paretur triumphus, non affectib. humanis, quos utraque parte videmus victoriam ad se certatim rapere. Vincat Pontifex & Cardinales sed si illorum animus spectat ad Christum. Vincant & monachi, si liber, si Christi negotium agunt. Quod si illi suam gloriam, suum ventrem, quæstum & regnum spectant: jam non militamus Christo, sed mundo: nec aufertur malum, sed transfertur: nec sanatur morbus, sed mutatur in pejꝰ fortassis. Quæ bene docuit, monuitque Lutherus, sequamur: non quia ille monuit, sed quia recta sunt, & Scripturæ divinæ consentanea.

Nunc periculum video, ne non corrigamur ad æqualitatem, sed ut fere solet usu venire, deflectamus in diversum. Velut antehac non parum erat superstitionis in colendis divis, nunc multum adjungent, quo longius absint à Lutherano dogmate. Atqui modus hic erat adhibendus, non excessus. Docendus erat populus, imagines nihil esse nisi signa idiotarum animis data. Divos venerandos quidem, non adorandos latriâ, quæ dicitur: perfectius esse, tollere sursum animos ad Christum sine imaginib. corporeis, quam per imagines: perfectius esse, à Christo petere, quicquid impetrare volumus. Tutius esse, Christum nobis imitandum proponere, quam quemvis divorum: divos religiosissime coli benefactorum imitatione. In templo non convenire quaslibet imagines, sed in his modum & decorum esse spectandum.

Ac ne longior fiam: si in cæteris omnibus non prorumperetur ad excessum, sed ad temperaturam, sperari poterat hujus tempestatis lætus exitus. Verum hoc nunquam futurum est, nisi principes & Ecclesiæ proceres submoveant è consilio privatos affectus, nec alio spectent, quam ad Christi gloriam, ac publicam Christianæ religionis utilitatem.

Sic agentib. nobis adesset DEVS, & hos tumultus verteret in tranquillitatem. Satis n. perspicuum est, hanc rerum procellam non sine voluntate numinis immissam fuisse terris, quemadmodum olim plagas varias inflixit Ægyptiis, ut resipiscerent. Consultissimum igitur fuerit, ut omnes ad Domini misericordiam confugiamus, & suam quisq; culpam agnoscamus. Nunc alii in alios culpam reijcimus, suam agnoscit nemo: nec medelam quærimus malis, sed ultionem. p. 144.

Idem in Lingua. Ostenditur Lutetiæ in foro frumentario os cloacæ, in qua sepeliri se jussit quidam, quem sero pœnituit mali consilii. Viderat Regem tristem ac solicitum: causa mœroris erat angustia rei pecuniariæ. Is quo regem sublevaret, suasit, ut ex minutis etiam rebus, quas rustici deferunt in urbem, unum aut alterum æreum numulum exigeret; idque

Idque in biennium duntaxat. Et cum viderent, ex eo in urbe frequentissima colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt.

Qui dederat consilium, cum videret, se non idem authoritatis hacere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeo, ut de salute quoque sua desperaret: & ut de seipso pœnas sumeret inconsulti consilii, simulq; moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, testamento cauit, ut in ea cloaca sepeliretur, in quam totius illius fori sordes confluunt. in quo manet etiamnum in hanc usque diem exactionis executio.

Habent hic speculum consiliarii, illi, qui, ut grati sint dominis, quotidie novas excoriationes excogitant, quibus miseros subditos ad sanguinem usque emungunt: sed caveant, ne dum aliis aurum comparent, illi animæ jacturam faciant.

Idem in Chiliadib. in proverb. Sileni & Alcibiadis. Ecclesiam vocant sacrificos, episcopos, ac summos pontifices: cum hi revera nihil aliud sint, quam Ecclesiæ ministri. Cæterum Ecclesia populus est Christianus, quam Christus ipse majorem vocat, ut cui recumbenti ministrent Episcopi: obsequio minores, si modò Christum ut successione muneris, ita morum ac vitæ referant imitatione. Qui cum modis omnibus princeps, ac Dominus esset omnium, ministri partes suscepit, non Domini. Omne fulmen torquetur in illos, hostes Ecclesiæ vocantur, ac propemodum hæretici, qui sacerdotum crumenam nummulis aliquot fraudarint.

Equidem non adsum fraudatori, ne quis hoc interpretetur: verum cedo, siquidem hostem Ecclesiæ juvat odisse, num esse possit hostis Ecclesiæ pernitiosior, aut capitalior, quam impius Pontifex? Vbi nonnihil de sacerdotum prædiis aut censu diminutum fuerit, clamatur undique, opprimi Christianam Ecclesiam. Vbi autem concitatur orbis ad bellum: ubi pelam improba sacerdotum vita tot animarum millia pertrahuntur in exitium: nemo deplorat Ecclesiæ vicem; cum verè tamen sic affligatur Ecclesia.

Ornatam & cohonestatam vocant Ecclesiam: non cum in populo gliscit pietas, cum vitia decrescunt, boni mores augescunt: cum sacra doctrina viget: verum cum auro gemmisq; lucent altaria: imò cum his neglectis, prædiis, famulitio, luxu, mulis, equis, sumtuosis ædium vel palatiorum substructionibus, ac reliquò vitæ strepitu satrapas æquant sacerdotes.

Atq; hæc adeo videntur recta, ut in ipsis pontificum diplomatibus inseratur hujusmodi elogium: Quoniam ille Cardinalis tot equos, tot purpuratos alens domi, vehementer ornat Ecclesiam Dei: concedimus illi quartam Episcopi dignitatem. Et in ornamentum Ecclesiæ jubentur Episcopi, sacerdotes, & clerici, purpura sericisq; vestiti. O miram Ecclesiæ dignitatem! Quid superest, posteaquam etiam vocabula honesti perdidimus? Neq; enim libet interim eorum meminisse, qui censum ecclesiasticum in impios usus, magno plebis offendiculo profundunt.

His si quid accreverit, gratamur, & auctam Christi Ecclesiam dicimus: cum verum & unicum Ecclesiæ lucrum sit Christianæ vitæ profectus. Blasphemiam vocant, si quis parum reverenter de Christophoro loquatur, aut Georgio, nec omnes omnium fabulas æquet Evangelio. Verum Paulus blasphemiam appellat, quoties impiis Christianorum morib. fit, ut Christi nomē infametur inter ethnicos.

Quid enim consentaneum est Christianæ religionis hostes dicere, cum in Evangelicis literis viderint Christum ad opum contemtum, ad voluptatum abdicationem, ad gloriæ neglectum hortantem: & è regione conspexerint, primores etiam, ac duces Christianæ professionis ita vivere, ut opum accumulandarum studio, ut voluptatum amore, ut vitæ splendorē ut belli ferocia, cæterisque fere vitiis omnibus ipsos superent ethnicos? Intelligit prudens lector, quid hic taceam, ob honorem Christiani nominis; & quid apud me suspirem.

Quos cachinnos putas illos tollere, qui cum videant in Evangelio, Christum non cultu, non ceremoniis, non cibis insignisse suos: sed hac nota dignosci voluisse Christianos, si mutua charitate conglutinentur: postea conspiciant, adeo nihil inter nos convenire, ut neque turpius, neque pernitiosius ulla gentilitas sit tumultuata? Princeps cum principe belligeratur, civitas cum civitate pugnat: nec scholæ cum scholâ, nec religioni cum religione convenit: rixarum, factionum, litium apud nos plena sunt omnia.

Hæc vera demum est blasphemia, cujus autores sunt, qui justam ministrant occasionem. Hæresim appellant, si quis dixerit aut scripserit aliquid, quod aliquo pacto cum magistralibus Theologorum propositiunculis, vel in re grammatica dissentiat: & hæresis non est, ubi quis, ceu præcipuam felicitatis humanæ portionem, efferet id, quod ipse Christus utique docet esse negligendum. Sacrilegium est inexpiabile, si quis quidlibet è fano sustulerit: & leve crimen habetur, p. 145.

perculos & viduas, vivum Dei templum, expilare, fraudare, opprimere: id quod passim à principibus fit, & optimatibus, interdum & ab Episcopis & abbatibus. Profanus est, qui pugna aut seminis profluvio sacram ædem contaminarit: & non execramur eum, qui puram & castam virginem, templum Spiritus sancti, blanditiis, muneribus, lenociniis violat, corrumpit, profanat. Atque hæc qui facit, vulgo festivus & elegans dicitur, &c.

Quod si sacerdotes rem recta æstimarent via, tantum incommodum secum trahit accessio ditionis prophanæ, ut recusanda sit, etiamsi ultro offeratur. Fiunt mancipia principum, & aulæ: impetuntur seditionibus: involuuntur bellis, in quibus interdum exhalant animam: breviter fit ut monarchæ habeant honestum famulitium. Sed ubi interim patres populi Christiani? ubi pastores?

Quale verò jam est, abbates & Episcopos eiusmodi titulos magnis summis à monarchis emere? Abbas honestus non videtur, nisi idem sit Comes. Ornasse sacerdotium videtur, qui Ducis titulum admercatus est. O pulchrè conjuncta vocabula, Abbas & Satrapa! Episcopus & bellator. Atque multo absurdius, quod hic quidem fortes viros agunt: in eo, quod erat proprium ipsorum munus, umbræ sunt.

Habent manus & gladios, quibus occidant corpora: sit hæc sane justicia, at iidem non habent linguam, qua sanent animos. Abbas novit instruere aciem, at idem nescit esse dux ad religionem. Episcopus ad confligendum armis, ac bombardis affatim instructus est: sed idem ad docendum, ad exhortandum, ad consolandum mutus est. Armatus est in jaculis & balistis: divinis scripturis prorsus inermis est. Et tamen interim quicquid emolumenti, quicquid honoris debetur piis abbatib. & bonis Episcopis, ad asſem exigunt à suis: imo interdum non quantum debetur, sed quantum libet, &c. Eheu, quam perperam Clerici hodie rapiunt Christum & eius patrimonium?

Idem in Chil. 4. cent. 8. fol. 986. Mithragyrtæ Romæ olim erant secerdotes, qui ex mendicitate vivebant. Vnde etiam hodie Mithragyrtæ dicuntur, qui obambulant cum simulatis mysteriis, ac rudibus imponunt. Nam hoc genus hominum & olim fuisse, declarat Apuleii asinus non dissimiles iis, qui hodie divi Antonii, Cornelii, aut Ioannis Baptistæ reliquias ad quæstum circumferunt potius, quam ad pietatem.

Idem in commentario in Psalmum, Quare fremuerunt gentes. Amant primos accubitus in conviviis Ecclesiastici nostri: amant ambulare in stolis & phylacteriis conspicui: amant salutari Rabbi in foro: amant ocium: amant ex alieno vivere. Diligunt opes, diligunt voluptates carnis: diligunt tyrannidem. Et ideo nō ferunt sermonem Evangelicum: quia contrarius est cupiditatibus ac factis ipsorum.

Idem in libello de modo confitendi, non hoc ago, inquit, ne confiteamur, sed ut utiliter confiteamur. Id efficere non poteram, nisi propositis quibusdam incommodis, quæ non adscribo confessioni, sed vitio confitentium & audientium. Iam quum totus mundus plenus sit fabularum de flagitiis ac sceleribus quæ sub umbra confessionis admittuntur, indignantur mihi, quod moderatissime quædam attigerim: nec reputant, quam multa pudore Christiano siluerim eius generis, ut vel sola commemoratio posset lectoris animum inficere.

Verum monarchi complures non amore pietatis urgent hanc confessionem, sed quod hic auferant luculentam messem: dum regnant in ædibus divitum, quorum secreta norunt: dum adsunt morientibus: dum arrodunt testamenta. Considerent Lernam malorum, quæ hactenus orta est ex confessionibus: & mirari desinent, si quid admonui de recte confitendo. Considerent item, quanta fuerit superstitio in cultu divorum, quanta pestis ex ceremoniis humanis: & videbunt, nostam admonitionem maxime necessariam fuisse.

Gratissimus divis cultus est, si quis illorum vitam imitetur, tametsi à nullo certius exemplum vitæ petitur, quam ab ipso Christo. Ad verum cultum provoco. Sed superstitiosus cultus istis erat utilior, & hinc vociferatio. Ecclesiasticas ceremonias nec ibi, nec usquam damno: sed quomodo illis utendum sit, indico, & ad meliora provoco. Hoc idem si docet Christus, si beatus Paulus, si pium & sanctum est, cur in me clamatur?

At quidam clamant, quis nesciebat, in ceremoniis non esse constituendum finem pietatis? Imo quis nescit, totam religionem hactenus fuisse redactam ad ceremonias, ac vigorem illum evangelicum fuisse per eas propemodum antiquatum? Verum id erat utilius ad quorundam dignitatem & quæstum. Sed Christus aliud sitit lucrum, cujus dignitatis oportet primam esse rationem. Commendent se vera pietate, quæ si absit, ceremoniarum pompa quid aliud est, quam hypocrisis?

De delectu verborum abunde respondi Natali Bedæ, si quid pudoris esset in homine. Nullus est vere pius, quin si rem attente consideret, mallet in his rebus obligationem versam in exhortationem: ut

ut nunc quidem sunt tempora, minus esset laqueorum, & plus esset ex animo jejunantium, maxime, si in vita sacerdotum reluceret exemplum abstinentiæ, temperantiæque Christianæ.

p. 146. In Gallia, ut scribunt, duo periclitantur, non ob aliud, nisi quia duobus quadragesimæ diebus comederunt carnes, coacti morbo. Vide, quid faciunt ceremoniæ, nimirum, ut ob hominum constitutiones violemus præcepta Dei, levius ducentes parricidium, quam præterire constitutionem Pontificum: quanquam hoc nullus Pontifex vetuit, ne ægrotus ea sumat, quæ postulat valetudo.

Immodicam festorum multitudinem non ego solus improbo, præsertim, quum hodie nullis diebus plus peccetur, quàm festis. Moderata festa valdè probo: sed ea velim sacris rebus, quibus inventa sunt, non voluptatibus & sceleribus dari.

Non pendet hodie religio Christianorum à miraculis, nec obscurum est, quòd opiniones invectæ sunt in orbem per homines ad suum quæstum callidos, confictorum miraculorum præsidio. Quæ sunt in sacris literis, tantò firmiùs credemus, si non quibuslibet hominum fabulis crediderimus. Atque adeò jam nunc exoriuntur, qui vetus artificium revocant.

Alibi visum est spectrum, quod à presbitero flagitaret absolutionem, quia citra confessionem decesserat: non quòd negata fuisset sacerdotis copia. Quid hîc discimus, nisi absolvi posse, qui non confiteutur, & post hanc vitam opus esse presbytero iis, quibus volentibus defuit confitendi facultas.

Alibi parochus quidam sub diem parasceves clàm immisit in cœmiterium vivos cancros, affixis ad latus cereolis ardentibus: qui quum reperent inter sepulchra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propiùs. Hinc rumor atrox. Consternatis omnibus, parochus è suggestu docet populum, has esse defunctorum animas, quæ missis & eleemosynis flagitarent à cruciatu liberari. Fucus ita proditus est: reperti sunt tandem unus & alter cancer inter rudera, faciem exstinctam gestantes, quos parochus non recollegerat.

Idem aliud machinatus est. Convivebat illi neptis, mulier benè nummata. In hujus cubiculum profunda nocte solet irrepere, lineo involucro umbram mentiens. Emittebat voces ambiguas, sperans fore, ut mulier accerseret exorcistam, aut ipsa loqueretur. Verùm illa nimis masculo animo, clàm rogavit cognatum quendam, ut unam noctem secum esset tectus in cubiculo. Ille verò fuste armatus pro exorcismis, ac probè potus, quò minus expavesceret, occulitur in lecto. Adest spectrum solito more, nescio quid triste mugiens. Excitatur exorcista. Prosilit nondum sobrius, aggreditur. Ibi spectrum voce gestuque deterrere eum parat. At ebrius ille, si tu es, inquit, diabolus, ego sum mater illius, & correptum impostorem fuste dolat: occisurus, ni mutata voce clamasset: parce, non sum anima, sed sum dominus Ioannes. Ad vocem agnitam mulier exilit è lecto pugnamque dirimit.

Notandum de Erasmo, à Dominicano quodam conscripta esse quædam, sub nomine Erasmi in favorem pontificæ doctrinæ, quæ Erasmus negavit sua esse in catalogo lucubrationum suarum.

Idem. Vsq; ad ætatem Hieronymi erant probatæ religigionis viri, qui in templis nullam ferebant imaginem, nec pictam, nec sculptam, ac ne Christi quidem: nempe tempore usq; ad annum Domini 390.

Idem in epistola ad Gulhelmum Quinoum scribit: Si quid sectis concedat Imp. Augustæ in comitijs, clamabunt, se victores, nec video, qui laturi sint illorum insolentiam. Sin vicerit altera pars, quis feret Monachorum tyrannidem? Nota ambidextrum, & fluctuantem inconstantiâ animum.

Idem in Epist. ad Ioa. Frid. Saxonem & Lantgravium Hassiæ. Si justissimus Deus nostra ope ceu parato flagello adversû crimina cleri & plebis decrevit uti: nihil aget in terris ullus propugnator, donec rectores nostri ad correctionem tam Ecclesiæ, quàm politiæ adigantur.

Idem ad Iodocum Ionam. Ioannes Vitrarius Franciscanus scholasticis doctoribus, ceremoniis, & indulgentiis papalibus minimum tribuebant. Qui cum in quodam sororcularum cœnobio ad castius vitæ genus eas adhortaretur in concione (lupanar illud monasterium erat) octo ex earum numero deploratæ in ejus necem conspirabant, ut iniectis fasciis præfocarent. Sed divino adiutorio evasit maleficarum manus. Autor conspirationis Dominicanus quidam erat, Episcopo Morinensi à suffragiis, vir palam impiæ vitæ. Bis erat Vitrarius coram Episcopo accusatus, quod Papæ indulgentias non probasset.

Idem in præfatione super opera Augustini; Augustinus, inquit, adolescens habuit concubinam, quod humanæ permittunt leges: & hac non repudiata, sed erepta, adscivit alteram. Verum utrique seruavit conjugii fidem: quam probitatem hodie temere requiras in Sacerdotibus, aut Abbatibus.

Idem in annotationibus super Novum testamentum, 1. *Cor.* 7. Si, inquit, verum est, quod quidam asseverant, Pontificem errore judiciali non posse errare quid opus generalibus conciliis? quid opus in concilium accersere Iureconsultos, ac Theologos eruditos? Si pronuncians labi non potest, cur datus est appellationi locus, vel ad Synodum, vel ad eundem rectiùs edoctum, cum semel de causa pronunciavit Pontifex? Quorsum attinet, tot Academias in tractandis fidei quæstionibus distorqueri, cùm ex uno Pontifice, quod verum est, audire liceat? Imò qui fit, ut Pontificis hujus decreta cum illius pugnent decretis? Ut enim taceam de Formoso: nonne Papa Ioannes 22. & Nicolaus3. decretis totis inter se pugnant, idque in his, quæ videntur ad fidei negotium pertinere? Quorum alter pronunciavit judicialiter (illorum more loquor) Christum & Apostolos nil habuisse nec in commune,
p. 147. nec privatim, alter contrà pronunciat, habuisse. Id ex ipsorum Extravagantibus licebit cognoscere.

Idem alibi. Si sacerdos alat capillitium, aut vestem sumat hominis prophani, rapitur in carcerem, acriter punitur: si bibat in lupanari, si scortetur, si ludat aleam, si vitiet alienas uxores, si nihil attingat sacræ lectionis, tamen columna est Ecclesiæ. Non excuso mutatam vestem, sed accuso præposterum judicium. Imò si non persolvat pensum precum horariarum, paratum est anathema. Si fœneretur, si Simoniã admittat, impune est.

Si quis videat Carthusianum aliter vestitum, aut vescentem carnib9, quàm execratur, quàm horret, quam timet, ne terra dehiscens & spectatorem, & spectatũ absorbeat? Idem si videat eum temulentum, mendacibus verbis in famam aliorum debachantem, manifestis dolis imponentem tenui vicino, nemo perinde abominatur. Veluti si quis videat Franciscanum enodi cingulo cinctum, aut Augustinensem non corio, sed lana cinctum, aut discinctum Carmelitam, aut cinctum Rhodiensem: rursus, si percalceatum Franciscanum, aut semicalceatum Cruciferum, nonne concitaret Tyria (quod dici solet) maria? Imò nuper apud nos ex duabus fœminis, quarum utramque dixisses prudentem, altera abortiit, altera concidit syncopi, quod conspexerant canonicum quendam sacris virginibus præfectum in propinqua vicinia, sed tamen in publico obambulare, qui vestẽ lineam non haberet, rectum nigro pallio.

Idem in Colloquio adolescentis & scorti. Lucretia. Audio, te fuisse Romæ. Sophronius. Fui. Lu. Atqui inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi versũ accidit? Soph. Dicam: qui non eodẽ animo modoq; Romam adii. Cæteri ferè ideò eunt Romam, ut redeant deteriores: & ad eam rem ibi suppetunt affatim occasiones.

Idem. Qvin & hi, qui sacras literas interpretantur è suggesto, quas nemo sine Spiritus afflatu vel intelligere rectè, vel docere potest utiliter, malunt invocare virginis matris auxilium, quàm ipsum Christum, aut Christi spiritum. Et in hæreseos suspicionem vocatur; qui mutire audet adversus hanc consuetudinem; quam vocant laudabilem. Atqui laudabilior erat veterum consuetudo; quam obtinuernot Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, qui spiritum Christi identidem invocant, virginis auxilium nusquam implorant.

Similis error habet complures monachos: qui sibi persuadent, Benedictum esse propitium, donec gestent illius cucullam & pallium: quanquam non arbitror, eum virum unquam gestasse tam laciniosam, magnoque emtam vestem: nec verentur illius iram, quod in vita nihil habeant cum illo commune.

Francisci germanus est, qui vestem cinericiam, & cannabeum cingulum non abiicit: vitam confer, nihil pugnantius; De plerisque loquor: quamquam hic sermo per omnes ordinum, & professionum formas circumferri potest.

Idem. Videmus, religiosos vel gravissima in Christum convicia ferre citius, quàm Pontificem levissimo joco aspergi. Atqui vitas hominum ita taxat, ut neminem omninò perstringat nominatim, quæso utrum is mordere videtur potius, an monere?

Epistola Erasmi ad Illustrissimum D. Fridericum, Saxoniæ Ducem, &c.

Illustrissimo Principi Friderico, Duci Saxoniæ, sacri Imperii Electori. Erasmus Celsitudini tuæ addictissimus, salutem ac fœlicitatem. Illustrissime Princeps, tametsi mihi nunquam contigit, illustrissimam Celsitudinem tuam intueri coràm, aut alloqui, quod ego sanè non in minima infelicitatis meæ parte numero: tamen inflammatus omnium prædicatione, miro consensu, cùm eximias tuas dotes, vel summo dignas imperio, tum mirificum quendam animum erga bonas literas provehendas, laudibus vehementium, atque in me quoq; peculiariter & eximiè propensum, ausus sum Cæsarum vitas per me recognitas, tuo dicare nomini: nihil aliud venans aut captans à sublimitate tua, nisi ut ei disciplinarum optimarum studia redderem

rem commendatiora, alioque pacto testarer, me tanti Principis ultroneo favori, mutuo quodam amore respondere.

Porrò, quo minus volumen ad te miserim è Basilea (nam illic opus excusum est) in causa fuit, quòd cum inter esses ingens (id enim temporis agebas Wittenbergæ) non dabatur certus quispiam, cui tuto committi posset. Mox vero visum est supervacaneum, mittere liberum, qui nusquam gentium non esset evulgatus. Libuit tamen interim, hasce literas velut exploratrices mittere, quarum judiciò cognoscam, gratane fuerit nostro sedulitas, an secus. Si parum fœliciter cessit audacia, dabitur opera, ut quod hic admissum est errore, aliàs sarciatur. Neque dubito, quin singularis illa tua, & nulli non prædicata clementia, culpam eam facilè condonatura sit animo sedulò certè, propensoque, cui, si judicium defuit, studium non defuit demerendi magnitudinem tuam.

Sin bene cessit, quod ausi sumus, non aliud officii præmium poscimus, nisi ut pergas favere melioribus literis, jam passim per nostram etiam Germaniam efflorescentibus, atque hanc quoque laudis partem tuis asserere, quæ forrassis non minus dignitatis sit allatura vel patriæ, vel Principibus ipsis, quam hactenus peperit bellicæ rei gloria. Ea fœlicitas nobis continget, si & Principum benignitas fovebit optimarum literarum Professores, ac juvenum ingenia, quæ spem non
Pi 148. vulgarem de se præbere videntur: & autoritas adversus μισομούσους istos, ac veteris inscitiæ tyrannidem, omnia armorum vi pertinacissime tuentes, sit nobis præsidio.

Quid enim non moliuntur hostes devoti bonorum studiorum? quas non technas? quas non Sycophantias? quas non insidias, comminiscuntur? quibus non cuniculis conantur obrepere? quas non admovent machinas? quæ non tela in nos torquent letali veneno tincta? quæ conspiratio, quam arctum inter istos fœdus ad profligandas literas? quas quia non didicerunt, pudet senes discere, cum minore pene opera discere potuerint, quam impugnant. Quam hic concordes sunt, qui nusquam consentiunt, nisi ad lædendum? quam hic habent ingenium, ad meliora stupidi? quam hic vigilant, ad bene merendum oscitabundi?

Prodiere nuper lucubrationes aliquot Martini Lutheri, simulque rumor allatus est, hominem supra modum gravari authoritate reverendissimi Cardinalis Sancti Sixti, qui apud Suevos Romani Pontificis agit Legatum. Vt hic protinus exultierunt? ut gestierunt? ut gauisi sunt? occasionem, ut ipsis visum est, maxime opportunam esse datam, lædendi bonas literas. Nam, juxta Græcorum proverbium: improbis præter occasionem nihil deest, quæ videlicet nocendi facultatem præbeat iis, quibus adest perpetua nocendi voluntas. Continuo sacræ apud populum conciones, scholæ, conciliabula, convivia nihil aliud crepabant, quam hæreses & Antichristos. Atque huic tam odioso negociô, præsertim apud mulierculas & indoctam plebeculam, miscuerunt homines callidi, trium linguarum, eloquentiæ, politiorisq; literaturæ mentionem, qua si aut Lutherus his præsidiis fideret, aut ex hisce fontibus hæreses nascerentur.

Hæc impudentia plus quam Sycophantica, cum optimis quibusque displiceret, tamen uti bellum inventum probabatur quibusdam, qui se Theologiæ antesignanos, & Christianæ religionis columnas existimant. Et vide, quam studio cæci nostris blandimur vitiis, atrocem contumeliam, imo facinus hæresi proximum ducimus, si quis Theologum Rabulam; quales sunt non pauci, pro Theologo ματαιολόγον nominet. Ipsi nobis ignoscimus, cum apud frequentem populum vocemus hæreticum & Antichristum, cuicunque succensemus.

Lutherus mihi tam ignotus est, quam cui ignotissimus, ut suspectus esse non queam, quasi faveam amico. Hujus lucubrationes nec tueri meum est, nec improbarè, ut quas hactenus non legerim, nisi carptim. Certe vitam hominis nemo, qui novit, non probat, quæ cum longissime absit ab omni suspitione auaritiæ atque ambitionis, & morum innocentiâ vel apud Ethnicos favorem invenit.

Quam non congruit mansuetudini Theologicæ, protinus, ac ne perlecto quidem libro, tam immaniter debacchari in nomen ac famam probi viri, idque apud imperitam plebeculam, quæ prorsus caret iudicio? Præsertim cum ille disputanda proposuerit, cum omnium iudicio sese submiserit, quorum non oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo revicit. Tantum vociferantur, hæreticum, seditiosis clamoribus ad lapides provocant. Dicas, eos sitire sanguinem humanum, non salutem animarum.

Quo invisius est hæreseos nomen auribus Christianis, hoc minus committendum est, ut temere in quenquam impingatur. Non statim quivis error hæresis est. Neque protinus hæreticum est, quid quid huic aut illi displicet. Neque semper fidei negocium agunt, qui prætexunt hujusmodi splendidos titulos. Imo, plerique suum agunt negocium, vel quæstus

ftui suo consulentes, vel tyrannidi. Quin præcipiti lædendi studio sæpe criminantur in alio, quod ipsi domi probāt.

Denique, cum tot sint veteres ac neoterici Scriptores, nec horum quisquam adhuc repertus sit, in cujus libris non fateantur inesse periculosos errores: cur reliquos taciti placatique legimus, in unum aut alterum tam atrociter sævimus? Si veritati patrocinamur, cur non ex æquo offendit, ubicunque reperitur, quod veritati repugnat? Sanctissima res est, fidei regionisque sinceritatem tueri, sed sceleratissima res est, prætextu defendendæ fidei, nostris servire cupiditatibus.

Si quicquid in Scholis receptum est, oraculum haberi volunt, cur inter se Scholæ dissentiunt? cur scholastici Doctores inter se pugnant ac digladiantur? Imo, cur in eadem Sorbona Theologus à Theologo dissentit? Imo perpaucos reperias, qui consentiant, nisi conspirârint. Ad hæc non raro deprehenduntur damnare in recentium libris, quod in Augustino aut Gersone non damnant, quasi veritas cum authore mutetur. Eos quibus favent, sic legunt, ut omnia torquentes, nil non excusent: quibus infensi sunt, sic legunt, ut nihil non calumnientur.

Optima Christianissimi pars est, vita Christo digna. Quæ si bona suppetit, non debet esse facilis hæreseos suspicio. Nunc quidem nova comminiscuntur fundaméta, sic enim vocant, hoc est, novas leges condunt, per quas docent, hæreticum esse, quid non placet. Quisquis alterum hæreseos accusat, ipse præstare debet mores Christiano dignos, charitatem in admonendo, lenitatem in corripiendo, candorem in judicando, lenitudinem in pronunciando. Cum nemo nostrûm careat erratis, cur alienos lapsus tam inclementer insectamur? cur malumus vincere, quam mederi? cur opprimere, quàm docere? At ille, qui solus omnium omni caruit errore, non comminuit baculum confractum, nec extinguit linum fumigans.

Augustinus de Donatistis plus quàm hæreticis agens, non vult, eos cogi, sed tantùm doceri. Et ab horum cervicibus magistratuum gladios depellit, quorum ficis ipse quotidie impetebatur. Nos, quorum proprium munus est docere, cogere malumus, quia facilius.

p. 149. Hæc illustrissime Dux, eo scribo liberius, quo minus ad me pertinet causa Lutherana: cæterùm, ut tuæ Celsitudinis est, Christianam religionem pietate tua protegere, ita prudentiæ est, non committere, ut quisquam innocens, te justitiæ præside, sub prætextu pietatis aliquorum impietati dedatur. Vult idem Leo Pontifex, cui nihil magis est cordi, quàm ut tuta sit innocentia. Pater vocari gaudet, nec amat eos, qui sub ipsius umbra tyrannidem exercent, neque quisquam magis paret animo Pontificis, quàm is, qui quod æquissimum est, exequitur: quid istic de Luthero sentiant, nescio. Certè hic video, libros ipsius ab optimis quibusq; cupidissime legi, quanquam mihi nondum vacavit evolvere. Bene valeat eadem tua Celsitudo, quam nobis diu incolumen, fœlicem, florentemque servet Christus optimus maxim9.

Notandum hic est, Saxonem sæpius deliberasse de dimittendo seu eiiciendo, quod à Pontifice damnatus esse, Luthero: sed vacillantem ab hoc consilio, istâ Erasmi epistolâ, ne scilicet innocentem impiis dederet, fuisse retractum.

Principis Electoris Saxoniæ, Ducis Friderici Responsio ad Erasmum Roterodamum.

Dei gratia Fridericus Dux Saxoniæ, sacri Romani Imperii Archimarscallus, Princeps, Elector, & Vicarius, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Misniæ S. P. Quamvis non dubitemus, Erasme eruditissime, te ex literis nostris, Iodoco Ionæ ad te nuper proficiscenti datis, planè cogniturum, tuam erga nos singularem istam benevolentiam, ut alioquin, ita in dedicatione Suetonii, & aliorum historicorum illustrem, nobis esse gratissimā: respondendum tamen tuis existimavim9 ad nos Antuerpia XVIII. Calend. Maias scriptis, cum ob alia non pauca, tum quod eruditissimè simul, & elegantissimè tuam erga nos synceram & veram Christi eruditionem, & erga Evangelicam veritatem studium & amorem pientissimum iam pridem nobis exploratum fecerunt perspectiorem.

Est, ut scribis, mira osorum melioris doctrinæ conspiratio in id solum idonea, ut bonis, piis, & probe literatis noceat.

Non damnari ab eruditis causam Lutheranam, & D. Martini lucubrationes ab optimis quibusq; istic cupidissime legi letamur, eoque magis, quod plerique bonorum & eruditorum in nostris quoque Regionibus & Principatibus, nedum externis, hominis tam vitam & mores, quàm eruditorum in nostris quoque Regionibus & principatibus, nedum externis, hominis tam vitam & mores, quàm eruditionem miro consensu laudant. Quod enim hactenus in Saxonibus nostris degit, non tam homini, quàm causæ dedimus, nihil minus unquam conati, quàm ut dignos præmiis pœna premeret. Neque Deo omnipotente juvante, committemus, ut nostrâ culpâ innocens quispiam suæ quærentium impietati dedatur.

Ad hæc, Deo autore, bonis literis & rectis

rectis studiis, & eorũ tam Professoribus, quam studiosis non minus in posterum favebimus, quam hactenus favimus. Id quod, pro præcipua nostra erga te gratia, latere te noluimus in præsentiarum. Bene vale doctissime Erasme. Ex Arce nostra Grimneusi, pridie Idus Maias, anno M. D. XIX.

Idem. Inter eruditos jureconsulti sibi vel primum vendicant locum, neq; quisquam alius æquè sibi placet, dum Sisyphi saxum assidue volvunt, ac sexcentas leges eodem spiritu contexunt, nihil referr, quam ad rem pertinentes, dumque glossematis glossemata, opiniones opinionibus cumulantes, efficiunt, ut studium illud omnium difficilimũ esse videatur. Quicquid enim laboriosum, idem protinus & præclarum existimant.

Idem Adagiorum Chiliade 1. cent. 9. parœm. Non datur baptismus, h. e. non licet fieri Christianum, nisi numeres. Non comprobant matrimonium, nisi numeres. Non audiunt pœnitentium commissa, nisi perent præmium. Vix procul mota manu benedicunt, nisi dederis. Non consecrant sacrum aut calicem, nisi data mercede. Denique non impertiunt corpus Christi, nisi numeres. Ut non dicam, quanta messis colligatur ex litibus, & dispensationibus, & indulgentiis, è conferendis sacerdotiis confirmandis Episcopis, & Abbatibus. Sed quid apud illos gratuitum est, apud quos emitur sepultura etiam in alieno solo? Non psallunt etiam gratis, non orant gratis, non imponunt nomen gratis, &c.

Ibidem Chil. 3. cent. 7. Adagio, Scarabeus Aquilam quærit. Primum in hoc Aquilæ præstat etiam Scarabeus, quòd senectam quotannis exuit, ac subinde repubescit. Iam hoc ipsum tanti est, ut existimem, Romanos etiam Pontifices, quum eis liceat recta in cœlum immigrare, (quippe cujus clavem gerant) tamen ubi perventum est ad inamabilem illam senectutem, quæ voluptatibus omnibus se abdicat, malle cum scarabeis cristam abiicere, quàm pro triplici corona septemplicem accipere. Risit igitur Erasmus Papam cum aliis multis, etiam ante Lutherum. Nam adagia edita fuerunt circa annum D. 1500. Lutherus autem circa annum 1516. Papatum modò impugnare cœpit.

Idem in Colloq. Peregrinatio religionis ergò. Menedemus. Quid isthuc ornatus est? obsitus es conchis, imbricatis, p. 250. stanneis, ac plumbeis imaginibus, oppletus undique culmeis, ornatus torquibus, brachium habet ova serpentum. Ogygius. Visi divum Iacobum Compostellanũ & hinc reversus, Virginem Parathalassiam apud Anglos percelebrem: quin potius hanc revisi, nam ante annos tres inviseram. Men. Animi gratia, ut opinor. Og. Imò religionis causa. Men. Istam opinor religionem docuerunt te Græcæ literæ. Og. Mater uxoris voto se obstrinxerat, ut, si filia peperisset masculum vitalem, ego Divo Iacobo præsens præsenti salutem dicerem, & gratias agerem. Men. Salutasti Divum tuo duntaxat & socrus nomine? Og. imò totius familiæ verbis. Men. Equidem arbitror, nihilominus salutis futurũ fuisse satis familiæ, etiamsi Iacobum insalutatũ reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias? Og. Nihil, sed offerenti munꝰ visus est arridere, & capite leviter annuere, simulque porrexit hoc imbricatum putamen. Men. Cur ista potius donat, quam alia? Og. Quoniam his abundat, suggerente vicino mari. Men. O benignum divum qui & obstetricatur parturientibus, & operam dat hospitibus. Verùm quodnam novum isthuc vovendi genꝰ, ut ociosus aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto astringeres, ut si quod ageres, feliciter cederet, ego jejunarem bis in hebdomade, an credis, me facturum quod vovisses? Og. Non credo, etiamsi tu ipse tuo nomine vovisses. Nam tibi Divis os oblinire ludus est. At socrus est, mos gerendus erat: nosti mulierum affectus, & mea quoque referebat. Men. Si non præstitisses votum quid erat periculi? Og. Non poterat me Divus vocare in jus, fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad vota mea, aut tacitus aliquid calamitatis immittere in meam familiam. Nosti principum mores. Men. Dic mihi, quid valet agitque vir optumus Iacobus? Og. Multò frigidius solito. Men. Quid est in causa? senium? Og. Nugator: scis, Divos non senescere. Verùm hæc nova persuasio, quæ latè per orbem divagatur, facit, ut infrequentius salutetur solito: & si qui veniunt, salutant tantùm, nihil, aut quàm minimum donant, dictitantes, eam pecuniam rectius collocari in egenos. Men. Impia (ironia est) persuasio. Og. Itaque tantus Apostolus, qui solebat totus gemmis & auro fulgere, nunc stat ligneus, vix sevaceam habens candelam. Men. Si verum est, quod audio, periculũ est, ne reliquis Divis idem veniat usu. Og. Imo circumfertur epistola, quam hac de re scripsit ipsa Virgo Maria. Men. Quæ Maria? Og. Quæ cognomen habet à lapide. Men. Apud Rauracos, ni fallor. Og. Ea est. Men. Lapideam igitur Divam mihi narras. Sed cui scripsit? Og. Nomen ipsa indicat epistola. Men. Per quem missa est? Og. Haud dubie, quin per Angelum, qui posuerat scriptam in suggesto, unde concionabatur is, ad quam scripta est.

Et ne quid fraudis suspiceris, videbis epistolam αὐτόγραφον. Men. Itáne agnoscis manum Angeli, qui est virgini ab epistolis? Og. Quidni? Men. Quo tandem argumento? Og. Legi Epitaphium Bedæ, quod ab Angelo insculptum est: elementorum figuræ per omnia congruunt. Legi & Syngraphā Divo Ægidio missam: congruunt. Annon hæc satis arguunt rem? Men. Fásne est inspicere? Og. Fas, si deieres, te taciturum. Men. Oh lapidi dixeris. Og. Iam sunt & lapides hoc nomine infames, quòd nihil celent. Men. Muto igitur dixeris, si lapidi parum fidis. Og. Hac lege recitabo, tu fac, utramque arrigas aurem. Men. Arrexi.

Og. Maria mater Jesu Glaucopluto S. D. Quod Lutherum sequutus strenue suades, supervacaneum esse invocare Divos, à me quidē isto nomine bonam magnamque inisti gratiam, scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quicquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget petenti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt à virgine, quæ verecundus juvenis vix auderet petere à Lena, quæque me pudet literis committere. Interim negotiator lucri causa navigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo Deo sacra, abjecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi miles impius, & ad lanienam conductus: Beata virgo da prædam opimam. Occlamat aleator: Fave Diva, pars lucri tibi decidetur. Et si parùm faveat alea, me convitiis lacerant, maleque precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat, quæ quæstui turpi semet exponit: Da proventum uberem. Si quid negem, illicó reclamat: Ergóne sis mater misericordiæ? Aliorum vota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta, Maria, da mihi formosum ac divitem sponsum. Clamat nupta, da mihi bellos catulos. Clamat gravida, da mihi facilem partum. Clamat anus, da mihi diu vivere sine tussi sitique. Clamat senex delirus, da repubescere. Clamat Philosophus, da nodos insolubiles nectere. Clamat Sacerdos, da sacerdotium opimum. Clamat Episcopus, serva meam Ecclesiam. Clamat nauta, da prosperos Cursus. Clamat præfectus, ostende mihi filium tuum, antequam moriar. Clamat aulicus, da verè confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus, da tempestivam pluviam. Clamat rustica, serva gregem & armentum incolume. Si quid renuo, illico sum crudelis. Si relego ad filium, audio: vult ille, quicquid tu vis. Itáne ego sola, & mulier & virgo dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus, & agricolis? Atqui, quod dixi minimum est præ his, quæ patior. Sed his negotiis nunc multo minus gravor quo, quidē nomine tibi gratias agerē maximas nisi commodum hoc incommodum majus secum traheret: plus est ocii, sed minus est honorum, minus est opum. Ante salutabar regina cœlorum, domina mundi: nunc vix à paucis audio, Ave Maria. Antè vestiebar gemmis & auro, abundabam mutatoriis, deferebantur aurea gemmeque donaria: nunc vix tegor dimidiato pallio, eoque corroso à muribus. Proventus autem annui vix tantum est, ut alam miserum æditu um, qui accendat lucernulam, aut candelam, aut sevaceam. Atque hæc tamen poterant ferrri, ni majora etiam moliri diceretis: Huc tendis, ut ajunt, ut quicquid usquam est divorum, exigas ex ædibus sacris. Etiam atque etiam vide quid agas. Non deest aliis divis, quo suam ulciscantur injuriam. Ejectus templo Petrus, potest tibi vicissim occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladium. Bartholomæus cultro armatus est. Guilhelmus sub pallio monachi totus armat9 est, non sine gravi lancea. Quid autem agas cum Georgio, & equite & caraphracto, hasta simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius, habet sacrum ignem. Sunt item & cæteris sua vel arma vel mala, quæ quibus volunt immittunt. Me vero quantumvis inermem, non tamen eiicies, nisi simul ejecto filio, quem ulnis teneo. Ab hoc non patiar me divelli: aut hunc unà mecum extrudes, aut utrumq; relinques, nisi mavis habere templum sine Christo. Hæc te scire volui, tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi planè res cordi est. Ex æde nostra lapidea cal. Aug. an. filii mei passi 1524.

Virgo Lapidea mea manu subscripsi.

Mened. Minax profectò ac formidabilis epistola. Cavebit opinor Glaucoplutus. Og. Si sapit. Men. Quamobrem non eadem de re scripsit huic optimus ille Iacobus? Og. Nescio, nisi quod longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. Men. Sed quis Deus te redegit in Angliam? Og. Ventus illuc invitabat mirè secundus, atque id propemodum eram pollicitus Divæ Parathalassiæ, me post biennium ipsam revisurum. Men. Quid petiturus ab illa? Og. Nihil novi, nisi illa vulgaria, familiam incolumem, rem uberiorem, longævam lætam

lætamque vitam in hoc seculo, & perennem felicitatem in futuro. Men. Non poterat eadem præstare virgo mater apud nos? Habet Antuerpiæ templum longe augustius, quam in Parathalasso. Og. Haud nego posse, verum aliis in locis alia largitur, sive sic visum est animo illius, sive ut est benigna, semet in hoc nostris affectibus accommodat. Men. De Jacobo frequenter audivi: sed obsecro te, describe mihi regnum istius Parathalassiæ. Og. Equidem expediam, quam potero, paucissimis. Celeberrimum nomen est per universam Angliam, nec temere reperias in ea insula, qui speret, res suas fore salvas, quin illam quotannis aliquo munusculo, pro facultatum modulo, salutârit. Men. Ubi habet? Og. Ad extremum Angliæ finem, inter occidentem & septentrionem, haud procul à mari, passuum ferè tribus millibus. Vicus est vix alia re victitans, quam commeantium frequentia. Collegium est Canonicorum, sed quibus à Latinis regulæ cognomen additur, medium genus inter monachos & canonicos, quos seculares appellant. Men. Amphibios mihi narras, quod genus est fiber. Og. Imò & Crocodilus. Sed omissis cavillis, trib9 verbis expediam, quod vis. In odiosis canonici sunt, in favorabilibus monachi. Men. Adhuc mihi quidem ænigma refers. Og. Quin addam apodixin mathematicam. Si Rom. *Pontifex* fulmine feriat omnes monachos, tum canonici fuerint, nó monachi: si idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi. Men. O novos favores, utinam abducant & meam. Og. Sed ut ad rem: Collegium hoc vix habet alios proventus, quàm ex liberalitate Virginis: nam majora quidem donaria servantur. Cæterum, si quid est nummorum, aut levioris precii, cedit in alimoniam gregis & præfecti, quem illi priorem vocant. Men. Probæ vitæ? *Og.* Non illaudatæ, pietate ditiores, quam annuo censu. Templum est nitidum & elegans, verum in eo non habitat virgo, sed illud honoris gratia cessit filio. Illa suum habet templum, ut dextra sit filio. Men. Dextra? Quò igitur spectat filius? *Og.* Bene mones. Cum occidentem spectat, dextram habet matrem: ubi se vertit ad Solis exortum, sinistra est. Nec hic tamen habitat, nondū enim ædificium est absolutum, & locus est undique perflabilis, patentibus ostiis, patentibus fenestris, & in propinquo est Oceanus ventorum pater. Men. *Durum:* ubi igitur habet illa? *Og.* In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum, ligneo tabulatu constructum, ad utrumque latus perangustum ostiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum: nec fere nisi ex cereis, fragrat odor naribus gratissim'. Men. Hæc omnia congruunt religioni. Og. Imo si introspicias, Menedeme, dicas, Divorum esse sedem, adeò gemmis, auro, argentoque nitent omnia. Men. Accendis animum, ut eò me conferam. Og. Haud pœnituerit itineris. Men. Nihil est illic olei sacri? *Og.* Inepte. oleum istud non resudat, nisi è sepulchris Divorum, velut Andreæ & Catharinæ. Maria sepulta non est. Men. Erravi, fateor, sed absolve fabulam. Og. Quò latius se spargat religio, alia aliis locis ostenduntur. Men. Et fortassis, ut uberior sit largitio, juxta illud:

Fit citò per multas præda petita manus.

Ogygus. Et nusquam non præsto sunt mystagogi. Menedemus. Ex Canonicis? Ogygius. Nequaquam, illi non adhibentur, ne per occasionem religionis alienentur à religione, ac dum observant virginem, parum ipsi consulant suæ virginitati. Tantum in intimo sacello, quod dixi conclave divæ Virginis, adstat altari canonicus quidam. Menedemus. In quem usum? Ogygius. Ut recipiat servetq; quod datur. Menedemus. An dant, qui nolint? Ogygius. Minimè, sed nonnullos pius quidam pudor huc adigit, ut dent, adstante quopiam, non daturi, si testis abesset, aut largius dant aliquanto, quàm erant daturi. Men. Affectum humanum dicis, & mihi non inexpertum. *Og.* Imo vero sunt quidam adeo dediti sanctissimæ Virgini, ut dum simulant, sese munus imponere altari, mira dexteritate suffurentur quod alius posuerat. Men. Fac, nullum adstare, annón in tales illico fulminaret Virgo? *Og.* Qui magis id faceret Virgo, quam ipse pater æthereus, quē non verentur nudare suis ornamentis, vel perfosso templi pariete? Men. Non satis mihi constat, utrū magis debeam admirari, illorumne impiam confidentiam an Dei lenitatem. *Og.* Ad latus itaque septentrionale porta quædam est, non templi, nequid erres, sed septi, p. 152. quo tota clauditur area templo adiacēs. Ea ostiolum habet perpusillum, quale videmus in valuis nobilium, ut qui velit ingredi, primum tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. Men. Profectò tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. *Og.* Rectè conjectas. Narrabat mystagogus, olim virum equestris ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui jam fugienti imminebat. Ibi miser desperans sui, subita cogitatione salutem suam commendavit Divæ Virgini, quæ erat in proximo. Nam ad hujus aram fugere decreverat, si valva patuisset. Et ecce rem inauditā, subito totus eques erat intra septa templi,

alte-

altero frustra foris insaniente. Men. Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem? Og. Maxime. Men. Id quidem non admodum facile apud te hominem philosophum. Og. Ostendebat in ostio laminam cupream clavis affixam, quæ habebat imaginem equitis servati, eoque cultu, quo tum Anglica gens utebatur, quem & in vetustioribus picturis videmus: quæ si non mentiuntur, frigebant id ætatis tonsores, qui pannos tingunt ac texunt. Men. Qui sic? Og. Quia barbatus erat non aliter quàm capræ, & universa vestis nullam habebat rugam; adeòque non erat major corpore, ut strictu corpus ipsum redderet angustius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. Men. Iam dubitare fas non erat. Og. Subter ostiolum erat cratis ferrea; quæ peditem transmitteret. Non conveniebat, ut equus post eum calcaret locum; quē prior eques virgini consecrasset. Mene. Et merito. Og. Hinc ad orientem est sacellum prodigiis plenum, eò me confero. Excipit alius mystagogus. Illic oravimus paulisper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, è tribus maximi: exosculor, deinde rogo, cujus sint reliquiæ? Ait, sancti Petri. Num Apostoli; inquam. Aiebat. Deinde contamplans magnitudinem articuli, qui gigantis videri potuerat, oportuit, inquam, Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem è comitibus quidam in cachinnum solutus est; id certe moleste tuli: Nam si is siluisset, æditus nos nihil celasset reliquorum. Eum tamen utcunque placuimus, datis aliquot drachmis. Ante ædiculam erat tectum, quod ajebat hyberno tempore, cum nix obtexisset omnia, eò subito fuisse delatum è longinquo.

Sub eo tecto putei duo ad summum pleni, fontis venam ajunt esse sacram divæ Virgini: liquor est mire frigidus, efficax medicando capitis & stomachi doloribus. Men. Si frigida medetur doloribus capitis & stomachi, posthac & oleum extinguet incendium. Og. Miraculum audis, ô bone, alioqui quid esset miraculi, si frigida sedaret sitim? Men. Et ista sane est una pars fabulæ. Og. Affirmabant, eum fontem de repente prosiliisse è terra, jussu sanctissimæ Virginis. Ego cuncta diligenter circumspiciens, rogabam, quot essent anni, quod ea domuncula fuisset eo deportata, dixit, aliquot secula. Alioqui parietes, inquam, non præ se ferunt aliquid vetustatis. Non repugnabat. Ne columnæ quidem hæ ligneæ. Non negabat, esse nuper positas, & res ipsa loquebatur. Deinde hæc, inquam, tecti culmea arundineaque materia videtur esse recentior. Assentiebatur. Ac ne trabes quidem hæ, inquam, transversæ, nec ipsa tigna, quæ culmos sustinent, videntur ante multos annos posita. Annuebat. Atqui cùm jam nulla casæ pars superesset unde igitur constat, inquam, hanc esse casulam illam è longinquo delatam? Obsecro, quomodo sese ab hoc nodo expediebat æditus? Og. Scilicet incontanter ille ostendit nobis pervetustū ursi pellem tignis affixam, ac propemodū irrisit nostram tarditatem, qui ad tam manifestum argumentum non haberemꝰ oculos. Itaque persuasi, & tarditatis culpam deprecati, vertimus nos ad cœleste lac beatæ Virginis. Men. O matrem filii simillimam: ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantum lactis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans:

Og. Idem causantur de cruce Domini, quæ privatim ac publicè tot locis ostenditur, ut si fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ justum onus videri possint, & tamen totam crucem suam bajulavit Dominus. Men. Annón tibi quoque mirum videtur? Og. Novum fortasse dici posit, mirum nequaquam, cum Dominus, qui hæc auget pro suo arbitrio, sit omnipotens. Men. Piè tu quidem interpretaris; at ego vereor, ne multa talia fingantur ad quæstum. Og. Non arbitror, Deum passurum, si quis ipsum ad istum irrideat modum. Men. Imo, cum à sacrilegis spoliatur & mater, & filius, & pater, & spiritus, ne tantulum quidem sese com movent interdum, ut vel nutu vel crepitu deterreant scelestos. Tanta est numinis lenitas Ogygius. Sic est, sed audi reliqua. Id lac servatur in altari summo, in cujus medio Christus, ad dextram mater, honoris gratia. Lac enim matrem repræsentat. Men. Conspicuum est igitur? Og. Videlicet, inclusum crystallo. Men. Liquidum igitur? Og. Quid liquidum mihi narras, cum fusum sit ante annos mille quingentos? Concretum est, dicas cretam tritam, alboque ovi temperatam. Men. Quin igitur nudum ostentant? Og. Ne contaminetur virorum osculis lac virgineum. Men. Probè dicis. Nam sunt, opinor, qui os ad moveant nec purum, nec virgineum. Og. Vbi nos videt mystagogus, accurrit, lineam vestem induit, sacram stolam addidit cervici, procubuit religiose, & adoravit, mox nobis lac sacrosanctum osculandum porrexit. Hic in extremo altaris gradu religiose procubuimus & ipsi, Christoque primum salutato, virginem oratiuncula tali, quam in hoc ipsum paráram, appellavimus: Virgo parens, quæ tuis virgineis

ube-

uberib. lactare meruisti cæli terræq; Dominum, filiũ tuum Jesum, optamus, ut illi9 sanguine purificati proficiam9 & nos ad felicem illam infantiam columbinæ simplicitatis, quæ nescia malitiæ, fraudis, ac doli, lac Evangelicæ doctrinæ concupiscit assidue, donec proficiat in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, cujus felici consortio frueris in æternum, cum patre & spiritu sancto, Amen.

p. 153. Men. Pia sanè deprecatio. Quid illa? Og. Visus est uterque annuere, nisi me fallebant oculi. Nam subsilire videbatur sacrum lac, & candidior aliquanto affulgebat Eucharistia.

Interim mystagogus ad nos accessit, tacitus quidem, sed tabellam porrigens, qualem apud Germanos offerunt, qui in pontibus telos exigunt. Men. Equidem sæpenumero male precatus sum illis petacibus tabellis, cum per Germaniam iter facerem. Og. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit virgini. Mox per interpretem ejus linguæ pulchrè peritum, & iuvenem blandæ cujusdam eloquentiæ, (nomen erat, ni fallor, Robertus Aldrisius) percontatus sum, quàm potui, civilissime, quibus argumentis cognitum haberet, hoc esse lac virginis. Id ego sanè pio studio scire cupiebam, quò possem impiis quibusdam hæc omnia ridere solitis os obturare.

Primùm mystagogus obducta fronte obticuit: jussi, ut interpres instaret, sed blandiùs etiam. Ille vero blandissime, adeo, ut, si matrem ipsam nuper puerperam talibus verbis appellasset, non fuerit ægre latura. At mystagogus tanquam afflatus numine quopiam, nos intuens oculis stupentibus, ac velut horrore vocem blasphemam execrantibus, quid opus, inquit, ista percontari, cùm habeatis tabulam authenticam? Et omninò videbatur nos ut hæreticos ejecturus, nisi drachmæ delinissent hominis ferociam. Menedemus. Quid vos interim? Ogygius. Nos quid censes? Non aliter, quàm fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illic subduximus, suppliciter audaciæ veniam comprecati. Sic enim convenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad ædiculam, hospitium divæ virginis.

Huc euntibus aperit sese quidam hierophanta ex illis minoribus, nosque veluti noscitans intuetur: aliquantulum progressis occurrit alius itidem contemplans nos: post etiam tertius. Menedemus. Fortasse cupiebant te pingere. Ogygius. At ego longe diversum suspicabar. Menedemus. Quid isthuc? Ogygius. Sacrilegum quempiam suppilasse nonnihil ex mundo sacræ Virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali precatiuncula saluto matrem virginem:

O sola fœminarum omnium mater & virgo, mater felicissima, virgo purissima, nunc te puram impuri visimus, salutamus, donariolis nostris utcunque colimus, utinam donet nobis filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per Spiritus sancti gratiam spiritualiter Dominum Jesum intimis animi visceribus concipere, semelq; conceptum nunquam amittere. Amen.

Simulque oxosculatus aram, deposui drachmas aliquot & abii. Men. Quid hîc virgo? Nullóne nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? Og. Lumen, ut dixi, erat ambiguum, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Postremò me sic dejecerat oratio prioris mystagogi, ut non auderem oculos attollere. Men. Istius igitur profectionis non erat admodum lætus exitus. Ogygius. Imo multo lætissimus. Menedemus. Reddidisti animum: nam mihi quoque cor in genua deciderat, ut tuus loquitur Homerus.

Og. A prandio repetimus templum. Men. Audebas, suspectus sacrilegii? Og. Fortassis, sed ipse mihi suspectus non erã. Nescit pavorem mens sibi bene conscia. Trahebat me tabulæ visendæ cupiditas, ad quam mystagogus nos relegârat. Eam diu quæsitam tandem invenimus, verũ in alto defixam, ut non à quibuslibet oculis legi posset. Mihi tales sunt oculi, ut nec lynceus dici possim, nec omnino lusciosus. Itaq; legentem Aldrisium oculis obiter assectatus sum, nec illi satis fidens in re tanta. Men. Excussa est omnis dubitatio? Og. Puduit me mei, qui subdubitassem, adeo res tota illic ponebatur ob oculos, nomen, locus, res, ut erat ordine gesta: breviter, nihil omissum.

Dictus est Guilhelmus Lutetiæ natus, vir pius cùm aliàs, tum præcipue religiosus in conquirendis toto orbe divorum reliquiis. Is peragratis regionibus plurimis, monasteriis, ac templis undique lustratis, tandem pervenit Constantinopolim, Nam hujus Guilhelmi frater illic agebat episcopum. Is jam adornantem reditum admonuit, esse virginem quandam Deo dicatam, quæ lac haberet Virginis matris: abunde felicem futurum, si vel precio, vel arte portionem aliquam posset nancisci. Nam cæteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, nihil esse ad tam sacrum lac. Ibi Guilhelmus non conquievit, donec exorat dimidium ejus lactis. Eo thesauro plus quam Crœsus sibi videbatur. Men. Quidni, & quidem præter spem? Og. Recta domũ pro-

properat, in itinere morb. occupat. Men. Vt nihil est in rebus humanis nec diu, nec undiquaque felix.

Og. Vbi vidit periculum, accersit clàm Gallum, fidissimum ejus peregrinationis comitem, & religiose stipulatur silentium, committit illi lac ea lege, ut, si incolumis domum redeat, deponat eum thesaurum in ara Divæ Virginis, quæ colitur Lutetiæ in augusto templo, utrinque Sequanam præter labentem intuens: & amnis ipse videtur honoris gratia decedere numini virginis.

Vt rem in pauca conferam, sepultus est Guilhelmus, alter properat, & hunc morbus corripit. Is desperans sui, tradidit Anglo comiti lac, sed multis obtestationibus adstricto, ut faceret quod fuerat ipse facturus. Moritur hic, recipit ille, & in aram deponit lac, canonicis ejus loci præsentibus, qui tum temporis adhuc dicabantur regulares, quales adhuc sunt apud divam Genofeuam. Ab his impetravit lactis dimidium. Id delatum in Angliam, tandem in Paratha lassum detulit, huc vocante mentem illius afflatu spiritus. Men. Pulchre certe sibi constat hæc narratio. Og. Imo, ne qua residere posset dubitatio, adscripta, erant
p. 145. nomina episcoporum à suffragiis, qui lac illud invisentibus non absque munusculo, tantum impartierunt relaxationis, quantum ex suo dimenso largiri possunt. Men. Quantum id est? Og. Dierum quadraginta. Men. Etiam apud inferos dies est? Og. Certe tempus est. Men. Vbi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non superest, quod largiantur? Og. Minimè, subscatet enim subinde, quod dent, ac plane diversum quiddam accidit hic, atque in dolio Danaidum. Illud enim cùm continenter impleatur, semper tamen inane est: hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. Men. Si centum hominum millibus largiantur quadraginta, singuli tantundem habent? Og. Tantundem. Me. Et si, qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscerent quadraginta, præstóne esset quod daretur? Og. Imo, si hora eadem decies. Men. Vtinam mihi tale scriniolum esset domi, non optârim nisi tres drachmas, modò sic scateant. Og. Quin optas, ut totus fiat aureus, tantundem accepturus ex voto. Verum ad fabulam redeo. Addebatur & illud pii cujusdam candoris argumentum: lac virginis, quod aliis compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse venerandum, hoc tamen cæteris esse venerabilius, quod illa abraderentur à saxis, hoc ex ipsis virginis uberibus effluxisset. Men. Vnde id constabat? Og. Oh, narrat hoc virgo Constantinopolitana, quæ lac dederat. Men. At illi fortasse communicârat divus Bernhardus. Og. Sic arbitror. Men. Cui natu grandi contigit gustare lac ex eadē mamma, quam suxit puer Jesus. Vnde miror, illum mellifluum dici potius, quàm lactifluum. Sed quomodo lac virginis dicitur, quod non fluxit ex uberibus? Og. Fluxit & illud, sed saxo, cui forte lactans insidebat, exceptum concrevit, deinde (volente Deo) sic multiplicatum est. Me. Recte, perge. Og. His itaque peractis, dum paramus abitum, obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dinum, circumspectantes, rursum adsunt mystagogi, limis intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, videbantur compellaturi, si fuisset audaciæ satis. Men. Nihil ibi metuebas? Og. Imò faciem illis obverti, sic arridens & intuens, quasi ad compellandū invitarem. Tandem unus aggressus rogat, quod mihi nomen esset? ædo. Num is essem, qui ante biennium affixisset votivam tabellam literis Hebraicis? Fatebar, esse me. Men. Scribis Hebraice? Og. Minime, sed isti quicquid non intelligunt, Hebraicum vocant. Mox accersitus, ut cōjicio, venit illius collegii πρῶτος ὕστερος. Men. Quid isthuc dignitatis nomen est? Non habent Abbatem? Og. Non. Men. Cur ita? Quia nesciunt hebraice. Me. Non Episcopū? Og. Nequaquā. Men. Quamobrē? Og. Quia virgo pauperior etiamnum est, quàm ut emat pedum ac mitram, nimio venalem. Men. Non saltem præpositum? Og. Ne id quidem. Men. Quid obstat Og. Quia præpositus dignitatis est nomen, non sanctimoniæ. Et ideo canonicorum collegia nomen abbatis reiiciunt, Præpositi libenter amplectuntur. Men. Atque πρῶτον ὕστερον antehac audivi nunquam. Og. Næ, tu magnopere rudis es grāmaticus. Men. ὑστερόπρωτον novi in tropis. Og. Tenes. Hic qui priori proximus est, prior est posterior. Men. Superiorem dicis. Og. dicis. Og. Is me salutavit satis humaniter. Narrat quantopere sudatum sit à multis, ut versus eos legerent: quot frustra extersa perspicilla. Quoties advenisset aliquis vetustus Theologiæ aut Iuris doctor, adductus est ad tabellam: alius dicebat, esse literas Arabicas, alius fictitias: tandem repertus est, qui legeret titulum. Is descriptus erat verbis ac literis Romanis, sed majusculis. Græci versus descripti erant græcis majusculis, quæ prima specie videntur referre majusculas latinas. Rogatus descripsi sententiam carminum latine, verbū verbo reddens. Hujus opellæ cum præmiolū oblatū constanter recusaré, affirmans, nihil esse tam arduū, quod in vir-

virginis sanctissimæ gratiam non essem cupidissime facturus, etiamsi literas juberent illinc perferre Hierosolymam. Men. Quid opus te Grammatophoro, quum illi tot angeli adsint à manibus atque a pedibus? Og. Ille protulit è crumea ligni fragmentum desectum è trabe, in qua virgo mater visa est consistere. Odor mirus protinus arguebat, esse rem oppidò sacram. Ego vero tam insigne munus pronus & nudato capite, summa cum veneratione, terque quaterque exosculatus, reposui in crumenam. Me. Licétne videre? Og. Per me quidem licebit: cæterùm, si jejunus non es, aut si nocte proxima fuit tibi res cum uxore, non suaserim, ut videas. Men. Ostende, nihil periculi. Og. En tibi. Me. O te beatum isto munere. Og. Ego, ne sis insciens, nō permutarim hoc tantillum fragmentulum cum universo auro Tagi: includam auro, sed sic, ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus, ubi me videt tam religiose gestientem eo munusculo, judicans non indignum, cui majora quoque committerentur, rogat, num quando vidissem secreta virginis. Ea vox me nonnihil commovit, non tamen ausus sum percontari, quæ diceret secreta virginis. Siquidem in rebus tam sacris etiam linguæ lapsus non vacat periculo. Nego me vidisse, sed vid endi cupidissimum esse, dico. Inducor jam velut afflatus numine. Accenditur una atque altera tæda cerea, ostenditur imaguncula nec magnitudine, nec materia, nec opere præcellens, sed virtute pollens. Men. Moles non multum habet momenti ad edenda miracula. Vidi Christophorum Lutetiæ non hamaxiæum aut colossæum, sed monti justo parem, nullis tamen illic miraculis nobilem, quod quidem audierim. Og. Ad pedes virginis est gemma, cui nondū apud Latinos aut Græcos nomen inditum: Galli à bufone dederunt nomen, eo quod bufonis effigiem sic exprimat, ut nulla ars idem possit efficere. Quodque majus est miraculum, pusillus est lapillus, & non prominet bufonis imago, sed in ipsa

p. 155. gemma velut inclusa pellucet. Men. Fortassis imaginantur bufonis similitudinē quemadmodū secta filicis stirpe imaginamur aquilā, Et quemadmodū pueri, qui quid non vident in nubib.? dracones ignē spirantes, montes igni candentes, armatos concurrentes. Og. Imo ne sis nesciens nullus bufo vivus evidentius exprimit seipsum, quàm illic erat expressus. Men. Cur bufonem addunt virgini. Og. Quia hæc spurcitiem omnē, virulentiam, fastum, avaritiam, & quicquid est terrenarum cupiditatum, vicit, calcavit, extinxit. Men. Væ nobis, qui tantum bufonum geramus in pectore. Og. Puri erimus, si sedulo colamus virginem. Men. Quomodo gaudet coli? Og. Gratissimum illi cultum præstiteris, si fueris imitatus. Men. Numero dixisti; sed istuc perdifficile est. Og. Est sane, sed idem pulcherrimum.

Men. Age, perge quod cœperas. Og. Deinde commonstrat aureas argenteasque statuas. Hæc, inquit, mere aurea; hæc argentea inaurata: addit singulis pondus, precium, ac doni autorem. Cum ad singula mirabundus gratularer virgini tam beatam opulentiam, mystagogus, quoniam, inquit, video te pium spectatorem, non arbitror æquum, ut te quicquam celem, videbis, quæ virginis sunt secretissima: simulque depromit ex ipso altari mundum rerum admirabilium, cujus singulas partes si pergam recensere, dies hic non sufficeret narrationi. Sic illa sane peregrinatio mihi felicissime cessit. Expletus sum affatim spectaculis, & hoc inæstimabile donum mecum aufero, pignus ab ipsa virgine datum.

Men. Nullumne fecisti periculum; quid valeat lignum tuum? Og. Feci: in diversorio quodam ante triduum reperi quendam mente captum, cui jam parabantur vincula, lignum hoc suppositum est illius cervicali clam ipso, obdormiit somno profundo pariter & prolixo, manè surrexit integræ mentis. Men. Non fuerat phrenesis, sed parænia fortassis: huic malo solet mederi somnus. Og. Cùm libebit iocari, Menedeme, fac, aliam tibi quæras materiam: in divos jocis ludere nec pium est nec tutum. Imo vir ipse narrabat, sibi in somnis apparuisse mulierem admiranda specie, quæ poculum ipsi porrexerit. Men. Elleborum, opinor. Og. Isthuc incertum est, illud certissimum, homine mentis esse compotē.

Men. Præteristi Thomam Cantuariensem Archiepiscopum? Og. Minimè gentium. Nulla peregrinatio religiosior. Men. Audire gestio, nisi molestum est. Og. Imo te quæso, ut audias. Cantium dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Flandriam spectat. Hujus metropolis est Cantuaria. In ea sunt duo monasteria penè contigua, utrumque Benedictinos habet. Id, Id quod habet divi Augustini titulum, videtur antiquius: hoc, quod nunc appellatur divi Thomæ, sedes Archiepiscopi fuisse videtur, ubi cum paucis electis monachis vitam ageret, quemadmodum & hodie præsules habent ædes Ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliqvorum canonicorum semotas. Olim enim fere cum Episcopi tum canonici, monachi erant:

id arguunt manifesta rerum vestigia. Templum autem divo Thomæ sacrum tanta majestate sese erigit in cœlum, ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Itaque nunc suo splendore vicini luminibus officit, & locum antiquitus religiosissimum velut obscurat. Turres sunt ingentes duæ, procul veluti salutantes advenas, miroque nolarum ænearum boatu longe lateque regionem vicinam personans.

In vestibulo templi, quod est ad Austrum, stant saxo sculpti tres armati, qui manibus impiis virum sanctissimum trucidarunt: addita sunt gentis cognomina, Tusci, Fusci, Berri. Men. Cur tantum honoris habetur impiis? Og. Videlicet idem honoris habetur Iudæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum sceleratorum, quos operose sculptos vides in auratis altaribus: adduntur cognomina, ne quis posthac usurpet gloriæ causæ. Ingeruntur oculis, ne quis aulicus posthac iniiciat manus vel in Episcopos, vel in possessiones Ecclesiæ. Nam tres illi satellites à peracto facinore versi sunt in rabiem, nec reddita mens est, nisi implorato Thomæ sanctissimi favore. Men. O perpetuam martyrum clementiam.

Og. Ingressis aperit sese spaciosa quædam ædificii majestas. Ea pars quos libet recipit. Men. Nihilne illic visendum? Og. Nihil, præter structuræ molem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est Evangelium Nicodemi, & sepulchrum, nescio cujus. Men. Quid deinde? Og. Cancelli ferrei sic arcent ingressum, ut conspectum admittant ejus spacii, quod est inter extremam ædem & chori, quem vocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradibus, sub quibꝰ testudo quædam aperit ingressum ad latus septentrionale. Illic ostenditur altare ligneum divæ virgini sacrum, pusillum, nec ulla re visendum, nisi monumento vetustatis, luxû hisce temporibꝰ exprobrante. Illic vir pius dicitur extremū vale dixisse virgini, quum immineret. In ara est cuspis gladii, quo præfectus est vertex optimi præsulis, ac cerebrum confusum, videlicet, quò mors esset præsentior. Hujus ferri sacram rubiginem amore martyris religiose sumꝰ exosculati.

Hinc degressi subimus cryptoporticum: ea habet suos mystagogos: illic primum exhibetur calvaria martyris perforata, reliqua tecta sunt argento, summa cranii pars nuda patet osculo. Simul ostenditur plumbea lamina, Thomæ Acrensis titulum habens insculptum. Pendent ibidem in tenebris indusia cilicina, cingula, subligariaque, quibus antistes ille subigebat carnem suam, ipso adspectu horrorem incutientia, nobisque molliciem ac delicias nostras exprobrantia. Menedemus. Fortassis & monachis ipsis. Ogygius. Illhac de de re nec affirmare possum, nec nega- p. 35(re, nec refert quidem mea. Men. Vera narras. Og. Hinc redimus in chori locum. Ad latus septentrionale reserantur arcana, dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum fuerit, calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus odoratis fiximus oscula: nec erat futurus finis, nisi, qui mihi tùm comes erat ejus peregrinationis parum commodus, inter pellasset ostentandi studium. Men. Quis iste? Og. Anglus erat, nomine Gratianus Pullus, vir eruditus ac pius, sed minus affectus erga partem hanc religionis, quam ego volebam. Men. Wiclevita quispiam, opinor. Og. Non arbitror, etiamsi libros illius legerat, incertum unde nactus. Men. Is offendit mystagogum? Og. Prolatum est brachium adhuc carnem habens sanguinolentam, hujus osculum exhorruit, ac vultu quoq; tædium puoddam præ se ferebat. Mox sua recondidit mystagogus. Hinc spectavimus altaris tabulam & ornamenta, mox quæ sub altari fuerant recondita, opulenta omnia; diceres, Midam & Crœsum fuisse mendicos, si spectares vim auri atque argenti. Men. Hic nihil osculorum? Og. Non, sed aliud votorum genus tetigit animum meum. Men. Quodnam? Og. Suspirabam, domi meæ nihil esse talium reliquiarum. Men. Sacrilegum votum. Og. Fateor, & supplex veniam precatus sum à divo, priusquam pedem efferrem templo. Post hæc ducimur in sacrarium: Deus bone, quæ illic pompa vestium holosericarum; quæ vis candelabrorum aureorum? Ibidem vidimus pedem divi Thomæ. Videbatur arundo lamina argentea obvestita minimum erat ponderis, nihil operis, nec altius, quam usque ad cingulum. Men. Nulla crux? Og. Nullam vidi. Ostensum est pallium holosericum quidem, sed crasso filo, nullo auro gemmi sue insigne. Aderat & sudarium, sudoris ex collo contracti, manifestasq; sanguinis notas retinens. Hæc vetustæ frugalitatis monumenta libenter sumus exosculati. Men. ista non ostenduntur quibuslibet? Og. Nequaquam, ô bone. Men. Vnde tibi tantum est habitum fidei, ut nihil arcani celaretur? Og. Erat mihi nonnihil notitiæ cum R. P. Guilhelmo Waramo archiepiscopo, is me tribus verbis commendavit. Men. Ex multis audio, virum singulari præditum humanitate. Og. Quin potiꝰ dicas, ipsam esse

esse humanitatem, si noris. Iam ea doctrina, ea morum sinceritas, ea vitæ pietas, ut nullam absoluti præsulis dotem in eo desideres. Ab his igitur deducimur ad superiora. Nam post altare summum rursus velut in novum templum ascenditur. Illic in sacello quodam ostenditur toa facies optimi viri inaurata, multisq; gemmis insignita. Hic casus quidam inopinatus pene totam illam felicitatem interturbavit. Men. Expecto, quid malidicas. Og. Hic minimum iniit gratiæ comes meus Gratianus. Is à precatiuncula rogavit mystagogum assessorem: Heus, inquit, bone pater, verumne est quod audio, Thomam, dum viveret fuisse benignissimum erga pauperes? Verissimum, inquit ille: cœpitq; multa de illius erga tenues beneficientia commemorare. Tum Gratianus: Non arbitror, eum affectum in illo mutatum esse, nisi forte in melius. Assensus est mystagogus. Rursum ille: Quum igitur vir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, cum adhuc pauper esset, & ipse præsidiis pecuniarum egeret ob corpusculi necessitatem, an non putas, æquo animo laturum nunc, cum tam opulentus sit, nec ullius egeat, si qua mulier paupercula, domi habens liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibusque præsidiis destitutum, precata veniam, detrahat ex his tantis opib. aliquam particulam sublevandæ familiæ, velut à volente sumens vel dono, vel mutuò? Ad hæc cum nihil responderet assessor capitis aurei: Gratianus, ut est vehemens, Ego, inquit, plane confidio, sanctissimum virum etiam gavisurum, quod mortuus quoque suis opibus sublevaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra, Gorgoneis oculis nos obtueri: nec dubito, quin sputo convitiisque nos ejecturus fuerit è templo, nisi cognovisset, nos ab Archiepiscopo commendatos. Equidem utcunque placavi blandis verbis iram hominis, negans, Gratianum quicquam horum ex animo loqui, sed suo more ludere, simulque drachmas aliquot deposui.

Men. Ego sane tuam pietatem vehementer approbo. Verum mihi nonnunquam serio venit in mentem, quo colore possint excusari à crimine, qui tantum opum insumunt templis extruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omnino sit modus. Fateor, in sacris vestibus, in vasis templi deberi cultui solenni suam dignitatem, volo, & structuram habere majestatem suam. Sed quorsum attinet tot baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ? quorsum organorum, quæ vocant, immensi sumtus? nec unicis interim contenti sumus: quorsum ille musicus hinnitus, magno censu conducêdus, cum interim fratres & sorores nostræ, vivaq; Christi templa situ fameque contabescant? Og. In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat: verum, quoniam hoc vitium ex immodica quadam pietate nascitur, favorem promeretur, præsertim, quoties in mentem venit diversus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista fere donantur à potentibus ac monarchis, deterius peritura in aleam ac bellum. Et si quid hinc alienes, primum habetur pro sacrilegio, deinde contrahunt manus suas, qui dare solent, insuper & invitantur ad rapinam. Igitur harum rerum magis illi custodes sunt, quam domini. Deniq; malim videre templum sacra supellectile luxurians, quam, ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora, quam templis. Men. At legimus, olim laudatos episcopos, qui sacra vasa divendiderunt eaque pecunia subvenerunt egenis. Og. laudantur & hodie: sed laudantur tantum, imitari non licet, nec libet, opinor.

Me. Remoror tuam narrationem: nunc expecto fabulæ catastrophen. Og. Accipe paucis expediam. Inter hæc prodiit summus ille mystagogus. Men. Quisnam? Abbas loci? Og. Mitram habet, census habet Abbaticos, solo nomine caret, & Prior dicitur ob id, quod Archiepiscopus abbatis loco est. Nam antiquitus quisquis erat eius ditionis Archiepiscopus, idem erat & monachus. Men. Equidem vel camelus apellari sustineam, si census esset abbate dignus. OG. Mihi quidem visus est vir pius juxta, & prudens, neque Scoticæ Theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquum sancti viri corpus quiescere dicitur. Men. Vidisti ossa? OG. Id quidam fas non est, nec liceret, nisi admotis scalis: sed auream thecam theca contegit lignea, ea funibus sublata opes nudat inæstimabiles Men. Quid audio? OG. Vilissima pars erat aurum, gemmis raris ac prægrandib. collucebant, nitebant, ac fulgurabant omnia: quædam superabant ovi anserini magnitudinem. Ibi multa cum veneratione circumstabant aliquot monachi, sublato tegumento, adoravimus omnes. Prior candida virga demonstrabat contactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, precium, & autorem doni. Nam præcipuas monarchæ dono miserant. Men. Oportuit illum esse præditum insigni memoria. OG. Recte conjectas, quanquam juvat & exercitatio, frequenter. n. hoc agit. p. 157.

Hinc reducit in cryptoporticum. Illic domicilium habet virgo Mater subobscurum, semel atque iterum ferreis cancellis circumsepta. Men. Quid metuit? OG. Nihil, opinor, nisi fures. Non n. unquam vidi quicquam divitiis onustius. Men. Cæcas mihi divitias narras. OG. admotis lucernis, vidimus plusquam regale spectaculum. Men. Vincit opib. Parathalassiam? OG. Specie longe superat, abstrusa novit ipsa. Hæc nō ostenduntur, nisi magnatib. aut præcipuis amicis.

Postremo reducimur in sacrarium, illic detractum est scrinium nigro contectum corio, depositum est in mensam, apertum est, mox omnes flexis genib. adorarunt. Men. Quid inerat? OG. Fragmenta quædam linteorum lacera, pleraque mucci vestigium servantia. His, ut ajebant, vir pius extergebat sudorem à facie sive collo, pituitam à naribus, aut si quid esset similium sordium, quibus non vacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursum non optimam inijt gratiam.

Huic & Anglo, & noto, nec mediocris autoritatis viro, Prior benignus unum è linteolis obtulit dono, credens, sese munus longe gratissimum offerre. Sed Gratianus hic parum gratus, non sine fastidii significatione, digitis contrectavit unum, & contemtim reposuit, porrectis labijs, veluti poppysmum imitans. Nam hic illi mos erat, si quid ostenderet, quod tamen contemnendum esse judicaret. Meum animum simul & pudor & timor discruciabant. Prior tamen, ut est homo non stupidus, dissimulabat hoc factū, nosq; post oblatum vini poculū humaniter dimisit.

Ergo Londinum petentibus, haud procul à relicta Cantuaria, occurrit via vehementer cava simul & angusta, præterea declivis, sic utrinq; abrupto aggere, ut non possis effugere: nec vitari potest, quin hàc facias iter. Ad eius viæ lævum latus est mendicabulum aliquot seniculorum: ab ijs procurrit aliquis, simulatq; sentiunt advenientem equitem, conspergit aqua sacra, mox offert calcei summam partem obvinctam æreo circulo, in quo vitrum est gemmæ specie. Exosculati dant numulum. Gratianus equitabat mihi sinister, propior mendicabulo: conspersus est aqua, tulit utcunq;: ubi porrigeretur calceus, rogabat, quid sibi vellet? Ait, calceum esse S. Thomæ. Incanduit homo, & ad me versus, quid, inquit, sibi volunt hæ pecudes, ut osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem opera porrigunt osculandum sputum, aliaq; corporis excrementa? Miserebat me seniculi, datoque numo, consolatus sum tristem.

Men. Mea sententia, non omnino præter causam incanduit Gratianus. Si calcei soleæq; servarentur, ut argumentum frugalis vitæ, non improbarem: cæterum impudens mihi videtur, soleas, calceos, & subligaria cuiquam osculanda obtrudere. Nam si quis id sua sponte faciat ex ingenti quodam pietatis affectu, venia dignum arbitrer. OG. Præstabat, ista non fieri, ne quid dissimulem: verum ex his rebus, quæ subito corrigi non possunt, soleo, si quid inest boni, decerpere.

Men. Demiror, te, quum isto sis animo, nunquam invisisse antrum S. Patricii, de quo prodigiosa quædam vulgo jactant, nec mihi satis verisimilia. OG. Imo nulla hic tam prodigiosa potest esse narratio, quin res ipsa superet. Men. Ergo illuc quoq; penetrasti? OG. Enavigavi paludem verè stygiam, descendi in fauces averni, vidi, quicquid apud inferos geritur. Sed heus tu, nonne titillat te animus, ut has peregrinationes obeas? Men. Fortasse titillabit, ubi tu peroraveris: nunc ut affectus sum, sat habeo stationes obire Romanas. OG. Romanas, qui Romam nunquam videris?

Men. Dicam: sic domi obambulo, ingredior conclave, curoq;, ut salva sit filiarum pudicitia. Rursus hinc officinam contemplor, quid agant famuli famulæque: inde in culinam, circumspiciens, si quid opus sit admonitu: hinc alio atque alio, observans quid agatur. Hæ mihi sunt stationes Romanæ. OG. At ista pro te curaret divus Iacobus. Men. Vt ipse curem ista, præcipiunt sacræ literæ: ut divis committam, nusquā legi præceptum.

Idem in Colloquio Fun9. Phædrus Accitus (ad Georgii cujusdā agonen) est Bernhardinus, Franciscanorum custos, qui confessionem exciperet. Vix peracta est confessio, jam aderat in ædibus turba quatuor ordinum, quos vulgus appellat mendicantium. Marcolphus, Tot vultures ad unum cadaver? Ph. Deinde vocatus est parochus, qui hominem inungeret, sacrumq; symbolum corporis Dominici porrigeret: minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta. Parochus, n. ut cognovit, ægrotū fuisse confessum Franciscano, negavit, se vel unctionis sacramentum, vel eucharistiam, vel sepulturam impartiturum, ni suis auribus audisset ægroti confessionem: se parochum esse: sibi pro sua ovicula reddendam Domino rationem: id non posse, si solus ignoraret arcana conscientiæ.

Tum Bernhardinus & Vincentius Dominicanus reclamabant, & magnis conviciis incessebant parochum: subinde vocantes eum asinum, dignumq;, qui pastorem ageret porcorum. Ego, inquit, sum

S. Theo-

S. Theologiæ baccalaureus formatus, mox licentiandus, atque etiam doctoris
358. titulo insigniendus: tu vix legis Evangelium: tantum abest, ut possis excutere secreta conscientiæ. Quod si libet esse curiosum: exquire, quid agat uxor, & manzares (spurii ex incestu) tui domi: aliaq; permulta, quæ me pudet ferre.

Parochus contra: Ego, inquit, baccalaureos multo te meliores nectam è stipulis fabarum. Autores ordinum vestrorum, Dominicus & Franciscus ubi didicerunt philosophiam Aristotelicam, aut argumenta Thomæ, aut speculationes Scoti? aut ubi donati sunt titulo baccalaureorum? Irrepsistis in mundum adhuc credulum: sed pauci, humiles, quidam etiam docti, & pij: nidulabamini in agris, ac vicis, mox in opulentissimas quasque civitates, & in florentissimam civitatis partem demigrastis. Tot sunt agri, qui pastorem alere non possunt, ibi locus erat vestræ operæ: nunc nusquam adestis, nisi in ædib. divitum. Jactatis nomen pontificium: at vestra privilegia nihil valent, nisi cum cessat episcop9, pastor, aut hujus vicarius. In meo templo nullus vestrum concionabitur, me pastore incolumi. Non sum baccalaureus: nec S. Martinus erat, & tamen agebat episcopum. Si quid mihi deest, à vobis non petam. An creditis, etiamnum mundum esse tam stupidum, ut, ubicunque viderit vestem Dominici, aut Francisci, putet, adesse illorum sanctimoniam? Num vestra refert, quid agam domi meæ? Quid vos agitis in latebris vestris: quomodo tractetis sacras virgines, etiam populus novit. Iam quam nihilo sint vel feliciores, vel puriores divitum domus, quas frequentatis, omnib. & lippis & tonsorib. notissimum est. Cætera non audeo referre.

Omnino patres illos reverendos minime reverenter tractavit. Nec finis futurus erat, ni ægrotus signum manu dedisset se velle quicquam dicere, ægre rixa tantisper consiluit. Tum parocho pro unctione, sepultura, & aliis pecuniam, pessime habentibus monachis, hanc prædam parocho decidi, ægrotus numeravit: hac accepta, discessit.

Postea confluxerant in ædes quatuor ordines mendicantium, his adjunxit se quintus cruciferorum. Adversus hunc, ceu nothum, quatuor illi magno tumultu coorti sunt: rogabant, ubi vidissent unquam plaustrum quinq; rotarum? aut quâ fronte vellent esse plures mendicantium ordines, quam sint Evangelistæ? Eadem, inquiunt, operâ adducite huc mendicos omnes è pontibus ac triviis. Marcolph. Quid ad hæc cruciferi? Ph. Vicissim rogabant, quomodo tum incessisset plaustrum Ecclesiæ, cum nullus esset ordo mendicantium: deinde cum unus esset; postea tres. Nam Evangelistarum, inquiunt, numerum nihilo plus habere affinitatis cum nostris ordinibus, quam cum alea, quæ undiq; quatuor ostendit angulos. Augustinenses quis allegit in ordinem mendicantium? aut quis Carmelitas? Quando mendicavit Augustinus, aut quando Helias? hos enim faciunt suorum ordinum autores. Cruciferi igitur non ferentes quatuor exercituum impressionem, cesserunt, dira minantes.

Deinde syncretismus in quintum ordinem versus est in pugnam gladiatoriam. Franciscanus & Dominicanus contendebant, nec Augustinenses nec Carmelitas esse germane mendicos, sed nothos, ac supposititios. Hæc rixa sic incruduit, ut plane vererer, ne veniretur ad manus.

Tandem ægrotus per uxorem Augustinenses & Carmelitas discedere, sed sine detrimento eorum, jussit. Nam tantundem cibi eis se domum missurum, quantum hic manentibus sit daturus.

In funere omnes ægrotus adesse voluit ordines, etiam quintum: ut æqua divideretur portio pecuniæ: non autem convivio adesse, ne turbas darent. Bernhardinus igitur & Vincentius, cum aliquot sui ordinis sodalibus, remanserunt apud ægrotum, ad reliquos missus est commeatus. Interea qui remanserunt in præsidio, grunniebant nescio quid de prærogativis diplomatum. Testamento non exiguam partem bonorum legari sibi, sedulo operam dederunt. Animam jam agenti recitant diploma coëmtum, in quo promittebatur omnium criminum abolitio, totusq; purgatorii metus adimebatur: ad hæc justificabantur omnia illius bona rapto parta.

Ægrotus cum ex quodam errato in diplomate fere in desperationem incideret, Vincentius eum bono animo esse jubet, dicens, sibi esse potestatem corrigendi supplendiq;, si quid in diplomate omissum erratumve sit. Præterea, inquit, si te fefellerit diploma: ego jam nunc hanc animam pro tua suppono animâ, ut tua petat cœlos, mea dedatur orco.

Marcol. Accipitne Deus tales animarum permutationes? Quid, si Vincentii anima vel absque permutatione debebatur inferis? Ph. Quod gestum est, narro. Ægrotus animum est visus recipere. Mox etiam recitantur cautiones, quibus Georgio morienti promittebatur societas omnium operum, quæ fierent qer quatuor ordines, & quintum Carthusienfium. Marcol. Ego metuerem, ne deprimeret ad inferos tali sarcinâ. Ph. Simul etiam recitatus est numerus missarum, & psalterio-

teriorum, quæ defuncti animam essent comitatura. Erat autem immensus.

Post hæc iterata est confessio, dataque benedictio: strata etiam est storea humi contexta juncis, sic, ut ab initio convoluta cervicalis speciem ex se faceret. Mar col. Quid nunc futurum est? Ph. Eam conspeserunt cinere, sed raro: ibi deposuere corpus ægroti. Instrata est tunica Franciscana: sed prius consecrata preculis, & aquâ lustrali: cuculla supposita est capiti. Nam tum indui non poterat: unà cum illâ suppositum est diploma cum cautionibus. Mar. Nova mortis species. *Ph.* Atqui confirmant, dæmoni nullum esse jus in eos, qui sic moriuntur. Sic, ajunt, præter alios mortuum S. Martinum, & Franciscum. Demum porrecta est ægroto crucis imago, & candela cerea.

Ad crucem porrectam dixit ægrotus: soleo in bellis tutus esse meo clypeo: nunc hunc clypeum opponam hosti meo, & exosculatus admovit humero lævo. Ad
p. 159. ceream vero sacram: Olim, inquit, hasta valui in bellis: nunc hanc hastam vibrabo adversus hostem animarum. Has postremas voces edidit. Nam mox linguam mors occupavit, simulque cœpit agere animam.

Bernhardinus à dextris imminebat morienti, Vincentius à sinistris, uterque pulchre vocalis. Alter ostendebat imaginem S. Francisci, alter Dominici. Cæteri sparsi per cubiculum, demurmurabant psalmos aliquot voce lugubri. Bernhardinus magnis vociferationib. percellebat aurem dextram, Vincentius sinistram.

Mar. Quid occlamabant? Ph. Sic ferme *Bernhardinus*: Georgi, si nunc quoq; porbas ea, quæ sunt acta inter nos, flecte caput in dextrum. Flexit, Vicentius contrà: Ne quid trepides, Georgi, habes Franciscum & Dominicum propugnatores. Esto securus. Cogita, quantum habeas meritorum, quod diploma: denique memineris, meam animam pro tuâ oppignoratam, si quid esset periculi. Hæc si sentis, & probas, flecte caput in lævum. Flexit. Rursus simili clamore: si hæc sentis, inquiunt, preme manum meam: tum manum pressit. Ita huc & illuc flectendo capite, & premendis manibus ferme tres horæ transactæ sunt. Oscitante jam illo Georgio, Bernhardinus erectus pronunciavit absolutionem, quam perficere non potuit, quin ille efflasset animam. Ultimo convestitus amictu Franciscano sepelitur.

Hæc si pia sunt ipsorum (monahorum & sacrificulorum,) interest, hæc scire populum: sin minus, quotquot inter illos boni sunt, mihi gratias agent, qui hæc prodiderim, quo pudore correcti quidam, desinant similia facere. Deinde simplices caveant, ne in similem pertrahantur errorem. Hæ sunt circa morientes ceremoniæ Monachorum & sacrificũ.

Idem in Colloquio ΙΧΘΥΟΦΑΓΙΑ. Habebam affinem Priorem, Abbati proximum, ordinis Benedicti: sed ex eorum numero, qui non vescuntur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur doctus, & ipse volebat haberi, annos natus fere quinquaginta. Certare poculis, & hilarescere vino erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat thermas publicas: illic dabatur opera purgandis renibus: possidebat annue sexcentos florenos. Ex vino & venere incidit in phtisin. Desperantib. medicis, Abbas imperabat esum carnium, addens illud terribile verbum. Sub pœnâ inobedientiæ. Ille vix adigi potuit ut moriens gustaret carnes, à quibus tot annos non abhorruerat.

Audi quod nuper ipse vidi, cuique non interfui solum, verum etiam propemodum præfui. Erant duæ monachæ, quæ visebant cognatos suos. Ubi venissent, quo volebant: famulus per oblivionem reliquerat, codicem precum, juxta consuetudinem ordinis & loci, in quo vivebant. Deum immortalem, quanta illic perturbatio. Non audebant cœnare, nisi dictis precibus vespertinis: nec sustinebant ex alio codice dicere, quam ex suo. Interim tota domus cœnaturiebat. Quid multis? Canterio recurrit famulus, sub multam noctem adfert relictum codicẽ. Ducuntur preces: vixq; ad decimam cœnavimus. Inter cœnandum cœperunt illæ virgines hilarescere vino: tandem risu soluto, jocis parum pudicis perstrepuit convivium: sed nemo licentius egit quam illæ: quæ ex ordinis formâ sine precibus cœnare noluerunt. A convivio lusus, choreæ, cantilenæ: reliqua non audeo commemorare: sed plane vereor, ne quid eâ nocte patratum sit parum virgineum; nisi me fallebant procemia. lascivi lusus nutus, & suavia. Istam perversitatem non tam imputo virginibus, quam sacerdotibus earum curam gerentibus.

Idem. Debetur episcopis suus honos, quis negat? præsertim, si agunt, quod dicuntur. Sed impium est, honores soli Deo debitos transferre in homines, & dum impense reveremur hominem, parum revereri *Deum*. Honorandus *Deus* in proximo, venerandus in proximo: sed interim adhibenda, ne Deus per hanc occasionem suo fraudetur honore.

Itidem videmus, multos in tantum fidere corporalib. ceremoniis: ut his freti negligant ea, quæ sunt veræ pietatis: suis meritis arrogantes, quod est divinæ largitatis, & ibi consistentes, unde gradus erat ad perfectiora, & ex his reb. proximâ ca-

calumniantes, quæ per se nec bonæ sunt nec malæ. Et hominem occidisse pro gravi crimine ducitur, ut est: at pestifera doctrina, vipereis institutis corrupisse mentem hominis, ludus est.

Novi quosdam monachos adeo superstitiosos, ut existiment, se esse in manu diaboli, si vel casu sacra vestis absit: nec metuunt ab unguibus diaboli, si mentiantur, si calumnientur, si inebrientur, si invideant.

Idem in Colloquio Charon. Alastor. Sunt aliqui, qui non minus juvent rem nostram (animarum interitum, & sanguinis humani profusionem) quam ipsæ furiæ. CH. Quinam isti? Alastor. Sunt animalia quædam pullis & candidis palliis, cineritiis tunicis, variis ornata plumis, hæc nunquam recedunt ab aulis principum: instillant in aurem amorem belli: hortantur eôdem proceres ac plebem: in Evangelicis illis concionibus clamitant, bellum esse justum, sanctum, & pium. Quodq; magis miteris fortem hominum animum, clamitant idem apud utramq; partem. Apud Gallos concionantur, Deum stare pro Gallis; nec vinci posse, qui Deum habeat protectorem. Apud Anglos, & Hispanos, hoc bellum non à Cæsare geri, sed à Deo: tantum præbeant se viros fortes, victoriam esse certam. Quod si quis interciderit: eum non perire, sed recta subvolare in cœlum, sic ut erat, armatum.

Ch. Quæ istos movet, ut tantopere promoveant bellum, aut quid metuunt hinc commodi? Al. Quia plus emolumenti capiunt è morientibus, quam ex vivis. Sunt testamenta, parentalia, bullæ, multaq; alia non aspernanda lucra. Deniq; malunt in castris versari, quam in suis alvearibus. Bellum multos gignit episcopos, qui in pace ne teruncii quidem fiebant.

p. 160. Idem in Colloquio Militis confessio, ubi introducta persona Hanno ad Thrasymachum militem inquit: Non eras solicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere? Thrasymachus. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam Divæ Barbaræ me semel commendaram. Han. Receperat illa tutelam tui? Th. Sic mihi visa est annuere capite aliquantulum. H. Quando isthoc tibi visum est? mane? T. Non, sed à cœna. H. Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi visæ sunt ambulare. T. Ut hic divinat omnia!

Sed præcipua spes erat in Divo Christophoro, cujus imaginem quotidie contemplabar. H. In tentoriis? Unde illic divi? T. Carbone pinxeramus illum in velo. Han. Niminum haudquaquam ficulneum, ut ajunt, præsidium erat carbonarius ille Christophorus. Sed extra jocum, non video, qui possis expiari à tantis flagitiis, nisi te conferas Romam.

T. Imo novi viam breviorem. H. Quam? T. Ibo ad Dominicales, illic paulò transigam cum Commissariis. H. Etiam de sacrilegiis? Th. Etiamsi Christum ipsum spoliassem, ac decolassem etiam: tam largas habent indulgentias, autoritatem componendi. H. Bene habet, si vestram compositionem Deus ratam habuerit. T. Imo magis metuo, ne diabolus non habeat ratam. Nam Deus natura placabilis. H. Quem tibi sacerdotem deliges? T. Cui cognovero quam minimum esse frontis, ac bonæ mentis. H. Ne non habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus Dominicum? T. Quidni? Postea quam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneravero sarcinâ: ipse viderit, qui absolvit.

H. Qui scis, an absolvat? T. Scio. H. Quonam indicio? T. Quia manus imponit capiti, admurmurans nescio quid. H. Quid, si tibi reddat omnia peccata tua, cum manū imponit, hæc admurmurans: Absolvo te ab omnib. benefactis, quæ nulla in te comperio: & restituo te tuis moribus, talemq; dimitto, qualem accepi? T. Viderit ille, quid dicat: mihi satis est, quod me credo absolutum. H. Sed isthuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes. T. Unde tu mihi obvius, qui mihi conscientiam è serena nubilam redderes? H. Felix occursus. Bona avis est obvius amicus, qui benè moneat. T. Nescio, quam bona, certè parum suavis.

Idem in Linguâ. Monachi non verentur apud populum asseverare, mulierem, quæ dormit cum sacrifico, haud gravius peccare, quam si coiret cum animante bruto. Non hæc à me finguntur. Vox ista audita est in publicis concionibus. Ubi ventum est ad ipsorum flagitia, quæ manifestiora sunt, quam ut inficiandi sit locus, tum, quod in aliis inexpiabilis erat impietas, fit lapsus humanus fit erratum aliis pluribus benefactis condonandum, & ob honorem ordinis supprimendum. Quum fraudatus est creditor, quum interversum est depositum, aut interceptum testamentum: allegatur favor religionis: respondetur: Deum non esse suâ portione fraudandum.

Quum datum est venenum, aut intentata calumnia capitalis: allegatur zelus, & hostis Ecclesiæ proscribitur, quisquis parum favet his, qui nutantem ecclesiam humeris suis fulciunt. Et habent arcana dogmata, quæ non communicant, nisi mysteriis iisdem initiatis. In his est, ut ajunt, fas piumque esse, veneno clam dato tollere

tollere, qui pestem moliatur Ecclesiæ: certissimam autem esse pestem ecclesiæ, si quid decidatur ipsorum commodis, vel authoritati.

Idem de ratione Concionandi, lib. 3. Robertus de Licio Minorita, Cardinalib. ac summo pontifici exprobrasse fastum ac delitias hoc modo fertur: Erat apud illos dicturus: quos cum videret strepitu plusquam regio ingredi, deniq; & pontificem gestari hexaphoro, & ab omnibus adorari: ubi tandem consedissent, jamq; expectaretur vox hominis: is nihil aliud prolocutus, Pfui sanctum Petrum, Pfui sanctum Paulum, subinde cum execrantis voce exspuens, nunc in dextrum, nunc in sinistrum: nec aliud addens, è medio proripuit se, relinquens omnes attonitos: aliis suspicantib. eum esse versum in furorem: aliis dubitantibus, num in hæresin quampiam, aut Iudaismum, Paganismum ve prolapsus, in eas blasphemias erupisset.

Cumq; ageretur de homine conijciendo in vincula: Cardinalis quidam, qui propius noverat eius ingenium, atque etiam amabat, persuasit, ut prius ad Pontificem evocaretur, paucisq; Cardinalib. testibus audiretur.

Rogatus, quomodo in tam horrendas blasphemias erupisset, respondit: sibi longè aliud argumentum fuisse præparatum, & paucis summã orationis exposuit. Cæterum ubi spectarem, inquit, vos tanto strepitu, tantisq; in delitiis vivere, simulq; reputarem, quàm humilem, laboriosam, & inamœnam vitam egerint Apostoli, quorum vices geritis: colligebam, aut illos fuisse dementes, qui tam spinoso itinere contenderint in cœlum: aut vos rectà ad inferos proficisci. Sed de vobis, qui tenetis claves regni cœlorum, nihil malæ suspicionis in animum inducere potui, supererat, ut illorum stulticiam detestarer: qui, cum licuisset ad istum modum splendidè suaviterq; vivere, maluerunt per omnem vitam jejuniis, vigiliis, ac laborib. discruciari.

Idem Robertus in concione quadam Principes & populum ad bellum Turcicum suscipiendum exhortatus est: ignaviam quoq; principum incusavit, quod nemo ex ipsis facile belli eius ducem se præbeat, simul exclamans: Si Dux, inquit, desideretur, en ego, abjecto Francisci habitu, dux vester ero: simulq; cum dicto summam vestem abjecit. Intus planè miles erat, byssino sago, accinctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidiũ horæ sub personâ ducis concionatus est.

Finitâ concione Cardinales hominem ad se accersentes, ex eo quæsiverunt: Quidnam insolito isto concionandi modo sibi volueris? Quib. respondit ille: se quicquid egerit, istud in gratiam amicæ suæ egisse. Ei enim fraternam vestem displicere. Itaq; se ex eâ suscitatum esse, quonam potissimùm habitu delectaretur respondisse eam, militari. Sese ergò iussisse, ut postridie concionem sacram accederet, eam ibi visuram tali se habitu amictum. Hæc rectius scurræ, quam divini verbi præconi conveniunt.

P. 161.

Idem in Moria. Nunc ferè, si quid laboris est, id Petro & Paulo relinquunt, quib. abunde satis est ocii. Porro si quid splendoris, aut voluptatis, id sibi sumunt. Atque ita fit meâ quidem operâ, ut nullum penè hominum genus vivat mollius, minusque solicitum, ut qui abunde Christo satisfactum existiment, si mystico ac pene scenico ornatu, ceremoniis, beatitudinum, reverentiarum, sanctitatum titulis, & benedictionibus, ac maledictionibus Episcopos agant.

Priscum & obsoletum, nec horum omnino temporum, miracula ædere: docere populum, laboriosum: sacras interpretari literas, scholasticum: orare, ociosum: lachrymas fundere, miserum ac muliebre: egere, sordidum: vinci, turpe, parumque dignum eo, qui vix Reges etiam summos ad pedum beatorum admittit oscula: deniq; mori, inamabile: tolli in crucem, infame. Restant sola hæc arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus, atq; harum quidem sunt sane quam benigni, interdictiones, suspensiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices picturæ, ac fulmen illud terrificum quo solo nutu mortalium animas vel ultra tartara mittunt.

Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo patres, & Christi vicarii, in nullos torquent acrius, quam in eos, qui, instigante diabolo, patrimonia Petri minuere, atq; arrodere conantur, cujus cum hæc vox sit in Evangelio: reliquimus omnia, & sequuti sumus te: tamen hujus patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia, portoria, ditiones. Pro quib. dum zelo Christi accensi ferro ignique dimicant, non absq; plurimo Christiani sanguinis dispendio, tum demum Ecclesiam Christi sponsam sese credunt Apostolicè defendere, fortiter profligatis, ut vocant, hostibus. Quasi vero ulli sint hostes ecclesiæ perniciosiores, quam impii Pontifices, qui & silentio Christum sinunt abolescere, & quæstuariis legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilente vita jugulant.

Porro cum Christiana ecclesia sanguine aucta, nunc perinde quasi Christus perierit, qui more suo tueatur suos, ita ferro rem gerunt.

Ibi-

Ibidem. Porrò theologus silentio transire fortasse præstiterit, χαὶ πάντλω καμαρίναν μὴ κινεῖν, nec hanc anagyrim tangere, utpote genus hominum mirè superciliosum atque irritabile, ne forte turmatim sexcentis conclusionibus adoriantur, & ad palinodiam adigant: quod si recusem, protinus hæreticum clamitent. Nam illico solent hoc terrere fulmine, si cui sunt parùm propitii.

Sane quanquam non alii sunt, qui minus libenter agnoscant meam in se beneficentiam, tamen hi quoque non mediocribus nominibus obstricti sunt, dum felices sua Philautia, perinde quasi ipsi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortales omnes, ut humi reptantes pecudes, è sublimi despiciunt, ac propositionum explicitarum & implicitarum agmine septi sunt, tot exuberant χρησφυγίτοις, ut nec Vulcaniis vinculis sic possint irretiri, quin elabantur distinctionibus, quibus nodos omnes adeò facile secant, ut non Tenedia bipennis melius: tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigiosis vocibus scatent.

1520. *Ulricus Velenus Minhoviensis.*

Peculiari scripto probat, Petrum Romam non venisse, propositionibus novendecim, & cavillis septem. Imp. 117. Carolo 5. Papa 224. Leone 10.

1520. *Franciscus Guicciardinus.*

Anno 1505. tragicum quiddam, veterum Thebanorum casibus, sed leviore de causâ, si modo effrenatus amoris impetus ardenti regnandi ambitione levior est, simile accidit. Nam cum Hippolytus Estensis Cardinalis, vehementi juvenculæ sibi sanguine conjunctæ arderet amore, quæ non minori ardore Iulium, Hippolyti ex concubina genitum fratrem, amabat: cumque ipsamet, se ad tantum amorem præcipue Iulii oculorum pulchritudine accendi, Hippolyto fassa esset, Cardinalis Hippolytus furore correptus, temporis opportunitate captata, cum Iulius in venatione extra urbem esset, in agris eum sepsit, equoque descendere jusso, per aliquos suos à pedibus servos, animo tanti sceleris immanitatē spectare ausus nefario, oculos ei, velut amoris sui æmulos, erui jussit: unde graves offensiones inter fratres consecutæ sunt. Imp. & Papa ut sup.

Idem lib. 11. Iulius 2. Papa anno 1512. rebus in Italiâ feliciter gestis minime contentus, edictum in Galliæ Regem Ludovicum 12. promulgavit, quo illum non amplius Christianissimum, sed illustrissimum appellans, eum & quotquot illi studerent, omnibus hæreticorum & schismaticorum pœnis subjecit: cujus fortunas, regna, resque illorum omnes, jure occupandi factâ potestate, damnatos declaravit: eaque acerbitate (quod Cardinales, & reliqui antistites Pisani concilii præsides, qui Mediolano aufugerant, Lugdunum recepti fuissent) indignatus, gravissimo edicto mandavit, ut nundinæ, quæ quater quotannis, maximo mercatorum concursu, Lugduni celebrari solebant, deinceps Genevæ, unde prius illas Ludovicus XI. ad regni sui commodum, transtulerat, celebrarentur: ac demum universo Galliæ regno sacris interdixit, & in Angliæ regem Henricum VIII. Lateranensis concilii decreto, Christianissimi regis titulum transtulit. p. 162

Idem. Alexander 6. Papa filium suum Cæsarem Borgiam in numerum Cardinalium cooptaturus erat: at cum esset spurius, quibus ad eam dignitatem aditus patere non consueverat, falsis testibus, alterius legitimum filium esse, comprobavit.

Idem. In obsidione Novariensi, quo autoritate armisque sacratis favorem humanis viribus conciliarent, Veneti, cum Ludovico Sfortia à Pontifice Alexandro VI. impetrârunt, ut is Fecialem unum ex iis, qui clavam argenteam præferunt, ad Carolum VIII. Galliæ regem, tunc Vercellis subsistentem, mitteret, qui ei præciperet, intra decimum diem ipse cum eis copiis, quas secum haberet, Italia discederet: aliud item breve temporis spacium præstituit, quo suos omnes è Neapolitano regno deduceret, alioqui pœnis illis, quas Ecclesia minari solet, propositis, sese Romam coram ipso sisteret: quo remedio pontifices olim veteres usi sunt.

Nam ut legitur, haud aliis armis Adrianus ejus nominis primus Desiderium Longobardorum regem, qui cum ingentibus copiis Romam turbatum ibat, ut Ternio, quo jam processerat, Papiam rediret, coëgit. Verum ea veneratione ac majestate, quæ ex vitæ Pontificum sanctimonia in hominum pectoribus gliscebat, extincta, difficile erat, ex moribus & exemplis usque adeo contrariis, eosdem effectus sperare: itaque eius irridens mandatum, respondit: se Neapoli redeuntem, quo ei pedes reverenter oscularetur, Romam venisse, sed pontificem ibi expectare noluisse: se mirari, cum nunc tantopere, ut Romam veniat, urgere: verum tamen, ut ei pareat, in id incumbere, ut sibi viam, quæ Romam ducit, aperiat: rogare, ne frustra hoc incommodi suscipiat, se exspectare in urbe ne gravetur.

Idem. Habebat Othomannus Turca fratrem Gemen: is metu mortis Rhodum fugerat: & deinde in manus Pontificis Innocentii pervenerat. Othomanno autem cum non ignota esset Vicarii avaritia, quotannis 40. millia aureorum promisit, & solvit, ut Papa, ne in aliorum manus perveniret, eum in vinculis detineret: metuens, ne quis eo contra ipsum uteretur. Cum verò Rex Carolus Galliæ movere vellet bellum contra Turcam, hunc (Gemen) sibi omninò tradi, expetivit. Pontifex autem cum ob stipendium 40. millium coronatorum annuorum eum è manibus invitus emitteret, ut Rex nullum commodum inde perciperet, misero captivo vitam ademit veneno.

Invidebat enim gloriæ Caroli, & simul metuebat, ne (si forte adversus Turcas ei prospere cederet) mox suas cogitationes ad Ecclesiam Romanam, quod ab antiquis motibus & ritibus penitus descivisset, & magis indies magisq; Christianæ Religionis authoritas minueretur, corrigendam verteret, omnibus certe timentibus, eam labem in ejus Pontificatu multo majorem futuram: qui Pontifcatus, turpissimis artibus partus, nunquam post hominum memoriam à deterioribus fuit administratus.

Nec defuêre, qui crederent, (nihil enim tam iniquum est, quod in ejus Pontificis scelesta natura non facile crederetur) Baiazetem, cognito Regis Galliæ animo, Pontificem pecunia corrupisse, ut Gemen vita privaret.

Ecce tibi facta papalia, Christi vicarii. Habes hanc historiam ab aliis quoq; recitatam: sed à nemine verius, quam hic ab Italo veracissimo.

Idem. Alexander sextus pontifex Lucretiam filiam, quæ jam tribus viris desponsa fuerat, & tunc Gismundi Biseliorum principis Alfonsi Neapolitani regis nothi filii, quem Valentinus dux, Pontificis F. trucidaverat, obitu, vidua erat, Alfonso Herculis Estensis natu maximo, cum centum millibus aureorum nummum in pecunia numerata, dotis nomine, multisque maximi precii muneribus, anno 1501. connubio junxit. Cui matrimonio Estensi familia, nobilissimis affinitatibus contrahendis assueta, indigno, Hercules & Alfonsus, quia rex Galliæ Ludovicus XII. Pontifici in omnibus obsequendi cupidus, id summopere urgebat, consenserunt: sui etiam regni, à Valentini armis & ambitione (si tamen aliqua adversus tantam perfidiam erat idonea cautio) muniendi desiderio ducti, qui Pontificatus pecuniis & autoritate, nec non Galliæ regis favore potens, jam magnæ Italiæ parti erat formidabilis: utpote quæ cerneret, ejus dominandi libidinem nullo jam termino contineri.

Idem. In Alexandro sexto erant vitia moresque turpissimi. Non sinceritas in homine, non pudor, non veritas, non fides, non religio, sed insatiabilis avaritia, ambitio immoderata, crudelitas plus quàm barbara, & cæt.

Idem. Pontificatus plerumque ambitione, & male pacatis consiliis administratur.

Idem. Cardinales dicebant, se sine pontificis autoritate concilium convocare posse, & Ecclesiam non solum in membris, sed etiam in capite, hoc est, in Pontificis persona emendatione indigere, ut qui in sacrorum venditione, quam simoniam vocant, & infandis perditisque moribus inveteratus, nec ad pontificatum idoneus, tot bellorum author, correctionem nullam, cum totius Christianæ Reip. offensione, admitteret.

Idem. Luthero occasionem dederunt Indulgentiæ nimis licenter concessæ à pontificibus, quæ, quia, pecuniæ tantum à mortalibus exigendæ gratia concedi, notum erat, magnam turbam excitarunt: & quandoquidem in seipsis, quæ damnari poterant, non correxerunt, qui pontifici adhærebant, ignem flatu accendebant: & ut homines naturâ ad vehementia medicamenta adhibenda sunt proni, quod dissimulatione dissolvi potuisset, rigor & minæ perdiderunt. p. 165.

Idem. Pontifex Alexander VI. repentè ex vineâ prope Vaticanum, quò, sui ab æstu recreandi gratiâ, ad cœnam se contulerat, pene exanimis in regiam suam, ac paulò post ejus quoq; filius Cæsar Borgias, dux Valentinus, eodem modo fertur: sed Pontifex postero die, qui fuit 18. Augusti, anni 1503. mortuus, pontificio ritu, in D. Petri ædem, ater, tum efactus, totusque deformatus, quæ apertissima sunt veneni indicia, elatus fuit: at Valentinus ætatis vigore, optimis statim, atque ei veneno accommodatis remediis usus, longâ & gravi ægritudine oppressus, vitã tamen conservavit. Hujus casus venenum causam fuisse, constans opinio fuit, & cõmuni fama, res in hunc est acta modũ.

Valentinus, qui eidem cœnæ interfuturus erat, Adrianum Corneti Cardinalem, in cujus vinea cœnaturi erant, veneno tollere constituerat. Neq; enim ignotum est, hanc fuisse patris & ipsius frequẽtem consuetudinem, ut veneno non modo adversus hostes, ultionis vel metus gratiâ, uterentur, verum etiam, nefariâ divites propriis facultatibus spoliandi cupiditate, in Cardinales & alios aulicos, etiamsi nullam unquam ab illis injuriam accepissent, cujusmodi fuit ditissimus ille S. Angeli Cardinalis: quin etiã amj

amicissimos conjunctissimosq; eodē modo acceperunt, ut Capuanum & Mutinensem Cardinales: quum eis utilissimi fidissimique ministri fuerant.

Valentinus igitur suum secutus morem, quum lagenas quasdam vino venenato plenas præmisisset, easque ministro cuidam rei minimè conscio, cum mandato, ne cuiquam daret, tradidisset, forte fortunâ Pontifex ante cœnæ tempus eò venit, qui siti, ingentique, ut tunc erat, æstu victus, potum petivit: sed quia nondum ex Vaticano ea; quæ ad cœnam erant necessaria, allata fuerant: minister is, qui id vinum velut præstantius conservari crederet, ex eis lagenis, quas Valentinus præmiserat, Pontifici infudit. Valentinus, parte bibente, eò supervenit, atque ex eodem vino bibit.

Hîc Alexander veneno sic absumtus; mortuus in D. Petri templo reponitur, ad ejus corpus spectandum urbs Roma incredibili lætitiâ accurrit: nec cujusquam oculi draconem illum (qui immoderatâ ambitione & pestiferâ perfidiâ, omnibusque horrendæ crudelitatis, monstrosæ libidinis, & inauditæ avaritiæ exemplis, sacrisque atque profanis rebus absque discrimine venditis, universum orbem venenis infecerat) extinctum spectando expleri poterant.

Vaticinium Sibyllæ de Rege Franciæ & Navarra, Henrico IV. & calamitatibus toti Europæ impendentibus.

Anno cIↃ IↃ xx. die mensis Martii iii. repertum est in Helvetia, in Tauri montis hiatu, qui tum magnis imbribus acciderat, monimentum quoddam, hoc modo inscriptum: PROPHETIAT. SIBYLLÆ OLLVII MVNNE. quibus notis quid significetur, haud facilè (ut opinor) quisquam, quantumvis acutus, divinârit. Verba autem monimento insculpta hæc fuerunt: Orietur Sydus in Europa supra Iberos, ad magnam septentrionis domum, cujus radii orbem terrarum ex improviso illustrabunt. Hoc verò erit tempore desideratissimo: quo mortales, positis armis pacem unanimes complectentur. Certabitur quidem variis per diuturni Interregni occasionem studiis, cui imperii habenæ tradantur: sed vincet tandem aviti sanguinis propago, quæ eò usque armorum vi progredietur, donec fata contraria fatis obstiterint. Nam eodem ferè tempore, hoc demerso sydere, coævum quoddam ejus lumen longe ardentioribus Mavortis ignibus exardescet. Verùm hocce jubar ante diem ingenti mortalium desiderio se divûm nubibus condet. Quo extincto, post diros & sanguinolentos cometas, ignivomasque cœli facies; nihil amplius tutum salutaréve erit. Diris animantibus cœli firmamentum, pugnantibusque planetis, & contrariis cursibus labefactabitur: concurrent urbibus urbes, Fixæ cursu antevertent Erraticas, æquabunt æquora montes: hæc omnia denique erunt nox, interius, ruina, damnatio, ac æternæ tenebræ.

Hoc ænigma cum in manus meas nuper incidisset, pupugit illico meum animum cogitatio Regni Franciæ, & ejus status, in quo nunc serenissimus, & re atque cognomento Christianissimus Rex, Henricus quartus versatur: verbisq; ill. oraculi diu multumque perpensis atque animadversis, tandem in eam opinionem sum adductus, ut initium ejus ad illum ipsum Regem & varias de ipsius hostibus ac perduellibus victorias pertinere, existimem: reliquam verò partem ad calamitates Europæ universæ, totique adeo terrarum orbi imminentes.

Nam illa verba: orietur sydus in Európa supra liberos, ad magnam septentrionis domum: haud facilè, ut opinor, quisquã alio spectare existimabit, quàm ad eundem Henricum IV. qui cum solum Navarræ & Bearniæ regnum (quod supra Hispaniam ad Pyrenæos montes pertinet) obtineret, jure tamen propinquitatis & agnationis, & magnam septentrionis domum, hoc est, ad spem regni Francici (quod ab Hispaniæ finibus ad septentriones spectat) vocabitur.

Quod autem sequitur, radios illius syderis de improviso terrarum orbem illustraturos, facilè quivis sentiet, ad eundem Regem pertinere: qui certe præter omnium expectationem, superiore Rege vilissimi monachi manu interfecto, ad regnum evectus, splendore sui nominis priorum omnium animos, qui in orbe Christiano sunt, collustravit, lætitiaque & gratulatione complevit. P. 164.

Sequitur: futurum istud tempore desideratissimo, quo mortales, positis armis, pacem unanimes complectentur: hoc est, venturum, exorta illa luce, tempus optatissimum, quo miseri mortales Franci, tot latrociniis, tot luctuosis ac longinquis bellis defessi, abjectis armis, summo studio pacem, compluribus prœliis secundis ac victoriis à Rege partam, sibique ab eodem oblatam, amplectentur. Quod tempus verissimè Sibylla desideratissimum atque optatissimum appellat. parta enim post bellum diuturnum pace,

Tutus bos (ut ait Horatius) rura perambulat,
Pacatum volitant per mare navitæ,
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos & lex maculosum edomuit nefas:

ædificatis, ea non modo preciosis vasis ornamentisque ditavit, verum etiam, ut sarta tecta tueri, ac renovare, quæ extructa erant, seque, qui rebus sacris operam darent, sustentare possent, prædiis, atque aliis vectigalibus donavit: alii præterea multi post secuti, rati, beneficiis hujusmodi faciliorem aditum in cœleste regnū sibi patifieri, aut nova extruebant fana, eaque donis cumulabant: aut jam extructis suorum bonorum portionem aliquā attribuebant, quinetiam, sive lege quapiam inveterata, sive consuetudine, ad legis Mosex exemplum, quisquis de suorum bonorum fructibus decimam partē locis religiosis pendebat: ad quod quidem efficiendum, magno cum ardore excitabantur, quod viderent, ab initio Sacerdotes, eo excepto, quod ad parcissimum victum sibi reservabant, quicquid reliquum erat, partim in ædificia religiosa, eorumque supellectilem, partim in egenos, aliosque pios usus impendere: cumque nondum superbia & ambitio in eorum pectoribus insedisset, ab universis, qui ubique erant, Christianis omnium Ecclesiarum supremus custos, & tanquam Petri Apostoli successor, episcopus Romanus agnoscebatur: primum, quod ea civitas ob suam antiquam dignitatem, tanquam reliquarum caput & princeps, Imperii nomen majestatemq; retinebat: deinde, quod illinc in bonam Europæ partem religio Christiana diffusa erat: postremò, quia Constantinus à Sylvestro ritu Christiano aquis initiatus, ejusmodi auctoritatem in eo, atque in ejus successoribus libenter agnoverat.

Fama quoque est, Constantinum Orientis provinciarum motibus, Imperii sedem Bizantium, post de suo nomine Constantinopolim appellatam, transferre compulsum, Pontifici Romanæ urbis, aliarumque & urbium, & regionum in Italia, imperium donâsse. Quæ fama quamvis à sequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & sustentata, eorumque auctoritate à multis credita: est nihilominus cum ab scriptoribus gravissimis, tum vero rebus ipsis refutata.

Illud autem certò constat, & tunc, & longo post tempore, urbem Romam, Italiamque omnem, tanquam imperio Cæsarum obnoxiam, ab Imperatorum ministris ac præfectis fuisse gubernatam: nec desunt, qui, quicquid de Constantino & Sylvestro dicitur, (usque adeo sæpe profundis in tenebris res vetustæ demersæ latent) redarguant, ostendantque, eos longè diversis temporibus extitisse: nemo tamen negat, imperii Constantinopolim translatione ad pontificum potentiam viam esse patefactam, ex eaque originem habuisse.

Nam indies magis & magis imperatorum autoritate, cum ex illorum continua absentia, tum quod gravissimis in Oriente bellis distinerentur, in Italia debilitata, populus Romanus ab Imperatorum obedientia paulatim desciscens; atque ob eam rem tanto magis Pontifices præsentes respiciens, eis cœpit non obedientiā quidem sed voluntarium quoddam obsequium exhibere. Quanquam ne hæc quidem nisi lente sese ostenderunt, ob Gothorum & Vandalorum, aliarumque barbararum nationum in Italiam effusiones: à quibus capta sæpè ac direpta Roma, & Pontificum nomen, quod ad civiles attinet res, in obscuro penè contemtum jacebat, & imperatorum in Italia auctoritas evanescebat: quandoquidem eam tanta cum ignominia prædæ barbaris expositam deserebant.

Aliarum nationum impetus cum torrentis instar erupisset, Gothorum per annos septuaginta potentia permansit. Erant hi nomine & professione Christiani, genere à prima origine Scythæ & Dacæ: quibus tandem Cæsarum armis Italia pulsis, per Græcos iterum magistratus cœpit Italia gubernari: quorum, qui cæteris imperabat, Græca voce Hexarchus appellabatur, sedemque Ravennæ in urbe vetustissima, eisque temporibus opulentissima, atque ob agri bonitatem frequentissima, habebat.

Nam post magnum incrementum, ex Cæsaris Augusti, atque aliorum Imperatorum classe validissima susceptum, quam in eius portu urbi pene conjuncto, cujus nunc vix ullum extat vestigium, continenter tenuerunt, à multis belli ducibus, deinde ab Theodorico Gothorum rege, ejusque successoribus fuerat habitata: qui quod imperatorum potentiam suspectam haberent eam potius quam Romam, regni sibi sedem, opportunitate maris Byzantio propioris d ucti, delegerunt: cum opportunitatem Hexarchi, etsi contraria ratione, secuti, cum ibi consedissent, Romanæ urbi, aliisque Italiæ civitatibus proprios imponebant præfectos, quos Duces appellabant. p. 166.

Hinc Ravennatis Hexarchatus nomen: quo nomine omnia comprehendebantur, quæ proprios Duces non habebant, sed uni Hexarcho obtemperabant. Qua tempestate Pontifices Romani, civilis potestatis penitus expertes, atq; in mortalium animis admiratione & observantia (moribus ipsorum ab illa pristina puritate jam fatiscentibus) obsolescente, tanquam Imperatoribus subjecti, ætatem agebant: sine quorum, & eorum, quos Hexarchos diximus appellatos, auctoritate quamvis sacerdotum populiq;

Romani suffragiis renunciati, neque se pro Pontificibus gerere, neque Pontificatum capere audebant: quin etiam Episcopi Constantinopolitanus & Ravennas, quoniam religionis sedes imperii atque armorum potentiam sequi consuevit, cum Romano episcopo sæpenumerò de principatu disputabant. Cæterum haud multo post rerum mutatio consecuta:

Nam Longobardi, gens ferocissima, in Italiam ingressi, Galliam Cisalpinam occuparunt, ab quorum Imperio Longobardia est appellata. Adjecerunt etiam Ravennam cum Hexarchatu universo, & alias præterea multas Italiæ partes: armis Picenum usque, & Spoletum, & Beneventum prolatis, quibus in locis Duces à se dictos imperare jusserunt: atque hæc omnia, dum Imperatores partim ignavia, partim Asiaticis bellis detenti, hisce rebus parum prospiciunt.

Horum igitur auxiliis Roma destituta, cum nec jam Hexarchorum magistratus essent in Italia, consiliis atque auctoritate Pontificum gubernari cœpit: qui cum aliquot annis post unà cum Romanis ab Longobardis opprimerentur, ad Pipini Francorum Regis auxilia tandem se receperunt: Qui valido in Italiam exercitu, ubi Longobardi annos ultra ducentos dominatum tenuerant, ducto, eos inde pepulit: partemque ipsorum imperii, quasi belli jure parti, Pontifici & Ecclesiæ Romanæ condonavit: in quibus non modo Vrbinum, Fanum Fortunæ, Eugubbium (Ignium olim) multaque alia Romæ vicina oppida; verùm etiam Ravennam cum Hexarchatu suo, quo contineri aiunt, quicquid à Placentiæ & Papiæ finibus Ariminum usque, Padum inter & Apenninum, stagna sive paludes Venetorum, & Adriaticum sinum clauditur, ad hæc ipsum *Ariminum* ad Toglam flumen, tunc Isaurum appellatum.

Pipino autem mortuo, cum denuo Pontificibus Longobardi essent infesti, & quæ ipsis donata erant, invaderent, Carolus ejus filius, qui pòst ob maximas victorias Magni cognomentum merito est adeptus, eorum imperio funditus everso, à patre Ecclesiæ Romanæ donata comprobavit: & nominatim Picenum & Spoleti Ducatum, quo Aquila oppidum, Brutiorumque pars continetur, Pontifici tunc, cum cum Longobardis bellum gereret, attribuit.

Hæc sic habere, certo affirmant, quibus Pontificii quidam scriptores addunt, eundem Carolum Ecclesiæ donasse Liguriam ad Varum amnem, Italiæ terminum Mantuam item, & quicquid Longobardi in Foro Iulii, atque in Histria possidebant. Idem quoq; aliquis scribit de Corsica Insula, totoque illo tractu, qui Lunam inter & Parmam interest: ob quæ beneficia reges Galliæ celebrati, & honoribus à Pontificibus affecti, Christianissimi appellationem sunt consecuti.

Post etiam, anno salutis octingentesimo, Leo Pontifex unà cum populo Romano (verùm pontifex haud alia auctoritate, quàm ut ejus populi caput) eundemmet Carolum Romanorum imperatorē nominârunt, nomine quoque ipso hanc imperii partem ab Imperatoribus Constantinopoli agentibus sejungentes, tanquam Roma, provinciæque Occidentis ab illis desertæ in periculis, propriorum principum tutela opus haberent.

Hac imperii distractione, transmarini Imperatores nec Siciliæ insula, nec ea Italiæ parte, quæ ab urbe ipsa Neapoli, Manfredoniam usq; pertingens, mari terminatur, (quoniam semper illorum imperium agnoverat) exclusi fuêre: nec ob id de consuetudine, qua Pontifices imperatorum, quorum nomine Roma gubernabatur, auctoritate confirmarentur, derogatum est: quin etiam in suis diplomatibus scripturæ temp9 his verbis consignabant: IMPERANTE CAROLO, DOMINO NOSTRO. In qua minime gravi vel submissione, vel observantia perstitêre, dum rerum eventus animos addidêre, ut suo se nutu regerent: quippe cum imperatorum potentia debilitari cœpisset, primum dissidiis inter Caroli magni posteros, (dum penes eos imperii majestas stetit) deinde Imperii ad Principes Germanos translatione, potentia Caroli Magni successoribus minime pares, Pontifices, populusq; Romanus (cujus magistratibus *Roma* cœpit, quamvis perturbatè & confuse, gubernari) Imperatorum auctoritati quibuscunq: modis derogantes, lege sanxerunt, ne deinceps *Pontificum* lectio imperatorum auctoritate niteretur: quod quidem per annos plures varie servatum est prout rerum vicissitudine Imperatorum potentia aut surgebat, aut inclinabat: qua, posteaquā ad Othones *Saxonas* imperium pervenit, aucta: Gregorius Quintus Othonis tertii favore, qui tum Romæ erat, ad pontificatum assumtus, hinc suæ gentis amore, illinc Romanorum quibusdam injuriis impulsus, suo decreto legendi Imperatoris jus & auctoritatem, ea forma, quæ ad hæc usque tempora perducta servatur, in Germanorum nationem transtulit: atq; ut Pontificibus in Imperatores auctoritatem aliquam retineret, eisque vicem redderet, interdixit, ne quis Imperatoris Augustive appellatione, alióve nomine, quam Regis Roman. & Cæsaris, uteretur, ni prius Imperii coronam à Pontifice (unde mos inolevit, ut ad capiē- p. 167.

dam

dam coronam Romam veniant) accipiat.

Cæterum extinctis Othonibus & potentia Imperatorum, quod ad magnos reges hæreditario jure Imperium non veniret, Roma palam ab illorum obedientia defecit: multæq; urbes, Conrado Sueuo imperante, rebellarunt: & Pontifices suæ amplificandæ auctoritati intenti, Rom. civitatis dominatum propemodū obtinebant: sæpè tamen propter populi insolentiam & discordias, multis difficultatib. laborabant: quem ut in officio continerent, Henrici secundi favore, qui tum Romæ erat, Pontificis creandi ius in Cardinales solos transtulerant.

Pontificum magnitudini nova accessio facta est. Nam cum Normannis, quorum primus Guilelmus Ferabrachius est appellatus, ab Imperio Constantinopolitano Apulia & Calabria subtracta Robertus Guicciardus ex illa gente unus, sive ut colore juris aliquo sese muniret, sive quò adversus eos imperatores potentia se armaret, sive alia de causa, Benevento Pontifici, quasi pontificii juris esset, restituto, Apuliæ Calabriæq; principatum, quasi Ecclesiæ Romanæ fundum, recognovit; cujus exemplum Rogerius, eius successorum unus secutus, inde pulso Guilielmo, eadem familia orto, pòst etiam Sicilia occupata, ferè anno Salutis 1130. harum provinciarum jus à Pontifice accepit: estq; rex utriusq; Siciliæ, quarū una ultra, altera cis fretum sita est, appellatus. Neq; enim Pontifices, ambitione & propria utilitate adducti, alienam cupiditatem & vim fovere recusarunt.

Hac juris specie freti, ulterius Pontifices progressi (ut cupido humana gradum sistere nequit) quosdam Reges illis regnis, quasi contumaces, privare cœperunt, in aliosque transferre: quo more ad Henricum Friderici Barbarossæ filium, ab hoc ad Fridericum secundum, eius filium, qui tres ordine Romani Imperatores fuerunt, ea regna pervenere.

Verum cum Fridericus Pontificem bello persequeretur, essentque illo tempore Guelforum & Gibellinorum factiones excitatæ, quarum alterius caput erat Pontifex, alterius Imperator: Pontifex, mortuo Frederico, Carolum Andiovinorum & Provinciæ comitem (cujus antea facta mentio est) utriusque Siciliæ regem appellavit, hac lege, ut quotannis auri unciarum sena millia tributi nomine penderet, ac ne quis eorum regum in posterum Imperatoris Romani appellationem posset admittere: quæ exceptio semper ab eo tempore in regni Neapolitani diplomate expressa fuit. Nam Siciliæ regnum pòst à Tarraconensibus regibus occupatum, à Pontificum obedientia sese subduxit, atq; à tributo pensitando vendicavit.

Ad hoc obtinuit fama (etsi haud ita certa, quam ea, quæ hactenus dicta sunt) Mathildam principem in Italia præpotentem Ecclesiæ eam partem Etruriæ donâsse, quæ Pescia torrente & Quirici castello in Senensium finib. ab una parte, ab altera mari in Fero & Tyberi amne, quæ hodie Patrimonium Petri vulgò nominatur, circumscribitur: & addunt alii, ab eadem Ferrariam Ecclesiæ donatam.

Hæc postrema dubia fide retulimus, cæterum multò magis dubia, quæ ab aliquo scripta sunt, videlicet, Authpertum Longobardorum regem, florente ipsorum regno, eidem Ecclesiæ Alpes Coccias, in quib. Genua, & quicquid ab ea in Provinciam usq; Romanorum patet: & Luithprandum ejusdem gentis regem. Sabinam, Romæ propinquam regionem; Narniam, & Anconem, cum aliis quibusdam oppidis attribuisse.

In hunc igitur modum rerum statu variante, variæ pariter Pontificum, atque Imperatorum res fuêre. Nam à primis imperatorib. per multa annorum curricula vexati, post Constantini ad Christum conversione, ab eo terrore liberati, reb. sacris tantū tum operā dantes, in reliquis Imperatorum auctoritati ferè subjecti, sub eorum umbra quieverunt.

In hoc humili statu diutissimè pòst vitam egerunt, ab Imperatorum commercio, propter magnam in Italia Longobardorum potentiam, sejuncti. Pòst autem, Galliæ regum beneficio, opibus & potentia aucti, cum Imperatorib. conjunctissimi stetêre, ab illorum auctoritate, dum imperatoria majestas in Caroli Magni posteris mansit, alacri animo pendentes, quod quidem fiebat cum propter beneficia vicissim data & accepta, tum etiam ob imperatorum potentiam: quæ ubi pòst cœpit inclinare, & quasi flaccescere, illorum amicitia prorsus rejecta, ita se gerere cœperunt, quasi pontificiæ dignitatis esset, leges potius Imperatorib. dare, quam accipere.

Cumq; à veteri illo, quo subjecti erant Imperatoribus, statu penitus abhorrerent, veritique, ne illi Romæ, atque alibi antiqua Imperii jura recuperare, ut quidam illorum aut potentia majore, aut animo erectiore efficere conabantur, tentarent, armata vi sese imperatorum potentiæ, ab illis tyrannis, qui se Principes appellabant, & ab illis urbibus, quæ sese in libertatem vendicaverant, nec jam imperii auctoritatem agnoscebant, adjuti, opponebant.

Hinc factum est, ut Pontifices sibi indies plura majoraq; arrogātes, terroremq;

armorum cœlestium in res terrenas & caducas vertentes, jus sibi, atque auctoritatem in Imperatores, quas CHRISTI in terris vices gerentes, assumserint, affirmantes, ad se multis in rebus regnorum atque Imperiorum procurationem pertinere. Qua persuasione freti, Imperatoribus interdum imperii dignitatem abrogabant, Septemviros Augustales, ut alios in eorum locum surrogarent, incitabant. Vicissim quoq; inperatores aut ipsi creabant novos Pontifices, aut, ut crearentur, procurabant.

p. 168.

Ex his controversiis, atq; etiam, quod Pontifices per annos septuaginta Avenione sedem habuissent, nec non ex illo ecclesiæ dissidio, quod in Italia, Pontifice Romam revertente, est exortum, cum Ecclesiæ status admodum concussus ac debilitatus esset, factum est, ut in oppidis Ecclesiæ subjectis, præcipue verò in ea Italiæ parte, quæ olim Gallia togata dicta est, complures in eis cives, potentia cæteris superiores, in sua quisq; patria tyrannidem occuparent: quos Pontifices aut persequebantur, aut, si ad eos opprimendos impares essent, quasi Ecclesiæ beneficio regnare jubebant, aut aliis in eos excitatis regnandi jus attribuebant. In hunc igitur modum Galliæ togatæ oppida proprios dominos, ac plerosq; quasi ecclesiæ vicarios, habere cœperunt.

Eodem modo Ferraria Actio Atestino à Pontifice gubernanda tradita, eidem est post beneficii nomine attributa: ex quo deinde ea familia illustriorib. honorum titulis est exornata. Sic Bononia ab Ioanne Vicecomite, Mediolanensium Archiepiscopo occupata, eidem pari jure concessa fuit. Iisdem quoq; de causis in multis Piceni oppidis, divi Petri patrimonio, & Vmbria, quæ nunc Ducatus appellatur, plures reguli, pars invito, pars ad consentiendum adacto Pontifice, sunt exorti: nec Longobardia, in imperii præsertim oppidis, ab hujusmodi mutationib. immunis fuit: sic ut, qui in Flaminia atq; aliis pontificiis locis dominabantur, à Pontificum obedientia deficientes, ad Imperatorum auctoritatem confugerent: & vicissim, qui Mediolanum, Mantuam, & alia Imperii oppida tenebant, à Pontificib. regnandi jus obtinerent.

Roma verò quanquam nomen Ecclesiæ temporibus illis præ se ferret, magistratib. tamen regebatur propriis & suis: & quamvis initio, cum Avenione in Italiam postlimino revertissent, tanquam domini agnoscerentur, paulò tamen post Romani, creato magistratu, quem Banderensium appellabant, in veterem contumaciam recidêre: unde cum Pontificum auctoritas apud eos esset perexigua; & ipsi, aliò translata sede, Romam reliquêre, donec Romani ad paupertatem redacti, atque in magnam, propter eius absentiam, confusionem delapsi, cum annus millesimus quadringentesimus appropinquaret (in quo anno si Pontifex in Vrbe esset, sperabant, ingentem fore propter annum secularem, quem iubilæum vocant, mortalium concursum) precib; quam demisissimis Bonifacium Pontificem orârunt, Romam rediret: id si faceret, Banderensium magistratum abrogaturos, seq; ei obsequentes in omnibus futuros.

His conditionib. in urbem reversus, dum Romani illius anni quæstum unum attendunt, Pontifex, occupato omni urbis imperio, Angelicam arcem communivit, eique præsidium imposuit: cujus successores ad Eugenium usque etsi non paucis difficultatibus conflictati, nihilominus dominatu post plenè stabilito, insecuti Pontifices citra ullam controversiam, Romæ sunt pro sua libidine dominati.

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis, divinorumq; præceptorum obliti, atq; ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divina auctoritate aliter, quam quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, principes potiùs gentium, quam rerum sacrarum Pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negotia non jam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas: sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes: sed pecuniæ immensa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ insidiæ ad pecuniam undiq; cogendam: in hunc finem audacissimè arma cœlestia vibrare, profanarum sacrarumq; rerum nundinationem impudentissime exercere: hinc opes in immensum adauctæ, & in totam ipsorum aulam effusæ: ex quib. fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatesque nefandæ: nulla de successorib: nulla majestatis perpetuæ pontificatus solicitudo: sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios non modò ad opes immoderatas, verum etiam ad regna & imperia evehendi: non tam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, sed plerumq; auctionando, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatib. perditos effundendo.

His morib. effectum est, ut, excussa penitus ex animis hominum illa vetere erga Pontifices reverentia, tamen ex parte

te, eorum auctoritas religionis (qua nihil in terris ad homines vel impellendos, vel retinendos potentius invenitur) nomine, majestate, & facultate, qua pollent, principibus, atque iis, qui apud illos maximè possunt, sacris beneficiis & honorib. conferendis, gratificandi adjuta sustentetur. qui cum sciant, magna se in admiratione mortalium esse: & qui adversus eos arma sumunt, eos gravis infamiæ notam, & sæpenumero aliorum Principum odia subire: ac quomodocunque res cadat, perexiguum emolumentum ad eos, à quibus impugnantur, redundare: & victores ex suo arbitrio victoria usuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: ad hæc suos propinquos ex privata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum auctores, novorumq; incendiorum faces in Italia extiterunt.

p. 169. Sed ut ad id, à quo justissimus publici damni dolor me longius acriusque, quam leges historiæ forsitan permittunt, abduxit, revertamur.

1520. *Adrianus Barlandus in vita Caroli Burgundionis.*

Vltima eius uxor Margareta, defuncto marito, plurimis annis supervixit. Certè multorum bono. Suis enim facultatibus interim præclara fovit ingenia, studuitque modis omnib. sacras literas excitare. Nulli unquam attribuit sacerdotium nisi prius & eruditionem, & vitam inspexisset. Quod utinam (inquit Barlandus) & hodie facerent Principes: non tam multos passim videremus Idiotas in Ecclesia Dei, quos fortasse præstaret defricandis principum matulis, quam hominum conscientiis præesse. Imp. & PP. V. S.

1520. *Lutheri Biblia.*

Hoc tempore Lutherus Witebergæ ex Ebræo Biblia in linguam Germanicā transtulit. Rem miraculosam, unum Monachum Saxonem, qui prius tota vita inter privatos, & in abdito vixerat, convertere eleganti aulico stylo, &, quod etiam homini in Cancellariatus officio posito difficile fuisset, felicius, quam olim 70. viri interpretes præstiterunt, quod factum ajunt Philo & Epiphanius libro de mensura & ponderib. anno Mundi 3695. Olymp. 127. in Pharo insula prope urbem Alexandriam. Et addit Philo, etiam adhuc hodie contingere, ut non tantum Iudæi, sed alii plurimi traiiciant, locum veneraturi, in quo primum facta est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio acturi Deo gratias.

Ioannes Cellarius. 1520.

De Luthero Lipsiâ scribebat in hunc sensum: verissime dico, quòd Martinus noster ea fide sacram Scripturam tractet, qua palmam omnib. adversariis, Italis, Græcis, & Hebræis, longè præripiat. Et dico amplius: Martinus Evangelicam veritatem magis amat, ac omnes adversarii. Scripta eius ita mihi placent, quæ diligenter hactenus evolvi, ut ab illis haud ullus Papa me, non cardinalis, aut monachus, quantumlibet atrox sit, avellere possit. Imperatore Carolo 5. Papa Leone 10. ut suprà.

Felinus C. Ego de Iureiur. 1520.

Papa, inquit, non Canonicè electus, ast diabolus, non habens claves regni cœlorum, sed inferni, Imp. Carolo 5. PP. Leone 10.

Reginaldus Polus Cardinalis, Anglus. 1520.

Quodam libro edito, hic acerrimè conatus est incitare animum Cæsaris ad sumenda arma contra eos, qui in Germania Evangelio nomen dederunt, disertissimisq; verbis dixit: Principes Imperii novos esse Turcas, ac etiam deteriores Turcis, quia ipsum Evangelium esse Turcicum semen, Imp. Carolo. 5. PP. Leone 10.

Idem in oratione quadam suadet Imp. Carolo quinto, ut, relictis Turcis, Lutheranis bellum inferat.

Idem alibi ait: *Cum Ioannes & Petrus simul properarent ad sepulchrum Domini, Ioannem noluisse priorem ingredi, sed honorem hunc illi detulisse: & rete plenū piscibus, quod à multis trahi non potuerit, ab uno Petro fuisse pertractum ad littus: Ergò ad Petrum pertinere primatum & vicariatum.*

Hunc *Polum*, quidam affirmant, Evangelio omninò addictum fuisse, sed ut suspicionem Lutheranismi evitaret, & Cardinalis à *Papa* crearetur, librum pro sede Romana in lucem emisisse: ut plures alii, quos non veritas, sed venter, multorum malorum causa, ad simile compulit.

Paulus Langius Monachus, planè Lutheranus, in Chronico Zeitzensi. 1520.

Anno 1352. Ioannes Episcopus noster (ut in multis legitur chronicis) in die Ioannis Evangelistæ, ob honorem nominis sui, complures dominas speciosas & nobiles invitaverat. Chorizansque inter duas medius, quas ipse manib. tenebat, repente cadens, miserabili morte expiravit, anno ordinationis suæ V. mortuus (inquam) non ut Episcopus, non ut sacerdos, sed velut histrio vanus, & vir seculo

seculo deditus. Mortuus (inquam) non in atrio, sed theatro: non in loco sacro, sed prophano: non in Ecclesia, sed chorea. Proinde ex fine eius & operibus, ille præsul fuisse probatur ex grege illorum præsulum, qui non per ostium, sed aliunde conscendunt in ovile Christi, & officium Episcopale nesciunt: curam pastoralem postponunt: clerum contemnunt, populum sibi commissum negligunt, pauperes floccificaciunt, & fame perire sinunt: qui cartiludio aut fritillo plus, quàm Evangelio intendunt: & Venerem Bacchumque magis, quàm Christum venerantur & colunt: qui denique deliciis corporalibus, & mundi voluptatibus sine Dei metu inservientes, sola terrena sapiunt, pariterq; & propriæ & commissorum salutis immemores, futura minimè prospiciunt. Quos quidem Baptista Mantuanus, poëtarum nostri temporis facile princeps alterq; Virgilius, in quodam carmine egregiè taxat, inter alia ita resonans.

Neglecto superûm cultu, spretoq; tonantis
Imperio, Baccho indulgent, Venerique ministrant.
Sacra ferunt auro: nummis altaria condunt:
Auro vina libant: auro laquearia fulgent:
Scorta tegunt gemmis: canibus convivia ponunt:
Exuviis inopum culti, ditesq; rapinis:
Successu elati, superos Acherontaque rident.
Et post pauca: *Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris,*
Sanctum Deûm vanis penetralia vocibus implent,
Irritant, irasq; movent, non numina flectunt.

Imp. & PP. V.S.

Idem. Otto tertius fuit vir in armis exercitatus, insuper devotissimus ac pientissim9 in Deum & homines extitit: quandoquidem totam sæpè hebdomadam, præter quintam feriam, jejunabat, eleemosynas largissimas dabat. Nullus denique largior & clementior eo. Hic zelo Dei motus, Gisilarium archiepiscopum, eò, quòd duas teneret parochias, in synodo Romana judiciali sententia ab officio suspendi, ac per internuncios ab Apostolico missos, eundem illò vocari & comparere præcepit. Verum interim Gisilarius paralysi perculsus comparere nequivit, sed dictas parochias in finem retinuit.

O si nostro hoc muliebri tempore Otto ille Christianissimus viveret Imperator, & in Ecclesia Christi monstrum hoc tricorporeum cerneret, dubio procul omni molimine in eius insurgeret exterminium. Qui cum quondam sustinere æquanimiter non poterat, unum duob. præesse episcopatibus, etiam vicinis & eiusdem penè diœcesis: quomodo pateretur, unum tribus, & quidem maximis & opulentissimis præsidere archiepiscopiis?

Idem. Non etenim tunc ordines tot in Ecclesia Claustralium erant: sed duo tantum, Canonicorum videlicet sancti Augustini, & noster divi Benedicti, in Ecclesia Christi radiabant. Nec dum Carthusiensium, non Præmonstratensium, non Ioannitarum, multò minus ordines mendicantium, qui novissimi emersêre (quos ordo noster septingentis à suo exordio antecessit annis) qui quidem ab initio per annos trecentos in vinea Domini magnum protulerunt, & adhuc proferunt fructum.

Attamen illorum ob nimiam multitudinem, & præcipuè quorundam assiduam inter gentes commixtionem, remissam & voluptuariam conversationem, monachi vocabulum non in paruum devenit contemtum, per circumforaneos, inquam (ut quidam ait) quos ordo noster habet, & rotundos, qui religionis sub specie aucupantur victum sine labore & sudore: paupertatem rerumque contemtum, aliis prædicantes, qui est eis quæstus uberrimus, & lautissimus victus. & quia Apostolicum contra dogma plus quam expedit, negotiis se implicant secularibus: exiit dicterium de gyrovagis, eiusmodi actibus, moribusq; eorundem satis consonum.

Quicquid agit mundus, monachus vult esse secundus.

Ita dispergutur lapides sanctuarii in capite omnium platearum: unde & frequenter in symposiis non modò laicorum, verum & clericorum, si interfuerit religiosus, inibi, ni multum fuerit notus & maturus, à cunctis ridetur & floccipenditur fabulis obscœnis & scommatibus, in contumeliam eius, & cæterorum odium religiosorum confictis, passimq; recitatis, exasperatur & dehonestatur. Ita & mihi quidam superiori anno, anteaquam ista scriberem, plebanus osor noster improperans, nos reservare dixit in claustro gulam. In mundo hæc & similia patimur à seculi nostra tempestate hominibus: quoniam à sanctorum deviamus patrum semitis, à primo feruore tepescimus: nec conversatione sancta, rigida vel vita, aut certè salutari populum Dei ædificantes doctrina, ad amorem nostrum deducimus. Obscuratum est, inquit Propheta, aurum, mutatus est color optimus. Et ideo non mirum, si nunc è monasteriis, ut olim, non eligun-

eliguntur episcopi: qua illis priscis (ut dictum est) probatissimis & sanctissimis monachis nec conversatione, neque doctrina pares sumus.

Addamus, quòd nunc raro electio purè celebratur & canonicè: cum non melior, non sanctior, non utilior, sed frequenter qui pecuniosior, qui potentior qui nobilior atq; propinquior fuerit, eligi soleat. Quibus væ æternum Dominus per prophetam cominatur: Væ inquiens, qui ædificant Sion in sanguinibus. Unde metricus quidam, affirmans, hoc ex defectu ac divinæ gratiæ subtractione fieri, ita concinit.

p. 171.

Dum factor rerum privaret flamine Clerum,
Ad Sathana votum successit turba nepotum.

Itaq;, ut suprà memoratum est, temporib. Caroli Magni atq; Ottonum pauci erant monachi, & hi quidem verbo & opere potentes, sanctimonia vitæ, & sapientiæ doctrina insignes, etiam miraculis coruscantes: eapropter & Deo dilecti, & hominib. erant acceptissimi.

Idem. Ioannes igitur 22. reliquit in thesauris suis ingentem vim auri atque argenti, cujus computatio fuit aurearum drachmarum xxv. millia, hoc est, millies xxv. millia, quod scripsisse arduum certè videtur. Nec legitur aliis temporibus Ecclesia Romana fuisse locupletior, ut inquit Antoninus: quod quidem certissimum est. Neque enim tam dives erat temporib. Apostolorum, dum videlicet beatus Petrus eandem rexerat Ecclesiam. Qui, velut verus Christi paupertatis zelator, petenti eleemosynam pauperi respondit: Argentum mihi & aurum non est, quod autem habeo, hoc tibi do. Habuit quippe alium thesaurum, virtutum videlicet & gratiarum, quem & egenti communicavit. Papa inops auro, virtute locuples: pauper in arca, dives in conscientia, vacuus ære, plenus sanctitate.

Ditior deniq; dubio procul & hoc tempore fuit, quam olim Sixti Papæ & martyris ævo, qui per beatum Laurentium thesauros Ecclesiæ distribuit pauperibus. Opulentior insuper, quàm fuerat Gregorii primi temporibus, viri beatissimi, qui aliquot pauperum quotidie alebat millia. Quorum pastoralem solicitudinem, gubernationem, & vitam iste si Ioannes Papa fuisset imitatus, tantam auri copiam minimè post relinquere quivisset, securiorq; atq; beatior, misericordiæ videlicet, ac bonorum operum fructu comitatus, seculo ex hoc migravisset. Sola equidem ipsa misericordia comes est defunctorum, unicusq; ac saluberrimus divitiarum fructus ipsa eleemosyna: sine qua omnes divitiæ steriles sunt & cassæ, suisq; perniciosæ possessoribus. Thesaurus equidem omnis, qui ad quotidianum non est usum necessarius, superfluus est, nec considerandus, sed pauperibus, viduisq; ac orphanis erogandus, juxta illud Salvatoris dictum: Quod supefluum est, date pauperibus. Et Canon inquit: Aurum habet Ecclesia, non ut conservet, sed ut pauperib. erroget: non dicit, scortis aut histrionibus. Quamobrem, nisi Pontifex iste Ioannes magnus quoque fuerit eleemosynarius, minimè ob prædicti thesauri collationem tantoperè laudandus foret, sed magis arguendus. Pascendarum equidem ovium Christi, non etiam oculorum, æruginis, & tinearum curam susceperat, quin etiam ob caduca illa, fluxaq; bona temporalia, quæ dare & eripere ipsa fortuna potest, nemo vel bonus laudabilisue efficitur.

Idem Anno *D.* M. CCC. LXXXI. Witigo episcopus noster migravit à seculo, cui *Christianus* (ut infrà patebit) successit. Eodem anno, Ludovicus archiepiscopus Magdeburgensis lamentabili & horrenda extinctus est morte. Hic namq; ob altitudinem stemmatum elatus, plus seculi vanitatibus, quam divino cultui mancipatus, contra Apostoli Pauli monita, in omni apparatu, vita & morib. suis huic se mundo confirmare studuit: conversatione sua rotunda & tumida, populo non salutem, sed perditionis viam demonstrans: cum ipse palàm & inverecundè ea patrare haud formidaret, à quib. suos retrahere debuerat subditos: spectaculis vanis, & lusibus, atq; choreis exultans: *Dei* offensam, & commissorum scandalum minimè timens: nec illud terribile beati *Gregorii* de pastorib. dictum animadvertens, quo dicit, prælatos tot mortibus esse dignos, quot exempla perditionis in posteros relinqunt. Tandem omni prorsus Dei timore exploso, more suo, dieb. larvalibus, tempore videlicet carnisprivii, secularib. se conformitans, cum eisdem & cursitare, & tripudiare, ne dicam delirare, cœpit: secunda feria Esto mihi, post Dominicam, tempore prænarrato bacchanalia celebrando, magnā nobilium virginum & matronarum in Calvis oppido cohortem congregans, choream instituit, ubi dum eodem die usque in noctem choreis protensis interesset, repentina super eum irruit calamitas & ut scriptum est, extrema gaudii luctus occupavit.

Subitò enim clamore & tumultu super incendio exorto, episcopus perterritus ipse primus omnium cum ea, quam manu tenebat, fugam iniit: quem cæteri terrore pari perculsi insequentes, in descensu porrecto pondere, & pressura urgentium se gradib. confractis, Episcopus infra cadens, post & super se cadentium impetu & ruina oppressus fuit penitus,

&

ipsa fides Christi in Græciæ, fidelibus passim peremtis, passim captis, omnibus autem prorsus profligatis.

Porrò calamitatem prædictam & expugnationem Græci passi referuntur Dei ultione, ob peccata eorum, præsertim perfidiæ & inobedientiæ. Nuper enim sub Eugenio Papa in consilio Florentino Romanæ Ecclesiæ reconciliati & uniti, paulò post recidivantes denuò ab obedientia prædictæ Romanæ Ecclesiæ recesserunt, ac pristinis se erroribus, utpote de processione Spiritus sancti, deque in fermento consecratione, & similibus, impiis addixerunt: propter quæ etiam iram Dei incurrerunt. Quam nihilominus & nos formidare valde debemus, quia non minoribus, imo gravioribus, utpote Simoniæ, avaritiæ, ambitionis, ac libidinis turpissimis irretimur sceleribus. Quæ nisi pœnitudine & vitæ emendatione expiare curaverimus, simile exitium per Dei indignationem, & Turcorum infestationem, nobis imminere non dubitemus. Qui enim illis non pepercit, nec nobis parcet. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, jam continuis armis & classibus Turcus fidelium littora pulsat.

Nostraq; res agitur, paries cùm proximus ardet.

Nihil siquidem aliud cogitat & comminatur, nihil adeò cupit, quàm, quemadmodum Romanā Ecclesiam cum suo imperio ac tota Europa suæ possit subjicere potestati. Satagamus ergò mores nostros corrigere, vitamque emendare, ut & Deus, in cujus manu omnia sunt jura regnorum, & gratia, & in ineffabili sua potentia nos à Turcorum furoribus & conservare & defensare dignetur, ad laudem & gloriam nominis sui, Amen.

Idem, Anno D. M. D. III. Fridericus Saxoniæ Dux & Elector, princeps noster Sapientissimus, emporium sive literarum studiū universale erexit & instituit VVitembergæ in *Saxonia*, unde electura imperialis manat: ubi hoc anno quo hæc

p. 173. scribo, *Dominicæ* Incarnationis M. D. XX. ob florentissimum ac famatissimum Theologiæ, & omnigenæ sapientiæ studium, feruntur mille quingentique studentes existere, fama eruditissimorum virorum, Martini Lutheri Augustinensis, & Andreæ Carolostadii Archidiaconi & canonici Ecclesiæ collegiatæ, & exemtæ omnium sanctorum ibidem, nec non Philippi Melanchthonis, rhetoris, sacræque Theosophiæ Baccalaurei, Græcè & Latinè peritissimi, allecti & adunati.

Et memorati quidem integerrimi doctissimiq; duo illi hierophantes, Martin⁹ ut luminare majus, Andr. ut luminare minus hujus Academiæ, Theologiæ studiū, & divini verbi triticum absque omni palearum, id est, secularis Philosophiæ, syllogismorumve mixtura, purissimè tractant, & edocent sacram scripturam, & potissimū Christi Evangelium, & Paulum Apostolum habentes pro Archetypo & fundamēto, cum ipso literarum studio timorem Dei, & cunctarum virtutum semina, verbo, exemplo, & calamo in discipulorum pectora spargentes.

Neque enim in hac almiflua sapientiæ palæstra fatuus ille Peripateticorū princeps Aristoteles, vel impius Porphyrius, aut certè ille blasphemus Averroës, & similes orthodoxæ fidei spretores, & irrisores, cathedrā ullā habent vel audientiā.

Verùm & de hoc infrà locis suis, & annis opportunis dicetur plus, quemadmodum & suprà añoDomini M.CCC.XXX. copiosè factum constat.

Idem. Patrio more, Leo noster X. Papa (ut opera ejus de eo testimonium perhibent) auri sitientissimus est, nimirum, cùm Romanorum avaritiæ Florentinorū accesserit cupiditas, aurique sacra fames creverit in immensum, crescitq; modo amor numi, quantum ipsa pecunia crescit, sæviorq; ignibus Æthnæ ardet amor habendi, quemadmodum & pulcherrimè concordans dictis Naso inquit:

Creverunt & opes, & opum furiosa libido:
Quo magè sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

Amore equidem auri & nunc Romæ cuncta venalia sunt: auro mediante Simonia toleratur: præbendarum pluralitas in infinitum conceditur: beneficia dignitatesque cujusvis qualitatis Cardinalibus & protonotariis, atque amicis Papæ reservantur: expectativæ gratiæ sine numero conceduntur: annatæ sive medii fruct⁹ absque ulla dilatatione exiguntur.

Quin imò ipsæ annatæ, in quas tempore Calixti Papæ tertii, ad quatuor principes consenserunt annos, non modo adhuc durant, sed & indies magis crescunt, duriusque premunt & opprimunt. Et nisi iidem principes remedium adhibere procurent, omne æs & aurum pedetentim hoc malo è Germania corrasum & haustum, Romam, velut in sacculum pertusum, & inexplebilem voraginem, portabitur.

Dimembrationes monasteriorum, & Ecclesiarum permutationes, quemadmodum Hallis inter canonicos regulares & fratres prædicatores nunc de novo, & nostro hoc præsenti anno, quoquo hæc scribo, Domini videlicet 1520. dolenter cernimus fieri, justissime admittuntur: ecclesiarum quoque regimina non magis merenti, sed magis offerenti committuntur: electiones prælatorum

torum passim reiiciuntur, & Romanis tribuuntur: pro palliorũ archiepiscopalium redemtione ingens pecunia in damnum Ecclesiarũ, contra sanctionẽ Leonis Papæ ejus nominis secundi, imò contra sacri Basiliensis concilii decretũ (pro usu pallii, aliorumve officiorum confirmatione & impetratione nihil persolvendum, statuentis) exigitur & extorquetur. Quam quidem exactionem præter Simoniam complura alia sequuntur incommoda.

Nam nostra ætate archipræsules pecuniã, quam pro pallio, seu etiam confirmatione obtinenda, Romã mittere coguntur immediatè, quatenus ipsi indemnes maneant, & thesauros suos non minuant, æquivalentem, imò multò ampliorẽ sub nomine subsidii extorquent, quemadmodum nuper in archiepiscopatu Magdeburg. contigisse, haud absque querela pauperum (proh dolor) audivimus.

Per prædicta itaque & similia, quæ ex Romana curia manant, gravamina, per orbem Christianum ruinæ, destructiones, & ærumnæ oriuntur. Nec mirum, cum ipsa Germaniæ suprema & principalis, quondamq; potentissima Moguntinensis archiepiscopalis Ecclesia, ob eas res causasque maximis & permultis onerata sit debitis, & vehementer exhausta.

Proinde non immeritò, cum suprà memorata gravamina sub isto Leone Papa decimo, in Gallia plus solito grassari jam pridem inciperent, Universitas Parisiensis, pro conservatione & bono Ecclesiarum totius regni, contra eundem Papam ad concilium appellavit generale: & potissimum, quod idem Papa Leo in quodã cœtu, sive conciliabulo cardinalium Romæ celebrato, Basiliense concilium damnare & irritare præsumserit, quod prædicta gravamina interdixit & prohibuit. Sed de hoc alibi latius.

Vaticinia ejusdem Langii, Monachi Lutherani.

Exaltavit Leo Papa inter alios præcipuè Sylvestrum de Pierio, Theologum, sacrique palatii magistrum, & Thomam Cajetanum, totius ordinis prædicatorii generalem magistrum, ipsum Cardinalem sancti Sixti faciens & creans, quem & paulo post (ut infra patebit) ad Germaniam misit legatum. Creavit denique eodem tempore & alios triginta Cardinales, à quib. ex pacto quingenta millia aureorum suscepit. Promiserat enim eis grandia. P. 174

Ast cum de patrimonio divi Petri cõpetenter eis satisfacere nequivisset, aut forsan detrectasset, attamen, ut omnes juxta conditum ditaret & magnificaret, excogitato modo, (ne dicã dolo) quatuor ad diversas mundi partes legatos, quatenus sub prætextu Thurcorum infinitam colligerent pecuniam, cum summis & plenissimis misit indulgentiis, ut collectam pecuniam tali astu tandem copiose inter Cardinalium novas creaturas suas distribuere posset.

Præterea ex cunctis fidelium regionib. præsertim Germania, mediantib. indulgentiarum commissariis, sub specie fabricæ basilicæ sancti Petri, pecuniam omnimodis aggregare ferventissime annisus est technis: tametsi ad dictæ fabricæ consummationem, prædecessor suus Iulius Papa, qui eandem operose & magnifice inceperat, thesaurum reliquerit innumerabilem. Nihilo seciùs & lentè & segniter cœptum opus progreditur. Nec mirum, cum lapides secti in die, noctu (ut dicitur) ad palatium grande Florentinorum, de Medicis dictum, quod nunc construitur, clam deferantur, & ipsa pecunia collecta non in usum fabricæ, nõ contra infideles, sed inter amicos Papæ cardinalesque distribuatur.

Nam cum in hunc finem (ut præsumitur) ipse Papa indulgentias maximas, & antea (ut declamabant) inauditas octennio per Germaniam duraturas dedisset, & jam penè triennio in Misnia, & Saxonia, & circumquaque viguissent, & infinita pecunia congesta per commissarios fuisset: tandem Germani nostri Romanensium, & fraudem, & astutiam, indulgentiasque prædicantium, abusum & avaritiam intelligentes, manus retrahere cœpêre: potissimum contra easdem indulgentias, imò (ut dixi) declamantium intolerabilem abusum & excessum, disputante, prædicante, & scribente, venerando viro, & profundissimo Theologo, patre Martino Luthero, wittenbergensis academiæ & conventus, qui sua & doctrina & prædicatione mirabili indulgentiarum omnium valorem annihilavit, & prorsus indubium vertit, populumque ab earundem redemtione avertit, eas minimè ad salutem fore necessarias, affirmans, non remissionem peccatorum, sed pœnitentia neglectum, & aliorum pietatis operum relaxationem, impedimentum, & vitium esse: nec merita Christi & sanctorum thesaurum indulgentiarum esse, cum in primitiva Ecclesia, & longè post, pene per mille & ultra annos, nihil de eis scriptum per sanctos reperiatur orthodoxæ Ecclesiæ Doctores, nec quippiam magnifice (ut nunc auri amore fit) de eis creditum aut æstimatum fuerit: asserens insuper, & probans, Romanam Ecclesiam non esse jure divino primam, & caput omnium.

Hujusmodi ejus doctrina nova & prædictæ

dicatio confestim toto insonuit orbe, & infinitos in suam traxit sententiam, adeò, ut passim populi Romanensium dolum agnoscentes, & dictorum veritatem perpendentes, indulgentias ipsas relinquere naucique pendere cœperint, potioribus, id est, pœnitudinis & misericordiæ, sese operibus, Martini ejusdem hortatu, mancipantes. Et in tantum ipse unus homo suis declamationib. invaluit, ut ipsi indulgentiarum præfecti & commissarii, imò archiepiscopi & episcopi in Ecclesiis suis ipsas indulgentias deponere & suspendere cogerentur.

Quamobrem ipse Papa, & cardinales, omnesque Romanenses, modum in mirum contra Martinum & fremere & excandescere cœperunt, doctrinam ejus anathematizantes, idolū Martini suis cum scriptis, veluti hæresiarcham, igne publicè Romæ cremantes, & in præsens usq; modis omnibus ceu alterum Athanasium persequi non desistunt, potissimùm, quod disputaverit, Romanam Ecclesiam non esse divino jure primam, & caput Ecclesiarum orbis: & alia quædam ejus rara & ardua dogmata, quæ non modo Romanenses, sed & complures alii doctissimi præcipuè tamen Thomistæ, impugnare non cessant.

Veruntamen Martinus ille, Theologorum nostræ tempestatis omnium facilè sapientissimus princeps, doctrinam suam evangelicis testimoniis, & divi Apostoli Pauli, nec non priscorum orthodoxorum patrum originalibus dictis roborans & comprobans, eatenus perstitit invictus, habens & ipse nihilominus adhærentes & consentientes etiam aliarum regionum consumatissimos theosophiæ doctores, ut eruditissimum & eloquentissimum illum divinarum scripturarum interpretem novum, Erasmum de Roterodamo, Ioannem Reuchlin, Iacobum Stapulensē, Iudocū Clitoveū, & plures alios.

Cœpit autem prænarratum bellum literarium inter eum & Romanenses, & ipsa indulgentiarum cessatio, anno D. millesimo centesimo decimo septimo; Hallis autem, & per Saxoniam sequenti fuit anno suspensa, primo & unico anno (ut fama fuit) centum millium aureorum damnosam privationem inferens Romanensibus. Proinde pius lector pensitare poterit, quàm inæstimabilis collecta duntaxat per Germaniam fuisset pecunia, ipsum si indulgentiarum negotium adhuc integro lustro, uti præfixum institutumq; fuerat, perdurasset. Ast ô Deus, quorsum tanta tandem devenisset pecunia? Revera haud adversus Thurcas, haud in fabricam, minus verò in calamitosorum & egentium solatium, aut captivorū redemptionem, cum etiam millesima pars pecuniarum, per complures annos sub eodem colore collectarum, usus in memoratos vix aut nunquam præsumatur exposita. Quo igitur devenisset? Dubio procul illò, quo indicibilis thesaurus sub Alexandro sexto per Raymundum, gratiosissimi ac indulgentissimi Iubilæi à latere legatum, contra Thurcos collectus, devenit; in cardinalium videlicet, & præsertim papalium amicorum æraria repositus.

Nec mirum, cum nuper quidam frater ordinis mendicantium, præfatarum indulgentiarum per *Saxoniam* terrasq; nostras commissarius, moriens duo milliā florenorum, quos ex pœnitentium lachrymis corraserat & extraxerat, in extremis reliquerit. Et quidem, expeditionem in Thurcos magnopere necessariā, ambigit nemo, sed ad eam promovendā Romanenses post mortem *Calixti* tertii, qui magna eam ob rem fecit, pecuniam, non dicā propriam, sed nec in hunc quidē finem collectam, unquam curârunt exponere: qui ut sunt & ditissimi & potētissimi, si à dicto tempore decimam duntaxat bonorum suorū partem, id est, decimum denerium contra Thurcos impendissent; dudum ipsum Thurcum extra Europam fugassent, & ultra Bosporum residere ac quiescere coēgissent. Ast nunc eorum injuria, fraude, & avaritia assiduè Thurcorum vires increscunt, habentque exin timere (quod Deus avertat) ut, qui nunc modicum pro tuitione fidelium sponte detrectant exponere, tandem totum cum ipsa vita dare cogantur, etiam invictissimè. p. 175.

Et quidem prædicta omnia, quæ de Romanensium exaravi moribus, non meo sensu vaticinatus sum, sed ea cuncta fermè in quodam tractatulo, vernacula nostra lingua impresso, descripta comperi, eaque huic operi vitiorum odio, veritatis autem amore, intexui.

Porro quæ de Martini Lutheri doctrina disserui, non sicuti discipulus illius assertivè, (quod absit) sed potius admirativè posui, utpote nullius adhuc juratus in verba magistri. Sed cum sim & ego more suspensus multorum quousque per Oecumenicum universale & generale concilium, quid in tam ardua re tenendum sit, decretum fuerit; paratus nihilo tamen minus, & modo & semper à rectè sapientibus doceri, quorum etiam, & potissimum Romanæ Eccesiæ judicio hæc præsentia, & alia qualiacunq; mea scripta & corrigenda & examinanda subiicio: tametsi ego suprà narrata non de Romanis, sed Romanensibus, id est, non indigenis, sed aliunde ad eam confluentibus, descripserim, & ob id rem curasse nō debuerim;

plenarias remissionis à culpa & pœna, & taliter, ut peregrini & alii, qui indulgentias consequi volebant, ad XIV. dies cogerentur manere in prædicta urbe, & visitare ecclesias septem, ex quibus Ecclesia monasterii nostri, ibidem in suburbio posita, etiam erat una: quibus indulgentiis prædictus Papa maximas pecuniarum summas à fidelibus Christi exhausit & extorsit quæ omninò sufficere videbantur ad passagium terræ sanctæ contra Saracenos. Sed ô Deus, quò devenerunt? tacetur: sed non in perpetuum. Dies enim Domini revelabit, qui abscondita tenebrarum producet in apricum, &c.

Idem. Anno 1365. lector quidam, Paulus Cracoviæ in conventu fratrum prædicatorum contra conceptionem immaculatam beatissimæ virginis prædicās, subito coram omni populo corruens, horribiliter expiravit: ut testatur Henricus de Hassia, & multi alii. Quod factum plures terruit in hac materia scribentes. Fatuum est enim de secretis Dei nimis curiosè investigare.

Idem. Quid facit Philosophia in Theologiâ? Nempe, quod canis in balneo. Ego adiicio, & dico, quod secularis Philosophia in sacra Theologia facit id, quod absynthium in melle, venenum in lacte, fel in vino, acetum in balsamo, zizania in agro, in veste tinea, mus in pera, serpens in gremio.

Idem. Anno 1405. omnes ditiores curiales summi Pontificis obierunt quasi: Cardinalis Ysterniensis reliquit triginta millia ducatorum. Sed ô quot Ecclesias, & monasteria, alia beneficia Ecclesiastica, antequàm tot millia acquireret, æstimatur gravasse & depauperasse? Item dominus cardinalis Mopolitanus decedens, ultra centum millia ducatorum auri reliquit.

Idem. Innocentio 7. Papæ Romani cives civitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omne dominium urbis Romæ, etiam temporale illi concesserunt: sed minus juste, minusque laudabiliter: quoniam illa temporalium affluentiæ officiunt haud parum spiritualibus. Nec Petri successor, ipse Papa ejusmodi periculosum temporale dominium sumsisse debuerat. Nusquam equidem legitur, priscis quod temporibus, etiam post donationem Constantini (de qua cuncti curiosi canonistæ magnum faciunt festum) quispiam summus Pontifex temporale dominium urbis Romæ gubernaverit. At novis temporibus, nostraque memoria creati Pontifices, de illo, labores & dolores sibimet inde cumulantes, se intromittere ausi fuêre (quandoquidem ab antiquo Roma urbs semper extitit regalis, & imperialis) alioquin ab Electoribus deputatis ad imperiū legitimè sublimatus, quisquis ille foret, incassum, & frustra Rex appellaretur Romanorum: quia nō verbis, sed factis prosperari quis debet, cùm & lex non verbis, sed factis imposita sit. Et idipsum copiose veteres protestantur historiæ. Eadem reperiuntur apud Engelbertum, Wusterwitz in Chronicis Marchicis: qui Romæ diu vixit, & oculis propriis pleraque vidit.

Idem. Anno D. 1294. Celestinus 5. in summum est electus Pontificem, Anachoreta, ordinis divi patris nostri Benedicti, vir vitæ sanctissimæ. Qui cùm vicarius & imitator Christi vere mitis esset, & humilis corde: constituit in primo consistorio suo, quod deinceps nec Papa nec Cardinales cum tanta pompa solennibus equis uterentur, nec mulis quidem, sed asinis veherentur tantùm, dicens: Jesus Christus, filius Dei humilis asini dorso vectus est, cujus nos imitatores esse debemus. Offensam igitur ob id incidit Cardinalium omnium fermè, præsertim Benedicti Cajetani, hominis ambitiosissimi; qui partes omnium agens, Celestinum Papam, virum vere rectum & simplicem, velut insufficientem tanto operi, resignare papatui persuasit. Per fistulam etiam frequentiùs noctu in cubile per parietem missam, velut cœlica vox esset, loquebatur ei: Celestine, Celestine, renuncia papatui, quia aliter salvari non poteris, nam vires tuas excedit.

Idem. Anno D. 1328. Ioannes 22. Papa in publico consistorio condemnavit literam capituli generalis fratrum Minorum in Perusio celebrati. Quamobrem anno eodem Michael de Cesano, ejusdem ordinis minister generalis appellavit contra Papam, asserens, Papæ determinationem de paupertate Christi fore hæreticam: prædicta siquidem litera synodalis fratrum Minoritanorum continebat, p. 177. quod Christus & Apostoli nullius rei dominium habuerint in proprio vel communi: & quòd in his, quæ habuisse leguntur, tantum habuerint, absque jure aliquo, simplicem usum facti, id est, rei. Papa autem contrarium determinans, præfatum Michaëlem, & multos alios doctores illi consentientes excommunicavit, & pro hæreticis damnavit: edidítque proinde constitutionem, quæ incipit: In agro Dominico propter singularia, dubia, suspecta, & temeraria, quæ Begardi, & Beguinæ prædicabant, & strictissimè observabant, &c.

Idem. Anno D. 1513. Iulius 2. PP. non tam Apostolicæ sedis claviger quam armiger, vi & armis Serviam, Ravennam, Imolam, Paventinam, Forilivium, nonnullas alias Romanæ Ecclesiæ terras, invan-

juvante Maximiliano Cæsare, qui & ipse Romano Imperio multa tunc recuperavit, à Venetis recepit & eripuit. Obiit autem decimo pontificatus sui anno.

Idem, Anno 1503. Alexander PP. VI. ejus nominis, 18. die mensis Augusti, veneno periit: sub cujus papatu Roma (ut ait Volaterranus) gentium refugium, & arx populorum, omnibus seculis nobilis, jam carnificina facta erat. Erant &, eo vivente, Romæ sacra venalia cuncta.

Idem. Notandum, secundum Volaterranum, quòd cœnobium Cassinense, religionis nostræ caput, quadraginta millia aureorum reditus olim habuit: Urbes insuper, opesque complurimas, ▪ per Tyrannorum rapinam licuisset, possedit. Vnde videtur, regna potiùs quàm cœnobia virum sanctum posteris reliquisse: & forsan ignorâsse, non se tam pauperibus hospitium, aut Christi servis ad divina subsidium, (uti sperabat) quàm Clericis ac Sacerdotibus otium atque luxuriam parâsse.

Idem. *Devorat agricolam Rex, Regem tyro, sed illum*
Vsurator edit, comedit sed presbyter istũ,
Presbyterum meretrix, meretricem leno remordet,
Lenonem caupo, sed cauponem parasitus,
Illum sextipedes, simia sextipedes.

Idem. Magister Ioannes Kemnitz, cognomine *Dorre*, concionator fuit verbi Dei zelosus, & irrefragabilis veritatis assertor, tam Episcoporum, quàm aliorum potentum excessus libere, & constantissime corrigens, & denuncians: clarus anno 1512.

Idem. *Ad pœnam tardus sis Rex, ad præmia velox,*
Et doleas, quoties cogitur esse ferox.
Quantò quis major, tanto placabilis ira:
Et faciles motus mens generosa capit.
Parcere prostratis scit nobilis ira Leonis:
Tu quoque fac simile, quisquis regnabis in orbe.

1524. *Wilhelmus Farellus.*

Hic inter primos Basileæ contra Missam & papisticos abusus publicè disputavit, & populum docuit: quem secutus est Oecolampadius. In gravi hoc religionis dissidio Senatus Basiliensis Erasmi, qui tunc ibi degebat, consilium perquisivit, sed ille suo more super quæstionibus Theologicis politice respondit: quæ quidẽ in operibus ejus non reperiuntur. Sed apud Wurstisium in Chronico 7. part. Lector ea reperiet. Imp. & PP. V. S.

1524. *Marinus Caracciolus, & Hieronymus Aleander, Cardinales.*

Hi ad Fridericum Saxonẽ à Papâ missi fuerunt, & duo petebant: primũ, ut Lutheri libros exuri juberet: deinde, ut ipsum vel capite plecteret, vel custodiæ datum Pontifici sisteret. Fridericus econtrà petiit: ne Lutheri libri comburantur prius, quàm firmis scripturæ testimoniis fuerit convictus, Lutherum paratum esse ad eam rem, quocunque loco jussus fuerit sese sistere, modo rectè caveatur. Qua oblatione minime contenti, paulò pòst Lutheri lucubrationes, incognita causa, incendunt, & exurunt. Eo cognito, Lutherus, convocata omni multitudine scholastica, Wittembergæ, & magna doctorum hominum comitante turba, jus pontificium, & illud nuper evulgatum Pontificis decretum, palàm incendit, Decembris die decimâ: & postridie, cum doceret, vehementer admonuit, qui suæ saluti consultum esse vellent, ut à regno pontificio sibi caverent.

Edito deinde scripto, sui facti rationem exponit, suaque voluntate, consilio, & opera pontificios libros esse crematos, profitetur, his nimirum de causis: primò, vetustũ esse morem, & singulis temporibus observatum, ut mali & perniciosi libri flammis aboleantur, ejusque rei testimonium in actis Apostolorum extare: deinde, ad summ officium, ut qui sit in Christo baptisatus, qui sit sacrarum literarum Professor & doctor publicus, pertinere, ut impiam doctrinam oppugnet, & salutarem hominibus proponat, & falsas opiniones hominum animis eripiat: idem officium ad complures etiam alios pertinere, & ut hi vel imperitia, vel periculi metu impediti, non faciant quod debent, se tamen idcirco excusari non posse, nisi bona fide munus suum faciat: Pontificem quoque, & ipsius clientelam omnem sic esse deploratè miseros, & obstinatos, ut non solum rectas admonitiones non admittant, verum etiam Christi doctrinam, & Apostolorum damnent, & homines ad manifestam impietatem cogant. Imp. & PP. V. S.

De eisdem. p. 178.

Anno Domini 1521. habitis Comitiis Wormatiæ, magnaque ex parte digressis principibus, cum ab Aleandro & Caracciola in angulo quodam edictum contra Lutheri dogma esset cusum: proximum etiam fuit, ut libri ejus cremarentur, quos quidem ante palatium Cæsaris sicarii & lictores, præeunte & præcinente monacho, qui Iesus dicebatur, ad ignem gerebant, flammisque exurebant. Et cum ad hoc spectaculum ipsi legati, Aleander & Caracciola, sublimes ad fenestram consisterent, oculosque suos utcunque pascerent: Aleander ad sodalem inquit: Eia mi Caracciola, si nihil adeò præclari his comitiis effecim⁹, tamẽ certũ est, nos hoc edicto magnã in Germa-

nia lanienam concitasse, qua Alemanni ipsi, in sua viscera sævientes, propediem in proprio sanguine suffocabuntur. Hoc temerè emissum, & irrevocabile verbum quidam, qui post ipsos hærebat, auribus arripuit, & propalavit: unde moniti legati, præ angustia non audebant amplius de die in plateis incedere: sed continentes sese intra palatium Cæsaris, cum illo tandem secundo Rheno Moguntiam navigârunt. Qua in urbe, veluti etiam Antuerpiæ, cum similem in modum cum Lutheranis libris procederent: prætor quidam civitatis Alexandro in frontem dixit: Consilium, inquiens, impiorum tu quæso non adiuves. Quod & ipsi non modo à viris summis, verum etiam ab infima plebe audire cogebantur, quæ dicebat: longè melius videri, si ligna ista, quibus Lutheri scripta comburebantur, ad Sodomitas Romanenses uno in rogo excremandos reservarentur. Hedio. Imp Car. 5. *Papa Paulo quarto.*

D. Hier. Schurf.

1521. Cum Wormatiæ D. Martinus Lutherus, simplicitate & ignorantia politicorum negotiorum & processuum, ex spiritus magnitudine, & conscientiæ bonæ solatio, salvum conductum suum, publicè datum sibi à Cæs. Majest. curia, renunciasset, & sic penè se ipsum in discrimen conjecisset, ipse *Doctor* Schurfius (quem Illustrissimus Saxoniæ Dux, Elector Ioan. Frid. adjunxerat illi) non solum hoc arte diluit, & excusavit, sed & Eccii alias fraudes ita avertit, ut Lutherus saluus inde revolarit. Ex quo sanè mirabilis Dei Opt. Max. sapientia, & providentia elucescit, quod, cum nec honorificè memoratus Princeps, nec dictus Doctor Schurfius fuerint ejusdem cum Luthero religionis, temen singulari Dei consilio & voluntate, & salutem & religionem ejus strenuè defenderunt. Imperatore & Papa ut suprà.

De eisdem Comitiis Wormamaciensibus.

Pontificii cum audirent, Lutherum in itinere esse, quem exemplo Ioan. Hussi territum, non comparitarum speraverant causæ suæ metuentes, efficiunt, ut Cæsar Glapeonem Gallum, concionatorem suum, & Paulum Armbsdorfium cubicularium, ad Franciscum Siccingum ableget, petens, ut is Lutherum in arcem suam Ebernburg suscipiat; esse enim tot & tanta negotia præ foribus, ut commode non possit audiri Lutherus Wormatiæ, quem in arce Ebernburg causam suam dicere velit, quò missurus sit Cæsar viros eruditos & præcipuos, delectos ex ordinib. Imperii. Siccingus conditionem accipit, & ad Lutherum mittit Martinum *B*ucerum, significans ei voluntatem *Cæ*saris.

Lutherus, hoc audito, verbum *Dei*, inquit, injuriam patitur: at ego, qui vocatus sum literis, eò me conferam. Fuerunt autem pleriq; in ea opinione, subornatam fuisse istam ad Siccingum legationem artibus Pontificiorum quorundam; sine Cæsaris jussu, volentium & impedire adventum sui Eliæ, & prægravare Lutherum, quasi sponte & de consilio suo noluisset wormatiam ex metu ingredi, & censuram de se refugisset.

Et cum alii essent, qui bono animo dehortabantur Lutherũ, ne adversariis confideret, vel VVormaciam veniret, respondit ipsis, inquiens: Hæc est dies quam fecit Dominus, vocatus ego venio, vocatus ingrediar in nomine *Domini* nostri Jesu Christi, etiam si scirem, tot esse diabolos VVormaciæ, quot sunt tegulæ in ædium tectis. Venit ergo VVormaciam 16. die Aprilis, ubi, cum ingrederetur, accidit, ut Ducis Bavariæ histrio aulicus, Coclæus, vel, jussus ab aliis, vel, quod verisimilius est, fatidico quodam, qui ei tribuitur, spiritu, obviam venerit Luthero, manu gestans crucem, cuius in funeribus usus est, & alta voce canens: Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris. Selneccerus, & alii.

Ex B. L. de Roma & eius Imperio. 1521.

IMperium postquàm Romanum vafer, & urbem,
Ausoniæ clerus falsis invasit apochis,
Et Constantini valuit donatio ficta,
Romanus quamvis sceptro tripliciq; coronâ,
Ensibus horrendus Præsul foret atq; duobus:
Non tamen inflato potuit confidere regno,
Quin sceleris tanti mens, & sibi conscia furti, p. 179.
Subtrepidet, nec posse diu malè parta tueri,
Ereptumq; iri timeat cornicula plumas.
Sed quid non penetrat regnandi sacra cupido?
Fertur in omne nefas, nulla est reverentia divûm,
Nullus amor recti, sanctum nec curat honestum,
Quem semel infecit dominandi dulce venenum.
Iamq; Dei Christique vices, persuaserat omni,
Se gerere in terris populo simulata prophani
Pontificis pietas, & cœli lumina posse,
Quando velit, reserare, fores perfringere nigri

Ditis, & inde animas educere, cunctaque flavis
Crimina nummorum cumulis dimittere. Iuris
Esse sui, leges vel iniquas condere, nullo
Condita Pontificem dissolvere iura reatu.
Se Phœbum, terris & lumen posse negare,
A radiisq; suis sua sumere lumina Phœben,
Pontificem in summa Romanum singula posse.
Sed timor usque subest, habet & formido tyrannum,
Credula ne fraudes deprendat turba dolosas,
Excutiatque iugum scelerati Principis, atq;
In libertatem sapiens se vendicet olim,
Romanaq; velit volucri sua iura referri,
Gestiat &, propria ut dominetur Cæsar in urbe.
Edicit, summumq; Deum mandasse, subinfert,
Audiat ut solus plebis secreta sacerdos.
Nec satis esse tamen, sese pecasse fateri:
Tempora, cumque loco personam, punctaque mysta
Sed retegenda sacro. cordisq; arcana fatenda
In sua dein cantum Idolum iurare coëgit
Verba sacerdotes: comisit quid quoque si plebs
In majestatem, turpis mortemq; Cynædi,
Imperat ut referant lapidi sint cætera dicta.
Qui melius potuit firmasse tyrannida verus
Regnum Antichristusq; suum, sceptrumque superbum?
Nil fuit usque adeo arcanum iam tempore ab illo,
Quod non vulgavit turpi confessio clero.
Nec satis esse ratus, venerandum ex ordine ademit
Coniugium cleri: quia caste nebulo gentem,
Inter delicias Cereris fomentaq; Bacchi
Nutritam, nullo victuram tempore nosset,
Atq; ita legitimæ uxoris cum copia abesset,
Sollicitaturam thalamos, gentisq; probanæ
Uxores: quibus ex, si quid fortasse maritus
Arcani gereret, clerus resciret adulter,
Fœmina nam rigido quid posset victa Priapo
Ictibus & culi crebris moribunda, tacere?
Fortior ad Veneris quò sit quoque prælia clerus,
Fœmineoq; gregi longè sic charior, omnes
Papa iubet summo crines de vertice radi.
Redditur ætate affectus sic masculus anser
Utilis ad Venerem, vulsis de vertice plumis.
Summam ô nequitiam Antichristi: Christe, precamur
Poplitibus flexis, summo delabere cœlo,
Atq; hostem prosterne tuum. Sat Christe malorum
Perpessum humanum genus est. Sat curia nequam
Antichrist: ovium deglubit. Perde nefandam
Romanistarum rabiem, fulviq; Leonis
p. 180. *Infandos ausus. Vetas evulgare verendum*
Ille tuum nomen, tua dogmata tradere plebi
Indoctæ prohibet, prohibet tua dicere facta,
Et tua verba tuo claro sermone popello
Pandere non patitur Romanus, Christe, tyrannus.

Antonius Cornelius Lynnichanus in oratione sua, habita Coloniæ frequenti clero, de regula vitæ Pontificum, sacerdotum, clericorum & monachorum, quales esse debeant.

Officium tuum, inquit, aptissimè Hieronymus super Levitico scribens commonstrat: ut habes 36. distinctione, quem Canonem ad verbum hic subiicere lubet: Si quis, inquit, Pontifex vult esse, non tam vocabulo, quam merito imitetur Mosen & Aron. Quid enim dicitur de eis? Quod non discendunt de tabernaculo Domini. Erat ergò Moyses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? ut à DEO aliquid disceret: aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera, ut à DEO discat, legendo Scripturas divinas, & sæpius meditando: aut populum doceat: sed illa doceat, quæ à DEO ipse didicerat, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet. Est aliud opus quod fecit Moses: Ad bella non vadit: non pugnat contra inimicos: sed quid facit? orat: & donec orat, vincit populus: si relaxaverit & dimiserit manus: populus vincitur & fugatur. Oret ergò sacerdos Ecclesiæ, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes eos, qui volunt pie vivere in Christo. Hæc Hieronymus. Verendum est proh dolor (tu audentius quid dicam) Pontifices nostros non multum vacasse orationibus: non usque adeò meditatos fuisse legem Domini: non continuam moram traxisse in tabernaculo Domini: quin pro lege Domini, meditatos fuisse legem Martis, Veneris, & Bacchi: de tabernaculo Domini abscessisse ad cruenta bella: pro gladio Spiritus sancti, quod est efficax verbum Dei, exemisse gladium cruenti Martis: non expandisse manus in cœlum: sed per ignaviam remisisse in cœnum. Imper. Carolo 5. Papa Leone 10. ut supra.

Ibidem. Audis præterea, non licere plurimas habere uxores, quæ animum tuum alliciant: non decere domi alere tot scorta, tot veneres, quæ te continuè exedunt, tuamque substantiam disperdunt. Quæ nunc impudens, (malum) non dico, sacerdotum impudentia: qui effrontè libidine membra Deo dicata

sem-

templum Dei, quod ipsi sunt, spurcant & contaminant: iisdem labiis osculari audentet filium virginis, quibus impuræ Veneris os & labia circumlamberint? Quid est nocte se exhibere filium Veneris: die autem polluto ore, pollutissimaque mente insumere filium virginis? Tu quisquis sacerdos es, quique totus divinis rebus es consecratus, cogita, quam indignum sit facinus, eo ore sumere adorandum illud corpus, quo putidam scorti carnem contigisti: iisdem manib. abominandas sordes contrectare, quibus ministrantibus angelis ineffabile illud mysterium peragis.

Item quam non conveniat idem corpus eundem cum Deo spiritum fieri, & unum corpus fieri cum meretrice. Pudet me multa de his dicere: quæ tamen multos minime pudet facere. Vellem mendacii arguerer. Hæc, ut vereor, veriora sunt, quam ut redargui possint. His & aliis datur scandalum populo: præbetur offendiculum vulgo: cui hac tempestate vilet & contemtui est ordo quilibet sacer. Vilis plebs te sacerdotem nunc cachinnis, atq; ludibriis incessit, & odit, ut qui calumniandi ansam ultrò præbueris. Dicit namq;: Tot hic aut ille scorta domi suæ ex patrimonio crucifixi nutrit: quo non sordida scorta, sed pauperes Christi forent sustentandi. Tot hic aut ille sacerdotiis seu (ut dicunt) præbendis & beneficiis Ecclesiasticis est suffarcinatus: quem non multis sacerdotiis deceret esse suffarcinatum, sed vita, moribus, atq; virtutibus esse probatum.

1521. *Abydenus Corallus in oratione sua ad Carolum maximum, Augustum & Germaniæ Principes.*

Ita illorum gratia, & vos quoq; rosas recipitis, & aureos mucrones, ampullosa nomina: videlicet, Christianissimus, catholicus, strenuus, & si quæ sunt alia vobis nota: quæ vobis decernunt Principibus: non quòd tam ardenter ament, vel propagari velint limites Christianos; sed quò ansa non sit resistendi posthac illorum rapacitati. Subinde ut obstrictos faciant vos: ut, si quid cum populo vestro egerint crudelius, nemo vestrûm ausit reclamare: nemo cristas erigere: demul- p. 381. tus nimirum iis magnificis muneribus inanium nominum, Catholicus, vel Christianissimus. Id est, ut clarè dicam, pastores mandragoræ poculo inebriant: quo, illis dormitantibus, ipsos oves deglubant.

Ibidem. Commendat D. Hieronymus Episcopum quendam, quod famis tempore vasa templi vendiderat, ne quid deesset pauperibus. Et idem faciendum, multis argumentis contendit D. Ambrosius in eo libro, quem inscripsit de officiis. Ille omnes mallet perire inediâ pauperes, ut suum templum magnifice esset extructum. Quod utcunque tamen ferendum esset, si in Basilicam conferretur, non in castrum, in scorta, in pompam, & luxum. Nostis fortasse, quid nuper Pasquillus, & Vadiscus dixerint. Christus, cujus se ille successorem jactat, in terra non habuit, ubi caput suum reclinaret. Electus in regem, aufugit. Discipulos docuit paupertatem, humilitatem. Ille ædes sibi extruit magnificentissimas. Quis vestrum, ô Principes, tam sumtuosam & spectatam habet arcem, ut ille servorum servus? Quis vestrum tot satellites, tot satrapas, tot muliones, ut ille?

Ibidem. Quid jam est illorum religio? Tolle illorum traditiones, & vide, qualem invenias Christum. Succide illis quæstum, & vide, quam diu secingant funibus, ciliciis. Qui tamen, si tales essent, quales se venditant eiusmodi impostoris, tolerari utcunque possent. Imp. Carolo 5. Papa Leone 10. ut sup.

Bartholomæus de Saligniaco, Eques, & Iureconsultus Gallus, in Itinerario Hierosol. 1522.

Hic in capite quinto sic scribit: Progredientes venimus ad portam speciosam, per quam itur à Ierusalem in Bethaniam. In hac porta Petrus ascendens in templum, rogatus eleemosynam ab Ænea paralytico, respondit: Ænea frater, aurum & argentum non habeo, quod autem habeo, tibi do in nomine Domini Iesu surge, & ambula memor verbi Iesu, Gratis accepistis, gratis date. O tu Papa, qui es, quique futurus es, aut Evangelium nega. Hæc ille Imp. Carolo 5. Papa 225. Adriano 6.

Matthæus Schienerus, Episcopus & Cardinalis Sedunensis. 1522.

Iste ubi primo intuitu nonnulla de Lutherj scriptis hinc inde legit, addidit: ô Luthere, Luthere, tu sane secundum nomen tuum Lutherus es, & limpidus. Idem etiam cuidam, qui, se mox bona nova de victoria Eccii, contra Lutherum Lipsiæ disputantis, allaturum esse promittebat, expedite respondit. Disputet Eccius, de quo voluerit; Lutherus nihil, nisi veritatem scribit. Imp. & Pp. ut sup.

Henricus Phænicus. 1522.

Henricus Phænicus anno 1522. scriptum edidit, in quo singulare Luthero testimo-

monium perhibet, his verbis: *Bonus ille*, pius, & Christianus homo, Martinus Lutherus summâ ope nititur, ut nos è captivitate *Babylonicâ* rapiat: at nos cæci sumus, & in carcere cum voluptate perpermanere volumus: cum potius *Deo* gratias agere deberemus, ut qui nobis hunc, velut Eliam quendam, miserit in angustiis nostris: orare deberemus indesinenter pro tanti viri vitâ: sed nedum hoc agamus, illum etiam interficere cupimus: & ecce salus nostra præ foribus est, at nos ostio pessulum obdimus, &c. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6. ut sup.

Iacobus Fontanus in Historiis Ecclesiasticis libro 1.

Anno salutis humanæ 1517. ex liberalitate authoritatis Apostolicæ sedis concessis indulgentiis, ad remissionem omnium peccatorum firmiter certiusque consequendã, impudenter, nimis immodice, vili pecuniæ studio flagrantes, plurimi, nimirum præcones beneficiorum sive indulgentiarum, his inquam concessis indulgentiis abusi, ansam F. Martino Luthero, supra modum malignandi, invehendi contra indulgentias, deinde verò annihilandi authoritatem ecclesiæ, dederunt.

Cæterum si res ita se habet, nec dico, nec asserere queo: nihilominus recordor interim, beneficium indulgentiarum concessarum à supra dicto pontifice, nomen à Cruce mutuasse (Cruciata) earumque indulgentiarum declamatoribus seu prædicatoribus, ingentes bajulantibus & circumferentibus per loca tunc atque parochias, seu Ecclesias, crucis imagines, ex ligno fabricatas, & rubricatas, ibidemque circumcircà relictis, gravi exactione populum mulctasse, cum impostura & derisione populi illius.

Verum qualecunque sit vulgi hac de re judicium, istud quoque constat: omnem illam pecuniam talibus artibus comparatam, in alium usum esse conversam. Etenim hinc neque templum, seu *Basilica D.* Petro nuncupata, emolumentum aliquod accepit nec Turcarum principis exstincta aut diminuta fuit potestas, atque tyrannis ademta. Vnde plerisque persuasum est, numeratam istam pecuniam, Pontificis aliorumque principum & *Prælatorum*, communem fuisse prædam & spolium.

p. 182

Et hic summus pontifex, cæterique tam pretiosi beneficii dispensatores, officii sui memores esse debent, & hanc Apostoli sententiam dispicere, qua dicit: Potestatem dedit nobis *Deus* in ædificationem, & non in destructionem vestram. Temeritas nempe & incircumspecta negligentia, tum etiam error multorum in conferendis indulgentiis, nuncupatis vulgariter à crucis signis, toti ferè Christianismo hanc præsentem intulerunt pernitiem, quâ cum & animorum & vitæ periculo sunt proh dolor exterminati non pauci mortales.

Confestim hujus rei atq; tragœdiæ factus certior Frater Ioannes Staupitius, Vicarius Generalis dicti Ordinis, quum ex officio maxime ad se pertinere id negotii (quod cum dispendio suorum agitabatur) animadverteret, & vir ingenio & præclaris facinoribus esset præditus; insuper quoq; ex Illustri familiâ procreatus, in vultu & staturâ majestatem quandam præ se ferret, tum denique facundia polleret, profectus ad aulam Friderici *Ducis* Saxoniæ, ibidem honorificè fuit susceptus, quem idem *Dux*, omnium principum Germaniæ facilè primus & potentissimus, benevolentiâ prosequebatur singulari: is, inquam, F. Ioannes suprà memoratus, optimo alioqui *Duci*, tandem persuasit speciosis verborum fucis & pompis, indulgentias has pontificias (quas tantoperè suspiciebant, & extollebant prædicatores quidam) meras esse fraudes, depauperationes, & deprædationes vulgi, & quotquot earum essent præcones, perversitatis & abusionis insimulabat: & nihil minus agere, quàm quòd animarum salutem curarent, solùm amore nummi ducti, autumabat.

Acquiescens itaq; *Dux* optimus sermonibus Augustiniani hujus, quasi piis, veris, & orthodoxis, affectus ludibrio, ac tandem ita etiamnum tædio, indulgentiæ Papales displicere & illi cœperunt, cœpitq; & is ipse aversari, infringere, & explodere. Hæc pontificius scribit. Imp. Maximiliano 1. Papa Hadriano 6. ut sup.

Idem. Hæresis Lutheri nunquam eum progressum sortita fuisset, si non perpetua vicissitudine affinium & cognatorum magis, quam doctorum hominum ratio haberetur, quibus Ecclesiarum cura delegata fuisset si quoq; non favoribus, divitiis, & genere pastoralem curam exercuissent indocti: sed rectius, verius, & dignius, si de viris probioribus, & doctioribus, quam hactenus, Ecclesiis prospectum fuisset.

Ioannes Podusca.

Scripsit etiam Luthero Sacrificulus quidam in *Bohemia*, Ioannes Podusca: Magna me tenet admiratio, mi Martine, quòd cum cæteri omnes, ut videri volunt, doctissimi taceant, tu solus ad prædicandũ palàm surrexeris haud: in animum inductis tot criminationibus, & execrationibus, quib. isthac tuâ doctrina obnoxius es. Et tu solus è Germaniâ prodiisti; qui simplicem *Christi* mentem, non adul-

adulteratam traditionibus humanis, & opinionibus, ut ajunt, bonis inquinatam, proponeres: Te profectò vigilem populi sui Deus constituit, quem scio non mercenaria fraude, quæ necessaria sunt ad salutem, docturum esse. Imp. & Papa ut sup.

Nicolaus Egmundanus.

Nicolaus iste, magister Louaniensis, & Carmelita, sub ipsa Evangelii luce, talpâ cæcior credidit, docuit, ac scripsit: Pontificem Romanum esse omnium rerum cœlestium, terrestrium, & subterraneatum dominum: omnesque principes Christianos ab eius nutu pendere: & habere imperium in angelos, ac dæmones. Eius vitam, cum Epistolâ ad H. Zinglium de magistris Lovaniensibus, Balæus se vidisse ait. Imp. Carol 5. Papa Adriano 6. ut sup.

Georgius Lilius in Chron. Angl.

Henricus 8. Anglorum Rex, quod librum in Lutherum scripsisset, titulum meruit Defensoris fidei, sibi & posteris à Leone x. concessum. Imp. & Papa ut sup.

Ioan. Neuizanus in Sylva nuptiali.

Nihil honore in hac vita adeò fulget, quin usu nimio vilescat: abundãtia enim generat fastidium, prout in sacerdotib. videmus fieri, quorum multitudo eos contemtibiles facit: & in pica, quæ est pulchra avis, & tamen, quia nimis sæpè apparet, non magni fit. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6. ut sup.

1523. *Monstrosum.*

1523. Lunæburgi non procul ab Hamburgo monstrum è scrofa natum est anno 1523. cujus caput hominis erat facies, longum porrectum nasum habebat, in vertice glabrum & depile, instar rasi monachi, & coronam, velut in monachis conspicitur, collumque gruis: brachia, femora, pedes, manusque prorsus humanas habebat, distentum & rotundum ventrem, brachiis alatum erat, & plumis femora vestita fuerunt. Finc. lib. 2. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6.

Terribile.

1523. Eodem anno porcosacerdos Halæ in Saxoniâ ipso die Paschatis natus est. Et circa autumnum in regno Granatæ, magnus castrorum ac civitatum numerus terrâ absorptus est: ac Neapoli in diui Gall. festo, tanta cœli tempestate sævitum, ut castella, arces, ac ingentia hinc inde ædivicia rupta fuerint. Lycost. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6.

Liber Claus Buer, id est, Bado- 1523.
nis Minensis.

Editus est liber sub nomine Claus Buer; quem tamen conscripsit M. Bado Minensis. In illo continentur scelera & flagitia multa Sacrificulorum & Monachorum. Primò impressus fuit anno 1523. & deinceps iterum. Imp. Car. 5. Papa Adr. 6 ut sup.

Hermannus Episcopus Coloni- 1523.
ensis:

Padebornenses cum Lutheranæ religionis tres pastores alerent, Hermannum Episcopum Coloniæ multis modis infensum sibi reddiderunt. Hinc frigidam suffundentibus Papistis, ipse adornavit clanculum in civitate petorritum atque milites, qui, occasione arreptâ, tres illos celerrimè abduxerunt. Sed pluviis semitam opplentibus, nescius auriga quo veheret, exorbitavit, & delirio fatali ad Sostium urbem Lutheranam devenit. Eius loci cives rem iniquam rati, agnoscentes pastores illos, liberarunt, currumq; vacuum quoque vehendũ dimiserunt. Episcopus autẽ inde excandescens, urbẽ variis minis de tradendis pastoribus solicitavit. Atqui Senatus respondit: velle se pro foro Pastorum causam audire: si liberet episcopo, veniret, atque accusaret. Quod quidem Hermannus, cum facilè videret, sed legitimè nihil obtinere posse, non sine sanguinarii animi dolore, concedere debuit. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6. ut sup.

Asclepius Barbatus. 1523.

Sylvam hic conscripsit, in qua inter alia etiam Elegia in obitum Georgii Forcheymii, qui Erphordiæ, propter reformatam religionem, veneno sublatus fuerat, reperitur. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6. ut sup.

Christiani tutiores sub Turca, 1523.
quàm Pontifice.

Publicam pacem Pontificiis in Græciâ, & alibi locorum indulget Turca non quidem, quod benè cupiat ulli Christiano, sed ut hac ratione (finis docebit forsitan, aliud eius fuisse consilium) eò plures in nassam pertrahat, & ad obedientiam alliciat. Nam cum videat, Pontificem Romanum, quem Deum faciunt Christiani, immani truculentia persequi eos, qui sunt religionis à sua alienæ: ipse cupiens humanior & clementior mereri, cujuscunque Dei cultum relinquit cujuslibet arbitrio liberum. In quo sanè multò mitius agit & benigniùs cum Christianis, quam ipse Papa Romanus, qui eos ensc, igne,

igne, & aqua truculentissimè enecat: & mavult sceleftissimos quosque, Idolatras Sodomitas, & Iudæos, apertissimos Christi hostes, quam sinceros ejusdem cultores, ferre, fovere, & amare. Unde canon Papisticus: Frechs/Sauffts/Hurts/Bubts/ thuts was ihr wolt/ allein werdts nur nicht Lutherisch.

p. 184. 1523. Prodiit circa hæc tempora scriptum Henrici Kettenbach sequenti titulo:

Delineatio, quam bellè conveniat Sanctissimo Domino ac Patri Papæ, cum raro & peregrino, in Christiano orbe, hospite, IESU CHRISTO, qui haud pridem in Germaniam reversus, eidemque ob summum verbi sui contemtum valedicturus, Ægyptum repetere animum induxit.

Etsi quamplurimi inveniuntur, qui Antichristum venturum existimant, & hucusq; expectant: misere tamen & alios fallunt, & ipsi falluntur. Regnum enim ipsius tyrannicum per multa jam secula floruit: nec non incrementa sumsit, & in altum surgere cœpit tempore primi Papæ, qui ad Cæsaream majestatem aspirabat: summam præeminentiam affectabat: atq; præter, imò contra morem & consuetudinem, supra Romanum Imperatorem sese extollebant: cum tamen penes hunc esset facultas ac jus, Episcopos ac Pontifices vel creandi, vel deponendi, prout sese in officio gerebant. Et sanè optimus tum temporis Ecclesiæ Christianæ status erat: quippe, quod multi doctrinâ, pietate, & religione conspicui florebant viri, Episcopi, ac presbyteri: Imperator Romanus nummis, & bonis valebat: nobiles ab Imperatore, eiusque principibus, stipendiis ornabantur.

Quò autem meliori statu tum orbis Christianus fruebatur: eò in pejorem, proh dolor, incidit: cum Papa Imperatoris majestatem involaret. Quemadmodum enim Imperatores Reges, principes, & inprimis nobiles in summas pecuniæ, & fortunæ angustias adacti, stipendiis privati, regno, aulis, divitiisque expulsi sunt: ita Papa cum totâ clericorum catervâ, omnes totius Christiani orbis opes, ac bona, vi, fraude, dolis, imposturis, mendaciis, aliisque miris technis, ad se rapuit: omnes mundi thesauros exhausit: Imperatorem regno, principes regionibus, nobiles arcibus præstigiis suis emunxit: Germaniam singulis annis censu trium auri tonnarum oneravit: Aquilam nido suo, Italiâ, extrusit: &, ut paucis rem comprehendam, solus dives evasit.

Qui itaque Antichristum adhuc expectant: iis idem usu venit, quod Iudæ, qui Messiam suum Christum, videre desiderant. Ut enim hic ante mille quingentos viginti tres annos ex Maria virgine homo in mundum hunc natus est: ita & ille prius, quam regnum suum ad finem fere pervenerit, haud cognoscetur. Id quod tum fiet: si totus clericorum grex, Papa, Episcopi, Sacerdotes, & Monahhi in pristinam servitutem redacti, Ecclesiæ subesse, eique ministrare: contra verò eorum servi, Imperatores, Reges, Principes, ac nobiles, in priorem libertatem constituti, Clericis imperare consueverint. Et quidem haud immeritò. His enim, & non illis data est potestas ad Reipublicæ gubernacula sedendi, clavosq; Imperii tenendi: his, inquam, dictum. TU PROTEGE: Illis verò, TU ORA SUPPLEX.

Verum enimverò ne quis putet, & falso sibi imaginetur, Papam cum suis clericis tam doctrinæ sinceritate, quam vitæ integritate, ad Christum accedere: operæpretium fore duxi, si aliquanto altius perpenderimus, an Papæ doctrinâ, & vitâ cum Christo, eiusque officio conveniat, necné. Si conformis erit Christo: Antichristi nomen ab eodem quam longissime aberit. Sin minus: Antichristus ab omnibus judicabitur.

Sciendum autem ὡς ἐν παρόδῳ, hoc est, Antichristi vocabulum non uni tantum, sed multis, sibi invicem loco temporeq; succedentibus, adscribi tribuique posse: ita ut Antichristus primus Alexander, secundus Iulius, tertius Leo, & quivis sanctissimus dicatur: cujus (ut Paulus 2. Thes. 2. vaticinatur) mandata Dei præceptis præferantur. Hæc si quis violat, vel à mimimo sacrificulo vinolento immunis pronunciari: Illis vero qui non satisfecerit, non nisi vel ab ipsomet pontifice Romano vel à Lenonib. suis, interventu tamen & Papæ mandati, & magnæ nummorum copiæ, absolui potest.

At quid in hisce diu moror? & non potius Christum, & eius vicarium Papam inter se confero? ut quivis facile perspicere queat, talem inter eos esse consensum, qualis sit inter Luciferum & Michaëlem: inter Lucem, & tenebras: inter veritatem, & mendacium: & ubi vicarius sit, illuc Christo nullum aditum patere.

1. Christus. Regnum meum non est de hoc mundo. Ioan. 17.

Papa. Ego sum Regni Dominus. Imperator meus est vasallus, ac præses. Ideoque Græcos & Gallos suis regnis spoliavi: & ad Germanos, aliâs liberos, transtuli, eo fine, ut & ipsi in servitutẽ adacti omnia

omnia bona sua mihi propria concederent. Historiæ,& facta ipsa hæc testantur.

2. *Christus.* Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autē hominis non habet,ubi caput suū reclinet.Luc.9.

Papa. Roma, Persia, Sicilia, Asia, Lutetiæ, adeoq; totius orbis terrarum bona Dominum me salutant. Hoc qui non credit, omnes Romani Pontificis regiones, ac civitates enumeret.

3. *Christus.* Si vis perfectus esse: vade, vende omnia,quæ habes,&da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo. Matth. 19.

p. 185.

Papa. Si Imperator Romanus vitam cum morte commutat: imperium ad me hæreditariò pervenit.

4. *Christus*, cùm Iudæi regem ipsum facere vellent, aufugit. Io. 6.

Papa. Ego & terrestris, & cœlestis Imperii Domin⁹ vocari volo.C.omnis dis.22.

5. *Christus.* Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic. 22.

Papa. Omnes Imperatores, Reges, principes, nobiles,&c. dominio meo sunt subjecti. Hæc in bullis suis,ubi ipsis, tanquā Domin⁹ servis,imperat,leguntur.

6. *Christus.* Quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: & qui voluerit inter vos major fieri, erit vester minister. Matth, 20.

Papa. Cæsar juramentum præstare tenetur, quod mihi, tanquam domino suo, subesse: extollere, & summā veneratione ac honore prosequi me, velit.

7. Christus spineam coronam capiti suo impositam portavit. Ioan. 19.,

Papa. Aurea mihi, & quidem triplex corona debetur.

8. Christus. Sine causâ & frustra colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Matth. 15.

Papa mandatum, ac doctrina mea non aliter serventur,ac si vel ipsemet Christus dedisset, vel D. Petrus prædicasset.

9. Christus. Iugum meum suave, & onus meum leve est. Matth. 11.

Papa. Si onus meum, quod vobis impono, tam grave est, ut vix quidem ferri, ac servari possit: nihilominus tamen obedientia mihi præstetur,

10. *Christus.* Scrutamini *Scripturas*; quia putatis, vos in ipsis vitam æternam habere. Ioan. 5.

Papa. Omnis sacræ Scripturæ authoritas ac veritas à me pendet, cum eā pro lubitu ago.

11. Christus. Ego sum via, veritas, & vita. Ioan. 14. Item. Si quis diligit me, mandata & sermonē meum servabit, &c.

Papa. Romanæ Ecclesiæ (seipsum & Cardinales suos putans) omnibus in rebus obtemperandum est. dis. 11. QVIS NESCIAT. Hac ratione omnibus hominibus nequitiæ studendum erit.

12. Christus. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Marc.ult.

Papa. Qui magnā pecuniæ copiā meas indulgentias sibi comparaverit, non tam à culpâ, quàm pœnā peccati absolvetur: secus si quis vel fecerit; vel docuerit: hæreticus est. Indulgentiæ hoc testantur.

13. Christus. Si quis delicti sui convictus: tamen nec unum, nec duos, nec tres testes, imò nec Ecclesiā ipsam audierit: sit sicut ethnicus, & publicanus. Matth. 18.

Papa. Quid ad me hæc? Ego fulmen excommunicationis, quando, & in quem libet, sive rex sit, sive Imperator, vel magnæ, vel parvæ autoritatis,conjicio. Hæc historiæ, & jura ipsius testantur. Multos enim Imperatores, Reges, Episcopos,ac Principes, contra Deum & jura excommunicavit.

14. Christus omnib. veram pœnitentiam agentibus remissionem peccatorum ac regnum cœlorùm promittit. Matth. 4.

Papa. Nemo apud nos salvatur,nisi qui monachis, ac clericis meis omnia sua peccata confessus fuerit.

15. *Christus.* Diligite inimicos vestros; & benefacite his,qui oderunt vos Matt. 5.

Papa, Omnes mihi, meisque Cardinalibus infensos summa excommunicatione persequor: nec eosdem absolvo, ni magnam pecuniæ copiam exposuerint. Mos *Antichristo* dignus, nec non jura ipsius hæc edocent.

16. *Christus.* Si quis percusserit te in dextram maxillam tuam: præbe illi & alterā.

Papa. Vim vi repellire licet. (Matt. 5.

17. *Christum*, jubet DEVS OPT. MAX. ut audiamus. Matth. 17.

Papa. Omnes me audiunto: judicium meum ratum & habento, & servanto.

18. Christus ad duos dicit fratres: Quis me constituit judicem aut divisorem super vos? q. d. ad mundanos judices hæc res spectat. Luc. 12.

Papa. Ego super omnia negocia judex sum constitutus: id quod in meum ærarium plurimum facit.

19. Christus. Sermo vester sit, est est, non non Matth. 5.

Papa. Ante meridiem aliquid affirmo: imò literis ac sigillis confirmo,non secus, ac si in æternum fixum, firmumq; esse debeat: at à meridie pecuniā corruptus,idē nego. Quid? quod eandem rem decies literis ac sigillis & confirmare & infirmare non erubesco? At, curiam meam hac ratione pecuniā compleri, video.

20. Christus. Petre, pasce oves meas. Io: 21.

Paus. Ego, quemcunq; volo, tondeo: & quod majus, ovibus meis injungo, ut decimas mihi de decimis reddant.

21 Christus. Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Matth. 22. Quia & ego pro me & Petro didrachma solvi. Matth. 17. Quare nec sacrificuli liberi à censu eruut.

Papa. Omnes eos excommunicatos volo, qui vel de me, vel clericis meis tributum ac vectigal exigunt. Ab eiusmodi enim oneribus immunes sumus. *Ca.* novit. de sent. exco. si quis de cons. di. 1.

22. Christus. Nolite jurare, neque per cœlum, neque per templum, &c. Matth. 5.

Papa. Si quis Episcopus evadere, stolaque episcopali ornati tentat: is non solum juramentum obedientiæ mihi præstare: sed & magnum nummorum cumulum exponere tenetur.

23. Christus Petre, converte gladium tuum in locum suum. Matth. 26.

Papa. Imperatores, Reges, Principes, nobiles, omnesq; homines, gladios, hastas, lanceas, sclopeta arripiant, atque omnes eos, qui tyrannidi meæ subesse denegant, trucidare coadjuvent. Hos *Cæsar* aut exequi cogitur, aut perfidus habetur. Ita Iulius unico die sedecies mille homines occidi curavit. Hoc est oves Christi pascere, scilicet.

24. *Christus*. Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Matth. 11.

Papa. Ego, meiq; Asseclæ splendidiori ornatu incedimus, quam reges, & alii hujus mundi Principes: id quod videre est

25. *Christus*. Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11.

Papa. Autoritati meæ multum esset detractum: si erga quempiam humilem me præberem. In jure suo hæc gloriatur.

26. Christus. *Bibite* omnes ex calice sanguinem meum. Luc. 22. Matth. 26.

Papa. Minimè gentium. Sacrificuli mei tantum ex calice sanguinem Christi bibant: ut vindicta & ira *Dei* tantum super eos veniat.

27. Christus. Vos amici estis mei, si feceritis, quæ ego præcipio vobis Io. 15.

Papa. Quicquid ego mandavero, facitote. Penes enim me est, leges, decreta, & mandata condere: secundum ea vivitote.

28. Christus. *Cui* donum castitatis est à Deo datum, continens manere potest: alias per me omnibus matrimonium inire licet. Matth. 19. 1. *Cor*. 7.

Papa. Pro meâ autoritate mando: ut omnes monachi ac moniales castitatē voveant, sive eam servent, nec ne, perinde est mihi. Licet autem & sacrificulis meis matrimonium interdictum fit: si tamen cum concubinis fornicantur, virgines pudicitia sua privant & violant: cum conjugatis mulierib. rem habent: sodomiticis peccatis sese polluunt, haud ægre fero. Episcopi enim mei majorem inde quæstum expectant, quam alii Leones habent.

Christus. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava: id est, non coactus, sed alacri & prompto animo jejuna. Matth. 6.

Papa. Ego præcipio, ut tempore consueto quadraginta, imo plures dies jejunetur: sive id promto, sive difficili animo fiat, non curo.

30. Christus. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, Matth. 15. nec ullus cibus, quo homo cum gratiarum actione vescitur, animam suam pollutam reddit. Col. 2.

Papa. Ego hominib. certis temporib. usum carnis, ovorū, casei, butyri interdico: nec non ijsdem cibis vescendi facultatem diebus vetitis pretio vendo. Qui enim pecuniam affert, ei quicquid libet, licet.

31. *Christus*. Petre, & vos reliqui mei discipuli, quicquid alligaveritis in terra, erit ligatum in cœlis. Matth. 16. 18. Io 20.

Papa. Major mihi concessa est potestas. Nam & animas sub terrā, ut res ac pecunia postulat, vel ligare, vel solvere possum. In bullis indulgentiarum videre hoc est.

32. *Christus*. Si feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis: dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. *Luc*. 17.

Papa. Etsi omnia injuste fecero, & meæ fraternæque salutis immemor, innumeras animas catervatim mecum in barathrum inferni præcipites abduxero: nemo tamen in me animadvertere, reprehendere, vel dicere, audeat: sanctissime pater, quid agis?

33. Christus. Gratis accepistis: gratis date. Matth. 10.

Papa. Qui à me quippiam impetrare conatur: pecuniam afferat. Ejusdem animi Iudas fuit.

34. *Christus* non sinebat, ut quisquam in templo Dei columbas, oves &c. vel venderet, vel emeret: sed & vendentes, & ementes flagellis ejiciebat. Matth. 21.

Papa vero non modo non prohibet: sed omnes imposturas ac fraudes, quas Monachi, atque sacrificuli in templis exercent, firmas, ac fixas habet. Quid? quod ipsemet Templa, monasteria, cœnobia, parochatus, Episcopatus, abbatias, altaria, sacella, sacramenta, imò Cœlum, *Deum*q; venalem prostituit, exponit, habet. Nulla hæc probatione indiget.

35. *Christus*. Domus mea, domus precationis est. Matth. 21.

Papa. Domus mea (Datarium alias appellata) domus nummorum ac pecuniæ est. Si nihil attuleris: ibis Homere foras. Sole hoc clarius patet.

36. *Christus*. Regnum meum non venit cum observatione ceremoniarum, operumq; externorū: sed intra vos est. Lu. 17.

Papa.

Papa. Summa sanè necessitas postulabat, ut observationes eiusmodi a me fingerentur, puta, ut sacrificuli rasis capitibus,& lineâ tunicâ incedant:licet intrinsecus bipedum nequissimi, perditissimique homines fient.

37. Christus. Oportet me & aliis civitatibus regnum Dei evangelizare. Luc. 4.

P. 127. Papa. Ego evangelizare nolo, imo erubesco. Satis enim est, si alios ad prædicandū emitto. Hac ratione & Turcicus Imperator Papam agere posset.

38. Christus. Simplices estote, sicut columbæ, Matth. 10.

Papa. Ad placitum omnis generis præstigiis, ac imposturis utor: ut impleatur Scriptura, quæ Dan. 8. de me hisce vaticinatur verbis: dirigetur dolus in manu eius.

39. Christus pedes discipulis suis lavabat. Io. 13.

Papa. Reges, Imperatores ad pedum meorum oscula adigo.

40. Christus semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Phil. 2.

Papa. Hoc summo nobis verteretur dedecori.

41. Christus à Petro dilectionem exigit, dicens, Petre, diligis me? Io. 21.

Papa verò ab omnib. episcopis, adeoq; Imperatore ipso, juramentum exigit.

42. Christus docet opera misericordiæ in egenes collocare. Matth. 25. Luc. 24.

Papa docet indulgentias emere, templa, monasteria, altaria, vigilias, Missas, peregrinationes ad de mortuos sanctos, sancire, condere, facere. Hæc enim negociationis, & nundinationis natura est.

43. Christus. Si in te peccaverit frater: vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Matth. 18.

Papa. Nemo hominum me reprehendere tentet. In album enim Christianorum fratrum me inscribere nefas est.

44. Christus mortuus est pro peccatis vestris: & factus nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, & redemtio. 1. Io. 2. 1. Cor. 1.

Papa. Nihil Christo opus habemus. Sed si quis meam gratiam & diplomata pecuniâ sibi compararerit: is, nisi vana lactetur spe, saluus erit.

45. Christus. Bibite omnes sanguinem meum ex hoc poculo. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 23. 1. Cor. 11.

Papa. Nihil minus. Hæreticum enim hoc est: sed sacrificuli mei tantummodò sanguinem Christi ex calice bibunt: reliqui plebeii cū auscrib⁹ aqda cōtenti sint.

46. Christus emittit discipulos ad prædicandum Evangelium, & homines convertendos. Mac. 16. Ioan. 20.

Papa Rellioues ac negociatores suos ablegat, ut totum censeant orbem, & homines non tam in temporale, quàm æternum exitium præcipitent: id quod quàm sæpissimè cum Indulgētiis factum.

47. Christi Apostoli veritatem confitebantur: & mercedis loco multas reportabant plagas. Actor. 5.

Papæ autem nuncii quamvis animam, corpus, & omnia corrumpant, & deforment, plus tamen honoris ipsis tribuitur, quam aliis mundanis dominis, ac principibus. Res ipsa loquitur.

48. Christi Apostolus Iacobus docet, ut in firmi oleo unganthr, quo oratio fidelium salvos eos faciat. Iac. 5.

Papæ discipuli & Apostatæ mandant, ut nemo olro ungatur: nisi qui secundum hominum judicium animam egerit. Hoc quotidiano usu papicolæ adhuc confirmant.

49. Christi Apostolus Paulus inquit: magnum mysterium hoc est. Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesiâ quam sibi sponsam associavit. Eph. 5.

Papa. Verba hæc intelligenda sunt de conjugio inter maritum & uxorem, ex quo Sacramentum condidi: id quod Scholastici, utpote constituti mei asseclæ, retractare non audent. Plurimum hoc in culinam meam facit.

50. Christi electum vas, Paulus inquit: Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri dijudicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. 1. Cor. 14.

Papa. Egone hoc facerem? minime. Penes enim me est omnes homines iudicare, nec à quoquam judicari. xi. q. 111. c. conqu. Si enim alius ex sacrâ Scripturâ judicium ferret: eventus, credite mihi, probaret me, meosque complices hæreticos: Lutherum verò, ejusq; discipulos veros esse Christianos, (referente olim Athanasio.) Nos enim ex sacris literis adversarios nostros vincere non valemus, aliàs jam dudum fecissemus. Verum enimverò, hac quia non succedit, aliâ progredimur viâ: quia scilicet, sicut Iudæi Christum occidere: ita nobis cum adversariis pugnandum censemus.

51 Christi Apostoli, Petrus 1. cap. 2. Rom. 12. 1. Tim, 1. Tit. 1. præcipiunt, ut omnes homines magistratui, regib. atq; dominis subditi sint in omnib. ijs rebus, quæ cum DEO non pugnant.

Papa. Hæc nihil ad me. Nam eâ me libertate donavi, ut quam sæpissime propter res nullius momenti, Reges, ac Cæsares, si malitiæ meæ restiterunt, excommunicare, regnis expellere, imo per sicarios meos necare non dubitârim. Ex quo quivis facile perspicere potest: quod Apostolorum verba non modò non curem: sed eandem, imo plus quam apostolicam potestatem mihi ipsemet adscribā, ac tribuā.

R 4 Christi

52. Christi Evangelista Lucas testatur c. 2 quod Maria & Josephus ad edictum Augusti in Bethlehem comparuerint, nec non censum præsidi *Cyrenio* attulerint, atque porrexerint.

Papa. Hoc ego non curo. Siquidem ab omnibus ejusmodi molestiis immunis sum.

53. Christi præco Paulus monet, ut Episcopus eâ imbutus sit doctrinâ, quâ omnes, qui fidei contradicunt, ex Scripturâ nullo labore falsitatis convincere, & superare possit. Tit. 1.

p. 188. Papa. Hæc à me quam longissimè remota, volo. Moris enim mei non est, ut cum quoquam ex sacrâ Scripturâ conferam: sed omnes eos, qui literis aliquid produnt, quod palato meo non sapit, & arridet, fulmine excommunicationis excipiam: &, quod deterius est, igne cremandos tradam. Exemplum in promtu est. Cum universi concilii Constantiensis patres neq; Ioannem Hussum, neque discipulum ejus, Hieronymum Pragensem ex sacris literis superare possent: igni eos ac flammâ vincendos judicârunt. Quod si cum ipsis ex verbo Dei contulissemus, atque disputationem inivissemus: nos certè quam facile vicissent, neque ipsâ comprobassent, nos & turpissimos hæreticos, & Christi hostes conjuratissimos esse. At ecce, carnifice, & igni, tanquam advocatis nostris usi, eos vincendos duximus. Idem cum Luthero factitare tentabimus. Quis enim aliâ ratione vincere ipsum posset?

54. Christi prologus Paulus inquit: State succincti lumbos vestros in veritate & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei: quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ephes. 6.

Papa. His armis profectò nihil ego efficere possum. Quare ad alia confugio: & quemadmodum Iudæi ad capiendū Christum in hortum cum gladiis, & fustibus exierunt: ita & ego magno cum exercitu, clavis, lanceis, gladiis, scorpionibus, aliisque armis, instructus, ad devastandas celeberrimas civitates, expilandas munitissimas arces, & recuperandas multas amplissimas regiones, instar Imperatoris Turcici, venio. Et ut tyrannis mea eò felicius succedat: ecce, adsunt Reges, imperatores, aliique principes, qui auxiliares mihi manus porrigere, & Christianam cohortem è medio tollere devincti, ac obstricti sunt. Atque hac ratione, hac viâ, hoc modo oves Christi pasco. Verissima hæc esse, plurimæ testantur historiæ: ex quibus supputatum est, quod intra 800. annorum spacium à tyrannide bestiæ illius, Papæ, ultra duodecies millia hominum ferro, laqueis, flammis, occisi, necati, trucidati sint.

55. Christi præco Paulus: In nomine Jesu omnia genua sese flectant. Phil. 2.

Papa. In more positum est: ut, si consecrationi Missæ intersum: Evangelium, antequàm pulpito supponatur, ad pedes meos projiciatur. Res ipsa comprobat.

56. Christi Apostolus, Deo plus quàm hominibus obediendum est. Act. 5.

Papa. Quamvis mandata Dei omnes in universum homines ad obsequium obligent: ego tamen ne minimis quidem sum subjectus. ca.

Hîc omnes Christiani probè observēt, quod Papa sit Antichristus. De eo enim sic Paulus 2. Thessa. 2. est vaticinatus: Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, &c. ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus. Sathan *Deo* æquabilis fieri tentabat. At Papa ultra omne, quod dicitur Deus, vult extolli. Nam non modò verbum Dei depravat, sed & sæpe damnat: Deus omnem omnium ciborum usum concedit, Christus mādat, ut omnes ex calice bibāt: Papa verò hæreticum hoc esse, dicit, &c.

57. Christi præco. Christus est caput Eccl:

Papa. Ego Ecclesiæ caput sum constit9.

58. Christi Apostolus Paulus. Petra, cui Ecclesia superstruitur, est Christ9. 1. Cor. 10

Papa. Hoc à vero alienum est. Romana sedes ista est petra. di xix. An non hæc res monstrosa, & admiratione digna est, quod sella Papæ, petra, cui Ecclesia superædificetur, esse debeat?

59. Christi Angelus Petrus inquit: Non voluntate humanâ est aliquando prophetia allata: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Dei homines. Item: ut sacra Scriptura à S. Spiritu est prolata: ita ab eodem fidem, constantiam, & autoritatē accipit.

Papa. Vt ego S. Scripturæ Dominus sum: ita à me virtutem, fidem, & authoritatem habet. di. xvi. 1. Si omnes. Hic Papa se ultra S. Sanctum extollit.

60. Christi discipuli. In libertatem vocati estis, fratres: videte modo, ut Deo, ejusque mandatis obsequium præstetis. Cibi, dies, vestitus, potus, &c. vos non coinquinant: dummodo nihil malitiæ in corde vestro latescat, ac residear. Gal. 5.

Papa. Omni hac libertate Christianos spoliavi: nec non omnia, quæ libuit, peccata excommunicationi & damnationi subjeci. In meâ itaque jam est potestate, mox omnes creaturas execrandi: mox iterum, interventu pecuniæ, benedicendi. Quem ordinem hactenus in prohibitione esus carnis, casei, butyri, &c. observavi. Propediem Germanis vini usum

interc

interdicam: & mox iterum venalem prostituam. Hic quæstus curiæ meæ longè uberrimus erit.

61. Christi præco Paulus, peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant, 1. Tim. 5.

Papa. Absit, ut quisquam in me animadvertat, quicquid tandem fecero. Siquidem semper omnibus sanctissimus videri volo.

62. Christi Apostolus Iacobus inquit: Orate pro invicem, ut salvemini. Multũ enim valet deprecatio justi assidua. Iac. 5.

Papa. Quid hisce opus? Annón in me, sanctaq; meâ authoritate, secundum Deum, maxima hominum salus residet? di. 21. Si Papa. O sanctissima Maria, an non tibi summo hoc est dedecori?

63. Christi præco, Nos Apostoli nullius honoris cupidi, stulti propter Christũ, nec non purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsemata usque adhuc. 1. Cor. 4.

Papa. Multum autoritati meæ esset detractatum, si tam abjectum me judicarem. P. 189 Benè ergò ago, quòd me Soli, Imperatorem autem Lunæ assimilio. Quemadmodũ enim Luna lumen recipit à Sole: ita imperialis dignitas à Papæ authoritate dependet, & proficiscitur. Atque hæc jura mea canonica testantur.

64. Christi Apostolus Paulus. Dominus dedit nobis potestatem ædificandi, & nõ destruendi Ecclesiam. 2. Cor. 13.

Papa. Ego pro lubitu & arbitrio Ecclesiam ædifico & destruo: quippe qui nemini, ac ne concilio quidem sum subjectus. Iura mea id confirmant.

65. Christus. Vnusquisque Iustitiam servet. Matth. 5. Et Apostolus Ioann: Iudicia Dei sunt justa. Apoc. 19.

Papa. Quid ad me Iudicia Domini? Nullis ego subsum. Nemo itaque miretur, quod tam rarissime Papa juste: sed pleraque contra omnia, imo contra sua ipsiusmet jura, & quidem die duodecies, id est, toties, quoties in rem suam facit, agere consueverit.

66. Christi ministri. Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech perpetuum est, Ps. 110.

Papa. Sacerdotium Christi ad Petrum translatum est, & successivè tandem ad me pervenit. c. transl. de consti. Gaudete ergo & exultate vos plebeii, quod Christus (ut Pontifex Romanus ait) sacerdotali suâ dignitate & honore privatus, in vestrum se contulit ordinem, & plebejus evasit. Quid jam vobis videtur de Papa? Si in ipsius situm est facultate, Christũ officio suo removere, quid facere non valeret? Mirum itaq; non est, quod Episcopi eum plus, quàm Deum timeant. Supra enim Deum est sublatus, & Pauli vaticinium implẽtum 2. Thess. 2.

Querela ad Imperii Nobiles instituta.

Christiani Germaniæ Nobiles, per Dei misericordiam vos oro atque obsecro: ut aliquanto altius mirandas technas, insolitas frandes, ac inauditas imposturas Papæ (quas modo ad nauseam usq; commemoravi) perpendatis: ac inde, pro quo tandem haberi debeat, quod nomen mereatur, cognoscatis. Certum hoc est, quod, si non cum Christo ipsi incedit, contra Christũ sit, (ut ipsemet Christus Mtth. 8. inquit, Qui non mecum est, contra me est: si est contra Christum, procul dubio Antichrist judicandus.

Vos, Aurati equites, admonitos volo, ut in animum vestrum revocetis, quam diu pontifices Romani (Die Welschen Paffen) præstigiis suis vestros Imperatores, Reges, Principes, ac vosmet ipsos summo ludibrio habuerint, ludificarint, imo anima, corpore, honore, ac bonis emunxerint. Considerate quæso, quam fraudulenter effreni, & sodomitica sua nequitia jugo suo vos subjecerint. Videte, ambo, in quam miserabilem paupertatem vos præcipitarint.

Sed quid interim mali spirituales illi agunt? Nomine quidem servi, atque pauperes appellari volunt: reipsa verò totius fere Christiani orbis bona possident, vobisq; dominantur. Vos Abbates, Decanos, ac vesanos Monachos beneficos dominos salutatis. Quid? quod multi Abbates, licet paupertatem voverint, tamen nobilitate, dignitate, ornatu, princip b. non cedunt? Quod si non diabolicæ hæ sunt imposturæ, & artes Antichristo dignæ: nullus certe Antichristus erit expectandus: si vero Antichristi regnum & status, ut sacræ literæ testantur, unquã esse debet: necesse sane est, eadem personata & fucata pietate appareant, quà nostri monachi, & sacrificuli. Hoc si verum, quid impediret, quo minus hi ipsi pro Antichristi famulis sint habendi, utpote quorum vita vaticinio Pauli 2. Thes. 2. ad verbum usq; respondet?

Si, Christiani nobiles, alias eius animi prompti estis, ut legitime rogati, propter rem leviculam vos in discrimen atq; vitæ periculum ponere non dubitetis: cur nõ potius rapacib. lupis, sceleratisq; furibus, atq; expilatorib. (pontificios puta) vi resistitis? Cogitate, Equites fortissimi, si quis vestrum vel emere, vel vendere, vel oppignorare quippiam cupit, ad quem confugiat, non certe ad mundanos principes: sed ad Abbates, Decanos, & Monachos. Hi enim, & non illi sunt emendo, mutuo dando, & communicando: cum tamen pauperes servi Christi esse debeant.

Tempus, credite mihi, Equites, vos excitat, ut circumspecte agatis: & nisi servitio obrui, & mancipia Pontificorũ evadere velitis, imminenti huic malo reme-

dium quæratis. Id, quod factum putabo, si Papam, ejusque gregales adegeritis, ut, sicut plebei, ita & ipsi censús, vectigalia, & alia, prout res, locus, ac tempus postulant, tributa vobis solvant. Non enim Deus, sed Papa hanc eis libertatem concessit: quò sibi bona, quibus vos emungunt, tribuant. Vidua, quæ egestate pressa, colu, ac lanâ victum sibi quærit, tributa, vectigalia, censús, & ejus generis alia onera solvere, ac ferre cogitur: ad clerici insolentes, ac sacrificuli ditissimi, quo omnibus voluntatib. desiti genio indulgent, immunes ab hisce abeunt.

Cur, proh dolor, Equites Germani, tam perculso estis animo? Cur non modò eventu crudelissimæ calamitatis, verum etiam metu vos liberare cunctamini? An timetis tyrannidem, & nequitiam Papæ? Longissime vero à vobis adhuc abest. An Monachos lenociniis verborum plenos, incredibili fraude exercitatos, Christiani cruoris sitientes, sacrâ denique Scripturâ turpiter abutentes formidatis, ac pertimescitis? At bono sitis animo, & scitote, quod licet à Papâ conducti & constituti in Christianorum perniciem moliantur ac machinentur, &
p. 190 Martinum Lutherum Christiano nomine dignissimum clamore, mendaciis atque convitiis obruere tentent: ipsi tamen ne ad millesimum quidem verbum quicquam hiscere, nedum respondere ex Sacris Literis valeant.

O rem miserabilem, & deplorandam! Si tantùm centesima monachorum pars reliqua esset plus laltis adhuc viverent. Certo enim certius hoc est: quod res fringillæ in aviario Deum plus, quàm centum Monachi in cœnobio, cantu suo jucundo celebrent.

Quàm diu, ô Papa, Episcopi, Academiæ, Monachi, clerici (ad vos enim hanc meam querelam dirigere cogor) pium & Christianum Lutherum furor vester inauditus eludet? Quem ad finem effrenata sese vestra jactabit audacia? Quo usque tandem blasphemias in ipsum evometis? An non probè vobis malæ & cauteriatæ causæ vestræ conscii estis? An non optimè novistis, quod Lutherus Sacris Literis, vos verò Thalmudicis decretis, ac humanis traditionibus tantùm nitamini? An non conscientiâ vestrâ constricti tenemini: quod ipse vix, ac ne vix quidem ulcus inauditorum scelerum, & incredibilis nequitiæ vestræ tetigerit? (quis enim libidinem, & malitiam vestram mente excogitare, & assequi, nedum verbis exprimere, posset? & tamen piissimi haberi vultis?) Nihilne vos movet dictum Christi Matth. 15. c. Frustra me colunt humanis traditionibus?

Animo, quæso, revolvite, revolvite, inquam, vos Sacrificuli, & malè Spirituales quòd per multa jam secula facilè passi sitis, & adhuc largiamini, ut libri Ethnicorum, Iudæorum Thalmud, Mahometæ Alcoran, impudica poëmata Ovidii, Terentii, &c. Hæreticorum errores, fabulæ Æsopi, Iura canonica, opiniones scholasticorum, eorumque rixæ, ac contentiones, somnia Stationariorũ, & ejus generis alia scripta legerentur, atque evolverentur: cogitate etiam, quod mentiri, falsis imposturis uti, chartis & tesseris ludere, alia deniq; flagitia (utpote vitæ vestræ perquàm accommodata) committere, fuerit concessum: ac unicum hoc, quòd scilicet Lutherus depravatam vestram malitiam detegit, id, quod res est, aperit, nec non Evangelium in lucem profert: hoc unicum, inquam, vos tam malè habet, & adeò pungit, ut de viâ ac modo cogitetis, quo ipsum perfequi, è medio tollere, lucisque hujus usurâ privare valeatis: non secus, ac Iudæi olim Prophetis factitabant.

Cur enim, obsecro, Propheta Elias è finibus regni Achab fuit expulsus? In causâ erant quadringenti Baalitici sacerdotes, qui magno in honore apud populum habebantur, nec non instar porcorum saginabantur. Eodẽ propè modo hodie cum pio agitur Luthero. Ah, bone Deus, quam tristis est anima mea, nec tamen reficitur? Ah, quàm magna ira Dei super nos?

Vos itaque, Christiani Nobiles, qui heroicis factis atque virtutibus, magnitudine animi, & spectatâ fide nullis nationibus ceditis: vos, inquam, per Dei Opt. Max. misericordiam oro atque obtestor, ut hanc meâ querelam eo, quo Christianos decet, animo percipiatis: & tandem cognoscatis, quòd plerique hominum manus suas auxiliares huic rei subducant. Considerate, quæso, vos Equites Germani, cui' farinæ homines sint Monachi, atque clerici? Inspicite modo ipsorum vitam: perpendite, an non iidem illi sint, de quibus D. Paulus 1. Tim. 4. inquit, quod mendacium in hypocrisi loquantur.

Videte, turbulentis & seditiosis clamoribus pium Lutherum (quem tamen omnes ad unum congregati, ex sacrâ Scripturâ vincere non valent) hæreseos insimulant. Ob oculos ipsis posita est Papæ Sathanica vita, hæretica doctrina, scelerata, simoniaca, & (ut uno quasi verbo complectar) Antichristo digna facta: quis autem ex ipsis eadem vel pro concionibus, vel publico scripto, vel alio quodam modo taxat, reprehendit, adversatur? Altum, proh dolor, apud omnes est silentiũ. Quis ergo dubitârit, quin pro

mun-

mundi seductoribus, & Antichristi famulis manifestissimis sint habendi?

Consultum quidem est, ut bellum Turcico Imperatori inferatur, eiusq; tyrannidi resistatur: at multò æquius, & magis necessarium videtur, ut hi longe nocentissimi Reipublicæ Christianæ hostes, communi hominum studio & operâ comprimantur. Ille enim, soluto tributo, Græcis aliisque Christianis Exercitium Religionis liberum relinquit: hi verò in Christianorum perniciem moliuntur, omnesque eos, qui Evangelio nomen dedere, vi, gladio, laqueo, flammâ prosequi non desistunt.

Adeste itaque, Nobiles ac Equites Germani, adeste: quid moramini? Sed, proh dolor, & vos periculum facultatum vestrarum retrahit, & amissio opum perterrefacit. Annon satis est, quod maxima hominum pars bellum Luthero indicunt, & ruinam ac mortem minantur Episcopi, ac tota Clericorum caterva jurejurando Papæ devincti sunt: quod contra Deum, jura, atque veritatem agere velint. Plerique principum vel liberos, vel fratres habent, qui aut Vasalli sunt Romani Pontificis, aut feudum ab eo exspectant. Quid multis opus est ambagibus verborum? Pilatus auxilio atque subsidio est Caiphæ contra Christum, & tandem quoque accedit clamor plebeiorum, petentium, ut latro Barrabas dimittatur, Christus autem crucifigatur.

At quod tandem præmium pro hac re putatis homines reportaturos? Idem, credite mihi, quod Iudæi. Quemadmodum enim hi à Tito Vespasiano funditus disperdebantur: ita certo certius DEVS OPTIMVS MAXIMVS, si doctrinam suam (quæ diu multis quidem in locis conservata, pluribus autem obscurata, ignota, atq; plurimis obtenebrata fuit) neglexeritis, multas miserias & calamitates, non tam corporales quam spirituales, immittet. Mementote, animisque vestis infigite: quod ego hæc dixerim vobis. Imp. 117. Carolo. 5. Papa 225. Adriano 6.

Adriani VI. Pont. Max: Vita: ex primo libro Epistolarum C. Batti Parmensis, juvenis eloquentissimi.

p. 198

C. Battus Parmensis Hieronymo Sanlio S. D.

Nunquam ego deterr ebor isthoc tuo silentio, sive id ex negligentia, sive ex magnis occupationibus nascitur, sive alia quavis de causa, quò minus te literis assidue cumulum. Nescio hercle, quid scribam, cum jam tot epistolis ad te missis, ne duos quidē versq hac re nus elicere potuerim. Nihil habeo, quod tecum jocer, nihil quod serio scribam, nihil prorsus novi, nisi cupis forsitan discere, quam de se Hadrianus posteritati, famam reliquerit. Nam de obitu, certò scio, te jam nuncium à tuis accepisse.

Reliquit sane non bonam, nec minor admiratio ac stupor de illius morib. mortalium mentes invasit, quam lætitia è morte exorta sit. Adeò enim per multos annos mores & vitia sua celârat, ut bonitatis ac sanctitatis opinione ad summum sacerdotium, cunctis suffragiis, ut nosti, absens vocatus sit.

Venit ad urbem, cum ego pestis metu in Sabinos confugissem, pestis cœpit multò acriùs statim sævire, atque indies magis ac magis increbrescebat. Credo, quod omen erat tam pestilentis Pontificis, qui ad nostram perniciem huc ex Hispania convolârat. Tandem adventante hyeme, furor iste relanguit. Nos ad urbem revertimur, ubi tranquillissimè profectò se res habebant; cum propter infrequentiam populi, qui non audebat adhuc in urbem regredi, permultos etiam pestis interemerat: tum propter novi Pontificis severitatem: quod unum in homine præter doctriam laudari poterat.

Edicto prohibuerat, ne arma portarentur. Ius magistratus severissimè dicere imperaverat, ut nusquam locus esset veniæ. Hoc non parum laudis apud imperitam multitudinem illi conciliavit. Verum deinde planum factum est omnibus, hoc prætextum fuisse avaritiæ illius immoderatæ, non justitiæ.

Si quispiam levi delicto in jus vocabatur, non, nisi grandi pecuniâ mulctatus, discedebat, nec gratia, & studium bonorum, & principum virorum, nec antea-ctæ vitæ candor quicquam proderat. Qui gravius deliquissent, si pecuniam non habebant, qua se à noxa redimerent, & eius ingluuiem satiarent, nulla tactus miseratione, aut capite puniri, aut in triremes ad perpetuum supplicium deportari jubebant: quibus verò suppetebant ampliores fortunæ, eorum levius fiebat flagitium, & illæsi abibant.

Magistratus, qui jus dicebant, quotidie noctu ad se accersiri jubebat. Quid de quoque reo extorsissent, cum summa percunctatione exigebat, aureos nummos ipse statim pendebat. Numerum, & delictareorum, qui eo die aut in ius tracti fuerant, aut in carcerem conjecti, ab his perdiscebat.

Familiam adeò sordidam & exiguam alebat, ut sumtus quotidianus duodecim aureos non excederet. Quid plura? Vaticana domus non jam domus illa pontificia, & ocellus Vrbis, ut quondam, sed domus aliqua, ut poëtæ tradunt, quæ pro-

Propter lemurum formidinem vacua & deserta sit, præ solitudine videbatur. Nunquam Cardinales, aut Proceres aliquos, aut legatos regum, qui in urbe degunt, & ipsum de more frequenter adibant, ad cōviviū invitavit, neq; ipse, cū esset his moribus, invitabatur à quoquam: neq; Helvetiis, neq; equitum turmis, quæ, ut scis, semper ipsum comitantur, quando exit in publicum, & diu noctuque excubant pro foribus ædium, stipendium solvebatur: semper esuriebant.

Longè iniquius cum interioribus custodibus, qui per diem cubiculi limen asseruant, sese gessit. Non modo stipendium his non soluebat, aut aliquo liberalitatis genere sublevabat: sed quod Cardinalibus, aut aliis purpuratis, certis temporibus quotannis elargiri mos est, ipsorum rationibus adimebat, atque in rem suam vertebat.

Civitatibus, quæ pontificiæ potestati, cum legatos huc ad eum, gratulatum misissent, & ut fieri solet, quoties novus creatur Pontifex, ut fidem & observantiam suorum civium ei declararent, & jurejurando testarentur, & conditiones à superioribus Pontificibus sancitas, ab eodem confirmatas domum reportarent, non ut cæteri Pontifices, aliquod commodum addidit, quo diu celebris, si nō sempiterna esset ipsius memoria apud populos, sed nonnullis etiam vectigalia auxit.

Pecunias, quas nonnulli populi Cisalpinæ Galliæ, conductis militib. de suo, Pont. nomine, hortatu patrum, dedissent: aberat enim tunc ille procul ab Italia, ut mœnia suarum urbium ab incursionib. atq; impetu hostium tuerentur, neutiquam in expensas referri passus est. Tria millia & quingenti Hispani milites eum navigantem in Italiam prosecuti fuerant. His, ne stipendium disolvere, aut aliqua liberalitate prosequi pudore ipse cogeretur, permisit, ut in agro Parmensi & Placentino, tanquam in hostili solo, prædabundi discurrerent, & castella & pagos alios incenderent diriperentque, aliis pecuniam impetrarent.

p. 192 Hæc de illius avaritia incomparabili, quæ etiam cum iniquitate quadam barbarica conjuncta videtur fuisse. Nam ex omnibus, qui cum eo unquam vixerant, & eius obsequiis sese addixerant, neminem aut beneficiis aut ornamentis præcipuis, cum tanta esset homini facultas, auxit, præter unum aut alterum, & eos quidem valde improbos, ut liquido appareat, ipsum aut improbum fuisse omnino, aut stolidum, qui judicio deciperetur.

Cæterum, si vera sunt, quæ post eius obitum in vulgus emanârunt, improbus admodum atq; impurus fuit. Quotidie enim vaticanum summo manè ascendebat quem locum ne quispiam mortalis ullo pacto ingrederetur, omnes aditus præcluserat: ibi paucis è familiarib. comitatus, rem divinam faciebat, deinde penitiorem ædium partem solus ingrediebatur. Quid ibi ageret, cum diutius moraretur, nemo scire poterat. Postea autem compertum est, illic mulierem forma egregia clam habuisse: cujus amoris causa eò tam frequenter itasse creditur, eius amplexu frui solitum. Quod ita fuisse, præter formam mulieris elegantem & frequentem eius congressum, & alias conjecturas morbus ipse, quo extinctus est, omnib. argumento esse potest.

Laboravit permultum, antequam è vita excederet, & stranguria, & torminibus, in quas ægritudines plerunque incidere solent, qui coitu immodico utuntur.

Datum est hoc insuper crimini, quod puerorum amoribus delectaretur, quia inter cæteros ministros, nonnullos tenellæ ætatis & eximiæ formæ habebat.

Magicæ artis instrumenta permulta in eius cubiculo iuventa fuisse post obitum, dicunt. Eius familiares, credo, ut tantum facinus tegant, ultrò fatentur, ipsum transmutandorum metallorum peritia maxime delectatum, atque id plurimum exercuisse. At ego non sum is, qui facilè tam multa credam præsertim, quæ de mortuo feruntur.

Veruntamen hoc in illo erat signum summè callidi ingenii, quod adeuntes quam maximè læto vultu, & blanda oratione excipiebat, nec quenquam tristem à se discedere patiebatur: postea vero haud ita efficax in rebus erat, quemadmodum verbis & vultu pollicebatur. Præterea non facilis patebat ad eum aditus, negocia semel suscepta semper protrahebat, pauca ad exitum perducebat, nisi quæ ad rem nummariam pertinebant.

Moriens demum multa reliquit imperfecta, quæ ab initio Pontificatus inceperat. In illo tamen duo sine controversia commendantur, Eruditio & Parsimonia. Probitatem ac sanctitatem illam dicunt, fuisse simulatam, atque id his rationibus & conjecturis convincunt, quas superius enumeravi. Quod virium sæpenumero in Germanis hominibus perspicitur. Nam bonitatem ac simplicitatem quandam omnes præ se ferunt: astutias vero præter omnium opinionem tenent clausas in pectore.

Sed ne plura de mortuo, & de Pont. mortuo loquar, præterquam fas sit, & institutum meum, hactenus de Hadriani moribus. Quoniam verò, me tibi rem gratā facturum, cogito, si eius Pont. quem nunquam videris, vultum & totius corporis habitū descripsero, conabor ut illius

effigi-

effugiem, quam dilucidè potero, tibi ante oculos subiiciam.

Erat Hadrianus procera statura, & recta, gracilento corpore, facie oblonga ac prominenti, & maximè decora, nisi frons depressa in verticem plus justo recederet. Oculos habebat parvos, non tamen prorsus cæruleos, ut bona pars Germanorum, sed habebat splendidos & hilares, & superciliis admodum obtectos, ut hinc facilè deprehenderes latentes in eo astutias. Habebat nasum aquilæ rostro non absimile, sed obesum; nec ita prorsus aduncum. Malæ oblongæ ac prominentes, & naturali rubore perfusæ totum vultum maximoperè honestabant. Ipse incedebat rectus, cum magna venustate loquebatur, ut procul dubio diceres illum fuisse natum ad imperandum; quamvis eius affines & necessarii, in extremo sepulchri margine inscribi curârunt, hunc versum, seiunctû à reliquo elogio:

Hic nihil in vita infelicius duxit, quam quod imperaret.

Quæ verba aut ipsius jussu; aut necessariorum decreto adscripta fuerint: nihil equidem vidi unquam imprudentius factum. Nec plura de his, ut in Adriani mentione epistola nostra desinat. Vale; & cura, ut quamprimum te huc recipias. Romæ, Idibus Ianuarii. Anno 1523. Imperatore Carolo. 5.

Huius Adriani avaritia non minimà fuit causa amissionis Rhodi. Quare eodem die & hora, qua Rhodus dedebatur, saxum ingens à superiore limine portæ sacelli Pontificii in Vaticano prodigiose decidit, cum Adrianus in ipso Natali Christi ingressurus esset: & duos Helvetios oppressit.

Quando autem Hadrianus hic factus est Papa, ibi celebrata res est Lovanii in magna pompa, quod iste magister Lovaniensis factus esset Papa, suspensa sunt aulea, in quorum uno fuit hoc: Trajectum plantavit, Lovanium rigavit: Cæsar incrementum dedit. Nihil cogitârunt erigentes hæc aulea, nisi de rebus secundis, vel humanis. Quare non inepte aliquis facetus ascripsit: Hic Deus nihil fecit. Sæpe ita cogitant homines, obliviscuntur Dei, & fiunt insolentes, quando accipiunt talia beneficia.

Ex actis Imperii.

p. 193.

Adrianus Papa VI. Illustriss. Germaniæ Principibus, ac S. R. Imperii proceribus, in civitate Norimberge congregatis, S. & Apostolicam benedictionem.

Venerabiles fratres, & dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Postquam ad Apostolatus officium, divina disponente providentia, assumti sumus, testis nobis est ille, qui nos ut immeritos, ita nil tale exspectantes, promovit, nil nos aliud diu noctuque cogitasse, quam ut in curando grege nobis credito, tam in universum, quam singulatim, boni pastoris partes modis omnibus impleremus: atque adeò nullam existimasse è nostris ovibus tam morbosam, quam non pro viribus curare: nullam tam vagam & à cæteris errantem, quam non perquirere, & ad Dominicam caulam reducere summoperè cuperemus.

Et sanè ab ineunte statim Pontificatu nostro (quod tum potissimum expedire videbamus) Christianorum principum animos, heu nimis jam inter se dissidentes, ad pacem & concordiam ineundam; deponendaque arma (aut si bellandum esset, ea in fidei hostes convertenda) tam per diversos nuncios nostros, quam per quotidianas fere literas hortari, animare, precari, hactenus nunquam destitimus. Et ne verbo tantum; sed & re ipsa hujus nostri desiderii ederemus exempla: Deus scit, quanto rei nostræ familiaris, his præsertim temporibus, incommodo, pecunias, & alia subsidia ad Rhodienses milites, strenuos fidei propugnatores, ab immanissimo Turcarum tyranno atrociter obsessos, ac in alia etiam loca in ejusdem hostis faucibus periclitantia misimus.

Mox vero ab externis ad intestina animarum advertentes, non sine gravi animi molestia percepimus, Martinum Lutherum (quem sua culpa jam filium nostrum vocare non posse dolemus) hominem veterum & jam damnatarum hæresium suscitatorem, (post sedis Apostolicæ paterna primum monita: deinde etiam sententiam, non absque consilio optimorum & doctissimorum virorum, & diversarum universitatum legitimè contra eum latam: post charissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum & Hispaniarum regis catholici, in Imperatorem electi, & vestrum imperiale edictum super ejusdem sententiæ executione, in proximis comitiis Wormaciæ habitis, maturè decretum, & per totam ferè Germaniam promulgatum) non modò, per quos deceret, non punitum, aut per se cohibitum, à prauissimis inceptis non desistere: sed omnis Christianæ charitatis & pietatis evangelicæ non oblitum modò, sed & impiè contemnentem, novos quotidiè libros, errorum, hæresium, contumeliarum, ac seditionum plenos, sive de suo, sive ab aliis adjutum, divulgare, ac veluti pestem quandam, Germaniam & vicinas regio-

regiones longè latèque pervadentem, venenatæ linguæ spiculis bonas & animas & mores inficere & corrumpere conari: & quod peius est, horum suorum facinorum non plebeios modo, sed & nobiles plerosque habere fautores, adeo, ut (quæ fortasse istorum tumultuum primaria fuit causa) in sacerdotum bona iri, & obedientiam, vilipendi cœptum sit, & tandem inter nonnullos vestrum ad civilia bella deventum. Quod quam malè cadat Christianæ reipublicæ, hoc præsertim tempore, mente & cogitatione facile prospicere potestis.

Etsi enim prædixit Apostolus: oportere hæreses esse, ut ii, qui probati sunt, manifesti fiant: nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum, quàm hoc: aut quod citius ab hæresibus, si quæ ortæ sint, necessario veniat repurgandum.

Quum enim humani generis perpetuus hostis, Diabolus, sub Leonis rugientis specie, per Turcarum vires in Christianas oves continue debachetur: non videmus, quomodo contra tantos impetus obsistere possimus, quam diu eundem Diabolum, sub Draconis subdoli forma istas hæreses domi nostræ disseminantem, interque fortissimos Germanos nostros discordias & seditiones suscitantem, fovebimus.

Atque ut etiam debellare externos hostes maximè possimus: irritus tamen fuerit labor, impensaque, & animarum saluti minime utilis, foris hostes vincere, & domi hæresib. schismatibusq; laborare.

Meminimus, cum etiam in minoribus constituti, in Hispania essemus, multa ad nos & varia de Luthero, & eius perversis dogmatib. frequenter perferri. Quæ cum per se durissima auditu, eò nobis duriora videbantur: quod ex ea regione venirent unde nobis secundum carnem origo est. Sed solabatur nos tum rei ipsius adeo manifesta vel iniquitas vel soliditas, ut à nemine diu toleranda crederetur: tum illa subinde nobiscū facta reputatio, quā pro cul dubio confidebamus; istas venenatas plantas, aliunde in Germaniam translatas, non perventuras ad frugem in ea terra, quæ acerrimos hæresium, & omnis infidelitatis hostes semper protulisset.

Nunc vero, postquam hæc mala arbor (sive divino judicio sic populi sui peccata puniente: sive socordia eorum, qui, ut debebant & poterant, principio non obstiterunt) quos videtis & auditis, longe lateq; ramos expandere cœpit: considerandum vobis est, Germani Principes & populi, ac providendum, ne vos, qui ab initio, hujus mali culpa aliunde orta, facilè excusari poteratis, per istam nimiam tolerantiam, & pristinæ virtutis naturæque obliti, & tanto facinori, dum illi non resistitis, consentire videamini.

Omittimus, quod enormissimum est, tantam tamque religiosam nationem per unum fraterculum (qui à catholica fide & religione Christiana, quam ab ineunte ætate non solum profiteri, & sequi visus est, sed etiam multis annis prædicasse ac docuisse dicit, novissime infeliciter apostatavit, ac Deo mentitus est) seduct ab ea via, qua à Redemtore nostro, & eius sanctissimis Apostolis demonstrata, tot martyres, tot præclari doctrina & sanctitate viri, & majores denique vestri omnes hactenus incesserunt. p. 194.

Quasi solus Lutherus sapiat, & sciat: solus nunc primum (ut de se hæreticus Montanus gloriabatur) Spiritum sanctum acceperit: & Ecclesia ipsa cum qua se futurum ad consummationē seculi, benignissimus humani generis Redemtor pollicitus est, in tenebris ignorantiæ & perditionis ambagib. semper erraverit: donec novo Lutheri lumine illustraretur. Quæ omnia quamquam apud eos, qui sapiunt, perridicula judicantur: simplicib; tamen animis plurimum sunt perniciosa: & eis, qui novarum rerum cupiditate omnem ordinem immutatum vellent, plurimas ad ea perpetranda, quæ nunc experimini, causas & fomenta subministrant.

Annon consideratis, Germani Principes & populi, præludium esse quoddam hoc eorum malorum, quæ Lutherus & eius sectatores moliuntur? Annon aperte videtis, istud prætensum principio à Lutheranis veritatis Evangelicæ patrocinium detectum, nunc esse rerum vestrarum merum latrocinium? An putatis, aliò tendere istos iniquitatis filios, quam ut, libertatis nomine omni obedientia sublata, quod cuique libuerit, faciendi licentiam inducant? An, ullius pensi jussa & leges vestras habituros, creditis; qui sacros canones, & patrum decreta, nec non sacrosancta concilia, quorum authoritati Imperatorum leges semper & libenter cesserunt, & promtè famulatæ sunt; non solum vilipendunt, sed etiam diabolica rabie lacerare, & comburere non verentur? Deniq;, qui sacerdotibus, qui episcopis, qui pontifici summo debitam obedientiam detrectant? An speratis, contenturos sacrilegas manus à laicorum bonis, & non omnia potius sibi, quæ poterunt, vendicaturos: qui res Deo dicatas quotidie vobis præsentibus, & videntibus, ferunt aguntque? An denique vestris cervicibus parsuros: qui non tangendos Christos Domini contemnere, cædere, trucidare ausi sunt.

In vos, in vestras res, domos, uxores, liberos, ditiones, dominatus, templa, quæ colitis, hæc miseranda calamitas tendit, nisi maturè obviam eatis.

Pro-

Proinde fraternitates, nobilitates, & devotiones vestras omnium & singulorũ, in Domino hortamur, & perChristianam charitatem & religionem, quam tam sæpe majores vestri suo sanguine & tutati sunt & auxerunt, obsecramus, atque in virtute sanctæ obedientiæ, quam Deo & beatoPetro ejusq; vicario omnesChristiani debent, à vobis requirimus: ut, depositis, si quæ sunt inter vos, simultatibus, ad hoc commune incendium exstinguendum nunc saltem toto animo incumbatis & Martinum Lutherum, cæterosq; istorum tumultuum & errorum autores, ad rectam sentiendi & vivendi viam (quod nobis gratissimum, iucundissimum esset) omnib. sanctis modis reducere enitamini.

Quod si (quod avertat Deus) veluti aspides, obturatis auribus, audire recusaverint: ne, quod reliquum & nunc sanum constat, cum magna & euidenti nationis vestræ macula, & totius reipub. Christianæ manifesto periculo inficiatur: in eos juxta sacras constitutiones, juxta leges à vestratibus Imperatoribus latas, atque adeò recens vestrum super hac re imperiale edictum, severitatis virga animadvertatis. Novit ille, cui sola arcana humanorum pectorum aperta sunt, quam nos & pro natura nostra, instituto que, & pro pastorali, quod gerimus, officio, ad ignoscendum potius, quam ad ulciscendum simus propensi. Sed ubi tetrum istud carcinoma ita hulcerosum esset, ut blandis levibusq; medicamentis curari non posset, aspera erunt, & abalienata membra ab in tegro corpore penitus resecanda.

Sic Deus omnipotens schismaticos fratres, Dathan & Abyron in in terræ baratrum vivos demersit, & nolentem obedire sacerdotis imperio, capitali supplicio puniri jussit. Sic Apostolorum Princeps Petrus Ananiam & Saphiram, sibi in Deum mentientes, subito morituros denunciavit. Sic veteres & pii Imperatores Iovianum & Priscilianum hæreticos gladio seculi sustulerunt. Sic diuus Hieronymus Vigilantium, item hæreticum optat in interitum carnis tradi, ut spiritus salvus fiat.

Sic denique majores vestri de Ioanne Hussita, & Hieronymo Pragensi, qui nunc in Luthero revixisse videntur, à quo & in summa habentur veneratione, in Constantiensi Concilio debitas sumsere pœnas. Quorum sancta & præclara gesta si etiã hac in parte (ubi aliter fieri nequeat) fueritis imitati: non dubitamus, quin divina clementia, ad eundem mox suppetias Ecclesiæ Dei (quæ ab infidelib. vexata, in nationem vestram, virtute bellica & hominum numero facile præstantem, os oculosq; jam dudum intendit) sensus & corda vestra inspiret: unde, omnipotentis Dei, & beati Petri benedictione per nos accepta, & de triumphato dracone, ac leone diabolo, id est, sublatis domo hæresibus, & devictis foris fide. host bus gloriosam victoriam, & in futuro seculo æternæ salutis præmia reportetis. Vos verò pro compertissimo habeatis; quicquid nobis opum & autoritatis altissimus concedere dignatus est, id omne, & vitam ipsam, pro tam sanctis operibus, & pro salute commissarum nobis ovium libentissimè exposituros. Cætera, quæ tam in hoc Lutherano, quam aliis negotiis particularib. vobiscum communicata cupimus, dilecto filio Francisco Cheregato, electo Aprutini, quem nuper, mense septembri, ad negotia fidei & religionis nostro nomine vobiscum tractanda, nostrũ & hujus sanctæ sedis nuncium, ad insignẽ istum conventum ire jussimus, vobis latius explicanda commisimus: cuius verbis hortamur vos eandem, quam nostris haberetis, fidem adhibere. *D.* tum Romæ apud *S.* Petrum, sub annulo Piscatoris, die 25. Novemb. M.*D.*XXII. *P*ontificat⁹ nostri anno primo. Rhezius.

Instructio pro te D. Francisco Choregato, de quibusdam, quæ prælatis, principibus, & civitatum Germanicarum oratoribus dicere poteris viva voce, ubi & quando opportunum judicaveris. p. 195

Inprimis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur, ex prosperatione sectæ Lutheranæ: ob id potissimum, quod videmus, innumerabiles animas Christi sanguine redemtas, & curæ nostræ pastorali commissas, illius occasione à vera fide ac religione averti, & in perditionem ire: idq; in natione, ex qua nobis secundum carnem origo est, quæ ab initio, ex quo ad Christum conversa fuit, usq; ad istos proximos annos semper extitit fidelissima, ac religiosissima: ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse, ut huic pesti celerius occuratur, priusquam Germaniæ ipsi contingat, quod Bohemiæ olim contigit: nosq; paratissimos esse, ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte nostra expectari poterunt: ac summopere desiderare, ut etiam unusquisq; eorum hoc ipsum pro viribus facere studeat: utque id faciant, nos quantum possumus unumquemq; eorum hortari & rogare. Debebunt autem eos ad hoc movere sequentia.

Primò & ante omnia honor Dei omnibus rebus præferendus, qui per istas hæreses graviter læditur: eiusq; cultus consuetus non solum diminuitur; sed potius ex toto corrumpitur. Item charitas

tas erga proximos, qua unusquisque pro viribus studere debet, proximos errantes ab errore revocare. Quod nisi fecerit: *Deus* eos, qui sua negligentia pereunt, de manu eius requiret.

Secundò movere eos debet infamia nationis suæ: quæ cum semper præ cæteris nationibus *Christianissima* sit habita, nunc propter eos, qui sectam Lutheranam sequuntur, apud omnes pessime audit.

Tertio moveat eos respectus honoris eorum proprii, qui maxime læditur: si qui apud nationem Germanicam autoritate & potentia pollent, hæreses istas non totis viribus expellere laborant: tum quia degenerabunt à progenitorib. suis, viris Christianissimis, qui in Constantiensi Concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Iohannes Huss, & aliorum hæreticorum; quorum aliqui ipsum Ioannem Huss propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur: tum quia ipsi, vel major eorum pars, edictum imperiale in exsecutione sententiæ apostolicæ contra Martinum Lutherum, & suos late factum approbârunt, ei authoritatem suam adhibuerunt: & propterea, nisi illud pro viribus executi fuerint, vel in constantes indicabuntur, vel etiam favere reputabuntur, cum manifestum sit, eos, ubi efficaciter velint, illum exterminare facile posse.

Quartò moveat eos injuria, quæ per Lutherum eis, & eorum parentibus ac progenitoribus infertur. Cum enim ipsorum parentes, & progenitores, & ipsimet semper tenuerint fidem, quam Ecclesia Romana atque Catholica approbat, & Lutherus suiq; sectatores longe diversam fidem teneant, asserendo, multa non esse de fide, quæ tamen illi tenuerint esse de fide: manifestum est, illos à Luthero condemnari, pro infidelibus & hæreticis; & per consequens, secundum Lutherum, omnes eorum majores, qui in fide nostâ decesserunt, sunt in inferno, quũ error in fide homines damnationis reos faciat.

Quintò attendant finem, ad quem Lutherani tendunt: ut scilicet sub colore libertatis Euangeliæ, quam hominib. proponunt, omnis potestas superioritatis tollatur. Nam licet ab initio præ se tulerint, Ecclesiastiam potestatem; tanquam tyrannice, & contra Evangelium occupatam, annihilare, seu reprimere velle: tamen cum eorum fundamentum, f. libertas, quam prædicant, æque vel plus militet contra potestatem secularem, quum scilicet illa nullis præceptis, quantumvis justis & rationabilibus, obligare possit homines ad parendum, sub pœna mortalis peccati; manifestum est, eos etiam illam enervare velle, quamvis astute fecerint, illam salvando, ut scilicet, principibus secularibus credentibus, machinationem hanc non contra se, sed duntaxat contra Ecclesiasticos (quibus laici communiter infensi sunt) dirigi, ac propterea partim in eorum favorem tractis, partim dissimulantibus, seu non contradicentibus, ipsi facilius ecclesiasticos everterent. Quo facto dubium non est, quin populi idem contra seculares Principes tentaturi essent.

Sexto moveant eos maxima scandala, turbationes, direptiones bonorum, homicidia, lites, dissensiones, quas secta hæc pessima excitavit, & quotidie excitat per totam Germaniam. Item blasphemiæ, maledicta, scurrilitates, & amaritudines, quæ istis semper in ore sunt. Quæ nisi ipsi sedare curaverint, verendum est, ne irâ Dei, desolatio veniat super Germaniam, in se tam divisam: immo super ipsosmet Principes, qui, cum potestatem & gladium à *Domino* receperint ad vindictam malorum, talia in subditis suis fieri permittant. Maledictus, inquit Prophera, qui facit opus *Dei* negligenter, & prohibet gladium suum à sanguine iniquorum.

Septimo considerent, Lutherum prope consimili via ad seducendum populum Christianum uti, qua Mahometus ille spurcissimus usus, tot animarum millia decepit: permittendo videlicet ea, ad quæ homines carnales inclinantur: & exinde, eximendo eos ab his, quæ in lege nostra graviora videntur: nisi quod Lutherus paulo modestius agere videtur, ut eo efficacius decipiat. Mahometus plures uxores habendi, & eas pro arbitrio repellendi, aliasque ducendi licentiam concessit: Iste; ut monachorum, & Deo dicatarum virginum; ac sacerdotum, lasciviacarnis gestientium; sibi favores conciliet, prædicat, vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse nedum non obligatoria: propterea; licere illis, per Evangelicam libertatem, nubere: immemor verbi Apostolici, cum dicit de viduis adolescentioribus: quod, cum luxuriatæ fuerint, si in Christo nubere volunt, habentes damnationem, primam fidem irritam fecerunt. pc. 196.

His per te expositis, & aliis pluribus, quæ in hanc sententiam partim ex literarum nostrarum exemplis colligere, partim ex tua prudentia excogitare poteris hortaberis nostro nomine dictos principes, prælatos, ac populos, ut tandem expergiscantur, & excitentur, ad obviandum tam grandi iniuriæ, quam Lutherani Deo & sacræ religioni eius: & maximæ ignominiæ, quam toti nationi vestræ Germanicæ, ipsisquemet Principibus:

&

& maximis opprobriis atq; contumeliæ, quam majoribus eorum, quos (ut diximus) in effectu ad gehennam condemnant, inferre noscuntur: & ad exsecutionem sententiæ *Apostolicæ*, ac Imperialis edicti facti, omninò procedant.

Detur venia his, qui resipiscere, & errores suos abjurare voluerint: semperq; proniores sint ad miserandum, quam ad vindicandum, exemplo Dei nostri, qui non vult mortem peccatorum, sed magis, ut convertantur, & vivant. At qui in errore pertinaces permanserint, districtionis virgâ, juxta sacrorum Canonum & Legum decreta, sic puniantur, ut cæteri eorum exemplo vel in fide recta permaneant, vel lapsi in rectam viam redeant.

Quod si quis fortè dixerit, Lutherum inauditum, & indefensum fuisse, per sedem Apostolicam condemnatum, & proptereà audiri omnino debere, nec, antequam convictus sit, condemnandum esse: respondebitis, quod illa, quæ fidei sunt, propter divinam authoritatem credenda sunt, nō probanda. Aufer, inquit Ambrosius argumēta, ubi fides quæritur, piscatorib. creditur nō dialecticis. Et certè fatemur, ei defensionem negari non debere in his, quæ sunt facti, hoc est, utrum dixerit, necnè: utrum prædicaverit, vel scripserit, necnè: semper divino jure vero, & materia sacramentorum standum autoritati sanctorum & Ecclesiæ.

Adde, quòd ferè omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa concilia prius reprobata. Non debet autem revocari in dubium, quod per concilia generalia & universam Ecclesiam constat esse approbatum, tanquam fide tenendum. Injuriam namque facit Ecclesiæ synodo, qui semel rectè dispositta nititur in dubium revocare.

Quid enim unquam certi esse poterit inter homines? vel quis disputationum, contentionumque finis erit? si præsumtuoso, & perverso cuique libertas, seu licentia erit recedendi ab his, quæ non per unius, neque paucorum, sed tot seculorum, & tot sapientissimorum hominum consensum, & Catholicæ Ecclesiæ (quam Deus in his, quæ fidei sunt, nunquam errare permittit) determinationē sancita sunt: cum tamen unaquæque civitas leges suas inviolabiliter observari exigat? Quomodo non omnia turbationibus, & scandalis, & confusione plena erunt: nisi ea, quæ semel, imo sæpius maturo judicio constituta, ab omnibus inconcussa observentur?

Cum igitur Lutherus & sui concilia Sanctorum patrum contemnant, sacros canones comburant, & cuncta pro arbitrio suo confundant, ac totum mundum perturbent, manifestum est, eos, tanquam publicæ pacis inimicos & perturbatores, ab omnibus eiusdem pacis amatoribus exterminandos esse.

Item dices: nos ingenue fateri: quod Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittit, propter peccata hominum, maxime sacerdotum, & Ecclesiæ prælatorum. Certum enim est, non esse abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat: sed peccata dividere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis, ut non exaudiat. Clamant Scripturæ: peccata populi derivari à peccatis sacerdotum: proptereaq; (ut ait Chrysostomus) salvator noster curaturus infirmam civitatem Hierusalem, ingressus est prius templum, ut peccata sacerdotum primo castigaret, instar boni medici, qui morbum à radice curat.

Scimus, in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis pontificibus in alios inferiores prælatos descenderit. Omnes nos (id est, prælati Ecclesiastici) declinavimus, unusquisque in vias suas: nec fuit jam diu, qui faceret bonum: non fuit usq; ad unum.

Quamobrem necesse e[illegible] ut omnes demus gloriam *Deo*, & h[illegible] mus animas nostras ei: videatq; unusquisq; nostrum, unde ceciderit: & se potius quilibet judicet, quam à Deo in virga furoris sui judicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis: nos omnem operam adhibituros, ut primum C[illegible]ria hæc (unde forte omne hoc malum processit) reformetur: ut, sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet: ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus: quanto universum Mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus.

Nos (uti alias tibi dixisse credimus) Pontificatum hunc nunquam ambiuimus: imo, quantum in nobis fuit, longè maluissemus privatam vitam agere, & in sancto ocio Deo servire. Et profecto Pontificatum ipsum plane recusassemus: nisi *Dei* timor, & sincerus electionis nostri modus, nec non schismatis, ex recusatione nostra imminentis, metus, nos acceptare illum coēgisset. p. 197.

Subiicimus igitur colla summæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos nostros, sed ad divinæ voluntati parendum: ad deformatam eius sponsam Ecclesiam catholicā reformandam, ad subveniendum suppressis, & doctos ac virtute præditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerunt,

erigendum & ornandum, & deniq; ad omnia alia agendum, quæ bonum Pontificem & legitimum B. Petri successorem agere oportet. Quanquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata, & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex: pedetentim in eius cura procedendum est: & prius gravioribus, magisque periculosis occurrendum: ne omnia pariter reformare volentes, omnia perturbemus. Omnes subitæ mutationes (inquit Aristoteles) in Republica periculosæ sunt. Qui nimis emungit, elicit sanguinem.

Quod autem ultimis literis tuis scribis, questos fuisse tecum principes illos, quod concordatis eorum per hanc sedem derogatum sit, dices, nos de his, quæ ante nos facta fuere, culpari non posse nec debere, nobisq; eiusmodi derogationes etiam, dum in minoribus essemus, semper plurimùm displicuisse Proinde nobis certissimam sententiam esse, etiamsi ipsi non requirerent, illis nostri pontificatus tempore penitus abstinere: partim, ut unicuiq; jus suum servemus: partim, quia æquitas & humanitas exposcit, ut inclytam nationem non offendamus, sed etiam peculiares ei favores impendamus.

De processibus verò, quos à rota avocari, & ad partes remitti postulant, dicas, nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honestè possimus: sed propter absentiam auditorum ab urbe, pestis gratia, non posse nos de qualitate & habitudine ipsorum processuum ad præsens informari: reversis verò illis, quod, peste jam decrescente, brevi futurum speramus, facturos in gratiam dictorum principum, quicquid rationabiliter poterimus.

Item solicitabis diligenter responsa literarum nostrarum: & requires eos, ad quos scribimus, ut nos literis suis informent: quibus mediis eorum judicio videatur huic pessimæ sectæ commodius obviari posse: ut ea, quæ per nos providenda fuerint, celerius provideri possint. Et super hoc ipso etiam tu te diligentissime informabis, & nobis plene perscribes.

Item quia intelleximus, in Germania esse multos bonos, & doctos viros pauperes: aliqua etiam præclara ingenia, ex alienatione apostolicarum provisionum, histrionibus & stabulariis potius, quam viris doctis fieri solitarum, à sedis hujus devotione aversa: cupimus, ut inquiras, quinam illi sint, eorumq; nomina ad nos transmittas, ut, accurrente beneficiorum Germanicorum vacatione, illis proprio motu providere possimus. Scimus enim, quantum Dei honori, & animarum saluti, ac ædificationi obfuerit, quod iamdiu beneficia Ecclesiastica, maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerunt hominibus indignis.

De subsidio procurando pro Hungaris, eon damus aliam informationem, quam discedenti tibi dedimus: excepto, quod te hortamur, ut rem illam summo studio (uti facis) cures: nos etiam apud Principes & Respublicas Italicas, missis oratoribus, solicitabimus, ut pro viribus quisq; subveniat.

Adrianus Papa VI.
R. Hezius.

Responsio Illustrissimorum ac Reverendiss. Principum, nec non aliorum S.R. Imperii ordinum, Pontificio Legato reddita.

Serenissimus & Illustrissimus Princeps & dominus Ferdinandus, sacræ Majestatis Locum tenens: nec non reverendissimi in Christo patres, illustrissimi, reverendi ac illustres Principes, Electores, aliorumq; omnium ordinum hujus sacri Rom. Imperii conventus proceres, literas beatissimi in Christo patris & domini domini Adriani, sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontificis opt. max. in forma brevis, simulq; ea, quæ vestra reverendiss. dominatio verbo proposuit, tandemque instructionem, quam scriptis, nomine suæ beatitudinis, præsentavit, in negotio Lutheranæ factionis, cum debita honoris & reverentiæ exhibitione, atque non sine singulari animorum gratitudine acceperunt, & diligentissimè intellexerunt.

Inprimis, ex quo Serenissimus Princeps & dominus Locumtenens, cæteriq; Electores, Principes, & hujus sacri conventus proceres noverunt, beatitudinem Pontificis ex nobilissima germenica natione originem traxisse, & natū esse: (cujus eximias ac præstantes animi & corporis dotes, virtutesque toto fere orbe, etiam dum in minoribus esset, celebratas, jam pridea perspicuam habent) de sua beatitudinis ad summum apostolatus apicem concordi ac divina electione & vocatione, incredibili quadam animorum hilaritate, & lætitia sunt affecti, aguntq; Deo optimo maximoq; gratias summas, quod sanctæ suæ Ecclesiæ de tali ac tam digno, optimoq; pastore providere dignatus est: ex animoq; precantur, ut pro sua summa clementia, & perpetua sui nominis gloria, animarumq; salute, & Ecclesiæ unisalis incolumitate, suæ beatitudini omnem felicitatem rerum, atq; corporū diutinam prosperitatem largiri velit: nihil dubitantes, quod ex hac tam sancti & virtuosi

p. 198. tuosi pastoris concordi electione, sanctæ Christiana Catholicæq; Ecclesiæ plurimū fructus & salutis sit eventurum: cujus rei evidens facit argumentum, quod sua beatitudo iterum atque iterum testatur, nihil se tam die noctuq; cogitare, quam ut in curando grege sibi commisso, boni pastoris partes modis omnibus præstare possit: imprimisq; sibi curæ esse, Christianorum principum animos, jam nimis inter se diffidentes, ad pacem & concordiam ineundam componere; deponendaque arma (aut si bellandum esset, ea in fidei hostes convertenda) quotidianis fere literis hortari, precariq; hactenus non destitit: simulq; declarando, quanta hujus tam sancti, & præclari desiderii (juvando, & subsidia mittendo Rhodianis militibus, cum incommodo suæ rei familiaris) re ipsa ediderit exempla.

Ex his omnibus sacræ Cæsareæ Majestatis dominus Locumtenens, cæteriq; hujus sacri Imperii ordines nō mediocrem spem & consolationem, cum maxima animorum gratitudine accepere: plane intelligentes, hanc concordiam Christianorum Principum in omnibus rebus bene gerendis ac ordinandis, non minimum momenti habere: sine qua profecto nec Resp. Christianæ religionis rectè curari, vel institui: multoq; minus tyrannidi immanissimi Turcæ commodè obsisti poterit; quemadmodum hæc ex his, quæ Reverendissimus dominus, suæ beatitudinis nuncius Apostolicus, nuper, cum pro subsidiis Hungarorum egit, perorando proposuit, simulq; ex his, quæ per serenissimi Hungarorum regis, & illius regni legatos lamentabiliter exposita & declarata sunt (quas scilicet calamitates, injurias, & ad extremum usque exitium, Hungarorum regnum ab impiis hostibus tulerit, indiesque majora timere habeat) abunde intellecta sunt.

Quare serenissimus Princeps, sacræ Cæsareæ Majestatis Locumtenens, cæterique Principes, Electores, & ordines, summo studio ex animo orant, ut sua sanctitas, in hoc sancto proposito ea, qua cœpit indigentia, ut pius pater, & verus pastor, pro incumbentis officii debito pergat: nihilque intentatum relinquat, quò Christianorum Principum diffidentes animos ad pacem reducat, vel si id in totum fieri non possit, saltem ad tempus in tanta temporum & rerum necessitate inducias facere laboret: quo instantibus Christianæ Reipublicæ periculis, & Turcæ perfidissimi conatibus, Dei auxilio, communibus Christianorum copiis, & commodius faciliusque obsisti, & Christianus populus ab illius tyrannide liberari possit: pro quo serenissimus Princeps Locumtenens, aliique Princeps Germani, una cum cæteris potentatibus, omni ope & opera fideliter sunt laboraturi.

Deinde suæ beatitudinis literæ, simulque instructio, per suæ Beatitudinis nuncium Apostolicum, coram ordinibus imperii oblata, continebant, suam B. maximo dolore affligi ex prosperatione sectæ Lutheranæ: ob id potissimum, quod innumerabiles animæ Christi sanguine redemtæ, ac suæ beatitudinis curæ commissæ, illius occasione, à vera religione avertantur, atque in perditionem eant: ob id suam B. vehementissimè desiderare, ut huic pesti celerius occurratur, ne deteriora inde contingant: cum explicatione quarundam necessariarum rationum, quæ principes Germanos, ad hæc quam celerius conandum, maximè movere possint ac debeant: inprimisque adhortando, ut sententia per sedem apostolicam in Lutherum legitimè lata, & pôst sacræ Cæsareæ & catholicæ majestatis edictum, super ejusdem sententiæ executione in proximis comitiis Wormaciæ habitis decretum, debitæ demandentur executioni.

Ad hæc sacræ Cæsareæ Majestatis Locumtenens, & Principes, aliique ordines dicunt, se non minus, quam Beatitudinem pontificis ex animo dolere de impietatibus, animarum periculis, & incommodis, quæ in Christiana religione, ex Lutherana secta, aliisve provenerint. Quicquid enim auxilii & consilii pro extirpandis erroribus, & animarum periculis amovendis, sua moderatione præstare unquam poterunt, sunt, pro summa sua in Christi religionem devotione & pietate, paratissimi, ingenueque agnoscunt, se & beatitudini Pontificis, & S. C. Majestati (ut Christianos decet principes) ad omnem obedientiam esse obnoxios.

Sed quod sedis Apostolicæ sententia in Lutherum lata, simulque S. C. M. edictum, non sit debitæ executioni demandatum; non sine maximis, urgentissimisque rationibus, utputa, ne pejora inde causarentur, &c. hactenus prætermissum est.

Majori namque populi parti jam pridem persuasum est, & modò Lutheranis libris ac dogmatib. populorū opinio sic informata, ut jā pro comperto habeant

ant, nationi Germanicæ à curia Romana per certos abusus multa & magna gravamina & incommoda illata esse: ob id, si, pro executione Apostolicæ sedis sententiæ, vel Imperatoriæ majestatis edicti, quidpiam acerbius attentatum esset, mox popularis multitudo sibi hanc suspicionem animo concepisset, ac si talia fierent pro evertenda Evangelica veritate, & sustinendis, manutenendisq; malis abusibus, impietatibusque. Vnde indubiè aliud nihil, quam gravissimi tumultus populares, intestinaq; bella speranda essent. Quemadmodum ex multis & variis rerũ argumentis principes, aliiq; ordines jam plane didicere & cognovêre: opportunioribus itaq; remediis his malis, in hac potissimum temporum difficultate, succurrendum esse, existimant.

Nam quemadmodum & Reverendissimus dominus nuncius Apostolicus, nomine beatissimi Pontificis, in sua instructione inter alia piè, Christianè, & verè fatetur & agnoscit: quod Deus hanc Ecclesiæ suæ persecutionem inferri permittit, propter peccata hominum: polliceturque, beatit. Pontificis omnem adhibituram operam, ut primum Romana curia, unde fortè omne hoc malum processit, reformetur: ut, sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet.

p. 199. Ad hæc Beatissimus Pontifex pio ac paterno amore testatur, sibi, etiam dum in minoribus esset, plurimum displicuisse, quoties concordatis principum per Curiam Romanam derogaretur: suæque beatitudini hanc certissimam esse sententiam, etiamsi principes nunquam requirerent, sui pontificatus tempore penitus abstinere, unicuique & maximè nationi Germanicæ, jus suum conservare, illiq; nationi peculiares favores impendere.

Quis itaque ex his omnibus non videt, sanctissimum Pontificem nihil penitus illorum omittere, quæ vel pius pater & verus pastor ovibus suis unquã vel præstare possit vel debeat? Quis n. per hæc ad veram pietatem, filialem amorem, & erratorum suorum emendationem non moveretur, maximè, cum sua sanctitas hæc tam pia, sanctaque instituta opere ipso, uti cœpit, præstiterit.

Quemadmodum serenissimus dominus Locumtenens, cæterique principes, & omnium hujus imperii ordinum proceres indubie sperant: idque pro summa immortalis Dei gloria, animarum salute, ac publica pace & tranquillitate servanda, fieri, ex animo efflagitant, orantque Nam nisi istiusmodi abusus & gravamina, simulque certi articuli, quos seculares principes juxta hæc. specialiter designatos, scriptis exhibebunt, fideliter reformentur, vera pax & concordia inter Ecclesiasticos secularesq; ordines, hujusque tumultus & errorum exitrpatio per Germaniam minime speranda est.

Nam ex longis & variis bellorum tumultibus, quibus Germania nostra multis annis interturbatur: item ob alia gravamina & incommoda, quæ huic nationi hactenus incubuerunt, hæc natio pecuniis ac divitiis adeò est extenuata & exhausta, ut etiam jam pro necessaria justitiæ ac pacis conservatione in his deficiat. Multo majori itaque incommodo & difficultate, Hungarorum regno & Croatis petita auxilia contra Turcam præstare poterit.

Cum autem ordines sacri Romani Imperii nihil dubitent, beatitudinem Pontificis pro comperto habere: Principes Germaniæ insolutionem *Annatorum*, ad aliquot annos sedi Apostolicæ solvendorum, ea lege ac conditione consensisse, ut illa in oppugnationem perfidissimi Turcæ, & defensionem fidei catholicæ converterentur: ex quo autem numerus annorum, intra quos annata illa solui debeant, nunc longo intervallo transactus sit, neque Annata illa à beatitudinis suæ prædecessoribus Pontificibus Rom. in hunc usum, in quem decreta sunt, conversa: ob id, si modô necessitate exigente, omnia auxilia in oppugnationem Turcæ per Germaniam essent decernenda & colligenda, causatur inde populus Germanicus, quare Annata, prius jam multis annis in hunc usum reservata, ad hoc opus non applicentur: aversanturque alia in se ob hanc causam gravamina recipere: ex quo prælati Ecclesiastici, pro annatis sedi Apostolicæ solvendis, ut plurimum suis subditis superindicta, & collectas imponere & talia ab eisdem recuperare causaverunt.

Quare illustrissimus Princeps dominus Locumteuens, aliique principes & ordines Rom. Imperii vehementer orant, ut beatitudo Pontificis velit hæc & alia paterno affectu considerare, & illa Annata, quæ post obitum *Episcoporum*, aliorumque prælatorum seu Ecclesiasticorum, ad curiam Romanam solvenda fuerit, in futurum non exigere: sed illa fisco sacri Romani Imperii applicanda relinquere: ut eo commodius justicia, pax, & tranquillitas nationi *Germanicæ* conservari, & Respublica eò melius per hæc ordinari, possintque per *Germanicam* nationem aliis *Christianis* potentatib. contra Turcam, communem hostem, auxilia & præsidia præstari: quod alias & absq; eo minime sperandum erit.

Item cum Beatitudo pontificis inter alia desiderat informari, quibus mediis huic

Lut-

Lutherano errori commodius obviari possit, ut ea, quæ per suam B. providenda fuerint, clerius curari possint. Ad hec Illustrissimus Princeps dominus Locumtenens, aliiq; principes & ordines dicunt quicquid hac in re, pro pietate & Christianæ religionis devotione, utilitatis & auxilii præstare poterunt, sunt, eruntq; semper ex animo paratissimi.

Ex quo autem hoc seculum in omni statu, tam Ecclesiastico, quam seculari, corruptissimos habeat mores, sintq; non tantum ex parte Lutheranæ sectæ, sed & ex aliis causis multi errores, abusus, & corruptelæ, quæ ita inoleverunt, ut istis opportunis remediis provideri summopere necessarium sit: ob id simulq; propter immensam tyrannidem crudelissimi Turcæ, qua multis jam annis Christianitati multa incommoda & calamitates varias intulit, hodieq; majora inferre molitur: nullum itaq; commodius, efficacius, & opportunius remedium Illustrissimus dominus princeps Locumtenens, cæteriq; principes, & ordines cogitare possunt: quam quod Beatitudo Pontificis, accedente ad hæc sacræ C.M. consensu, liberum Christianum Concilium, ad locum convenientem, in natione Germanica, quanto ocyùs & celeriùs, quoad fieri possit, videlicet vel in Argentoratum, vel Moguntiam, Coloniam Agrippinam, vel ad civitatem Metensem, vel alium convenientem locum in Germania indicere: nec ultra unius anni spacium (si possibile foret) hæc concilii convocatio & designatio differantur: & quòd in tali concilio cuique, qui interesse deberet, ecclesiastici vel laicalis ordinis, non obstantibus quibuscunq; juramentis & obligationibus, libere liceret loqui, & consulere pro gloria summi Dei, & salute animarum, proque Republica Christiana, absq; aliquo impedimento: quin imò quilibet ad hæc debeat esse obnoxius, ut non dulcia, sed vera & meliora consulat, summa cura & diligentia, per salutem animæ suæ, & absq; aliqua adulatione, doliq; vel fraudis suspicione. Verum quibus modis & rationibus interim & medio tempore, isti tumultus & populi errores poterunt pacari, intertenери, & compesci: maxima cura & diligentia illustriss. & serenissimus dominus Locumtenens, & alii principes consuluerunt: cùm minima pars isti' negotii ex hac medii temporis intercapedine pendeat.

p. 200.

Itaq; deliberaverunt inprimis, ex quo Lutherus, & aliqui illius sectatores in ditione ac territorio Illustrissimi ducis Friderici, Saxoniæ Principis Electoris, &c. agant: ob id Illustrissimus Princeps Locumtenens, & alii ordines Imperii, apud prædictum Principem Saxoniæ summa diligentia curare volunt, & per eundem Principem efficere sperant, ne Lutherus & sui sectatores aliquid amplius scribant edant, & typis excudi faciant, indubieq; sibi persuadent, quod prædictus Illustrissimus Princeps Saxoniæ, pro sua in religionem Christianam pietate, & in sacrum Romanum Imperium observantia & obedientia, ut virtute præditum deceat Principem Electorum, omnem operam in hac re sit adhibiturus.

Curabuntq; simul Illustrissimus dominus Locumtenens, principes, & imperii ordines, ut per omnem Germaniam cum divini verbi concionatoribus sive prædicatoribus diligenter agatur: ne in populum Christianum spargant, vel dicant ea, per quæ possit popularis multitudo ad tumultum vel rebellionem moveri, aut in aliquem errorem induci: sed quod nihil præter verum, purum, sincerum, & sanctum Evangelium, & approbatam scripturam, piè, mansuetè, & Christianè, juxta doctrinam & expositionem approbatæ, & ab Ecclesia Christiana receptæ scripturæ doceant, & prædicent: omniaq; illa omittant, quæ à populo doctis & sanct' ignorentur, quam sciantur, quæq; subtilius indagare, & ad imum usq; exigere, minimè expedit: nihilq; in populo per concionē disputationū moveant: sed quicquid controversiæ fuerit, usq; ad determinationē futuri Concilii reservēt.

Ordinabunt præterea Archiepiscopi & Episcopi, ac alii prælati, per suas diœceses viros doctos, probos, & in sacris literis peritos, qui prædicantib. fideliter & diligenter intendere debebunt. Et si quid ab illis vel erratum, vel minus idoneè dictum esse offenderint: piè, mansuetè, ac modestè eos corrigent, & informabunt in hunc modum: ne quispiam suspicari possit, ut veritas Evangelica per hoc impediri quæratur. Qui prædicatores, si tales monitores audire nollent, nec à suis ineptiis abstinere: debebunt per locorum ordinarios congruis pœnis coërceri & puniri.

Præterea in omnibus bibliothecis, & apud Typographos diligentissime, quantum possibile erit, providebunt: ne in futurum aliquid novi typis excudatur, maximè, ne libelli famosi neque publicè, neq; secreto vendantur. Et ordinabuntur apud omnes potestates, ut, si quispiam aliquid novi edere, vendere, vel typis excudere voluerit, pri' per aliquos viros probos, doctos & literarum peritos istud revideatur & recognoscatur: & nisi per eosdē admissum, vel approbatum fuerit, minimè vēdatur, excudatur, vel publicetur.

Et per hæc media sperant, quod hoc tempore poterit istis tumultibus, erroribus & offendiculis commodius mederi: ma-

ximè, ubi beatitudo Pontificis in istis gravaminibus congruam & debitam faciet reformationem, & provisionem, atque liberum & Christianum designabit concilium. Per hæc enim maxime satis fieret populari, & nunc fluctuanti multitudini. Et si hic tumultus tam illico in totum forsan per ista sedari non posset: nihil tamen dubitant, quod major pars istius per hunc modum ad tranquillitatem & pacem movetur. Indubiè enim multi probi & boni viri Christiani futurum, & proximè indicendum concilium magno desiderio essent expectaturi.

Postremò de presbyteris, qui matrimonium contrahunt: & de religiosis, qui, relictis monasteriis, ad seculum redeunt: de quibus Reverendiss. dominus nuncius Apostolicus etiam inter cætera meminit, considerant Principes & Imperii ordines, ex quo in legibus civilibus nulla pœna specialiter super his sit statuta, ob id congruum & justum ipsis visum est, ut tales per eorum ordinarios debita pœna, sacris canonum constitutionibus super hoc expressa, ut puta amissione beneficiorum, & privilegiorum, & aliis condignis pœnis puniantur, & coërceantur: & quod ordinarii illi à potestatibus secularibus in ista animadversione & punitione minimè impediantur. Sed quòd pro tuitione jurisdictionis Ecclesiasticæ eis auxilium & favorem impendant; & super his omnibus publica mandata & edicta faciant: ne quispiam ordinarios in punitione, & coërtione talium impediat: sed quando alios illi votorum transgressores in ditione & territorio alicujus principis vel potestatis secularis delinquerent: quod ex tunc debitis & congruis pœnis puniantur & coërceantur.

Postremò super his omnibus illustrissimus & serenissimus Princeps dominus Locumtenens, aliiq; principes & ordines vehementer, & ex animo iterum atque iterum orant: ut beatitudo Pontificis, simulq; Reverendus dominus Orator ista omnia non aliter accipere, & intelligere velint, quàm à bono, pio, sincero, & Christiano animo profecta, cogitata, & dicta esse. Nihil enim est, quod omnes isti principes & ordines tam ex animo velint, atq; cupiant, quam statum sanctæ catholicæ & Romanæ Ecclesiæ, beatitudinisq; Pontificis, felicem, incolumem, & salvam: ad cujus vota, desideria, & obedientiam, ut fideles filii se paratissimos offerunt, atque commendant.

Replicatio Pontificii Oratoris.

Serenissime Cæsareæ M. Locumtenens, Reverendissimi patres, Illustrissimi Principes, & totius sacri senatus Cæsarei ordines amplissimi, quum pridie mihi longo tempore expectanti, datum fuerit tandem à vobis responsum in re Lutherana: volui illustrissimis dominationib. vestris non solum verbo, sed & literis indicare, quam parum mihi illud satisfaciat, & per subsequens Pontifici maximo, ac universæ Christianitati sit minus satis facturum. p. 201 Et omissis multis quæ de pietate, fide, & observantia vestra erga sanctissimum dominum nostrum, & sanctam sedem Apostolicam in proemio vestri responsi habentur, de quibus tamen nomine suæ sanctitatis vestris illustrissimis dominationib. gratias ago, veniam tandem ad ea, quæ suppletione, correctione, & declaratione indigere videntur, reliqua prout stant, quatenus placeant sanctissimo domino nostro, acceptanda.

Et primò, quantum pertinet ad id, quod Illustrissimæ dominationes vestræ dicunt, & se excusando afferunt: quod attento, quod populis Germaniæ sit persuasum, quod ipsis multa gravamina à curia Romana sint illata, & ab ipsa multa scandala & incommoda indies patiantur; non fuisse visum sibi, expedire, ut sententia Apostolicæ sedis, & Imperiale Decretum debitæ executioni mandetur, ne inde contingat, peiora & acerbiora mala provenire. Ad hæc replicatur, quod nec sanctissimus dominus noster, nec Cæsarea majestas, nec ullus Christianorum principum expectavit unquam, tale à vobis responsum in hac re dari.

Nam si Lutherus ante sententiam Apostolicam, tot clarissimorum virorum ac universitatum judiciis fundatam, & denique ante Cæsareum Decretum, ipsiusq; edictum erraverat in uno: post eandem sententiam & Decretum erravit in longè pluribus, & nihil reliquum fecit, quò minus tota orthodoxa religio à fundamentis eversa sit. Quapropter, quum pœnæ debeant commensurari delicto de jure attento, quòd indies magis cum suis sequacib. erravit, & errat, ut notorium, debent pœnæ ipsæ augeri, atq; gravari, & non diminui, prout ex præsenti vestro decreto fit.

Et quantum ad responsum ipsum, ex quo inprimis offenditur divina majestas, cujus causa tam segniter curanda proponitur: offenditur Pontificis & Apostolicæ sedis dignitas: offenditur postremò Imperialis culminis celsitudo: quorum Decreta & ordinationes tam impunè suspenduntur, abrogantur, deprimunturq;: offenditur & pariter communis honor vester, quum omnes unanimes interfueritis eidem imperiali Decreto decernendo, & vestram autoritatem præstando.

Nec satisfacit illa ratio, quòd, propter scandala evitanda, dicta Apostolica sententia, & Imperiale edictum exsequi non debe-

debeant. Nam non sunt toleranda mala, ut proveniant bona: & magis sunt curanda ea, quæ pertinent ad animæ, quam quæ ad corporis salutem. Neque videntur excusandi, qui Lutherum sectari velint, quod propter sibi inflicta scandala & gravamina à curia Romana (etiamsi verum illud esset) deberent ab unitate catholicæ fide propterea resilire, & in profundum malorum se præcipitate. Nam omnia potius mala deberent æquo animo & patienter sustinere, quam se & animam suam, cum periculo in præcipitium dare.

Et si illud in omni tempore præstare debuissent, quanto magis deberent resipiscere? quum intelligant, Deum optimum maximumque, dedisse Ecclesiæ suæ sanctæ pastorem optimum: pastorem, inquam, sanctissimum, eundemq; Germanum, qui non solum universam Ecclesiam sit curaturus & instauraturus, sed etiam Germaniam suam ad pristinam pietatem restiturus, ac pluribus & insignib. donis, in his quæ honeste poterit, illustraturus.

Quare, Principes Illustrissimi & Excellentissimi, vos tantis affectibus rogo, & vehementer obtestor, ut his rationibus verissimis adducti, verissimis adducti, velitis, antequam hujusmodi celeberrimus vester conventus dissolvatur; omninò statuere & firmiter deliberare, quod eadem Apostolica sententia ac Imperiale edictum exequatur, & executioni mandetur, sine aliqua diminutione: quum ex hac magna pars, quin imo tota Germaniæ salus dependeat. Et si in aliquibus Germani populi (ut asseritur) sunt à curia Romana gravati, illud declarent: Nam semper Apostolica sedes, quæ est mater piissima omnium oppressorum, parata erit illos sublevare, & pro viribus juvare & tueri.

Quo ad seditiones & discordias, quæ sunt inter Ecclesiasticos & seculares principes Germaniæ, pacandas, ac ad articulos dandos eosdem moderandos, respondetur: quod sanctissimus dominus noster, ubi, eas seditiones & discordias intellexerint, pro officio humeris suis incumbenti, curabit, ut omninò componantur & exstinguantur, quum non minus habebat juris in filios suos & Ecclesiæ temporales principes, ac in eosdem Ecclesiasticos. Pariformiter moderabitur inter omnes, ut unusquisq; habeat quod suum est, & neutri injurietur.

Quoad Annatas, non persolvendas *Romæ*, sed in Germania retinendas, pro sustentatione Imperialis gubernii, reservatur responsio ipsi Pontifici: quæ dabitur vel Imperiali regimini, vel futuro principum conventui, prout magis expedire suæ sanctitati videbitur.

Quoad consilium, quod datur per Illustrissimas dominationes vestras, quòd attentis legitimis causis, quas adducunt, sanctissimus dominus noster debeat convocare œcomenicum generale Concilium, replicatur: quod illud speratur non debere displicere suæ sanctitati, ob omnes præcipuè illas causas: tamen petitur, ut illud Concilium aliis verbis magis idoneis reformetur: & quòd tollantur ea, quæ possent aliquam umbram facere suæ sanctitati: prout est, quod sua sanctitas debeat convocare Concilium de consensu Cæsareæ majestatis, quod sit liberum: & quòd relaxentur juramenta: item quòd ponatur magis in una civitate quam in alia, & similia, &c. Quia nisi tollerentur ista, videretur sanctitati suæ ligari manus per illustriss. *D.* vestras; prout in voce declaratum.

Quoad prædicatores, qui in posterum fidelibus habebunt prædicare verbum *Dei*, replicatur: quòd servari debeat illud: quod sanctissimus D. noster nuper piè & sanctè statuit & ordinavit, de venerabilium fratrum suorum consilio & assensu. Quod est, ut (stante ista perniciosa secta in Germania) nullus deinceps possit prædicare verbum Dei per civitatem vel diœcesim alicujus: nisi ille talis prius fuerit examinatus per Episcopum, vel officialem suum, de doctrina & sufficientia sua, & eadem fuerit ab eo approbata, vel pro pia & Christiana reputata. Et pariformiter, nisi ille talis fuerit ad munus prædicandi per eundem Episcopum, vel suum officialem institutus, qui habeat etiam illum amovere & castigare, quando à recta via ceciderit. In cæteris placet, quantum de dictis prædicatoribus per illustrissimas D.V. quòd prædicent Evangelium cum interpretatione scripturæ, quæ fit per Ecclesiam approbata. p. 202.

Quoad impressores & venditores, seu alios divulgatores Lutheranorum librorum, & aliorum, qui sectam suam sustinent ac fovent, replicatur: quod nullo pacto placet data responsio, quòd curabunt illustriss. dominationes vestræ providere quantum possibile erit, ne tales libri imprimantur vel vendantur, &c. *Sed* dico, in hoc, prout in aliis totaliter deberi exequi sedis apostolicæ & Imperialis celsitudinis sententiam, id est, quod libri impressi & imprimendi comburantur: imprimentes verò & vendentes, sua aliâs invulgantes dictos libros, juxta easdem sententias puniantur. *Et* in hoc maximè, peto, debere adverti. Nam in hoc stat tota vis, pro ista perniciosa secta comprimenda, ne tales libri amplius inveniantur. Nam ex illorum lectione omnia hæc mala profecta sunt.

Et quantum pertinet ad id, quòd nullus poss

possit in posterum libros novos imprimere, nisi illi tales libri prius videantur, & examinentur per aliquem virum doctum, dico: in hoc non debere recedi à constitutione moderni concilii Lateranensis, quæ jam est in usu, & est, ut nullus, sub pœnis in ea contentis, possit aliquos libros imprimere, nisi per ordinarium Episcopum loci, vel eius officialem tales libri lecti & examinati, ac pro Christianis reputati & habiti sint.

Quoad clericos, qui uxorem ducunt, replicatur: quod illa, quæ pro responsione scripta sunt, non displicere videntur, quando in cauda aculeum non habeant. Propter quod petuntur illa verba declarari, quæ sunt in fine capituli dicti responsi sub eisdem verbis: Sed quando alios illi votorum transgressores in ditione & territorio alicuius principis, vel potestatis sacularis delinquerent, quod ex tunc debitis & congruis pœnis puniantur, & coërceantur, &c. dico: quod, si talia verba intelligi debent secundum prædicta, id est, quod tales puniantur à suis judicibus Ecclesiasticis, bene stant: sed si referantur, quod seculares principes vel potentes, illos punire debeant: in hoc dico, & instantissimè peto, tale responsum, ut puta, contra libertatem & jus Ecclesiæ, omninò corrigi debere, & reduci ad verum sensum.

Nam si Principes seculares auderent tales judicare, & in eos jurisdictionem exercere: esset ponere falcem in alienam messem, & tangere eos, qui sunt peculiariter Christo reservati: nec, ob transgressionem voti seu apostasiam, præsumant credere principes, tales ad suam potestatem vel jurisdictionem devolutos esse, si delinquant in suis dominiis vel territoriis, cum propter talem transgressionem, vel abusum ordinis sui, non desinant propterea esse de jurisdictione Ecclesiæ: quia, cum remaneat illis character & ordo, semper sunt in ejusdem Ecclesiæ potestate. Vnde in tali casu, quòd in dominiis Principum delinquant, ipsi Principes denuncient illos suis Episcopis, vel aliis superioribus, qui eos castigent, ac corrigant: & si opus fuerit, pro viribus suis dictos Episcopos seu superiores brachio suo juvent, & aliis præsto sint.

Super quibus omnibus & singulis petitur per me nuncium Apostolicum, habita matura deliberatione, ab illustrissimis dominationibus vestris melius, clarius, sanius, & consultius responderi.

Quamvis principes & reliqui ordines Germanicæ nationis iterum pro verbis verba dare potuissent: quum tamen aliis magis necessariis occupati essent negotiis, Pontificium Oratorem priori responsione contentum esse jusserunt, donec gravamina nationis Germanicæ summo Pontifici transmissa forent, ac inde manifestum fieret, num verba eius tam blandè facta, etiã debite secutura essent.

Anno igitur 1523. in comitiis Norimbergensibus sequentia centum Gravamina Pontificis Adriani legato ab OMNIBVS TAM PAPISTICIS QVAM LVTHERANIS Imperii Ordinibus exhibita fuerunt, cum seria obsecratione, ut emendatio illorum fieret.

Gravamina Germanicæ nationis, cum remediis & avisamentis ad Cæsaream Majestatem, in duos libellos distinctim divisa, eoq; ordine & modo, quo prius impressa fuere.

Gravamina nationis Germanicæ & sacri Romani Imperii decem.

1. Quod ad servandas bullas, pacta, privilegia, & literas ab antecessorib. absq; omni derogatione concessas, successores Pontifices teneri se non arbitrantur: imo per crebras dispensationes, suspensiones, revocationes, ad cujuscunq; (etiam vilis) personæ instantiam contraveniunt.

2. Quòd electiones Prælatorum quandoq; reiiciuntur. p. 203

3. Quòd electionibus præpositurarum, quas quarundam Ecclesiarum capitula multo ære impetrarunt, contravenitur: Spirã scit & Hasela, cujus bulla de eligendo præposito enervata est, eo adhuc superstite, qui dederat.

4. Quòd beneficia & dignitates majores Cardinalibus & protonotariis reservantur.

5. Quòd expectativæ gratiæ absq; numero conceduntur, & multæ interdum ad unum collatorem. Vnde surgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur. Tum illæ, quæ pro bullis gratiarum (quæ nunquam affectum sortientur) expositæ sunt. Tum illæ, quæ pro litibus deducendis consumuntur. Inde apud quosdam ortum est proverbium: Quisquis gratiam expectativam ab urce extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in cistam simul ad ipsam gratiam reponat; quibus ad prosequendam litem opus habebit.

6. Quòd annatæ absq; dilatione & sine misericordia (etiam Episcopis intra paucos annos mortuis) exiguntur. Interdum plus, quam debeatur, extorquetur, propter nova officia, & novos familiares. Exemplum de Moguntina & Argentinen. Ecclesiis.

7. Ecclesiarum regimina minus dignis (Romæ videlicet) committuntur, qui ad mulos magis, quam homines pascendos & regendos essent idonei.

In-

8. Indulgentiæ novæ cum revocatione aut suspensione veterum (laicis contra clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias conceduntur.

9. Decimæ sub prætextu expugnandorum Turcarum exiguntur, nulla expeditione subsecuta.

10. Causæ, quæ in Germania (in qua & docti & justi iudices sunt) terminari poterant, ad tribunalia Romana indistinctè trahuntur. Quod Sanctus Bernardus, ad Eugenium Papam scribens valde reprobare videtur.

Remedium contra gravamina nationis Germanicæ.

Si Cæsareæ Majestati consultum visum fuerit, proponatur summo Pontifici, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, quod grave, imo intolerabile sit nationi Germanicæ, amodò tantas expensas & molestias pati, tantas pro confirmatione Archiepiscoporum & Episcoporum inferre annatas, præsertim, quæ in Episcopatib. quibusdam successu temporis auctæ, in quibusdam duplicatæ esse dicuntur.

Nam sedes Moguntina (ut dicitur) olim solum dedit decem millia florenorum. Quæ cum quidam illic electus dare renueret, sicq; usq; ad mortem suam persisteret, electus post eum confirmationis cupidus, se opponere timuit sedi Apostolicæ, offerens antiquam summam, purà decem millium florenorum: is nec confirmationem impetrare potuit, nisi & reliqua decem millia simul redderet, quæ adhuc extabant, à suo prædecessore nondum persoluta. Sicq; cogebatur dare viginti illa florenorum, quæ tunc indubiè in registrum cameræ signata sunt, & usq; ad nostram ætatem à singulis Archiepiscopis exacta: & nedum viginti millia, sed & viginti quinque, propter nova officia, & novos Pontificum familiares.

Tandem excrevit summa usque ad viginti septem millia: quæ Archiepiscopus Iacobus cogebatur nuper persolvere, ut retulit Vicarius in spiritualibus Moguntinus: sicque vita unius hominis septies viginti quinque millia à solo Archiepiscopatu Moguntino, pro confirmatione Archiepiscopi, Romam pervenerunt.

Et cum Archiepiscopus Iacobus vix quatuor annos sedisset in Archiepiscopatu, mox post eum electus dominus Vriel, ad minus viginti quatuor millia coactus est persolvere: quorum partem mutuò forsan accipit à mercatoribus, sed ut illis satis faciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos, & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum satisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio, à suo prædecessore Iacobo impositæ.

Sicq; non solum eviscerantur nostrates, & ad extremam inopiam rediguntur (de qua reverendissimo domino Bernardino sanctæ crucis Cardinali, & nuper legato, constat) verum etiam incitantur ad rebellionem, & quærendam utcunque libertatem: & ubi possunt, inter se susurrant de sævitia in clerum.

Admonendus etiam videtur summus Pontifex, quod per varia bella terræ Germanorum passim desolatæ sunt, ac per crebras mortalitates numerus viventium diminutus. Sicque ob paucitatem cultorum, agri pro magna parte inculti jacent, & ipsa telonea diversis eventibus attenuata, & venæ minerales exhaustæ sunt, pereuntque indies proventus, ex quibus Archiepiscopi & Episcopi (aliis etiam honestis & necessariis impensis gravati) sedi Apostolicæ annatam persolvere possint.

Non sine causa Iacobus Archiepiscopus Moguntinus jam ferè moriens dixit, se de morte sua non adeò dolere, quam ob id, quod subditi sui pauperes, iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur. Mitius ergo summus Pontifex, velut pius pater, filiorum suorum amator & fidelis ac prudens pastor, cum filiis suis Germanicæ nationis agat, ne propediem vel in universos Christi sacerdotes persecutio suboriatur, vel instar Bohemorum plerique ac Ecclesia deficiant Romana.

Mitius saltem agat, quotiens Archiepiscopus aut Episcopus ad paucos annos rexerit: sicut de Episcopis Bambergensibus accidit, quorum tres intra paucos annos mortui sunt. Quid de aliis multis Episcopatibus? Siquidem Germania (Ænea Sylvio teste) supra quinquaginta Episcopatus habet. Quid de Abbatibus? quorum aliqui Romæ confirmantur. p.2.04

Esto, quòd in Germania majores essent ex agris, ex mineris, ex teloneis obrentiones: indigeret tamen Cæsarea Majestas & cæteri principes, thesauro & nervo belli, contra hostes, præcipuè infideles, & ad conservandam in Germania pacem, atque ad justitiam unicuique ministrandam: ad quod Consistorium Regalis Cameræ, cum magnis impensis sanctè institutum, maximè deservit.

Præterea opus habet Cæsarea Majestas pecuniis ad comprimendos Imperio rebelles, & ad exterminandos sicarios atq; latrones: quorum nonnulli Ecclesiis nocere, earum bona diripere, imò in clericorum personas sævire atque grassari non erubescunt.

Demum natio nostra non solum pro reparatione Ecclesiarum & monasteriorum, auro indiget & argento, sed etiam pro hospitalibus, pro pueris expositiis, pro viduis, puerperis, pro orphanis, pro filiabus pauperum (ne stupro cadant) de-

desponsandis, pro domestica inopia laborantibus, pro annosis & effœtis, pro valetudinariis, ac pro postulatis, quorum (proh dolor) plena est Germania, alioquin etiam populosa, uti sexum minimè fastidiens muliebrem.

Avisamenta ad Cæsaream Majestatem.

Sicut regnum Franciæ pragmaticam habet sanctionem, (cui in conferendis beneficiis innititur) sic imperium Rom. habet concordata Principum: utque ea illæsa conserventur, interest Cæsareæ Majestatis. Rarò tamen hactenus per summos Pontifices violata sunt: & auditores Rotæ juxta illa huc usque feruntur judicasse. Et si quis Curialium per quamcunque dispensationem conaretur illa infringere, quod Episcopus, vel Princeps, vel Senatus ejusdem loci (principiis obstando) in faciem ei concordata inculcaret, piè exhortans, ne contraveniat, quoniam audacia sua sustineri nequaquam posset, cum & Turcæ & Iudæi pacta fidemque servent: quis curtisanorum, tam insolens aut stultus est, ut contra voluntatem Episcopi, Principis, aut totius alicujus communitatis in aliqua civitate habitare præsumat?

Posset etiam Cæsarea majestas per literas aut oratores facilè in regno Franciæ experiri, quomodo illic beneficia conferantur, & quam authoritatem in conferendis beneficiis habeat summus Pontifex. Secundum hoc posset moderamen fieri in Imperio Rom. & frenum inexplebili avaritiæ Curtisanorum adhiberi.

Si Præclaræ Vniversitates, præcipuè facultas Theologica Parisiensis, approbaverit modum illum, qui de disponendis & conferendis beneficiis in Francia servatur: nemo dubitet, Cæsaream majestatem & Principes Germanos, si se isto modo confirmaverint, apud Deum tutos fore & excusatos. Præsumendum enim est, quod tanti Prælati, tanti doctores, tam probati viri, qui in regno Franciæ ac in studio Parisiensi vivunt, nihil approbent, quod contra Deum aut contra justitiam committeretur.

Provideat tamen Cæsarea Majestas, ne Archiepiscopi electores in hoc sancto instituto à se dissentiant, sibique non adhæreant, propter censuras Apostolicas, quas timebunt: & populus interdictum diu non sustinebit.

Provideat etiam cæsarea Majestas, ne fratres mendicantes contra ipsam prædicent, qui sedi Apostolicæ libenter deferunt, timentes perdere privilegia sua, utinam Christo & naturæ innixa: quumvis justissimam causam dudum habuissent, contra tantam avaritiam, tantosq; abusus prædicandi.

Timeat Cæsarea Majestas, ne Papa mandet electoribus, ut ad electionem novi Regis Rom. procedant: sicut contra Fridericum secundum Landgravius Thuringiæ, & Guilhelmus Hollandiæ comes (jubente Papa) fuerunt electi.

Timet Cæsarea Majestas omnes Prælatos Ecclesiarum, præcipuè præpositos; qui ex juraméto tenentur avisare Papam;

Timeat Cæsarea Majestas, ne S. D. N. Papa obedientiam à subditis auferat, & circumiacentes populos provocet, ut in terras Cæsaris seu Archiducatus Austriæ irruant, quod isti homines, sub colore obedientiæ, Apostolicis mandatis præstandæ, promtissimo animo sunt facturi.

Timeat Cæsarea Majestas censuras Apostolicas, à quibus sanctissimus dominus noster papa non abstinebit.

Timeat Cæsarea Majestas, ne Papa argutissimis locis rudi populo persuadeat, contra pragmaticam, seque excusans, simplicium benevolentiam captet: allegaturus, quoad Ecclesiam, sive patrimonium sancti Petri pertinentes, ad quod ex officio teneatur. Circumspiciat ergò, & deliberet Cæsarea majestas, qualiter sapientissimo suo consilio omnibus illis Romanorum subtilitatibus (si necessitas exegerit) sit responsura.

Conclusio, & pia exhortatio ad Cæsaream Majestatem. p. 205.

Nihil sanctius, nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoria dignius efficere poterit Cæsarea majestas, quam ut tantas Germanicæ nationis molestias & exactiones moderetur, ut laicis clerum persequendi occasionem auferat, ut parochias (quarum aliquas Episcopatus Italicos æquare Æneas scribit) ex faucibus Curtisanorum eripiat, eisque frenum imponat: ut jus patronatus laicorum in utrisque, & nominationes canonicorum, collationesque Ecclesiasticorum in ordinariis mensibus conservet: ut multorum illustrium, nobilium, & civium filiis in Germania consulat, qui in Vniversitatibus ab adolescentia divinas & humanas literas discunt, ut & ipsi extra curiam Romam absq; inquientissimis vexationibus, sumtuosissimisque, interdum etiam indignis litibus ad præbendas Ecclesiasticas ascendant: qui & Imperio Romano consiliis, & toti Ecclesiæ, orationibus suis opem ferre possint.

Neque enim minima causa est, cur tantoperè floreat Franciæ regnum, nisi quod tantos tamq; præstantes in omni bona doctrina viros multos habet.

Si Cæsar hanc impietatem enervaverit si Germaniam tributo gravi oppressam in pristinam libertatem vendicaverit, si doctis & honestis ad præbendas aditum fecerit:

cerit: tum verè liberator Germaniæ, libertatisq; restitutor, tum verè pater patriæ, perpetuo ab omnibus passim poterit appellari: nec minorem sibi gloriam, Germaniæq; fructum afferet, quam si pro vinciam aliquam bellicis ei viribus adjecisset. Sicq; non minores uni Maximiliano gratias debebit, quam his omnibus, qui à translato ex Græcis in Germanos imperio, multis antea temporibus regnaverunt.

Gravamina sedis Apostolicæ, non ferenda Germanis, ac primum de Dispensationibus ære redemtis.

1. Inter reliqua onera, vel illud minimè postremo loco est collocandum, quod constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta sunt vel imperata. Quod genus sunt matrimoniorum tam innumera excogitata obstacula, ex affinitatis, publicæ honestatis cognitione spirituali legaliq; & consanguinitatis tam multis gradibus originem trahentia. Ciborum item usus interdictus, quos Deus tamen ad hominis necessitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiscuè sumendos Apostolus docuit.

Hæ nimirum, atque his similes complures humanæ constitutiones, eò usque ligant homines, donec pecunia sibi harum legum gratiam à statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis prohibitum. Illicitisq; his legum ac constitutionum humanarum retiaculis, non modo magna nummorum copia à Germanis expiscata, è Germania & trans Alpes lata: sed & maxima inter æque Christianos orta iniquitas, plura offendicula, simultates, dum tenues hisce laqueis vident se illaqueari, non ob aliud, nisi quod spinas Evangelicas (ita enim Christus divitias non semel appellat) non possideant.

De tempore interdicto.

2. Pari modo agitur etiam cum celebrandis nuptiarum solennibus, à Dominica septuagesima, qua cantatur in Ecclesia, Circumdederunt me. &c. sub Quadragesimæ usq; initium, quo tempore ab Ecclesiæ Romanæ Primoribus undique nuptias celebrari interdictum est: cum tamen interim & ab Ecclesiasticis & à secularibus passim sine discrimine publicè, genialiter vivatur. Sed ita demum interdictum illud procedit, si gratis hoc facere quis intendat. Quod si nummi spes refulserit, jam quod primum erat prohitũ, impune ac libere facere licet. Est enim & hoc grave Germanorum crumenis retiaculum, quo extrahuntur nummi. Nec minus interim gravamen, quod pauperis divitisq; longe diversa in relaxandis his constitutionibus sit conditio.

De oneribus Papalium Indulgentiarum.

3. Illud importabile jam olim increbruit Romanarum indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus nimiumque credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè majoris est faciendum, per has imposturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata est Germana Christianorum pietas, dum, qui extrudere volebant venales suas bullas, laudes suis mercibus occinebant, miras & inauditas condonari per emtitias has condonationes, nedum noxas præteritas, aut futuras viventium, sed & defunctorum vita, existentium in purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentiarum) igni, modo numeretur aliquid, modò tinniat dextera. p.2^5.

Atq; his mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta: quando quilibet pro precii, quod in has merces expenderat, modo peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt.

Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando, sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum, ære, licet immodico, comparari posse à nundinationibus illis indulgentiariis, semel persuasum habent? maximè Germani, quib. per hos veræ pietatis fucos, sub religionis persona, nihil persuaderi difficile est: ut ingenio plane ad pietatem credulo est Germania.

4. Et licet indulgentiæ hæ non semel in hoc ad Germanos missæ sint, quasi ex corrasa earum venditione pecunia, fideles contra Barbaros essent tutandi ac defendendi. ac eventu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reipub. Christianæ necessariam, sed in propinquorum luxum, ac sublevandam familiam ipsorum esse versam, quo uno bina hæc nata sunt perquam maxima incommoda, quod & offendicula orta sunt simplicibus, & quod nunc Germani, toties sentientes lusam fidem, cum verè jam res postulat, ut contra Turcas instituatur expeditio bellica, nullis rationibus persuaderi se patiun-

patiuntur, ut credant, quod res ipsa ferè notorium facit, ita scilicet instare cervicibus nostris crudeles Turcas, suspicantes semper, prioribus simile quippiam agi. Quæ una ratio est, ut tam ægrè manus contra Turcas jungant.

Quantorum ergò malorum, & in rebus temporalibus ac Christi fidelium conscientiis, causæ fuerint Romanæ indulgentiæ, sanctitas Apostolica pro sublimitate captus sui, exigua opera, vel inde, si non ex re ulla alia, conjectura consequi poterit.

5. *Præterea* Papalis sanctitas, cæteriq; Episcopi, ac Ecclesiæ Romanæ columnæ, casus aliquot suæ tantum absolutioni reliquos fecerunt, quorum si unum aut alterum commiseris, jam aut numerandum, aut absolutione tibi carendum est: nempe quod in hoc reservati sint, ut vel inde nummorum aliquid eis accrescat. Quod ex eo conijcere licet, quòd in casibus etiam quantumvis pro tempore honestis aut necessariis, nunquam tamen, nisi numeretur aliquid, dispensant. At si nihil attuleris, numeraverisue, indispensatus perpetuò maneas, oportet.

6. Verum, si quis, unde numeret, habet, jam nedum præsentes indulgentur harum constitutionum transgressiones, sed & in futurum impunè, ut eas ipsas transgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, ut ansam inde accipiant ij, cum quibus ita dispensatum est, peierandi, homicidia, adulteria & similia flagitia perpetrandi: quando quilibet ex sacerdotum vulgo absolutionem emtitiam, virtute indulti, his impartiri potest. Quæ malorum seges tota ex habendi libidine, auriq; sacra fame, qua nunc ecclesiasticorum non nulli miserè excruciantur, originem ducit.

De prædicatoribus Indulgentiarum Stationariis.

7. Est & aliud Indulgentiis vendendis addictum hominum genus, quos Stationarios vulgò vocant, hi rusticorum plerunque abutuntur simplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaque peragrant castella & oppidula, prædicantes sancti cujuspiam, Valentini puta, Huperti, Cornelii, Anastasijue sanctimoniam: ac quantum ad rem familiarem addat, si quotannis hunc vel illum munusculo aliquo, quod eis, Stationariis scilicet, in commodum cedat, demulceas. Inscribentesq; de hinc simplices sub sancti alicujus numen ac tutelam, promittentèsque, ut hoc aut altero morborum genere vacaturus sit, qui eis annuum censum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata sunt, ut simplices illi ad vivum usq; exugantur.

Nam primum hoc negocium à sancto Antonio cœptum, in innumera morborum genera de hinc assueuit diduci: ita ut vix supersit morbus nunc aliquis, cui Stationarii non & peculiarem sanctum, tanquam tabernæ vel negotiationi, præposuerint. Processitq; eò usque eius mali serpigo, ut pauperum ac simplicium illorum Quæstuarii, ac Stationarii prædicatores, sanguinem vorent & medullam: dumq; illi una cum liberis suis necessariis spoliantur, in deliciis & luxu plus quam Sybaritico degunt *Stationarii*.

Quæ res & inprimis præsentem sibi sanctitatis Apostolicæ medicinam postulare videtur, quò interdiceretur Episcopis, cæterisque Ecclesiæ primatibus, ac eorum vicariis, ne pro legationis seu functionis hujus admissione quippiam posthac acciperent precii, néue eas omnino tolerarent amplius aut quantum per eos staret, paterentur.

8. Nec minus & in hoc à religiosis gravantur prophani, maxime pauperes, quibus res est angusta domi: nempe, quod mendicitas ordinum mendicantium nihil in rure, neque in urbe sinit non paragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur. Quas quidem pervagationes contra ordinis eorum statuta p. 207 neque etiam ad necessitatem, per avaritiam insatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit, ut cum in oppidulo aliquando non admodum celebri, sed perexiguo, duo, tria, aut eo amplius illorum sint conventicula, in quæ omne, quicquid eleemosynæ undique disquiri potest, confertur, dum tamen interim morbo aut senio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & sudoribus suis una cum uxoribus & liberis honistè vixerant, egeant, ac fame & inedia perire necesse habeant.

Itaque rogant sanctitatem Apostolicam imperii Principes, cæterique status quatenus sanctitas sua, paterno animi affectu, offendicula & gravamina hæc Indulgentiarum, dispensationum, Stationariorum, Terminariorumque, è medio tollere, atque ita negocium temperare velit, ne libertas Christiana servitute humanarum constitutionum penitus extinguatur, illaqueenturque conscientiæ Christi fidelium mandatis hominum, qvibus nullum est peccatum majus, quàm nummis carere. Non ultrà enim quicquam prohibent, quam si gratis contravenire quis velit, & dispensant illicò, quod prohibuerant, numerata scilicet pecunia ampliore.

Verum, quod sincerius cum fidelibus Christi, tanquam cum suis ovibus agatur: instruanturq; potius ad pietatem & charitatem mutuam, ex jussione Christi, quam ad observationem cuiusuis traditio-

dictionis humanæ, formidine pœnæ. Ac si errare eas aliquando labique contigerit, moveantur & subleventur potiùs fraternè, quàm ita serviliter ac durè tractentur. Quo omnibus paulo notius fiat, pastorem cupere potiùs & quærere salutem ovium, quàm privata compendia, ac earum lanam.

Quàm iniquè causæ prophanæ in prima instantia ad Romanum tribunal iudiciarium trahantur.

9. Cum nedum juris ratio, sed & reipsa series postulet, ut distincti sint jurisdictionum limites, & ut quilibet Ordinarius suis sit finibus contentus, alterumq; in exercenda jurisdictione non disturbet: minimè tamen Pontifices Romani pro tempore existentes, æquitatem hanc communem consideràrunt, sed neglecta hac, ad petitionem personarum Ecclesiasticarum, laicos non rarò in causis etiam prophanis, puta hæreditatum, aut pignorum, & in prima quidem instantia, coram se Romam citari, ac in jus vocari fecerunt. Quæ res nedum ita (ut prædictum est) in jus vocatis, sed & totius Romani Imperii ordinibus, cedit in jacturam, perniciem, contemtum, ac jurisdictionis dehonestationem deminutionemque.

10. Item, cum Romæ quispiam, etiam laicus interposito juramento, asserit, se non sperare, justitiam apud judicem competentem in Germania assequi posse, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adversam decernitur. Sicque processus à judice ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adversa monita, protrahitur, inde juramenti prætextu, nec fori declinatio, nec ulla admittitur probatio, etiamsi planè doceri posset, authorem illum pejerasse. Quæ res si altius radices ageret, nec principiis resisteretur, omnes tandem causæ ad Romanæ curiæ tribunal devolverentur, ordinariique universi suà privarentur jurisdictione. Quod non solum contra omnem justitiam, sed etiam intolerabile foret.

Eapropter sacri Romani Imperii status Sanctitatem Apostolicam rogitant, ut prædictum onus in Romana curia posthac non tolerare velit: sed curare, ut dehinc nemo, vel Ecclesiasticus vel secularis, ob causam prophanam, in prima instantia, Romam in jus vocetur: sed personæ & causæ hæ ordinario judici, cui immediatè subjacent, relinquantur, ultraque hæc ampliùs contra æquitatem non graventur.

De Conservatoribus, ac cæteris Papalibus judicibus.

11. Item est & aliud judicum Papalium, per quos æquè ordinaria attenuatur jurisdictio, genus, quos conservatores vulgo vocant: eos Episcopi, cæterique Ecclesiæ Principes, ex primatibus vel Abbatibus suæ diœcesis, à sede Apostolica in hoc impetrare solent, ut coram his omnes illorum causæ & lites, quas jam instituere cogitant, dirimantur: evocentur que per hos in jus personæ seculares, nobiles & plebeij, in causis omninò prophanis, licet actoribus justitia per ordinarium tribunal nunquam fuerit denegata. Quod si vocati in jus ire recusaverint, ii contra jus ac fas ex communicatione, licet nulla, feriuntur: cujus rei innumera adduci possint exempla. Ac si, ut cœpit, negotium procederet, breviter rerum veniremus, ut omnes causæ prophanæ ad conservatores hos, cæterosque judices Ecclesiasticos, laicis nedum suspectos, sed & alioquin incommodos, pertraherentur. Quod ut est intolerabile Germanis Principibus, ita & aperta fronte cum sacri Romani Imperii pugnat constitutionibus ordinatis, quæ clarè & expressim volunt ac exprimunt, quod nemo alium ex ordinario ad incompetens tribunal in jus pertrahere debeat.

Quapropter Imperii Principes, Proceres, ac Status, sedi Apostolicæ supplicant, ut gravamina atque onera hæc radicitus funditusque tollantur & abrogentur. p. 208

De Papalibus delegatis ac commissariis.

12. Item sanctitas Pontificia ad Ecclesiasticarum personarum petitionem, judices delegatos & commissarios, tanquam Ecclesiasticos judices, per Germaniam concedere solet, ut impetrantes dehinc laicos, cujuscunq; etiam dignitatis vel præeminentiæ, coram ita delegatis in causis prophanis, judicio convenire possint. Quod ut de facto sæpenumerò præsumunt, ita excommunicationis pœna mandatam sibi inter partes jurisdictionem defendere conantur. Quæ omnia in perniciem personarum secularium, & in jurisdictionis Germanicæ ac ordinariæ jacturam vergunt, & attenuationem.

Quo pacto Ecclesiæ Prælati per sedem Apostolicam ex Episcoporum ordinaria jurisdictione, ac cæterorum suorum defensorum tutela eximantur.

13. Insuper & hoc moliuntur summi Pontifices, monasteria aliquot eximendo, ut ab Episcoporum, eorum scilicet ordinariis, ac defensorum protectorumque aliorum jurisdictione ita exemti, sedi

reddantur immunes, immediateque subjaceant sedi Apostolicæ: quæ res non tantum prædictis ipsorum ordinariis ac defensoribus, sed & toti Romano Imperio cedit in jacturam, cum, quando collatio pecuniaria pro Imperii necessitate, viritim Imperii statibus indicitur. Ita enim fit, ut ipsi per se ab oneribus publicis exemti, immunitate sua gaudeant. Dehinc etiam auxiliares manus Episcopis ac defensoribus suis, quod antehac facere necessum habebant, non porrigant: per quam technam Romani Imperii attenuantur nervi, ac decrescunt plus justo vires.

Quapropter & hîc Imperii Proceres ac Status rogant, præfata onera exemtionum abroganda, tollenda, emendandaque, ac monasteria hæc Episcoporum & defensorum ordinariæ jurisdictioni relinquenda, ut vel inde Imperium Romanum per sedem apostolicam enervatum, vires pristinas eò celeriùs recuperare queat.

De attenuatione juris, quod vocant, Patronatus.

14. Item, cum per mortes possessorum pro tempore beneficia vacare incipiunt, quorum jus Patronatus ad laicos, spectat, seu Ecclesiasticos, tum conantur & Papalis sanctitas & ejus oratores vel legati, juri huic derogare, hoc modo: ut conferant beneficia, ita vacantia Curtisanis, aut aliis, quibuscunque libuerit, ita ut patronis ipsius jus suum præsentandi per hoc adimatur auferaturque: ac interim hoc prætexitur à sede Apostolica, quasi præventioni hac in re sit locus, ut qui prior beneficium illud contulerit, quod hæc teneat collatio: licet patroni tempus quoddam habeant, intra cujus metas beneficia sua libere, & à nemine præventi, conferre possint. Eam ob rem patronis laicis & Ecclesiasticis ex fictitia hac præventione multa oritur jactura.

Quapropter sacri Romani Imperii Status sanctitatem Apostolicā rogitant, ut talia gravamina atque onera aboleantur: & posthac beneficia vacatura suo quæque patrono relinquantur: nec permittendum Curtisanis, ut dehinc vel per judiciorum ordinem, vel suopte ingenio ad talia beneficia se ingerant: sed statuto irrevocabili sanciendum, si quid à quoquam contra patronos beneficiorum ordinarios, prætextu imaginarii istius juris præventionis, ut præmittitur, fuerit attentatum, quod omne id nullius sit momenti, viribus careat, sitq; ipso jure nullum, cassum & invalidum.

De Ecclesiasticis, qui Romæ, vel inter eundum Romam, mortē oppetunt.

15. Item & tum Curtisanis, cæterisque (ut prædictum est) inhabilibus personis, per sedem Apostolicam, vacantia collata sunt officia & beneficia, cum familiares sanctitatis suæ, aut qui curiæ servirent, vel in anno (quod vocant) Jubilæo, inter eundum Romam, aut etiam Romæ agentes, mortem oppetiissent, tanquam si beneficia hæc sedi Apostolicæ essent commissa, recte atque feudorum collatio committitur. Nec consideratur à Pontificia santitate, talia beneficia vel officia de jure patronatus sint, nec nĕ, per quod Ecclesiæstici & laici patroni feudatarii, denuo etiam jure suo patronatus ordinario privati sunt & spoliati.

16. Quin etiam aliquando, cum ii, qui bonis aut multis præditi sunt beneficiis, Romam veniunt, à Curialibus Cardinalium tanquam officii gratia ad mensam invitantur dominorum suorum, inde clam adhibentur testes & notarius, quorum interventu conficiuntur instrumenta, quibus cum suo tempore probari possit, tales fuisse curiales Cardinalium, ac ideo beneficia eorum esse in perpetuum affecta. Quam doli ac fraudis res hæc sit plena, unusquisque bonus facile perpendere potest. p. 309.

Quo pacto, sub prætextu familiaritatis Papalis curiæ, multorum beneficiorum per Curtisanos impugnetur collatio, etiamsi possessores illorum longè antehac talibus fuerint beneficiis investiti.

17. Nec minus & illud factum huc usq; fuit, ut ultra prædicta omnia, quorundā magni pensi beneficiorum, sub nomine officialium vel familiarium Papæ & curiæ Papalis, per idiotas & alioqui inhabiles personas fit impugnata collatio: ac per illos conatum tentatumque, si quo modo fieri posset, ut beneficia hæc in commendas seu provisiones (ita enim ipsi vocant) verrere, ac censibus annuis obnoxia reddere queant: hinc prætendĕtes, reservationes, regressus pensiones, ac plura alia incompatibilia sibi in his competere. Quib9 technis ac dolis malis beneficia illa penitus exiguntur, enervantur, attenuanturque, cum perpetuo Romanæ curiæ pensionibus annuis serviunt: sicque, ut Germanorum, utcunque habilium, nemo unquam ad hæc aspirare possit.

18. Item, obviam veniunt & tum Germanis non ferenda a Curtisanis onera. Ita enim per germaniam subtili ingenio beneficia venantur, ut conentur viris presbyteris, ætate & integritate vitæ spectabilibus, qui beneficia sua absq; omni controversia, justo titulo, & bona fide, multos jam annos quiete possederant, in longæva

gæva possessione negotium facere, possessionem interturbare, ad Romanam curiam, personaliter ut compareant, in jus vocare, ac mille aliis artibus ita eos adigere, ut transactiones quantumvis iniquas inire necessum habeant, modò à Curtisanis ad pensiones annuas, reservata, & id genus alias præstationes.

Atq; hoc agunt Curtisani nebulones, non propria (ut fertur) authoritate, sed Romanorum suorum statutorum, ac regularum, quas vocant, Cancellariæ. Quæ cõstitutiones omnes quotidiè pro libidine Curtisanorum finguntur ac refinguntur, cum derogatur prioribus non admodum, ut videbatur, æquis, & fiunt iniquiores. Quare nedum senio confectis beneficiorum possessoribus, harum decipularum atque fraudum rudibus; sed & beneficiorum collatoribus imponunt mille instructi dolis Curtisani. Nam etsi possidens beneficium presbyter, cum Curtisano litigatore fictitio non transigat; tamen ita sibi litem facit præstigator ille Curtisanus, ut si, pendente efficta hac controversia, moriatur beneficii (ut prædictum est) litigiosi possessor, quòd dehinc continuò litem faciens, neglecto collatoris ordinario jure, in possessionem ejus beneficii mittatur.

Ea propterdenuò atque iterum sacri Romani Imperii status justas sanctitati Apostolicæ fundunt preces, velit enumerata omnia Curtisanorum importabilia onera emendare, ac penitus abrogare; néve illis posthac permittere, ut beneficia Germanorum libera, per machinationes præfatas, oppugnare impunè audeant.

Quomodo provisiones Ecclesiasticarum dignitatum Romam pertrahantur.

19. Item, quæcunque dignitates, seu beneficia pinguia, utpotè Præpositur æ, Decanatus, Cantoratus, ac cætera officia, Canonicatus Ecclesiæ curatæ, ac beneficia simplicia, quæ sub mensi ordinario, extra Romana mœnia vacare incipiunt, quorum antehac ad jus ordinarium, patronatus Ecclesiasticorum & laicorum spectabat collatio & electio, tunc excogitatur à Romana sede juris patronatus ab ordinariis collatoribus abalienatio, maximè si possessores pristini beneficiorum, aut officiorum, dignitatumve talium, familiares vel officiales Papæ aut Cardinalium fuerunt.

Ideò rogant Romani Imperii Status, prædictum etiam onus è medio tollendum, ac patronos collatores ordinarios apud collationem, electionem, præsentationem, & nominationem talium dignitatum ac beneficiorum, jura scilicet ordinaria, defendendos, ac defensos manutenendos. Nec curandum, utrùm familiares vel officiales Romanæ curiæ fuerint, qui beneficia hæc possederint; regressum, accessumve, aut aliud quoddam jus imaginarium ad ea habuerint, ita quod tale jus prætentum ordinario patrono ac collatori, nunc & posthac nullum faciat præjudicium, nullamque generat jacturam, sed per omnia jura ordinaria sinantur illæsa.

De regulis Cancellariæ Papalis, novis technis, & reservatis super casibus futuris. p. 210.

20. Adhæc Cancellariæ Romanæ regulæ, quas ad sua compendia subinde excogitare solent Curtisani, ac toties ferre & revocare, nec non & aliæ subinde novæ artes excogitari cœperunt, quibus beneficia Ecclesiastica ex Germania Romam eò facilius pertrahantur, aggraventurq; ita, uti, si Germanorum quispiam beneficiorum aliquod ambiat, id non aliunde, quàm ex Curtisanorum manu, magna numerata pecunia, aut pensione annua reservata, assequi possit.

Nec in hoc Curtisanorum inexplebilis auri sitis contenta quiescit, quin novas quotidie artes excogitent: qualis est & illa, cùm super beneficio aliquo vacaturo, duo aut tria millia aureorum ad futuros casus reservantur collatoribus ordinariis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, eorumque juri ordinario, ac ipsis denique Ecclesiasticis quàm secularibus, eorumque juri ordinario, ac ipsis deniq; Ecclesiasticis beneficiis in prægrande exitium, perniciem, attenuationem, & detrimentum.

Nam cum casus aliquis futurarum reservationum existit, assequiturque is beneficium, cui prius tot reservata erant super hoc millia, tum ad supremam opem, technas profectò inauditas confingunt, permutationum scilicet reservationem, subrogationem, reservantes sibi ingressum, accessum, atque alias id genus decipulas, quibus jus ordinarium collatorum ita exhauritur & attenuatur, ut aut nunquam, aut vix tandem post multorum annorum curricula patroni ac collatores ordinarii ad jus suum patronatus pervenire possint.

De Ecclesiasticis beneficiis, curatis & non curatis, in genere.

21. Nec minus & illud in Romana curia hucusq; observatum est, ut gratiæ & reservationes pectorales, mẽtales, generales & speciales regressus, accessus, incorporationes, uniones, & concordata, quod suis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniæ & privati lucri amorem, super beneficiis ac prælaturis, præsertim

per Germaniam, Curtisanis à sede Romana concederentur.

Neque hoc contentus fuit habendi sceleratus amor, quin & ea ipsa beneficia ac prælaturæ prædictæ, societatibus mercatorum potentum ære, cum onere census mediocris, sed ita, ut dehinc latius venderentur; conceduntur. Qua subtili practica atque techna factum est, quòd plurima, aut certè pinguium beneficiorum magna, si non maxima portio, ex Germanorum manu *Romam* est translata: qua beneficia hinc idiotis inidoneis, ac inhonestis etiam personis, non rarò sunt collata: & quidem nec *Germanis*, sed Barbaris, qui Germanam linguam neq; loquantur, neque intelligant: ut inauditum dictu hoc inde sit secutum, quòd ovibus Christi præfecti sunt pastores, quorum etsi oves vocem fortè audierint, non intelligant.

Verùm gravius etiam inde oritur Germanis onus, quòd cum beneficia hæc, & parochiales Ecclesias ipsi propria persona neque possidere, neque gubernare possunt (quod tamen pastoris officium inprimis sibi postulabat) nimirum, ut subditis parochialibus, & integritate ac innocentia morum, egregium de se præberent exemplum, ut oves suas, tanquam oves *Christi*, doctrina solida, syncera, ac ex puris Evangelii fontibus hausta, quantum ad salutem animarum ovium pertineret, ipsimet pastores pascerent: eorum neutrum per pastores illos subdititios curatur.

Primùm enim ipsi, qui beneficia hæc Ecclesiastica à mercatoribus, quo prædictum est, assequuntur modo, quia propria persona ad possidendum ea sunt minùs idonei: ideò hæc eadem aliis æquè, aut longè etiam, quàm sint, ad onus hoc inhabilioribus, pro annuo censu locant, non secus, atque census ac redditus annui ex agris locantur & emuntur, ut is demum habeatur emtor idoneus, qui pluris mercem licitaverit. Ita planè pro precii quantitate elocantur nunc per Curtisanos Ecclesiastica beneficia.

Dehinc cùm ferè fiat, ut majus precium annuum offerat, qui ad Ecclesiæ munus quàm minimum sit idoneus, evenit, ut conductitii illi pastores (an prædones rectiùs quis eos dixerit, dubium est) simplici Christi plebeculæ pro Evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas, ac ruderibus oppletas propinent lacunas, dum Legendas, quas vocant, Sanctorum, nec ab Ecclesia receptas, & Gentilibus fabulis, quàm Christianæ & Evangelicæ doctrinæ, similiores, ad populum Christi publicè in concione docent.

Quid enim aliud docerent indoctè docti, ac idiotæ illi, qui lanam magis quàm salutem ovium ut curarent, munus hoc Ecclesiasticum pecunia etiam non modica conduxerunt? ac mercenarii sunt, non (quod Evangelium abominatur) pastores. Ita enim fit, ut simplex Christi plebecula, per suppositicios hos pastores, à germana Christi fide, ac in Deû fiducia, in quibus sola requiescit animæ salus, ad hominum superstitiosa somni ac commenta, per quæ res familiaris mercenariorû conductitiorum potiùs, quàm Christi gloria, augeatur, ducatur, trahaturque: ac multiplicibus etiam exactionib. interim gravetur plebs Christi, quando hoc solùm curant conductores, ut ultra pensionem locatori pendendam, res ipsa eorum quoque reddatur lautior: expilaturque interea suis nummis ab exteris nationibus, unde nulla, nec mutua benevolentia aut gratiarum actio speranda ei est, Germania: quanquàm beneficia hæc non ad exteros, sed suos, hoc est, Germanos, ut pertinerent, primum fundaverit. p. 211.

Quapropter S. Rom. Imperii status obnixè quoque rogant, ut præfata onera ac gravamina, per quæ tam immenso pecuniarum cumulo spoliatur Germania, quæ hinc per Curtisanos malè prodigitur, radicitus ac penitus tollantur & auferantur, ita ut beneficia per Germaniam nemini, quàm natis Germanis, qui personaliter ea possideant (id quod & æquitas & honestas ipsa sibi postulant) posthac conferantur ac concedantur.

Quibus nexibus Archiepiscopi ac Episcopi à suis capitulis ob collationem beneficiorum sint adstricti.

22. Nec tantum beneficia ac parochiales Ecclesiæ Romæ, ob pecuniæ, favoris, aut familiaris consuetudinis amorem, indoctis, turpibus, ridiculis, ac offendiculorum plenis conferuntur personis: sed & simile quiddam ab Archiepiscopis & Episcopis committitur, qui per eorum capitulares congregationes ita obligantur, ut omnia præpinguia beneficia, curata ac non curata (quæ procul dubio à fundatoribus primum, ut ad doctos ac integros pertinerent viros, sunt fundata) capitularibus Canonicis, utcunque ad hoc inidoneis, conferre necessum habeant: qui dehinc talia beneficia simplicia ac curata, indoctis ac ludicris personis, modò quàm maximum pendeant censum annuum, elocant, æque atq; suprà de mercatorum societatibus dictum est: ita quòd possessores illi conducticii majorem partem ex illicitis exactionibus vivere, atq; ob id subditos eò amplius onerare coguntur.

Similiter & cû cæteris cathedralib⁹ collegiatisq; Ecclesiis, ac earû capitulis agitur. I.

item & per præpositos, reliquosque in dignitate conſtitutos agitur idem interim, dum ſua conferunt beneficia Eccleſiaſtica.

23. Præterea, qui pinguiora (ita ut prædictum eſt) habent beneficia, ac Eccleſias parochiales, utcunque annuas penſiones ampliſſimas ex locationis titulo à conductoribus percipiant, quibus redditibus à laicis fundatoribus beneficia hæc ampliter ſunt dotata, tamen com mittunt locatores, ut domus beneficiariæ, præ neglecta ædificiorum cura, penitus collabantur. Nihil enim aliud curant beneficiorum perſonati iſti poſſeſſores aut locatores, quam ut pecuniæ æquo majorem ſummam quotannis à conductoribus recipiant, ac eandem hinc in varios, ſed in honeſtos, illicitos, ac offendiculorum peccatorumque plenos uſus convertant, de ſalute & cura animarum, vel ſubditorum, vel etiam eorum, quorum ex marſupio vivunt, hoc eſt, fundatorum, prorſus apud hos nulla mentio, reſpectus (velut Megarenſium olim) plane nullus.

Eapropter S. Rom. Imperii Status ac Principes, & Proceres laici hic quoque ſupplicant, ſanctitas Pontificia velit eam offendiculorum ſylvam, turbatum rerum ordinem, ac onera hæc juſto graviora tollere, emendareque: ac Archiepiſcopos, Epiſcopoſque ab obligatione, qua ex promiſſionis prædictæ nexu tenentur, liberare, ſolutoſque reddere: ac edicto cavere, ne poſthac Archiepiſcopi & Epiſcopi talibus aſtringantur vinculis: ſed ut dehinc nulli beneficium Eccleſiaſticum, curam habens animarum, conferatur, qui non ſit doctrina, ætateque & moribus ad hoc idoneus: qui & honeſtam ac presbytero dignam vivat vitam, & qui ipſe propria illud poſſideat perſona: nec plura quidem, ſed unum tantum beneficium curatum, ſeu parochialem Eccleſiam, Chriſtiane, hoc eſt, ſine offendiculis ullis, ſed multo cum doctrinæ tum vitæ integritatis fructu adminiſtret.

De prælaturarum Commendis, ut vocant, & incorporationibus.

24. Item & illud hucusque notorie obſervatum fuit, ut Abbatiæ multæ, cœnobia item plura, ac reliquæ id genus domus, ſeu Eccleſiaſticarum perſonarum congregationes, fundationes ſcilicet Imperatoriæ ac Principales, Cardinalibus, Epiſcopis, ac cæteris Prælatis, in tutelam commendarentur, incorporarenturque. Qua re factum eſt, ut per Cardinales, ac Prælatos illos, quibus ita (ut dictum eſt) commendatæ erant Abbatiæ ac monaſteria, ita ſunt attenuata, exhauſtaque, quod, cum antehac in una illorum monaſteriorum quadraginta, quinquaginta, aut ultra hoc etiam, perſonæ ſatis commode potuerunt foveri, nunc ægre quinque, ſex, aut decem neceſſariis provideri poſſit alimentis. Quæ res omnis in privata compendia aut commoda Cardinalium eſt excogitata.

Vnde nedum plura oriuntur offendicula, ſed & gravamina oneraque ardua, ac non ferenda Germanis. Ideoq; & hic ſupplicatur, Abbatias prædictas, monaſteria, ac religioſas cæteras domus, denuo in integrum jus eorum, priſtinumq; rerum ſtatum reſtituendas: cavendumque poſthac, ne cuiquam tales Commendæ, ut vocant, ſeu incorporationes, concedantur.

De collegiatis Eccleſiis, quæ ſuper nobilibus tantum fundatæ ſunt. p. 212.

25. Inſuper, licet quædam ſint collegiatæ Eccleſiæ per Germaniam, quæ à nobilibus, & in hoc, ut nobiles tantum ſummæ atque mediæ ſortis ad eas reciperentur, primum ſunt fundatæ, in quibus perdiutinæ obſervatæ ac præſcriptæ conſuetudinis privilegium eſt, ut tantum principes, Comites, Barones, aut alioqui nobiles acceptari poſſunt & debent: attamen laudabiles hæ conſuetudines, jura non ſcripta, privilegia Papalia, nequaquam curantur, manutenenturve, ſed è regione agitur per Curtiſanos, ad liberæ electionis Epiſcoporum, Præpoſitorum, ac Decanorum & canonicorum præpeditionem, ut coadjutores alioqui contra Capitularium voluntatem ac conſenſum efficiantur.

Nec raro Curtiſanis, licet indoctis & ignobilibus, parantur ad Canonicatus hujuſcemodi acceſſus: non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus, & privilegiis præſcriptis, ita, quod nobilibus vel ob pecuniam, vel familiarem conſuetudinem hoc pacto conferuntur, ut licet impetrantes ignobiles ad ea non admittantur, obſtante ſibi conſuetudine, tamen ſi quis Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumve hæc eadem à Curtiſanis impetrare velit, cum colore quodam excogitati oneris, ab eiſdem vel emere, vel annuo cenſu redimere cogitur: quanquam ſubinde alia huic negocio prætexantur vocabula: quæ res ipſa quoque Nobilibus Germaniæ, ſupremæ atque mediæ conditionis, in magnum cedit onerum ac gravaminum cumulum.

Inueterata privilegia manutenenda.

26 Ad hæc, quamvis omnia Eccleſiaſticis ac laicis ſtatib. privilegia ac imunitates ſint

sint concessæ, Præposituras, aliaque beneficia & officia per se conferendi atque eligendi: attamen per sedem Romanam novæ subinde excogitatæ sunt technæ ac practicæ, per quas privilegiis prædictis derogatur multifariam, imò ea penitus tolluntur ac turbantur. Eapropter rogant sacri Romani Imperii Status, hoc emendandum: & in posterum cavendum, ac unumquemque cum suis viribus & privileigis defendendum, manutenendumque. Id quod rei æquitas ipsa per se sibi postulat.

De annatis.

27. Quantum ad annatas (ut vocant) attinet, quas Ecclesiastici Prælati Romano Pontifici quotannis pendunt, quasque ante aliquot annos Germani Principes sedi Rom. sub certis usque annorum metis, eo tamen modo persolvere, consenserunt, quò pecunia hæc ad nihil aliud, quam contra Turcas parandam defensionem, Romæ tanquam deposita, fideliter asservaretur: cum anni, in quos præfato modo consensum erat per Germanos, jam olim effluxerint, ac annatas depensas non contra Turcas, sed aliò experientia Germani Principes didicerint versas: eapropter per omnes Imperii ordines illud ipsum pro onere non mediocri huc allegatur, supplicaturq; , id quod in responsione generali oratori Pontificio data, ac inprimis ex Cæs. Majest. literis ad sanctitatem Pontificiam eam ob rem scriptis, liquido magis reperitur, quam ob causam laici status Romani Imperii vela complicanda censuerunt.

De contributione Ecclesiasticorum, ac religiosarum domuum, contra Turcas, ac pro defensione juris & tranquillitatis publicæ

28. Item, postquam majores laicorum Imperii statuum Ecclesias, monasteria, cæterasq; religiosas domos, per Germaniam, ad laudem Omnipotentis ita ampliter atque hoc pacto dotarunt, divitiisque auxerunt, quod jam laici ipsi vix tertiam aut quartam partem in bonis temporalibus possident, atque ob eam causam necessitate tam Ecclesiasticorum quam laicorum sublevandæ, propugnandæque, ac manu defendendæ paci ac juri publicis, nec non & in Turcas, cæterosque Ecclesiæ catholicæ ac sacri Rom. Imper. hostes parandæ expeditioni, præ rerum inopia vires minus suppetunt: ideo negocii ipsius exigit necessitas, æquitasque, quod sanctitas Pontificia ita æque ac paterne rem temperet, ut Ecclesiastici etiam, tanquam qui ampliores possident divitias, nedum contra Turcas ad ferendum opem teneantur auxiliares porrigere manus, sed ad tuendum Ius publicum, ac tranquillum Reipublicæ Christianæ statum, quotannis pecuniæ quippiam contribuendum, ita quod Archiepiscopi & Episcopi Ecclesiasticis Prælatis ac personis suæ ditioni subjectis, soli ad ferendū hanc opem, contributionem prædictam indicere, jus ac potestatem habeant. p. 24.

29. Atque illud eo moderamine agatur, ut Electores, cæterique Principes & Magistratus laici, ab Ecclesiasticis Proceribus in eorum principatibus, comitatibus, oppidis ac territoriis, in exercenda jurisdictione non perturbentur aut præpediantur. Nempe hac re fiet, quod laici inter Ecclesiasticos jus ac tranquillitatem publicam tueri, & Ecclesiastici sub laicis degentes, eo facilius ac commodius etiam jus quisque suum defendere ac manu tenere poterunt, cum Ecclesiastici paria onera unà cum laicis magistratibus ac gubernatoribus provinciarum ferre & contribuere jubebuntur, quemadmodum ad idipsum ex Christiana & germana charitate, ac ob æquitatem paritatemque servandam, alioqui tenentur, obligatique sunt.

30. Et quandoquidem omnes, Ecclesiastici inprimis ac præcipue, merito pro viribus contra Turcas, tanquam hostes Christianæ fidei, ad ferendam opem, parandam defensionem, recuperandasque manu, quas olim credulus ille ferro subjugarat, Christianorum provincias, teneantur: eam ob rem pro licito, bono, ac pariter Christianæ Reipublicæ utili & necessario visum placitumque est, ut si quando exigere id necessitas videbitur, quod mundus & preciosior supellex Ecclesiarum cathedralium, monasteriorum cæterarumque Ecclesiarum ac religiosarum domorum, auri, argenti, unionum, aliorumque preciosorum lapillorum, denique & campanarum pars non necessaria pro communi Christianæ Reipublicæ utilitate in medium conferatur, ne thesaurus ille Ecclesiæ Turcis potius quam nobis custodiatur, asserueturve, id quod & per Græciæ regnum jam olim usu venisse, experientia ipsa docuit. Quæ res Turcis magno cessit lucro, præsidioque, quando reperto hoc Ecclesiæ mundo, seu thesauro, militibus suis comparare potuerunt uberiorem commeatum, ut eo instructiores hinc cæteras Christianorum urbes oppugnarent, ac provincias.

Vt personæ Ecclesiasticæ ob perpetrata maleficia commeritam nullam luant pœnam.

31. Item, quinque Ecclesiastico recipit

pit ordines, majores, per hoc omnium pœnarum magistratuum secularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit. Neque hoc ita ordinati temere præsumunt, quod ab Ecclesiasticis summæ conditionis statibus in peccandi hac licentia manuteneantur. Sæpenumero enim compertum est, quod, cum ita consecratis, præsertim sacerdotibus, per jura canonica legitimæ uxores sint interdictæ, dehinc pudicitiam matronarum, virginum, laicorum scilicet uxorum, filiarum, sororumque attentant, ac noctu interdiuque solicitant.

Efficiunt quoque per assiduum ac indefessum laborem, partim muneribus, donis, ac blanditiis, ut complures honestæ alioqui virgines & matronæ, partim etiam in secretis (quas vocant) confessionibus, id quod eventu ipso compertum est, diuturna opera labefactentur, & ad peccata offendiculaque commoveantur.

Nec raro etiam evenit, ut hi uxores ac filias, maritis patribusque detineant, & remorentur, minantes interim, gladio, aqua, igniue ulturos repetitas uxores: atque tantorum malorum segetem ex libidine insana contrahunt; mirum, quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falsa cudendo numismata, ac mille scelerum formis, interim, contra divina humanaq; jura omnia; non sine magno etiam aliorum offendiculo, liberrime ac impune quotidie committant: nempe immunitate ac peccandi sua licentia, quam ex privilegiis canonum sibi usurpârunt, in in hoc freti.

Cum enim & semel compertum habent, licere eis impune, quicquid libuerit, tum nedum magistratibus civilibus, sed & suis Episcopis ac superioribus medium ostendunt unguem, quodcunque illi vel jubeant, vel vetent.

Et tandem, ut in peccatis maleficiisq; perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archiepiscopis & Episcopis, ne malefactores hos publice criminali judicio reos agere possint, nisi prius degradatos: id quod tantis sumtibus tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissime uncti illi malefactores merita plectantur pœna.

Adhæc astringuntur obliganturque Episcopi per sua capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicitur, constitutas, secundum canonica etiam jura, pœnis utcunque levibus punire, affligereq; non audeant. Quæ res tota eo spectat, ut ex disparitate hac, inter laicos ac Ecclesiasticos, simultates, diffidia, atque odia plus quam Vatiniana oriantur.

Illud quoque non mediocriter timendum est, si personæ Ecclesiasticæ, jam dicti oneris aliorumque maleficiorum causa, quæ quotidie perpetrare pergunt, non æqua jura, judices æquos, paresq; pœnas habeant, quod eorum vita offendiculosa apud laicorum vulgus tumultum quempiam, seditionemque pergrandem, nedum contra ipsos Ecclesiasticos p. 214. scilicet, sed & contra magistratus ac superiores omnes, quod impunita sinant maleficia tam notoria, commotura excitaturaque sit.

33. Quapropter necessitas æquitasque ipsa sibi postulant, ut Ecclesiasticarum personarum prædicta præsumta privilegia obrogentur, aboleantur, è medioq; tollantur: ac illarum gratia finaliter sanciatur, caveatur, ac statuatur, quod ordinati, in majoribus vel minoribus constituti, una cum personis laicis, æqua habeant jura, æquos judices, paresque pœnas; ita quod Ecclesiastici ultra laicos, in paribus delictis, nullam prætendere possint prærogativam, immunitatemve: sed ut quisque delinquentium Ecclesiasticorum, sub quo delinquit judice, ob commissum suum maleficium, secundum delicti qualitatem ac mensuram; non secus atque alii malefactores, pœna à jure communi Imperii imposita delicto commensurataque, plecti, puniri, & affici possit atque debeat. Id quod vere Ecclesiasticis, hoc est, probis & eruditis viris, dubio procul impendio magis arridebit, tantum abest, ut per hoc lædi jus eorum putent.

Hæc re namque fiet, ut titulo tantum Ecclesiastici, alioquin improbi nebulones, ad obedientiam majoribus debitam & ad bene honesteq; vivendum compellantur. Ad hæc seditiones simultatesque inter eos atque laicos præcaveantur & evitentur. Denique & hoc ipso laici ad observandum colendumque integræ vitę Ecclesiasticos, eo magis invitabuntur, permovebunturque.

De onere banni, seu excommunicationis.

34. Item Romæ cæterisque in locis per Archiepiscopos ac Episcopos, aut certe eorum Ecclesiasticos judices, multi Christianorum ob causas prophanas, ob pecuniæ denique ac turpis quæstus amorem excommunicantur: multorumque, sed eorum in fide infirmorum conscientię per hoc aggravantur, & in desperationem pertrahuntur: ac denique ob pecuniæ, lucrive tantulum, aut alioqui res minimi precii, ad internecionem usque animæ, corporis, honoris, atque rei familiaris, contra divina humanaque jura, perducuntur: quandoquidem nemo, nisi ob

convictum hæreseos crimen, excommunicationis gladio feriendus, aut pro seclusó à Christiana Catholicaque Ecclesia, sacris literis testantib. reputandus est.

Eapropter S. Rom. Imperii Principes, Proceres, ac Status laici rogant, ut Pontificia sanctitas, tanquam fidus, Christianus, ac pius pater, velit præfatum onus Banni seu excommunicationis, apud sedem Rom. penitus abolere, ac apud cæteros Archiepiscopos, Episcopos, & eorum judices Ecclesiasticos ablegare, tollere & denique ita sancire, cavereque, ut nemo nullam ob causam, quam manifestum ac convictum hæreseos crimen, & quantum ad sacrosanctam Christi fidem attineret, excommunicationis fulmine feriatur, aut pro secluso à Christiana ac Catholica Ecclesia habeatur.

Periniquum siquidem est, fideles Christi ob temporalium bonorum, lucriue, aut denique ullam aliam humanarum constitutionum transgressionem, excepta hæresis perfidia, à Deo Opt. Max. suaq; Ecclesia catholica excludi, sejungi, separarique.

Quo pacto multi cohabitatores oppidorum excommunicati, & ipsi utcunq; innocentes excommunicantur.

35. Item & illud in plerisque sæpiuscule evenit, quod vicinorum excommunicati decem, & eo amplius, quorum tamen causa nihil omnino contingit, cum ipsa principali excommunicationis pœna aggravantur, & non ob aliud, quam ut officiales, Ecclesiastici scilicet judices, facilius citiusque pro libidine sua miseram plebeculam depeculentur, ac pro suo libitu eorum abutantur simplicitate, ipsosque principales ad quascunque, etiam iniquas, acceptandas transactiones, per hoc compellant, adigantque.

Nam etiamsi excommunicatus ipse una cum uxore, liberisque suis, per intolerabile hoc & iniquissimum banni onus, in exilium ire cogatur, quod hac in re nullus sit officialibus modus, neque finis, neque ulla facultatum ratio: tamen nullus est hominibus illis respectus, num industria, datave ad hoc opera, & per contemtum, an necessitate ita impellente, vel casu potius, vicini cohabitatores cum excommunicato ipso participarint, commerciumue habuerint, aut sufficiensne hæc fuerit concivibus causa, quare excommunicatum merito solum vertere jussisse debuerant, horum pensi habetur nullum. Sed unum curatur hoc per officiales, ut quo usque principalis ipse excommunicatus solvendo non est, concives ac vicini sui, utut culpa vacent, ad solutionem tamen, quod superest, debiti cogantur.

Quodsi aliquando officialibus in os obtrudatur, contra domestica, nempe canonica sua, eos hæc moliri jura, quæ pecuniæ causa quempiam excommunicari, aut interdictum edici vetent: nihilominus tamen idipsum conantur, causantes interim, non ob pecuniam, sed contumaciam, quæ tanto sit major, quanto unde sibi originem ducit, minorem habeat causam, tales excommunicari. Atq; hac decipula avaritiam suam officiales nugundo contegere nituntur.

Item & de illicitis interdictis. p. 285.

36. Præterea, cum sacerdos aut aliqui Ecclesiastica persona casu occiditur; tum nedum occisor excommunicatur, sed & totum oppidum aut totus pagus iniquissime interdicitur: quod interdictum eo usque duras, tamque diu interrupta pendent publica Christianorum officia, quo usque vel occisor vel tota incolarum eius loci communitas fecerint homicidii compensationem homicidiumque expiarint: non considerato eo, dederitne occasionem, ut se gesserit probe, vel nequiter versatus fuerit occisus sacerdos, vel alias Ecclesiastico ordini adscriptus, licet jura canonica ipsa in quibusdam casibus modum negocio præscribant. Prægravanturque itaque ex delicto unius centum alii, nihil tale commeriti: nedum contra communem æquitatem, sed & contra omnia divina & humana jura.

De abrogatione feriatarum aliquot dierum.

34. Insuper & feriarum, festorumque dierum tanta copia laicorum vulgus non mediocriter urgetur. Nimirum, cum tot sint religiosi facti dies, ut vix ægre tempus agricolis suppetat, quo fructus agri, tot sudoribus è terra pellectos, aliquando aqua, pluvia, immodicove æstu, non rarò etiam grandine, aliaue tempestate periclitantes, in horrea conferant: quos tamen fructus, si non feriarum solennib. præpediti forent, commode ac citra jacturam ex agro legere, domumque ferre potuissent. Adde quod feriatis quoque diebus, qui dubio procul bono consilio, ac in Dei Opt. Maximi honorem, primum bene sunt feriati, innumera perpetrantur delicta, peccataque, & scelera potius, quam his Omnipotens colatur venereturue. Id quod res ipsa notorium facit: tantum abest, ut testibus hoc egeat.

Eamque ob causam S. Rom. Imperii Status laici consultius putant, ac Reipublicæ Christianæ conducibilius, si effrenis feriarum (quæ animis, quam externo cultu, Christianis, hoc est, his, quibus à peccatis semper feriandum est, rectius celebrantur) festorumque dierũ numerus paulo coërceatur in arctum, minuatúrq;

De

De domibus ordinum militarium ac baliviis (ut vocant) per Apuliam Siciliamq; ordini militari Teutonicorum, vi doloq; Germanorum ditioni ereptis.

33. Item licet dominis ordinis divæ Mariæ Virginis (quos vulgò fratrũ Teutonicorum vocant) ex liberalitate Romanorum Imperatorum celeberrimæ memoriæ, item & Principum, Comitum, & Baronum, in eos collata cæterorumque nobilium contributa auctione, certa bona temporalia, ac redditus & census annui, per Apuliam, Siciliam, reliquamque Italiam, emti sint atque adaucti, non ob aliud, quàm ut contra hostes Christianæ religionis, ad pugnam instructiores forent, haberentque Germani nobiles pariter, & fidei catholicæ propugnatores, unde commodius & honestius vitam militiæ semper paratam vivere possent, & ex bonorum asse præfecturæ ejus ordinis aliquot (quas vulgò Balivias, ac à commeatu ordini parando, commeaturas vocant) distinctæ sunt & disterminatæ per classes, quas & quietè sine cujuspiam turbatione per multa secula possederunt usurpåruntque: attamen per præcedentes Romanos Pontifices ordini prædicto bona talia erepta, ac Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopisq;, illisque nec Germanis, nec præfati ordinis militaris existentibus collata traditaque sunt: quemadmodum & in hunc usque diem militaris Germanorum ordo, his ipsis spoliatus, carere cogitur.

Insuper priores Rom. Pontifices domus ordinis suprà dicti locatas, nato Italo, nempe Hierònymo Veneto tradiderunt ac concesserunt, eumque ordinis sæpè dicti insignibus decorårunt, contra Romanorum licet Pontificum ac Imperatorum statuta & privilegia, toties antehac per eorum prædecessores roborata, quibus ad Germanos tantum ordinis milites ut hæc omnia pertinerent, cautum sancitumque est.

Deinde & Romanenses Curtisani, ordinis supra memorati domos per Italiã, Bononiæ puta, Papalibus bullis ac provisionibus attentare conati sunt: quo facto, ordinem ad litigandum secum Romæ coëgerunt. Id quod non ad mediocrem perniciem & ipsius ordinis & totius Germanicæ vergit nationis.

Demum Germanis Stablore quoque, divi Benedicti monasterium, contra fundationis qvanquam jura, superioribus paucis equidem annis ereptum est, ac in commendam (ut ajunt) Cardinali Columnæ collatum, quæ omnia in perniciem tendunt, ac irrecuperabile Germanicæ nationis detrimentum: attentatumque est, quicquid id est, contra jus & fas, ac æquitatem omnem.

Eapropter Imperii status hîc quoque rogant, sanctitas Pontificia velit militari Teutonicorum ordini, bona erepta, censusque & redditus ablatos, absque ulteriore mora confestim reddere ac restituere: aut id ipsum, & quantò citius fiat, mandare curetéve, quemadmodum juris, bonique & æqui ratio hoc sibi postulat. p. 216.

De oneribus sacri Rom Imperii statuum laicorum, contra Archiepiscopos, Episcopos cæterosq; Prælatos Ecclesiasticos. eorum quoq; cautela, ac suffectos judices, quos vocant Ecclesiasticos.

39. Præter onera suprà memorata Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorũ, quod ij (ut prædictum est) a sede Romana conservatores delegatos, atque id genus alios plerosque Ecclesiasticos impetrant judices, per quos laici non ferendis aggravantur modis, quod non omnino infrequenter evenit, ut laici in periculum ac perniciem animæ, æstimationis, corporis atque bonorum perducantur, ac quantum per hos stat judices, pertrahantur etiã: hic nondum finis. Sunt enim cõplura adhuc alia gravamina, prout sigillatim ea per capita nunc recensebuntur.

Primùm, quibus modis laicorum bona immobilia ad Ecclesiasticorum manus, & non contra, ac Ecclesiasticis ad laicos perveniant.

40. Item cum à sede Romana constitutionibus si cautum ac provisum, ne bona Ecclesiastica, præsertim immobilia, regulariter personis laicis unquam distrahi aut vendi possint: & tamen Ecclesiastici, nulla cogente necessitate, sed tantum, ut eorum res familiaris reddatur lautior, crescantque census, nunquam non cessant laicorum prædia emtionibus innumerisque aliis modis ad se pellicere si qua tandem sit possibile via. Quod ipsum quoque statibus laicis grave, damnosum ac intolerabile est.

Quamobrem S. Rom. Imperii status laici, Reipub. Germanorum utile necessariumq; putaverunt, si omnia bona immobilia, soli scilicet, quæ posthac aliquo quocunque tandem titulo à laicis ad Ecclesiasticos pervenirent, possent a laicis superioribus, quorum ditioni prædia hæc subjecta forent, tandem ab Ecclesiasticis redimi, lui, atque justo precio vendicari: non considerato, quicquid contra hoc privilegiorum prætenderent Ecclesiastici.

Quo-

Quomodo Episcopi bona hæreditaria Ecclesiasticorum ad se trahere conentur.

41. Nec rarò & illud facto contigit, quod, cum personæ Ecclesiasticæ bona hæreditario titulo, relicta à majoribus suis, unà cum cæteris cohæredibus jure hæreditario, sibi fortè usurpârent, ac si dehinc intestati decessissent Ecclesiastici, tum per Episcoporum nonnullos sibi ipsis bona illa hæreditaria laicorum vendicari cœperunt, non in mediocrem proximorum, venientium ab intestato, cognatorum perniciem ac jacturam. Quæ res ipsa quoque laicis non ferenda, imò omni modo onerosa intolerabilisq; est.

Quo ingenio bona quædam laica, quæ Ecclesiis aut aliis religiosis domibus certis pactionibus vendita sunt, vel hypothecata, ditioni Ecclesiasticæ subjugari conentur.

42. Adhæc, si quando casu ita contingit, quod bona laica temporali jurisdictioni subjecta, fructibus, redditibus, censibusvé annuis Ecclesiis ac cæteris religiosis domibus legentur, vendantur, hypothecentur, aut quovis alio titulo tradantur, vel à laicis erga Ecclesias ac monasteria annuo censu tributaria efficiantur, moliuntur Ecclesiastici, talia prædia laica ex civili potestate ac ditione in Ecclesiasticam transferre: atque huic utcunque iniquo illicitóve conatui, Episcopi, Ecclesiesticique patrocinantur Prælati, tuenturque rem longè iniquissimam: tantum abest, ut in hoc quenquam revereantur Ecclesiastici.

De collatione beneficiorum Ecclesiasticorum jam primum fundatorum.

43. Item, cum beneficium aliquod Ecclesiasticum à laicis, summæ vel mediæ conditionis, primum fundatur, dotaturque: tunc quidam Episcoporum primam ejus beneficii collationem sibi usurpare nituntur, ac beneficiis ipsius dotationem, fundationemvé prius confirmare recusant, quam eorum intentioni acquieverint, quæ beneficia ex suis censibus dotârunt, hoc est, fundatores atq; patroni, secundum jura etiam Canonica collatores ordinarii.

p. 227

De confirmationibus beneficiorum Ecclesiasticorum non necessariis, atq; aliis id genus gravaminibus.

44. Præterea, si quis novam fundationem beneficii Ecclesiastici, fraternitatisve exigere atque eandem confirmandam petere velit, quanquam confirmationis hujusce de jure ac æquitate minimè indigeat: nihilominus tamen fundatores beneficiorum præter modum, pecuniarũ exactionibus ad vivum usq; aggravantur; exuguntur que, ac per Romanorum statuta, technas, ac subtiles practicas, diriguntur, ut fundationes hæ omnes, quamvis minimi sint precii, necessariò confirmentur. Quod ipsum non mediocre Germanorum laicorum est onus.

De subsidiis, & aliis oneribus, quæ imponuntur Ecclesiasticis, qui collatores habent laicos.

45. Deinceps, si quando contingit, Ecclesiam personâ à laico beneficio aliquo dotari, & Episcopo pro investitura accipienda præsentari: tum Episcoporum in spiritualibus (ut vocant) Vicarii, pro investitura tantum erogant æris, præsentatis illis, quantum collatum beneficium in annuo habet proventu, nonnunquam etiam, quantum bimo. Ita enim altera portio exigitur Episcopo, & reliqua interim Archidiacono, aut Archipresbytero, pro investitura, vel possessionis traditione.

46. Insuper nimiumque viribus, illicitis exactionibus gravant Episcopi beneficia, subsidiis nimirum, nullæ licet subsint urgentes, aut illud sibi admodum postulantes causæ: hoc est, quod jura vocant, manifestæ & rationabiles, ultra etiam modum, quem jura communi in casibus evidentibus & necessariis præscribunt. Illis nempe casibus quib⁹ solis jura, subsidium ab Ecclesiasticis erogari permittunt, fitque ejus rei immodico usu, ut presbyteris vitæ necessaria vix, aut certe nec illa quidem relinquantur.

Demum & in totius populi caput hoc redundat onus, quando ita premuntur sacerdotes, ut respirare eis non liceat, ni vicissim subditam plebeculam arrodant. Ita ex onere feritur onus, eò usque, ut nullum gratis, nisi numeretur semper aliquid, ministrent sacramentum, Ecclesiæque Christianæ donum: ad quod tamen præcipuum, gratis ut facerent, darentque ea gratis, quæ nullo ære redimi possunt, atque ipsi gratis accepissent, sacrosancti Evangelii attestantibus literis, tenebantur. At illud res ipsa fecit notoriũ.

Quo pacto sæpiùs, & quidem plures unà, indocti atque inidonei ordinentur sacerdotes.

47. Item Archiepiscopi, & eorum suffecti (quos suffraganeos vocant) sæpenumero plures indoctos, idiotas, inhabiles, vilesque ac ludicras personas ad sacerdotii functionem ordinant: qui cum ex ministerio Ecclesiæ, ad quod minus sunt idonei, vivere non possunt, tamen

neque

neque aliunde, vel ex beneficiis, vel propriis hæreditariis bonis, unde vitam presbytero dignam ducere queant, habent, sed tantum imaginarios & fictitios aliquando, neque illos quidem secum ferunt titulos: sicque dehinc, aut ex innata malicia, morumvé levitate, aut qua premuntur egestate, (sicut res est malesuada fames) ut inhonesta exerceant commercia, ac munia sacerdotibus obeant indigna. Quæ res ansam subinde ministrat, verè Ecclesiasticos, ac Christo sacros presbyteros floccipendendi, nihilque faciendi, quod illorum vita coram universo populo offendiculis sit quàm refertissima.

Interim à quibusdam Episcopis sex corruptis testibus ad hoc adhibitis, dignusne sit sacerdotii munere, vel minus, ordinandus, fides adhibetur, qui passim quosque indignissimos simulatis suis vocibus testantur dignos, adque hoc ministerium aptos ferunt & accommodos: licet non raro nullus personatorum illorum testium, ordinandum, vel de facie albus an ater sit, noverit: conanturque ita Christianis sanctionibus, sub persona, fuco atque fictitio tantum prætextu satisfacere.

De impensis immodicis, quæ in Ecclesiarum consecratione insumuntur.

48. Insuper, cum Ecclesias ac templa, prætenuia quidem, Deo dicant, sacrantque, nonnulli suffraganeorum subditos, utcunque per se egestate laborantes, superfluis minimeque necessariis sumtibus onerant: neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodica, à misera plebecula exigant.

p. 228.

49. Item, cum laici Ecclesiis altaris donant ornamenta quædam, nec non casulas, & similia, ac in Dei honorem pecunias suas expendunt: nihilominus tamen Suffraganei exigunt, ut talia, priusquam ad altaris convertantur usum, consecrentur, pro qua demum consecratione munera ac dona petuntur innumera. Quapropter æquum est, ut tales abusus deleantur. Et si Suffraganei frustra laborare nolint, ut unicuique Prælato aut plebano talia faciendi permittatur potestas.

Quemadmodum cœmiteria nonnunquam superfluè, ac minimè necessariò consecrentur.

50. Demum si forte sine armis, pugnis tantum & capillis, in cœmiterio duo pluresve manus conserant, aut rixam habeant, ad sanguinis usque, quantumvis modici, effusionem, tum ad interdictorum severitatem recurrunt Ecclesiastici, nec prius publica Christianorum redintegrant officia, quàm civium universitas cœmiterium denuo magna pompa, gravibusq; nec profectò minoribus impensis consecrari curaverit, quàm primum (ut prædictum est) ex prophano redditus sit sepulturæ is locus sacer. Quia omnia in caput tandem redundant laicorum.

51. Item Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi, & nullus alius sacerdos, laicis campanas baptizent. Credunt deinde simpliciores ita affirmantibus Suffraganeis, tales campanas baptizatas pellere dæmonas & tempestates. Quapropter innumeri plerunque adhibentur compatres, præcipuè vero, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, qua campana religata est, tangunt, ac Suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque nova, (quemadmodum & Christianis fieri solet) campana induitur. Inde ad sumtuosa properatur convivia, quibus præcipuè compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur: nec non Suffraganei, & eorum capellani, cum multis aliis ministris regaliter pascuntur.

Nec hoc satis est, sed & Suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent: inde evenit ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione: quæ res non solum superstitiosa, sed etiam Christianæ Religioni contraria, ac simpliciorum seductio, & mera est exactio. Veruntamen Episcopi, ut Suffraganeos vel vilissima obærare possint mercede, talia, & adhuc absurdiora tolerant.

Res itaque tam nefanda & illicita merito aboleri debet. Cæterum, si conducere videtur, ut campanæ consecrentur (ita enim Suffraganei baptizationem appellant, quoties à prudentioribus de hac reinterpellantur) conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemq; fiat sacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, sale, herbis, & similibus fieri solet idque absque precio & expensis laicorum, ne populus simplex ita seducatur, & damno afficiatur, nec non avaritiæ detestandæ præsumtio evitetur.

Quemadmodum de nova sancti cujuspiam celebritate partem petant oblationis.

52. Deinceps, si fortè per diœcesin Episcopi alicujus nova effertur sancti celebritas, ad quem passim fit concursus, tum Episcopi aut prælati eo loci, oblationum omnium tertiam, aut certe quartam partem sibi vendicare præsumunt. Quod

Quod tamen domestica eorū, nempe canonica, jura eis non permittunt, quin oblata illa pecunia potius, ac meritò, pro totius Christianæ Reipublicæ necessitate, ad contrahendam militum manum, parandumque expeditioni bellicæ commeatū contra Turcas, usurparetur, aut certè in proximi verteretur necessarios usus.

Quo pacto illicitam à Præpositis monasteriorum Deo dicatarum virginum petant pecuniam.

53. Item cum monasteria aliqua Deo dicatarum virginum, per Præpositos seu præfectos gubernentur, qui tamen ad libitum officio hoc moveri possunt (neque enim perpetua est hæc præpositura) attamen Episcopi, acceptationi aut missioni Præpositorum, priùs consensum suum adhibere recusant, quàm à monasterio Deo devotarum, simpliciumque puellarum, pecuniæ aliquid numeratum fuerit.

54. Item, cùm Abbas quispiam aut Abbatissa eligitur, coguntur iterum per Suffraganeos consecrari, licet antea, ut monachi & moniales, satis superque sint consecrati: Suffraganeumq; cum suis regie excipere & pascere, ac insuper, tanquā muneris loco, magnam persolvere pecuniam. Quæ res non in parvum damnum cedit non solùm monasteriorum, sed etiam illorum, quibus monasteria illa sunt subjecta. Insuper Pontifices summi multa & varia in curia Romana excogitârunt officia, quæ ipsi immani vendunt precio: quod quidem illi persolvere coguntur, qui (ita jubente Pontifice) opera talium indigent officialium, seu scriptorum.

p. 229. Hinc evenit, ut natio Germanica, præcipue verò Episcopi, quoties pallium redimunt, aut confirmationem à Romano petunt Pontifice, ac multi alii oppido aggraventur: ac longe plùs, quam elapsis annis, pecunias suas dilapidare compellantur. Hinc facile conjicere licet, quot Romæ, quantique laquei pro emungendis nummis tendantur. Quapropter talia officia merito deleri debent.

De Archipresbyterorum officialibus, & aliis indicibus Ecclesiasticis.

55. Archipresbyterum quoque officiales utplurimum sunt indocti, inhabiles, insuper & scurrilibus moribus, nihil pensi habentes, nihil aventes, quàm pecuniam. Et quàm notorie in publicis degant peccatis ac facinoribus, quotidiano dignoscitur usu: per quod laici, quos ob admissa, debito modo corripere, ac in pietate Christiana eruditiores & meliores reddere debebant, nedum ad meliorem frugem non perducuntur, sed offendiculis onerantur potiùs.

Ad hæc, per leves ac viles has Officialium personas, in quorum conscientiis nulla Christianæ pietatis viget ratio, sed tantum sceleratus habēdi amor. laici misere ad vivum usque bonis suis spoliantur ac depredantur: id quod Archiepiscopi & Episcopi, siquidem revera, quod dicuntur, essent, hoc est, Christi pastores, dubio procul diutius non tolerarent, ovesque Christi talibus offendiculosis pastoribus curandas minimè commendarent, pascendasve committerent.

Quàm iniquè laici ad vetitum trahuntur Ecclesiasticorum tribunal.

56. Ferè & hoc quoque accidit, ut laici ad Ecclesiasticorum, licet periniquè, trahantur judicium. Nam etiamsi actor sit Ecclesiasticus, qui laicum reum judicio convenire intendit: attamen nihilo magis ordinariæ jurisdictioni reorum deferunt, quin passim Ecclesiastici tales reos laicos, scilicet quascunque etiam ob causas, civiles ac plane prophanas, ad Ecclesiasticum tribunal, refragantibus omnibus etiam juribus, pertrahere adnituntur: cùm tamen maxime conveniat, ac jure non ignoto sit quàm expressim cautum, actorem rei forum sequi debere.

Quo pacto Magistratuum civilium subditi, propter debitam pecuniam, ad iudicia Ecclesiastica pertrahantur.

57. Præterea Ecclesiastici sæpiusculè laicorum subditos, ob debita pecuniaria, coram Ecclesiastico judice in jus vocant, ac prægravi eorum judiciorum ordine eosdem inibi vexant atque excutiunt, licet à civili Magistratu, adeoque judice reorum, ordinaria justitia, jurisque debita executio eis nunquam fuerit vel denegata, vel diutius, quàm par sit, procrastinata: fitque ita per actorum (ut dictum est) petulantiam, quia conventi judicio Ecclesiastico laici, varios ob casus jus suum non ita examussim, vel deducere per imprudentiam, vel non probare per simplicitatem noverunt, neque edocti sunt: ut in prætentam pronuncientur excommunicationem, ac irreparabile rerum suarum perducantur detrimentum, perniciem, & jacturam.

Quàm iniquè laicis judicibus præbeatur occasio ab Ecclesiasticis, subditorum suorum petendi missionem.

58. Insuper & alias plures ob causas illicitas, à judicibus Ecclesiasticis contra personas laicas emittuntur citationes ac monitoria: quanquam tales judices, publica etiam testante fama, indubitanter perspectum habeant, vocatos ita in jus ad ditionis suæ terminos minime pertinere, illos-

illosq; ad ordinarium jus remittendo; fore. Quod ipsum quoq; laicorum subjectis, non ferendis modis grave onerosumque est. Nam etsi causæ personæque tales, ad instantiam Magistratuum civilium ac laicorum superiorum petitionem, tandem ad jus dicentis laici ordinarium remittantur tribunal: nihilominus tamen ita immeritò in jus vocati, gravibus onerantur impendiis, damnis, & expensis, eò quod superiores suos laicos, quos non rarò ultra centesimum lapidem peregrè abesse contingit, primùm requirere, dehinc literas missionum ab his impetrare, ac tandem eas ipsas judicibus Ecclesiasticis mittere cogantur: interim nunciis ad hoc conductis eroganda est pecunia, cessandum à quotidianis operibus, ferendæ impensæ itinerum atq; advocatorum. Quod si fortè superiores suos in jus vocati non continuo imploraverint, easq; judicibus prædictis transmiserint, ac ad monitionem usque processum interea fiet, etiam Ecclesiastici judices, vel requisiti hinc à vocatorum superioribus, quæcunq; tandem in jus vocati sit causa, remittere tamen ita vocatos atq; admonitos ad ordinarium judicem laicum recusant.

Quòd judices Ecclesiastici causas aliquot speciales, licet laicas, ita suæ asserant ditioni ut omninò eas remittere nolint.

p. 220 59. Cum apud Ecclesiasticum judicem; ob decerptum virginitatis florem, item ob id illegitimè natorum, hoc est, naturalium liberorum statum, aut servientium mercedem, viduarumve, quæcunq; etiam judicio ventilantur causæ contra laicos reos, tum vel interpellati à litigantium laicorum superioribus judices Ecclesiastici, terminum tamen sistendi jure, nec circumducere aut, ad se in jus vocatos ordinariæ jurisdictioni ut remittant, precibus induci possunt.

De aliis illicitis & inutilibus expensis causarum prophanarum, quæ ad Ecclesiasticos judices trahuntur, ac denuo remittuntur.

60. Ad hæc, cùm laicus coram judice Ecclesiastico (ut suprà dictum est) iniq; in jus vocatur, demumq; ad petitionem judicis ordinarii remittitur: tunc temere agentis procurator, qui tam malè in jus vocari fecerat laicum reum, mercedem suam à convento, qui tamen temerè ad vetitum tractus fuit judicium, petit: cogiturque dehinc, sub excommunicationis pœna, innocens ille, ultra expensas, quas ob malam in jus vocationem, in itinera, procuratores, proque impetrandis & redimendis missionum literis necessario expenderat, adde & neglectorum operum æstimationem, jam tandem nulliter & inique emissos judiciarios processus persolvere, atq; ære non immodico, coactus licet, pensare. Namq; id si fortè recuset, anathematis præsto est gladius: hoc ei minantur judices Ecclesiastici fulmen, ni, persolutis vocationum literis, habendi libidinem ipsorum satiaverint. Ita afflicto additur afflictio. Neque juris ratio, quæ temerè in jus vocato refundendas dictat expensas, a judicibus his curatur quicquam: imo judiciarius hic eorum ordo ex diametro, quod ajunt cum juris boniq; & æqui ordine pugnat. Eum tamen judiciorum ordinem non ob aliud, quantum conjectura assequi licet, hactenus ita religiose observârunt: quàm ut plurima actorum turba per hoc ad eorum alliceretur tribunal. Ita semper iniquum ex re, quæ merito debebat esse æquissima, student facere lucrum.

Quomodo novæ per violentiam instituantur decimarum præstationes.

61. Item; etsi laici per multa annorum curricula, de certis eorum prædiis, neq; majores, neq; exiguas (ut vocant) præstiterint decimas: tamen per Ecclesiasticos judices, apud quos iniquis litigant conditionibus, authoritate judiciaria ita e[illegible] fit negocium, ut aut petitas judicio decimas, sive quippiam aliud est, quod ab eis exigitur, præstare persolvereque, aut excommunicationis pœnâ ferre, necess[illegible] habeant. Neq; hoc temere: Nam etiamsi à sententia quantumvis iniqua Romam appellaverint, non eos fugit, q[illegible]àm onerosus atq; dispar sit & illic litium even[illegible].

Quo pacto Ecclesiasticorum officiales ac suffecti, & ipsi laicos ad Ecclesiasticorum tribunal in jus trahere conentur.

62. Ad hæc omnia, personæ Ecclesiasticæ nedum ipsæ per se laicos, quibus dictū est, ac similibus casibus ad Ecclesiasticos trahunt judices: verùm etiam Ecclesiasticorum officiales, suffecti procuratores, domestici famuli famulæq;, ac denique ipsorum etiam subditi conantur adnituntúrq;, idem juris, quod eorum habent superiores, sibi ipsis quoq; asserere, usurpareque.

De causis injuriarum, quæ coram Ecclesiastico ventilantur judicio.

63. Tandem, si quando ex facto evenit, ut Ecclesiasticus contra laicum, injuriarum agere illatas forte verbo injurias intendat, conatur Ecclesiasticus judex eas ipsas quoq; suæ jurisdictioni vendicare causas: quod denuo reus judicio conventus, ordinario juri, suæq; eripitur atque eximitur jurisdictioni.

Quemadmodum causæ prophanæ ob interpositajuramenta, Ecclesiastico tribunali asserantur.

84. Insuper & id præsumunt officiales, si quando in causis prophanis, ac inter personas Ecclesiæ minime sacratas dicatasve, sed omnino laicas, data fide, seu præstito juramento, verbo, vel in scriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promissiones factæ sint vel celebratæ, quod eam ob rem, atque hujus prætextus ratione, tales prophanæ laicæque causæ coram ipsis potius, quàm ordinario judice agitari debeant: quæ nova Ecclesiasticorum techna usu si increfceret, ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili causarum auditorio, quod omnes prophanæ civilesque causæ contractuum atque transactionum, hac via necessario ad Ecclesiasticos pertraherentur.

Quis enim contractus, quæ transactio, quæ denique inter paciscentes conventio, quæ non sit solenni ita stipulatione aut promissione vallata? Illâc nimirum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderentur judicia. Quod nedum contra æquitatem ipsam, contra omnia jura scripta, sed & civili magistratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim Ecclesiasticis judicibus, de perjurio commisso notionem ut habeant, nihilo magis per id causæ ipsius principalis, contractus puta, aut transactionis, quamobrem ille pejeravit, judices competentes erunt, quin perjuros illos ob religionis transgressionem manifestariam tantum judicio convenire possent, ac canonicam huic indicere mulctam: reservata tamen civili Magistratui, qui perjuros pœnali judicio secundum civiles sanctiones plectere jus habent, commissa sibi ob id pœna.

p. 231. *Quonam modo reformationes suarum judiciorum nec observent, neque manu, hoc est, executione debita tueantur.*

85. Præterea, nedum rationi consona jura communia, sed & Ecclesiarum aliquot cathedralium propriæ reformationes notoriæ, in quàm plurimis casibus negligantur, irritæque fiunt, dum contrarius ex eisdem ducitur sensus. Exequuntur enim hæ contra hos tantum, quorum potestatem ipsi non reverentur. At si reos potentiores, aut eos, quibus manu pares esse non possumus, contingat, tum ex juris sui rigore remittunt quippiam.

Nam etsi maxime Episcopi locorum ordinarii, aut eorum Officiarii, à vim passis, aut his, quibus contra jus injuriæ illatæ sunt, pro debita justitiæ executione, ac talium gravaminum onerumve abrogatione, interpellentur: sæpenumero tamen evenit, ut querela hæc vel propositum contingat, vel decanum, vel certe capitulum, ac Ecclesiæ canonicos capitulares: hoc est, eos, contra quos loci hujus ordinarius Episcopus, utcunque æquitati favens, remorante eum hac via, in electione præstita, ac promissa fide, meritam transgressionis emendationem atque mulctam præsumere, eisq; infligere non audeat.

86. Ad hæc, Episcoporum ac Prælatorum nonnulli, pro tempore Ecclesiasticorum judiciorum synodorumque, ad suum libitum speciales quasdam & prætentas ferunt reformationes, ordinationes, leges atque statuta, quæ ipsa multifariam à jure communi diffident, ac seorsum toti civili magistratui & jurisdictioni, eorumq; subditis derogant, atque perniciem afferunt: neque ullam præ se ferentia æquitatem, quod ad Ecclesiasticorum privata compendia, inque laicorum necem sint excogitata atq; efficta. Eamq; ob rem laici ea acceptare, aut his parere minime tenentur. Nam neq; ipsi Ecclesiastici domesticas has suas constitutiones, secundum rationabilem, synceriorem, ac germanum æquitatis intellectum observant.

Etenim tametsi reformationes hujusce modi ut plurimum statuant, coram officialibus, eorumque Ecclesiasticis consistoriis. manifesta ac notoria tantum, minimeque occulta delicta debere agitari atq; ventilari, considerariq; in primis salus animarum, & honor Iesu Christo debitus potius, quàm pecuniarum lucrum: attamen ejus rei oppositum, atque ex professo contrarium, negocium ipsum, innumeræq; aliæ conjecturæ ac circumstantiæ plus liquido manifestum reddunt. Id quod partim ex suprà enumeratis, partim ex recensendis sequentibus articulis, utcunque succinctis, cuiq; æstimare facile est.

Quemadmodum plus pecuniæ, quàm pœnitentiæ, peccatoribus imponant.

87. Patrum canonibus sancitum est, spiritualibus ac manifestis peccatis, spiritualem pœnitentiam seu satisfactionem imponendam esse, ut sic non pecuniæ lucrum, sed potius animarum salus quæri intelligatur. Id quod suprà etiam memoratum est. At Ecclesiastici judices & officiales, perperam animadversis canonibus, dictam spiritualem pœnitentiam in tantum exasperant, aggravant, & augent ut laici, priusquàm eam satisfactionem acceptare velint, pecunia magis sibi ab ipsis immunitatem comparent: quare laici multum premuntur: Ecclesiastici contrà multum ditantur, utpute, qui, in suum privatum commodum, & partis agunt munus, & judicis: quod tamen omnibus juribus dissonum est.

Quem

Quem in modum honesti viri & mulieres ex falso rumore sepenumero graventur.

68. Accidit etiam nonnunquam, quod viri & mulieres coram Officiali, seu Ecclesiastico tribunali, ut delictorum ac scelerum sontes, sinistro rumore deferuntur, ac non prius per sententiam innocentes declarantur, quàm ubi se jurejurando purgaverint: qua purgatione facta, in pristinum æstimationis statum restituuntur. Et quamvis tam sinistrè denunciatis incommoda, damna, impensæ, eam ob rem perpessæ, meritò refundi deberent: nihilominus tamen innocentes ipsi, indictæ restitutionis fidem, officiali, Ecclesiasticove judici, duos aureos, cum aurei quarta parte, pro absolutoriis literis, nequaquam necessariis, numerare coguntur. Et hoc est, cur officiales, Ecclesiasticique judices, tam iniquas & illicitas rumoris falsi atque delationis causas ita affectentur, ad se evocent, solisque sibi vendicent. Id tamen ipsum non sine magna, singulari, ac gravi jactura mortalium committunt. Nam sæpius evenit, quòd altercantes mulieres, ira, invidia, seu aliquo quopiã affectu commotæ, invicem se maledictis impetant, conviciis proscindant, in tantumque demententur, quòd altera alteram vel adulterii, vel magicæ artis ream insimulet. Quod ubi coram Officiali deducitur, tũ illa, quæ per iracundiam alteram probris ac contumeliis affecerat, jurisjurandi sacramento sese excusare ac purgare cogitur, scilicet, quicquid injuriarum in alteram profuderit, id omne non ex certo animi proposito, sed ira invidiaque profectum esse: parique modo altera, quæ adulterii, necromantiæve insimulata est, suam innocentiam, quodque prædictorum nequaquam sibi conscia sit facinorum, juramento detegere jubetur. Interim verò quilibet apud se facilè conjicere potest, in talibus causis, mulieribus, sive memoratorum scelerum vacuæ sint, sive iisdem criminibus obnoxiæ, jurandum tamen esse, dummodò famam, honorem, ac vitalem spiritum retinere velint. Qua ex re non solum illicitum pecuniarum lucrum quæritur, sed deliberatæ pejerationes extorquentur etiam, secularesque jurisdictiones & judices in eorum mulctandi officio impediuntur. Et sic contra rationem, impunita remanere delicta, necesarium est.

Quomodo Ecclesiastici judices illicitum ex jactatu matrimoniorum causis petant interesse.

p. 221

69. Deinceps, cum inter virum atque fœminam, de pangendis matrimonialibus sacris illis fœderibus, negotium, quod inter eos fortè agebatur, eousque processit, quòd ab alterutra partium matrimonii contractus, ex pactionibus illis ratus perfectusque prætendatur: at inficietur altera, datumque est ab altera alteri personæ vestium, aut alioquì mundi muliebris quippiam, tanquam arrabonis loco, ad servandum ac custodiendum: accidatque deinde, ut asserti contractus, matrimonii scilicet, contemplatione, contrahentes ad Ecclesiasticũ perveniant tribunal, ac ibidem per sententiam in diversum ire jubeantur, separenturque: tum judex ille Ecclesiasticus iniquè hoc sibi in hac causa prætendit interesse: nimirum, ut omne, quicquid hinc inde arrabonis vice traditum sit, sibi cedat, tanquam commissum. Id quod nedum contra omnia jura, sed & æquitatem, atque honestatem ipsam procul dubio est.

Quibus artibus judices Ecclesiastici causas promiscuas, quæ coram civili etiam magistratu in judicium deduci possunt, sibi solis vendicare conentur.

70. Item, licet complures sint causæ ita promiscuæ jurisdictionis, ut secundum jura communia, apud Ecclesiasticos atque civiles judices agitari & puniri possint: sæpiusculè tamen evenit, ut, cum civiles judices concessam sibi in hac re provinciam & jurisdictionem administrare atque exercere velint, id ipsum ne faciant, per judices Ecclesiasticos sub excommunicationis pœna eis interdicitur, prohibeturque. Quod si diutius perstare deberet, brevi Ecclesiastici judices à civili magistratu, ejusq; jurisdictione, quascunque etiam causas eximerent, suæque assererent ditioni: id quod Cæsareæ Majest. cæterisque Imperii Romani membris grave est & intolerabile.

Et quanquam secundum jura communia, manifesta perjuria atque adulteria, maleficiorumque præstigiæ, ac consimiles aliæ causæ, per Ecclesiasticos ac civiles judices, promiscuum, uter occupârit, civiliter pro tempore plecti possint, habeatq; ita præventio hac in re locum: attamen Ecclesiastici judices, contra omnia jura, causas hujuscemodi solis sibi, suæq; jurisdictioni usurpare conantur. Quod ipsum jurisdictioni civili non ferendum est onus ac gravamen.

Quemadmodum causæ prophanæ, sub prætextu denegatæ exsecutionis, ad Ecclesiasticorum consistoria trahantur.

71. Item, si quando personæ laicæ in causis, etiam omninò prophanis, à judicibus Ecclesiasticis citationes impetrare conentur, prætendantque, magistratum civilem debitam sibi juris executionem facere neglexisse, antequam summariè, saltẽ per evidẽs aliquod docuerint instrumentum,

mentum, justitiam, ut queruntur, sibi denegatam: citationes tamen, atque alii judiciarii processus, à judicibus Ecclesiasticis ad solam potentium querelam his decernuntur. Quod si deinceps ad petitionem vel civilis judicis, aut partis in jus vocatæ, causæ hujuscemodi ad ordinarium tribunal remittantur: præfigitur civili judici perbreve, quatuor hebdomadarum puta, tempus fatale, intra quod actoris intentioni & querimoniæ ex integro atque ex asse executionis ordine satisfaciat. Ac si in arctissimo ita præstituto termino, sententia diffinitiva aut non fertur, vel executioni lata non mandatur, libertatum dehinc judex Ecclesiasticus dat actori laico, coram suo tribunali ulteriùs procedendum. Fitque non raro (mirum hoc auditu) ut causa, quæ intra mensis spacium coram civili consistorio agitari peragique debebat, quod hæc eadem apud Ecclesiasticum judicem, triennio aut eo ampliùs pendeat hinc indecisa.

72. Ajunt prætereà judices Ecclesiastici, in talibus casibus, prophanas ad se causas pertrahere sibi licere, si magistratus civilis in administranda justitiæ executione negligens inveniatur: è regione tamen ferre minimè possunt, ut in pari casu idem juris cum eis servetur: nimirum, ut in causis Ecclesiasticis, quispiam de neglecto cultu justitiæ ab Ecclesiasticis, apud laicos aut civiles magistratus conqueri, ac justitiam sibi per civiles magistratus administrari, postulare possit: quanquam jura communia in genere definiant, statuantque quo pacto canonica civilibus, & è regione canonicis civilia jura opem suppetiasque ferre debeant.

Quo pacto judices Ecclesiastici seculares causas, prætensa jurisdictionis prætextu, in se transferre conentur.

p. 233.

73. Neque hoc plerisque longa experientia rerum ac eruditione doctis, probatur, quòd judices Ecclesiastici quibusdam in locis, diuturni usus, quasi possessionis, adimpletæque præscriptionis prætextu, laicorum controversias coram se dirimendas, hactenus præsumserunt. Nam ex ea re Cæsarea Majestas, Romanumque Imperium haud parùm detrimenti patitur, ut puta, quod non minimus Imperii honor, temporalis scilicet jurisdictio, memoratæ præscriptionis velamine minuitur, attenuatur, & penitus ab imperio ad Ecclesiasticos refertur. Quod contra recepta apertaque jura esse, nemo est qui nesciat: quibus statuitur & cavetur, ut nulli præscriptioni, quantumvis longæ, adversus præeminentem cum Papæ tum Cæsaris potestatem sit locus.

Quàm iniquè homicidæ, aliique peccatores ab Ecclesiasticis judicibus duplici afficiantur pœna.

74. Cum divina humanaque jura vetent, ut nemo duabus cædi debeat virgis: meritò plerique, quibus cerebrum est, nonnullarum cathedralium Ecclesiarum odiosa statuta, perversosque mores, quibus utriusque sexus homicidas, reliquosque majorum minorumve criminum reos hucusque vexârunt, detestantur.

Nam hactenus servata est consuetudo, quòd homicidii, similiumque facinorum, quos casus Episcopis reservatos vocant, rei, peracta in aurem confessione, publicam pœnitentiam, in totius populi conspectu, cum magno suorum ipsorum dedecore, ignominia, infamia, subire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma non usquequaque improbanda foret utpotè, quæ ad primitivæ Ecclesiæ instituta quàm proximè accederet: si hac contenti, non etiam ampliorem justo peccantibus egregii isti, maleque officiosi officiales extorquerent pecuniæ summam, duplicique delinquentes punirent pœna. Qua re mirum, quàm multi offendantur. Quod quàm iniquum, quamque longè à Christi instituto sit alienum, cuique sanæ mentis conjectura assequendum relinquitur.

Quomodo funestæ pecuniæ intuitu, Ecclesiastici judices, & Officiales illegitimas cohabitationes & usuras tolerent.

75. Præterea officiales auri sacra pellecti fame, usuras ac pecuniæ fœnus illicitum, nedum non interdicunt, sed & passim permittunt, fovent, ac tutantur. Insuper etiam clericos, religiososque & seculares, accepto ab eisdem annuo censu, publicè cum suis concubinis, pellicibus, & aliis id genus meretricibus, illegitimè cohabitare, liberosque procreare sinunt. Quæ res ambæ quantum scandali, periculi, detrimenti, fortunis, animabus, & corporibus pariant, non est quod recenseatur: cùm nemo id, nisi talpa cæcutiat magis, non videat.

76. Prætereà contingit aliquando, quod alter conjugum belli, votorum, seu alia quapiam causa peregrè proficiscatur: qui si aliquanto diutius, quàm alterius conferat libidini, absit, tum officialis alteri, pacta tamen numerataque priùs mercede satis magna, cum alia victitare persona ac cohabitare indulget, non præhabita priùs diligenti vestigatione, superstésne sit absens conjunx, an naturæ concesserit. Et ne hoc eorum factum à quoquam calumniari possit, tolerantiæ nomen ei, non sine magno mortalium offendiculo, sanctique matrimonii contemtu, indiderunt.

Ut officialium delegati, seu synodales judices, illicitos è domibus census exigant.

77. Et hoc Germanis posthac non ferendum onus est, quod synodales judices quarundam regionum oppidula & vices ostiatim peragrant, censusq; è domibus annuos exigunt: quos ubi tenuis plebecula persolvere nequit, protinus cum excommunicationis jaculis petitur: ad eorumquoq; censum solutionem cum summa rei familiaris attritione atque attenuatione compellitur. Quod si penitus amoveri non potest gravamen: aliquo saltem fine ad æqui bonique regulam coërceatur.

Quo pacto hebdomadaria pecunia à mechanicis exigatur.

78. Pari modo proxime memorati judices quibusdam in locis à stabulariis, pictoribus, laniis, propolis, molitoribus, ejusq; generis mechanicarum artium professoribus, qualibet septimana
p. 224. pecuniam postulant, qua forte per inopiam non soluta, Ecclesiastico ad id fulmine adiguntur.

De iniquis Ecclesiasticorum arrestis (ut vocant) & impedimentis.

79. Non mediocrem item superioritatis & jurisdictionis temporalis jacturam Cæsarea majestas Romanumq; Imperium patitur, ex male observata hactenus pluribus in locis diuturna consuetudine: videlicet, quod Ecclesiastici judices, ubi inter duos laicos civilis orta est controversia, ad alterius partis petitionem literas inhibitorias emittunt, quibus alteri partium mandant, ne inceptam coram seculari seu suo judice litem prosequatur, sed in Ecclesiastico coram sese judicio compareat. Huic mandato ubi pars vocata obtemperat, & se suamq; causam ad suum ordinarium judicem remitti in judicio petit, tum primum libellus, articuli, exceptiones, replicæ, duplicæ, & cæteræ id genus scripturæ, utrique producuntur, quibus, reliquisque actis & agitatis, perlectis, numeratisque potius, quam ponderatis, tandem interloquuntur, controversiam coram se ventilandam esse: cui sententiæ propterea, velint nolint, parere coguntur, (etiamsi maxime ea graventur) quod appellationem ad curiam Romanã interpositam, ob immensos cum labores tum impensas, prosequi nequeant. Neq; enim cuivis commodum est, adire Romam.

An vero talibus similibusq; sententiis se suspectos reddant, necné, cuilibet bono viro coniiciendum relinquitur. Unum hoc certum est, quod ex jam enumeratis casibus, copiosa civilium causarum sylva, jurisdictioni temporali ac civili magistratui indies subtrahitur atque eripitur. Quod non solum juribus & æquitati, sed etiam rationi contrarium esse dignoscitur.

Ut plerique inopia rerum laborantes, judicialium expensarum, variorumque laborum & expensarum formidine, ad iniquas transactiones compellantur.

80. Neque hoc silentio præteriri potest, quod Ecclesiastici judices & officiales miseros ac simplices laicos, multoties ad iniquas, illicitas, sibique penitus nocivas transactiones adigunt. Nam si quando eos in jus vocant, magna patronorum, tabularum forensium, scribarum, cæterorumque, quorum opera in judiciario strepitu uti necessum habent, caterva, nullo ære conducta, sed gratuito conquisita, stipati adstant: at pauperibus illis prophanis, egestate pressis, id hominum genus non nisi magno conducendum est. Quod ubi fortunæ reiq; familiaris tenuitas denegat, ni penitus causa, etiam justissima, decidere velint, transactionem seu compositionem utcunque iniquam inire coguntur. Qua re quantum graventur tenues, nemo est, qui non facile id deprehendat.

In multis Ecclesiasticorum consistoriis, externi causarum patroni & procuratores quàm non admittantur.

81. Et hoc hactenus Germanis multum attulit molestiarum, quod per Ecclesiasticos judices nulli coram se litigantium partium aliis uti advocatis & procuratoribus licet, quam iis, quos sibi suisque tribunalibus, jurisjurandi sacramento obnoxios reddiderunt. Ne tamen nihilominus externi patroni à litigatoribus consulantur, adeò breves præfigunt terminos, ut neq; adiri unquam possint. Et ne hoc eorum factum, tanquam æquitati contrarium, improbari possit, se id in controversiæ commodum facere, affirmant, quo celeriorem per consistorii juratos procuratores sortiatur exitum.

At interim meridiana luce clarius apparet, qua synceritate, quaue dexteritate id agatur: nempe compertum habent officiales, se suosq; superiores à consistorii advocatis & procuratoribus timeri: & sic miseri clientes, patronorum verecundia, dum (quod contra Ecclesiasticum judicem, eiusúe superiores, quæcunque in parte facere possent) in judicio proponere non audent, ultra quam par sit, negliguntur. Quam rem Ecclesiastici Prælati, iiq;, quorum in territorio tale exercetur consistorium, cum prohibere penitusq; eradicare deberent, tuentur ac defendunt.

Et id potissimum eam ob causam, ut, si quando ipsis, subditisue ipsorum in Ecclesiastico judicio experiendum sit, dicti advocati & procuratores contra ipsos exteris suis clientulis ea, quæ causæ sibi postulat necessitas, consulere, in judicioque præponere vereantur, ne si diversum facerent, Prælatos sibi infensos, judicesq; sibi malè propitios redderent: talemque advocatorum & procuratorum metum ac formidinem, nemo est, cui vel cerebrum sit, cui læva in parte mammillæ cor saliat, qui inficias ire vel possit vel audeat: cùm id quotidiana experientia adeò eluceat, ut nemini non nisi fortè iis, qui nondum ære levantur, sit exploratissimum. Quotus enim quisque est advocatorum vel procuratorum, qui non amore, spe, timore, invidia, favore, muneribus, similibusue affectibus, animo non aliquando, rectoq; consilio deiiciatur: cùm nihilominùs, vacui etiam prædictorum affectuum, vix tandem precibus precioue inducantur, ut nihil diligentiæ, laborum nihil, nihil item clientenculi jurium prætermittatur? Enumeratis vero gravaminibus nulla præsentior adhiberi posset medicina, quàm si litigantibus à certo usque limite, & advocatos & procuratores vel consulere, vel ad consistorium secum adducere liceret.

p. 225.

Quam levibus ex causis, pauperibus Sacramenta denegentur.

82. Et hoc facinus Christi disciplinam profitentibus penitus abominandum est, quòd iis, quibus res est angusta domi, ubi parochis & Ecclesiis ad diem solutioni destinatum, per inopiam satisfacere nequeunt, corpus & sanguis Christi, sacrosancta quæ nobis Sacramenta in remissionem peccatorum reliquit, denegantur, imò quasi pignus præcluduntur, non attenta ulterioris dilationis (& quidem modicæ) petitione. Quanquam tales similesque causæ pro conditione sua coram secularibus judicibus meritò finem sortiri deberent.

83. Item, cum agricolæ autumni tempore vindemiare cupiunt, quemadmodum unicuique ad sui utilitatem facere licet: nihilominùs tamen, si vindemia illa displicet spiritualibus (ut vocant) qui eo loci decimas possident, miseris inhibent agricolis, sub excommunicationis, necnon pecuniarum pœna, ne uvas colligant, priusquàm ipsi id permittant: (unde evenit, ut sæpè pauperculi illi non parvo afficiantur damno, cùm uvas suas, quas maximis expensis & laboribus per integrum coluerunt annum, vindemiare non audeant: etiamsi illæ interim vel frigore pereant, vel etiam marcessere incipiant) tantummodò ob decimarum lucrum iniquum, sæpius etiam ob invidiam detestandam. Quæ ambo contra jura sunt divina, fas, & omnem pietatem, ac ideò meritò aboleri debent.

Ut Ecclesiastici synodis abutantur.

84. Nec minùs molestum, grave, & Germanorum vulgo intolerabile est, quòd synodales judices pluribus in locis quotannis (id quod non nisi post annorum intercapedinem, ut fieret, juribus permissum est) obequitant: ac mirum, quid fictitiæ jurisdictionis, aut superioritatis exerceant. Hoc interim constat, simplici popello hac via subtrahi necessaria alimenta. Neq; talis peragratio eo fine & ordinatione, quā à summis Pontificibus instituta est, observatur. Nam pro pœnis & correctionibus, quibus facinorosos & criminum sontes à vitiis deterrere deberent, pecuniam præsentem & numeratam, & quicquid deniq; eis in lucellum cedere potest, exigunt. Id quod in superioribus etiam partim memoratum est.

De Canonicis, cathedralium & collegiatarum Ecclesiarum Parochiis, reliquisq; religiosis personis: & primum, quòd iniquis nexibus Episcopi & Prælati à suis adstringantur Capitulis.

85. Illicitum est & hoc, pleneque iniquum, quòd Canonici, Ecclesiarumque cathedralium præeminentiores, quorum in manu potior Ecclesiasticorum judiciorum, synodorum, ac censurarum pars sita est, reliquiq; collegiatarum Ecclesiarum Canonici, quibus eligendi superiorem potestas est, nullum in Episcopum seu prælatum eligunt, nisi se priùs jurejurando adstrinxerit, planeq; devoverit literis quoq; interdum, instrumentisque sigillo probe munitis caverit, ipsis, ipsorumque ordinatis judicibus & officialibus in nullo utcunq; gravi vel inhonesto, intolerrbiliq; proposito, se contrarium fore. Ac si quando eos deliqnere contigerit impunè eis per ipsum ut hoc sibi liceat.

De non ferendis ultrà oneribus, quibus misera plebs pro Sacramentorum administratione gravatur.

86. Pleræq; item parochiales Ecclesiæ monasteriis, prælatis, aliisq; Ecclesiarum curatarum rectoribus, incorporationis (ut vocant) seu alio quopiam jure, subditæ sunt, quas, etsi ipsi juxta Canonum constituones per sese providere eos teneantur, aliis elocant gubernandas: beneficiorum dotem, ac decimas plerunque sibi ipsis reservant: & præterea tam enormibus absentiarum pensionibus gravant atque onerant, ut conductitii isti parochi, eorumq; vicarii, viceplebani, sacellani, coadjutores, cæteriq; conductorum Ec-

clesiarum administratores, competentem sustentationem, decentiaq; alimenta inde habere nequeant. Quo fit (nam unde conducticii isti pastores & mercenarii vivant, habeant oportet) ut illicitis exactionibus locatas sibi oviculas misere deprædent, omnemq; substantiam tantum non absumant.

Postquam enim altaris baptismique Sacramenta administranda sunt, primus, septimus, tricesimus, anniversariusque dies peragendus, auricularis confessio audienda, mortui sepeliendi, & quicquid deniq; reliquum est, quod ad vita functorum ceremonias observandas operæ precium arbitrantur, id gratuito faciunt nequaquam; sed tantum exigunt, extorquent, exugunt, quantum misera plebecula vel cum summo suo dispendio præstare difficulter potest: talesq; exactiones usq; ad summum Indies augent atq; accumulant, nonnunquam quoque excommunicationis fulmine ad solvendum adigunt: plerosq; etiam, quibus per inopiam non licet, ad celebranda vita functis obsequia, anniversarias, & alias eius farinæ ceremonias, compellere conantur.

126 *Vt ob Missas cantandas & legendas, pecuniam exigant.*

87. Neq; hoc præteriri potest, cum non minimum sit, quo Germani premantur, quod sacerdos unius diei Missas, ad quas aliàs fundationis, seu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non semel, sed quater, quinquies, pluriesúe venundant, unaq; Missa duobus, tribus, aut pluribus Ecclesiasticis beneficiis satisfacere præsumunt.

Quo pacto Parochi à suis parochialibus subditis, ubi domicilium mutare voluerunt, pecunias emulgeant.

88. Item, sicubi curatæ Ecclesiæ subditus domicilium, matrimonii seu alterius cujuspiam negocii causa, in aliam transferre parochiam, animo secum volutat, non prius migrandi licentiam à parocho impetrat, quam ubi pro testimonialibus literis aureum numeravit nummum: quem si solvere vel nolit, vel egestate pressus non possit, Sacramentorum interdicto, donec satisfecerit, mulctatur.

Ex hoc itaq; ac cæteris supra tactis oneribus & gravaminibus facile deprehenditur, mirumq; in modum emicat, quod omnia Romanæ Ecclesiæ Sacramenta his, qui opibus abundant, auro venalia sunt: reliquis verò, quibus minimum suppetit nummorum, & iniquus est Plutus, ille divitiarum deus, non impartiuntur, sed penitus denegantur.

Quemadmodum sepulturæ ius quibusdam mortuorum cadaveribus magno sit are redimendum.

89. Papalibus statutum est canonibus, ut his duntaxat publici juris Ecclesiastica denegetur sepultura, quos in manifestis & plane notoriis, mortalibus (ut vocant) peccatis, ex communi hac mortalium sorte, absque Dominici corporis sanguinisúe participatione, migrasse compertum sit. Verum Ecclesiastici, non animadversis talibus Pontificum decretis, forte fortuna aqua suffocatos, gladio, ruina, vel incendio occisos, jugulatos, atq; vita casu functos, etiam si non pateat, peccatis mortalibus obnoxii decesserint, necné, in Ecclesiasticam tumulare sepulturam non permittunt, quo usq; tam inliquo fato mortuorum uxores, liberi, amiciúe ab ipsis cœmiterium non modico ære comparaverint.

Vt plerią; Ecclesiastici vitam laicam, planeą; rixosam agant.

90. Nec minus etiam Germanis molestum est, quod potior parochorum, sacerdotum, monachorum, aliorumque Ecclesiasticorum pars, in diversoriis, stabulis, ac choreis, populorum turbis se immiscent: in plateis item habitu minus decenti, utpote gladiis, vestibusque ludicris: præterea rixis, jurgiis, litibus, altercationibus laicos ad iram, & consequenter ad arma provocant, vulnerant, nonnunquam etiam confodiunt. Deinde excommunicationis fulmine miseros illos laicos, vel quos læserunt, eo usq; diu vexant, quo usque ad libitum suum laici se cum his composuerint.

91. Item in locis plerisq; Episcopi & eorum officiales non solum sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa persolvatur pecunia, sed & sacerdotes continentes, & qui absq; concubinis degunt, concubinatus censum persolvere cogunt: asserentes, Episcoporum pecuniæ indigum esse: qua soluta, licere sacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant. Quàm res hæc sit nefanda, nemo non intelligit.

Quo pacto nulli Ecclesiastici publicas exerceant tabernas, & illicita corradant lucra.

92. Ecclesiastici item, potissimum in his locis, ubi jurisdictionem habent, in templorum dedicationibus publicas exercent tabernas, suisq; sacellanis & sacerdotibus taxillos, chartulas lusorias, & quicquid ad ludum pertinet, convivis administrare, ac omni supposito pudore, illicitum inde percipere lucrum student, idque superioritatis quodam jure sibi licere, asserunt: quanquam Pontificum Canones, Imperatorum leges, omnesque omnium provinciarum magistratus vetent, ne Ecclesiastici ita à decoro & honesto devient, ut his se involvant nego-

negociis, circa quæ vix laicos occupatos esse decet.

Quomodo Ecclesiastici moribundis, ut suos & legitimos hæredes defraudent, persuadeant.

93. Inter cætera etiam hoc obticendum est nequaquam, cum non minimum sit onus, quo Germani gravantur, quod regionum pervagatores, quos vulgo Terminarios ac Stationarios vocant monachi & sacerdotes, infirmos, animamque iamiam agentes, ac præsertim eos, quibus æs esse in cista norunt, temporalibusue bonis abundare compertum habent, blandiloquentia, adulatione, verbisque venustulis (ut ad pessima quæque hoc genus hominum semper plus æquo instructum est atq; paratum) adoriuntur, circumveniunt, persuasionibusque fictitiis eò tandem adducunt, quod sibi potiorem & pecuniarum & bonorum partem in Testamentis legant. Qua re liberi agnati, ac cognati, reliquiq; sui & legitimi hæredes, quibus potius tota hæreditas illæsa relinquenda erat, contra omnem æquitatem, mirum qua jactura afficiantur, interdumq; ad miseriam usq; adigantur.

p. 237

Quibus mediis innumeram pecuniæ summam, mendicantium ordines Romam importent, virginumq; vestalium monasteria molestent.

94. Cum nemini dubium sit, his, qui jura experiri volunt, pecunia, eaque, non modica opus esse, & plerique mendicantium ordinum regulis addicti, multas causas atque lites in judicialem controversiam, non sine magno ordinariorum, parochorum, atque laicorum detrimento, contra fas nefasq;, imò nulla omnino necessitate exigente, Romam pertrahant: tribus insuper eorum generalibus, quos vocant, Cardinalicii galeri dignitatem innumera (ut fertur) pecunia comparaverint: non parum timendum est, ne non præfati mendicantium ordinibus subjugati, multa sacrarum virginum, & præsertim ea, ubi se solos dominari nôrunt, monasteria, in quibus Principum Comitum, Baronum, nobilium, ac civium liberi frequenter vitam vivunt, pecuniis expilent, ac depeculentur: & eis dehinc quibuscunque aliis modis, interitus, perniciei, molestiarum, variorumq; incommodorum radix atq; origo sint: interimque misere captivas moniales, sub perpetui pœna carceris adigant, ne cuiquam alii, quo secum pacto agant, manifestent. Id quod quibusdam in locis plus nimio, proh dolor, compertum est.

Quibus verò pharmacis huic morbo mederi possit, cogitandum relinquitur, Num præstaret, quod virginum monasteriis, ac mendicantium ordinibus, in meri ac mixti Imperii jurisdictionibus sitis (quibus hactenus, per jurisdictionum magistratus ac potestates, nulli præfecti essent curatores, seu dispensatores) duo ætate, moribus ac probitate perspicua præstantes viri, unicuique tali monasterio seorsim præficerentur, qui omnibus eorum communibus computationibus, acceptorum videlicet & expensorum, interessent: quibusque curæ esset, ne in posterum prædicta virginalia cœnobia, à mendicantibus monachis, eorum non necessaria præsentia, vel quocunque alio modo gravarentur. Qua una re procul dubio efficeretur, quod dictorum annui fructus, census, redditus indies augerentur, monialium personæ in magnum usque excrescerent numerum, & sic multò melius, uberius, & utilius, quam si ipsam pecunia vel Romam, vel in alium quempiam locum indecentem conferatur, sustentari possent.

De Romanorum Pontificum Legatis & Oratoribus, nec non comitibus (quos vocant) Palatinis.

95. Accidit aliquando, quod Legati & Oratores Romani cum Papalibus (ut vocant) facultatibus in Germaniam mittantur: qui talium facultatum vigore & prætextu, liberos vulgò conceptos, naturales, bastardos, spurios, damnato ex coitu prognatos, aliosque, qui contra Christi instituta, legumque sanctiones in mundum editi atq; expositi sunt, legitimos efficere & ad actus quoscunque legitimos & idoneos reddere, ad successiones item cum legitimis & naturalibus liberis habiles facere & admittere, omnium denique statuum ac dignitatum capacitatem tribuere conantur: cujus tamen rei in Romani Imperii territorio nullam omninò habent potestatem. Nec parum inde litium, jurgiorum, errorum, controversiarum, offendiculorumque in sacrosancto Romano Imperio oritur, quod ex non concesso coitu concepti cum legitime editis ad parem admitti debent successionem. Quam rem, ut nimium Germanis molestam, tolli, amoveri, penitusque aboleri, summopere Imperii ordines petunt.

96. Pari præterea modo à Romana sede jam dictis legatis vicecomites Palatini sufficiuntur, simili data potestate legitimandi, ad successionem admittendi, & omnia instar legatorum, quorum jam ante mentio facta est, efficiendi, nec non notarios creandi: qui tamen vicecomites adeo sunt inidonei, adeò inhabiles, adeo literarum ignari, adeo deniq; rerum inexpertes, ut minimum etiam, quod ad No-

Notariatus artem pertineat, ignorent, unde non immeritò subsequitur, quòd multo ineptiores, quàm ipsi sint, creent Notarios: ut semper dignum, quod in proverbio est, contingit patellæ operculum. Quod ipsum Imperii status abrogari, efflictum rogitant.

Præfati item Apostolicæ sedis nuncii & legati à jurejurandis, pactis, obligationibus absolvere, & sic absolutos ad agendum denuo restituere moliuntur. Qua una re æquitati fideique humanæ nihil est adversum magis.

97. Conantur insuper, beneficia, quæ patronatus juri subsunt, conferre, & sic patronis tam Ecclesiasticis quàm secularibus in juribus suis derogare, penitusque eos privare: quod etiam merito abolerur.

p. 128.

Utriusque sexus religiosi, in suorum monasteriorum, clausarum, fundationum, aliorumque conventuum commodum succedunt secularibus: cùm ipsi vicissim ab illis ad hereditates neque vocentur, neque admittantur.

98. Neque hoc Germanicorum gravaminum postremum est: quamvis ultimum hic sortiatur locum: mos non amplius ferendus hactenus inolevit, paulòque altiùs, quàm par sit, radices egit: videlicet, quod monachi, moniales, Beguttæ, *Beghardæ*, Nolhardi, Conventus, & quicunque tandem sunt, qui se religiosos & à popularibus segregatos profitentur, parentibus, consanguineis, agnatis, ac cæteris amicis in hæreditariis bonis aliquando in partem, nonnunquam in totum succedunt: ac vicissim eorum cognati, seu necessarii laici, à prætactis religiosis, ad ipsorum hæreditates adeundas, non solum non vocantur, sed nec admittuntur quidem: quod Germanis & grave & molestum, injustum etiam, ac non diutius tolerandum onus est.

Ea propter necessario ac summa prudentia curandum est, ut deinceps nemo se memoratorum religiosorum votis vel astringat vel addicet, nisi prius ea de re civiles magistratus certiores fecerit: quorum præsentia, authoritate, & consilio, religionem ingredi volentibus, à parentibus & amicis, juxta cujusque fortunam ac facultates mediocriter provideri debet, ut habeant, unde commodè in monasteriis vivere possint. Ea tamen lege, eo pacto & conditione, ut omnibus hæreditatibus, omnibusque parentum, fratrum, fororum, cognatorum, cohæredum, acquorumcunque aliorum successionibus renuncient: in animumque nequaquam inducant suum, se in posterum hæreditario jure quicquam nedum spectare, tantum abest, ut, consequi se posse, putare, queant. Idemque & cum his, qui jam olim religiosorum regulis sese subjecerunt, fieri, à sacri Romani Imperii statibus & petitur & censetur.

Quòd & in proximè habitis VVormatiæ comitiis, de hactenus memoratis gravaminibus tractatum sit.

99. Potior item pars hactenus enumeratorum articulorum, Rom. sedem, Archiepiscopos, Episcopos. Prælatos, Officiales, Ecclesiastica consistoria, cæterasque Ecclesiasticas personas concernentium, Cæsareæ Majestati in proximo Principum ac Procerum VVormaciæ celebrato conventu; à laicis Imperii columnis & statibus, in scriptis, non sine supplicibus oblata est precibus: quo prædicta gravamina, æquitate necessitateque ita postulantibus, aboleat, atque è medio penitus tollat. Quod ipsum non clam Archiepiscopis, Episcopis, reliquisque Ecclesiasticorum statibus, in prædictis comitiis factum est. At hucusque nihil vel immutare, vel emendare cœperunt.

Eam ob rem seculares Imperii ordines necessario, urgentibusque ex causis adacti sunt, Papali sanctitati suprà memorata, ac non amplius ferenda onera, prout sua sanctitas, clementi, Christiano, planeque paterno animi affectu fieri petiit, indicare: atque suppliciter rogare, ut prædicta gravamina sua sanctitas emendet, atque è medio tollat.

Plura adhuc gravamina ob oculos versantur, indicatu maximè necessaria, quæ tamen brevitatis gratia omittuntur.

100. Quamvis seculares sacrosancti Romani Imperii ordines longè graviora multoque plura adhuc haberent onera, quæ, æquitate interpellante, indicanda forent: at ne justæ brevitatis modum excedere, videantur, jam recensitis hoc tempore, reservatis aliis in magis commodum tempus, contenti esse volunt. Ea spe freti, ea fiducia nixi, ubi hactenus enumerata abolita fuerint gravamina; quod & reliqua unà corruitura sint.

Petrus Turellus.

Hic Mathematicus & Astrologus eminentissimus (qui & Francisco primo captivitatem *Papiensem* vaticinatus erat) ante annos plus minus centum his versibus præsagiit talia de Francia & religionis discrimine:

Astrologus vates hac nuncio mæsta, Nepotes,
Corpore qui grandis, Rex tertius ordine fratrum;
Prædiras edet cædes, lanio ipse suorum,
Quas propter surget civilis Francia bello:

Proli

Proh dolor, & Procerum, praeceps cadet ista duello.
Non erit una fides, non lex, non unicus & Rex:
Multi sed Reges, leges, & relligiones.
Serviet haud minimis in partes scissa ruinis,
O Deus, à variis sanè lacerata Tribunis,
Sic ruet infelix, per Reges, Francia, cives,
Antea quae felix per Reges Frācia dives,

Wenceslaus Rosdialovinus.

p. 229. Dominus VVenceslaus Rosdialovinus. Praepositus Pragensis, apertè dixit: Spiritum Christi per Lutherum in Ecclesiâ operari. Et in literis ad ipsum habetur: *Quod* in Bohemiâ Joannes Hussius: id est tu, Martine, in Saxoniâ. Perge modò in *D*omino: ne nimiùm fidas hominibus: ne metuas, si te feriant anathemate: quod accidit Apostolis & ipsi Christo, ne mireris, id tibi quoque accidere. Imp. *Carolo* 5. Papa Clemente 7. ut sup.

Querela Sacerdotum.

Edita est anno 1524. Querela *Sacerdotum* contra reformationem factam Regenspurgi: ubi miseri sacrificuli fortunam suam deplorant, quòd meretrici unicae, aut conjugi apud illos non sit locus: Cardinalibus autem & Episcopis, decem, & plures meretrices liberum licitumque sit admittere. Imp. *Carolo* 5. Papa Clemente 7. ut sup.

Nicolaus Leonicus Tomaeus de varia historia libro 3. cap. 31.

A Styanassa mulier impudicissima, quae fuit una ex Helenae ministris, de variis concubitus generibus aliquot volumina conscripsit, quam postmodum Philenis & Elephontis, pervulgatissimae mulieres, sunt insecutae, quae de ejusmodi rebus non minùs accuratè, quam turpiter commentaria reliquêre. Imp. ut sup. Pap. 226. Clemente 7.

Wolf. F. Capito.

Scripsit hic, Sacerdotes teneri, salvo suo honore, civili jurejurando se magistratui obstringere.

Joannes Virdung Mathematicus.

Praedixit mutationes varias Ecclesiastici status, & fluctuationes naviculae Petri. Quem vide in sua praxi. Imp. Carolo 5. Papa Clemente 7. ut sup.

Georgius Episcopus Sambiensis.

Dominus Georgius, Episcopus Sambiensis, sacrificulo suo in mandatis dedit anno 1524. ut quàm primùm sibi Germanicam Lutheri Bibliorum versionem, postillam, & alia opuscula sedulò conquireret, iisq; diligenter, ut ad rem maximè conducibilibus, uteretur. Imp. Carolo 5. Papa Clemente 7. ut sup.

Joannes Baptista Folengius in Commentario Psalmi 105.

Ajunt, nostrâ aetate, morbo pediculari, qui morborum est turpissimus, & infamissimus, interiisse Clementem septimum Pontificem Max. Nonnulli venenum suspicantur. Mortalis erat, atque propterea sexcentis, ut caeteri quoque ex vulgo homines, obnoxius miseriis & aegritudinibus, &c. Imp. Carolo 5. ut sup.

Catharina Regina Galliae.

Reginae Franciae, Catharinae Medices, Henrici regis conjugi praedictum est ab Astrologis, tam natam esse ad destruendum principatum, ad quem connubio perveniret, teste Guic. ciardino, quemadmodum ejus avunculus etiam, Clemens VII. Pontifex Carolo V. retulit, Jovio narrante in sua historia. Id an ita sit, penes lectorem judicium esto. Imp. Car. 5. Pp. Clem. 7. ut sup. p. 230.

Bilibaldus Birckheymerus.

Vixit hoc tempore hic *B*ilibaldus, vir doctissimus, *Caesaris* consiliarius: scripsit inter alia defensionem podagrae, & de Germania. Aliorum quoque libri de Germania & ejus laudibus extant, ut Taciti, Æneae Sylvii, Ioannis Tritheymii, Andreae Althameri, Henrici Bebelii, Iacobi Wymphelingi, Hieronymi Gebuileri, Conradi Celtis, Sebastiani Munsteri, Georgii Spalatini, Petri Kenleri, Ægidii Tschudi, Henrici Glareani, Huberti, Thomae, & Petri Divaei.

Laurentius Cardinalis, Papae legatus Ratisbonae.

Hic, ad reformandos abusus Ecclesiae, & reformandum clerum, constitutiones quasdam edidit, ubi inter alia apertè fatetur, quid Luthero occasionem dederit verbis sequentibus:

Paribus sententiis receptum fuit, hanc perditissimam haeresin, rudi populo plausibilem, ob libertatem illi falsò persuasam, praetextu evangelicae charitatis, non parvam tribu isse occasionem, partim à perditis moribus & vita clericorū, partim ob non diutius dissimulandum sacrarum sanctionum, ecclesiasticarumque constitutionum abusum: & proinde non parum momenti fore extirpandae haereticorum Lutheranorum, & eorum sequacium sectae, si clerici ad honestatem vitae moresque suos illos, quos divus Paulus exigit & praescribit, debita censura reducti, abususque laicos malè offendentes, sublati fuerint.

Itaque habitis maturis deliberationibus, & piis consiliis Ferdinandi principis, Cardinalis, ac ducum, & episcoporū, atque

atque nunciorum suorum, salutares aliquot tam necessariæ reformationis sacerdotum, presbyterorum, religiosorum, & clericorum modos præscribere, statuere, sancire, atque edere, necessarium duximus.

In constitutionibus, quas hic Cardinalis legatus sancivit, singulariter observandum: Omnia Cleri vitia prohiberi, fornicationis autem nullam mentionem fieri, ideo quod non prohibetur, conceditur. Imp. Car. 5. Papa Clem. 7. ut sup.

Exhortatio viri cujusdam doctiss. ad principes, ne in Decimæ pastationem consentiant ex Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum.

Si unquam Germaniæ Principibus prudentiâ, consilio, concordiaque, pro defendendo honore, & omnium utilitate, opus fuit, Alemanni proceres excellentissimi, inprimis indigere mihi videntur hoc tempore, quo in prædam Romanæ avaritiæ deputantur, ac dedecorosam servitutem, ita blande propositam, ut illa homines, priusquam intra viscera penetraverit, sese captos non sentiant. Est enim modus fallendi adeo vafer, ut, his cœptis versutiis (quid enim non excogitat avaricia) existiment, acuti hominis fraudem à nemine posse deprehendi: præsertim à vobis Germanis Ducibus non, quos cibo semper refertos, & vino madidos arbitrantur, & declamant publice: & ob id liberius ad decipiendum aggrediuntur.

Præbuerunt præterea tempora fallacibus hominibus constantiam in spe præsenti. Quando enim non est assensum illorum malis artibus? cum saltem adfuerit, qui vel mediocriter didicit fraudi fucum adpingere. Constat profecto, nullam partem Christiani orbis ab hujusmodi prodigorum genere non esse callidè tentatam: multos reges & principes fraudulentor deceptos, sed singula secum reputanti occurret, nullam gentem sæpius illusam, habitamqi ludibrio, ac nostram.

Non, ô inclyta Germania, ad libros relego, ut gesta hominum cognoscas legendo: satis ampla, quæ memoria hujus ætatis tenet. Quo magis vereor, ne inscitia temporis præteriti successum præbeat malo incumbenti. De quo brevem tibi, Germania, sermonem subiiciam: quanquam nil novi à me audies, quod per inclytos tuos principes non melius noris.

Quadriennium habitum Romæ concilium: primum de Repub. Christiana (quanquam legitime Iurisperiti & Theologi disputent) nondum erat finis, tamen
235. de colligendis decimis omnium assensu decretum est. Volutus erat lapis ad locum suum. Placuit ergò, rejecto reliquo negotio, tanquam parum utili, invocato sancto Spiritu, concilium dimittere. *Gratiæ* agendæ Deo, per quem operationes nostræ incipiunt, & cœpta rectè finiuntur. Porro impium est, quod Concilio placuit, id putare displicere Deo, quo hæc aguntur authore.

De pace agitur inter reges: qua firmata, visum omnium suffragiis, Asiatico hosti conjunctis viribus bellum inferre. Emittuntur è vestigio quatuor Legati (nisi ob quintum collegium, & ob computum erraverim) ad nationes Christianas: ut reges, & principes ad expeditionem instigent, ipsi verò pecuniam emulgeant. Quibus fortè dicebatur? Ite in orbem universum, prædicate dicentes: Qui crediderit, & decimas solverit, salvus erit. Quorum nuper, cum Bononiæ essemus, tres vidimus ingredi tantâ pompâ & apparatu, ut sapientes ad eorum errorem allicerent.

Dilatate, inclyti Germani, Imperium Christianum: frangite vires hostis impurissimi. In hoc omnibus nervis incumbite, quo nomen Christi extendatur. Res pia & sancta est, ut à nemine potest deprehendi: nisi quis malit Turcæ, quam Christo servire. Verum sub hoc prætextu, per hanc fictam pietatem, sub hoc umbrato nomine, expilare imperitiorem populum, sugere lac gentium, inebriari mammona regum, dico, scelus esse multo probabilius, quam quæ à Turca inferuntur. Non quod tanti faciam, pecuniâ privari: (quam sceleratus citius quam probus habere potest) sed quod nullo pacto ferre debeamus, (quantum in nobis est) quod angelus Sathanæ transfiguret se in Angelum lucis, & populo pietatis propinet impietatis venenum: ut populus, se rem sacram facere Deo, existimet: avaritiæ sacrificet, quæ mater est falsæ religionis.

Falli, errare, labi, decipi, ubiq; turpe est: per religionem vero, turpissimum, quam unam nobis contra noxios mores contulit divina bonitas. Hæc absolutam artem pietatis nobis proponit: Primum, Deum amare omnibus viribus: proximum deinde, ut nos ipsos. At quando illum amabimus, cum videmus, eius sacrosancta præcepta pollui manifestò? Nec tamen ocurrendo: sed potius connivendo, opem ferimus impietati. An ille proximum sincerè amat, qui, in incommodis illius removendis, nihil est occupatus?

Nolo amicum nihil solicitum de salute meâ. Inimicus habeatur mihi, qui injuriam à me non propulset, si potest: & tamen illa non legimus, non audimus: sed quotidie fieri videmus: nullo hominum præluctante: sed vel patiente ad omnem ignominiam: quasi non potius contumelia sit Deo, quàm obsequiũ, stulta patiẽtia.

Utinam tam facile possint ista evitari, quam reprehendi: & principes nostri nollent perpetuò connivere: sed tandem aliquam partem, si non totum, perversæ

consuetudinis præcidere. Quanto æquabilius res tam profanæ, quam sacræ se haberent? Ego enim sic existimo, Imperia his artibus melius retineri, quibus acquiruntur. At Imperium Christianum non armis, non gladio comparatum est: sed pietate, & optimis vivendi exemplis. Quæ postquam passim abierunt: omnia bona retro lapsa sunt. Multa Imperia perdidimus: quoniam artes, per quas parta sunt, non retinuimus. Amissa est pietas: retinuimus nomen. Salutamur in vita sanctissimi: & post mortem nemo nos dignatur nomine sanctitatis. Ab hac parte paulatim cœpit proserpere virus exitiale. Deinde cæteri proceres secuti sunt non segniter.

Ergo mirum non est: quod à nobis alienatur cælestis favor, & nos non cognoscit amplius, atque prædæ relinquit improbo hosti. Pontifices enim Romani postquam cœperunt profana cum sacris conjungere, imo relictis sacris, solum profana admirari, quam bene consultum fuerit Reipublicæ Christianæ, quam bene placuerit superis ipsorum institutum, eventus comprobavit. Amissis externis: interna infinitis seditionibus conturbantur: divina despiciuntur: venditur Christus, lana ovium tondetur: de custodiâ studium nullum.

Omitto hîc Hispaniam, Gallias, Orientem cum Occidente: quantum pro palliis similibusque figmentis, ætate duorum principum, Friderici & Maximiliani, una effudit Germania? Si Roma, ut institutum est in fiscum collegisset: vel Germania (veluti par erat) in unum contulisset: haberemus jam nervos Reipub. abundè sufficientes bello Asiatico. Nec opus foret, orbem jam fatigare Christianum, & novis onerare (ne dicam exenterare) eius quotidie pauperes tributis: & ex eo errore pauperes facere.

Provenit pontifici ex suâ terrâ vectigal, quantum nulli regum Christianorum: & tamen pallia emimus, & tamen asinos auro onustos Romam mittimus, patibula Christi erigimus, munera promittimus, aurum pro plumbo mutamus, negligentias (hem lapso calamo) indulgentias passim admittimus. O avaritiam immensam carentem fundo, canum impurissimorum, nescientium saturitatem, ut est apud prophetam Danielem?

Certè emere pallia factum duco: modo id prosit aut pietati, aut valeat ad conservandam communem utilitatem. Sed cum utrunq; horum tot seculorum experientia refutet: & pallia tantum extiterint simulata instrumenta perditissimæ avariciæ: surgat jam aliquis, atque justam causam dandi proferat in medium, qui timeat pontificis fulmen. Probus Episcopus aliquis, concordiâ fratrum, puraq; conscientiâ electus, non faciet, puto: sed concupiscens, multis modiis aureorum emere Romanum centonem.

Non probat Paulus Apostolus, qui nos devorant, qui in faciem cædunt, qui nos in servitutem redigunt. Quandoquidem non Christianam charitatem, sed meram tyrannidem illi præ se ferunt. Foris facto fures in pellibus ovium, in us lupos rapaces agunt. Mihi justus dolor est ob nefariam avaritiam, totum mundum esse sub umbrâ religionis pollutum.

Quem enim locum, quantumvis obscurum, illa contagione non contaminatum ostendas? Quæ Respublica non multa amisit? qui princeps jus actum servat integrum? Quæ sacerdorum collegia non sunt contaminata? Quis pessimos mores (nomen apud nostros majores abhorrendum) induxit in Germaniam? & quæ honestè nominari non possunt, docuit? Qui fœdarunt societates hominum? qui norunt egregie fallere, decipere, peierare, testamenta supponere, divina & humana profanare, miscere lites, quietos perturbare, deniq; cœlum & terram confundere? Nonne Romanâ Italicaque proluuie ista sentina sese in orbem terrarum effudit? adeo, ut ne saltus & sylvæ (ubi lustra ferarum tantum esse dixeris) hoc malo careant. Episcopos merito sacrosanctos esse dicimus, sed prodeant, quibus est illæsa sua authoritas: & hunc veluti bonum valde, & rarum merito suscipiemus. p. 231

Non sunt longe petenda exempla. Sermoni meo concordant res Vestræ. Sed quid ego ista comemoro, quæ declamationis exempla superant? Ad institutum sermonem redeo.

Turcam profligare vultis: laudo propositum: sed vehementer vereor, ne erretis in nomine. In Italiâ quærite, non in Asiâ. Contra Asiaticum quisq; nostrorum regum, pro finibus suis defendendis, per se satis est. Ad alterum vero domandum, totus orbis Christianus non sufficit. Ille cum finitimis quoq; tumultuans nobis nondum nocuit, hic ubiq; grassatur, & sanguinem miserorum sitit. Hunc cerberum nullo modo sedare potestis, nisi aureo fluvio. Nihil armis, nihil exercitu opus est. Plus valebunt Decimæ, quam equitum turmæ, & militum copiæ.

Duplex mihi videtur via proposita, dum rem diligentius considero: unam, quæ, jubente superstitione, aurum petit: altera renuentibus pontificis fulmen minatur. Vtram vultis, ingredimini. Sed ô stultam & superstitiosam opinionem credentium, cœleste numen, omnia æquis oculis intuens, ad nutum Florentinorum flecti & reflecti, irasci non danti, & rursus non largienti placari! Non est Christi vicarii fulmen contemnendum: sed nec semper ab illius jactu pertimescendum: præsertim cum res agitur pro humanis affectibus. Christi indignationem veror, Florentinorum non vereor. Iam verò Florentiæ agitur negotiũ, non Christi.

Su-

Superiori æstate sumtu non debili bellum gestum est cótra Franciscum ducem Urbinatem, quo regno ejecto, sed priùs placato aureâ gratiâ, Laurentius Medices in locum succesſit. Ibi satis providus non fuit Julius 2. quòd non plus auri reliquit. Ergò inventa fuit quædam fraus nova: quicunq; plura dare potuerunt Cardinalium, hi inventi sunt conspirasse in necem Pontificis. Horum bona Fisco scribebantur. Subsecuta est discordia fratrum cordigerorum: quæ quantû lucri attulerit rabulis Florentinis, rem pro voluntate in omnes partes flectentibus, quid attinet narrare? cùm fidem superet largitio mendicorum.

Non libet narrare erectas cruces Salvatoris per cuncta oppida, ad mensuram dantes propitias. Prætereo scenam de æde Petri, & risus & indignationis plenam. Templum Domini, templum Domini, templum Domini, clamat propheta! sed non est templum Domini. Laurentius ædificat, non Petrus. Lapides noctu migrant.

Nihil sic fingo, electisſimi principes Romani Imperii orbis. Quid solicitatur pro æde Petri, in quâ duo tantùm opifices operantur, & alter claudus: nisi quòd nuper in frequentiâ peregrinorum concitabatur tumultus artificum: currebatur: clamabatur: videbantur stulti, & picti angeli excipientes munera largientium; ferentesq; in sublime. Ridere poteratis mecum, commoti ob præstigias aucupii. Sic risit olim veberabilis Pater Cyprianus præ indignatione, viso Christo, pedibus & auribus asininis depicto. Deflere libet fortunam seculi corruptisſimi, ob supremam negligentiam Episcoporum atq; Principum, permittentium, populum suum ita nequiter decipi.

Omnes illas artes invenit fraus Florentina, & propediem nefandiores excogitabit: animadvertite modò. Quisque modò dies novam pariet curam. Timetur, ne corpus pontificis crassum immaturâ morte perturbet consilia. Fugato duce Urbinate, similem fortunam minatur Ferrariensi principi. Quo pariter ejecto, regnum constituemus: & regem Thusciæ salutabimus Laurentium Medicem Civem Florentinensem.

Sed quia nostra fortuna mutabilis est; & citiùs potest mori Leo decimus, quàm ista optatum finem consequantur: & fieri potest, ut Leonis successor discedere cogat Laurentium ex alienis regnis: ideò contra adversum adventum ducenda est uxor Laurentio in Galliâ, cujusdã potentis ducis filia: emendusque ibi principatus ad parandum adversus fortuitos casus, sicut decet sapientem virû, duobus regnis profugum. Facta est emtio, signatæ tabulæ: dati fidejussores. Satis diu Medices fuimus, principum regumq; fortuna ambienda est.

Habetis jam breviter caput Decimarum, & insidias Turcæ, duce superstitione, in viscera vestra latrocinantis. Quamobrem resistite nefando conatui. Nolite assentiendo contaminari impietate. Quod rectum est, quod ratio suadet, sequimini. Signatum est lumen vultus tui, Domine, super nos. Illud errare nolentes non sinit: mementote, vos esse Germanos: hoc est, populum ante alios naturâ liberiorem, sicut hostes vestri de vobis scripserunt. Nolite alicui esse vectigales; ante omnes verò Florentinis non.

Proferant se in Judicium nostri Episcopi, indignum servitutis jugum à cervicibus suis abjicientes. Sed verentur omnes: musſitant quidem, quòd dicere non didicerunt: alii metu fulminis: nonnulli spe novi honoris. Unus omnium, mihi venerabilis Laurentius sese erigit: qui sæpenumero gravem hymbrem consilio, & prudentiâ suâ à Republicâ Franconicâ amovit. Atque ideo coronâ aureâ meritò laureandus: augustiore verò, si hanc quoque tempestatem removerit. Ad quem honorem studium omne convertat alacriter divino monitu.

Nos, qui ab eo sacerdotum collegiô decorati sumus, audentiùs deprecari volumus. Oremus pro Pontifice nostro. Dominus conservet eum, & vivificet eû, & beatum faciat eum in terrâ, & non tradat eum in manus inimicorum ejus. In manus inimicorum traditur, quando audire contemnet eum qui dicit: Ego Dominus amans judicium, & odio habens rapinam, qui sit in secula seculorum benedictus, Amen. p. 235.

De spoliis, exuviis, & reliquiis Sanctorum, ab Antichristo divinis honoribus effectis: ex libro Romæ circa annum 1525. edito. 1525.

Ethnicorum idolomanias & superstitiones omnes mecum, Lector Christiane, quæso, perpende, & cum illis confer hodiernam Antichristi religionem: vilescet, & excusandus, quamvis execrandus, Ethnicismus procul dubio videbitur, præ isthoc Antichristianismo. Ethnici enim ex naturæ caligine, & mentis hebetudine (quæ semper Deum investigare & colere, si calamitates sentit, satagit, verû autem cognoscere nûmquam potest) numina sibi finxerunt, nunc homines, nunc animalia divinis cultibus prosecuti sunt: sed Antichristi nostri de industria mentem præ cognitione Dei, quæ ex verbo sacro hauritur, obtundunt:

Ethnici, ut opem & suppetias: antichristi, ut opes & divitias consequerentur, in superstitiones prolapsi sunt: si Ethnicos ignorantia non excusabit, quantò magis Antichristos sua pertinacia damnabit: siquidem in extremo judicio gentiles exsurgent, & damnabunt illos, dicturi: ô si Deus sese ita nobis manifestasset, in humilitate, fide, gaudio, & gratiarum actione eum apprehendissemus: sed vos illum, se tam benignè vobis ultrò offerentem, haud quaquam suscipere voluistis.

Sed illorum paululum attingamus superstitiones, quarum tanta copia, ut omnes regiones, urbes, oppida, templa, altaria, denique quilibet ferè angulus illis scateat: paucissima ponemus.

Charrovienses monachi dentes, crines etiam præputium Christi (horrescit mēs præ his blasphemiis) hominibus, ut revereantur, ostendunt, præputium idem Romæ etiam in templo Lateranensi asservatur: mendacium arguit loci diversitas. O tenebriones & mendaciorum fabros, quæ res, quæ spes vos muniet ab impendente divina ultione? quid respondebitis justissimo judici, quòd tot innocentes animas in gehennam induxeritis?

Sanguis Jesu Christi plus quàm in centum locis; ut Rupellæ à Nicodemo chirothecis suis exceptæ aliquot guttulæ. Mantuæ magnæ phialæ plenius sanguinis, Biliomæ in Avernia in crystallo ostēsus adoratur, nec illinc procul & aliis locis, & præsertim Romæ in Eustachii templo aliquot fidelias plenas habent, & octingentis annis post ejus mortem demum repertum esse, non sine grandi blasphemia & pessundatione preciosissimi Jesu Christi sanguinis, mentiuntur.

Aquam insuper cum sanguine mixtā, quæ fluxit de latere Christi, Romæ in tēplo Lateranensi ostendunt. Præsepe ejus Romæ in æde Mariæ majoris veneratur: in D. Pauli æde ibidem, ut & in Hispania in Salvatoris templo lodices Christi habentur, item cunabula, & indusia ejus: Romæ colitur altare, in quo sistebatur Christus, columnaque qua nitebatur. Hydriæ illæ sex habentur aliquæ Ravennæ, Pisis, Cluniaci, Andegavi, & in Hispania, in templo Salvatoris: Aureliæ vinum ex aqua factum conservatur: calcei Christi in sancto sanctorū Romæ cultu proscinduntur idololatrico: mensæ, super qua cœnam Christus administravit, in templo Lateran. Romæ honor impenditur: panis particula, quem distribuit Apostolis, in Hispania in templo Salvatoris ceu Deus adoratur.

Treveris cultrum, quo agnus paschalis dissecabatur asservant: prope Lugdunum in templo Mariæ Insulanæ, item in Helvetia in Augustinorum aliquo monasterio ille Christi, discipulis cum sanguine porrectus, qui unicus tantum etat, ostenditur: Romæ, & Genuæ, & Arelatæ; his tribus in locis patinam agni paschalis unicam habere credunt: supparum Christi Romæ Lateran. templum sibi vendicat, idem etiam Achi in Germania reperitur: frustum quinque panum Romæ in novæ Mariæ æde, aliud frustum in Hispania in Salvatoris æde commonstratur, ut & palma, quam Hierosolymam adveniens gestasse fabulantur: terra, cui institit Lazarū resuscitans, passim sacra habetur.

Crux Christi ab Helena, Constantini Imp. matre, inventa antiquitus credebatur, & adhuc hodie crux eadem Hierosolymis esse creditur, quam tamen Helena divisit, & filio suo Constantino partem Constantinopolin, ubi adhuc esse dicitur, misit, alteram autem partem Hierosolymitano Episc. argento incrustatam transmisit.

Mendacium olet hoc valdè grande: insuper & hoc evincit, nullam omninò crucem Christi reperiri, quòd tam innumerabiles portiones & frustra passim in universo orbe, in omnibus templis & monasteriis ostenduntur, quæ pluris fiunt ac Jesus Christus Dominus ipse, ut ex iis propemodum sexcentæ cruces confici possint. Sed astutè hanc oblocutionem anticipant, & medentur hoc mendacio: nempè, crucem ipsam, licet multæ resecentur particulæ, non tamen minui, sed ejusdem semper esse magnitudinis, ac ab initio fuerit.

Tenebriones Antichristi ligneæ crucis Christi ferè ubiquitatem in mundum introduxerunt, persuadendo, ubilibet frustum de ea superesse, adorarique eam non secus ac Deum quendam debere: sed amaræ ejus crucis, passionis, & mortis, ut & ipsius Christi, nullitatem homines docuerunt, tradendo, non sufficere passionem ejus ad satisfactionem pro peccatis, operibus debere quæri gratiam & scelerum remissionem, mancam mutilam & imperfectam, imò prorsus inutilem esse crucem, & sic, se crucis Christi manifestò inimicos esse, ostendunt.

Sed miriones Calvinistæ, Crucis ubiquitatem, puta passionis & mortis ejus, ad salvandos homines sufficientem & perfectam esse, asseverant: Christi autem hominis ubiquitatem mundo denegant: & sic corpus Christi, quod Antichristi cellis & buccellis suis includunt, Calvinistæ cœlis intrudunt, cœlo & terra excluditur ab utrisque. B. 834.

Meritum Christi non dissimili impietate ab Antichristis toto mūdo proscribitur, & ejus nescio quod corpus phantasticum sub pane adorant: Calvinistæ verò meritum Christi sibi salutare fatentur, sed, corpus ejus nec in mundo esse, nec in cœlo adorari debere, blasphemantur.

Vah

Vah blasphemiarum & tenebrarum profunditatem, lignum & alias res futiles & inutiles pro filio Dei Jesu Christo adorare, & sanguinem ejus pessundare: vah perversitatem, meritis & beneficiis Christi frui velle, & corpori ejus majestatem, omnipræsentiam, & divinum honorem, quæ ascendendo super omnes cœlos, ut omnia in omnibus impleret, propria à patre accepit, denegare, dejerare, & exuere.

Sed tanquam diluvium quoddam, superstitiones & idolomaniæ mundum inundaverunt. Monstratur ab Antichristis clunium Christi (vah flagitium, vah turpitudinem, vah blasphemiam infernalem) Remis expressa forma in lapide, quam, cùm Christus lapicida factus esset, sculptam nugantur. O immanem hominum dementiam & securitatem, quòd tam pertinaciter Deum in Excelsis blasphementur, nec iram divinam exhorrescant, nec dextram ultricem Dei reformident, iò immensam longanimitatem Omnipotentis, ad pœnitentiam humanum genus invitantem tam fideliter, nihilominùs ipsamet contemnitur.

Nec minori cum superstitione adhuc Tolosæ inscriptio crucis Christi retineri putatur, Romæ in S. crucis æde eandem reperiri, à mendacibus traditur.

Clavi tres, quibus Christus crucifixus est, in quàm plurimis locis asservari dicuntur, Helena, filio suo, ut Theodoritus perhibet, unum super galeam ejus posuit, reliquos duos fræno equi ejus appendit, sed Ambrosius inquit, Coronæ Constantini unum impositum, ex altero frænum fabrefactum, tertium Helenam reservasse: nihilominùs Mediolanenses, illum fræno appensum clavum se habere, gloriantur. Carpentoractenses eundem sibi vendicant, duo præterea Romæ, in templo Helenæ alter, alter ad S. crucem deprehenduntur, item unus Senis, alius Veneriis: etiam alii duo in Germania, alter Coloniæ, alter Treviris esse, ut & Pariisis in sacello S. unus creditur. Carmelitæ quoq; unum habent, in S. Dionysii templo Galliæ itidem unus, alius unus Draguinianæ, item alius in Abbatia, quæ à forpice aurifabri nomen habet, cum veneratione asservatur, Bituriges, se quoq; unum habere, superstitiosè autumant.

Annon, in reprobum sensum hos omnes datos, verè dicitur, qui tam impudenter tribus clavis quatuordecim aut pluribus in locis cultum impendunt, non sine immani in filium Dei Jesum Christum contumelia.

Cuspis sarissæ, qua latus Christi transfossum, quatuor in locis, Romæ, Parisiis, in monasterio forpicis aurifabri apud Xantones, & Selvæ prope Burdegalim adhuc conservatur.

Spinea corona Christi in omnes regiones dispertita est, Parisiis tertia ejus pars. Romæ magna pars pro numine custoditur, Senis, Vincentiæ, apud Bituriges, Vesontii, in Monteregio, in Hispania Compostellæ, & in templo Salvatoris, in Helvetia, Tholossæ, Mantiscone, Chatronii, Cleriaci, Sanflоridi, Sanmaximini in Provincia, Sallæ, Novioduno, & alibi rami de ea, aut toti fasciculi, potiùs nidum ciconiarum, quàm coronam efficientes, tanquam res sacra & divina coluntur.

Purpura Christi respersa sanguinis guttulis alibi adhuc remanet. Tunica ejus inconsutilis in pago Argentoliæ prope Lutetiam Parisiorum, item Treveris, item in Turcia à Mahometistis custoditur. Tesserarum militum altera Treveris, altera in Hispania in templo Salvatoris, velut sacrosancta res, asservatur. Sudarium Christi Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti & Vesontii, Cidonii, Lemovici, in Lotharingia, & Romæ in Vestalium aliquo monasterio devotè à superstitiosa plebe honoratur. Arundo quæ Christo pro sceptro dabatur, Romæ in Lateranensi templo, & spongia in æde S. crucis superest. Triginta Judæ argentei religiosè adhuc, quasi res sacra, conservari creduntur.

Cauda asini, quem inequitavit Christus, Genuæ (ô sanctas reliquias) ostenduntur, & magi ante eam, quàm ante Nomen Domini sese Antichristi humiliant. O maledicta pravitas, in asini cauda gloriari, & Dominum gloriæ blasphemiis onerare. Spiritus sanctus vult, ut osculemur Filium, ne irascatur; hæ infernales bestiæ, pontificii caudam, vah caudam, asini deosculantur.

Piscis particulam Christo à Petro oblati, item vestigia Christi aliquot, item lachrymas Christi, & sanguinem, aut ex imaginibus Christi, quarum multæ ubiq; adorantur profluxum divino prorsus cultu afficiunt.

Has & infinitas alias idolomanias Pontificii cum Christi reliquiis, ut impiè nominantur, quotidie cum extrema animarum jactura committunt: sed in his non acquiescunt, verùm Mariæ omnibusque Sanctis, eorumq; reliquiis ita sedulò vota sua solvunt, pertinaciter adorant, & impensè adeò honorant, ut, Deum Omnipotentem nomen & gloriam suam idolis his, & inanibus reb⁹ concessisse, populus superstitiosus omninò persuasum habeat.

B. Mariæ lactis tanta copia in Papatu passim creditur, adoratur, & colitur, ut centum mulctralia eo commodè impleri possent. Crines ejus, pecten, indusia, vestes, pepla, Josephi crepidas & caligas cum admiratione suspiciunt, Apostolorū autem doctrinam cum indignatione despiciunt: vide, quò prolapsus sit Antichristus.

 Michaë-

Michaëlis archangeli pugio & clypeus, quib. usus est in monomachia cum Sathana, à Toronensibus adorantur, & ostenduntur. Joannis Baptistæ (ut ad Apostolos etiam veniamus) syncipur Ambiani, idipsum incolæ Joannis Angelici etiam se habere jactant: occiput Melitæ, illud ipsum etiam Nemorosæ, maxillæ ejus Vesontii. alia pars Parisiis, auricula Arveniæ, frons cum capillitio in Hispania, Novioduni etiam pars quædam magnis ceremoniis ubique commonstratur: nihilominùs Romæ integrum caput Joannis in Silvestri cœnobio reperitur: brachium ejus Senenses habent, digitus, quo Christum commonstravit, Vesontii unus est, Tholossæ item unus, Lugduni quoque unus, apud Bituriges unus, unus Florentiæ, & prope Mascum in æde Joannis Fortuiti. Sex hi sunt digiti, &, unum illum, quo Christum ostendit, solum modo à conflagratione immunem fuisse, fabulantur.

Calcei ejus Parisiis residui adhuc sunt, ante 20. annos alter surreptus fuit, sed admodum citò alius, nescio unde, exortus est. Romæ vestis ejus de pilis camelorum visitur, ut & altare, super quo eum in eremo orasse tradunt: Avinione gladius, quo plexus erat, Achi in Germania storea ei substrata, aliaque multa de Joanne B. passim extare finguntur.

Petri malam cum barba, cerebrum (quod opertum Genevæ adorabatur, sed cum scrutarentur homines, invenerunt pumicem) sellam & vestem episcopalem, altare, gladium, baculum, calceos, catenam, & columnam, quibus alligatus erat, omnia hæc & alia mihi incognita se habere, pontificii somniant, corpus ejus unà cum Pauli Romæ sepultum est.

Tholossatenses sex Apostolorum corpora: videlicet utriusq; Jacobi, Andreæ, Simeonis, Philippi, & Judæ secum esse, gloriantur: Matthiæ corpus Patavii aliud Romæ, aliud Treveris, membraq; aliqua alibi jacent. Matthæi corpus Salernæ positum est, caput, brachium, & ossa quædam Treveris inveniuntur. Thomæ corpus Orthonnæ esse, ferunt. Bartholomæi corpus Neapolis, item Romæ in téplo ei sacrato, & cutem Pisis papicolæ asservari dicunt. Andreas etiam aliud corpus Melphis, ut & Philippus, & Jacobus Minor habent. Roma alia corpora, præter superiora, item Simon & Judas ad S. Petrum etiam jacere dicuntur.

Joannis Evangelistæ calix & Romæ & Bononiæ, ut etiam tunica & catenæ ejus, venerantur. Anna mater Mariæ virginis corpus suum Aptæ reliquit, aliud Lugduni, insuper caput ejus Treviris adhuc ostenditur aliud, aliud Tureni, tertium caput in Thuringiæ oppido Annæberg, particulæ de corpore ejus plus centum in locis reliquæ sunt. Lazari corpus tribus in locis, Massiliæ, Augustoduni, & Avalonæ continetur: Magdalenæ sororis ejus corpus in duobus, Veseli & Sanmaximini reperitur: caput, crines, & ossa passim reverentia afficiuntur.

Illius, qui Christi latus transadegit, quem Longinum nominant. corpus pro Sancto Mantuæ, item Lugduni colunt. Magos & Mediolanenses & Colonienses sibi appropriant. Super Dionysii Martyris corpore Sandionysienses & Ratisbonenses coram papa ante centum aut plures annos concertaverunt adeò, ut Ratisbonensibus bulla papali illud adjudicatum sit. Stephani ossa & membra plus quàm in ducentis locis in sacro honore habentur, attamen corpus ejus Romæ in proprio templo integrum servatur, lapides, quibus obrutus, pro sanctis coluntur.

Carmelitæ Pictavien. Stephanum parturientibus obstetricantem non ita dudum finxerunt, molestissimè id ferentibus Domitianis, qui Margaretham obstetricem esse asserebant.

Innocentum puerorum exercitum cogere possemus, si omnes, qui pro sanctis adorantur, adscribere vellemus: in conscribendis mendaciis tædet nos operis. Laurentii corpus Romæ restat, ut & dolium plenum carnium ejus, item duæ fideliæ plenæ, altera sanguine, altera arvina ejus: carbones, craticula, & lodix, qua corpus ejus ab angelis abstersum fuit, adhuc supersunt. Gervasius & Protasius Mediolani, etiam Brisgojæ, etiam Vesontii sepulti sunt.

Sebastianus quadricorpor factus est, aliud Romæ, aliud Suessionæ, aliud Pilignæ, quartum prope Narbonam ejus patriam humatum fertur, insuper duo capita, aliud Romæ, aliud Tolosæ excavata habet, nam cerebrum sibi Andegavenses Franciscani adscribunt, quatuor brachia unum Dominicani Andegavenses, aliud Tholossenses, aliud Cassedeonenses in Arvenien, & quartum Monsbrisonnenses pro sanctis reliquiis jactitant, & nec sagittæ, quibus confossus est, superstitione vacant.

Petronella filia D. Petri Apostoli Romæ in æde patris, & apud Cœnomanenses in Dominicanorum monasterio, quia febrem curat, pro sancta adoratur. Susannæ, nescio cujus, corpus Romæ, aliud Tholosæ conservatur Veneti Helenæ corpus, caput ejus Colonienses conservant, Ursulæ corpus in Joannis Angelici æde, caput Coloniæ. item particulæ aliæ alibi custodiuntur. Tantus acervus ossium de undecim mille virginibus Romæ visuntur, ut illis avehendis equi quadringenti non sufficiant.

Hilarius, Egidius, Honoratus, Guilhelmus, Symphronius, Lupus, Ferreolus, Lampertus, & innumerabiles alii à papistis coluntur, & ostenduntur cultum illis præstituris, tantum modò propter illum Divum, qui vocatur sanctus Denarius, aut S. Venter. Sed & patriarcharum ossa, putà Abrahami, Isaacis, & Jacobi Romæ reperiri, apertissimo mendacio perhibent.

Arcam

Arcam fœderatis & virgam Aaronis in Joannis Lateranensis fano, item in Hispania in Salvatoris æde, item Parisiis adhuc remanere nugantur. Et hæc carptim & obiter delibasse jam sufficiat: tædet, pudet, & pœnitet plura perstringere: te. Lector Christianæ, qui es in sanguine Iesu Christi ab omni labe repurgatus, & qui in illius solius nomine, merito, morte, resurrectione, & ascensione ad cœlos gloriosissima, ab omnipotente patre, tam temporalem quàm sempiternam & vitam & salutem expetis, & expectas, annon has idololatrias diris devoves? annon execraris? annon mente consternaris? annon capilli tui retrò stant? Idola, ossa, linteа, ligna, lapides pro Deo adorantur. Gloria, quæ soli Deo debetur, putridis ossibus impenditur: sanctificatio, quæ Divino nomini sola competit, confertur in ligna, Honor soliy Dei Majestatis proprius, vah, turpissimis scrutis datur.

p. 236. Rex Gloriæ, Domine omnipotens, nos cum nomine tuo sub Antichristo ferè pessum imus, vindica majestatem nominis tui, & gloriam tuam, quam reportas ex creatione, conservationeque cœli, terræ, creaturarum, & nostri, neu concede idolis: & effice, ut Ecclesia tua te puro itorum ore lætabundi laudent & glorificet in Christo Iesu Salvatore nostro, Am.

Signum.

1525. Hoc anno Sol per integrum mensem apparuit magnitudine vix æqualis pilæ: quod omen subsecuta est mors Ducis Ioannis Friderici Saxonis, Christianæ piissimæque memoriæ. Eo enim die ipsius Cels. vitam cum morte commutavit Lochaviæ, & in augustissimo VVittenbergæ templò sepulturæ mandatus est.

Multa prodigia & signa ante ejus obitum apparuerunt: lucida Iris de nocte Lochavii conspecta: puer quidam orbus capite natus fuit in mundum VVitembergæ: & alius quidam infans inversis natus pedibus. Hanc mortem subsecutus est eodem anno terribilis quoque rusticorum tumultus, & seditiosum bellum, impium contra divinos magistratus molimen: quorum plures centenis millibus infelici ferro perierunt miserè.

Ejusmodi stupenda in Sole portenta etiam antecesserunt Rom. Imperatoris primi Iulii Cæsaris mortem, ab adversariis suis in curia Romana viginti & tribus confossi & dilaniati vulneribus. Per integrum enim annum Sol valde exigua lampade, & pallido lumine illuxit terræ. Vide Plutarchum de eius vita. Fincel. lib. 1. ut sup.

1525. *Orthuinus Gratius Dauendr. in præfat. libri, qui inscribitur Fasciculus rerum expetendarũ & fugiendarũ.*

In Synodo Basiliensi visum fuit patribus, mundum meliùs habiturum, si potestas Romani Pontificis aliquatenus adstringeretur: ut, cum omnibus ipse præesset, subesset tamen Ecclesiæ. Hoc sane constat, Pium damnasse, quod Æneas probaverat. Ut non tam verum sit juxta proverbium, cum vitâ dictam mutari, quàm animus ipse mutetur, & judicium. Imp. & Papa. ut sup.

Ex centuriis Epistolarum Theologicarum Joannis Schvvebelii. 1523.

Reperta sunt duo ingentia Monasteria in Ducatu Saxoniæ Ducis Georgii, alterum Monachorum, alterum Monialium, ubi longo tempore semper dimidia pars monachorum cucullis Monialium se induit: dimidia pars Monialium, cucullis Monachorum: atque ita dimidiata Monasteria invicem in libidine & luxu multos peperere infantes, qui tandem occisi, in secretis Monasteriorum reperiebãtur. Hæc atque alia stupenda super Castimoniâ Monachorum ad nos ab Eslingâ scribit Franciscus Irenicus. Nicolaus Gerbelius. Imp. Carolo 5. Papa Adriano 6.

Ioannes Ravisius Textor in officinâ. 1523.

Petrus presbyter Cardinalis, sedente in pontificatu Sixto quarto, in duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegit & vanitatibus: sexaginta millia æris alieni, argenteorum item 300. pondo dimisit. Decessit tabidus voluptate, annorum 29. anno Domini 1474. Imperat. & Papa ut sup.

Factum Memorabile. 1523.

Quidam Comes de Gleichen, multis Erphurdiæ notus, cum uxore sua honeste vixit. Is cum in militia adversus Turcos prælio captus esset, à Soldano rege in Turciam transfuctus est. Ubi cùm diu in vinculis retentus, faciendis operibus rusticis defatigaretur, accidit, ut filia regis voluptatis causa expaciaretur, & ibi forte videret Comitem suas operas exercentem, quem statim adit, interrogans, qua ratione eò pervenisset? Interea dum sic cum eo colloquitur, hominis forma & industria ita delectata est, ut ipsum inciperet amare. Proponit ei, si vellet ipsam ducere, se facile eum ex vinculis liberaturam, ac unâ cum eo in patriam profecturam esse. Cui ille respondit, in sua patria sibi esse conjugem & liberos. At ipsa inquit, nihil obstare, cùm moris sit apud Turcos, ut uni marito duæ vel plures conjungantur uxores. His auditis, acquiescit facile, pollicetur, se fidem præstiturum. Tunc Regina statim, ut ex vinculis dimitteretur captivus, effecit, & cum Comite abiit.

p. 237. Sic comes liberatus, postquàm venisset Venetias, invenit ibi suum ministrum jamdudum ipsum quærentem & expectantem: ex quo cognoscit, conjugem cum liberis & reliqua familia salvam esse. His auditis, comes *Romam* proficiscitur, & rem omnem Pontifici exponit, ut facta erat, quòd videlicet alteri fidem dedisset, redimendi se causa, & non ex petulantia, aut lascivia, cum tamen prior conjunx domi sit salva & incolumis. Quare absolutus est à *Papa*, & acceptis ab eo literis, revertitur domum.

Redeuntem statim agnoscit uxor, nihil offensa propter Turcicam reginam, & amore magno prosecuta est pellicem, cujus beneficio charissimum maritum receperat. Regina etiam facilè tulit Comitissam, ita, ut familiarissimè sine ulla discordia vitam inter se agerent. Deus autem, qui facilè toleravit hoc matrimonium, verum seu priorem conjugem multa prole beatam fecit, altera prorsus sterili manente: quæ tanquam famula tractavit & fovit alterius liberos.

Horum monumentum adhuc hodie Erphordiæ extat, in quo ex utroque latere uxores Comiti astant: altera regina, marmorea corona ornata: Comitissa sculpta est nuda, & infantes juxta pedes ejus reptantes.

Joannes Aventinus libro 1. *Analium Bajorum.*

Causa malorum omnium in hoc mundo non minima pravi sacerdotes semper fuerunt, qui sub prætextu religionis populum fallebant: & legem interpretando (quemadmodum & nostro ævo fieri solet) suis moribus aptam faciebant. Imp. 117. Carolo 5. Papa 216. Clemente 7.

Idem. Erat anno 745. in Bojaria sacerdos quidam latini sermonis ignarus: is candidatos religionis lustrárat hisce verbis: *Baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritus sancti.* Divus Bonifacius illos ceu prophanos abominabatur, & rursus aqua lustrica tingendos censebat. Sidonius maximus Bojorum Pontifex, (quem Archiepiscopum Laureacensem, & Episcopum Bathavensem nuncupabant) divus quoque Vergilius dissentiebant, pugnantemque sententiam sectabantur, prohibebantque, hujusmodi iterum lavacro sacro expiari. Nam pro Christianis ritè lustratis eosdem habebant.

Et cum Bonifacius non cederet, ad Zachariam Pontificem Romanum provocant. Hic *Bonifacio* rescripsit, Sidonii, & Vergilii opinionem approbat: tales tinctos esse declarat: siquidem sacrificulus ille, ob inscitiam Latinarum duntaxat literarum, absq; omni fraude ac dolo malo lapsus ita sit: nec aliquam fallaciam errori intenderit.

Idem. Quòd si Turcæ limites ditionis suæ adversum nos usque, quantum mea memoria, promoverint: & nos, sicuti soliti sumus, superbi erectâ cervice, hujusmodi rem despexerimus, profectò nobis trans Danubium in Germaniam magná rursus redeundum erit.

Idem. Deprehendi ego, Monachos, ut originem, principiaque templorum suorum augustiora vili plebeculæ faciant, animos vulgi imperiti fabellis ad quæstum confictis, allicere, & oblectare solere.

Idem libro 2. Philippus auditor *Christi* Hierapoli (civitas est *Asiæ*) lapidibus obrutus, crucique affixus est. Felix quoque tum præses Judææ fuit, apud quem D. Paulus vinctus perorat causam suam. Sub idem tempus, Imperii Claudiani anno secundo, quidam Petrum Romam venisse credunt. Quod mihi non fit verisimile: maximè cum *D.* Paulus narret Galatis, se duodevigesimo post suam conversionem anno Hierosolymis Petrum adiisse: qui fuit annus imperii Claudiani decimus, Christi verò alter & quinquagesimus. Ibidem refert, post hæc Petrum Antiochiam adiisse.

Hoc satis quoque constat, tertio Ne-Neronis anno, Paulum & Lucam Romam deductos, biennio ibi commoratos fuisse. Unde D. Paulus nomine suo & Timothei, ad plerosque scripsit, quos obscurissimorum quoque Romæ degentium verbis solicitè & anxiè salutat. Atque neque Paulus, neque Lucas ullam mentionem Petri faciunt, profectò non prætermissuri, si tum ipse Romæ fuisset.

Denique cum Paulus in Epistola data Corinthi ad *Romanos*, ultimo Imperii Claudii anno (quod curiosiùs inquirenti sacram historiam, perpalam fiet) ex via properans Hierusalem, iubeat ignobiles Romæ salutari: tantum ducem, legatum Christi, nunquam silentio præteriret.

Præterea in secunda ad Timotheum Epistola, dum secundò tribunali sisteretur, & gladius Neronis capiti ejus immineret, conqueritur, se ab omnibus derelictum, solum Lucam secum esse.

Cum itaque non incelebrati authores sint, eodem quidem die, verùm non eodē anno Petrum & Paulum à Nerone Romæ occisos fuisse, suspicantur alii, Petrum, Nerone Principe, & post cædem Pauli, demum Romam commigrasse. Quamvis non desint, qui, ipsum Romæ vivum quidem fuisse, omninò pernegent: quòd Paulo (quemadmodum est in arcanis sacrarum literarum) provincia docendi cultores Deorum (quorum caput Roma) deman-

demandata fuerit à Christo, Petro Hebræos duntaxat instituendi copia facta: quam obrem ipse & Babyloniæ ubi tum multi Judæi, ut Josephus scribit, erant: adeò ut potentissimum Regem Persarum bello lacessiverint) & ad Judæos Christi sectatores scripserit.

p. 238. Has ego pugnas ad contentiosos in palæstram relego, ut conjecturas humanas, certi nihil adferre possem. Nam Babyloniam à Petro, sicut à Joanne Romam appellari, authores sunt: alii *Babyloniam* Ægypti intelligunt: quæ nunc est Alchairum, antiquis Memphis.

Idem. Accusatus est Gebolibus, quòd cum canibus & avibus venaticis, contra officium sacerdotis Dei, luserit. Nostro ævo venari munus Episcopi honestissimum, & præcipuum esse existimatur: Pontifices nostri cætera munia à se longiùs in alios relegant: venationi, velut ad hoc cooptati, deserviunt. Quin & Monachorum quidam præsules, calvicie duntaxat, & bardocucullo pietatem præ se ferentes, magis superstitiosi, quàm pii, de hujusmodi nugis nobilitati, & principibus lites movent.

D. *Bonifacius*, qui ob hujusmodi lusum, tanquam rem prophanam, jure suo Gebolibum exauguravit, à Carolomanno & Pipino Moguntiaco præficitur. Mortuus est sub idem tempus Gregorius tertius, post quem ovili Romano pastor eligitur Zacharias. Gebolibus superior, Clemens, & Samson Scoti: Albertus Gallus, & ejusdem sectæ sacerdotes, atq; episcopi, nummarii, avari, libidinosi, sacrilegi, peculatores, temulenti, divo *Bonifacio* adversari vehementissimè cœperunt.

Erat illorum Deus venter, & ea, quæ sub ventre sunt. Venationibus deditì, & aucupiis, canes avesque alebant: arma deferebant, in militiam proficiscebantur: bella sectabantur: humano cruore, cæde, homicidio sese polluebant, nihilò secius tamen sacrificare, Evangelium legere nec erubescebant, nec metuebant. Atqui hi nebulones, quòd vulgo gratissimi ob similitudinem morum erant, in concionibus populum, qui fabulosis maximè capitur, adversus Bonifacium concitabant.

Idem. Nihil elatius, nihil superbius sacerdotibus erat: canes & scorta alebant, luxu, atque avaritiâ perditi. Decimas & hujusmodi donaria intercipiebant, contra instituta majorum: nil egenis elargiebantur: Ecclesiasticas opes, bona pauperum soli abligurìebant. In concionibus non rem Dei Opt. Max. sed negotium suum agere solebant. Quotidie liberis operam dabant, nihilò secius sacrificabant. Sacrosanctam victimam impuris manibus, pollutissimâ cōscientiâ contaminabant. Ipsi temperantiæ, omnibus virtutibus, maximè castitati, bellum indixerant.

Tibullus poëta, non solùm alienus à veritate cœlesti, sed amorum quoque scriptor, castos duntaxat sacris admittit falsorum numinum. Versus ejus libuit subtexere:

Vos quoq; abesse procul jubeo: discedat ab aris,
Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: purâ cū veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Nec facile, nec tutum est, hujusmodi ulcus tangere, atq; isthanc lacunā movere.

Idem. Quidam mystæ monachi (non de omnibus loquor) cùm ipsi nihil sapiant, instrumenta, ex quibus res gestæ disci solent, in capsas cistasq;, non unâ clave includunt: nec eruditos, nescio quid (ut sunt religiosuli) metuentes, videre, nedum legere sinunt. Ita horum sanctulorum stoliditate & ignaviâ, virtutum monumenta & historiæ intercidunt: cum tineis & blattis depugnant: suis prædiis homines avari, & quasi malæ fidei possessores, nimis timent.

Idem. Carolomannus, domitis hostibus, à pietate, uti Christianum decet principem, regnum auspicatur, fautorq; religionis labentem Christianismi disciplinam ad statum pristinum reducere studuit. Hujuscemodi edictum, quod oppidatim pependit, promulgavit:

In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Carolomannus dux & princeps Francorum, anno à nato Christo Servatore & authore nostro, septingentesimo secundo, undecimo Calendas Maji suasu & consilio sacerdotum Dei Opt. Max. & amicorum meorum, Pontifices regni mei, maximos, minores, cum presbyteris, nimirùm Bonifacium Archimysten, Burchardum, Reginofridum, Vitaum, Uvilevaldam, Dadanum, & Addanum, cum collegis eorum, & sacrificulis, ritu Christiano convocavi, uti mihi cōsulant, quo pacto justitia, & Christiana devotio instauretur, quæ negligentia & ignavia superiorum principum labefactata, collæpsa, terris depulsa corruit: qua denique industria populus Christi, à falsis & pravis sacerdotibus hactenus deceptus, & per anfractus confragosos & devios seductus, ad veritatis semitam reducatur.

Juxta igitur religiosorum sacerdotum & procerum meorum consilium, rogavimus, jussimus, decrevimꝰ, voluimus, hæcque placita præscripsimus:

Episcopi omnes, quos per civitates designavimus, Bonifacio Archiflamini, nuncio Christi, & legato divi Petri, dicto audientes sunto. Quotannis concilia celebren-

lebrentur: in hisce pietatem Christianam, candoremque Germanum, à malis sacerdotib. pollutum, expiante. Decimas, bona Ecclesiastica, occupata à prophanis restituimus. Falsi diaconi, presbyteri, sacrificuli, adulteri, scortatores, sacris opibus nequaquam alantur: quos omnes in ordinem redegimus, atq; exauguravimus: ad pœnasque pro criminibus luendas compulimus.

Nemo sacris initiatus, divinoque ministerio mancipatus, arma omninò ferat, aut in bellum, aut in hostem pergat. Unus aut ad summum duo episcopi, delecti suffragio, cum suis sacerdotulis principem comitentur ad bella, sacrificandi, comprecandiq; causâ. Cuique tribuno unus duntaxat à sacris pœnitentiæ, & confessionib. esto, Initiati canes, accipitres, & hujusmodi aves ad venandum nequaquam alunto. Destinatus aris & templo venatus si fuerit, divis devotus esto.

p. 139. Quisquis sacerdos Episcopo suo pareat, in quadragesima rationem suscepti muneris reddat. Ignoti presbyteri, Episcopi (nisi in conventibus solennibus eruditio eorum, & mores comprobati fuerint) repulsam ferant. Quisquis Pontifex det operam. præfectus (quem Franci Graphionem vocant) summo studio adnitatur, uti incantationes, auguria, sortilegia, & hujusmodi præstigiæ impunè non abeant: quæ etiam auspicio Dei Opt. Max. divorumque ejus fiunt: quos hujuscemodi contaminationibus magis ad iracundiam provocari certum est. Sacerdos scortator, libidinisque mancipium, in carcere pane & aqua pastus, pœnas luat.

Hoc quoque consensu mystarum & populi Christiani scivimus, ut propter crebra bella, & ferocissimarum gentium, quibus undiq; cingimur, assiduas in nos incursationes, pars Ecclesiasticæ pecuniæ, nempe duodeni denarii, quem solidum vocamus, contribuantur mihi, quò militib. nostris præmia condigna laboribus solvantur. Adulteria, incesta matrimonia severiùs cohibentor.

Hæc si nostro ævo fierent, & observarentur, magis propitius Christus nobis foret, nec tanta vitia nos enervarent. Si verum fateri licet, & divo Petro. Pauloq; credimus, deteriores Turcis, dum invicem ita sævimus, sumus: umbram speciemque pietatis præ nobis ferimus; virtutem verò ac rem factis abnegamus: Licentia, lasciviaque, & copia rerum nos corrupit.

Idem. Sunt, qui tradunt, Theodonem non abhorruisse à pietate Christiana, ad eumque venisse divum Rupertum, regio Francorum genere procreatum, quem, ut nuncium & interpretem sanctissimæ philosophiæ, à Christo Servatore nostro ad majores nostros divinitus legatum, veneramur.

Verùm Bojorum proceres vociferabantur, se non posse deserere avitas ceremonias, quæ ipsis tot triumphos præstitissent. Hanc novam religionem adversam esse viris fortibus, & rei bellicæ studiosis: religionem Christianam, ut vera sit, tamen inutilem esse Reipub. principem, siquidem suo officio fungi velit, non posse esse Christianum, Romani, quòd à veteri cultu numinum desciverint, hostibus suis inferiores esse. Christum omnium deorum esse pauperrimum, qui suis cultoribus nihil aliud, præterquàm contumelias, & egestatem polliceatur, & tribuat. Invidere denique ipsum cæteris diis, deabusque, consensu ab ævo totius orbis receptis, divinitatem.

Rupertus, cum frustra invitos servandi operam sibi sumsisset, domum revertit paucis post annis.

Idem, Proverbium vulgo protritum apud Germanos est, Omnia fert ætas. Quæ tum crimina maxima fuêre: nostro ævo, modò senatus Romani consensu fiant, pia censentur.

Ludovicus duodecimus Celtarum Rex nuper, cùm Carolus octavus ejus discessor obj. sset, uxorem sororem Caroli repudiat, indulgenteque Alex. sexto pont. Max. viduam Caroli ducit uxorem.

Romani pontifices, cum adhuc paupe- res cum Christo essent, modestiores fuêre: nec os suum in cœlum ausi ponere, tantam sibi solvendi legibus, ut libet, permisêre potestatem.

Haud alienum fuerit, de hac re Hormisdæ pontificis Romani verba referre: Ego me (inquit) in hoc periculo immittere non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam: nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tales & sanctos sacerdotes, qui decreta statuerunt, causam dicere possim. Hæc Hormisda.

Idem. De sacerdotum luxu Imperator leges tulit, quibus Pontificibus, monachorum patribus, universis denique sacerdotibus, vestimenti preciosi, serici, gemmarum, auri, argenti, etiam in baltheis, cultris, vaginis, phaleris, calcaribus, & hujusmodi usus interdicitur. Dicere solebat Plus, esse portentum, abominabileque inferûm ludibrium, aris addictum, devotumq; sacris, qui paupertatem Christi amplecti, & crucem ejus portare deberet, ad gloriam, luxumq; prophanorum aspirare. Sed Episcopi, præcipuè Galliarum, iniquissimo hæc acceperunt animo.

Idem. Exarsit flamma quædam discordiarum in Bojariâ. Nam episcopi inter se tumultuabantur, paucis antè diebus, quàm

quàm Arnulphus concederet. Gundolphus Bathavensis pontifex, Hyldbertus Salisburgensis archimysta mortem obierant: atque huic Egilolphum, illi Gerardum Arnulphus suffecerat. Hi post ducis mortem de archiepiscopi dignitate disceptare cœperunt.

Junavensis honorem à Carolo Magno templo suo traditum, à Bathavia eò translatum, retinere mordicus conabatur. Gerardus rursus Laureaco (quod in primordio religionis Christianæ initiatum esset, cujus fundamenta comites Christi jecissent, quod denique tot martyrum & confessorum sanguine dedicatum esset) vi ablatum ignavia sacerdotum, asserere summâ ope nisus est. & ad Pont. Max. provocavit: rem ad Leonem septimum urbis Romæ primarium sacerdotem detulit: suos collegas negligentiæ & socordiæ acriùs accusavit.

Romanus episcopus pallium archimystæ antistitis Salisburgēsi detrahit, Laureacensib. Pontificibus restituit.

Idem. Lotharius dum Romam, purgandi se causâ, proficisci parat, Nicolaus primus decedit, cui Hadrianus secundus ab Imperatore, sacerdotibus, senatu, populoque Romano substituitur.

Idem. Anno 855. Hyldescalcus Episcopus Tridentinus (ut nihil avarius vulgato etiam proverbio inveniri sacerdotibus solet: quæstum, sicut ait Paulus, religionem putant) vineas Episcopi Fruxinensis apud Bisonium coloniam Bojorum, ad Isaci & Athesi confluentes, occupat: Anno episcopus rem ad Ludovicum regem defert: is pontificibus diem dicit, apud Aybling in publico Bojorum conventu, vico superioris Bojariæ, in ripa Manguaide: jure disceptare jubet. Qui causam cognovêre, Judices, vineas Fruxinensi templo addixêre.

Idem. Ad Austrum Romæ Eugenius Episc. obiit. Valentinus à populo cooptatus, consecratusq; quadragesimo die occupavit. Huic Romani Gregorium IV. substituunt. Is non antè consecratus est: quàm Legatus Augustorum Romam venit, ut si dignum, qui vicem Christi Servatoris nostri, præsidendo rebus divinis, fungeretur, populus creasset, autor Cæsaris auspiciis fieret.

pi 840. Idem. Lotharius Romam profectus, statum Reipublicæ, quem superiorum Pontificum ambitio immodica, insatiabilis avaritia, versutiaque improba conturbârat, componit: intercepta direptaque fraude à flaminibus, dominis justis, antiquisq; possessoribus reddit.

Idem. Stephano quarto, primario urbis Romæ sacerdote, mortuo, Paschalis primus succedit: qui, missis legatis ad Pium cum munere & epistolâ, se confirmari petit. Nam Pontificem Maximum antè populus Romanus creabat, Augustus author fiebat: illum nunc flamines, lege à se latâ, cæteris exclusis, sufficiunt.

Idem. Puniţæ sunt Causidicorum merces, quorum perfidia nihil venalius. Nec est quisquam, quod Teutones nostro ævo magis ad summam egestatem redigit, quàm litium calumniæ, & Leguleorum aurisuga turba, qui quasi sorbi venales, fora constipant.

Idem. Solenne fuit quondam nostris regibus & Imperatoribus, quotannis concilia cogere: præcipuè Majo mense, ubi à singulis exactum jusjurandum, se futuros in potestate principis sui.

Idem. Cum tempore Henrici quarti Imperatoris Rom. Meginhertus Herveldensis antistes, & Burcardus Halberstadensis Episcopus, ob decimas decertarent, invicem ad tribunal Christi supremi prætoris provocantes, ambo die dicto subitâ morte absumti sunt.

Idem. Joanne octavo Pontifice urbis animam efflante, Marinus à senatu populoq; Romano, communi omnium consensu, in Pontificatum maximum cooptatur, Cæsarq; author fit.

Idem. Cæsar in Italiam pergens, Pontificatum maximum Hadriano tertio, à populo Romano in album Romanorum Episcoporum inscripto, sicuti tum mos fuit, committit, atque jure suo fit author.

Idem libro 4. Galliarum proceres, monachi, episcopi, rerum novarum avidi, aliorum detrimenta sua commoda existimantes, nacti occasionem adversus Imperatorem conspirant: populares suos Celtas in eum concitant. Duces multitudinis, atque autores conjurationis (qui tum in Francorum Imperio sapientissimi, & Gallicæ rei columen censebantur) Hyldovinus Dionysianus, Vala Corbeiensis antistites, monachi: Ebbo archimysta Rhemensis, Hugobertus Lugdunensis, Bernardus Viennensis, Jesse Ambianensis. Helias Tricassiorum pontifex: hique Celtarum dynastæ, Machofridus, Hugo, Landbertus, Godofridi pater & filius Richardus, Hugbertus, Berngaretus, venatorum Augustalium quondam præfectus, invidia, quod commune malum aulicorū est, irritati sunt, propterea, quod Bernardus præfectus prætorio atque cubiculo, plus quam ipsi, apud Imperatorem autoritate valeret, & quòd cum Bernardo rege Italiæ clanculum sensisse suspecti essent, pœnasque metuerent.

Primùm quidem, inter se communicato consilio, conjurationem faciunt, ut à gubernaculis rerum subdolè deturbent Pium. Deinde alios minis & potentia territant, alios partim fraude & pecunia, partim ingentibus pollicitationibus

lactant

lactant: hosce confictis, ut erant astutissimi, in Cæsarem criminibus, ab eodem alienant, & ut conciliarent sibi animos vulgi Gallici, quod alioquin mobile est, & semper novi principis faciundi percupidum, tributa, vacationem militiæ, admodum hactenus gravia, remissum iri promittunt: factionem quoq; suam indulgentia & largitionibus confirmant. Plerią; omnes, qui antea sententia principum ob perfidiam & scelera sua damnati exilio, aut ignominia notati, prætorio, magistratibusque moti erant, & beneficio clementissimi Imperatoris vita donati, precariò vivebant, ultrò, nemine alliciente, provolant.

Conjurati igitur pontifices, Primores Galliarum, freti multitudine, titulum solennis officii sceleri præferentes, Pipinum filium Ludovici, adolescentem stolidi ingenii, imperitumq; doli adeunt. Se maxima Imperii membra esse, quibus principis, Reipublicæq; salus & cura incumbat, inculcant primò: jactitant deinde, se Imperatori non esse inimicos, dolere se vicem ejus: imò etiam, quæ credidissent utilia esse, suasisse: & quia fidele consilium dedissent, se contemni, & in periculo capitis versari.

Dolere se communem calamitatem miserorum, præcipuè Gallorum, qui imperiosioris, quàm boni jugum ferre possent, fœminæ, & alienigenæ mancipia essent: neque placere imperium Bernardi, qui hanc gratiam, autoritatemq; stupri consuetudine comparasset apud impotentem mulierem, quæ novercali odio privignos, eorumque fideles persequeretur: quæ stupris, libidinum probris, homicidiis, incestu, se & Cæsaream domum contaminaret: omnesq; aulæ, quos suis flagitiis adversarios fore suspicaretur, exturbaret, proponunt. Inde Ludovicum ex amore dementem flagrare illecebris, blandiciisq; captum, addictum uxori, non principem, sed ministrum agere, eundem conjugis compendio, studio ac libidine, honores, exercitus, provincias, impunitates, supplicia largiri, & quidem nescientem plerunq; & ignarum.

Postremò commemorant, cæteros fratres longiùs abesse, quàm ut huic malo mederi queant: solum Pipinum restare, ad quem boni omnes, tanquam ad tutissimum portum naufragi, confugissent. Oportere bonum filium dolere vicem parentis, nec pati, paucorum flagitiis ac dedecore, tantum imperium collabi, & patrem infamem fieri. Imperatorem ab hujusmodi probrosa fœminæ servitute, libertati, mentique suæ restituendum: Imperiumq; Francorum à dominatione muliebri asserendum: hocq; factum famam virtutum secuturam. Perfacilè ista hæc sine vi & armis fieri, modò tot principum, episcoporum sapientissimorum, religiosissimorumq; monachorum consiliis obtemperet.

Pipinus, ut adolescens fraudis humanæ imperitus, credulus illis, cum conjuratis & suis copiis Aureliam petit, Machofridum, amoto Ottone, urbi restituit: inde Berimbriam procedit. Augustus, ubi comperit, illos contra se & uxorem, atque Bernhardum inimico obstinatoque animo viam adfectare, Bernardo, ut fuga sibi consulat, suadet. Augustam Lugduni in contubernio sacratarum fœminarum Deiparæ virgini dedicato, consistere jubet, ipse Compendium petit. p. 219.

Porrò qui cum Pipino Berimbriam venerant, misso Varino, & Landberto, aliisq; compluribus, Augustam ex monasterio ad se duci imperant: eidemque mortem intentant, nisi juret, se persuasuram Imperatori, ut quam primùm, armis abjectis, imperio se abdicet: capillis detonsis, cum uxore in contubernium monachorum se includat: ubi ambo, instar voluntariæ mortis, precariæq; salutis, difficiliore religionis obsequio, castimonia & abstinentia satis ardua scelera, flagitiaq; expient.

Augusta metu necis perculsa, etiam majora promissura, ad maritum à conjuratis deducta, secretiusq; colloquendi copia data, jussa aperit. Pius quò ab imminenti morte uxorem eriperet, ut ipsa quidem monasterio includeretur, sacerdotissaque caperetur, annuit: at de se deliberandi spacium paucis diebus postulat, se in potestate principum Imperii fore, respondit. Illud ægrè à conjuratis impetratum est. Nam qui supplicio capitali condemnati, beneficio Imperatoris clementissimi vivebant: & quos lege jureque occidi fas erat, stimulante conscientia cogitati sceleris, salutem Pio, quam ab ipso acceperant, invidebant.

Porrò Juditha ubi rediit ad conjuratos, clamore insani vulgi ob scelera, stupra, adulteria, ad pœnam deposcitur: verum in exilium, monasterium D. Radegundæ, ubi flagitiorum notam victu duriore, temperantia, parsimonia vitæ elueret, deportatur.

Idem libro 4. Gregorius quartus Pontifex Romanus Maximus, ubi hoc incendium inter parentem atque liberos, pravorum consiliis excitatum esse accepit, quod ad detrimentum Reipublicæ Christianæ maximum procul dubio pertineret, ad restinguendum id, ad filios in Germaniam proficiscitur, seduloq; operam navat, si qua æquitate hominum perniciosus parricidialisq; tumultus, ad ocium & quietem reduci, & filii parenti reconciliari possent.

Imperator mense Majo cum valido militum Germanicorum robore, in Vangionum

gionum urbem se confert. Ubi tempus diutius consultationibus tractum, placuit tandem, nec quicquam salubrius visum est, Bernardum Pontificem cum aliis optimis quibusq; , ad filios, & *Romanum* Pontificem proficisci. *Qui* primùm filios, ut redirent ad genitorem, cohortarentur : deinde Pontificem Maximum compellarent, rogarentq;, cur ipse more majorum Augustum è vestigio & recta non adiret. *Rumor* erat, ideò eundem advenisse, ut Cæsari, & amicis, episcopisq; ejus, nisi obtemperarent filiis Augusti, sacris interdiceret.

Germaniæ pontifices, maximè Drogo Mediomatricum pastor, respondêre : si Romanus sacerdos nobis malè precaturus advenit, ipse quoq; malè audiet, & diris devotus abibit. Quid plura ? frustra ultro citrò legati commeârunt, sursum deorsum nuncii cursitârunt.

Invaluerant pessimorum consultorum doli, qui pacem contra jus gentium, citra sanguinis rationem interturbabant, & filios cum patre armis committere summoperè laborabant. Omnia misceri atq; turbari cupiebant : salvo istorum statu, Augusto, amicisq; ejus, se incolumes fore, diffidebant.

Pius igitur, intento exercitu ad Lugenfeld, proximè filios, octavo Calendas Julii, divo Joanni Baptistæ dicato, procedit. Stabant utrinque acies infestæ, jam jamque parricidiali prælio cognatoque sanguine se contaminaturæ. Intercedit pontifex Romanus, ad Augustumque se demum confert, quem ille in acie consistens, sine ullo honore, indignabundus (causatus, quòd contra majorũ decreta, patrum sanctissimorum præter solitum, iniquo insuper animo accesserit) excipit.

Doctus tamen primarius sacerdos in prætorium, docet Imperatorem, se ob nullam aliam omninò causam adesse, quàm ut filios, atque parentem in gratiam redigeret, bellumque nefandissimum populi Christiani, cujus pastor esset, cervicibus averteret. *Mitigatus* hoc responso Pius, pontificem ad filios remittit : facit eidem comprimendi tumultus, pacis & amicitiæ redintegrandæ confirmandæq; potestatem. Verùm nequaquam Gregorius, posteaquàm ad filios revertit, ad Cæsarem, ut jussus fuerat, redire permittitur. Nam dolo fraudeque conjuratorum jactabatur, Ludovicum à pontifice *Maximo* ob novercale in filios odium, inferiis devotum esse.

Qua de causa sævit ignobile vulgus, gregariique mystæ, apud quos semper superstitio, commentaq; humana, & crassæ ceremoniæ speciem pietatis præ se ferentes, efficaciores sunt, quàm justa religio. plerique donis allecti, alii promissis inescati, pars minis territi, quidam suopte ingenio depravati, novarumque rerum cupidi, deserto Imperatore, ad filios catervatim provolant.

Ita hac fraude subtractis copiis Cæsari, indies magis atque magis adversariorum factio invaluit : vires Imperatoris authoritasq; diminutæ sunt : adeò ut pridie *C*alendas Julii vilis plebecula gratificatura, ut rebatur, filiis, in Imperatorẽ irruere, impetumque facere destinaret. p. 242.

Idem. Tantum abest, ut Episcopi, ad se pertinere quicquam existiment : profectò si verum fateri, & Imperatori hominum Deûmq;, ejusque legato primario Paulo credere volumus, nobis periculosa tempora & ingenia superstitiosa fortitis fucus & umbra pietatis perplacent. Atque totius injustitiæ nulla capitalior, quàm eorum, qui cùm maximè fallunt, id agunt, ut viri boni videantur. Quidam cùm libidini serviant, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant: & gravissimè puniunt, quos maximè imitantur.

Si quisquam prophanis adolescentulus adolescentulam cœlebs cœlibem adamârit, aut sacerdotulus egenus concubinam, sine quâ vivere, remq; familiarẽ administrare non potest, loco justę uxorculæ habuerit : Decuriones mystarum & parochi intonant, fulminant, divina humana cuncta miscent, cœlum claudunt, inferos aperiunt : ipsi interim impunè & passim incestu, adulteriis, stupris, contaminant omnia. Amant, potant, virgines plures uno anno vitiant, & implent, sub superficie pietatis nepotantur, fraudant, compilant, litigant : templa, sacerdotia diripiunt, quasi caballos venalicios commutant : ceremonias nundinantur, religiones cauponantur, scortantur, lasciviunt, venantur, belligerantur, humanum sanguinem & impunè sitiunt, effundunt, latrocinia exercent.

Videas, quosdam alienas rapere uxores, scorta impudica, ac vilissima quasi sacra circumferri passim & monstrari. Eaq; non solùm à minutulis sacerdotibus, & parochis, sed à sanctissimis quoque monachorum magistris, ut propitium habeant Jovem, ambiri, adorari.

*C*umque hujuscemodi hominum genus pessimum nihil in *R*empublicam penitus conferant : mortalium scelera tamen comedunt & bibunt, gaudiis corporis dediti, per ignaviam summam, luxum maximum ætatem transigunt : literas, literatosque omnes tanquam pestem devitant, bellum literis, bellum virtuti, bellum omnibus bonis artibus, bellum denique Christo Domino Deoque nostro (ita vivitur, is rerum status est) indixisse videntur : inter se mendacii silentium

velut

velut orgia quædam sanciunt, quibus cæteris veluti pueris ac infantibus more suo fabulis illudant.

Quamobrem vel pro concione indignantur, irascuntur, insaniūt, si quis prophanas sacras literas, mādata Christi, comitumq; ejus doctrinam legerit. Timent talpæ, ne eorum cæcitas deprehendatur, & avaritia tenebræque luce appareant. Inferi ac superi vectigales, vivi, mortui tributarii sunt: cœlum & terram stipem emendicare coguntur. Non licet gratis nosse Deum, prochotyranni illi adversus pontifices, principes, parochos, sacerdotes, populum Christi conspirârunt: quotannis statis diebus coëunt: illam conjurationem renovant, quæ ubiq; terrarum gerantur, scrutantur, circueunt domos more canicularum.

Ut vulgò dici solet: mendicans religio, juxta vulgò protritum dictum, sacrificulus cum fano, ara cum æditũo cuncta venalia sunt. *Ceu verò à summo rerum* Imperatore lege atque perpetuo edicto non sancitum sit, Non sit mendicus, non sit meretrix in Israël. Aut Paulus fulmen eloquentiæ Christianæ non intonet: Beatius est date, quàm accipere. Et si cœlitum quispiam aliter docuerit, execratus esto.

Neque ego audita noto carpoq;, inopis plebeculæ me miseret, quam ita illis rapacissimis lupis, nemine penitus auxilium ferente, devorari video, sentio, & sub specie, quemadmodum Paulus prædixit, pietatis. Christus Deus faxit, ut resipiscant, peccataque agnoscant sua.

Idem. Anno æræ Christianæ noningentesimo tricesimo septimo, Arnulphus Dux Bojorum honestâ morte defunctus est, sicuti in fastis publicis *Bojariæ*, mystarum, monachorum reperio, pridie Id9 Julii. In quem diem Paschalia incidere non possunt, quibus eum, quòd prædia monachorum diripuerit, proceribus *Bojorum* distribuerit, subitò interiisse ad Stygias paludes, quasi Cyclopas ad Aetnam, raptatum, cadaver in lacum Schirensem abjectum fabulantur. Qui amisso puro veritatis fonte ad lacunas lutosas convertuntur, & pietatem, quæstum; religionem prædam existimant. Homines suaves, se æedituos cæli faciunt, ubi nec fuerunt, nec sunt, nec unquam erunt: nisi tandem nugari desinant.

Referam, quod ego comperi, quod hisce auribus audivi: Imperatorem Ludovicum quartum monachi, & sacratæ virgines *Bojariæ*, in quos is beneficus fuit, *Deum* faciunt, cæloque locant: unde eum ad inferos deturbant Romani flamines, quòd eorum superbiæ obviam iverit.

Item Divum Henricum secundum Cæsarem Augustum, Bambergenses mystæ, quos ditavit, in album superûm adscripserunt. At audivi quosdam, nempe quorum templis nihil tribuit, hi illum ignominiosè claudum appellant, & nuditate aliorum, spoliisque *Bambergense* templum dedicasse cavillantur. p. 243.

Guntherus Agrippinensis Coloniæ Episcopus, archimystes regius, primo per alios, deinde à rege de hac re consulitur. Lotharius ei omnem rem detegit, neptem ejus se ducturum, promittit, si ejus ope, cæterorumque collegarum authoritate Terberga careret. Guntherus his promissis lactatus, operam suam pollicetur, rem cum Tergaudo Trevirorum Archiepiscopo, non admodum docto, communicat.

Indicitur conventus Ecclesiasticus, in Mediomatricum urbem coeunt omnes regni Lothariani pontifices, præter Hungarium Trajectensem, qui tum ægrotabat. Jure suo illi reginæ diem dicunt: eam in media corona circumsistunt, subornati prodeunt testes, qui præter alia gravia crimina, incestus reginam alligant: ita eam confessam esse testantur. Continuò de hujuscemodi flagitiis, scita majorum, quibus hujusmodi sceleribus pollutis matrimonium interdicitur, recitantur: deinde Tetbergæ sententia Episcoporum libellus repudii datur: interdicitur alterius cujusquam viri connubio, pœnæ, qua hujusmodi crimina lueret, destinatur.

Rex voti compos, rursus aliud mystarum suorū concilium ad Aquas Graneas cogit: pro concione verba facit, confitetur primò, adolescenti ob furorem ætatis cœlibem vitam (quæ potius æternarum mentium quam mortalium sit) periculosam esse, præterea proponit, ob regni publicum bonum, ne id sine hærede defuncto, discordiæ malis atteratur, se continere non posse, quin det operam liberis. Neque enim cujusvis esse, adolescentiæ succi plenæ frenos imponere, aut vitam superûm ducere, proinde petere, ut sibi uxorem, liberûm procreandorum causa, auspicibus sanctissimis patribus ducere liceat.

Fit deinde hoc sacerdotum consultū. Quoniam Tetberga incesti polluta, nunquam justa uxor clarissimi regis nostri fuit, ac ne esse quidem unquam ob crimina, quæ ultrò confessa est, potest, principum pientissimo, religiosissimo, juxta D. Pauli, & magistrorum religionis nostræ placita, aliud matrimonium indulgemꝰ.

Dicto citiùs, confestim Waldrada apparatu regio incedit, Regina salutatur, in manusque Lothario datur. At fratres Tetbergæ omnia ad Nicolaum Pontificem Maximum referunt, qui Haganonem

nem, & Rutholdum symmystas percontatum in Lotharii regnum ire jubet. Quibus rex respondet, se sanctissimorum patrum consulto paruisse. Illique Romanéses hortantur quidem regem, ut Agrippinensem, Treverorumq; pontificem, satisfaciundi gratia, ad Romanum Episcopum ire jubeat: verùm acceptis muneribus, Tetbergæ nequaquam copia appellandi facta: à rege ditati, onusti auro Romam redeunt, inscitiæq; omnes Galliæ & Germaniæ episcopos incusant.

In paucis pòst diebus, Guntherus, & Tetgandus archimystæ, ut, se cum omnibus symmystis ritè sapienterque fecisse, Lotharium insontem esse, asseverarent, Romam proficiscuntur: libellum, ubi gesta scripta erant, sacro concilio, Nicolaoque exhibent. Illo publicè ab eo, qui scriptum faciebat, recitato, rogati à Romano Episcopo, Num hæc ita esse confiterētur? Non tam insani sumus (inquiunt) ut autographa petnegemus. Postea nec collaudari, nec confutati jussi abeunt, reversuri, quando vocarentur.

Idem. Anna Laminita, Augustæ (quæ Rhetiarum caput est) multos annos cibo & potu omni se abstinere, cœlitus, spirituq; duntaxat vivere, ementita est, insuper colloquia superûm, nocturnos Deorum congressus finxit, qui sibi quædam divinitus revelarent. Quæ non solùm stolidum vulgus, indocta plebecula, sed etiā sanctuli illi nostri magistri credidêre. Novi Theologiæ professores (ut ipsi putant) omnium præstantissimos, qui illius beluæ amicitiam ultrò affectârunt, eamque pro Deá coluerunt, & ejus testimonio, in rerum divinarum disputationib9, scriptisque libris utuntur.

Quid de socordia episcoporum, sacerdotum impietate commemorem? hi veneficam meretriculam quotidie sacris aris, Christianæq; cœnæ convivam, quasi Jovis nunciam admovêre. Et lupa tecta ovina pelle tam diu (stultis ad eam pecudibus undique confluentibus, & sanctitatem ejus venerantibus haud tutò, seq; illi committentibus) in ovile Dei grassata est, & diutius scortum vilissimum orbi Christiano (ea est diligentia Pastorum) imposuisset, nisi impientissimum prostibulum vocatum Monachium à Chunegunda, sanctissima fœmina matre principum Bojariæ, sorore Cæsaris Maximiliani, in conclavi seclusum, deprehensum atque admonitum foret, ut de cætero mentiri, populumq; fallere desineret.

At scortillum egregium Augustam reversum pertinaciùs suos mores (ita sunt ingenia malorum) tutatur, cœpitque sanctissimam fœminam Bojorum primariam mendacii arguere. Quamobrem Chunegunda omnem rem fratri Imperatori literis prodit.

Hujus igitur jussu Laminita illa sanctissima, nectare & ambrosia tot annos pasta, finibus Imperii eliminatur, ad Suitones cum ingentibus opibus, quas religione peperit, concessit, militiq; robustissimo ob divitias in manum venit: nunc ob scelera submersam esse prædicant: taceo, quot stupra, quot incestus, sub prætextu Religionis, in illius domo commissa fuerint.

Faxit Deus optimus maximus, & meliorem mentem det pontificibus nostris, ut, omisso luxu fastuq;, divitem principē tenebrarum sequi desinant, fallacissimi mundi hujus caduca atque fragilia bona fastidiant, Christum pauperem æmulentur, ejusque calicem bibere, ejus crucem humeris portare, tandem discant. Ita fiet, ut vulgò malè ultrà non audiant atq; castigentur, quòd gregem Christianum, populum Dei peculiarem compilent, venundent, deglubant, & tanquam escam panis devorent, adeò, ut tolerabilior miseris foret cōditio sub imperio Turcarū.

Idem. Fuit in Svevia, agro Constantiensi, insana quædam vates, Theoda nomine; quæ consilio cujusdam sacerdotuli, quæstus gratia, freta vilis plebeculæ credulitate (ut sunt animi imperiti vulgi superstitiosi magis, quàm religiosi) futura canere cœpit: ambiguisq; dictis mortales stultos, stultiores reddebat. Contra scita D. Pauli, muliercula publicè concionabatur: de mysteriis divinis prophanissimè philosophabatur: & de his, quæ soli Deo nota sunt, temerè pronunciabat. Visus cœlestes simulabat, cōgressus, collocutiones cum superis, à quibus cuncta disceret, ementiebatur. Extremum fatum orbi terrarum, & illum diem, Poëtis quoque alienis à religione nostra decantatum, impendere isthoc anno, prædicabat.

Viri, mulierculæ, pueri, puellæ, metu perculsi, sturnatim graculatimq; provolant, munera deferunt, deprecatricem apud Deum immortalem parant. Quidam Stoicidæ, obstipo calvoque capite, vultu tristi, & sordibus notabilibus duntaxat religionem præ se ferentes, eandem velut Sibyllam, cælitus demissam, Deoq; plenam non solùm venerabantur, verùm etiam sectabantur. Nam Pharisæorum hoc genus irritabile adhuc nostra quoq; ætate, posthabitis sacrarum literarum fontibus clarissimis, cœnosas lacunas potare solet.

Isti rabulæ in nugis, humanisq; commentis, ratiunculis sophisticis, ac tumultu (uti ait pater omnipotens) carminum suorum, felicitatem collocant, immortalitatemque in figmentis mortalium,

 talium,

talium', præceptiunculisque consistere opinantur: quasi verò cogitationes hominum atque *Dei* plus quam per Diapasôn intervallum non distent: aut non dictum sit, Justitia vestra, pannus profluvii mensis muliebris.

Sed ad fatidicam illam revertor. Ea jussu Ludovici regis nostri, Moguntiacum à Salamone Episcopo Constantiensi deducitur, in templo D. Albani à Rhabano, & cæteris episcopis diligentiùs audita, accuratiùs quæsita, scenam omnem vaticinii sui detegit: se edoctam à quodam sacerdotulo, lucri gratia hæc commentam esse, fatetur. Palo igitur & verberibus admota, silere posthac jussa, ludibrio de cætero fuit.

Idem. Præcipit Carolus Magnus, ut Monachi, sacerdotes literis operam sedulò darent, emendatè & rectè scriberent. In omnibus contuberniis monachorum, episcoporum ædibus pueros docerent. Mendicis palantibus vetuit quicquam tribui, suos quamq; regionē inopes alere: sanos, validos labore victum quæritare, ac desiderio sufficere manus jussit. Idcircò opes Ecclesiasticas in locupletioribus templis in tres divisit partes, duas egenis, tertiam sacerdotibus attribuit. In ædibus augustioribus donaria æqua lance inter egenos, & sacerdotes bipartitus est.

*Au*tor & aliarum legum fuit, in quibus cavit: Ne temerè, & passim sacrificiis interdiceretur: néve cadavera *in fanis* humarentur, nec sacerdotes avaritiæ, veneriq; dediti essent: ut *Pontifices* officio publicè in templo docendi plebem fungerentur: ut sacerdotes avaritiam, gulam, cauponas, negotia prophana, familiaritatem mulierum evitarent, aut sacerdotio cederent, aut tribu moverentur. Ut fures, homicidæ, & hujusmodi crimina cōmittentes, si ad asylum, templumve fuga elapsi forent, reperirentur, atque vi eriperentur. Quod si quis monachorum, pontifexve, præfectusve illos reddere recusaret, satisdaret damni infecti, compēsandiq; præstaret, promitteret: si illorū quispiam aufugisset, id non sua opera esse factum, juraret.

Jus assiduè summa diligentia dixit, nonnunquam manè, dum indueretur, tāta temporis jactura apud eum erat. Nulli plures Ducatus, præfecturasq; aut sacerdotia concessit, dictitans, sibi & alios demerendos, beneficiisq; oppignorandos esse. In Episcoporum senatum haud temerè quempiam adlegit: eruditionem, atq; bonitatem in cooptandis illis potissimùm spectavit. Neminem, nisi antea sibi probatum & cognitum, creavit. Nam eū ordinem ad pristinum modum, & splendorem à D. Paulo præscriptum reduxit.

Curiosè cavit, ne quis avarus, aut ambitiosus, luxuve perditus, unquam pontificalem apicem adipisceretur. Hyldegardæ reginæ petenti pro sacrificulo suo, idem proceribus aulæ rogantibus, respōdit: Idoneo, etsi pauperi jam destinavi: Imperatorem mentiri, aut falli non decet, ut obtrudat superis, cujus vitam, mores, Ingenium ignoret: & tantóne oneri par sit, compertum non habeat.

Episcopum Moguntinum, quòd lituum aureum, distinctum gemmis, instar Cæsarei sceptri usurpasset, severissimâ coërcuit oratione: eidem avaritiam & superbiam pro concione propalàm exprobravit: indignabundus, & clamitans, En, ait, pastores nostros, crucem Christi professos, qui, spreta cura & pascendarū ovium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu Imperatorem quemvis opulentissimum lacessant.

Quendam pridie feriarum D. Martini designatum Episcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & uti fit, mero sese nimiùm onerans, sommo deinde oppressus, noctu divinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio movit: intolerabilem, negligentissimumque fore, ratus, qui primo die sibi non temperaret, ut sui compos Deum ad iracundiam non provocaret.

Item alium lætiorem ob pontificatum donatum, atq; gestientem, & ab humo in equum absq; scammo, sive subpedaneo, uno impetu subsilientem revocavit. Vales, inquiens, ut video, viribus, & eques haud malus es: tua opera in bellis, ubi tua virtus enitescat, indigeo: proinde ignobili & imbecillo oves & gregem pecudum relinque.

Idem. Carolum Magnum cum Reginoburgensibus, tum alienis à religione nostra conflixisse: superos atque genios pugnæ interfuisse cœlitus: gladium Carolo demissum esse, ipsum Bojos oppugnasse: sub jugum religionis *Christianæ* misisse: urbem vi cepisse: locum castrorum in templum, quod à Divo Petro consecratum sit, cernentibus noctu in tenebris nescio quibus Scotis, vertisse: falsum esse, cōfidenter existimare debemus: fabulæ sunt impostorum, ad quæstum cōfictæ, qui prædam (ut ait Hieronymus) putant religionem. P. 341.

Commenta atque imperiorum deliramenta prætereo: acta, fastos, diplomata ego sequor. Hujuscemodi ineptias atque nænias noctuis relinquo: quarum oculi lucem solis ferre nequeunt. Hujuscemodi nebulones figmentis, merisq; miraculis rudes vilis plebeculæ animos oblectare, & in admirationem sui rapere solent. Eget enim (teste divo Hieronymo) falsitas multa operositate

per-

persuadendi, ut vera videatur. Quamobrem vultures illi, cadaverum appetentissimi, vulgi indocti simplicitati nugis suis, & superstitionibus imponunt, pecuniæque plagas tendunt.

Reginoburgii quidem sacra quotidie fieri, atque hisce à cœlesti auxilio triumphoque cognomina indita esse, vulgò jactari non negaverim. Ad populum phaleras: ego te intus & incute novi: fateor & hoc, & video. Imperitissimorum nebulonum fabulæ depictæ, suspensæ, trophæis erectis, saxo literis incisæ, contra publicam instrumentorum, urbis, patriæ & regum autoritatem impudentissimè confictæ leguntur, & spectantur: sed quas ipsimet, qui commenti sunt, eradunt & quotidie emendare conantur. Adeò invicta est veritas, licet tot insidiis circumventa, tamen elucet.

Nullum tam impudens mendacium est, quod teste careat: ingeniosissima est avaritia ad fraudes, ima summis confundit. Cœlum ipsum, fabulasq; inanes sibi servire cogit. Deus infimos, medioximos, supremos stipendiarios facit. Illæ vulpeculæ fretæ ruditate vulgi imperiti, prætexunt mendacio suo religionem: dulci melle venena oblita propinant.

Idem. Adfuêre Romæ centum quinquaginta tres Episcopi, quos Hadrianus pontifex Romanus convocârat: patrum consultum, perpetuum, quod in libris Pontificalibus refertur, factum est, in verbaq; Caroli juratum: Nullum posthac fore neque Romanum, neque aliorum templorum antistitem, nisi quem Carolus successoresq; ejus sciverint & jusserint. Refragantes hujuscemodi patrum decreto, diris devoti sunt, & nisi resipuerint, adjecta proscriptio.

Defuncto igitur præsule quopiam, sacerdotes lituum cum annulo ad aulam mittebant, cui ea princeps solenni ritu tradebat, is ejusdem fani rector designatus erat. Ita observatum esse sine controversia ad Henrici quarti Imperium legimus. Charissimi quique ac amplissimi viri, advenæ etiam ultrò aulam frequentabant, spe dignitatis augendæ & adipiscendi sacerdotii illecti, absque stipendio in omnibus principi dicto audientes erant: quemadmodum nostro ævo Romæ fieri solet.

Sub Henrico quarto, & Gregorio septimo, cum maximo Reipublicæ Christianæ detrimento, de hoc aucupio armis, non citra sanguinem decertari cœptum. Imperatores veterem morem à tot sanctissimis pontificibus traditum, comprobatumq; mordicus retinere: Maximi Pontifices jam pares opibus Cæsareis in se trahere conabantur: nec ampliùs ferre parem, nedum superiorem, ditati ab Imperatoribus nostris, & ad id fastigii perducti, poterant.

Est omninò iniquum (sicut ait Plinius) sed nobis quoq; usu jam receptum, quòd honesta consilia vel turpia, prout malè aut prosperè cedunt, ita aut probantur, vel reprehenduntur. Inde plerunque eadem facta, modò superstitionis, modò pietatis, modò Christi, modò Antichristi, modò justitiæ, modò tyrannidis nomina accipiunt. Diutius in se Christiani Principes, summa pietatis & religionis jactura, debacchati sunt. Vicit tandem Romanorum flaminum fortuna.

Idem. Sub Othone I. inter Gerardum Laureacensis Ecclesiæ Episcopum & Heroldum Salisburgensem archiepiscopū mota est vehemens cōtentio propter pallii dignitatem. Archiepiscopus eam dignitatem Gerardo, utpote inferiori, inviedebat. Contrà Gerardus allegabat Ecclesiæ suæ vetustatem & claritatem, in qua ageret Episcopum: ibi docuisse Apostolos, eorumq; legatos, asserens. Heroldus eam dignitatem à Carolo Magno suæ Ecclesiæ datam jactitabat: Gerardo vero à Leone VII. paulò ante collata fuerat. Gerardus per Hadamarum Fuldensem abbatem, item ad Agapetum II. Pontificem refert.

Pontifex eum totius Bavariæ archiepiscopum esse jussit: Heroldo, nisi pareat, sacris interdicit. Heroldus fœdus cum Conrado duce ab Othone proscripto init: & expoliatis templis, Bavariam per Ungaros horribiliter vastavit. Interea Henricus dux Bojorum, Heroldo juxta legis Salicæ horrendum fulmen (quo cavetur, ut Episcopos, si cum hostibus conspiraverit, & quos servare debeat, perdere voluerit, pœnas capite luat) perfidiæ convicto oculos effodit.

Idem lib. 5. Nicolaus tertius anno salutis 1279. (quòd ambitus lethalis Romæ invaluerat, quemadmodum in jure pontificio refertur) lege sanxit, ut defuncto primario pastore, primò flamines, deinde cæteri sacerdotes, senatus populusq; Romanus coëant, in communeq; de animarum parente deligendo consulent: salvo tamen debito honore, & reverentia Imperatoris.

Nicolaus 3. hic Pontifex cognatos & affines suos omni ratione extollere studuit, Cardinales, Legatos creavit: reges etiam Tusciæ & Lombardiæ creaturus, nisi mors sacrilegia ista anticipasset. Hieronymus Garimbertus lib. de vitis Pontif.

Idem. Post mortem Hildebrandi Papæ, Sacerdos quidam expiranti similis, triduo in Saxonia decubuit. Is ubi ad se rediit, apud inferos Hildebrandum, Rudolphum, Hermannum tyrannos æternis mactari suppliciis, revelavit. Falsi tum Prophetæ, falsi Apostoli, falsi sacerdotes emersêre, qui simulatâ religione populum deceperunt, magna signa at- p. 248.

atque prodigia ediderunt, & in templo Dei sedere, atque extolli super omne id, quod colitur, cœperunt. Rursum cernimus, Apostolicum vaticinium 2. Thess. 2. de Antichristo editum, sine ulla circuitione referri ad Rom. Pontifices.

Idem. Otto Ticinum vi capiens, cæterasq; urbes subigens, Romam procedit. Ubi à Senatu populoque Romano reverenter acceptus, Imperator, Cæsar, Augustus salutatur, à Joanne Pont. Max. consecratur, sibique hunc atque Romanos, se in potestate Imperatoris futuros, per sacra D. Pauli sacramentum dicere jubet.

Idem. Imperator in Saxonia Goslariæ hyemans, primoque vere Reginoburgium in Bojariam, ad conventum solennẽ agendum, migrans, ibi Gebhardum in Bojariæ castello Hirsperg ortum, Episcopum Aichstatensem Pont. Max. legit, victorem secundum nuncupat, & continuò in Italiam præmittit.

Idem. Mortuo paulò pòst Gregorio quinto, Imperator Otto Romam tertiò pergit, Gerpertum Bergam genere, præceptorem suum, Philosophum insignem & Mathematicum (vulgus suo more magum vocat) Romanum declarat Pontificem, Sylvestrum secundum nuncupat.

Idem. Paucis post diebus Leo octavus ex hac vita migrat. Azo scrinii primarius magister, & Marinus Sutrii Pontifex à Romanis ad Imperatorem legantur postulatum Pontificem Maximum. Hanc ob causam Augustus Odogarium Spirensem, Lizonem Cremonensem Episcopum Romam proficisci jubet.

Idem. Machtyldam Hennebergensem, filiam Florentii Bathavini, sororẽ Wilhelmi Cæsaris, mille quingẽtos quatuordecim simul genuisse, & hos in malluvio ab Ottone Trajectensi Episcopo sacra aqua lustratos esse, inter ostenta à nonnullis narratur.

Idem. Oves tondere, deglubere, occidere, uti libuerit, sub specie religionis, longinqua est consuetudo. Si quis in legem Christi prævaricatus fuerit, si quis convitium in majestatem divinam, in Deiparam virginem, in reliquos cœlites jactârit, impunè abit. Nemo huic negotium facessit, aut diem dicit: at qui, illos homines non Deos esse, errare posse, docuerit, ad modestiam & paupertatem Christi cohortatus fuerit, humanæ imbecillitatis admonuerit, error pestilẽtissimus judicatur.

Idem. Cæsaris Augusti filius horum suasu, qui potentiam Augusti metuebant (nam populus parenti favebat, scelus filii execrabatur) habitu quàm maximo potest miserabili, Confluentiam ad genitorem se confert, pedibus ejus accidit, errorem suum scelusq; confitetur, veniam petit, atque ab indulgentissimo patre impetrat, deinde juramentum dicit, se in potestate fore Augusti, promittit, modò is Pontifici Romano obtemperet. Pater & filius invicem mutua gratulatione defunguntur, rem omnem ad concilium conventumque deferunt.

Et cum, Deo propitio, in gratiam redacti forent, Cæsar tantum apparatum armorũ, tot copias frustra esse, sumtuosioraq; fore, quàm quæ cives atq; populus ferre possit, admonet; cum paucis ad senatum veniendum censet, ubi armorum metu sublato, libera potestas decernendi sit, & potiùs jure quàm ferro disceptetur, resq; omnes lege potiùs, quàm armis ad ocium deducatur. Facilè tam salubris consilio ratio recepta est. Augustus igitur, dimissis, quas contraxerat tutelæ ergò, viribus, cum trecentis duntaxat equitibus comite filio, è Confluente Mosellæ atq; Rheni egreditur, ad conventum agendum, Moguntiacum procedit, quò interim hostium atq; inimicorum Augusti magna vis undiq; ingruit. Ubi Bingium sexto septimanæ die ante ferias brumales (quas celebres natali Servatoris nostri habemus) perventum est, nuncius, ingentes copias Bojorum atq; Svevorum, item aliorum adversariorum Augusti, Moguntiaci convenisse, renunciat. Idem, Ruthardum quoq; archimystam, cæterosque pontifices, & inimicos Imperatoris, apud plebem proceresq; concionantes, dejerasse, nolle se ullo pacto contagione pollui, ejusq;, cui sacrificiis interdictum sit, colloquio, aspectu, sermone, conversatione contaminari, principibus narrat.

Mox filius Augustum, appellat, Pater pientissime (inquit) in hoc oppidum, quod proximum est, paulisper tibi secedendum est, donec illos tibi placem, atq; vos in gratiam redigam; confestimq; tertiò fide datâ, operam parenti pollicetur, se eidem sedulò inimicos conciliaturum, jurat. At ubi Augustus Bingium quartus intravit, portæ urbis clauduntur, cæteri Imperatoris fideles exclusi oppido, diffugiunt. Continuò custodes Augusto, acerbissimi ejus inimici, ne fuga elabatur, adhibent. Filius, quasi re bene gesta, triumphabundus Moguntiacum properat. Populus, qui plus patri quàm filio favebat, sævire cœpit, indignissimũ facinus clamitant, Augustum in vincula à filio conjectum, inauditum scelus, haud levi universæ Reipublicæ malo expiandum esse, vociferantur. Inter hæc legatus Romani Pont. duo & quinquaginta Episcopi, Principes, item alii proceres frequentes coëunt Mogontiaci, & referunt de Republica, sententias dicunt graves, ut quisq; acerbissimè censuit, crudelissimè dixit, ita quàm maximè ab inimicis Augusti laudatur, dixerat aliquis levi-

orem

orem sententiam:mox convicio aliorum correptus exagitatur. Tandē perscribitur Senatusconsultum,& nemine obnuncian-te promulgant. hostes Augusti,sacrificiis interdictum, è fastigio generis humani abdicant,universa acta Hyldebrandi cō-probant,infirmiores terrent,dubios con-firmant. Filius Augusti iterum communi omnium suffragio Cæsar nuncupatur: eidem sacerdotes,proceres more majorum sacramentum dicunt. Author fit flamen legatusq; Romanus. VVigebertus dux Mysnensis limitis,suscepta legatione ivit ad Augustum,ei voluntatem concilii proponit: siquidem salvus esse velit, sibi insignia Imperii,sacri penetralia regni reddere jubet.

247. Augustus hisce territus, nihil cunctatus paret,crucem,hastam,sceptrum, globum atque orbem, quem Teutones malum vocant,ensem,diadema reddit, hæcque mox ad filium deferuntur. Isq; ubi ea accepit,exclusis amicis parentis, suis rebus studentium frequentia ad Ingelhaim procedit: eò ad se patrem deduci jubet, ibi in frequentissima corona omnes Augustum circumsistunt,comminantur, necem intentant præsentem, nisi imperata confestim faciat, imperio spontè cedat, insignia ipse ultro filio tradat, castella, munimenta,quæ teneat, reddat.

Augustus tanto rerum articulo constrictus,de vita cum illis, quò rationem salutis animæ in posterum habere queat, duntaxat paciscitur,orat, obsecrat. Cætera,quæ imperentur,cupidissimè se facturum,pollicetur. Tum Richardus Romanus flamen respondet Augusto, nullam spem salutis penitus fore,vitam omninò in dubio esse,nisi publicè in celebri conventu confiteatur,Hyldebrandum justum fuisse,seque illi injustè VVigbertum supposuisse, atque Ecclesiam templumque Dei,cathedram Apostolicam, totius orbis primariam,injuria affecisse, injustè, crudeliter,uti sævum hostem,persecutum fuisse. Augustus,ubi hæc audit,lachrymis obortis,pedibus sacerdotuli accidit, per Deum immortalem obtestatur, obsides illis,quos petant,offert, comitia principum,quorum sententia, si quid perperā fecisse comprobatum fuerit, satisfaciat, ubi libera potestas decernendi sit,&tantæ res componantur,postulat. Omnibus his resistitur,opponitur decretum concilii,legatiq; Pont. Max.

Rursus Augustus, cum nulla alia ratione eripi manibus hostium posset,sciscitatur,si quidem illa omnia confiteatur, an execratione expiatus fit? Suscipit legatus Romanus, sui hoc juris non esse, Romam migrandum, præsentem Pontifice Maximo satisfacere oportere,ait. Imperator ergò,ut gladios cervici impendentes evitaret,salutē servaret, quæ inimici imperârunt,& dixit & fecit.

Idem. Sub idem tempus idem Gregorius Saxonas sociosque certiores facit, Romanis concilium Augustam indictum displicere: tantam rem Romæ (ubi penetrale religionis nostræ,sedes & domicilium Imperii sit) transigendam esse: se tamen licet invitis Romanis, Mantuam, quæ Machtyldæ pareat,profecturum, ubi benè inter bonos agiet liceat. Mittuntur igitur à conjuratis ad Hyldebrandum Mangoldus Veringensis dynasta, frater Hermanni historici, Aribertus mysta cū aliis compluribus, qui Pontificem Max. in Germaniam deducant.

At Cæsar,cum animadverteret, se his calamitatibus nequaquam medicari posse,& tot hostibus resistere, nedum illos perdomitare,difficile fore,nisi cum Pontifice Maximo in gratiam redeat, ut tantulo impendio ingens victoria staret, in Italiam transitum facit. Canusium,ubi tum Gregorius erat, absque cultu regio pergit,nunciare pontifici jubet, Cæsarem adesse,ut pacem cum eo faciat, bonorum virorum arbitratu, & salvo rerum statu.

Scilicet ne sanguis Christianus effundatur,néve stupra, incendia, parricidia, prædæ (quæ licentia etiam belli justi impunè committuntur) in populo Dei fiant, edantur: unum postulare,ne contra fas jusq; maledictis acerbissimorum hostium magis,quàm innocenti sibi credatur. Optimum quemque vituperationibus vulgi imperiti, nedum inimicorum,expositum esse. præcipuè eum, qui in rerum fastigio,quasi illustri loco & theatro collocatus, omnibus pateat. Ita humana sunt,nemo est,qui universis complaceat. Gregorium quoque vulgò malè audire atque castigari,quòd familiariùs frequētiusq; secretò atq; in occulto, quàm tantum Pontificem deceat,cum Machtylda colloquatur.

Saxonum legati, qui præsentes erant, intercedunt: ne fiat pax,summoperè laborant. Quamobrem toto triduo Cæsar in conspectum Pontificis non est admissus. At Hugo monachorum Cluniacensium antistes,cæteri boni minis,precibus hortari,suadere,orare, terrere, quovis modo instare, vociferari, pervicaciam hanc tyrannidem appellare,non desistere,donec pepulêre,ut Gregorius consentiret,& cum Quatto hac lege,ut is Imperii insignibus in certam diem abstineret, in gratiam rediret.

Quemadmodum in arcanis sacræ historiæ est, & apud gravissimos illustresque rerum authores constat, principes cujusque gentis, ad terrorem malorum,quò sanctiores, venerabiliores, augustio-

gustioresq; forent, insignia quæpiam Imperii sumsêre: ita apud Romanos fasces duodecim cum securibus, totidem apparitores, ignemq; qui Imperatoribus prægerebatur, sacra principatus fuisse, reperio: sicuti apud Persas aureum simulachrum, Hebræos unctionem, Germani Imperatores apud proavos nostros hastam, coronam spineam, clavos (quibus Christum Servatorem nostrum excruciatum constat) insuper ensem, purpuram, diadema Caroli magni progerere secum solebant, sicuti adhuc nostro ævo præfectus prætorio, quem Mareschalcum, hoc est, majorem aulæ nuncupamus, strictum ensem Cæsari præfert. Illa Imperator Sigismundus Cæsar Augustus avorum memoria Norinbergæ condidit: ubi quotannis conceptis feriis, magna populi, qui undiq; coit, frequentia, commonstrantur. Antiqui Imperatores secum veluti peculiaria sacrosancti Imperii penetralia Cæsareæque M. auspicia circumferebant. Norinbergenses ad Aquas Graneas, quando designatus princeps de se consuli superos jubet, & solennibus ceremoniis inaugurari solet, deportant. Cæterùm Gregorius, adhibita Machtylda & Adelhaide, primariis Italiæ fœminis, Cæsarē sacrificio, dape cœlesti, epulo pontificio, cœnaque saltari, veluti pignoribus redintegratæ amicitiæ, excipit. Henricus, secum Pontificem in gratiam ex animo sincereq; rediisse, credens, in Italia aliquot dies commoratur, rebus Italicis componendis operam navat.

p. 248. Inter hæc, Gregorius in Germaniam ad conjuratos, Bernardum flaminem Romanum diaconum, Bernardum Massiliensium monachorum præsulem, Christianum quendam, Theologum professione, suscepta legatione, proficisci jubet, Saxonibusque rescribit: Ne molestum ipsis sit, quòd cum Quarto reconciliatus sit, quem magis obnoxium criminibus reddiderit, & cœlesti curiæ, non tamen regno, unde auspicatò Romæ destitutus, restituerit. Nec enim quenquam inauspicatò, & invitis liberis dominari oportere.

Hæc ubi Saxones & socii eorum accepêre, cum legatis Pōtificis Romani apud Forchaim, in confinio antiquæ Franciæ, veterisque Bojariæ, medio itinere inter Norinbergam Bambergamque coëunt, X. Cal. Martii: Rudolphum Suevorum & Burgundionum ducem, regem hac lege salutant, ut comitia pontificialia abjuret, clientelas episcoporum abdicet, néve velut hæreditario jure filios suos successores declaret. Diadema deinde capiti Rudolphi circumdant, à Gregorio missum: illi inscriptus erat hic versiculus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Post hæc legati septimi Romam redeunt, Pontifici renunciaturi, ejus auspicio novum creatum esse Principem. Interim Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus & Rudolphus Moguntiacum (caput tum Germaniæ Galliæq; censebatur) migrāt. Dumq; Sigefridus quinto idus Martii, qui dies erat media (ut vocant) Quadragesima, Rudolphum, inungit, fit tumultus Cives arma corripiunt, Sigefridum & Rudolphum tanquam perfidos, fidei ac Cæsaris desertores proditoresque urbe exigere connituntur. Miles Rudolphi plebem armis excipit, complures in templo trucidat, alios in fugam vertit, ædes sacro humano sanguine polluitur.

Perpetrato sacrificio, Episc. & Rudolphus Palatinas ædes occupant, cœnantq;. Mox Mogontini arma resumunt, impetuque facto, obtruncatis Rudolphi militibus, faces in prætorium immittunt, idque exurere, cum scelerato tyranno, sacrilego episcopo (ita vociferabantur) conantur, Sigefridus & Rudolphus beneficio noctis sibi consulunt, in Saxoniamque elabuntur.

Rudolphus ducatum Sveviæ Burgundiæque Berchtoldo à Zaringen, genero suo tradit, collectoque partium suarum exercitu, Wurtzburgium, caput antiquæ Franciæ, arcta obsidione cingit. Adalberonem episcopum à civibus exactum, quem secum adduxerat, restituere contendebat. Berchtoldus gener Rudolphi in Svevia, Luithulfus & Welpho in Bojariæ regno, novatum rerum avidi, sub specie pietatis, arces, oppida, vicos, agros, prædia Cæsariana impugnant, vastant: Episcopos, proceres, nobiles, ignobiles, sacros, prophanos, cives, paganos, quibus charior fides, quàm pecunia, atque alia omnia erant, infestant, cuncta cæde, incendiis, luctu complent.

Dum talia in Germania fiunt, Cæsar certior fit fama crebris nunciis, itidem literis amicorum, quo in periculo Respublica sit. Quocirca in Germaniam redire parat: verùm omnes angustias Alpium sibi præclusas offendit. Tandem per Venetiam atque Aquileiam, inde per Noricum atque Vindeliciam, regnum Bojariæ intrat. Luithulfum cognatum suum Charionum ducatu movet. Charinis Henricum, Odagrium Ozionis filium Styriis præficit. Inde Regiuoburgium pervenit, ibi substitit.

Hostes, audito præter spem Cæsaris adventu, subito metu perculsi, obsidionē solvunt, in Saxoniam non tam discedunt, quàm aufugiunt. Episcopi arces impositas Alpibus petunt. Cæsar Welphonem summum Bojariæ principem Neoburgii obsidet, capit, in ditionem redigit, arcta custodia asservari jubet. Inde Witt-

VVirtzburgium petit, cives collaudat, ipsis gratias agit, præmiaque largitur. Adalberoni, Gebhardo, Altmanno, licet comitiis hostilibus interfuerint, gratiam facit, eosdem ad desertas oves redire jubet, pascere gregem creditum, suo jure imperat.

At illi tantum abfuit, ut rectè monenti, pacemque ultrò offerenti obtemperârint, ut ea, quæ summa tranquillitate, pace Cæsaris, citra sanguinem retinere licebat, multa cæde, cruore ovium, clade, rapina miseri gregis, sceleribus pluribus emere maluerint, & Cæsarem ne videre quidem à longè, nedum salutare voluerunt, tanta pertinacia partium fuit.

Cæsar Reginoburgium in *Bojariam* redit. Cumq; videret, hostes non solùm saluti suæ insidiari, sed etiam neque modum propriæ vitæ, neq; rationem periculorum habere, dummodò se tollerent, ut angustior foret, se suosq; auspiciis regiis tutaretur, acerbitate hostium coactus, cultum Cæsareum, imperii insignia resumit. Vindeliciam superiorem, & Norici partem continuam, per quam Athesis, Isacus, Oenus amnes decurrunt, Arnulphum de Damasia cum Alberto Iringoburgensi procurare jubet. Noricum Juvavense Burckhardo & Berchtoldo fratribus à Mosburg oriundis committit.

Inferiorem *Bojariam* ad utramq; Danubii ripam, & quatenus Bojemiæ continuatur, Friderico & Asuino à *Bogen*, filiis Hartuici commendat. Inde Sveviam petit, Berchtoldum principatu deturbat, Hugonem copiarum ejus ducem in vincula conjicit, castella, oppida hostium expugnat, mœnia diruit, & solo æquat. Berchtoldus ei resistere non potuit, ægritudine animi expirat. Cæsar Svevis imponit Fridericum de Stauffen oriundum, eique dat in matrimonium Agnetem filiam suam.

Perdomita Svevia, Bojaria, victor *Reginoburgium* revertitur: amicis animum reddit, inimicis terrorem injicit. Multi, qui ab eo, quòd rebus diffisi fuerant, defecerant, certatim ad eum redeunt. Inter hæc Rudolphus in Saxonia copias cogit, Adalberonem ex Bojariæ castellis, Neoburgio, Schardingio, Pictavione, Lambachio genus trahentem, quòd eruditione, genere, cæteros præstabat, Wurtzburgium vi reducere, & opem ferre genero conatur: Cæsar cum exercitu celeriùs opinione obviam venit, hostem invadit, fundit, terga vertere compellit.

p. 149. Rudolphus vix fuga elapsus est. Ejus partium plerique occisi sunt. Bernardus Magdeburgensi archimysta, autor belli civilis, à popularibus inter fugiendum occisus est. Sigefridus *Mogontinus* archiflamen ex fuga retractus, cum jam in crucem ageretur, clementia Cæsaris supervenientis ab imminenti nece liberatus est. VVernherus Merburgensis episcopus, Cæsaris itidem pietate patibulum evasit, ambobus copia abeundi facta. Ipsi se rursus ad Rudolphum contulêre. Neminem, nisi qui prælio cecidêre, Cæsar occidi permisit: quem Albertus Vangionum pontifex ne aspicere quidem voluit, proinde arcta custodia asservari jussus. Inde, corruptis custodibus pecunia, elapsus est, ad Rudolphumque rediit. Magnus quoq; dux Saxoniæ, Hermannus ejus patruus interiêre, à Cæsarianisque prælio occisi sunt.

Facta hæc strages Saxonum, sociorumque anno æræ nostræ 1078. 7. idus Augusti, tertio die *Septimanæ*, quem veteres Marti dicârunt, à quo adhuc Græca voce *Ares* apud Teutones vocatur. Cæsar tanta potitus victoria, in *Bojariam* hyematum concessit. Reginoburgi, Calendis Februarii divo Mariano Scoto, ejusque sociis atque symmystis, viris religiosis, atq; ejus tempestatis doctissimis mathematicis, poetis, theologis, historiographis diploma dat, eosdem immunitate donat. Ebersspergensibus monachis, Burensi templo prædia quædam tribuit. Fruxinensibus *Maginardum* Episcopum, mortuo Angelberto, designat. Insequenti anno Cæsar rursus cum exercitu Bojorum, Francorum, Bojemorum, Rudolphum primo impetu in fugam conjecit. Ubi dux Bojemiæ Vratislaus regiam hastam Rudolphi nactus est, eaque à Cæsare Bojemo donata; in posterum festis diebus Regulis Bojemorum insigne *Imperii* solenne fuit.

Pars Saxonum, dum prælio decertatur, in castra Cæsaris vacua viris atque defensoribus, quò pueri diverterant, irruunt, hosque omnes strangulant. Cæsar, fusis hostibus, Osnoburgensem, Virdunensemque episcopos Romam cum mandatis proficisci jubet, postulatque à Pont. Max. ut, si quidem secum syncerè in gratiam redierit, tyrannum immanissimum, perfidum parricidam (qui, affinitatis vinculo, fideique religione violata, bellum plus quam civile exercitârit, pacem interturbârit) pro Republica devoveat.

Rudolphus quoque Romani Episcopi opem, cujus auspicio regnare jussus sit, supplex implorat, petitque, ut Pontifex Max communis generis humani parens, sævissimum sacrilegum, incestuosum, sacerdotum contemtorem, cujus Deus venter atque ea quæ sub ventre sunt, sacro ense juguler. Gregorius hujus postulatis annuit. Heinricum, quòd contrà, ac pollicitus fuerat, insignia Imperii usurpârit, rursus execratur: proceres, populũ, sacrat os,

ſacratos, prophanos, ſacramento ſolvit: eos, qui *Cæſari* fidem frangant, principi ſuo rebellent, Rudolpho adhæreant, ab inferis emancipat, cœloque locat, hiſce incendia, cædes, & hujusmodi ſcelera, quæ bello deſignari ſolent, indulget, aliis omnibus, qui Cæſari fidem ſervent, ab eo deficere armis ſe miſcere recuſent, diras inferiasque dicit. Regem malum ob crimina à ſe devotum, proinde jam non regem, neq; illi parendum eſſe, docebat, quin obſequium præſtare Deo, pietatisq; eſſe occidere eos, qui Heinrico fidem ſervarent, aſſeverabat. Sacerdotibus quoq; connubiis interdicit, vetat populum ſacrificiis eorum intereſſe, aut illos pro ſacerdotibus ducere.

Gratisſima hæc fuêre ſcortatoribus, quibus pro una uxore ſexcentas mulierculas inire libet. Sed iſthæc omnia, plerisq; Epiſcopis, aliis eruditis, ſimplicib⁹, apertis atq; bonis, præter conjuratos, qui ſuæ cauſæ ſerviebant, novum dogma, peſtifera hæreſis, quæ unquam Chriſtianum conturbaſſet regnum, viſa eſt. Quamobrẽ Italiæ, Germaniæ, Galliæ pontifices, Quinquagenalibus Mogontiaci, ſeptimo Calendas Julii, apud Brixinam *Bojariæ* (ut ait Otto Fruxinenſis epiſcopus) urbem conveniunt, Hyldebrandum contra pietatem Chriſtianam, verbis, factisfacere, agere, decernunt, eundem ambitus, hæreſeos, impietatis, ſacrilegii condemnant, hujuscemodiq; decretum tum factũ eſt:

Quoniam Hildebrandus, falſus monachus, magus, divinaculus, ſomniorum prodigiorumq; eſt conjector, malè de religione Chriſtiana ſentit: Primus Pontificatum Maximum contra morem, majorum, invitis omnibus bonis, emit, ac contra voluntatem noſtram, & orbis terrarum domini, vi retinere conatur: Berengarii antiquiſſimi erronis ſymmyſtes & diſcipulus, conjuratus eſt hoſtium Reipublicæ atq; ſacroſancti Imperii, Cæſaris Chriſtianiſſimi, qui ſæpius pacem ei, ejusque ſociis ultrò obtulit, ſaluti corporis & animæ inſidiatur: vitam imperiumque perdere conatur, jus divinum humanumq; pervertit, falſa pro veris docet, ſacrilegia, perjuria, mendacia, homicidia, incendia, veluti benefacta indulget, collaudat, adhæc perpetranda claſſicum canit: tyrannum perfidum ſuo more tutatur, diſcordias inter fratres, amicos, cognatos ſerit, lites nutrit, inter conjuges divortia facit: ſuavis homo ſacerdotes, qui uxores habeant legitimas, ſacrificos eſſe pernegat, interim tamen ſcortatores adulteros, inceſtuoſos aris admovet: quicquid usquam pacis Chriſtianæ fuerat, labefactavit: Nos ergò authore Deo optimo maximo, eundem pontificatu *Max.* amovendum decernimus. Quòd ſi, ubi hæc audierit, ultrò ſe abdicare, parere huic decreto recuſârit, perpetuò repulſam paſſurum, aditu arcendum cenſemus. Adverſus hæc Anthelmus Lucenſis epiſcopus (qui hymnos & alia, quæ de Servatoris noſtri cruciatibus præſcripta ſunt, de Georgio interpretatur) & VVilhelmus Hirſunus, qui ſuam cauſam, ſeq; juſtos eſſe, miraculis poſt mortem declarârunt, pleraq; ſcripsêre, quæ rurſus confutata ſunt compluribus ſacratarum literarum teſtimoniis ab Herveldenſium Theologo.

Sed ad Septimum redeo. Qui accepto ſuperiore ſenatusconſulto, ut animos ſuorum confirmaret, providit, Saxonibusque renunciavit, hoc anno falſum interiturum regem, hocq; de Heinrico interpretatus eſt. Dumq; talia fiunt, Heinricus & Rudolphus in Turogorum finibus ſexto idus Februarii, tertiò infeſtis ſignis concurrunt. Rudolphus fuſus, in fugamque conjectus eſt. Sed reparatis viribus, animatus vaticinio Gregorii, aleam belli denuò jactare, fortunam tentare ſtatuit. Nec Heinricus certamen detrectavit, quarto idus Octobris ducum copiæ in Myſnia juxta Elleſtram amnem, aperto marte quartò confligunt. D. 1080.

Quartus ſuperior & hîc fuit. Rudolphus cum *Saxonibus* invitis ſuperis pugnavit, inauſpicatò Martem laceſſivit, non ſolum ſuperatus eſt, ſed & amputata dextra, qua fidem *Cæſari* dederat, interiit. Mersburgii regio cultu ſepultus eſt, anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo, ſuper octogeſimum, poteſtatis quarto.

Heinricus, peremto Rudolpho, pacataque Germania, ſecundò Italiam, ut aut in gratiam cum Gregorio redeat, aut eum, ſi pacem accipere detrectet, abdicet petit. Quicquid reſiſtit, capit, perdomitat, Septimus urbes, caſtella, arces communit, ad rebellandum Cæſari hortatur. Verùm is vi cuncta penetrat, hoſtium monimenta expugnat, Romamque cum victricibus inſignib⁹ pervenit. *Quinquagenalibus* caſtra ante mœnia urbis facit, foſſa, vallo, carrucis munit, ſtativaque ibi biennio habuit, urbem obſedit, neminem exire, intrare permiſit circumcircà. Univerſa incendiis, cæde cómplet.

Hyldebrandus, fretus opibus Machtyldæ, & Ruperti *Viſchardi* Nordomanni, portas urbis clauſit, fortiter urbem tutatus eſt, ſæpius eruptionem fecit. Heinricus in contraria parte crebrò urbem oppugnat, Romanos erumpentes in urbem repellit. Extra mœnia quicquid fuit, in ditionem redigit. Tandem poſt annos duos, quarto nonas Junii (qui dies ſextus Quinquagenalium erat, cum Romani veneris Aphrodites Græco, ut alia pleraque

solent,vocabulo nuncupant) anno ab orbe vindicato millesimo octogesimo tertio,urbs capta est.

Data signo à gregario milite,qui cum obsessi atque obsidentes, nimio æstu laboreq; fessi, dormitant, explorabundus ad mœnia urbis accedit, ex silentio animadversa solitudine, mœnia conscêdit,signoq; dato,plerosque sociorum excitat. Qui confestim advolant,murum superant,custodes somnolentos trucidant, portas effringunt,urbe potiuntur, fit cædes,fugaq;. Cæsar partem mœnium diruit,ac solo æquat. Urbem infesto intentoque exercitu intrat. Pont. Max.in molem Hadriani aufugit, pars Trajani,pars Crescentii prætorium, sunt qui Theoderici regiam nuncupent, *G*ermani Angelburgium,hoc est,Angeli castrum vocare solent. *C*ui Imperator castra admovet, valloq; fossa circumdat.

Romani cum suppliciis adsunt, auro ægrè pacem impetrant, perfidiam omnē in Hyldebrandum transferunt, obsides viginti dant nobilissimos cujusque liberos,quos Heinricus postulavit. Hisce quoque diebus, legati Imperatoris orientalis multa auri,argenti pondo, signa gemmata, vestes holosericas aureasque Cæsari Romano tribuunt. Romani deinde, suasu *G*regorii, Quartum adeunt, orant,ut diem colloquio constituat, ubi ipse & Pontifex. Senatoresque conveniant, de rebusque Reipublicæ summis consilium habeant, bonorumq; virorum arbitratu pax communiter confirmetur. Non abnuit postulata Cæsar, diem *C*alendarum Novembrium huic negocio destinat. Exinde,quòd lues ob æstum in exercitum grassaretur,ad Apennini mōtis,qua Campaniæ continuatur, umbracula discedit.

In Germania interea Saxones & socii Hermannum Lotharingium rebus imponunt Islebiæ, urbs est Turogorum, ubi alii proventus, hanc ob causam rex Allii vulgò cognominatus est. In orientali quoque *B*ojaria,Luitpoldus Austriaci limitis præfectus,suasu Altmanni Episcopi Bathavensis,res novas molitur,rebellionem facit. Welpho, corruptis pecunia custodibus,evasit, contractis perditissimorum copiis,Fruxinum Vindeliciæ oppidum, Augustam *R*hetiæ urbem, de improviso invadit diluculo,capit, diripit, Uvigoldum Episcopum à Sigefrido Mogontino in Saxonia furtim consecratum Augustanis imponit.Sigefridus Augustæ pontifex fuga sibi consuluerat. Conradus frater Vratislai Bojemorum reguli cum Bojorum, Venedorum viribus *A*ustriam depopulatur, Murbergii Luitpoldum magna clade afficit, quarto idus Maji: Austriam Orientalem, regni Bojariæ limitem ab Imperatore in tutelam accipit.

Fridericus itidem gener quarti, *B*ojariæ proceres,Conradi duo, pater & filius *R*hodæ juxta Œnum,dynastæ præfecti prætorio Uvigoldum *A*ugusta pellūt, Vuelphonem tertio idus *A*ugusti Hochstadii juxta Danubium superant. Eo prælio Conradus filius cecidit. *R*hodam à patre deportatus, ibiq; in templo, in quod arcem parens commutavit, & ceremoniis D.Benedicti dedicavit, sepultus est. In Italia Cæsar Cal. Novemb. ut condictum erat,*R*omam revertitur,maximoque honore excipitur. Nuncii ultrò citroq; commeant,Gregorium & Cæsarem in gratiam redigere conantur.Gregorius, ut Cæsar absq; ulla pactione, se atq; imperium fide illius permitteret, postulabat. Cæsari non fuit consilium,vitam, dignitatem,salutem suam atque amicorum, arbitrio inimicorum in potestate acerbissimorum hostium credere, se ense suo jugulare,manubrium è manu dimittere: Gregorius tamen,simulata pace,fugæ ornatu dissimulato, Salernum ad Nordomannos aufugit.

Cæsar,coacto procerum Episcoporum senatu,advocata concione populi, more majorum comitia pontificalia habet. Hyldebrandus necessitate in rationem versa,tanquam lupus,fur ac latro, veluti perfidus transfuga,ovium desertor, gregis proditor,Christianæ charitatis osor, omnium communiter consensu abdicatur. *E*x patribus Vicbertus *R*avennæ archimysta,concordiæ ac pacis studiosus, vir bonus atque eruditus, Pont. Max. capitur.

Cæsar Epiphaniorum ferias in templo D.Petri perlitat. Calendis Februariis in Campaniam arma movet, maximam *A*puliæ partem, fusis, profligatis Nordomannis,ad obsequium cogit. Posthæc à legatis *R*omanorum ad urbem revocatus undecimo KL. *A*prilis: qui cum dies decimus erat ante Paschalia,à Senatu,equitatu,plebe,reverenter ac honorificentissimè exceptus *R*omam ingreditur. Moxque Vicbertus à cœtu Pontificum inaugutatur,Clemens tertius appellatur. Is in celeberrimo Paschalium festo die,anno Christianæ salutis millesimo, octogesimo quarto,Cæsarem cum *B*ertha uxore consecrat,*A*ugustos acclamante populo *R*om.appellat. p.251

Idem. Principes apud Oppenhaim oppidum superioris Germaniæ, *R*heno contiguum, coëunt: pars, sicut Hugo *A*lsatius,ob egestatem atque inimicitiam (nemo enim est,qui omnibus placeat,aut denique hoste careat) omnia misceri bello,ubi ditarentur, ac vindictam sumerent,omnia marte,cui cuncta licent, ar-

dere

dere avebant. Rudolphus Burgundiorum ac Svevorum regulus, senectute venerabilis, domi forisq; præclarus, cæteris principibus bonis artibus præstans, cui soror Cæsaris nuptum collocata erat, cum Berchtoldo à Zaringen genero suo, cum hostibus (quos tamen maxima clade pro Cæsare fratre uxoris suæ pugnans affecerat) spe regni inescatus, sentire cœpit.

VVelpho quoque dux Bojorum nova molitur. Sigefridus Moguntinus archimystes, Hermannus Mediomatricum, Albertus Vangionum Episcopus, VVilhelmus Hirsaviensium monachorum antistes, in Bojaria Reginoburgii à puero in templo divi Haimerani educatus insignis ejus tempestatis Mathematicus, Altmannus genere Saxo, Bathavensis Pontifex, cum Gebhardo Svevo Iuvavensium pastore, Adalberone Bojo, clarissimis natalibus orto, VVurtzeburgensium primario sacerdote, condiscipulis (quippe eodem tempore Lutetiæ Parisiorum literis operam dederant) sub toga & censura sanctissimorum patrum meliùs, quàm sub armis & strepitu forensi Cæsarum, tranquillitati & reipublicæ Christianæ consultum iri, arbitrabantur.

Atque hi omnes, quos commemoravimus, ad Saxonas sine cunctatione, deserta Cæsaris optimatumq; causa, deficiunt, ad prætextum mutatæ voluntatis, religionem obtendunt, Heinricum communi consilio abjurant, se perpetuò ejus fore hostes, quoad vita suppetat, jurejurando sanciunt. Postea arma capessunt, Cæsari insidiantur, ejus rebus studentes oppugnant. Omnia tumultu, cuncta terrore & luctu complentur.

Cædes, incendia fiunt: insontes, & qui neutri parti favebant, qui fidem regni servabant, rebellare recusabant, pacem & ocium bello præferebant, armis se commiscere abnuebant, Symoniaci, Nicolaitæ, Hæretici appellantur, proscribuntur, in sceleratorum numero habentur, aris, sacris, convivio, colloquio, suppliciis, conspectu, à conjuratis arcentur: sacerdotes, monachi, episcopi, fratres germani, amici, cognati, affines, liberi, parentes, miles, tribunus, herus, famulus, pueri, puellæ, conjuges, populus, principes inter se discordant, dissentiunt, publicè, privatim altercantur, rixantur, pugnant, belligerantur: invicem mutuis vulneribus, cæde, parricidio, incendiis, rapina conflictantur: agri vastantur, fana spoliantur, ærarium diripitur, fiscus exinanitur, villæ incenduntur, ædes igne concremantur: urbes, castella vi expugnantur, leges silent, arma fervent, omne jus in viribus est.

Quicquid victori collibuisset, victus patitur, virgines rapiuntur, liberi à complexu parentum avelluntur, matresfamiliæ vi constuprantur: terra, flumina humano cruore rubescunt. Animæ cum corporibus intereunt, ad inferos rapiuntur: æternis suppliciis mactantur.

VVurtzeburgenses, Vangiones, Mediomatrici, Bathavi, Salisburgenses episcopos suos exigunt, quòd contra instituta majorum civibus suis suadebant, solenne fidei polluere, cujus Germaniæ populos patientissimos esse, inter illustres gravesque rerum autores, licet hostes nostros, convenit. Pastores igitur illi extorres, sine lare, sine ovibus errabundi, destituto ovili, ad Saxoniam tandem se conferunt.

Plerique tum privatim, publicè indignum facinus clamitant: pro concione Gregorio maledicunt, Hyldebrando malè precantur: ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem agi; vociferantur, Antichristum esse, prædicant, pietatis sub specie (inquiebant) debacchatur, honestis nominibus publicum bonum simulat, titulo Christi negotium Antichristi agitat: in Babylonia in templo Dei sedet, super omne id, quod colitur, extollitur, quasi Deus sit, se errare non posse, gloriatur: in excolenda gloria sua, pertinaci spei atque concupiscentiæ, Imperatoris suo arbitrio constituendi, se devovit: homines non peccatis, sed lege Christi, atque sacramentis solvit, pacem atque pietatem religionis nostræ labefactat, bella, seditiones concitat: item pro, cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget.

Non solùm, ad ambitionem suam occulendam, fabulas comminiscitur, annales corrumpit, res gestas invertit, sed etiam cœlestia oracula adulterat, divinas literas falsò interpretando, suæ libidini servire cogit, sacram historiam lacerat, inter mulierculas de sacris philosophatur literis.

Quicquid dixerit, legem Dei putat, ad aviditatem suam incongrua conquirit testimonia, sententias depravat, ad voluntatem suam Scripturam trahit repugnantem. Nimium sibi de Pharisæorum supercilio sumit, ut quosq; damnare vel solvere arbitretur, cùm apud Deum non sententia sacerdotis, sed vita hominis quæratur.

Præterea Hyldebrandus ille divinæ majestati refragatur, Christianissimo Principi divinitus constituto, & à Deo inaugurato, resistit: versutus, fallax, obscurus, callidus, imperium orbis, titulo Christi, sub ovina pelle ambit. Alios pecudes ignavas, stultos, stipites, caudices, asinos, qui ejus sycophantias, vaframentaq; non intelligant, putat. Huc omnes nervos

nervos intendit, ut duce gregis oppresso, in ordinemq; redacto, in oves desertas præsidio Imperatoris, licentius impuniusq; grassetur. Si omnis potestas à Deo est, maxima quoque, nempe Cæsarea, ab eo sit necesse est.

p. 252. Christus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit: & duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrũ ceperant, ad Cæsarem, cui Imperium orbis terrarum commissum est, ablegavit. Pontificibus quoque Judæorum præcipit, Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: cui vectigal solvit, tributum pendit, censum dedit. Idem nos D. Petrus docet, Deum timete, regem honore afficite. D. Pauli præceptum est, Fidem regi servate. Quòd si quispiam cœlitum aliter docuerit, devotus esto.

Flagitium hujuscemodi Hyldebrandi inexpiabile, scelus hactenus inauditum procul ab orbe germano abigendum, ense (quem Imperator supremus ad vindictam malorum Cæsari tradit) resecandũ, lupus sub ovina pelle sæviens ferro tollendus. Septimus ille non verbis & disputationibus, sed vinculis & carcere fatigãdus est. Nempe dictum est à Christo, Deo Opt. Max. Petro, ejusq; successoribus, Romanis episcopis, vade retrò Sathana, offendiculum mihi es: & qui gladium acceperit, & gladio pereat.

Idem. Gallina tunc Romæ ovum, serpente quasi arte celatum, peperit. Gregorius, posteaquàm illiuscemodi dicta sunt, ovum Imperium, serpentem regem, qui Romæ domicilio Imperii conterendus sit, interpretatur. Multa deinde de innocentia & potestate sua præfatur; deinde D. Petrum apprecatur, his verbis:

Tibi, sanctissime Petre, & nobis, tuis successoribus Deus omnipotens dicit, Quodcunq; ligaveris super terram, erit & ligatum in cœlis. Quocirca qui tuæ ædis amplitudinem attenuat, dignus est profectò, ut dignitatem amittat, splendorem perdat. Equidem hacce potestate fretus, functusque tua vice, eidem, qui Ecclesiæ tuæ obtemperare recusat, unitatem scindere studet, execratos non fugit, sacris regnoq; interdico: ut planè intelligant omnes mortales, quòd tu sis Petrus, & super hanc Petram, qui tu atque tui successores sunt, Christus filius Dei vivi ædificaverit templum suum, adversus quod ne inferi quidem invalescant.

Postremò, ubi hujuscemodi multa Gregor.* dixit, concionem, ut bono animo sit & se, Christo propitio, fortiter ad resistendum sacrilego, lascivo, temerario injusto, imperito, superbo, avaro, crudeli, impuro juveni, paret, cohartatur. Nordomannos, Machtyldam, Saxones armis invictos, divi Petri reb9 studere, alios haud dubiè fulmine sacro attonitos, causam justiorem secuturos: beatos deniq; esse proponit, qui persecutionem patiantur.

Post hæc concilio dimisso, sexcenta fulmina, totidem tonitrua, diram grandinem, bullas appellant, in Galliam, Germaniam, Italiam mittit. Docet, à se regẽ, qui Christianam philosophiam contemnat, templum Dei subvertat, hæreticorum author sit, & consecraneus, execratum, regnoque abdicatum. Omnes, qui in ejus verba religione adacti jurârint, sacramẽto solutos esse commemorat.

Exinde se majorum vestigia, patrum scita, placita magistrorum Ecclesiæ, legẽ divinam, summum cœlestis thesauri jus insequi, Christum Dominum Deumque nostrum Divo Petro, ejus successoribus, Romanis Episcopis censuram totius orbis humani detulisse, eosdemq; cœlitus constitutos censores esse, qui judicarent de moribus, de curia cœlesti, atque spiritibus æternis, nedum mortalibus.

In arcanis sacræ historiæ contineri, divina oracula esse, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Nemo omnium (inquit Septimus) ne Reges quidem atq; Imperatores hic excipiuntur.

Recitat inde veterum gesta, ubi legamus, Hyldericum à Romano Pontifice non ob flagitia, sed quòd inutilis foret, regno amotum, Francosque jurejurando, quo illi obstricti erant, à primario urbis sacerdote absolutos, ab eodem Pipinum regnum substitutum esse. Imperatoribus Theodosio, Arcadio, Philippo, Anastasio, Ambrosium, Innocentium, Constantinum, Anastasium, Episcopos sacris interdixisse: addit, in gestis divi Petri contineri, ejus, cui Pontifex maximus infensus sit, sermonem, conspectum, tanquam diræ contagionis pestem, vitanda esse.

Proinde concludit, qui quidem animam suam salvam esse velit, regi devoto per sacrosanctam religionem audiens dicto non sit: imò universi imperata, mandataque, detrectent, rebellionemque faciant. Saxonas quoque veteres amicos Gregorius muneribus explet. Neminem spernendum, neminem contemnendum esse decernit: quæcunque potest largiendo, pollicendo parare, nequaquam cunctatur. Scinditur in contraria populus Germanus studia.

Idem. Hactenus Pontifices Romani comitiis curiatis, calatis, à sacerdotibus, equitatu, plebe, senatu, per omnium generum suffragia electi fuerant, id tum rarum fuisse reperio, si Imperatores Rom. autho-

authores fierent, qui illos, sicuti alios Episcopos, ad concilia jure suo evocabant. Cæteros quoque universos pontifices, monachorum, mystarum magistros, ex consilii decreto, comitiis centuriatis, per suffragia purpuratorum, more majorum, Imperatores per Germaniam, Galliam, Teutonicam, Italiam Romanum orbem, sicuti in Carolo Magno commemoravi, capiebant.

p. 253.

Sanctissimi patres, quemadmodum Christus Dominus & Deus noster, comites & legati ejus fecerunt, & alios docuerunt, Cæsares in terris à Deo secundos, ante omnes mortales primos, à supremo numine datos, divinitus constitutos, ab immortali *Deo* electos, & [ut illi vocant] coronatos venerabantur: dominosque suos vocare solebant. Eisdem tributum, censum non denegabant, pro eorum salute quotidie comprecabantur. Imperata detrectantes, tanquam cœlesti provinciæ resistentes, videri, contra pietatem *Christianam* fecisse, decernebant.

Grande nomen esse Imperatoris, à Deoq; tradi prædicabant. Reipub. turbellis, nedum armis, ut milites Christi, se non immiscebant: paupertate & modestia cum cæteris Christianis decertabant, quò quisque submissiùs se gereret, hoc majorem esse sentiebant.

Ensem ancipitem, gladium duplicem, Christianæ civitati datum asservandum, vivificandumq;, non occidendum esse, putabant: eundemq; spiritualem appellabant, qui est sermo Dei, vita & lux hominum: & mortuos ad vitam revocat, ex hominibus deos, ex mortalibus æternos facit: tantum fuit, ut illi vel regum quempiam, vel impium, vel Arrianum regno pellere, eidem sacrificiis interdicere, populum sacramento solvere, tentarent, atque regna evertere, sanguine humano se polluere, pro principatu cum *Christianis* decertare, sibi permitterent. *Principes* vicissim hos, sicuti parentes animorum communes, amabant.

Gregorius septimus, qui & Hyldebrandus, fretus armis Nordomannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam, *Campaniam*, quas vi occupârant, debacchabantur, confisus etiam opibus Machtyldæ mulieris præpotentis, & discordia Germanorum, primus contra morem majorum, contemta Imperatoris authoritate, pontificatum maximum occupavit. Utramque personam sibi impositam esse à *Christo*, se quodcunque, ut liberet, ligare, solvere posse, jactitare, utramque personam agitare; Occidentem asserere, omnem potestatem in se transferre, neminem parem, ne dum superiorem ferre, justa aliorum diminuere, cæteris jus atque honorē præripere, cuncta in se transferre: Cæsares, reges, augustos, ut precariò regnantes, floccifacere: Pontifices, Episcopos in ordinem redigere, devovere, capite deminuere, lites, bella concitare, discordias serere, factiones confirmare, jusjurandum, pacta, sacramenta solvere cœpit: etiamsi injuria vel ipsum Cæsarem affecerit, tamen se metui oportere, in quadam gloriatur epistola, utpote qui errare non possit. & à Christo Domino servatore nostro, *Petro*que acceperit potestatem, ut solvat ligetque, utcunque libeat.

Tum mores ambitione avaritiaq; corrupti paulatim invaluêre, tempora periculosa cœpêre, quæ nobis cavenda *Christus* servator noster, Petr9 ac Paulus longo antè tempore probè cantârunt. Tum illa, quæ de Sylvestro & Constantino vulgò inculcantur, & alia pleraque, quæ ob modestiam *Christianam* referre pudet, non minùs imperitè, quàm impudenter mendaciterque conficta sunt, simulata religio, species pietatis invasit. *Compilationes*, nundinæ sacrorum irrepsêre, & sacrosancta philosophia humanis commentis, fabulis anilibus, à sycophantis callida interpretatione pollui, corrumpi, violari cœpit, adeò ut sine multorum pernicie religio sancta procurari, & ad pristinam majestatem restitui non possit.

Ante hæc occidentales *Christianos* Deus parens indulgentissimus, per alienos à religione, nempe *Saxonas*, Hunnos, Nordomannos, Venetos, Longobardos, Ungaros, verberibus, flagellis, ferula, sæpius ac crebrò continenterque castigârit: nunc verò, velut ab irato patre neglecti atque exhæredati, more malorum (ut vulgò dici solet) geniorum, invicem, pejus Turcis, per quadringentos ampliùs annos sævimus (cantantibus classicum, qui prohibere deberent) fallimus, decipimus, circumvenimus, defraudamus, trucidamus, in viscera ferrum convertimus. Nostræ libidini relinquimur, nostro vivimus arbitrio, superbè, avarè, impunè agimus, Deum immortalem mendacii arguere non erubescimus.

Atque is Hildebrandus, qui & Gregorius septimus, primus imperium pontificium cōdidit, quod successores per quadringentos quinquaginta continenter annos, invito mundo, invitis Imperatoribus adeò duxêre, ut inferos superos in servitutem redegerint, atque sub jugum miserint, atque cuncta fulmine perterrirent:

Quo bruta tellus & vaga flumina,
Quo styx & invisi horrida Tanari
Sedes, atlanteusq; finis
Concutitur mutant ima summis.

Utcunque libet, de cœlo ad inferos præcipitant, rursus ex inferis ad astra tollūt, jam Imperator Romanus nihil ampliùs, appellatio modò est sine corpore, sine specie,

specie. Tametsi ex arbore fructus cognoscatur, & nemo ex spinis colligat uvas, & miles signum sui tribuni agnoscat: nobis tamen ante tempus non licet ullum judicare, sed cum summa potentia maximo cœlestis sapientiæ studio, secundum D. Pauli præceptum, expectandum est perpetuum æterni prætoris edictum.

Sed ut me hoc fasce molestissimo quàm celerrimè levem, reliqua exequi pergam. Sacerdotes illa tempestate publicè uxores, sicut cæteri Christiani, habebant, filios procreabant, sicuti in instrumentis donationum, quæ illi templis, mystis, monachis fecêre, ubi hæ nominatim cum conjugibus testes citantur, & honesto vocabulo Presbyterissæ nuncupantur, invenio.

1074. Cæsar tum, quemadmodum in Carolo Magno, & jam explicavi, Episcopos, Pontifices, antistites, monachorum magistros virginum maximas, suo jure capiebat. Et ut homines, non dii sumus, nihilq; est ex omni parte beatum, eveniebat interim, ut & honorarium scribis pro diplomate, xenium suffragari, condonare necesse foret: sacerdotes illos Nicolaitas, hos *Symoniacos* appellat: eosdem devovet, ambitus, incestus condemnat, curia sacerdotum movet, scribit deinde Cæsari, ducibus, principibus, dynastis, tetrarchis, maximè Berchtoldo à Zaringen, Rudolpho Svevo, Welphoni Bojo, Adalberoni, & uxoribus horum, atq; mulieribus, cæterisque, quoscunq; idoneos credidit: item episcopis, præcipuè Ottoni Constantiensi, sacrificulis, populo, ut superiores mystas velut sceleratos atque impios devitent: eorum sacrificia, colloquia, sermones, convivia, haud aliter quàm contagionem fugitent: illos salutare, resalutaréve, maximam impietatem esse, docet: iisdem parere, si sibi non pareant, æs Ecclesiasticum reddi vetat.

Gravissima igitur seditio gregē Christi perculit: nec unquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ adversus Pontifices, populus adversus sacerdotes, prophani adversus initiatos sævire, omnia divina humana permiscere cœperunt. Viri, mulierculæ, ut quisq; maximè avarus, ambitiosus, aut invidus erat, bella & lites, odio amabat: levi admodum suspiciuncula excitatus sacerdoti suo resistendi, bona templi diripiendi ansam præripiebat, populares sacerdotulos, qui uxores habebant, floccifaciebant, religionem polluebant, sacra temerabant, lustrica aqua passim expiabant, decimas igni concremabant, sacrosanctam hostiam (horresco referens) à mystis, qui conjuges habebant, consecratam, in lutum abjiciebant, pedibusq; conculcabant.

Tales enim non esse sacerdotes, neque sacrificare, Hyldebrandus docebat. Hincque occasione arrepta, multi falsi prophetæ nebulas offundunt, fabulis, miraculis exempla vacant, à veritate plebem Christi avertunt: sacras literas interpretando suo negocio servire cogunt. Porrò paucissimis veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatem jactantiæ, quæstus ergò simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria passim & impunè committunt. Alii verbis quidem ambitus crimen abominabantur, sed plus auri sub magna pietatis superficie, dum se gratis dare cuncta jactant, corrasêre, plurisque sacra venum dedêre.

Et tu vigilantissime Gregori, quidnam faceres, si te fortuna ad nostra tempora servasset, & nunc demum natus esses, quãdo amare, potare, stupra, incestus committere, vim puellis inferre, virgines vitiare, alienas permolere uxores, adeò, ut cauda salax sacrificulorum in proverbium vel vulgò protritum abierit, munus sacerdotale censetur: quando divitias, opes ambire, sacerdotia cauponari, sacra nundinari: & quasi defectos caballos, juxta commune dictum, commutare jus est & longinqua consvetudo. Vulgò dici sæpius audio, Ceremoniæ cum pontifice, àra cum sacrificulo, templum cum æditui universa venalia sunt.

A Pontificibus minoribus, quos sacrificos vocamus, sexcenti exiguntur nummi aurei, in tantum, ut quosdam hoc munus objisse pœnituerit, & quosdam designatos, rursus quod non esset, unde avaritia Romanensium corvorum satiarent, abdicasse nôrim, fœnus, quod ab aliis Pontificibus redditur, quotannis à templis abraditur, majus est, quàm ut à me, licet numerorum abaci perito, numerari queat. Tum Symonia tibi, Gregori, erat, nunc absentium confirmationem, annatas, ac nescio quibus aliis nominibus nũcupari audio.

Idem. Isti nebulones quæstum, pietatem: religionem, prædam putant: mera miracula comminiscuntur. Hoc enim sanctulorum genus, visus, somnia, nocturnos superum congressus, nocturna Deorum colloquia simulant, freti credulitate imperiti vulgi pro concione evulgant, somnia qualiacunq; velis venditant fabulis ad voluptatem confictis imperitos in admirationem sui lactant, vili plebeculæ velut pueris illudunt, omnibus corneam fibram esse, neminem sua commenta animadversurum arbitrãtur. Vulgo indocto, multitudiniq; imperitæ, alioquin sævæ, impotenti, mutabili, metum deorum atq; superstitionem, rem ad animos vulgi regendos efficacissimam injiciunt, ubi illa vana religione capti sunt, melius

meliùs falsis vatibus atque falsis prophetis quam veritati, obtemperant: rationẽ quidem illi falsi unctuli, ipsis perceptam consecraneos suos, at nequaquam vulgus edocent.

Ergò orgia mysteriaq; hujusce religiositatis in vulgus edam, dogmata prodam, mentiri sibi licere, decipere plebem, modò splendoris lucellive spes arriserit, inter secreta habent: nempe illud crebrò (ut eorum verbis utar) jactitant, exempla ponimus, non quòd ita sint, sed ut discentes addiscant, digni profectò, in quos exempla edantur: qui divina oracula adulterare, crimen veræ irreligiositatis committere non erubescunt.

Quid undecimo abhinc anno moliti sint, designarintq; Veronæ apud Suitonas, commemorare nolo. Valeant isti nugivendi, fabularumq; mangones, & caupones sacrorum.

Idem. Duæ virtutes, parsimonia atque paupertas imperia pariunt, augent, retinent. Itidem duobus vitiis, avaritia & luxu pessundantur. Studium pecuniæ, potentiæ, splendoris cupiditas, cuncta regna evertunt: sub specie quidem virtutũ grassantur, lites, simultates, odia, bella generant, odia, cædes perpetrant, opulenti ambitione, cæci, luxuq; perditi, legibus soluti committunt, æquitatem detrectãt, pacem ferre recusant, ultrò quovis modo irrepunt, seditiones, factiones, discordiæ mala serunt, optimum quemque insidiis circumveniunt, amicos veritatis simplicis, apertos, bonos veluti stolidos ac ineptos à Rep. gubernaculisq; rerum arcent, qui suis moribus congruunt, admittunt.

p. 255. Dispares mores disparia studia sequuntur. Dissimilitudo inimicos, similitudo amicos parit. Malus, qui voluptatem, potentiam, imperia, opes amat, ut his quovis modo fruatur, nihil pensi habet, æqualitatem contemnit, æquitatem aspernatur, societatem hominum communem violat, jus sibi, cuncta deniq; suæ voluntati servire vult, rapit, defraudat. Ubi te dissimilem vitam vivere & isthæc aspernari videt, se sperni, irrideri, peti à te arbitratur, vitia sua à te notari, fert impatientissimè: quamobrem te velut hostem persequi non cessat, vel insidiis, vel vi tollendum curat.

Ita probitas aut paupertatis aut necis causa tibi existit. Pauperum autem nulla cura est, boniq; ad negligentiam, desidiam rediguntur, coactiq; suum officium faciunt, privato commodo & ipsi consulunt. Nec ultrà jam, quàm ipsis usus est, cùm alia ab aliis occupanda cernant, laborant: paulatim deniq; fortunæ malignitati cedunt, vitiisq; herbam porrigũt. Honestis manibus omnia lætiùs proveniunt, quoniam & curiosiùs fiunt.

Christus Dominus & Deus noster pacem atque mutuam charitatem pro religiosissimo nobis insigni dedit. At nos intestinis seditionibus adfligimur: quamvis unius corporis simus membra, sacrati tamen prophanos, prophani sacratos, negotiis suis, seu orgiis alienos arcent, quasi verò unum membrum sine alterius ope, suo defungi queat officio, aut oculi pedibus non egeant.

Mirari subit, quòd Deus nostris moribus non magis irritetur, & fulmina iracunda tam diu ponat. At non magis (cujus & nos pars fuimus) oratoribus atque Poëtis fuit quàm his, qui se Theologos & Philosophos nuncupant.

Exploso Alexandro grammatista, receptis sacris vatibus atque Rhetoribus, & clarissimis aliis rerum scriptoriobus, pax tandem rediit. Nunc Theologi inter se sæviunt, fremunt, debacchantur. In sua viscera cruentum convertunt ferrum, invicem sanguinem sitiunt, invicem more Druydum sacrificiis interdicunt, digladianturq; pro lana caprina: divinus ille furor vatum, poëtis in veteri domicilio relictis, Theologus invasit. Is se novum, hic veterem, ille Scholasticum, hoc est, umbraticum, alius verum ac solidum se appellat.

Sunt qui universa adfirment, & contrà, qui cuncta negent, pars in Scoti sive Thomæ verba jurat, pars Vilelmio Ocomensi, ac Gregorio Arimiensi addicta est, nec hi inter se concordant: ut quisq; maximè à cæteris dissenserit, novam aliquam sycophantiam excogitàrit: ita maximè doctus & acutus reputatur: tot opiniones, quot theologistæ: facilius inter horologia, quàm inter Theologos conveniet. alius sermones & historiam Longobardicam, hoc est, meras fabulas, non rem amplectitur: ille discipulus est, alter dormit securè.

Invenias & gryzium, animal apud Germanos inauspicatissimum, & conviciis frequentatum. Maxima pars sacras literas, antequàm discant, docent, quicquid in buccam venerit, magno boatu deblaterant, ut pecuaria Arcadiæ rudere credas. Et de his, quæ penitus ignorant, audacter pronunciant, pluraque verba effutiunt.

Summæ Majestatis oracula superstitiosè interpretando suis moribus apta faciunt. Quicquid nugati fuerint, cùm nemo obstrepere aut intercedere audeat, legem Dei putant, quasi plastæ ceræ molli, quamlibet formam fingunt. Hæcq; licentia atque imperitia Magistrorum nostrorum in sales apud indoctos etiam crebros abiit.

Calceolarii, sarcinatores, nisi præscripto tempore manum ferulæ subduxerint, & tandem manu solertiam comprobàrint, in artificum classem non recipiuntur:

piuntur ; solis licet sacrificulis absque præceptore ultrò se ingerere, & ultrò ad aras nemine vocante gregatim absque delectu accurrere.

Quidam Ecciani sunt, quidam Lutheriani nominantur: illi *R*omanum episcopum plùs quàm *D*eum faciunt, hi in ordinem redigunt. Ignavissimus quisque aras adit, alioqui sub dæmone agricola futurus, flagitiaq; impunè perpetrat. Sacratæ quoque fœminæ, excusso pudicitiæ jugo, castitati bellum indixêre, nisi me pietas Christiana cohiberet, flagitiosiores prostibulis dicerem, licet in uno modestiam servant, quòd cum virgines non sunt, adpellari erubescunt, & dominas se vocant.

Si veritas unquam acerba fuit, nostro ævo potissimùm odium parit. Omnes quæ sua sunt, quærunt: visio à *P*ropheta, Lex à sacerdote perit. Canes muti non possunt latrare, os obstruxit pecunia, consuetudo prava, gratia, timor. Terra & detestabilis Philosophiæ & libertatis Christianæ est oppressio, crimina fervent, pietas refrixit, paupertas Christiana maximum opprobrium est, maximus honor divitiis habetur.

*A*mor nummi, lethalis ambitus, quam Symoniam vocant, crescit: odia lites, factiones partium, studia, bella intestina parit, sacerdotia quasi caballi venduntur, permutantur, religiosus est, qui plura intercepêrit, prærîpuerit, involaverit. Non quot animas bearint, aut cælo restituerint, egregii illi pastores quærunt, sed quot nummos quotannis prædia stipendiaria, sacerdotiave, etiam absenti, reddant, dextra computant.

Omnis sermo horum de pecunia, venere, vitiis aliorum leviusculis, aliisq; rebus est: si unum verbum de Christo, aut ex *D*. *P*aulo prophetâve adduxeris, veluti impium te abominantur, & Theologum infami jam nomine adpellant, potentia, opes, venter, & quæ sub ventre, illorum dij sunt. Vivunt ut bibant & edant.

256. Gloriari quosdam in vinariis tabernis, audivi, sese quascunq; puellas fœminasve in sui amorem pellecturos. Nec secreta, quæ, ut vocant, in confessionibus rimantur, prodere & temulenti & sobrii erubescunt: prudens prætereo, quæ quotidie non sine maximo animi dolore sentire cogor: tantum abest, ut rumoribus temerè credam (facit indignatio versum.) Captorum gregis in morem porcorum, & sicuti vulgò dici solet, grunniunt, nec unquam concordes sunt, nisi quando conspirant.

Ut quisq; maximè à cæteris victu, vestitu, moribus, institutis, religione, cantu, preculis discrepârit, ita maximè religiosus putatur. Sunt, qui carnem fugitant, pisces optimos, vina nobilissima, testamenta aliena & faciunt & intercipiũt. Funibus alii cinguntur, is cœruleus, hic ater, ille candidus est, pars discolores sunt: videas, quosdam intus laneos, foris lineos esse. *A*lius est Francisci, alius Augustini, alius Dominici, alius Carmelii, quasi verò (divi *P*auli utor sententia) isti, non *C*hristus pro nobis mortem obiisset. illi omnes scelera comedunt, crimina bibunt mortalium, virtutes & benefacta venditant sua, hamatasq; preculas, viscataq; murmura cauponantur: tumultum carminum (ut est apud Prophetam) & precularum murmura nundinantur.

Neque per hosce vel manibus licet esse pacatis, pro quorum cadaveribus contendunt, & quotidie in publicis concionibus cum sacerdotibus popularibus cõviciis rixantur: nullum terminum aviditati suæ ponunt, nec unquam aut mendicando aut accipiendo satiantur, vel stipem è flamma, ut ajunt, petunt: invicem in templo Dei, æde sacra, mordent sese: invicem casearios que se, scortatoresque nuncupant.

Ista fames, ista pestilentia, non quidem corporum sed animorum, iste parricidialis tumultus, istud nefandum intestinum, que bellum quadringentos annos continenter sub circo Romano in plebem Christianam grassatur. *Q*uòd si fieri posset, vel immortalitati destinatos falli, necesse esset: adeò dira lues tot Pontifices, tot imperatores, cæterosque involvit, extinxit. *Q*uæ videmus & cernimus, lapides stipitesque simus, si non persentiscimus.

Christus & legati ejus omnes non sua morte defuncti sunt. Omnes, qui piè volunt in Christo vivere, in hoc mundo persequutionẽ perpeti, necesse est. Haud fieri potest, (ita mores sunt) quin cædes, homicidia, discordiæ, crimina, simultates, bella edantur: sed viderint, quibus autoribus ista committuntur, Imperator cœlestis quid dixerit: Non veni ad mittendam pacem, sed gladium: ipse & comites ejus, quòd veritatem docebant, crudelissimè interemti sunt, pars in crucem acti, pars submersi: pars combusti.

Alii ad bestias, hi ad metalla & latomias: illi ad insulas condemnati sunt. Et nos, velut pecus ignavum, ab eventu facta notanda, putamus, successuq; rerum cuncta metimur, ceu verò temeraria consilia plerunque fœlicitas non excipiat, aut non sæpè prava magis, quàm bona prosperè eveniant: taceo scribarum, causidicorum, frumentariorum, quæstorum, lictorum, leguleorum, versutias atque rapacitatem. Vetus dictum est Aristotelis, eos, qui cæteris præsunt, nihil ratione atque virtute, cuncta experientia atque vi agere.

Et universi quidem, quos commemoravi, populum Christianum lacerant, decipiunt, fraudant, attenuant, exinaniunt, devorant, adterunt, exedunt. Miseris justior atque clementior apud Turcas foret servitus. Calumnias litium prudens prætereo, nos sub tecto litigamus, ut cœli injuriæ diminuerentur, Romani sub dio, Hebræi sub porta litigârunt. Prim9 Marcellus Octavia sorore Augusti genitus, in ædilitate sua, avunculo undecimùm consule, Calendis Augusti, forum inumbravit, ut salubriùs litigantes consisterent? quantum mutatis moribus Catonis Censorii, qui sternendum quoque forum muricibus censuerat.

Quid de hac re divus Paulus sentiat, nolo hîc commemorare. Pontifices, sacerdotes, monachi, qui nostra lana reguntur, hæc omne consumunt, quasi nihil horum ad se spectet, gaudiis corporis dediti, ocio & voluptate perfruuntur. Ætatem silentio transigunt, interim securi nepotantur, canes, equos, scorta alunt: venantur, lavant, potant, amant. Avaritia eorum ac superbia, & perditi mores in proverbium vulgò venêre.

Ipsi literas sacras, prophanas juxtà odio habent: Eruditorum omnium, potissimùm sacrarum literarum interpretum conspectum, colloquia, consilia, amicitiam aspernantur, velut dirum omen fugitant, nullum præsidium in his omnibus pauperibus existit.

Ita me Deus amet, ut plebeculæ inopis & ab omnib9 desertæ misertum est. Equidem scio, exiguo concedi misericordiã, potentesque potenter tormenta passuros, quippe quibus vel ingratis durissimum atq; arduum imminet judicium.

Tu ergo Christe, terrarum mundiq; Rector, audi, audi, pacis & concordiæ autor. Tu nos tua victrici, dextra vindicasti, & tuo sanguine adservisti, morte tua mãcipia coëmisti: tu nos unctos sacrosancto cruore tuo pontifices cooptasti? Reges constituisti, nobis cœlos, inferos, homines subegisti. Tu nos condiscipulos tuos cohæredesq; deos declaras, nuncupas, designas, Tu nobis, ne alium præter te in terris Magistrum atque Dominum agnoscamus, præcepisti. Lupi undique ululant, leones circumcirca rugiunt. Nisi tute oves tuas præsenti ope, quemadmodum polliceris, servâris, actum est. Omnes haud dubiè occidimus, atque, planè perimus.

p. 257. Da, precamur, auxilium, rebus succurre perditis, Carolo Maximo Augusto tuo numine adesto, ut morbos Reip. ad vivum resecet, sanitatem restituat, labentem disciplinam corrigat, pronum in omnia mala seculum, & in luxuriam fluentē, Germanias coërceat, fessis rebus subveniat, & mortales juvando hoc cœlesti passu ad æternam gloriam vadat.

Platina, Cuspinianus, Nauclerus & Aventinus.

Benedictus IX. Sylvester III. & Georgius VI. Pontificatum mercabantur, vendebant, dividebant: & quæcunq; ambitio aut luxus postulant, impunè exercebant. Ob id Heinricus III. Imp. ingentibus copiis Romam venit, Ecclesiasticam dignitatem compositurus, quàm obsidione cinxit. Dehinc valido cum exercitu ingressus, celebrata synodo, dejectis illis teterrimis monstris. Sindegerus Bambergensis antistes, natione Saxo, reluctans, Pontifex creatur ab Imperatore: qui pòst Clemens 2. dictus est: à quo Henricus cũ conjuge Agnete benedictione imperali consecratur, Augustusque ac Imperator acclamatur, insignibus imperialibus condecoratus.

Sunt tunc Romani cives à pontificum electione jurejurando, nisi cum assensu Imperatoris, prohibiti. Videbat enim Imperator, eò licentiæ factiosum quemque & potentem, quamvis ignobilem, devenisse, ut corruptis suffragiis tantam dignitatem consequeretur: quæ certè, nisi sanctitate & doctrina benemeritis, volente Deo, demandari cuipiam non deberet. Platina & Cuspinianus, Nauclerus vol. 2. Gener. 36.

Clemente defuncto, nunciis Romanis, qui Poletam usque (Saxoniæ oppidum est) Imperatorem secuti fuerant, Pontificem sibi postulantibus, Popponem Sabonæ Noricorum episcopum substituit, qui Damasum 2. se appellavit. Aventinus lib. 5.

Idem Imperator Widgerum, qui biennio ineptè & crudeliter, necdum consecratus, Ravennatensem tenuerat sedem, loco movit, anno 1046. Hermannus Contractus.

Idem. Alexander ad Franciæ occidentalis. Angliorumque Reges tum dissidentes secessit, pacem inter eos fecit, quam illi quotannis fregêre, quotannis renovârunt. Plerique tamen, quorum maxima pars fuit, neutrum pontificem recipiebant, illud D. Pauli usurpabant: omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Petrus, una fides, un9 Deus & pater omnium. Atq; illud Christi in ore erat, unus magister vester est, vos autem omnes fratres. Gerochus Reichenbergensis præsul de hoc dissidio complura scripsit, quibus titulum de Antichristo dedit,

Mansit hæc seditio duodeviginti annos in Christiano orbe, minusque, quàm pro longinquitate temporis, incomodi Reipu-

Reipublicæ inflixit. Pastores mitia atque erudita ingenia fortiti, invicem duntaxat sacrificiis interdixêre, ovibus non molesti fuêre, nec gregem contaminârunt.

Legi in Bibliothecis Bojariæ utriusq; epistolas, quas Alexander ad Eberhardum Juvavensem, Hartmannum Brixinensem Noricorum Episcopum, alter ad Imperatorem, patriarchas, archiepiscopos, Episcopos, duces, præsides, præfectos, sacrosancti Romani Imperii dedit. In illis reperio, Alexandrum Turonis in conventu Anglorumq; Celtarum celebri hæc statuisse:

Sacris initiatus rebus prophanis abstineto. Leges, Physica non audito. Sacra venire, Religionum; societates, inferias atq; hujuscemodi ceremonias precio dedisse; atque pecuniam pro hisce postulasse, decimas prophanis tribuere, inexpiabile flagitium esto. Si quispiam sacerdotia locârit, commutârit ve, uti contra Christianam pietatem fecit, ita ejus civitatis aris, focis extorris esto. Agri oppignorati, si creditor redditus receperit, ultra sortem fœnus, licet levissimum videatur, censeto. Fœneratorem Reipublicæ fure pejorem civem existimato.

Idem Alexander in omnibus epistolis, quas superioribus duobus episcopis scripsit, petit, & multis suadet, ut Imperatorem placent, atque illum secum in gratiam redigant, pollicetur, uti dignum fuerit tam potentissimo principe, honorando, ornando, tollendo nulli se secundum fore, sed modum superiorum pontificum excessurum.

Idem. Mortuo Victore, Alexandro Romam tenente, Imperator mense Majo atq; Quinquagenalibus apud Wirtzburgum conventum Episcoporum, senatusque Imperii cogit, coëunt frequentes archimystæ, minores Pontifices, præsides, duces, præfecti, Vidonem Pont. Max. legunt, Paschalemq; vocant. Fit senatusconsultum, nullum posthac fore Pontificem Maximum, nisi qui more majorum, consensu Imperatoris creetur, atq; nuncius duntaxat Christi, successorque Petri; non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esse velit.

A singulis exactum juramentum, haud alium aut recepturos, aut passuros Pontificem Maximum perpetuò, etiam mortuo Imperatore. Sacramentumque primus dixit Christianus Mogontinus pontifex designatus (nam Conradus Bojus frater Ottonis à Wittelspach, quòd jurare detrectaret, hostis judicatus, atque proscriptus, sacerdotio & dignitate excidit, Mogontiacoq; exactus est) deinde cæteri episcopi, postea Imperator, & Principes jurant. Albertus Fruxinensis Episcopus hoc pacto fidem suam adstrinxit Paschali, quàm diu videlicet Imperium ejus rebus studeret, aut ipse Cæsarea prædia, castella, vicos, oppida, beneficia stipendiaria possideret.

Objerant per idem tempus Eberhardus Salisburgensis, Hartovicus Reginoburgensis, Hartmannus Brixinensis, Rupertus Bathaviæ episcopus, Eberhardo Conradus patruus Imperatoris. Hartovico Eberhardus, Ruperto Albanus, Hartmanno Otto, succedunt. Utque novi Episcopi à Christiano Mogontino archimysta inaugurentur, edicto præcipitur. Imperator in Italiam Reinoldum scribam suum, Agrippinensem pontificem, & Christianum Mogontinum præmittit. Ipse cum exercitu, & aliis principibus subsequitur, agrum Romanum cæde, ferro, flamma vastat, Romanos ausos conferre pedem, ad internecionem delet; octo millia Romanorum cæsa, tria capta esse, in fastos relatum est.

Urbem deinceps Barbarossa capit, incendit, Alexandro fuga sibi consulente. Templum D. Petri, quod hostes munierant, præsidio firmârant, deinde invadit, munimenta solo æquat, effractis portis, ædem aperit, Paschalem vi introducit. Isque duodevicesimo Calendas Septembris, quem diem celebrem Deiparæ virgini, quando superos petivit, habemus, Beatricem consecrat, Augustamq; appellat. p. 278.

Idem. Hadrianus modum in scirpo (ut ajunt) quærit. Imperium beneficium Romani sacerdotis, Augustum precariò duntaxat regnare, asserit. Extat ejus ad Hillinum Treverorum, Arnulphum Moguntinum, Fridericum Agrippinensem archimystam epistola: ex quâ verba ipsius Hadriani subtexere operæ precium esse duximus.

Romanum (inquit) imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, ut rex Teutonicorum non antè, quàm ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem rex, post Imperator. Unde igitur habet Imperium, nisi à nobis? Ex electione principum suorum habet nomen regis: ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris, & Augusti, & Cæsaris. Ergò per nos imperat.

Recolite antiqua. Zacharias promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset Imperator: & ut posthac perpetuò rex Teutonicus esset Imperator, & advocatus

catus sedis *Apostolicæ*, ut *Romano* Episcopo Apulia, per eum pacata esset subjecta, quæ nostra cum urbe *Romana* est, non Imperatoris: *Romæ* nostra sedes est, Imperatoris est *Aquis*, in Arduenna, quæ est sylva Galliæ. Imperator quod habet totū habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos: ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce, in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus. Propterea constituti à Deō super gentes & regna, ut destruamus, & evellamus, & ædificemus, & plantemus, &c.

Deinde Germanos imbecilles vocat: imbecillitatem eis objicit, qui Rogerium Italia pellere, Danos, Frisios perdomitare nunquam valuerint.

Hæc itaq; in conventu celebri legatos Hadriani referentes, Otto de Witelspach, stricto ense, quem ante Imperatorem progerebat, territat, & forsitan confodisset, nisi Imperator intercessisset, qui acriter respondit, quæ ego, ut ampliora tenuitate ingenii mei, prætereo. Cæterùm ea Guntherus versu, Otto & *Radevicus*, mystæ Bojorum Fruxinenses prosâ complexi sunt, & Conradus Adelmannus, vir juxtà nobilis atq; eruditus, Augustanus primarii templi sacerdos, propediem publicabit.

Arnoldus Moguntinus, & D. Eberhardus Juvavensis archiflamen, Romanos sacerdotes, Cardinales, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, diaconos (ita enim vocant) literis admonent, pertinaciam, fastum, superbiam coarguunt, avariciam, perfidiam, aliaque facinora, quibus pauperes compilent, & imperium cōturbent, commemorant, obtestantur ultimò, ut Hadrianum ad pacem servandam cohortentur, Imperatorem id, quod bonum æquumq; fuerit, facturum referunt. Hisq; maximè, Henrico Bojorum atque Saxonum duce, Ottone Fruxinensi episcopo, authoribus, ea scintilla discordiæ exstincta est.

Idem. Dum hæc in Germania fiunt, legati Calojoannis, qui Alexio parenti successerat, Imp. Constantinopolitani *Romam* venêre, & honorificentissimè excepti sunt. Romani eisdem ad quintum lapidem officii gratia obviam procedunt. Postridie Pont. Max. *Sacerdotes*, Senatū, Populum, acturos de communi omnium salute, atq; libertate urbis reginæ mundi, in templo Constantini coire jubet Legati orientalis Imperatoris introducti, super omnes ad dextram Paschalis collocantur. Deinde paucissimis ita verba faciunt:

Salutat universos orbis terrarum D. Imperator orientalis, postulatq;, ut, relictis Germanis, ad verum, antiqvum, & legitimum Imperatorem redeatis. Is non solùm Ecclesiæ se propugnatorem præstabit, sed etiam viduas, pupillos, infinitque quemq; auro, argentoq; ditabit. Hæc ubi dicta: acclamatum est, more gentis: Perplacet, reddamus diadema legitimo & antiquo rerum *Romanorum* Principi. Deficiamus à Teutonibus seditiosis, & stolidis, ad veterem *Romani* Imperatoris moderatorē, vetus *Roma* cum nova, Occidens cum *Oriente* rursus conjungatur:

Posthæc Paschalis concionatur in Imp. Heinricum quartum, atq; ejus filiū quintum, crimina, injurias, & vitia commemorando. Imp. Heinrico 4. PP. Paschale 2.

Idem. Pontifex *Romanus* per edicta ita obnunciat: Nullo pacto fas jusq; esse fatuoso Pontifici, levissimis Gallis, magis superstitiosis, quàm religiosis, tot divos, tot pientissimos Pontifices maximos, minores, mystas, monachos, reges, Imperatores, superos atq; cœlites impietatis condemnare: se, quoad vita suppetat, non passurum, ut instituta à majoribus accepta, per tot annos hactenus observata, fraude & astu paucorum, cum maxima Christianorum morum pernicie, obliterentur, pontifices, episcopos mystas, monachos ab Imperatoribus atque regibus collocupletatos esse. Ubi his pares opibus facti sunt, more perditorū, quò plura donata fuerint, plura concupiscere, illisq; sordere prima quæq; ubi majora speràrint; titulo honesto libertatis ecclesiasticæ fraudulentos homines grassari: illud conari, ut, se excluso, paulatim etiam populum, sacerdotes, episcopos alios in ordinem atq; servitutem tandem redigant, atque arma in eos, quorum beneficia possident, ne hæc aliquo pacto repeti queant, vertant.

Pontifices Romanos orbis Imperium animo cogitare, regnum *Christiani* populi affectare: non quieturos, donec oppresso Cæsare, omnibus jugum servitutis, quod ipsi excussêre, imponant: Christi crucicamenta declarare, quænam sit rabies sacerdotum, adversus immodicam concupiscentiam, cui se semel animus devoverit, nullum stare terminum, se penè impuberem, imperitum omnium rerum, ab illis egregiis pastoribus dolo circumventum, in patrem charissimum concitatum esse, armaque horum consilio sumsisse. Nunc, genitore oppresso, adversus se cōspirasse, neq; modum ambitioni ponere, nisi alios omnes dignitate, honore expolient, &, quò ipsis, quicquid lubeat, liceat, à singulis juramentum, se futuros in eorum potestate, quicquid illi dicant, pro legibus habituros, atq; tandem pro Deo adoraturos, exigant.

Idem. Nordomanni quoq; grassantur in Italia ultra *Romam*, citra Machtylda locu-

locupletissima fœmina dominatur. Hyldebrandus cum hisce omnibus, etiam adhuc privatus, societate atq; amicitia inita, non solùm absq; voluntate, & sine consensu Cæsaris, quod hactenus non licuerat, Pontificatum Maximum occupavit, verùm Imperium etiam Romæ sibi ac successoribus asserere cœpit. Ejus hoc cōsilium atq; ratio fuit, sicq; animum induxit, probabilia hæc atq; verisimilia, quæ jam subnectam, paulatim obtinere posse, conjectatus est: quæ cùm obtinuisset (uti tandem evenit) tum facilè dictum, factū, inveniri aliquam causam, quamobrem abdicaretur & dejiceretur fastigio rerum atq; in ordinem redigeretur vel potentissimus Imperator: atq; ratiunculæ tales fuerunt.

Omnem potestatem à Deo Christo, à Christo Petro, ejusq; successoribus *Romanis* Episcopis datam, iisdemq; religione jurisjurandi, conditione parendi perpetua, cæteris vero principibus duntaxat temporario sacramento, quoad illis libeat, quēmvis Christianum adstrictū esse. *Licere proinde Primario Sacerdoti Imperatorem, precariò duntaxat regnātem, ubi Romano Pont. (qui Christi Domini Deiq; nostri vicem in terris gerit, ejus religioni præsidendo perfungitur) non obtemperabit, abdicare: eidem, sicuti cuilibet Christiano, diras atque inferias, more Pontificum, dicere. Imperium enim Beneficium Pont. esse Maximi.*

Item: Tyrannum quovis modo è Rep. tollendum esse, neq; liberis Regum quempiam, nisi ab ipsis creatum, & quàm diu illis placeat, receptum, dominari posse. Episcopum communem animorum parentem atq; pastorem, non ab Imperatore in curia, sed à sacerdotibus, populoque communiter in templo deligendum esse. Et sacerdotem, qui uxorem habeat, divinam rem non facere, ejus sacrificia summoperè à populo, ne contagione polluatur, evitanda. Neq; illis ullo pacto decimas & hujuscemodi donativa tribuenda esse. Hasq; ultimas tres rationes Hyldebrandus in vulgus edidit, reliquas sibi quidem perceptas reservans. Nequaquam imperita multitudo, omni vento doctrinæ (sicuti D. Paulus ait) circumduci solita, tanti honoris specie atq; umbrâ & astu lactata, aures arrigebat. Hocq; furore tum concitati Germaniæ, Galliæ, Italiæ populi, ferrum in sua viscera converterunt, per triginta tres annos à Gregorio & Urbano continenter sanguine ovium belligeratum est. Hic fretus Conradi filii Augusti amicitia, uterque armis & pecunia Nordomannorum & Mathyldæ adiutus. Acriter contra ab illis repugnatum est, donec Augustum Paschalis per filium Heinricum è fastigio rerum in privatum statum deturbavit, pollicitus, se in Germaniam ad conventum solennem Augustam Rhetiæ venturum.

Dumq; eò contendit, certior fit de morte Augusti, ad Padum ergò substitit, atq; coacto suæ partis cœtu, acta Gregorii Urbaniq; comprobat, Clementis tertii, cæterorum Episcoporum atque Augusti rescindit: pollui religionem, si quispiam sacrificus suffragio prophani cooptatus fuerit, fidemvè principi dederit, necesse esse cuivis Christiano, in Romani pontificis leges jurare, decernit. Quisquis posthac ejus decretis non steterit, albo Christianorum eradit, nulliq; alii jus in Christianum senatum veniendi esse, rogationem perferr, legem promulgat.

Antehac mystæ, monachi, sacerdotes, virgines, sacratæ fœminæ, episcopi, rebus divinis, studio literarum, scribendis libris (delegata domus, penatium, agrorum, cura in prophanos) duntaxat operam dabant, rerum fluxarum caducarumque administratione contaminari, pollui se, credebant. Pecuniæ igitur, prædiorūque, rei familiaris curam in procerum quempiam, qui vicinus vel author contubernii erat, à se relegabant. Illum Cæsar dabat, qui sacerdotibus victum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, huncq; Boëtum (vogt) germanico atque græco vocabulo, hoc est, patronum curatoremq; vocabant.

Primùm tunc immunitatem libertatemq;, amoto hujuscemodi administratore, sacerdotes receperunt, polliciti, quotannis *Romano* Pontifici nummum aureum, (quem *Byzantium* vocant diplomata) pensitare, facilè tum Paschale de alieno largiente, tributumq; accipiente, qui aliam quoque rationem in vulgus dissipavit.

Communem pastorem communiter ab omnibus, grege, ovibus, & arietibus; hoc est, sacerdotibus, plebe diligendum esse. Atq; rursus per sedecim continuos annos, pro hisce aucupiis, armis, non citra sanguinem decertatum: omnia divina humanaq; permixta sunt. Contrà Cæsar, & alii pleriq; episcopi & proceres summoperè nitebantur, nec animi tamen *Romanorum* Pontificum frangebantur, sed admonebantur, quò majores necessitudines compararent, quibus cogi possent Imperatores, principes, Episcopi, senatus, populus, nisi id probarent, quod ipsi constituissent. Nec per septies septē annos destitêre, donec voti compotes facti sunt, tantumq; bolum ex faucibus Imperatorum eripuêre. Imperatoriq; comitiis pontificis Republica Christiana nō solùm excidit, sed & comitia Cæsarea irrita esse, extortum: nisi Pontifex Romanus author fiat. Cæsareque primùm exclusos,

excluso, mox populo, paucorum potentia crevit, Imperatoris majestas, principum authoritas, res populi diminuta est.

Nec diu hac licentia sacerdotes ac episcopi lætati sunt. Sacrificuli, mystæ, episcopi, omnes Max. Pont. & Romanensibus serviunt, hisce tributarii, vectigales, stipendiarii sunt. Hi qui minus habent, quicquid corradunt, quicquid unciatim, defraudando genium, miseri comparcunt, ditioribus addere coguntur, idque illi universum arripiunt, haud existimantes, quanto labore partum sit, cuncti episcopi pro sua inscitia in ordinem redacti sunt, universis servitus imposita est, in unius potestatem cuncta redacta sunt.

p. 260.

Quando verò ejus tanta potestas est, cur non illa perpetuò, ne non nobis tot sint domini, utitur? modò ait, modò negat, quasi pilam quolibet propellit, rursus, ubi usus venerit, arripit. Cùm tanta messis, cur non metit? cur non amat? cur non pascit, quando tot oves fame pereunt? Cur ovili capros, hircos, lupos, libidinosos, adulteros, virginum, sacratarum fœminarum stupratores, cocos, muliones, latrones, argentarios, nummularios, fucos, pecuniarum aucupes, luxu perditos, perfidos, perditos, perjuros, literarum omnium penitus rudes imponit?

Non audita loquor, ea, quæ hisce oculis video, narro. Cur lupis oves committit? Cur gregem suum simulatoribus religionis perniciosissimis, rem suam duntaxat agentibus, servire, cur pueros & effœminatos agnis suis dominari permittit?

Xistus quartus Pontifex Maximus clarissimo principi Alberto, genitori ducum nostrorum, illiusq; popularibus, ut absq; precio, sexto septimanæ quoq; die, item aliis solennibus jejuniis liberè vescantur ovis, caseo, lacte, præcipit, extat diploma: cur Reginoburgensium personatus vicarii, contra edictum summi Pontificis, non veritus ejus fulmen, illa nos à se emere cogit, atq; nostra nobis vendit, hasq; nûdinas demum ante triennium abhinc instituit.

Episcopi nostri quales sint, pudet dicere. Pauperum alimentis canes, equos, ne dicam scorta, alunt, potant, amant: literas omnes velut contagionem vitant. Nullam curam inopum, quorum opibus incubant, agunt. Nihil in eisdem præsidii est pauperibus, superbia, luxu, armis cum quovis, vel Persicis regibus, locupletissimo Imperatore decertant. Qui imperat, leges imponit, præscribit, jubet, vetat, si tacet, satis laudat. Cur canis mutus est, & non latrat? luposq; clava Herculis in malam crucem abigit?

Imperatores, reges, & principes nostri, tot cœlites, paupertatis Christianæ amatores, & nullius, præterquàm pacis ac literarum, studiosos nobis dedêre, nempè divos Corbinianos, Lampertos, Hemeranos, Ethardos, Hyldulphos, Vergilios, Rupertos, Pilgramos, Columbanos, Gallos, Eberhardos, Hardovicos, Conrados, Ottones, Wolffgangos, Albertos, Marinos, Sympertos, Vdalricos, Gothardos. At si diis placet, nunc venatores, mancipatissimum in sacris literis genus hominum, omnibus imponuntur, sanctissimis patribus ad hæc conniventibus.

Christus summus rerum Imperator, Deus, natus sempiternus, cui totius orbis imperium, hominum Deûmq; fatis pater destinavit, cœleste soliû, imperium æternum reliquit: homo factus, mortuus & sepultus est, ut nos collocupletaret. At illi obscurissimis crepundiis, atq; egentissimi, sine tribu, sine nomine procreati, ut ditentur, ut opibus, potentia, imperio rerum, quæ Christus spinas vocat, potiantur, ferre parem, nedum superiorem non possunt, Christi sanguine redemtos in maximam servitutem redigunt, in gregem ejus crudelissimè sæviunt.

Ea est temporum infelicitas, non licet loqui, quæ sentis, nec sentire, quæ loqueris: sexcentas tibi scribunt dicas. Sacrosanctam philosophiam, divinitus à Spiritu sancto editam, interpretando suis moribus aptam faciunt, ambitioni suæ servire cogunt, scita decretaq. Christi non servare, sed servire sibi volunt. Legibus à Christo latis semetipsos solvunt, placita ejus contemnunt, nedum illis parere studeant.

Multum refert, in quæ quisq; tempora inciderit. Extat decretum in libris Pontificialibus & Annalibus Europæ, præcipuè in Carolo Magno, ubi regibus, Imperatoribus sacerdotia omnia largiri, Pontifices Maximos, minores carpere licet: hos in illorum verba jurare, jus fasq; esse, declaratur: contrà sentientibus diræ atque inferiæ dicuntur: & id, quod antea religio atque pietas fuit, nunc pagina, (ut ajunt) versa, justitia atq; irreligiositas esse cœpit. Mali, avari, lascivi, parùm studiosi, olim non esse sacerdotes censebantur, eorum sacra, ne quis contagione pollueretur, populus jussus fugitabat: nunc contrà est: pietas vera, charitas mutua, libertas Christiana extincta est, superstitio, protervitas, pervicacia, perjurium, amor sui crevit, boni mores interiêre: Germania fervent, squalens legum sylva, lites, calumniæ adolescunt.

Humanorum decretorum ergastula increvêre, invasêre, mortalium commenta sacram philosophiam contaminant, sanctissima levia præcepta Christi extrudunt. Fastus, avaritia, luxus, ambitio, simulatio invaluêre. Unius avaritiam totus orbis explere nequit. Invicem sæviendo, mordent

mordendo, invidendo, criminando, insidiando, rapiendo, fraudando, paciscendo, fallendo occidimus, atque perimus. Sic fit, sic homines sunt, regnare omnes concupiscunt, parere recusant: plures mali, quam boni. Nusquam fides tuta; pietas, justitia (sicuti in vulgato est proverbio) terris exulat, in cœlum remigravit, ibidem habitat. Hisce enim moribus justitiam nemo dabit; nisi qui Christum mendacii insimulaverit; frustraque eundem universis, vivis & mortuis, diis & hominibus, geniis, laribus, superis, inferis, medioximis diem dixisse crediderit. Ipsa si cupiat salus, servare nos prorsus non potest, imbecillitate aliorum; non nostra virtute valemus. Unde tot vanæ leges, & proximæ quæque duriores.

p. 261. Quis igitur; etiamsi maximè velit; Rempub. plurium arbitrio temerè committat, ac non potius ist retinenda perseveret? Equidem mundum ad antiquum morem, veterem disciplinam revocare, aut ad pristinum splendorem mortales redigere nolim. Iampridem increbruit; veritas rustica atq; acerba est, odiū parit.

Insanus sit, necesse est, qui id quod vult; dicere pergit, & id quod non vult confisus factione; non Deo; perpeti detrectat; & testis, & beatus esse recusat: Non enim sapientiæ Christianæ (sicut est cæleste oraculum) sed pecuniæ omnia obediunt: quamobrem;

Quisquis habet nummos secura naviget au-
Fortunamq suo temperet arbitrio, (ra,
Magna loquor, quidvis nummis præsentibus
opta,
Et veniet: clausum possidet arca Iovem.

Idem. At qui nunc luxu cum quavis natione contendimus: omnia Venus Bacchusque corrumpunt; Intempestiva convivia, & perpotandi pervigilandiq; insana cupido, adulteria, ludi, greges scortorum invasere Germaniam, & gradum corripuere: omnia in æternum lapsa morem sunt. Exoticas vestes; Gallicasque sumsimus. Non omen quidem verti; quod à victoris populi insignibus, in devictæ gentis transimus habitum. Apud cæteras nationes male audimus; quod semper ebrii simus. Studium pecuniæ, auri sacra fames (quæ divo Paulo radix est omnium malorum, simulachrorum cultus) Germanorum fidem, ab hostibus etiam collaudatam, labefactare cœpit. Quibusdam charior pecunia, quam fides est: hiq; famæ & integritati, postremo omnibus rebus commodum anteferunt. Patriæ desertores nil aliud, quam privatam utilitatem; spectant. Cupiditas eosdem excæcavit.

Idem. Iisdem diebus Margaretha Tyrolia Maultescha, ab oris magnitudine sic cognominata, nupta Ioanni filio regis Bojemiæ, Leopoldum de Schaumberg episcopum Fruxinensem (qui adversus Ioannem Verdensem à Pont. Rom. impositum, sed Avinione exulantem, à mystis electus, Fruxino potiebatur) accersit; se virginem adhuc integram esse, maritum liberis operam dare non posse, comprobat. Pontifex ergò; velut arbiter honorarius, matrimonium non esse; nunquam fuisse, nec unquam esse posse, pronunciat, dissidiumq; jure suo facit. Quapropter Ioannes simul ab uxore & principatu, præter spem excidit, exactusque finibus ad Berchtrandum patriarcham Aquileiensem, inde in Bojariam se confert. Cæterum Ludovicus Brandeb. filius Augusti, cujus uxor regibus Cimbrorum oriunda, pridem defuncta erat; Maultescham, quamvis eorum avi germani fuissent, uxorem ducit: exacto Boëmo, eius conjuge & ducatu potitur. Se quoq; Charionum regulum, quem ducatum Austriaci (quibus eundem Imp. ablatum Bojemo in fidem dederat) possidebant, appellat, & dici imperat: occasionem eius regni arripiendi expectabat, & titulo hujusce modi aucupabatur. Idcirco etiam Augustus male audiebat, & quasi hæc eius techna atque suasu fierent, vulgo castigabatur.

Idem. Pontifices Rom. affectant divinitatem, & dominationem: ut ab omnibus non aliter, imò magis; quam ipsi Deus timeantur. Homo ille, qui dicitur Papa; divitiis nimium auctus, maximo Christianæ pietatis detrimento, omnia sibi licere, more tyrannorum putat: rationem actuum nemini, quasi Deus sit; reddere vult. Id, quod soli Deo convenit, usurpat: se errare, ullâve mendacii religione astringi non posse.

Idem. Dum talia post mortem Imperatoris Ludovici fiunt, clemens 6. Pont. Max. Carolo diploma dat, postulatque ut Germani Carolum Ecclesiæ fidum recipiant: &, nullum posthac prius fore Cæsarem, quam primarius orbis Christiani sacerdos; vicarius Christi; author fiat; jurent. Insuper, abrogationem Pontificis Max. ad Imperatorem attinere, hæresin omnium perniciosissimam esse; profiteantur. At Germani partim tergiversantur; partim aperte detrectant, atque proclamant: usq; adeone servus ille servorum fastu, libidineq; dominandi furit, insanit, atq; in præceps abit, ut omnium sævissimorum tyrannorum, quos unquam fuisse legimus; crimina, superbiam vincere propalam perfricata fronte contendat?

Idem. Gerardus Moguntinus Episcopus ab Alberto apud Rhenum pecuniam, quā is pollicitus adhuc debebat, repetit. Sed Albertus ne tum quidem solvendo erat. Ideo Pontifex cornu venatoriumque

rium collo dependens, ostentans, in hoc, inquit, complures gesto Cæsares: eoque dicto, abiit, cum collegis Bojomundo Treuerensi, Vuichualo Agrippinensi adversus principem conspirationem facit. Alios muneribus, illos pollicitis corrumpit. Hique vectigalia Rheni, quæ adhuc in proverbio (quod crebro vulgo usurpari solet) sunt, & tum Cæsaris erant, abrumpere conantur.

Idem. Anno ab orbe servato 1388. morte defunctis Clemente septimo, Vrbanoq; sexto, rursus duo regno Ecclesiæ imponuntur, Romæ Bonifacius 9. in Galliis, Avinione Benedictus 13. Ille ut Bojorum animos sibi conciliaret, tribus fratribus, Stephano, Friderico, Ioanni, nepotibus Imp. Ludovici 4. secularem omnium criminum, scelerum, suppliciorum veniam condonat. Quicunq; Monachium voti reus proficiscatur, septem ibidem dies commoratus, quatuor templa, Deipatæ virginis, D. Petri, sacratarum fœminarum, xenodochium, supplicandi gratia intret, quotidie dona faciat: ab universis inferis ereptus, cœlo asseritur. Quadraginta piacularii constituti sunt. Erat res tunc nova atque inaudita in Germania Quamobrem ex Boiemia, & universa Germania, frequens populus quotidie coibat, sexaginta millia hominum quotidie confluxisse, in acta relatum est. Durarunt hæ nundinæ Ecclesiasticæ à Martio per quinq; continenter menses, inventa sacra ter septimana monstrabanrur.

p. 261 Idem. Bohemia, regio Germaniæ opulentissima, in meditullio eius sita, dissensionibus intestinis adhuc laborat, & atteritur. Incolæ diversi religione sunt: pars Teutonas, pars Hussios, alii Iudæos, illi Pictonas sectantur. Nobiles, cives invicem sæviunt, discordia domestica, mutuis vulneribus sese debilitant: aliena ope egent, externo sustentantur auxilio; adeò, ut ultrà è corpore suo, atque indigenam Regem creare nec valeant, nec audeant. Id quod & cæteris Germanis, nisi caverint (vanus sim precor augur) eveniet.

Idem. Eius potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia (nam in Italia contra morem veterum Imperatorum habitabat: Germaniam per filium administrabat: bis duntaxat ex Italia in Germaniam egressus) formidolosa, atque suspecta fuere Romano sacerdotum senatui. Quod Gregorius nonus Pont. Max. non it inficias, sed ingenuè fatetur. Visum est flaminibus Romanensibus. Imperium Germanorum magis florere, quam ipsis utile foret. Placuit id contundere, atq; discordia non solum debilitare, sed in cineres quoq;, atque favillas redigere, & Fridericum hunc à fastigio rerum humanarum deturbare. Quod haud temere per Pontifices Germaniæ, tum longe Reipub. literarumq; studiosiores, & proinde prudentiores, fieri licebat.

Idem. Dum autem partes pontificiæ, atque imperatoriæ invicem belligerantur, & Aquæ Graneæ obsidentur, Christiani inter se tumultuantur: Saraceni Palæstinam totam invadunt, expugnant, in ditionem redigunt, omnia templa evertunt, quinquaginta millia Christianorum contrucidant: Hierosolymam subigunt. F. Anno 1247. Imp. Frid. 2. PP. Innocentio 4.

Idem. Hactenus episcopi, sacerdotes, monachi, sacratæ fœminæ, ocio literario addicti, scribundis literis, uti apparet in Bibliothecis, operam navarant. Prophani, qui sacerdotes collocupletarunt, prædia sacerdotalia administrarant: eos Conradus quoque Reginoburgensis episcopus, ex Asia reversus, à curatione Ecclesiasticarum opum, Deo dicatarum, devotarumque superis, amovere vi conniritur. Eberhardus archimysta Bojorum, ob clientelam & parochiam Utinensem, cum duce Bojorum digladians, socia arma collegis suis jungit, atq; de improviso conjunctis copiis, nemine resistente, fines Bojariæ invadunt, castella expugnant, omnia cæde, incendiis complent, templa expilant, nec ab aris, atque sacris manus sacrilegas, egregii sane pastores, abstinent: oves, quas pascere deberent, more luporum sub magna superficie pietatis devorant. Et ne omnino res divinas floccifacere videantur, magno religionis supercilio Chunegundam Augustam albo superum asscribunt.

Idem. Rursus Conradus Portuensis Episcopus, Flamen Romanus, filius Egonis Uri, Suitonum Dynastæ: & Ioannes quidam, consecraneus D. Dominici, Germanos ad arma concitant, ad Asiaticam, Africanamq; militiam cohortantur: & ut facilius toties longinquæ militiæ pœnas dantes, precium ob stultitiam ferentes, inducerent, multa nova hactenus inaudita dogmata inculcant. Quemcunque sceleri obnoxium, parricidio, incestu, sacrilegio pollutum, continuo, ubi cruciculam vesti assuisset, solutum esse & crimine & pœna, declamabant.

Quippe hisce aliter ab auditoribus (ut fit) acceptis, maximam fenestram ad nequitiam patefecerunt. Plerique ansa hinc arrepta, inimicos prius suos tollebant, hinc in militiam sacram nomina dabant. Angelbertus Archiepiscopus Agrippinensis Coloniæ, curator Cæsaris, isthoc tumultu rerum, specie religionis occisus est à Friderico cognato suo in Bojaria.

Idem. Spectante atq; concitante Rom. sacerdote, Philippus & Otto cognatas acies committunt: frater adversus fratrē, filii-

filius adversus parentem confligere cogitur, atque invicem sanguine se polluunt. Argentoratum, Aquæ Granez, Agrippinensis Colonia, Erdfurdia, pleraque alia oppida obsessa, cuncta luctu, cæde completa sunt. Qui aliam tantæ discordiæ inter Christianos causam attulerit, nisi Romani Episcopi spectaculum, quasi paria componentis? Populus Christianus mutuis se vulneribus, cohortantibus flaminibus Romanensibus, contrucidavit.

Idem. Albertus Reginoburgensis Pontifex cives urbis locupletes quinque & quadraginta, quod rebus Imperatoris studere non desisterent, fraude cepit: cathenaque vinctos ad Stauff deduxit. Conradus Cæsar, & Otto regulus Bojorum, atq; Rheni moderator, Alberti atq; ministrorum eius prædia vastant, diripiunt: Albertum captivos reddere, imperata facere cogunt. Eius socios strage male mulctant, Reginoburgium cum copiis irrrant. Cæsar, more majorum, in æde D. Haimerami hospitio receptus est. Atque dum quinto Cal. Ianuarii cubitum isset, nocte intempesta Albertus, qui se Episcopum faciebat, Conradus ab Hohenfels, clam in cubiculum admissi, cum ante explorassent, non plures quam tres in eodem conclavi Cæsareo quiescere, stertentes, vino somnoq; obrutos, tenebris adoriuntur, duobus occisis, tribus in vincula conjectis, & arbitrantes, Conradum cæsum esse, abeunt, Wilpeckium Suevum sextum casu obvium interficiunt At Cæsar sub scamnum prorepserat, ibique delitescens evasit. Deinde Episcopum, percussores, Ulricum monachorum præsulem, socios, hostes Reipub. judicat, parricidii condemnat, proscribit: opes, prædia D. Haimerami publicat. Verum monachi, qui hujusce conscii non erant, pacem à Cæsare centum libris, ab aulicis quinquaginta mercantur. Conradusque accepta mulcta, edictum & tabulam proscriptionis rescindit, & ut aliquo piaculo cædes innocentium manifesta expiaretur, jubet ædificium dirui, ne cruore suorum parietes aspersi appareant, ædiculam ibi à fundamentis extrui, Deiparæ virgini, D. Nicolao dedicare præcipit: ubi quotidie sacerdos monachus perlitaret, atque manes, ob pietatem pro principe crudeliter cæsorum, placaret. Omnia polliciti sunt monachi, testesq; in re præsente fuêre, Otto dux Bojus Palatii Rhenani procurator, Ludovicus filius eius, Otto Hochburgensis limitis, Hainricus Burgionum præfectus, Ludovicus major, comes ab Oetingen, Gotfridus comes ab Hohenloch, cives Reginob. factum anno Christianæ salutis 1251. mense Ianuario. Extat Conradi diploma, quod ob clementiæ exemplum

p. 263.

D. Maximilianus septimo abhinc, dum proderem, anno, secum detulit Oenobrigam, aliud novum exemplar, ex veteri ad verbum exceptum, suo diplomate signatum, monachis reddidit.

Cæsi in medio templo D. Haimerami humari ostenduntur. Ulricus dignitate movetur. Albertus, capite deminuto, in monachorum ordinem redigitur. Conradus princeps conjurationis fulmine, de cœlo tactus sub dio equitans, interiit. Reliqui conscii in Bojemiam aufugere.

Idem. Cum Otho Dux Bojorum iunior, Marchiam Brandeburgicam Carolo 4. Imperatori vēdidisset pro aureis 200000 nihilominus tamen sibi retinens titulum Electoris, & nomen Archithesaurarii Sacri Imperii Romani: relicto agro patrio, concessit in Bavariam, & nummos consumsit in castro Wolffstein in gaudiis cum speciosissima quadam molitrice, cui nomen Margaretæ: cujus gratia illa mola ad hodiernum usque diem nomen obtinuit: Molendinum Margarethæ.

At Dux Ludovicus Barbatus Ingolstadius volvebat tristes questus contra factum hoc, & literis ad Cæsarem Sigismūdum, filium illius Caroli referebat, Patrem eius Carolum dolis circumvenisse cognatum suum in hac emtione: Hoc enim exiguo precio restes Campanarum eius terræ non potuisset emere. Idem faciebat & frater Othonis, Dux Stephanus, cui tantopere hoc dolebat, ut præ mœstitia & angore Monachii decimo Maii, anno 1375. indignatam expirarit vitam; quem post unius anni lapsum subsecutus fuit is frater Otto, qui precio illo Marchiam vendiderat.

Idem. Anno Christi 1316. cum Intervallum regni Pontificalis duos annos menses sex in Ecclesia Romana fuisset, Philippo sexto Celtarum rege connitente, Iacobus Baburcus rebus Ecclesiasticis imponitur, & Joannes vicesimus secundus cognominatur. Isque Conrado Gurcensi Episcopo, ac Austriacis ad se misso, ut Ludovico in ordinem redacto, Friderici imperium ratum esse, decerneret, petenti, Rudolphum atque Albertum avum, parentem Friderici collaudanti, item Fridericum sobolem Augustam, indolem eius, atque mentem nutritam, ac educatam, faustis penetralibus ortam, fortes fortibus atque bonis procreari, & injumentis atque equis esse patrum virtutē, nec imbellem columbam feris aquilis progenerari, multis commemoranti, paucissimis respondet: Salomonem omnium mortalium haud dubie sapientissimum. filium tamen stolidissimum genuisse. Legatos deinde non admodum benigne auditos, re nō impetrata, domos abire jubet.

Atque hunc Joannem temere atq; male de

de beatitudine ac felicitate humana sensisse, reperio. Nullam penitus animam mortalium, donec ii reviviscerent, atq; immortalitate donati post excidium demum orbis forent, cœlestem in curiam recipi prædicavit. Legi ego Epistolam (quæ extat) Theologorum ejusdem tempestatis, maxime Parisiorum, qui illum hæreseos nota inurunt, atque, ut resipiscat, commonefaciunt.

Idem invitis mystis Episcopos imposuit, sicuti Fruxinensibus Joannem Brixinensem, deinde & Bambergensem. Illi, ut symmystas placarent, Parochias ipsis tributarias fecere, hospitalitas tum abolita est. Quod in alimenta pauperum ante distributum, in ornamentum, cultum parietum atq; pompam versum est. Tum privata sacrificia, sacrificularios Pontifices, sacrilegia, compilationes, peculatus (ut tum autumabant) templorum, ac sicuti nunc vocant, incorporationes, & absentias invaluisse, reperio.

Hic etiam alter & vicesimus, omnium Pontificum Rom. qui unquam fuere, pecuniosissimus, paupertatem non solum à Christo servatore nostro, ejusq; comitibus, & legatis, verum à philosophis quoque, poetis, oratoribus, historicis, alienis à religione nostra, collaudatam irrisit. Franciscanos in diem viventes, hostiatim victum mendicando quærentes, suæ opinioni adversantes, ut qui, Christum, eius nuncios nihil possedisse, docebant, impietatis, pestiferi erroris condemnavit, ex civitate Christiana exegit, faterculos nuncupavit, plerosq; igne concremavit.

Idem. Eodem consilio acta vicesimi secundi, hoc diplomate Imperatorio, quod latinè extat, denuo rescissa sunt:

Imperator Ludovicus 4. divino duntaxat munere Cæsar Augustus, universis Christianis salutem. D. Petrus atq; Paulus, nuncii æternæ majestatis primarii, longo ante tempore prædixerat, cecinerunt, sedulo nobis denunciarunt, post fata sua vafros, versutos, audaces, falsos prophetas, sacerdotes, legatos mendaces, futuros, factaque jam pridem illorum depinxere nobis. In templo Dei (inquiunt) hoc est, Ecclesia, quasi sint Deus, sedebunt, & super omne id, quod usquam gentium aut colitur, aut cultum est, extollentur.

Neque dicendi neq; faciendi ullum, nisi quilibet, noscent modum, gloriam, regnum concupiscendi nec finem scient, nec terminum capient. Dominationem, potentiam, urbi orbique terrarum, nec minus ipsis exitiabilem, rejecta cruce Christi, arripient, confictis ad quæstum, lucrum, ambitionem, luxum sermonibus de populo Christiano, abusi credulitate stolidi vulgi nundinabuntur.

Quæ itaque vates illi veridici arcanorum Dei interpretes nobis ante cantarunt verissima esse, experimentis animadvertimus: & planè, nisi asini ad lyram simus, sentimus. Non imus inficias, est genus hominum superstitiosius, quam ut temporum infelicitas refragetur, ad fraudes & commenta superstitiosa, quibus vulgus imperitum facile lactari atque capi solet, ingeniosissimum existit: ad tutandos mores impudentissimum, credulitate stultorum, quorum infinitus est numerus, abutitur.

Meum est hujuscemodi argutias atque vaframenta, ne hisce simplicitati Christianæ imponatur, veritati divinæ illudatur, detegere atque confutare. A spinis non colliguntur uvæ, Prophæta Dei non accipit munera. Qui vult maximus esse, sit infimus omnium, nunciis Christus præcipit, & reges quidem dominantur populo, vos autem servi gregis mei, nempe pastores, non domini estis. p. 264.

Nihilominus tamen, quanquam illa clarissima sint, tamen pessimi Pharisæi, perditissimi Antichristi comitiis Cæsareis, suffragiis principum, rebus impositum ajunt, non esse imperatorem, nisi primarius sacerdos, qui dominus rerum & utriusque potestatis manceps sit, author fiat. Id etsi pravum, ineptum, falsum, perquam absurdum, alienum à vita sacerdotis crucifixi, divino humanoque juri, sacris contrarium, nec rationi consentaneum fiet, tamen illi impostores in malicia pervicaciores, quam boni in pietate existunt.

Quis obsecro non videt, nisi plane talpa perpetuo oculis à summo rerum opifice damnatus, terræ tenebris incubet? Repugnantissima sunt, nec coire possunt, corporale & spiritale, terrenum & cœleste, fluxum & æternum, cadum & immortale, ensis mysticus atque ferreus, hic Cæsari à Deo datus est, ut malis & pacis atque concordiæ disturbatoribus neci datis, boni tranquilla quiete perfruantur: ille concioni Christianæ à Servatore commissus mortuos vitæ restituit, neminem occidit. Diversa sunt sacrificulus & Augustus, uterque cœlesti dono constituitur, suis limitibus clausus, atque ut sunt humana & divina, ille servorum servus, hic princeps principum habetur, & esse in bene constituta Republica debet.

Nos solius Dei beneficio, curiatorum Comitiorum jure, lege suffragiorum, authoritate Senatus, majestate, atque viribus populi principatum tenemus. Si quis ambigat, ad sacræ historiæ penetralia, annales priscos recurrat, ita dubitare desinet. Quod si ignorare perrexerit, ignorabitur. Vt tamen sophistæ illi, mon-

monstra, & larvæ religionis Christianæ abominandæ, clava Herculis repercutiantur, & suo ense jugulentur, veteres juris Pontificii, cui vacat, evoluat codices, ubi non semel scriptum est, Pontificis atque Imperatoris omnino diversas esse jurisdictiones, nec vices earum commiscendas esse.

Quocirca liquet, quàm perperam atq; temere vicesimus ille secundus Imperii habenas sibi usurparit, præter fas atque æquum Italiam à regno Germaniæ separare conatus fuerit, adversus leges, instituta, morem majorum, contra auspicia, intercessionem, authoritatem senatus, majestatem principum, atque populi Romani, Italici, Germanici. Nondum nobiscum, quamcum ipsa Republica Christiana bonus sane pastor vi & armis, & manu, non jure disceptavit. Sanguinem Christianum lupus cruentus sitivit, & hausit.

Idem hostis, accusator, testis & judex, atque inimicus noster publicus, in propria causa tamen adversus nos absentes, indemnatos, invocatos, injudicatos, inauditos, nec citatos, nec loco legitimo, nec die dicto, contra leges, indicta causa, secundum se homo bellissimus pronunciavit. Sicut in rebus invisibilibus & divinis sacerdoti cedimus: ita jure nostro in humanis, & his, quæ conspici tangive queunt, superiores eo, qui temporalia, dignitatem regum nostro beneficio possidet, sumus. Oportet magis Christo, quam Pontifici Max. obtemperare, ille Imperatori suos dicto audientes esse præcipit, hic vetat.

Hasce ob causas bene, recte, atque sapienter, ab hoste Reipublicæ Christianæ ad futurum totius Christianismi, cuius ille membrum (si tamen exilis) non caput est, senatum provocamus: *O* bis, inquit D. Hieronymus, major est quàm urbis Ecclesia.

Sententiam igitur illius alterius & vicesimi adversus nos latam, vanam, irritam ex concilii decreto censemus, declaramus hoc edicto, quod Francofordiæ in augustiore templo ritu solenni subfixum, si quispiam pertinax fuerit, qui oblatrare aut obstrepere ausit, tanquam veritatis osor, pacis conturbator, hostis Reipublicæ, inimicus pietatis, satelles Antichristi, mancipium Sathanæ, perduellionis, perfidiæ, perjurii reus, non philosophorum argumentis vel decretorum, sed verbere, vinculis, carcere fatigatus, possessionibus, peculio mulctabitur, & ultimo supplicio, more majorum parricidium luet. Datum in oppido nostro Francofordia, die sexta Augusti, anno Christianæ libertatis 1338. Domini Ludovici Imp. clementissimi, regni 24. Imperii XI.

Idem. Iisdem diebus legati Cæsaris in Germaniam revertuntur: propensum quidem sacerdotem primarium ad concordiam esse: verum illum alieno vivere more, & intercedentibus flaminibus, maxime rege Galliæ, inductum atque depravatum, seque re infecta abiisse queruntur, illis suspectam felicitatem, concordiam populi Germani esse, qui neminem secum dignitate exæquari, nedum superiorem ferre velint, inferunt. *Postremo* proverbium Romanensium proponunt, quibus maxime utile sit, Germanos esse quam stolidissimos. Hasce ob causas proceres universæ Germaniæ, sacerdotes, dynastæ in agro Mogontino conveniunt quatro Idus Iulii, hostem Reip. ch. atq; religionis Christianæ proditorem judicant, quicunq; illa acta vicesimi secundi tutatus fuerit. Sed præstat, hujuscemodi Senatusconsultum sensibus omnino, partim etiam verbis inserere.

*A*nno Christianæ libertatis 1338. sexto die Julii, hora 6. *Benedicti XII. Pont.* Max. anno IIII. in pomario vici Rhensei, in ripa *R*heni amnis, ubi fere septem viri Cæsariani electores convenire, atq; de summis Imperii rebus colloqui solent, Henricus Moguntinus, Valentinus Agrippinensis, Balduinus Treverorum archimysta, *R*udolphus, Ruperti duo, & Stephanus, præfecti prætorio Rheni, cum nondum decretum foret, quisnam eorum comitiis Cæsareis suffragium ferret: Rudolphus dux Saxoniæ, Ludovicus Brandenburgensis limitis præfectus, item alii plerique omnes sacrosancti Imperii clientes & optimates, sacrati, prophani, concione vocata, sacramento prius rogati, ritu solenni, ex concilii decreto, accitis tribus libellionibus, qui in acta, quæcunq; fierent dicerenturve, ex fide referrent, subscriberent, atque in vulgus ederent: hanc rogationem, sanciverunt, jusserunt, voluerunt, promulgarunt, perpetuo sanxerunt. p. 287.

Sacrosanctum Imperium, summa in terris potestas cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post Deum est, & tam grande nomen à solo Deo traditur. Cui soli ille Reipublicæ administrandæ rationem reddendam habet. *Q*uia supremo duntaxat cœli numine in summo rerum humanarum fastigio collocatus est, & in terris neque parem neque superiorem habet. Per quem leges, jura, regna humano generi largitur æterna majestas. Cæsari reddite, quæ Cæsaris sunt, præcipit Christus. Is & comites eius omnes, vectigalia, honorem, officium, obsequium obedienter ac reverenter Imperatoribus præstiterunt.

A curiatis igitur Heptarchis, rebus impositis, continuo more majorū atq; jure gen-

gentium rex est & vocatur. Ipsum contra majestatem *Reipublicæ*, decus Imperii, legatos ad sacerdotem Romanum, ut author fiat, copiam administrandi concedat, mittere, eidem jurejurando fidem astringere, atque petere ab eo usum regii diadematis, religio est, nullum harum rerum jus omnino est pastori, qui servus ovium est, & in consecrando domino, gregi servit. Quippe jure suffragiorum, beneficio electorum atque populi quisque imperat.

Hæc verissima esse, convenit inter omnes annalium, rerum humanarum divinarumq; peritos, atq; jam sæpius utriusque juris, Cæsarei atq; Pontificii, cœlestis Thesauri testimoniis comprobatum est. tamen quidam (ut sunt ebrii successu rerum nimio, atque impotentes sui mortalium animi, prosperis enim rebus ferocitas eque superbia augescunt) impudentissime refragari non erubescunt. Et nonnulli sanctuli, qui sibi sacrarum literarum magisterium arrogantissime sumunt, per fallacias verba Domini arguunt, simplicitati Christianæ imponunt, divinæ sapientiæ viva oracula polluunt, contaminant: sacram historiam falso interpretando suæ causæ servire cogunt, suis moribus atq; vitiis, nempe ambitioni, superbiæ, avaritiæ accommodant, veritatem adulterant humanis nugis, cœlestem philosophiam commentis depravant, invertunt, à germano sensu ad suum negocium, suas nundinas captiosis ratiociniatiunculis detorquent: non voluntatem legi sacræ, sed legem voluntati jungunt.

More argutorum hominum magis, quam ex æquo atq; bono disputant, præter fas, contra naturæ legem docere non erubescunt. Pastoris beneficiarium esse dominum, neque ante principem principum esse, aut nominari oportere, quam ille servus servorum author fiat, & dignum judicarit, qui regnet. Hæcque cum maxima Reipublicæ Christianæ pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ majestatis jactura, nec sine gravissimo tetracharum, dynastarum, clientum, Imperii detrimento, instigante stygio principe, domino hujus mundi, commenta esse, eventus docet, exitus probat.

Inde bella plusquam civilia, seditiones domesticæ, tumultus intestini conciantur, populus Christianus se mutuis vulneribus atterit, cognato sanguine manus polluit, stupra, perjuria, adulteria, sacrilegia, peculatus, incestus, perfidia, impune committunt.

Hæc ubi dogmata pestifera, hisce pestilentibus erronibus classicum concinentibus, cædes, parricidia, homicidia, passim eduntur, excidia regnorum, urbium, regionum direptiones ubique fiunt. Ima summis miscentur, divina, humana perturbantur, pietas refrigescit, lites, discordia, scelera, simulata religio, ceremoniæ cassæ fervent & gliscunt: justitia, pax, concordia, simplicitas, libertas, depulsæ terris exulant: divitiæ atque arma dominantur, fraus, dolus, ambitus Ecclesiasticus corripiunt gradum, ut posthac hujuscemodi malis evitatis, augusta pace, festa quiete, populus Christianus fruatur ex concilii decreto, hocque plebiscito decernimus, quæ suprà ritu solenni, religione adacti censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum ex solo electionis beneficio, omnem potestatem imperiumque proficisci: nec ullo pacto pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio, authoritate, consensu opus esse.

Quicunque aliter docuerit, senserit, factitarit, criminis læsæ majestatis reus, hostis Reipublicæ atq; proscriptus esto, capite pœnas solvito, bona ejus publica sunto, prædia infiscentur.

Idem. Friderico ad obsequium vi redacto, Ioannes Pont. Max. ex fuga retractus, Constantiam deducitur, tribu sacerdotum ex concilii decreto movetur, inde in vincula conjicitur, Cæsari deditur. Ab eo Ludovico, præfecto prætorio Rheni, regulo Bojorum traditur, captivus Haidelbergam deducitur.

Inde ab Ottone fratre Ludovici, itidem Bojorum præside, Manhaimium transfertur, arcta custodia servatur. Post hæc millibus drachmarum auri quadraginta Martino quinto successori suo venundantur, Florentiamque deductus, è medio sublatus, nusquam comparuit, nono Calendas Ianuarias. Hocque epigrammate dodecasticho se de fortuna, ut perhibent, vindicavit. p. 318.

Qui modo summus eram, gaudens de nomine, præsul,
Tristis & abjectus nunc mea fata gemo:
Excelsus solio nuper versabar in alto,
Cunctaq; gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo,
Et vultum informem quemq; videre piget,
Omnibus è terris aurū mihi sponte ferebant,
Sed nec gaza juvat, nec quis amicus adest.
Sic variat fortuna vices, adversa secundis
Subdit & ambiguo numine ludit atrox:
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit:
Vertice de summo mox ego Papa cado.

Idem. In Italia Imperator Henricus septimus Cæsar Augustus duodevicesimo Calendas septembris celeberrimo Christianorum die festo, in sacra æde à Bernardo Dominicano (qui auro male ab inimicis Cæsaris conciliatus fuerat) cælesti victima toxico oblita, atque polline Adamantino (quam præsens venum esse ajunt) sacræ optimi Principis potioni indi-

indito, novo & inaudito exemplo extinguitur. Ita non solum in fastos, annales acta relatum est, sed & Epigramma in ejusdem ceremoniæ consecraneos extat, & antiquis more majorum celebratum est carminibus. Quamvis Romani flamines, ægritudine animi, quod homo vindictæ avidus de hostibus, ut vellet, supplicium sumere non posset, animam ipsam efflasse, credi sibi postulant.

In paucis quoque post diebus Quintus è medio tollitur. Hunc adversarium fuisse mendicanti religioni, referunt. Hermannus & Vuilhelmus Occomensis Franciscani, hominem ambitus, libidinis extremæ, avaritiæ nota inurunt. Cuncta tum vitia, crimina, scelera, flagitia, quæ hactenus sub virtutis specie, pietatisque omine Romanam Ecclesiam incesserant, impudentissimè aperteque invaluisse, commemorant. Paupertatem Christianam opprobrium maximum, vitia virtutes, perfidiam justitiam, simplicitatem impietatem, religionem stultitiam censeri, omnia denique Romæ venalia esse, conqueruntur.

Idem. Anno Domini 1292. in concilio Luvaviæ, jussu Romani præsulis, Menardo Tyrollio sacris interdictum est, quod Tridentini castella occupata vi obtineret ac Henricum continuis bellis attritum cedere compulisset. Qui, sibi injuriam fieri ab illis sanctissimis, vociferatur, edicto publico obnunciat, crimina objecta ita diluit.

Equidem (ita me Deus amet) bellum non infero, sed propulso: nihil unquam mihi magis cordi fuit, quam pacem cum quovis hominum, maxime cum Episcopis conservare, nisi boni patres, ut cæteri mortalium, copia rerum corrupti, nobis immeritissimis ultro arma, prava libidine dominandi, intulissent, nosque terris avitis spoliare conati fuissent. Arma sumsi, castella hostibus patriæ ademi, quo mihi ac popularibus ocio frui absque armis liceret.

Quod si quispiam vas atque præs fuerit, ne metuere perfidiam & lupos debeam, neve decætero hujuscemodi nobis à fastuosis illis archisynagogis (nam pastoribus dicere religio est) contingant, actutum omnia reddam. Aliter nunquam committam, ut tam stultus videar, ut è manu manubrium mihi eripi patiar, aut memet ultro, atque meos ludibrio effœminatis Antichristis atque prodigiosis eunuchis esse sinam.

Nemo magis concordiam Christianam labefactat. Non sacris literis interpretandis, aut ediscendis, sed liberis dant operam. Liberum amant, divitias congregant, regna, gloriam, dominationem avidissimè appetunt: pro hisce nobiscum sanguine ovium decertant; Christi paupertatem, comitem eius simplicitatem, non solum non æmulantur, sed irrident quoque, atq; antiquare conantur. Si Antichristi non sunt: quid aliud obsecro sunt?

Estne isthuc pascere oves? amare gregem: regna, opes, aliena appetere, pro gloria dignitate digladiari: oviculas opprimere, occidere, belligerari? Christi præceptum invertunt: donanti tunicam & pallium vi auferunt. Quis tam ferreus, vel, ut verius dicam, tam stolidum pecus fuerit, ut superbiam, fastum, perfidiam, fraudem, flagitia, scelera, luxum, & avaritiam nebulonum æquo animo ferat? Peiores Turcis, Saracenis, Tartaris, Iudæis sunt: plus his omnibus Christianæ simplicitati officiunt: libertatem Christi sanguine partam excindere conantur: dominationem arripiunt. Cum nostri servi sint, ipsi dominari contra jus gentium, adversus leges, auspicia, & oracula divina, dominos sibi servire, volunt. Scitum est vulgi proverbium: Sacerdotes superstitionum præstigiis caliginem oculis offundere mortalium, & ceremoniis carminibusque cassis, veluti mandragoræ soporiferæ poculo, mentem mutare, & humanis animis, atque sensibus stuporem propinare. Nonne pastor aut oves tondet, aut mulget? Nonne nuncius rem Domini atque eorum, ob quorum utilitatem mittitur, agere debet? Proinde à sævo, & nobis iniquo Pontifice, ad æquum pastorem pientissimumque partem provoco. Inter hæc, dum illa ad Pontificem deferuntur, ipse animam efflat.

Idem. Iisdem diebus Marinus animam efflat, & regno Ecclesiæ Honorius quartus imponitur. Is Germanorum amantior, Ioannem Episcopum Tusculanum, flaminem Romanum in Germaniam legatione suscepta proficisci jubet, postulatum, ut Cæsar cum exercitu Romam petat, Augusti cognomen suscipiat, & Campaniam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, pulsis Gallis, Hispanis, Imperio atque Germaniæ afferat. Monachi, sacerdotes, fœminæ sacratæ, pontifices majores, minores, militibus stipendia; nimirum quartas, quinquennales omnium rerum suarum contribuant. Has ob causas Cæsar, & sacrificus Romanus Wirzburgii altero & vicesimo die quadragesimæ cœtum Ecclesiasticum cogunt. Frequentes monachi, sacerdotes, archimystæ, episcopi convenerunt. p. 267

Cumq; his in templo considentibus, mandata primarii sacerdotis Tusculanus pluribus aperit, speciosis dictis, longis ambagibus persuadere conatur, Agrippinensis legatus surgit, collegis linguis

& animo faventibus, intercedit, ad frequentem Christiani orbis senatum provocat, ex libello justa sua, licet interturbante atq; obstrepente flammine, recitare cœpit, legere pergenti Tusculanus nequicquam diras dicit. Nam cæteri omnes monachi, sacerdotes prosiliunt, uno consensu devoventi obganniunt, clamitant, vociferantur, perstrepitant.

Romanensis, vim præsentemque necem sibi imminere, suspicatus, nec se manus horum crudelissimorum, Germanumq; furorem evadere, malo ominatus queritatur, fidem, arma, opem Cæsaris implorat. Comites eius, aequum de domino suo, rati, diffugiunt. Magister equitum, armato milite jussu Cæsaris (qui tumultum hunc jam audierat) in ædes sacras irrumpit, Joannem trepidantem, metu exanimem ad diversorium deducit. Probus Franciscanus, episcopus Tullensis. Tubiorum (Tubinga) oppido in Suevia ortus, sacrarum literarum interpres, cujus tum clara facundia atq; pollens erat, in labro lustrico consistens, hujuscemodi orationem fecit:

Quo usq;, collegæ charissimi, Romulei illi vultures patientia nostra, ne dicam stultitia, abutentur? quo usq; eorum flagitia, avaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus Archisynagogôn pessimum, nisi omnes ad egestatem, & servitutem durissimam redegerit. Discordia nostra hocce malum creuit, discordia nostra illi nebulones tuti sunt. Nec unquam, diu illi salui fuerint, Christianis festam pacem servare, ab armis feriari, pietatem inter se colere licebit.

Nuper Saxones atque Suevos inter se commiserunt. Deinde divum Fridericum secundum, Reipub. Christianæ utilissimum, Conradum quartum, Suevos, atq; optimos Principes Imperio simul atque vita privarunt. In Germania discordiæ mala Sathanæ & Antichristi satrapæ seminarunt: Conradum postea insontissimum, immeritissimum, & optimæ indolis adolescentulum, prolem divorum, jure gentium hæreditatem majorum repetentem, fraude, dolo interceperunt, ac crudelissime necarunt: Suevos atq; Francos Vestriacos inter se armis, veluti spectaculum sibi ac paria componentes, commiserunt. Deinde adversus hos Hispanos concitarunt. Nunc nos adversus Galliæ atq; Hispaniæ proceres, cognatos nostros, ex Germania quondam profectos, concitare nituntur.

In memoria habere, quid ante duodecim annos ille sane egregius Decimus cum decimis egerit, idem Quartus cum quartis aget, ut illas Gregorius vigilantissimus à nobis emungeret, Scythas, Arabes, Turcas in nos armavit. Mentiar nisi hosce (nempe maximum vectigal) magis salvos, quam nos esse velint. Divi Bernhardi consecranei, quibus tamen ut amicis ille consultum volebat, millibus aureûm nummis sexcentis se redemerunt. Hinc licet existimare, quanti illa conciliabula constent, quantumue auri corradatur. Fallacia fallaciam trudit, atque placita hujusmodi argutorum hominum magis more, quam ex bono atque æquo, Sathanæ illi lucem simulantes, commiscuntur, quibus populo tenebras offundunt. Quæ nequaquam Christo Domino Deoque nostro cordi esse, exitus & opera, nisi plane cæci simus, probant, eventus docet, sacræ literæ cantant.

Proinde, Patres Christo devotissimi, expergiscimini, consulite, succurrite rebus perditis, resipiscite, atq; capessite Rempub. Majores nostri immunes Imperii, tamen Romanos armorum studiosissimos, disciplinæ militaris peritissimos, gentium victores, rerum dominos, orbis terrarum domitores, humano generi, finitimis imperitare, permoleste tulerunt, eorumq; imperium armis solverunt. Nos pueris atque effœminatis (ne quid gravius dicam) æquo animo servimus. Qui sit ille Tusculanus, non sum nescius. Novi hominis mores, aurifuga est, venalisque fœnerator, atq; perfidus, vile pecuniæ mancipium. Ego minas eius flocci fecero, Senatumque totius orbis Christiani appello.

Hæc ubi Probus dixit, cæteri omnes sententiam eius collaudant, atq; sequuntur. In paucis diebus universi, Tusculano vim formidante, neque in publicum prodire audente, paulatim dilabuntur. Ita re infecta concilium solutum est.

Idem lib. 7. Annal. Bojorum. In Italia Petrus Moroneus ex consecraneis D. Benedicti, tertio nonas Iulias Pont. Max. legitur, & Celestinus quintus nuncupatur. Is Mænardum Tyrolium ab aliis devotum resolvit. Dum invitis Romanensibus asello vehitur, paupertatem Christi æmulari conatur, infestos sibi sentit flamines. Quamobrem lege lata atque promulgata, qua liceret Pontifici Rom. se abdicare, sexto mense, relicto regno Ecclesiastico, ad privatam redit vitam, successit nono Cal. Januarii Bonifacius ille octavus. Qui, inducto priore decreto, pontificatu maximo abire, nefas esse statuit inexpiabile. In hunc convicia, maledicta, probraq; obscœna, crimina nefanda congessere Philippus Galliæ rex, & mendicantes monachi, quibus octavus adversabatur.

Ea referre, ne procacitatis atq; petulantiæ vitio obnoxius esse videar, mihi religio est. Hermannus ædituus Franciscanus proximus horum temporum scriptor, p. 166. qui

qui æmulus Martini, principes Romanos, Imperatores, Pontifices sub Imperatore Carolo 4. persecutus est, curiosiùs cuncta recitat, ad hunc relego curiosum.

Idem. In publicis Imperii Romani, Ludovico 4. Cæsare, edictis habentur hæc sequentia: Homines sceleratissimi cruentis manibus, immani avaritia nocentissimi, & iidem superbissimi, itidem luxu effœminati, atq; ambitione perditi, quibus fides, decus, pietas, postremò vitia, virtutes, honesta atq; inhonesta omnia quæstui sunt, arcem Reip. Christianæ occupant, tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt.

Caput factionis Jacobus ille de Baburica, qui se Papam Joannem 22. nominat, ingentem vim pecuniæ, quam undique à Christiana plebe fraudulenter corrasit, adversus sanctos Dei, Imperio Christiano devotos expendit. Regno humano inhiat: sicut pastor est personatus, ita mysticus est Antichristus, canis pellicula tectus, in gregem Christi lupina rabie grassatur, monstrum biceps, mundanus & spiritualis esse contendit. Sacrosanctum Rom. Imp. cui Christus & comites ejus obtemperârunt, & vectigales fuerunt, sacrificuli fastuosi beneficium esse, pernegamus.

Alia illius Jacobi pestilentissimi pessimi facinora reticeo: sacrificulos, qui canes muti latrare non audent, pœnarum metu, ne veritatem dicant, perterruit. Jacobum igitur antea à sacrarum literarum Antistitibus Hæresiarchen declaratum, ex concilii decreto, more majorum, pontificatu submotum, atq; à Christo repudiatum pronunciamus. Habemus bonorum exempla, quibus nobis licere id facere, quod illi fecerunt, putamus, &c.

Imperii Antichristi authorem, jure nostro, consilio, sententia, consensu communi principum, Pontificum, Germaniæ, Italiæ, efflagitantibus sacerdotibus populoq; Romano, exauguratum, abdicatum, hæreseos condemnatum declaramus, proscribimus, acta ejusdem rescindimus: universi Christiani eundem in numero impiorum atq; sceleratorum habeant, &c.

Aventinus Hildebrandi seu Gregorii 7. historiam referens inter cætera scribit hunc in modum: Pleriq; omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tum Imperium Antichristi cœpisse, quòd ea, quæ Christus servator noster, tot annos antè nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidêre. Ergò fuit tum catholicus per orbem Christianum consensus plerorumq; omnium bonorum hominum, Hildebrandum Papam esse ipsissimum Antichristum.

Et nota diligenter, quòd Aventinus innuat, hanc censuram de Antichristi Imperio sub pontifice Hildebrando non fuisse positam in tacito quodam murmure, sed literarum memoriæ esse proditam. Sicut crebra istius Hildebrandi fit mentio apud superiorum temporum historicos: neque dubium est, quin talia scripta multa, quibus Papa declaratus Antichristus est, à pontificum assentatoribus suppressa sint.

Idem. Arnoldus tum, Brixia oppidò Italiæ ortus, sacras literas professus, discipulus Petri Abelardi, in avaritiam fastumq; sacerdotum pro concione crebrò peroravit, tandem captus, in crucemq; à sacrificulis actus, pœnas luit.

Idem. Quo tempore Machtildis, Welphonis II. ducis Bojorum uxor, Gregorio VII. Rom. Pont. testamento legavit id, quod Patrimonium Petri nominant, vocem hanc de cœlo exauditam scribunt: venenum melle litum fœminam Christianis propinasse.

Idem. Homines temerarii, ac planè impii, qui de rebus sibi ignotis, arcanisq; soli Deo notis, audacter pronunciare solent, indulgentissimo parenti personam sævissimi tyranni imponunt, quasi ipsi dii sint, & non errent, neq; misericordia Dei egeant. Cùm interim ipsis simulata religione animi sint sub vulpe latentes, vitia virtutes, cœlum inferos, cuncta venalia habeant: quorum Deus honor, pecunia, venter, & ea, quæ sub ventre sunt.

Idem. Anno D. 1241. Othonem Bojorum ducem, & Conradum Frisingensem Episcopum, inter quos simultates fuerût, in gratiam redigunt Eberhardus Juvavensis, & Rudigerus Bathavensis. Ægrè hanc concordiam tulit Albertus Romanus Legatus, Romanis Cardinalibus rem ac concordiam ipsis perniciosam aperit ut jure suo eam turbent, obsecrat, Othonem de fide suspectum reddit. Hæ literæ interceptæ ad Juvavensem deferuntur. Quamobrem ille, & omnes Bavariæ Episcopi Reginoburgi conveniunt: ipse Eberhardus, Heinricus Bambergæ, Fridericus Aichstadii, Rudigerus Bathaviæ, Conradus Fruxinii, Sigfridus Reginoburgensium, Brixinæque Episcopus, ac Hirsbergensis dominus, Sigifridus Reginob. cum Eberhardo comite de Abensberg præposito, Conrado decano, & Semaño archidiacono Landeshuttam mittitur, accersitum Othonem ad communes deliberationes.

Ibidem. Omnia portenta, atq; prodigia, quæ cœlestis ille magister noster cantavit nobis (evolvite annales) jam pridè fiunt. Audacia & vis omnia possident: boni in omnibus contumeliis, atq; in egestate jactantur: confunditur omne jus, & leges pereunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas, atque ita neque securitas, neque

regimen, neq; requies à malis ulla est. Omnis terra tumultuatur, fremunt undiq; bella, omnes gentes in armis sunt, & se invicem oppugnant. Civitates finitimæ inter se præliantur, eruuntur regna: Civitates funditus intereunt, non modò ferro atq; igne, verùm terræ motibus assiduis, & eluvie aquarum, & morbis frequentibus, & fame. Fiunt ubiq; prodigia miranda per omnia elementa mundi: aër vitiatur, & corruptus & pestilens est, modò importunis imbribus, modò inutili siccitate, nunc frigoribus, nunc æstibus nimiis: nec terra homini dat fructum, nec seges quicquam, non arbor, non vitis ferunt.

Cum in flore spem maximam dant, in
p. 269. fruge decipiunt. Deficiunt in terra quadrupedes, in aëre volucres, in mari pisces Crines Cometarum, solis tenebræ, color lunæ, cadentium siderum lapsus subitò, & non usitato modo, sanguine offusum cælum, mentes hominum maximo terrore confundunt.

Per iram Dei adversus homines sævit ferrum, ignis, fames, morbus. Impii tamē justitiam Dei non agnoscunt, imò magis instigantur, ut oculos habeant, sed non videant. Nisi hoc incendium extinguatur, universum terrarum orbem comburet. Decet eum, qui primus hoc excitavit, ruina mōstri nulla virtute redemti, quod hucusq; Landshuttæ, in oppido Bojariæ, maximo periculo Christianorum delitescit, extinguere.

Quid prodest ; extrema popularium pernicie serpentem orbi terrarum educare? Illorum servi sumus, quibus, si viri essemus, atq; majorum vestigia æmularemur, timori essemus; fortuna illorum nostris vitiis incolumis existit. Date operā, P. C. ut à Germania, gente Christianissima, cædes, discordiæ mala, incendia, crudelia facinora in cives, in patriam patrata pellantur: pax civilibus armis exacta, concordiæ bonis revocetur. Quod tum fiet, si Imperatori Friderico 2. Cæsari Augusto, Principi Christianissimo, à Deo constituto, obtemperabimus, & pestem illam, ac serpentē è Bojaria eliminabimus.

Posteaquàm Eberhardus finem dicendi fecit, atq; assedit, senatus decretum fit, sicut ille censuerat, Albertus Bojemus oppidis, vicis, ædibus, castellis Bojariæ, edicto exigitur. Insuper omnib. rebus, supellectili, sacerdotiis, gratia, gaza, gentilicis hæreditatibus, itemSocii ejus mulctantur.

Idem. *Anno D.* 1254. Innocentii IV. Papæ jussu, Philippus Juvavensis, cum collegis suis Secoviensi, atq; Chiemensi, *Albertus Reginoburgensis*, Conradus Frisingensis Muldorfii coëunt. Postulabat enim ab illis Pont. Rom. ut Otthoni Bojorum regulo, nisi ab Imp. Friderico, & Conrado Cæsare desciscerat, sacrificiis ritu solenni interdicerent. Episcopi Otthonem ad se missis oratoribus accersunt, eidemq; mandata Pontificis maximi aperiunt. Hisce auditis, Regulus Bojorum:

Quid vultis? (inquit) Vos mihi priores bellum indixistis, ego coactus ad *Romanum* Episcopum provocavi, jussuque Gregorii Pontificis maximi, armis, mea tutatus sum. Hoc mortuo, Romanum Episcopum Antichristum esse, prædicastis: egoq;, deserta primarii Sacerdotis secta, ad Imperatorem defeci: vos suasistis, vobiscum pacem inii. Nunc rursus bellum vobis placet, magis varii atq; mutabiles estis homine triviali.

Cur sic inepti ludificamini Christianum populum vestra puerili sententia? Æqvum iniqvum est. Quod modò fas erat, modò nefas est: Nolo, volo: quod dictum, indictum est, quod modò ratum erat, modò irritum est. Mendacio creditis, iniquitati consentitis: vento fortunæ circumferimini: aut nunc, aut antea errastis. *Pacem* inire cum optimis principibus, suasistis, parui libenter vestris cōsiliis pacem, atq; fidem servabo: repugnantia nunc docetis, atq; more magis versutorum, atque arguetorum hominum, quàm ex æquo atque bono potestati resistere: his, à quibus beneficiis collocupletati sumus, ingratissimos, esse, jubetis.

Decernite vos, quidnam æqvum sit? Hominibúsne discordiarum fallacibus fabris, an Christo concordiæ auctori obtemperabo? Qui gladium acceperit, gladio pereat. Qui sitis, opera vestra ostendunt: opes, potentiam, divitias, honorem voluptatem, munera concupiscitis, appetitis, adamatis: pro hisce victi cupiditate, pejùs Turcis, Saracenis, armis decertatis. Discordia crevistis, oves non pascitis, gregem discissum devoratis, non licet Christianis per vos servare pacem. Ego, superis faventibus, obturabo animum, mente obstinata Thyesteas vestras preces, dirasq; detestationes nauci faciam.

Ad Christum servatorem nostrum provoco, qui tales Pharisæos vitandos nobis prædixit: & vestris inominatis verbis se benè precaturum pollicetur. Quemadmodum Deus immortalis, ne comparandus quidem ad mortales est: ita dum à vobis condemnamur, à Christo Domino, Deoque nostro, qui nobis vestros mores probè cantavit, absolvimur. A quo sacrilegum hoc genus hominum manus sceleratas, impias abstinebunt, qui ne Christo quidem auctori nostro pepercerunt? Et quis est ille, qui sacricolas hujuscemodi vivos cum liberis & uxoribus combussit? atq; illo egregio facinore, ea summa pietate Deo Opt. Max. perlitavit, adeò ut regnum

gnum Palestinæ non solùm sibi, sed & posteris suis promeruerit?

Hæc ubi Ottho dixit, discedit, atque cum Conrado Cæsare Dornbergium obsidet. Sacerdotes, qui Moldorfii erant, rati illum vera dixisse, cum eo in gratiam redeunt: execratione Pontificali eundem expiant. Imp. Conrado 4. PP. Innocentio 4.

Idem. Etenim eadem adhuc tempestate Episcopi, atq; in universum sacerdotes, amantiores artium, atq; boni publici ac nondum servituti obnoxii erant, non ita (ut nunc) fugitantes laborum, socordiæ, inertiæ, ocio atq; voluptatibus devoti erant: sapientiæ operam dabant: libris incumbendo: Christum amando, oves sedulò pascendo, Rempublicam procurabant: Christianæ concioni consultabant. Ipsi sacra cuncta atque munia obeuntes, populum docebant.

Atque, hujuscemodi sacerdotia atque pontificatus fuisse primùm beneficia Cæsarum, atque Imperatorum, & Principum nostrorum: deinde ab Imperatoris Henrici quinti tempore, comitiis calatis atq; curiatis viritim suffragiis latis, lectos esse communiter à populo, sacerdotibusq; universis, communes animorum pastores: demum Friderici hujus ætate, excluso populo, cæterisq; sacrificulis, duntaxat mystis imponi pontifices cœptum esse, suprà explanavimus.

p. 470. Eas ob causas illius tempestatis Episcopi in titulis, initiis epistolarum, atq; decretorum non, uti nunc fit, asscribunt, Apostolicæ sedis gratia, nimirum favore humano: sed more Pauli, clementiæ duntaxat divinæ id munus atque donum acceptum referunt. Ita enim cœpisse epistolas, senatusconsulta, placita, rescripta, exempli gratia, reperio: Sigefridus sola miseratione divina Reginoburgensis Episcopus.

Non licebat tum Romano Pontifici absque illorum, utpote venerabiliũ fratrum suorum consilio, in cujusquam provincia quicquam attentare, nempè illi meliùs sui gregis mores cognoscebant, à Deoque se, non ab hominibus destinatos existimabant.

Si quippiam peccatum, aut temerè actum fuerat, quod coarguendum foret: id primùm ad suum gregis pastorem referebatur: isque primùm cognoscebat; Romanus duntaxat admonebat: cuncta jure, lege, bonorum virorum ex provincia arbitratu, & more majorum, ex communis consiliis popularium, sacerdotum decreto agebantur. Nihil tumultu, armis, vi, dolo malo, potentia, seditione, unius, paucorumve, pessimorum etiam temeritate atque libidine gerebatur.

Hoc institutum tollere, & antiquare: episcoporũ authoritatem labefactare, ad unius cuncta potestatem redigere complacitum est. Nec enim aliter Fridericus opprimi poterat, quem illi suum charissimum, atque pientissimum Principem propalam prædicantes, nequaquam salvo rerum statu deserturi videbantur.

Primus enim Imperatorum, sicuti & in libris pontificalibus legimus, & diplomata ostendunt, Fridericus ille secundus tantâ immunitate sacerdotum genus cõdonavit, quâ mox adversus eum abusi sunt Romanenses.

Idem, valdè multos sacerdotes Germanorum Apostolo Bonifacio reclamasse, ait, eumque in publicis concionibus accusasse, quòd esset mendaciorum author, Christianæ pacis perturbator, ac religionis corruptor, sed partim Pontificum Rom. tyrannide, partim regum authoritate, hos pietate præstantes viros repressit.

Clemens presbyter Scotus cum Alberto quodam Gallo, cui monachorum hypocrisis displicuit valdè, amicitiam contraxit: ab hoc Clemens veritates Apostolicas edoctus, multa in Gallis & in Germania sub Venefrido Bonifacio Anglo, Moguntinensi Archiepiscopo & magno Germanorum Apostolo, post quasdam disceptationes, incommoda pertulit, vehementer enim Clemens ei in multis restitit, unà cum Adelberto, ac sociis, Sydonio Bavarorum archiepiscopo, & Virgilio Hyberno, ejusque odiosis ac superstitiosis conatibus occurrit, circa impurum cœlibatum mox clericis imponẽdum, reliquias non contrectandas, statuarum venerationes, Rom. Pontificis primatum, depositiones regum, juramẽtorum violationes, missas pro mortuis, purgatorii terrores, & alias diaboli imposturas.

Samson Scotus, Clementis prædicti familiaris, restitit quoque Bonifacio, quòd potiùs Antichristianismum, quàm Christianismum in Gallia & Germania plantasset, & paganismum introduxisset in suis reformationibus. Vocabat cum suis sociis Bonifacium adulatorem, præstigiatorem, exorcistam, insidiatorem callidum, mollem, & effœminatum martyrem, qvum sociabiles ac familiares haberet de sua natione fœminas Liebam, & Hadelogam, quas suas delicias ac teclas nominabat, Bergiten, Waltburgam, & alias. Adelbertum Bonifacius damnatum, in Fuldensis cœnobii à se fundati carcerem conjecit, ubi, ut apparet, computruit: reliqui excommunicabantur.

Idem. Heinricus 7. perlustrata, subjectaque circumquaque Italia, Romam proficiscitur, Rupertũ & Joannem fratres,

regesCampaniæ,Ursinos,bis secum congredi ausos, bis profligavit. Rudolpho Bojo, Ludovico Oetingensi, quorum virtus iis præliis enituit, palmam tribuit.

Deinde à Nicolao Hostiensi, Arnulpho Sabonensi, Episcopo, Frischone diacono, flaminibus Romanis, quos eò Clemens V. Pontifex Maximus miserat, consecratur: susceptoque cognomine Augusti, non solùm indignum majestate Augustali, verùm etiam contra majorum morem libertatemque religionis Christianæ esse, principem principum, orbisq; terrarum dominum Servo servorum sacramentum dicere, existimavit.

Unde Clemens odio incensus, ad Campaniæ Apuliæq; principes, hostes Augusti deficit, Rupertum adversus Cæsarem concitat. Augustus sæpius ab hisce venenis appetitus, Rupertum crimine læsæ majestatis ex Concilii decreto condēnat, Romaq; in Tusciam migrat.

Idem, Joannes illi, qui se Papam vicesimum secundum nuncupat, qualis sit, oviculis Christi nostro beneficio operæ precium est agnoscere, ne (deceptæ pelle ovina) à sævissimo lupo devorentur. Nempe sanguinem Christianum sitit, discordiæ, seditionum mala ubique gentium inter Christianos serit. In Germania & Italia, literis, pollicitationibus, auro principes, tetrarchas, episcopos, sacerdotes, monachos, cives corrumpere nititur, inducit, solicitat, ad arma vocat.

Adversus divinam providentiam, supremam cœli majestatem, unde omnis potestas existit, contra charitatem Christianam pugnat, fratres in fratres armat, præcipit, ut Christiani mutuum affectum & amorem, quem solum pater immortalis à nobis exigit, exuant, arma corripiant, atq; in sua viscera vertant, fidem frāgant, pacta dissolvant, invicem fraudent, decipiant, imponant, à sacrosancto Imperio deficiant, rebellionem, conspirationem, cædes, incendia, stupra faciant.

p. 271. Nec licet per hunc Antichristum Christianis pacem à Deo datam servare, tanta est hominis, vel potiùs Sathanæ illius vecordia.

Publicè pro concione scelera sua, quasi benefacta, prædicat. Cum Christiani (inquit) principes inter se discordant, tum verè Romanus Imp. est Pontifex Maximus, demum regnat, demum dominatur: discordia, seditione, mutuo odio formidolosa fit ejus potestas, universi ejus nutui obseqvuntur, & vel secratus observant: seditio atq; discordia Germanorum salus est Romanorum Pontificum. Proinde pro virili enitendum est Pontifici Maximo, si salus esse velit, ut aneum serpentem, hoc est, Alemannorū Imperium conterat, in cineres atque favillas redigat.

Itidem jactitat, sua opera effectum esse, ut nullus neque Romæ, neq; in Italia ultrà fiet, qui Imperii rebus vel faveat, vel studeat. Et profectò ejus fraude duo rebus impositi sumus, quos ut vel una quidem literula (cùm tamen undiq; aurisugæ atq; vultures sui circumvolitarent templa, fana, sacras ædes compilarent) in gratiam redigeret, aut ut in re potiùs, vel apud se, quàm armis disceptare hortaretur: tantum abfuit, ut nos ultrò ad bellum civile concitaret.

Nullam operam dedit, ut inter nos pacem componeret, imò magis discordiam alii, modò mihi, modò Austriaco studebat, nunc Friderico, nunc Ludovico favere, se simulabat, ut quisq; imbecillior erat, ita magis huic operam suam pollicebatur. Ad consecrationem ultrò invitabat, per fallaciam utrisq; verba dedit, & pronos ad concordiam rursus arma sumere persuasit.

Astu hæc omnia egit, ut interea, dum domesticis armis, cognatisque bellis atterimur, Imperium pessundaret, labefactaret, urbes, castella, populos & Remp. invaderet, in cujus perniciem conspiravit: populumq; Christi in servitutem redigit, adversus sanctos Dei pugnat.

Sacerdotia maxima, infima sordidissimis quibusq;, modò hostes Reipublicæ sint, committit. Neminem publici boni studiosum, aut paucis amantem in curiam Sacerdotum allegat. De Pharisæorum supercilio nimium sibi assumit, nihil pensi habet, modò animo suo atque libidini per fas atq; nefas morem gerat.

Divina, humana decreta juxta contemnit, atq; conturbat. Jus gentium violat, leges naturæ prophanat, sacra polluit, indicta causa, nec dum reos condemnat: Sibi licere absque mora, actutum, vel in nos indemnatos sentētiam ferre, jactitat.

Cùm capitulis sit inimicus, publicusque hostis, tamen in propria causa actor, testis & judex est, id quod nec apud Turcas, neque Judæos, neque Saracenos, neq; Sarmatas fieri solet. Eos qui fidem Cæsari servant, & Christo servatori nostro præcipienti obtemperant, nec ullam aliam ob causam, hæreseos nota inurit. Quicquid libet, licitum judicat, metitur opibus licentiam.

Quid igitur cum illo agam? neq; jus, neque bonum, neque æqvum exequi scire ve studet. Nihil videt, nihil facit, nisi quod jubet, Sathanæ spiritum sibi sumit, se similem altissimo facit, se adorari (quod cælitum quidam sibi à Joanne fieri prohibuit) pedes sibi osculari (more Diocletiani atque Alexandri, crudelissimorum

morum tyrannorum) permittit: cum Christus, manceps divinitatis, Dominus & Deus noster, pedes comitum suorum piscatorumq; laverit, ut nuncii sui vicissim illis, ad quos missi sunt, illud faciant.

Una majestas atque divina providentia, suis pollens opibus, nihil indiga nostri, ubique præsens, universis rebus incubat, rebus omnibus per se consulit. Nec in manu factis templis habitat. Nos Dei genus in eodem vivimus, movemur, & sumus. Ipse cœli & terræ rector est, nisi forsitan artif. x natura effœta, supremusq; rerum parens senio, atque labore continuo fessus, Atlantis ritu (ut est in fabulis Poëtarum) Herculis (qui respirante interea loci cœlum humeris sustineat) vicaria opera, atque sempiternus mortalis auxilio indigeat.

Sed nihil fortuitò, nihil humana temeritate aut fit, aut regitur. Imperatores quoque terris, neque fortè, neque casu, neque à mortalibus, neque occulta fatorum potestate dantur, sed à supremo numine eliguntur, atque divinitus constituuntur, ebusque humanis à patre indulgentissimo imponuntur.

Porrò Romanus sacerdos, cujus conservatio in cœlis esse debet, urbes, castella, vicos, regiones, opes, potentiam, tantum splendorem, jus gladii, adventitia, non jure suo, sed alieno beneficio occupat, possidet, nempe benevolentia atque liberalitate, ne dicam socordia atque ignavia, rectorum Germaniæ. At mortalium ingratissimi de optimè meritis pessimè merentur.

Ensem, cujus manubrium nostrâ munificentia tenent, in nostra viscera, quorum beneficiarii sunt, stringere non verentur. Obscuri, versuti, versipelles, Celtarum occidentaliū freti viribus atq; amicitia, gentisque gentilitiæ infirmitate, hoc est, levitate atque superstitione confisi, liberrari Germaniæ plagas tendunt, simplicitati Christianæ captiosis aculeis, sub magna superficie pietatis, imponunt. Darios, Crœsos. Epicuros æmulantur: paupertiem, ignominiam, contumeliam, famem, sitim, æstum, frigus, mortes, vincula, carcerem, crucem pati (sicuti Paulus, & Petrus, & Christus, cui se operam vicariam præsidendo terræ dare gloriantur, fecerunt & docuerunt) non solùm non callent, sed & pejùs flagitio timent.

P. 274 Divitias solas, imperia, regna, honorem spectant: anxiùs, quàm ulli hominum, ea conquirunt: quæ tamen non tantùm Christus & ejus legati contemserunt, verùm etiam Philosophi, poëtæ, oratores, historici, alieni à sacramento veræ religionis, aspernanda esse viro sapienti, præcipue sacris destinato, constanter præcipiunt: ut quæ absq; scelere & aliorum damno comparari nequeant, & ferè malos nunquam bonos (ut est apud Germanos proverbium) efficiant. Nec sine causa Christus sentes, & spinas: Paulus rete atque laqueos principis Stygii appellavit.

Et ut est dissociabile regnum omnisq; potestas impatiens consortis, jam egregii illi pastores, opibus & splendore à majoribus nostris aucti, ferre parem nequeunt. Cæsarem Italia & Roma, Christum terris extrusêre: illi cælum quidem permittunt, inferos atque terras sibi asseruêre.

Deusq; terrarum, hominumq; non solùm dici, sed etiam credi volunt, quasi perinde animis atque linguis (quod ne Deus immortalis quidem tentat) imperare possint, atque divisum cum Jove habeant Imperium.

Repugnant, & maximè diversa sunt, crucifixus & summa potestas. miles & sacerdos: Imperator & Pastor: regnum & patibulum: corporalia & spiritualia: arma & sacra: bellum & pax: Cæsar & nuncius: princeps & minister: Dominus & servus: qui vult esse maximus inter vos (ait supremus arbiter cœli legatis suis) infimus omnium, atque vester servus sit. Cæteris recumbentibus, quemadmodum ego feci, ad cyathum ministret. Unus Magister & dominus vester in cœlis, vos autem fratres estis.

Bellua multorum capitum, monstrum biceps est Augustus & Pontifex Maximus. Id quidem fuisse Decium atque Neronem, & hujusmodi Tyrannos, falsorum Deorum cultores, in nomismatis & epigrammatis legimus. Quod de animo & corpore afferunt, nugæ sunt, & contortæ conclusiunculæ, ceu verò nesciamus, carnem adversus spiritum pugnare, & animam, nisi è corpore emigraverit, interituram. Ludibrium naturæ abominabile, ira Dei, socordia atque ignavia nostra est, principem principum servo servire servorum.

Si servus servorum Dei est, cur non servit? cur non amat? cur non ministrat? cur non pascit? cur non docet? non nunciat? Si id, quod cupit, esse velit, cur non Christi, Petri & Pauli vestigia in carceribus & periculis variis æmulatur? Cur mentitur, tergiversatur, fallit, regnat, dominatur? Aviditate potentiæ, pecunia ima summis miscet, omnia venalia, Deum & inferos habet. Cur vitam Christi parvipendit? qui de hæreditate à fratribus captus, etiam arbiter judicare noluit, sed competitores ad prætores Cæsaris rejecit & tribunal relegavit. Cùm populus eidem regnum Palæstinæ ultrò offerret, aufugit, suum regnum in hoc mundo non esse, confitetur.

Quam-

Quamobrem vicesimus secundus non sine maxima sua, atque Reipublicæ pernicie, libidine dominandi in præceps abit, aliena, quæ nihil ad eum attinent, curat, usurpat: sua, hoc est, religionem, spiritualia, mores, vitam hominum negligit: Imperium terræ, mortalia, vetante Christo, arripit.

Præsides, proconsules, professus crucem atq; paupertatem, in aliena ditione obtrudit. Ubi res ad interregnum redit, penes se summam potestatem esse, comminiscitur. Munus præfecti prætorio Rheni, reguli Bojorum intercipere, atq; in se transferre conantur.

Conradus & Lotharius, Philippus & Otto, Richardus & Alphonsus, Adolphus & Albertus & nuper ego & Fridericus, licet à diversis delecti principibus, tamen reges uterque vocabamur & eramus. Nos quidem ceremonia solenni, ex veteri priscæ religionis instituto, Francofordiæ celebri loco, Comitiis Cæsaris die præscripto habitis, frequenti senatu non solùm à pluribus sed à duabus classibus sacrorum & prophanorum, superis ritè salutatis atque consultis, creati atque renunciati sumus. Atq; inde in urbe, quam Aquas Graneas vocant, in penetralibus ac domicilio sacrosancti Imperii ritè sacra obivimus, diadema, ensem, insignia auspicatò accepimus.

Austriacus post comitia dissoluta, contra decus Imperii, adversus leges & auspicia, contra intercessionem & institutum majorum, non stata die, nec tempore constituto, obscuro vico, duobus duntaxat, pecunia & affinitate corruptis, suffragantibus, demum irrepsit, ultroq; se ingessit.

Et nostram sanè causam immortalis cœli Imperator, à quo in summo rerum fastigio constituti sumus, & ensem, ad inopes vi oppressos vindicandos, & malos perterritandos, accepimus, felicitate, faustis ominibus & victoria adprobavit.

Idcirco rectè, benè, ac sapienter, sicuti legibus cautum est, ex concilii decreto, more majorum Brandenburgensem ducatum (quem ille homo, qui vulgò Papa dicitur, Mædenburgensem falsò vocat) filio nostro Ludovico in tutelam atque fidem commisimus. Et cùm nostri cives, amici, populares, socii pientissimi in Italia à flaminibus Rom. quòd Imperio & nobis fidem servarent, nec ullum aliud propter facinus armis præter æqvum & bonum attererentur, nobis eos deserere non fuit consilium. Quemadmodum sacramento rogati, religione jurisjurandi promisimus, regulos Germaniæ clarissimos de Grayspach. Neyffen, Thruhedingen ad vicesimum secundum, inde ad legatum ejus in Italiam, uti pacem componerent, fœdus icerent, proficisci nostro jure jussimus.

Nihilominùs illis rejectis, adversus majestatem Imperii, populique victoris gentium, legatus ille Joannis, osor Christianæ charitatis, Mediolanum, Comum, Cremonam, Vercellas, Novariam, Ticinum, Laudam, Mutinam, Veronam, Vicentiam, Felsinam, Placentiam, Parmam, Brixiam, Alexandriam, Terdonam, Lucam, Pisas, Aretium, Celenam, Gænitæ exules, item alias urbes Italiæ, insuper Mathæum, Galeatium, Passerinum, Petræ malæ, Montis Ferrati, Matinæ, Salutiarũ limitum præfectos, cives, præsides, propræcores Imperii, Christianissimos atq; gravissimos viros, hostili animo cum copiis vastat, agros, vicos incendit, stupra, cædes, sacrilegia impunè committit: illos, quòd bella civilia abhorrerent, à nobis & imperio deficere nollent, crimen læsæ Majestatis, scelus perfidiæ admittere recusarent, hæreseos nota inussit.

Romanus Princeps, à Deo ad arcenda hujuscemodi flagitia delectus, gladiumque ideo gestans, inopes, insontes cives, clientes Reipublicæ devotissimos (quibus etiam à propinquis opem ferre instituimus) potentia, vi, armis malignorum oppressos, sine summa infamia, absque summo scelere deserere non potuit, opem tulit fidissimis atq; christianissimis amicis.

Accusetur illius perfidia, qui prior læsit. Vim vi repellere licet. Pascat bonus pastor oviculas Christi, & amet, non armis oppugnet, vi opprimat. Argutas cavillationes missas faciat, veritatem, simplicitatem Christianam, Christumque, cui verba dare difficile est, amplectatur: illius conversatio sit in cœlis: spiritualibus deditus, corporalibus se non contaminet.

Nos nostro jure majorum instituto, sicut jus gentium est, sacra oracula docẽt, res nostros, nimirum terrena, caduca, fluxa, fragilia agere sinat, & verbum inter nos non commutabimus. Et tandem desinat tam impudenter mentiri, nisi forsitan omnes Germanos (ut Romanenses autumant) stultos, caudices, asinos, stipites plumbeos existimat.

Me hæreticorum (ut ejus verbis utar) fautorem falsò vocat, Christianus sum, at ipse Hæresiarcha est. Non enim discipulus est Christi, cujus vitam irridet, paupertatem floccifacit, pietatem aspernatur, religionem polluit, sacra prophanat, mores spernit, instituta condemnat, dogmata vilipendit.

Nam divum Franciscum, veritatis divinæ præconem, paupertatis Christianæ antesignanum, consecraneos ejus universos,

versos, Avinione, sexto Idus Decembris, anno ab orbe servato M.CCCXXII. impietatis condemnavit: audite, obsecro, quam ob causam.

Homo pecuniosus, avidusque Imperii, argentum Evangelio (ubi opes scelera vocantur) aurum Christi inopiæ præfert, Franciscanos fraterculos, ignominioso apud se cognomine, item stolidas pecudes, perniciosas vulpeculas, quæ simulata religione mundo imponant, populum fallant, nuncupat, Illorum religionem excindere, quòd Christum, comites ejus nihil possedisse in terris doceant, asserant, prædicent, conatur.

Sed contra cœtus Franciscanorum Perusiæ celebris, universis suffragantibus Theologis, probè ejus facta depinxêre veritatemque sacris literis, testimonio divino tutati sunt, quamvis magis carcere & vinculis, quàm disputationibus hujuscemodi genus hominum castigandum foret. Tamen eundem suis depinxêre coloribus, atque insatiabile avaritiæ barathrum, & simulachrorum cultorem declarunt.

Nam & auri pondus ingens, quòd ab orbe Christiano, præcipuè Alemannia, Arelatensi regno, Italia, sub specie expeditionis Asiaticæ emunxit, Saracenis & Christianis, ut illis, qui ab eo compilari, atque venire detrectârant, arma inferrent distribuit. Ut Antichristus non sit, tamen, ejus antecursorem atq; anteambulonem esse, necesse est.

Idem. Avinione in Gallia Benedictus duodecimus vita defunctus est. Succedit in regno Ecclesiæ Clemens sextus. Is secundos ludos seculares instituit, & quinquagesimo quoque anno, sicuti octavus centesimo, celebrandos censuit. Reginoburgio Fridericum, Aichstadio Berchtoldum, Teutonum sacratum equitem, germanos fratres Joannis Norinbergensis præfecti, imposuit.

Verùm mystæ illos recipere recusarunt Reginoburgenses: Heinricumque de Stain, Aichstadienses Albertum de Hohenfels Episcopum de corpore suo legunt, Hique prædia, urbes, arces, agros possederunt, & Augusto sese in clientelam dicârunt.

Qui eadem tempestate Humbertum Viennæ Allobrogum, & Ludovicum inferiorem in Oetingen Sveviæ regulum: Ulricum Hangenhor, Magistrum, Epistolarum, civilia bella exosus, Avinionem legatos ad Clementem proficisci jubet: amore Reipublicæ iram ponit, in se præter æquum & bonum commissa condonat; pacem expetit, omnia patienda statuit, quoad spes aliqua concordiæ stabiliundæ relinqueretur. Porrò flamines (ut est genus hominum pervicacissimum) rati, ad quos legati mitterentur, iis, authoritatem attribui, timorem eorum qui mitterent, significari, orationum atque consultationum ambagibus tempus extrahunt. Sibi devoti animis indulgent, nullum finem, nec modum, nec cupiditati, nec iræ, nisi vincant & voti compotes fiant, neque ponunt, neque nôrunt. Aliquo manifesto piaculo impietatem in pontifices maximos, terrarum Deos, temerè perpetratam, luendam esse, causantur. Philippus quoque Valesius, Romanus Franciæ rector, ut animum Augusti ab Angliis abstraheret, sibique conciliaret, sedulò operam navavit, ut Romanos præsides, pastorem atque Imperatorem in gratiam redigeret. Totum triennium hisce consultationibus extractum est. p.474.

Sub idem tempus Ugrorum oratores Avinione in eodem luto hæsitârunt. Ludovicus Ugrus Campaniam, hæreditatem Andreæ fratris sui, verùm à primario sacerdote venalem proscriptam, ne germanus excluderetur regno, licitatus est, atq; redemit millib9 marcarum auri quatuor & quadraginta, sunt unciarum millia trecenta, quinquaginta duo, id est, nostratis pecuniæ super sexdecim millia aureûm nummum, octies & vicies centena millia. Hæc ex Joanne mysta Strigoniensi excepimus.

De causis fœdisque abusibus, tam in civili, quàm Ecclesiastica Republica, ex quibus promanat ira Dei, urgensque lues & clades, miseriarumque cumulus, per quas universæ nationes, tam pecora quàm homines simul intereunt.

Scripsit Joannes Aventinus præter Annales Bojariæ etiam tractatum hoc titulo: ex quo inter alia memorabilia sequentia decerpsimus.

In publicis Imperii procerum conventibus (ait) tales ferè in consilium adhibentur legati, qui & rerum gerendarum & literarum sunt rudes, nec ullam earum rerum, de quibus consultatio instituitur, cognitionem habentes, & sæpenumero insani, indocti, sanguinemq; sitientes sacrificuli, quibus jus canonicum, & decreta sanctorum patrum, sub gravi anathematis interminatione, aula omninò interdicunt.

Idem. Omnes Philosophi, & quicunque, tam inter fideles quàm infideles, aliqua rerum cognitione & judicio pollent unanimi consensu statuunt: ex injustitia & abusu regiones unà cum hominibus & pecoribus interire: & contrà per justitiam

tiam & verum usum rerum foveri, & conservari.

Idem. O quàm fideliter Principum bona à vulturibus istis dissipantur. Crescunt divitiis purpurati isti : contrà Principes ipsi ad pauperiem redacti, unà cum subditis pereunt.

Idem. Eusebius in Chronicis suis author est: immanem illam Christianorum persecutionem à Diocletiano ortam esse, ex superbia, avaritia, invidia, odio Episcoporum inter se diffidentium : dum alter alteri præferri voluit, seque hæreseos invicem insimulârunt. Moti enim his illorum dissidiis Imperatores, putabant, cùm nulla inter Christianorum Præsides & Episcopos sit concordia : nequaquam Religionis eorum sanctitatem synceram esse posse : ideoque prorsus Christianorum nomen extirpare animum inducebant.

Idem. *Augustinus* de superstitiosis Monachis & sacrificulis, veretur, quod jam factum est, nisi maturè malo occurratur, futurum, ut religio Christiana humanarum superstitionum tenebris & præceptis ita obruatur, ut Judæorum leges sint futuræ leviores, quàm Christianorum.

Idem. Persæpè talibus subditorum cura, & præcipua Reipub. munia committuntur, qui pecunia & lucro nihil prius habentes, vel à mortuo & statuis pecuniam exigere haud vereantur, qui cùm sint manticulatores, Polypi, & Laverniones, id unum quærunt, quî lacunam rei familiaris expleant, non quî subditorum cômodis consulant. Cumq; ii sint eorum reditus, ut Nephalium sacrum ipsis rectè conveniat, ipsi tamen βελλίζοντες, *Maschalam*q; domi tollentes, Sybaritico luxui sunt deditι, factique λακκόπλυτοι, prædia & arces coëmunt.

Unde ergò tantæ tam subitò divitiæ? Ex pauperum scilicet sudore, istos scilicet imò pagos, oppida, civitates, comitatus invicem committunt. Quos deinde ubi in gratiam redigere student, suis ipsi rebus, suoque luxui simul student atq; consulunt. Hujuscemodi expilatores pagorum, civitatumq; nemini se faciles præbent, mendaciis & fraudibus quo suis involvunt, publicum commodum, ubicunq; possunt, remorantur : inimici sunt omnibus. Nisi quis argenteis subinde hastis expugnet, vel *Dorica Musa* instructus eos compellet, eorum favore nunquam gaudebit.

Quòd si vel principum suorum nomine, debitam mercedem ipsis etiam mercenariis & opificibus exsolvere cogantur, id tamen, nisi & suum inde aucupentur lucrum, nunquam, nec nisi difficili animo faciunt, nec tamen unquam tales videri volunt. Ipsemet vel digito commonstrare tales possim. Verùm de abusu verba solummodò faciam, personis ipsis parcam.

Idem. Genuinum suum adversus quosvis acuunt, neminem, quamvis probum & insontem, quamvis aulicum, principique ipsi officiis devinctum, intentatum relinqvunt, ipsoque Hyperbolo improbiores, mendaciis suis callidè consutis, in discrimen vocare quemvis conantur. Multis sanè bonis viris id usuvenit, ut causa ipsorum, si vel apud Turcas, vel Judæos, aut Gentiles disceptanda fuisset, jã diu decisa esset, cùm per hos φαύμακας, apud Christianum magistratum nihil proficiant. Quòd si Princeps justitiæ amans insontem tueri, ejusque causas, ut decet, secundum leges decidere & promovere velit, illi tamen *Alastores* aulici peçunia corrupti, improborum causam agunt, nec bonos viros ullo successu gaudere patiuntur.

Verùm si illis ipsis, qui principum aulis sunt addicti, adeò adversa est per istos Eurybatos pecunia, quid metuendam miseræ plebeculæ? Vidi, ipsius quoq; principis acta non rarò istis purpuratis displicuisse. Malim certè iratum principẽ, quàm hujuscemodi, Jovem aulicum auro semper imbre irrigandum. Qui hosce accessurus nihil attulerit, is forâs extruditur. Nihil enim iis gratius est, quàm alios quovis modo bonis ejicere, eaq; ad se per fas & nefas rapere. Ingens sanè hac de re volumen conscribi posset. Gaudent *Sycophantæ* isti muneribus, nec horrent fumos vendere, aliosq; rursus donis aucupari, eoq; modo pagos, oppida, & civitates dolo malo confictis literis in fraudem vocant, nec ullum scelus tantum est, à quo abhorreant.

Nisi ergò princeps ipsemet patriæ pauperumq; paterno animo curam susceperit, tum Sycophantæ isti δωροφάγοι καὶ χειροδίκαι sua malitia exsuperant: subditorum animis rerum omnium, inprimis laboris tædium ingenerant, sic ut ex desperatione, quasi animum confirmantes, haud dubitent in hæc verba prorumpere: Quid nihil profuturo mihi meisq; labore me marcerem: Lictorum & Judicum sunt omnia. Satius fuerit in diem vivere, indulgere genio, & poculis facultates absumere, quàm eas prædam objicere parasitis aulicis.

Quòd si quis de injuria istorum adulatorum conqueri velit, is laterem lavet. Nec enim lupus lupum voraturus sit, nec unquam futurum, ut ad Principis ipsius aures querelæ istæ aliquâ permanent. Et licet querelas casu quodam princeps audiat, informari se petit Princeps ab illis ipsis subditorum expilatoribus, quos querelæ istæ petunt. Qui sanè suam nunquam ipsi causam damnaturi sunt. Nec certè

Nnec certè quisquam facile crabrones irritare audet. Dummodo illi quiescerent, nemo eos querelis exagitare, vel alio quovis modo negotium ipsis facessere sustinebit.

Idem. Privatis utique rebus publicæ præpollent, major etiam totius conventus & concilii, quam unius Præsidis vel Abbatis est authoritas. Vniversa patria & Regio pluris esse debebat, quam vel labrax Milesius, vel Sycophanta aulicus: major etiam fides adhibenda erat pauperibus, quam purpuratis istis Lictoribus. Pecunia hominem nequam ad frugem nunquam perducet, imo si cujus animum & mores velis pernoscere, publicum ei munus demanda. Quod si tum incommodare alicui poterit, haud illud intermittet. Nam magistratus virum ostendit.

Quare publica illa munia meliorem raro virum efficient, sed facile pejorem, cum avaritia, odio, fastu, ferociorem, id quod experientia ipsa testatur, & veteres etiam Germani proverbio item innuunt, quando nullum exile adeo esse ajunt, quin suspendio dignum sit.

Haud ideo major alicui idcirco fides adhibenda est, quia publicum sustinet officium, præsertim in caussis privatis, & quidem adversus subditos, eosque pauperes. Nec credibile fuerit, præpotentem opulentumque præfectum à paupere afflictoque homine, eoque subdito lædi. Contra vero, pauperes & inopes à potentioribus opprimi, omnibus notum est. Nam & vulgo dici consuevit, Magnates, Pictores, circumforaneos mendacii haud facile insimulari posse, & potius quidvis credi, quam adversus tales contentionem suscipi.

Hac in re Gentilium disciplina multo fuit laudabilior. Quin etiam à Turcico Imperatore ita constitutum esse legibus, ajunt, ut, si subditorum de injuria Præfecti vel ducis querelas ad aulam deferret, protinus d.em Præfecto isti dici, accusatorique in aula, ad decisionem usque caussæ commeatum dari, necesse sit.

Idem. Rhodienses aliquando ad Imperatorem Fridericum, eius nominis III. & principes Electores præscripsere. Turcicum Imperatorem, cum consiliarii & duces ei euthores essent, ne Christianos, inprimis vero Germanos armis lacesseret eis respondisse: se nequaquam Christianorum, inprimis vero Germanorum arma exhorrescere, & quidem his de caussis.

Primò, quia sint discordes & (quemadmodum quinque sui digiti) nunquam ad unum coalescant. Deinde, quia laborum sint impatientes: & præ aliis Germani sint helluones, patatores, in castris scortatorum turbam foveant, Ducesq; belli plumis potius, quam armis militatibus gaudeant. Tertio, quod temere, cæco impetu, citra ordinem, ad res gerendas ruant. Quarto, quod legum, & justitiæ sint negligentes, nullis virtutem præmiis ornent, nec etiam meritis pœnis scelera afficiant; quodque erga eos, qui veniam & misericordiam mereantur, sint asperi & crudeles: contra, erga eos, in quos severe animadvertendum erat, sint lenes & misericordes.

Ex quibus sane patet: Turcæ (si verum fateri velimus) notius esse, quā nobis ipsis, quid nobis desit, & quę caussa sit nostræ cladis internecivæ. Nemo ex animo Deum curat: nec ipse vicissim nos curat. Nemo à semel concepta malicia absistit: nec vicissim Deus à pœnis irrogandis quiescet.

Idem. Temporis successu, docendi assiduitate convertendi erant homines, non perdendi. Hominem interimere carnificemque agere, non magnæ artis opus est: idem vel aranea præstabit. Qui vitam reddere nequit, is nec eam auferre debet. Vitam reddere posse, magni res est momenti, soliusq; Dei. Haud diu aberit vindicta divina à Tyrannis istis, & homicidis. Sanguis iste cœlum versus clamat. Quid est, quod caussam præsentium malorum quæramus? sanguis innocentum effusus est: mactantur adhuc quotidie insontes, contra ius divinum, civile, naturale, gentile, infernale. Putasne Deum nihil scelera ista curare? Non certe Deus est, si crudelitatem tantam non punit. Haud penes Magistratum est, pro sua libidine fidei rationem ab aliquo exigere, si in cæteris rebus debita ei præstetur obedientia. Dei illud munus est.

Quid tu alterius Domini servum judicas? si errat vel cadit, suo Domino errat & cadit: si stat, suo stat domino. Si hæreses puniendæ sunt, cur non Episcopi, Monachi Sacrificuli puniuntur? Illi, evincente illud jure divino & pontificio, constantibus etiam veteris Ecclesiæ conciliis, hæreticorum sunt deterrimi, & virulentissimi: illi gravi anathematis fulmine, Spiritus sancti testimonio, percussi sunt, omnesq;, qui idololatriæ illorum adhærent, quod etiam veteris illius syncerioris Ecclesiæ doctores, Patres, & Pontifices suis testimoniis comprobant. p. 276.

Idem. Hoc vero seculo furiæ istæ aulicæ Principes adversus civitates irritant, munera interim captantes à fastuosis istis indoctis, avaris, solique ventri & scortis inservientibus sacerdotibus. Nec quisquam est, qui in hisce turbis autor esse concordiæ serio velit.

Hæ præcipuæ sunt caussæ & abusus: de quibus gentiles philosophi meminere, nempe, quod inde Rerumpub. ruina & interitus sequatur. Taceo jam gravamina illa, quibus per monetas, vectigalia, tributa, usuras, misere subditi vexantur, & ira Dei adversus mortalium genus exaspe-

ratur. Ipsis etiam magnatibus monetæ frequens imminutio, & depravatio calamitatem affert: licet idipsum modo nondum illi intelligant. *Aureum* nummum si quis habuit, modo is valorem precii vix habet dimidium, interim quicquid pecunia comprandum est, precio excrescit. Quam rem viris prudentibus considerandam relinquo.

Idem. Vi alios adigere volunt, ut credant, quod ipsis probatur, cum nec ipse Deus id facere soleat. Quis quæso Tyrannorum unquam eo modo sævüt? Evolvantur omnes historiæ. *Vera* fides Dei donum est: eam dare nequaquam in ipsorum est viribus. Ipsimet cæci sunt, nulla doctrinâ nec judicio pollent, quid sit fides, quid diffidentia, ignorant: tantum in mysteriis illis divinis intelligunt, quantum Cumanus asinus: id unum agunt, ut pro sua libidine miseros homines excarnificent, suiq; odii virus in insontes, quorum opibus insidiantur, sub prætextu divini zeli euomant.

Plerique enim malevolentiæ invidiæq; stimulis exagitati, eos, quos in honorum vitæque discrimen vocare student, hæreseos insimulant, Lutheranum eum esse, clamitantes: nec alia vindictæ commodior ipsis videtur ratio, quam hunc ad modum laniena & carnificinæ viros, inculpatam alioquin vitam agentes, tradere, Et quidem adeo effascinata impietatis & mendaciorum toxicis ipsorum mens est: ut persuasum habeant, Deo proditionem istam & sanguinis effusionum gratam esse, quam severissime passim in sua lege prohibet.

Quæ sunt istæ intemperiæ, quæ ad sanguinem pauperum & invalidæ plebis effundendum carnifices istos impellunt? Si tanta ipsos sanguinis sitis premit, quin adversos Turcas gladios stringunt? sitimq; suam, hauriendo sanguinem non eorum, quos contra arma capere non licet, verum hostium immanissimorum, sedant?

Idem. Ipsemet etiam *Servator* Christus rapinam & homicidium vocat deterrimum, si sub prætextu sacrosancti eius nominis longarumque precum, viduarum & orphanorum facultates deglutiantur. *Si* preces ipsorum tanti sunt, ut ipsi prætendunt, precii, cur eas divendunt? Profecto in futuro illo judicio nemini, quod alii impertiat vel accommodet, supererit. Devotis istis sanctisque patribus idem accidet, quod stolidis istis virginibus, quibus oleum deerat, nec reliquæ quicquā de suo comunicare vel vendere audebant, ne deinde ipsis quoq; deesset.

Quisquis furatur, ipse, sive sit gentilis sive Christianus, Iudæus vel Turca, civilis vel Ecclesiastici status, Monachus vel laicus: certè fur est, utcunque demum fraudem suam & furtum palliet. Vulgo hujuscemodi impostores & fures vocant Hæredipetas, captatores Testamentorum, vultures.

Qui in primitiva Ecclesia floruent, Christiani: ii Gentiles irrident, quod *Sacerdotes* habeant mendicantes, & in delubris suis lampades incendant: cæcos, inquiunt, ipsorum Deos esse, ideoque faces in templis incendi necesse. Quid de picturis divorumque simulachris scribat D. Hieronymus, ex ipsius scriptis patet.

Vsum autem istum lampadum, picturarum, simulachrorum in templa potissimum invexere Monachi isti de mendicantium ordine: quemadmodum id testantur templa recentiora, si conferantur cum templis, olim ante introductam Monachorum catervam exstructis. Suffragatur etiam hisce vulgo celebratum proverbium, quo ajunt: veterum caliginosa fuisse templa, corda vero illuminata: jam illuminata esse templa nostra, corda vero caliginosa.

Qua etiam de causa primo mendicantium Monachorum ordinem pontifices confirmare noluerunt: & multi doctrina excellentes Episcopi, scriptis suis eum insectati sunt, quæ hodiernum in diem in Bibliothecis antiquis extant.

Quare vero ordinem istum pontifices tandem approbarint, quinto libro annalium, quibus contexendis intentus adhuc sum, ex vetustis scriptis indico.

Nunquam sane ab eo tempore, quo mendicantes isti Monachi exorti fuere, status Ecclesiæ fuit felix. Novationibus semper studuere: plebem adversus Ecclesiastas suos, Episcoposque concitarunt; more corvorum, cadavera hiante rictu sectati sunt: vetera tam Christianorum, quam Gentilium Philosophorum monumenta & artes oppresserunt.

Profecto, quocunq; tandem modo suam hypocrisin tueantnr, extra controversiam est, mendicare, æque atq; fornicari, à Deo prohibitum esse: nec apud veteres illos Christianos mendicantibus locum ullum fuisse. Sacra Scriptura mendicitatem, ut summum probrum, detestatur.

Christiani illi veteres tripartito decimas distribuebant. Una pars erat pauperum, qui vel per ætatem, vel per languorem corporis laborare haud valebant, Mendicare inter eos nefas erat.

Audivi, quendam istorum, qui se de observantia profitentur, in *Bojaria* palam de suggesto concionatum fuisse: ascoperam sibi esse, non qua verborum excipiat convitia: sed farcimina, sumina, & scriblitas.

En hi sunt religiosi isti, quos rectius Parisitos vocaveris: quorum *Deus* venter est: qui ventri suo, & non Deo serviunt:

qui

qui culinas Principum & divitum sectantur, & vulturum more ad escam advolant: doctos verò bonosque viros, & pauperes, ad quod Christus suos ablegat, negligunt: pecuniam attrectare horrentes, centuplo interim preciosiora aucupantes, & sub prætextu sanctitatis alienas facultates Gnathonum ritu devorantes.

Quod sane & Gentiles illi poëtæ, ne dicam de prophetarum testimoniis, ut summum probrum detestantur: quorum versum Divus Paulus adversus Parasitos istos, religionis titulo & prætextu feroces, citat:

Κρῆτες ἀεὶ ψευδαὶ, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί:

Rasi semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Pediculoso suo cucullo plus honoris & sanctimoniæ tribuunt, quàm sanguini Christi, quem pro totius mundi redemtione ultro effudit, adeoque defunctos fœtenti suo cucullo involvunt.

Sanctuli isti & devoti fratres Regulam istam antiqui cujusdam Philosophi accurate observant, cujus Seneca meminit: Dulcissimum est accipere. Verum alii, qui eruditione vitæq; probitate insignes sunt ex Philosophis, contrario modo scribunt, beatius esse dare, quam accipere: cui doctrinæ & Christus servator, & divus Paulus adstipulantur.

Lignipedum istorum, tum etiam prædicatorum, qui sanctissimi esse volunt, seque Ecclesiæ columnas esse perhibent, vociferatione, scripta, libri, tota deniq; vita ostendunt, eos fastuosos esse homines, indoctos, superstitiosos, sanguinis sitientes, rabidosque canes, adeo mutos canes, ut Propheta eos vocat, qui latrare nequeant, principum suorum aures demulceant, suisque labyrinthis cladem humano generi inferant, principesque ad sanguinem humanum effundendum incitent, & quidam tanta crudelitate & iniquitate, ut vel apud inferos execrabile futurum illud sit. Quare passim à doctis haud injuria πτωχοτύραννοι vocantur.

Longe plura his de rebus in medium afferri possent: verum prolixior esse nolo. Nemini etiam ignotum est, quid sceleris Bernæ commiserint. Tum etiam, quæ fraus Augustanæ istius virginis, qua gloriabantur, fuerit: dum aliquandiu cibo abstinuit. Nulla unquam in re præstigiatores istos offendi: attamen hæreticorum numero me inserere haud verentur: mihiq; interminati sunt, quod Romam me citare velint. Metuunt, ne scelera ipsorum in lucem proferam. Nec etiam horrent vulgo hæc verba evomere: se malle adversus Lutheranos, quam adversus Turcas gladium stringere. Vere de iis Spiritus Sanctus locutus est: manus eorum sanguine immundas esse.

Ingens in vetere Ecclesia dedecus, adeoq; plagam divinitus immissam judicassent: si mulier Ecclesiam gubernandam suscepisset. Verum hodie eas, qui vitam agunt impudicam & flagitiosam, videmus Ecclesiis imperare, ex earum lubitu & præscripto verbi ministros Ecclesiæ præfici homines indoctos, & adulandi artifices. Gravior certe hæc plaga est, quam cum Amazones istæ olim sapientes Græciæ armis oppressere.

Nemo sanæ mentis inficias iverit: graviter blasphemari Deû ab Episcopis illis, quos suffragenos vocant, qui ante trecentos primum annos extitere, qui pejerantes, diplomatibus acceptis, pecunia sibi à Pontifice Episcopatum emunt, in Turcia vel aliis infidelium nationibus situm, jurant, se eò profecturos esse, & ad fidem Christianam infideles conversuros: nec est, quod minus in animum inducant, quam qui id, quod jurejurando confirmant, re ipsa præstent. Quæso qui non offendatur Deus Opt. Max. tali perjurio?

Nisi prorsus simus plumbei & stipites, adeoque in ipsa meridie cæcutiamus: blasphemiam istam vel palpare possimus. Si hic non sit divini nominis abusus, quæso quis erit? Ipsemet ex Doctore sacrarum literarum, qui professione erat Carmelita, audivi: quod expressis verbis ad Quæstorem quendam diceret: suffraganeos Episcopos omnes perjuros esse & sceleratos. Qua etiam de causa Sigismundus Imperator in reformatione sua tales creare prohibuit.

Christus Dominus & Deus noster, Bonus, ait, Pastor animam suam ponit pro ovibus: verum bona pars pastorum, quales hodie vivunt, minus salutem animarum curant, quam canum. Potius, & se & plebem universam per præceps ad inferos abripi, paterentur, quam circa privatum commodum vel obolum sibi detrahi. Vicarios constituunt, argentoque accepto, peccata devorant, hominumq; malitiam ingurgitant. Potius vel cani animam commiserim, quam adeo indocto, rudi, & insulso asino. Nihil ipsi prorsus pensi habentes, à nemine tamen se vel moneri, vel doceri patiuntur. Qui Deus, ille cœli terræque Dominus tantam cæcitatem, impietatem, & iniquitatem non p. 278. puniat? ubi quæso tantæ fuerit patientiæ Dominus, qui servum contumaciter rebellem ferat?

Talibus sane Episcopis, Monachis, & sacrificulis privilegia minime fuerunt concessa: sed viris doctis, qui omnem in in artibus optimis & studiis vitam consumunt, à reliquarum rerum cura immunes: ex quorum numero electi olim

fuere Episcopi, Monachi, Sacerdotes, quemadmodum id antiquiores Bibliothecæ testantur, quales sunt in Ecclesiis cathedralibus, & cœnobiis ordinis Benedicti, quæ olim vices publicarum Academiarum, & Typographiarum sustinuerunt.

Præterea antiquis Imperatorum, ut Caroli Magni & Ludovici, constitutionibus prohibitum fuit: ne ullo modo Episcopi, Prælati, & quicunque Ecclesiastici essent ordinis, bona nobilium ad se pertraherent: sed Decimarum fructu contenti viverent. Verum hodie maxime optima Imperii prædia, civitates, oppida, pagos, arces possident: ipsique omnium rerum immunes, gravamina pauperi & innopi turbæ imponunt.

Legatur hac de re Imperatoris Sigismundi reformatio. Longe plura de his similibusque abusibus, quibus ira Dei adversus humanum genus irritatur, scribi possent. Verum hæc monuisse suffecerit. Hæc quem non movent, eum nec prolixa verborum series movebit. Quisquis suæ salutis rationem habeat. Qui de fugienda ira Dei mature solicitus haud fuerit: is opinione citius, quid sit iram Dei contemnere, experietur.

Imperator Fridericus, eius nominis III. hæc verba usurpasse fertur: Fœlix civitas, quæ cogitat tempore pacis ea, quæ sunt belli. Iam tam miserabilis rerum facies haud esset, si triennio ab hinc de placanda ira Dei soliciti fuissemus: cum Turcicus Imperator, cæso Vngarorum Rege, Budam diripuit, & Viennæ Austriæ Deus, ut pater mitis & misericors, virgam ostentavit. Iametiam Bojariæ Deus virgam ostendit: præterea monstris, portentosisque signis in cœlo, terra, aere, aquis, undiq; nos de imminentibus pœnis præmonet.

Verum nemo attendit: nemo, hanc vel plagam iram Dei esse, credit. Certè, nisi causas nostrarum miseriarum seriò expenderimus, easque, quoad eius fieri poterit, amoliti fuerimus, & ad Deum ex intimo cordis affectu confugerimus, has nostras regiones eadem manebunt fata, quemadmodum Imperator Sigismundus per Astrologos quosdam id præmonuit.

Idem. Blasphemia altera crassa & extrema est, cum, promissa temere indemnitate præcepta Dei apertè palam violantur. Qui se religiosos hodie profitentur, isti fœdam adeo in Regionibus quibusdam vitam transigunt, ut jure etiam Gentium & naturæ, homines sint omnium deterrimi. Nullibi sane inter Ethnicos tam naturæ adversa libidinum fœditas reperitur. Contendunt sanctuli isti, satius esse fornicari, quam legitimum inire conjugium: quo argumento itidem asserunt, impudicitiam, dedecus, scelera, proditionem præstare pudicitiæ, pudori, honestati.

Nonne excæcati prorsus & obstinatione effascinati isti sunt, qui iram Dei sibi accersunt? quæ cum cervicibus ipsorum modo incumbat, more canum rabidorum sæviunt. Vulgo trita proverbia, quæ raro fallunt, sacerdotes istos fastu inflatos, avaros, indoctos, fornicatores, sanguinis humani avidos, & Simoniacos vocant. Quales sane omnes jure divino, una cum omnibus suis complicibus, damnati sunt. Id quod etiam Imperator Sigismundus fideli animo, bonoque consilio indicat, omnesque Christianos, ut ab imminente sibi interitu caveant, præmonet: inprimis vero Ungariam, Bohemiam, & nationes aliquot Germaniæ.

Jus pontificium Simoniacos vocat, qui, cum sint rudes, indocti, vitamque agant impudicam, absque vocatione legitima, ex favore magnatum, vel precio, aut aliena commendatione Ecclesiæ se obtrudunt, nec una, ut vocant, Præbenda contenti plures ambiunt, & bona pauperibus destinata ad se pelliciunt, deterrimi ipsi Sacrilegi & Hæretici.

Sanctorum patrum concilia omnes istos excommunicant, qui Missam audiunt: à talibus celebratam Sacerdotibus, qui fœminas secum fovent, quarum fama minus sit integra.

Interdictum etiam Monachis, Sacerdotibus, sub gravi indignationis divinæ interminatione, ne quis eorum Principis & Imperatoris aulæ se insinuet. Nonne ergo suo ipsorum jure Sacerdotes isti & Monachi damnantur? Quod si juxta normam divini verbi vita eorum examinetur, patebit, eos perversissimos Dei hostes esse, divini honoris proditores, adeoque lutum, ut dicitur, sanguine maceratum, in quos verba illa competunt: appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me: sed frustra me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

Preces ipsorum in peccatum ipsis vergunt, eo, quod manus habeant sanguine pollutas. Nemo est, qui inficiari possit, quibus minis in miseram plebem sæviant, qua audacia insontes prodant, & muneribus corrumpant judices, ut eo facilius lanienæ viros doctos & spectatæ probitatis tradant. Nec sane immanius sævire posset adversus Christianos Turca ipse: quam ipsi, qui se Ecclesiæ jactitant columen, faciant. Verum & ipsis accidet, quod David impio minatur, inquiens: foveam fecit, & incidit in eam.

Cum de fide sit disceptatio, ut in duas partes ii, qui Christi dogma amplecti gau-

gaudent, dividantur: & una pars alterā, nempè eorum, qui fide sola in Christum solum nituntur, & abusus aliquot nihil ad salutem facientes repudiant, nec Monachorum ordines, sanctos judicant, persequatur, juguler, trucidet: & cum alterutra mihi & standum, & moriendum sit: cuivis facile conjectu erit, utram mihi partem electurus sim? Nec enim verè Christianus Christianum persequitur, nec proximi sui inhiat sanguini.

p. 279. Ad hæc, qui verè Christi vult esse discipulus, cum in hoc mundo contemtum esse, crucem, variasq; ærumnas, præsertim extrema hac mundi senecta, sustinere, necesse est: cùm alii, qui eos persequuntur & trucidant, qui fidei in Christum simplici corde adhærent, contrà putent, se cultū præstare Deo, dum pios omnibus tormentorum generibus affectos mactant.

Ipse Beda scribit, quòd ante extremum diem Christiani isti, pecuniæ, non Christo servientes, qui reliquis præstare volent, cæteros persecuturi sint. Hoc primùm anno liber iste evulgatus est. Verùm quæ maximè sunt necessaria, in eo sunt omissa: quod si factum consulto, perversi sunt, qui librum mutilatum edidêre.

Sunt quædam Academiæ & Doctores, qui doctissimi viri, & optimè de Christiana religione meriti Erasmi Roterodami, cujus similis modo nec vivit, nec multis retro seculis vixit, aliorumq; doctorum virorum, qui præter Christum nihil docuerunt, libros legi prohibuêre: interim baptizatum Judæum fovent, qui sacrosanctam ipsis scripturam interpretetur: ingens ipsi pretium numerant, lectiones ejus frequentant, fidemque discere animo inducunt ab infidelibus, qui hostes sunt Christi acerrimi. Christum, ejusque matrem, virginem Mariam quotidianis conviciis incessunt: licet inter Christianos hac nostra ætate inveniantur, qui Ebraicæ linguæ longè sint Judæis peritiores.

Nónne tales & Pontificio & Imperatorio jure, ne quid de divino addam, sunt damnati? Certè, si vel inter Gentiles boni viri perhiberi velimus, ne dicam de Christianis, concordiæ & pacis autores esse debebamus, nec alter alterum contemnere, & quovis modo laniena tradere.

Verùm ad vulgò usitatos abusus redeo. Quid præter convitia in Deum vel inter pueros auditur? Mirum, ad tantam blasphemiam tam levi animo Deum connivere posse. Adulterium inter prophanos & religiosos licitum est: licet Spiritus Sanctus ipse testetur, Deum gravius per adulterium, quam per furtum offendi, tum etiam per stuprationes virginum & viduarum: quanquam furtum à pauperibus potissimum commissum punitur, quod respectu superiorum peccatorum exile, imo vix peccatum dicendum est.

Quantam cladem populi, quantam etiam infamiam perpessus sit Davides, propter admissum adulterium, ex libris Regum patet. Nec alia fuit exordii Trojani passim decantati origo, quàm adulteriū.

Nota mihi est mariti cujusdam uxor, quam sacerdos mediocris dignitatis, raptam multos jam annos detinet. Hæc hodiernum in diem Parochiarum reditus percipit, jam diu totum Episcopatum rexit: si quis ex Sacerdotibus illius gratia excidit, isti haud sanè commoda in Episcopatu isto sedes fuit. Conata est pro sua libidine Sacerdotes ordinare, Parochos vel confirmare, vel munere docendi privare. Lictores plus ei honoris, quàm honestissimæ alicui matronæ exhibuêre. Prælati & Sacerdotes lubent ore animo ei, quàm terræ istius Principi, equos cursusque commodârunt.

Sunt, qui non vereantur duas uxores ducere: & quæ duobus viris nubere nihil metuant: sunt, qui parentes ipsos verberent. Sunt, qui impiè adversus Magistratum surgant: ad peculatus & furta persæpe & judices & Sacerdotes, suum etiam lucrum captantes, connivent. Nec inexploratum mihi est, ubi viri boni, pii, docti in vincula conjiciantur: fures vero, prædones, & latrones & vinculis & pœnis liberentur. Quod si mulcta aliqua irrogetur, portio minima Magistratui cedit, Procuratoribus verò res ea prædæ est.

Gentiles gravi constituta pœna, aleam prohibuêre: Nostri vero Judices & Lictores, posthabitis etiam legibus, in diebus festis, publicisq; nundinarum conventibus, accepta pecunia, ludendi arcam ultro patefaciunt, blasphemiisq; Deum affici, pro nihilo ducunt.

Nostri etiam Sacerdotes hîc Ratisponæ plebem erroribus complent: dum diversimodè Festa proclamant. Est, qui sub denunciatione excommunicationis ferias indicat: rursus, qui pro consuetudine eas celebrari denunciet: alius juxta formulam ordinis, unde disfidia, & religionis contemtus in plebe oriuntur. Sunt, qui ferias celebrent: sunt, qui prorsus eas contemnant: satius esset, nihil ordinari, si id, quod ordinatum est, haud serio & strictè observetur.

Ipsemet Aristoteles, Cornelius Tacitus, Horatius, Imperator Justinianus, legum multitudinem Reipub. interitum esse, affirmant. Et veteres Græci dicere soliti sunt: ubi multitudo sit legum, ibidem multitudinem esse delinquentium. Nostri etiam vulgo dicunt: ubi multæ leges, ibi multi inobedientes.

Conqueruntur etiam sacerdotes, quod verita-

veritatem apertè profiteri ipsis minimè liceat. Hæc ergo scelera, hos abusus Deus, cum sit justus, non potest non gravissime punire. Anilia somnia de indulgentiis emendis, magno rigore defenduntur. Verum ea, quæ Deus ipsemet per os prophetarum suorum & Apostolorum mandavit & ordinavit, exsibilantur & irridentur.

Quanquam autem plebis mores sunt corruptissimi, & quales Sacerdotes, tales laici, dignumq; plerumq; fit patella operculum: necesse tamen est, ad placandam iram Dei, caput ante omnia sanari: hoc ubi restitutum fuerit, facile & reliqua membra curari poterunt.

Omnes sane probatæ fidei Historici, adeoq; literæ antiquæ, de pontificum vita & moribus ad nostros Principes scriptæ, testantur, quod ex odio, invidia, & superbia eorum, qui spirituales esse debebant, (cum interim sanguinem sitiant, aliorum sint contemtores, precioq; crudelitatis suæ ministros sibi comparent, nec bonis viris inter Ethnicos comparari mereantur) omnis generis miseriæ, non tam Judæos, quam Christianos oppresserint.

p. 280. Quoties isti ad normam legis divinæ in ordinem redacti fuêre, felix simul rerum omnium successus subseqvutus est. Quoties vero in vitæ suæ dissolutæ impietate perseverârunt, omnia simul pessum jêre. Turbæ illæ, quæ Christianam Rempublicam undiq; infestât, magna ex parte Româ, tanquam ex scaturigine promanant, nempe è summo capite, ipso pôtifice, ejusq; satellitio. Quemadmodum ipsemet Hadrianus Pontifex Norinbergæ in Imperii conventu professus est, in quo generale concilium universæ Christianitatis decretum fuit. Idem affirmavit Imperator Maximilianus, Rex Gallorum Ludovicus, ipsiq; Cardinales, scripto publicè edito adversus Pontificem Julium, illud testati sunt. Qualis Rex, talis civitas, vulgò dici consvevit: si caput ægrum fuerit, omnia simul membra langvent: ut curentur, primò caput ipsum curari, necesse est.

Nec medicamenti acerbitas metuenda est. Amara amaris pellenda sunt: malo nodo malus quærendus cuneus, contraria contrariis semper curantur. Hac de causa Pontifex, Julius jurejurando, cû eligeretur Pontifex, se obstringere coactus fuit, quòd intra biennium generale concilium indicere vellet.

Verùm Pontifices generale concilium Christianorum suspectum habent, & tergiversando amoliuntur. Constantiense, tum etiam Basiliense concilium cautos ipsos reddidit, ubi quatuor Pontifices fuêre Papali dignitate exuti. Generale certè Christianorum concilium uni Papæ præstat: sed hoc qui affirmant, ii ut deterrimi Hæreticorum damnantur.

Hæc diuturna Christianorum dissidia Christianum orbem in tantas miserias conjecêre, id quod palàm scriptis suis conquesti sunt Imperatores, Reges, & Episcopi. Hodiernum adhuc in diem præstigiatores, indoctiq; Monachi dissidia alunt, & ne concilium generale institui posit, quavis audacia prohibent. Ipsemet Pontifex per suos complices, concilium Norinbergæ decretum impedit.

Viri docti, beneq; Reipublicæ consultum cupientes, apud Imperatorem subinde institêre, ut concilium decretum institui urgeret, alioquin seditionem in imperio metuendam.

Verùm ex Pontificis nutu res acta est, is deceptis principibus, Ratisbonam indoctos aliquot, superbos, impuros, impudicos, matæologos ablegavit: quibus haud commiserim, ut vel de Alphabeto judicarent, nedum de fidei nostræ articulis. Deinde ad Imperatorem scribebatur, concilium celebratum esse. Imperator Pontifici obsequens, alios fieri conventus, prohibebat. Ipsemet interdictum illud & vidi & legi.

Quanta clades, innocuique sanguinis profusio præcaveri potuisset: si habita æquitatis ratione, concilium illud legitimo modo continuatum fuisset? Non tot hominum secuta fuisset laniena, non tot dissidiis Ecclesia Christi dissipata.

Nec interim Pontifex Imperatori parcit, nec sanè posthac quiescet, novis consiliis in fraudem eum allicere. Quemadmodum etiam cum ejus majoribus, Austriæ Ducibus, Imperatoribus & regibus fecit. Gallum adversus eos concitavit, nec priùs quievit, quàm eos in discrimê vitæ, regnorum, facultatumq; omnium & honorum adduceret. Quæ discordia Christianam Remp. pessum dedit. Certum imminentis excidii indicium est, cum neuter alteri cedit, sed contumaciter suæ quisque libidini obtemperat.

Mendicos ditârunt Principes: jam illi Principibus dignam referunt gratiam. De loco & sessione cum ipsis in Imperii conventibus pugnant. Et plerunque tales ad comitia Imperii amandantur, qui nec rerum experientia, nec doctrina pollent, qui eorum, de quibus consultandum est, prorsus sunt rudes.

In quos culpa recidat, ipsemet Imperator Maximilianus indicat, libro quodam adversus status Imperii edito. Legati Ungarici & Polonici in Augustanis comitiis inter cætera Imperatori Maximiliano indicabant, Turcicû Imperatorem vulgò de Christianis ita loqui: ipsi consulant, & ego faciam.

Idem,

Idem. Nam & veterum quædam oracula docent, in fatis esse, ut Latinam Ecclesiam, ipsumque Pontificem & clerum pari modo Deus puniat, funditusque extirpet, quo Græcam Ecclesiam punivit. Joannes Lichtenberger ante annos quadraginta Palatino Principi vaticinatus est: Turcam ad tractum Rheni, Coloniam usq; progressurum. Idem prædixit alius quidam VVintshelburger, qui Ambergæ verbum Dei prædicavit. *Quæ* alia isti prædixêre, ea omnia re ipsa completa sunt. Sic Abbas Joachimus ex Sicilia ante annos ducentos quinquaginta prædixit: Pontificem, ejusque asseclas sub Friderico III. magnis difficultatibus conflictaturos, & Papatum tandem planè collapsurum.

Lactea fluens eloquentia Lactantius 7. libro institutionum ad *I*mperatorem Constantinum magnum, docet ex vaticiniis Sibyllarum aliorumq; prophetarum, & Hydaspis Medorum Regis antiquissimi, *R*omanum nomen sublatum iri de terra, ac imperium in Asiam reversurum, ut rursus Oriens dominetur, & Occidens serviat. Vaticinatur etiam Ezechiel de Gog et Magog, quòd ante extremum diē fideles sint afflicturi. Divus *A*mbrosius per Gog & Magog, ad Imperatorem Gratianum scribens, veteres illos Germanos, à fide Christiana alienos intellexit, ii enim Romanos Christum profitentes, pari sævitia, qua Turcæ jam nostris imminent cervicibus, imperebant. Alii per Gog & Magog Turcas & Saracenos accipiunt.

p. 281. Quæ etiam Daniel vaticinatus est de Regno, quod ante extremum diem adversos sanctos arma moturum sit: ea vir longè doctissimus Philippus Melanchon de Turcis intelligit, in libro, quem hoc anno in Spirensibus comitiis publicavit & Ungariæ Bohemiæque Regi dedicavit. Si Philippi illius consilium Reges sequerentur, in feliciore statu res nostræ essent. Verùm solummodò indoctis, sanguinem sitientibus, fastuosis Monachis fides habetur: isti aulas principumq; mensas sectantur, quemadmodum vultures cadavera: doctis viris viam omnem intercludunt, semper veriti, ne ipsorum fastus, avaritia, & asinina ruditas detegatur.

Sigismundus etiam Imperator sollicitè omnes Christianæ Reipublicæ Proceres, inprimis verò Pontifices, Episcopus & Prælatos, de imminentibus malis fideliter & seriò præmonet. Adhæc Astrologi nonnulli dicunt, Ungariam & Viennam ploraturas Bojariam in luctu & squalore futuram. Signa in cœlo & aëre visa sunt, stellæ cruentæ mortales tristi lumine terruerunt. *Qua* de re multi magnæ etiam dignitatis viri scripserunt. Verum, cujus animum ea moveant, rarissimus est.

Idem. Humani sanguinis nimium effudunt: periculum est, ut in eo submergantur. *D*eus itaque pœnis suis appropinquans primùm magnates confusione, irrisione, & ignominia deprimit.

Nónne ingentem effudit ignominiam super terrenum istum Deum, patrem sanctissimum, mundi caput, vicarium *D*ei, cui sceptra cœli, terrarum, inferorumq; commissa sunt? Nónne gladium ei è manibus excussit, ut non solùm scommatibus eum passim insectentur, qui doctrina & ingenio pollent, verùm etiam in triviis, eum esse Antichristum, pueri clamitent, nec quisquam ei adhæreat, nisi qui lucrū ab ipso captant, quo denegato, & ipsi deterrimi ejus hostes sint futuri? *C*ælo, & inferis, quorum sibi claves esse jam olim gloriatus fuit, adeò frivolè nunquam excidit, sibi gladium excommunicationis, quo universo mundo erat formidabilis, eripi, passus.

Neminem, qui eum timeat, video, præter eos, qui sui commodi causa eum sectantur, quo prærepto, & ipsi eum acriùs aliis impugnaturi sunt. A viris doctis diu sed frustra fuit monitus, quibus ille neglectis, quid indocti, fastuosi, sanguinemque sitientes, & σαρκοφάγοι impostores inculcarent, potiꝰ sequendum sibi. putavit.

Idem. Tolosanus Episcopus ab infidelium sævitiâ civitatem suam liberabat eò, quòd idololatriam è templo ejiceret. Quicquid nempe aderat auri argentiq;, calices, capsulas, aliaque κειμήλια inter pauperes distribuebat. Quod exemplum si & hodie sequerentur Episcopi, Sacerdotes, & Monachi, suamq; idololatriam, hoc est, aurum & argentum, quo lapides & ligna ornant, inter pauperes distribuerent, vivaq; templa erigerent: de ira sua Deus Optimus Maximus haud dubiè multum remitteret.

Quid in structura lapidum prosunt ipsorum boatus & vociferationes, tum etiam aurum & argentum, gemmæ, vestes sericæ? cum Christus interim, ut Divus Hieronymus queritur, in pauperibus frigore enecetur, siti fameque conficiatur, exilio plectatur, variisq; suppliciorum generibus à Turcis, nemine resistente, affectus pereat.

Idem. Paulus Warenfridus, Caroli Magni Diaconus, vir ejus seculi doctissimus, testatur: Longobardorum regnum ex sola Sacerdotum inscitia eversum extirpatumq; esse. Ipse etiam Divus Hieronymus de Sacerdotibus & *M*onachis indoctis conquerens, eos bipedes vocat asinos.

Quid hodie dicturus esset, cum inter Monachos & canonicos plerosq; videre licet stupidos, bardos, ipsissimæ ignorantiæ Magistros: qui, nisi religionis titulo se

se armassent, porcis pascendis præficiendi fuissent: & qui sub opulento Satana in hoc mundo viles fuissent balneatores, ii in spirituali suo statu esse volunt summi Pontifices, clementes Domini, cum sint asini rudes, qui nec ipsi quidem discere desiderant, nec alios discere patiuntur, imò nemini bono, doctoq; viro, & pio favent.

Noti mihi sunt nonnulli ex Prælatis, qui luxu suo inter scorta plus absumunt, quàm universum Monachorum collegium. Et licet adolescentes juvenesq; in collegio isto sint ingeniosi: gratius tamē ipsis est, si Rusticorum filias stuprent, quàm si bonis literis incumbant. Imò libros arreptos flammis addicunt: malunt stupidos asinos, & fatuos Monachos, quàm literis studiisq; honestis excultos juvenes. Quòd si Prælati isti plebeji essent homines, nemo facilè ipsis haram committeret: in isto verò statu & aræ & animæ hominum ipsorum fidei creduntur.

Idem. Imperator Ludovicus primus, Caroli Magni filius Monachis Sacerdotibusque omni usu argenti, auri, gemmarum vestiumq; Sericarum, armorumque penitus interdicebat. Omnium Monachorum Virginumq; monialium unam eandemque esse regulam, eundemque vestitum, juxta ordinem Benedicti, jubebat. Iste siquidem ordo fuit antiquissimus, librisq; conscribendis, adolescentibusq; in utraque lingua erudiendis, Ecclesiæ multúm inserviit.

Postquàm verò alii ordines extitêre, in quibus pecuniæ quàm pietatis studium magis eluxit; ipsi quoque Benedictini remissiores facti, preces suas venales habere, ingentesq; immunitates, magnosq; reditus aucupari cœperunt.

Nec quicquam ipsis, quàm accipere, gratius: nihil verò, quàm dare, ingratius fuit: licet Aristoteles aliique gentiles Philosophi dicant: Dare honestum & laudabile esse: accipere verò inhonestum.

p. 282 Idem. Qui verò fidem profitentur, & Evangelium semper in ore habent: ii mittantur, ut infidelibus Evangelium prædicent, cum iis disputent, fidemque operibus ipsis declarent: quemadmodū duodecim Apostoli, de quorum doctrina gloriantur, factitârunt. Concordiam colamus, neuter alterum contemnat, quia omnes in unum Christum credimus, & ab ipso solo Christiani vocamur.

In externis illis ceremoniis quisque sua conscientiæ suæ consulat, ut, Deo se redditurum esse rationem, cogitet. Hac in re nec Cæsar, nec ulla creatura in quêquam aliquid juris habet. Sibi enim quisque moritur. Nec alter alterius in subeunda morte vices sustinet. Divus etiam Paulus docet, ne is, qui carne vescitur, alterum, qui carne abstinet, contemnat. Et inter priscos illos Philosophos, & Christianos ipsos, semper opinionum fuêre diversitates; nec tamen ideò mutuis se proscidêre conviciis, nec alter alterum contemsit, proditumque laniena tradidit. Tollantur è medio convitia illa, & homicidia.

Si quis veritis diebus forsitan per inscitiam carne vescatur, vel eam loco imponat, magno iscum rigore, nulla ibi clementiæ habita ratione, punitur: cum id nec coram Deo, nec coram hominibus, nec inter fideles nec infideles peccatum sit: cum interim adulteria, lupanaria, fornicationes, inter ipsos etiam sacrificulos, ferantur, cum hoc gravissimum inter gentiles quoque sit peccatum, gravissimèq; à Deo sit vetitum. Quæ hæc est obstinatio, quæ insania! [illegible]is, talis Christianos esse agnoscere possit? Mandata Dei custodiantur, & veritas propugnetur: sic de Turca actum erit.

Sacerdotes isti non salutem, sed sanguinem hominum sitientes, avari, superbi, indocti, impudici ab officio removeantur. Quòd si in his negligentes fuerimus: non est, quòd aliam, quàm majores nostri, fortunam expectemus, qui jam tot annis infeliciter adversus infideles arma moventes, nihil effecere aliud, quàm quòd sibi ipsis miserandas clades intulerint: ab eo nimirùm tempore, quo Pontifices cum suo complicio sese, annitentibus Gallorum Regibus, ab obedientia Imperatoribus debita subtraxêre, eosq; quantum in ipsis fuit, non solùm omni potentia & dignitate, corpore & vita spoliàrunt, sed etiam in Gehennam ignis fulmine suo detrusere, peculiaremque sibi constituere Hierarchiam, in qua neminem, nisi qui ipsorum esset partium, passi sunt, nec ea, quæ Christianæ Reipublicæ utilitati inservirent, quæsivere: sed per quæ suam stabilirent tyrannidem, suoque fastui in perpetuum consulerent. & noctes diesq; omnem moverent lapidem, quemadmodum conqueritur ipsemét Imperator Ludovicus ejus nominis IV. Monachii sepultus: qui Christiani orbis Principes intestinis dissidiis turbarent, id molientes, quî Germanorum vires, ut ænedum illum serpentem, prorsus contunderent.

Qui hæc tam ex præsentium, quàm præteritarum rerum statu non animadverterit: eum vel in meridiana luce cæcutire, vel pessima animo agitare cōsilia, necesse est. Nihil sanè istis avaris doniroꝛisq; canibus est perniciosius. Pecunia ipsa venalis est fides, salusq; principum, adeo-

adéoque totius patriæ: nec horrent interim, sese Christianissimos profiteri.

Hæc scribi,& dici,nefas esse putant. Verùm nisi maturè hisce malis occurratur,religionisq; pia simplicitas,qualis in primitiva fuit Ecclesia, reducatur, & abusus illi manifesti & pessimi abrogentur: non est, quòd meliora speremus. Nec enim mentitur ille, qui ipsa veritas est, cum ait: Omne regnum in se divisum desolabitur. Errores indies invalescunt, nec eorum ullus modus est.

Multis conviciis sacerdotes Ecclesiæque Doctores se incessunt, hæreseos & furoris se invicem insimulant. Utinam in unum coacti tam diu pane & aqua vitam miseram traducere cogantur, donec de omnibus ipsis conveniat.

Deus justus est. Qui ergò, cùm nulla sit vitæ emendatio, scelera nostra non puniat? ipsa natura animis nostris eam legem Dei insculpsit, ne quis suum honorem & commodum, sed potiùs proximi quæreret. Lex naturæ dictat, quòd talem me erga pauperem gerere debeam, qualem optarem, ut ipse vicissim se erga me gereret, si ipsius fortuna me fortè pressura esset.

Pauperibus sanè incumbit, ut ipsi sustentent armēta, pecudes, homines, principes, magnates Cæsareos, oppida, civitates, sacris initiatos, prophanos, imò feras in agris, volucres cæli, mures in terræ meatibus delitescentes. Nec tamen modus est gravaminum, dum pro sua libidine in eos grassantur vilissimi etiam lictores, Monachi, sacrificuli. Nunquam ipsis quies à laboribus datur, nihil minùs quàm cuticulam curare, ipsis licet: genium defraudant, calamitas sæpè ingens in fruges, in jumenta, pecora, ovilia incidit.

Nec quicquam illud movet carnifices istos, hiantesque lupos. Ipsi etiam mendicantes Monachi, ascoperam suam fundo carentem implere studentes, quasi jure suo, plura, quàm regula & ordo permittat, ab afflictis istis hominibus exigunt. Nihil jam dicam de gravaminibus illis, quibus per venationes Principum miserè torquentur. Nemo est omnium, quotquot vivunt, qui de leniendis istis miserorum gravaminibus solicitus sit.

Universa rerum natura ad ruinam, & interitum vergit. Cœlum, aër, terra, agri, arbores deficiunt, nec uspiam pristinus ille vigor in fructibus apparet. Quæstores, raptores, lictores ditescunt. Principes unà cum tribubus & nationibus pessundantur. Conqueritur passim de justitia Deus Opt. Max. de justitia potentiorum, inprimis verò eorum, qui sanctimonia præ reliquis insignes esse volūt, quòd pauperes ut panem devorent, & degluti- ant, ideoque potentibus istis pœnas minatur atrocissimas: contrà pauperibus suam promittit misericordiam, seq; patrē & protectorē eorum fore affirmat.

Maximus Dei honor est, nomen summum, titulus præclarissimus, quem ipsemet sibi tribuit: quòd viduarum & pupillorum, qui omnium consilio & auxilio destituti sunt, patrem & protectorem se nominet: si veritatem profiteri licet, in nullo unquam concilio, in nullo unquā conventu, in nullis comitiis Imperialibus vel Provincialibus, plebis causa acta fuit: ut, abrogatis gravaminibus, ejus commodis consuleretur. Ea unumquemq; cura solicitat, ne quid de ipsius fastu, in.munitatib9 Privilegiis, proventib9 decedat. p. 283.

Fatalia fortè hæc mala sunt, unde etiā fatales seqvuntur pœnæ. Nec enim Deus peccatores, nisi resipiscant, exaudit e adeoq; graviter iis succenset, qui de lege quidem Dei gloriantur, sed interim disciplinæ legumq; negligentes, re ipsâ, verbi divini se cōtemtores esse, ostendūt.

Idem. Leo I. Pontifex,& Sidonius Avernensis Episcopus, Poëta, de eorum, qui se religiosos profitentur, fastu & avaritia conqueruntur, nec affirmare dubitant: quòd per privata Episcoporum, quos subditis Imperatores præficerent, commoda, Christiana Ecclesia à priscis moribus & pietate degeneraret. Romanumq; Imperium in maximas clades incideret.

Idem. Verùm ventribus istis indoctis, avaris, fastuosis, impudicis, fruges consumere natis, sanguinemq; semper sitientibus, verbum Dei nequitiæ est operculum. Quocirca in medium consulant Principes, ne unà cum istâ impiâ & ignavâ turbâ pessimo exitio pereant.

Idem. Insulsa Monachorum sacrificulorumq; turba, cum in concionibus suis ad vitæ emendationem, ad concordiam & pietatem auditores exhortari deberēt: ipsimet vitam agunt sceleratissimā, fornicationibus & adulteriis polluti, avaritia perditi, fastu inflati: tum etiam semina dissidiorum inter Principes & magnates spargunt: causas præsentium malorum mendaci ore impudenter conferunt in optimas artes, sacras literas, gratiam Dei, Evangelium: nec præter Lutherum quicquam crepare nôrunt.

Annis abhinc noningentis, assertores Mahometanæ religionis Christianos, inprimis Magistratus & Principes funditus extirpare cœperunt: cùm Lutheri nomen ultra decem annos haud sit notum. Veteres historiæ culpam imputant avaris quæstoribus & Præfectis Romanorum Imperatorū. Patres & Pontifices usq; ad Calistum II qui matrimonio Sacerdotib9 interdixit, in Pontificē electus, anno Christi 1120. omnem culpam conferunt in indoctos, fastuosos, avaros, impudicos, simo-

simoniacos Episcopos, Monachos, Sacerdotes, adeoque, in Reges, Imperatores, & Principes, qui clientelam hujuscemodi sacrificulorum susceperunt: cujus rei testimonia satis evidentia nobis sunt in literis ipsorum Pontificum, quæ adhuc extant, & partim juri Pōtificio sunt insertæ.

Docti verò Episcopi, & Reges, atq; Imperatores acceptum id omne ferunt Pontificibus, Pontificiisq; Prælatis, & Gallis, qui omnium calamitatum & dissidiorum in Ecclesia authores fuerunt.

Idem. Quisquis demum sit Lutherus ille, sit vel hæreticorum deterrimus: manifestum tamen cuivis est, principes illos & civitates, qui eum fovent, paci studere, nec innoxio sanguine manus polluere, sed suam cuiq; religionem relinquere liberam: fovere etiam, adeoque in precio habere viros doctos, bonas artes, honestatem, adeoq; liberalia stipendia iis decernere, qui ingenuas disciplinas, linguas, & pietatem profitentur: nec se muneribꝰ corrumpendos objicere indoctis Monachis, & siti sanguinis irrestinguibili fatiscentibus.

Inter eos, qui Lutherum impugnant, munera regnant: viri docti & pii crudeliter vel ejiciuntur, vel necantur: nec cujusquam verba, nisi Monachorum, quos rectè lutum sanguine maceratum dixeris, valēt, nulla ibi eruditionis, nulla pietatis, nulla honestatis ratio habetur.

Fertur Morio Ludovici Ducis Landshutæ ad Regem Bohemiæ, cum ei vinum generosum esset porrectum, dixisse: Vinum tale ego biberem, & in perpetuum essem morio. Eundem ad modum & ego dixerim: Vinum ego suave & generosum biberem, & in perpetuum essem hæreticus. Quis non malit vel hæreticorum summus esse, quàm inter Christianos adeò sanguinis effundendi avidos versari?

Videmus, quòd eos, qui Lutherum impugnant, & ex instinctu indoctorum Monachorum multum Christiani sanguinis profuderunt, bello Turca impetat. Quo ergò intendunt insanæ illæ Monachorum vociferationes, quibus, cœlo terram miscentes, omne malorum culpam in solum Lutherum transferunt.

Idem. Ludovicus Bohemorum & Ungarorum Rex primus fuit, qui insanis Monachorum, Sacerdotumq; sanguinem sitientium consiliis obseqvutus est. Regem, qui modò rerum potitur, eadem urgent fata. Quàm propè nos urgeat periculum, & quæ graviora mala incumbant, nemini non est manifestissimum. Quare Sacerdotes isti indocti, sanguinisque profusione gaudentes, in extremas terras deportandi erant. Nec enim aliud isti agunt, nisi quòd frigidam suffundentes, intestina odia inter Principes incendant: nec est, quòd alter in alterius caput malorum causam transferat: quisq; sibi ipsi culpam imputet, vitæque emendationem, quatenus ex divina gratia licet, instituat.

Profectò rei indignitas cogit me, nec circuitione nec dissimulatione utentem, hæc & apertè & acerbè, prout se habent, in medium proferre. Quanquam nec eos, qui se Evangelicos jactitant, omnis planè culpæ immunes esse, censeo. Sunt inter eos, qui Germanis Bibliis & scriptis insudantes, omnem ingenii cultum & literarum stud:a planè negligunt, donaq; Spiritus sancti, linguas & humaniores artes contemnunt. Qui sanè contemtu isto graviores sibi pœnas accersunt. Servus enim, qui Domini sui voluntatem perspectam habet, nec tamen ei obtemperat, atrociores meretur pœnas, quàm servus, qui voluntatis heri sui ignarus, peccat. Metuendum certè, ne eadem eos, quæ & Judæos, pœna maneat, nempe ut apertis oculis nihil videant, legentesq; nihil intelligant.

Lamentationes Germanicæ nationis ex Threnis Hieremiæ mysticatis. p. 24

Et factum est, postquàm in captivitatem Romæ voraginis ducta est inclyta Germania: sedit Evangelicus præco magnificus, & amaro spiritu ejulans & flens, lamentationem hanc ex imo corde ingemiscens, ait;

Quomodo (meritò miratur) sedet sola Germania (in pulvere despectionis, non, ut olim, in solio gloriæ & honoris) prædæ (curialium Romani Episcopi) exposita (quia nemo resistit istis lupis rapacibus) plena quondam divitiis? (quando aliæ nationes Romano Imperatori Germanico contribuebant, quando non emebantur pallia, beneficia, sacramēta,)

Facta est quasi vidua (quia ab omnibꝰ laceratur, & nemo ei patrocinatur: Papa vincit omnes chartulis suis) domina gentium (jure dominari deberet Germania aliis Gentibus, sed jam servit Romanis stabulariis.

Ipsa princeps provinciarum (quia Romanum Regem & Imperatorem habet, & fortior viribus, & audacior animis) facta est sub tributo (cui? uni homini presbytero, & hoc parùm est, quia etiam Romanis popinariis, mulariis, &c.

Notula prima. Nemo putet, Martinum Luther hæc scripsisse, sed in libris suis sententionaliter utique verbis expressis planxit, quòd Germania prorsus à Romulistis devoratur, & quasi juratum Cayphæ mancipium tractatur.

Notula

Notula secunda. Quidam experti, de Curia & familia illustrissimi Maximiliani Imperatoris defuncti, dixerunt cuidam prælato, quem novi, ex cujus ore quoq; audivi: quòd Papa habet duos curiales, qui quotannis de sacro nostro Imperio trecenta millia aureorum corradunt & prædantur, præter accidentia de quotidianis litigiis in curia pro patrimonio crucifixi Jesu. Qui isti curiales pessimi? Nomen uni *Gyesi* de veteri lege, nomen alterius Simon, non ille Petrus *Apostolus*, sed Simon Magus: unde Simonia dicitur.

Quid Imperator habet de Imperio, dempta hæreditate? *Responderunt* præfati, non plenè duodecim millia aureorum, quibus legationes & nuncios, ratione Imperii missos, non potest exolvere. Heu quàm dolendum hoc? heu quàm miserandum hoc? Quo res redacta? Quò pervenit Alemannorum gloria? Invenitur aliquis Curtisanus, qui parùm minus habet, quàm Imperator de Imperio. En quæ nos dementia cepit? En quàm cæci sumus, quàm injustissimis mandatis *Romani* Episcopi paremus, faventes cum damno nostro maximo Simoniacæ pravitati, quæ hæresis, & prima hæresis fertur in Ecclesia. Ita me dii benè ament, salva fide, securius & melius esset nobis, sub Turci Imperio vivere, quàm sub nostro excoriatore immitissimo: qui tamen pater omnium vult dici.

Pater (secundum Paulum) debet thesaurizare filiis, non filii parenti. Sed ille Romanus pater prorsus omnem filiorum conatur vorare substantiam. Nisi pius Deus citò per famulum suum Carolum Maximum subveniat, actum erit de Germania. Chartulis suis excommunicatoriis omnes nos vincit, & quia obedimus (quod non parùm dolendum) subsannāt nos Romulistæ, quasi stultissimos homines, nec sperandum præmium à Deo pro ista impia obedientia, sed potiùs timenda pœna æterna, quòd mandata Dei non tenemus, & uni Cayphino homini cum tremore celeriter paremus.

Notula III. Quibus facta sit Germania tributaria: notatu dignum est, ut sciat suis obedire dominis. Sunt autem domini ejus Mammon, Simon, Gyesy, Scribæ, Pharisæi, stabularii, mularii, asinarii, caballarii, *Bubularii*, Cattarii, Muscipularii Gliricaptarii, Popinarii, F-marii, cloacarii, anitersarii, meretricarii, Epulones, Glutones, potores, nebulones, lusores, virginum corruptores, Sodomitæ cives, & populus Gomorrhæ. Hi nostri domini, præpositi, decani, scholastici, custodes, canonici, plebani, Vicarii. His Papa providet patrimonium crucifixi Jesu in Germania, hi dotati beneficiis à nostris parentibus olim fundatis: his nostri filii, Baccalaurei, Magistri, Licentiatiq; serviunt in terra nostra, calceos & ocreas vel caligas extrahunt, asini & stabularii sunt domini. Chartula Cayphæ hoc mandat, &c. Horum chartulas & mandata pluris facimus, quàm Dei præcepta quæcunq;. Ideò justè sumus sub tributo.

Plorans ploravit in nocte (plorat jam nocte adversitatis, quia non vigilavit in die prosperitatis; spontè se subjecit, coactè jam servit:) & lachrymæ ejus in maxillis ejus (sed ritus in maxillis Romulistarum, qui gaudent de nostris malis.

Non est, qui consuletur eam, ex omnibus charis ejus (justè hoc permittit D. 9, quia volentes consolari Alemanni persequuntur, & odiunt, & remediari volunt ipsimet: sic fecêre Imperatori Friderico! sic Guilhelmo Ockam, jam Martino.) Nam omnes amici ejus (qui meritò deberent esse amici) spreverunt eam (unde quando Papa excommunicat Imperatorem, mox chartulæ obedientes Papæ, deposuerunt eum nostri Principes Electores (& facti sunt inimici (pater in Geldrensib. & Sultensibus.)

Notula prima. *Romulistæ* tot & tantis retibus fraudis & tyrannicæ dominationis involuerunt Germanos, blanditiis primò infatuatos, quòd non spes evadēdi videtur ulla, nisi quod fustibus & gladiis dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum, ut Domino liberè servire liceat. Nec possunt omnes fossores in mineralibus montibus totius Germaniæ tantum auri & argenti effodere, quantum Roma vorat: abyssus infernalis est. Roma apud gentiles olim aurum & argentum provinciarum respuit, terram modicam pro tributo petiit. Testis hodie mons Omnis-Terræ. Jam Cerberum Romanum nec ipse Jordanis satiare posset, etiamsi aureus per os ejus permeares. Videte, qualis jam successor Petri pauperis, an non potiùs impii Neronis Christianos spoliantis? p. 285.

Notula secunda. Quando Germania prorsus exhausta fuerit ære, & argento, & auro: tunc non remittentur nobis misellis ampliùs peccata, nec venient ad fores mulgentiæ, dixerim indulgentiæ, sed erimus in maledictionem & in derisum omni populo. Antiqua calcaria, rubiginosas patellas, ollasq; æneas cudemus pro moneta nostra, & quasi tempore Antichristi nemo emet à nobis, nec vendet nobis: has meremur jam gratias, dando nostra Romanis stabulariis.

Notula tertia. Multo jam tempore Romani Episcopi, qui Ecclesiæ thesauros exhauriunt, & ideo pacare debent omnes principes orbis Christiani, summo conatu & studio subdolo effecêre,

eosdem

eosdem discordare: quia eorum discordia videtur Romani Pontificis pax & potentia. Timet enim Ecclesiæ reformationem per concilium, si Reges essent concordes. Ideò inserit subtiliter, sicut inimicus homo, zizania: cum ipse tamen quotidie summis viribus deberet laborare ad bonum Reip. Christianæ: sed Petronizat & Christianizat, sicut Judas.

O Petre apostole, si jam viveres, vix Campanator fieres. Si autem Papa jam esses: quàm opulentus esses, oporteret te rursus negare Christum pauperem, aut deponi.

Migravit hinc (scilicet ad curiam Romanam, ut serviat in stabulis) populus multus (scilicet, clerus indoctus, volens ditari beneficiis simoniacæ potestatis) propter afflictioem (quia quasi omnia beneficia nostra sunt Romulistarum, quæ gravant absentiis.] Habitat inter Gentes (id est, inter Romanos curiales, nec Deum nec homines timentes, & ideo deteriores gentibus) nec invenit requiem (non enim satis est Romulistis, quòd nostri eis serviunt in stabulis, sed & oportet aurum nostrum tribuant.

Omnes persecutores (hi sunt curiales, adulatores) Germaniæ [non faciunt taliter omni nationi: nec patiuntur, ut nos alii populi) apprehenderunt eam inter angustias [dicunt enim Romæ, ô sanctissime, Alemanni multùm timent excommunicationem vestram, igitur fulminetis in eos, & obedient in omnibus,)

Notula prima, Dolendum, quòd Germania abundat mineris, & abundaret pecuniis: nisi prædaretur à Romanis: & tamen vagantur Alemanni per mundnm, sicut Gyrovagi insulani (vulgò Zygeiner) pro servitiis vilibus habendis in stabulis, in popinis. Item pro pauculo salario extero exponunt & corpns & animam morti temporali & æternæ, sicut videmus in nostris mortalibus, Landsknechten/ cujus radicalis causa est: quia Germania evacuatur ære ab ipsis Romulistis.

Notula secunda. Romanus Episcopus excommunicat jam veritatem dicentes & defendentes, & benedicit eam pervertentes, Scripturam corrumpentes: & si quis eum pro Deo adòraret, credo, non abnueret. Dicitur enim à suis adulatoribus Deus terrenus, Imperator omnipotens, sanctissimus nomine, licet pessimus fiet opere, omnia hæc lubens sustinet. Nunquid & Petrus hæc sibi usurpavit? Sed qualis Deus, talis ejus creatura, ut cernitur in suis carnalibus, dixerim Cardinalibus, præsertim in Italia: videmus in suis ducibus & Doctoribus ab eo creatis. O creator, sis tibi propitius, crees tibi aliud cœlum. Nam timeo, nostri creatoris cœlum non sic intrabis: crea tibi aliã terram, quoniam hic non manebis.

Notula tertia. Excommunicationes Papæ, pro eo, si quis suis literis non obedierit in Simoniacis contractibus, in non præsentando suos curiales, beneficia de mense Papali invadentes, non plus timeantur, quàm Cayphæ excommunicatio, quæ excommunicat omnes apostolos, & in ea excommunicatione mortui sunt, & ideò beati. Si excommunicationem tenuissent, & ei paruissent: damnati essent. Hostiensis file.

Viæ Syon cœlestis lugent (continens pro contento ponitur, id est, homines volentes ire ad cœlestem Syon, id est, beatitudinem, jam merito lugent:) eo quod non sunt, qui veniunt ad ejus jocundam solennitatem [hujus ratio: quia jam nemo salvatur, secundum Romanos curiales, nisi qui abundaverit pecuniis plus quàm Scribæ & Pharisæi, & dederit Romano Pontifici.]

Omnes portæ ejus destructæ (scilicet in Germania: Papa enim reservavit solam unam portam apertam, per quam intrat: beatus homo, cui hoc temporalia sunt, & Papæ tribuit.)

Sacerdotes ejus (id est, Germaniæ) gementes (quia fructum beneficiorum tollunt absentes:) Virgines ejus squalidæ [quia curtisanorum concubinæ factæ:] & Germania (non sic aliæ nationes:) oppressa amaritudine: (quis enim sanæ mẽtis non doleat statum Ecclesiæ sic desumtum?]

Notula prima. Olim Christus dixit, Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Jam Romulistæ correxerunt textum. Papa enim [secundum eos] judicare & corrigere habet omnia, præter seipsum & extollitur super omne, quod Deus dicitur & colitur. Dicunt igitur sic jam, Beati divites, & quicunq; nobis & Papæ sua bona tribuentes, quoniã istorum est regnum cœlorum. Papa enim aperit istis, non aliis.

Notula II. Dubium jam versatur grande apud plerosq;: An Papa rursus habeat claves ad cœlum. Nuper enim, quando ibat dormitum, posuit claves ad pedes lectuli sui, & clàm venit fur, cui nomen Sathan, auferens furtim cœli claves infernalis abyssi, & supposuit claves infernalis abyssi, & sic abiit. Nec stolidus solvit hoc. p. 216.

Notula III. Proles Cosmæ Medices assveta est malo dolo, & usurariis ac Symoniacis negociis.

Hostes Germaniæ facti sunt [Romanus Episcopus, & ejus creatura ac familia, & Franci, & N.) in capite [Carolus maximus locabit eos, ut spero, in cauda] inimici ejus (scilicet adulatores curiales) locupletati sunt [de nostris beneficiis & palliis emtis:] parvuli ejus [id est, clerici in ætate mediocri] ducti [meliùs diceretur seducti) in captivitatem [sunt enim mãcipia quasi captiva Romanorum.)

Prin-

Anno

Principes ejus (Germaniæ) sicut arietes (insensati, quod hujusmodi patiuntur contra omne jus) non invenientes pascua [qvia pastor idolum, id est, N. depascit omnia.]

Notula prima. Hostes nostri in capite sunt Curtisani, jam nostri præpositi & Decani, &c. ut supra. Novi unum, qui fuit Aniversarius Romani Pontificis, qui sedecim possidet beneficia, & quidem opulentissima.

Notula secunda. Iuvenes nostri pergunt Romam ad stabula malorum & bubulorum, & ibi promoventur à creatore suo in majorem dignitatem, & ad meliorem provisionem, quam si apud nos D. Theologiæ decem annis ordinariè legerit. Videte provisorem Ecclesiæ.

Notula tertia. Multum irascor Petro, qui depavit & rapuit omnia: nil juris reliquit consociis Apostolis. Si enim Papa habet, quæ Petrus: oportet Petrum hæc habuisse.

Recordata est Germania (vexatio Romulistarum dedit sero intellectum) afflictionis (à Romani Pontificis curialibus) & prævaricationis suæ (contra primitiva sacra concilia, obediendo Romano Episcopo tanquam universali, &c.) & omnium libertatum (quia menses Papales non erant, nec pallia emere oportuit:) & quæ habet (scilicet privilegia) à principio (nam olim primas Parthenopolitanus confirmavit omnes Episcopos Germaniæ:) sed jam omnes, qui glorificabant eam [Turci, Saraceni, Tartari, Moscovitæ, Rutheni, Arabesqve) spernunt eam (nam quotidie irruunt in Ecclesiæ regna, prædantes) videntes ignominiam ejus (quia ignavi facti sunt Reges nostri, se lacerantes, infidelibus parcentes.)

Notula prima. Dolendum nimis, quod jam unus cento vilis, id est, pallium debet redimi aliquando viginti quatuor millibus aureorum, & processione obviari, dum is dæmon affertur de Roma. O Cæcitas! Quid signat cento ille? rete Petri. Sed dic, Petre, num omnia retia tua tot valuêre aureos?

Notula secunda. Olim ad Cameram primatis Parthenopolitani dabantur fortè quinquaginta auri, vel triginta pro pallio, id est, confirmationis literis scribendis: sed jam tantum, videlicet quantum Episcopatus habet.

Notula tertia. Episcopus Metropolitanus in Germania super suos Episcopos confratres, & qvasi suffraganeos, potiorem habet jurisdictionem, quàm Papa super eosdem, primas super omnes Germaniæ Episcopos illo modo.

Vide Domine (oculo misericordiæ tuæ) afflictionem ejus (injustam & Tyrannicam à Romanis) quoniam erectus est (quia impinguatus, dilatatus, incrassatus) inimicus (id est, Romanus Episcopus spoliator) manum suam mittit ad omnia, desiderabilia ejus (nam factus est, secundum suos adulatores, Omnipotens, Dominus terræ, & ideò non restat ei, nisi dicere & mandare, hoc volo, hoc nolo.)

Videt Germania (scilicet prohibere non audet, timens Caiphinam excommunicationem majorem) curiales (scilicet Romani Episcopi) ingredi (per literas) ad pingguia beneficia (præpositaras, &c.) Infulsos, ineptos, (melius scientes mulum sternere, quàm Evangelium legere) de quibus præceperas (in Evangelio Joannis) ne intrarent (Simoniacè) ut fures (quia fur non venit, nisi ut furetur, perdat & mactet) Ecclesiam tuam.

Notula prima. Olim Imperator Romanus confirmabat, vel infirmabat Papæ electionem, sicut & sanctus Gregorius confirmatus est in Papatu ab Imperatore. Sic in veteri lege David & Solomonis filius amovebant & admovebant summum sacerdotem, secundum quod regno expedire videbatur, jam versus ordo. Imperator debet jurare (ut ajunt) Romano plebano, qvid? ut sinat eum liberè mactare oves Christi, provincias evacuare denariis.

Notula secunda. Christus pro se & Petro dedit tributū Imperatori gentili, & per nomen ejus obedierunt ei non autem summo sacerdoti Annæ, Caiphæ taliter fecit.

Notula tertia. Quicquid Papa vult, scribit, & sigillat, & tunc pro jure habetur à Juristis qvibusdam, & concludunt, Papa hoc decrevit, ergò Asinus volat.

Dederunt pretiosa sua Germanici stulti (scilicet antiquos aureos, quos nec matres nostræ in puerperio audebant ambire: sic alii vendunt domos, agros, &c.) pro beneficiis (à nostris parentibus fundatis) & mulgentiis (aliàs indulgentiis, licet impropriè) & vindemiata est, (id est, deplumata, depauperata, spoliata) Germania [sicut racemi post vindemiam.]

O vos omnes [qvi diligitis Germaniam] qui transitis Germaniam [per civitates, per villam, per montes, & dumeta.] attendite, [quales sint ibi beneficiati prælati] & videte [quod sint Romani asini bubulati] si est gens similis mihi in stulta obedientia [qvasi dicat, Nulla sic infatuatur in Papa, sicut Ego. Nam cum damno animæ & corporis.)

Notula prima. Papa mittit nobis petiam membranæ cum modico plumbo & vilo canabeo, & reqvirit aurum electum. Num stultissimi sumus negociatores? pag. 285.

Notula secunda. Romanus pastor alienas oves bis mulget in hora: nostri Episcopi sunt nostri pastores, & ita benedicti & Dei Apostoli, sicut papa: quia & ipsi successores sunt Apostolorū, ut patet in jure & Evangelio. Mulget ante prandium,

 dando

dando literas, perpetuis temporibus duraturas. Mulget post prandium, revocãdo easdam jam datas, propter pecunias, excommunicando, etiam aliqvando eas literas, qvas ante horam dixit perpetuis temporibus durandas. Et sic Romæ est universale ante prandium, & post prandium: expediret, credo, nostros laicos, dico, & logicos hoc scire.

Notula tertia. Pro omnibus bonis, quæ Romanis facimus, & tribuimus, adhuc viliores habiti sumus, qvàm olim triginta Iudæi, venditi pro uno denario, ac qvàm modò sunt Mammaluci.

Cui comparabo te, inclyta Germania? (Respondeo: populo stulto & insipienti, nec intelligenti, neqve novissima damna providenti.) in quo consolabor te? (Respondeo: in gladio & fustibus Caroli maximi, justissimi.)

Prophetæ tui viderunt tibi (scilicet prædicando indulgentias, extollentes Papæ potestatem super omne, quod Deus est,) falsa (aliquando hæretica, sicut ille, qui ait: quando pecunia imponitur cistæ, mox anima evolat:) nec aperuerunt tibi iniquitatem (sed tantum prædicant de magnitudine mulgentiarum, mendaciũ super mendacium) ut te ad pœnitentiam provocarent (scilicet, ut te ad dandas pecunias provocarent, sive pereat anima, sive salvetur.)

Plauserunt super te manibus (quandò viderunt, te credere suis fictitiis, & contribuere,) aperuerunt super te os suum (comminando excommunicationem majorem, si quis veritatem dixerit contra eorum mendacia:) dixerunt (intra se) devorabimus (scilicet Alemannos, omninò spoliando.)

Notula prima. Indulgentia est veræ pœnitentiæ negligentia, relaxatio conscientiæ, imminutio omnis boni, ditatio Romani Pontificis.

Notula secunda. Melius est dare denarium pauperi Christi ex charitate, quàm centum aureos ad cistam mulgentiarum.

Notula tertia. Omnia sacerdotia, omnia sacramenta sunt venalia, omnia mala admittuntur liberè in indulgentiis. Nam eas (pro usu moderno) dant & confirmãt Simon magus, & Mammon diabolus.

Quomodo obscuratum est aurum (apud Alemannos? scilicet fulget in frenis & meretriculis Romanis,) quæ terra sic vindemiata? (quasi dicat, Nulla. Iam enim nec sacellum vel altare in nemore situm est tutum ab istis Curtisanis)

Misericordiæ Domini, quia non consumti (totaliter ab istis lupis rapacissimis,) nec defecerunt miserationes ejus: (speramus enim jam, quia Alemanni incipiunt damna & stultitiam suam videre, sicut caniculi nono die nativitatis, per Carolum maximum libertatem reddi nobis.

Notula prima. Pauperes nostros & incarceratos ob debita non juvamus, & trabes, calcaria, frena & meretrices Romanas ditamus: ideo nostræ matronellæ contribuentes merentur indulgentias, quas olim Iezabel, fovendo & nutriendo quadraginta sacerdotes Baal.

Notula secunda. Martinus Lutherus in acie conatur nos liberare de Ægypto & captivitate Babylonica, benedictus à Deo.

Notula tertia. Eckius theca fraudis diabolicæ, legatus Cayphę, interpres Antichristi, Hæresium præco, Germaniæ letalis hostis, perversor veritatis, cudit catenas apud Vulcanicum ignem, ut retineamur diutius & durius in captivitate Romanorum stabulariorum. Maledictus à Domino, aut revocet, quod nequiter deposuit. Dicat omnis Israel: Fiat, Fiat.

Oratio Hieremiæ Prophetæ.

Recordare Domine (qui potèst auxiliari) quid acciderit nobis (ab istis iniquis Romulistis,) intuere (oculis misericordiæ) opprobrium nostrum (injustè illatum à Romanis curialibus, à Francis, à Venetis. In fundandis Beneficiis) hæreditas nostra versa est (per bancos, & per chartulas, id est, bullas Romani Pontificis) ad alienos (scilicet Curtisanos, Cardinales, &c.) pupilli facti sumus (Papa enim hostis, Episcopos nostros non finit esse patres, sed servos:) absqve Patre (zolante pro filiis:) matres nostræ (id est, diœceses) quasi viduæ: (Papa enim captivos tenet maritos, id est, Episcopos jurantes.) Minamur ut pecudes (verbis duris, probrosis, excommunicatoriis literis) ante faciem persequentis: (quò vult, citat nos Romanus Pontifex de angulis mundi.)

Patres nostri (scilicet Episcopi, Reges, & Principes) peccaverunt (omnia successori Petri tribuentes, & aliorum Apostolorum successores spoliando) & nos eorum peccata portamus (cum damno & contumelia nostra.)

Servi (scilicet, curiales, stabularii, cartarii, bubullarii, &c.) dominantur nostri, non fuit (usqve nunc: sed erit citò? qui erueret nos (à tàm vili servitute.)

Defecit gaudium nostrum (sed lætantur Romani super spoliis à nobis sublatis) cecidit corona capitis nostri (sed Papa triplici corona inflatur: an & Petrus sit?) Innova dies (tu Domine, per Carolum tuum) sicut à principio (quando ignoravimus Curtisanos, quando Episcopi non cogebantur jurare Romano Episcopo, quando concilium Africanum viguit:) Domine (propter nomen sanctum tuum, qui Romanum Imperium dedisti filio tuo, Domino nostro Iesu Christo) salvum fac Regem nostrum sperantem in te (ut in adjutorem suum.)

Notula

Anno

Notula I. Non constat planè, an Romani gravius peccent Christum vendentes, an nos Allemanni ementes.

Notula II. Si consenseris, ô Germania, Carolo maximo, & similiter docto Martino, liberaberis citò.

Notula III. Si non; duplicabitur jugum servitutis tuæ, & ego ridebo.

DE REGULIS JURIS.

Curtisanis nullum de cætero admittatur beneficium, vigore bullarum apostaticarum, dixerim Apostolicarum.

pag. 286. Curtisanis nulla detur absentia, sed carceris præsentia.

Curtisani & nomine eorum literas excommunicationis portantes vel affigentes, cogantur vorare easdem cum omnibus appensis, nec detur potus ad hoc, ut glutiant, nisi fel & acetum.

Curtisani jam habentes plura beneficia, examinentur: & si idoneus quis eorum ad unum admittatur, alia ordinariis collatoribus reddantur distribuenda.

Curtisani ubiqve capiantur, si qvid invadere volunt, ut prius.

Annatæ non solvantur amplius in æternum.

Nullum sit de cætero reservatum in Alemannia beneficium, nec Papæ, nec cardinali, nec Episcopo, &c.

Excommunicatio Papæ hujusmodi sit, sicut Cayphæ excommunicatio.

Appelletur in gravibus negociis ad futurum concilium, & non obediatur, donec illud celebratum fuerit, Romano Pontifici.

Confirmatio Episcoporum fit ex ipsâ electione ritè celebrata, & consensum à suo metropolitano requirant, vel à primate Germaniæ: non emant centones Romanorum.

Capitula Canonicorum Episcopos eligere habentium, conjurent cum suorum Episcoporum consensu, de cætero se emere nolle centones à Romano Pontifice. Nam eorum Episcopus justiorem in sua diœcesi habet jurisdictionem, quàm Episcopus Romanus.

Ut Rex eorum defensor sit in temporalibus bonis: teneant, quod usqve nunc servatum est.

Primatus Ecclesiæ potest ita bene dari Episcopo Moguntino vel Coloniensi, sicut Romano.

Papa de cætero non pingatur (minus imponatur) cum triplici coronâ, sed cum quatuor Evangeliis.

Quicunqve ex Germaniâ appellaverit ad curiam Romanam, expellatur, demergatur. Si Episcopus, exbanniatur à Rege.

Indulgentiæ, vel potius mulgentiæ, non emantur de cætero à Romano Pontifice: sed Episcopi nostri tempore necessitatis faciant eas prædicari, cum consensu Regis vel Imperatoris.

Anno

Raptores coërceantur, aut omnia eorum, arces & fortalicia destruantur, & sint ut Hiericho, anathema.

De his pecuniis, quæ huc usqve sunt contributæ Romanis nebulonibus, aliquid stipendii loco tribuatur militaribus, & cessabunt à prædiis.

Qvicunqve Martinum Lutherum impugnaverit, hostis veritatis & Germanicæ nationis merito censendus est, & adulatoribus curialibus administrandus, portio ejus pix & Nix.

Qvicunqve habet conscientiam illa legendi, credendi, & implendi, deponat, tanqvam erroneam.

Convertamur ad Dei mandata servanda ad timendam excommunicationem sanctæ Trinitatis, separantem à communitate supernorum civium, qvæ fit ob & per mortale peccatum. Qvid nobis de chartulis Romani Episcopi? Episcopus est in suo Episcopatu, non noster Episcopus.

Sequitur Appendix Sanctissimorum Bernardi & Bonaventuræ Theologorum, & omnium eruditissimi Alberti Magni, quem Thomas Aquinas de longè veniens, elegit præceptorem.

Sanctus Bernardus in libro de Consideratione ad Eugenium libro tertio post medium, ante finem, magis desiderat in Papa plenitudinem justitiæ, quàm potestatis.

Alludit Bonaventura in quarto sententiarum, distinctione 21. articulo 5. in solutione ultimi argumenti, his verbis: Dominus Vicario suo plenitudinem potestatis contulit, quanta debebat homini puro dari, & hoc ad ædificationem sui corporis, quod est Ecclesia. Pensiculetur hoc verbum, Debebat, & hoc, Ad ædificationem, non utiqve palatiorum plus qvàm regalium, sed ad fidei & divini cultus incrementum, animarumqve per missas, per prædicatores, per studium sacrarum literarum, per largas eleemosynas, & per bona vitæ exempla, salutem promovendam.

Legatur Albertus Magnus super Joannem, capitulo decimo octavo, circa hæc verba: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum: ubi ponit prægnantissimam hanc sententiam, de summis Pontificibus, Non tibi tradidissemus eum nos, qvi sumus tantæ autoritatis & religionis: similes adhuc sumus pontificibus nostris, qvi ex sola autoritate innocẽtes opprimũt, & credi sibi in sanguine volũt pag. 287.

Anno innocentum. Est enim de nostra authoritate tanta præsumtio, quod nihil perperam faciamus.

Et Bernardus in epistolis crebrò taxat avaritiam Romanorum, quæ stomachum movit Luthero. Similiter Glossa ordinaria, Esaiæ primo, meminit, non esse avariorem gentem in toto mundo, quàm Iudæorum & Romanorum. Imp. Carolo 5. Pp. Clemente 7. U. S.

1526. *Reformatio Missæ & Ecclesiæ, à Martino Luthero hoc anno edita.*

Ut Lutheri mentem optima fide redderem, apposui ipsius verba propria.

DIeweil uns diese nechste Auffruhr also gewitziget hat/ daß man genugsam sind/ was für unraht daraus kömpt/so man nicht darein siehet / daß des gemeinen Manns Gemüth / so viel müglich/ gestillet und einträchtig sey: So ist von nöhten/ daß man nicht allein mit Gewalt darzu thue / wie es schon itzt gehet sondern auch mit Vernunfft. Dann eitel Gewalt / ohn Vernunfft/kan nicht bestehen / und behelt die Unterthanen in ewigen Haß wider die Oberkeit wie alle Historien uns anzeigen.

Nun kan man nicht läugnen / daß in dem Pöfel von viel Jahren her Unlust erwachsen / und böser Wohn gefasset / von dem unerlichen Leben des Geistlichen Standes: und da man den nicht wolt bessern/ sondern mit Trotz wider alle Billigkeit vertetigen/ ist aus dem Wohn ein solche Jammer entstanden/ wie leider vorhanden ist. Darumb erstlich an dem Stand zu reformiren angefangen ist/ oder der Stifft wird aus dem Hertzen nicht kommen.

Hie ist an dem Haupstück am ersten anzufahen / nemblich an der Messe / daß die mit einer Christlichen gemeinen einträchtlichen Weise fürgenommen werd / darüber GOtt und Menschen Gefallen und Genüge haben mögen. Die Weiß aber müsse aus dem Göttlichen Wort genommen werden/ ohn welches kein Enderung einig und beständig ist. Sintemahl nichts so gewaltig allen Menschen den Mund stopfft und das Hertz/ als das göttlich Wort. Menschen Wort richten gewißlich Secten und ungleiche Weiß an/ wie man vor augen sihet in aller Welt.

So ist offenbahr / und können die Geistlichen selber nicht läugnen/ wie in aller Welt so erschröckliche Greuel / und gräulicher Mißbrauch mit dem Hochwürdigen Sacraments unsers HERREN JEsu Christi Leibs und Bluts im Schwang gehet: nemblich der grosse grausahme Mißbrauch/ welchen auch die Vernunfft ohn Geschrifft erkeñet und verdammet/ daß ein lauterer Jahrmarckt und Handthierung aus dem H. Sacrament gemacht: da man verkaufft hat Christum / heiligen Geist / Gnad / Leben / Himmel/ Vergebung der Sünden / und Erlösung von der Höllen und Fegfeur. Ja auch wenn einem ein Sohn kranck ist / oder einen Gröschen verlohren hat / oder sonst ein klein Unglück wiederfähret/ das ist alles durch die Meß mit Geld gesucht abzuwenden. Also daß die Mes ein Kauffmanschafft wider allerley Unglück auff Erden / mit einem Groschen oder halben/ einem teglichen/ er sey from oder böß/ zuerlangen / frey effen und bereit gewesen ist/ ungeacht Glaubens / Leib und aller GOttes Ehre und Seelen Heil.

Dann ob vielleicht unter hundert tausend einer oder etliche mehr mochten erfunden werden / die umb GOttes will Meß hielten: so seynd doch die anderen darzu der gantz gemein Stand in dem Mißbrauch / daß wo nicht Geld da were/ keiner Meß achtet / oder iemands damit zu helffen gerichtet ist. Dann darzu sind Klöster und Kirchen gestifftet/ in welche man sich nicht anders begibt/ denn daß man durch die greuliche und lästerliche Krämerey göttliches Diensts/ und der Messen den Bauch ernehre/ und gute Tage habe. Das ist nicht anders/ und kans niemand läugnen.

Zu dem sieht und greifft man / daß diese Krämerey und Geld erwerben an Christi Blut nicht angeleget wird ohn fromme arme Leut / sondern das mehrtheil an die Geistlichen / die in Fleischlicher Unreinigkeit / wie Paulus nennt, liegen/ auch in offentlicher Hurerey / Ehebruch / und allen Schanden / viel auch Trunckenbolder / und voll fräulicher Untugend: dazu unter dem Schein und Schutz geistliches Stands / unsträfflich in solchem allen leben. Gehen also frech und unrein vol zweiffel zum Altar / das ist in ihre Kauffboden / Händel und Marckten: verkauffen und vertauschen den lieben Christum. Wenn sonst kein Gräuel auff Erden were/ wer dieser allein genug/ daß GOttes Zorn uns mit Feur/ wie Sodom und Gomorren/ verzehrte.

Und zwar GOtt hat sich in dieser Auffruhr wol laßen mercken/ so wir wollen die Augen auffthun/ daß sich der Jammer hat an den Geistlichen / und umb der Geistlichen willen/ angehoben/ als die solchen Greuel treiben/ und ist darnach an die Oberkeit kommen / als die solchen Greuel schützen und leiden: und zuletzt wie eine gemeine Straff pflegt/ an dem Pöfel ausgangen / die solchen Greuel auch gefolget und gedienet hat.

Und ist noch kein End / darzu auch zubesorgen/ daß es ein Fuchsschwantz sey gewesen/ und wo man noch nicht darzu thun wird / solchen öffentlichen bekanten Greuel abzuthun/ sondern frech/ und also gleich Got zu Trotz/ den handhaben und dulden / es werde die ersern Ruhte hernach folgen. pag. 18.

Derhalben zu rahten ist/ daß man alle Meß mit einem endlichen gemeinen Urtheil abthue/

abthue/und nicht fürnehme/ sie zu behalten/ und mit Flickerey einer gleissenden reformation zu bessern. Dann wo die Meß solt also wie itzt bleiben/ ist unmüglich zuverhüten/ daß sie nicht zu einer Krämerey gerahten solt/ sintemahl dazu nicht andere verordnet werden/ denn die der Messen pflegen: als dann seynd/ und seyn müssen/ eitel Müßiggänger/ die dem Wort und Nächsten zu dienen nicht Ampt haben/ darzu doch Christus dieses Sacrament eigentlich eingesetzt hat/ wo aber Müssiggang ist/ da folgen alle Laster nach.

Daß der Sachen hie nicht kan gerahten werden/ man lege dann den Meßpfaffen des Worts Ampt auff: Welche das nicht vermögen/ daß die auch nicht Meß halten sollen/ sonst wird und ist des unnützen Volcks zu viel. Und weil sie fast eitel Bauchdiener und Müssiggänger seyn/ die niemands dienen/ sondern lassen ihnen dienen/ hört das Ergerniß und Verdrieß beyder GOttes und der Menschen nicht auff.

Wenn wir dieses Hauptstück recht geordnet hetten/ so wär dem andern allen/ als das daran hanget/ leichtlich zurahten. Will man aber hiezu nichts thun/ so wolt ich ungern zu den andern Ordnungen rahten. Dann hie ist vergeblich und eitel verlohren Mühe/ die doch zerbrochen wird durch die Meßhandthierung. Man muß hie des Greuels Brünnen stopffen/ sonst werden die Flüß und Bäche nicht austrucknen.

Uber das ist die Meß in noch einem höhern Gräuel und Mißbrauch. Denn wenn sie gleich ohn den eusserlichen groben Mißbrauch und kein Krämerey wäre/ sondern gar umb GOttes willen gehalten wird/ weil sie aber doch als ein Opffer und gut Werck gehalten wirdt/ und nicht ein Gedächtniß unsers HERRN JEsu Christi/ wie er sie eingesetzet hat/ wird auch darauff gebauet der Christen Gewissen/ als ob sie dadurch seelig sollen werden/ daß sie Christum opffern in der Meß/ wird dadurch der Glaub vertilget/ und das einig Opffer/ daß sich Christus einmahl für uns selbst geopffert hat/ vergessen und veracht/ das man doch in der Meß mit hohen fleiß gedencken soll.

Den Glauben aber vertilgen/ und ein eigennützig Werck und Opffer aus einem Göttlichen gemeinen Schatz der Seelen machen/ ist ein solche Verhörung und Gräuel/ daß sie keines Menschen Hertz begreiffen mag. Darumb von nöhten ist/ in die Sach mit Ernst und Eile zu sehen/ ehe GOtt uns ereilet mit seinem Zorn.

Daß man wolt sagen/ es sey auff dem Reichs-Tag zu Wormbs durch Käyserlich Mandat beschlossen/ man soll bleiben bey altem Christlichem Brauch und Gewonheit; ist offenbahr/ daß in demselben Mandat gar nichts von der Messen Mißbrauch befohlen wirdt. So man doch/ wie gesagt/ denselben wol weiß: und sich gleichwol stelt/ als sehe man den nicht/ und überhüpffte den/ als gieng er uns nicht an/ damit GOtt gleichwol auffs höchst veracht/ und sein Ehre vergessen ist. Darumb auch aus Haltung solches Käyserlichen Mandats solcher Jammer kommen ist. Daß gleich wie sie GOttes vergessen/ sein Ehr verachtet/ und ihn erzürnet/ wiederumb beyde Geistliche und Weltliche Oberkeit in solche Verachtung und [illegible] kommen/ und noch täglich darinne sind/ und letzt noch länger je tieffer darein kommen/ daß nimmermehr kein guts darauß werden kan. Wie dann die Auffruhr angefangen/ und angezeigt hat. Und ist also der Spruch GOttes erfüllt 1 Reg. 2. Wer mich ehret/ den ehre ich wieder: wer mich aber verachtet/ der soll wieder veracht werden.

Derhalben das Wormbsische Mandat viel zu wenig ist/ eine gute Ordnung zuerhalten/ weil es solche öffentliche Untugend und Greuel verachtet/ und gehen lest/ und thut nichts zur Förderung Göttlicher Ehre und Ablegung der Lästerung und Schanden seines Namens.

Und wenn die Meß recht geordnet wer/ so ist darnach von nöhten/ daß man gute fromme Prediger habe. Hie wird es an Personen liegen/ welche man in den Schulen und Universiteten auffziehen muß. Darumb auch der Schulen und Universiteten reformation von nöhten ist/ daß man da keinen Kosten noch Mühe spare/ das bedarff auch besonder guts bedencken. Daß wo die Schulen nicht wol stehen/ da man die Personen zeugen und ziehen soll/ wirdt keinem Gottesdienst gerahten seyn/ aber der wird sich vielleicht das reich nicht annehmen/ sondern einer jeglichen Herrschafft lassen in ihrem Land zuversorgen: es ist aber noth/ und der höchsten Artickel einer.

Was aber aus Stifften/ Clöstern/ und Bißthumben zu machen sey/ weiß ich nicht zu rahten. Solten sie so bleiben/ so dienen sie GOtt nicht/ und warten des Worts nicht. Solten aber die Bischöffe visitiren wie ihr Ampt ist/ so mügen sie des Stands nicht gewarten. Das ist aber zubedencken/ daß/ weil sie den Namen und Stand der Bischöffe/ Apt/ Dechant führen/ und doch nicht ausrichten/ sondern Weltliche Herren sind/ daß sie auch zu grösser Schand und Unehr GOttes in dem Stand seyn: und tausendmahl besser were/ daß sie sich in Weltlichem Stand wandeln liessen/ und daß solche Güter vom Reich zu Lehen genommen/ und denen geben würden/ die da würdig erfunden/ wie sonst geschicht/ wenn ein Herrschafft loß stirbt. Dann es doch nicht anders ist/ denn daß durch das Evangelion alle Bischöffe loß sterben/ und den Stifftern oder dem Reich heimfallen.

Dann die Namen Bischöffe/ Abt/ Probst/ Dechant, Scholasticus, Cantor, Canonicus,

 Vicarius,

Anno Vicarius, Diacon. weisent wol aus: was für Ampt solche Leut haben sollen. In weltlichen Höfen und Ständen sind solche Namen und Aempter nicht.

pag. 289. 1526. *Hector Boetius lib. 13. de Scotis.*

In Marrea regione puella nobilissima & formosissima, complurium aversata connubium, in infandam cum Dæmone incidit consvetudinem. Quæ cum uterum ferret, parentum rigore coacta edere stupratorem: adolescentem mira pulchritudine frequentius secum nocte, interdiu nonnunqvam convenisse, unde venisset, qvove inde abiisset, nescire se, respondit.

Parentes, etsi filiæ parum crederent, accuratius rem advertentes, consilio quis esset, qui puellæ expugnasset pudicitiam, explorandi, cognito tertio pòst die, indice ancilla, stupratorem adesse, reseratis foribus accensoqve tędarum ingenti numero, cubiculum ingressi, horrendum monstrum, figura supra humanam fidem terribili, in filię amplexibus sunt conspicati.

Concurrêre ocyus complures ad fœdū acciti spectaculum. Inter eos Sacerdos probatæ vitæ, nec sacræ disciplinæ ignarus cæteris autem trepidè abeuntibus, aut pavore illisis terræ, cum Joannis Evangelii initium recitare orsus, ad eum locum, Verbum caro factum est, perduxisset, malus Dæmon, horrendo sublato clamore, cubiculi tectum secum asportans, omni suppellectile incensa, abit.

Fœmina periculo servata, post triduum enixa est monstrum undiqvaq; fœdum aspectu, quale nusquam antea (ut ferunt) inter homines visum: quod obstetrices, ne in familiæ dedecus servaretur, extructa ingenti pyra, exusserunt.

Idem Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, Romanæ sedis Legatus, quod publicè ob avaritiam malè audiret, àMalcolmo Rege Scotiæ ex aula relegatus est. Indignum enim existimabat Rex, aulam regnumve flagitiosis hominibus, qvantumvis magnos illi gererent honores, patêre.

Idem. Wilhelmus Scotorum Rex Hugoni Cardinali, pontificiâ auctoritate, universos Scotiæ Episcopos Eboracensi apud Anglos archipræsuli parêre, mandanti graviter contradixit, adeo, ut re infecta inde discedere cogeretur.

1526. *Joannes Fernelius de abditis rerum causis.*

Hic scribit, se vidisse, qvendam vi verborum spectra varia in speculum derivare, qvę illic, quæcunq; imperaret, mox aut scripto aut veris imaginibus ita dilucidè exprimerent, ut promtè & facilè ab assidentibus omnia internoscerentur. Audiebantur quidem verba sacra, sed obscœnis nominibus spurcè contaminata: cujusmodi sunt elementorum potestates, horrenda qvędam & inaudita principum nomina, qvi Orientis, Occidentis, Austri, Aqvilonisqve regionibus imperent. Imp. & Pp. ut sup. Anno

Omen Ludovici 2. regis Ungariæ. 1526.

Ominosus fuit sermo Ludovici, cum jam cum Turca dimicandum esset, & Magister domus ab eo sciscitaretur, ubi cœnare vellet, in castrisne, an in vico? De loco enim pronunciare nihil voluit, sed dixit: Deus novit, ubi hodie cœnabimus. Imp. & Papa ut suprà.

Paulus Grillandus I.C. 1526.

Hic scribit lib. 2. de Sortil. cap. 6. Jacocum Perusinum Sacerdotem maximum fuisse totius Italiæ Magum, qui cum Missam canens versus populum se obvertisset, ut diceret: Orate pro me, & cæt. die qvodam dixit: Orate pro castris Ecclesiæ, quia laborant in extremis: eodemqve momento cæsa fuisse castra, qvæ Perusio, ubi canebatur missa, viginti qvinq; milliaribus aberant. Imp. Carolo 5. Pp. Clem. 7. ut sup.

Joannes Bouchet Gallus in Annalibus Aqvitaniæ. 1527.

Reservationes & gratias expectativas excogitavit insatiabilis avaritia Romana.

Idem eodem loco. Habet Galliæ regnum plus quàm centum millia parochiarum, qvarū quælibet ad minus unam habet expectativam, pro qua solvebantur 25. coronati, quod facit plus, quam duos coronatorum milliones. Imp. Carolo 5. Papa Clem. 7. ut sup.

Narrat hic author exemplum memorabile aulicæ fortunæ. Cum enim Jacobus à Beaune Gallus per omnes gradus ab infimo ad summum honoris, gloriæ & divitiarum ascendisset fastigium, & aliqvot Regibus 60. annos à consiliis fuisset: tandem in carcerem conjectus, & patibulo adjudicatus, oravit, ut officiorū suorum erga tot Reges gratiâ, vita beneficii loco ipsi donaretur. Cum verò omnia incassum laboraret, dixit: justè igitur mecum agitur, eo quod tot annos tantum hominibus ministravi: non dubito, quin, si unicum saltem annum Domino cœlesti servîissem, plus essem consecuturus. pag. 290.

Ludovicus Romanorum Patricius, libro 5. cap. 2. 1527.

Deum nuncupatum Cacodæmonem veneratur Rex emporiî Indiæ celeberrimi Calechut, confisus, illi factam à Deo potestatem judicandi orbis terrarum, & tribuendi unicuiqve, pro benefactis videlicet & malefactis, mercedem meritam. Ejus imaginem, ut monstrum horrendum, ingens sedentem, capite redimito diademate,

Anno Romanorum Pontificum modo, scribit hic Ludovicus, Regem habere in sacello suo. Hoc autem illi accedit, quod diadema ipsius ternis insignitur cornibus. Deum verè maximum Tamerani appellant incolæ.

Idem affirmat, superesse adhuc collapsarum urbium Sodomæ & Gomorrhæ vestigia, tanqvam iræ divinæ testimonia.

Hic finis fuit, hic exitus populi illius, fastu, luxuria, libidine, impietate, & egenorum contemtu iram Dei, & pœnam horrendam in dies singulos furenter sibi accumulantis. Hoc voluit exemplum esse Deus omnibus impiis, ut in similibus delictis similem pœnam esse secuturam, certò statuant.

1528. *Conjugium pejus Sodomia.*

Dixit aliquando Episcopus quidam alicui conjugato: si voluisses rem habere, aut libidines exercere cum diabolo, scortis, masculis, vel brutis, absolveremus te utiq; à peccatis: sed qvoniam uxorem duxisti, cogimur te excommunicare, & tradere diabolo. Ep. Butneri. Imperatore & Papa utsup.

1527. *Richardus Wassebnrgius, Archidiaconus Verdunensis, in Austrasia.*

Cum Papa Pius, sub prætextu belli contra Turcas, Germaniam infinitis modis gravaret, objecta fuit à Germanis per Doctorem Gregorium Heymburgeum protestatio & appellatio seqvens: Pecunia vestra sub velamento militaris expeditionis adversus Turcas instaurandæ, in damnatum & scelestum usum convertetur, scilicet in subsidium Ferdinandi ex damnato complexu quondam Alphonsi Regis Arragonum nati, contra Renarum Regni Siciliæ Regem, hæredem legitimum & inclitum: Joannem Calabriæ Principem, Christianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus, & ornamentum, & exemplar imitabile. Et idcirco dicit Papa, Gregorium Heimburg ex diabolo natum, qvia non ex damnato coitu, sed legitimo conjugio est progenitus, qvorum osor est Papa, fautor bastardorum, pro quibus longissimam ferè trium horarum prolixam fecit orationem, dum Ferdinandi bastardi laudes Mantuæ personaret. Imp Car. 5. Pp. Clemente 7.

Idem. Legitur in historiis Trevirensibus, quod Eberhardus Archiepiscopus aliquando promulgaverit legem contra Iudæos, habitantes in urbe illa; cujus summa erat, ut vel fierent Christiani, & acciperent Sacramentum baptismi, die Sabbathi in vigilia Paschatis propediem subsequenti: aut vitarent urbem, & aliò concederent, eò nunquam reversuri in perpetuum. Iudæi autem de hoc mandato non parùm stomachabantur, idqve subsannabant & eludebant.

Eorum verò quidam ex arte diabolicâ fecit imaginem de cera; eam auri precio sibi conduxit baptizari ab aliquo neqvam presbytero Ecclesiæ ad sanctum Paulum; illam diabolicam imaginem sic ex maligno artificio fabricatam Iudæus accendi jussit dicto Sabbati die, qui assignatus fuerat eis; ut in eo vel baptizarentur, vel si illud nollent, ex urbe protinus excederent, secundum edictum & mandatum dicti Archiepiscopi Trevirensis Eberardi.

Subsecuto autem dicto die, cùm ipse bonus Archiepiscopus occuparetur actione ad fontem lustralem, indutus consvetis vestibus ceremonialibus, & ornamentis Episcopalibus, imagine illa cerea, igne consumta ferè dimidia: tam gravis ægritudo dictum Archiepiscopum corripuit, ut in utraqve provolutus genua se supplicem miserit ad qvandam imaginem crucifixi: verum mortuus est illico, & tradidit spiritum. Factum hoc est anno millesimo sexagesimo septimo.

Idem. Aliquot in ordine Pontifices se derunt, qui non tantum plurimos tumultus, turbas & contentiones excitârunt per electionem suam; sed etiam magnam per vitam omnem exercuerunt tyrannidem; tetra perpetrârunt scelera & iniquitates, & agitârunt superbiam sine ulla reverentia nominis Christiani, aut humanitatis. Eorumqve dira admodum & horrenda auditu, vel in historiis lectu sunt gesta & facta; malitiæ, hæreses, scandala atqve oppressiones abhinc in Ecclesiam grassatæ: de quibus alibi. pag. 191.

Idem scribit, Henricum I. (qui dictus fuerat Auceps) Italiam, ad capiendam coronam, intrare non voluisse, licet sæpius à Papâ fuisset interpellatus: eamq; constantiam à pluribus fuisse laudatam: ut ibi. F. anno 920.

Idem Filius Regis Ludovici Crasfi casu miraculoso interiit Parisiis: cum enim per plateas equo proficisceretur, porcus pedibus equi fortè involutus, eqvum & filium Regis prostravit: Sancto Bernardo id (cum pater Ecclesiis, admonitus tamen, molestus esset) prius vaticinante. Dixit enim: Hæc obstinatio primogeniti ejus Philippi morte mulctabitur. F. anno 1131.

Idem refert, tempore Didonis Episcopi Verdunensis, anno 890. tantam fuisse Paparum, Vicariorum Christi Tyrannidem, insolentiam, exorbitantiam, & numinis divini irreverentiam, ut nemo illorum res gestas & scandala, nisi cum stupore perlegere possit. Vide ibi.

Idem. Statuo ego, dictam sectam Lutheranam esse apprimè utilem & necessariam. Spero enim, qvod per illam Deus velit re-

formare & emendare statum Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum turbas, tam primates & summa capita, quàm membra & inferiores.

Idem. Papa osor legitimorum, fautor bastardorum, unde ruina totius Italiæ promanat. Non enim pudet nec Ecclesiasticos, nec ipsum Papam nefandissimorum scelerum, de quibus Isaiæ capite tertio scribitur: Agnito vultu vultus eorum respondebit eis, & peccatum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.

Multi hodie ex prælatis bonis Ecclesiæ & sanguine Christi abutuntur, ut bastardos suos elevent: unde fides Christiana diminuitur, & scandalizatur. Habeo ex historiis & viris doctis, multos nulla alia de causa defecisse à Christo ad infideles, quam propter horrenda scelera prælatorum. Et econtra, multos ex infidelibus ob eadem scelera nostram fidem refugisse, hoc est, cum vidissent viros primarios Ecclesiæ omnibus vitiis contaminatos.

Nec mirari satis possum, cur viri principes ab ejusmodi bastardorum nuptiis dedecorosis non abstineant. Et cum multis piis affirmo pro certo, Lutheranæ sectæ primariam causam esse scelera horrenda eorum, qui primi esse volunt in Ecclesia & correctionem nullam admittunt. Et plus dico, sectam illam Lutheranam (licet illam approbare nolim) non sine divinâ providentia introductam, utpote ad corrigendos errores & reformandam Ecclesiam omnino necessariam. Vide ibi plura.

Idem. Narrant historiographi, quod circa annum 873. plurima se exhibuerint mundo monstra & prodigia. Nam in Italia, in civitate Bressa, integri tridui spacio continue pluit sanguine.

Universam autem Galliam, maximè verò Lotharingiam, & terras finitimas ac vicinas Germanorum invaserunt innumerabiles bestiæ, & vermes locustis multum grandiores, habentes sex pedes, sex alas, dentes decem, duritie cum lapidibus certantes, & per aera volitârunt turmatim, tam densa caterva, ut impedierint & abstulerint radios luminis solis: tantæ multitudinis, ut occupaverint spatium octo milliaria longum, & duo latum. Et eorum erant aliqvot cæteris majores, illi præcedebant reliquos per unum diem, tanquam magistri & doctores eorum, quærentes loca convenientia (instar exercituum militarium) ad capiendam ingentem hanc catervam. Et demanserunt semper pomeridiano tempore eo in loco, usqve manè ad ortum solis, devorantes & abrodentes omne viride herbarum & arborum super terra, & nihil relinqventes. Altero verò die ruptis stativis, qvæsierunt alium locum, & nova castris spacia, sicqve processerunt continuè per terras universæ Galliæ, usqve ad Oceanum Brittannicum; ubi per vim ventorum disjecti & submersi fuerunt in profundo maris.

Anno

Postmodum verò mare rejecit mortuas has locustas ad littora & in flumina, adeò, ut putrefactis illis, corrupto aere, ingens sit enata pestilentia, & fames occupaverit terram tanta, ut credatur, tertiam partem hominum esse mortuam, & hac strage absumtam. Et adduut historiographi, quod non tantùm per dictas regiones, sed etiam per Germaniam & Lotharingiam tanta pestis grassata fuerit in animalia bruta, ut canes, fugientes hoc malum, omnes amiserit Lotharingia, adeo, ut ibi diu nec mortui nec vivi fuerint reperti.

Hæ calamitates & prodigia præcesserunt mortem Imperatoris Italiæ Ludovici secundi, filii Lotharii primi, mortui circa annum octingentesimum septuagesimum sextum.

Idem. Quodam tempore Germanorum Rex Ludovicus (teste Eginaldi historia) conturbatus fuit acerbè à filiis suis, qvorum tres fuerunt numero, Ludovicus junior, Carolus, postmodum cognominatus Crassus, & factus Imperator, & Carolomannus, qui fuit pater Arnulphi, postea facti Imperatoris. Nam Ludovicus & Carolus maximo odio flagrabant & invidia adversus fratrem suum Carolomannum: & pluribus in rebus erant inobedientes, & pravas moliebantur machinas contra suum Patrem, eò, qvod ipsis videbatur, ipsum semper eis alterum præferre, se autem exhæredatum iri, metuentes. pag. 131.

Et aliqvando die qvadam, quando dictus Ludovicus Rex Germaniæ fuit Francofurti cum suis duobus filiis, Ludovico & Carolo, diabolus in forma Angeli cujusdam apparuit dicto Carolo, & dixit ei, quod parens ejus ei intentaret & pararet mortem ut possit præferre & evehere ad Regni fastigia fratrem ejus Carolomannum: & de hoc facto Deum valdè irasci, & offendi gravissimè: constituisse enim Deum, dare Imperii potestatem Carolo.

His verbis Carolus totus fuit attonitus, & ex pavore aufugit in templum, loco illi proximum. At diabolus eodem subsequitur eum, & dicit illi, cur timidus es tu, & fugis? Cogitas tu, quod, si verba mea non essent ex Deo, in hoc ingressus essem templum? Igitur credas mihi velim, & recipe Sacramentum Domini ex manibus his (offerebat ei formam hostiæ cujusdam) meis.

Verùm quid fit? Continuò ingressus in eum est diabolus, & obsedit corpus ipsius, & incepit clamare & boare horrendum, Diabolo vexante. Ex hoc igitur Pater ejus & universa nobilitas fuit maximoperè perturbata & perterrefacta: & curaverunt, cantari missam, eo præsente: hac durante,

Anno durante, interea ipse, præsertim verò, cum cantaretur Evangelium, clamavit horribiliter, & alta voce confiteri cœpit, hoc infortunium supervenisse ei eò, qvod conspiraverit contra parentem suum.

Post missam Parens eius Ludovicus emisit quæsitum Sacerdotes, Episcopos, Pastores religiosos & sanctos, & qui pietatis haberent nomen, ut orarent ad Deum pro filio suo, horumq; etiam precibus fuit ab hoc tandem malo liberatus.

1527. ## Sententia Joannis Odenbach, typis mandata, quomodo procedendum cum hæreticis, ad Senatum Altea.

Omninò, si errores in religione, aut hæreses sunt dignæ supplicio (quod tamen Evangelium neutiquam concedit) certè Papatus primo omnium corripiendus est; cum plurimorum suffragia testentur, non falsiorem, mendaciorem, damnabiliorem, emendatione qve digniorem doctrinam aut populum unqvam vidisse Solem. Noster enim rasus & unctus ordo quid non committit improbi?

Majestatem Dei blasphemant, abnegant redemtorem suum, sicut affabrè ipsorum scelus depinxerunt Petrus & Paulus. Ipsi enim sunt blasphemi, idololatræ, qvorum gratia verbum doctrinaqve Dei malè audiunt, dedecus religionis, hæretici, seductores, Ezech. 13. Tit.1. qui docent inconvenientia, turpi lucro, hostes crucis, quorum Deus venter est, sanguinarii, improbi, cæcorum ductores, animarum carnifices, morsus viperarum, quemadmodum Prophetæ, Christus, & Apostoli apprimè eos depinxerunt, & digitis quasi nobis commonstrârunt.

Dignior enim flagris & plagis quibusvis à veritate alienior, & levior populus non vivit super terrâ, quàm clerici, qui suæ vitæ & actorum nullum habent scripturæ verbum, sed meræ sunt temeritates, libidinis humanæ commenta, inventa diaboli, & ejus Legati Antichristi, quibus tantam consecuti sunt potentiam & gloriam, ut omni mundo tanquam servo imperitaverint.

Cum igitur hi, abyssus omnium hæresium, & millies majori obnoxii pœnæ, qvàm omnes alii sectarii, non solùm impunè suam impietatem ferant, non tollantur è medio, sed & magna colantur observantia & honore, quid ageretur de aliis inculpatioribus hæreticis, qui pietatis & noticiæ Christi plus habent in minimo digitulo, quàm omnes in universum papistæ.

Nunquid autem ideo jugulanda cohors tonsa? Non, sed relinqnantur justo judici, qui dixit, mihi vindicta, illius sententia olim non deerit eis. Deus jam vibravit gladium Evangelii, & confundit eos turpitudine quotidiana, coram omnibus filiis & electis Dei: arma ipsorum ablata sunt, quid prætendant, nihil suppetit eis amplius, quàm vis, bona, opes, diuturna possessio, vetustas, origo, authoritas, Papæ, Cæsares, Patres, concilia, & ejusmodi alia stramine a tela. Anno

Conniveatur igitur hæreticis omnibus. Cur enim Columba altiori suspendatur patibulo quàm corvus, sane fas non est. O amici charissimi, rara avis est verus Christianus, præsertim hac ultima mundi senecta, qvando Antichristus omnia vi, ferro, fune, unda, flamma, gladio, tormentis cogit. & subjugare sibi molitur. Ausim vitam meam deponere, qvod omnes Missifices in universum, qui tamen divinorum signorum magnam sibi arrogant gloriam (quasi ardenter zelarent pro Sacramentis Domini) si vitam constaret eis, & extremum intentaretur eis periculum, nullum verbulum novissent dicere de vera & falsa religione: nec suam defendere, vel adversam refutare. Imò verò, si ad examen vocarentur, miras essemus audituri ineptias, ut omnibus dicere dum foret: ipsismet non convenit doctis: quomodo ergo nos miseri laici sententiam feremus?

Equidem omnes Pontificii ignorant, quid & cœna Domini sit & Baptismus, & ne gry quidem sciunt de Christianorum fide dicere. In jus igitur cito hoc: si omninò flammis agendum est, utrum illi potius ad supplicium abripiendi primum, qui prorsus nihil sciunt de sacramentis & verbo Dei, interim damnantes alios: an verò illi, qui exiguo deviant errore. Igitur qui omnibus mendis & vitiis caret, ille judex sit, & lapides adjiciat. Joan.8. Imperat. & Papa ut sup. pag. 293.

Prodigia. 1527.

Anno Christi 1527. 11 Augusti, primùm in cœlo illuxit cometa de manè summo, horam circiter quartam, conspectus ferè universæ Europæ: is in se, contra aliorum cometarum naturam, quandam habuit manum, protendentem gladium, & vibrantem minas. Ab hinc biennio magnam acceperunt cladem à Turcis Christiani, ingenti profusa sanguinis copia. Eodemq; anno hoc Borbonius Romam cepit, & sanctissimos patres valdè miserè & turpiter tractavit. Imp & PP. ut sup.

Alexander Alesius Scotus. 1527.

Thomas Blaverus, Regis Scotorum Consiliarius summus, autor persecutionis adversus Doctores Evangelicos susceptæ, cum horam mortis jam ingruere intelligeret, se damnatum & perditum esse, assiduè clamavit. Cumqve Monachi lecto assisterent, eumque consolari vellent: Apagite, inquit, cum vestris ineptiis, nunquam

tum

Anno enim adduci potui, ut crederem, Deum esse vel Satanam, infernum vel cœlum, & in pari precio tam vestram quàm Evangelicorum doctrinam habui: solam spectavi in meis consiliis pecuniam. Et ejus rei gratia Episcoporum causam egi, Regiqve autor fui, ut vestros adversarios ejiceret. Idcirco nihil proderunt mihi vestræ vel Missæ vel Vigiliæ. Sum enim damnatus, & Satanas jam constrictum me tenet, ut in abyssum inferorum me abripiat, & in æternum illic secundum mea merita me affligat. In hac desperatione miserè extinctus est. De hoc etiam historiæ Tragicæ Islebiii editæ.

1527. *Ex libro, qui intitulatur Pugna Pietatis & superstitionis, de depravata religione Christiana.*

Quot bonos & optimos viros hoc barathrum (Roma) absorpsit? Quid enim illi non audent? quas fraudes non meditantur? quæ commenta, quas astutias calliditates, deceptiones, illusiones, fallacias, duplicitates, imposturas, figmenta, technas, calumnias, vaframenta, versipellitates, dolos, simulationes, trufas, factiones, sycophantias, captiones, vincula, pedicas, laqveos, foveas, grassationes, contentiones, guerras, brigas, inquietationes, violentias, turbationes, minas, tribulationes, vexationes, machinationes, molestias, insidias, lites, simultates, invidentias, rancores, tricas, circumductiones, gryphos, ambages, circumventiones, expilationes, corrosiones, concussiones, rapacitates, harpyjas, voracitates caninas, lupinas, appetentias, scyllas, charybdes, damna, jacturas, rapinas, dispendia, abusiones, corruptelas, deformitates, audacias, temeritates, flagra, turpitudines, incontinentias, malevolentias, perfidias, perversitates, & cætera? Imp. Carolo 5. Papa Clem. 7.

1527. *Annales Colonienses manuscripti.*

Paganus quidam superioribus vixit seculis, qui uxores habuit septuaginta septem: ex qvibus liberos suscepit plures quam quinquaginta & trecentos: id quod testantur dominus Joannes de Seckendorff, præfectus curiæ aulicæ in Anspach: & Vitus Lentersheimius, peregrinati ad sacrum Christi Ierosolymis sepulchrum cum Marchione Friderico. Imp. & Papa ut suprà.

1527. *Adam Reusner in historia de rebus gestis Fronspergiorum.*

Papa Clemens totum mundum contra Cæsarem arma capere jubet: & illos, qui in hoc bello moriuntur, angelis similes & beatos facit. Bulla Romana edita 4. Maji anno 1527. Imp. & Papa ut sup.

Idem. Mortuo per haustum venenatum pagu... Adriano 6. Pont. juramento devoti Clementi 7 Cardinales juniores, ipsi suffragia sua conferre cogebantur: reliqvos ille auro circumvenit, & in suam attraxit nassam. Hæc autem electio constitit illi octingentis millibus aureorum, eosqve Jacobus Salviatus Florentinus impendit & annumeravit.

Idem. Joannes pauperculus, qui Romæ circumibat, & ruinam ejus prædicebat, à Pontificiis in vincula conjectus, sed a Cæsareis victoribus denuò liberatus, cum videret, eximia palatia Cardinalium, & splendida ædificia tam miserè vastari & dissipari, adeoqve solo æqvari, quasi stupens stetit, secumqve demiratus est ista, & ad milites ait: Amici optimi, tempus est, rapite, prædamini quælibet, quicquid inveneritis, abducite: omnia enim denuò vobis eripientur: nam Clericorum & militum bona, eadem pereunt, qua accesserunt, fortuna. Sic igitur inter milites circumiit hic Irus, qui & ei victum præbuerunt. De hoc etiam mox in seqventibus plura ex alio quodam simili libro.

Idem. Carolus de la Noi, ViceRex Neapoleos, & Princeps Sulmonis, vocatus à Clemente VII. Papa, ut Cæsaris nomine sanciret & confirmaret fœdus solenniter, Cardinale Triultio pro fidejussore suscepto, Romam pervenit. Ibi Deus Opt. Max. horribili prodigio significavit, se graviter irasci urbi.

Eadem namqve hora, cum ingrederetur ViceRex, fulmen cum igenti tonitru delapsum cœlo palatium, diversorium destinatum ViceRegi, collisit & concussit, & cuidam aquilæ vetustæ, dedicatæ Imperatori Romano singulari ratione, capita ademit: quo portendebatur, Romæ magnum impendere malum & pœnam: & victoriam Cæsaris irritam & inanem esse futuram.

Idem. Pompejus de Columna Cardinalis, & cognati ejus, Ascanius & Vespasianus Columnenses, duces Albani & Trajectenses, pervenerunt Romam cum ducentis equitibus & una legione militum Italorum. Et cum videret Pompejus, omnia Romæ esse mutata, omnes ædes obsideri à militibus, omnes vicos & plateas esse refertas cadaveribus, & exaudiret ejulatus & miserandas voces mulierum & infantium: & Magnates summosqve prælatos ad inopiam redactos, & in captivitatem abreptos esse, ex toto ingemuit & flevit pectore, & lachrymabundus dixit: Hoc factum impossibile fuisset exiguo militi Cæsareo, nisi Deus singulari ira plectere voluisset hanc urbem.

Idem. Milites Cardinalium pileis ornabant capita sua, longasqve induerunt togas purpureas, & asinis hinc inde per urbem

Anno bem solenniter circumvehebantur, & ejusmodi ludibriis tempus fallebant, bilemq; spectanti omnia ex palatio suo Pontifici movebant.

Wilhelmus de sancta cella sæpe cum suis instar Pontificis maximi ornatus, & corona triplici tectus, venit ad castellum sancti Angeli: & tunc reliqui milites purpurat ei, tanquam suo Papæ, exhibuerunt reverentiam, suasqve togas anterius collectas sustulerunt, posterius autem à tergo humi defluere sinebant reliqua: & capitibus humerisq; demissis humi conjecerunt se in genua supplices, & pedes manusq; osculabuntur sui Pontificis.

Et tunc simulatus Papa, habens plenum vino vitrum, benedicturus eis, Pontifici Clementi propinavit haustum: at reliqui Cardinales ejus, recumbentes coram eo in genibus suis, quilibet calicem mero repletum exhausit, & sic responderunt Papæ, hos interea jactitando clamores: abhinc sinceros, pios, verosqve creabimus Papas & Cardinales, qui obedientiam præstent Imperatoribus, & non, ut cæteri, sint rebelles futuri, & cædes ac bella, homicidiaq; patraturi.

Ultimò, altissima voce exclamârunt ad atria Pontificis: Lutherum faciemus Papam, cuicunq; hoc placuerit, elevet manum suam: igitur omnes prompti exporrigunt manus, & clamitant: Lutherus Pontifex, Lutherus Pontifex.

Hæc & similia ludibriosa & ridicula exhibuerunt milites Clementi Papæ, ignominiæ nomine, spectacula.

Grienenvvald, quidam miles alta voce exclamitabat ad castellum Clementis: percuperem huic Papæ membrum ex corpore avellere suo, cum sit hostis Dei, Imperatoris, & universi orbis terrarum, qui conabatur Italiam & Neapolim bellis subigere, & suo ejicere Cæsarem regno.

Idem. Sperabam. (querelæ Clementis, cum obsideretur in sua arce Romæ, verba) me sedem Romanam & imperium nostrum ad altiora evecturum fastigia, omnesque potestates, Cæsares, Reges, Principes & Magnates, cunctasqve terras & dominatus in nostram subacturum ditionem, & omnia, quæ mei cœptaverant antecessores, pleno effectu secundaturum: sed incidi ego & mei hisce conatibus in profundum & inextricabile mare: ex vita delitiosa, & omnibus plena gaudiis & voluptatum illecebris, seduxi & redegi eos ad inopiam, famem, miseriam, vincula, & ipsam mortem.

Ah quomodo turpiter spe decidi? Nequeo causam ulla assequi conjectura. Non enim à Deo est hoc malum, quia nec ex permissu, neqve ira ejus obtigit nobis: nec à sanctis, non enim curat Deus humana, aut quid geratur in his terris, providentia divina non occupatur aut versatur circa hæc terrena, aut secularia: Tellus enim est infimum & postremum elementorum, & antiqua hoc stat religione & doctrina: Pontificem Romanum esse Vicarium DEI in terrarum orbe: & delinquere neutiquam posse, neque errare, quæcunqve tandem cœptet sive perpetret: non novit aut flectit Deus mea facta, & omnes majores mei, qui hanc sedem tenuêre, ratum habuerunt, & crediderunt? certissimè, ac egerunt id, quod ego jam sentio & facio. Anno pág. 295.

Liquet enim & constat inter omnes, quod post hominum memoriam recentissimam, Sixtus, Iñocentius, pius, Alexander, Julius, & consanguineus meus Leo, hanc fidem professi sint, quam ego profiteor, & suam hanc sententiam sæpè multis scripturæ rationibus & exemplis afferebant: Cœlum cœli Domino, Terram autem dedit filiis hominum: &, Deus in cœlo, & tu homo super terram.

Igitur apertè sacræ testantur literæ, Deo non esse curæ, quid nos in terra rerum geramus: orbem terrarum subjecit pedibus Romani Pontificis; & hoc aliter se habere nescio, quicquid dicatur. Siqve Episcoporum Romanorum potestas & acta essent injusta, Deus tam diu non connivisset: nobis hanc sedem & majestatem ac sublimitatem non tam diu tutatus fuisset, aut confirmasset.

Ex manuscripto quodam libro, qui apud inarcuts Frundspergica familia extat. 1527.

Vir quidam pauper & egens, nomine Johannes Baptista, natione Senensis, supra cingulum ad verticem usque nudus, & infra ad calcem usqve veste indutus tenui, pannoqve circumvolutus lacero, Romæ in plateis obambulans, populum ad pœnitentiam hortatus est. Cum autem proxima die Jovis ante Paschatis festum, ex mandato Papæ Bulla Cœnæ Dominicæ perlegeretur, imaginem Divi Petri ibidem positam ascendit, & publicè, oratione sua in Papam, Cardinales, totumqve Ecclesiæ ordinem directa, alta ipsos voce acclamavit, &, ut pœnitentiam agerent, quâ potuit severitate, admonuit, dixitqve: nisi obtemperarent, & ab impietate sua desisterent, certissimè Deum urbem funditus eversurum. Et tu Papa (dicebat) Dominum Deum tuum è templo expellis, ejusqve locum nullo jure occupas. *

Verum sequenti die Sabbathi rectà Castellum, quod Angeli vocant, petiit, & postquam ibi in hæc verba declamasset: Nisi pœnitentiam egeris, Roma, eandem lues pœnam, quam Sodoma & Gomorrha, & hæc annexuit: Ipse (scilicet Papa) sponsa

Anno sponsa Dei spoliata, meretricem suam splendidissimè ornavit.

Demum in ipso Resurrectionis festo, ceremoniis solitis à Papa solenniter peractis, dictam Petri imaginem rursus conscendit, ibiqve adhortatione de pœnitentia agenda ad auditores factâ, ad reprehendendam ipsius Papæ originem, occasionem arripuit: eumqve vehementissimè exagitavit, atque culpavit.

Postquam autem, concione finitâ, descendisset, à Camerariis & satellitibus Papæ confestim apprehensus, in faciem percussus, & in Angelorum (ut vocant) Castellum deductus est.

Cum autem ad pœnitentiam homines hortari nec dum cessaret: sed & magis magisq; urgeret, in alium extra Castellum carcerem conjectus est: ubi prædixit: Non diu vester captivus, nec diu vestræ jurisdictioni & imperio subjectus ero. Qvod & postmodum evenit. Nam paulo post ab exercitu Cæsaris redemtus, & pristinæ libertati restitutus est.

Talem habuit & Ierusalem imminentis sui excidii præconem, Iesum filium Anani: ejusmodi Propheta fuit & Achabo, 2. Regum 27. Micha: sic & M. Ceditius, homo plebeius, post conditam urbem anno 360. nunciavit, se per noctem audisse vocem humana majorem: Germanos venturos, & Romam depopulaturos: sic & Jeremias suis diu multumqve captivitatem Babylonicam prædicavit: verum, quia fuit exiguæ authoritatis, & haud magni nominis, ut reliqui Pseudoprophetæ: & qvia mala subinde insonabat, non impetrabat fidem. At Deus illud probavit effectu: excisa & deleta funditus urbe, peste, fame, ferro, igne. Idem omnibus reliquis accidit.

pag. 296. Sæpè etiam Romæ carmina prophetica & satyrica publicis affigebantur tabulis, hæc impendentia mala præsagientia:

Ingeme, collachryma, luge Saturnia tellus:
Perniciem intentant astra maligna tibi
Excidium, & clades, & dira incendia Trojæ,
His collata tuis, pauca fuêre, malis.
Me à superis missum tibi Jonam, crede, superba
Mœcha, caput scelerum, Roma, velut Ninive.

Iisdem quoque temporibus plura alia ostenta & prodigia se exhibuerunt. Italia vidit exercitus militares in cœlo: crebris tempestatibus vici, urbes, arces, & splendida perierunt ædificia. XXIV. conjunctiones magnæ in signis cœli aqueis præterlapsæ fuerunt: præsagientes inundationem sanguineam, funestam terris & hominibus. Glans aurea in cuspide pinnaculi Palatii Papalis igne cœlesti colliquebat. Atrium superius Capellæ Sixti in palatio Pontificis ipso circumcisionis die in conspectu Papæ, cum portaretur ad Missam, concidit.

Item cum Clemens 7. eligeretur, & in loco quodam præcelso ei corona (gemmis, margaritis, auroqve solido gravissima, Regni insignita nomine) imponeretur: quidam citharœdus seu choraulis, Hercules Mimus, nudus ad pedes ejus se prostravit: alta voce clamitans: Sancte Pater, tui causa exutus & spoliatus sum omnibus bonis. Et hoc spectaculum præsagiit, exhaustum esse omnem sanguinem & fortunas: Romæqve extremum prællò esse excidium. Imp. Car. 5. Papa Clemente 7.

Idem. Anno post Christum natum 1527. Maji mensis die sexto, cum Cæsarei exercitus aeriter oppugnarent urbem Romam, fortiter sunt repulsi aliquoties: veruntamen Deus præsenti illos ope adjuvit, nam quotiescunqve impetum faciebant in adoriendis mœnibus, densa eos operuit nebula, ne possent videre Urbani, qua ex parte irrumperetur. Quidam etiam ex militibus perhibuerunt, Deum illos præcessisse in nebula, ejusqve manu quasi tractos & ductos se superasse murum. Duces quidam primo aggressu ultra qvatuor millia Italorum ceciderunt, qui salutem fuga sibi reparare nequibant. Michaël Hartman de Allkirch, & illi, qui valla transcenderant, hostibus sclopeta & tormenta propugnaculorum ademerunt: illaq; direxerunt & exoneraverunt contra Pontificale palatium, & nisi potiti fuissent bombardis hostium Germani, Hispanique, rum à mœnibus rejecti forent.

Carolus Dux Borboniæ cum peditatu Hispanorum portam Torrianam obsidebat ad sinistram, juxta mœnia, meridiem versus, usqve ad portam Pertusa, secus templum sancti Petrinum: videns autem, Hispanos velle cœptis desistere, desperare, & animum abjicere, & tardiores esse ad impetum faciendum, arripuit ipse scalas, & primus conscendebat mœnia, sed tormento manuario per frontem ab hostib. trajectus decidit, & fortiter obiit.

Idem. Oblatam pacis conditionem respuit Pontifex Clemens, & nolebat pacem sed bellum cupiebat: & per Legatum conciliavit sibi amicitiam Regis Galliarum, ac ab omni sacramento eundem, quo erat adstrictus Imperatori, amico, cognato, & affini suo, absolvit. Motus igitur hac gratia Pontif. Rex, non habito respectu suarum obligationum, fidejussorum, juris in publicum evasit hostem: belloqve excito, statuit, omnibus terræ finibus propulsare Imperatorem. Ejusmodi rupturæ fœderis vix ullis in historiis reperies similem.

Philip-

Anno Philippus Macedo, Gratii, & Pœni etiam recesserunt à fœderibus, sed adversus hostes, & non sine gravissimis causis: Imperator autem, & Victor Regis nihilominus tamen voluit esse amicus & affinis, ideoqve illum carcere dimisit, & libertati regnoqve suo restituit: sed tamen nec adhuc Rex volebat Cæsaris agnoscere aut amplecti amicitiam: & Papæ malebat adhærere, ejus promissis confisus.

Joan. Carion Astronomus.

1518. Joanni Duci Burgundiæ, Caroli Qvinti regis Franciæ fratri, qvi à Bajazete captus, & ducentorum millium aureorum precio redemtus fuit, prædictum est ante illud bellum ab Astrologo, Turcarum fore victorem Principem, qvi ignem in pectore gestaret, qvo allusum est ad insignia ferri excussorii cum silice. Qvapropter in hujus rei memoriam catenam tali formâ, annexâ aurei velleris effigie: qvod iis locis exulâsset, in qvibus fama est Jasonem & cæteros Græciæ Principes aureum vellus qvæsivisse, fieri curavit, & ordinem, qvo Hispanica & Austriaca familia hoc nostro tempore utitur, instituit.

Idem ex libro vaticiniorum vetusto, reperto Magdeburgi ante annos ducentos, inter alia, iminebunt, inqvit, horribiles mutationes omnium regnorum, & Monachorum æstimatio peribit: Bestia Occidentis, & Leo Orientis dominabuntur in toto mundo, & perambulabunt Christiani in servitute multâ annos N. Asiam. Postea horribilia de Antichristo audientur.

Pag. 297.

Prophetia Ejusdem.

Mœsta qvædam aqvila volatu concessit in multos labores, & diuturnas molestias.) Intelligitur Maximilianus, qvi totum novennium consumsit militiæ in castris: & qvinqve difficillima exegit bella, scilicet Gallicum, Eburonicum, Sicambricum, Morinicum, & Bavaricum: ubi propter Ratisbonam magna strage ceciderunt Bohemi: & Maximilianus primus aggressu hosti conseruit dextram.

Pullis suis nidum construxit in turri aurea.) Hoc est, Maximilianus filium suum Regem Philippum in Regnum detulit Castiliæ, ubi in matrimonium duxit Regis filiam, & sic per conjugem suam Regnum, auream turrim pro insignibus habens, hæreditatis jure acqvisivit.

Genuina autem vestis ejus erat trifaria, alba per obliqvum in rubeo.) Hæc Austria est, cujus insignia sunt alba per obliqvum, superius & inferiùs: & in medio rubea.

Aqvila vellicat lilium, & perdit ejus folia.) Hoc est: Galliæ imminuit Imperium: scilicet anno Domini 1514. pedites ejus occîdit, & trecentos ac qvinqvaginta nobilissimos Galliæ Heroas in captivitatem duxit: & Galli novem amisêre vexilla, cum omnibus victualium suorum plenis curribus. Anno

Proprias suas infregit & deperdidit pennas, mero nigrore lucidas: & multæ cum ipsa bestiæ magnam acceperunt cladem.) Maximus Heros Maximilianus injuriam iniqvæ, & secundæ fortunæ expertus est bonitatem. Anno 1483. Brugis fuit captus: ignominiam accepit ex conjugio dominæ Annæ ex Brittannia, qvam ei surripuit Rex Gallorum: Parentem ei subduxit ex vita mors, mediis occupatum actionibus: malis aliis affectus est ex Belgicis, Geldrianis, Venetianis, Hollandicis, Helveticis & Gallicis bellis: & Principes ejus ingentia mala cum ipso subierunt, ut Marchio Casimirus, Brunsvicensis, Mansfeldius, & alii plurimi, fideles ejus bellorum Duces.

Viperam momordit, sed ab ipsa vicissim morsibus est convulsus.) Mediolanum Maximilianus bellis impetiit: sed ab illo vicissim injuriam accepit.

Multis exantiatis & exhaustis malis, tandem concessit in reqviem.) Hoc est, ex hoc ergastulo ad Deum se recepit, vita cum morte commutata, anno Domini 1519.

Pulli vero ejus in turri aurea haud multos viderunt annos.) Hæc intelliges de Rege Philippo, qvem iniqvus fortunæ & fatorum favor ostendit tantum terris, mox autem iterum abstulit: vix enim tricesimum ætas ejus attigit annum.

Illi tamen alios reliqverunt terris pullos.) Puta Carolum Qvintum, modernum Imperatorem: Ferdinandum, & illorum sorores.

Fœminini ad extremo: Christianitatis concesserunt fines: unus ad Leonem cœruleum in stabulo aureo.) Elisabetha Regi Daniæ nupsit.

Illam folia urticarum malè sauciârunt.) Hoc est, ejecta fuit regno in exilium, & Rex ejus in conductu & fide publica captus est.

Alter sub tutela operitur duplicis crucis candidæ.) Hæc Ungariam notant: altera enim soror Regis Ludovici conjugium est adepta.

Illam canes rabidi & protervi misere discruciârunt.) Sunt Turcæ.

Necarunt enim fidelissimum ejus custodem, canem aureo redimitum cingulo.) Rex Ludovicus hic intelligitur, conjux illius. Anno Domini 1526. Solimannus Turcorum Imperator expeditionem in Ungariam suscepit: ei Rex Ludovicus, ope destitutus ab universo Christianismo, statuit contraria ponere signa, & aperto confligere cominus Marte: & cùm in fuga cum eqvo

suo palude exciperetur qvadam, eqvus magno nisu vix inde se, sed cum exitio à se necati Regis, liberavit. Magnus igitur ille Heros miserè sic interiit, certo hoc pro patria lethi suscepto discrimine.

Pulli vero duo Aqvilæ, molli educantur quiete per suam juventam: verum qvando plenis adoleverint annis, alas suas magnis fatigabunt cœptis.) Hæc jam nunc comperta facta sunt nobis, & quotidie experientia probantur plurimis illis bellis per Ungariam, Galliam, Africam, Geldriam, & alia locorum. Taceo turbulenta comitia, qvibus occupata fatiscit Cæsarea Majestas: sed & Turca Regem annuis molestat expeditionibus.

Aqvila maxima natu accipit coronam.) Hoc est, fit Imperator Romanus Carolus.

Confliget cum lilio, & illud destruet.) Hoc est, cum armis adortus fuit Regem Gallorum, & ad Paviam in roborario cepit: at vero Clementia illi probata sua eum manumisit, & novas cum eo sanxit inducias, & amicitiæ fœdera.

Liliiqve pullo caput suum decorabit.) Potest intelligi de filio Regis Galliæ, qui obses datus fuit: vel de alia qvadam inter ipsos nascitura necessitudine & familiaritate.

Transibit per porticum auream, & ibi lætitia ac gaudio perfundetur: & vires addet aureæ turri, & crucem ignipari chalybis.) Hæc sic accipio, Carolum uxorem ducturum Isabellam, filiam Regis Lusitaniæ, geniturum liberos, & sic turrim auream in Hispania confortaturum, hoc est, augmentaturum Regnum suum, & Imperii fines ampliores statuturum, qvod & factum est. Burgundia enim, crux chalybis ignipari ornata est Portugalliâ, Castilia, & Lugduno.

pag. 298.

Domabit etiam Leonem fulvum, conspicuum in umbone cœruleo.) Ille Dux est Geldriæ.

Evellet viperæ dentes suos, ne mordere valeat.) Hæc cum Mediolano verificata fuerunt.

Et exoculabit caput urbium universarum, & in prædam exponet suis bestiis.) Hæc constant vera esse de Roma ex gestis anno 1527.

Mollieulæ verò erunt Aqvilæ plumæ, humanæ & mites, & ab aliis leviter commonebuntur, & in obseqvium trahentur, sed tandem fallaciarum technis qvoq; circumvenietur & deludetur.) Hæc hactenus sæpe deprehensa fuerunt: semper ille deceptus fuit, & dolis irretitus, pactis non servatis, & aliis iniqvis machinis.

Ille attentabit ferre suppetias Christianis, sed sententiam ex consilio suorum mutabit.) Hæc multis in Comitiis facta fuerunt, sed nunqvam sunt data effectui, propter peccata fortassis nostra. Deus suam gratiam non subtrahat nobis diutius.

Fidam sub se qvandam habebit avem, aqvilam rubeam cum rota candida, qvæ non mala ei suppeditabit consilia.) Puta Archiepiscopum Moguntiæ, Albertum Brandeburgicum.

Cum ipso & contra eum erit Leo aureus in septis rubeis, & mutabili vertigine cum ipso aget: sed non adeò iniqvam defendet ille Leo causam.

Rubeus Leo secus Clypeum aureum, & lilium purpureum aquilam in turri aurea odio persequentur: verum Aqvila sublimitate illum eludet sedis suæ.) Ille Scotus est, qvi tamen nihil efficere poterit.

Aqvila nidificabit in ædes Venatoris, & pium heroa multarum ferarum injuriis lacessat.) Hoc est, Rex Romanorum à confœderatis adigetur ad occupandum agrum Wittebergicum.

Venator habitabit cum tribus volitantibus aqvilis candidis & Leone aureo, & maculis variegato) Hoc est, sustentabitur hospitio Hassorum & Lotharingiæ.

Verum Venatori album & cœruleum adversabitur: at ille eo se amiciet, & decorem ei addet illustrem color iste, & cum ipso erit, & aget.) Hæc est Bavaria, qvamqvam ex ea sibi accerset conjugem.

Canes damna dabunt cruci duplici, & Aqvilæ vestitum genuinum tripartitum, album ex obliqvo, dilacerabunt.) Hoc est, Turcæ vastabunt Ungariam, irruent in Austriam, ibiqve injuriis vexabunt Christianos.

Sitient canes morsum Leonis candidi, duplicem habentis caudam: sed non permittetur eis.) Hoc est, Turca conabitur armis supprimere Regem Bohemiæ, sed copia non suppetet ei.

Iniqvissimas fraudes & technas bestiæ subditæ Aqvilæ candidæ in aviario rubeo, struent & exercebunt: negabunt fidem Aqvilæ candidæ, & mallent Canes & alia pecora in ejus surrogare locum: verum Aqvilarum familiæ nunqvam non sibi invicem ferunt auxilia: sed rubea aqvila candidam servabit, & tutabitur in nido suo.) Hoc est, procellosa vertigine laborabit inconstans Regnum Poloniæ: senex annis & vita deficiet, & adolescentis conditio erit mutabilis & inæqvalis. Possis intelligere & de alio quodam Rege amico Turcarum. Verum Brandeburgicus Elector amicus Regi adolescenti operam navabit strenuissimam, ei auxiliabitur celsis viribus, qvo valeat Poloniæ Regnum in sua potestate conservare.

Posthæc aderit finis, sensimqve ultima appetet mundi vespera: difficilia bella & horrendæ mutationes percellent orbem.) Omnes fatebuntur sapientes: non posse se diutius consistere hunc mundum in pejora

in pejora corruunt omnia, ut perhibent: & tam discriminosa erunt hæc tempora, qualia vix unquam hæc ultima mundi senecta vidit: unus enim post alterum opprimetur.

Aquila nigra male habebit ex difficili morbo & ægritudine, accepta ex morte amicissimorum suorum: Aquilæque pullulantis (quæ tamen non est Aquila) damnum videbit: excidet enim è manibus ejus crux duplex, & tunc populi capite orbi dominum sibi eligent.

Et caput Tauri aureum, habens cornua duo argentea in clypeo rubeo, magni nominis erit.) Hunc Walachum esse, autumo.

Et campus aureus cum semita rubea, multis in causis & locis suam navabit operam: & de hoc multiplex accipiet præmium.) Hoc est, Badanus Marchio arduis adhibebitur negotiis, sed munera actionibus scilicet digna ei suam compensabunt abunde industriam.

Et tunc Leo ater in clypeo aureo, & sceptrum aureum divellentur, & duo erunt dominatus.) Hoc est, Cleve partem agri sui amittet.

Domus habens atras trabes quinqve in clypeo aureo, damnum accipiet ex suis propriis columnis: & nemo nocebit ei quicquam, quam ipsiusmet tectum suum.) Fortassis inter hos magnates discordia qvædam exorietur & inimicitia, scilicet Saxones, & quædam deperibunt columnæ morte subreptæ.

g. 299

Tunc ibi lux verbi Dei candide sonabit, sed ab eis denuo auferetur: delinqvunt enim ignari in ordines suos Ecclesiasticos. Quod si verò recte hæc digererentur, & in melius emendarentur, ad Dei hoc cessurum esset gloriam & honorem, & in mundi non exiguum commodum. Bonus est animus meus, modo me recte intellexeris.

Ascendet ad honores Aquila rubea, & adminiculo duorum Leonum aureorum evehetur ad gloriam: & atrum bubali caput, & quidam gryps rubeus in clypeo candido, ei familiariter se adjungent.) Hoc est, Marchio quidam Brandeburgicus magnum consequetur nomen, operâ dominorum Brunsvicensium, Pomeranorum, & Mechelburgiorum.

Aquila rubea & atra quædam ipsum afflictabit, cum quodam, amicto vestibus candido rubeis: verum nihil contra eum valebunt: aquila enim atra cum viro candido in clypeo aureo, negabit eis suam operam.) Hoc est, Silesia, & Ducatus Lignitii non erit Munsterbergo amicus: sed amicitiam junget, & colet cum Aqvila rubea.

Leo blavus, residens in purpureis rosarum foliis, infirmitate corripietur, & catuli bestiarum ejus ab ipso victum habebunt.) Hoc est, Ducatus Brunsvicensis & Luneburgiacus, & illi Magnates, qui multa per secula magna in existimatione fuerunt apud Imperatores & Reges, ultra ... ingentos annos heroicam illis navantes industriam, & amicitiæ officia, videlicet, Brunsvicenses, Lunæburgi, Saxones, Bavari, Carniolani, Tusci, & cæteri: laudatissimi hi principes imbecillis erunt viribus, & multas fortunæ injurias exhaurient.

His interea temporibus Aquila atra sceptrum & coronam suam deponet, at illam quidam blavocandidus arripiet.) Hoc est mortuo Imperatore, quidam Palatinus comes aut dux Bavariæ aspirabit ad Imperium.

Magnas habeat fortunæ gratias, si corona potiri poterit, Aquila enim puniceâ & leones duo aurei, & trabes atræ quinque pro illa inter se dimicabunt.) Ideoque scriptum est: Multi uno in Regno Imperium tenebunt. Namque & alii duo qvidam Electores agent de illa, sicq; coronæ gratiâ discordia invadet Imperium, & illos Leones duos quoque corripiet.

Sertum rutaceum multos ante annos obscuris involutum tenebris, denuo progerminabit, & producetur in apricum: verum urticis permiscebitur: sed tamen urtica exardescet, at ruta viridi per hyemem totam clarebit vigore.) Iste erit Dux quidam Saxoniæ, cujus haud magnæ erant authoritatis & nominis majores. Horum nepotes denuo in altum surgent, & maxima in dignitate ac existimatione apud omnes habebuntur, & pristinam suorum principatuum potestatem recuperabunt.) Per urticas, quibus permixtum erit, intellige Holsteinium, verum non diuturna hæc erit familiaritas.

Leo quidam aureus, intra septa conspicuus cæsia, elevabit rotam candidam.) Hæc Geldria est, odio persecutura Moguntiam: & Treverensis Electoratus committetur tali, cujus dubitatur fides, & in suspicionem rapitur vita, quiqve Cæsareæ Majestatis quoq; incurret odium, & vim experietur.

Tunc inimicitia gliscet quædam, & crux rubea committetur cuidam iniquo & scelesto, & haud bonæ fidei homini. Ideoque in eum officium atræ aquilæ, habentis malum, animadvertet.

Et tunc Leonis candidi & maculosi potestas nonnihil imminuetur.) Intellige de Hassia, vel Lotharingia.

Illo ergò tempore Aquila atra non amplius amicietur tribus lineis rubeocandidis.) Infertur Austria.

Sed & Leo candidus, duplici insignis cauda (Bohemia est) non amplius dicto vestitu gaudebit.

Anno

Hiſce faciemus jam finem, alia vice dilucidius locuturi.

Julianus Piſtorius à Prato.

Hic edidit prognoſticon, in quo multa verè prædixit, ut non ſolùm ſtupefecerit Florentinos & Romanos, ſed univerſum quaſi orbem. Imperat. Car. 5. Papa Clem. ut ſuprà.

Pag. 200. 1528.

Oratio Reverendisſimi Epiſcopi Joannis Staphilai Siburicenſis, habita ad Rotæ auditores anno Chriſti 1528. die 15. Maji, poſt direptionem urbis Romæ: quà oſtenditur excidii urbis cauſa, & Romam eſſe ipſisſimam Babylonem, de quà Prophetæ & Apoſtoli vaticinati ſunt: impreſſa ante annos 38. cum teſtimoniis Practici Ferrarienſis, commonſtrantibus, Cæſaris majeſtatem eſſe ſupra Papam & omnem Clerum.

Mos erat priſcis illis Romanis, reverendiſſ. Patres, vosqve cæteri viri præſtantiſſ. partâ de hoſtibus victoriâ, nec non in nataliciis Cæſarum, vel aliàs pro commodo Reipubl. rebus ſic exigentibus, paucis admodum diebus, clauſo foro, indicere juſticium, quo Senatus Populusqve Romanus promtius rei ſacræ vacaret: & dimiſſis aliquantiſper tribunalibus ac ſtrepitu judiciorum, ocio vel negocio liberius pro arbitrio frueretur. At nobis miſeris, & huic infelicisſimæ Urbi anno ſuperiore longè aliter evenit.

Nos etenim non ſponte & pro arbitrio noſtro: ſed DEUS ipſe, acerrimus ſcelerum vindex & flagitiorum noſtrorum, non pro gratulatione commodorum Reipublicæ Chriſtianæ, & hujus ſanctæ ſedis, ſed pro gravisſimâ calamitate & afflictione ejusdem: non pro natalitio Clementis VII. Pontif. max. ſed pro captivitate, & durisſimâ (ut ita dicam) ſeveritate: illius deniqve non paucis diebus, ſed integro anno, & ultrà: Deus, inqvam, per manus ſceleſtisſimorum hominum, vel (ut verius dicam) ſævisſimarum ferarum, juſticium indixit, tribunalia noſtra ſubvertit, locum hunc ſacrarium juſticiæ, cum omnibus ad divinum cultum pro more ibidem exiſtentibus, expilavit, prophanavitqve libros noſtros, divinas ac humanas leges continentes: qvibus pro adminiſtranda juſticiâ toti orbi utebamur. Quoſdam ex illis dilaceravit, quoſdam igni conſumſit: reliqvos autem iis, quorum fuerunt, venales expoſuit, aut ad indignos inhoneſtosqve uſus ludibrio habuit.

Deniqve, poſt invaſionem direptionemqve ædium noſtrarum, nos ipſos cum omnibus domeſticis & familiaribus noſtris in arctisſimas nephandisſimorum ſatellitum cuſtodias conjecit, propoſitis paſſim variis tormentis, ſæpè etiam adhibitis, etſi non corporibus noſtris forſitan, familiarium tamen noſtrorum nihilominus, quò precioſiorem ſupellectilem, tot vigiliis & laboribus partam, in ſecretiora fortè loca depoſitam, indicarent: illos interim, & nos per diverſa urbis hoſpitia diligentisſimè obſervantes, pane doloris & aquâ anguſtiæ miſerrimè ſuſtentantes, ita, ut nobis omnibus vita eſſet ſupplicium, & mors ſolatium.

Quapropter, directis nunc in cœlum oculis, lamentabiliter poſſumus deflere cum Prophetâ: Recordare Domine, quid acciderit nobis: intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos, pupilli facti ſumus absq; patre: matres noſtræ viduæ cervicibus noſtris jugiter minabantur, lapſis non dabatur requies.

Adde his malis ſævisſimam peſtilentiam, quæ longè latèqve debacchata eſt, totam ferè hanc miſerrimam urbem invadens. Junge inſuper extremam famem, ac neceſſariorum omnium ad victum humanum ſummam penuriam. Tandemqve eò ventum eſt, ut, qui paulò antè cunctis omninò rebus copioſiſſimè affluebamus, repentè neceſſariis omnibus fuerimus deſtituti. Poſtremò, urbe veteres coloni propulſi, vix urbes, viciniqve montes receperunt fugam noſtram. At mala hæc nobis cum cæteris omnibus Romæ nunc exiſtentibus communia fuêre.

Nos, nos, qui hujusce ſumus profeſſionis, noſtra inſuper propria damna ſenſimus, qui domeſticam hujus urbis jacturam fecimus: nos, inquam, Reverendi Patres, integerrimos gravisſimosqve collegas noſtros eodem anno amiſimus. Vos honorandi advocati, totidem collegas veſtros ſupra quartum, quem ſuperiori anno tota hæc Curia deploravit, viros nempe doctisſimos conſummatisſimosque eo ipſo tempore perdidiſtis. Vobis quoqve, cauſarum patroni, vobis inſuper, tabelliones & notarii, profeſſionis veſtræ damna non defuerunt.

Sed unde hæc quæſo? Quasve ob cauſas tot & tam graviſſima incommoda nobis evenêre? Nempe, quia omnis caro corruperat viam ſuam, eramus omnes cives & inhabitatores non Romæ urbis ſanctæ, ſed Babylonis, urbis peccatricis. De quâ impletum eſt temporibus noſtris verbum Domini in Eſaiâ: Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicio & ſanctitate? Iuſtitia prius habitabat in ea, nunc ſacrilegi & homicidæ: prius gens ſancta, populus acquiſitionis, nunc populus Gomorrhæ, ſemen nequam, filii ſcelerati, ſacerdotes infideles, ſocii furũ, diligẽtes munera,

Anno nera, seqventes retributiones. De quibus idem Dominus conqveritur per Prophetam Esaiam: Filios enutrivi & exaltavi: Ipsi autem me spreverunt: dereliquerunt vias meas, blasphemaverunt sanctum Israel: alienati sunt retrorsum. Propterea per curiam vos ultra addentes prævaricationem, protinusq; volens ostendere, quibus percussionibus affligendi simus, subjungit: Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni devorant.

Sed ne quisquam arbitretur, vaticinium hoc Prophetæ jam dudum fuisse impletum in eversione Babylonis & Hierusalem. sub Vespasiano & Tito Imperatoribus Romanis: cum verba Prophetiæ videantur respicere tempus illud præsens Prophetæ, non futurum: animadvertendum censeo, juxta Ecclesiasticam veritatem futura fuisse præsentia Prophetis, quasi jam futura præsentia cernerent oculis mentis, ut passim ex sacris paginis facilè deprehendimus.

fg. 301. Sed ne longè exempla petamus, hoc ipsum in hoc eodem proposito nobis idem Propheta innuit, declarans seipsum verbis de futuro, subjungens: Derelinquetur filia Sion, & desolabitur sicut in vastitate hostili.

Hanc filiam Sion Ioannes Apostolus in Apocalypsi interpretatur non Hierusalem, sed Romanam prorsus urbem: quod ex illius descriptione, si introspicimus, in aperto est: dum exponens Ioannes, seu veriùs unus de septem Angelis Ioanni visionem, quam vidit super damnatione mulieris meretricis, sub nomine Babylonis intelligit hanc urbem: Mulier, inquit, qvam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnũ (quod de regno spirituali vult intelligi) super reges terræ.

Dicit, illam sedere super septem montes qvod propriè Romæ convenit, qvæ ab antiqvis ob hoc potissimum dicta est Septicollis. Ponit sedem qvoqve illius super aqvas multas, qvæ significant populos, gentes, ac varias lingvas: ex qvibus magis, qvam ulla alia, in orbe præsertim Christiano, collecta est hæc urbs, ut videmus. Et propterea dicitur communis patria omnium undecunq; venientium.

Dicit præterea, plenam esse nominibus blasphemis, matrem immunditiæ, fornicationum & abominationum terræ. Hæc qvippe verba demonstrationem hujus urbis magis specificam non exigunt: cùm hæc flagitia (etsi ubiqve fere regnent) hic tamen sedem & imperium habeant.

His tot & tantis flagitiis, prævaricationibusqve illius enumeratis, subjungit severissimam Dei, qvæ contra nos hoc tempore funestissimam executionem sortita est. Formula autem sententiæ hæc est: Quoniam pervenerunt peccata illius usqve ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum: ideò in una die venient plagæ ejus: mors, luctus & fames desolatam facient illam, & nudam, & ipsam igne concremabunt.

Quod si quispiam pertinacius defendere velit, Apostolum loqui specificè de Babylone: huic ego respondeo, quod potius quàm Apostolus in prima epistola (teste divo Hieronymo de viris illustribus) sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat, dum inqvit: Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta.

Postremò, si his locupletissimis testibus non credimus, scilicet per Babylonem urbem hanc significari, effectibus saltem hoc tempore lamentabiliter subsecutis credere oportet. Ex quibus manifestissimè constat, quod plura & longè pejora, ut inquit beatus Gregorius, in his nostris tribulationibus vidimus, quàm in nostris codicibus invenimus.

Nam sanctuario quoqve suo, ministrisqve sacrorum hoc tempore non pepercit Deus. Ducti sunt indecenter per vicos urbis Cardinales, capti Episcopi, presbyteri interfecti, sacræ virgines stupratæ ad altaria. In Apostolicoqve palatio stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ, aperta imo tracta mortuorum sepulchra: & deniqve, qvod animus luctu abhorret dicere, sacratissimũm Salvatoris corpus, vasculis pro more aureis, argenteisve reverenter conditum, cum ob prædam vasorum, tum propter contemtum (proh dolor, proh nephandum scelus omnibus seculis detestandum) terræ collisum, pedibusve plus quàm sacrilegis calcatum.

Heu nos miseros: visio Apostoli in Apocalypsi pœnas minatur huic urbi, ut diximus admodum graves. At certè his nostris, quas passi sumus, longè mitiores. Magna est profectò ira, quando in sua castra, in sua tentoria, in suos denique milites sævit Imperator. Mitius olim egit noster Imperator: dum servato templo, & illæsis sacerdotibus templi, sat habuit, ejicere ex castris suis, hoc est, è templo ementes & vendentes, asserens, domum suam non negociationi, sed orationi fore destinatam. At hoc lachrymoso nostro tempore templa, orationes & sacrificia nostra despexit & aspernatus est.

Cur quæso tam severè & absque ulla pietate & misericordia? Profectò audiamus ipsum Dominum per Prophetam severitatis suæ tantæ reddentem causam: Quoniam, inquit, manus vestræ sanguine plenæ sunt: quò mihi multitudo victimarum vestrarum? Plenus sum, ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi.

Anno Peccatis enim & sceleribus vestris me ad iracundiam provocastis. Ideò incipiens à sanctuario meo: divina & humana, sursum & deorsum miscebo omnia, ita, ut ubiqve sit luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago.

Sed jam ad nos ipsos revertamur, qui, si verum amamus, ingenuè fateamur necesse est, his tot & tantis nostris, & aliorum communibus sceleribus non defuisse propria nostra factionis scelera & peccata.

Nos enim, qui ministri sumus justitiae, justitiam fortè, ut par est, non ministravimus. Quid si in sinistrum nos ignorantia traxit? si favor inflexit? si acceptio muneris vel personae corruperit? Vos spectabiles advocati, qui astatis (ut de mortuis & absentibus taceam) responsa & consilia vestra plus justo forsitan divendidistis, ponentes tenebras lucem: quaerentes mendacium: dicentes bonum malum, & malum bonum. Vos quoqve patroni causarum, vos insuper tabelliones eum ministris & cooperatoribus vestris, patrocinia vestra, operas (ne dicam quid deterius) vestras minùs fortè diligenter clientulis & partibus exhibuistis.

Quas ob res, cum omnes graviter deliquerimus, emendemus deinceps in melius quae ignorantes, aut ex animo peccavimus: convertamur pariter ad Dominum, & miserebitur nostri: quia pius & misericors est, & praestabilis super malitiam.

pag. 302. Ipse enim hortatur per prophetam, dicens: quiescite agere perversè, discite benefacere, quaerite judicium, subvenite oppressis, judicate pupillo. Postremò diligite justitiam vos, qui judicatis terram. His mundissimis holocaustis si iratum nobis Dominum placaverimus, absq; dubio & hîc (prout ipse pollicetur) bona terrae comedemus, & in futuro pro benè gestis sempiterna praemia consequemur. Quod nobis omnibus praestare dignetur idem Dominus, qui est benedictus in secula, Amen, Imp. Carolo 5. PP. Clemente 7.

Cardinalis ambit papatum.

1528. Rex Galliae, cum opus haberet aliqua pecunia, & illam adeò repentè non posset corradere, excogitavit tale stratagema: habebat Cancellarium, qui erat Cardinalis, ad hunc ferit Rex fictas literas exarari, quasi Papa esset mortuus. Cardinalis cupiens fieri Papa, rogat Regem, ut se ad illam dignitatem promovere velit: Rex, pecunia ad corrumpendos alios Cardinales opus esse, dixit, & qvidem ad minimum thonna auri. Cancellarius alioquin avarus valde, tamen illam pecuniam solvit. Rex, accepta pecunia, literas scribi fecit, Papam convaluisse: quo stratagemate Rex ab avaro Cardinale emunxit pecuniam. Ex Chronico manuscripto, Imp. & PP. U.S.

Matthias Weikel.

In pago Martiscellano prope Campidunum, sacerdos quidam Papisticus, lectis libris Lutheri, acriter coepit invehi in errores & abominationes Papistarum: sed à constitutis sicariis equitibus, clàm abductus fuit & enecatus. Zacharias Rivander, Imp. Car. 5. PP. U.S. 1529.

Ordo Sodalitatis Divini amoris, sive Theatinorum.

1529.

Sub Clementis 7. temporibus quaedam secreta conventicula habebant & precationibus ac Sacramentorum distributionibus vacabant: & ideò Sodalitas divina dicebatur: cui numero etiam Joannes Petrus Carrafa, pontifex postea, se adjunxit, tanta constantiâ, ut, etsi à Carolo quinto Caesare Brundusinus Episcopatus ei offerretur, tamen recusaret, & Theatinum qvoqve quem à Pontifice Julio 2. habebat, ultrò deponeret.

Ex quo laudabili facto Theatini omnes ejus ordinis dicti sunt. Quomodo verò à Jesuitis distent, Diegho Payva Jesuita libro primo orthodox. explicationum tradit. Vestitus eorum est pileolus rotundus, cum pallio Episcopali. Modius.

Etsi autem Carrafa Episcopatibus, qvod diximus, renunciavit, tamen cum à Paulo tertio Cardinalatus offerretur, hilari animo eum acceptavit, malè audiens, quod callidâ ambitione, & vulpino astu latibula prius quaesivisset, & minores honores contemsisset, ut majores assequeretur.

Pontifex igitur Maximus postmodum creatus, Paulus appellatus est. In eo non religioni instaurandae, ut prius in Eremo simulabat, sed pecuniis congregandis, bellis, incendiis, & caedibus illuduit. Panvinius, Holpinianus & alii. Imp. & PP. U.S.

Portentum.

pag. 319.

Anno 1529. cum pestis Sudoris Anglici in universam grassaretur Germaniam, & plurimos necaret homines: quidam Pastor Fridebergi in Marchia nova referebat pro concione publicâ, Deum sic punire mortales novis morbis & calamitatibus ideo, quod novam acceptâssent doctrinam & religionem; & quod lues haec mox esset defectura, si ad obedientiam Romanae Ecclesiae redirent. Consulebat etiam, sequenti die solennem celebrari processum, & orationem haberi Litaniae Pontificiae adversus hanc aegritudinem. Verùm alterius illius diei summo manè moritur improvisa Sacerdos iste morte, & sic ejus fata tristissimam attulerunt funesto processui

jui festivitatem. Andreas Angelus de mirabilibus mundi. U.S.

Testamentum Canonici.

Quidam Canonicus concubinæ suæ pecuniam, & alii cuidam canonico catellum & ad ejus sustentationem modium tritici quotannis ei offerendum, legavit: nulla vel pauperum vel Ecclesiæ facta mentione. Imp. & Pp. U.S.

Alexander Cittolinus Italus

Scripsit Typocosmiam & alia doctissima: sed propter religionem ejectus ex patriâ, exulavit. Imperatore Car. 5. PP. Clemente 7. U.S.

Martinus Castenenga.

Scripsit tractatum de superstitionibus & hæresibus, ut etiam Martinus de Arles. Imperatore Carolo 5. PP. Clemente 7. U. S.

Ernestus Brotauff. in Chronico.

Burckardus Episcopus Magdeburgensis, promissum suum super quodam negocio, jurejurando, & sumtione quoque corporis Christi, firmat: & tamen turpiter fallit. Imperatore Carolo 5. PP. Clem. 5. U. S.

Philippus Melanthon, de quo plura & in sequentibus.

Sigismundus Imp. victus à Turcis in Mysia, Posonii è fuga in Ascensionis provigilio vespertinis precibus intererat, & calamitates Reipublicæ Christianæ deplorabat. Noctu augusta Episcopi facies dormienti oblata, Ecclesiam ob pastorum & Principum vitia affligi, affirmavit: Ungariam intestinis bellis post ipsius obitum flagraturam, & armis Turcicis arsuram, prædixit: sacerdotes virga ferrea coërcendos, religionem priscam multis contaminatam erroribus, repurgandam, vaticinata est.

Idem. Ego & Doctor Martinus Lutherus, & alii quidam vidimus αὐτόματα in urbe Ilenach, artificiosè à papisticis factum, ad suos quæstus retinendum. Erat autem statua Mariæ tenentis puerum Jesum, & ita facta, ut monachus posset eam regere, ut aut Maria aut puer caput ad accedentem advertens aspiceret, si quis pecuniam largiretur: aut retrorsum caput averteret, si nullum donum afferret.

Idem. Scio alium locum in Germania, quem honoris causa non nomino, ut parcam illis hominibus, in quo mulieres steriles cogebantur certo tempore nudè circumire altare, & gestare agniculum. Interea stabant monachi illi nebulones in suis cancellis, & mulieres nudas spectabant.

Idem. Audivi ex nobili à Lasco, qui fuerat legatus Constantinopolim, esse vaticinia Turcorum, Turcos esse potituros Ungaria, Polonia, cum aliqva parte Germaniæ, & deinde fore inclinationem regni Turcici. Non dubium est, Turcos in Germaniam paulò post esse venturos.

Idem. Anno 1444. Delphinus Gallicus à Papâ in Germaniam ad impediendam Synodum Basiliensem missus est, cum exercitu, quem nominárunt Armeniacum, à Comite Armeniacense eorum Ductore. Cum his quarto à Basilea lapide quatuor Helvetiorum millia acie congressa incredibili ausu tam fortiter pugnárunt, ut cum ex his mille sexcenti in confertum agmen Gallorum se intulissent, nisi ad unum cæsi sunt omnes, victores Gallos tamen interitu suo tota mox Germania pepulerint, persequentibus scilicet reliquis ope vicinorum multa cæde hostes, & clade suorum, & animositate ac ferocia eorum, qvi ceciderunt, perculsos atqve consternatos. Memorabile hoc fortitudinis exemplum est, simile illius Lacædemoniorum ad Termopylas. Pugnatum est septimo Cal. Septembris. Cecidisse in eo conflictu traduntur sex millia Gallorum.

Idem. Henricus Sutphaniensis in Bremensi Ecclesia Evangelium purè docuerat: & ideò crudelissimè interfectus fuit. pag. 304.

Idem scribit, mulierem Dæmoniacam à se in Saxonia visam, nescientem legere aut scribere, quæ Græcè tamen & Latinè loquebatur, & sævum illud Saxoniæ bellum prædixit his verbis: ἔσται ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ.

Idem in responso adversus Colon. Qvum Tubingam venisset sacrificulus quidam, reliquias Divorum circumferens, hoc præconio eas populo commendabat, ut, nihil à pestilentia periculi fore toto anno his, qvi eas osculati fuissent, diceret. Eberhardus princeps Wirtembergensis hominem impudentissimum objurgavit asperè. Is respondit, se vera dicere, quia populus non det osculum reliquiis, sed vitro.

Idem. Quando veniet Turca in Germaniam, veniet per Poloniam. Et hoc operæprecium est diligenter perpendere, quo pacto imminenti malo obviam ire, & Poloniam observare rectè possimus.

Idem in Julium 2. *Cum contra Gallos bellum Papa Julius esset.*

Gesturus, sicut fama vetusta docet,
Ingentes Martis turmas contraxit, & urbem
Egressus, sævas edidit ore minas.
Iratusq; sacras claves in flumina jecit
Tybridis hic, urbi pons ubi jũgit aquas.

 Inde

Anno *Inde manu strictum vagina diripit ensem,*
Exclamansq; truci talia voce refert:
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
Quandoquidem clavis nil juvat ista Petri.

Anno Christi 1547. cum Carolus 5. Imperator infestaret bello Germaniam, doctissimus iste noster dominus Philippus Melanchthon cum sua familia, quibusdam studiosis & Professoribus, Zerbestam se receperat, ibi ab injuriis bellicis se salvaturus: & pervenerat nono die Aprilis, ipsis Sancti Paschatis vigiliis Witebergam, collegas suos, cognatos & amicos invisum & salutatum. Eadem nocte videbatur sibi per somnium legere in quodam scriptore græco hæc verba:

Τιμόθεον ναυμαχοῦντα ἁλῶναι:

Hoc est, pium & amantem Dei hominem in prælio navali capi:

& secus illa verba Græca, notatum esse numerum 15. Altero igitur die, paschatis festo sacro cum in templum devenisset, accuratè disserebat cum collegis, quomodo intelligi deberet vocula ἁλῶναι?

Sed experientia, omnium optimus magister, id significatum eventu apertissimè docuit. Postea enim ab hinc 15. diebus elapsis, 24. die ejusdem Aprilis, Dux Ioann. Fridericus captus est in acie apud Mulbergum à Carolo quinto, per militem Cæsareum, Albis tranato flumine, castra ejus aggressum.

Horrendum.

1530. Anno D. 1530. 8. Octobris, de nocte, cœlo sudo, inaudita Romæ Tybridis eluvies ex improviso erupit alveum, & 24. horas usqve dum difflueret, immani sævitia in campis & intra mœnia est debacchata, tanta voraginis altitudine incedens, ut in campo Florido erectam tegeret sarissam, atqve juxta D. Eustachium ad 24. usqve pedes intumesceret. Unde plurimas á fundamento domos & palatia, muros, & validissima munimenta aquarum intemperies subruit, ut omnes urbis interitum atqve extremum diem metuerent.

Tum etiam, Papa Clemente VII. cum manipularibus suis Hostiam migraturo, at penè undis ingruentibus arrepto, & demerso, coacti sunt retrò vestigia legere & in altissimum montem Cœlium, timore pedibus alas addente, aufugere. Interea pulcherrima sedes & pretiosissimum palatium, quod nuper Clemens ille Papa Cardinali ad D. Georgium rapuerat, & ad se traxerat, hujus diluvii barathro fuit absorptum. Atqve singulari sanè pœna, mirabili ventorum turbine retro agente Tybrim, urbemqve versus universum diluvium, quod in aperto campo trium milliarium jugera occupabat, deferente, tenerrima sata excussa, arboresqve longe lateqve projectæ, omnia attrita, & ultra 12. millia hominum suffocata sunt, in urbe verò sexcentæ corruerunt ædes, omnibus, qui eas inhabitabant, interemtis, tonante juxta horribiliter, & fulgurante cœlo, quamquam omnino sine nube conspiceretur. Hoc diluvium haud multò post gravissima pestis inseqvuta est. Quare autem hæc omnia Romæ eodem anno, quo Augustana confessio prodiit, contigerint, lector cogita. Imp. Carolo 5. Papa Clemente 7.

De Paparum cum Imperatoribus concordia. 1530.

Imp. 117. Carolo Quinto. Papis Leone X. Hadriano VI. Paulo III. & Clemente VII.

Quis verò pontificum perfidiam, in Carolum Imperatorem usurpatam, ea qua par esset, oratione commemoret? Quis non in tanta religionis mutatione, quanta post Apostolorum ætatem non accidit, inclementiam pontificum in exagitando Imperatore cum felicissimo tum potentissimo, admiretur? quis, studio Imperatoris in sede pontificia tuenda fulciendaq; cognito, ingratitudinem perditissimorum hominum non execretur. pag. 305.

Nam cum ab obitu Maximiliani, electoribus pro eligendo novo Imperatore Francofurti congregatis, Carolus & Franciscus Rex Galliæ Imperii dignitatem ambirent: Leo decimus, amicitia cum Francisco firmata, eum magnis innixum largitionibus, innata quadam pontificibus improbitate, contra Carolum fovit & adjuvit, cum quod hujus, amplissimorum regnorum hæreditate locupletatis potentiam vehementissimè formidaret: tum quoqve, Carolum antiqvitatis cujusdam carminibus, non obscuris formæ ac ingenii lineamentis designari, conjiceret, per eum, qui à septentrione toti Italiæ, Romæqve præsertim, summas clades esset illaturus: hoc interim literis ad Electores scriptis astutissimè prætendens, Carolo ad honorem Imperii aspirare non licere, qvod Reges Neapolitani sint Pontificis Romani beneficiarii, & fide data jam olim cum Pontificibus pepigerint, se Romanum Imperium non appetituros, sed alterutro contentos fore.

Cæterum integritate Friderici Saxoniæ Ducis, & fide ejusdem erga Maximilianum, cui toto vitæ tempore deditissimus fuisset, Imperio ad Carolum translato, Leo vulpina arte fortunam secutus, Gallo ad tempus favere desiit: Carolo, quem

quem gratia superare videbat, suffragatoribus commendato.

At cum sic consensum ejus in electione requireret, cum ea dispensatione, ut sibi cum Imperio regnum Neapolitanum retinere liceret, lege investituræ minimè refragante: tunc Pontifex ad ingenium reversus, de novis viis, quibus Caroli authoritatem deprimeret, cogitavit.

Nam literis & nunciis per Germaniam missis id egit, ut Caroli coronatio apud Aquisgranum, & conventus Wormatiæ indictus, retardarentur. Cumqve elusis conatibus suis, virtutem electorum (qui nec vi, nec metu, nec ullis artibus à suo decreto dimoveri potuerunt) majorem pontificia improbitate cerneret, fœdus iterato cum Gallo iniit: inter alia id agens, ut utriusq; Siciliæ regna Carolo adimerentur: & Italico Imperio subverso, protectiones civitatum Italiæ inter sedem Pontificiam, Gallumque dividerentur. Tam diu verò in hoc fœdere constans perstitit, quoad id è re sua esse, atqve sedi Romanæ expedire vidit.

Cum etenim Franciscus Rex fœdere pontificio fretus, violato eo, quod cum Carolo antè percusserat, Robertum de Marchia Caroli rebellem, ad Belgicum turbandum submisisset: Galliqve Duces & milites in Italia agentes, urbem Rhegium sedi Pontificiæ clanculum adimere conati fuissent: Leo Gallorum potentiam horrescens, ac de ipsorum fide hæsitans, quo suam dignitatem tueretur, & Romanæ Ecclesiæ per Gallos ademta recuperaret, tertio ad partes Cæsarianas transit, id à Cæsare perbenignè ipsum in fœdus recipiente impetrans, ut Parma & Placentina sedi Romanæ restitutis, & Francisco Sfortia in ducatum Mediolanensem reducto, Gallisqve ex Italia pulsis, sedes Romana in tuto collocata, omni Gallorum metu liberaretur.

Paulò verò post Leone febri mortuo, pontificia rabies in Carolum successione Hadriani sexti Pontificis Germani, aliquanto subsedit. Hic etenim sui perbrevis pontificatus tempore in Caroli amicitia, ut bonus præceptor, constanter persistens, eum adversus Gallos pecuniis exercituqve juvit: & præter Florentinos, Senenses, Lucenses, aliosqve regulos Italiæ, sedem quoque Romanam, Heinricum Angliæ, & Ludovicum Hungariæ, Reges fœdere ei junxit. Verum Hadriano, anno Pontificatus sui secundo, non sine veneni dati suspicione, extincto, fatalis Pontificum rabies tantò vehementius prorupit, quanto interea temporis plus virium collegerat.

Julius namque Medices, qui postea Clemens septimus vocari voluit, Hadriano post varias disceptationes suffectus, cum ante pontificatum maximis à Carolo beneficiis affectus fuisset, aureorum decem millium, pensionem annuam ex proventibus Ecclesiæ Toletanæ consecutus: & in tantam pontificis Hadriani gratiam, unde exciderat, repositus, ut nihil in rebus quæ alicujus momenti censerentur, ab Hadriano tentaretur: mox pontificatu inito, contra Carolum fœdera fœderibus accumulans, beneficia accepta pessimis maleficiis rependit.

Siquidem Francisco Rege Galliæ, post Mediolani occupationem arma per Lombardiam circumferente, Clemens fœdere Hadrianico, cujus ante meminimus, diremto, pecuniam, quam Florentini, Senenses atqve Lucenses, ex formula ejus Carolo mittere statuissent, solvi vetuit: & per Albertum Pium Carporum Principem fœdus clandestinum cum Francisco Rege iniit: hoc interim apud Cæsarianos duces subdole agens, ut sub specie sequestri & depositi Mediolanensem agrum ad se transferret.

Hoc verò non succedente, sed fortuna ita commutata, ut Franciscus gloriosa memorabiliqve victoria ad Ticinum captus, in Hispanias ad Cæsarem abduceretur: tunc mira inconstantia ac levitate, Cæsarianis ducibus magnam pecuniæ vim in stipendia dependit.

Interea tamen cùm vereretur, ne Cæsar occupato Mediolano, quod esset reliqvum Italiæ, invaderet, cum Ludovici Francica Regis matre, Henrico Britanniæ Rege, Venetis, aliisqve qvibusdam, de Rege liberando, Cæsareqve Italia pellendo consiliis initis: Ferdinandum Davalum, amplissimæ autoritatis atq; peritiæ virum inter duces Cæsarianos in suam factionem, oblato regni Neapolitani titulo, perducere tentavit.

At eo, cum sagaci contectoqve ingenio hostium consilia viresqve explorasset, cuncta Cæsari patefaciente, hic Pontificis perfidiam risit: qui cum totius conjurationis architectus esset, se tamen admonuisset, ut rebus suis sibiqve caveret, ac de ducibus suis sibi fidelius devinciendis cogitaret. pag. 306.

Sic ergo à Davalo elusus, alia via rem aggrediendam statuit. Quare Francisco Rege interea à Carolo dimisso, & à fœderis Madritiani conditionibus resiliente, cum ipso, à jurisjurandi vinculo, quo Cæsari tenebatur, autoritate Apostolica soluto, aliisqve nonnullis, novum fœdus sancit: idqve Ligam sanctissimam appellat, veluti natam eo authore, quem orbis Sanctissimi nomine salutat. Inter alia hoc qvoqve ejus capitulis adjiciens, posse Cæsarem participem ejus fœderis fieri, si prius liberos Regios, qui obsides pro patre in Hispaniis servabantur, æquo precio redemtionis

Anno tionis soluto, reddiderit, Mediolanumqve Sfortiæ; neqve Italiam adeat, ad infulas Imperii accipiendas, nisi eo comitatu, qui arbitrio relinqveretur pontificis & Venetorum.

Quis verò æqvus rerum æstimator, considerans, à quibus id fœdus initium habuerit, & quo potissimum tempore, quibusqve occasionibus sancitum sit, non judicabit, eo non paci ac tranquillitati publicæ consultum, sed acerbissimis odiis, bellisqve sævissimis materiam suppeditatam fuisse? Pacis siquidem leges, conditionesqve Carolo Principi ter maximo à Sfortia Mediolanensi suo beneficiario præscriptæ, fides à Gallorum rege debitè legitimèq; data, ei uno brevi Apostolico remissa est.

Cæsar liberos Francisci regis obsides, jussus est reddere: quasi non satis fuisset, se semel elusum fuisse. Jussus Italorum potentatuum tyrannidem non perferre modò, sed & tueri. Jussus, Italiæ ingressu abstinere, ni eam familiam adduceret, qvæ pontifici & Venetis apta conveniensq; videretur. Jussus, majestatis accusatis noxam omnem remittere: id ni faceret, bellum ei terra mariqve sustinendum.

Quid itaqve in tanta conditionum iniquitate Carolo aliud faciendum fuit, nisi ut bonitate causæ justitiaqve fretus, abominabiles conditiones tanta constantia rejiceret, quanta superbia sibi proponerentur, hac fiducia, plus spei in innocentia quàm multis triremibus, eqvitibusqve repositum esse?

Et sanè Deus, omnium actionum æqvissimus judex, ita justitiæ suæ executionem est moderatus, ut quas architectus omnium malorum consiliorum pontifex in Cæsaris caput conceperat technas: his ipse qui belli spectator tantum esse cupiebat, divino admirandoqve consilio caperetur. Nam cum Cæsar ad tantæ conjurationis famam Burbonium atqve Fronspergium, toties jam ducum munere in proximis bellis summa cum laude functos, in Italiam cum exercitu misisset, ut Neapolim, qvæ hastæ, sectioniqve ex formula fœderis subjecta erat, defenderent: hi, dum Florentiam cùm pace diuturna & cive summo Pontifice, tum novo fœdere elatam, petere se simulant, per montes & loca confragosa profecti, Romam Maii die sexto oppugnatione hostili ceperunt: & Clementem, qvi in Adriani molem (diris pontificiis, qvas in Germanos atqve Hispanos conjecerat, nihil proficientibus) secesserat, urgente rerum inopia, ad deditionem compulêre, tanta insolentia & atrocitate in Romanos sævientes, quanta verbis explicari non potest.

Nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, devastationes, contumeliæ ac ludibrii genus nullum in pontificem ac Cardinales prætermissum fuit; omnibus sine discrimine cum ad captivitatem tum sævissimam torturam abductis sæpius etiam his, qui se pecunia redemissent, iterum in captivitatem ab aliis tractis. Cæsar quidem literis, cum ad Pontificem tum Angliæ regem scriptis, liquido testatus est, id injussu suo factum: nec se milites eos pro suis agniturum, qui tantum nefas ausi fuissent: justo tamen Dei judicio, qvi vim & injuriam sibi factam sit ultus, id adscribere minime dubitavit. Pontifex autem captivitate liberatus etsi verbis amicum se Cæsari simularet, infensissima tamen quæque contra ipsum moliri non destitit.

Nam sive spe regni Neapolitani, prout in fœdere convenerat, occupandi, sive vindictæ cupiditate, apud Gallum effecit, ut is bello renovato, Lautreco in Italiam cum exercitu jam misso, expeditionem Neapolitanam imperârit. At ea hunc eventum sortiente, ut Lautrecus, peste in exercitum grassante, re infecta fato concederet: & rex pecunia exhaustus, amore liberorum, qui in Hispaniis adhuc obsides erant, pacis conditiones oblatas facile acceptaret: pontifex, qui semper scenæ ac tempori servire consveviffet, pace inter Cæsarem & Gallum, aliosq; reges Cameraci sancita, Carolum diademate Imperiali Bononiæ donat, ejusq; auxilio Florentiam obsessam in suam potestatem redigit, civibus Florentinis inclementissime punitis: dignam mercedem Carolo redditurus, si longior ei vita contigisset.

Vix etenim tribus annis ab hoc elapsis, cum Massiliæ nova fœdera de Mediolano Cæsari eripiendo, & Sabaudiæ ducatu occupando, cum Gallorum rege Francisco iniisset: hujus filio Heinrico nepte Catharina desponsata, magno totius Reipublicæ commodo, non sine veneni dati suspicione extinguitur.

Qvæ major perfidia hâc Clementis inveniretur? qui, quoties eum Carolus in fœderis societatem recepit, toties fœdissimè ex socio hostis evasit? Extat de hac ejus perfidia Epistola, ad Carolum Cæsarem carmine scripta à Germano Eleutherostomo: quam, quia tunc temporis est edita, & quia huic proposito convenit, adscribere libuit.

De Perfidia Romani Pontificis Epistola ad Carolum Cæsarem: authore Germano Eleutherostomo.

pag. 30

Nunquid adhuc dubitas, terrarum maxime Cæsar,
Pontificem sanctum scilicet esse virum?

Cui sint solvendi pariter, commissa ligandi
Jura, & conclusi janua firma Poli:
Cuiq; sit humana cõcredita summa salutis,
Cœlorum claves cui Deus ipse dedit?
Nostin an dissimulas tanta perjuria linguæ?
Mirum est, si scelus hoc dissimulare potes.
Sed qua tanta pia poteris patientia mẽtis,
Hoc adeo infandũ dissimulare nephas?
Clemens, quem fecit superum inclementia Puppam,
Cum Gallo junxit fœdera sancta duce.
Cum Gallis junxit Clemens socia arma superbis,
Perfidus Imperij proditor ille tui.
Quæ nunquam, Cæsar, voluisti credere nobis,
Cogeris hæc tandem credere vera videns.
Pontifici ne quid Romano fidere, Cæsar,
Sustineas: mendax, diximus, esse solet.
Perfidior Pœnis Latius solet esse sacerdos,
Et levibus Gallis vanior esse solet:
Vt quem nulla datæ constringant fœdera dextræ,
Quiq; colat nulla relligione fidem.
Auribus ista tuis sæpe inculcavimus: at te
Tum persuadebant talia verba parum.
Vtpote cui nondum mens improba nota dolosa
Vulpis erat, fraudis plena, referta mali.
Obstabat sancti species & hypocrisis efferans,
Quo minus hunc poteras Carole nosse lupum.
Sumtitij obstabãt tituli, simulataq; verba,
Quo minus hanc poteras cernere perfidiam:
Perfidiam, qualem jurato Cæsar ab hoste
Nunquã im speràsses posse venire tibi:
Qualem Pontificis, fidum simulantis amicum,
Objecit Latii vana reperta fides.
Obstabant alii, quorum tibi perfida lingua
Clementem falsò pinxerat esse probum.
Sed quæ nũc animo superest sentẽtia, Cæsar,
Postquam decepto sunt data verba tibi?
Dumq; patent liquido fraudis commenta maligna,
Dum patet instructi pessima techna doli:
Et cum perjuri pateãt stratagemata Pœni,
Et mala versuta retia perfidiæ:
An iterum Latiæ reparato fœdere Puppæ
Decrevisti certam, Cæsar, habere fidem?
Improba blandiloqua cujus mendacia linguæ
Jam tibi tam miris imposuêre modis.
Sit satis, ô Cæsar, fallum semel esse dolosè,
Et semel amissam sit satis esse fidem.
An iterum in laqueum à Clemente induci optas,
Vt prius? & tonsa ludibrium esse coma?
Perfidus imperio si te potuisset avito
Exuere, & regnis te spoliare tuis:
Atque hæc ad Gallum quivisset transferre superbum,
Captivus Cæsar jam traherere miser.
Hostibus impostor sceptris te, Cæsar, ademtis
Fecisset prædam perfidus ille tuis. pag. 308.
Carole, jam spoliis Gallus gestiret opimis,
Si res, ut Clemens struxerat, acta foret.
Hinc studuit semper fidum mentitus amicum,
Vt falso sanctam fingeret ore fidem.
Quo melius Gallo te incautum proderet hosti
Tunc, ubi prodendi copia nata foret.
Indicio est hujus, quod nulla injuria Cæsar
Jusserit hunc partis linquere castra tuæ.
At sola improbitas animi, studiumque nocendi
Gallica Clementem compulit arma sequi,
Aut dicas Clemens: si vult Sanctissimus esse,
Nec vult perfidiæ dicier esse reus.
Quænam causa fuit? quæ tanta injuria? quæ sit
Linquere compulsus Cæsaris arma boni.
Hæc nisi iam fuerit causis adducta probatis
Constat, se profugum Sancte fuisse levẽ.
Heus ubi palpo senex, soboles præclara Gnatonis,
Quin tua nunc aperis ora diserta colax?
Fac, ut perniciosa tua assentatio lingua
Pontificem tantis vindicet à vitiis.
Egregium audebas medicum affirmare futurum:
Dic mihi, nonne tui te pudet, atq; piget?
Estne, quod & dicis, Clemens Sanctissimus? unde has
Sanctus habet labes perdit' ergò nigras?
Proditor, impostor, perjurus, perfidus, aut hunc
Est Roma sanctum forsitan esse virum?
Hic aluit monstrum Clemens Sanctissimus: hoc te
Opprimere incautũ spes sua, Cæsar, erat.
Sed benè consuluit sceleris gravis ultor iniqui,
Omnipotens, rebus pronior ipse tuis.
Quandoquidem Gallus campo comprensus aperto,
Incidit in casses præda petita tuos.
Parta

Anno

Parta est de magno insignis victoria Gallo,
Et sunt victrici fixa trophæa manu.
Est inquam, elati dejecta superbia Galli:
Contrahe nunc cristas, Galle superbe, tuas.
Nunc superest, ut in hanc foveam, quam fecerat hostis,
Non læsus Clemens perfidus ipse ruat.
An tantum patiêre nephas hunc, Cæsar, inultum
Ferre? nec audaci præmia digna dabis?
Ne facias, Cæsar: meruit graviora superbis
Gallis. Illi hostes, hic sed amicus erat.
Juris erat belli, quod Gallus sumserit arma:
Perfidiæ Clemens quod capit arma, fuit.
Perfidiæ pœnam, justum est, hunc pendere dignam:
Cæsaris ut discant sceptra timere mali.
Propterea est gladii tibi tradita summa potestas,
Cæsar, & à magno regio sceptra Deo:
Ut tua compescat graviter reverentia pravos,
Submotisq; malis, ut tueare bonos.
Parcere subjectis, & debellare superbos,
Hoc magni est proprium Cæsaris officium,
Hoc impune ferens, quid non audebit? apertis
Rebitur insidiis cuncta licere sibi.
Quo non evadet concessa licentia tandem,
Si non innocuè crimina tanta feret?
pag.309. Effera quid rabies tentare verebitur, hoc te
Si tulit impune dissimulante scelus?
Carole, ne facias, ut tanta potentia sceptri
Ludibrio Roma sit violanda tui.
Pone modum sceleris, vesano obsiste furori,
Pontificis rabiem comprime quæso gravem.
Tandem intentatæ capiat fac præmia fraudis,
Atq; luat meriti tormina supplicii.
Et factum graviter tibi fucum ulciscere tandem:
Non facis hoc majus jam pietatis opus.
Sic plebem Christi, quæ sævo oppressa tyranno est,
Eripies, Cæsar, te simul ultus eris.
Hic te non moveat ratio pietatis habendæ,
Ipsa jubet pietas perdere sacrilegos.
Hic nihil est sanum, nihil est sanctum atq; verendum:
Cui sit parcendum cernis adesse nihil.
Hic mera colluvies fraudisque, & lerna malorum,
Sunt etiam hic vitiis æquora plena malis.
Ille colit Romam, quo toti illuditur orbi,
Omnis qui semel est impietatis homo;

Impius Ausonia dominatur ab urbe sacerdos, Anno
Qui semel est omnis perditionis apex.
Ut qui sceptrigeros excusso fœdere reges
Committit, belli classica dira canens.
Cujus Pontificum sunt multa exempla priorum,
Quæ bene vix magnis sunt memoranda libris.
Constat enim, furiarum instar discordibus armis
Hos turbasse piis sæpe prophana sacris.
Nec tibi sit soli hæc injuria, Carole, nunquam
Servat promissam perfida Roma fidem:
Sed quæ quisque tulit scelera, hæc tibi vindice dextra,
Carole sunt pœna corripienda gravi.
Obstrue Romanam prpulantem cuncta charybdim,
Reges, & populos, oppida, regna, duces.
Obstrue tartareum, quod Roma est, magne barathrum,
Pone modum immensæ, Cæsar, avaritiæ.
Quid non exsuxit? quid non spoliavit avara
Urbis fraus, astus, machina, techna, dolus?
Dic, ubi per totum restat miser angulus orbem,
Qui potuit fauces Roma cavere tuas?
Jam certè tellus raptis Germana medullis,
Pene etiam pelle est dispoliata sua.
Utpote Romulidum quæ longo passa rapinam
Tempore, nutrivit guttura vasta Papæ.
Vendiderit precio, quæ sunt terraq; mariq;,
Vendiderat manes, vendiderat superos,
Christum venalem, cœlum venale ferebat,
Peccandi precio libera jura dabat.
Quippe sibi in superos, terras & tartara summam
Jus tribuens, voluit subdita cuncta sibi.
Quin etiam Christo medios ostenderat ungues,
Dum quæ decrerat, irrita quæq; facit.
Credere per diras commenta humana jubemur,
Divinis non est legibus ullus honor.
Namque Deum sese sceleratus homuncio cunctis
Ostentans, Christo par cupit esse Deo.
Deposcitq; coli vice numinis impius ille,
Cum Christo simili vult quoque laude vehi.
Regibus imponit tam bellua fœda coronas, pag.
Accipiuntque sui basia mille pedes.

Dum

Anno Dum prodire libet, portatur bestia, Christus
Confecit longum sæpè viator iter,
Scilicet en Christo pater est sanctissimus ille,
Qui quæ sunt belli, curat, adornat, obit?
Qui spargit lites, & pugnis cuncta cruentis
Temperat, & reges seditione juvat.
Fare age, dic heus dic, inclementissime Clemens,
Fecerat hæc Christus? fecerat ista Petrus?
Nam illius vice, vis hujus successor haberi,
Bellua & in sancto spurca sedere loco.
Te successorem ne audebis dicere Petri
Esse? & te Christi dicis habere vicem?
Abstersisti omnem meretrice à fronte pudorem,
O canis, ingenua nil tibi frontis inest.
Tu vis Petrinæ censeri nauta carinæ?
Quanquam perficias munera nulla Petri.
Successi Judæ potius, qui vendere Christum
Sueverat, & loculos gesserat ære graves.
Quandoquidem Christum dum vendere sæpius audes,
Congesti cunctas totius orbis opes.
Hoc melior Scariothæ foro semel usus iniquo,
Non dubitat precium pendere morte malum.
O utinam Judæ exemplum quoque Puppa secutus
Suspensus raptas reddere vellet opes.
Cum sis omnigeni juris perversor, & æqui,
Et facile es cuncti fons, & origo mali.
Et qui nobiscum fictis agit omnia verbis,
Quærens ex nostris cõmoda certa malis.
Quæ fit, ut hoc Petri titulo successor haberi
Atq; locum Christi solus habere cupis.
Quantum respondet claræ nox atra diei,
Tam tua respondet perdita vita Petro.
Mobile quantum ima cælum tellure remotum est,
Tam procul à Christo Psychotyranne manes.
Quod si pastoris decrêras munere fungi,
Esse nec horrendis par feritate lupis:
Ducere debebas ad pascua fveta misellas,
Et verbo Christi pascere semper oves.
Non devastare, & raptos ab ovilib9 agnos
Perdere, sed trepido mitis adesse gregi.
Comiter errãtes monitis superare benignis
Qualia sunt literis plurima docta sacris.
Debebas furem, à septis arcere latrones:
Nunc præ te nullus creditur esse latro.
Omnibus innocuus debebas, nemine læso,
Ut Christus, cunctis utilis esse parens:
Inter discordes placida componere pacis
Fœdus, & iratos conciliare duces,
Nullius insanum flammis augere furorem,
Nec magis ardentes extimulare faces.
Nunc tibi non studio est motos sedare tumultus,
Sed laceras rupta fœdera pace ferox.
Te quoque flammivomos oleo nutrire caminos
Et juvat insanis addere calcar equis.
In summa, humanis es fax ipsissima rebus,
Unde nocens terris pestis, & unde lues.
Officii fuerat, neutri te jungere parti, Pag. 311.
Rem tamen arbitrio comdosuisse tuo.
At fuit hoc studium cunctis commune Papistis,
Romanos solida ludere fraude duces.
Et tu (sis quanquam dubio patre) sanguinis hujus,
Non potes à patribus degenerare tuis.
I nunc, dic blande, dilecte ô Carole fili,
Si tuus est natus, spurius alter erit.
Nam tu connubii condemnas jura beati,
Unde ergo nati spurce cynæde tibi?
Ne nos quæso tuos dicas spurcissime natos,
Corpore es haud noster, sed neque mente parens.
Est pater in summo, quem nos veneramur Olympo,
Ille suos jugi sedulitate fovet.
Hinc tibi Apostolicam serva privigne salutem,
Quam nobis Latia mittis ab urbe frequens.
Quin etiam affectus simulata mente paternos,
Post hæc servato sæve tyranne domi.
Jam satis elusa est plũbatis Teutona bullis
Terra, subolfecit ludificata dolos.
Quæ pri9 immodico fuerat Germania lucro
Ebria: nunc damno est sobria, Roma, tuo.
Hoc tu deploras inclementissime Clemens,
Hoc te angit, mordet, vellicat, urit, agit.
Hinc ulciscendi meliorem cernere causam
Non poteras, quã si Celtica castra juves.
Quanquam fictitiis nunc perfide fingere scriptis
Adproperas aliud stans, aliudq; sedens,
Sed tua te modicũ mendacia ficta juvabũt,
Si dux officii vult memor esse sui.

At memor esse velis, precibus te poscimus omnes,
Carole, fac, pœnam te duce Puppa luat.
Si te nulla movet tantarum injuria fraudum,
At saltem populi commiserere tui.
Cogitur hic Latio miserè servire tyranno,
Legibus oppressa est libera turba feris.
Fert Christi indignum afflicta Ecclesia regnum,
Fert etiam durum debilitata jugum.
Mitius immitem sensit Iudæa Pharonem,
Dum tulit immensi pondera servitii.
Huic deglubendos quam longo tempore Cæsar
Tandem permittes Carole Magne tuos?
Qui tibi non dubitat verbis obtrudere palpum,
Ille ruit Cæsar in tua jura ferox.
Ecce tuos populos damnosis legibus amens
Oppressit regni proditor ille tui.
Te simul imperio voluit nudare: ferenda
Ista putas? non sunt ista ferenda tibi.
Qui struit insidias, & fidum fingit amicum
Est eqvidem hic hostis terqve qvaterq; nocens.
Pessimus est igitur Clemens etiam hostis habendus,
Quod pariter nobis hostis amicus erat.
Ne te mellita lethalia mulsa loqvela
Posthac decipiant, Carole magne, cave.
Si non Romanam cupis hic perdiscere fraudem,
Hanc Cæsar nunqvam discere velle cupis.
Vos quoque Germanæ proceres exurgite terræ,
Hactenus illusit bestia spurca quibus:
pag. 312. *Quorum præstigiis oculos vitiavit apertos,*
Et vos quò libuit Puppula nare trahit.
Quin Antichristum tandem cognoscitis hostem,
Cujus vos servos non decet esse Duces?
Vestra opera stabilem bipedum nequissimꝰ orbem
Possidet, & vestra valde superbit ope.
Crudelis per vos, per vos est mente feroci,
Et vobis fretus cuncta nefanda facit.
At quam decepti proceres errore locastis
Huic operam, posthac oro tenete manus.
An cupitis scelerum Latiali fraude peractûm,
O proceres, fieri vos quoque participes?
Vos quoque judicii sententia dura futuri
Ad Phlegethôtæas, credite, mittit aquas
Illic perpetuo cruciandos flamma cremabit
Quæ semper vivas est habitura faces:
Quod Pseudochristi collapsum & debile regnum,
Gnaviter exhibita fortificatis ope.
At tu magne Ducum Cæsar, cessantibꝰ illis
Fac tua non cessent arma quieta simul;
Quinetiam hanc laudem meritis adjunge triumphis,
Vt te vesanus vindice Puppa cadat.
Mollis sacrificus cum semiviro comitatu,
Fac tua præsentis sentiat arma malo,
Et tu pressa diu pugnax Germania, tandē
Excute Romanum libera terra jugum.

Porrò Clementi mortuo Alexander Farnesius, qui se Paulum tertium dici voluit, suffectus est, senio ferè confectus: qui cum dissidia in religione mota indies augeri, latiusqve serpere cerneret, antecessore astutior, amicitiæ cæsareæ studium singulare præ se tulit: quo Carolum aliosqve reges aliqvando, ad arma in Lutheranos capienda, sangvinis Germanici sitientissimus, concitaret: interea callidè omnibus fidem faciens, futurum uti mox concilium sacrosanctum, toties à Germanis petitum indiceretur.

Indixitqve tandem, primum ad Mantuam, inde Veronam, postremò multos post annos Tridentum, non sanandæ Reipublicæ causa, aut instaurandæ religionis gratia, sed ut Germanorum animis concilii exitu suspensis, ipse, qvæ occultè consilia agitârat, ad effectum deduceret: & veritate conculcata, Germaniam sub jugum tyrannidis suæ, qvod luce Evangelii illucescente excusserat, captivitate Babylonica redigeret. Itaqve dum anno post millesimum quingentesimum quadragesimo sexto Concilium Tridenti celebrat, ac omnia amica Germanis simulat, cum Carolo confœderatione facta, eum ad expeditionem cōtra Germaniæ Principes & civitates imperiales Evangelicę professionis suscipiendam, impulit: cujus exitus licet initiò lætissimus Cæsari affulgere videretur, captis Electore Saxoniæ Joanne Friderico, Landgravioq; Hassiæ, VUirtenbergico omnibus facultatibus exuto, mulctatisqve ingenti pecuniæ summa plerisqve civitatibus, quę contra se arma tulissent, tamen dum impensius Pontifici favens, principes captivos arctiore custodia continet, & religionem ad placitum Pontificis refingit: ea Mauricio Electore Saxoniæ, ac Alberto Brandenburgico, cum aliis in ipsum de novo insurgentibus, rerum conversio est facta, ut dimissis principibus captis, ac religionis libertate Germanis concessa, amicitiæ Papalis fructus spe multo minores senserit: malueritqve se, post impensa Papæ servi-

servitia, Germanorum principum amicitiæ pontificiæ confœderationi præposuisse.

Etsi enim in ipsum minores Pauli, tardioresque, quam aliorum Pontificum, machinationes fuerint: quod is adversus Dei sanctos horrida bella, cruentasque pugnas sibi movendas duxerit: tamen filio Petro Aloysio, Parmæ atque Placentiæ duce ob tyrannidem per conjurationem trucidato: ac Placentia Ferdinando Gonzagæ præfecto Mediolanensi, ducique Cæsareo, tradito: Pontifex, qui cedem filii Cæsare autore factam suspicaretur, ac de restitutione Placentiæ hunc frustra solicitaret, à Carolo alienatus, de transitu ad Galliæ Regis Heinrici partes consilia suscepit: transiissetque haud dubiè, si longior sibi vita contigisset: maximè cum Heinricus Principibus, quos dixi, captis, ac Placentia præter spem omnium occupata, Cæsaris potentiam suspectam habens, fœdere cum Helvetiis renovato, se aliorum quoq; amicitia muniret. Verum, dum miser vindictam agitat, dolore atque mœrore magis quam senio confectus, extinguitur, die decimo Novemb. An. 94. In ejus locum post longam Cardinalium in conclavi disceptationem, anno D. 1550. Pontifex renunciatus Julius 3. cum antè Gallicarum partium fuisset, pontificatum adeptus, nihil in Carolum attentavit: veneri ac ventri ita deditus, spurcissimus senex, ut veterno interisse dicatur.

Verùm alter ab eo Paulus IIII. pessimus hypocrita (Marcello secundo, paucorum dierum Papæ consensu Cardinalium, Gallorum Regi Henrico gratificari studentium, suffectus) cùm Cardinalis adhuc, malevolentia in Cæsarem suffusus, Paulo tertio suasor fuisset, regni Neapolitani, tanquam sedi pontificiæ aperti, occupandi: tunc majorem nocendi occasionem adeptus occultatum in Cæsarem odium evomere, ejusq; partibus addictos incredibili rabie persequi cœpit. Vix etenim coccineæ istius bestiæ sede conscensa, Alexandrum Farnesium cardinalem Sanflorianū, Camillum Columnium, ac Julianum Cæsarinum, cum fratre archiepiscopo, ob suspicionem initæ cum Cæsarianis contra se cōspirationis, in carceres conjicit: Cæsaris nuncios atque ministros hinc inde per Italiam discurrentes, quotquot potest, intercipit interque hos Tassum veredariorum Cæsariorum magistrum, & Garziam Lassum, non obscuri nominis apud Hispanos ducem. Bona Marci Antonii Columnii, quem absentem, ut infra triduum se sisteret, citârat, non comparentis, publicat. Et Ascanii Columnii facultates per Latium Joanni comiti Montoriano, cum titulo ducatus Palliani attribuit. Proscriptos è regno Neapolitano in odium Cæsaris receptos, officiis ac muniis publicis præficit Pallianum ex consilio Petri Strozzæ, pro recipiendo Gallico præsidio ad infestandā Neapolim, munit.

Postremo inducias quinquennales, inter Carolum Cæsarem & Heinricum Gallorū Regem in Belgico pactas, per propinquum Caraffam Cardinalem in Gallias missum, sceleratè turbat. Et ne quid malevolentiæ pontificiæ in Carolum desit, Philippo filio in quem pater, Imperio à se abdicato, administrationem omnium regnorum contulerat, Siciliæ, Neapolisque regna, beneficiario titulo Ecclesiæ Romanæ obnoxia, conferre renuit. Unde tam horrida, tamque funesta bella exorta fuêre, ut potentissimorum regum virib. inter se hostiliter commissis, Italia Galliaq; bello pontificio implicita, sangvine suorum maduerit.

Namq; non solum Romā obsidione & fame, ab Albano duce Cæsareo pressa, direptionis, qualem antea sub Clemente pertulisset, periculo vicina fuit, ita ut tandem conditiones pacis à duce Hispano remissiore quam par fuisset, latas facilimè acceptaret: sed & Galli, duce Guisiaco, ad res Italicas ac Neapolitanas in gratiam Pontificis turbandas misso, dum Augustam Veromanduorum contra Philippi Hispaniarum regis exercitum è Belgico, in Veromāduos erumpentem, novis auxiliis communire conantur, gravissimas militiæ pœnas subiêre: exercitu ipsorum ab equitatu Germanico profligato, Conestablio cum multis Galliæ proceribus, Rheniqve Comite capto, Augusta quoq; Veromanduorum à rege Philippo expugnata. Nec diu post, cum capto Caleto per Gravelingenses angustias redeunt, ab Amurate Gaveriorum principe, Egmondæque comite, minore clade affecti, Termæo atque Villæbono, duobus præclarissimis tribunis, cum toto exercitu partim cæsis, partim captis.

Quis Pontificem, horum malorum authorem, Christi vicarium agnosceret? Et quis, ipsum Sauli, quàm Pauli, nomine digniorem esse, non fateretur?

Hæc S. Schardius ex Jovio, Sleidano, Ferrone, Tilio in Chronologia, Mambrino, Roseo in app. ad hist. Neapol. Gerardo Moringo in vita Adr. 6. Hieronymo Rosello de bello Romano, Zenocaro, & aliis.

Lud. Vives ad cap. 25. libri 12. Augustini de civitate Dei. 1530.

Urbs est in Brabantia Buscumducis, in qva, ut in aliis ejusdem terræ, stato anni die (qvo ferunt maximum urbis templum dedicatum) publicè supplicatur, ludiq; variis divis exhibentur. Sunt, qui tunc personas divorum induant, sunt, qui dæmonū. Ex his unus cum visâ puellâ exarsisset, domum saltitando se recepit, & correptam, ut erat personatus, uxorem suam in lectum

Anno lectum confecit, se ex ea dæmonium velle gignere, dicens: concubuit: concepit mulier, & infans, quem peperit, simul ac primum editus est, saltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur.

Hæc Margarita Augusta Maximiliani filia Caroli amita, narravit Johanni Lamuzę homini prudētia incredibili, qui tum erat hîc legatus à Ferdinando rege: nunc est hujus Cæsaris præfectus in Aragonia, vir, qui non modo præfecti nomen & personam, sed regis qvoq; posset sustinere. Imp. Car. 5. Papa Clem. 7. ut sup.

Idem inter cultum imaginum à Christianis exhibitum, & idolorum venerationem à paganis præstitam, nullam differentiam esse, affirmavit.

.1530. *Jodocus Clichtoveus Carnotensis Canonicus Neoportuensis.*

Scripsit de vita & moribus sacerdotum, de Mystica numerorum significatione: & alia. Imp. Car. 5. Papa Clemente. 7. ut supra.

Idem in Sermone habito in Capitulo generali Ordinis Cluniacensis. Sed ubi, qvæso, nunc stupra, adulteria & fornicationes vehementius grassantur, quam inter deformatos monachos? qui patrimonium pauperum, sanguine JESU CHristi comparatum, in crapulam, ludos inconcessos, otium, & nefandam libidinem, gulâ & otio enutritam, profundunt, dissipant, distrahunt.

pag. 314. 1530. *Jason Pratensis.*

Hic cap. 26. de cerebri morbis historiam narrat de sacrifico, qui patiebatur incubum quavis nocte, etiam vigilans: cum mulierculam sibi notam ad se commeare, imaginaretur, quæ vel reluctanti incumbens, gravissime eum affligeret. Imp. Car. 5. Papa Clem. 7. ut sup.

1530. *Ioachimus Camerarius in præfat. Chronologiæ Nicephori.*

* Extat vetus vaticinium imagine præpositæ Aquilæ mœstæ, consistentis supra navigium fluctuans in procelloso mari, & expandentis alas admodum tenues, atq; multis plumis detractis, astante in littore turba aspicientium illam, & quasi inter se colloquentium, atqve autem hanc, pulcherrimis qvondam pennis decoratam, jam vero adeo tenuem, & omni suo decore spoliatam, admirantium.

Olim enim, ut Otho Frisingensis refert, Fridericus primus, qui & Daniam subegit, & Imperio Romano addidit, Imp. ex Italia habuit vicies millena talenta annuatim. Et Eitingerus Augustanus, consiliarius Maximiliani Cæsaris testatur, imperium habuisse ante sua tempora viginti donnas auri ex reditibus, qui fuerint proprii Imperii.

Mutius scribit: Bohemiam solvisse qvotannis qvingentas marcas, centumq; & viginti boves Imperatori. Item Lotharium Imp. noluisse in conspectum admittere Polonorum Ducem, priusqvam 12. annorum tributum persolvisset: & subjectionem perpetuam sacramento jurasset: item Belgium subjecisse imperio.

Regino. Regnum Lotharingiæ qvondam fuit Regis Romanorum. Radevicus Burgundiæ Princeps Imperatori præstabat homagium.

Idem. Ottocarus, Rex Bohemiæ & Moraviæ ex manibus Cæsaris Rudolfi Regnum pro feudo, cum juramento, flexis genibus accepit.

Idem testatur, Regem Daciæ, quæ hodie Transsylvaniam, Russiam, Serviam, Septemcastra & Bulgariam sub se habet, in signū subjectionis, & ad decorem Imperialis reverentiæ, gladium cum corona Imperatori prætulisse.

Theod. à Niem. Lombardia vendita sesqvi donna auri. Mediolanensem ducatum Ioannes Galeatius de Vicecomitibus emit tantidem à VVenceslao rege Bohemiæ: quas provincias utrasqve Otho Magnus Berengarlo vi ademerat. Sic Verona, Padua, Vincentium exigua pecunia vendita. Potentiss. Arelatense regnum abalienatum fuit ab imperio pro unico tantum solenni prandio.

Idem. Romana Ecclesia multos pretiosos lapides excussit ex corona imperiali, & multa Imperialia jura usurpat: & reperitur Archiepiscopus & Episcopus, qui plus habet in reditibus, quam rex Romanorum, qvod non laudo. Tendit enim in perniciem fidei, quia deficientibus rerum facultatibꝰ & potentia seculari in imperio, restat, qvod Imperator impotens Christianum populum defensare non possit.

Idem. Imperator hodie nil habet qvàm titulum, & Papa res: ille corticem, hic nucleum.

Cranz. Carolus quartus Electoribus, ut post se filium suum VVenceslaum in Imperatorem eligerent, imperialia, vectigalia ad Rhenum largitus est. Idem Carolus 4. Delphinatum totum transtulit in Regem Franciæ, cui primogenitus Delphinus diceretur, utq; vasallus esset imperii, sed cantè Gallus hoc promisit, ac deinde non implevit: unde adhuc hodierno die obtinet. Sed de his lectori propediē proprius de patrimonio Cæsaris & Papæ liber dabitur.

Olim Carinthię dux ab imperio hoc munus habebat, ut Imperatoris maximus venator diceretur. Annales Carinthiæ.

Dux Mediolanensis fiduciarius est Imperii Germanici, cui dominatum acceptū semper tulit, & consveta vasallorū jura exsolvit. Et Maximilianus I. centum millia aureorum nummum fiduciæ nomine, inde qvotannis accepit.

Anno Florentini, Volaterani, Aretini, Pistorien. Genuen. Senen. Lucenses, Pisani & alii, cùm illi Imperatores, qvi illis libertatem precio concesserunt, Imperio præjudicium creare non potuerint, nemini dubium est, qvin semper liceat Imperatorib. civitates illas in ordinem recogere, non aliter, qvàm domino in servum fugitivum perpetua manus injectio est. Bar. l. si sol. matr. Faber § pen. de assign. lib. Jason l. debitorum de pactis. Cynus l. 1. de novat. c. Bodinus de Repub.

pag. 315. Sed & ipse Rex Galliæ Imperatorum subditus est, ut Alciatus & Bartolus scribunt, qvem propterea Bodinus Gallus spurium, & à Carolo 4. Cæsare natalibus restitutum dicit.

Petrum Daniæ regem Fridericus I. regio nomine subornavit ea lege, ut fiduciarium se Imperii Germanici profiteretur. Tritheymius c. 17. & Bodinus.

Arelatense & Lotharingiæ regna inter Carolum Calvum Gallum, & Ludovicum Imp. Germanorum, familiæ Ercifcundæ judicio, divisa fuisse, tradunt Vitaldus, Floardus, sive Flodoardus, Lambertus, & ex his Bodinus.

Philippus Valesius ab Henrico V. Cæsare regnum Arelatense, qvod sub se habet Allobroges, Belloicos, Provinciales, & Burgundiam liberam emit, & argenti pondo ducenta millia precii nomine solvit. Bodinus.

Carolus 4. Carolum 6. Viennensium Delphinatus vicarium perpetuum creavit anno 1378. Bod.

Sed & Allobrogum Dux Imperii olim vasallus & vicarius fuit. Socinus in cons. Castrensis cons. 196. Brunus cons. 45. Ozescus in decis. Pedem. Felinus.

Idem in vitâ Philippi. Bello, qvod Mauritius Dux Saxoniæ Elector contra Carolū 5. Imp. pro liberatione Landgravii, gessit: solicitis admodum iis ex Mauritianis, qvibus tota res erat exploratior: qvidam per jocum jussit eos esse bono animo: nam à Carolo vinci Mauricium non posse. Caussam rogatus respondit: veteris divinationis esse fiduciam. Nam ut Achillis victoris nomen numeris, qvi literarum notis indicaretur, plenius esset, qvàm Hectoris: sic Mauritii statim initio nomen Caroli nomine esse numerosius. Sed hæc tunc joco dicta familiariter, cum eo exitu, qvi notus est omnibus, veritati congruerunt.

Idem in lib. de ostentis. A CHRISTO SERV. nato anno 1314. cometes mensib. penè tribus, & tres Lunæ visæ. Nec desunt, qvi in hunc annum septimi Henrici mortē referant. Qvi, max. rebus in Italia gestis, cum de se omnium spem & expectationem singularem erexisset, veneno sublatus interiit, execrabili scelere Romanensium, àqvibus, qvi illum necaret, subornatus fuerat.

Olaus Magnus Gotthus, Archiepiscopus Vpsalensis, de septentrionalibus gentibus lib. 16. cap. 10. 1350.

Obsecro, memor esse velit omnis lector pius, qvi hæc dignabitur semoto fastidio legere, vitam hominis militiam, & peregrinationem esse super terram: ut cogitet, qvaliter ab Aqvilone (unde omne malum pandetur) etiam, vita emendata, iter est ad cœlos. Unde ex devotione vel voto volentibus peregre proficisci ad Hierusalem, aut Compostellam, vel almam urbem, seu alia loca, prout multi illustrissimi reges, & fœminæ olim profecti sunt, Præsul, vel sacerdos super eos & sacculum, ac baculum modo seqventi, stans benedicit:

Domine Jesu Christe, conditor mundi & redemtor, qvi beatis Apostolis tuis præcepisti, ut euntes in peregrinationem virgas tantum sumerent: te supplici devotione petimus, ut digneris hos sacculos & fustes, seu baculos benedicere: qvatenus hi, qui illos in signum peregrinationis, & sui corporis sustentationem recepturi sunt, tuæ cœlestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere possint: ut qvemadmodum virga Aaron in templo Domini florens, à rebellium Judæorum numero ipsis stirpem distinxit: ita & hos signaculo S. Petri ornatos, ab omnibus peccatis absolvas, qvod in die judicii ab impiis separati, in dexterâ sint parte collocandi. Per D. N. Vers. Advenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, ad salvandas animas. Commendemus nosmet ipsos in multa patientiâ, per arma justitiæ, virtutibus Dei.

Inde consignans peram dicit: In nomine Domini nostri Jesu Christi accipe sacculum, seu peram, in habitum peregrinationis tuæ, ut sanus pervenire merearis ad limina sanctorum, qvo pergere cupis, & ad nos cum gaudio & exultatione reverti incolumis. Deinde dans baculum dicit: In nomine Jesu Christi accipe & hunc baculum, in sustentationem itineris & laboris tui: ut devincere valeas omnes inimici catervas, & pervenire ad limina Sanctorum, qvo peregrinari desideras: ut peracto obedientiæ cursu, ad nos quoqve sanus cum gaudio revertaris, & incolumis. Imp. Car. 5. Papa Clem. 7. ut sup.

Gothorum Astronomia, & futurorum prædictiones, ex eodem. 1350.

Qvemadmodum Latini & Græci autores asserunt, Gothos in armis, & militaribus disciplinis consummatam habere experientiam & cautelam: Ita & Gothici scriptores ajunt, eos domi forisqve multarum, & utilium rerum tenere notitiam & experimentum, & præsertim astrorum scien-

scientiam, per qvam plurimum possint divinare futura, prout his annexa figura (in autographo, unde hæc descripta sunt, apposita est illa talis figura. Videat eam Lector studiosus ibi) in parte demonstrat.

Cernitur hic homo senex atqve adolescens, baculum Gothicis characteribus insignitum habētes, tali ratione insculptum, ut videatur, qvibus instrumentis vetustissimo tempore, dum librorum usus non esset, Lunæ, solisvè, & cæterorum syderum virtutes & influentias, infallibili eventu cognoverint, prout hoc tempore ferè incolæ omnes agnoscunt. Baculus itaqve humana longitudine formatus est, utroqve latere numero hebdomadarum anni, pro qualibet hebdomada Gothicas literas 7. pag. 516. habens, qvibus aurei numeri, & literæ Dominicales (post acceptum Christianismum) patria voce, ac figuris distingvuntur. Nec aliis libris multiplici temporum circulo in astrorum interpretationibus utebantur, licet priscorum opuscula antiqvitas appellaverit libros. Hodie qvoqve librum virentis ligni vocitamus exuvias.

Idem. Verum de vulgo hæc consideratio habetur, quod sicuti à senioribus traditam astronomiæ scientiam, & practicam in præostensis baculis, & characteribus acceperat: ita immobiliter in eadem accipienda, tradendaq;, etiam post sacræ fidei susceptionem, perseverat, ita, ut rustici seu villani adeo periti reperiantur & sint, ut die una prædicere possint, qvotus qvisqve aureus numerus sit, literaqve Dominicalis, annus bissextilis, intervalla, festa mobilia, & ipsæ lunares mutationes, post decem, vel sexcentos, aut mille annos fient, vel erunt. Idqve studium cum sacerdotibus de festis, & similibus commune habent, ut interrogent, & responsum præstent.

Cæterum parentes filios suos laicos, imo mater filias, vel domi, feriatis diebus, vel in accessu Ecclesiarum, ita instruunt, ut non minus eruditione, qvàm experientia artis indies efficiantur perfectiores. Vetusta enim gentis consvetudine, baculis his rurales Ecclesias visitando in prolixis itineribus laici se sustentant, atqve pariter convenientes, certis adductis rationibus, veriores venturi anni indicant qvalitates, quam forsitan alii, speculativis scientiis, aut præstigiosis prognosticationibus inhærentes.

Idem, verum, inqvit, ut moderni temporis Aqvilonares architecti, insigniores structuras prisci seculi latè per orbem divisas, magis admirari, qvàm imitari valeant, præstat intelligere, septem tantùm terris loco miraculi fabricas fuisse relictas: primam Ephesi, videlicet Dianæ templum: secundam Regis Mausoli pulcherrimum monumentum: tertiam Rhodi, Solis aneum signum: qvartam Olympici jovis simulachrum: qvintam, Cyri Medorum Regis domum: sextam Babyloniæ muros, qvos Regina Semiramis latere cocto, sulphure, ferroqve construxit, & septimam, Pyramides Ægypti.

Sed qvis illa ulterius putabit esse præcipua? cum in una urbe Roma Julii 3. Pontificis Max. pretiosum & admirabile theatrum, atqve decorum fontem, pro publica cunctarum gentium salute, incomparabili naturæ & artis pulchritudine excogitatum, diversicolorumqve lapidum concordi varietate conspexerit fabricatum: ut merito totius orbis octavum spectaculum æternis laudibus afferat prosequendum, ac extollendum?

Idem. Adulatores & proditores per se non habet Svetia, ut gens austera, & ejusmodi rebus minime dedita: sed ab extraneis ejusmodi scelera in eam invehuntur. Exemplo est, qvod in civitate Stockholmensi, primaria civitate Sveciæ, celeberrimo emporio totius Septentrionis, tempore Regis Alberti 170. extranei inventi fuerunt, qvi occulta conspiratione colligati se Cucullatos fratres appellitabant: crevitqve postea eorum numerus ultra mille qvingentos. Horum studium erat præcipuum, conjectis in Saxones & indigenas conviciis ad lites & rixas provocare, ut demum apud Regem delatos vita, aut fortunis, vel pariter utrisqve spoliarent. Tandem in carcerem conjecti, inclusi, digitis in perforato pariete cuneorum impressione affixis, superjecto igne combusti fuerunt.

Apologus ad tempora ista accommodatus ex manuscripto.

Cum aliqvando vulpes, dolosis tantum artibus sese alere, victumqve parare, dedecori sibi ducerent: consilium ceperunt, & curârunt, qvandam vulpeculam nuper in lucem editam, satis animosam & audacem, in alia institui arte, & proinde de lupo qvodam celeberrimo certiores factæ, illi suam qvoqve vulpeculam erudiendam commendârunt.

Postqvam autem diligentissime animadvertisset, qva ratione & calliditate Lupus, magister ejus, quodlibet animal aggrederetur, oves, sues, & hujus generis bestias prosterneret: parvi id discipula ducebat, nullumqve in eo artificium esse judicabat. Cæterum cum aliqvando lupus eqvum adoriens, os ipsius primo apprehenderet, tamqve diu teneret & agitaret, donec provolutum terra extenderet: hoc artis specimen vulpeculæ adeo arridebat, ut, nihil sibi deesse, nec qvicqvam ad discendum amplius restare, putaret.

Ideo domum reversa parentibus commemorat, qvàm utilissimas artes à magistro suo

suo vidisset, & didicisset, & parentes, artis ipsius probationem exigentes, in campum ad pascua eqvorum deduxit, ibiq; industriam suam exhibere se velle, promisit.

Cum igitur eo pervenissent: Vulpecula sine mora eqvum validum & ferocem, arte sua freta, audacter invasit: primoqve os ipsius, more magistri, apprehendere conata, at superius solummodo labium arripuit. Cum autem vulpecula in labio hæreret, neqve se liberare posset, pastor, vulpecula conspecta, propere accurrit, eamqve pedo suo miseris modis trucidavit. Qvo viso, parentes vulpeculæ exclamârunt:

Proh dolor, arte Lupi fortis, te decipis, usi:
Longe robur eqvi, nate, tuum superat.

Pag. 317. Hunc textum autem spirituali quidam modo interpretandum sentiunt. Lupum enim denotare Plutonem, qvi callide omnia evincere possit. Vulpem vero repræsentare malos Ecclesiasticos, qvi in scholam ad Plutonem missi, didicerunt, qvo pacto nullo amplius labore victum sibi parare, & omnem in toto mundo prædam ad se trahere possint. Attamen cum ulterius majora tentare & etiam Imperatores natio apprehendere vellent, tales in eos fuisse immissos, in qvos tam altè dentes suos infixerint, ut liberare se amplius non possint, & maximam stragem jam acceperint: succlamantibus Cardinalibus, Episcopis, & universo ordine Romano:

Ah, si fecisses missum, Papa sancte, Lutherum:
Haud tua tam miserè perdita regna forent.

Plura, ob delicatas aures, res loqvi non patitur.

1530. ## Marcellus Palingenius Italus. poeta Stellatus.

Romam igitur petimus, cupientes solvere duro
Servitio socium, si qua est via: deinde ut [illegible] ad Orcum
Romanos quosdam proceres hac nocte trahamus,

Et paulo post: *Atque rogant, qvidnam Romana ageretur in urbe?*
Cuncti luxuria, atq; gula, furtisq;, dolisq;
Certatim incumbunt, nosterqve est sexus uterqve,
Respondit: sed nunc summus parat arma sacerdos
Clemens, Martinum cupiens abolere Lutherum,
Atque ideo Hispanas retinet nutritque cohortes:
Non disceptando, aut subtilibus argumentis
Vincere, sed ferro mavult sua jura tueri.
Consilium valeat, valeant commenta Lutheri,
Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ:
Nec præcepta patrum, nec Christi dogmata curant.
Jactant se dominos rerum, & sibi cuncta licere.
Cui vis est, jus non metuit, jus obruitur vi.

Idem. *Qvid tot stupra loqvar? sunt cuncta libidine plena:*
Et passim prostant, & clam fodiuntur ephebi.
Qvis non mœchatur? mystæ, vafriqve cuculli,
Qvos castos decet esse, palam cum pellicibus, vel
Furtim cum pueris, matronis, virginibusque
Nocte dieque subant: sunt, qvi consangvinearum
Ingvinibus gaudent: ineunt pecudes qvoqve multi:
Et rura, & sylvæ infames: urbs quaque Lupanar.

Idem. *Tandem pervenio ad nigri penetralia Regis,*
Qvem video tristi efflantem suspiria vultu.
Postqvam illi exposui patris mandata, jubentis,
Solvi Antichristum è cavea, terrasq; per omnes
Emitti, ut faciens miracula falsa, docensqve
Jam summum advenisse diem, mundique ruinam,
Omnia perturbet, pecudes, hominesqve, deosqve,
(Imperat hoc etenim fatorum immobilis ordo)
Qvæso (inqvam) Pluton, cur sic es tristis? at ille:
Nonne tibi indignum, injustum, infandumqve videtur,
Vos adeo latum cælum, immensumqve tenere,
Cum sitis pauci, cumqve illuc vix hominum tres,
Vel paulo plures, longo post tempore pergant:
Et me tam angusto in regno & parvo esse locatum,
Qvo innumeri veniunt mortales qualibet hora?

Anno Omnes Judæi, Turcæ omnes, non tamen omnes
Christicolæ (fateor) sed certe portio major
Huc huc descendunt, hæc ad vivaria currunt.
Cur ad nostra magis mittuntur limina? vel cur
Ille meus frater, qui possidet æthera, saltem
pag. 318. Presbyteros, fratres, monachos non accipit intra
Septa poli, sedesq; suas, & continet illic?
Non putet, hos homines (qui in templis tam benè cantant
Quaque die, & sacris in turribus ara fatigant,
Qui tot thura adolent, tot scortorum miserentur,
Qui solvunt alios, sua crimina solvere nolunt,
Qui vespillonum funguntur munere & ornant
Templa Deûm statuis, picturis, atque sepulchris)
Mittere ad infernas sedes, & plectere pœnis;
Millia quot non fert sitiens Apulia muscas?
Pontifices etiam summos nihil ille veretur:
Imo jubet cunctis aliis pejora subire
Supplicia; unde Erebo miseri c[illegible]audantur in imo,
Atq; illic miris cruciatibus afficiuntur.
Idem. Si tibi suspecta est uxor, dubiique pudoris,
Non habeas pulchros famulos, pulchrosve sodales,
Cum quibus illa domi versetur: decipieris,
Si quenquam fidum credes: est nemo fidelis
In venere: illa dolis incautos fallere gaudet.
Fraude paratur amor, Veneri gratissima fraus est.
Sed tua præcipuè non intret limina quisquam
Frater vel monachus, vel quavis lege sacerdos.
Hos fuge: pestis enim nulla hac immanior; hi sunt
Fex hominum, fons stultitiæ, sentina malorum,
Agnorum sub pelle lupi: mercede colentes

Non pietate Deum: falsa sub imagine recti
Decipiunt stolidos, at relligionis in umbra
Mille actus vetitos, & mille piacula condunt.
Raptores, mœchi, puerorum corruptores,
Luxuriæ atque Gulæ famuli: cælestia vendunt.
Heu quas non nugas, quæ non miracula fingunt,
Ut vulg⁹ fallant, optataq; præmia carpant?
Inde superstitio, & ludibria plurima manant:
Quæ dii, si sapiunt, rident, renuuntque videre.
Non pretio, sed amore Deum vir justus adorat:
Deme autem lucrum, superos & sacra negabunt.
Ergo sibi non cælicolis, hæc turba ministrat.
Utilitas facit, esse deos, qua nempe remota,
Templa ruent, nec erant aræ, nec Juppiter ullus.
Hos impostores igitur, vulpesq; dolosas
Pelle procul, ne te probitas simulata maritū
Caprarum efficiat: nec, si tibi compater ullꝰ
Cōtingit, nimium confidas: namq; sub isto
Nomine peccandi proclivior est via multis.
Idem. Igitur quod
Ferme omnes credunt, verum non arbitror esse,
Pontifices summos, & mundi sceptra tenentes,
Vivere, quam reliqui mortales dulci⁹ ævū;
Namque in divitiis, veluti in cunctis quoq; rebus,
Extremum quodcunque malum est, medidumque salubre:
Omne nocet nimium; propter quod, quisquis habet plus,
Quàm satis est, non est melior, quàm quisquis eget plus
Quàm satis est, paribusque malis vexatur uterque,
Ut pinguis crassusq; nimis: qui sesquipedali
Ventre tumet, non est levior, citiusve movetur,
Quàm cui siccacutis miseris tantùm ossibꝰ hæret.
Huic desunt macie atque exhausto corpore vires,
Ille autem nimio fit carnis pondere tardus.
Utque ingens pelagus surgit majoribus undis,
Excelsosq; æquat montes, dū tartara Ditis
Ima aperit fluctus inter, tamen atra silēti
Gurgite

ano *Gurgite sevit hyems, taciteque profundius aequor,*
Sed magis à dira ventorum peste movetur:
Contra cũ strepitu magno, multoq; fragore
Parvus arenoso versatur littore Nereus.

530. ## *Horrendum.*

Spiræ episcopalis Germaniæ civitatis, qvæ ad Rhenum sita est, excitatus à monacho piscator, ut media nocte per Rhenum navicula cum fratribus suis eundem monachum duceret: piscator promissa pecunia victus, navem paravit, ac impositos monachos in medium Rheni super ratem duxit. Verum cum atrox tempestas orta esset, nauclerus vitæ periculum timens, Deiq; implorans auxilium, á monachis verberibus tractatus est. Et demum divino auxilio ad littus venit, verùm monachus cum sociis è cõspectu nautæ illico evanuit Nauta vero fere exanimatus, orto die, à puero domum ductus, eodem die obiit. Hoc spectrum elegantissimo carmine descripsit l. 2. Elegiarum Georgius Sabinus Brandeburgensis. Ut sup.

1530. ## *Hieronymus de Levandiro.*

Hic à Sansovino, aliisq; citatur, qvod nimirum vaticinatus sit, circa annum 1600. magna bella, multarum urbium atqve capitum interitus, regnorum atqve imperiorum divisiones, bella in Oriente cruenta, mutationesqve habituum esse exorituras, & morbos lethales inter homines grassaturos. Imperat. Carolo 5. Papa Clemente 7. ut sup.

530. ## *Polydorus Virgilius Urbinas libro de rerum Invent. 2. c. 11.*

Omnia ad hominum perniciem inventa sunt, & illud novitium inventum inprimis, qvod bombardam vocant, qvo post hominum memoriam nihil terribilius ab humano ingenio excogitari potuit, cujus inventorem fuisse tradunt hominem Germanum admodum ignobilem, cui casu in mentem venit tale qvid efficere.

Fertur enim homo ad exitium humanum natus, servasse aliqvando domi in mortario pulverem sulphureum, cujusdam medicinæ faciendæ caussâ, illudqve contigisse lapide tectum: & quod, dum ignem ex silice probe excuteret, scintilla intro ceciderit, subitoq; flamma eruperit, atqve lapidem in altum tulerit: at illum ejus rei caussam edoctum, postea factâ ferreâ fistula, & pulvere confecto, machinam reperisse, ac ejus unum Venetis in illo bello primum ostendisse, qvod ad fossam Clodiam est cum Genuensibus gestum, qvi fuit annus salutis 1380.

Is itaqve tam mortiferæ machinæ repertor, pro mercede, opinor, accepit, ut nomen ejus perpetuo occultaretur, ne omni tempore à cunctis mortalibus male audiret, dignus scilicet, qvi prior ipse, vice Salmonei, fulmine flagrasset.

Salmoneus enim Æoli filius, cum vellet Jovem in fulminibus jaciendis æmulari, ab eo de coelo tactus ad inferos detruditur, qvando hæc fulmini odore, luce, sonitu, impetu simillima est. Magnâ enim vi ignis collecti, emissis repente aut ferreis aut lapideis pilis, qvidqvid obvium offendit, qvassat, dissipat, frangit, contundit, adeo, ut nullus sane sit locus, qvamvis naturâ munitus, qvin facile expugnetur. Ex qvo jam usu venit, ut in ea hoc tempore omnis ferme vis peditum, omnis eqvestris splendor, omnis deniq; bellica virtus indecorè consistat, jaceat, obtorpeat. pag. 380.

Hæc bombarda vocatur à bombo, id est, sonitu, qvi βόμβος græcè dicitur: quidam alii tormentum æneum malunt nuncupari. Ejus multa fiunt genera, qvæ variè vulgo nominantur, & unum illud minimum, qvo nunc pedites utuntur, factitio nomine Sclopus vocitatur. Sclopus enim est sonus ille, qvi ex buccarum inflatione erumpit. Persius:

Nec sclopo tumidas intendis rumpere buccas.

Sed & alio nomine appellatur Arcusbusius, à foramine opinor, qvo ignis in pulverem fistulâ contentum immittitur: nam Itali busium vulgò foramen dicunt, & arcus, qvod instar arcus pugnātibus sit, qvippe hodie hujusmodi tormenti usus, in primo statim pugnæ loco est, qvem olim sagittariis dabant, cùm amissilibus præliari inciperent. Imp. & Papa ut sup.

Idem lib. 3. cap. 18. Adde præterea illud tormentum æneum, qvod bombardam vocant, omni admiratione & execratione dignum, ad perniciem hominum excogitatum, qvod haud adduci possum, ut humanum ingenium invenisse credam, sed mehercule potius, malum qvempiam dæmonem mortalibus monstrasse puto, ut inter se non modo armis, verum etiam fulminibus (est enim, ut alio loco diximus, qvàm simillimum fulmini) pugnarent, cujus autor Perilli exemplo, sicut opinor, monitus, non temere nomen suum occultavit, ne in se, uti merebatur, primum hujusmodi tormentum excogitatum experiri cogeretur.

Perillus enim, teste Plinio lib. 34. vir Atheniensis, ut Phalaridi, Agrigentinorum tyranno post hominum memoriam crudelissimo, placeret, ex ære Taurum artificiosissimum fabricavit, cui januam in latere posuit, ut cum reus inclusus subjectis ignibus torqveretur, mugitum, non hominis vocem videretur emittere: pro qvo opere cum à Tyrãno precium postulasset, in illo

Anno illo ipse includi omnium primus à Phalaride jussus, suppositis ignibus, artificii sui verum experimentū præbuit: de qvo Ovid. in 1. de Arte Amandi ita cecinit:

Et Phalaris Tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus,
Justus uterqve fuit; neqve enim lex æqvior ulla est,
Qvàm necis artifices arte perire sua.

1534. *Sebastianus Munsterus de Germania, l. 3. c. 174. de bombardis.*

Achilles Gassarus, medicinæ Doctor, & historiographus, diligentissimè scripsit mihi, bombardas anno Christi 1380. in usu apud mare Danicum fuisse, primumqve inventorem & auctorem extitisse Chymistam qvendam, nomine Bertholdum Schvvartz, monachum. Hic certe adinvenit opus mirabile, & quod tot præcedentium seculorum acutissima ingenia excogitare neqviverunt: qvod qvidam divinum, ac summè necessarium: alii vero satanicum, & perniciosissimum esse judicant.

Primi his nituntur Argumentis: Constat propter avaritiam extinctamqve charitatem, in fine malorum, turbam legibus coherceri non posse, nec qvemqvam tuto ire, vel milliare unum facere. Nam inceperant paulo ante bombardarum inventum facinorosum hominum cœtus & factiones multis in locis bonorum labores diripere & perdere, nec qvisquam potuisset illorum prædonum & latronum arces ex mōtibus, ubi se continuerunt, diripere & dejicere sine bombardarum ope. Non ergo recte plurimi damnant inventum bombardarum, sine qvibus boni tuto vivere non possent, sed nec tam potentes & opulentæ essent urbes, cum negotiatores mercaturā exercere non possent, qvæ præcipua pars sunt civitatum potentum & magnarum.

Qvare bombardarum hostes Dei dona desinant contemnere, nisi qvis diductum os canis, & dentes ad mordendum factos, damnandos putet: nisiqve qvis, cornua in bove non bonum Creatoris opus esse, putet. At nemo sanus damnat hoc genus partium, animalibus à naturâ datum loco armorum. Abusum ergo hic damnant, sicut & in bove, & cane rabie correpto, præstaret abesse cornua & dentes. Sed qvæ est creatura, qvâ mali non abutuntur?

Alii vero simpliciter hoc inventum, ceu satanicum & tartaricum, & qvo horribilius nihil unqvam sub cœlo sit excogitatum, quo pessimi Turcæ, Tartari, publicæ orbis pestes in perniciem bonorum utuntur. Hic nulla magnanimitas, nullum corporis robur, nullus bellicus astus, nulla arma, nullæ saxeæ arces prosunt: tormenta illa saxivoma, imo ferrivoma & ignivoma, omnia frangunt, conterunt, dejiciunt, & in nihil redigunt. Tollit unus ictus 100. aut 200. homines in acie constitutos, qvantumlibet ferro indutos. Fuit hoc Teutonicum munus Venetis delatum, qvando Genuenses in Clugiâ clausi à Venetis obsidebantur.

Sunt autem bombardarum varia genera, qvæ hodie vocantur Amazonæ, Basilisci, Luscimiæ, Qvartanæ, vulgo Cartunæ, Dracones, Serpentes, Falcones magni & parvi. Imper. Car. 5. Papa 226. Clemente 7.

Laonicus Chalcocondyles in libro de Reb. Turcicis, de bombardis sic inqvit: pag. 80.

Qvidam putant, Germanos Bombardis esse usos, iisdemqve bambardarum inventum acceptum ferunt: reliqvos autem bombardarios ex Germania progressos in universum paulatim venisse orbem. Floruit anno Dom 1490.

Alphonsus Ferrius Italus.

Scripsit librum de Sclopetorum vulneribus & pulvere tormentario. Floruit anno Domini 1553.

Polyd. lib. 4. Romani Pontifices, deosculandos pedes exhibendi morem à Christo se accepisse, prætexunt. At Christus non Magdalenæ osculandos pedes obtrusit, sed sponte peccata fatentem, & suam misericordiam non solum amplexu genuum, ut ethnici, sed etiam osculo pedum implorantem, ejus consolandæ causâ admisit: hoc ipsum honoris genus alioqvi non minus repudiaturus.

Sic qvoq; Petrus Cornelium Centurionem ad genua procidentem manu suâ sublevavit; Surge, homo sum, inqviens, tui similis: tantum abfuit, ut osculandos pedes exhibuerit. Decipimur specie recti, & sæpius cum Caligula pedes protēdimus, dum Christi humilitatem vel spernimus, vel fucato conservandæ Apostolicæ auctoritatis titulo exornare laboramus.

Carolus Magnus Adriani pontificis pedes osculatus scribitur à Blondo Dec. 2. lib. Crantzio in Metrop. lib. 2. c. Justinianus Imp. Constantini Papæ. Platina. Luitprandus rex Longobardorum Stephani secundi Papæ. Blondus Dec. 1. l. 10.

Nostri Antistites dextram manum aversam adeuntibus religiose osculandam porrigunt. Plinius lib. 11. dicit, religionem aliqvam esse in dextera, qvæ in fide porrigitur, qvæ osculis aversa appetitur. Testatur idem Apuleius l. 2. Asini sui.

Stephanus II. factus Pontifex, ob insignem vitæ integritatem, humeris omnium præ gaudio exultantium fuit sublatus, atqve

atqve in ædem Servatoris ad Lateranum deportatus. Qvem ritum deinceps servaverunt successores, ut se humeris satellitum circũferri, ethnico magis qvàm Christiano more, curent in hexaphoro: sic enim lectica illa apud veteres Rom. vocabatur.

Idem lib 6. cap. 11. vereor, ne iis in eb9 Diis potius gentium, quàm Christo gratum faciamus: inqvit, de traditionibus cum loqveretur.

Idem lib. 7. Qvia neqve vitæ instituto, neqve cultu, neqve certis ceremoniis nitebatur novus Carmelitarum cœtus, abortus qvidem, non res legitimè ab initio instituta visa est.

Idem. Primus honos Romano Pontifici habetur, ut si minus pulchro honestetur nomine, ei statim creato liceat istud mutare: verbi gratiâ, non extra jocum dictũ sit, si homo maleficus (nota benè, quales in Pontificem eligantur personæ) antea fuerit, ut Bonifacius appelletur: si timidus, Leo: rusticus, urbanus: si improbus, Innocentius: si ferox, Clemens: si malè audierit, Benedictus, ut saltem nomine Pontifex ornamento sit dignitati. Hujus rei author fuit Sergius secundus, Os porci prius appellatus.

Idem. Monachi & sacerdotes hoc tempore, à majorum viis aberrantes, ubiqve gentium, veluti jure suo immodicas opes comparare, malis artibus honores ambire, & tyrannidem exercere cœperunt. Et sub Rodolpho Abbate Hirsaugien. collapsam fuisse monasticam disciplinam, Trithemius in Chronico, indicat: propterea, qvod ei pocula & convivia magis curæ, qvàm pietas & religio fuerit.

Idem. Nullum inventum majores Rom. Pont. cumulavit opes, qvàm Annatarum usus. Annatas appellant primos fructus unius anni sacerdotii vacantis, aut dimidiam eorum partem. Hoc vectigal jampridem, qvum Romanus pont. non haberet tot possessiones, qvot nunc habet, & cum oporteret pro dignitate, multos magnosqve facere sumtus, impositum fuit sacerdotiis vacantibus, qvæ ille conferret. De qva qvidem re, ut gravi, sæpe reclamatum fuisse, testatur Henricus Hostiensis, qvi cum Alexandro IV. pont. vixit: sicut Franciscus Zabarellus tradit, post etiam in concilio Viennensi. qvod Clemens Vindixit, qvi factus est pontifex anno salutis humanæ 1305. agitatum fuisse, ut eo desito annatarum onere, vigesima pars vectigalium sacerdotalium penderetur qvotannis Rom. pontifici, & id qvidum frustra. Qvare Pontifex annatas in suâ nassâ retinuit.

Atqve hæc omnia in commentariis in cap. inter cætera, de officio ordin. scripta leges. Atqvi satis constat, rationem fructuum omnium majorum sacerdotiorum putatam fuisse, & summam deductam, qvæ cum vacarent, pontifici deberetur, qvæ etiam nunc impertitur ab iis, qvibus ea dantur sacerdotia, id qvod postremo Bonifacius IX seu Joannes XXII. primo fecerat, qvibus idcirco fuerunt, qvi Annatarum inventum assignarint.

Idem cap. 5. Bonifacio IX. Pontifice, descenderat in Italiam ex Alpibus Sacerdos, ingentem mortalium numerum trahens secum. Erat is alba indutus veste, ut colore sincero eam, qva præditus videbatur, animi integritatem præ se ferret: gestabat crucem, deplorabat rerum humanarum statum, temporum calamitatem, hominum peccata: petebat rectà urbem Romam, sperans futurum, ut ibi loci malum sanaretur. Seqvebatur ingens utriusqve sexus multitudo linteis induta, unde Albati dicti sunt: ubi nox oppressisset, ibidem humi jacebat, passim populis cibaria dantibus. Bonifacius Rom. Pontifex rem nihil æqvi bonive fecit: qvi honori suo timens, ducem agminis, ut flagitii convictum, Viterbii opprimendum curavit. Atqve ita omnis Albatorum cœtus dissipatus est, cunctis post amissum ducem domum pedem referentibus. Fuit is annus humanæ salutis M. CCCC. pag. 328.

Idem. Anno 1219. feria 6. ante Pentecosten, in Coloniensi & Monasteriensi diœcesi, triplex crux in aere apparuit, cum in istis partibus crux prædicaretur. Prima Aqvilonem versus candida, altera ejusdem coloris è regione ad Austrum constituta fuit. Inter has media visa est, cui hominis similis imago appendit. In Anglia cometes apparuit immensæ magnitudinis, terra vehementer mota est: tota hyeme audita crebra tonitrua, qvæ alioqvin æstivo tempore in Anglia raro accidunt: imbres continui: vehementissimi ventorum flatus, qvibus ædificia multa dejecta, & mare solito latius evagatum est.

Idem lib. 19. duos Franciscanos Londini necatos, asserit: qvod de religione parum integrè senserint.

Idem libro 26. Anno 1500. Caspar Pous homo Hispanus, doctrina pariter ac moribus clarus, missus est ab Alexandro 6. Rom. Pontifice, qui Anglis viam patefaceret, quâ Cœlum adirent. Agebatur Jubilæus Romæ, & ut longinqvi populi eò proficiscendi labore levarentur, Pontifex quaqua versum legatos misit, qvi eam cœlestem gratiam impartirentur Christianis, quib9 per bella, per itinera, per inimicitias minus Romam petere liceret. veruntamen non fuit gratuita liberalitas.

Alexander enim, saluti hominum prospiciendo, per honestam causam, suis qvoq; commodis serviendum, statuerat, quare precium suæ gratiæ constituit, & ut Rex Henricus VII. id fieri non impediret, partem gratiæ offerebat, ac ut populus libentius

rius juvaret, prædicabat, se primo qvoqve tempore bellum adversus Turcas suscepturum. Ita pecunia non mediocris confecta est, nec bellum tamen inchoatum.

Idem. An. Dom. 1125. Joannes Cremensis, tituli S. Chrysogoni Cardinalis presbyter, ab Honorio 2. Papa missus fuit in Angliam, à latere legatus. Hic in Synodo Vuestmonasteriensi eodem anno damnavit in clero non solum conjugia, sed & omnem fœminarum usum. Qvod cum gravissimè sacerdotes tangeret: & jam ante odorati fuissent, Cardinalem illum esse fœdissimum scortatorem: ita cœperunt eum observare, ut nocte inseqventi, cum meretrice famosâ in lecto concumbentem, ruptis clausuris, invenerint. Qvo ille probro affectus, Romam confusus rediit: & sacerdotes ad suas mulieres.

Sed vide hoc loco historicorum hypocrisim, potius impia furta, ne prælatorum sanctitas offendatur. Nomen hujus viri, nullo certe ejus damno, minimè editum est. At Matthæus Paris scribit, grande fuisse scandalum. Qvomodo ergo poterat ejus nesciri nomen? Rogerus Hovedenus dicit, apertissimum fuisse id facinus, qvum editum esset Londini (inqvit) ubi ingens est testium copia. Occultari non poterat (Henricus Huntingtonus ait) nec palliari debebat opus inverecundum.

Simili etiam dolo utitur Platina in Arnulpho. Fueritné (inqvit) hic sanctissimus vir, presbyter, an monachus, an Eremita, haud satis constat: sunt qvi scribant, Honorio ipsi displicuisse, non tamen tanti facinoris authores umqvam inventos.

Idem. Anno Domini 1297. Bonifacius 8. cleri immunitati consulens (inobedientiæ potius illius, qvi jubet censum regibus dari) in qvodam concilio interdixit, ne posthac principes sacerdotibus tributa imponerent, néve illi imposita conferrent, sine jussu Roman. Pontificis. Id præscriptum extat in libro 3 Sexti Decretalium, cap. 3. Hoc non iniqvum est adeo, qvamvis Dei præcepto contrarium.

Postqvàm verò Eduardus Anglorum Rex ex Scotiæ bello reversus, ut par erat, tributum petiisset, populus, imparatam pecuniam se soluturum, dixit. At sacerdotes responderunt, id sibi facere per Pontificis Romani præscriptum minus licere. Eo responso, rex iracundiâ permotus, bona sacerdotum passim publicari jussit, qvi indictum tributum pernegassent, &c.

Pallium unde, ex eodem.

Est & aliud quoqve inventum emungendæ pecuniæ: Papa enim insigne qvoddam honoris & dignitatis Archiepiscopis Metropolitanis confert: imo vendit è lino confectum atqve lanâ: idque vocat pallium. Redimitur autem magnâ vi pecuniæ, & qvidem intra spacium trimestre, neq; licet Archiepiscopis inaugurare aliqvem, nisi prius accepto, vel potiùs empto pallio, & præstito juramento obedientiæ: cujus forma alibi est descripta.

Idem in Historia Anglicâ. Atq; ita per idem tempus, monachi in alia, alibi sacerdotum collegia venerunt: ac deinde velut jure suo ubiq; gentium opes immodicas sibi comparare cœperunt, qvod posteris damno fuit. Dum enim monachi divinis duntaxat rebus vacantes, hominum cœtum fugiebant, ac solitudines, unde sibi nomen vendicant, qværebant, tum profectò monasticæ vitæ institutum ritè servabant: contrà, ubi omissâ solitudine, celebritatem colere, ubi divitias recipere libuit: incredibile dictu est, qvantum à majoribus suis degeneraverint: qvippe qvos etiam invitos humanarum simul rerum curam suscipere oportuit, qvæ bonam hominis partem semper occupat. pag. 7

Qvid, qvod eadem divitiarum pestis sic reliqvos pariter sacerdotes pervasit: ut magna pars á prisca pietate patrum, ad tyrannidem exercendam versa sit? cum perpauci sciant illud cavere, qvod vetat propheta: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Illi enim partim sanctitate vitæ, partim suo sangvine sacerdotii decus auxerunt: isti auctum licenter vivendo, non satis bene servant? illi honores oblatos cunctanter & verecunde acceperunt, eosq; aliis optimis quibusque detulerunt: isti malis sæpè artibus ambiunt eosdem, ac mox acqvisitos insolenter exercent. Et ut in illis multum liberalitatis, & innocentiæ fuit: ita in istis multum aliqvando avaritiæ, ac improbitatis.

Illi deniqve paucis contenti, temperanter vixerunt: at isti opibus, ut ita dicam, oppressi, pro suo jure vitam degere neqveunt, dum in alios hospitales esse coguntur. Qvæ sane humanitas (ita enim vulgo vocatur) tantum abest, ut humanitas sit: ut per hoc servitus potius, & qvidem longè pestilentissima habenda, qvando ejus rei causa sæpe sacerdotes peccant. Qvotus enim qvisqve est, cujus sensus non titillentur, postqvam multum biberit, sese qve variis ciborum generibus fartim saturaverit? id qvod velint nolint interdum illi sacerdotes, qvi domos valdè hospitales habere humanis coguntur legibus, faciunt, dum alios laute pascunt.

Idem lib. 4. Angl. hist. Eduinus cum esset in exilio, & angeretur de suis rebus propter pericula, nocte intempestâ per hominem ignotum, & subito evanescentem, accipit oraculum de regno recuperando, & suscipiendâ Christianâ religione.

Idem libro 8. S. Eduardus tertius, rex Angliæ, fuit clarus miraculis: solo tactu morbum strumæ sive scrophulæ sanabat: quod

qvod divinum munus ad posteriores aliqvot Angliæ reges manavit: sed prius recitatus qvibusdam hymnis, nec sine sacris ceremoniis.

Idem de prodigiis lib. 3. Omen ex qvavis re accipi solet: nam ex aurium sono bonum, vel malum: ex vini salisvè effusione in mensâ, observatur etiamnum aliqvid. Item nostrorum qvoqve monachorum occursus, præsertim matutinus, vulgo ominosus habetur.

Idem alibi. Anno 1494. Joannes Tisseranus Minorita ex meretricibus publicis effœtis, Parisii novum ordinem instituit.

Idem lib 8 c. 1. de Invent. Alexander VI. cujus Pontificatus incidit in annum humanæ salutis M. D. Sixti secutus institutionem, cœpit Jubilæum non modo Romæ, sed etiam in longinqvas provincias ac stationes ubiqve gentium propè vicatim instituere: idque tam sui, qvam populi Christiani commodi causâ, uti ajebat, fecit: qvo eum labore petendæ urbis levaret.

Idem. Anno Domini 1391. multarum rerum agendarum causa, concilium habitum est ad Vuestmonasterium. Eo in concilio regi atqve principibus visum est, è Republica Anglicana fore, si Rom. Pontificis autoritas Oceano terminaretur. Qvapropter sancitum est, ut nulli mortalium deinceps liceret, pro qvavis causa agere apud eundem Pontificem Romanum, ut qvispiam in Angliâ ejus authoritate, impius, religionisqve hostis publice declararetur, hoc est, excommunicaretur, ceu vulgo dicitur: néve exeqvi tale mandatum, si qvod ab illo haberet. Pœna vero his constituta est, qvi legem violassent, ut amissis omnibus bonis, vitam perpetuo in carcere agerent.

Idem. Sic (inqvit) qvotidie sunt, qvi, ut ignaviæ suæ potius qvàm religioni consulant, novas sectas introducere connantur.

Et in fine cap. ejusdem. Qvotidie à novis hominibus novæ introducuntur religiones, inter se tam vestitu qvàm ratione vitæ minimè convenientes: perinde qvasi vitia animi (cujus ductu ad bona seu mala nos applicemus, necesse est) tantummodò extrinsecus per ejusmodi studium possint penitus evelli.

Item cap. 3. Sæpe more fungorum subito oriri solent.

Paulo post, de Carthusianis loqvens, adjungit aptissimè: Mulieribus ad eorum etiam templa aditus interdictus, ne aliqvid videant, per qvod ad libidinem rapiuntur. Bella sane provisio, si affectiones animi possint claustris compesci, & caro solitudine & ocio domari, id qvod Hieronymus valde laborando (ut ipse testatur) efficere vix potuit.

Rursum cap. 4. de Franciscanorum subitaneo incremento agens: Totum, inqvit, terrarum orbem una hæc implevit familia, sic, ut vulgus jam tum stupefactum suspicaretur, non tam pietatem, qvàm otium & ignaviam interdum multis cordi esse.

Cap. 5. de recentiore Francisco, & secta, qvam Inertiæ appellat, dicturus, sic præfatur: Novissime ignavissimo cuique jam novæ religionis introducendæ libido incessit, &c.

Idem cap. 3. haud scio, inqvit, qva ratione isti monachi debeant in mendicando semper hærere: qvando satis constat, CHRISTUM non mendicasse, & Apostolos non expectasse ab aliis victum, otiosos, scribente Paulo ad Corinth. & laboramus operantes propriis manibus: ac primos monachos in Ægypto, teste Chrysostomo, exercuisse se manibus laborando. Idem Divus Franciscus, cujus secta longè freqventissima est, voluit, suos monachos victum qværere manuum laboribus: ac non prius ad mendicandum aggredi, qvàm laboris pretium esset negatum. Igitur hinc videre licet, omnes æqve debere Apostoli institutum seqvi. pag. 324.

Idem. EDUARDUS III. Anglorum rex, cum exactores tributi populo impositi, aliqvando ingentem acervum pecuniæ ex eo tributo collectæ, delectandi ipsius animi gratia, coràm adduxissent, subito dæmonem circa ipsum acervum ludentem videre visus est, & ob id hujusmodi pecuniam, ut rem funestam, abhorrens, illico auferri ab oculis, restituiqve populo jussisse, fertur.

D. Josephi Grunbeck prognosticon, ab anno trigesimo secundo usqve ad annum qvadragesimum Imperatoris Caroli Quinti pleraqve futuras Historias continens. Anno 1532.

Qvum admirabili divinæ dispensationis gratiâ, sub piæ admonitionis formâ, plures libros, ad universæ Christianæ reipublicæ ordines, in medium emiserim, opinatus, qvod ejuscemodi salubribus exhortationibus sanior morum & legũ vel institutio, vel ordinatio subseqvi deberet: attamen tot incidunt rerũ discrimina, tot pericula, & infortuniorum genera: ut nullus bonæ institutionis, aut reformationis modus inveniri possit. Qvâ ratione scripta mea & aliorum, vel despectu dilabuntur, vel in oblivionis tenebras demerguntur. At miseris mortalibus in firmamento, & in stellis nulla ab humanis incommodis & temporum injuriis, reqvies conceditur: omnibus horis dirissima fata in nos desæviunt, nullum ut unqvam à rerum exordio tempus tam calamitosum ingruisse videatur.

Nova indies ostenta, prodigia, & portenta è cœlo scaturiunt, qvæ fragilitatem nostram

tam graviter pulsant, molestant, deturbant, & confundunt: non mirum foret, desperatio totam mortalitatem unico conatu conficeret. Unde fidelis Christiani officio perfunctus, scripta mea è tenebris revocare, & qvædam prodigiosa signa describere institui: ut pusillanimes certum consilii asylum, qvo suis in tribulationibus confugiant, apprehendere possint.

Ex qvo antiqvæ historiæ novis manum porrigunt, malorum omnia discrimina, qvæ superioribus temporibus in lubricitatem humanam ingruerunt, & nostram præsentiam hodie territant: similibus ex caussis emergunt. Aut enim divina ex vindictâ, aut naturalibus rationibus, aut sceleris peculiari conqvassatione: eorum igitur immissorum hominibus certas historias subnectere volui.

Eo tempore, qvo Deus super Babylonicum populum excanduit, furorisqve sui spiculis conficere voluit: Ganges fluvius Indorum tanta exundationis vi per rupium abrupta Babylonicam in planitiem perlatus est: universa ut terra aqvis obtecta, innumeros homines cum habitaculis suis absorpserit.

Alio rursum tempore, qvo Alexander magnus Judæos, qvos rufos appellant, Caspiis in montibus conclusit: Euphrates, ad omnes Arabicæ gentis fines effusus, & Arabes & Persas ultimi periculi necessitate concussit.

Qvo tempore Antiochus in Ægypto rerum potitus est: Nilus præter naturæ cursum ad ortus principia, impulsibus horribilis tempestatis coactus, Alexandriam & universam Ægyptum mediis undis immersit.

Tempore Regis Davidis Jordanus fluvius retrorsum actus, universam Jerusalem inundavit: qvemadmodum tempore Julii Cæsaris, è *Galliis* cum reversus Romam ingrederetur, per Tiberis effluxum tota civitas undarum procellis impleta est.

Novæ historiæ, ceu nosmetipsi vidimus & audivimus, hanc veritatem exhibent. Anno trigesimo, octavo die Octobris, marini fluctus Tiberim tanto procellosarum tempestatum impetu, in principii meatus compulerunt: ut tota urbs undis immersa fuerit, plurimaqve damnorum detrimenta incolis intulerit.

Qvinto die Decembris vehementissima tempestas super Flandriam, Holandiam, & Selandiam grassata est, qvæ Antverpiam, & plures alias urbes in medio lacu constituit, ripas diremit, ædes confregit, & multa millia hominum in profundum demersit.

Sunt & alii terrores è cœlo expectandi, qvorum stellæ ipsæ, cùm erraticæ tum fixæ, primaria causa esse possunt: sicuti certè Luna in die naturali, bis in epicyclo suo ascendendo, mare attrahit, atqve super ripas evectum dispergit, & rursum bis demittit: ita qvando stellæ fixæ cum sole operantur, ejuscemodi portentificos terrores ingenerare solent, qvorum effectus qvadragesimum usqve in annum perdurabunt.

Anno trigesimo secundo, Aqvila ab occidente mota Noricas in Alpes, in Iconum latibulis novem mensibus conqviescet. Interim Draco iste venenosus, qvi flatu suo universam terram inficit, Austriacam gentem turbaturus, venenum suum per ducenta milliaria ad omnes partes Orientis & Occidentis sparget: movebitur tota Germania: ad arma lugebunt Pannones, Siculi, Jazyges, Metanastæ: Italia terrore concutietur magno: nec Batavi, Morini, Angli, Hispani, Galli hoc toxico carebunt: Aqvila post novem mensium complementum evolabit in Italiæ confinia: interim Rheni Danubii, Niceri, Junari, Eni, & Athesis accolæ emortuam pacem deplorabunt: hoc tempore omnes Satrapæ consiliis oberrantes, varia perferent solicitudinum discrimina.

Anno trigesimo tertio Italia partim ridebit, partim audiet clangorem tubarum, & crepitum armorum in nubibus: tribulatio & angustia circumvallabunt omnes maritimas urbes, pax & victoria pluribus in Germaniæ locis exarescent: fames & sitis florebunt: vespæ, & ichneumones omnia Siciliæ, Apuliæ, Insubriæ loca, Hispanicas, & Gallicas oras infestabunt: Regnum Babylonicum intrinsecis factionum tumultibus disturbabitur: Agarenorum, & Azuenorum secta exscindi & annihilari incipiet.

Anno trigesimo qvarto, Babylonica ista meretrix, qvæ Draconi cum septem capitibus insidet, à suis amatoribus derelinqvetur, atqve præ tristitia exarescet.

Aqvila grandis in Draconem alas suas conjiciet, seqve in ejus latibula ingeret: advolabunt tum omnia volatilia cœli, & reptilia universa implebunt totam Thraciam. O qvantum tum gaudium universos Christianos circumdabit? Ovabunt in omni lætitiæ triumpho, & cantica canticorum decantabunt: dividentur gentes ab extremis oris terræ in Euboiam, Parthiam, Acarnaniam, Bœotiam, Epirum, Etoliam, & Armeniæ, & Persiæ ditiones supervolabit Christianitas.

Anno trigesimo qvinto, Aqvila alas suas extendet super universas Sarmatiæ gentes. Rex cui in fronte signum crucis impressum est, igneo fune sese in has oras demittet: atqve universa insigniorum ornamenta, & divitiarum spolia auferentur: Christianorum lascivia, & pecuniæ libido plures vastabit terras.

Magnus ille Tartarorum titulus, ut Imperatores nominentur, abolebitur: Ta-

nais fluvius gazas omnes in Moscobitas, Polonos, & Sicambros transferet: ingruet generalis mundi mutatio, & in hac Hispania, Germania, & Italia crinali gloriæ adornabuntur.

Anno trigesimo sexto, omnium diametralium radiationum, qvæ anno vigesimo qvarto, decimo nono die mensis Februarii obvenerunt, significationis diffundentur varias in nationes, qvæ variis incommodorum, periculorum, & infortuniorum tempestatibus conqvassabuntur. Caveant Veneti, Insubres, Ligures ab omnibus consiliorum, deliberationum, & subsidiorum studiis, ne summæ infelicitatis lanceis confodiantur: Respublica dilabetur, & intrinsecis factionum motibus dilacerabitur.

Aqvila Indicas in regiones volatum diriget, nidumqve Sericis in regionibus extruet: pullos ejus pavebunt Phœnix, struthiocamelus, Gryphus, & omnes Indorum aves: Elephas, Tigris, & panthera, Germanicis & Hispanicis Leonibus, canibus, & ursis parebunt: duo potentissima regna, Romanorum, & Græcorum pristinum in statum consurgent.

Anno trigesimo septimo, tota Africa novam faciem induet, Hispanorum enim & Lusitanorum armis confundetur, & in potestatis angustiam redigetur: sublimitas terræ æqvabitur plano solo, & Atlantico in mari crocodyli alimentum conqvirent.

Anno trigesimo octavo, Aqvila divertet volatum in Ægyptum, ibidemqve ingentes & innumeros nidos eriget omnibus volatilibus cœli: pullos suos excubandi locus relinqvetur: confluent omnes gentes ad Dominicum sepulchrum: miscebuntur Hierosolymis mores, conditiones, leges, & lingvæ omnium populorum, templum Domini exædificabitur: & pax & securitas mundum hoc anno moderabuntur.

Anno trigesimo nono Saracenus in terra Ægypti, & cæteris, vicinis regionibus nullus nominabitur: omnes colles erga valles se inclinabunt: omnes sectæ & religiones uno vinculo colligabuntur: Judæi per mundum dispersi, ut consolationem Messiæ, qvem tum futurum sperant, capessant, in Armenia, Persia, & Ægypto congregabuntur: at Christianis resistentibus, effusio sangvinis per totam terram diro modo continuabitur.

Anno qvadragesimo, qvo omnium Planetarum in piscibus congressus, & oppositiones effectus suos implebunt, generalisqve Solis eclipsis omnia loca obumbrabit, Aqvila altissimum montem conscendet, seqve in tenebris abscondet: ut à nulla volucri attingi possit: qvem cùm filius perditionis subseqvi conatur, à volucribus cœli disperditur: post cujus interitum Aqvila & Phœnix sese circa sepulchrum crucifixi concordia unient: post qvæ gesta Monarchia mundi sectam Nazaræorũ, qvæ ultima inter sectas nominatur, penitus extirpabit: interim omnia occulta Dei judicia manifesta erunt, qvo usq; omnes prophetiæ impletæ fuerint. Qvod partim naturalibus rationibus, partim divinis ex vaticiniis depromere volui. Imp. & PP. U. S.

Idem scripsit qvoqve librum, cui titulus est, Speculum naturalis, cœlestis & propheticæ visionis, omnium calamitatum, tribulationum & anxietatum, qvæ super omnes status & nationes Christianæ Reipublicæ, proximis temporibus venturæ sunt. Et jam dicto titulo præsentem apposuit imaginem. pag. 326.

Inscripsit librum Bernhardino Cardinali, & statim in præfatione Ecclesiæ abusus carpit. Age lumen, ait, divini ingenii, sapientiæ, solertiæ, & doctrinæ tuæ, qvibus Dei & naturæ dotibus omnibus Romanæ Ecclesiæ ornamentis antecellere diceris: qvicqvid errorum, malorum rituum & consvetudinum, sceleris & iniqvitatis, discordiarum, factionum & prælorum offenderis, omnia, qvæ sunt causæ ejuscemodi malorum, abigas. Sin hoc ipsum negligentia præterieris: omnia in summæ confusionis tenebris, & ultimi interitus fluctibus deperibunt.

Et infra. Conjice considerationis tuæ oculos in mores præsentes: & videbis omnem spurcissimarum abusionum atqve contaminationum saburram: qvâ navigium Ecclesiæ nimis oneratum altis mergitur afflictionum paludibus. Cernes & innumera multo atrociora, qvàm hactenus, calamitatum spicula: qvæ fatorum ex officinis pendentia & corporibus, & animabus nostris minitantur interniciem. Qvare sine rubore fateri audeo: nisi nauclerι primores Ecclesiæ gubernatores mox consolidaverint navigium Petri, & obstruxerint in ejus fundo omnes rimas, per qvas privatum commodum, fraudes, fallaciæ & summa perfidia, ad hominum cætus influere solent: & omnem pestiferarum consvetudinum, perversorum morum, usuræ, versutiæ, & omnis falsitatis saburram sedulo exhauserint, facilis adversitatis auræ accedere qveat, qvâ in medias destructionis syrtes delati, nulla laborum vi idipsum à naufragio tueri poterunt.

Nunc n. tempus adest, qvo persecutio Cleri passim debet per omnes Ecclesias grassari, & plures etiã Ecclesiæ à fũdamẽto dejici.

Est n. cunctis mortalibus cognitum, vix unqvam aliqvid pravi9 & corrupti9 humana in natura visum vel auditum esse, hoc ipso vivendi modo, qvem Christiani, præsertim illi qvi Deo dicati sunt, hodierno die exigunt, posthabitis justorum divinis regulatio-

velationibus, & cœlestis disciplinæ sanctorumq; prophetarum mysteriis.

Nostro namqve tempore multa prodigia in cœlo, & in terra portentosa monstra hactenus apparuerunt, quæ apparitiones nunqvam sine ingenti rerum mortalium mutatione prætereunt. Ceu cum apud Persas sanguine plueret: appareretqve in nubibus ingens hiatus: in cujus medio Solis splendor bullire, nubeculasq; omnes passim absorbere videretur.

Apud Medos stella viri armati ac equo insidentis speciem commonstrans: item pag 327. super Hierosolymam tempore Machabæorum, & super Romam paulo ante adventũ Christi multa portenta, exercitus armatorum, clangores turbarum, crepitus armorum, fulgura, stellæ crinitæ, halones, cruces sangvineæ, quæ in mulierum pepla deciderunt, prodigiosæq; lactis & sangvinis pluviæ apparuerunt.

Et inficiari nemo potest, vix ulla hominum ætate tam crebra & stupenda prodigia mortalitatem occupasse, quam his nostris diebus, magno cum terrore, contremiscentia, & animorum dejectione, cernere solemus.

Solet enim Deus subinde mortales piis admonitionibus ab indecoris moribus omniqve illicito facinore cohibere: & non obsequentes flagris cædere, pertinacesq; omninò perdere.

Vivitur ita spurcè turpiterqve hoc ævo, quod nullo unquam tempore humanitas vitam turpius exigisse videtur.

Væ, Væ igitur pertinaciæ: væ turpitudini scelerum: Unde & nobis nihil boni, sed omnia denunciant mala, & horribiles calamitates. Vereor per immortalem Deum, vereor, ne hoc sit tempus miseriarum, & calamitatum, in quo omnium sanctorum patrum vaticinia convenire solent: scilicet quo universalis Ecclesia multifariam conquassari debeat.

Timeo, ne populo Christiano, & imprimis nobis Ecclesiasticis, hoc idem, quod Iudæis solebat, obventurum sit: qui cum multa Hierosolymis, & oculis & auribus capesserent stupenda portenta, audirent & in sacro templo horribiles sonitus & commonitiones: at cum omnia vilipendio præterirent, desolatio tandem totius regni inseqvebatur: ita vereor, ne ista apparitio prodigiorum, crucis, cùm ea contemtu & ludibrio perseqvamur, abscessum crucifixi à populo Christiano portendat.

Nam ut in Ierosolyma, qvæ erat caput, Judaicarum gentium, occurrebant ejusmodi monstrorum terriculamenta: ita jam æterna vindicta permittit, ea in Germania, qvæ propter Imperii culmen caput censetur Christianæ Reipublicæ, apparere. Ac etiam qvemadmodum sacerdotes sentiebant, hæc signa, & in sancto sanctorum priùs, & deniqve in Synagoga fieri, qvam Regnum exterminabatur: ita nos primi vidimus sæpe dicta ostenta crucis in aris, & sacerdotalibus ornamentis.

Sed proh dolor, nos flamines sancta crucifixi monstra, & æternæ ultionis anteambulones, priores secularibus, risu & subsannatione, tanqvam puerilia deliramenta, abigimus: sicut & penè priores sumus in ocio, luxu, avaritia, tabernis, emporiis, popinis, venationibus, ludis, choreis, dimicationibus, & in omni fœda administratione.

Haud longe igitur, si non illico fuerimus conversi à via nostrâ malâ, abesse potest: qvin eam in calamitatum paludem delapsuri simus, qvâ Judæorum cæca temeritas interiit. Inter spirituales & seculares viget nunc turpis qvæstus, & aurum pro Christo colitur.

Nunqvid igitur tanta scelerum spurcitia perpetuo est duratura? Creatórne in æternum est passurus, fætorem delictorum nostrorum in divinum conspectum suum conscendere? Longè abesse non potest, qvin omnia pœnarum tormenta, qvæ superioribus seculis gradatim in Judæorum & gentilium flagitia truculentissimè decussa sunt, jam simul multo etiam & rariora & atrociora sint in nos sævitura.

Idem. Divinæ illæ Prophetiæ per Esaiam, Jeremiam, & Ezechielem aliósve prolatæ, non ad tempora Regum Israelis & Judæ, sed ad præsentia qvoqve & qvævis futura tempora, qvotiescunqve Vinea Domini arescere, & fructus malos producere incipit, referri debent: sed inprimis ad hæc nostra tempora, ubi vinea Domini adeo sceleribus obsita & occupata est, ut nulla vitis bonum fructum ferens in ea reperiri qveat, accommodari possunt appositè: qvia enim (proh dolor) superbia, lascivia, avaritia, & alia abominabilia scelera in vinea Domini invaluerunt, qvid certius ex prophetiis conjici potest, qvàm ira æterni vindemiatoris Jesu Christi, & eradicatio gravis sentium, & spinarum, (hoc est, scelerum) per famem, bella, pestem, & alias pœnas, qvibus ad extirpandos malos fructus, id est, opera mala, pro ligonibus & falcibus semper usus est, ut passim locorum est videre.

Quinimo etiam Esaias capite octavo istius vineæ omnimodam vastationẽ prædicit, ita ut nec bidentibus coli, nec falcibus amputari, nec cœlitus vel imbre vel rore fæcundari amplius debeat, sed tribulos, & spinas eam vineam, id est, Ecclesiam (Romanam, de qva loqvimur) superaturas, & in cæcitate diabolica sua, & pertinacia omnia esse interitura.

Idem ex Ezechielis octavo capite, ubi qvatuor,

qvatuor, plebeiorum, Nobilium, Clericorum inferiorum, & Magnatum Ecclesiasticorum idololatras recenset, inqvit: Ecclesiastici minoris conditionis, ut ociosæ fœminæ Adoniden amatorem veneris foventes, propter defectionem venereæ potentiæ plorant noctesqve diesqve, & hæc est unica eorum cura, qvomodo magistrum suum Priapum lauticiis, cupediis, dulcibus potibus, & vinis nobilissimis, ungventisqve preciosissimis nutriant, & vires ejus valentiores in longum tempus protrahant, & si mœchati fuerint, præ cæteris laudentur: & sic cupidinem amoris Deum colere & adorare consveverunt, pro vivente & vero Deo, inq; eo toti sunt, ut nūqvam ab ejꝰ cultu desistant, identidem exultent, plaudant, laudent eum alienis uxoribus, virginibus, viduis, & monialibus.

Deinde verò proceres Ecclesiastici, Abbates, & Episcopi non minoribus se coinqvinant vitiis, terga templis præbent, & exorientem solem adorant, hoc est, omnem diligentiam adhibent, qvomodo bona temporalia & caduca coacervent, officia divina, rempublicam, animarumqve salutem negligunt, & omnia scelera & malitiam impunè perpetrari patiuntur: ideoqve exclamat vindicta Domini, oculus meus non connivebit, nec miserebor: licet aures meas impleant ejulatibus, non audiam. Si ergò non auditurus Deus est, qvàm diu qvæso putas Naviculam Petri in tot fluctibus & syrtibꝰ duraturam?

Idem super Prophetiam Ezechielis capite vigesimo tertio de duabus sororibus, unius matris filiabus, Oolla majore, & Ooliba minore, inqvit: Deum circa finem mundi populum excitaturum, & in nostras terras dissipaturum, ut nostram iniqvitatem & neqvitiam puniat, & evellat, ut sæpe passim factum est.

Oolibam autem minorem sororem (id est, spirituales) eo, qvod plus qvàm Oolla, (id est, seculares) peccaverit, ab inimicis suis, id est, peccatis, & naso & auribus privandam esse, id est, omni potentia & dignitate orbandam: & si qvæ remanent, ferro excindenda esse, & undiqvaqve ignominia afficiendam, ita ut præ angustiis nescitura sit, qvo se vertat.

Idem in fine speculi prædicit, de clinodiis & vasis pretiosis, qvibus sacra fiebant, fore, ut Principum & Regum mensæ onerentur, & futurum esse, ut de spiritualium pecunia bella gerantur, & exercitus alantur: propterea, qvod lupanaria, & tot qvidem in urbibus extruantur, qvot uncti ibidem inveniantur, & qvod omnes impietates & alia innumera flagitia tutò passim committantur, ut argumento sunt cunæ, qvarum numerus apud spirituales librorum numerum excedit.

De hoc Grunbeckio seqventia narrat Illyricus.

Dicit etiam, eodem tempore fuisse sanctum qvendam vatem, qvi per omnia Ecclesiarum limina discurrerit, & pœnitentiam Christianis, futurumqve exitium comminatus sit. Recitat qvoqve vel summam vel etiam partem alicujus ejus concionis, cujus aliqvot lineas & ego adscribam.

Expergiscimini (inqvit) ô viri Christiani, è gravi scelerum somno, atraqve mortis caligine: auriumq; & omnium sensuum vestrorum corda rescindentes, verba mea intentissime percipite: qvia legem Domini Dei nostri in latrinam, & omnes ejus divinos sermones in oblivionis & contemtus cloacas abjecistis: cœpistis virtutum in exercitatione prorsus delirare, in malicia sapere & prudentissimi esse: omnem æqvitatem & justitiam subvertere: pupillorum & viduarum sudore inebriari: patrimonium Christi scortorum deliciis dissipare: ac etiam efferatam libidinē vestram stupris, adulteriis, incestu, & omni illicito concubitu, inexplebilē vero habendi voracitatem furtis & sacrilegiis explere: deniqve Dei templum per scelus & summam iniqvitatem vestram, constitutum est lupanar, & domus furum atqve latronum, in qvo non celebres hymni, sed blasphemiæ cœlestis Principis resonant. Propterea extant adhuc pauci dies, &c.

In hisce sanctus iste propheta, qvànqvam videatur omnes Christianos compellare, tamen (meo judicio) præcipuè sacerdotes alloqvitur. Nam objicit eis, qvod patrimonium Christi scortorum deliciis dissipent, qvod ad laicos non potest pertinere: item, qvod ex templo Dei fecerint lupanar, & domum furum: item, quod legem Domini & ejus sermones abjecerint, & obliti sint.

Affirmat qvoqve idem Josephus, fuisse aliqvando ante ea tempora, qvendam justum, sanctum, & Zelo Dei plenum virum, qvi prædixerit, gravem persecutionem spiritualibus per omnes Ecclesias ob eorum scelera imminere, eversionemqve multorum templorum: ideoqve suo tempore, ait, nullum sermonem freqventiorem in omnium ore fuisse, qvàm jam imminere exitium spiritualibus, ob eorum turpem & sceleratam vitam.

Eodem qvoqve suo tempore, ait, cruces super vestes cecidisse, qvod & alii historici indicant. Interpretatur autem ipse id signum ita, tanqvam DEUS homines & ad agnitionem peccati, & spem veniæ vocaverit. Dicitqve, primum in Ecclesiasticis indumentis & sacerdotum vestibus conspectas fuisse.

Anno

Creditur, Deum eo signo Christianos admonere voluisse crucis Christi, id est, doctrinæ de passione Domini: ac indicare, se brevi large cognitionem Evangelii super omnes homines effusurum esse.

Omnia ergo ista, & prophetia istius sacerdotis, & conciones illius sancti Prophetæ, & deniqve vaticinium illius justi viri, de qvo ipse dicit, fuerunt (meo sane judicio) ideo spiritualibus à Deo proposita, ut pœnitentiam agentes, imminentes calamitates effugerent: sicut solet Deus facere, cum securis ad radicem arboris posita est. Nam vix decennio post venit Lutherus, qvi Papam cum suis sacrificulis evertit.

pag. 329. 1530.

Vestis Monachorum.

Hoc tempore eo fuit deventum, ut putaretur, etiam Monachorum vestes ad conseqvendam æternam salutem conferre: & multi, cumprimis autem Magnates ita sepeliri vellent, Mantuæ Marchio Franciscus, Albertus Carporum Princeps, Christophorus Longolius vir doctus: & alii, Imp. Carolo 5. PP. Paulo 3.

1530.

De cucullatis Steph. Doletus Gallus:

Cucullatorum habet
Grex it subinde in ore, se esse mortuum
Mundo; tamen edit eximie pecus, bibit
Non pessime, stertit sepultum crapula,
Operam veneri dat, & voluptatum assecla
Est omnium. Idne est mortuum esse Mundo?
Aliter
Interpretare: mortui sunt hercule
Mũdo cucullati, qvod iners terræ sint onus,
Ad rem utiles nullam, nisi ad scelus & vitium.

Imp. & PP. U. S.

1530.

Jacobus Sodoletus Episcopus Carpentoratensis.

Scripsit inter alia multa de emendatione Ecclesiæ, & consolationibus in adversis. Imp. Car. 5. PP. Clem. 7.

1530.

Christophorus Longolius.

Fuit Belga, & Cardinalis Patavii, moriens Minoritano habitu sepeliri voluit: ne, qvi toto vitæ tempore plus Ciceroni, qvàm religioni, studuisset, Ciceronianæ reus hæreseos, â cœli claustris repelleretur. Auctor vitæ ejus. Imp. Car. 5. Papa Clem. 7. ut supra.

Idem jussu Papæ in Lutherum scribere cœpit, sed morte citius abreptus, nihil præstare potuit. Ibidem.

1530.

Bernardus Girardus Historiogr. Gallicus, libro undecimo.

Excommunicatus Frid. Imp. 3. se liberavit 120. libris auri, sed non diu stetit promissis Pontifex. Imp. & PP. U. S.

Idem. Tempore Clementis Papæ, cum in Gallia Carolus sextus regnabat, disciplina Ecclesiastica nulla in illis mendicantium ordinibus visebatur. Symonia regnabat, & morum turpitudo apud omnes Ecclesiasticos. Academia Parisiensis ea teterrima vitia in iis, qvi exemplar bene vivendi aliis deberent esse, palàm tunc damnabat, nihil reformidata præsulum ira.

Alcimus Viennensis. 1530.

Refert in Homilia de prima festi Rogationum institutione, suo tempore crebra incendia & terræmotus assiduos exticisse: ædes qvoqve publicas Viennæ terribilibus flammis absumtas. Imp. Carolo 5. Papa Clemente 7.

Ludovicus Hetzer. 1530.

Scripsit librum elegantem contra imagines, & eorum usum in templis. Excusus est Argentorati anno 1530. Imp. Carolo 5. PP. Clem. 7. U. S.

Aloysius Florentinus. 1530.

Hic κατακλυσμον ejus temporis terribilem, & inauditum prius descripsit: erat enim Romæ major pars urbis infra aqvam, & homines & pecora, aliaq; inæstimabilia tum perierunt: sed Romano Pontifici multo majora per Lutherum hoc anno, indulgentiarum scilicet lucra. U. S.

Guilielmus Grattarolus Bergomas. pag. 330. 1530.

Qvod hic Guilielmus mundi constitutionum, & tempestatum prædictiones, in edito libro certas & perpetuas facit, certè docto viro audax & frivola assertio est: ipse viderit.

Coronatio Caroli V. Imp. 1530.

Carolus à Papa Clemente 7. Bononiæ, non Romæ coronatur, qvod omen ruituri Imperii esse scribit Funccius in Chronologia.

Discursus comitiorum Augustæ habitorum anno 30. actorumq. ibidem brevis syntagma: ex actis Imperii & fide dignis, qvi his Comitiis interfuerunt, scriptoribus. 1530.

Cum tam difficiles & ambiguæ his temporibus de Religionis negotiis inciderent & agitarentur controversiæ: Prudentissimus Imperator Carolus inprimis curavit, omnia per politicos & Ecclesiasticos probe inqviri, examinari, ponderari, & sagacissima trutina deliberari.

Consilium vero Ecclesiasticorum erat: non esse faciendam ullam doctrinæ aut rituum emendationem: nec admittendum

tendam synodum, qua tollendæ essent controversiæ: sed armis agendos esse, quia veteribus ritibus, & ordinaria potestate, ac inveterata consvetudine recederent: & causam darent mutationibus: Antiqvum esse obtinendum, ne si quicquam mutetur, ingeniis inquietis occasio præbeatur, evertendæ totius Hierarchiæ præsentis Ecclesiæ & Imperii.

Politici autem refragantes huic crudelitati, econtrà dixerunt: non decere Ecclesiam hæc tam horrenda consilia: nihil illis profici: manifestos namqve esse errores, & abusus Ecclesiæ palam liqvere satis superqve omnibus: libidine, avaritia, quæstu & pernitiosis traditionibus plena esse universa. In hos igitur animadvertendum hos tollendos ac profligandos: ne ira DEI omnia subvertantur. Sed & Erasmus bellum gravissimis rationibus dissvasit: quarum summam Lector hic ob oculos habet.

I. Si Cæsar minis belli terret adversarios non possum non laudare prudentiam: Sin serio expetit bellum, nollem esse sinistra avis. Sed inhorrescit mihi animus, quoties rerum faciem animo intueor, quam arbitror futuram, si semel ad arma ventum fuerit, adeo malum hoc sparsum est.

II. Fateor, summam esse Cæsaris potentiam: sed non omnes nationes hoc nomen agnoscunt. Germani verò, qvi agnoscunt, certis conditionibus agnoscunt, scilicet ut imperent verius, quàm pareant.

III. Adde tot persecutionibus & peregrinationibus exhaustas ipsius ditiones, & vires.

IV. Belli incendium jam excitatum est in Frysia nobis vicina, cujus Princeps profiteri dicitur Evangelium.

V. Adhoc Dani qvoqve Evangelii professionem recepisse dicuntur, Hinc catena malorum porrigitur ad Helvetios.

VI. Jam si Cæsar pro sua pietate præ se ferat animum, ex Pontificis arbitrio gesturum omnia, periculum est, ne non ita multos habiturus sit faventes.

VII. Adde, quod indies expectatur Turcarum incursus, cujus potentiam vix oppresserimus, etiamsi concordes auxilia nostra in unum contulerimus.

VIII. Porrò quid sit belligerari invito milite, declarant Romæ excidium, & nuper res apud Viennam gestæ. Non dubito, qvin optimi Principis animus propendeat ad pacem, clementiam & tranquillitatem: Sed nescio, qvo fato præter illius animum nobis bellum è bello seritur, quam diu, quam miserè vexata Galia, qvanto miserio afflicta Italia, ubi novum etiam bellum incruduit.

IX. Nunc eò res spectare videntur, ut orbis maxima pars sanguine misceatur.

X. Ut est anceps bellorum alea, metuendum est, ne tumultus hic tendat ad subversionem totius Ecclesiæ.

XI. Præsertim cum vulgus persvasum habeat, hoc negocium non geri, nisi autore Pontifice maxima ex parte per Episcopos & Abbates.

XII. Atqve adeo vereor, ne Cæsar ipse non prorsus sit abfuturus a periculo, qvod omen avertant superi.

XIII. Novi & execror eorum protervitatem, qui sectis præsunt & favent. Sed magis spectandum est, qvid postulet totius orbis tranquillitas, quàm qvid illorum mereatur improbitas.

XIV. Neqve usqve adeo desperandum est de statu Ecclesiæ, fuit olim longe majoribus jactata procellis. Sub Arcadio & Theodosio qui fuit orbis status? Eadem civitas habuit Arianos, Paganos, & Donatistas. In Africa furiebant Donatistæ & Circumcelliani. Multis in locis vigebat adhuc Manichæorum insania, & Martionis virus, præter incursus barbararum gentiũ, & tum incursus barbararum gentium, & tum in tantis dissidiis Imperator citra sangvinis effusionem habenas rerum moderabatur, & paulatim hæretici monstra resecabant. pag. 331.

XV. Ipsum tempus interdum effecit remedium immedicabilibus malis.

XVI. Igitur ex re futurum videtur, si certis conditionibus sectæ ferrentur, sicut Bohemi. Grave quidem fateor malum esse, sed bello, & tali bello levius. Hoc rerum statu nusquam esse malim, quam in Italia. Sed aliò trahunt me fata, sed trahant, quo velint, modo non distrahant à consortio columnæ. Datum die 10. Augusti, Anno 1530.

Postmodum igitur Imperator ex Hispania se recepit Bononiam in Italiam. Eò antequam veniret, ad ipsos fines ditionis Pontificiæ præstò fuerant, obviam profecti ei purpurati patres 25. à Pontifice missi, ad excipiendum ipsum, & fidem ab eo postulandum, ne quam Ecclesiasticæ libertati vim unquam adferret. Urbem verò Bononiam deinde cataphractus, ac pallio amictus regali fuit ingressus, & nummos aureos & argenteos in populum spargi jussit: Id quod per horæ, ferè intervallum in omnibus plateis factum esse perhibetur, ita, ut auri & argenti disseminati summa trium millium ducatorum fuerit æstimata.

Venienti verò Cæsari Papa obviam non processit, sed in urbe, in palatio suo præstolatus fuit, donec Cæsar ipsum in aula sua convenit, ubi & cum à suis sella quadam circumgestari offendit: cujus ergò salutandi & venerandi ipsum gratia submissis in terram genibus, ter observantiam ac supplicem reverentiã ei libavit, propior autem eidem factus, denuo projectus in genua

nua, pedes, manus ac maxillas Pontificis exosculatus fuit, eiq; loculum argenteum nummis aureis refertum dono obtulit, quę summa 4000. ducatorum fuit æstimata. Sic itaq; prostrata ad pōtificis pedes Cæsarea Majestas, sic ferè fari infit.

Sanctissime pater, id, quod diu in votis habui, ac sæpe exoptavi, nunc mihi accidere & evenire, non tantum lætor & gaudeo: verum etiam Deo gratias, quas possum maximas, ago nempe, ut ad tuam dignitatem venirem, & cum ea de dissidiis ac dissensionibus, in religione & Ecclesia ortis, colloquerer & communicarem, ac quànam ratione atque via componi & tolli ea possent, commodas & idoneas inirem rationes. Est enim, quod Deus novit, in me res commotas & fluctuantes componendi serium studium, ac reparata ac confirmata pace, quam dissidia dissolverunt, constituendi status alicujus ad posteros duraturi, ac tranquillitati & incolumitati Ecclesiæ profuturi, ardens desiderium. Promitto etiam, spondeo ac polliceor, me catholicæ Ecclesiæ ac Christianæ fidei perpetuum atq; strenuum fore defensorem, & eventum ipsum hæc mea verba probaturum, confido. Deus pater nostrorum omnium faciat atq; det, ne conatus mei sint inanes in Domino.

Hac finita Cæsareæ Majestatis oratione Pontifex, cum, sibi hoc Caroli de dirimendis & sopiendis controversiis Ecclesiasticis consilium minime displicere, respondisset, surrexit, ac Cæsaream Majestatem ter exosculatus fuit, additis his verbis: Ego, ô Carole Imperator, gratiam tuam imploro, meq; hoc meritis tuis debere profiteor, amanter rogans, ne, quod mihi pedes, manusq; exosculari passus sum, Cæsarea tua Majestas rapiat id, seu interpretetur in malam partem.

Cum enim semper in ejusmodi congressibus hoc à majoribus ac antecessoribus meis servatum sit: Ego quoq; ne novi quiddam constituere & introducere velle viderer, præter & contra voluntatem meam, in hæc facta consentire sum coactus.

Bononiæ autem cum Pontifice Cæsar in eodem palatio per quinque menses commoratus fuit: ille quam tunc egregia consilia & rationes adinvenerit & suggesserit Imperatori, extirpandi Evangelium, & excutiendi manibus Lutheranorum, quilibet apud semetipsum facilè æstimare potest: dubio enim procul nullo labore parandi vim Lutheranis, supersedit.

Venerunt igitur postea Papa & Imperator in senatum, ubi erant Cardinales, Episcopi, & Principes, & Hispani: ibi Mercurinus oratione sequenti Imperatoris mentem explicavit.

Cum, sanctissime Pater, & domine reverendissime, invictissimus Imperator, Carolus Quintus semper Augustus, dominus meus clementissimus, sub gubernationis suæ initium, non sine ingenti dolore animi, grave & perniciosum dissidium inter Ecclesiæ DEI doctores præcipuos ortum esse, in dies singulos crescere augerique, cognoverit: hodie quoque illos doctrina, voluntatibus, & studiis in diversas trahi rapique partes, Ecclesiæ Dei tristissima infligi vulnera, & moribus, vita, maloque exemplo multis piis plurimum noceri, videat: animadvertat quoque, nunc eò docendi, scribendi, contendendi atque rixandi studio esse deventum, nisi bono maturoque consilio Reipublicæ Christianæ, & afflicto Imperii Romani statui subveniatur, & præsentibus atque periculosis morbis salutaria remedia inveniantur, brevi futurum esse, ut & Ecclesia Dei, omnesque ejus status & ordines, & res tàm privatæ quàm publicæ sub Imperio Romano viventium in maximum periculum, atque discrimen vocentur.

Idcircò jam inde à tempore susceptæ gubernationis amplissimæ, inter multa & magna regni & Imperii negotia, nihil æquè Cæsareæ Majestatis ejus animum solicitum habuit, nullaque intentior cura & cogitatio ejus fuit, quam ut quæreret atque cognosceret rationem modumque, tam periclitanti Ecclesiæ, quam Imperio restituendi pacem & tranquillitatem, & prohibendi tollendiq; medio, quicquid communi omnium saluti & incolumitati adversum videatur esse.

Cum verò sciat, rerum & controversiarum, quæ in Ecclesia de doctrina, cultibus & disciplina agitantur, præcipuam cognitionem atque curationem ad sanctitatis vestræ fidem, authoritatem, & consilia pertinere, sineque ea nihil omninò in illis rectè, utiliter, & firmiter suscipi, statui, & decerni debere & posse, & sanctitati vestræ divinitus commissam & commendatam esse tantarum rerum curam, eandemq; de Ecclesiæ & ovilis Christi salute verè paterno animo solicitam esse, & ut Principem senem, pium atque sapientem, in communibus malis cum sua majestate cōmunem habere dolorem: hæc cum non ignoret, quamvis sub fluctibus negotiorum, & funestis bellis occupatus, sæpè tamen optavit, & à Deo precatus est, ut aliquando videret diem, quo in jucundissimum vestræ sanctitatis conspectum venire, cumq; ea de tantis rebus agere & consilium capere liceat.

Atque nunc ipsum voluntatis suæ & voti compotem esse factum, & in hoc inaugurationis suæ honore, & in Germaniam suscepta profectione, vestram sanctitatem exosculandi & alloquendi facultatem sibi esse datam, ex animo lætatur, & Deo nostro magnas agit gratias.

Addu-

Adducitur enim in spem firmam & certam, fore ut apud sanctitatem V. & in hoc dignissimo conventu inveniat consilium, quo labantem Christiani cœtus statum fulciat, & medicinam efficacem exulceratissimo huic seculo, acceptis mentium vulneribus, & pravis hominum motibus accommodet.

Sibi namque Imperator persvasum habet, vestræ sanctitati non minus quam sui Majestati, ut duobus summis Ecclesiæ & Imperii capitibus, curæ cordiqve esse studium promovendæ & ornandæ gloriæ Dei conservandæque pacis, & sedulo cavendi prohibendiqve, quicquid ad utriusqve dignitatem & majestatem imminuendam videatur spectare, quod potissimum hac via & ratione obtinebitur, si dabitur opera & magna animi contentione efficietur, ut æterno Deo suus tribuatur honor, ut is rectè cognoscatur, colatur & invocetur, ut doctrinæ orthodoxæ in ecclesia receptæ & sanæ puritas maneat salva: si cui eam vel errores vel corruptelæ, vel superstitiones occupaverint, emendentur & tollantur, collapsa disciplina instauretur, & vitiosi mores, tam cleri, quam populi Christiani (ut sane multi & deplorandi sunt) corrigantur, suaqve corpori doctrinæ Ecclesiæ integritas atqve sanctitas restituatur.

Ac sapientissimè judicat, nisi in hoc omni conatu & studio incumbatur, ut unum aliqvod doctrinę corpus ex verbo Dei conficiatur, maturè vulnera Ecclesiæ obligentur & sanentur, & gravior disciplina instituatur: brevi majorem confusionem tristiores & densiores tenebras, fœdiorem barbariem, & majores calamitates ruinasqve, quam unquam hactenus fuerint, secuturas esse, ut non addam, ira Dei, securitate, impietate & peccatis omnium accensa, durissimas pœnas justæ vindictæ in Principum & subditorum capita redundaturas esse.

Cùm verò Cæsarea Majestas tandem, confectis finitisqve durissimis bellis, & semotis aliis curis, cœperit, de toto hoc negocio diu multumqve cogitare, & cum optimis ac prudentissimis viris deliberare, non potuit invenire salutarius, ac Pontificiæ Cæsareæqve bonitati convenientius remedium, quam si hodie in synodo generali, rectè indicta, controversiæ Ecclesiæ ritè, & in timore Dei proponantur, cognoscantur, & ex verbi Dei regula veritateqve dijudicentur.

Convocentur qvoqve omnium nationum viri pii & docti, & fiat singulis dicendi, disputandi, & monstrandi veritatem libera & publica potestas: instituantur piæ, & amicæ sententiarum collationes & disputationes, & plenæ omnium controversiarum hactenus agitatarum explicationes, ac tandem vel pontificia sanctitas, vel quotquot idonei & incorrupti judices eligentur, dent operam, ut omnibus rectè expositis & cognitis, quæ cum Evangelii fide & invicta veritate congruant, maneant salva & firma, errores perniciosi, & abusus doctrinæ cum eadem luce verbi pugnantes damnentur, eorumque autores vel in viam revocentur, si fieri possit; vel magistratui legitimo puniendi relinquantur, (ut tamen omnia fiant ex lege charitatis, nihil tyrannicè) & emendata disciplina, sublatis abusibus, ad verum honorem, verosqve cultus, qui Deo debentur, & ad Ecclesiæ obedientiam, proposita rectè credendi, docendi, & vivendi forma, omnes doctores & auditores invitentur, ut sic gloriæ Dei studeatur, pax constans & firma reddatur Ecclesiæ, & omnium Christianorum saluti quàm rectissimè optimèq; consulatur.

Sed cum non ignoret Cæsarea Majestas, penes Pontificiam sanctitatem esse jus & potestatem indicendi synodos, convocandique concilia: & Ecclesiæ controversias ipsius authoritati & judicio meritò subjici, nihil minus vult committere, quam ut jura sedis Romanæ convellat, cum, se omni reverentia & religione perpetuum amicum & defensorem ejus fore, non multò ante jurejurando affirmaverit.

Sed intelligi tamen, ipsam cogere necessitatem, præsentia tempora & communem Ecclesiæ salutem requirere, & omnium bonorum votis unum hoc expeti & eflagitari, neque ullam aliam viam, quæ recta, æqua, usitata & laudabilis sit, ostendi posse, quam ut vestra sanctitas suam authoritatem & jura conservet, & collapsa Ecclesia erigatur, afflictæ mentes piorum consolationem habeant, & veritas Evangelii Christi asseratur, quam convocata tali, de qua dixi, synodo. pag. 333.

Idcirco per Christum, & propter communem salutem obnixè petit à vestra sanctitate, ne in hoc amplissimo dignissimoqve statu & officio suo, ovili Christi, voluntati & piorum votis, sapientum consiliis, & suo honori atqve nomini desit, & primo quoque tempore indicat concilium, commodo loco, & omnino confidat, hoc remedium, quod multis jam seculis in usu fuit, divinitus & ab ipsis Apostolis monstratum, ut necessarium, ita apprimè utile fore: cum fieri non possit, ut tantæ controversiæ unius & alterius, vel etiam paucorum judiciis componantur, sed hoc in libero consessu præsidum & doctorum omnino fieri sit necesse.

Quod verò Cæsarea Majestas hoc tantoperè à sanctitate vestra contendit, non facit eo consilio, ut ipsi alioquin occupatissimæ majora facessat negocia, sed, ad hoc studium, agnoscit & ingenuè fatetur, se officii

ficii ratione, amore veræ religionis, honorisq; Dei, & laudatissimorum Imperatorum, quibus successit, exemplis & factis impelli ac accendi.

Novit enim, Christianos Principes esse nutricios Ecclesiæ, constitutos defensores gloriæ Dei, & severos vindices omnium, quæ in Deum, ejusque unigenitum filium impiè & contumeliosè vel docentur & dicuntur, vel aguntur, constitutos.

Novit, Constantinum non minus tuenda religione, quam politica administratione & bellis fuisse occupatum, & cum perniciosi atq; blasphemi errores in filium Dei ab Arrio sparsi essent, ad illos cognoscendos & damnandos celebre, & divinum concilium Niceæ convocasse, effecisseque, ut à sanctis Episcopis & doctis Patribus monstrati errores publica sententia damnarentur.

Novit, Theodosium & Valentinianum Imperatores etiam, ut alios omittam, tam honorificis conventibus interfuisse, & omnium liberè auditis sententiis, facto publico decreto, ex Dei verbo errores motos, damnatos, & gravia exempla in eorum autores edita esse.

Novit denique, tales conventus & deliberationes sæpè Ecclesiæ Dei, totiq; terrarum orbi fructuosas & salutares fuisse: neque ullo tempore aliter rectè veritatem investigari, errores agnosci, disciplinam institui, vitia emendari, & periculosa certamina tolli, quam legitimis conciliis potuisse: neque videt, quo modo hoc tempore rectius, & moderatiori ratione (non enim violenta consilia in talibus negotiis amplectitur) amissa tranquillitas possit recuperari.

Idcircò omninò confidit, vestram sanctitatem suæ Majestatis monitioni & petitioni, sicut & multorum piorum consiliis, votis, & gemitibus dat ram esse locum, & consensuram, ut primum hac via, quæ est honesta, moderata, & tolerabilis, initia reconciliationis tententur. Neque dubitat, quin æternus Deus per Spiritum suum hæc consilia ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ Romanæ sedis, Imperiique utilitatem, & longam quietem sit gubernaturus.

Ipse quoque Imperator sanctè promittit, se vestræ sanctitati, totique Imperio semper potentia, consiliis, & autoritate adfuturum, & juramenti sui memorem, Pontificiæ sedis, Evangelicæ veritatis, & omnium, qui Romano Imperio subsunt, patronum & defensorem fidelem atque strenuum fore. DIXI.

Responsio Clementis Papæ.

Huic Clemens, qui & sapiens & eloquens erat, & ad hanc tantam causam paratus venerat, in hanc sententiam respondit.

Credo ego, te, Carole Imperator, & tuo judicio reverenter sentientem de invocatione Dei, & incitatum laudatissimorum Principum exemplis, bono studio Synodum flagitare: sed hac de re, in qua plurimum est periculi Ecclesiæ, prior esse mea debet deliberatio, & præcipua autoritas. Nam ut non disputem subtiliter de meo jure, hoc constat, synodum Nicenā jussisse ad Romanum Episcopum deferri controversias Ecclesiarum Occidentis, & nostram sedem indicere Synodos.

Sæpè igitur ante hoc tempus & mecum ipse, & cum hoc Genutio & Farnesio, aliisque deliberavi, quomodo paci Ecclesiæ sit consulendum: priusvé in Synodo res disputandæ ne sint, an potius tantum armis opprimendi, qui discedunt à decretis & opinionibus ante receptis. Qua de re cum censeam, non indicendam esse Synodum, initio peto, ne, mihi aut opibus Romanæ me sedis metuere, existimes.

Joannem vicesimum tertium, ajunt, pœnituisse, quod Synodum Constantiensem convocaverit, cum eum ex summo fastigio dejiceret. Ego vero expertus varias fortunæ vices, nuper etjam captus, cogito, non solum honores & potentiam, sed hanc ipsam vitam quoque esse fugacissimas umbras, & tranquillo animo cedam de hac statione, quandocunque me vel Deus, vel casus aliquis inde abstrahet.

Deinde nec de opibus Romanæ sedis angor, quas attribuit nobis Ludovicus Caroli filius, & ut sumtus necessarios in gubernatione habeamus, & ut simus tutiores contra subita latrocinia, sed velim, has sarcina Romanum Episcopum levari, si semper tales Imperatores haberemus, qualem te esse video.

Non igitur synodum propter has stultas cupiditates fugio, neque moveor eo, quod magni faciunt Jurisconsulti: valere debere rerum judicatarum authoritatem, nec antea decreta novis disputationibus labefactanda esse. Ego enim, si paci, si posteritati prodesset disputatio, nollem eam prohibere, ac tantum ad publicam pacem & salutem posteritatis sententia mea directa est. Ostendam autem ex ipsis dogmatum generibus mei consilii causas.

Sunt dogmata partim non solū falsa, sed etiam manifestè absurda, qualia sunt Anabaptistica: oportere facultates omnium communes esse: Magistratus, judicia, legitimas pœnas, imperia, res prorsus à Deo damnatas esse. Omnia fieri necessariò, etiam scelera: Nullam esse libertatē humanæ voluntatis: Renasci homines sine voce doctrinæ, Enthusiasmis cogentibus repugnantem voluntatem. Nuper etiam Samosatenica mota sunt de filio Dei, quæ transformant Ecclesiæ doctrinam in Mahometicam.

Ut au-

Ut autem ad incendium boni omnes restinguendum mox concurrunt: Sic oportebat omnes magistratus concurrere, ad opprimenda initia harum quæstionum, ac res pessimi exempli fuerit, de eis ullam admittere disputationem.

Sedit Constantinus Imperator, & præstigiatorem audire potuit hæc blasphema dicentem in synodo: Pater est ἀσεβής. Filius est ἐυσεβής, dissimilis est ergò Filius Patri. Quæ fuit hæc levitas, & potius impietas, tales voces audire? Té ne, Carole, existimem tam, non dico lentū, sed vecordem esse, ut fuit Constantin⁹, ut sedēs in synodo, non sine ingenti dolore & indignatione, talia sophismata auditurus sis.

Secunda classis est, ut ita dicam, dogmata inextricabilia. De his, cum tolli certamina non possint, melius fuerit, ea non agitari. Tales sunt quæstiones de adoratione panis, de oblatione, de sacrificio Missæ.

Tertia classis est, dispensabilia Pontificis authoritate, ut laxatio votorum, concessio conjugii, emendatio superstitionis in cibis, vestitu, & similibus ineptiis. De hac classe, cum res sint manifestæ, nihil opus est disputatione synodi.

Si Reges & Principes petent harum rerum moderationem: sedes Romana uno edicto harum rerum omnium ἐπιείκειαν edere poterit. Velin & ipse tolli superstitionem, & morum vitia, quæ stultis legibus augentur, sed ἀναρχίαν, fieri nolo. Petatur à Romana sed emendatio, cui nolo adimi authoritatem vetustæ Ecclesiæ sententiæ ei attributam.

His classibus dogmatum consideratis, causæ cernuntur, quare non sit convocanda Synodus.

Reliquum est igitur, ut, Carole, armis pacem restituas: Italia, domita tuis armis, quieta est. Rex Galliæ oppressus, qui tecum non de Stoicis Paradoxis, aut Judaicis superstitionibus Monachorum, sed de Imperio certavit: quantò facilius Germaniæ partem non magnam compesces, quā in ré & posteritatem intuearis. Hujus sedis anthoritate extincta, sequetur ἀναρχία, in qua & laxatio disciplinæ afferet barbariem in moribus & petulantia ingeniorum gignet sine fine nova dogmata, & moram in hoc incendio perniciosam esse, cogitato.

Hæc cum dixisset Pontifex, jubet Carolus, quia non decreverat à sua sententia discedere, Mercurinum refutare Pontificis orationem. Mercurinus itaque jussus dixit: Multas esse causas motas, quæ in superiorum seculorum synodis non sint agitatæ, & paulatim novos morbos in hac senecta mundi Ecclesiam pervasisse, quibus quærenda sint remedia.

Hæc cum ille gravissima oratione exaggeraret, interpellat Clemens Pontifex, torvitate vultus & vocis Tyrannidem ostendens, & inquit: Quare tu mihi sic contradicere audes, & Dominum contra me incitas?

Placidè, Mercurinus, ut erat in eó summa gravitas, expono, inquit, mandata Domini mei Imperatoris, qui suo consilio, non ex aliorum præscripto hæc agit. Et tamen fateor, me quoque ipsius sententiam probare, & ei hortatorem esse, ut in sua sententia maneat. Quia maximè necessaria est universæ Ecclesiæ justa deliberatio piorum & doctorum de multis maximis causis.

Hic surgit ad dicendum Carolus ipse: Mirantur Principes, quid juvenis dicturus sit, & attenti audiunt omnes, fuitq; hæc gravissimæ orationis summa.

Oratio Caroli V. Cæs.

Agnosco, me Iuvenem esse, & hujus Mercurini & aliorum sapientum consiliis uti me fateor, & debere me sapientiores audire, judico, & de hac ipsa deliberatione, quam scio pertinere ad gloriam Dei, & ad salutem universi generis humani, cum multis collocutus sum, qui excellunt sapientia, virtute & fide, qui sentiunt, Ecclesiæ opus esse Synodo. Nec tu ignoras voluntates omnium sapientum & bonorum in tota Europa, qui assiduis gemitibus synodum flagitant talem, quæ rectè gubernetur.

Quare cum re diu deliberata, & iis argumentis, quæ tu opponis, diligenter cogitatis, velim convocari Synodum: Scito, & Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixisse, & me ab hac sententia, donec vivam, non recessurum esse. Tuum consilium speciosum & plausibile profanis videri potest: sed meum & justum est, & Ecclesiæ convenientius, & si non impedieritis, Deo juvante, spero, humano generi salutare futurum esse. pag. 335.

Nec illa terribili oratione tua abducor à sententia, quod non sit audienda disputatio de absurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia, quæ nunc disputantur, absurda sunt, nec sunt ullæ inextricabiles quæstiones in Ecclesia de rebus necessariis.

Audivi & ego, sæpe Platonicum illud mihi dici: ut parentum deliria ferenda sunt: ita in civitatibus & religionibus vitia quædam dissimulanda esse. Modus est ejus rei, & in Imperiis & in Ecclesia. Fundamentum certè in Ecclesia retineri oportet. Et hæ leges æternæ in Imperiis & Ecclesia retinendæ sunt, quæ prohibent idolorum invocationes, & libidinum confusiones.

Irred

Irrepserunt autem in Ecclesiam quædam invocationes contumeliosæ contra Deum, & turpitudo libidinum in conspectu est. Nec tantum horum malorum emendatio synodum requirit, sed universæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod una voce omnes gentes in omnibus templis sonent.

Scis enim, nunc de multis magnis rebus etiam in tuis castris dissiones clamores esse. Cum sparserit hæc ætas quædam absurda, opponat synodus illustria & firma testimonia, ut & hoc tempore, & in posterum minus decipiantur homines, moniti argumentis à synodo ostensis.

Illa autem vox Pontifice indigna est, quod ais: Quædam inextricabilia esse. DEUS immensa bonitate se patefecit, & vult nos amplecti doctrinam, quam tradidit, quæ si esset ambigua, inanis sonus esset. Placet mihi autem & Theodosii consilium, qui jussit in synodo quæri & proferri testimonia sinceræ vetustatis. Certè enim Ecclesiam doctricem libenter audio, ut Samson monuit: Si non arassetis vitula mea, non invenissetis.

De disputatione quam offers, quanto hæc fiet commodius in Synodo? Major enim erit gentium concordia, si simul omnes talem ἐπιείκειαν recipient. Et illo dicto Heroico delector: in communi periculo sit communis deliberatio. Nec defecturus sum meo officio, rebus cognitis.

Et ut cognitio ordine possit fieri, veterum Imperatorum exemplo adfuturus sum: & quantum potero, perficiam, ut hæ leges justissimæ serventur. Utraque pars pariter audiatur, & sententiæ non Tyrannicis arbitriis secantur, sed juxta leges videlicet juxta doctrinam, quam certum est à Deo traditam esse.

Nunc quod jubes, ut sine dijudicatione, bona pariter & mala deleam, id nequaquam faciam. Nolo enim in Ecclesia tollere legitima judicia, & constituere tyrannidem. Declaravi autem antea non obscurè in bello, meam observantiam erga Ecclesiam, & erga sedem Romanam, & erga te, quam & deinceps præstabo.

Hac oratione audita, & Pontifex & omnes Principes ingenium & magnitudinem animi in Carolo mirati sunt. Ideo ne magis incenderetur Carolus, placidè respondet Pontifex, se cum suo senatu rursus deliberaturum esse.

Hæc Bononiensis actio ostendit, tunc quidem Caroli moderatam fuisse voluntatem, cui congruit & hoc, quod postea in conventu Augustano confessionem Ecclesiarum nostrarum sibi exhiberi jussit, quæ omnia cogitemus ita gubernante Deo, facta esse, ut Evangelii doctrina & illustraretur & propagaretur, quam propter gloriam Dei, & propter salutem nostram studiosè discamus, & agnoscentes immensa Dei beneficia, grati eum celebremus, & ab ipso assiduis votis petamus, ut nos in tantis confusionibus generis humani clementer gubernet & protegat, nec sinat nos implicari erroribus & ex Ecclesia in tenebras ruere.

Pervicit autem Bononiæ Pontifex tandem, ut Carolus promitteret, se primum amicis & pacificis rationibus Lutheranos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducturum, aut si pertinaciter recusarent, armis oppressurum esse.

Quo constituto, Cæsar die 21. Januarii, dimissis in Germaniam literis, Comitia ordinum Imperii, religionis & Turcici belli potissimum causa, Augustæ, die 8. Aprilis inchoanda, clementissimis verbis indicit. Quorum verborum summam ad religionis causam pertinentem, ne quid avidum lectorem remorati possit, de verbo ad verbum subjicere voluimus.

Fœderis inter Papam & Imperatorem Bononiæ facti, inter alia capita, hoc unum erat ex præcipuis:

Cæsar, & Ferdinandus, ut Hæretici in viam reducantur, operam danto, & Pontifex sacra remedia adhibeto. Quod si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis coguntо, & Pontifex, ut & cæteri Christiani Principes ipsos pro viribus juvent, operam dato.

Hoc magna cum fama percrebuisset undique ita, ut rem in seditiones, bella, & homicidia deituram esse, metueretur: hanc ad Ducem Fridericum Saxonicum Lutherum scribit Epistolam.

Gratiam & pacem in Christo, illustrissime Princeps, domine Clementissime. Cels. V. literas honorarias exhibuit nobis Gregorius Pontanus D. & C. V. voluntatem exposuit, cui vicissim nostram sententiam, ut potuimus invenire optimam scripto comprehensam tradidimus, V. C. reddendam, quæ ut clementer eam accipiat reverenter oramus.

Nam confœderationem ejusmodi nec probare: nec consulere in nostris conscientiis possumus, hanc qvoqve ob causam, quod procedente fœdere & bello forte sangvinolento, aliove infortunio exorto, etiamsi cuperemus, nos inde extricare non possemus, & omnium illarum calamitatum intolerabilem moram ferre cogeremur, ut decies potius mors nobis exoptanda esset, quam hæc conscientia sustinenda: quod Evangelium nostrum effusioni sanguinis injustæ, & aliis malis publicis quæ nostra culpa accidissent, causam præbuisset, cum nostrum sit pati, ac ut Propheta inquit, Psal. 44. velut oves occisionis reputari, & non nos ipsos ulcisci aut vindicare, sed iræ Dei locum præbere. Rom. 12.

Quod

Quod autem C. V. interea magno in metu & periculo versatur, nihil C. V. obest, Dominus noster Iesus Christus satis potens est, & facile inveniet media & vias salutares, quibus salva & incolumis C. V. evadat: *Ipse cogitationes Principum impiorum irritas facere, eorumq; consilia dissipare potest*, ut inquit Psalmus 33. Nam nos non dubitamus, quin hoc, quod jam molitur animo Imperator, tantum sint minæ, & inania terriculamenta Diaboli, quæ aliquando ipsi adversariæ parti exitio erunt, ut canit Psal. 7. Convertetur labor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Vult autem fidem nostram Christus (idque merito) hisce terriculamentis probare, an serio & ex animo verbum ipsius amplectamur, & certam ac immotam veritatem esse, statuamus.

Nam si Christianis annumerari, & hæredes vitæ æternæ esse volumus, non est, quod fortunam nobis polliceamur meliorem, quam qualis Christo, & omnibus sanctis obtigit.

Omnino necessarium est, Christi crucem portari. At mundus eam non portare, sed aliis imponere satagit. Nos igitur Christianos eam ferre oportet, ne ociosa jaceat, aut nihil fit. Ac C. V. præclarè & fortiter hactenus eam crucem, adversus seditionem & gravissimas tentationes, odia amicorum, inimicorumq; insidias sustinuit, & tamen semper DEUS clementissimè V. C. liberavit, & forti ac excelso animo cõfirmavit, nec ullis, solatiis animi & corporis unquam destituit.

Mirabiliter etiam omnes clandestinos conatus & laqueos Diaboli detexit, perrupit, ac confudit. Is deinceps quoque nostræ saluti consulet modo credamus & oremus.

Nos quidem certò scimus, ipso etiam teste, qui nobis hactenus manifesto auxilio semper affuit, non nostram, sed ipsius Dei causam agi, quæ nostra est gloriatio & consolatio maxima. Quare etiam hujus suæ causæ, tanqvam fidelis pater, patrocinium suscepit, ut fateri nos oporteat, hanc causam nullo modo nostra sapientia & viribus ita regi, defendi, & huc usque perduci potuisse.

Quare supplex oro & moneo C. V. ut bono, forti, & intrepido animo sit in hoc periculo. Nos, Deo dante, precibus ad Deum nostris plus obtinebimus, quam illi omnibus minis & terriculamentis suis efficient, modo manus nostras à sanguine puras servemus.

Quod si, ut non spero, res eò fortasse deduceretur, ut ego & reliqui à Cæsare citaremur, nos ipsi nostro nomine, juvante Deo, comparebimus, nec C. V. ullis periculis nostra causa involvemus, quod antea sæpè V. C. Fratri Friderico, piæ memoriæ, domino meo clementissimo, indicavi. Nam C. V. nec meam, nec cujusquam alterius fidem defendere debet, nec id facere potest, sed unusquisq; fidem suam ipse profiteri ac defendere, nec alterius, sed suo ipsius periculo, credere, aut non credere debet, cum eò res pervenerit, & summus noster Magistratus Cæsar nos supplicio afficere velit. Sed interea aquæ multæ defluunt, & facile inveniet Deus consilium, ut longe aliter res cadat, quam ipsi cogitant: Christus Dominus & Consolator noster C. V. confirmet & roboret, Amen.

Et ad erigendos multos abjecti animi, & desperabundos Christianos, hanc cantionem composuit: Ein veste Burg ist unser GOtt / ꝛc.

Priusquam verò Elector Dux Fridericus ad Comitia Augustam concesserat, has Lutherus exaravit ad Iustum Ionam literas.

Epistola D. Martini Lutheri ad D. Iustum Ionam.

S. Scripsit Princeps nobis, id est, tibi, Pomerano, Philippo, & mihi communes literas, ut una simus, & omnibus sepositis aliis rebus, ante Dominicam futuram absolvamus, quæ necessaria sunt ad Comitia 8. Aprilis futura. Carolus enim Cæsar ipse aderit Augustæ, amicè compositurus omnia, ut scribit in sua bulla. Quare hodie & cras licet absente te, faciemus nos tres, quantum possumus: tamen & tuum erit, ut Principis voluntati satisfiat, rejectis in socios reliquos laboribus tuis, cras te hic sistere nobiscum. Festinata enim sunt omnia. Christus adspiret, ut omnia in gloriam ejus fiant. Amen. Hora 12. 14. Martii, anno 30.

Ex hac Epistola constare potest, ab his quatuor 17. articulos, ex quibus postmodum Augustana confessio surrexit, fuisse compositos.

Joannes, Dei gratia, Elector. pag. 337.

D. MARTINO LUTHERO.

S. Reverende & doctissime, nobis dilecte & devote: postquam vos, & alii nostri Theologi VVitebergæ, nobis clementer mandantibus & petentibus, articulos de religione nostra controversos, scripto brevi delineastis, non volumus vos celare, jam M. Philippum Melanthonem denuo eos hic Augustæ revidisse, & in formam redegisse, quam vobis unà mittimus. Et clementer petimus, ut eosdem articulos accuratius revidere, & expendere non gravemini. Et sive ita, ut scripti sunt, vobis placebunt, sive addendum aliquid aut adimendum esse cogitabitis, scripto sententiam vestrã annotare, & per hunc tabellariũ sine mora, bene munitos & obsignatos remittere

tere velitis, ut Cæsare, quem brevi expectamus, adveniente, instructi & parati simus.

De aliis rebus novis non possumus vos celare, à nostris, qui Oeniponte jam in Cæsaris aula degunt, inter cætera ad nos scribi: Decretum esse in aula Cæsaris, ut de intermittendis in Templo concionibus, quas nunc inchoavimus, sub adventum Cæsaris nobiscum agatur. Etsi autem, qvid in hoc casu nobis agendum sit, antea cogitavimus: temen vestram sententiam de his postulatis, quæ nobis propositum iri existimantur, cognoscere cupimus, ut conscientia nostra coram Deo rectè in hac causa faciat. Id officium vestrum nobis pergratum erit. Datum Augustæ die Mercurii post Iubilate 11. Maji.

De intermittendis concionibus postea plura.

Confessio Doctrinæ & fidei Christianæ, per D. Martinum Lutherum septendecim articulis comprehensa.

I. Quod constanter & magno consensu apud nos doceatur, unicum solum esse verum DEUM, Creatorem Cœli & terræ, ita, ut in hac unica, vera, divina essentia tres sint distinctæ personæ, videlicet Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Et quod Filius à Patre natus ab æterno, sit verè & natura Deus cum Patre, & quod Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, sicut hæc omnia per Scripturam clarissimè & firmissimè demonstrari possunt. Joan. 1. In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, & plura similia dicta, præcipuè in Evangelio Ioannis.

II. Quod solus Filius Dei verus homo factus sit, conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine perfectus homo, corpore atq; animo constans, & non Pater, vel Spiritus sanctus homo factus sit, ut Hæretici Patropassiani finxerunt, & quod Filius non tantum corpus absqve anima assumserit, ut Apollinarius erravit. Nam Christus ipse in Evangelio sæpe meminit animæ suæ, cum inquit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Quod autem Deus Filius homo factus sit, Ioa. 1. clarè his verbis scriptum est, Verbum caro factum est, & Gal. 4. ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere.

III. Quod filius Dei, verus Deus & homo IesusChristus, sit una indissolubilis persona, pro nobis hominibus passus, crucifixus, mortuus, sepultus, tertia die à mortuis resurrexerit, ascenderit ad cœlum, & sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum, ita ut nemo credere vel docere possit, aut debeat, qvod Jesus Christus tanqvam homo, aut humana ejus natura tantum pro nobis passa sit, sed cum Deus & homo non duæ, sed inseparabilis una persona sint, credendū ac docendū est, qvod Deus & homo, vel Dei filius verè pro nobis passus sit, ut Paulus Rom. 8 inqvit: Deus proprio suo filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, 1. Cor. 2. Si cognovissent Dominum gloriæ, non crucifixissent eum. Et similia dicta plura.

IV. Qvod peccatum originis vere sit peccatum, & non solum imbecillitas vel defectus, sed tale peccatum, qvod omnes homines ab Adam propagatos condemnat, & à Deo in perpetuū separat, nisi Christus pro nobis intercedens hoc peccatum, cum cæteris inde profluentibus, in se derivatum passione sua expiasset, & penitus sublatum in seipso delevisset, ut Psal. 51. & Rom. 5. de hoc peccato clare scribitur.

V. Cum igitur omnes homines peccatores sint, peccato, morti, ac Diabolo obnoxii, impossibile est, hominem suis viribus aut bonis operibus se inde liberare, & coram Deo justificari: imo ne qvidem se præparare, aut applicare potest ad justitiam, sed qvo plura suscipit, ut se ipse inde liberet, eo peius sibi consulit.

Unicum vero medium est conseqvendæ iusticiæ, ac liberationis à peccato & morte, sine omni merito & opere nostro, credere in filium Dei pro nobis passum, &c. Hæc fides est nostra iustitia. Nam Deus justos, innocentes, & sanctos reputat atqve censet, & remissione peccatorum ac vita æterna donat omnes illos, qvi hanc fidem in Filium ipsius habent, qvod propter filium in gratiam recipiantur, ac filii Dei fiant: sicut hæc omnia S. Paulus & Joannes in scriptis opulenter docent, Joan. 3. ut omnis, qvi credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam.

VI. Qvod hæc fides non sit humanum opus, nec propriis viribus eam conseqvi qvisqvam possit, sed Dei opus & donū est, qvod Spiritus sanctus per Christum donatus in nobis operatur. Et hæc fides cum non inanis & falsa persvasio cordis sit, ut hypocritæ habent, sed efficax, nova & viva res, multos fructus & opera bona profert erga Deum, laudando, gratias agendo, invocando, docendo, prædicando, proximum diligendo, juvando, consilio, opera, eleemosynis, mutuationibus, & adversa tolerando usqve ad mortem.

VII. Ut hanc fidem conseqvamur, institutum est à Deo ministerium docendi Evangelii. Nam per Evangelium Deus hanc fidem, ejusqve efficaciam, fructus, & commoda nobis annunciari sinit, & per Evangelium, tanqvam per medium seu instrumentum, efficit fidem suo sancto Spiritu, ubi & qvando ipsi visum est: alioqui nullum

lum est medium aliud, modus, ac via fidem consequendi. Nam cogitationes omnes extra vel ante verbum prædicatum, quantumvis sanctæ & bonæ videantur, meta mendacia & errores sunt.

VIII. Huic prædicationi verbi adjunxit Deus externa signa, quæ Sacramenta nominantur, videlicet Baptismum & Eucharistiam, per quæ etiam unà cum verbo Deus fidem, & spiritum suum exhibet, & confirmat omnes ad se confugientes.

IX. Quod Baptismus primum signum seu sacramentum in duabus rebus consistat nempe aqua & verbo Dei, seu ut aqva baptizentur homines, & verbum Dei una pronuncietur. Nec tantum est vulgaris aqva in baptismo, (sicut Baptismi blasphematores jam docent) sed cum verbum Dei aquæ adjunctum sit, & Baptismus in verbo Dei fundetur, sancta, vivifica, & efficax ablutio est, ac ut Paulus Tit. 3. & Ephes. 5. scribit: Lavacrum regenerationis, ac renovationis Spiritus sancti. Et quod Baptismus etiam infantibus porrigi & communicari debeat. Verbum autem Dei, quo fundatur Baptismus, Mat. 28. extat: Euntes baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, Marc. 16. Quisquis crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.

X. Quod in Eucharistia seu sacramento Altaris, etiam verè præsens sit in pane & vino verum corpus ac sanguis Christi, secundum verba: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Nec tantum sic panis & vinum, ut nunc quidam adversarii contendunt. Flagitant etiam hæc verba, & conferunt fidem, & exsuscitant eam in omnibus qui hoc sacramentum seriò petunt, nec contra illud agunt, sicut & Baptismus, cum petitur, fidem affert & largitur.

XI. Quod confessio privata non sit legibus extorquenda, sicut nec Baptismus, Cœna, & Evangelium vi extorqueri debent: sed sit libera, ita tamen, ut sciamus, quam sit salutaris ac necessaria afflictis cōscientiis, propter absolutionem, hoc est, verbum & judicium Dei, quod in ea pronūciatur, quo conscientia à peccatis liberatur, & pacata & tranquilla efficitur. Quod etiam non necessarium sit omnia peccata enumerare, sed illa tantum indicari possunt, quibus cor maximè angitur & mordetur.

XII. Quod una sancta catholica Ecclesia in terris sit, & maneat usque ad finem mundi, sicut Christus inquit Matth. 28. Ecce ego sum vobiscum usqve ad consummationem mundi. Est autem hæc Ecclesia nihil aliud, quam Credentes in Christum, qui prædictos articulos verâ fide servant & profitentur, & propterea in mundo persecutionem ac martyria patiuntur. Nam ubi Evangelium purè docetur, & sacramēta legitimè administrantur, ibi certò est vera Ecclesia, & nequaquam certis legibus & externa pompa certo loco ac tempori, personis, vel gestibus alligata est.

XIII. Quod Dominus Jesus Christus in novissimo die venturus sit ad judicandum vivos & mortuos, ut credentes ab omni malo liberatos vita æterna donet; incredulos verò atque impios pœnis afficiat, & cum diabolis in inferno æternis cruciatibus puniat.

XIV. Quod interea, donec Dominus ad judicium veniat, & omnem potestatem ac dominationem abroget, Magistratus politicus honore affici, & obedientia ipsi præstari debeat, velut status a Deo ipso ordinatus, ad defendendos bonos & coercendos malos.

Quod in tali statu Christianus legitimè vocatus, absque periculo jacturæ fidei ac salutis animæ, bene vivere & servire Deo possit.

XV. Ex his omnibus sequitur, doctrinam, qua sacerdotibus & Ecclesiasticis cōjugiū & usus carnium prohibetur, cum tota vita ac votis Monachorum, (cum per ea Dei gratia & salus animæ impediatur, nec libera permittatur) impiam & diabolicam esse, ut Paulus 1. Tim. 4. eam nominat, cum solus Christus unica via sit ad gratiam, & animarum salutem.

XVI. Quod præ omnibus cæteris abominationibus, Missa, quæ hactenus sacrificium & bonum opus judicata fuit, quo alteri gratia Dei & salus impetretur, abroganda sit: & loco illius, divina ordinatio distribuendi Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub utraqve specie, cuilibet ad fidei suæ propriæ confirmationem, & propriam consolationem cuique necessariam, celebretur,

XVII. Quod ceremoniæ Ecclesiasticæ pugnantes cum verbo Dei, abolendæ sint, cæteræ autem liberæ permittantur, ut iis vel utamur, vel non utamur, secundum normam dilectionis, ne leviter absq; gravi causa scandalum alteri præbeatur, & communis pax sine necessitate turbetur.

Hos articulos Philippus postea Augustæ accuratius retexuit, ac eos Luthero inspiciendos & emendandos misit, ut ex Electoris & Philippi literis, historiæ insertis, satis liqvebit.

Interim Imperator per legationem monet Principem Electorem, de Oeniponte, ut ad gremium matris Ecclesiæ se recipiat, & novitiæ doctrinæ valedicat. Quod si huic sit obtemperaturus, ipsum Monachii cōveniat vel ipsemet, vel ejus legati, sin verò secus, illi diræ intententur minæ. pag. 539.

Cum autem omnes Electores, Principes, ac Imperii ordinès, longo tempore Cæs. Maiest. adventum, magno cum desiderio Augustæ expectassent, eam adventantem, summo gaudio & subiectissima

obedientia excipere studuerunt. Igitur Principes juniores Cæs. Maiestatem conspicientes, statim ex equis suis descenderũt ac Cæs. Maiestati obviam euntes, petere ab ea in animo habuerunt, ne ex equo descẽderet: sed Cæsar. Maiestas hoc animadvertens, cum Fratre Ferdinando, Ungariæ & Bohemiæ Rege, ephippia & stapedes statim reliquit, & prius quam principes ad se venirent, in terram desiliit.

Post oblatam utrinque salutem, & amicas consertas dextras, Archiepiscopus Moguntinus Cæs. Mai. hac ratione excipit: Invictissime potentissimeque Cæsar, semper Auguste, domine clementissime, domini fratres, amici ac patrueles mei, Electores, Principes, Prælati, Comites, & alii sacri Romani Imp. ordines præsentes, ac absentium legati, & ego Cæs. Maiest. V. literis ad comitia Augustæ celebranda evocati, Cæs. Maiest. V. domino nostro clemẽtissimo, de felici in Nationis Germanicæ Romanum Imperium reditu, summopere gratulamur, ac debita reverentia & subjectione eam excipientes, à Deo petimus, ut C. M. V. accepto nunc diademate Imp. diu & feliciter Rom. Imp. præsit, ac pacificè singula administret. Fore enim speramus, ut Deo juvante & cooperante, omnia Maiest. V. facta in nominis divini gloriam, Vestræ Maiestatis honorem, & Germanicæ nationis salutem, cedant. Nos etiam, cum simus sacri Romani Imperii membra, omnem nostram operam, studium & diligentiam Cæs. Maiest. V. offerimus, in agendis & efficiendis omnibus, de quibus in his comitiis deliberationes instituentur, quæque ad nominis divini gloriam, vestræ Maiestatis honorem, & Germanicæ nationis emolumentum cessura videbuntur, V. Cæs. Mai. domini nostri clementissimi, clementissimæ tutelæ ac defensioni nos subjectissimè commendantes.

Hac oratione Imperator, natura mitis & humanus, valde delectatus fuisse dicitur, ac re cum fratre Ferdinando & Friderico Palatino communicata, Electoribus, Principibus & Imperii ordinibus per prænominatum Fridericum respondit, ut sequitur.

Friderici Palatini ad Archiepiscopi Moguntini orationem, nomine Cæs. M. data, responsio.

Romana Cæs. Maiestas, dominus meus clementissimus, Electorum, Principum, & sacri Romani Imperii ordinum orationem qua ei de diademate Bononiæ accepto gratulati, & ad Imperii administrationem diuturnæ vitæ spacium, incolumitatem, & felicissima quæq; precati sunt, clementissimè audivit, ac Electoribus, Principibus, & aliis ordinibus gratias maximas agit.

Cum verò divina providentia Maiestas ipsius, dominus meus clementissimus, in Romanorum Imperatorem electus, & nunc inauguratione Bononiensi confirmatus, re ipsa experiatur, Electores, Principes, Prælatos, Comites, & alios sancti Imperii ordines, præsentes & absentium legatos, Maiestatis ejus literis indictionis ad Comitia evocatos, tanto numero, tantaqve freqventia subjectissimè convenisse & comparuisse, Majestas ejus ob id summopere lætatur, & clementissimè afficitur, ac cum Electoribus, Principibus & Imperii ordinibus, ea præcipuè seriò ac diligenter agere decrevit, quæ ad omnipotentis DEI gloriam, omnium Christianorum salutem & incolumitatem, Germanicæ nationis utilitatem & commodum, ac præcipuè ad Turcam debellandum & profligandum, facere videbuntur, quibus mediis, quáve via errores & dissensiones in religione tolli, ac publica pax & tranquillitas per sacri Romani Imperii fines fieri ac constitui possit, diligentes rationes initura, ea spe, DEUM eiusmodi conatibus adfuturum, eosque suo consilio gubernaturum ac promoturum esse. Nunc verò Cæsarea Majestas progredi, & civitatem ingredi cupit.

Non procul à civitate, Joachimus Elector Brandeburgicus, Pontificium Legatũ, nomine Episcoporum & spiritualium Principum, cum ex iis nemo hoc præstare posset, oratione latina tam gravi, erudita, & splendida excepit, ut non tantum omnes Spirituales Principes talem facundiam summoperè fuerint admirati: verum etiam Carolus Imperator ipse In hæc verba eruperit: Eruditionis & facundiæ laudem huic Principi Electori nequaquam detrahi posse, ac Spiritualium Principum negligentiam meritò culpandam esse & improbandam, quod eorum cogerentur esse discipuli, quos ipsi erudire meritò deberent. Igitur ut imposterum perdiscendis literis plus temporis tribuant, se monere, nisi ii velint videri, qui officio neutiquam satisfaciant.

Hoc modo exceptus Legatus, statim accurrit, ut Cæs. Maiest. Augustam ingrediẽtis latus alterutrum clauderet: sed Electores & Principes neutiquam concedere voluerunt, ut Imperator vel cum prænominato Legato, vel cum fratre Ferdinando, Ungariæ & Bohemiæ Rege, ingrederetur, sed, ut solus equitaret, rogârunt.

Pontificiæ factionis antesignanis rem totam pro libitu administrantibus, monachi decretum fuit, ne C. M. prius, quam ipsa corporis Christi vigilia adventaret, Augustam ingrederetur, hunc tantum in finem, ut Evangelicam doctrinam amplexi principes & status, instantis festi solennitate, & ceremoniis, ac aliarum etiam actionum multi-

Anno 1540.

multitudine obruti & oppressi, ex C. M. præscripto omnia facere, eiq; in reb. spiritualibus, & processione concelebranda, in universum, morem gerere & obedire cogerẽtur: neq; cur C. M. edicto audiẽtes esse, & obtemperare non possent, & qvas ob causas ab Ecclesia Romana secessionem facerent, qvicqvam, qvod prætenderent, haberent.

Postqvam urbem ingressus esset Cæsar, & templum invisisset, Electores & Principes eum subjectissime sunt comitati, & ex templo domum petentem longo ordine secuti. Sed Joanni Duci Electori Saxoniæ, Georgio Marchioni Brandeburgico, Ernesto Duci Lunæburgensi, Philippo Comiti Provinciali Hassiæ, & Guolfgango Principi Anhaldino, omnibus aliis domum euntibus, à Cæs. Maj. injunctum fuit, ut tantisper expectarent, & commorarentur, donec de Cæs. Majest. animo & sententia cognoscerent: interea Imperator, re cum Ungariæ & Bohemiæ Rege Ferdinando, & aliis consiliorum arcanorum consciis, communicata, Principibus protestantibus ea significari jussit, qvæ paucis comprehensa seqvuntur.

Primum Cæs. Majest. postulatum, statim post ingressum Principibus Protestantibus per Regem Ferdinandum propositum.

Illustrissime Princeps, Elector Saxoniæ, cæteriq; in religione conjuncti Principes, C. M. ut antea Oeniponte, ita hic Augustæ qvoqve, certior facta est, vos conciones vestras nondum abrogâsse, sed concionatores & verbi ministros in publicis locis populum docere: cum vere per conatus ejusmodi omnis generis impedimenta reliqvis negotiis suscipiendis, tractandis & expediendis objici possint, post ulat C. M. & mandat severe, ut conciones vestras primo qvoqve tempore suspendatis & abrogetis.

Secundo, cum crastino die festum corporis Christi sit celebrandum, & C. M. pompam processionis, de more, per urbem ducere in animo habeat, Majest. ipsius clemẽtissime reqvirit, ut Majorum vestrorum exemplo, in honorem Dei, ejusmodi processioni interesse velitis, eamqve præsentia vestra ornare atqve perficere.

Hẽs auditis, Elector Saxoniæ, & reliqvi in religione conjuncti Principes, per Georgium Brandeburgicum responderunt:

Invictissime Imperator, semper Auguste, domine clementissime: Elector Saxoniæ, & alii principes Evangelicam doctrinam amplexi, Vestræ Maj. postulatum, per Ferdinandum, Ungariæ & Bohemiæ Regem, dominum nostrum clementissimum, propositum subjectissimè audiverunt, ac toto negotio diligenter pensitato & deliberato, mihi, ut responderem, injunxerunt. Bona autem conscientia, & salva Dei gloria, facere non possumus, ut verbi divini, unici thesauri nostri, ac veræ consolationis prædicationem & propagationem prohibeamus & abrogemus: igitur à C. M. V. reverenter petimus, ne ejusmodi postulatis, qvibus bona conscientia assentiri non possumus, conscientias nostras oneret & prægravet, ac nominis divini gloriam, literarũ indictionis sententiam atq; summam, ac denique Electoris, & aliorum Principum inevitabilem necessitatem diligenter considerando, nobis clementissime parcat. Qvod si in aliis rebus Majest. Vestræ gratificari poterimus, nihil non facturi sumus, qvo C. M. V. animi nostri debitam obedientiam & subjectionem nos declarare posse, speraverimus.

Hæc cum nomine sociorum suorum Georgius Brandeburgicus peroràsset, Imper. per Ungariæ & Bohemiæ Regem Ferdinandum, secunda vice proposuit, Majest suam nec velle nec posse de postulato & mandato suo qvicqvam mutare aut remittere: igitur, ut pluribus rem agant, minime necesse esse. Nam propositam sententiam immotã & firmam stare, ac ab ea discedere C. Maj. neqvaqvam velle. Igitur ego qvoq; moneo & adhortor vos, subjecit Ferdinandus, ut Cæs. Majest. hac in re gratificemini, & morem geratis, nihil enim vos obtenturos esse, certo certius scio.

Hæc cum audissent Principes Protestantes, per Georgium Brandeburgicum, multis in medium adductis argumentis, & expositis rationibus. cur Cæs. Majest. postulato bona conscientia assentiri non possent nec sententiam mutare, bonam spem se concipere, dixerunt, fore, ut, cum Concionatores sui præter verbũ Dei nihil doceãt nec materias disputabiles, aut seditionibus excitandis idoneas, pro concione populo proponant, ac ea potissimum de causa comitia sint indicta, ut totius rei controversia audiatur, definiatur, & componatur, nec ullius erroris sint convicti, in exposita excusatione Cæs. M. clementissime acqviescat.

Ferdinando verò omnes preces irritas, & nihil momenti apud Cæsaream Majestatem habituras esse, dicente, Georgius Marchio Brandenburgensis pio zelo excandescens, & animo constanti ac intrepido manum collo admovens, inter cætera dixit: malle se, flexis coram Cæsarea Majestate genibus, spiculatori cervicem feriendã statim præbere, quam Deum & sacrosanctum ipsius Evangelium abnegare, & falsam ac erroneam doctrinam recipere atq; probare. Qua voce audita, Imperator placidissimè respondit, nicht Kopp ab / nicht Kopp ab / non hoc agi, ut cuiquam vita eripiatur: sed Majestatem suam, ut conciones abrogentur, seriò flagitare.

 Cum

Cum igitur Cæsarea Majestas toties istud postularet, nec de proposito suo quicquam remitteret aut mutaret, Principes Protestantes, precibus & orationibus suis nihil obtinentes, vix tandem deliberandi spacium impetrârunt, ut postero die, qui memoriæ corporis Christi dicat⁹ fuit, hora sexta antemeridiana, quid sui animi & sententiæ de negotio illo esset, dilucidè ac disertè C.M. exponerent, ac significarent.

Hæc inter Cæs. Majest. & Principes Protestantes instituta actio, in multam fuit protracta noctem, ita, ut Dux Elector Saxoniæ, cæterique Principes Evangelici, admodum serò in sua hospitia reverterentur. Qui licet inter decimam & undecimam pomeridianam domum rediissent: tamen Imperator, missis aliquibus consiliariis, denuo ab Electore Saxoniæ, & conjunctis in religione Principibus seriò postulavit, ut postero die conciones intermitterent, & abrogarent, ac processioni interessent.

pag. 341.

Sed Principes Protestantes, ut qui, de his rebus Cæs. Majest. parum constare, & tantum ex sacrificulorum & monachorum instinctu ea fieri, intelligerent, nullum aliud responsum Legatis dederunt, quàm quod, se ea facturos esse, dicerent, quæ discedentes Cæs. Majest. polliciti fuissent. Igitur se nunc membra sua quieti daturos, Deoqve totius negotii gubernationem cômendaturos, bonam spem concipere, posterum diem consilium quoque in promtu habiturum esse.

Quæ ipso Corporis Christi die, qui decimus & sextus Iunii fuit, in causa religionis acta sint.

Postero die, qui fuit memoriæ corporis Christi sacer, ad horam colloquio destinatam, Dux Saxoniæ Joannes Fridericus, de volunrate & mandato celsitudinis suæ Patris, Ducis Electoris Joannis, ex ingressu serotino, & cœna in multam noctem protracta, incommodius valentis, Georgius Brandeburgicus, Ernestus Dux Luneburgensis, Philippus Hassiæ Landgravius, & Wolffgangus Princeps Anhaldinus, in palatio Cæs. Majest. præstò fuerunt, cut ejusmodi postulatis bona conscientia assentiri, conciones abrogare, & processioni interesse non possent, rationes reddituri.

Cùm igitur à Cæsare, ut audirentur, impetrassent, Majest. ipsius, præsente Ungariæ & Bohemiæ Rege Ferdinando, Palatino, & Episcopo Spirensi, per Georgium Brandeburgicum ordine exponunt: intellexisse se postulata jussu C. M. hesterno vesperi proposita, quibus quidem assentiri, morem gerere, & parêre libentissimè & subjectissimè cuperent, nisi gravibus avocarentur & prohiberentur conscientiæ vulneribus, illata petitione, ut C. M. causas ob quas assentiri, & processioni interesse non poss. clementissimè audire sustineat, quo imp trato, in hanc sententiam verba fecerunt.

Causa, ob quas Principes Protestantes in Festo corporis Christi interesse processioni non possint.

Ne Cæs. Majestas miretur, cur toties vocati & invitati, côparere tamen, & processioni interesse non possimus, causas ejus rei quas habemus gravissimas & evidentissimas, paucis recensere, & ordine exponere constituimus.

Primum autem non tam imperiti sumus rerum omnium, ut, nos debitum officium Cæs. Majestati sine omni conscientiæ nostræ læsione hac in re præstare posse, ignoremus. Sed quia eò spectât Majestatis mandatum, ut hanc processionem, tâqvam cultum divinum, nostra præsentia approbemus, & stabiliamus, nec nos tamen, ullo in loco scriptorum Propheticorum & Apostolicorum præceptum id esse & mandatum à Christo, sciamus, ejusmodi postulatis bona conscientia assentiri nullo modo possumus.

Deinde cùm omnibus sanis, eruditis, & dextrè judicare volentibus constet, nec ulla vel disputatione vel probatione egeat, Sacramanti veri corporis & sanguinis Christi integrum, & non mutilatum usum à Testamentario ipso, in sacris literis præscriptum & institutum esse, grave futurum nostris conscientiis, existimamus, si quæ circumfertur, alterutram partem tantum, corpus scil. Christi mandato non adversari & contrarium esse, nostris quasi suffragiis affirmemus, id qvod etiam ex fidei nostræ confessione Vestræ Majest. paulò post exhibenda, abunde satis liquebit, & apparebit.

Quę enim esset, non dicimus incôsiderata levitas, sed insignis temeritas, impudentia, & desperata audacia, ea, quæ sunt humana introducta & constituta autoritate, Dei mandatis & pręceptis præferre, & in Ecclesia cultus divini rationem habere, impudêter affirmare, cùm scriptum sit: Frustra me colunt mandatis hominum.

Ejusmodi igitur humanas constitutiones impias, & cum verbo Dei, Christique mandatis apertè pugnantes, tantum abest, ut nostro consensu approbemus & stabiliamus, ut, omne genus talium absurdarum & impiarum traditionum penitus ex Ecclesia ejiciendum, & procul exterminandum esse, uno ore & communi consensu affirmare non dubitemus, ne, quæ sana sunt & pura Ecclesiæ membra reliqua, eodem quoque veneno tam pestifero lethaliqve inficiantur & contaminentur.

Insuper ab adversaria parte hoc præcipuè sic agitatum & factitatum esse, nos neqvaqvam fugere aut latere potest, addita hac

hac explicatione, processionem illam cultum esse divinum. Pro certo enim statuerunt, nos non tantum posituros spei atque fiduciæ in Deum, qua confisi, Cæs. Majest. toties & tam seriò nos vocanti, obtemperare & obedire recusaremus, ignorantes, Deo majorem, quam hominibus obedientiam nos debere.

Si autem Cæsareo mandato pareremus, atque præsentia nostra processionem comprobaremus, facturum id multum, & plurimum habiturum momenti ubique locorum, ad elevandam & extenuandam religionis nostræ & verbi divini autoritatem, ut qui nostra præsentia processionem, & theatricam illam corporis Christi circumgestationem comprobare & stabilire non essemus veriti, pugnantem apertè & ex diametro, non tantùm cum manifesto verbo Dei, verum etiam cum nostræ partis concionibus, & ceremoniis in Ecclesiis nostris receptis atq; usitatis, essetq; hæc futura cōmodissima, & optatissima illis occasio, insimulandi nos παλινωδίας cujusdam tacitæ, & ad vituperationem lata & expedita illis esset strata via, id quod ipsos magno affecturum esset gaudio & voluptate, modò tantum causæ & occasionis, pro diminuenda & elevanda Evangelii & verbi divini autoritate, habere & obtinere possent.

Nisi enim hoc clandestinis machinationibus & sycophanticis consiliis esset effectum, Cæsarea Majestas nos, ut processioni interessemus, neqvaquam cogeret, sed ut aliis Electorib. & Principibus, ejus rei facultatem liberam nobis relinqueret. Quas suspiciones Cæs. Majest. ingressus nonnihil auget, & quodammodo confirmat, qui in ipsa corporis Christi vigilia adventare, & Augustam ingredi fuit coactus, in hunc tantum finem, ut Processionem, multis jam annis collapsam, abolitam & sublatam sua præsentia & autoritate vicissim instauraret, restitueret, confirmaret, & stabiliret, cum pars adversaria bonam spem conciperet, fore, ut hac ratione restituta, facilè deinde duraret & valeret per multa secula, sive illa esset verbo divino & Evangelicæ veritati analoga & consentiens, sive eam prorsus oppugnaret, & funditus deleret, atque everteret.

Igitur obscurum esse nemini potest, per quos sit effectum, quod C. M. ipsa corporis Christi vigilia Augustam ingredi vellet, cum per totum diem & solis æstum maximum, & pulveris molestiam summam sustinere cogeretur, ipsiusq; ingressus in multam protraheretur & duraret noctem. Nec hæc præstitisse & sustinuisse sufficiebat sed oportebat, ut plus accederet oneris & molestiæ. Cum enim in hospitium serò ventum esset, ac Cæs. Majest. jam se meritò quieti dare deberet, ipsa, quam primum reliquisset staticula, aliis rebus omnibus dilatis & posthabitis, nobis ad se vocatis, ut conciones abrogaremus, & processionem concelebraremus, serio injunxit.

Anno

Causæ ob quas Elector Saxoniæ, & conjuncti in religione Principes, conciones suas suspendere & abrogare non possint.

Deinde, cum Cæs. Majest. V. serio postulârit, ut nostras suspenderemus & abrogaremus conciones; de voluntate & consilio in religione conjunctorum Principum, V. Cæs. Majestati respondeo: Nos Dei beneficio, certò scire, & indubitato credere atque statuere, doctrinam, quam profitemur, in scriptis Propheticis & Apostolicis fundatam, & symbolis in Ecclesia receptis analogam & conformem esse.

Igitur eā tacēdo revocare aut abnegare neq; possumus neq; debemus, nisi hominum quā Dei, in ādata pluris & majoris facere, illaq; his, ad summam nominis nostri infamiam, & æternum animarum dispendium, præferre velimus, quod Deus clementissimè prohibeat & avertat.

Secundò, doctrinam nostram neqve hæreticam neq; seditiosam: sed multis nunc annis, per totum penè orbem terrarū propagatam ac disseminatam, nec ab ullo refutatam esse, omnibus constat, & in confesso est, atq; eam Christiani Magistratus, omniumq; ordinum autoritatem potius conservare & augere, quam imminuere & elevare, nemo, ut opinamur, inficias ire poterit: ac ut ex ea homines improbam suam vitam emendarent, & meliorem vivendi rationem inirent, non deteriores evaderent, ex animo optaremus.

Tertiò, cum in aliis Imperii Comitiis, nunc aliqvoties celebratis, concionum nostrarum cursus nunquam sit impeditus aut inhibitus: certè nunc temporis satis mirari non possumus, quibus causis Cæs. M. V. adducta, earum abrogationem tàm severè, ac tàm sæpè urgeat. Sed utut ista sese habeant, facilè colligere & conjectura asse qui possumus, quinam hujus rei sint autores, & quorum consilio & instinctu (id qvod Deo justissimo judici dijudicandum relinquimus) hæc omnia fiant & agantur.

Igitur nos in religione conjuncti Principes, V. Cæs. Majestat. clementissimæ tutelæ ac protectioni nos subjectissimè commendantes, petimus & oramus, ne C. M. V. in causa, ad nominis divini gloriam, & animarum nostrarum salutem spectante ac pertinente, conscientias nostras ejusmodi postulatis prægravet, & oneret.

Huc usqve cum principum Protestantium nomine perorasset Georgius Brandeburgicus, denuò pio zelo, & constantia Christiano Principe digna motus, conversa ad

ad Cæs. Majestatem oratione, suo nomine sic ferè verba facere perrexit.

Invictissime Imperator, domine clementissime, his, de Electoris Saxoniæ, & aliorum Evangelicorum Principum causa, dictis, summa necessitate coactus facere non possum, quin Cæs. Majest. V. animi mei sententiam pluribus dicam, & aperiam. C. Majest. V. ignorare non potest, quæ mea erga domum Austriacam extent merita, qvę in omni obsequiorum genere fides atqve constantia, quæ in subeundis periculis animi fortitudo, ita, ut non solùm opibus & facultatibus, verum etiam vita ipsa & fortunis omnibus in discrimen positis, debitam obedientiam ei præstare studuerim, cujus rei omnes mihi testimonium perhibere coguntur, ut interim taceam majorũ meorum, piæ memoriæ, egregia facinora, operam atq; fidem, quæ Cæs. Majest. V. antecessoribus, in bellis Austriacis & Ungaricis, declarârunt. Illorum majorum meorum laudata exempla ego quoque imitatus Cæs. Majest. V. promitto, atque polliceor, nec in posterum ulla in re meos conatus domui Austriacæ, ac V.C.M. defuturos esse, modo in causa religionis nihil, quod contra Deum ejusq; verbum est, statuere & approbare cogat.

Hæc omnia, ut C. M. V. clementissimè consideret ac perpendat, subjectissime rogo, nec ullis adversariorum calumniis & delationibus fidem adhibens, se contra me

pag 343. instigari patiatur. In hac causa enim ad DEUM pertinente, immutabili mandato divino, decretis ac postulatis ejusmodi adversari & repugnare cogor, qvæcunqve etiam sequantur & immineant pericula, cum scriptum sit: Deo magis obedite, quam hominibus.

Idcircò propter confessionem doctrinæ quam scio esse vocem filii Dei, & immotam atque æternam veritatem, non recuso ulla pericula, ne quidem capitis, quæ veram religionem amplectentibus denunciata & proposita esse audio.

Hæc cum, & suo, & reliquorum Evangelicorum Principum nomine, Georgius Brandeburgicus perorasset, Imperator, re cum Rege Ferdinando, Friderico Palatino, Episcopo Spirensi & Costnicensi, præposito Waltkirchensi, & Marchione Achaverensi, communicata, per Fridericum Palatinum respondet, se ex multis, iisqve gravibus causis, de suo Præposito nihil mutare aut remittere posse, igitur ne quid Principes Protestantes desiderare queant, aut animæ nutrimento & pabulo destituantur, cum hoc propriè ad se spectet, & sui sit officii, constituturum nonnullos, qui verbum Dei proponant, quos, si velint, audire possint, ac se in bonam spem venire, Principes Protestantes hac in re nihil facturos obstinato, sed majorum exemplo Majestati suæ morem gesturos, ac processionem, ut cultum divinum, ipsorum præsentia ornaturos esse.

Hoc audito, Principes Protestantes rursum à Cæs. Majestate precibus, quibus poterant, subjectissimè contendebant, ne ejusmodi postulatis, quibus assentiri non possent, ipsorum prægravaret & oneraret conscientias. Quod enim processioni, qvemadmodum Cæsar. Majestas postulasset, sine gravi conscientiæ vulnere, interesse non possent, se abundè satis quam primum, juxta literas indictiones, de religione agi cœptum fuerit, declaraturos & testaturos esse.

His Cæsar vicissim responsum dari jubet, se de mandato & proposito suo nihil mutaturum aut remissurum esse. Igitur cum adeo graventur conciones abrogare & suspendere, jubere se, ut causas jam recitatas, cur assentiri & parere non possint, scripto comprehensas & explicatas, sibi offerant & exhibeant, quo facto deliberaturum se de aliis mediis ad concordiam facturis. Cum autem Processio sit cultus divinus, bonam spem se concipere, Principes Protestantes non futuros in postremis, sed facturos in eo, quæ exiporum sint officio.

Evangelici hæc rursum deprecabantur, &, ut Cæs. Majestas causis in medium allatis clementissimè acquiesceret, orabant, præstituros enim omninò, quæ permissa verbi divini præstare possent: igitur subjectissimè petere, quod in eo diversum sentiant à Cæs. Majestate ne molestè id ferat, aut in malam interpretetur partem. Cùm verò Dux Elector Saxoniæ per causam valetudinis, coram Cæs. Ma. comparere non potuerit, se ipsi quoq; Cæs. Mai. postulata expositiuros, ut postridie, quid sui animi & sententiæ hac de re sit, scripto comprehensum C.M. exhibeant.

His actis, Cæs. Maiest. Missam auditura, & processioni interfutura, summum templum ingressa est. Principes verò Protestantes cum Cæsaris postulata Duci Electori Saxoniæ significassent & exposuissent, communi consensu decreverunt, totum negotium scripto comprehensum Cæsar. Maiest. offerre. Fuitqve hæc Cæsaris cum Principibus Protestantib. actio ad decimam usq; protracta horam.

Post hæc, etsi Protestantes causas, qvare conciones bona conscientia omittere non possent, scripto obtulerunt Cæsari, ille tamen de proposito nihil mutavit, sed publicè edicto illas prohibuit, proposita gravi pœna, qui secus facerent.

Saxo consiliũ Lutheri super hac re reqvisivit, qui Principi sequentes causas, cur pro tempore obediendum sit Magistratui, rescripsit.

Prima.

Prima: Qvod sit concedendum, qvia Imperator utriqve parti prohibens non facit præjudicium.

Secunda: qvia pollicetur, se velle audire causam.

Tertia: Majus bonum præferatur minori. Qvia si cognitio causæ per hanc pertinaciam impediretur, qvid accideret?

Qvarta: Qvia sumus vocati, ut pars ad dicendam causam, & ad rationem reddendam doctrinæ, non ad præjudicandum.

Qvinta: Qvia non sumus Parochi Augustanorum.

Coram Cæsare & statibus Imperii post hæc recitata fuit confessio, qvæ deinceps à loco AUGUSTANA dicta, & statim in Hispanicam, Italicam, Gallicam & Anglicam lingvam conversa, & Papæ aliisqve Regibus & Principibus transmissa fuit.

Hic Lutherus inqvit: Adversarii præclare se rem gessisse existimant, qvod conciones per interdictum Cæs.M. intermitti curarunt: sed non vident miseri, per scriptam confessionem Cæsari exhibitam, plus prædicatam, & latius propagatam esse hanc doctrinam, qvàm fortasse decem concionatores facere potuissent. Egregiam vero sapientiam adversariorum, qvod M. Islebius & cæteri concionatores tacere coguntur: prodit autem Elector Saxoniæ, & cæteri Principes ac domini, cum scripta confessione, & concionantur liberrime coram C. Maj. & toto imperio, in omnium conspectu, ut audire cogantur, nec contradicere qvicqvam possint. Ich mein ja, hoc interdictum de intermittendis concionibus non inultum abivisse. Nolunt ministris suis concedere, ut Concionatores audiant, & coguntur ipsi multo deteriora (ut ipsi nominant) & Principibus concionantibus, audire, & obmutescere. Christus profecto non tacet in comitiis, ac etiamsi insaniant, tamen plus ex confessione audiverunt, qvàm si totum annum concionatores audivissent. Ita completur, quod Paulus inqvit: Verbum Dei non esse alligatum. Si in suggestis prohibetur, tum in palatiis Regum illud audiri oportet. Si miseris concionatoribus illud prædicare non conceditur: tum magnos Principes, & dominos prædicare necesse est. Et in summa: si omnia tacent, lapides clamabunt, inqvit Christus ipse.

344 A principio, qvi Augustanæ confessioni adhæserunt, & illam Cæsari & Imperii statibus obtulerunt, ex principibus fuerunt Joannes Dux Saxoniæ Elector, Georgius Marchio Brandeburgensis, Ernestus Dux Lunæburgensis, Philippus Landgravius Hassiæ: Wolffgangus Princeps ab Anhalt, & duæ tantum civitates imperiales Norinberga & Reutlinga: qvibus se adjunxerunt Hailpronna, Campodunum, Winsheimium & Weissenburgum.

Sed & Argentinenses, Constantienses, & Memmingenses peculiarem qvandam confessionem Cæsari exhibuerunt in omnibus articulis, excepto isto solo de Sacramento, idem cum Luthero sentientes.

Bucerus in epistola ad Pontanum, Sax. Cancellarium, Deo teste, inqvit, nos in causa cœnæ Dominicæ verbis tantum à Luthero dissentire, qvod multis argumentis adductis probare nititur in eadem Epistola.

Et in alia epistola, ut & priore, in comitiis scripta ad Pontanum, ait, cumprimis meminisse oportet, nos in aliis articulis idem, quod Synodus Nicena, & Lutherus in sua Postilla, credere.

Lutherus quid de Philippi Theologia, qvem pro Philosopho & Rhetore, non Theologo habuit, senserit, apparet ex seqventibus.

Lutherus ad Jonam.

Philippum sua agitat Philosophia, ac præterea nihil: nam causa nostra est in ejus manu, qui dicere audet, Nemo rapiet eam de manu mea.

Lutherus ad Philippum.

Tu secundum Philosophiam has res regere, hoc est, ut ille ait, cum ratione insanire pergis. Ne te maceres, hæc causa non est in manu tua, sed ejus qui major est, non ex Philosophia, sed verbo Dei periculosis temporibus consolationes sumendæ sunt. Philosophia tua ita te vexat, non Theologia.

Illo periculosissimo comitiorum Augustanorum tempore, qvidam pii qvoqve in Italia reperti sunt, qvi de dissidio illo religionis componendo, & propaganda gloria Christi, soliciti fuerunt & anxii, ut docet adjuncta ea de re Lucii Rosellii Epist. Cum enim Venetis rumusculi sparsi, & sermones pervulgati essent, Philippum remissius Christi causam agere, & in alteram partem inclinare, ac literæ qvoq; Philippi Venetias allata essent, qvæ disseminatam famam qvodammodo confirmare viderentur, Lucius Rosellius famam & existimationem Philippi salvam cupiens, denuo per literas eum monuit, ut fortiter agendo, & Christi causam strenuè defendendo, virtutis & nominis sui gloriam per totum terrarum orbem extenderet, ut ex subjuncto apparet epistolio.

Eruditissimo viro, veritatis evangelicæ Patrono egregio, domino Philippo Melanthoni.

Meas ad te nudius tertius dedi literas, qvibus, ut strenuam pro Christo, veritateqve Evangelica, omni prorsus humano abjecto timore, navares operam, te vehe-

Anno vehementer hortatus fui. Ad id autem faciendum me varii, qvi de te circum ferebantur, tumores impulêre, qvos eqvidem vehementer auxit & ampliavit cujusdam epistolæ exemplum, Senatui huc Veneto ab oratore ejus, qvi isthinc apud Imperatorem oratorio fungitur munere, missum, à qvo etiam adfirmatum fuit suis in literis, te Epistolam ipsam Cardinali Campegio Legato Pontificio misisse. Et licet nonnulli sint, qvi negent, eam abs te compositam, qvippe qvæ diversum habeat stylum ab eo, qvo tu uteris: major tamen hominum pars meliorem vincit, creduntq; multi, te illius autorem esse. Oratorem enim Venetum non adeo insulsum arbitrantur, ut, qvæ tua non sit, pro tua miserit.

Ego igitur, qui nomen tuum semper observavi, colui, & suspexi, qviqve cupio, Christi causam per te maximè defensum iri, tibi has meas iterum scribere volui, in qvibus etiam illius Epistolæ, qvam tuã esse dixi, ad te exemplum mitto, ut fœturam tuam (si tamen tua est) agnoscas. Si verò, ut pleriq; tui amantes credunt, aliena est, hominum rasorum malignitatem expendas, qvi tibi ea adscribunt, qvæ Christo, verisq; Christi defensoribus dedecori sunt. Te igitur oro & obsecro, ut, cum istorum insulsam diligentiam, eorumqve improbam animi maliciam cognoveris, velis ardentius eorum iniquitatibus resistere, ipsorumqve calumniis respondere, & Serenissimo Imperatori, cæterisqve præsentibus Christianis Principibus eorum improba studia detegere. Nihil enim virtute duce, sed fraude ac dolis conseqvi student. Qvod si feceris, virtutis tuæ lumen ubiqve gentium elucescet. Vale in Christo. Venetiis, Calend. Augusti, anno 1530.

T.

Qvantuluscunqve

Lucius Paulus Rosellius.

His addit Cælestinus: Philippus iis conditionibus, qvibus plerosqve homines subjectos esse videmus, erroribus scilicet & lapsibus, non exemtus, ac communis pacis & tranqvillitatis in Ecclesia & Republica, recuperandæ & confirmandæ studiosus, plura fortassis nonnunqvam dixit & scripsit, qvàm eum dicere & scribere debuisse, multi existimant. Sed ne studiosum Lectorem pluribus morer, ipsam Epistolam subjiciam.

pag. 345.

Reverendissimo Cardinali Campegio, Legato Apostolico.

S. D. Reverendissime domine, cùm prædicatione multorum bonorum virorum cognoverim, R. D. T. in amplissimis honoribus, & in hoc rerum fastigio summa uti moderatione, adductus sum in spem, fore, ut R. D. T. literas nostras æqvo animo legeret.

Verissimum est, qvod scribit Plato, nihil optabilius, nihil melius, nihil divinius accidere posse hominibus, qvam si sit in imperio cum potentia conjuncta sapientia. Qvare initio, cùm afferretur, R. D. T. missam ad hunc conventum, ut arbiter ac disceptator Religionis esset, multi boni viri hanc gratulati sunt Germaniæ felicitatem, qvod tali viro cognitio maximarum rerum commissa esset, qvi non solum dignitate, sed multo magis sapientia antecelleret alios homines. Jam olim enim fama sapientiæ tuæ universam Germaniam pervagata est.

Ego igitur, cum existimarem, R. D. T. in ista sapientia qvàm maximè à violentis consiliis abhorrere, duxi, ad R. D. T. scribendum esse, ut & nos intelligeret unice cupidos esse pacis atqve concordiæ, nec detrectare ullam faciundæ pacis conditionem. Dogma nullum habemus diversum à Romana Ecclesia, multos etiam repressimus, qvi perniciosa dogmata serere conati sunt, cujus rei extant publica testimonia. Parati sumus obedire Ecclesiæ Romanæ, modo ut illa pro sua clementia, qva semper erga omnes homines usa est, pauca qvædã vel dissimulet, vel relaxet, qvæ jam ne qvidem, si velimus, mutare qveamus.

Neqve fidem habeat R. D. T. malevolis nostris, qvi nostrorum scripta scelerate depravant, & affingunt, qvicqvid videtur ad inflammanda publica odia qvoqvo modo facere.

Ad hæc Romani Pontificis autoritatem, & universam politiam Ecclesiasticam reverenter colimus, modo non abjiciat nos Romanus Pontifex. Cum autem concordia facile possit constitui, si æqvitas vestra paucis in rebus conniveat, & nos bona fide obedientiam reddamus: quorsum opus est supplices abjicere? qvorsum opus est supplices ferro & igni proseqvi? Multis non dubium est, qvin R. D. T. nullo modo probatura fit ista violenta consilia, si causam nostram & voluntates nostras penitus nôrit. Nullam aliam ob rem plus odii sustinemus in Germania, qvàm qvia Ecclesiæ Romanæ dogmata summa constantia defendimus. Hanc fidem Christo & Romanæ Ecclesiæ ad extremum spiritum, Deo volente, præstabimus.

Levis qvædam dissimilitudo rituum est, qvæ videtur obsistere concordiæ. Sed ipsi canones fatentur, concordiam Ecclesiæ in hujusmodi rituum dissimilitudine retineri posse. Qva de re non decet me plura disputare apud virum doctissimum, tot jam annos in summo consilio terrarum orbis versatum. Hæc tamen scripsi, ut intelligeret R. D. T. nos petere pacem, ac rogare R. D. T. ut patientiam atqve autoritatem suam

suam magis ad nos servandos, quam perdendos conferat. Verebar etiam, ne prolixitas offenderet R. D. T. Ideo scripsi brevius, & oro propter Deum, ne hanc nostram deprecationem R. D. T. aspernetur. VI. Iulii, anno 1530.

Philippus Melanthon.

Ante & post exhibitam adversariæ partis confutationem, varii Augustæ rumusculi sparsi & pervulgati fuerunt, fore, ut nostri omnia restituere, & quæcunqve adversarii vellent, concedere cogerentur. Fuit etiam insidiose quæsitum ex nostris, an à Papa vel hujus Legato petere vellent, sibi cōcedi, quæ Pontifex permittere eis posset, quibus sermonibus & qvæstionibus ex nostra parte Theologi moti, ea de re Lutheri exquisiverunt consilium, qui eis sequentibus respondit literis.

Martinus Lutherus Georgio Spalatino.

Gratiam & pacem. Scripsi antea de articulis istis, qvos jam secundò misistis, mi Spalatine, & ut dixi, Diabolus si non potest Leo esse, vult esse Draco. Iam in insidiis versari causam nostram, videtis. Quare est, ut de his scribam. Quis enim intellectas insidias non facilè caveat? Ipsi quærunt, ut dominentur fidei & conscientiis, & arte ista nos avocare volunt à verbo, qvod satis video, verum nihil metuo. Quia si insidiis pergent, impingent ipsi in nostras insidias. Nam ubi hoc unum obtinueritis, vos nihil contra Evangelium concessuros esse aut concessisse, quid tum sunt illorum insidiæ? Næ, ego tunc pulchrè eos tractavero, declaraturus Rhethorica mea, quam sint ausi contra Evangelium à vobis postulare quædam isti tanti fidei & Evangelii propugnatores.

346. Et si aliquid manifestè (quod non facietis, Christo favente) contra Evangelium concesseritis, & ita in saccum aliquem Aqvilam istam concluseritis, veniet, ne dubita, veniet Lutherus, hanc Aquilam liberaturus magnifice. Ita vivet Christus, & verū hoc erit. Quare nolite timere victores tātæ violentiæ, neq; istis bullis insidiarum deterreri: ut res ceciderit, liber est Lutherus, liber fortè Macedo, quod nollent, ne sit sapientia contra insidias, & Israël contra manum. Fortes estote & viriliter agite, es hat nicht Noth / wenn sie mit den blinden Griffen umbgehen. Porrò in isto præsertim articulo, in quo petitur, ut à legato & Papa postulemus, nobis concedi, quæ nobis permittere velint, obsecro te, ut Amsdorficè respondeas in aliquem angulum: Daß uns der Pabst und Legat / &c. Ex Eremo, 5. Augusti, anno 1530.

Lutherus ad Philippum.

Accepi apologiam vestram, & miror, quid velis, ubi petis quid, & quantum sit cedendum Pontificibus. De Principe est alia quæstio, quid illi concedendum sit, si huic impendeant. Pro mea persona, plus satis cessum est in ista apologia, quam si recusent, nihil video, quod amplius cedere possim, nisi videro eorum rationes aut scripturas clariores, quam hactenus vidi.

Ego dies & noctes in ista causa versor, cogitans, volvens, disputans, & totam scripturam lustrans. Et augescit mihi assiduè ipsa plirophoria in ista doctrina nostra, & confirmor magis ac magis, Daß ich nun / ob Gott will / nu nichts mehr werde nemmen lassen / es gehe darüber wie es wolle.

Hæc nec in Rhetorica nec etiam in Philosophia tua habes. Es heist nicht / Ego Philippus sic fecissem, das Ego ist zu gering / Ego Deus, heists.

Lutherus ad Brentium.

Admonendus per vos est Philippus, ut desinat esse rector mundi.

Justus Jonas ad Lutherum.

Ad Philippum vellem dares crebriores literas, mirabilis est enim tristitia ejus. Nos hortamur, ut accepto psalterio Davidis, & alienis verbis, non suis, loquatur de tanta causa cum Deo: sed vincit affectus.

Lutherus ad Philippum.

Bene speramus, non de comitiis vestris aut consiliis, sed de Christi virtute & præsentia, ut Petri verbo utar. E Witteberga scribunt, tanto ardore ibi Ecclesiam orare, ut persvasum habeam felicem exitum.

Erasmus ad Huttenum

Non tutum est se miscere his negotiis, in quibus si quis liberius quid aut æquius dixerit, statim dicitur Lutheranus.

Cum aliquoties Philippus Melanchthon D. Lutherum urgeret, quid & quantum concedendum esset, Lutherus graviter eum reprehendit, dicens: ne pilum quidem cedam, aut patiar mutari, potius extrema omnia expectabo, faciat Cæsar, quicquid poterit, absolvo vos in nomine Domini ab isto conventu. Immer wieder heim / immer heim / concordiam nolite sperare.

Lutherus ad Jonam.

Gaudeo, Philippum experiri Campegii & Italorum ingenia. Philosophia ista non credit, nisi experta: Ego neque Confessori Cæsaris, neqve ulli Italo: unum mihi credo. Nam meus Cajetanus sic amabat me, ut sanguinem pro me vellet fundere, scilicet meum. Es sind Buben / Italus ubi bonus est, optimus est: sed rarum hoc monstrum est, nigroq; simillimum cygno. Zuinglius mihi sanè placet, & Bucerus.

Anno

Also solle sie Gott herfür bringen an Tage, scilicet cum his hominibus ineamus societatem: sed post Cæsaris abitum erunt iterum alii. Seyd ihr des Reichstags nicht satt, so nimpt michs wunder, Ich bin sein müd. Vellem ego sacrificium esse hujus novissimi concilii, sicut Ioannes Huss. Constantiæ sacrificium fuit novissimæ fortunæ Papalis. Christus sit vobiscum.

His hoc loco insertis, & absolutis, ad Electorem Saxoniæ venio, qui octiduo post exhibitam confessionem, ut antea sæpe per literas, ita tunc coram, feudum Electoratus Saxoniæ, & reliquarum ditionum suarum, pro more Imperii, authoritate Cæsarea, & solenni inauguratione ac Diplomate confirmari, petiverat. Verum decima sexta Iulii, Cæsar, per Fridericum Palatinū & Henricum Comitem Nassaënsem Electori respondet: Cupere Cæsaream Maiestat. & renovatione investituræ Electoratus Saxoniæ petenti gratificari, & Regalia Saxoniæ conferre, & pacta dotalia cum Duce Iuliacense, cujus filia Sibylla Ioanni Friderico nupta erat, confirmare, si, abjecta nova doctrina, quam cum catholica Ecclesia pugnantem amplexus esset, ad Ecclesię Romanæ finum rediret. Si id non faciat, Cæsaream Maiestatem ei, qui à societate fidei & Ecclesiæ Catholicæ discesserit, feudum cōferre neqvaquam posse.

pag. 347.

Hac responsione Imperatoris accepta, Elector exemplum constantiæ, in veræ doctrinæ ingenua confessione, omnium seculorum memoria dignum edit, dum nullis fractus minis aut terroribus, nec ullis augendæ suæ aut filii potentiæ & opum expectationibus ac promissis languefactus, doctrinam Evangelii, quam amplexus erat, se omnib. rebus humanis anteferre, pia animi excelsi, & in Deo firmiter acquiescentis alacritate demonstrat, eaqve omnia scripto comprehensa Cæs. Maiest. legenda exhibet.

Cum autem res magni momenti esset, ac in deliberationem caderet, D. Spalatinus sequenti scripto, quid sui animi & consilii de illo negotio esset, declaravit.

Deliberatio Georgii Spalatini ad Cæsareæ Maiestatis postulata.

Ut rebus pendentibus & vacillantibus aliqvo modo consulatur, judico, Illustrissimum principem & Electorem ducem Saxoniæ, & dominum nostrum clementissimum, ad Cæsar. Maiest. capita, per Illustrissimum Principem Fridericum Palatinum, & Generosum Comitem Nassaënsem proposita, hoc modo respondere posse: Celsitudinem suam Cęs. Maiest. animum & sententiam subjectissimè percepisse, & intellexisse. Cæsareæ verò Maiestati ex priorib. actionibus facile constare posse, quam observantiam, obedientiam, & fidem celsitudo sua ipsi detulerit in omnibus iis postulatis, quæ sine Dei abnegatione & conscientiæ læsione atqve vulnere præstare potuerit. Eum animum etiamnum sibi esse, ita, ut quantum omnino facultatibus, etiam cum periculo vitæ & corporis, Cæs. Majest. gratificari queat, majorum suorum exemplo, libentissimè sit facturus, & omnem operam subjectissimè daturus, ne quid Cæs. M. in se desiderare possit.

Cum autem hæc res ad Dei Opt. Max. verbum & gloriam, suæq; celsitudinis conscientiam & animæ salutem spectet atqve pertineat, ac Cel. sua sciat, doctrinam hactenus in ditionibus suis aliquot nunc annis pro concione populo propositam, veram & verbo Dei analogam esse: se in illa sententia adhuc constanter persistere, nec doctrinam illam, in Germanico & Latino exemplarib. comprehensam, & C. M. exhibitam, aliaqve omnia verbo DEI consentanea, temerè ac sine gravi conscientiæ vulnere, ac horrenda DEI contumelia, suæqve salutis jactura & dispendio, revocare, nec doctrinam adversariæ partis, suæ confessioni & verbo Dei contrariam recipere & approbare posse.

Subjectissimè igitur se à Cæs. M. precibus contendere, ut talium & tantarum rerum consideratione muta, cum verbi divini, tum multorum hominum salutis æternæ rationem hab. at, nec suam ac subditorum suorum conscientias ejusmodi postulatis oneret atqve prægravet, sed sibi verbi divini, & aliarum rerum ab hoc non discrepantium, cursum & propagationem, liberam relinquat, donec aliquando de hoc, ut de aliis omnibus suis factis, Deo rationem reddere cogatur.

C. M. quoq; clementiss. perpendere & considerare debere, nullum ejus doctrinæ, quam Cel. sua profiteatur, errorem demonstrari posse, sed omnes fere dissensiones ex ritibus quibusdam, humana autoritate in Eccclesiam introductis, ac in sacris literis parum fundatis, originem suam traxisse. Rogare etiam, ut C. M, pro certo statuat, Cel. suam nullo rixandi studio aut curiositate, sed extrema sanandæ & consolandæ conscientiæ necessitate, ad veram verbi divini cognitionem pervenisse.

Igitur C. suam in omnib. aliis rebus, quæ gloriam Dei non oppugnent ac evertant, suamq; conscientiam non lædant, haud defuturam officio, ac talem erga C. Ma. observantiam & obsequentiam declaraturam esse, nihil ut amplius C. M. in se, ut obediente Principe, pacis amante atq; studioso errores & ἀταξίαν omnem, cum in Ecclesia tum in politia, diligenter fugientē, & seriò detestante, multò minus, ad extremū usq; quomodo promoveat, in animo habēte, desiderare possit. Nec Cel. suam obstare

aut

Anno

aut prohibere, qvo minus Episcopi Jurisdictionem Ecclesiasticam recipiant atqve exerceant. Seq; in aliis qvoq; rebus, qvàm primum juxta C. M. literas indictionis, de causa religionis agatur & decidatur, erga C. M. obedientiam & animi observantiam debitam ultro declaraturam.

Qvod si C. M his oblatis conditionibus non contenta, per Cels. suæ ditiones & dioceses cultum divinum abolere, & per alios ipsius autoritate constitutos, res sacras peragere & administrare conetur: tamen se nihil protervè aut seditiosè facturum, sed rem omnem Deo commendaturū esse. Cels. tamen suam bonam spem de Deo, & C. M. subjectissime concipere, fore, ut C. M. pro ea, qva excellat, animi sapientia & naturæ bonitate, in suam ipsius & Imperii salutem, hæc ardua negotia, tristem atqve tumultuosum Imperii statum diligentissimè consideret, perpendat, ac probe examinet, atq; ita Christianissimo Cæsare dignum officium faciat.

Hac ratione dominus meus clementiss. qvæ sua sit de Christo & verbo Dei sententia, atq; confessio, superfluè reiterabit, id qvod Christus ab omnibus suis membris, Matth. 10. Luc. 9. & Rom. 10. flagitat atqve postulat.

Sed ab incommodis & tumultibus bellicis animum domini mei clementissimi avocandum esse, omnino statuo, nec, ut Cæsar. Majest. defendendi Evangelii & tuendæ doctrinæ gratia, armata manu petat, oppugnetqve, ullo modo svadere possum, siqvidem omnia sacræ Scripturæ testimonia huic rei reclamare non sum nescius, præcipiendo, ut in ejusmodi casibus Christiani nominis participes crucem subeant. Huc adde, qvod verbum Dei, tanqvam spiritus gladius, neqvaqvam politica potestate, sed tantum Dei omnipotentis virtute & manu, qvi & tradidit illud, ut defendatur & conservetur, accesse habeat.

Ex eodem sacrarum literarum fundamento manifestum qvoqve evadit omnibus, Illustrissimo Principi ac domino nostro hoc consilii neqvaqvam dari posse, ut alios Principes, Evangelii doctrinam propugnantes, armata manu juvet. Ac ne qvid Cels. ipsius aliunde sit periculi, hoc consilium seqvendum videtur, ut correptorum armorum spectator potius fit, qvàm adjutor, atqve adeo omnes hanc doctrinam professos, ejus rationem C. M. reddere & exponere sinat. Res enim esset detestanda, nos pauculos homunciones tot ac tantorū malorum causam existere, & ἀφορμὴν præbere, per qvam non tantum Celsit. ipsius, verum etiam conjunx, liberi, & omnes subditi in extremum vitæ periculum, & præsentissimum facultatum atq; bonorum discrimen adducerentur. Nam in ejusmodi casibus dictum Christi Joan. 8. ad Judæos, manus in eum injicere, & captivum abducere volentes, locum habet: Si me qværitis, sinite hos abire.

Philippus ad Bucerum de Zinglio, 1530.

Videtur, in homine magis Helveticus qvidam, qvàm Christianus esse spiritus.

Deniqve Cœlestinus historiam Augustanæ confessionis seqventibus verbis concludit: Deus æternus, ac misericors Pater nostrorum omnium, ita eos, qvorum animi Papisticis sordibus adhuc inqvinati sunt & obruti, suo sancto Spiritu illuminet ac illustret, ut putidas illas ineptias, & commenta plus plam anilia tandem intelligere, repurgatæ doctrinæ lucem revçrenter aspicere, Evangelicorum fontium beneficium grata mente agnoscere, rejectis nugis & commentis hominum, Divina oracula seqvi, atq; in tempore ad sinum veræ & Catholicæ Ecclesiæ redire aveant, cujus fores errorem agnoscentibus, & cum illo Marci 9. imbecillem tantum fidem habentibus, nunqvam sunt occultæ aut obseratæ. Pontificium enim regnum arenoso & putrido fundamento innixum brevi corruiturum, nimis certum est, qva ruina qvi opprimi noluerint, dum salutis tempus est, salutem qværant, & pœnitentiam ac fructus pœnitentia dignos agentes, ad Dominum convertantur, ut Dominus misericordia motus, vicissim ad ipsos se convertat, Amen.

Ex Actis Imperii. 1530.

Qvæ in comitiis Augustæ contra confessionem Protestantiū fuerant à Papistis elucubrata: ea omnia qvidem offerre adversariæ parti volebant: si tamen hoc se prius obstringerent juramento, qvod illa scriptorum genera in secretis tenere, & minime omnium in lucem producere vellent.

Hispani Consiliarii deliberare jussi à Carolo 5. de Lutherana religione, prudenter admodum communicatis animis, hoc invehere tandem consilium: utile videri, si Cæsar eos articulos, qvi fidem attinerent, eiqve derogarent, omni conatu reprimeret: sed qvi tantum ad ceremonias spectarent, de iis eorum judicium, qvi neq; Lutherani, neqve Papistæ essent, audiret, & qvod ipsis consultum videretur, ageret. Ejusmodi scilicet consilium non poterat in Germania inveniri, qvin ex Hispaniâ peteretur.

Doctor Paulus Ricenerus. 1530.

Medicus erat hic Ferdinandi Regis Romani, qvi honorificè de Lutheranis eorumqve confessione loqvutus est, sibiqve admo-

Anno admodum displicere pertinaciam adversariorum, dixit.

1530. Marius Suffraganeus Wirtzburgensis, & Brentius.

Cum qvidam inter se conferrent de statu religionis, Marius ille, se Matri Ecclesiæ, nimirum Romanæ, adhærere velle, dixit: Brentius autem inqvit: mi Domine, ne interim Patris in cœlo obliviscaris. Hoc dicto Suffraganeus erubuit. Imp. & Papa ut suprà.

1530. Archiepiscopus Moguntinus,

Cum in Comitiis Augustæ, coram universis Imperii ordinibus, Cæsari legeretur Protestantium principum Lutherana confessio: & inter alia mentio fieret, qvod ante annos 400. cum primum conjugia sacri- pag. 394. ficulis inhiberentur, idqve vehementer Episcopus qvidam Moguntiæ tum temporis urgeret: illum sacrificuli, tumultuantes indignitate rei, penè ad necem usq; percusserint. De facti ergo veritate cum Ferdinandus Romanorum Rex interrogaret Archiepiscopum: Respondit ille: Ita, verum est.

1530. Doctor Mensingius.

Hunc coram Principe suo, Marchione Ioachimo, nomine Lutheranæ hæreseos pessimis modis, Eccius, Faber, Wimpina, & Cocleus detulerunt: qvi comperta fraude ad illos dixit: Qvandoqvidem aliter animati non estis, qvamlibet aleam ego subibo: qvid ad me? Video enim, neminem vobiscum facere, nisi vatiniano odio Lutherum proseqvatur: abjiciam ego cucullum meum. Imperatore Carolo 5. Pp. Clem. U.S.

1530. Eccius & Faber.

Hi honorarium petunt & impetrant in comitiis, ob scripta in Lutherum. Nam Faber propterea Viennensem Episcopatum est adeptus. Hinc illud facetum Erasmi, qvo dicere solebat, pauperem ac tenuem Lutherum multos locupletare.

Augustæ in Comitiis Eccius & Socii palam affirmabant, qvod, qvicunq; assereret, utramqve speciem in Sacramento esse necessariam, totam Ecclesiam & Cæsarem damnaret. Imperatore & Pp. U.S.

Hic idem Eccius in Comitiis plenus ira, qvam concoqvere & digerere non valebat, inconsideratum emisit verbum, & extra pomæria Romanæ curiæ prolapsus, haud obscure sodalicii sui pacta, qvibus de Lutheranorum corio ludendum esset, è secreto promsit.

Cur, ait, Imperator noster illi consilio, qvod Bononiæ, etiam Papa suffragante, latum est, non paruit? cur non uno impetu in Germaniam irrumpens, haud multa moratus, unum post alterum Lutheranum, capitibus amputatis, interemit.? Et jam omnia optima pace florerent, non ita diuturnis, & gravibus pro hoc bellis, & tumultibus, non impensis, & labore maximis, & difficillimis esset depugnandum.

Posteaqvam enim Cæsar Electoris Sax. audiit apologiam, & ejus de rei summa disserentem Cancellarium percepit: mox salutare Bononiense consilium alta oblivione sopitum dedit, & exoptata occasio successu sperato caruit. Imp. Carolo 5. Papa Clemente 7. U.S.

Faber. 1530.

Scribit, Apostolos non omnia, qvæ [illegible] salutem necessaria sunt, scriptis tradidisse: reliqva Ecclesiæ reservata esse, contra expressum illud Pauli: Non subterfugi, qvo minus annunciarim vobis omne consilium Dei: & illud Ambrosii libro 4. de virginibus: Qvæ Christus non docuit, damnamus: qvicqvid non ab Apostolis traditum est, sceleribus plenum est: & Theophylacti in Ep. ad Rom. Qvi aliqvid affirmant, præter Apostolorum doctrinam & dogma, scandala ac hæreses inducunt.

Faber præterea affirmat, Ecclesiam errare non posse, nec ulla hæresi contaminari, quod potestas ejus non minor sit, qvàm Apostolorum: qvod absqve vitio possit, divinis prætermissis constitutionibus, speciales qvasdam ipsa statuere.

Valentinus Vannius. 1530.

Hic ex sacris literis Missam pontificiam docte & fundamentaliter destruit, & inter alia ait: Insuper si in ultima cæna vocabulum (omnes) significet Sacerdotes, cogitare poterunt laici, omnes Sacerdotes esse immundos. Dicit enim Christus in ultima cæna duodecim discipulis suis: Vos estis mundi, sed non omnes, hoc est, juxta Fabri interpretationem, vos multi (laici) estis mundi, sed non omnes, id est, Sacerdotes non sunt mundi.

Si hoc Lutherani facerent, Deus bone, qva ratione hoc tam grande crimen expiarent? certe coram venerabili presbyterio aut ad palinodiam adigerentur, aut clara voce protestari cogerentur, se sacro Ordini Clericorum nihil detractum velle. Nunc cum Christus, qvi ipsa veritas est, hoc dicat, non mirum sit, si laici non tantum cogitent, verùm etiam certissime statuant, verissimè omnes Sacerdotes immundos esse. Videte qvæso vos Sacerdotes, qvàm egregium patronum, Fabrum istum, nacti sitis?

Idem. Ego vero, si liceret, dicerem (cum prorsus nihil certe de hoc vocabulo constet) Missam nec Hebraicam, nec Græcam, nec Latinam vocem esse, sed Chaldaicam: fretus vaticinio Danielis, qvi Chaldaico idiomate longe ante Pontificiæ Missæ idolomaniam prædixisse videtur. Sic enim

inqvit:

Anno 1530. inqvit cap. 11. Deum patrum suorum non reputabit (Antichristus:) Deum autem Mauzim (propemodum Missam dixisset) in loco suo venerabitur, & Deum, qvem ignoraverunt patres sui (id est, Apostoli) colet auro, & argento, & lapide precioso, rebusque preciosis.

Sed vereor, ne, si hoc dicam, Faber puget, me sentire, Papatum esse regnum Antichristi, qvod, si Diis placet, ingens esset piaculum. Sed me tacente, ipse Papatus, se Antichristianismum esse, non uno indicio prodit.

At si Faber pro sua ruditate & inscitia lingvam Chaldaicam non intelligat, & hæc etymologia minus ei placeat, non erravero, si Germanicam vocem esse dixero, qvæ celebres & freqventes nundinas significet. Nam Francofurtenses, Lipsicas, Nerdlingenses, & similes nundinas Germani sua lingva Missas vocant. Nec ineptè qvadrat hoc etymon Missæ Pontificiæ. Qvemadmodum enim filii hujus seculi in ejusmodi nundinis varios contractus exercent, emendo, vendendo, usuris, dolis, fraudibus, mendaciis, sæpe viciosas merces pro bona pecunia extrudentes, ita quoq; privata Missa nihil aliud est, qvàm nundinatio, qva sacrificuli & Monachi ita negociantur, ut imposturis suis & fictitiis sermonibus (qvemadmodum Petrus prædixit) omnes fere totius mundi opes ad se rapiant. Sed missificent, qvantum velint, judicium tamen ipsorum non tardat, & perditio illorum non dormitat. Nam qva mensura mensi sunt, eâdem remetietur illis Dominus.

Aidexis Saga.

1530. Clemens 7. Papa in aula sua habuit Astrologos, Alchymistas, Sophistas, Incantatores: Inprimis autem Sagam Aidexin.

Arcanum Paparum oraculum.

1530. Est arcanum qvoddam Pontificibus oraculum: subvertendos nimirum & tollendos esse omnes ordines clericorum, præter ordinem S. Petri. Papa Clemens autem sic intelligebat illud: omnes qvidem ordines pessundatum & sublatum iri: sed Romani Piscatoris sedem solam immotam & incolumem permansuram. Infelicia igitur perversurus fata, recenseri jussit reditus & divitias omnium ordinum: & offendit apud unicum ordinem S. Benedicti, inæstimabilem & incredibilem gazarum magnitudinem. Et sic luxuriem illorum & avaritiam, indies magis magisq; invalescentem, amputaturus, subq; umbra reformationis ad pristinum regulæ paupertatis statum eos revocaturus, ne optimi thesauri unâ cum ordinib⁹ redigerentur in cineres, illico mandavit opes illas reddere sedi Romanæ. Sed morte præventus animum plene explere neqvivit. Rebvvits.

Thomas Cajetanus Cardinalis.

Augustæ Vindeliciæ Legatum Pontificis egit, Lutherique sententiam retundere conatus, aut certe ad reclamationem ipsum adigere, ubi Martinum de re clarius differentem audivit, hoc, urgente conscientia, dictum emisit: se Doctorem Martinum non amplius pro hæretico habere, nolle eum excõmunicare, nisi de anathemate inferendo prius à Papa singulari mandato moneatur, nam qvæ Lutherus responderit, ea se peculiari veredo Romam transmisisse. Si modo ille articulo indulgentiarum nonnihil remitteret, rem salvam fore: neq; enim de Fide & Sacramentis postea curaturum se diutius esse. Anno 1530.

Atq; hic interim attende Lector, qvantopere Cajetano pecunia arrideat. Hæc etiam Thomæ sententia postqvàm innotuisset Staupitio: Ah, inqvit, qvanti referebat, notarium qvendam in procinctu fuisse, qvi id in gratiam Papæ concepisset, & irrevocabile dictum undiqvaqve divulgasset. Imp. & Pp. ut sup.

Georgius Spalatinus.

Die 25. Iunii in Comitiis Augustanis accidit multò maximum, quam unquam in terra, opus. Nam eadie post meridiem, Illustrissimi Principes, Dux Ioannes Elector Saxoniæ, Georgius Marchio Brandenburgensis, Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ, Ernestus Dux Brunsvvicensis & Luneburgensis, Philippus Landgravius, VVolffgangus Dux Anhaltinus, & duæ civitates Noriberga & Reutlinga, fidei suæ & universæ Christianæ doctrinæ, quam in suis ducatibus, terris & civitatibus prædicari fecerunt, confessionem, pio zelo, & magno animo, Germanicè ad articulum recitata fuit non tantum in conspectu Electorum, Principum, ordinum, Episcoporum, Consiliariorum, quotqvot aderant, sed in præsentia quoqve sacræ Cæsareæ Majestatis & ejus fratris Ferdinandi Regis. Confessionem autem eam legit Cancellarius D. Christianus distinctè, & clara voce, ita ut non in cœnaculo solùm, sed etiam inferiùs in palatio, id est, in Episcopi Augustani area ubi diversorium Imperatoris erat, perbenè audiretur. 1530.

Confessio autem Latinè & Germanicè conscripta erat: sed propter injuriã temporis Germanicè saltem perlegebatur. pag. 331.

Fundamentis autem ex sacra scriptura petitis adeo confirmata, & tam mirabili lenitate exornata erat, ut ejusmodi confessio non modo ab orbe condito non facta fuerit, sed nec in historiis vel doctorum libris talis cerneretur.

Idem. Franciscanus qvidam, Cæsari à confessione, natione Hispanus, plurimum favit in comitiis Lutheri partibus.

Anno

Nonnulli Cardinales ipsimet dixerunt, veram esse doctrinam illam, sed sine limitatione tamen aliqva non urgendam fuisse. Ita nec illi errorem suum agnoscere, nec controversiam componere voluit.

Idem ille Franciscanus dicebat Melanthoni, se mirari, qvid causæ sit, qvod in Germania homines de eo tam acriter contendant: Utrum nempe fide, an vero operibus oporteat vitam æternam conseqvi: se idem cum Luthero jam ante statuisse, & de eo cum multis contulisse.

Hic cum etiam paulo liberius, & verius cum Eccio, Fabro, Wimpina, Cocleo disputasset, ex eorum synagogâ & consistorio ejectus est.

Qvorundam Principum consiliarii dicebant: si religiones armis componendæ forent, ipsos, ut qvi Pontifici adhærerent, à subditis suis derelictum iri. Hoc ipsum Principibus suis etiam in faciem ingerere sunt ausi: qvidam tamen ob id in posterum ad consilia non sunt admissi.

Sumtum est supplicium de qvodam Hispano die 13. Julii, Augustæ in comitiis, ob homicidium patratum: qvi jugulum porrecturus gladio, obnixe circumfusum populum oravit, ut in sui gratiam qvilibet orationem Dominicam precaretur: cumqve videret, promtos esse homines, ut qvi animum suum declaraturi, digitos elevassent, rogavit qvoqve, ut pro se qvisqve missam audiret: ibi nemo digitum erigere voluit, sed uno ore clamârunt omnes: Missam nihil amplius valere.

Idem de actis comitiorum Augustan. Princeps qvidam non ita pridem dixisse fertur: Lutherani proximè scriptum exhibuerunt atramento exaratum: Ego, si Cæsar essem, vicissim illis scriptum rubrica minióve, id est, rubro colore pictum traderem: cui continuò alius Princeps respondens dixisse perhibetur: Attamen, si Cæsar, ut vos domini dicitis, rubrica scribere vellet, hujus ut respectum haberet, opus esset, ne minium faciem ejus conspergeret. Vetus autem est prophetia:

Sangvine fundata est Ecclesia, sangvine cœpit,
Sangvine succrevit, sangvine finiierit.

Idem. Pontificii Doctores, Sacrificuli & Monachi in comitiis scripta offerebant, eaqve perversissimis criminationibus plena in hunc finem Cæsari conabantur obtrudere, ut in Lutheranos excandesceret: ibi nobilis qvidam magnæ gravitatis dixisse fertur: Isti nebulones non acqviescent, donec omnia confundant, & Cæsarem, qui alioqvi natura mansvetus est, suis calumniis irretiant, & ad arma capienda pellant.

Ipse qvoq; Cæsar ad odiosum illud scripti genus respondisse dicitur: nimis esse vehemens: & mandasse ut refutationes suas & apologias leniori stylo contexerent.

Idem. Cæsarei quidam Doctores Augustæ solebant dicere: dolendum esse, qvod, cum Cæsar in aula sua tot monachos & sacrificulos alat, nullus tamen articulos Evangelii vel parum intelligat: adeò ipsos obesæ naris homines esse.

Idem. Campegius Augustanam confessionem Italica lingva transcriptam Papæ, qvi latini sermonis ignarus erat, obtulit: &, qvod notandum, à Pontifice in mandatis habebat, ut abusus in Ecclesia qvosdam tolli permitteret. Idem etiam qverebatur: quod jam ante prævideri, fore, ut aliqvando tanta monachorum colluvies Ecclesiæ noceret.

Alphonsus Imp. Caroli Cancellarius Hispanicus.

1530.

Affirmavit in Comitiis Augustæ, & palam dixit: in Hispania de Lutheranis hunc rumorem disseminasse Clericos: qvod nimirum illi in Deum non credant, Trinitatem negent, de Christo & Maria nihil omninò sentiant. Qvemadmodum idem etiam Germani nonnulli monachi non erubuerunt attestari: Lutheranos de Magistratu, de possessione bonorum, de conjugio, de liberalib9 artibus planè nihil statuere. Imp. Carol. 5. PP. Clem. 7. V. S.

Carolus V. Imperator.

1530.

Hujus Imp. extat scriptum, qvo a Papa ad concilium appellavit, & à pontifice generalis concilii indictionem petiit. Et alio scripto à Cardinalibus petiit, ut negante seu differente pontifice generalis Conc. indictionem, ipsi indicant. Sed malè. Cur enim ut priores Imp. non ipsemet concilium convocavit?

Idem, si nostri clerici, sæpe dixit, & sacrificuli sua sponte pietatem coluissent, non eguissemus operâ Lutheri.

Justus Jonas D.

pag. 1530.

Tantæ fuisse, refert hic, constantiæ Electorem Saxonem in Comitiis Augustæ, ut omnes suos hac in re & politicos & Ecclesiasticos vicerit.

Lutherus igitur in qvadam epistola ad Melanthonem inqvit: Deus posuit eam (sc. doctrinam Evangelii) in locum qvendam Communem, qvem in Rhetorica tua non habes, nec in Philosophia tua, is vocatur fides, in qvo loco omnia posita sunt, qvæ si qvis conetur reddere visibilia, apparentia & comprehensibilia, sicut facis tu, is referet curas & lachrimas pro mercede laboris, qvales tu refers, nobis omnibus frustra reclamantibus: si Moyses comprehendere studuisset finem, qvo evaderet exercitus Pharaonis, Israel adhuc hodie esset in Ægypto.

Joannes

Anno 1530. *Joannes Fridericus, Elector Saxoniæ.*

In Comitiis Augustæ, cum Cæsar conciones prohiberet, & aliam, quam Romanam, urgente Papa, ferre nollet, ut vis etiam metuenda esset, socios in religione conjunctos domum suam convocat, eosqve seria & gravi oratione cohortatur, ut causam Dei & religionem curent, diligenter agentes & intrepidè defendentes, ad eam abnegandam nullis adversariorum vel minis vel terroribus adduci se patiantur. Omnia enim contra Deum inita consilia irrita ac inania fore, ac dubio procul bonam causam tandem triumphaturam esse.

Altero die, remotis omnibus, solus in conclavi Psalterii lectioni & precibus operam dat, ardentissimisqve votis à Deo petit, ut ad nominis sui gloriam, & multorum hominum salutem veræ religionis cursum promoveat, propaget, atque defendat. Bonas etiam, pias ac Principe Christiano dignas cogitationes scripto comprehendit, quas Joannes Doltius, Electoris Consiliarius domino Philippo legendas tradidit. Has cum admiratione lectas Philippus Doltio restituit, illudqve Electoris autographum Doltius postea multis eruditis & gravibus viris monstravit. Imperatore & Pp. ut sup.

Cùm inter Electores de eligendo Imperatore vel Carolo Austriaco, vel Gallo esset disputatio tandem Imperium ad Fridericum Saxonem fuit delatum. Sed is ingenti animo recusabat, & suo suffragio Carolum designavit: oblatamq; eo nomine magnam pecuniæ vim à Legatis Caroli rejecit, & suis, ne vel teruncium acciperent, mandavit. Ex act. Imp.

1530. *Vincentius Pimpinellus Archiepiscopus Rossanensis.*

Fuit & hic Legatus Papæ in Comitiis Augustanis, ubi habuit orationem elegantem & nervosam in convento publico, & inter alia dixit: si claviger Petrus corda Principum aliorumq; Germanorum marmorea aperire & movere non valeat, Paulum ensiferum ea incidere debere, qva orationis vehementia etiam catholicos ipsos offendisse dicitur. Verba propria ejus fuerũt, vos Petre & Paule, Christianæ fidei capita & fundamenta, invocamus. Tu claviger, aperi corda Principum & hominum quorumcunqve dura & marmorea: Tu ensifer, electionis vas, incide, separa, discute à pectoribus mortalium duritiem inauditam. Ex iisdem actis Imperii. Imperat. & Pp. U.S.

1530. *Comes Felix in Comitiis Augustanis.*

Non erubuit dicere: si quando contra Lutheranos arma gerenda essent, se nullo precio inductum, mox sponte in militiam abiturum esse. Posteaquam verò vespera quadam satis cum Abbate Vinariensi gulæ indulsisset, manè mortuus in lecto jacuit. Et cum portaretur ad sepulturam, consiliarius cujusdam principis, ubi Felicé esse cognovisset, proh Deum, inquit, heri audieram, ipsum dicere: se nolle superstitẽ esse, nisi penitus Lutherana secta fuerit eradicata: & ad hoc ocyus promovendum, se omnes suas facultates, itemq; corporis & animæ nervos intenturum esse.

Hujus infelicis improvisum interitum cum alius quidam comes cognosceret, qui similiter contra Lutheranos acerbè invehebatur: ita commotus est, ut decumbere ægrum oportuerit. Imp. Carolo 5. PP. Clemente 7.

1530. *Vlricus Zinglius.*

Ejus verba sunt in libro cujus titulus est subsidium Eucharistiæ, hæc: Restabat (inqvit) adhuc HAUD MINIMUS CONATUS, quo scilicet exempla proderemus, quæ nulla cum parabola conjuncta forent. Cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere, attamen aliud nihil exemplorũ occurrebat, quàm quod in Commẽtario proditum est: aut quod occurrebat, erat illorum simile.

Cùm verò tredecima dies appeteret (vera narro, adeoqve vera, ut celare volentem conscientia cogat EFFUNDERE, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis risibusq; exponam) cum, inquam, tredecima Aprilis lux adpeteret, visus sum mihi in somno, MULTO CUM TÆDIO denuo contendere cum adversario Scriba, sicq; OBMUTUISSE, ut quot verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem: qui me angor, ut solent nonnunquam somnia FALLACI ludere nocte (nihil enim aliud quàm somnium narramus, quod ad nos attinet: tametsi leve non est, quod PER SOMNIUM DIDICIMUS, gratia Deo, in cujus solius gloriam ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse (ATER FUERIT AN ALBUS, NIHIL MEMINI, somnium enim narro) qui diceret: Quin ignave respondes ei, quod Exodi 12. scribitur: Est enim Phase, hoc est, transitus Domini. Protinus, ut hoc Phasma visum est, simul expergefio & è lecto exilio: locum apud Septuaginta primum undiqve circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dissero. Hæc Zvvinglius. Imp. & Pp. U.S. pag. 153.

1531. *Zinglii obitus.*

Hoc tẽpore cum inter Helueticos essent dissidia

Anno dissidia, Zinglius prælio quoqve interesse voluit, sed infeliciter: cecidit enim in acie, ac in ejus corpus, quasi concionibus suis hominum animos stimulâsset, valde sævitum fuit. Ioannes igitur Sleidanus excusaturus ipsum, de hoc ait: quod sit mos antiqvus patriæ, ut primarius Ecclesiæ minister intersit prælio. Verum Pontificii, quibus valde ignominiosè exprobratur, quod bellatores sunt, atque sanguinarii: huic respondent, dicentes: Quod si Zinglius Missas, aliosqve veteres patriæ ritus abrogârit, cur non hunc belligerandi morem in Ecclesiæ ministris quoq; sustulerit? Imp. & PP.U.S.

1531. *Solimannus Turcicus Imp.*

Monetæ inscripsit: Non quæro regionem sed religionem. Herlitzius. Imp. Carolo 5. PP. Clemente 7. ut suprà.

1531. *Monstrum.*

★ Monstrum horrendum, quadrupes, humano capite barbato ac cristato, aquilinis pedibus, manibus ferè leoninis, cauda caninâ, corpore gilvo in flavum declinante, anno 1531. salutis, in ditione Episcopi Salisburgensis in saltu, qvem Hanesbergium vocant, captum est, feritatis insolitæ. Hominum enim aspectum fugit, seqve in tenebras, ubi potuit, abdidit. Tandem cum ad cibum capiendum neqve cogi, neqve allici posset, paucos post dies inedia periit. Lycost. Imp. & PP.U.S.

1531. *Joannes Hedericus.*

Scripsit inter alia quoq; libros duos Vaticiniorum. Imp. Car. 5 PP. Clemente 7.

1532. *Wicelius.*

De Victoris Papæ temporibus ait: in prædictis Pontificibus abundabat Spiritus, sed in posterioribus malesuada caro. Imp. Carolo 5. PP. Clem 7.

pag. 354. VIA REGIA,

Compendium de semitis antiquis apud Hieremiam Prophetam, Ecclesiæ reformandæ, aut restituendæ potius, & concordiæ tandem sarciendæ, proque salute Christi Evangelio rectè credentium populorum, necessariò ac summa cum fide præmonstratum.

Auctore Georgio Wicelio, sacræ Theologiæ Doctore Catholico, & Ferdinandi Romanorum Imperatoris consiliario.

Anno Christi 1564.

Precatio ad Deum Opt. Max. pro reformatione Ecclesiæ.

Omnipotens, misericors, æterne Deus, qui es author puritatis & pacis: effice, qvæsumus, ut in Ecclesia tua Evangelii tui doctrina, sicut à principio, floreat, ut sacramenta tua rectè riteq; tractentur: ut deniqve conversatio nostra in omni pietate & honestate te digna semper sit, ad gloriam nominis tui, & ad honorem religionis nostræ, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ferdinandus, divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

Honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte, Etsi nobis gratissimum fuisset, quod, sicut abs te clementer postulaveramus, superioribus diebus huc ad nos venisses, & nobis in arduo quodam negocio, ad gloriam Dei Optimi Maximi, & veritatem ac tranquillitatem Ecclesiæ Catholicæ spectante, potius operam navare potuisses, quàm haud dubiè pro tua eximia pietate, eruditione, prudentia ac rerum usu, nobis in animi nostri sententia magna cum utilitate præstitisses: quia tamen propter ætatem & affectam valetudinem venire non potuisti, clementer tibi parcendum duximus, persuasum habentes, te idipsum, quod hic tibi eramus demandaturi, domi quoq; tuæ lubenter atqve commodius exequuturum. Est autem illud, quod à te requirimus, ejusmodi.

Recordamur nimirum super articulis Augustanæ Confessionis, quæ à nonnullis sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, Divo Fratri nostro, præclarissimæ memoriæ Imperatori, Carolo V. Anno 1530. exhibita fuit, unà cum Apologia ejusdem confessionis: Concordiæ & unitatis sarciendæ gratia, antehac in sacro Romano Imperio, diversis locis & temporib. sæpius Conventus, Colloquia & Tractatus institutos fuisse, & utcunqve tales Conventus & Tractatus non omnino sint sortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes seu disputantes de nonnullis articulis non postremis quadantenus côvenisse, reliquorū verò, qui adhuc sunt in controversia, non usq; adeo magnum esse numerum: nobisqve à multis piis doctis, catholicis, & modestis viris non exiguam spem factam fuisse, recuperandæ unitatis & concordię in Ecclesia, nec non conciliandorum animorum, qui nunc perniciosissima diffidentia & simultate, ob religionis differentiam, distracti sunt: qui manifestè illi abusus, qui hisce novissimis & calamitosissimis temporibus in Ecclesiam Catholicam irrepsreunt, expugnarentur, & è medio tollerentur, & quædam, quæ magis sunt positivi juris quàm divini, concederentur & permitterentur, ac præterea quædam disputationes nimis subtiles & abstrusæ (quarum cognitio cum excedat captum rudis populi, non videtur usqve adeo illi ad sa-

ad salutem esse necessaria) ad alia feliciora tempora reiicerentur, modo in cæteris, quæ ad fidem, & mores, ac intellectum, & usum sacramentorum & ceremoniarum pertinent, probe institueretur.

Cum igitur nobis, ut Imperatori Catholico, pro ratione divinitus nobis commissi muneris incumbat, sedulo curare, ut fideles subditi nostri ex errorum & hæresium laqueis, quibus miserrimum in modum sunt irretiti, divina benignitate eripiantur, nosqve censeamus, omnem nobis movendum esse lapidem, ut tandem hujusce pii voti nostri compotes reddamur: cupimus proinde, abs te compilari primo quoqve tempore summarium quoddam doctrinæ Catholicæ, in quo, præter antiqua & indubitata dogmata fidei Catholicæ, in confessione Augustana comprehensa, quæ semper fuerunt extra controversiam posita, inprimis explicentur illi Articuli dictæ Augustanæ Confessionis, qui jam hinc inde inter eruditos utriusqve partis ad concordiam sunt deducti, vel pro constituenda unitate & quiete adhuc possunt, salva veritate Catholicâ, concedi, & indulgeri. Adjectis præterea rationibus brevibus & substantialibus, cur in reliquis, qui forte supererunt, Ecclesia Catholica cedere non possit.

p. 355. Deinde colligantur illi quoqve articuli, qui nunc quidem ab iis, qui Augustanam Confessionem profitentur, contra religionem catholicam vocantur in controversiam, quibus tamen ipsa Confessio Augustana saltem expresse non contradicit, vel quos etiam ex parte approbat.

Postremo, adcitentur etiam succinctè aliæ quædam opiniones, partim reprobatæ, partim etiam fanaticæ, quarum nonnullæ quidem ante editam Augustanam Confessionem, multo major verò pars ab eo tempore citra orbem Christianum invasêre, quæ nec ipsi Confessioni Augustanæ, multò minus Catholicæ religioni congruunt, ita, ut tale summarium sit quasi Methodus quædam, ad quam Parochi & Concionatores, in regnis atqve provinciis nostris existentes, doctrinam suam tanquam ad regulam dirigant, atqve accommodent, adeoqve probatam & sanam doctrinam ab adulterina & perniciosa internoscere atq; distinguere, & quid ipsis tam in prædicatione verbi Dei, quam in administratione Sacramentorum, ac reliquis ceremoniis Ecclesiasticis sequendum vel fugiendum sit, clarè discernere possint. Quæ Methodus quo plausibilior erit, & quo longiùs à contentione fuerit remota, eò gratiorem & utiliorem quoque futuram, diffidendum non est.

Desideramus autem, ut hoc opus absqve omni mora in Dei nomine aggrediaris, & perfectum illicò ad nos transmittas. Ita namqve extrema postulat regnorum & dominiorum nostrorum necessitas. Neq; dubites, hunc tam insignem laborem Deo, cujus res agitur, acceptum fore, quem nos sanè omni erga te benignitate recognoscemus. Datum in Civitate nostra Vienna, die vicesimo octavo mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani 34. aliorum verò 38.

Ferdinandus

Ad mandatum sacræ Cæs.
Majestatis proprium,
M. Singkmoser.

Vt Io. Bap. VVeber D.

Honorabili, docto nostro, & Sacri Imperii fideli dilecto, Gregorio Wicelio, Sacræ Theologiæ Doctori, Consiliario nostro, &c.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, &c.

Honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Allatum nobis est scriptum, quod ad benignam petitionem & jussionem quondam Serenissimi ac potentissimi Principis Ferdinandi, Electi Romanorum Imperatoris, Augustæ memoriæ, domini & Genitoris nostri observandissimi, in negotio religionis composuisti, & præclarum studium, operamque tuam, quam pia (ut apparet) intentione ac bono zelo in illo impendisti, perquàm clementi & grato abs te animo accepimus. Quin etiam à te clementer postulamus, ut deinceps qvoqve de hoc negotio accuratè & sedulò pergas cogitare: & si quid tibi, quod ad hoc propositum, sarciendæ in religione concordiæ, & optatæ unitatis ac quietis in Ecclesia restaurandæ, pertinere videbitur, id ad nos itidem quoqvo tempore perscribas, & vicissim à nobis eandem gratiam ac benignitatem, qua te Divus parens noster prosecutus est, expectes. Id quod tibi in præsentia gratiosè significandum duximus. Datum in civitate nostra Vienna, die 23. mensis Augusti, anno Domini 1564. regnorum nostrorum Roman. 2. Hungariæ 1. Bohemiæ 16.

Maximilianus.

Ad mandatum sacræ Cæs.
Majestatis proprium.
S. Singkmoser.

Vt Ioh. Babtista VVeber D.

Honorabili, docto nostro, & sacri Imperii fideli dilecto, Georgio VVicelio sacræ Theologiæ Doctori.

Anno

Potentiss. Serenissimo, Religiosissimo, à Deo Dilecto, Orthodoxo, Romanorum Imperatori Ferdinando semper Augusto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, Principi ac Mecœnati suo Clementiss.

Serenissime ac Religiosissime, & idem Princeps clementiss. En Maiestati tuæ servitii mei opus, quale nimirum illa à me flagitavit, aut potius mihi imperavit. Breve tempus fuit, intra quod coarctabar,

pag. 356. Et valetudo est vitrea, aut animus erga Maiestatem tuam propensissimus, & amor pietatis ejusdem veluti exculpsit imperatum opus, ut obiter non commemorem meum erga Ecclesiam Dei zelum studiumqve. Tantò alacrius autem atqve expeditius hanc telam contexui, quo magis in planitiem suam educeretur eqvus. Veritati Christianæ potissimum servitur, non tantum inevitabili necessitati. Etenim velimus nolimus, quod verum iustumq; est, fateri cogimur.

Adhuc in propatulo est, quæ instent tempora, qui mores urgeant, quove devergat Christianismus in Europâ, ut interim dissimulem, pacem utilem à dissidentibus Megistanis, atqve concordiam in religione populorum alio pacto non posse redimi quàm tali condescensione, quæ ita est per omnia, ut hæc Monarchas minimè dedeceat, nec rempub. Ecclesiæ ullo modo perturbet, sed perturbatam potius sedatis consiliis hisce pacificet mitigetq; & restituat in integrum. Status iste rerum Ecclesiasticarum planè ἀμεσῶς talem postulat epanorthosin. Tot reipub. morbi remedia talia omninò expetunt, ita, ut tandem res redeat ad Eutaxiam illam, Marco Ciceroni mirificè laudatam, quæ est videlicet virtus, per quam ordo rerum gerendarum conservatur. Huc adjumentum haud vulgare Eukæria nobis obtulerit, quæ videlicet est scientia opportunitatis, ad agendum aliquid.

Verum quid nunc superest? nisi ut Haggæus Propheta vociferetur ad supremos Ecclesiæ rectores, in hæc verba: sed nunc tu Zorobabel esto fortis, dicit Dominus: confortare & tu Iehosva, sacerdos magne, atqve universus terræ populus viriliter agat, dicit Dominus, & facite: quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus Zebaoth. Hac Propheta ille præco Dei, ut vehementissimus ergodioktes, ut domus Dei reædificaretur, sicut prior domus, Salomonis templum dicta, extiterat. Atqve Prophera non usqve adeo plausibilis hortator esse solet, quod sit persona contemtior: accedat ergo Rex, nec quilibet, sed Ioas, qui secum in corde suo reputavit renovare domum Domini, & convocata synodo, sacerdotibus ac Levitis in mandatis dedit, de restauranda domo Domini; per Athaliam, reginam impiam sacrilega tyrannide interrupta, vastata atqve spoliata, propter Baalim, circa quod Idolum insaniit adeò, ut negare non dubitârit Deum verum Israelis.

Huic Regiæ synodo quanquam Levitæ non faverunt plurimum, nec quod authoritate Regis decretum erat, exequi festinârunt, (sic enim textus Ebreicus: Velo Maheru haleviim) tamen Iojada, caput ac Princeps sacerdotum animum planè adjecit ad executionem decreti, suum sincerè obiens officium, in hoc non tam Regi quàm Deo serviens, unde prælarissimum emeruit elogium sacræ scripturæ: Quia, inquit, fecit bonum in Israel, & cum Deo, ac cum domo ejus. Iam verò quod vetus scriptura loquitur de domo Dei, nos intelligimus de Ecclesia Dei viventis, quæ est domus ista magna apud prophetâ Baruch, ac Apostolum. Hanc extrui, hanc restaurari deniq; restitui tam Prophetæ Haggæi, quâ Regis Ioas crebris exhortationibus oportet per Christianos Reges, & Christianos Pontifices, Iojada, Helkia, ac Iehosva, ut formæ prioris Ecclesiæ, per Apostolicosq; & horum dignis. successores plantatæ atq; propagatæ, respondeat, quantum fieri possit.

Hæc est voluntas Dei, hoc mandatum, hoc beneplaeitum unicum. Rex Ioas non solus in animo habuit, & Zorobabel, negotium maximum restaurandæ atque renovandæ domus Dei magnæ. Fecit istuc Rex Ezechias & Rex Iosias, dè Ecclesia Dei per domum Dei adumbrata, omnium præclarissimè meriti. De Iosia scriptum est: Vaietaer Ierusalaim, hoc est, & mundavit Ierusalem. Illud autem mundationis genus exactè describitur in Paralipomenis, ut sit Ecclesiæ hodiernæ typus ac hypodigma. Multò præclarissimum opus Iosiæ Regis erat, quod tanta religione curavit, repertum librum legis divinæ proponi populo, ut ageretur juxta omnia, quæ scripta sunt in volumine isto, & vehementer doluit, Religionem non extitisse hactenus secundum scripta voluminis.

Præterea de Ezechia Rege, qui Iosiam in regno præcessit, apertè scriptum est, quod mandans dixerit: Audite me, Levitæ, ac sanctificamini, mundate (sanctificate) domum Domini Dei patrum nostrorum, & auferte (efferte) omnem immundiciem de sanctuario. Peccaverunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum avertentes facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt tergum, &c. Unde facta est ira Domini super Iehudam & Ierusalem, tradiditq; eos in commotionem, in stuporem & in sibilum, quemadmodum vos cernitis oculis vestris. Et ecce ceciderunt patres nostri in gladium: & filii nostri, filiæ nostræ,

stræ, atque uxores nostræ, propter hoc (ierunt) in captivitatem. Hactenus Rex Ezechias.

Mox subjicitur de obedientia sacerdotum, quam Regi religioso debebant. Sacerdotes: ait Scriptura: ingressi templum Domini, ut mundarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam repererant in vestibulo domus Domini, quàm extulerunt & asportârunt forâs, ad torrentē Cedron: ad eundem qvoq; torrentē Cedron combussit Rex Asa Idola publica, zelo Dei aliqvo, etsi non usq; adeò integer Rex quales erant Ezechias, Iosias & Ioas. Zeloten fortem Iehu suum chorum inter Ecclesiæ correctores habere sinimus: nos attulimus tantum cultores Dei vivi, reges, qui ferre non poterant sordes superstitionum in religione Iudaica, & illis in negocio perpurgandæ domus sive Ecclesiæ Dei Pontifices haud quaquam defuerunt, tametsi non pari zelo. Idem hypodigma inculcamus orthodoxi, siquidem est eadem causa salutis, & cumprimis Deo gloriæ.

Hactenus agnovimus quidem mala multiplicia, sed non amovimus. Difficile fuit, Monarchis itatis, aliquid audere, quando tamen non colebatur usq; adeo, quod est semper verissimum atqve justissimum. Nūc corda divinitus tangi cœperunt multorum Primatum, ut re propiùs perspecta, deliberandum & tempestivè agendum putent. Idq; occasione concilii Tridentini, quod utinam ipsum videre quivisset, quid facto opus foret. Verùm post has tenebras devolutum Ecclesiæ negotium fuit ad Christianos Reges, de quibus Salomon inquit, Divinationem, quam græci μαντεῖον dicunt, hoc est, vaticinium seu oraculum in labiis regis esse. Et quando Regibus piis labia justitiæ placent, sicut idem Rex Salomon ait, necesse est omninò, ut coram illis id, quod res est, eloquamur, nec dissimulemus quicquam. Sin minus, fervescet ira Regis, infausta mortis nunciatrix. Eam verò sapiens placabit, teste eodem Salomone, quippe vera justaqve ingenuè respondendo, si consilium sanum ac maturum roget.

Alibi diximus de Regibus ex professo Christo deditis, quantum illi olim Ecclesiam juverint, nisi quis forsan ignoret Constantinum utrumq;, Theodosium, Valentinum, Arcadium, Martianum, Carolum Pipini filium, aliosq; qui verè flagranti amore Dei supremi Regis Regum coronam sceptrumq; suum religioni Christianæ posthabuerunt, non minus de domo Dei soliciti, quam multi Principes sacerdotum. Equidem illorum aliquot, si maluissent lux mundi esse, quam caligo, & sal saliens potiùs, quam sal insulsum, non opinor, in sua capita concitassent Imperatores, Conrados, Philippos, Othones, Fridericos, Henricos, Ludovicos, & nescio quos plures: nec excitassent tot sectas inimicas sedi Romanæ, inde à multis annis, quarum tamen conqvestione conveniebat, ut in seipsos potius descenderent, malaq; sua cognoscerent atq; corrigerent, quam condemnatis illis, mala malis accumularent. Has priores ante hæc tempora quoniam contempserunt sine discrimine, nec ad harum vociferationes pœnitentiam egerunt, immisit ulciscens Dominus factiones hasce nostrates literis instructas, nec armis sævas, quæ spero tum mitescent, quando compererint conversionem & correctionem nostri, nobis quidem salutiferam; si minus ipsis quos tamen homines servatos magis, quàm perditos Christiana charitas cupit, ob multa utilia, cujusmodi inter eos reperiuntur, & qvod nos de somno ad meliorem frugē expergefecerunt. Bene volumus sedi qvoq; Romanæ ob primæva secula, spe aliqua ducti, fore, ut, ubi Anomia hujus satis maturuerit, sese recipiat tandem ad κατόρθωμα Petro dignum.

Libertate linguæ usi multa his libellis reprehendimus, non hominum ullorum odio, sed rei depravatissimæ, nec adversariorum favore, sicut quidam opinabuntur.

Dogma neutrius partis novum ac falsum, neqve probamus, neq; propugnandum suscipimus, quicquid garriant malè suspicaces M. N. Stamus immoti in professione Ecclesiæ Dei, quam Catholicam & Apostolicam credimus, nec discedimus à scriptis didacticis, quæ nostro nomine divulgârunt Typographi, nisi solidiora doceamur primum è scripturis sanctis, deinde ex patribus Ecclesiæ vetustissimis, postremò argumentis probabilibus, non sophisticis, nec hæreticis. Polemica scripta nostra tanti non facimus, quin hæc velimus aliquanto pacatiora esse: verum tempus militiæ tunc ita postulavit, ut sentirent ii, cum quibus commissus eram, & mihi vires esse, & mea tela nocere. Primi isti temerarii impetus factionis, aut magis furores adversus receptam doctrinam Ecclesiasticam, & in universalem, nos quondam commoverunt, ut in certamen vel inviti descenderemus. Et tres quatuorve vexilliferorum, nobiscum justo Marte congredi, sibi valdè præclarum ducebant: sed deferbuit atq; desiit cum ipsorum vita dimicatio. Reliqvos, utpote paulò mansuetiores, ac à portentis dogmatum quorundam alieniores, nunc factis induciis, si ritè mitteretur pater patratus & fœcialis aliquis, in amicitiam veri Catholicismi redire cupiam, maximè saniores, & quos jampridem belli chartacei hujus tædet ac piget. Simus Lotophagi, rerum inimicarum obliviscentes, ut est in Odyssea, & hic locum habeat amnestia Atheniensium, inter nos nimirum destructa materia, si tamen

men illis ita libeat. Si non libeat, cogetur Entellus senex arma pridem posita capere, & matrem tueri, quatenus est ἄμωμος.

Monarchas adhortor in Domino, ut ipsi causam veteris Ecclesiæ defendendam suscipiant adversum bestias, ventresqve pigros, qui Deo non placent, & cunctis hominibus adversantur, qui obsistunt, ne cum antiquissimis Catholicis evangelizemus, nec Deo soli serviamus. Iterum atqve iterum adhortor, ne trepident timore, ubi nullus est timor, sed animo infracto perrumpant. Aderunt Romæi qvoq;, quo quisqve est Christianus magis, aderunt Principes, ita Catholici, ut tempore veritatis filia tandem edocti, abusus horreant, & superstitiones exsecrentur. Imò ipse aderit Dominator Dominus, cujus est Ecclesiæ possessio hæreditaria: cui est cura de nobis, quem si pro nobis habuerimus, quis contra nos?

Regum est, Regia ire via, ita ut neq; ad dextrum latus partium deferaris, neqve ad sinistrum, atq; inter Scyllam ac Charybdim in tuto naviges, ad eundem portum prospectans, sive vehâre in navi Christi, sive in Cymba Petri, unum idemqve navigium est, nisi quod Petrinum gloriosius vulgò jactatur. Non est Christianismus ita mancipatus diversis istis partibus, qvæ hodie rerum potiuntur, ut eum oporteat ad symplegades istas duas colligari vinculis indissolubilibus, quasi verò non longè magis floruerit Ecclesia Christi, antequam orbis terrarum quicquam de partibus utrisq; nosset. Non interest plurimum, qua, sed quo tendamus, modò orthodoxi, & bonorum in fide operum zelotæ simus, quales Christiani & pluribus ante seculis extitêre, quorum imitatores sic nos optârim esse, quemadmodum ipsi Iesu Christi imitatores (ὡς ἐφικτόν, ut ait Dionysius Areopagita) ab initio constantissimè fuerunt. Sed rem ipsam absq; prolixiore procemio potiùs, Christo duce, aggrediamur.

Psal. 68. Joan. 2. Zelus domus tuæ comedit me.

Domus Dei magna, quæ Catholica Ecclesia est, ab Apostolis fundata, per orbem universum super solidamentū, quod Christus est, & eadem constructa, ut contra portas inferorum, non mundi tantum totius vires posset consistere. Sed ædificium adhuc etiam rude reliquerunt Apostoli, tracti videlicet ad carceres ac mortes.

pag. 358. Secuti ergo horum auditores, mox Martyres, postremò Omologetæ, sacrum ac augustum ædificium absolverunt, dum nódum omnia per Apostolos consummata perficerent ad supremum fastigium usqve, dumqve dignitatem quandam adderent, in expoliendo, decorando, atqve illustrando ita, ut post hæc nulla unquam artificis manus requiri videretur. Accesserunt longo post tempore scholastici, quorum varii greges extiterunt.

Tales non contenti solida vereq; veneranda structura, manus illotas suas admoverunt, & cum domum illam divinam conati sunt facere meliorem, quam hanc fecêre priores, insignes nimirum illi architecti, supra modum, atqve præter opinionem etiam suam incommodârunt, hoc agentes, ut altius evecta structura, & tecto non ita bene adversus imbres munito, fracturis ruinisq; viam aperirent. Quo animadverso, Schismaticorum populi temerè ingruêtes, dum initio commodare ædificio ruinoso satagunt, totum penè convellunt adeò, ut parum absit, quin domum electam à fundamentis eruant, non habitaratione, qvid, qvo tempore, per quos artifices, & qua vel necessitate, vel utilitate ædificatum sit.

Proinde conveniebat, ut quorum hæc domus veluti commune hospitium est, invocato Dei opt. brachio, rebus fessis succurrerent, & consopitis eversoribus schismaticis, præterea ineptis Scholasticorum additionibus, antiquitatis domum assererent, qualem ædificarunt Apostoli, qualem absolverunt Apostolici, qualem exornârunt sanctissimi vetustissimiq; Patres, contenti eo Theologiæ genere, quod ædificantes primi tradiderunt, sive per scriptam literam, sive per vivum sermonem, cujusmodi sancti Martyres, ac Omologetæ quasi per manus acceperunt, usqve ad eam ætatem Christianismi, qua vetus Theologia ceu res nihili explosa est, Lombardica videlicet succedente, cui debemus magnam calamitatum partem in Ecclesia, præsertim quando hæc nobis scismaticos primum exsuscitavit, per quos malum ferè duplicatum adhuc ingemiscimus. Attamen speramus certè, non desperamus, utut res cadat, Ecclesiæ reparationem, horum qui saniores sunt, opera ac vigilantia paulatim non usq; adeò infeliciter adjutari posse.

Verùm quid obstat, quo minus in hoc quoq; fimo quærere aurum liceat, si fortè ita usuveniat? ut præcipiente Apostolo jubemur omnia probare, & bonum, si fors offertur, tenere. Neq; ullus omninò liber usq; adeò malus est, quin aliqua sua parte prodesse possit, autore Plinio. Et sunt spiritus in hominibus non extinguendi, sed magis judicandi, atq; discernendi, utrùm ex Deo sint, necne, admonente Ioanne. Multi sunt spiritus quidem, sed non omnes æquè boni. Sacræ literæ tradunt, esse spirtus impostores, & mendaces, & fallaces, sicut scriptum est: Egrediar, & ero spiritus mendax, seu fallax; qvod Hæbræi Seker appellant, in ore omnium Prophetarum: tradunt, spiritum esse impurum, spiritum esse vertiginis, spiri-

spiritum esse nequam. Quò cautiùs agendum inter horum dijudicationes.

Libri varii hoc editi seculo, Ecclesiam Catholicam unà cum probatissimis hujus patribus, ac viris illustribus temerè contemnentes, & omnem autoritatem novis quibusdam nostræ memoriæ hominibus arrogantes, ex bono spiritu non proficiscuntur, sicuti nec illi, quibus sola scriptura mystica venditatur, fastiditis priorum seculorum sanctis atqve eruditis autoribus. Et hæc nimirum scriptura, quam ipsi suo arbitrio è fontibus converterunt pariter, & suo interpretantur ac enarrant libitu. Cumprimis verò pervelim, ut extaret sacræ scripturæ certissima, & numeris omnibus absoluta interpretatio, qua Ecclesiæ universæ tam ad docendum, quam disputandum ac revincendum Theologi uterentur, & tolleretur perpetua ista querimonia de variis Bibliorum translationibus quas hodiè multi non ad ipsam veritatem fontium edere student, sed magis ad confirmanda dogmata suæ quisq; sectæ accommodant.

Quam vulgatam dicimus, non ita ad amussim olim conversam esse fatemur, ut ex omni parte possit consistere, idqve jam interpretis inscitia, jam scribarum oscitantia, jam sciolorum temeritate, jam indoctorum præsulum somnolentia, jam scholarum audacia: breviter, tot retrò temporum injuria. Hæc si monachorum procuratione à viris vigilantissimis castigaretur ad unguem, haud quaqvam in postremis poterat esse: proximum fuerit, ut emaculatæ versioni adderetur narratio simplissima, ac dilucidissima, locorum duntaxat obscuriorum, quæve omni careret suspicione partium, & talis ut qui rejiciat, impius sit, nedum impudens. Scriptores primum adhibendi erant, deinde si res ita poscat, consulerentur recentiores, cum his, qui nostris scripsêre temporibus, qvorum fidem tamen antè perspici, quam sequi oportuit.

Maximi semper momenti est, ut linguæ primariæ ceu oracula consulantur, & ratio sit analogiæ habita, nec contemnantur idiotismi, figuræ, & schemata, ut principium perpetuum sit sacra scriptura, atq; hujus locum loco edisserere. Quod consilium mirum in modum conducere videtur ad revocandam Ecclesiæ unitatem: alioquin quenquam sui instituti Biblion in dissidio retinet, dum suo quisq; magistro credit, sive is interpretetur scripturam sacram sive exponat, persuasum habens, non cæcutire posse, qui, ut vocant, renati Evangelii tempore exorti sunt.

Porro his proœmii vice prælibatis, accingamur ad probanda dogmata præcipua, ut quod optimum omnium extiterit, teneamus. Invocato autem bono Christi spiritu, indagemus hic quoqve, quod verissimum atqve sincerissimum est, seipsum patefaciente, ac aspirante, & corda sensusq; nostros adaperiente, ut sapiamus, quæ ejus sunt ad gloriam sui nominis, non usq; adeò soliciti, hominibusve placeamus, necné, sed intelligamus, & huc attendamus, ut quod agimus, Christo Pontifici, & Monarcharum Monarchæ uni placeat. Fatemur ergò & nos, quotqvot Catholici atq; ex animo Christiani sumus, verum esse & indubitatum decretum Nicenæ Synodi non modò, sed cumprimis Apostolicum & Athanasianum, de unitate essentiæ divinæ, & de tribus personis: nimirum firmiter credentes, quod sit una essentia divina, quæ Deus est, & appellatur æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitas, creator & conservator omnium rerum visibilium pariter & invisibilium: & nihilominus esse tres personas, videlic. Patrē, Filium, & Spiritum S. nomine personæ eadem significatione utentes, qua usi sunt, hac quidem in causa, primi Ecclesiæ Catholicæ Scriptores, ut significet non partē aut qualitatem in alio, sed qvod propriè consistit. pag. 359.

Cæterùm fatemur etiā, verum esse, quod post lapsum Adæ omnes homines naturali modo propagati, nascentes habeant peccatum originis: intelligentes peccatum originale, quod sic vocant sancti Ecclesiæ Catholicæ Patres, & omnes orthodoxi & piè eruditi in Ecclesia, videlicet reatum, qvo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt iræ divinæ, & mortis æternæ, ac ipsam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam protoplasto.

Quin confitemur qvoq; Catholici, Verbum, hoc est, filium Dei assumsisse naturam humanam in utero beatæ Mariæ Virginis, ut sint duæ simul naturæ in Christo Jesu, nempe divinam & humanam in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ. Unus Christus, verè Deus & verè homo. Natus ex Maria virgine, verè passus, crucifixus mortuus ac sepultus, ut is reconciliaret nobis patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem descendit ad inferos, & verè resurrexit à mortuis tertia die, post ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris, ut perpetuo regnet ac dominetur creaturis omnib9, sanctificet credentes in ipsum, misso deorsum Spiritu sancto in corda eorum, & sanctificatis det vitam æternam. Idem Christus Filius Dei palàm est rediturus, ut judicet vivos ac mortuos resuscitatos, juxta Symbolum Apostolorum, &c. Verum ut conseqvamur credentes hæc summa Christi beneficia, scilicet remissionem peccatorum, sanctificationem, & vitam æternam, dedit nobis Evangelium suum, in qvo hæc immensa beneficia

neficia nobis proponuntur, sicut scriptum est Lucæ ultimo, prædicare in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum inter gentes, &c.

Præterea non diffitemur Catholici de Ecclesia; quod una & sancta perpetuo sit in terris mansura. Est autem Ecclesia propriè congregatio membrorum Christi sanctorum in universum, qui verè credunt, & ex animo obediunt Christo, etsi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti sunt, usq; ad novissimum judicium, &c. Habet autem Ecclesia propriè dicta, signa sua puram ac sanam doctrinam Evangeli & rectum usum Sacramentorum. Et ad veram unitatem Ecclesiæ opus est consentire de hac doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum.

De Baptismo catholicè iidem docemus, quod necessarius sit ad salutem, tanquam Sacramentum à Christo Domino institutum in aqua & spiritu, & quod per Baptisma afferatur nobis gratia Dei, & quod parvuli in fide Ecclesiæ, nō in sua, quam per ætatem habere non queunt, baptizandi sint, quodve per sacrum baptisma DEO commendati recipiantur in gratiam DEI, & fiant filii Dei, ex filiis iræ, sicut Christus ipse testatur loquens de parvulis in Ecclesia: Non est voluntas patris vestri, qui in cœlis est, ut pereat unus ex parvulis istis.

De Sacramento Cœnæ Dominicæ, (quam Eucharistiam Ecclesiastici appellāt) Catholici docemus, quod sub specie panis & vini verè exhibeatur in mysterio corpus & sanguis Christi iis, qui vescuntur altera pariter & utraqve, in unitate Ecclesiæ Christi, exercentes simul omnia, quæ ad Eucharistiam sacram hanc spectant, ex doctrina literarum Apostolicarum. Equidem quod ad sumtionem attinet, posthac ita exigente causa, non magnoperè digladiamur cum utraq; vescentibus, modò fiat juxta veteris Ecclesiæ formam, & non pro cujusq; cerebelli arbitrio.

Iam de Sacramento pœnitentiæ confitemur nos quoq;, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum quocunq; tempore, cum convertuntur ac restituuntur lapsi: Et quod Ecclesia talibus, qui redeunt ad pœnitentiam, impertire absolutionem debeat. Constat autem pœnitentia & conversio impii, & reversio peccatoris propriè tribus: Contritione cordis, Confessione oris, Satisfactione operis, qua nimirum satisfit Ecclesiæ offensæ. His præcipuè additur indubitata absolutionis fides, qua resipiscens credit, sibi propter Christum certò remitti peccata ante acta, &c. Confessio peccatorum, veteribus Exomologesis græcè dicta, propter absolutionem in Ecclesiis passim retinenda est, quanquam non necessaria sit delictorum omnium anxia enumeratio, nec ista peccatorum omnium circumstantia. Contenti sumus scriptis atq; exemplis, adeòq; vestigiis priscæ Ecclesiæ Dei. Alia est ratio Confessionis necessariæ, quæ fit Deo, cui soli peccavimus, ac malum coram eo fecimus. De Satisfactione sentimus, quemadmodū sentit D. Cyprianus, cumq; eo tota vetus Ecclesia: Deo satisfacere nemo potest, & est perfecta atq; consummata satisfactio nostra Christus, sed Ecclesiæ sive per publicā, sive per privatam pœnitentiam satisfacere aliqvo modo possumus, peccata vero expiari per hujusmodi, nulla scriptura docet. Fanatici quidam errones docent. Criminosorum seu flagitiosorum conversatio, siquidem plane non est timor Dei ante oculos eorum, diffidentiam tardissimamqve absolutionem jure habet, qnod sint coram Deo & hujus Ecclesia de facto ipso excommunicati, ac Anathema facti. Istorum reconciliatio citra pœnitentiam publicam, & quam vocant Canonicam, vereor, ut fieri nunquam possit.

Præterea fatemur Catholici unanimiter sacramenta omnia instituta esse non modò, ut sint notæ Christianæ professionis inter homines, sed ut existant etiam signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, proposita ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui eis utuntur. Itaqve utendum est Sacramentis eo pacto, ut accedat fides, quæ ex animo credat promissionibus per Sacramenta exhibitis atq; ostensis.

Qua fide accipimus promissam gratiam quam Sacramenta significant, & Spiritum etiam sanctum. Equidem vetustus ille ritus Ecclesiæ mysticus, hoc est, sacramentalis, quo baptizati ad Confessionem Evangelicæ fidei confirmantur, & corroborantur, in totum abolere impietatis sit. Tantum aboleatur abusus, & nescio quæ ridicula ac plusquam puerilia, & valdè anilia.

Certè Sacratorum mitratorum, vocant hodie suffraganeos, levitas & morositas reprehendi meretur, qui cum ad nihil aliud vacent, nisi ad corradendas undecunqve pecunias, existimant, hic se esse meros reges, superiores ipsis laicis, quos confirmandi gaudētes accipiant. Consulantur de hoc mystico ritu antiqvi Canones & renovetur ita actus ille sacer, ut de baptizatorum atq; in fide Christianā confirmatorum profectu gaudeat universa panegyris Christianorū. Atq; utinam reciperetur in usum annuum actus ille huc faciens, quem vir quidam Dei ostendit in præfatione paraphraseos in Evangelistam Matthæum.

Ad eundem modum (ut de his plura loquar, cujusmodi in libro Comitiali desideremus Orthodoxi) nihil conducebat ad veram (ut putatur) pietatem resuscitan-

fcitandam initio istius moliminis, temerè dissentire à receptis sacri Matrimonii tàm legibus qvàm moribus,& nescio quæ nova condere priscis Ecclesiæ temporibus ignorata,nec arcanis literis prodita. Nam ut leve sit, Matrimonii Sacramentum pernegare,quid attinebat gradus, lineasqve temnere,&tot divortiis totqve novis ac falsis nuptiis Ecclesias implere? Quod quid est aliud, quàm Christianum matrimonium discerpere atqve prophanare,ut jam Iudæis potiùs & Ethnicis respondeant sponsalia qvædam, quam Christianis moribus? Habebat Ecclesia non parùm pauca in usu, quæ nemo prudens facilè rejiciat. Ejusmodi processus,ut ita dicam, publicos modò videmus antiqvari. Utantur illi, obsecro, Majorum quibusdam sanctionibus & consvetudinibus,vicissim nos ab illorum placitis,siquidem ea sana sunt,non abhorrebimus,huc utrinqve spectantes, ut melius agatur cum conjugiis, quàm nunc est in cõperto. Si abrogare aliquid libet, fac abroges Sardanapalismum, nuptias passim comitantem in omni licentia carnis & sangvinis,& præcaveas usqve adeò faciles conjunctiones obscurorum homunculorum, per quas temerarias desponsationes terra nebulonibus repletur & scortis, non sine ingenti matrimonii ignominia, præsertim si copulentur ad libitum suum, qui prima conjugia ipsi præter honestas causas dirupetunt. Licebit interim de sacro matrimonio perutilia concionari è sacris Bibliis: licebit hujus laudationes commemorare, cantionibus seu odis spiritualibus lingua vernacula celebrare conjugatos ad vitam matrimonio Christiano dignam adhortari, & si quid restat,quod professio nostra exigit. Sic supra sacro ordine principio judicare ac differere conveniebat. Ob sacerdotes malos malè judicabatur de ordine deqve toto statu. Consulatur antiquitas, hæc quod pronunciet, ratum esto: nihil enim usq; adeò moramur accessoria. Gradus habuêre veteres,nec tales fastidit Apostolus, uti non rejicit etiam impositiones manuum,& Chirotenias. Quid flagitii fuerit,si adhibeatur chrisma, quo usa sunt priscæ Ecclesiæ Catholicæ secula? quid ea in parte est ridiculi,etiamsi è vestigiis Synagogicis id aliquo modo superest? Si valent in Ecclesia varii ordines, quidni hic ordo valeat tantò sublimior, quantò curandis animabus utilior? Deme abjurationem legitimi Connubii,quæ causa fuit inenarrandæ turpitudinis,& abusus plures& opiniones scholasticorum quorundam de cœlibatu annexo ordini, de charactere ficto, deqve similibus aliis, non inveniet vir pius, quod in hoc venerabili ordine ita authorato, & per Ecclesiam utramque ita roborato, bono jure culpet. Compertum est, qua populi utilitate sint, & qua gravitate constituantur ab extrariis pastores, quales isti sunt, quàm sæpenumero intolerandi, & tolerari eos tamen oporteat per Magistratus, & Inspectatores suos, quanquam non excusârim nostros quosdam omni modo reprehensibiles, dormientibus aut aliud agentibus Episcopis, parùm aptis ad diœcesin seu gubernationem tot Ecclesiarum. Itaqve consultissimum fuerit utrinqve sapere, & tandem idem sentire in his legibus, moribus ac ritibus Ecclesiasticis,& idem, quod est antiqvitati sanctæ conformius, conjunctis animis complecti, & publicitus tenere, ne semper inter Iudæos,Mahumetanos, ac prodigiosos novarum hæresium architectos, hoc etiam exortos anno, sacrosanctissimum Christi Iesu unigeniti Dei nomen, & Augustum Ecclesiæ Catholicæ agnomen malè audiat, blasphemiis, discerpatur, opprobriis conspuatur,propter nostras perpetuas dissensiones, & diversa partium studia. Eodem pertinet,ut paucis admoneamus de temerè abrogato unctionis externæ ritu mystico, ne propter inemendatas hujus sacræ actionis corruptelas, rem per se religiosam, & morituris in Domino fructuosam, perpetuò conculcent, sed recipiant potiùs ad usum, amputatis quibusdam supervacaneis atqve ociosis additionibus: breviter maneat substantia, tollatur abusus hoc quoque loco. Indignum cum sit, preces usque adeò pias omitti sine causa, eas lingua morientibus intellecta prælegere liceat, unà cum exhortationibus validissimis. Nec obesse poterunt piæ intercessiones circumstantiis viciniæ: Si qvæ tradiderunt Apostoli suis temporibus,non qvadrant singula cum his, qvæ præsens facit Ecclesiæ status propter ea haudquaquam rejiciendum erat bonum institutum, qvod sit è radice sancta & Apostolici seculi manifestum vestigium. Consentiamus obsecro, nec sit posthac inter nos Schisma. Detestemur suam qvisq; philoniciam, & philadelphiam in consiliis adhibeamus,sic erit Deus pacis nobiscum. Iam ut ad libellum Confessionis cujusdam propositum redeamus, rectè statuitur, neminem publice concionari debere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatum, qvod autem fit per legitimam ordinationem, atqve constitutionem presbyteri. Nec alienum à vero est, ritus ac observationes in Ecclesia retinendas esse, etiamsi humanâ autoritate sint natæ. Cujusmodi citrà læsionem fidei ac divinæ legis peragi poterunt, ut omnia secundum ordinem fiant, & servetur tranquillitas publica, qvod genus sunt Feriæ, quas reduci ad originem antiqvitatis suæ oportet, revocandæ concordiæ gratia, ut electiores eæ sint, quàm plures.

Quo plures sint, eò occasionem prebent pag. 36. ad plu-

ad plura peccata, & graviora scandala. Ad hanc veluti regulam publicæ pertinent in templis cantiones, quas omninò castigari, atque ad gnomona sacræ scripturæ corrigi necesse est, ut existant aut in ipsa sacra scriptura, aut è sacræ Scripturæ verbis contextæ, aut ita vetustæ, ut liqueat, ab ipsis Ecclesiæ primordiis ac incrementis, à sanctis Patribus compositas, & clero populoque catholico decantatas esse. Recentiores istæ sileant in Ecclesia, quæ sæpe plus divis, quàm Deo ipsi tribuunt, aut certè divos Deo æquiparant, hoc est, creaturam Creatori similem faciunt. Idololatriæ speciem quandam post se trahentes. Conticescant item Cantiones tumultuosæ, ad efferendos populorum animos confictæ, falso psalmorum titulo acerbis convitiis refertæ, contumeliosæ, minaces, nihilque minùs spirantes, quam veram pietatem ac fraternam charitatem.

Prudenter autem fecerint Monarchæ, & cæteri Principes, si primo quoque tempore Ecclesiasticas aliquot odas à piè doctis quibusdam pangi curent, lingua populo vernacula seu domestica, ut liceat & idiotis Catholicis Deum timentibus, interdum in laudem Dei succinere more vetusto, unde corda ad Christum erecta exhilarescant. Sed postea de cantu chorali plura dicemus.

Adhæc fatemur nos quoque, humanis constitutionibus & consvetudinibus, & opinionibus, pro tempore locoque prognatis, conscientias Christianorum per tyrannidem non onerandas, aut illaqueandas, aut territandas esse, ut discernatur à præcepto divino constitutio humana. Nisi tamen accedat contemtus transgressorum, aut scandali tam publici, quam privati proseminatio. Lex Ecclesiæ legi Christi congruens, cum animæ periculo violatur. Traditio verò Apostolica est, quæ è fontibus Ecclesiæ priscæ ad nos usque promanat, & quæ fidem Christianam ornat, bonos mores decorat, quævé fidelium nemini est onerosa, conscientiā non obligare non potest, maximè quoties cum cōtumacia, & majorū fastidio improbè negligitur, ac superbè præteritur. Iustitiam autem & sanctimoniam in observatis istis constitutionibus ponere velle, nec nos docemus, si quid condonandum arbitramur tempori.

De Constitutionibus inferius plura. Cultum aliū in terris nescimus, præter eum, quem soli Deo debemus, & neque dulias neque hyperdulias Christiani scimus, eo saltem sensu, quo tradiderunt non Ecclesiastici, sed Sholastici, qui erant non contenti prima illa atq; originali, puraque Theologia, nec sat habuerunt latino sermone uti, quemadmodum antiqvissimi & eruditissimi Ecclesiæ patres, nisi novum loquendi & scribendi genus excogitassent, malentes barbarè, qvàm latinè sua disputare placita, & Ecclesiæ dogmata intricare magis, quàm extricare, magisq; obscurare, quā elucidare. Quo fit, ut parum absit, quin istiusmodi Matæologiæ omnem calamitatem, quæ hodie Ecclesiam obruit, uni debeamus, si rem apud animum tuum seriò pertractes ac fateri fas sit. Eò enim rem adduxerunt, ut vulgò crederetur, Ecclesiam sanxisse, quicquid isti somniarant, magis innitendo Metaphysicis commentis, qvàm Evangelicis, aut Apostolicis literis. Unde nunc vix magno negocio dediscitur, qvod semel imbiberat persvasa juventus, & jam pudeat consenuisse inter ista spineta, quæ roseta putabantur.

De rebus civilibus, de Monarchiis, præsertim de Cæsariatu, quæ est potestas sublimior postea, deq; magistratibus, principib. præsidibus per obedientiam honorandis, nemo Catholicorū dubitavit unquam, nec quis horum ordinationibus legitimis restitit unquam, multò minùs ministros Dei, qui gladium non frustra gerunt, impugnavit, non tamen nescii sumus, Deo ipsi magis obtemperandum quàm hominibus, juxta parænesin Apostolicam. Evangelio credere si vetaret homo, non obedimus. Siquidem Deus Evangelio credere præcipit. Multò verò propensiùs Evangelio credimus, Evāgelicam doctrinam sequimur, Evangelium mente ac conversatione complectimur, quando præterqvam, qvod Deus præcipit, jubet etiam potestas ordinaria. Atq; huc omnem curā, omneq; studium conferimus ut vita nostra tàm politica, quam œconomica Evangelium Christi sapiat, ac spiret.

Quin imò confitemur, docemus, & gaudemus Catholici, quod Christus unigenitus Dei filius apparebit in consumatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, & hominibus piis dabit vitam æternam, ac gaudia perpetua: impios autem homines & diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur. Quotquot his dictis reclamant, Anathema, Maranata liberè dicimus.

De libero arbitrio docent Catholici, quod voluntas merè humana libertatē habeat qvidem cogitandi, dicendi, proponēdi, faciendi, sed quæ hominis sint, hoc est, carnalia, profana, secularia. At voluntas ejus hominis, qui est ex aqua & spiritu renatus, qui nova creatura factus, per gratiam restitutus, jàm spiritualis veriùs qvàm carnalis, eò qvòd spiritu Dei agitur, libertatem habet cogitandi qvæ Dei sunt, & eadem faciendi: agitante enim illo calescimus ad omne opus bonum perficiendum. Itaque homo Christianus Evangelio CHRISTI imbutus, fide Christi mundatus, per Christum potest bona opera perficere, & pariter mala opera fugere, ut Deo placeat, quod fecit. Potest, inquaq., amare Deum,

unde

diligere proximum, atq; tali præcepta Dei non sunt gravia, quantumlibet in omnibus aliquanto tardius, & difficilius ad perfectionem, propter naturam sæpenumero gratiæ præpollentem, etsi invitis ac ægrè ferentibus nobis, atq; etiam per fidem & timorem Dei ob oculos nostros obversantem, acriter repugnantibus.

g. 362. Preceptis autem Dei morem gerere difficilimum foret homini tam nato quàm renato (ut quod est verissimum confiteamur) nisi, Apostolo docente, Deus ipse esset, qui operaretur in nobis credentibus ipsum velle, hoc est, voluntatem hanc ad bonum omninò liberam. Et nisi Dominus in Evangelio diceret, sine ipso nihil nos facere posse, quod si sine ipso nihil possimus facere, cum ipso & cooperante ipso, instigante ipso quid boni non fecerimus, modò velimus? Deus operatur in nobis ipsum operari, seu facere bonum, quidni igitur per ipsum, & cum ipso quod bonum est, facere, & quod malū est, omittere? Non est à nobis ipsis, inqvit Apostolus, nec est viriū humanarū, Deo placere posse, desuper datur: usqve adeo verum manet, nihil nos habere, quod non divinitus acceperimus, ne de carne nostra gloriemur, in qua videlicet bonum aliquid esse Paulus negat. Sicqve consistit illud, Nihil accipere hominem, nisi fuerit ei desuper donatum. Nolle bonum, nolle Deo obedire, aut etiam posse, malum autem velle, naturæ simpliciter humanæ est, velle bonum, nolle malum, velle Christi legem servare, Christi verbum audire, cordi affigere, factis exprimere, Christi vestigia per crucem sequi, non naturæ humanæ est, sed gratiæ divinæ.

Nihil fructus tulerit palmes extra vitem, sed palmes manens vegetus, vividus, floridus, in vite fructum multum & fert, & ferre potest. Hic vides radicē omnis rei, quæ est nimirum è Spiritu sancto, qvi datus est nobis credentibus. Eo sanè pacto habet homo, non præcise homo, sed Christianus, liberum arbitrium. Pelagiani non sumus, sed non iidē Manichæi, multo minùs nobis est negotii cum necessitate Wiglephica, & Philosophorum fato, sed gratiam prædicamus nostræ voluntati cooperantem, & talem gratiam, quæ specialis semper nobis adsit, non sit tantum generalis. Non loquimur de rebus mortalium, quid illic natura possit ex seipsa, hoc est, sine gratia, sicut in vita, & conversatione filiorum Adam omnium conspicuum est, ac erat olim paganorum ante & extra Evangelium CHristi: præterea quid natura eadem, quanquam ab initio corrupta, valeat in politicis & oeconomicis.

Loquimur tantùm de rebus Ecclesiasticis, divinis, sacris, & ad Deum, Deiq; regnum unicè spectantibus, quantulum ibi possit naturalis propago, sine coelesti gratia non solum opitulante, verùm efficiente etiam & suggerente, & robur addente, & irrefragabiliter cooperante. Si idem sentit liber propositus, ut videtur, cum Orthodoxis sentit, & nos libro adstipulamur, dextramque jungimus. Gratiæ tribuimus plurimum, ac nihil non, naturæ minimum. Si quid minimum tamen tribuimus, Aurelius Augustinus judex inter nos esto, non solùm in hac controversia. Cum illo loquimur, cum illo tacemus, & sacris Scripturis confidentes, nos rectissima via ire scimus, qvicqvid ante nos garrierint novæ, hoc est, scholasticæ Theologiæ fabri, qvorum iras facilius feremus quam Dei, qui est benedictus Deus veritatis.

Subjungitur in libro de non negligendis aut rejiciendis bonis Christiani populi operibus, id quod mirum in modum placet veteris Christianismi indagatoribus. Esto sanè, qui laudem bonis operibus detraxerit, nemo sit, introducatur in lite conciliatrix, & amnestia illa olim Atheniensis rebus, vel factis vel infectis imperet silentium. Est in confesso, verè bona opera credentium in Christo, & eo authore, bono profecta spiritu, majestati divinæ placere. Unum reliqvum est, ut excusso torpore & percalcata acedia tandem accingamur utrinqve ad facienda bona opera, ne perpetuo rixemur de re, quæ existat nusquam. Iam si altum siluerunt conciones usqve ad hæc tempora, de præcipuè bonis operibus & exercitiis fidei, nos ejusmodi detrimenta tuenda non suscepimus, uti non probamus, incultas tantum fuisse.

Constitutionum humanarum commendationes de feriis plus æqvo numerosis, de jejuniis coactis, & per eos injunctis populo qui ipsi non jejunārunt, de falso Monachatu, hujusqve manifesta hypocrisi, & vita parùm pudica, rarò sobria, de fictis fraternitatibus, vel ad quæstum, vel ad commessationes, vel ad veræ fraternitatis, quæ est in Christo, ludibrium, de peregrinationibus votariis, quæ quid reipublicæ Christianæ ad veræ pietatis ædificationem profuerint, totus nunc orbis novit, de cultu sanctorum, quem præter canonicam scripturam introduxit in Ecclesiam turpis lucri cupiditas, & ter quaterqve maledicta superstitio, uno Deo non contenta, de rosariis, adde de reliquiarum quæstuariis, aut potiùs de reliqviis Sanctorum ad quæstum prostitutis, quæ ab ebriis nugonibus quibusdam conficta erant, ac si Sanctorum essent, cum illis extiterit nihil nugatius, quod postea ipsi inter pocula effutierunt, demq; de indulgentiis, siquidem harum intolerabilis abusus sua sponte interiit, in præsens nihil attingemus. Ejusmodi si qui publicitus concionari fuerunt ausi, ne illi fideles servi Domini, & digni sunt, qui supra multa constituerentur obeunda.

Fatemur caliginem, nec imus inficias, per eos fuisse istiusmodi in Ecclesiam invecta, per quos minimè debuit, & quos nunc autores esse oportuit, ut Augiæ non fabulosum stabulum expurgaretur. Adhorrent animi piorum hominum, si percipiant, ista hæc in concionibus bonorum operum loco fuisse apud majores nostros declamata, qui error quantus sit, nemo facile crediderit. Verissimum est, opera ab operibus distingui debere, alia esse bona, quæ præcipit Dominus in Evangelio, & docent Apostoli in Epistolis, cujusmodi cum fide exiguntur, ad possessionem seu hæreditatem vitæ. Alia esse opera templaria, quæ in cultu divino requiruntur, quæ & ipsa si rite fiant, bona sunt, & nullo modo contemnenda, si tamen sacræ scripturæ fines non transcendant. Rursum alia esse opera civilia, quæ fieri postulat magistratus, hæc ad politiam pertinent. Item alia esse domestica, quæ & parentes & pædagogi jubent. Atque hæc pag. 363. ad Oeconomiam spectant, necessaria ac utilia omnia ad præsentem vitæ hujus functionē, ἀδιάφορα seu indifferētia nulla.

Inter tot opera quærimus tantum in fidei Christiaæ regno Ecclesiastica, quotquot nomen laudemq; suam habent in sacris Bibliis, quæve animabus servandis conducunt. Hæc bona opera neq; rejici, neq; negligi, neq; omitti à quoquam debent, quia sunt à Deo prodita, & mandata credentibus ad salutē, & quæ suas habent promissiones Dei Opt. Max. & in quibus voluntati divinæ servitur: breviter, quæ olim in judicio exiget, & affatim remunerabit. Hic est rei ordo. Conjungimus igitur nostrum consensum cum libro proposito de commendatione verè bonorum in fide operum, adversus ista quædam, quæ nec bona opera dici merentur, nec mala nec media, & utinam fuissent mundo semper incognita.

Deploramus ergo nos quoque hanc Ecclesiæ calamitatem, quod regnârint in ea varii cultus, quos Græci λατρείας appellant, & quod in humanis ceremoniis fiduciam spemque salutis unicam collocantes, in errorem seducta simplicium corda, cum fiducia spesque salutis æternæ unica poni solùm debuit in Christo Iesu Servatore nostro unico. Tantùm abest, ut eam poni conveniat in meritis bonorum etiam operum, quæ præcepit Deus, ut faceremus, usque adeò agnoscimus nos servos inutiles Domini, etiamsi fecerimus omnia, quæ ille præcepit. Ille cuj⁹ præcepto jussuq; facimus, & cui serviendo inquam, cujus gloriam facimus, bona ea opera seu facta esse æstimabit, ac rependet, non judicabit inutilia, si nos judicaverimus nos ipsos inutiles, & gloriationem operum sive Christianè factorum ultrò fugerimus.

Consentimus quoq; citatis locis adversus opera ceremonialia in Iudaismo, & propè similia in Christianismo, si accedat fiducia, & maximè horum neglectus, quæ graviora sunt legis divinæ. Hæc oportet Christianos servare necessariò, sed quæ exteriora sunt in Ecclesiis, etsi leviora, non omittere: semper verum est, misericordiam erga proximum inprimis requiri, & charitatem longè magis postulari, quàm sacrificium, hoc est, facta Christianæ charitatis præpollere iis, quæ agitantur per templa, potissimùm si sint ex humana constitutione, quemadmodū superiora illa ex lege divina. Idq; collaudamus, quod & alii primùm evangelizant, proponentes auditoribus Evangelium Christi, vera fide recipiendum, deinde addunt doctrinam de bonis operibus. Tale enim non Apostolicum esse non potest. Fidem promissionis rectè inculcant populo, & idem nos facere oportuit, posteaquàm Evangelium arguit peccata, & requirit pœnitentiam, & simul offert remissionem peccatorū propter Christum gratis, non propter humanarum virium aut meritorum dignitatem.

Et sicut universalis est pœnitentiæ prædicatio, ita & promissio gratiæ universalis est, & omnes ex æquo credere jubet, & accipere beneficium Christi, quia misericordia Dei locupletissima redundavit in omnes homines, & hujus gratia philanthropia, i. e. erga homines amor apparuit, illuxit, & palàm innotuit per Christum omnibus hominibus. Unde advocat ad se ipse Servator omnes homines, quotquot spiritualiter oneratos se esse agnoscunt, qui venit servandis ex æquo omnibus. Pœnitentia peccatoris, & de peccatis comissis contritio, quā vocant, & dolor unà cum fructib. pœnitētia dignis, & sui accusatione propriaq; condēnatione, & clavibus Apostolicis & Evangelicis absolutionibus, esse quidem debent in populi Christiani usu assiduo, sed etsi hæc ipsa necessaria semper sunt, ad impetrandam remissionem peccatorum, maximè post baptismum reiteratorum, tamen si conferantur cum gratuita misericordia Dei, in Christo terrarum orbi exhibita præstitaque, & immensis ac inenarrandis meritis Christi unigeniti Dei, quantilli obsecro precii fuerint? Solatium peccatoris omne in Christo quærendum est per fidem sui verbi: & ab hoc agno immaculato, qui tollit peccata mundi, omnis peccatorum remissio perfecta expectanda est, & sanitas, paxque conscientiarum, & tota salus animarum: nihilominùs tamen, quæ divinitus jubemur, exequi in Ecclesiæ communione: necessaria sunt, & ob id contumaciter fastidiri, negligi, ac omitti non debent, nec sine damnatione possunt, quantumlibet fiducia spesq; omnis in Christi gratia, quàm peccatori

Anno ... rosi ostendit, semper collocanda est. Quid nobis remitteretur, nisi esset gratia? Vicissim quæ esset erga nos gratia, nisi præcederet vera pœnitentia? Quandoquidem homini nisi pœnitenti, & ob commissa semet excrucianti, atqve Christum in angustia conscientiæ suæ gementi ac suspiranti, non unquam contigit remissio? Num opus est medico, nisi malè valenti, & qui agnoscit se malè valere? Num missus est Servator in mundum, ut sanet, nisi contritos corde, & prædicet captivis remissionem? nisi fortè sit captivus, qui se nesciat captivum esse. Hæc verò captivitatis & miseriæ nostræ cognitio ex concione verbi Domini primum nobis contingit, in quo audimus, nos filios iræ nasci, & æterni tradi gehennæ, nisi è tenebris spiritualibus experrecti ad libertatem, redemtorem, illuminatorem medicum Salvatorem, Christum Iesum filium Dei vivi, à patre in hoc missum confugerimus, de cœlo renati.

Rectè hic dicitur, fide hoc beneficium accipiendum est, qua credere nos oportet, quod propter Christum nobis donetur remissio peccatorum, nempe credentibus. Siquidem apud Lucam in verbis Domini conjunguntur hæc duo: pœnitentia & remissio peccatorum, quasi alterum absq; altero non firmè consistat. Et hæc duo complectitur fides verbi, qvo promittitur absolutio, citra quã hæsitaret in ambiguo peccator, non habiturus ubi pedẽ figeret. Usq; adeò est in negocio prædicatæ salutis firma hypostasis, & substantia certa Dei Opt. Max. promissio. Et nihil habet absurdi, nihil perplexum, nihil sophisticum. Non est hic opus disputationibus de prædestinatione, aut similib. Nam promissio est universalis, quod antehac diximus, & nihil detrahit operibus, imò exsuscitat fidem, & verè bona opera. Nam remissio pec- 1564.
catorum transfertur ab incertitudine, insufficientia, reputatione, dignitate, gloriatione, fiducia nostrorum operum qualiumcunque.

At quo? ad misericordiam Dei, ut hoc tantum salvationis solidum, ratum, certumqve sit, non ut nos in Ecclesia nihil agamus, & ociosi securiq; vivamus, sed multo magis ut sciamus, quomodo placeat Deo nostra obedientia, quæ fit in timore ac tremore Dei, in spontanea servitute Dei, in vera fide ac dilectione Dei, per opera bona toties Apostolo comendata, per abnegationem impietatis ac mundanarum concupiscentiarum, per sufferentiam communicatæ nobis crucis, & per conversationem piam, justam, ac sobriam in præsenti seculo, usqve ad diem Domini, quando redditurus est unicuiq; juxta opera sua. Quæ omnia communienda atqve convestienda sunt ab Orthodoxis testimoniorum multitudine, de Scripturæ sanctæ hausta fontibus. Et consultum est cumprimis, ne secus loquamur, quàm de Evangelio locuti sunt authores veteris Ecclesiæ probatissimi, quemadmodum nec aliter sentimus, quàm illi sanctissimi atqve doctissimi viri, qvi Evangelium suo etiam cruore, non sermone tantum cõfirmârunt. Reliquimus tamen alios suo more loqui de justicia, quos nobis conjunctos religione Christiana fore in omnipotente Deo speramus, post tot certamina, quibus sæpe reperitur, non semper amittitur, veritas.

Audivimus satis patienter ac benevolè, qua sermonis consvetudine, & qua diligentia inculcent, atq; subinde iidem repetãt receptam suam istam pithanalogiam, quæ tamen a doctrina Ecclesiæ rectâ non ita multum dissidet, si res ipsa penitus discutiatur. Cum pace igitur sua proponemus pari modo Ecclesiasticorum doctrinam de justitia hominis, quam satius erat habere, quàm disputare. Tam diu ac toties rixamur de justificatione, & nunquam anhelamus, ut justi simus revera, & justi reperiamur ad salutem. Vellemus autem, de fide justitiæ quoties dicunt, ut exclusivam istam pacificè ac amicè omittant, quando sacræ nullæ literæ eam addunt, & ex scripturis Canonicis potius loqui ac docere ament, quã ex propriis. Meminerint, se qvoq; dicto Davidico esse obnoxios, omnes homines mendaces. Arrogantiam odimus, modestiam, si qua esset, laudaremus. Sed esto, tempora poscunt mutationem in melius partis utriusq;, ita ut sacræ Scripturæ in his hodie odiosissimis controversiis intercedant, & ad iter requirant, atq; medium invitent, quatenus substantia religionis ac veritas professionis Christianæ, ipseq; authoratus fidei canon permittit.

Quapropter fidei nostræ non usq; adeò nudæ, & omnibus charitatis orbatæ officiis omnibus Sacramentorum adminiculis destitutæ, omnibus latriæ obsequiis, omnibus in universum erga quoscunque factis spoliatæ, virtutibus Christianis exutæ tribuatur, quod cum ipsi fidei pariter, tum observationi mandatorum Dei tribuit tota scriptura utriusq; Testamenti, scriptura inqvã, tribuit, idem facit Ecclesia per orbem terrarum diffusa, quam antiquitas vocat Catholicam & Apostolicam, quæ est universalis consensus communionis sanctorũ, qvam in Symbolo confitemur & credimus, nimirum justiciam, sanctimoniam, & vitæ æternæ possesionem, spiritualiter renatis, & fide plenis, quæ fides per dilectionem operatur. Eterodidascaliam (ut, quod volo, ex Apolo mitius eloquar) nec comprobare, nec recipere possumus: quandoquidem diversum sentiunt scripta legis, Prophetarum, Apostolorum, Apostolicorum, Sanctissimorum successorum, eruditorum

Ecclesiæ scriptorum, beatorum patrum, electorum Martyrum, & indubitatissimis consensus tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ, usque ad hanc divisionem præsentem.

Fatemur plus quàm ingenuè, talia opera seu facta nostra, quæ credimus, non esse ejus dignitatis, ut hæc magnoperè attollamus, cœloq; locemus, neque minus tamen hæc in verbo Domini exiguntur à credente, veluti necessaria, & passim cum fide Charitas Dei proximiq; copulatur. Haudquaquam sumus nescii, quantilla sit coram Deo, adeoq; nulla humanæ naturæ dignitas, quantillæ vires, & quam imperfecta omnia: at iidem nescii minimè sumus, opera credentium bona esse dona Dei, cui sua dona, quorum ipse autor est, displicere non queant, & juxta quæ sit in novissimo hereditatē cœlestē redditurus. Profectò verè Catholici bonorū operum actionē, ac horū valorem nulli rei, prçterquam agenti gratiç Spiritus Sancti ferunt acceptum. Cur gratiæ nostrum in bene agendo subservit arbitrium, qvod est voluntas à Deo correcta ita nostrum ut tam velle; quam posse nostrum, gratiæ magis sit, quam naturæ.

Eapropter hactenus perstamus, nihil ferocientes in hac Apostolicæ Ecclesiæ sana constantiq; doctrina, secundum scripturas sanctas, quas nostri majores (de vetustissimis loqvor) nec fraudulenter, nec violenter tractarunt, sed non minus scribendo qvàm docendo, pro pietate atq; eruditione sua simpliciter & fideliter secuti sunt, inde à primis annis fundamenti Ecclesiæ Christianæ jacti. Atq; hîc quidem nobis consilium non est, multis citationibus Lectorem obruere, cum possemus coacervare ad fidem huic doctrinæ conciliandā, infinita loca, tàm è Bibliis canonicis, quàm è scriptis patrum authenticis, quod ipsum alibi, opinor, plus quàm satis fecimus. In præsens tantū legatur D. Augustini libellus, cui titulus de fide & operibus, deinde qvod idē præco magnus Evangelii Christi in literas misit super Ps. 31. Utraq; Ecclesia aliam nescit de justificatione fidem, præter eam, quam Apostolus descripsit Galatis suis, nempè fidem, quæ per dilectionem operatur, ut paulò superius diximus.

Nôrūt hoc loco, quid sibi velit vox grçcà ἐνεργουμένη. Dilectionem autem majorē esse, ex eodem Apostolo Paulo nemo non novit, à quib. oraculis nobis omninò standū arbitramur, & cum mansvetudine petimus ut cupiditate victoriæ aliquantisper posita, de ipsa veritate seriò dispiciant, tanquam in conspectu Dei, & tandem ab antiqvo Ecclesiasticos desinant contumeliis afficere ac pro Antichristianis proscindere. Quid pluribus contenditur? Pro sincerè Ecclesiasticis facit scriptura ipsa tota V. Testamēti, pag. 365. & consensus indubitatus utriusq; Ecclesiæ, hoc est Orientalis & Occidentalis, idq; ab initio propagati Evangelii, cui contradicere quid sit aliud, quam blasphemare? Profectò Evangeliū Christi non potest esse, quod per Evangelium Christi oppugnatur. Nec verbum Dei potest esse, quod non prædicârit Paulus, non Petrus, non Ioannes, non cæteri Apostoli, non horum discipuli, non horū successores Episcopi, sanctissimi pariter ac doctissimi, ipsis etiam Adversariis testibus. Iam si quid docemus Ecclesiastici, quod illi ante nos non docuerunt, quodve inprimis non docuerunt Apostoli, & ante hos Prophetæ Domini: age nos reos vel judicii, vel concilii, vel gehennæ etiam si vis.

Coëgit diversa doctrina quosdam in angustias hasce, ut oportuerit fingere, non rem sterilem, sed valdè fœcundam esse, & parere opera ex se ipsa, ut opus non sit aut docere, aut præcipere, aut exigere à credentibus bona opera. At quibus istuc authoribus? fidem ajunt arborem esse, qvæ fructus operum ultrò proferat, & per consequens fidem sine operibus nuspiam esse posse. Atqui secus clamat Doctor Augustinus, astruens, fidem sine operibus esse posse, sed non prodesse. Sic amice lector, sic habet Evangelica doctrina, nimirum Spiritum sanctum, & totum bonum illud, quod in credentibus nobis creavit Spiritus sanctus, hanc esse arborem bonam: quæ bonos fructus, hoc est, bona opera ex sese in nobis credentibus divina sua potentia generet: cum sit Deus Spiritus ille sanctus, ac ideò creator rerum, certè fides creator non est, sed creatura. Cur igitur creaturæ tribuatur, quod est Creatoris? Quin & ipsa etiam fides ab Apostolo inter fructus Spiritus Sancti palàm recensetur, tantum abest, ut queat illa esse arbor fructifera.

Adhæc tota lex & Prophetæ non fide nuda, etsi vera & evangelica, non historica tātum, & quemadmodum ipsi inquiunt, viva, sed in dilectione Dei ac proximi pendent, ut testificatur Evangelium nostrum, sive ut Apostolus Paulus Doctor noster affirmat his verbis: Tota lex uno verbo comprehenditur atq; completur, videlicet dilectionis. Et Deus est dilectio, Deo autem nihil majus esse potest. Is nunquam cessabit, eodem Apostolo teste: ideò nunquam cessabit dilectio. Hæc dilectio sive charitas est vestis nuptialis in Evangelii parabola de puro corde, quippe existens charitas conscientia bona nō simulata, quę credētes christiana cōversatione vestit atq; ornat. Hæc dilectio sive charitas est oleū illud in lampadibus virginum, utpote misericordia erga fratres felicissimè flagrans. Nec unum illud necessarium apud Lucam Evangelistā fides est, sed auditio. Non debet ita quibuslibet scripturæ locis affigi fides, idq; vincēdi tantum studio. Et probi hominis non est, pro

est, pro suo libitu sacras torqvere literas. Qvæ cum affirmamus, num fidem extenuamus? num excludimus? num postponimus? nullo modo, sed damus unicuiqꝫ qvod suũ est, procul absit tam sacrilega, tamq; diabolica de hominib⁹ catholice Christianis aliorũ cogitatio. Præponi fides debet, qvia præcedit, qvia oportet primum credere accedentem ad regnum novi Testamenti. Jacit hæc fundamentum Ecclesiæ, qvod solus Christus est, dilectio subseqvens: hoc fundamento jacto, superstruit, & perficit, ac consummat, qvod initio illa cœpit, adeo non sola, ut si absit dilectio, frigeat, & veluti mortua videatur.

Qva fronte excludamus fidem, videlicet sine qva placere nemo Deo potest? tuemur modo dilectionẽ, bonorum operum matrẽ, sine quib. fides esse non vult, nec valet cassam nucem. Et confirmamus eadem contentione, eodemq; zelo, studio, ardore dilectionem, prædicari in Ecclesia oportere, qvo prædicam⁹ fidem, ne imprudentes destruamus, qvod construxerunt Apostoli, qvod Propheta, qvod Martyres, & ne populus in securitate & licentia torpescat perpetuo, erret in meridie, palpetqꝫ cæcorum instar, ignorans semper, qvod iter ingrediatur ad vitã. Si dogma istud extorsit cura inutiliũ vulgi operũ, cujusmodi proxima vidit ætas, videmus, id præposteri studii defervuisse jam adeo, ut posthac, si pugnare hoc ense non absistas, mortuũ jugulare videaris, præsertim apud Germanos, quibus propitio Christo recipere visum bona ex parte contigit. De suma vi fiduciæ, ac potentia maxima spei, alio loco è lingvarum fonte differitur. Qvæ posthæc liber copiosè enumerat de bonorũ operum ratione, nõ diffitemur Ecclesiastici, nisi qvod istæ inculcationes creberrimæ suspicionem humanæ cujusdam inventionis secum trahũt, utpote qvæ latuerit omnes homines usqve ad hodiernum tempus: ut decet, approbamus orationem hanc libri, nempe obediẽtiam erga legem Dei necessariam esse in reconciliatis, puta renatis, & Evangelio credentibus, & qvod existere fides non possit aut valeat, nisi in pœnitentib⁹ cũ nos nihil diversum sentiamus. Præterea, qvod ait, inter bona opera præcipuum est, summus cultus Dei fides ipsa, nec enim colitur aut invocatur Deus, si absit Dei cognitio, & nisi adsit fides, qva creditur esse Deus. Verba valde pia sunt, ubi inqvit: cum fide agnoscimus misericordiam Dei, confugimus ad Deum, diligimus, invocamus, speram⁹, expectamus auxilium, obedim⁹ in afflictionibus, qvia jam scimus nos esse filios Dei, & placere Deo nostrũ sacrificiũ, nostras afflictiones, &c. Adsentimus, necesse esse in Ecclesia, de interioribus operibus & fructibus spiritus doceri homines. Nam hæc opera, scil. interiora, discrimen faciunt inter pios & hypocritas. Externos cultus, externas ceremonias, & alia externa opera præstare etiam Hypocritæ possunt. At hi cultus (ipsi addunt tantum) sunt veræ Ecclesiæ, vera pœnitẽtia, timor, fides, invocatio, &c. Hi cultus præcipuè reqviruntur & laudantur in scripturis. Subjungemus plura libri verba: & hac fide, qvæ consolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum sanctum, qui datur, ut gubernet & adjuvet nos, ut peccato ac diabolo resistamus, & magis infirmitatem nostram agnoscamus, & in nobis crescat agnitio Dei timor, fides. Qvare debet in nobis obedientia erga Deum, & nova vita crescere, sicut Paulus docet, renovari nos debere ad agnitionem Dei, ut efficiatur in nobis nova lux, & imago ejus, qvi condidit nos. His addas licet, qvæ liber qvarto loco differit super magna infirmitate, & immunditia naturæ humanæ, qva fit, ut caro infirma legi Dei nõ satisfaciat: op⁹ igitur esse piis consolatione, ut sciant, qvomodo hæc exigua & imperfecta obedientia Deo placeat, &c.

Mox. Qvanqvam igitur hæc nova obedientia procul abest à perfectione legis, tamen est justitia, & meretur præmia ideo, qvia personæ reconciliatæ sunt. Rursus. Atqve ita de operib. judicandũ est, qvæ qvidẽ amplissimis laudib. ornanda sunt, qvod sint necessaria, qvod sint cultus Dei, & sacrificia spiritualia, & mereantur præmia. Item recte docent isti contra eos, qvi jubent dubitare, aut confidere propriis viribus. Posthæc pulchre dicunt: de hac obedientia etiam docemus, eos, qui admittunt peccata mortalia, non esse justos, qvia Deus reqvirit hanc obedientiam, ut resistamus vitiosis affectibus: qvi autem non repugnant, sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conscientiam, hi sunt injusti, & neqve S. sanctum, neqve fidem, id est, fiduciam misericordiæ retinent. Nam in his, qvi delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, ne potest qvidem fiducia existere, qvæ qværat remissionem peccatorum. Deinceps, qvæ qvinto loco refert liber, non reor à Christo esse aliena, sed multo magis digna, qvibus assentiamur. Sunt autem hæc: Necesse est qvoqve docere, qvomodo facere homines bona opera possint. Modo dictum est, qvomodo placeant Deo: hic addimus etiam, qvomodo fieri possint. Etsi enim homines suis viribus externa honesta opera utcunqve efficere possunt, & hanc disciplinam debent præstare: tamen homines sine fide sunt in potestate diaboli, qvi impellit eos ad manifestam turpitudinem, occupat animos eorum impiis & blasphemis opinionibus, id enim est regnũ & tyrannis diaboli. Adhæc natura per se infirma est, & non potest sine auxilio Dei se erigere, & spiritualia opera efficere.

Anno

pag. 366.

Ideo

Ideo docentur homines, in Evangelio promitti Spiritum sanctum, qvi animos corũ, qvi agunt pœnitentiam & Evangelio assentiuntur, adiuvet & gubernet. Qvare in omni vita in tanta infirmitate naturæ, inter has diaboli insidias, in omnibus periculis exercenda est fides in invocatione, ut perseverare in fide & obedientia erga Deum possimus. Itaq; Zacharias inqvit: Effundã super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum. Ideo enim vocat spiritum gratiæ, qvod Spiritus sanctus erigat & consoletur perterrefactas mentes, & testetur, nos habere Deum placatum. Et vocat Spiritum precum, ut fidem assidue in invocatione exerceamus, ut per hæc exercitia cõfirmetur fides, & crescat nova vita. Et veræ virtutes sine ulla dubitatione sunt dona Dei, fides, perspicacia judicii in discernendis dogmatibus: magnitudo animi, qvalem esse necesse est iu his, qvi Evangelium docent & cõfitentur, vera diligentia in regendis Ecclesiis vera humilitas, non frangi populari favore, aut odio, vera castitas, &c. Debet a. ad hæc dona accedere exercitatio nostra, qvæ & conservat ea, & meretur incrementum, juxta illud: Habenti dabitur. Et Augustinus præclarè dixit: Dilectio meretur incrementum dilectionis, cum videlicet exercetur. Habent a. bona opera præmia cum in hac vita, tum post hanc, in vita æterna. Qvia n. Ecclesia in hac vita subjecta est cruci, & morti corporali, differuntur præmia pleraq; ad futurã vitam, qvæ etiamsi per misericordiam certò propter Christum contingit his, qvi fiducia Christi justificati sunt, tamen tiam est compensatio bonorum operum, juxta illud: Merces vestra copiosa est in cœlis.

Rursum inqvit liber. Invocatio est honos, qvi tantum Deo omnipotenti præstandus est, videlicet patri æterno, & filio ejus, ac Servatori nostro Jesu Christo, & Spiritui sancto, ac proposuit nobis Deus filium suũ Jesum Christum, mediatorem & Pontificẽ interpellantem pro nobis: propter hunc solum testatur nostras preces audiri & accipi, juxta illud: Qvicqvid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Itẽ: Unus est mediator Dei & hominũ. Ergo invocantes Deum offerant suas preces per filium Dei, sicut in fine precum in Ecclesia dici solet: per Jesum Christum, &c. Hæc de Invocatione doceri necesse est, sicut aliàs copiosiꝰ de Invocatione nostri scripserunt.

Econtrà vero taxanda, & ex Ecclesia prorsus ejicienda est cõsvetudo invocandi sanctos homines, qvi ex hac vita decesserũt, qvia hic mos gloriam soli Deo debitam transfert ad homines tribuit mortuis ónipotentiam, qvod sancti aspiciant hominum corda, tribuit item mortuis officium mediatoris Christi, & haud dubie obscurat gloriam Christi. Ideò totum morem invocandi sanctos homines, qvi ex hac vita discesserunt, damnamus, & fugiendum esse censemus. Sed illud prodest, recitare veras historias piorum, qvia exempla utiliter docent, si rectè proponantur. Cum audimus, Davidi condonatum esse lapsum, confirmatur fides in nobis qvoq;, constantia Martyrum veterum nunc qvoqve confirmat animos piorum. Ad hanc utilitatem recitare historias utile est, sed tamen prudentiã in accommodandis exemplis opus est.

Missa.

Non erimus hoc loco valde oculati, cum id esse ad reprehensionẽ justam usq; possimus, ut prævaleat charitas judicio, & dissimulando lucrifaciamus os nostrum ac carnem nostram. Fatentur ultro, in missa, qvam ajunt se non abolevisse, latinis concionibus alicubi admisceri germanicas; qvas videlicet addiderint ad docendum populum, ut excitentur aliqvi ad verum timorem, fidem ac invocationem. Et è Paulo confirmant, uti oportere lingva populo intellecta, & hoc ipsum constitutum esse humano jure. Qvin & adsvefieri populum, ut unà utantur Sacramento, si qvi sunt idonei, & augeri per hoc reverentiam ac religionẽ publicarum ceremoniarũ: nec ullos admitti, nisi prius exploratos. Præterea admoneri homines de dignitate & usu Sacramẽti, qvantũ consolationis proponant his, qui agunt pœnitentiam, ut discant homines & timere Deum & credere, ac exerceant invocationem, sive precationem: petant, ac expectent bona à Deo; & reliqva ejusmodi Catholici improbare non poterunt, præsertim ubi liber de cantionibus germanicis admixtis commemorat.

Qvid? è re Christiana foret, si in tota Ecclesia, maxime posteaqvam huc deventum est, Cantiones qvasdam populo intellectas, ad usum pietatis permitterent præsules, id qvod attigimus suprà qvoqve. Non est novæ consvetudinis introductio, non hæresis, non scandalum, non flagitium, Christo filio Dei vivi carmen dicere & antelucanos hymnos, exemplo primorum Christianorũ apud Romanos, teste Plinio. Carmen enim dicere Christo qvid aliud est, nisi laudem Deo canere, juxta illud: Cecinit Moyses carmen hoc. Item cecinit Israel carmen hoc: & alibi, carmen Deo nostro. Istuc autem carmen canere, aut hymnum dicere, non tantum ad clerum coarctari decet, qvia in hoc, ut cantet, mercede conductus est, sed interest etiam omnium invocatorum in veritate, ut laudent ac glorificent Deum suum, nullo præmio proposito. An enim solùm cleri Deus est, & non etiam populi? Qvis fidelium obturabit, qvis claudet ora fidelium, ne erumpant in laudem Dei sui? Nulla lingvarum silescat, & vox omnis consonet, senum, juvenum, parvu-

parvulorum, matrum, virginum, puellarum chorus dulcissimis ac affectuosissimis perstrepat concentibus.

Scriptum est, laudate Dominum omnes populi, laudate pueri Dominum, laudate servi Dominum. Et Apostolus ad cantiones non carnales, ex ipso corde personandas admonet Ephesios, tam laicos qvàm clericos. Nec nos latere patitur Ecclesiastica historia, qva aviditate olim cecinerit populus Catholicus cantilenas peculiariter compositas, pro asserenda sanctissima Triade adversus hæreses. Hoc profectò erat, quod ille dicit: labijs exultationis laudabit os meum. Laudant Deum cœli cœlorum, & exultat terra. Omnis spiritus laudat Dominú, & benedicunt Domino omnes creaturæ, etiam inanimatæ: & per invidiam tuam, veterator, mutæ sint labia plebis Christianæ? Meminimus, qvomodo itum sit obviam à Domino Iesu scribis, cum indignatione vetantibus, ne pueri clamarent in templo: Hosianna filio David. Qvid ni? inqvit Dominus: nunqvamnè legistis: Ex ore infantium, &c. Verum nemo cordatorum vetat, ordo tantum servandus, ne confusæ multitudinis voces Ecclesiam perturbent. Nihil seditiosum, aut qvod sapiat Doricum qviddam, nihil schismaticum, nihil anile, aut ineptú, aut insipidú audiatur in Ecclesia Dei.

Vetus est, qvod populus in missa cecinit symbolum Apostolorum lingua sua: qvidni idem liceat nobis hodie? præsertim si non depravetur humanis additiunculis. Qvidni liceat plures Ecclesiæ cantilenas succinere, catholicè conversas in lingvam nostrã, aut corda plebis Christo devotæ magis ad religionem inflammarentur, & in adversis suis fide fiduciaqve consolidarentur, nedum consolarentur? maxime vero decora est & jucũda laudatio, si ante & post conciones orthodoxas cum effusa lætitia cecinerit. Hæc rite curabuntur. Superest, ut Clerus Psalmodiam suam observet accuratius: videas enim pudendam hujus ubiqve oscitantiam, & intelligentiam psalmorum nullam ubiqve deprehensam, ut taceam, non esse usqve adeo speciosam laudem in ore multorum, qvi etsi Deum confitentur, factis notoriis tamen negant, & conversatione inqvinatissima plebem scandalis immanibus qvotidie vulnerant. Nec commemorabo, qvod ubiqve cantent ex libris choralibus inemendatis, nec mentis librariorum tantum vitiatis, sed errore etiam multo scatentibus, præsertim si numerentur Missalia, Breviaria, Antiphonalia, Seqventionalia, Hymnaria, & id genus alia de Sanctis per annum, in qvibus interdum mutatur gloria immortalis Dei in personam mortalis hominis.

Unde criminantur Sacrilegi, qvasi uno soloqve vivo Deo non contenti, nobis ipsis Deos Deasq; fecerimus, & tales honoremus adorabundi, & deosculemur statuas, confugientes in necessitatibus sub tutum præsidium, &c. sub tuam protectioné, &c. ad te suspiramus: invocantes pro Domino dominam, juxta pseudopsalterium: injuria virgini matri facta, qvod excogitavit & evulgavit in Angeli figura ipse diabolus, altum dormientibus Episcopis, & negligentibus Prælatis. De hoc Ecclesiæ carcinomate pestifero aliàs. Neq; tamen super Sion tacebitur, donec sordibus ac excrementis delirorum qvorundam Monachorum, indoctissimorum & stolidissimorum homuncionum, tandem expurgetur.

Iam ut pergamus, verissimum est, semper fuisse qverimoniam de prophanatione Missæ: nec extitit, qvi attenderet aut exaudiret conqverentium gemitus. Qvæ culpa fuit, cur ultor Dominus immitteret cataclysmum hunc præsentem, & exuscitaret schismata alia super alia, per qvorum improbitaté è somno expergisceremur, ac oculos veternosos in negocium Christi aperiremus, & in medium consuleremus, & succurreremus rebus lapsis in tempore, priusqvàm corruat ædificium totum. Certe liber merito qveritur his ferme verbis: Non n. obscurum est, qvàm late pateat hic abusus in omnibus templis, à qvalibus celebrentur Missæ contra canonum interdictũ. Deinde qvàm turpiter ad sacrilegum qvæstum conferantur. Plurimi enim celebrant Missas & sine pœnitentia, & tantum ventris causa. Hæc notiora sunt, qvàm ut dissimulari possint. Nec videtur ulla res divina ab initiò mundi adeo vulgò ad quæstum collocata esse sicut Missa. Paulus Apostolus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractent sacramentum, cum ait: qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit sanguinis Domini: & in Decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus.

Ut igitur sæpe aliàs mundus dedit pœnas pro Idololatria: ita haud dubiè hæc ingens prophanatio Missarum atrocissimis pœnis punietur. Et fortassis propter eam causam præcipuè plectitur Ecclesia his nostris temporibus cæcitate, discordiis, bellis & aliis multis pestibus. Atqui hos manifestos abusus Episcopi hactenus, cum quidem non ignorarent, eos non solùm toleraverũt, sed suaviter etiam riserunt. Nunc serò incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cum alia nulla res præbuerit occasionem tumultibus horum temporum, nisi abusus ipsi, qui ita erant jam manifesti, ut tolerari moderatis hominibus diutius non possent. Utinam Episcopi pro suo officio ante hæc tempora coërcuissent avaritiam atq; impudentiam, seu Monachorum, seu aliorum, qui mutato veteris Ecclesiæ more, Missas ad quæstum contulerunt. Hæc illi.

Anno

Nihil

pag. 368. Nihil sanè nobis cum istis vocibus,& loquendi scholæ formulis,motus operis operati boni,vel malè utentis , applicationis, proprii meriti,& id genus nescio qualium rerum. Defendant,qui excogitârunt : excusent,qui ejusmodi mordicus tenent. Nos quib. Christianis cordi est,respicimus ad originē,ad archetypon, ad vetustas Ecclesiæ praxes,& eam consvetudinē Liturgiæ veteris amplectimur, priusquam invenirentur ista exotica. Nam largiri oportet te, Liturgiam,Sinaxin,Cœnam Domini,Missam,vel quocunq; vocabulo hanc sacrosanctam actionem digneris,in recto Ecclesiæ usu extitisse in orbe terrarum,longè etiam antequam oborta magis quàm esset adoleschia scholastica. Quod si recto veroq; usu ab initio extitit, & Christianitati universali placuit,atqve satisfecit ex doctrina primitiva, adeoq; comprobata consensu : quorsum opus erat tuis,excæcate Sorbonista,inventiunculis ac oppositiunculis,videlic. sicut necesse est,currum qvintam habere rotam, & hominem sex esse oportere sensibus ? Nisi quod ita visum fuit Theologiam veterem mutare nova,ac in Ecclesia patrum Apostolicorum peregrini nescio quid condere ? Porrò,unde accipiatur remissio peccatorum,suprà catholicè ostendimus: nimirum per unum CHRISTUM SERVATOREM, atqve fide in hunc certa, vim suam exerente, pœnitentia cum partibus suis & fructibus se dignis. Quæ via consequendi indulgentiam,ac recipiendi gratiam,irrefragabiliter bona est. Ea in sacro illo Ecclesiastico à Domino cum fletu vehementer peti semper potest. Verùm huc peragi sacrum,ut hac causa instituta sit, alii negant, alii in dubio relinqvunt. Illud extra controversiam liquet,hoc sacrum Eucharisticū olim in Ecclesia græcorum & latinorum,ad sublevamen eorum,qui in fide decesserant, peractum fuisse,etiam id,quod arbitror per preces vivorum,ac obsecrationes accidisse. Hujus rei descriptionem legas licet apud Dionysium Areopagitam, Tertullianum, Athanasium, Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum,Nazianzenum , Ambrosium, Damascenum, & in hoc citatum Nyssenum ac Basilium & alios : si quis horum singulorum reqvirat testimonia,etiam græcorū è græca veritate in medium proferentur , ut id,qvod res est,cœco etiā appareat. De sacrificio paulo post dicemus nulli Christiano non ferenda. Dicit liber: absurdum est, qvod Missa confertur ad liberandas animas mortuorū, cū instituta sit ad recordationē mortis Dominicæ, ut utentes Sacramento seu Cœna Domini , recordatione beneficii Christi erectam exerceant ac cōfirment fidem. Qvod cum docet liber , non est,cur qvis eat inficias,siqvidem hactenus pro sinceriore Sacramenti usu adversus abusum pugnat , de abusu alieni operis in Missa, & qvod per istud alienum opus impetretur remissio pœnæ & culpæ,&c. Dicat colorem non Qvintilianus,sed Christi instituto ris verbo sancto non contentus Pseudochristianus. Christi autem institutoris verbum est : Hoc qvoties cunqve feceritis , in mei memoriam facietis.

Proinde tota ista refutatio libri nihil pertinet ad Ecclesiasticos,sed ad Scholasticos tantum,nec ad palæotericos nos , sed Neotericos. Quare satis habemus hæc legisse , ac apud animos nostros revolvisse, desiderantes,in eo jam esse statu Ecclesiam Rom. & hanc ita valere,ut talibus Physicis & Chirurgis non haberet opus. Protestantes qvi dicti fuerant , precationem non ferūt,sive illa in Liturgia publica fiat,sive extra Liturgiā. Oramus a. ut aliis qui precari volunt, pro sua pietate id sua liceat pietate.

Verum qvi pacificationem Ecclesiæ Catholicæ legitimā tanto tēpore indesinenter qværimus,tantoq; studio concordiæ inter tam immaniter dissidentes sarciendæ invigilamus, ut veritati forti præpotentiqve, per qvoscunq; tandē ea patefacta fuerit , ultro cessuri, haudqvaqvā erroris argui debemus, longe minus convinci possumus : siqvidē nostra referre minime arbitramur, qvid novi vel Thomas,vel Albertus,vel Scotus,vel alius qvispiam recentiorū doctorū Ecclesiæ jam occiduæ per inane & plus qvàm sterile acumen suū,aut annos 300.aut 400. invenerit, cum in aliis doctrinæ partibus , tum in hoc Missæ negotio. Nec præstare qvimus,qvod illiusmodi cogitationes,veluti dogmata definita,Roma recentior receperit: & qvib. adducti rationib. superiores nostri novitatem ista seqvi maluerint , qvàm in eo perstare, qvod ab antiqvo ad istud suum seculū promanarat,tanqvam ad Christianæ professionis hæredes. Eqvidem à primis Apostolicorum virorum annis traditum accepimus,in cœna illa Dominica certo subesse aliqvod offerendi genus,atq; talem Apostolicos homines nō opinionem humanam,sed sententiam Christianam è lege ac Prophetis hausisse primum,& deinceps docendo atq; tractando in usum simplicissime produxisse, & pie ac reverenter continuasse in Ecclesiis omnibus,plurimo populorum credentium fructu. Rem vero ita habere sese , si qvis postulet,documenta veritatis proferre poterimus,vel ipso sole lucidiora. Qvo factū, ut orthodoxis plane persvasum sit,non cœnam tantum,verum una cum cœna oblationem in Ecclesia à principio inde ad nos usq; extitisse. Hinc profluxit sacrificii vocabulum, pio tamen non minus sensu qvàm usu: cui si qvid impietatis procedente tempore per versutiam callidi serpentis , ac ministerium mente corruptorum qvorundam hominum accessit,nos culpari non meremur. Si qvid inest impium,si iniqvum , si falsum, qvod tum posteritas temeraria invexit, judicamus.

dicamus, resecandum & abjiciendum, non ferendum esse.

Ab his ergo fontibus derivata fuit tam doctrina qvàm tractatio reverendæ hujus oblationis, in eos, qvos solenni titulo sanctorum patrum consvevimus dignari: inter qvos sunt Episcopi primitivæ Ecclesiæ summa authoritate, qvi cruentati qvoq; testes Evangelicæ doctrinæ ceu luminaria cœli, fidem Christianam recipienti orbi terrarū tota vita fortissimaq; morte præluxerunt, à qvorum spiritu, fervida sanaq; prædicatione, publica in Ecclesiis actione, atq; unanimi consensu, si discedere gravamur orthodoxi, nemo precor, iniqve ferat. Sacrificio huic eatenus consentimus, qvatenus assentit totus Apostolicorum patrum vetustissimorum, ac illustrium probatissimorumqve scriptorum sancta communio, & tantum illi deferimus, qvantum Ecclesia per orbem terrarum diffusa, maximè primis seculis defert: neq; enim commentis & additamētis otiosorum hominū obstringimur. Hinc autem nobis præsto sunt Liturgiæ, seu ministeriales in publico sacræqve actiones Græcorum, qvæ simul cœnam præ se ferūt, & oblationem, & oblatorum distributionē, & participationem, & communicationem, & ipsum esum potumqve addimus gratiarum cantionem & qvævis. Cœna
1369. est Christianis exhibita: hac Christiani vescantur, hanc sumant, nulli denegamus, nullum, si sit exploratus, inde prohibemus.

At credere nobiscum oblationem Liturgicam renuis, praxin Ecclesiæ Apostolicæ usq; adeo vetustam, tanto assensu roboratam & tot autoritatum modis, recipere detrectas, tantam sanctorum hominū, cognitione fideq; Christi unigeniti Dei præditā, panegyrin sociam habere recusas, fraternitatem deseris, cōmunionem fastidis. Loqvor hæc invitus. Sic me amet Christ⁹ ipse, cujus gloriā toto zelo qvæsitam volumus. Age, tuo sensu fruere, patere solum & fave, ut hoc ipsum, qvod ipse rejicis, consectentur alii. Vicissim illi animo securo sinent, ut libere dicas faciasqve, qvod tibi svadet Apollo tuus. Nam disputationē intermittimus, cui nulla salus, qvam tamen non subterfugimus. Pacē te poscim⁹ omnes Catholici, abjecta simultate tandem concedamus in unum, futuri corpus denuo, qvod eram⁹, nondum obordo schismate. Adhortamur ideo & admonemus atq; obsecramus per misericordiam Dei, per viscera miserationum ejus, per amorē ejus erga humanum genus, perq, redemnionē nostri, ut abnegato schismate una redeamus ad petram, unde excisi sumus, & ad matrem, qvæ regenuit nos, credendo, docendo, confitendo, serviendo, faciēdo, juxta exemplar in monte veteris Ecclesiæ præostensum. Posthæc, ô fratres charissimi, vox ista nusqvā audiatur: Ego sum Pauli, Ego vero Apollo, Ego vero Cephæ, vel ut hodie auditur: Ego sum Papæ, Ego Lutheri, Ego Cinglii, Ego Rinchii, Ego Calvini. Num divisus est Christus? num Papa crucifixus est pro nobis? Num in nomine Lutheri aut Cinglii, aut Rinchii, aut Calvini baptizati sumus? Heu summum Christiani nominis dedecus. Suboritur jam nova pestis, qva non est alia nocentior hæresis, de dubitato Messia, deq; ter beatissime Triados infirmanda fide, & nescio qvæ portenta, qvos furores, qvos horrores infandos alios qvidam Iudaizantes & Ariomanitæ (ut Athanasii verbo utar) proseminare cœperint, ut Christianismum labefactatum transferant in aliud, Evangelium, quod non est aliud, nisi qvod qvidam sunt, qvi turbant illum, nolentes inverter Evangeliū Christi. Ea ira, eo judicio punit Deus, ulciscens publicum hoc dissidium nostrum, & qvotidie multiplicat sectas perditionis, secta sectam plectens, dogma falsum falsiore, ut finis dolorum nunqvam sit. Nullum igitur consilium salubrius, nisi ut præsentia præteritis emendemus in Ecclesia, & antiqvitas dispellat novitatem. Qvod in Domino facientes, subito transformabitur schismatica in Catholicam Ecclesiam, sublatis opinionibus ab Evangelio diversis, ac additionibus alienis atq; supervacaneis: cujusmodi ignoravit initio mater Ecclesia: præsertim si studium curamq; omnem conferamus in restituenda Liturgia. Qvod profecto in dissensione hodierna potissimū est, Videmus, qvot in formas ea cœna, si ad contextū Evangelistarum tantū vertas oculos, dissecta atq; dilacerata sit, dum qvælibet formula inventori & institutori suo, Archetypo Evangelii prior esse videatur, & perinde qvasi Evangelicotata sit, populis incautis obtrudatur. Hanc nefariam dissensionē atq; dissimilitudinē vitare facile qveamus, si veteris Ecclesiæ Catholicæ praxes, ac consensione omnium gentium probatos ritus contēplabimur, & ad primā sacrosanctæ cœnæ institutionē adhibebimus: id qvod evidentissimum est fecisse Apostolicos, Clementem, Justinū, Dionysium, imo Apostolum ipsum Iacobū, qvi profecto institutionē Salvatoris secundum Evangelistas cognoverūt, ac intellexerunt multò melius qvam nos, & S. sancto imbuti, virtute ex alto induti, eam vere sacram actionē observârunt, qvemadmodum monumēta prisca testificantur. Atq; hos progressu temporis secuti Basilius Magnus, unà cum Joanne Chrysostomo, aliisq; ducib⁹ in Ecclesia græca. Si, inqvam, Ecclesiam parentem, Evangelio recens cōcepto fœtam adhuc, & verbo Domini perfusam, ac illustratam ad summum, cōsuluerimus, qvæ est sapientia sanctorum, & iisdem incesserimus vestigiis, qvæ initio calcârunt fidei Christianæ principes viri; institutio Salvatoris per hos (crede mihi) non destructa aut abolita, sed constabilita & au-

Anno

& authorata magis magisq; eſt, etiamſi horum conſilio ac ſpirituali ſcientia nonnihil acceſſerit non min⁹ Apoſtolicū, qvàm qvod litera Evangelicæ hiſtoriæ per ſe fert, & adeò nativum, ut abjici haud qvaqvam fas ſit. Qvid n. nō qvadrat ad inſtitutionē, & reliqvā doctrinam Salvatoris noſtri? An illi vocib Evangeliſtarū reclamârunt? an illi mentē Apoſtolorū nō habuerunt, qvi habuerunt eundem Spiritum ſanctum? Verū ſatis hæc corrigi volentibus nec ſe ſupra Magiſtros ſuos extollentib⁹ diſcipulis, qvi forſan, ſibi Liturgiam celebrē illam græcorum non diſplicere fatebuntur: ac miſſam Latinorum ſe neq; probare, neqve admittere poſſe ullo modo, cum hæc ab illa re ipſa non diſſideat, ſed verbis duntaxat nonnullis, ut hæc ex illa prognata ſit, ſi propius intueare, ſingula cum ſingulis conferens. Extant hujus haud ineptæ defenſiones, qvas ubi recto judicio, ac erga priſcam fidem veritatemqve, & cōcordiæ in Eccleſiā revocandæ gratia, propenſo animo lectitaveris, dubium non eſt, qvin probes, qvod jam improbas nullo judicio, plurimo animi aſpectu. Ambroſiana ſunt, inqvies, & Gregoriana. Verū ad primos fontes compoſita, ut reſpondeant Græcorū Archetypis: certe ab his non diſſonant, niſi cauſeris ſacrificandi toties iteratū verbum, qvod idem continent Græcorū archiva. Qvæ jure reprehendas in Latinorum Liturgia, perexiguum fuerit, ſed qvæ in hujus abuſu teterrimo accuſes, plura, qvàm vellemus, erunt obvia. Unicū ſacrū in loco celebri huicq; rei ſacro, reverēter nec indigne peragi, haud iniqve judicas, ubi freqvens ſit populus ad orādū, confitendū, gratias agendum, recolendum, & cōparticipādum: profecto, qvi veram antiqvitatē ſapiunt, nō longe ab hac ſunt ſententia, modo ſervetur priſtina Liturgiæ forma, reſtituta magis qvā reformata. Abominatis additamenta nova Miſſarum peculiariū, ſive privatarū per Mendicantium qvorundā multiplicationē introductarū: nos eqvidem cōſiderantes, qvo initio iſtæ, & qvib⁹ autoribus & qvib⁹ nitantur nervis, ſcil. non admodum refragabimur, ſi cōſopiantur cū autoritate, nō tumultu, qvò in majori pretio apud infideles omnes ſit publica hujus ſacri actio nō vendita, ſed gratis parata atq; exhibita nulli non, qvi eſurit ſititq; juſticiam. Particulares Miſſulæ nō congruunt cum inſtitutione Cœnæ, nec cū traditione Paulina, nec merētur Liturgiæ nomē, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Eccleſia teſtimonium, aut
pag. 370. exemplum, nec ſanct. patrum (de antiqvis loqvor) conſenſionem firmam, nec beatorum Martyrum, aut Omologetarum adſtipulationem, nec deniq: Oecumenicorum conciliorum veterum approbationem ullā: ſed nuperis ſeculis adinvenit has vana hominū ſuperſtitio, & hypocriſis, ignorātia & philargyria. Divites hujus mundi ſimplices, imò ſtolidi Midæ, ab habendi cupidis perſvaſi, has ſibi proprias fecerunt alias numerata pecunia, alius agris pratisq;, alius vineis, alius aliis emolumentis emerunt, ad redemtionem animarum peculiariter ſuarum: & qvo negotiatio iſta foret certior, mēbranis ſanxerunt indeletis, ut repeterentur iſtæ, vel omni die, vel omni menſe, vel omni anno. Onerati ligatiqve peccatis, ſic ſe ſolvi, & ſic ſe pœnas (qvas dicunt) purgatorias effugere poſſe, putant, perinde ac ſi in hūc finē pararetur in publico cœtu cœna Dominica. Atq; has emtiones vocant ſolenniter fundationes, aut ſupremas moriētium voluntates, qvæ fons & origo ſunt tot altarium per templa penè omnia, tot ſacerdotum, tot meretricum, aut totius hujus gravaminis, de qvo conqveritur adhuc & ingemiſcit totus terrarum orbis. Sed nolim altius in hanc publicam qverimoniā deſcendere, lernam malorū hinc provenientiū oportebat emendari potius, qvàm deplorari; ſi ſummus Rom. Pont. Chriſti Petriq; veſtigia inſeqvi mallet, qvàm uſurpare plauſibilia horum nomina, & Epiſcopis tam cordi eſſet Eccleſia, qvàm eſt aula. Invitant illi Canonicos ſuos ad capeſſendum ſacerdotium, non ſacerdotes ipſi, & ſacrificos adigunt ad Miſſas legendas, qvas Miſſas nullas faciunt ipſi, plus æqvo abhorrentes ab hac ſarcina, qvam tamen aliorum imponunt humeris adeo, ut multi Prælati ſibi honori ducant, præſertim apud audientes Proteſtantes, qvod neq; Sacerdotes ſint, neq; ſacrificent: fine tamen vitæ accelerante, conduunt teſtamento ſibi ſacerdotales & venales miſſulas expiatorias, qvæ tanto plus valent, qvanto pluris conſtant, & qvò locupletius proviſum eſt Miſſatori, Præſules certe horum plures magis ſunt ſoliciti, ut multos, qvàm electos ſacerdotes habeant, & meliores Cantores qvàm Concionatores, freqventiores item miſſatores qvàm doctores.

Retuli ſuperius de conſvetudine veterū, qva olim in Liturgia exercuerint precationem pro defunctis Chriſtianis: verum illa conſvetudo ad hodiernas mercenarias culinarias, atq; dedecoroſas nundinationes nullo modo pertinet. Permultum refert, ut una Liturgia ritè celebretur idonei ſacerdotis, atq; bene inſtructi miniſtri, reverēter aſſiſtentibus Diacono & hypodiacono, circumſtante plebe ſacræ rei cupida, ut ad altare recitentur omnia diſtinctè, ac intelligibiliter, & peragatur religioſè tota ceremonia, & cantetur mente, nedū vocē, ut juxta ordinem & decorum fiant ſingula. Hoc unicum ſacrum ſufficit ex æqvo cunctis, ad meditandum, orandum, gratias agendum ſedulò. Et hic exeqvatur plebs promiſcua nihil nō, cujus gratia cœna parata, & Euchariſtica oblatio præſtò eſt, ſive fiat collaudādo pſalmorum verbis, ſive cōfitendo, ſive

sive recordando, sive semel ad fidem, ad dilectionem, unitatem, Evangelio dignam conversationem excitando, sive quod appositum est, cum Presbytero simul sumendo. Hîc veneremur mysteria cernui, hîc exosculemur sancta munera, hîc attollamus corda in Christum, & à Christo consolationem conscientiæ accipiamus, unà cum Liturgo sacerdote precantes pariter ac vescentes. Jam hac Liturgia vero ritu, ac in propatulo instructa, atq; adornata singulis fidelibus Deoq; devotis, ubi præsente agenteq; principali liberaliq; spiritu. ubi adest ardor animorum, ubi sacramentum cum efficatia conficitur, ac consecratur; quorsum opus est aliò cursitare, & in angulis quærere, quod hic affatim habes commune? An Ecclesiam Dei contemnis, & sacrum Ecclesiæ commune, tuis præparatum usibus impiè fastidis? Tibi vis missam seorsim, & tibi tantum proficuam (ut isti loquuntur) non eam, quam tecum communem habet tota Christiana fraternitas? Placet sacrificulus conducticius. qui reclamante institutione, vix cuidam audita vel intellecta, demurmurat, & duplicet totius Ecclesiæ Liturgus Presbyter, in hoc accedens ad commune ministerium, ut prosit omnibus, studioq; habens, ut non indignus ministerio mysterioq; tanto coram appareat. Atq; ad eam publicam sanctamq; actionem quadrant Evangelistarum voces: Cœnantib. illis, &c. Et Apostoli: convenientib. vobis in unum locum, non ad fundatorias in obscuro Missas, sine testib. contra rectum Ecclesiæ usum observatas, ac sine circumstantib. quos salutet voce ista solenni Dominus vobiscum, &c. ad quas utcumq; itur locis quidem manib. ac incircumciso corde, & inquinato sæpe corpore, ac polluto ore, sine bono affectu sæpe inventu, & domesticis curis occupati, spe lucri pellecti tamen, qui scopus est operis hujus operati. Quæ verò ibi vel imaguncula sanctionis Dominicæ atq; traditionis Apostolicæ? Cur ergo ad hæc ubiq; anhelatur murmura, fastidito vero sacro? Ubi periculum, ne numen ad iram magis provocetur, quàm ad indulgentiam flectatur: sed satis de abusu Missæ particularis. Qua ratione voluimus inveterato Ecclesiæ Rom. morbo mederi, non observire quorundam affectib. Testem Deum in animam meam invoco. Cæterùm libro consentimus de restitutione calicis non in hoc attendentes, quid liber hic in medium allatus, idq; discutiendum propositus, sed quid Ecclesia sancta, Apostolica & Catholica ex Evangelio Christi sui, quod cùm doceat tum faciat, primitus hauserit. Hæc verò nisi idem constitueret, & cum doctrina exemploq; Salvatoris nostri consentiret, librum indignum judicaremus, cui præberemus consensum ullum. Itaq; non libro, sed veritati divinæ creditur, quam ostendit liber ea quidem parte. Est in confesso, sumtionem sanctam de altari Ecclesiastico æquè omnib. Christianis communem extitisse, ad salutem, per omnia novi Testamenti tempora: obliteratam quidem paulisper apud nos occidentales, & ab usu promiscuo remotam suas ob causas, at non delatam omninò, atq; extinctam. Ejus rei cùm nube quadam certissimorum testium septi simus: plerophoriam amplectimur omni excluso dubio: alteram quidem in hoc Sacramento speciem, cui assuevimus Latini, non impugnantes, nec ullis modis condemnantes, aut improbè irridentes, sed æqui boniq; consulentes, & quidem ita tulerunt tempora novissima partem in meliorem interpretantes, proq; aliorum infirmitate, ignorantia, ac meticulositate aliqua sufferentes. Multa etenim sunt, cujusmodi in reformatis etiam Ecclesiis, ac utcunq; restitutis toleremus: necesse erit, ut sciamus ad perfectionem viam esse difficillimam. Præterea si consideremus, olim altera etiam specie fuisse cibatos homines, haud dubiè de Christi Evangelio ac Sacramento rectissimè sentientes, cùm interim ardor Apostolicus utriusq; speciei in publica Ecclesiæ administratione retineretur. pag. 371 Putamus non sine fidei periculo fieri posse, ut alteram tantùm acceperint aut ægroti, aut ignoti, & peregrè venientes, tempore videlicet, quo Liturgia non peragitur: nec obsistimus, si postulet necessitas in exteriorib. aliquid extraordinarium, modo fides pietasq; & cognitio rei Christianæ sit undiq; integra. Plurimum interest, quo pacto apud animum tuum utaris Eucharistia, seu Sacramento, & quantum vel edas, vel bibas de Sacramento. Equidem interiora exterioribus semper anteferuntur in negotio Christianæ religionis Deus Spiritus est, & caro non prodest quicquam, amat adorari in spiritu, ac veritate. Adhæc Paulus Deum spiritu colit. Certa hæc quidem semper sunt, idq; in sincero sensu. Verùm ita præferri interiora velimus ne contumaciter, si obtingere tibi queant, negligas exteriora, & tumore spiritus efferatis, usq; ad latriæ Ecclesiasticæ contẽtum. Ad ultimũ, ut constantiæ cruentæ damnatrici [patrocinanti Cynico] pluribus respondeam, non inficiamur fractionem panis in viculo Emaus & in urbe Jerusalem, sed explicari hoc ipsum desideramus, ne simul peccemus & in ordinem Evangelicæ sanctionis, & in morem Apostolicum. Perpendendum igitur apprimè est, num hæc fractio, scripturæ familiaris, semper ita importet cibum, ut excludat potum. Nos enim verò haudquaquam refragamur idiomati Ebræo, quo intelligitur, frangere panẽ idem esse, quod latinè dicimus, aut jentaculum sumere, aut toto vesci convivio, etiam qualicunq;: ubi ut nec cibus deest, ita nec ad vitæ sustentationem potus. Unde videtur, frivola esse tergiversatio, per hujusmodi subterfugia manifesta veritati elabi velle. Verborũ superficies ac propria ad causam

aliquam inclinatio: postea favor hominum plurimis doctoribus, qui volunt esse aliquid. ConfessionemSacerdotalem suprà, opinor, tractavimus. In ea moderationem aliquam Catholici quoq; postulant. Vt ea non sit amplius, Fana icorum est sumniare; verum ut existat in Ecclesia nullis contaminata næniis, nec inanib. oppressa Sophistarum commentis, expetunt Orthodoxi. Si hæc extitit Origenis, aut Esychii & Augustini temporib. profectò talis non extitit, qualem hodie deprehendimus usque adeò onerosam, ut non confessio, sed laqueus videri possit: laqueum dico, quem, donec rumpatur, tendunt Romæi socii, seu Theatirii Affirmamus Ecclesiastici, publicam privatamq; confessionem, publicam solutionem pariter & ligationem a principio in Ecclesia Catholica, fuisse unanimiter observatam nec nos ad defectionem hujus cogdebere. Quib. temporibus concio cathedralis acerba fuit voluntariè peccantibus: nec parcebat viga & vinculum ecclesiasticum, quæ sunt excommunicatio, præsertim flagitiosis, ut est discrimen, Ecclesiæ judicio, inter homines peccatores & flagitiosos seu criminosos. Hi coerceri non poterant nisi per illud vinculum, & terrorem Sathanæ effrenibus incussum: citra cujus modi præsentem licentiam publicorum morum cohiberi non posse comperimus. Tuemur] confessionem peccatorũ simplicem qualis erat veterum, tuemur contritionem cordis, quæ acerbissimus dolor ac mœror est eorum, qui sua commissa verè agnoscunt, deflentq; Tuemur deniq; satisfactionem, quatenus hæc antiquis Ecclesiæ magistris nota atq; probata est, non ut derogemus Servatoris nostri Jesu Christi summis meritis procul absit suspicio: sed ut hæc merita unicè surrogemus. Credimus in eum, qui pro peccatis nostris semel satisfecit, cujus redemtioni gratuitæ nec tantillum addere poterimus. Est tantùm aliquid, quò debemus placare nostris sceleribus offensam fraternitatem. Injunctas pœnitentias, quas vocant, jam non disputo sed magis sobriam esse Confessionariorum mentem cupio. Ita enim imponunt sæpenumero onera, quasi peccata nulla coram Deo remittantur, nisi placitis suis pateas. Inde sunt Iberorum, flagellationes, Germanorũ peregrinationes. Templorum constructiones. Monasteriorum ditationes, Missarum fundationes, Morientium testamentationes & ejus generis graviora satisfactoria, ad quæ si conferantur Precatia, Jejunium ac Eleemosyna, in nullo numero sunt: cujusmodi tamen opera bona veri Christiani sua sponte faciunt, tam ante, quàm post confessionem peccatorum suorum, ut sese Christo Servatori, qui peccata remittit, gratos & obsequiosos exhibeat. Remittit autẽ primũ pœnitentibus, deinde credentibus, postremò ad meliorem frugem conversis Summa: Satisfactionem Ecclesiasticam intellige fructus pœnitentiæ hos exerce, & satisfeceris; Cæterum, subjungemus pauca quædam ex libro, quæ non facilè possis improbare. Cum autem, inquit, Confessio præbere locum impertiendæ absolutioni privatim, & ritus ipse intellectum potestatis clavium, & remissionis peccatorum conservet in populo præterea cùm illud colloquium magnopere prosit ad monendos, & erudiendos homines diligenter, retinemus in Ecclesiis confessionem: sed ita, ut doceamus, enumerationem delictorum non esse necessariam jure divino, nec onerandas esse conscientias illa enumeratione: nullum enim extat in scripturis Apostolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impossibilis est, juxta illud psalmi: Delicta quis intelligit? Item Jeremias ait: Parvum est cor hominis, & inscrutabile: Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam possent acquiescere conscientiæ, quia plurima peccata neq; vident, neq; meminisse possunt. Qua ex re facilè intelligi potest, ministerium absolutionis & remissionem non pendere ex conditione enumerationis. Testantur & veteres Scriptores, non esse necessariam enumerationem Chrysostomus enim in Epistola ad Ebræos inquit: Persvadeamus nobis, peccasse nos, nec id lingua tantum pronunciet, sed etiam intima conscientia: nec tantum dicamus, nos esse peccatores, sed etiam peccata specialiter computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neq; te ut apud alios accuses, sed etiam obedire volo Prophetæ: Revela Domino viam tuam coram Deo peccara tua confitere: apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera, te misericordiam posse consequi. Hæc Chrysostomi concio non solum docet: quid de enumeratione sentiendum sit, sed etiam gravissime conjungit contritionem, & fidem, sicut nos conjungimus. Jubet primùm, ut peccata verè agnoscamus, & ex animo testemur: deinde docet, addendam esse orationem ac fidem, quæ statuat, nobis ignosci

Post pauca liber idem. Sed veteres illi mores tempore consenuerunt & antiquati sunt. Nos igitur non oneramus conscientias satisfactionibus: sed illud docemus: fructus pœnitentiæ necessarios esse, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, castitatem, & universam novitatem spiritus debere in nobis crescere. Monemus & illud: sæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, ut David, Manasses, & alii multi puniti sunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, & universa pœniten-

nitentia, sicut docet Paulus: Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur a Domino. Et pœnitentiâ meruit, ut Deus sententiam de delenda Ninive mutaret. Atque hæc quidem hactenus. Jam de constitutionibus humanis scrupulosa incidit disputatio, dum aliud aliis videtur. De his primùm in genere dicemus, deinceps ad speciem exspatiabimur, quo ordine Liber hic procedit.

Initio certum & persuasum nobis Catholici habemus. Dominum apud Evangelistas constituta Judaica reprehendisse, quæ nimirum Scribæ, Pharisæi ac seniores populi tenebant plus quàm mordicus, quæve propemodum præferebant constitutis divinis, & justitiam suam, sanctimoniam suam, adeoque latriam Synagogæ omnem in hisce collocabant. nec posse se salvari citra horum observationem arbitrabantur. Vnde sæpissime, historia Evangelii teste, moverunt tragœdiam Domino: ut jam ita loqui liceat de constitutionibus suis violatis, credentes, necesse extremum esse, si quis hasce deuteroses transgrediatur, parati statim ad vindictam, quæ erat, transgressorem facere Aposynagogum, nullo perciti zelo, si quis in legem peccârat. Quia verò hæ constitutiones non Dei, sed hominum erant, rectè adduxit Esaiæ testimonium contra has, & appellat mandata, præcepta, & doctrinas hominum, quæ tanto minus erant ferendæ, quòd per nimium rigidam, ac plus quàm exactam observationem Lex Dei apud Judæos irrita facta fuit, & omni authoritate privata. Præterea. Dominus tam acriter in entalmata seu mandata ista hominum invehitur, nolens ferre horum neque didascalias, seu doctrinas, neque entalmata; sic enim loquuntur Evangelistæ.

Dicit (nec hic textus Evangelicus ab Ebraico diversus est vel in uno apice.) item Matthæus græcè, paradosin Presbyterorum ac Seniorum esse, illotis edere manibus, quam vocem vertunt latinè Traditionem. Verùm longè diversa est paradosis Synagogæ & paradosis Ecclesiæ. Hæc enim & suas habet paradoses, maximè quas ei tradidit Apostolus Paulus 1. Corinth. 11. 2. Thessal. 2. de quibus paulò post. Atque ita ostendimus, Christum Dominum peculiariter & propriè Pharisæos Judæorum arguisse propter nimium exactam ac accuratam observationem constitutionum suarum, quæ tamen homines suo libitu, extra scripturæ canonem, tenendas esse statuerunt. Eodem spiritu taxarunt easdem Apostoli, videlicet Paulus Galat. 1. cap. ubi has epitheto perbello insignit, vocans patricas paradoses. Verùm ad Coloss. 2. appellat simpliciter paradoses hominum, Evangelistarum more: & petrus vocat uno verbo πατροπαραδότων, nimirum quod Paulus expresserat τῶν πατρικῶν παραδόσεων, ut intelligas, quo in precio exstiterint Judaicæ istæ constitutiones, tam apud Christum Dominum, quàm apud servos Apostolos. Quaobrem si constaret, Ecclesiam pari studio suas urgere constitutiones, nihil forsitan potiores, & in eo haud dissimiles constitutionibus Synagogæ, quòd fideles ab observanda lege Domini impedirent ac remorarentur, & statutorum illorum humanorum occasione redderetur lex divina irrita & penè abrogata, cassata atque rescissa: (nam quid græca vox Evangelistarum ἀκυροῦν sonet, nō est obscurum Theologis) ad eundem certè impingerent lapidem, synagogæ facta similis.

Verùm Ecclesiam Christi libenter excusaverimus, nec siverimus, talem illi inuri notam, ut ipsa credatur fecisse, quòd per homines præposterè Christianos factum esse novimus. Neque enim à Christo suo dissentit Ecclesia, neque ab Apostolis, quorum opera primùm in orbe terrarum constituta est, discrepat. Synagogam quodam modo vertamus cōstitutionum humanarum causa. Quin potiùs rectores hujus sumta fiducia coarguamus, qui imprudenter, non dicam impiè, vel invexerunt ipsi statuta illa perniciosa: vel passi sunt, ut aliunde irreperent. Equidem negari non potest, Evangelium cum Scribis Pharisæisq; propter suas deuteroses vehementer digladiari κατ' ἰδίαν. Sed si idem exemplum Scribæ, Pharisæi, & Seniores populi Christiani pari passu sequãtur, nullatenus reclamarim, quin eodem sint feriendi gladio spiritus, qui est verbum Dei, & increpandi, sicut Judæorum Rabbini, ut & nostri audiant hypocritæ: Rectè de vobis prædixit Esaias, Matth. 15. Cur enim non torqueatur hoc quoque telum in eos, qui cum nominentur Christiani, Judæis sunt affines magis quàm Christianis. Similis culpa similem requirit pœnam. qualis reperitur, talis judicatur.

Judicatus est Scriba cum Pharisæo in Synagoga, tanquam humanorum constitutionum asservator acerrimus, etiam usque ad legis divinæ injuriam, fraudem & derogationem, & pari judicio non pereat, qui se fidelium Christi ducem ostentat, ac facit paratque simile, & adeò simile, ut planè unum, idemque esse videatur. Nonne Dominus juxta Evangelii historiam, olim ad suos in consummatione seculi reversus, talem servum dissecabit, partemque ejus ponet cum Hypocritis ac Pharisæis, imò etiam μετὰ τῶν ἀπίστων, quemadmodum Lucas habet. Cum Hypocritis Judaicis pars hujus ponetur, qui hypocritas cæcos imitari maluit, quàm Apostolos, quos Ecclesia videntes suos quondam habuit.

An scelus vulgare judicas, præceptum Dei propter præceptum hominum rescindere, & propter opiniones & doctrinas hominum verbum Dei pessundare?

Horrendum lectu est, quòd non sine indignatione fremuit Dominus ἀκυρῶντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, quemadmodum descripsit Marcus. Cacodæmonis ex professo est, non hominis, hoc facere: ut appareat, non esse humanum, sed diabolicum, illud etiam velle conari, ne verbum Dei vivi regnet ac floreat in Ecclesia, sed obruatur verbo alieno, & præcepto Dei vivi aut equiparetur aut anteferatur præceptum hominum, seu illi sint de Synagoga, seu de Ecclesia. Sermo Dei in scripturis Canonicis descriptus ut minimè abhorret à sermone pii viri, sermoni Dei per omnia congruente, & idem per omnia sentiente, ita Lex non dico abhorret in Ecclesia à lege hominis planè Theophori, ut cum D. Ignatio loquar, sed amat etiam explicari pleniùs & illustrari per legem verè religiosi hominis, qui nimirum sibi præfixit scopum unicum, ut minimè omnium aberret à lege Dei sui.

Quod si sunt constitutiones præceptaque hominum Ecclesiasticorum ejusmodi, ut nihil ab institutionibus ac mandatis Dei differant, sed idem præ se ferant in universum, adque finem salutis eundem tendant constitutiones Dei potiùs sunt, quàm hominis. Igitur inprimis attendendum est, ut examinatis atque probè excussis constitutionibus, quæ quacunque occasione prætextuque penetrârunt in Ecclesiam, si quæ inventæ fuerint ad verbum legumque Dei quadrare nulla non ex parte, eæ constanter in usu perpetuò retineantur: sin minùs, vel castigentur, vel moderentur, vel relaxentur, vel in universum abrogentur, si censuram respuunt. Ecclesia citra constitutiones atq; veluti frenationes seu repagula, gubernari non potest.

Non imus inficias, & major pars rerum, quæ in Ecclesia geruntur, e statutis humanis profluxit. Pulchrè: sed tantò magis conveniebat, istas constitutiones Pontificias (sic enim loquuntur) ad formam legis divinæ redigere, ne ullo pacto Lex Dei & lex hominis (clamant Ecclesiæ) inter sese pugnare, sed idem sentire, idem velle, idem præcipere videantur. At quæ constitutiones in Ecclesia tenentes arcem, sermoni Christi, legi Evangelicæ, vetustati Ecclesiasticæ, palàm adversæ sunt & inimicæ, protinꝰ condemnandas liberè pronunciamus, unà cum ipsarum authoribus, aut legislatoribus, & ex Ecclesiæ agro eradicandas, proque impiis habendos, qui credunt, sitam esse justitiam, & pendere salutem ab hisce observationibus, Gehennam à non observatis:

His præmissis, visum est, ad constitutionis humanæ articulos aliquos digredi, quorum est præcipuus post graviora quædam, delectus ciborum, ex jejunandi primùm consvetudine ortus: principium non malum, nisi quòd abusus vitiavit, & superstitio deturbavit paulatim propè omnia. Profectò ab esu carnium & vini potu simplex abstinentia, quam inter Christianos non obtinet laudem? similiter temperantia, continentia frugalitas, & vitiorum contrariorum fuga? Collaudamus magnoperè igitur abstinentes citra superstitionem, atque admiramur continentes, & suspicimus Evangelicè temperantes, tantum abest, ut hæc apud Catholicos in reprehensione esse debeant. Ante hæc autem tempora accessit hujus quoq; rei extremitas, Ephoris nostris non satis fideliter apud ovile Dominicum excubantibus: quo factum, ut hoc totum ferè corruerit, & abstinentia versa sit in crapulam.

Verùm hæ citationes adversus discrimen ciborum in Ecclesia propriè respectant delectum istum judaicum, quem nonnulli ex circumcisione jam Christum professi nondum deposuerant, semper diffidentes ac metuentes, si quibuslibet vescerentur cum Christianis, qui erant è præputio, ne in Mosem Nomothetam suum delinquerent. Christo, quem Messiam esse acceperant, fidem habebant quidem, sed Moysi in his præsertim legibus omninò valedicere non audebant.

Illis meticulosis admodum Judæo-Christianis cupiens mederi Christus Dominus in Evangeliis, & Paulus servus Domini in epistolis, ut eos ad libertatem Christianam è captivitate Mosaica fortiter assererent, sententias hasce loco citatas pronunciarunt nimirùm, nihil de cibis per os acceptis inquinare posse hominem edentem. Cur ergo vesci dubites, recutite seu appella, quocunque genere vel pecudis vel piscis? Huc tendit Apostolus: Regnum Dei, inquiens, neque escam esse neque potum, quasi tanta dementia captus homo posit esse, ut regnum Dei & spem salutis omnem putet positam in hoc, si non edat carnem, & non bibat vinum.

Rursum dedocet Apostolus ineptum istum delectum cœnæ Judaicæ, ubi vetat, judicari debere vescentes quolibet cibo, ac potu, perinde quasi peccarent alioqui contra fidem: esse indifferens, sive edas sive non edas, modò tibi non blandiaris de justitia, aut sanctimonia, sive quod ausus fueris edere, sive quod malueris ab esu tibi temperare. Illiusmodi quidem Judæis ad Evangelium conversis, sed nondum in fide planè firmis: at Christiani secus simus affecti oportet, si nolimus eodem lecto decumbere.

Nam

Nam ſi eadem formidine ab eſu carnis abſtinuerimus, & per hanc abſtinentiam ſimilem nobis ipſis juſticiam, aut ſalutem pollicebimur, iiſdem ſacrorum dictorum confodiemur jaculis. Judæus non quamcunque carnem reſpuit, ſed partē aliquam mandato Moyſis vetitam. Inter nos exiſtunt, qui ipſi ſibi vetuerūt ex æquo omnem de carne eſum, exceptis aviculis, idq; per totam vitam: alii certis tantùm diebus, quippe jejunalibus: & utrobiq; juſticia quæritur, aut certè inanis gloriatio. Illi quod faciunt, voto & religione, aut ſuperſtitione potiùs faciunt: hi autem conſtitutione humana ſe obligari credunt, ut cogantur piſce veſci, non carne, aut potiùs carne piſcis, nō carne quadrupedum, quaſi coram Deo multū referat, utra carne ventrem oppleas, quandoquidem deſtruat tam ventrem, quàm in ventre eſcam, juxta vocem Apoſtoli. Jejunium Eccleſiæ non debet abrogari: licebit moderari, ac in melius reſtitui. Non putatur hodie jejunium, ſi vel modicam portiunculam carunculæ guſtes, ſique ovum unicum, aut juſculum de gallina recoctum ſorbeas.

f.18.374 At verò jejunium eſt, ſi carnem variorum piſcium vores, ſi vino totus madeas, ſi ſatur menſa lautiſſima ſurgas, & inſuper prandio cœnam jungas. Baſilice abſtinentia conſumitur quadrageſima, & quatuor temporum Angaria, & per divorū vigilias omnes. Plus quam Judaica ſuperſtitio aſtrinxit conſcientias ad formidines culpæ, pœnam purgatilem poſt ſe trahentis: etiamſi tantùm veſcaris tenui lacte, ſi olido caſeo, ſi putri butyro. O ſanctas gentes, quibus cœlum debetur ex Myrothecio illo, quod in alvum abit, & in ſeceſſum ejicitur. Cur enim Evangelii verbis non utar in re tam gravi, ſi ſuperis inferiſque placet? His creaturis Dei non licebat veſci, niſi Quirinaliter indulgeretur, idq; non Metelli ſed metalli ergo? Quæ ſæva coarctatio peperit nobis licentiam hanc, quā nunc non voratur, ſed ingurgitatur, excuſſo omnis diſciplinæ jugo, abjecto jejunio, faſtidita temperantia, & neglectis ſuper ea re ſcripturæ locis. Econtrà alibi reperias longè prælatam hanc conſtitutionem divinæ legi, de non pejerando, de nō occidendo mœchando, furando ac aliis, dū magis conſtitutioni hominis, quàm legi Dei obtemperatur, & creditur, per opera jejunii, diſcriminis ciborum, feriarum, miſſarum ad certos divos deſtinatarum (quod manifeſtè idololatricum eſt) ac hujusmodi, elui ſeu expiari crimina illa adverſus legē Dei admiſſa. Citius aliquis rapiat equum tibi, aut infelicet etiam domum, aut virginē uxoremque proximi comprimat, aut cædat innoxios, aut fraude circumveniat fratrem, aut blaſphemet, aut de vero Dei verbo cultuque audire non ſuſtineat, quàm die conſtitutione humana vetito, non dicam de carne, ſed nec de ovo guſtet, dictitans, ſic conſtitutum eſſe, & interim diſſimulans, præcepto divino caveri, ne ſceleratè vivat. Uſq; adeò præpoſtera omnia debemus huic Judaiſmo novo, & vaniſſimæ ſuperſtitioni, quæ tantum facit diſcrimen inter carnem anguillæ, ac carnem vitulæ. Atq; eo modo iterum irritum facimus ſemichriſtiani præceptum Dei propter conſtitutionem hominis, & ſi ita docemus, fruſtraneum ſineque fructu cultum Dei docemus, obnoxii judicio ſcripturæ propheticæ pariter ac Apoſtolicæ. Non improbatur abſtinentia ab eſu carnis, ſi non ſecundum carnem vixeris, nec patraveris opera carnis, ſique edentem pro ætate ſua aut neceſſitate, non condemnaveris, præſertim ſi ille, qui utitur libertate donata, conſtitutionem, moremque Eccleſiæ haudquaquam contemnit, nec exemplo domeſtico quenquam offendit, nec judicat non edentem, nec eſu ſuo voluptatem quærit, & his ſimilia.

Ad crucifigendum, domandumque veterem Adam cum concupiſcentiis ſuis, opus eſt jejunio, cui ſi detrahas fiduciam, ac ſanctimoniæ opinionem, & oſtentationem hypocriticam, bonum utileque tibi opus jejunium feceris. Extant ea de re tota commentarii noſtri, in quibus nihil deſideres, modò priori Eccleſiæ faveas. Placet & librum hoc audire loco, ubi cum Eccleſiaſticis admodum facit: vera & non ſimulata, inquiens, mortificatio eſt tolerare crucem, verſari in periculis, ærumnis, & afflictionibus. Hujus generis obedientia eſt cultus Dei, & opus ſpirituale, ſicut docet Pſalmus: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: &c. Docemus præterea, aliud genus exercitiorum neceſſarium eſſe. Quilibet Chriſtianus etiam corporali diſciplina, laboribus, temperantia, meditatione divinarum rerum, & aliis exerciciis aptis ætati, coërcere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus eſſe debet, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum, & ut mens admoneatur, & fiat aptior ad affectus ſpirituales. Non eſt ſentiendum, hæc exercitia cultus eſſe, qui mereantur remiſſionem peccatorum, aut ſatisfactiones eſſe &c.

Et hæc diſciplina debet eſſe perpetua, nec poſſunt præſcribi certi dies pariter omnibus. De hac diſciplina inquit Chriſtus: Cavete, ne corpora veſtra graventur crapula & ebrietate. Item hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi jejunio & oratione. Et Paulus ait: Caſtigo corpus meum, & redigo in ſervitutem. Itaq; non vituperamus jejunia, ſed ſuperſtitioſas opiniones, & laqueos conſcientiarum in traditionibus. Porrò hæc exercitia, cùm ad illum finem referuntur ut habeamus corpora obnoxia ad res ſpirituales, & ad faciendum officium juxta voca-

vocationem, &c. sunt in piis bona opera, ut testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera, quæ ad hunc finem requirit Deus, ut carnem coerceant.

De feriis admonuimus suprà. Vereor, ne nos hîc quoque Judaismum superaverimus, & Pharisæismum justificaverimus nimis superstitiosi facti, dum nimis religiosi videri voluimus, præsertim in severè exigendo feriarum ocio ab invita plebe, quippe cui tota ocia non perinde prosunt, ac clero. Nimium est, tanta austeritate postulare, quod nec pium, nec necessarium est, nec utile, nec legi etiam naturali, nec fidei, nec dilectioni conveniens est, sed quod plurimis dispendiosum, & quod ad malefaciendum invitat ociosos, juxta tritum illud vulgo: Ocia dant vitia. Rursum: ocia sunt diaboli mollia pulvinaria. Et Syrachius ait: Multam malitiam docuit ἡ ἀεργία, quod est apud Ezechielem, ocium: subvereor, ne in clerũ potiùs, quàm in populum competat. Nihil addam durius, & ingnavis semper feriæ sunt. Nullus septimanæ dies latiùs patet ebrietatibus, crapulis, comessationibus asoticis, impudicis garritibus, jurgiis, conviciis, clamoribus, cædibus, prostibulis, quàm dies feriatus. Frendunt tamen, ac strident, mordentque præ sanctitate quidam crassuli, quoties aliquis pauperior aristas fricat, aut bovem puteo eximit die divis sacro: hoc est, quoties parandi victus gratia vel unam tantùm manum admovet absolvendis operis, etiamsi calceum consutum reficiat. Judæi solùm
pag. 375 Sabbathum suum tanto rigore observandũ urgebant, nos præter Sabbatha nostra Dominica, tot divorum etiam ferias, majore ferè religione observare cogimus, ut plus peccetur, & ad illorum imagines procumbatur, & statuæ adorentur, & illæ ceu adjutores Dei invocentur, & œnopolia frequententur, & orchestra sudent: alioqui profectò arescerent choreæ puellares.

Verùm potestatis ordinariæ partes erunt, hos abusus tollere, ac rectissimum feriandi usum præscribere, ne posthac vel Judæi, vel Ethnici esse videantur. Operæ precium fuerat, istis feriis, præter alia, historias divorum divulgare veras, non aniles recitare fabulas, ut hactenus compertum fuit: dicas follibus mendacia pinguissima fuisse efflata, nec non vulgo credita pro veris narrationibus. Extant Catholicorum Commentarii, qui proponi poterant Concionatoribus ad discendum & evulgandum sanctorum historias.

Ceremonias Ecclesiæ Catholicæ publicas nullo modo aspernandas arbitramur, eas maximè, quas vel ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, veluti per manus accepimus, quásve in recto usu retinuit vetus Ecclesiæ praxis, & consensio utriusque Ecclesiæ approbavit, quævè sunt in pietatem conducibiles, ipsaque significatione mystica fidi populo mirum in modum salubres. Nec enim protinus existimârim ceremonias Christianismo asserendas, nisi Concionatorum opera, ac perpetuo studio, Dionysii Areopagitæ exemplo, ignoranti plebeculæ omnes explicentur, ac quid quælibet arcani habeat, enucleetur. Illud autem accedet ad ceremoniarũ commendationem, & harum observationem reddet coram toto cætu acceptam, si nôrit idiota tanquam ungues digitosque suos, causas ceremoniarum, ob quas quæque instituta sit antiquitus; alioqui si hujusmodi aperire non dignabitur Ecclesiastes, nihil aliud erunt ceremoniæ in Ecclesia, quàm histrionum gesticulationes in Theatro: unde plus ædii auferas, quàm utilitatis adeoq; plus risus, quàm pietatis. Spectat populus avidis oculis, quod geritur & ignorat quid geratur: nec multum interest, ludumné aut fabulam saltari videat in foro, aut res tractari sacras in templo.

Attamen Episcoporum est, explorare ceremoniarum ortum ac causam, & secernere veteres à novis, num æquè graves omnes sint. Quæ levitatis speciem præ se ferunt, & sunt (nescio, quæ?) ludicra, minusq; seria, & ad cachinnum excitandum exhibita, procul arceantur à templis. Cur enim nostras panegyres, & cætus nostros venerabiles semper ludibrio habeant Judæi, ac hæretici? Adhæc, quandoquidem totus fermè cultus Dei nostris seculis ceremoniosus apparet, cum primis est super attendendum in ceremoniarum rationem, ut eæ graves, ac Evangelio Ecclesiaque dignæ sint. Justæ reformationis ense rescindendum sine mora, quicquid Christianos non decet, & latriam dedecorat magis, quàm decorat. Sẽper metuendum est, ne illo feriamur fulmine: Frustra me colunt, &c. Si frustra, quid igitur aut cogitamus, aut facimus, aut occupamur circa frustranea? Quid ergo inutiliter totam vitam scientes, ac prudentes perdimus?

Dispiciant iidem in ceremoniolas, quæ populo exhibentur circa baptisma parvulorum, & missarum solennia, præsertim missarum Episcopalium, an fortè aliquid eò accesserit per Neoterismum, quod pro veteri utili, ac Sacramentis digno, adversus contradicentes hodie defendi non queat? Quò minùs audiendi sunt, qui plus obedientiæ, ac plus sanctimoniæ ceremoniis novis tribuunt, quàm antiquis, & utcunque receptis quàm utriusque Ecclesiæ usu consensuque comprobatis. Næ isti verò nimium homines svaves sint oportet, qui ex ceremoniarum qualiumcunque observatione se justos pios, Deo placentes fieri putent, & peccare extra observationem, etiamsi absit contemtus. Tanta inest erroris energia humanis constitutionibus, si initium ac

finem

finem harum non probè intelligas. Porrò adumbratam coacervationem ceremoniarum Ecclesiasticarum videas licet in toties edito libro, cui Author titulum fecit: Forma Ecclesiæ prioris, &c.

Summatim in Concionatorum prudentia spirituali situm est omnium ceremoniarum pondus: Concio ceremoniæ fructum in aures, animosque plebis instillat: Concio ceremoniam facit utilem, & hoc agit, ut plebs earum moderata saltem consuetudine carere nolit. A qua sententia opinor Protestantes, quod vocant, neutiquam dissidebunt, modò concordiam Ecclesiæ quærant ex animo, nec existimét, regnum χισμάτων fore perpetuum: schisma autem est à toto ad partem discissere, & verum à falso non dignoscere, sed magis odio falsi omnia temere calcare, contemtis veteribus, mediis recentioribus, qui diversum non affectu, sed ratione sentiunt.

Nec hoc omne punctum de clerogamia largiremur libro, nisi ferè idem traderet Ecclesia. Dicitur autem Ecclesia tradere, quod vetustissimi vel scripserunt, vel fecerunt Ecclesiæ patres, Doctores, ac viri in sancto fidei Christianæ negocio illustrissimi: nisi, inquam, conjugium Presbyterii divinitus concederetur in Ecclesia, nec reclamarent scripturæ sanctæ, nec veteris Ecclesiæ indubitata praxis nec publica honestas. Et horrendum auditu est, quòd Apostolus Paulus, dæmoniacum seu diabolicum esse scribit, si quis doceat adversus conjugium. Longè magis dæmoniacum sit, oportet, propter conjugium in Christianos sæviciam exercere, & innocentes interficere. Liber rectè asserit, cum ait: Constitutionem illam humanam, qua prohibetur conjugium Presbyteris, ac distrahitur contractum, pugnare
pag 576 cum jure naturali, cum jure divino, cum Evangelio, cum veterum synodorum constitutionibus, cum exemplis veteris Ecclesiæ: imo cum exemplis etiam Ecclesiæ Rom: qualis erat circa 500. annos. Quæ exempla spiritu parum sancto Hilteprandus notabiliter actus, ex Ecclesia Romana sustulit.

Verùm capita quædam tantùm attingemus de Clerogamia: cùm possemus verbosissimè hanc tractare materiam: de qua tamen extant libri mei tres ἀνέκδοτοι hactenus, quibus, nostrâ quidem sententiâ, nemo cordatus obsistere ad minimum vel cupiat, tantum abest ut qui valeat.

I. Scriptum est: Sacerdos virginem ducat uxorem. Quæ vetus lex moralis est habens adhuc vigorem: non ceremonialis, hoc est, abrogata.

II. Novo testamento illucescente per Joannem Baptistam, erat hujus pater Zacharias Sacerdos Domini, habens Elisabetham uxorem.

III. Recenset Paulus Apostolus in regula, quam ad Timotheum præscripsit Presbyteris novi Testamenti, ut sint unius uxoris viri.

IV. Eandem regulam ingeminat ad Titum.

V. Ipsos Apostolos uxores habuisse proprias, Divus Ignatius & Clemens Apostolicus idoneus testis est.

VI. In primitiva Christi Ecclesia tam orientis quàm occidentis, duravit Clerogamia improhibita.

VII. Et perduravit improhibita, quia Apostolica, usque ad tempus prohibitionis primariæ per Syricium, & Calixtum secundum factæ. Post secundariæ prohibitiones secutæ sunt per Concilium Carthaginense, per Gregorium & Innocentium, maximè per sanctiss: Hilteprandum. Sed hanc prohibitionem, quia neque Apostolica, neque universalis extitit, Oriens non recepit. Decreta verò canonica, quæ conjugio favent, illud tantùm postulant, ut uxor virgo ducatur ante ordinationem sacerdotalem.

VIII. Panormitanus scribit: Matrimonium de jure divino non impedit susceptionem sacrorum ordinum. Idem Panormitanus Juris peritus ait: Lex cœlibatus non est de necessitate salutis. Et continentia in clericis salutaribus non est de substantia ordinis, nec de jure divino, &c. Adeoque contendit, ut sit liberum: quia contrarius effectus cœlibatum sequitur, id est: Das Verbot ist übel geraten. Rursus idem: Etiam post votum solenne posse contrahere, &c. Equidem vix unquam alium uno quasi habitu plures Canonistas citasse audivi, quàm Hiero: Mossetum D. consentientes omnes in libertate conjugii sacerdotalis concedenda, idq. in commentariolo suo de Clerogamia. Hunc virum ego Canonistarum facilè principem dixero.

IX. Canon Apostolicus habet: ne Episcopus aut Presbyter, religionis obtentu, uxores suas à cura sua expellant. Idem ferè Concilium Gangrense, cujus verba sunt cap. 4. Quicunque discernit à Presbytero conjugato, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, Anathema sit.

X. Canon & Concilium Anchiritanum sic concludit: si Diaconi in ipsa ordinatione protestati fuerint, se uxores habere velle, nec posse continere: hi si postea venissent ad nuptias sive matrimonium, in ministerio manebant.

XI. Uxores Presbyteros suas post acceptos ordines servasse, testis est histor: trip. libro nono cap 38.

XII. Notissimum est de Paphnutio Confessore Christi, consulente Clerogamiæ apud Eusebium, & in Decretis.

XIII. Dionysius Corinthiorum Episcopus

pus admonuit Pinytum Sinepiscopum, ne onus cœlibatus tanquam necessarium fratribus imponeret, sed infirmitatis multorum rationem potius haberet: vide Eusebium.

XIV. Pius secundus Pontifex Rom: dictus ante Æneas Sylvius, dixit, fuisse causas graves, cur Presbyteris ademtum esset conjugium, sed existitere graviores, cur redderetur.

XV. Fatetur Petrus à Soto in apologia adversus Ducem Wittebergensem: Matrimonium inquiens, quantum est ex jure divino, omnibus ex æquo laicis & clericis liberum esse: usum verò ejusdem non ex jure divino, sed ex consuetudine & consensu Ecclesiæ Rom: Clericis interdictum esse. Hæc ille. Ergo vicimus: quid enim est interdictum esse, nisi prohibitum esse, ut probatur voce sua sorex. 1. Timoth. 4.

Pergit Sotus: quare non sit mirum, si vel alicubi vel aliquando, aut usurpatum, aut permissum fuerit: certè concedens ille magister noster, Ecclesiam Romanam posse in futurum hanc constitutionem humanam, videlicet cœlibatus, aut mutare, aut parùm laxare.

Fatetur item Martinus Peresius Episcop. Conjugium præsulari ac sacerdotali muneri minime repugnare: atq; hoc postea exemplis Apostolorum & Apostolicorum disertè probat. Præterea idem Martinus Peresius sic de incontinentibus loquitur: Si sine delectu aliquo admitti debent hujusmodi homines ad sacerdotium, necessarium mihi videtur, ut lex ista cœlibatus pro hujusmodi hominibus (Incontinentibus) in futurum relaxaretur, ut euitarentur tot scandala & peccata, & ne blasphemetur sancti sacerdotii nomen. Item: Et Augustini tempore fuisse sacerdotes uxoratos in Aphrica: cur Peresius subdit: aut rarissimos aut multos.

pag.377 Summa: deprehenditur hîc & ubique, Conjugium clericale primis Ecclesiæ temporibus passim extitisse quidem: sed per Papas & sua concilia postea abrogatum fuisse, & legem cœlibatus promulgatam ob dignitatem clericalem.

Verùm Soto & Peresio adjunctum damus Thomam Aquinatem suum. Is in summa, quæ incipit: Commiserationes Domini. cap.165. post hæc dicendum, inquit: Si acolythus in secreta confessione ad discretum sacerdotem veniat, & se nullo modo continere posse dicat, non multùm peccat sacerdos, dando ei consilium, ut cum aliqua occultè matrimoniū contrahat, & occultè sui Episcopi oculos fallat. Minùs credimus peccatum esse, beneficium cum occulto conjugio retinere, quàm fornicariam contra divinam prohibitionem habere. Si verò postea ad sacros ordines à suis Prælatis cogatur accedere, credimus, minus peccatum esse uxore uti, quàm cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.

XVI. Nicephorus affirmat, etiam Synesium Episcopum factum, protestatum esse, se uxorem, quam sibi Deus, & ipsæ leges, ipsaque sacra Teophili manus dederat, prorsus non deserturum, neque cum illa veluti mœchum, clandestinam consuetudinem habiturum. Alterū enim minimè pium, alterum minimè legitimum esse. Videatur idem Nicephorus de Clerogamia veraciter attestans lib. 12. cap. 34.

XVII. Isidorus lib. officiorum de Clericis dicit: Castimoniam quoq; inviolati corporis perpetuò conservare studeant clerici, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Hæc Isidorus. Vociferantur quidam ex Misogamis, nuspiam reperiri, sacerdotes post ordinem contraxisse matrimonium. Legant ergo isti Socratem hist. Eccl. lib. 5. cap. 22.

XVIII. In Rubrica inquit, se credere, quòd Ecclesia tale præceptum (cœlibatus) sit aliquando revocatura, juxta illud Apostoli: de virginibus præceptum non habeo &c.

XIX. Cypriani dictum vulgatissimum est de puellis votariis, satius esse, ut nubant, quàm in ignem deliciis suis cadant, &c. Cui consonat Basilius Magnus. De virginitate ejusmodi exponit D. Ambrosius Episcopus dicens: Vbi necessitas imponitur castitati, ibi libidini autoritas datur. Itaque nec casta est, quæ metu cogitur. Hæc Ambrosius.

XX. Numerantur plus 20. exempla Presbyterorum olim Maritorum, & legitur in capite volumus, distinct. 81. Sacerdotibus prohiberi, ne cum mulieribus conversentur, excepta matre, sorore vel uxore, quæ castè, ait, regenda est: quod verbum castè glossator ibi sic exponit: Concubitus enim cum propria uxore, castitas esse dicitur.

XXI. Extat super Clerogamia Epistola divi Vlrici, sive alterius cujusdam viri, Deum timentis: unde apparet, Presbyteros in Germania uxoratos fuisse. Id quod novimus (vel extra hanc Epistolam) verissimum esse ex tot historiis, etiam in Gallia, Anglia, &c.

XXII. Constat de conventu citatorum conjugatorum, reclamantium Episcopo Mogunt: ante 400. annos, quando per tyrannidem miseri sacrifices adacti sunt contra fas jusque, ad cœlibatū, aut potiùs concubinatū, Deo scilicet placentem super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas. Videatur historia Lamberti Hirsfeldensis.

XXIII. Accedunt leges civiles, & novissima authenticorum jura: ubi inter alia legitur: clericos non alios ordinandos, nisi castè viventes, aut uxorem legitimam, ac ipsam unam ac primam habentes.

XXIV. Speculator in tractatibus de modo congregandi Concilii pensandum putat, an non expediret ac provideri posset, ut in Ecclesia occidentali, quantum ad votum continentiæ attinet, servaretur consuetudo orientalis, cum temporibus Apostolorum eadem servaretur.

XXV. Objicitur de bonis Ecclesiarum dissipandis, quasi non major cura requiratur circa animas servandas. Et eò cœcitatis rapiuntur Romulidæ quidam, ut censeant, vicarios minùs peccare fornicando, quàm nubendo. Hinc est quòd graviùs plectuntur Mariti, quàm Concubinarii. Vides ludibrium merum esse factum legem divinam. & huic longè præferri constitutionem humanam.

XXVI. Objicitur Babylonismus futurus, si omnes sacerdotes maritescant. Respondemus, quis cogit omnes contrahere, aut quis cogit unum etiam contrahere? Quo impulsore contrahat matrimonium chori pondus, ut quidam loquuntur? In quorum grege tamen nonnulli extra reprehensionis notam conversantur. Quid illis cum hac libertate? Nisi velint opulentiores, de sua substantia, ac bonis honestè quæsitis in posterum victitare, nec Ecclesiam gravare, quæ ministros suos alit, operarios videlicet mercede sua dignos. Alii si mavelint, suo proventu contenti vivant, & gastrimargiæ non semper studeant: si tamen per potestatem sublimiorem posthac licebit, regulares foro magis quam choro adhærere. De utilibus Ecclesiæ Presbyteris, & veris ovium Dominicarum pastoribus loquimur, quos irreprehensibiles vivere præcipit Christus Dominus, & postulat Ecclesia. Peresius & multi opinantur, si pauci essent boni Presbyteri magis, quàm multi malique, fore rem in optimo statu. Atqui horum paucitas temporibus Apostolicis non effecit, quò minùs sanctus Paulus Clerogamiam sanciret in Ecclesia Christi, ut excluderet impudicitiam vel à paucis talibus.

Dicimus. licere. non oportere, sed concubinatu prohibitio, coget res ipsa vel ad honestum conjugium, vel ad sanctum cœlibatum. Quod inter hæc duo incidit, vetitum est, nempe scortationis scelus aut adulterii, aut Cynædiæ, pæderastiæ, quorum scelerum est repleta terra. Et talibus debetur duplex honor, debetur census. debetur immunitas ac libertas. Tales digni sunt, qui soli administrent ecclesiæ Sacramenta, quibus honorandis aperiantur hominum prætereuntium capita. Horum os manusq; rebus sordidissimis aptæ atq; assuetæ, admoventur tremendis mysteriis, & adeò, ut sempiterna salus populi, qui dicitur Catholicus, sola pendeat ab impurissimis ac fœdissimis scortatoribus. Hi conficiunt Sacramenta, hi solvendi ligandiq; potestatem habent, hi soli psallunt Deo, quem adversarium habent, & inimicum. Horum dignitas venerabilis scilicet tanti fit ut in horum ordinem certatim irruant adolescentes, ocio, censu, ac honore pellecti tantum, cum metu Dei, & formidine gehennæ procul hinc fugere conveniat, propter eandem turpitudinem vitæ, in quam prudentes incidunt, præ quorum jactata dignitate, casti Presbyteri propter honestum conjugium sordent, à Thysiasterio, à Baptisterio, à cathedris, à pulpitis arcentur, à sacris muneribus muniisque repelluntur omnibus, indigni habiti, qui intueantur lucem, cum illi coram Deo & Ecclesia sint sacris mysteriis tractandis magis idonei, propter conscientiam bonam fiduciamq; erga Deum, rectamq; & honestam conversationem.

378 O Præsules, quæ est ista, precor, tam crassa ac illaudata supinitas, quæ est ista tam perversa perversitas, ac cæcitas cæcitatum, tantam ubiq; fœditatem in clero quotidie sacrificante patienter ferre posse, contempto Christo, & oppressa conscientia, & ne semel quidem ad reformationem ac correctionem totius status animum adjicere. Videat Dominus, & requirat, Amen.

Cæterùm his subjungere visum est quasdam considerationes, quas paucis ante annis apud semet eructavit Orthodoxus quidam tempore Caroli V. Imperatoris, super Clerogamia.

Nemo nescit, melius esse, si Ecclesia habeat Presbyteros Agamos, hoc est, absque connubio: verùm contrà in confesso est melius, Ecclesia habeat Presbyteros castè uxorios quam turpiter concubinarios. Manifestissimum equidem est, cubile immaculatum cleri nulla vel veteris, vel novi Testamenti scriptura vetitum esse. Econtrà verò reperias, istuc in utroque Testamento concessum esse. Quòd si quis hic neget, vetus ad nos ea in causa pertinere, negari certè non poterit, Epistolas Pauli ad Christianos scriptas esse. Est item irrefutabile, Clerogamiam seu immaculatum cleri cubile in constitutionibus Ecclesiasticis juris positivi esse. ita ut Ecclesiæ, si tale communis utilitas svaserit, concedere liceat. quod concessit ipse Dominus Ecclesiæ ad Regulam duntaxat Apostolicam à Paulo præscriptam. Nam hic ego, irreligiosos istos ac temerarios nuptiatores quosdam de Schismate, quivè tam divinam quàm humanam legem sua libidine quadam transcendunt, accusandos magis quàm excusandos esse, arbitror.

Mores veteris Ecclesiæ laudo, qui si iidem essent hodie in clero, quis censeret, opus esse remedio? Quid prohibiturus erat Syritius, Innocentius, Calixtus, & Hilteprandus, si hanc hoc tempore Ecclesiæ faciem aspexissent? Quòd si quis ad exempla provocet, longè cognitissimum est, historias Ecclesiasticas exemplis ejusmodi refertas esse:

esse: sed ante ordinem, inquis? Rectissimè probaturus igitur eras causam Clerogamiæ si quis hodie quoque ante ordinem honestè ducta virgine, recipiatur in ordinem? Scripturam Apostolicam, Jus positivum, Exempla Ecclesiastica, & honestatem ipsam publicam quisque ingenuè confitetur: is huic considerationi non reclamabit unquam. Nisi fortè primis temporibus fuerit licitum, quod nostris illicitum judicari debeat quando videlicet Cleri nefanda turpitudo eò crevit, ut sacra etiam ipsa deturpet, adq; abominationem adducat extremam.

Verùm ut fulcra illa hujus negotii transeamus, ratio omninò habenda est tempestatis hujus periculosissimæ. Qua de causa Carolus quintus Imperator Rom: neque impiè, neque imprudenter indulsit eum articulum interim, dum Concilium erit, idq; pacisergò, & in gratiam reducendorum Schismaticorum. Cui indulto Romanorū Pontifex meritò suffragaretur, si illi cordi maximè esset germaniæ perturbatæ tranquillatio, sique prius haberet necessitatem, quàm severitatem in consilium adhibere. Necessitatem allego, quæ probè nulli legi est obnoxia: humanam intelligi volui. Et lex prohibitionis humana planè est, si non inhumana. Factiosi vix reduci poterunt per indultum isthuc: quid usu veniret, hoc per Pontificem ablato? Quis Sanctorum redibit ad Ecclesiam cum tanta conscientiæ famaq; suæ læsione? Imò tanto cum periculo castimoniæ? Nisi fortè tolerari semper debeat ab uxoribus ad meretrices discessio.

Non defuturi erant Ecclesiæ plurimi pastores, non minùs pietate quàm eruditione præstantes, si ageretur cum illis mitiùs hac quidem parte. Vbi quæso erunt pastores idonei tot curandis populis, si ob horum rem neque impiam neque inhonestam depellas præsentes qui tamen ex Orthodoxis sunt. Aliam certè causam multi non obtendunt, quàm hanc ipsam, videlicet se redire posse, nisi ita sæviretur in conjunctionem legitimam, nisique ipsis per eam disjunctionem aperiretur janua ad scortationes promiscuas: neque enim aberit, quin alienas mulierculas sint recepturi maximè ad usum domesticum, qui abjicere conjuges coacti sunt. Pars Lutheri usque adeò firma est adhuc, ut ab aliis metus Ecclesiasticis ingens immineat. Et Principes, qui etiam Cæsariani videri volunt, in ea factione pertinaciter obdurant. Illi certè longiùs resilient ab hoc religionis proposito, si Catholici usq; adeò nihil de consuetudine sua non bona remittant: habebuntque refragandi causam, quandoquidem quod Cæsar relaxat, Papæ legatio restringit.

pag.379 Poculum benedictionis concessit quidem Pontifex sua in bulla, sed plebs non dignabitur accipere Sacramenta Dominicæ de manu Presbyteri, qui conjugem concubina mutavit. Ais, hoc quoq; esse vetitum. Respond. vetitum quidem, sed tamen semper toleratum, adeoq; censu & honore (præ altero) passim adauctum.

Cæterum Misogami Philogamis perpetuò solent in aures ingerere scripturæ loca de carne crucifigenda, atque mortificanda, quasi post disciplinam Ecclesiæ jam pridem collapsam, & in ipsa iniquitatis abundantia (de qua Dominus in Evangelio, ea ratione naturâ succulenta juvenum Sacerdotum corpora exsiccari queant in totum, inque Angelismum quendam transformari. Est mundo notissima Theologorum talium crucifixio, atque mortificatio. Sunt in confesso horum jejunationes, aquæ potiones, humi dormitiones, genii defraudationes, totiusque vitæ incommoditates: quo medicamine scilicet efficitur, ut suis in corporibus stigmata portent, non qualia Paulus, Lucas, Chrysostomus, & Franciscus, sed qualia dicere nolo. Profectò brevibus Gyaris dignum facinus, ac nescio quanta cruce; aliis onus importabile imponere, quod tute ne digitulo quidem minimo contrectes; Præstaret Eunuchos quosdam tales Terentianos non tam menta, quàm lingua castrari.

Legitur de Ratholdo præsule Argentinensi, qui Matricidam ad pœnitentiam publicam adigens, ex mandato Pontificio primùm prohibuit ab ingressu templi, unius anni spacio: attamen foris orare licuit. Deinde anno revoluto licuit quidem ingredi, sed non nisi inter Catechumenos consistere, nec de Eucharistia participare: præterea totis septem annis oportuit pœnitentem illum neque carnem edere, neque vinum bibere: imò verò jejunare per tres hebdomadum dies ad versperam usque. Ibi additur: à propria tamen uxore non separetur, ne in fornicationem corruat: & hanc pœnitentiam mitigandam esse, si bene agere cœperit. Hæc ex historiis intelligis, prudens Lector, quantam semper rationem infirmitatis humanæ veteres nostri habuerint in eo etiam homine, qui tot ignominiarum, afflictionum, ac incommodorum veluti flagris cædebatur, ut putare possis, illi nec libuisse unquam conjugem tangere.

Quid igitur credas honoratis, saginatis, lascivis, luxui deditis clericis, qui totum vitæ suæ tempus deterunt in ocio, quod D. Bernhardus appellat diaboli cervical? Verùm istiusmodi aliis amplificanda tempestiviùs reliquero. Reliquum ergo fuerit, ut his ac hujusmodi aliis penitissimè consideratis, prohibitionis rigor piè leviatur, & liceat, ἀκωλύτως uti Sacramento matrimonii eos, qui citra præterq; hoc, passionib. (quos Apostolus ita vocat) perpetuis, & us-

& iisdem criminaliter peccaminosis torquentur, eo etiam tempore, quo vel student literis, vel operantur sacris. Poterat ergo quamprimum obtineri à Romanor. Pontifice, ut horum temporum necessitate considerata, super isto articulo dispenset usque ad futurum Concilium, alioquin omnis opera frustra consumitur in revocandis Schismaticis: quorum pars maxima in Concilio quidem sese subiiciet. Tam altè radices egit factiosum dogma in Germanorum animis.

EPILOGVS.

Equidem confitemur, continentiam in Clero veram, maximum esse ornamentum Ecclesiæ: præterea confitemur, occidentem hujus continentiæ clericalis exempla olim habuisse cum plurima, tum insignia. Sed quia status modernus, ut appellant, veteri omnino non respondet, & tempora distinguere jubemur: mutari dura constitutio voti posset, ita ut in casu necessitatis saltem quoquo modo conjugatis, doctrina, vitæque honestate insuper commendatis, ad sacros ordines aditus pateat, quandoquidem hæc ipsa constitutio juris positivi est. Per hanc sanè dispensationem bene prospiceretur populis Christianis, tam exemplo quàm doctrina, & tolleretur omnis ista querela de turpitudine publici concubinatus, omnisque generis impuritatis. Ea in re nihil observaretur sectis, sed Ecclesiæ, præterquàm quòd infinita præcaverentur scandala, quorum nullos erit ubique finis, quàm diu laqueo vocationis hujus infelix Clerus contra conscientiam non contra voluntatem tantùm suam ligabitur. Sed pergamus in instituto.

Monasticen ita improbare, atque hoc conari ut ea omnino non habeat locum in rerum natura, sed stirpitus eradicetur, alienum à Christianismo esse arbitror, adeò, ut Christianismo Mahumetismus aut Turcismus ipse mitior videri possit, nimirum qui Monasticen Christianam & toleret, & adversus violentiam barbaricam protegat passim in Asia, præsertim in Thracia. Ea parte mansuetudinis nos ab inimico crucis Christi superari debere, dedecorosum nomini Christiano non esse non possit. Raram, inquies, Monasticen ille: at nos quem mundum, precor, alimus? Nec ego nunc de nimia monasteriorum multitudine sentio, qua videlicet degravari civitates compertum est, & obrui, nec horum hominum dominatu non premi, ut nihil durius addam de horum hypocrisi, ac doctrinis hominum suo instituto inservientibus, quorum autoritate veram pietatem labefactârunt, maximè recentem Theologiam, quam dicunt Scholasticam (si tamen sanctum Theologiæ vocabulum hæc meretur) in Ecclesiam introducentes, & hanc omnibus ingenii viribus provehentes. Hinc sævi isti clamores adversus antiquam illam ac sinceram Theologicam, cum linguis primariis Theologiæ necessariò ancillantibus, quæ nostro seculo resuscitari cœpit, quam diffamant hæresin esse, nec quiescunt, dum contemnunt ceu certum Ecclesiæ virus.

Itaque æquum judico, ut quæ monasteria supersunt, & tolerantur, eò adigantur, ut pag. 380 posthac deserta barbarie sua, & abnegata Matæologia, ac gastrologia tota, antiquæ Theologiæ (quæ sola hoc nomine digna semper est) sese totos addicant, dedantque, & concionaturi ad populum, morem Ecclesiasticum sequantur, non monasticum, ut progressu temporis dedoceant superstitiones, quas in animas gentium inseverunt tanto studio, ac si verbum Dei asset, cùm sit verbum nescio cujus, vix etiam hominis. Qualia initiò fuerint monasteria, nos non fugit: hodierna dissimilitudo tanta est, ut ægrè possis cognoscere affinitatis etiam vestigium. Basilius Magnus apud Græcos Princeps extitit monastices, & habebat instituti laudatores eximios, Chrysostomum, Nyssenium, nec hos solos. Talis erat Benedictus apud Latinos, author piæ sodalitatis: approbator Gregorius, & ante utrumq; quantis studiis patrocinatus est rei Monasticæ Hieronymus ipse, Augustinus & Ambrosius? Quorum omnium sententias de isto vitæ genere, ut vituperare nolim, ita judicârim non temerè contemnenda, quæ viri illi, qui sanctimonium cum eruditione insigni copulârant, usque adeò commendârunt orbi Christiano.

At ubi est Monastice hisce seculis, quæ conferri queat cum Basiliana, & Benedictina? De re loquor, non de umbra, Deum immortalem, quanta diversitas elucceret vel Tiresiæ, aut Hipsiæ cæcis, si antich esin visum sit ejus rei facere? tam quod ad vitam, quàm quod ad doctrinam attinet. Doctrina sana erat & Apostolicæ similis: vita Christi Evangelia digna. Hodie scatent pleraq; impurissimæ doctrinæ sententiâ, vita doctrina etiam ipsa impurior: nihil videas Monasticum, præter rasuram, atque vestem distinctam, quæ materia est tanti odii, quo illud hominum genus persequitur omnis populus, uterque sexus usque ad pueros ipsos. Et haud multum abest, quin eadem in navi seu cymba sint sacerdotes, quorum ne nomen quidem ferri amplius potest, idq; non ordinis causa, sed morum culpa. Vota obiiciuntur, quibus quid vanius esse possit? siquidem juris divini ea neque sunt, neq; à quoquam servantur. Vovent non ut ea servent, sed ut per hunc prætextum Monasterium ingressi sine labore ac solicitudine vivant, & vivant in ocio ac saturitate, & saginentur, ut plurimùm ad stuprum usque.

Profectò si modò vera fatemur, plurimi nobiles

nobiles suam carnem & sanguinem ad hunc statum vel blanditiis induxerunt, vel austeris interminationibus compulerunt, alendi ventris gratia: utque eo pacto elocarentur absq; multis impendiis, & ipsi hac cura levarentur, in alios liberos futuri profusiores. Et decantatum vulgò est: desperatio Monachum Monachamq; facit. At quæ desperatio, nisi quotidiani victus? Ut diffidentiæ sit cujusdam, facere aut fieri Monachum vel Monacham. Mitto iterum conqueri de sacerdotio, in quod quotusquisque est, qui se præcipitat, nisi ventris exsaturandi, & laboris fugiendi gratia? Paucissimos reperias, qui non ob hæc monachizent, videlicet, ut per hujus status divinitatem consequantur remissionem peccatorum suorum, ut inde velint justificari, ac pro justis, ac sanctis videri, quivè salutem omnem in hoc vitæ genere collocent, & se pro perfectis ducant, & cæteris hominibus meliores, & persuadeant sibi, vota sua paria esse votis baptismi, & opera super erogationis istius allegoricæ sese in cœnobiis facere, & his adeò abundare, ut aliis communicare possint, (quod non fecerunt prudentes virgines, apud Matthæum, quarum hæc vox est: ne non sufficiat nobis & vobis) nec ulli-bi religiosiores Christianos, præterquam in monasteriis vivere, & nisi essent monasteria, orbem jam pridem periisse: Ibi enim iratum Numen per merita sua mitigari.

Qui ejusmodi fecerunt, forsan ante hæc tempora in Europa extiterunt, jam non ita desipiunt, nimirum oculatiores redditi, ut penè vereantur, ne licentiæ suæ causa è monasteriis profligentur, præsertim Nonnæ, quarum multa claustra quid, obsecro, aliud sunt, quàm pornoboscia specialia? Et huc commeant sui ordinis & regulæ patres, & fratres. Et ea tamen nefaria, atque consceleratа multa tolerant Præsules, hujus sanctimoniæ non nescii, si non compartici-pes, ludentes nimirum ludum Udonis Saxonici. Exempla haud obscura sunt, καὶ οὐκ ἐν ἀπορρήτοις, ut præstaret, aliquot harum salaciores inde eximi, veterum more, & conjugia copulari, ad ærumnas vitæ humanæ perferendas, quàm deliciis claustralibus ut intereant, sinere. Quis est tam vecors, ut credat, per hanc monasticen iram flagellantis Dei posse placari, & non exulcerari magis? Nullum igitur consilium tempestivius dari à quoquam potest, nisi ut inspectione severa corrigantur Monasteria, & si quæ deprehendantur prorsus incorrigibilia, sensim extinguantur potiùs, quàm hominum turpe ocium frustra sustentetur tot censibus, proventibus, & pinguibus locupletum eleemosynis, quemadmodum seculis superioribus usu venit, præsertim puellarum, quarum patrocinium ex epistola ad Timoth. non facilè possis petere, nisi velis sexagenarias, spontaneas pudicas, Deum timentes deligere.

Ejusdem fuerit negotii inspicere, quem cultum Dei observent in templo, si abiogetur Hagiolatria. Præterea de concione, qualis ea sit, vetustiorne, an verò recentior. Si recentior, obstruatur os vani loquentiæ, inspiciatur Bibliotheca, num ibi arcem teneant probati authores primævæ Ecclesiæ, & libri novi quidem, sed veteribus non absimiles: & qualia cum primis Biblia sacra. Inspiciatur œconomia tota, examinetur cujusque vita, & an ista Sodalitas Monastica ipsis verè placeat, atq; cujus rei gratia in Monachismum devenerint, ac quid in eo quærant an animus sit, foris plus ferre fructus populo Ecclesiastico, hoc est, prodesse proximo.

Cur tales habeas odio, & utilem rebus Christianis Monasticen destruas, propter alios deteriores, ac abusiones pravas? Malos ejice abusus, opprime superstitiones penè omnes in Monachismo notas dele funditus etiam de terra viventium, ut ne horum memoria quidem supersit in generationem alteram: emenda mores, exuscita regulas obliteratas, in quibus, si qua desunt, supple. Breviter sic visita, sic superintende Præsul, ut impetres à Monachis, quæ tam illis profutura videbuntur, quàm toti Ecclesiæ, quæ solet sæpe numero è monasteriis mutuum accipere Doctores Evangelii, & olim illud accepit per doctos Episcopos, qui de cathedris ipsi suis prædicarunt verbum Dei vivi, cui cedit humanum verbum, humanum votum omneq; istud institutum. Verbum Dei sincerè prædicatum, non tollit Monasticen, modò verbo Dei non repugnet ipsa, & semet ei formandam, reformandamq; volens subjiciat, bonis monitis cessura. Breviter, hic scopus Monachismo reliduo, meâ quidem sententiâ, præfigatur, nimirum ut hic ad hunc ordinem redigatur. pag 311.

Primùm soluti liberiq; sint monastici homines à mundo, hujus contagiis ac illecebris, & reipsâ ostendant, quod audiunt, solitarii: proximum est, ut vero cultui Dei serviant dies noctesq; meditando, precando, sursum suspirando, humiliter psallendo, confitendo, gratias agendo, docendo, exhortando, increpando, arguendo: deinde ut illis aperiatur schola ad ædificationem æq; omnium, ut qui literarum rudes etiamnum ac amusi & tantum non agrammati fuerant, paululùm assurgant ad cognitionem bonæ literaturæ, atque hinc ita præparati ultrò accedant ad studia Theologica, quibus solitudinis tædium & relevent, & fratribus sive Monasticis sive ecclesiasticis in Domino prosint. Ex Academiis Pædagogos ac didascalos petere semper licebit idoneos & quales volunt Professores, ut Schola latriam communem adjuvet, nedum exornet offici-

Officinulam artificii cujusdam liberaliores. ſi qvis veterum Monachorum exemplo, addendam Scholæ exiſtimet, næ ille probè ſapit.

Poſtremo convenit, & Monaſticen veram decet, ut ſit hoſpitalis, id eſt, hoſpites peregrinos tecto menſaqve excipiat, amicitiæ adblandiendæ gratia, & poſtea ſibi hinc hoſpitales eſſe videantur; cum id genus convivationis, non hoſpitalitas, ſed prodigialitas ſit epicurea magis qvàm Monaſtica, nempe iis gratificari, qui neqve indigent ipſi, ſemper ſaturi, jejuni nunqvam, neq; magnopere poſtulant. Pauperes ſemper habent, fores monaſteriorum obſidentes, hos cibent, hos potent, hos veſtiant, hos omni officii genere conſolentur, de eleemoſynis ſuis eleemoſynas dantes, ad dimidium bonorum uſq;. Adhæc in ſummis neceſſitatibus Reipubl. ſubveniant pro ſuo modo, & operarios regni Dei liberaliter ſublevent, domi manſitent, libros revolvãt, Regulas ſuas conſtanter ſervent, præcipuè de his potiora, magis autem regulam Chriſti Domini, ut exemplo aliis eſſe qveant, & glorificationi ſuæ ſatisfaciant, quippe qui tam præceptorum, qvàm conſiliorum Domini factores videri velint.

Talibus Monachis utriuſque ſexus cur Principes ac Comites hoſtiliter adverſentur, & violenter expulſis omnibus eripiant, quæ habent, omnia, mobilia cum immobilibus, contra fas jusqve, edictum qvoqve Monachorum, prædeceſſorum dotationes, in Evangelio DEI hactenus legere nobis non contingit, maximè cum uſurpatores experiantur, diſſipationem iſtam inhumanam nec ſibi prodeſſe, obeſſe verò magis revera comperiant, & per eas invaſiones ac alienorum bonorum rapinas tot egenorum millia quotidianis eleemoſynis defraudari, & peregrinos beneficiis debitis excludi, contra legem charitatis Chriſtianæ.

Modum numerumqve excesserat monaſteriorum multitudo pariter ac magnitudo: non ideo decuit nos, Zilcanum ſive Bohemicum exemplum imitari, & qvod in pios uſus fuerat collatum, aliorſum diſtrahere, & prædia monaſteriorum poterant eſſe certa, ac perpetua egenorum ſubſidia, ſed opinor, erat in fatis. Qvod propterea commemoro, non qvod facta infecta fieri qveant, ſed ut poſthac prudentius cum immenſis Monaſteriorum opibus agatur, ne, quia pinguis eſt panis Chriſti, præbens delicias Regibus, Evangelio reſuſcitato nomen dediſſe videamur. Incundæ aliæ rationes ſunt, ut opes Eccleſiæ conſerventur in tuto, & monaſteria certè præcipua ſic ſe gerant, ut tàm tragica mutatione, quæ res eſt mali exempli, opus non ſit.

Monaſtice nobis ab initio dedit viros doctiſſimos, atqve Eccleſiæ Catholicæ utiliſſimos: verum eadem dedit nobis Sophiſtas ſpinoſiſſimos. Illorum pia opera Eccleſia juvit, horum autem perverſitate ſuâ, ac barbariè læſit, juxta illud:

Una manus nobis vulnus opemq; tulit.

De utraq; Epiſcoporum poteſtate operæprecium facit liber, qui recta admonet, idq; magis amicè, qvàm odioſe, præſertim cum taxat illorum opinionem, aut potius aſſentationem, qvi commiſcuerunt in Pontificibus ac Epiſcopis Eccleſiaſticam pariter ac politicã poteſtatem. Nam ex qvo longius diſcernuntur, hoc magis Evangelium ſadit. Secus antè ſenſi, qvam penitius, ac preſſius negotium totum intuerer. Sed tamen verbis diſſentiebam potius, quam ſenſu, quid enim choro cum foro? Quid gladio ſpiritus cũ gladio carnis? Profecto Apoſtolus de Apoſtolis, & horum ſucceſſoribus apertè negat, arma illorũ eſſe carnalia. Quæ eſt ſocietas Chriſto cum Herode, aut Paulo cum Agrippâ? Itaq; magnopere probamus iſtud diſcrimen, ſicut diſcrimen ponimus inter cœlum & terram. Poteſtas Eccleſiaſtica de cœlo eſt, at politica de terrâ, utramq; utro in uno eodemqve homine conjungi poſſe, diſputent alii, qvi ſolent objicere de gemino diſpari.

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur. pag. 38[illegible]

Verum diſputetur, ad vivum inveſtigandæ veritatis ergo: utrum idem exiſtere poſſit Paſtor ſpiritualis, & miles plus qvàm carnalis? Ac jure nè geſtet altera manu pedum Pontificale ſeu Epiſcopale, & ſimul altera enſem cruentum, galeam, thoracemqve Martialem? Verum hæc ſacra non aliter conſtant, tanto difficilius eſt, contra tractum fluminis niti, & cum ſuo depugnare ſeculo. Alioqvin enim provocari poterat ad Eccleſiæ Principia, quando tàm Pontifices quàm Epiſcopi uni vacabant poteſtati Eccleſiaſticæ, in timore & tremore Dominũ ſuum audientes, nimirũ Vos non ſic. Qvin & cum Bernhardo qværi poterat: Sicne fecit Petrus? Sicne Paulꝰ? Talia gaſtavit arma Linus? Talem zonã Clemens? & Epiſcopi Dionyſius, Ignatius, Auguſtinus, Ambroſius & infiniti horum ſimiles? Sed eſto, ait Bernhardus, alius & alii hominũ mores, & tempora periculoſa non inſtant jam, ſed extant. Hęc Bernhardus. Attamen nihilo ſegnius fatendum id, qvod res eſt.

Nimirum Pontifices, Epiſcopos, Patriarchas, Cardinales, primam omnium curam ac operam impendere oportet in ea, qvæ ſolius Dei ſunt, memores Paulini mandati, quando inquit: Dicite Archippo, vide miniſterium (Diaconiam) quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. Quod mandatum Apoſtolicum ſummum literis aureis inſcribi, ſculpiq; debuit in omnibꝰ palatiorum Epiſcopalium feneſtris ac parietibus,

Anno

bus, simul cum hac Apostolica atqve gravissima præmonitione: Attendite vobis, & cuncto gregi, in qvo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos, ad regendum sive pascendum (ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine suo. Quod minus proprie suum; si sincere obierint vel biennium, sensim, crede mihi, nauseabunt ad secularia. Semel statuant, potestatem Ecclesiasticam, qua Episcopi sunt, omnino excellere, & longe inferiorem esse potestatem, qua Principes sunt, Quod cum sit irrefragabile atqve immotum, tamen gaudent audire tantum Principes, & propemodum pudet Episcopos dici. Imo illorum aula non sustinet patienter audire, si quis roget, ubi Rever. Episcopus sit: præcise dicendum est, ubi reperiam meum gratiosissimum Dominum & Principem: sin secus, ad suspicionem malam protinus rapitur. Cujus rei forsan causa est, qvod malim esse re ipsa principes, quam Episcopi, & propensiores sunt ad principatum, quàm Episcopatum. Si qui tales existunt, ipsi cōstituunt semet Episcopi nomine ultra modum indignos, sed hoc pacto non subterfugient iram venturam.

Porrò quandoquidem usus, mosq; publicus obtinuit, sicut supra diximus, ut videlicet Pontifices & Episcopi utraq; simul potestate fungantur, etiam atq; etiam contemplandū est, ne, dum alterutri incumbāt, alterum negligant. Quod si eligendum est melius, multò satius est Ecclesiæ curis operisq; incumbere Pontifices ac Episcopos, quam politicis vacare causis, & mundi hujus implicari negotiis. Hoc enim alieni officii est, illud vero proprii, quemadmodum sæpius dixi. Quod si Cæsar Romanus, totumqve Imperium sinceris animis super re consultaret ac dispiceret: an utrumqve an verò alterutrum Christianismo conducibilius foret, haud equidem arbitror, Episcopos ipsos hanc deliberationem improbaturos. Omnino prius habeant religiosi Prælati, ut Ecclesiæ Christi bene præsint, juxta legem Domini, quam ut aulæ suæ prospiciant, & seculo caduco serviāt. Prima cura Christo, proxima Ecclesiæ, ultima, si ita libet, Ditioni debetur. Addam liberius, si constaret, potestatem Episcoporum, & pontificiam Ecclesiasticam aut præpediri, aut diminui, aut labefactari, aut evacuari per potestatem politicam, quam simul exercent jure humano, præstabat, alteram, videlicet hanc potius deponere, quam hujꝰ onere, alteri malè præesse, cui primas partes tribui oportuit, & qvæ, ut bene administraretur, totum requirit hominē, non divisum ipsum. Adhortamur ideo per miserationes Dei, non præcipimus, primum pontificem ipsum, maximum Episcopum Episcoporum: deinde Episcopos reliquos, præsertim per Germaniam nostram, ut potestatem, quam acceperunt à Domino, non ad destructionem, sed ædificationem Ecclesiæ, eo videlicet conferant, ac solam exerceant, misso interim gladio in vaginam suam, & politicam politicis hominibus administrandam tradant, adhibentes in consilium Iethro illum Madianiten Sacerdotem, qvod ille consilium olim Moysi servo Domini dederat: nimirum, ut Moyses multitudine ac ceu pelago causarum populi Israelitici obrutus, majora tantum negocia curet, videlicet, quæ ad cultum divinum spectent, cætera demandet transigenda primatibus in cætu suo, ac viris amplissimis, quos cumprimis illustret hic Ternio, nempe sapientia, pietas & veritas, quive inculpatam agant vitam, præsertim ab avaritiæ crimine remotissimam. Horum delectorum officio, ministerio, cura & operâ utatur licebit Pōtifex & Episcopus, in administratione rerū hujus seculi, ut ipse minus interturbetur, rebus divinis solicitè vacans. Meminerint, Iethro Sacerdotem prudentissimum dixisse: Ultra vires tuas est negocium. Item, stulto labore consumeris tu. Rursus: Solus illud sustinere non poteris.

Illi à te, Præsul, constituti subsidiarii, qvi ditioni præerunt tuæ, & mundana procurabunt, qvicqvid ad opes celsitudine tua dignas facit affatim subministrabunt, atqve te de tuis decorabunt, ut non solum abundes ipse, sed etiam supersit, unde impertias aliis. Et benedictio Domini, cui soli vacas, dispensator hujus mysteriorum, ditiorem te faciet, quàm tua propria œconomia poterat. Primatibus igitur in partem ferendi oneris prudenter ascitis, & politice integrè administrantibus, tu, qui segregatus es in Diaconiam potestatis Ecclesiasticæ, noveris, Iudicem à Domino constitutum te in causis populi, sententiam ac æqvam viam Dei qværentis, ut hic jus dicas, doceasq; per omnia juxta legem ejus, nempe Domini Dei, cui es servus addictus, qvemadmodum præcipitur in Deuteronomio. Hic utere datis Ecclesiæ clavibus, hic solve, hic liga, tanqvam in conspectu omnia videntis ac audientis Domini, qui in novissimo die te judicem judicabit. Si sapientiæ filius es, per sapientiam, qvæ est unigenitus Dei vivi, constitutiones in Ecclesia condes, & justa decernes, semper væ illud apud Esaiam ob oculos positum circumferens, qvod horribiliter incutitur statuentibus statuta iniquitatis, & scribis scribentibus miseriam subditorum.

Qvot vero horum statutorum millia in libris recentioribus extant, cujusmodi Ecclesia Christi non solum reprobat, verum etiam ferre amplius neqve potest, neq; debet, siquidem condita sunt præter legem Dei, præter legem naturæ, contra ædificationem domus Domini, (immo ad hujus destructionem) contra charitatem proximi

ximi, contra consvetudinem veteris veræque Ecclesiæ, contra exempla priscorum, ac sanctorum patrum: adhæc ex malo fundamento ambitionis & avaritiæ, ut hæ duæ pestes nativæ radices sunt omnium totius curiæ malorum. Quæ statuta constitutaq; quando Ecclesiæ ac Reipublicæ obsunt, improbis tantum ad qvæstum, ac ambitum téporarium prosunt, & cum voluntate Dei pugnant, saluberrimum fuerit, si Pontifex Max. irrita faciat, & his morbis Ecclesiæ corpus liberet, cuius genus est magna pars Decretalium & Clementinarum, qvibus Ecclesia carere potest adeo, ut his oneribus levari jam pridem cupiat. Aboleantur libri turpiter parasitici atqve gnathonici omnes, non de primatu loquor, cui nos semper qvod suum est, dedimus, sed de summa nescio qvâ plenitudine potestatis, de scrinio pectoris, de vicariatu, de ridiculo Tristephaniæ mysterio, breviter de Deitate aliqva terrestri attributa, & his similibus absurditatibus.

Meminerint, si qvi sunt digni justiqvè Pontifices, ejusmodi de Petro, Petriq; veris successoribus, ab initio nunquam fuisse scripta, dicta, audita. Recolant statum non nascentis tantùm, sed adolescentis Ecclesiæ, usqve dum senescit, semper abhorrentis ab id genus pestilitate. Perpendant apud se in quale seculum inciderimus, & qvo res properet. Interitus in foribus est, nisi resipiscimus, securi videlicet ad arborem pósita. Admonemus amici, non contumeliam facimus inimici. Meliora vulnera nostra sunt, qvam adulatorum oscula. Sedem salvam cupimus cum antiquis, non extinctam cum Antipapis nostratibus, verum ea salva qui esse diu poterit, nisi expurges, reformes, corrigas, sanes, restituas, exornes. Idem sentimus de libris recentiorũ multis, è medio submovendis, autoritate põtificia. Exerat potestatem suam in obliterandis inanibus, & provehẽdis utilibus libris. Arceatur ab Ecclesiæ limine Pseudotheologia garrula, omnib. bonis fastidita, paucis ad ostẽtationẽ adamata, nemini utilis, nisi ad subversionem veritatis Apostolicæ, & veteris Theologiæ detrimentum summum.

Parcatur Ecclesiæ Christi, & ne gravetur amplius per qvosdam emissarios afflatos, sicut adhuc apparet Antichristiano spiritu, quæ viperarum gennemata nobis multa mala bene sopita resuscitant, qvási antea non sat haberet Ecclesia, de qvibus conqveretur, nisi hæc qvoqve portenta irreperẽt quæ super dolorem vulnerum ejus adderent, ut cum Psalte loqvar. Mittet nobis Roma viros opere sermoneq; potentes, qvi adnuncient vere Apostolica, sicut ab initio qvando non ita dominaretur nobis omnis iniquitas: & qvi calcar nobis addant ad currendum viam vitæ, qvi libros doctissimos nobis ad ædificationem domus Dñi serio commendent, veteres obtrudant, novos, qui Aristotelem Metaphysicum magis, qvàm Christum crucifixum sapiunt, rejiciant, qvi deniqve nobis authores sint convocandæ synodi, qualem celebrari tempus postulat & res. Præterea potestas Ecclesiastica summi Pontificis exposcit, ut præscribat, qvales sint, & à qvibus Episcopi deligendi, ne semper habeat Germania œconomos tantum, sed non œconomos, quales Apostolus Corinthiis commonstrat. Deinde destruat emporium sacerdotiorum, qua negotiatione vix est alia major, sed juxta iniqvior, ac fraudulentior, qvæve vel sola sedi Rom. summam cóciliat invidiam.

Ah ipse Pontifex facto flagello è funiculis ejiciat vendentes ementesq; ac hominum mensas evertat, qvi qvæstum putant pietatem esse. Heu pietas, prostat & in qvæstu pro meretrice sedet. Prævenire satius est, qvam præveniri. Si qvoq; hic dormitabitur, contemtis admonitionibus tam amicorum qvàm inimicorum, subveremur, ne, ultore Deo, malè suborta pejus occidant.

Porrò Pontificibus ad expurgandam curiam & reformandam Ecclesiam Romæ existentem accinctis, intererit Episcoporum, ut ipsi qvoqve sibiipsis attendant, & potestate sua propriè Ecclesiastica occipiant, uti ad pascendas regendasqve Ecclesias, suæ solicitudini creditas oves, maximè in negotio cathedræ & Sacramentorum, quæ res summam reqvirit vigilantiam, ita ut cathedra sanam Evangelii doctrinam sonet tantum, & altare respondeat antiqvitati suæ juxta præceptum Domini. Secunda solicitudo sit de Pastoribus non pecorum, sed hominum, corrigendis per diœcesim suam, & ad officium Apostolici pastoratus obeundum revocandis. Cogitent, seipsos esse Pastores, tanto magis diligant necesse est suos compastores, hisq; demandent obeunda ea pro qvibus olim parati sint Christo Pastorum principi, Iudiciqve rationem reddere. Exerceãt pii Præsules potestatem hanc ecclesiasticam de recognoscẽndo clero qvoq; & apud se cum animo suo reputent, an expediat ociosa multitudo, an velit rationẽ reddere pro tot scandalis, qvorum abundant primariæ civitates, an deceat successores discipulorum Domini Iesu hoc pactò Episcopum agere, atq; num se deceat Hierarchia istiusmodi, an sic vivere oporteat, an sic per traditiones Apostolicas liceat, an sic exolere vineam Dei Sabaoth conveniat, an sic domni Dei præesse atqve prodesse par sit?

O fratres τὸ καθῆκον urgemus tantũ, pag. 384.
alia studio transilimus, ne quid ultra scripta. Equidem potestas Ecclesiastica Pontificum Præsulumqve permagna est, quia de jure divino: sed tamen non decet, nec licet gregem Domini gravare novis

Anno

constitutionibus, ut imponere humeris aliorum ea onera, cujusmodi ipsi ne digitulo quidem minimo contingunt, maximè si repugnent vel sacris literis, vel vetustissimis venerandæ Ecclesiæ placitis, vel libertati Christianæ, quam Paulus Apostolus rectè commendat, non eam, quam Petrus improbat. Sat enim est constitutionum & sanctionum, & aggravationum, sit modus in rebus, si is tamen modus est.

Magis ad rem Ecclesiasticam attinet, ut concordiæ pacisqve conciliandæ studio, multæ harum constitutionũ vel relaxentur vel mitigentur, vel in universum aboleantur, si habeant speciem impietatis, & sint omnino frivolæ, & degravent miseram plebem sine causa, aut si sapiant aliquid Tyrannicum. Licentia morum poterat alio freno coherceri, etiamsi onera ista Ecclesia Dei vidisset nunqvam, qvæ certè jugo Christi commodo suaviq; haudquaquam respondent: & semper est spectandum, ut cumprimis Archetypo respõdeat, quid aut præcipiat, aut sanciat, aut definiat, aut moliatur deniq; Pontifex, Præsul, Abbas, &c.

Multa quæ per ista secula fuerunt adinventa, ac imprudenter imperata, sua sponte corruunt, dum mundus jam pridem intelligere cœpit, hominis inventum esse, non Dei, qvi Legifer noster est, Esaia docente. Neqve tamen legem Ecclesiæ repudiamus omnem: si legi Dei sit affinis, & rationi congruat, & Reipubl. sustinendæ conducat. Providere politicis & secularibus, alienius est ab Episcopo, quam dici fas est, de qvo abundè supra.

Quin scholas etiam bonas aperire, sua interest quidem, sed reqviritur scholarum fructus uberrimus in Ecclesia, & plurimum, qualia foveas pædagogia. De simulatione Androgynorum qvorundam ne μύ quidem hoc loco. Politicam potestatem in corpora resqve corporeas, honorandam esse ducimus in aliis, qvi etiam apud Apostolum audiunt Liturgi Dei: at eam in præsulibus (ut alienam) magis toleramus, quam laudamus: nimirum ab his cœlestia potius, quàm terrestria expectantes, inqve his priscos Ecclesiæ Episcopos, non Hircanos, aut Aristobulos, aut Iasones quærimus: Iudæismum cum sceptro conjunctum relinqventes.

Toleramus tamen, præsertim si id minimi faciant, respectu potestatis spiritualis & quod æqvum est, exsequantur, & oderint Tyrannidem satrapicam, & horreant bellum, & fugiant expilationem gregis, & excoriationem pauperum; tondeant, non deglubant oves: non dominentur adversus hæreditatem Domini, sed sint exemplaria sui ovilis in omni opere bono, expectantes Epiphaniam seu apparitionem justi Iudicis, qui redditurus est unicuiqve secundum facta sua.

Hæc pro pacificatione Ecclesiæ universalis visum fuit duobus ita jubentibus Monarchis examinanda mittere: præter hæc, quod catholicè concedamus, nihil novimus: &, confidimus in Domino, his concessis, contentos fore & mansvetiores confessionis authores, ac concordiam stabilem nobiscum facile inituros, præsertim si vicissim ipsi concedent de suis tantundem. Hæc quidem jam inde à compluribus annis verè sensimus, qvanqvam nondum ita verbis expressimus omnia, qvemadmodum nunc & tempus fert, & exigit Ecclesiæ necessitas: sic sensimus, inquam, sic multis colloqvendo communicavimus, sic sparsim libris editis evulgavimus, ne quis nobis hanc libertatem linguæ vitio vertat, qvasi nunc primum ea uti cœperimus. Vociferamur cum Hieremia: In domo Dei invenimus mala.

Rursum: Dilectus meus in domo mea facit scelera multa. Vidimus ac ingemuimus taciti, sed dolorem alto corde pressimus, nec adhuc doloris hujus expertes sumus, donec egrediatur sicut splendor justitia veri Zionis, & salus ejus sicut lampas accendatur. Eam ob rem voluit Esaias tacere inter Iudæos, nec nos inter Christianos vidimus abominationes illas multas apud Ezechielẽ, & audivimus propter hasce vocem Dei altifrementis: A sanctuario meo incipite cædem cladem qve, puta Q. D. quia hujus ministri plus aliis peccarunt.

Ne autem simili ultione cædamur Ecclesiæ cultores, sit dolor assiduus cordi nostro, propter impias superstitiones, ac pseudolatrias, & gemitibus è pectore ductis humiliter ambiamus, ut Thau signo salutifero consignemur, atq; ita cedem iramqve Dei venturam evadamus cum electis Dei. Tempus est loqvendi, qvia præteriit tempus tacendi. Fiat, qvod bonum est in oculis Domini.

Τέλος.

APPENDIX DE ABUSIBUS.

Enumeratio abusuum ac incommodorum qvorundam Ecclesiæ Romanæ, in causa propria deprehensorum.

Quod barbariem Scholarum fœdam, non tantum ineptam detester: qvod Aristotelicam Scholasticam, sterilem falsamq; Theologiam averser, quod Sophisticen illam insulsam fugiam, qvod Lombardicas nugacitates frigidissimas vitem, quod Sententionarius ac Quæstionarius isto suo modo, hoc est, Lutetianus Theol. aut Sorbonicus esse recusem: qvod pileatos, annulatos & titulis ambitiosis inflatos, hoc est, doctores sine doctrina, nihil morer, nec

Anno

nec Phariseos Iudæorum fimbriatos magnopere curem: quod libros recentium subtilitatum, absurditatum, obscuritatum, breviter, inanitatum refertos fastidiam: qvod horum amatores ac defensores impudentes omittam, nec horum utar commercio, quod Ecclesiarum incomoda existiabiliter multa sublata cupiam: qvod apud istos Cathedrarum tenebras, errores, fabulas, vanitates, adeoqve mortes meras abominer, qvod rituum aliqvot fatuitates vel ex superstitione, vel ex amore pecuniæ natas, homo liberè Christianus contemnā, quod sacerdotum inscitiam atqve Monachorum ruditatem incredibiliter odiosam, utpote Deo & hominibus molestam, iniquissime feram, qvod chori morbos curatos, & lectiones, cantiones, precationesqve qvasdam aut probe castigatas, aut planè delatas esse velim: qvod sacra omnia purgatoria, præsertim altaris quotidiana sacra contueri gestiam: quod linguas in scholis primarias & optimas literas disciplinasqve patrocinio tuear, opera juvem, studio colam: quod de Præsulum incuria, socordia, ac indiligentia, atqve horum officiis illaudabiliter neglectis, subinde conqverar: qvod animo discrucier ob supinitatem mentium, qva iidem præsules nostri non deliberant, non consultant, non dispiciunt de miserrimo Ecclesiæ Romanus statu juvando, atqve reformando, nec congregantur unanimes, propter illam & unicè necessariam causam, perinde ac si Ecclesiæ languores depelli ac curari nolint, & defectus huius dissimulent, & clerum emendari omnino renuant, quasi denique suos ipsorum mores corrigi respuant: præterea qvod Prælatorum ignaviam, & pleonexiam cum asotia conjunctam, veris deplorem lachrymis, quod Canonicorum irregularitatem, fastum, inertiam & intolerabilem licentiam defleam: quod de Clericorum universali iniquitate, quam Psaltes græcus jam paranomiam, jam anomiam appellat, ex animo doleam, qvod ad enormia Romanæ curiæ vitia indigner, utpote qvæ non corriguntur: qvod, Curtisanicas, adeoqve, Simoniacas præbendarum nundinationes non tolli, impatientius fremam: quin imo. quod isti Levitici nihil festinent in reædificanda ac renovanda domo Dei, ad mandatum Ioas Regis religiosissimi, quemadmodum in Paralipomenis scriptum est, hujus acediæ gratia concalescit, & contabescit intra me cor meum: quod ore aperto clamem, ludos literarios Christo & Ecclesiæ non aperiri passim, earumqve necessitatem fastidiri, utilitatem contemni: quod invehar in monasticen corruptissimam, suiqve dissimilem: qvod lamenter Episcopalem & profundam socordiam, turpissimam illam in populo ignorantiam religionis, rerumqve sacrarum omnium: quod incusem Concionatores turpissimè & periculosissimè multos, ad increpanda flagitia Christianorum publica, & ad arguendas culturas superstitiosissimas statuarum, & ad ea inculcanda, quæ cumprimis in cultu divino necessaria erant, ut jam de administratione, atqve tractatione Sacramentorum frigidissima, despicabili, planeqve nauseabunda nihil addam, ob hujusmodi me persequuntur odio, mordent, vitant, & sibi ab afferenda mihi vi vix temperant, juxta dictum Propheticum: Odio habuerunt corripientem in porta.

Superba fastidia concordiæ quærendæ in causa fuisse, cur operam inanem sumserit in colloquio Wormatiensi. & cur Concilium quoque Tridentinum citra bonam frugem dissolutum sit.

Et quo tandem nos pestilens philo-ie a rapit? An semper erimus immemores, quæ res Regem Romanum, statusqve imperii promoverit, ut in Comitiis hoc indiceretur colloquium, & qua de causa fuerimus huc missi? Num inimicè certandi atqve defendendi gratia, & non potius ob id, ut inter partes dissidentes concordia aliqua quæreretur? eaq; felicitate bearetur tandem afflicta Germania? An vero hoc est concordiam seu conciliationem (proceres imperii vocant Vergleichung) inter partes amicè qværi, si penè nullis Ecclesiæ veterascentis languoribus agnitis, rem. diare spuamus, aqve mediis abhorreamus omnibus? Si inquam tempora non distinguamus, nec antiquitatem à novitate discernamus atq; separemus? Quod si hoc contendimus, nusqvam fuisse erratum, nihil uspiam esse quod repurgetur, &c. ubi erit mens nostra? An ignoramus, quem colloqvii hujus fructum à Deo expectent hominum gementium millia? Quod si nullus respectus legum positivarum, nec tempestatis hujus nostræ habebitur, sed ad rigorem summi juris ambitiose agentur omnia, periculum est, ne hoc colloqvium nobis bellum cruentum gignat, cuius crudelitate adigamur plura concedere, quàm oportuit, maximè, si in hisce etiam controversiis concilium recusamus, cujusmodi declaratio Cæsareæ Majestatis anno 1548. recuperandæ ac firmandæ pacis ergo, pro hoc temporum statu concessit, qvæ corroborare eadem æqvitate Paulo tertio qvoqve Pontifici Romano placuit.

Viderint igitur, qvorsum evasura sua consilia putent, qui omne modificationis genus exsibilant, qui extremitates tuentur, qvi ve implacabili sectarum odio ea etiam in sectis condemnare audent (aut si non condemnant, certè obturatis auribus aver-

Anno aversantur) quæ tam sacris literis, qvam veterum scriptorum sententiis nonnunqvam conformia sunt. Ipse, qvod ad meam personam attinet, coram Deo animorum cognitore unico contestor, & coram universali Ecclesia protestor, nullo me suffragio extremitatum defensores adjuturum, nec cum istis consensurum esse, aut consensisse unqvam, qui recentioribus potius, quam vetustioribus in Ecclesia doctoribus adhærendum esse existimant, qvi deniqve omnia
pag. 386. non judicii sanitate, sed affectuum pravitate metiuntur: huc spectantes tantum, ne quid nescisse ipsi, & ne qvid Adversarii scisse videantur: sic me servet Dominus Iesus, cui vivo.

Elenchus abusuum, corruptelarum, deformitatum, vitiorum, deliqviorum præcipuorum in Ecclesia Romana, ad Imperatorem Romanorum.

Jeremias queritur, Threnorum cap. 1.
Egressus est à filia Zion omnis decor ejus.

Abusus Curiæ Romanæ inter crassiores præcipui, ob id subindicati, ut reformentur aut corrigantur per potestatem sublimiorem, si fieri non posset per potestatem Ecclesiasticam.

Dispiciatur, num Christianismum deceat, ut Apostoli Petri successor (alterum titulum excellentiorem effari non ausim) ita se per omnem vitam gerat, ut appareat, eum nihil minus esse, qvam qvod dicitur, non successorem humillimi piscatoris hominum diadema plus quam regium deceat: num conveniat, ut per urbem ministrorum humeris tanta pompa strepituqve ac splendore gestetur, ac si ostentaret, seipsum esse Deum, elatus contra supraqve omne, quod dicitur numen: num illi liceat, Synepiscopos Ecclesiarum jurejurando sibi obstringere & obnoxios facere, manusq; & pedes horum colligare, quo nimirum vinculo coërceantur, ne veritati Christianæ libere subscribere audeant, & modis omnibus caveant, ne vel pilum sedis lædant, nec hiscant, quicquid aut peccet sedes, aut si scelus etiam committat. Huic psychotyrannidi ante omnia stet in faciem potestas sublimior. Quin etiam à curia ista resecet auctionem palliorum intolerandam, qua scilicet insigniuntur Episcopi, sine qva ne Episcopi quidem sunt. Tanti autem venditur pallium unum, quanti multa etiam ditissimi cujusqve latifundia, contra apertissimos canones Gregorii Magni, & aliorum: ut hodie nihil aliud sit pallii redemtio, nisi Germaniæ, ac aliarum nationum tacita direptio.

Num post Christum, & hunc crucifixum supremum Ecclesiæ sub sole caput æqvum sit, ut patiatur suos deosculari pedes ac manus, nec simpliciter pedes, sed sanctissimos pedes? & num ad Evangelium Christi Iesu, cujus vice fungi fertur, congruat, ut politicè imperet, non populis solum, verum omnibus etiam Regibus terræ, seseqve anteferat Monarchis, & in Imperatores imperiũ sumat, qvos velit agnoscens, qvos nolit procul abjiciens? Num potestatem hos confirmandi ac approbandi à supremo cœli terræqve Domino acceperit, adeo ut Imperator non sit, quem is reprobet, nec tantillum valeat principum electio atqve authoritas, si ille caput qvassans renuat? Num omnium sub cœlo Episcoporum summum apicem, ac coryphæum belligerari fas sit, & belligerando omnia regna mundi commiscere, omnia belli incommoda machinari mortalibus, omnia perdere, sanguinem Christianorum sicut aqvam effundere? Et an Constantinus Evangelium Dei sic oderit, ut ejusmodi voluisse, ac permisisse, imo jussisse credatur? Præterea num tale fecerit Sylvester, & alii hunc secuti? à patronis nimium justis donatio ista tota gravioribus argumentis probetur, quam hactenus videre orbi contigit, ac probabilibus refutetur rationibus, qvicquid eruditi in statu inficiali ei palàm opposuerunt.

Num post filium Dei, pastorem in terris Ecclesiæ Dei summum oporteat judicio perverso condemnare homines innoxios, & servare nocentissimos qvosqve? Num justum sit, ut suo feriat fulmine, suoqve percutiat anathemate libros Ecclesiæ Catholicæ frugiferos, ac omni eruditionis genere claros, & econtra libros chartasq; pestiferas, ac qvibus nihil indoctius insulsiusqve fingi potest, albo calculo cõprobare atqve tueri, judicare hæresin, ubi hæresis non est, & laudare, ubi hæresis est, & error inanis? Hocne Apostolicum? non enim dicam Evangelicum, ne à cœcis videar Evangelicus, quod nomẽ hodie interexteros malè audit? Dispiciatur item, num expediat Christianismo, tantam alere curiam, cujus pars maxima ad nihil vacat aliud, nisi ut mulgeat Episcopatus, exsugat Abbatias, deglubat Prælaturas, expilet citatos, excoriet damnatos? Atqve hæc per nefariam avaritiam, fraudulentiam, imposturam, malitiam. Breviter aurum & argentum, qvod Petro non est, emungat ab omni natione, & hoc ad delicias seculi, adq; voluptates obscœnas prodigaliter abutatur, omni metu Dei posito.

Hæcne Apostolica? Hæcne boni exempli? ut est multo indignissimum, eam vocé, Apostolicum & Apostolicè, in curia omnibus diplomatis assui solitam, perqve hanc audaciam, adeoqve apertam blasphemiam sacrilegos obtinere ab omnibus omnia, retinentibus, reclamantibus Petro & Paulo nisi

Anno nisi fortè illic alius Petrus & Paulus regnet quos nescit Ecclesia Christi.

Num deniqve Christiano Pontifice dignum sit, sacra vendere, & profana præbendarũ negotiatione ita esse occupatum cum tota aula, ut istuc peculiare ejus officium

pag.387. existimetur? Num sit Pontificalis officii, commentarii indulgentias in purgatorii usqve Utopiam valentes, & has vendere fatuis nobis, unà cum diplomatibus de libertate lacticinii, & excitare jubilarias nundinationes propter turpe lucrum omnia? harum fatuitatum etsi pudet Simones, tamen expectant occasionem renovandæ pseudolatriæ atqve ludificandæ plebis. Eatur obviam huic conscelerata negotiationi, & subvertatur hæc numulariorum mensa tandem, & conficiatur spiritu oris divini Simonismus, ac Giezismus Curtisanorum. Quis zelum Iehu cobiberi velit? Emporium istud Sacerdotiorum ferre amplius non potest cœlum & terra? Res processit ad Impietatem usqve, & implevit templa bipedibus bestiis, quæ dedecorosa portenta Ecclesiam passim contamināru̅nt. Sunt infinita, quæ ipse ignoro, quæ nihilominus pietatis Christianæ sit aut reformare Romæ, aut moderari, aut si horum neutrum fieri queat, extingvere, donec ad Gregorii primi tempora sit reditum, qui hodie, si reviviſceret, nobiscum & consentiret & loqveretur, una cum tot retro Pontificibus, servis servorum Dei & magis imitationem, quàm succesſionem Apostolorum meditantibus.

Abusus Curiarum & Ecclesiarum Episcopalium, præsertim per Germaniam.

Abusus præcipuus committitur in Electione, qvæ parens est postea omnium corruptelarum: eliguntur affectu magis qvàm judicio, non à tota Ecclesia, sed à certis qvibusdam paucis, qvorum pars major neqve Deum magnoperè, neqve Ecclesiam universalem curat, neqve hujus profectum spectat, neqve sacras callet literas, tota harum rudis, tota tenebris involuta, operibusq; carnis immersa, qvo fit, ut ament potius sui similem eligere, qvive ipsis commodus sit præsul magis, qvàm qui sit propensus erga populum subjectum, ut tunc in pace gubernat, diligat, pascat, ac ponat animam pro grege suo Ecclesiastico.

Abusus præterea est & magnum dispendium, post electionem possessio confirmata & ingresſio Imperialium civitatum: unde Episcopi sua cognomina ducunt, etsi invitis ubiqve civibus. Post qvæ prima est cura de novis corradendis pecuniis, virtus post num̃os, ut semper & de moribus ultima quæstio: proxima cura est de amplificando choro, hoc est, ut turba sacerdotum ingens præsto sit in conspectu Principis Sacerdotum, & qvo majora veniant scandala in populo, & crimina multiplicentur ad sacerdotum numerum. Abusum de duobus tribusve Episcopatibus copulādis, & de inhabitatione seu residentia, deq; id genus rebus similibus reprehendēdis, vidit etiam Concilium Tridentinum, etsi semicæcum, vidit & unius Prælati viginti, aut etiam triginta præbendas: vidit quidem, sed non correxit, dixit, nec fecit. Tertia cura Electo incumbit de eqvitatu strepituqve aulico, & satrapia magnifica: cum præsulum nullus inferior præcessore suo videri velit.

Inde nobis vita tota aulica, consilium aulicum, supercilium aulicum, nihil Episcopale, nihil humile, præter amictam clericalem: cæteroqvin familiaribus, quia de seculo sunt, & PseudoEvangelici, plerumqve permittitur vestitus iste barbaricus, atqve adeo monstrosus, & majoribus inusitatus, ut permissa hac licentia, hujusq; simili, in servitio aulico ac comitatu retineantur. Et indulgetur peccaminola crapulatio, inebriatioq; dies atqve noctes, & nescio qvid obscænius, ne qverantur de infulis sordidis. Atqve his multo plures existunt abusus, & longæ pacis mala dispendia ac corruptelæ aularum Episcopalium, præter scripturas canonesqve, præter exempla veterum Episcoporum Ecclesiæ veterum, cujusmodi nobis omnia progignit status ille Archicus, sive ἡγεμονικός, cujus initium est ab homine, non à Deo, & homo Cæsar poterit Ephoros hosce hoc onere levare qvippe qui imposuit: qui habet condere, idem habet rescindere. Videbatur illud Ecclesiæ prodesse, sed comperitur obesse, siqvidem potestas politica præpedivit Ecclesiasticam, & cura seculi præponderavit in detrimentum Christi.

Scriptum est de magnis sacerdotibus, sive illi synagogici sint, sive Ecclesiastici, officium illorum esse in his, qvæ apud Deum aguntur. Mundus excluditur, nec Deo militans implicatur vitæ hujus negotiis, qvod utrumq; Paulinum esse intelligis. Et verum est, qvod ait Satyricus:

Pectora nostra duas non admittentia curas:

nempe cœli & terræ, nec minus verum est: Neminem posse duobus servire dominis.

Mitto persequi reliqva, in qvæ jure inspiciant Monarchæ Christiani, maximè cum ipsi Episcopi juxta cognomen suum non inspiciant in diœceses suas, & deserant parochias suas, utpote qvibus non est cura de ovibus. Væ ingeminatum apud Prophetam ad aures occinitur magnis Pastoribus illis Ecclesiæ Rom. qui pascebant semetipsos. Lac edebatis, & lana operiebamini, & qvod crassum est mactabatis:

gregem autem meum non pascebatis: qvod infirmum fuit, non consolidastis: qvod ægrotum, non sanastis, &c. Sed qvid pluribus opus est? Unâ sententiola totam qverimoniam claudit idem Propheta: sicut mater, & filia ejus. Intelligenti sat.

pag. 388.

Abusus negligentiæ, impietatis, superstitionis in Ecclesiis sub Episcoporum pastoratu.

Præsules curam abjiciunt de cathedrarum suarum officio, nec superattendunt, nec disqvirunt solicite, qvales habeant Pastores, qvales Concionatores, & qvid pabuli apponatur ovibus, qvid recti praviqve concionentur splendide isti togati, nisi qvod subinde percipiunt ab assentatoribus: Recte per Jovem lapidem ille: nihil enim Lutheranum. Qvod percepisse tantum, contentus est Præsul. Item: Optima fuit concio: nam hæreticos suis depinxit coloribus: sat est, ait Præsul. Atqve hujus rei gratia stat illi currus aheneus, & alti qvadrijuges in vestibulis. Adeo stupidi non intelligunt, qvid rectum, qvid minus. Lutheranum autem illis est, qvod etiam in minimo dissidet à receptis: & hæreticum, qvod pugnat cum Aqvinate, Scoto, Anshelmo, Bonaventura, Vade mecum, Dormi secure, Discipulo, Pomerio, & id genus Evangelistis. Abusus igitur exitiosus est, cathedræ non satis invigilare, sed in utramq; aurem stertere, Evangeliumne concioneris Christi, an Antichristi, ac è scripturis sanctis viam Dei ostendas, an vero ex fœtentibus indoctorum Monachorum lacunis.

Abusus est, bonam horæ partem prolixis ac inanibus parœmiis & invocationibus ac frivolis nugis deperdere, & mortuorum næniis & fictis divorum fabulis: de horum vitiis historicè conscriptis non dico.

Abusus ingens est frigidissima ista sacramentorum administratione, altum dormientibus Episcopis: qvanto majus est sacramentum baptismus, tanto indignius ubiq; tractatur. Res usqve adeo sacra per garrulas ac bibosas mulierculas agitur, tantum viris alibi occupatis; & sæpenumero per sacerdotulos & æditμos temulentos alieniore tempore, qvi, qvod faciunt, ipsi nesciunt: legunt aut potius demurmurant isti Hieronymistæ è libro suo verba neqve sibi intellecta, neqve circumstanti plebeculæ. Qvibus si qvis svadeat, ut germanis germanicè proferant preces, illicò clamant, se esse Catholicos, non Lutheranos, qvasi verborum sonus schismaticum faciat. Mox properatur à Baptisterio ad crapulam & ebrietatem, sibi persvadentes, satis esse pædobaptismo factum. Similis abusus inest in confirmatione, præsertim qvoties vix pubescentes ulnis apportant, non manibus adducunt, qvasi vero non satis sit, inscios tinctos fuisse, nisi inscii etiam confirmentur. Præsules ducunt hæc pro leviculis, tantum abest, ut ipsis curæ sint, cum canones de hoc ritu, qvid, qvo tempore fieri, debeat, præcipiant.

Ordo sacerdotalis, qvot, obsecro, scatet abusibus? qvot deformitatibus? Properatur in templum, ut mereantur. Mereri enim appellant, si qvid faciunt in publico cultu: & tanto freqventius ac diligentius, qvo, qvod merearis, pingvius fuerit. Gratuito apparere in loco sancto plebis est, non Cleri, ut & in novo Testamento impleatur, qvod dictum fuit olim contra Leviticos apud Prophetam Malachiam: Qvis est inter vos, qvi claudat ostium, ac incendat altare meum gratuito? Talis verò annon est abusus manifestissimus: nec vita domestica plena vitiis, flagitiis: non est manifestus abusus concubinatus, violentia, somnolentia, comessatio: turpiloqvium, amor, alea, & in magnatibus, qvi cognomen à regula ducunt, præter hæc vitia sunt domestica, nec enumerantur inter abusiones Ecclesiasticas: neq; hæc tamen ferenda in Clero reformabili.

Qvotqvot vero ejusmodi patrare amplius pertinaciter decreverunt, nec colla sua potestati sublimiori submittere in animo habent, omnem reformationem respuentes, ac bonis recalcitrantes monitis, deponantur à Clero, & locum habeant inter laicos, sicuti Patres eorum. Cur enim perpetuo toleretur plus qvàm Ethnica pseudocleri licentia? & qvid comeruit Ecclesia Dei, ut à suis peculiaribus ministris indesinenter ac atrociter perpetuis obruatur scandalis? & hos scandalorum disseminatores suis alat opibus? Ecqvid Christo placeat à talibus peracta latria?

Nec suo caret abusu confessio auricularis. Nam vitium est, homines ad hanc invitos cogi. Adhæc reqvirunt potissimum, qvid quis peccârit adversus constitutiones Ecclesiæ: perrarò exqviritur, quid peccatum sit adversus decalogum, & parænoses Apostolicas, & faciunt interdum peccatum ex non peccato. Præterea extendunt confessionem sacerdotalem, ut quæ pariter fieri deceat & beatæ Mariæ virgini, sanctisqve omnibus, quasi Maria desideat in angulis templorum prompta confessionum auditrix & habeat socios auditores Baptistam, Petrum ac Paulum. Impietas est, & hæc haud sanè mediocris, quod nuper φρατεία tanti fecit confessionem istam sacerdotalem, ut audeat omnē penè justiciam & spem salutis in hac, tanquam in anchora Christianæ religionis sacra atqve unica, collocare. Evangelio detrahit, & confessioni tribuit plus de hoc, qvàm de illo sentiens, cum non ignoret, humanum esse inventum ut per-

1580 ut perſvadeat incautis, humanam conſtitutionem, ſi non præferri, certe adæqvari debere, aut poſſe, & Evangelio Dei. Multa ſunt utilia, qvæ non ad ſalutem neceſſaria: ſed iſti ſemper magis urgent minus neceſſarium, minusqve principalia: adeo non cælant nos, qvo ſpiritu agantur.

Inter abuſus Matrimonii alius aliud qviddam numerat. Nos hic adulterium accuſamus, qvod tamen magis eſt crimen, olim capitale, nunc veniale, & tanto impunitius committitur, qvanto gravius vetuit utrumqꝫ ſimul teſtamentum, ac qvanto ſeverius olim in hoc ſcelus animadvertit Eccleſia, & ſcommatis exagitavit ſatyra. Nullum ſupereſt remedium, niſi ut leges politicæ reſuſcitentur authoritate imperiali, &
1589 renoventur pœnæ adulteriorum, ne ſemper audire cogamur: Lex Julia dormis? Cui ſeveritati ſuam addet excommunicationem, ſuam virgam, ſuum vinculum mater Eccleſia, tradens adulterum unâ cum adultera Sathanæ, donec ſatisfiat crudeliter offenſo populo DEI. Qvorſum enim acceperit Eccleſia clavem ligandi, niſi ea legitimè utatur? in qvem finem alium poteſtas politica geſtet gladium, ultorem facinorum? Mementote tribunalis ſupremi judicis vos, qvi judicatis terram. Adhæc non minor eſt Chriſtiani nominis ignominia, nec crimen minus, qvod exemplo Heliogabali, ac inſtinctu diaboli, Epiſcopi & Magiſtratus tolerant, imo ædificant ac protegunt ſpurciſſimos fornices fœdiſſimæ veneri conſecratarum mulierculatum, ut menſuram impleant omnium iniqvitatum, & Chriſtianiſmum pergant cooperire flagitiis, ac offendiculis innumerabilibus.

Verum ejusdem eſt impietatis concubinatus Sacerdotum, & lupanar publicum, nec eſt utrobiqve diſſimilis religio, niſi qvod hæc apparet venerabilior, altera ſordidior. Hunc ſtatum reperit Cœlibatus, illum diſcurſum invenit ocium, neutrum thorus immaculatus. At jam pudere nos cœpit hujus politiſſimi, & deſtrui cœperunt Heliogabalica multis in locis: Ephoros nondum pudet cleroporniæ, nec forſan aliud perinde decet collegia hieratica. Ponat Auguſta Majeſtas ſuper cor ſuum, ut utramq; impunitatem, h.e. ut qvod malũ eſt, de populo Chriſtiano auferat: magnum mentis opus, qvod prædicabit poſteritas, qvæ laus Homero judicatur non ultima.

Cæterum, qverela noſtra de praviſſimis abuſibus redeat in Eccleſiam, in qva redundant Miſſæ vitia, maxime autem circa iſtas privatas Miſſationes, qvi abuſus de optimo Liturgiæ, & publico per hominum ſuperſtitionem ac avaritiam crevit, haud aliter qvàm: ſed comparatio eſt odioſa. In confeſſo eſt, hic non eſſe, nec eſſe poſſe cœnam Dominicam, nec communiter hoc opificio qværi aliud, qvàm pecuniam & qvadram alienam. De paucisſimorum pio affectu non loqvor: qvanqvam nec hos tuebor, ni comparticipent vel in templo, vel domi, ut ſe qvidem offert aut loci aut temporis ratio, cum neceſſitate conjuncta. Mercenarias miſſationes & conductitias pro rejectis judicato, qvisqvis de Chriſto & hujus cœna ultima rectè ſentis. Qvare? qvia ſunt Mercenariæ, & non illis vel tantillum cum inſtitutione originali, nec cum Apoſtolica traditione. Per Monachos irrepſit in mundum, per Monarchas conſopiatur, Sacerdotes ob has creati recreentur ad Evangelizandum, & ad alia Eccleſiæ juvanda neceſſaria munia, atqve ita ſuis vivant: ſin minus, redeant ad locum laicum, unde venerant ad ſacras ſacri ſuffraganei manus. Neqve enim ſunt de tribu Levi, ut oporteat ſemper eſſe Leviticos. Horum tamen nullus audebat olim proprium, & pro ſuo beneplacito altarium erigere, ac ſacrificium ſeorſim facere.

Cœnam Dominicam actitatam in Liturgia Apoſtolica Græcorum vehementer collaudo: à Latinis non diſſentio. Appello cum Ambroſio miſſam, cum aliis μυστήριον, ac communionem voco εὐχαριστίαν. Res eſt eadem, diverſa nomina. At verò iſtas monaſticas, & ut ita dicam, Pſeudo-Gregorianas miſſationes neqve collaudare, neqve propugnare poſſum, ut nec unqvam antea, qvantumlibet Catholicus. Idē qværeret de abuſu communionis, niſi nunc ordinarie conceſſum eſſet utraqve veſci ſpecie cuivis Chriſtiano, antea ſatis explorato, & myſterium intelligendi. Verũ qvis in abuſu, & ſententia Sorbonica permanere decreverunt, illis mentis ſobrietatem precor. Si maledicent, nos benedicemus: ſi λοίδορα evoment, & hæreſes crepabunt, nos placide objiciemus Evangelium Jeſu Chriſti, ſecundum omnes qvatuor Evangeliſtas, dolentes ſuper cæcitate antichriſtiana, & plangentes planctum magnum ſuper ſpecioſa deſerti.

Atqve inſignis abuſus alius: & reperitur abuſus circa tantum reliqvum chori latini, qvi fit qvotidie ex codicibus inemendatis, magno cum riſu vel ſemidoctorum. Et hunc abuſum magis ridiculum reddent inertes, qvi contendunt, ſic inſtituiſſe cantum veteres, propterea ne jota qvidam corrigi aut mutari debere. Qvid tu de veteribus, bipes aſine? Ad veteres ego provoco, illi ut ſint judices. Vetus tibi ſit optimum, qvod vix heſternum eſt? O ſupinitatem clericalem, qvanta eſt amentia, qva Dominus percuſſit magnam Eccleſiæ Romanæ partem? Nullum mihi prorſus dubium eſt, qvin ſi redirent in hanc Romanam Eccleſiam, in qva fuerunt quondam S. Ambroſius

sius & Augustinus, reprobaturi sint partem cantus, ac partem probaturi: eam videlicet, cujus ipsi auctores fuisse vulgo feruntur.

At quibus auctoribus tuebere cantum universum de virgine matre, deqve Divis per omnem annum? Quid hujusmodi legistis apud veteres cani, atque observari universaliter? Confer purpuram juxta purpuram, & vide quid prisci in Ecclesia Dei cecinerint, & qvid hisce nuperis seculis novelli? clamabis, dissimilia esse, & qvod vetus est, Christum sapere. Eheu degeneravit bona ex parte, ut cãtus, ita ferè omnis λατρεία. Ubi putabas laudari Deum, laudantur homines. Quam fermentatam laudem qvis Theologorum asseret? Olim solus Deus invocabatur cantib9, precibus, laudibus: nunc invocatur qvidem, at non solus. Additur ei jam socia mater, jam divorum multitudo, ac si nunc abbreviata esset manus Domini, & inciperet esse alius, quàm erat à principio, forsitan infirmior ad adjuvandum progressu longissimi temporis factus, ut ei coadjutoribus opus sit. Quo magis demiror frigus istud inusitatum semichristianorum, in qv.bus non solum refrixit dilectio Dei, sed propemodũ extincta est cognitio Dei: aversi videlicet existentes à Christo ad Mariam, atqve filii cultu degenerantes ad cultum matris adeo, ut putent, summum esse scelus, dicere orationem Dominicam, nisi statim addant salutationem Angelicam, perinde ac si illa citra hanc non valeat cassam nucem.

pag. 390.

Ex talium, non ovium, sed hircorum grege prodeunt nobis, qvi non dubitant (adeo sunt in sensum reprobum traditi) puritati ecclesiæ veteris cantionem istam, nauticam magis qvàm Evangelicam, Salve Regina, &c. vendicare: & cum accusare impietatem debeant, excusant, tantisqve ornant laudibus hanc cantiunculam, qvantis nemo unqvam Christum Opt. Max. evexit: imò ab Erebi faucibus caliginosissimis revocatam superstitionem. Volui compluribus ante annis hoc chori putre vulnus medicari, pro Catholicorum, ut dicitur, honore conservando: sed qvò attentius curavi, hoc majorem operam lusi, præsertim ubi incidissem in libellum Joannis Henlini Dominicastri cujusdam, super aspasmum istum, Jesu bone, qvo an potest extare uspiam libellus falsior, audacior, furiosior? O tempora, ô credulitatem majorum, perdat te infelix Henno, cum tua ista futilissima, insulsissima, alienissima expositione. Christus Rex Opt. Max. cui gloriam eripis, & alteri tribuis, calcet hunc basiliscum, qvi contrivit ipse caput serpentis. Monarcha etiam Ecclesiasticus, ut confido in Domino, ubi aliqvando fuerit expergefactus, tale probrum, & ejus generis alia cantica inexcusabilia non solum abrogabit ac mutescere jubebit: verum obstupebit etiam ad impietatem, specie pietatis artificialiter obtectam.

Nullum canticum hodie tritius, nec qvid celebrius, nec decantatius per templa, per vicos & plateas. Hac melodia percepta, leniuntur superstitiosorum aures, & statim loculos aperit ad Syrenas hasce, cum vix aliud in toto sacerdotum choro sit alienius à scripturis sanctis, & qvod cum Evangelio Christi, atqve doctrina apostolica perditius pugnet. Si foret in terris Chrysostomus, rideret utiqve: si Epiphanius, stomacharetur in suos Collyridianos, salvo tamen honore Matris Domini nostri, qvam honoramus honore debito, & adversum honoratores istos contumeliosos jure Ecclesiæ veteris defensitamus. Litania clamat, ora, non adiuva, qvod non potest, filius solus potest.

Perbellum verò commentum incacat Henno in sancta sanctorum: scriptum est, inqvit: Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium, id est, non sufficit unus advocatus vel mediator humano generi in cœlo, c ũ tot, & tam periculosas causas habeat coram Deo: faciamus ei adjutorium, id est, beatam virginem, &c. Ejusdem ambrosiæ nectarisqve, Angelum salutasse virginem latine: Ave, id est, sine væ, quod à multiplici miseria liberemur per reginam misericordiæ: quasi Hebræam hebraicè non salutarit Schalom, more Judæorum omnium, aut non potius, quemadmodum græcè descripsit Lucas, χαῖρε, quam salutandi voculam seu vocabulum olim Psittaci calluerunt qvoqve, inde salve generaliter dicimus, qvod Henno sic interpretatur, salva à væ, ac si vellemus dicere: ô Maria, quæ es sine væ, salva nos à væ, &c. Talem absurditatem, nedum impietatem in Christianam mentem cadere posse, quis credidisset?

Nec minus tamen Marisstellani quidam hoc oraculum tanti faciunt, ut ad asylum istuc pœnitentes mittant suos, qvoties satisfactionis loco eis injungunt aliqvot Pater, aliquot Ave, & aliquot Salve. Nomen Dei quod Hebræi appellant Schem ha Mephoras, à nullo unqvam Rabbino expositum est accuratius, quàm hoc canticum Compostellanum, omni Trishagio Dei, omniqve doxologia DEI celebratius, augustius, divinius. O quantum cæcæ noctis habent mortalium pectora?

Proximus huic abusus versatur circa statuas Marianas quibusdam in locis, quas cũ non nesciant Episcopi propè adorari, maximè verò ad carmen illud lucrosum juxta ac incomparabile Petri de Compostella: dissimulant, nec sculptile submovent, in quo creditur inhabitare numen in Apollinis

ſinis Delphici ſtatua, ad quod ſcilicet numen, ſive ſit ſculptile ſive fuſile, terra marique confugiunt, opemque expetunt, qvi non credunt, in Iſrael eſſe Deum, & puri Nabalitæ, qvi dicunt in corde ſuo: Non eſt, &c. qvi citius crediderint Cottæ Ciceroniano, neganti Deos eſſe, horumque curam de mortalibus, qvam Balbo, Deos eſſe, aſſeveranti. Qvod illi de diis, nos de Deo ſentimus. Corroboratur hodie per Mariſtellanos, ante id genus ſculptilia religioſè procumbentes, hi niſi veniſſent, illa de nimis ſero occaſu periclitabantur. Hic qværitur, hic colitur Maria votis, invocationibus, obſecrationibus, genuflexionibus, manuum complicationibus, pectorum tuſionibus, precioſiſſimis ornatibus, floridiſſimis coronationibus atqve ſparſionibus, mellitiſſimis inſtrumentorum muſicorum ſonis, candelarum incenſionibus, & fixis in has ſtatuas oculis gementium filiorum Evæ. Nunqvid iſtuc eſt enormis dyslatria.

Jehu videt, ne ſtomachū Hyperdulo moveam, παρθενολατρεία eſt apertiſſima, καὶ λάτρα σεβάζουσι τὸ ἄγαλμα τῆς κόρης, hoc eſt: ſumma contumelia virginem matrem afficiunt. Sub dio invocari Mariam in adverſis, Evangelium non patitur, & ſub tecto patiatur invocari in ſculptilibus? In tantum vero abuſum cruperit honor beatiſſimæ matris, ut imagines hujus nō appellent imagines, ſed ipſam dominam: qvemadmodum reliqvorum divorum iconas ipſos divos compellunt: indignum rati, opera manuum hominum dicere. Reliqvum ſibi fecit Rex Ezechias, utqvi ſerpentem æneum, qvem fecerat Moyſes, in nihilum redegit propter Idololatriam Judaicam, idem tollat è medio ſimili zelo, & purgandæ religionis vehementi ſtudio, hæc agalmata lignea, qvæ fecit fabuloſus qvispiam: & qvæ colit adoratque Parthenolatra inter Chriſtianos, ut poſt ſynagogam gaudeat Eccleſia, ſe qvoqve habere ſuos Ezechias, Joſias & Joas, mundatores domus Domini: eadem ſeveritate animadvertet poteſtas, ſi non Eccleſiaſtica, attamen non ceſſat politica in luſtrādis delubris, ubi divi divæque nominatim colūtur.

At qvæ Creſphygeta freqventiſſimi ſimplicium concurſus eſſe ſolent, pro impetranda ope corporis, raro animæ, qvales plus qvā Euthuſiaſticos accurſus habuerūt delubra beatæ matris: parthenomanias dixeris, ſi videas, œſtro devotionis ſuæ percitos turmatim convolare illuc ex agris, & ex ergaſteriis utriusqve ſexus, ſpiritu qvodam peculiari agitatos, qvæ erat valdè opima meſſis qvorumdam Camarim: adeo tota hominum ſalus pendebat à divis, aut potius à divorum imaginibus, ac ſacerdotulorum perſvaſionibus. Vocabant eas ſtultias peregrinationes, qvarum aliæ votivæ fuerunt, aliæ ſpontaneæ, utraqve ludificationes Maligni, ut prætextu talium religionum, ſcelera in Eccleſias inveheret. Hoc Antichriſti venturi ſpiritus fecit, & proſperatus eſt, teſte ſcriptura.

Pari zelo diſpiciet poteſtas utrumque, an deceat Eccleſiam illud Sebaſina alibi pendulum, alibi affixum, qvod vulgo vocant ſanctum auxilium, de qvo ambigitur: utrum mas ſit vel fœmina? Certe ad hanc auxiliatricem fœminæ plerumqve in adverſis refugiunt, ſua adferentes votiva donariola, qvæ anathematō.) loco ſuſpenduntur in argumētum ſuæ ſuperſtitionis. Qvod ſi mas ſit, conſentaneum eſt, majores voluiſſe, hac imagine adumbrari rudioribus, auxilium Dei invocantibus, eum præſto adeſſe omnibus: ſed ſcriptura plane informi crucifixi, nimirum togati ac coronati, & ſtantis, & funiculis alligati, non clavis affixi. Purganda ſunt templa ab his ſculptilibus, propter cultum divinum, qvem populus ſeductus illis impendit, & propter anathemata induſiorum, femoralium, cerealium omnis generis, propter item peregrinationes ſuperſtitioſorum, & neſcio qvas frivolas votationes. Auxilium Dei de cœlo nobis eſt qvovis loco, ubi eſt vera fides, ubi invocatio, ubi dilectio Dei, & proximi: agalmata ſive ſtantia ſive pendentia, ad ſalutem nihil conferunt: imo labefactant fidem, & corda ſurſum aſpirantia deorſum trahunt ad exteriora, ubi nihil vel rei vel ſpei.

Porro, qvæ precor, nos dementia cepit usqve adeo notabilis, ut abuſum excogitaremus de baptiſandis Glocis (ſic enim ajebat Carol. Magnus in conſtitutionibus ſuis) ut in hoc qvoq; aſſimilaremur ſynagogicis, de quibus Evangeliſta Marcus ſcripſit, illis curæ fuiſſe βαπτισμοὺς χαλκίων. Hæc campanarum baptizatio: vocant lotionem, ut rem extenuent: haud aliter ſuas habet preces, Chriſma ſacrum, aqvam ſacram & his ſimilia, qvàm hominum baptiſmus. Credo, ut nolarum animæ haud ſecus ſalvæ fierent, qvàm hominum animæ, juxta illud Dominicum: Qvi crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Verbum Crediderit includitur: nam fidem ſeqvitur cōfeſſio, qvæ eſt ſonus æramentorum, propulſator fulminum omnium.

Qværitur hoc loco, utrum major hæc baptizatio fatuitas, qvàm impietas ſit? Reſpondetur per affirmativum: eſt utrumqve ſimpliciter & in plano, abſq; ſtrepitu juris. Nolæ in hoc paratæ ſunt, ut Eccleſiam convocent ſtatis diei noctisq; horis, & cōventum ornent, atq; ſonitu plauſibili modo aliqvo exhilarent. Vini adminiſtratoriam Angelis, non cāpanis pii adſcribunt, ut nec ce-

roo

reo paschali, ramis palmarũ, titionib' pervigilii, herbis virginis assumtæ, pani aut vino Joannico, aqvæ, sali, cineri, chartę de collo pensili: qui exigui qvidẽ abusus sunt, sed tñ detrimentũ Christianæ fidei haudqvaqvã exigium secum trahunt, ut taceam, abusus hos incantatricibus observire. Nolim tu, qvæ bona sunt, propter homines malos omitti, nequ[illegible]piam, piorum affectum aut hæretico[illegible] aut superstitiosorum hominum affectu aliqvos metiri velle.

Purgentur templa à tabellis pensilibus immodice superstitiosarum precum ad divos: nam ad hos sunt intitulatæ: & tamen negatur, adoratos fuisse tam divos qvàm divas. Purgentur templa à tabulis indulgentiarum papalium, qvas jam ipsi præsules nihilominus patiuntur esse in conspectu & offendiculo populi. Visuntur passim & mutilæ ac confractæ ligneæ imagines, ad nihil aliud utiles, nisi ut prætereuntibus scommata jaciendi atqve cachinnandi occasionem præbeant vel invitis. Divos nemo Christianorum contemnit qvidem: at qvis se à risu contineat, qvoties in oculos incurrit Icon lacera sine capite, sine cruribus & manibus? etiamsi ille à temerariis Iconomachis dis dia pasôn dissentiat: dolet Catholicis, inde offendi debere hos & Judæos occurrentes, ut ne dicam indecorũ esse. Talis imaginum abusus, præsertim sculptilium vituperabilis admodum est, & ad pietatem nec tantillum facit. Cur igitur dubitent vel præsules, vel Magistratus, ejusmodi sine tumultu removere, aut in integrũ restituere? præter hæc si qvæ aliæ statuæ puellares altaria frustra occupant, ad concupiscentiam carnalem allicientes magis, qvàm ad timorem Dei invitantes.

Verum hos abusus, qvoniam præcipui esse videntur, commonstrasse visum est satis. Abusus infinitos alios qvis enarrabit? Multos tamen insuper commonstravimus sparsim in libro Viæ Regiæ hujus, & multis alibi longe ante hæc. Si qvis præterea volet excutere Monasticen, aliqvot subtiles inveniet abusus, alios crassos, sed penè omnes cum vitiis morum conjunctos. Alius monasteria ditat, alius eadem exspoliat, neutrum probatur: siqvidem egenis subtrahitur utrumqve. Magis tamen peccat abusus (aut magis raptus) qvo spoliantur monasteria, qvàm qvo dotantur. Xenodochia, & Ptochodochia ditari oportuit, ac saturari famelicos. Frustraneum est, pag. 9 2. ventres avaros & jam confertos infarcire, hoc est actum agere. Invenies abusus in curatione spirituali ægrotorum ad mortem. Sicut & abusus in exeqviis mortuorum ac sepulturis, & variis hominum credulitatibus.

Abusus testatorum non esse non potest, qvòd nihil bonorum relictorum legant in hospitalia, nec memores sunt pauperum puellarum, ut honestius elocentur, multi prorsus Astorgi, ne pauperum qvidem cognatorum, qvos frigere ac esurire norunt. Huc duntaxat vertunt animum, ut detur habentibus, qvod corraserunt per fas nefasqve: qvi videlicet flammis purgatoriis percoctas liberent animas.

Abusus pessimus est Ecclesiæ in hac etiam causa, dum alii domo efferuntur ac trahuntur ad sepulturam planè asininam: ubi ne mica qvidem honoris ultimi, qvi homini debetur, nedum homini Christiano. Obrutorum humo nulla posthac memoria, neqve publica neqve privata: dum contra alii modum excedunt in honorandis mortuis, funeralia magnis impendiis curantes. Unde vix minutissima portio redundat in egenos. Nusqvam apparet Medium, tenditur ad extrema, qvocunqve vertas oculos. Qvæ causa est tot ac tantarum in Ecclesia ruinarum, & extrema illa tribuuntur Spiritui sancto, citra cujus suggestionem nihil in Ecclesia omnino geri stolide confirmant, qvasi totum spatiosum hoc mare errorum, fabularum, ineptiarũ abusuum, superstitionum, deformitatum manârit à Spiritu sancto, & non potius multa profecta fuerint à spiritu illo mendaci, qvi in ore Prophetarum fuisse legitur, & adhuc esse potest.

Qvin reperitur etiam abusus circa mendicabulum, dum non inspectatur ante in mendicos publicos, validinè sint, an invalidi, qvàm permittantur pulsare ostia. Inexplorati admittuntur, & inter hos sæpenumero proditores. Veros pauperes, qvi aut mori aut mendicare coguntur, portis civitatum prohibere, aut forte ingressos excludere, non Christianum sed Tyrannicum est. Nec non abusus est, imò peccatum amissionis, pauperes, qvos vocant domesticos, derelinqvere, ut cum liberis suis parvulis extabescant frigore, fame, siti, (maxime si petant) & non meminisse, qvòd illi non solum fratres nostri sint in Domino, sed etiam vicini, qvippe qvos cognõscimus multo magis, qvàm qvi aliunde ad nos adreptant. In utrosqve valeat misericordia, attamen major in domesticos, aut mendicos patrios.

Hic corripiendus est prætoriorum abusus circa captivos neglectos, ac loco canum habitos: adhæc circa insontes qvæstione exploratos. Abutitur Prætor prætura sua, & Judex judicio, carcere gladio. Abutitur Paterfamilias Oeconomia sua circa servos & ancillas, qvas sub jugo ceu pecora ductat, mercedem non solvit justam, alimoniam non præbet æqvam, denegat necessaria, & citius sinit sibi situ perire sua superflua, qvàm pauperculo famulitio nonnihil inde decedat: qvod est familiare vitium locupletum & nobilium, ubi Mammon regnat, Christus exulat. Simili diffici-

tue tra-

retractant mercenarios suos: qva sevitia non erunt excusabiles in die justi judicii, sive credant Catholicè, sive schismaticè: neqve enim habebitur respectus personarum. Abutitur deniqve paterfamilias imperio erga liberos, dum illis frena laxat, & patitur imperium eripi sibi, ut contra jus Dei ac naturæ parentibus incipiant domi dominari.

Similis abusus est in conjugio, dum neqve maritus uxorem, neqve uxor maritum juxta matrimonii legitimi leges tractat. Vitia hæc sunt statuum, sat scio, per concionem qvotidianam atqve severam corripienda pariter ac corrigenda: nihilominus statuum qvoqve & ordinum bonorum plani abusus sunt. De abusibus scholarum alio tempore. Atqve hæc qvidem non satis est Christianismi potestates & potentatus admonuisse, nisi, sicut scriptum legitur, qvod justum est, justè exeqvantur, memores Clitophonis Platonici, qvi propterea Socratis sermones non probavit omnes, & tandem Trasymachum magistrum audire malebat, qvod arbitraretur, virtutem in admonitione non esse sitam, nisi progrederetur ad effectum: perinde ac si qvis nihil nisi medicinam adhiberet ægroto, nec seqveretur sanitas.

Urgenda hæc sunt in reformationis negocio: maximè instandum est, & utroqve pede persistendum pariter, ac utraqve manu contendendum, donec conteratur sub pedibus nostris, & avertatur ira Dei à nobis. Admonui fideliter, non qvasi versarer ἐν χορῷ ἀλλοτρίῳ, sed, ut qvi membrum Ecclesiæ Catholicæ ad totius hujus corporis compagem pertineam, & os de ossibus hujus: sperans, misericordiam Dei Salvatoris, atqve expectans consolationem & redemtionem veri Israel. Τέλος, Vesperi, die festo Laurentii, anno 1575.

1391 *Idem Wicelius.* Pontifex cum natura inqvietus atqꝫ omnino inhumanus, qvosdam novos creans Cardinales, septem ex veteribus in carcerem conjecit, qvòd contra ipsum pro Clemente 7. Antipapa conjurassent. Ex qvibus 5. in ipsius odium aqvis submersit seu Neptuno sacrificavit: qvod genus mortis & Adamus Cardinalis Anglicus tunc valdè difficulter evasit. Platina, Stella, Volaterranus.

Joannes Pierius Valerianus.

Scripsit Hieroglyphica, ubi mystica & alia arcana jucundaqꝫ multa continentur: item de fulminum significationibus: & defensionem pro sacerdotum barbis. Lup. Cat. 5. Pp. Clem. 7. ut sup.

Gaudentius Merula in Memorabilibus.

Campanarum pulsus fiebat olim contra tempestates: & herbæ etiam incendebantur. Sic alii Cymbalis utebantur, ut apud Herod. lib. 4. & Gothi, de qvo Ol. magnus lib. 3. cap. 8. malleos Joviales in promtu sacratos habebant. Qvæ superstitio duravit ad præsens tempus.

Monstrum.

Anno 1558. In Babyloniæ regno, circa Radubios qvos Palycastos appellant, provinciæ Lalassiæ, ad septimum diem Martii mensis infans ex obscuri plane nominis fœmina, Rachiena nomine, natus est: speciosa qvidem forma, lucentibus contra naturam oculis ac dentibus. Ea autem hora qva natus est, non elementa tantum, sed omnes cœlorum virtutes commotæ sunt, ac horrenda signa ediderunt. In medio enim noctis apparuit Sol in solito suo splendore, qvasi in ipsâ diei meridie: qvi deinde in tenebras adeò versus est, ut in Babyloniâ per integrum diem minori miraculo non visus sit. Deinde est iterum conspectus cum insolitæ figuræ, ac diversi generis stellis hinc inde in cœlo oberrantibus.

Supra domum verò, in qvâ editus est puer, præter alia signa, ignis etiam cœlestis de cœlo cadere, atqve homines consumere visus est. Seqventi verò die facta solis eclipsi, ac magna aëris irati tempestate, margaritas de cœlo pluit. Tertio die draco igneus circa Babyloniam volare conspectus est. Apparuit præterea mons novus, ac reliqvos montes altitudine excedens, qvi mox in duas partes divisus est, in cujus medio inventa est columna, in quâ Græcâ lingvâ inscriptum erat: hora nativitatis venit, ac instat mundi finis.

Decima tertia autem nativitatis hora, vox clamantis in aëre audita est: Parate corda vestra ad excipiendum: ac beati, qvi custodiunt verbum ejus. Postqvàm autem ad duos menses vixisset infans, instar senis vocem exaltans, se Dei filium esse, profitebatur: ac cum interrogaretur, qvid præcedentia signa portenderent: Margaritas de cœlo cadentes esse populum, qvi in sua verba juraret: Draconem autem volantem suos adversarios significare, respondit. Curavit omnes morbos, visum restituit cæcis, ad vitam revocavit mortuos verbo suo, ac dum, verû se scripturæ divinæ ac mysteriorum reconditorum interpretem esse, dixisset, per totam Babyloniam contra patrias leges pro Deo adoratus ac cultus est.

Hæc transtulimus ex magni Meyschi Rhodiensis epistolâ, qvàm non tantum ad sui ordinis milites, sed ad omnes Christianæ fidei principes etiam scripsit, ut præcaverent, ne contra verbum Dei falsis à prophetis, ac Sathanæ artibus atqve ludibriis humanum genus deciperetur. Lyc. Ut sup.

Anno pag. 394.

Sebastianus Francus in Chronico.

Putabatur, in proximo excidio Romæ anni 1527. Papam omnino perditum fuisse, ita ut ex hoc malo post hominum memoriam se non posset recolligere. Sic verò ille periit, ut statim subsecuto anno Florentiam obsederit ex propriis sumtibus milites centeno milite, ferè per integrum annum.

Hinc animadvertat qvispiam, qvanto illi constiterint hæ copiæ tantum singulis hebdomadis: ad minimum enim reqvirebat qvævis septimana sesqvidomam auri: & hoc ferè per totum annum duravit. Sanè hæc expeditio difficilis foret ipsi Imperatori, & omnibus Principibus, qvi hujusmodi bellum sine detrimento gerere non possent. Hoc scilicet est illud Pasce oves meas: & imitatorem esse miseri S. Petri, cui nec auri nec argenti qvicqvam erat, & pedestri itinere tot conficiendæ non sine maximis molestiis difficiles viæ. Et tamen nondum pudet homines, illum vocitare Vicarium Christi, successorem Petri, caput Ecclesiæ, & tam pertinaciter id defendere & contendere: cum tamen regnum ejus & curia, Christi Regno & curiæ tam sit simile, qvàm Deo est Satanas. Imperatore 117. Carolo Qvinto. Papa 226. Clemente 7.

Idem. Scriptum & Statutum est in Jure Canonico: Nullius mœchi vel adulteri freqventetur vel audiatur Missa, sub pœna excommunicationis, & Idolomaniæ crimine 11. 12. dist. 1. Verùm &c.

Qværo te, qvò confugiendum omnibus foret Pontificiis, ubi manerent omnes Papæ asseclæ? qvis mundus suppeditaret sufficientem carnificum, ensium, lignorum copiam, ad interimendos & conflagrandos omnes hos? vel qvis omnes anathematis epistolas scribere potis esset, qvæ ferrea vox omnes sententias, anathemata, & judicia damnatorum posset enarrare, & declarare. Consultius eqvidem ipsis esset, non accelerare judicium suum super alios, ne & ipsis unà pereundum foret.

Idem lib. 3. de Hæreticis. Anno 1204. Lutetiæ Almarici Hæretici sectatores Vulcano traditi sunt: siqvidem hoc armorum genere Pontificii multis nunc seculis hæreticos expugnare soliti sunt. Tum turbo repentè exortus est, ut, mundi machinam corruituram, existimarent.

Idem, Ordines Monasticos, qvi tantum ad merita operum respiciunt, asserit, esse commentum & instrumentum diaboli: & subdit, eos esse pejores & detestabiliores, qvàm omnes hæreses & Ecclesiæ schismata: scelerum immanitate, & abominatione idololatriæ & impietatis longè omnibus excellere.

Idem in Chronico. Multa in Aphrica celebrata fuerant concilia, qvorum primarii præsides fuerunt Augustinus Episcopus Hipponensis Atticus Patriarcha Constantinopolitanus, Aurelius Episcopus Carthaginensis, in præsentia multorum Cæsarum, Theodosii, Arcadii, Honorii, &c. Ibi Augustinus in Legatione ad Papam, eum tantum fratrem salutat & coëpiscopum, cum literas daret ad Bonifacium vel Innocentium primum concilii nomine. Item Aurelius: Reverendo sancto Fratri Anastasio, Episcopo Romæ.

Ex qvo liqvido perspicitur, Papæ dignitatem nunqvam tam immensam fuisse, qvanta nunc est maxima, ubi omninò Deus factus est, adeò, ut sanctæ cœnæ Sacramentum (quod esse dicit verum Deum & hominem, cujusqve se Vicarium jactitat) ipsi celebraturo missam in mensa qvadam juxta altare à pedisseqvis apportetur: ipse verò, qvasi par, imo major esset Domino suo, ei non assurgit, aut aliqvam exhibet reverentiam; sed sedenti porrigitur corporis & sangvinis Christi Sacramentum: ex qvo omnibus vult constare, æqvalem se Christo esse, imò longè majorem.

En servum insolentem & elatum, qvi non dignetur eo honore Dominum suum, ut vel assurgat ei, & adeò nulla veneratur observantia, ut Christus inclinare & flectere debeat se ad illum, qvod videmus fieri: qvandoqvidem ipsum seqvi tanqvam minister, & pascere sedentem non morbi, sed solennis fastus & superbiæ gratia, & obseqvium præstare eidem supplex qvasi cogitur.

Idem in Tomo 2. Chronici circa annum 1516. Balthasar Hubmeyerus Theologus apud Regenspurgenses suis concionibus magistratum ita inflammavit contra Judæos, ut excisa illorum synagoga, in area ipsa templum D. Mariæ Formosæ ædificârint. Qvæ cum nescio qvæ miracula edidisse diceretur, fama longè lateqve per Germaniã sparsa, tantus repentè peregrinorum concursus esse cœpit, ut nec templum, nec cœnobium, vix etiam urbs ipsa, ampla alioqvi, vereqve regia, tantæ colluviei sufficeret. Auctus inde furor, ut qvi formosæ tantum Mariæ Ratisbonensis vel obiter meminisset, velut enthusiasmo correptus, posthabitis parentibus, conjugibus, liberis, rectà ad eam diesnoctesqve irreqvieto cursu, obviis in itinere nec salutatis nec agnitis, contenderet. Neqve verò vel minis vel vinculis coërceri poterat.

Instrumenta artis, (nam plebeios ferè & opifices hæc vesania agebat) qvæ mentemotis ad manum fuissent, secum abrepta, statuæ anathematis loco offerebant. Vidisses mulierculas trahentes pueros, senes scipionibus innitentes, pueros panis frustũ vel pomũ donarii loco obtendentes ægros

gros cum linteaminibus & ftragulis adrepentes, cibi, potus, somniqve interea immemores, mutos, surdos, & apertis cœcos oculis. Templum ingressi non omnes eodem afficiebantur modo: sed qvi ad summum gratiæ, uti persvadebant sacrificuli, pervenissent, ubi primum formosum simulachrum aspexissent, nulla missa voce, sideratis similes concidebant: ad se reversi, una cum furore morbis se liberatos profitebantur.

Fecit & persvasio, ut multi æmulatione qvadam superstitionis, sub templi ingressum humi sese abjicerent. Insolentiam hanc immodesti cultus cum Senatus edicto severe coërcuissent, seu vindicta numinis seu indignatione dæmonis factum est, ut enthusiasmus ille, qvi per octennium & amplius Germanos credulos dementaverat, unà cum miraculis elangueri.

Sunt qui putent, Judæorum fraude, alii eorum, ad qvos ex hac peregrinatione quæstus redundaret amplissimus, arte magica hanc ei loco consiliatam autoritatem: qvam simulachri cultus, semel delusis superstitione mentibus, auxerit & ampliârit. Utut sit, plurimi cordati, rereqve Catholici, signa hæc magica potius qvam divina esse, judicârunt.

Memorabile.

Hoc tempore ex Turcia ad Venetos perlatus fuit serpens monstrosus septem capitibus coronatis, ac duobus pedibus instar Draconis, cujus typum imago hæc cum magnitudine refert. Fuit deinde Francisco Francorum Regi donatus, ac ob raritatem sexmillium ducatorum æstimatus.

Wolfgangus Severus, olim Ferdinandi Cæsaris Præceptor.

Japeti de gente prior majorqve Luthero
Nemo fuit; sed nec, credo, futurus erit.

Inaudita.

In Sveviæ pago, qvem lingvâ patriâ Christantzhoven vocant, non procul ab Ynâ oppido sito, septem annorum puer sæpius in ecstasin lapsus est, qvi post multa corporis tormenta, pectoris concussiones ac sudores, ad se rediens, magno omnium concursu ac admiratione, sibi cœlitus revelata recitavit. Profitebatur autem, se jussu divino eo, impelli, ut jam puer, posthabitis omnibus vitæ periculis, Dei veritatem nunciaret populo, qvi hactenus sensorum per verbum Dei admonitiones respuisset.

Locutus est igitur populo non publicè, sed in privatis ædibus, non pueriliter sed magnâ cum gravitate, multa de Deo, ejus opificio, justitiâ, gratia, & longanimitate. Idem de Jesu Christo, cujus passionem suo ordine, à cœnâ Dominica usqve ad finem recitare potuit, vocavit circumstantes lectum (in qvo cubabat) ad pœnitentiam, cum, extremi judicii diem præ foribus esse, diceret. Illud ipsum enim se habere ex trium radiorum stellâ, qvam se vidisse referebat, inter qvos radiorum primus, qvi rubei coloris fuisset, significaret bellum, ac cruentissimam hominum stragem. Secundus, qvi albi coloris, ingentem hominum pestem, qvam vix tertius evadere posset. Tertius flavi coloris, cujus tamen significationem revelare noluit.

Mirum in modum in sacrificulos invectus est, ut qvi Christum crucifixum, ac semel pro peccatis mortalium oblatum, in missa iterum offerrent, & qvatuor tantum obolis venderent. Cum detestatus fuisset omnium Idolorum cultum, superbiam, fastum, usuram, scortationem, adulterium, ebrietatem, atq; alia flagitia, qvibus in sanctam Dei legem peccatur: ad amorem proximi, humanitatē, beneficentiam, mansvetudinem sibi astantes adhortari cœpit,

Inter cætera tamen letale etiam venenum evomuit, dum referret multa contra sanctam Trinitatem, ac Christi Salvatoris meritum, de intercessione virginis Mariæ, de tenebris inter infernum, ac piorum habitacula, ac alia multa: qvibus per puerum innocentissimum sub veritatis prætextu execrandus Sathan, qvo imponeret simplicioribus, letale virus effudit. Lyco. ut su.

Dira.

Hoc anno Christi qvoddam oppidulum in Kynzthal conflagravit igne, à Satana per veneficam qvandam moto, ea fuerat ancilla & amasia Satanæ, sæpè cum ipso mœchata. Per civitatem Diabolus multoties cum tympano incessit, ut omnibus fuerit auditus, collocutus etiam cum hominibus, sed nemini conspectus fuit. Tandem puella Oberndorffii non longe ab oppido Rotvveil publicis cremata fuit flammis. Hoc est malitiæ Satanæ testimonium. Finc. lib. 1. de prodig. ut sup. 1533.

Ominosa. 1533.

Non procul ab Oeniponte (ut Jobus Fincelius annotavit) hæ visæ sunt imagines. Aqvila stans in colle ac intrepidans: huic è regione obviabant aliæ tres hostiles imagines, qvarum prima camelus erat, respectans, & pamma in orbem circundatus. Altera lupus flammam ore evomens, flammeo itidem orbe septus: hunc seqvebatur Leo, videbatur, pedem velut salutabundus porrigens. Casparus Peucerus de Teratoscopia. Ut sup.

Nicolaus Brigner. 1535.

Hoc anno qvoqve visus est cometa

Anno caudâ longissimâ compharam repræsentans.

Eodem tempore hinc inde per aërem volitârunt ignei Dracones, plures qvàm qvadringenti: coronas habentes in capitibus, & fœdas instar porcorum, proboscides. Imperat. & Pp. U. S.

1533. *D. Hieronymus Wellerus Fribergensis, Theologus.*

Friburgæ, qvæ est celebris urbs in Misnia, vir quidam & pietate & ætate venerandus, cum gravi morbo decumberet, ultimusqve dies jam instaret, Satanas pontificali veste amictus, eum solum forte relictum accessit, senemqve in ipso agone vehementer exagitans, ab eo postulavit, ut singula delicta, qvæ in vita sua commisisset, ordine enarraret, qvæ ille, chartam & atramentum in promtu habens, excepturus erat. Verum cum Senex ex verbo Dei postulata Satanæ vehementer impugnaret, nec tamen ille à sua importunitate desisteret, tandem ait Senex:

Qvandoqvidem ergo omninò hoc urges, ut sigillatim delicta mea tibi enarrem: scribe itaqve, hujusmodi primum facto exordio: semen mulieris conteret caput serpentis. Qvibus auditis, Satanas chartam atramentumqve in terram projecit, relictoqve post se ingenti fœtore, evanuit. Senex paulo pòst in Christo placide obdormivit. Hæc doctor ille Wellerus, & Manlius in Collectaneis, Imp. Car. 5. Papa Clemente 7. ut sup.

1534. *Ominosa.*

Tertiâ die Julii in oppido Schlesvviz Bohemiæ, à meridie cœlo sereno, conspecti sunt in aëre leones ex locis diversis concurrentes ad conflictum, & juxta illos cataphractus eqves hastam qvatiens infestam, ornatus cristis & barba amplissima. Non procul ab eqvite jacuit caput humanum sine trunco, ornatum diademate Imperatorio, apprimè referens Imp. Carolum V. ut qvidam adspicientes illud aperto capite honorârint. Modico intervallo post, apri caput aculeatum visum est, & duo dracones vomentes ignem. Deinde arcis amplissimæ effulsit imago, positæ ad lacum, classeqve & terrestribus copiis obsessa, & supra hanc crux sangvinei coloris paulatim conversi in atrum.

Alius item eques prodiit, igneo & ipse & eqvus flagrans colore, diadema gestans in capite imperatorium, qvem inseqvutus est eqvus sine sessore. Postea in ampla planitie duæ ardentes enituerunt arces vicinæ alto monti, ad qvem hæsit aqvila grandis, dimidium sui corporis post montis latus abscondens: & aliquot ibidem pulli aqvilarum, candido colore nitidi apparuerunt, item leonis supini caput munitum coronâ, gallus gallinaceus rostro feriens & fodiens caput tantisper, donec id à trunco corporis solutum dilaberetur, & evanesceret, corpore diu conspicuo.

Astiterunt & alii leones, & juxta apri caput monoceros paulatim conversus in draconem, aliaq; plurima inusitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arsit & in celsâ rupe arx duobus cincta exercitibus, & visa est integra regio freqventibus oppidis, arcibus & vicis referta: sed mox totus tractus, in qvo hæc steterant, igne correptus, conflagravit, & ruinæ vastæ terræ stagnum amplissimum obruerunt, extantibus tantum turribus eo in loco, in qvo antea magna illa urbs apparuerat. Ad ripam lacus grandis camelus bibendi similis constitit.

Fincelius, Peucerus, Lyco. Hans Pfluog, dominus de Cabenstein, Cancellarius Regis Bohemiæ, in Epistola ad Reginam.

1534. *Minacia.*

Anno Christi 1534. 5. Januarii, Munsteri Westphaliæ super civitatem in cœlo visus est procerus qvidam vir, regio splendens ornatu, & aurea tectus caput corona: vibrans dextra gladium evaginatum, læva flagellum tenebat. Brevi post alius apparuit vir, qvi utramqve manum valdè contorsit & conflixit, ut ex pugno ejus magna cruentarum defluxerit guttarum copia. Eodem tempore etiam illuxerunt tres Soles: & cœlum universum ex qvatuor cardinibus mundi incanduit horribili igne & chasmate. Præterea multa spectra circa mœnia conspecta fuerunt: qvibus omnibus & signis portendebatur seditio & damnabilis hæresis Anabaptistarum Munsteri. Jobus Fincel. lib. 2. de prodig. ut sup.

1534. *Andreas Althamer in Cornelium Tacitum.*

Usuram veteres Germani non agitârunt, minimè avari, fraudulenti, ac subdoli: sed simplices, sua sorte contenti, utpote apud qvos plus boni mores valebant, qvàm alibi bonæ leges. Vide vero, qvantum à Germanis moribus degeneraverimus: qvid, qvæso, nunc est fœnore usitatius: cui non studium fraudandi proximum? prædandi alienum? circumveniendi vicinum? adeò omnium mentes avaritia obsedit, fraus nusqvam non regnat. Nostri mercatores qvibusvis vulturibus rapaciores, omnium maximi fœneratores atqve usurarii, à misera plebecula mercantur suas merces vili aliqvoties precio, qvas urgente necessitate duplo redimere coguntur, isti expilant omnem Germaniam, ad horum impostura connivent Magnates qvidam, qvia sunt, inqvit Hebræus vates, illorum socii.

Imita-

Imitatur hos sacrificum & religiosulorum phalanx, homines divis adjurati, & ipsis Druidibus superstitiosiores. Qvid multis? Harpyiis omnia plena, usuris omnia patent: exactionum, fraudum nullus finis. Faxit Deus, ut in pristinum statum temperantiæ, sinceritatis, modestiæ, rectitudinis restituatur aliqvando Germania. Imp. & Pp. u. s.

1534. *Joann. Faber. in Præfat. Institut.*

Papa (inqvit) in verbis se dicit servum servorũ: de facto tamen se adorari permittit, qvod Angelus in Apocalypsi refugit. Imperatore Carolo 5. Pp. Clem. U.S.

1534. *Paulus tertius Farnesius Papa 227.*

Paulus Farnesius Pontifex, ejus nominis III. inter alia artis documenta qvam plurima, filium Petrum Aloysium de eo die, qvo interfectus est, multò antè præmonuit, utq; sibi caveret, est adhortatus.

Erat autem dies ille decimus mensis Septembris, anni 1547. qvo à conjuratis Augustino Lando, & Jacobo Scoto Placentinis comitibus in arce sua, colloqvii prætextu, est interfectus, & à pudendis diu suspensus, populo crudeliter lacerandus est exhibitus. Imperatore Carolo 5.

pag. 398. *Albertus de Trotis Ferrariensis.*

1535. Scripsit librum de vero & perfecto Clerico: illum lege. Imperatore Carolo V. Papa Paulo 3. ut suprà.

1535. *Sibrandus Lubbertus de Papa lib. 10.*

Clemens VII. cum moreretur, dicebat, se certiorem factum iri de tribus, de qvibus per omnem vitam dubitasset: nempe an Deus sit, an anima sit immortalis, & an sit vita post hanc vitam? Imper. & Pp. U.S.

Memorabile.

1535. Jo. Hebenstreit lib. de peste, Pedemontanus lib: 1. Secretorum, Matth. Cornax l. 2. c. 28. de consult. Med. Petrus Sphererius in observat. & Mesuens mirabile secretum paucis cognitum, generari vermes in corde affirmant, homines interficientes. Qvibus autem remediis pellantur, authores iidem docent, Imper. Carol. 5. Pp. ut suprà.

Signa.

1535. Solo hocce biennio tres cometæ, infinitam rerum atq; imperiorum mutationem prænunciantes, in æthere apparuerunt. Ach. Gassarus in Chronico. ut sup.

1535. *Concilium Papæ Pauli III. de emendanda Ecclesia.*

Vergerius. Etsi in hunc de emendanda Ecclesia libellum, qvi ante annos plus minus viginti primum editus fuit, Martinus inprimis Lutherus, deinde etiam Joannes Sturmius, latine hic, ille Germanicè multa & gravia & pia scripserunt: haud abs re tamen, opinor, erit: si qvædam, sed pauca, utcunqve nos qvoqve addiderimus. Valde enim ad rem Ecclesiæ interest, revocare libellum hunc in memoriam qvàm plurimis, hoc præsertim tempore, qvo Jo. Petrus Cardinalis Theatinus ex autoribus ejus præcipuis, sub Pauli Qvarti nomine, Pontifex creatus est. Hunc igitur Paulum Qvartum, qvum Paulo tertio hoc ipsum de ratione Ecclesiæ emendandæ consilium ipse postulanti dederit (tametsi nulla prorsus ex parte eam emendaverit, immò abusus ejus ac vitia, ut erat ille homo Epicureus, ac tantum non atheus, ad summum contra evexerit) observare nunc licebit: si forte qvod Pontifici consilium olim dedit, ipse Pontifex nunc factus eo usurus sit, & an sit emendaturus qvæ ipsemet indigere emendatione, tam vere qvàm constanter affirmavit. Eqvidem ut officio fungi videatur suo, tentaturum aliqvid in hoc genere arbitror, & emendaturum, sed levicula qvædam atq; ridicula, idq; pro Paparum moribus, pulverem (qvod ajunt) vulpina cauda abstersurus. Cujus generis forte fuerint, ut sacrificuli in Italia Chietinos, in Germania Jesuitas (cujus ille autor sectæ fuit) insignes illos hypocritas imitentur: ab aliis, in qvibus momentum emendationis maximum ex, & rei totius cardo vertitur, manum stenue contenturum. Dicunt enim, & non faciunt. Qvod si qvi boni qvid de se polliceri videntur, anteaqvàm nimirũ in pestilentiæ cathedra ista consederint, tamen ubi eo evecti fuerint, mox totam prorsus rationem & vitæ & consiliorum meliorem in deterius mutant. Utcunqve erit, sive corrigat ille, qvæ aliqvando existimavit corrigi debere, sive minus, nobis sat erit, qvod ex hoc libello omnis non modo nostra, sed etiam inferior ætas, omnis posteritas intellectura sit, ipsummet Paulum 4. suo se scripto damnare, ac fateri verbis disertissimis, vocem nos jure per qvadraginta annos ac merito extulisse, papas, totamqve curiã Romanã accusasse. Etenim, qvi libellũ hunc legerit, plane cognoscet, Theatinum istum prorsus confirmasse capita fere ea omnia, qvæcunqve soliti sumus reprehendere, nempe: Ecclesiam apud istos Christi jam pridem collapsam ita esse, ut non Christi, sed diaboli Ecclesia sit: Papas coacervare ad desideria sua magistros prurientes auribꝰ non scilicet ab illis ut discant, qvod facere ipsos convenit: sed ut illorum studio & calliditate ratio ineatur, qva breviter quod libet liceat. Per eosdem Papas, Cardinales atque Episcopos blasphemari nomen Christi inter gentes. Indignissimè atq; impiissimè facere eos, qvi

qvi prætextu poteſtatis clavium pecuniam emungant, contra Chriſti apertisſimum mandatum: gratis accepiſtis, gratis date. Ordinationes clericorum, presbyterorum præſertim, fieri apud illos incredibili negligentia, atq; ordinari improbos, rudesq; aſinos. Exerceri nundinationes ſacerdotiorū ſive beneficiorum omninò Simoniacas, tum flagitioſiſſimas. Cardinales æſtuare ambitione atq; avaritia, ambire à regib. & principibus epiſcopatus, alere factiones, bella ferere Epiſcopos creari nulla neq; eruditione neqve vitæ honeſtate commendabiles, ut qvi deſertis atq; contemtis eccleſiis, ovibusq; Chriſti ſibi commiſſis, huc illuc otioſè per luxum vagentur. Pœnitentiariam atq; Datariam (ſic enim vocant) ſceleratiſſimum qvemq; clericum eundemq; nebulonem, pecunia præſtita, abſolvere, atq; ab ordinarii jurisdictione eximere.

In monaſteriis tam virorum qvàm mulierum horrida fieri flagitia. Qvo in loco etiam de pueris (proh pudor) qvi apud monachos degunt, fit mentio, qvos Theatinus ex illis fornicibus ſummovendos ipſe cenſuit. Urbem Romam refertam eſſe mulieribus impudicis atqve ſcortis, qvæ veſtitu omniqve apparatu cætero nihil differant à matronis honeſtis, qvæq; dum per mediam urbem mulis vehuntur, ſectatores habeant in luce media, primi nominis Cardinalium familiares atqve domeſticos.

Vigere in urbe odia & factiones, Chriſti nomen tam è cordibus hominum, qvàm operibus eorum abolitum eſſe. Has (ſi diis placet) virtutes egregias, hæc decora, hæc eccleſiæ ſuæ ornamenta inter alia enumerat

pag. 399. Paulus 4. de ſe ipſe & Babylone ſua in hoc libello, interim in carcerem & vincula duriſſima conjiciens, ad remos relegans, in exilium mittens, deniq; plectens per Italiam, Galliam atq; Hiſpaniam eos omneis, qvicunq; vel verbulo hæc ipſa attingere & carpere auſi ſunt. O iniqvum, ô impium, ô crudele, ac planè tyrannicum genus hominum, Qvin vos Cæſares, qvin reges & principes (vos enim hic jure appello) cum iſto novo Antichriſto pro veſtro officio hunc in modum agitis? Niſi primo qvoqve tempore (Pontifex) iſta tam gravia tamqve atrocia, qvæ de te ipſo & de toto grege tuo ſcribis, omni ludificatione omiſſa, ſeriò correxeris, exercentem te crudelitatem in noſtros ſubditos, qvi ſe à veſtrorum flagitiorum, & impiæ doctrinæ reprehenſione ac deteſtatione continêre jure non poſſunt, minimè tolerabimus. Qvin ego denuncio vobis, Cæſares, Reges, Principes, Deum exacturum brevi à vobis graviſſimas pœnas, niſi monitis meis, ut ſupplicibus ita omninò neceſſariis, parueritis, niſi frenum injeceritis belluæ iſti furenti. Illud ſcire vos hic etiam oportet, multo adhuc plura gravioraqve, & magis aut æqve impia Romæ eſſe, qvæ emendare oporteat, præter ea qvæ Theatinus attigit. Attigit enim tantum vitia atq; abuſus, qui in vita committi ſolent, nulla prorſus facta mentione doctrinæ, qvæ illic colitur, ceu conſentaneæ ſcilicet Evangelio Chriſti, nulla purgatione aut emendatione egentis: qvum contra cum Evangelio omnino & ex diametro (qvod ajunt) pugnet: ut qvam Papa cum ſuis creaturis miſere diſcerpſerint, atqve abominandis blaſphemiis conſpurcârint atq; adulterârint, perſeqventes ferro atqve igne ſubditos veſtros, filios dico, qvi ſpiritu Dei acti, horrendas illas cōtaminationes atqve abominationes prophanationesq; ferre non poſſunt. Qvòd ſi vos hæc Principes vindicare neglexeritis, exurge tu Deus, tu Deus (inqvam) exurge, vindica ſangvinem tuorum, qvi ob confeſſionem ſacratisſimæ doctrinæ tuæ cotidie ab Antichriſto ejusq; aſſeclis effunditur. Perfice, qvod cœpiſti. Invitis frementibusq; Antichriſtis cæteriſq; idololatris omnibus, perge tuo ſpiritu & verbo mundare atqve illuſtrare eccleſiam, qvam nobis ſangvine & morte unigeniti filii tui, D. noſtri Jeſu Chriſti ædificaſti, ornaſti, atq; conſecraſti.

Conſilium de emendanda Eccleſia, authore Cardinale Theatino, nunc Papa.

Beatiſſime pater, tantum abeſt, ut verbis explicare poſſimus, qvàm magnas gratias Respub. Chriſtiana Deo Opt. Max. agere debeat, qvòd te Pontificem hiſce temporibus, ac Paſtorem gregi ſuo præfecerit, eamq; qvam habes mentē dederit, ut minimè ſperemus cogitationes eas, qvas Deo gratias debet, conſequi poſſe: nam ſpiritus ille Dei, qvo virtus cœlorum firmata eſt, ut ait Propheta, labantem, imò fere collapſam in præceps Eccleſiam Chriſti, per te huic ruinæ manum, ut videmus, ſupponere decrevit, eāqve erigere ad priſtinam ſublimitatem, decoriqve priſtino reſtituere. Certiſſimam divinæ hujus ſententię conjecturam nos facere valemus, qvibus Sanctitas tua ad ſe vocatis mandavit, ut nullius aut commodi tui, aut cujuſpiam alterius habita ratione, tibi ſignificaremus abuſus illos, graviſſimos videlicet morbos, qvibus jam pridem Eccleſia Dei laborat, ac præſertim hæc Rom. Curia, qvibus effectum propè eſt, ut paulatim ac ſenſim ingraveſcentibus peſtiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, qvā videmus. Et qvoniam ſanctitas tua ſpiritu Dei erudita, qvi, ut inqvit Auguſtin. loqvitur in cordib. nullo verborum ſtrepitu, probè noverat, principium horum malorū inde fuiſſe, qvòd nonnulli Pontifices tui prædeceſſores prurientes auribus ut inqvit Apoſt. Paulus, coacervaverunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, qvod facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qva liceret id, qvod

quod liberet: inde effectum est (præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus: difficilimusq; semper fuit aditus veritatis ad aures principum) quod confestim prodirent Doct. qui docerent, Pontificem esse beneficiorum omnium, ac ideò cum dominus jure vendat id quod suum est necessariò sequi, in Pont. non posse cadere Simoniam, ita quod voluntas Pontificis, qualiscunq; ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes ac actiones dirigantur: ex quo procul dubio effici, ut quicqvid libeat, id etiam liceat.

Ex hoc fonte, S. Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, vel manasse harum rerum famam ad infideles usqve (credat sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem derident adeo, ut per nos per nos, inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. Tu vero sanctissime pater, & verè sanctissimus, edoctus à spiritu Dei, præter veterem illam suam prudentiam, cum totus in hanc curam incubueris, ut sanatis ægritudinibus, Christi Ecclesia tuæ curæ commissa, bonam valetudinem recuperaret, vidisti, ac probè vidisti, inde incipiendam esse medicationem, unde primum ortus est morbus: secutusqve doctrinam Apostoli Pauli vis esse dispensator, non dominus, & fidelis inveniri a Domino: imitatus etiam servum illum, quem in Evangelio Dominus præfecit familiæ suæ, ut det illis in tempore tritici mensuram, ac propterea decrevisti nolle qvod non liceat, nec vis posse quod non debes. Ideoqve nos ad te accersivisti, imperitos quidem, ac tam magno negocio impares, non parùm tamen affectos cum honori & gloriæ sanctitatis tuæ, tum præcipuè instaurationi Ecclesiæ Christi, ac gravissimis verbis injunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, tibiqve illos significaremus, obtestatus, nos reddituros esse rationem hujus negotii nobis demandati, Deo optimo, si negligenter ac infideliter ageremus. Atque ut omnia liberius inter nos tractari possent, tibiqve à nobis explicari, jurejurando nos obstrinxisti, addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus. Nos igitur tuo Imperio parentes, collegimus, quanto paucioribus fieri poterat, hos morbos, eorumq; me-
400 dia, ea (inquam) quæ pro tenuitate ingenii nostri excogitare potuimus. Tu verò, pro tua bonitate ac sapiétia omnia resarcies ac perficies, in quibus pro tenuitate nostra offenderimus. Verùm ut omnia certis quibusdam finibus complectamur, cum sanctitas tua & sit Princeps provinciarum harum, qvæ subsunt ditioni Ecclesiasticæ, & sit Pontifex universalis Ecclesiæ, sit etiam Episcopus Rom. nihil nobis dicendum sumsimus de his, quæ pertinent ad hunc principatum Ecclesiæ, quem tua prudentia optimè regi videmus: tangemus tantum ea, quæ pertinent ad officium universalis Pontificis, & nonnulla quæ sunt Romani Episc. Illud verò antè omnia, beat. Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in Politicis, sicut in unaquaq; Repub. ita & in hac ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur. Nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namqve perniciosior consvetudo in quavis Repub. induci potest, quam hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumq; potestatem venerandam & divinam appellarunt. Scis tu hæc omnia, optime Pont. legisti jampridem apud Philosophos & Theologos. Illud verò non tantum huic proximum, sed longe prius & potius superiore putamus, non licere Pontifici & Christi vicario in usu potestatis clavium, potestatis (inqvimus) à Christo ei collatæ, lucrum aliqvod comparare. Hoc etenim est Christi mandatum: Gratis accepistis, gratis date. His primum statutis, cum sanctitas vestra ita gerat curam Ecclesiæ Christi, ut ministros plurimos habeat, per qvos hanc curam exerceat: Hi autem sunt clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presbyteri præsertim, & maximè curati & præ omnibus Episcopi: idcircò, si gubernatio hæc sit rectè processura, primò danda est opera, ut hi ministri idonei sint muneri, qvo fungi debent. Primus abusus in hac parte est ordinatio clericorum, & præsertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim qvicunq; sint imperitissimi, vilissimo genere orti, malis moribus ornati, adolescentes, admittantur ad ordines sacros, & maximè ad Presbyteratum ad characterem (inqvam) Christum maximè exprimentem, hinc innumera scandala, hinc contemtus Ordinis Ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed etiam propè jam extincta. Ideo putamus optimũ fore, si sanctitas tua primò in hac urbe præficeret huic negocio duos aut tres Prælatos viros doctos & probos, qui ordinationib9 clericorum præessent: injungeret etiam Episcopis omnibus, adhibitis etiam pœnis censurarum, ut id curarent in suis diœcesibus. Nec permittat sanctitas vestra, ut quispiam ordinetur, nisi ab Episcopo suo, vel cum licentia deputatorum in urbe, aut Episcopi sui: insuper ut in Ecclesiis suis qvisqve Episcopus magistrum habeat, à qvo clerici minores & literis & moribus instruantur, ut jura præcipiunt.

sit officium autem Episcopi est, pascere gregem suum, qvod præstare bene, nec ut debet, potest, nisi habitet cũ ovibus suis, ut Pastor cum grege. Præterea, P.S. hic usus maximè obest exemplo: qvomodo namqve hæc sancta sedes poterit dirigere & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis membris abusus tolerantur? Nec ob id, qvod Cardinales sint, putamus, eis magis licere transgredi legem, imò longè minus. Horũ enim vita debet esse aliis lex, nec imitandi sunt Pharisæi, qvi dicunt, & non faciunt, sed Christus salvator noster incepit facere, & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ, nam hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiũt præterea Card. à regibus & principibus Episcopatus, à quibus postea dependent, nec possunt liberè sententiam dicere, imò si possent & vellent, fallerentur tamen, passione animi in judicando perturbari. Ideo utinã hic mos tolleretur, & providerentur Card. ut possent honestè pro dignitate vivere, õnib. æqvales reditus, qvod putamus facilè fieri posse, si vellemus abjicere servitutem Mammonæ, & Christo tantum servire. His castigatis, qvæ pertinent ad constituendos tibi ministros, quibus veluti instrumentis & cultus Dei bene administrari, & populus Christianus in vita Christiana bene institui & regi possit, accedendum nobis est ad illa, quæ spectant ad gubernationem Christi populi. In qua re, pater beatissime, abusus ille primo & præ omnibus corrigendus est, ne scilicet Episcopi primum, & præ omnib. aliis, deinde ne Curati abessent à suis Ecclesiis & Parochiis, nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent, maixmè Episcopi, ut diximus, quia sunt sponsi Ecclesiæ ipsis demandatæ. Nam per Deum immortalem, quis miserabilior viro Christiano cõspectus esse potest, Christianum orbem peragranti, quam hæc solitudo Ecclesiarum? Omnes ferè pastores recesserunt à suis gregibus, commissi sunt omnes ferè mercenariis, imponenda ergo esset magna pœna Episcopis præ aliis, deinde curatis, qui absũt à suis gregibus, non tantum censurarum, sed etiam, ne reciperẽt reditus illi qui absunt, nisi impetrata licentia à tua sanctitate Episcopi, Curati ab Episcopis suis, per breve aliqvod temporis spacium. Legantur in hoc aliqva jura, aliqvorum conciliorum decreta, quibus cautum erat, Episcopo non licere abesse à sua Ecclesia, nisi tribus tantum Dominicis. Abusus etiam est, quod tot reverendiss. Card. absint ab hac Curia, nec aliqva in parte faciant qvippiam ejus officii, qvod spectat ad Cardinales. Ideo, etsi fortasse non omnes, quia expedire existimamus, nonullos habitare in provinciis suis, (nam per illos, tanqvam per radices qvasdã in totũ orbẽ Christianũ sparsas cõtinẽtur populi sub hac Rom. sede,) plurimos tamen esset sanctitatis tuæ vocare ad Curiam, ut hic residerent. Hac enim ratione præterqvam qvod fungerentur officio suo Card. provideretur etiam amplitudini Curiæ, suppleretur q; si qvid ei detractũ fuisset per recessum multorum Episcoporum, qui ad suas Ecclesias se contulissent. Alius abusus magnus, & minimè tolerandus, qvo universus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimẽtis, quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum oviũ, maximè in puniendis scelestis & corrigendis. Nam primò multis viis eximũt se mali homines, præsertim clerici, à jurisdictione sui ordinarii: deinde si non sunt exemti, confugiunt statim ad pœnitentiam, vel ad Datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati, & qvod pejus est, ob pecuniam præstitam: hoc scandalum, beatissime pater, tantopere conturbat Christianum populum, ut non, qveat verbis explicari. Tollantur, obtestamur sanctitatem tuã per sanguinem Christi, qvo redemit sibi ecclesiam suam, eamq; lavit eodem sangvine: tollantur hæ maculæ, qvib. si daretur qvispiam aditus in qvacunq; hominum repub. aut regno, cõtestim, aut paulò post præceps rueret, nulloq; pacto diutius constare posset, & tamen putamus nobis licere, ut per nos in christianam rempub inducantur hæc monstra. Alius abusus corrigendus est in ordinib9 religiosorum, quod adeò multi deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus, exemploq; plurimum noceant Convẽtuales ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibẽdo, ne novos possint admittere. Sic enim sine ullius injuriã citò delerentur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc verò putamus optimum fore, si omnes pueri, qui nõ sunt professi, ab eorum monasteriis repellerentur. Hoc etiam animadvertendum & corrigendum censemus in prædicatoribus & confessoribus constituendis à fratribus, qvod ab eorũ præfectis primũ adhiberetur magna diligẽtia, ut idonei essent, deinde ut præsentarentur Episcopis, qvib. præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata, à qvibus examinarentur per se, vel per viros idoneos: nec, nisi eorum consensu, admitterentur ad hæc peragenda. Diximus, beatissime pater, non licere aliqvo pacto in usu clavium aliqvid lucri utenti comparari est in hac re firmum verbum Christi: gratis accepistis, gratis date. Hoc non tantum ad sanctitatem tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes hujus potestatis, ideò à legatis & nunciis vellemus idem servari. Nam sicut usus, qvi nunc invaluit, dedecorat hanc sedẽ, & conturbat populũ, ita si fieret econtrà, maximum decus huic sedi cõpararetur, & ædificaretur mirificè populo. Abusus alius turbat Christianum populum in monialibus, quæ sub cura fratrum conven-

pag. 408.

simi Petri, ubi sacerdotes quidam sordidi, ignari, induti paramentis & vestibus, qvib. nec in sordidis ædibus honestè uti possent, missas celebrant: hoc magnum est omnibus scandalum: ideo injungendum est reverendissimo Archipresbytero, vel reverendiss. pœnitentiario, ut hæc curent & amoveant hoc scandalū, sicq; in aliis ecclesiis. In hac etiam urbe meretrices ut matronæ incedūt per urbem, seu mula vehūtur, quas assectātur de media die nobiles familiares Card. clericiq;. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium exēplari: habitant etiam insignes ædes: corrigendus etiam hic turpis abusus. Sunt etjam in hac urbe privatorum civium odia, & inimicitiæ, quas componere, & cives conciliare præcipuè interest Episcopi: ideo per Cardinales quosdam Rom. præsertim qui magis essent idonei, omnes hæ inimicitiæ cōponendæ essent, & civium animi conciliandi. Sunt in hac urbe hospitalia, sunt pupilli, sunt viduæ, harum cura maxime pertinet ad episcopum & ad principem: ideo sanctitas tua per Cardinales viros probos posset etiam commodè hæc omnia curare. Hæc sunt, beatissime pater, quæ in præsentia pro tenuitate ingenii nostri colligenda esse duximus, & quæ nobis corrigenda videbantur. Tu vero pro tua bonitate & sapiētia omnia moderabere: nos certè si non rei magnitudini, quæ nostras vires longè superat, conscientiæ tamen nostrę satisfecimus, non sine magna spe, ut sub te principe videamus Ecclesiam Dei purgatam, formosam, ut columbam, sibi concordem, in unum corpus cōsentiētem, cum æterna tui nominis memoria. Sumpsisti tibi nomen Pauli, imitaberis (speramus) charitatem Pauli: electus fuit ille ut vas, quod deferret nomen Christi per gentes: te verò speramus electū, ut nomen jam Christi oblitum à gentibus & à nobis clericis, restituas, in cordibus & in operibus nostris ægritudines sanes, oves Christi in unum ovile reducas, amoveasqve à nobis iram Dei, & ultionem eam quam meremur, jam paratam, jam cervicibus nostris imminentem.

Caspar Card. Contarenus.
Ioh. Petrus Card. Theatinus.
Iacobus Card. Sadoletus.
Reginaldus Card. Anglicus.
Fridericus Arch. Salernitanus.
Hieronymus Arch. Brundusinus.
Ioh. Matthæus Episcopus Veronensis.
Gregorius Abbas sancti Georgii Venet.
Frater Thomas magister sacri Palatii.

Domine Papa, patere legem, quam tu ipse tuleris, hanc saltem.

Regum Gallicorum contentiones cum Papis, ab anno Domini 1228. usque 1535.

Reges Gallici longo tempore cum Papis contenderunt, de jure conferendi prælaturas, de annatis, de servitiis, & nescio qvibus aliis tyrannidis Pontificiæ injuriis potius quam juribus. Prima autem contentio accidit, regnante Ludovico nono, qui & S. Ludovicus vocatur. Nam is anno 1228. sanxit legem contra Paparum præservationes & præventiones, aliaqve machinamenta, ut sint electiones Episcoporum & Prælatorum, & aliorum quorumcunqve liberæ, validæ, ac efficaces electoribus patronis & collatoribus. Eodem anno & aliam legem edidit contra Simoniam. Demum & anno Domini 1268. edidit pragmaticam sanctionem, qua in universum prohibuit omnes rapinas & expilationes Romani Pontificis. Hæc enim ejus verba sunt: Item exactiones & onera gravissima pecuniarum, per curiam Romanam ecclesiæ regni nostri impositas vel imposita, (quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatū existit) sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia & urgentissima causa: inevitabili necessitate, ac etiam de expresso & spontaneo jussu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri, &c.

Alia fuit inter Bonifacium VIII. indulgentiarum patrem & Philippum regem contentio, ante annos 290. Nam Malefacius ille non tantum potestatem super Ecclesias Gallicas usurpare sibi, sed etiam jus conferendi regnum illud rapere tentavit. Verum Rex ei duriter respondit, & fortiter restitit, etiam bello: nam excitaverat ei Papa bellū. Verū in hac de re mox pleniorem narrationem ex scripta appendice Martini adscribemus. Quanquam & circa an. 1240, graves contentiones accidisse non dubitamus, cum S. Ludovicus Rex sanctionem pragmaticam, aliaq; plurima decreta ad reprimendam Papæ Romanistarumq; rapacitatem decrevit.

Tertia contentio inter illos accidit circiter annum 1400. id est, ante 190. annos, quo tempore Carolus Rex ad supplicationem totius regni, de sententia Parlamēti sui magni consilii, curiæ & scholæ Parisiensis, sanxit arrestum, id est, decretū quoddam, quod cum Clemange impressum est. Quâ severiter prohibuit, ne quisquam Papę annatas solveret, neve ab eo Gallicas prælaturas acciperet. Contra eam sanctionem appellavit Papa, ejusq; Curtisani, nō semel. Eis appellationibus Gallici regni Legati in concilio Constantiensi opposuerunt scriptum quoddam titulo Apostoli, in quo probant, annatas non deberi. Id quoq; scriptū est cum Clemange impressum. Id scriptum dicit, Ioanni XXII. fuisse ad tempus permissum, ob expeditionem contra infideles, ut illis oneribus Ecclesias Gallicas gravare posset: sed à Ioann., ut opinor, XXIII. petiisse:

petiisse regnum Gallicum, ut illa importabilia scandalosaq; onera Ecclesiis Gallicis imponere desineret: idq; cum pollicitum esse, nihil tamen fecisse. Fuit autem res maximi momenti. Nam ut minimum ter centena millia coronatorũ ea ratione Papa Gallis annuatim eripere est solitus. Ut taceam alia infinita incomoda, quæ accidebant, dũ tantum iis, qui Papæ placere poterant, quantumvis essent peregrini, indocti, & per omnia inepti, addo etiam regni Gallici hostes, prælaturæ conferebantur. Quare mirũ non est, si jam Papæ summo desiderio dulce illud lucrũ appetentes, jus annatarũ regib. extorquerent. Nam ii magna sui regni difficultate calamitateq; coacti, denuo id ad se retraxerunt. Hic idem Carolus etiam paulò ante prædictam arrestationem, alias literas de eadem re publicavit. Quas, quia editæ antea non fuerunt, nunc hic adscribemus.

pag. 404

Epistola Caroli Regis super libertate Ecclesiarum Regni & Delphinatus, quoad exactiones, annatas, & gravamina per Papam imposita.

Carolus Dei gratia, &c. Universis, &c. Si dotare vel dotari novas ecclesias, vel veteres ampliare opibus, opus est perfectæ charitatis: multò præstantius est, depressis & gravatis congrua suffragia exhibere. Lamentabilem siquidem querimoniam nostri ut plurimum Principum prosapiæ nostræ procuratores, nec non Prælatorum, Capitulorum, collegiorum, conventuum, ac cleri regni nostri ac Delphinatus, ac etiam dilectæ filiæ nostræ Universitatis Parisiensis recepimus continentiæ subsequentis. Videlicet, quod quamvis secundum Apostolicam doctrinam Papæ potestas à Christo sit, ad Ecclesiæ ædificationem, non ad destructionem ordinata, ad justitiam rectumq; judicium exercendum, cui non convenit pro libitu facultas exactiones, angarias, & tyrannidas super Ecclesias aut subditos exercendi. Cum Dominus docuerit pascere gregem & docere, non terrenis literis inhiare aut avaritiis delectari. Quia fructus Ecclesiarum & beneficiorum quorumcunq; & vacantium, tam secundum dispositionẽ conciliorum generalium & jurium, quàm secundum piam intentionem fundatorum ordinati, ad sustentationem ministrantium in divinis, ipsius divini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemtionem captivorum. Ecclesiarum suorumqve ædificiorum reparationem, terrarum & possessionum Ecclesiæ culturam, virium ipsarum conservationem, cæterorumqve onerum intolerantium supportationem: adeo etiam quod bona per Prælatos post eorum obitum dimissa futuris debent successoribus reservari, in Ecclesia utilitatem conferenda. Nisi fortè in illis locis regni, ubi de usu & consvetudine veteri observatis licitum sit Prælatis ipsis, & aliis viris Ecclesiasticis secularibus, de eisdem bonis facere testamentum, qvibus etiam ab intestato indictis bonis secundum consuetudinem & observantiam supradictis sui succedunt hæredes. Quodq; licet fuerit decretis sanctorum Patrum institutũ. Prælati Ecclesias sibi subditas omnes singulis annis visitare deberent: quatenus si docerent indoctos, corrigerent excessus, mores reformarent, Ecclesias restaurarent, & cætera Prælatis convenientia ad Dei honorem exercerent, ac propter hoc procurationes in victualibus aut pecuniam reciperent ad victum usitatum. Nihilominus tamen aliqui collectores, & alii officiarii Romanorum Pontificum, præsertum Papæ moderni ab aliquibus annis circa Ecclesiam & viros Ecclesiasticos, præfatorum regni & Delphinatus nostrorum contra prædicta, pluribus juribus & importabilibus servitutibus oppresserunt & affixerunt potissimi bona Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tàm regularium quàm secularium, quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur, reservando, & usurpando fructus Ecclesiæ, tempore vacationis prælaturarum aut beneficiorum Ecclesiasticorum, obvenientes levando & capiendo arroragia præteritorum & incognitorum temporum, tanquam debita per fulminationem censurarum Ecclesiasticarum, exigendo à beneficiatis quibuscunque annatam exasperando & extorquendo. Cuius annatæ medietatem, quoad majores dignitates collegiorum, dominorum Cardinalium, consueverunt assignare & adhuc annatam unam cum quadam pecuniæ summa, quam vocant minuta servitia, & quam pro familiaribus esse dicunt, cum exactione juramenti & sub pœna perjurii, & aliis diversis modis & censuris exigerent, procurationesqve Prælatis & aliis ratione factæ visitationis, tanquam deberetur capiendo & levando in pecuniam numerata, licet visitationis officio non impenso. Ab illis autem, qui ad procurationem nullatenus tenebantur, tantundẽ qvidem, quod dum vocant exigẽdo decimas & alia subsidia, tractatu nõ habito cum Prælatis, pro libitu voluntatis imponendo.

In his etiam exigendi sicut nec modus, nec misericordia, nec æquitas servatur, aut mensura. Et cum Prælatus prohibeatur administrare sine bullis, quare cui non placet solvere, expellitur: quia bullæ non expediuntur sine pecunia parata. Unde sicut beneficium ecclesiasticum obtinere videtur, cum precio vel mercede, quod pro bono communi potius debetur præditis scientia aut virtute, & qui sufficientissimi sunt, ii tamen, si pauperes sunt, nullatenus promoventur.

Anno

ventur, propter qvæ & alia innumera incōvenientia gravamina ipsæ Ecclesiæ & Monasteria, & eorum beneficia multis in locis dictorum regni nostri & Delphinatus irreparabili currunt hæreditagia, conspiciuntur in occulta & immobilia. Interdum de facto alienantur aut impignorantur.

Mobilia etiam preciosa reliquiarum vasa Ecclesiastica, ornamenta, calices, libri & similia, interdum etiam vili precio distrahuntur, nemora non cædenda freqventius inciduntur, & venundantur, & Ecclesiæ innumerabili mole debitorum importabiliter onerantur.

Numerus Deo servientium ministrorum, qui sustentari in consveto numero non valent, minuuntur, & qvi remanent Deo & Ecclesiæ servientes, propter freqventes excommunicationes & censuras occasione dictarum exactionum, qvibus satisfacere non valerent, de facto prolatas à divino servitio plurimum retrahuntur, & interdum aliqvi mendicare compelluntur, & in maximam penuriam rediguntur, non habentes, de qvo valeant Deo serviendo, aut in studiis existendo sive comedendo sustentari. Et regnum nostrum, qvod inter alia regna viris scientificis communiter floruit copiosè, per qvos etiam regni justitia consvevit gubernari, talibus viris his temporibus, proh dolor, nunc caret.

1405 Inde cultus (dicimus) & opera charitatis, qvæ fieri debuerant, multipliciter defraudantur & cessant, & intentio fundatoris non servatur. His etiam modis regnum redditur pecuniis & opibus plurimum depauperatū, & infinita vixq; enarrabilia scandala qvotidie oriūtur. Qvæ nomina, licet sint satis ad oculum manifesta, & ad qvā est Papæ potestas ordinata, & de directo teneatur obviare. Fuitq; Papa modernus, & alii prædecessores sui super revocationem aut moderationem dictorū gravaminum, ac de aggregando cōcilium generale, ad providēdū de præmissis pluries reqvisitus, attamē sic omnia absq; remedio diuturnā cōtinuatione perdurārūt, donec dudum super qvibusdam per nostrā regiā ordinationem, & novissimè super aliis ex dictis gravaminib9 per qvendā nostræ curiæ Parlamenti sub ■ forma nunciatū, qvod cessarēt, qvousq; per eandē curiā fuisset aliter ordinatum, provisumq; extitisset. Et ut ad perpetuū uberius & plenius provideretur, in prædictis nuper per procuratorem nostrum Regium, in cōcilio Prælatorū & dictarū Ecclesiarū Gallicanarū & Delphinat. Parisiis celebrato, ubi erāt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Prælati, & Procuratores Capitulorū, & collegiorū, ac Universitatū, & alii viri Ecclesiastici, nobiles, magistrandi, numerosè solēniter cōgregati, ubi etiā cōsangvineus noster Rex Siciliæ Ludovicus, & primogenitus noster Dux Aqvitaniæ, & Dux Bituriæ patruus, cōsangvine9 noster Burgundiæ, & Barbanil avunculus, pro nobis illi tunc præsidebant, propositū fuit & reqvisitum, qvòd taliter ordinaretur & fieret, qvòd exactiones & gravamina, de qvib9 supra, cessarēt penitus & omninò, super qvod plurimis & repetitis interveniētib9 discussionibus & maturiùs per prælatos & alios viros Ecclesiasticos suprà dictos deliberatū extitit & cōcessum, qvòd attentis illis, qvę suprà præmissa sunt, & aliis attendēdis, talia gravamina & usurpationes secundum Deum & conscientiam non valebant commodè, nec debeant amplius tolerari. Supplicabāt igitur, ut ad Dei laudem, Reipub. utilitatē, & Ecclesiarum libertatē, dictarum Ecclesiarum regni & Delphinat. cōservationem suprà dictam efficaciter ad perpetuum, de remedio opportuno providere dignemur, prædicta omnia & singula gravamina cessari faciendo, & nihilominus prædictas ordinationes vel per nos factas, & dictū Arrestum Parlamenti cōfirmando & ad perpetuū extendendo, nostrā super hoc ordinationem Regiā ubiq; publicari, teneri & observari facientes. Nos igitur attendentes, qvod ad stabilitatē Ecclesiæ est potestas Regia divinitus ordinata, & qvod per regnū terrenū cœleste regnū nunc proficit, qvādo destruētes ecclesiā regere Principū concernuntur, imò sacri canones qvādo talia per majores Ecclesiæ perpetrantur, ad Reges debent habere recursum, & qvod in illis, de qvib9 notoriè turbatur status Ecclesiæ, etiam Papæ non obedire consulunt sancti doctores, recognoscentes ut tenemur, & propter Ecclesiā, qvam, qvantū ad nos spectat, etiam ex spirituali debito juramenti Christo Domino tuendam suscepimus, pro qva & Deo sumus rationem reddituri, progenitorum exemplo edocti, qvi sacrosanctas Dei Ecclesias & viros Ecclesiasticos, zelo fidei & piæ devotionis accensi, immensis muneribus, atqve privilegiis munientes, Ecclesias ædificantes, & contritas restaurationes eas à concussionibus & qvibusdam novitatibus indebitis præservare curārunt, qvarum etiam nos promtos defensores & pugiles existere gloriamur, prædictis omnibus cum debita præmeditatione pensatis.

Habita etiam prius deliberatione cum principibus Regulis nostræ prosapiæ, & aliis proceribus multisqve viris prudentibus & notabilibus regni nostri, nobis in consilio nostro assistentibus tam gravem & manifestam deformationem atqve destructionem Ecclesiarum prædictarum regni & Delphin. virorumqve Ecclesiasticorum desolationem, sub conniventia oculorum amplius dissimulare non valentes, ordinamus, & tenore præsentium ordinavimus, qvòd omnia & singula, exactiones & gravamina superius declarata & enarrata, cessare debeant, & cessabunt, &c. ut antea

Anno in nostris regno & Delph. prædictis. Et quod illa, quæ per dictum Arrestum curiæ nostræ Parlamenti circa hoc fuerunt, donec fuisset aliud ordinatum, dictaqve & pronunciata de cætero in dictis regno & Delph. perpetuo tenebuntur, & immobiliter servabuntur. Hæc autem præsentium literarum scripto annotari publicariqve, & inter regias nostras ordinationes registrari mandavimus, vt harum partium interventu, plenam inde notitiam habeat posteritas successura. Quocirca vobis omnibus & singulis supradictis & vestrûm cuilibet, qui super hæc fuerit requisitus, committimus & mandamus, quatenus hanc nostram ordinationem in dictis regno & Delph nostris publicari, custodiri & immobiliter conservari faciatis, dictas Ecclesias & personas Ecclesiasticas ab omnibus & singulis exactionibus supradictis, & liberas & immunes servari, & in hac libertate manuteneri facietis contradictis, &c. Quod si volumus, &c. Datum anno 1406. 18. Februarii. In Concilio Constantiensi, cum præsidentes Cardinales viderent, plerosq; patres in consessu existentes negare, annatas esse debitas, noluerunt propositam consultationem testibus illis Gallicis Apostolis concludere. Quæ Curtisanorum impia sapientia, & conciliorum turpis servitus observanda est. In Basiliensi verò concilio annatæ, aliæq; similes expilationes & simoniæ penitus prohibitæ sunt.

Post concilium Basiliense, Ludovicus Rex passus est, sibi à Legato & Papa Impio secundo, seu Sylvio, denuo extorqveri jus annatarum. Quæ à qvo, & quando post illud tempus denuò à Regibus Gallicis impeditæ sint, ignoratur. Factum enim esse, certum est. Ultimum certamen accidit sub Leone X. Nam ut ex appellatione scholæ Parisiensis ab eo, vel Lupo vel Leone, ad côcilium, impressa unà cum AEneæ Sylvii commentariis Coloniæ Anno 1535. apparet, Franciscus Rex Galliæ in Italia bellum gerens, motusqve non tantum blanditiis & fraudibus Papæ, sed etiam sperans, se favore ejus adjutum, facilius victoriam obtinere, & Italiam sibi subigere posse, concesserat iterum Papæ jus illud expilandi Galliam.

Verum, cum res aliter accidisse videret, ne ad alia damna illa expilatio etiam regnum ipsius penitus debilitaret: curavit, interposita Parisiensis scholæ protestatione & appellatione, annatarum exactionem impediri.

pag.406 Semper verò in istis contentionibus Scholæ Parisiensis, totiusq; Galliæ Prælati, suo Regi contra Papam adfuerunt, probantes, illas expilationes esse Simoniam, & multiplicia damna & scandala Ecclesiæ Dei inferre. Ut verò magis appareat, quantas rapinas Papa & in hoc regno & in aliis Christianitatis partibus exercuerit: adscribam locum quêdam ex Henrici Token Sylva communium locorum, qui in concilio Basiliensi Magdeburgensis Archiepiscopi legatus fuit. Million est decies centum millia. Narravit Archiepiscopus Lugdunensis in concilio Basiliensi, anno Domini 1436. quod tempore Martini Papæ venerint ad curiam Romanam de Francia novem milliones auri (id est, coronatorum) computati ab Episcopis & Prælaturis, absqve iis, quæ computari non potuerunt de parvis clericis, qui qvotidie absqve numero currunt ad curiam Romanam, deferentes sæpius secum totam suam substantiam. Archiepiscopus Turonensis dixit Basileæ anno D. 1439. quod tres milliones auri venerunt ad curiam Romanam tempore suo in qvatuordecim annis, de Prælatis & prælaturis de quibus potuit fieri computatiô, absqve parvis clericis ad curiam currentibus. Iudicet timoratus, qvæ vorago hæc?

Non est autem dubium, quin omnibus certis & accidentariis computatis, Papa sæpius singulis annis decem milliones coronatorum undiqvaqve corraserit, præsertim verò, cum indulgentiæ in majori precio fuerunt. Quod vel inde probari potest, quod Ioannes XXII. tantum novendecim annis sederit, & tamen moriens viginti qvinqve milliones coronatorum in thesauris suis reliqvit.

Extat publicè libellus Petri Bertrandi, anno 1513. Parisiis editus, in qvo narratur controversia, qvæ anno 1329. in Galliis inter Regem ac ejus ministros, & inter Episcopos, Prælatos & Officiales, aliasqve Antichristi Harpyias extitit. Acriter tunc in eo toto regno certatum est, potissimum de eo, qvod Episcopi & Prælati variè mirisqve technis jurisdictionem etiam politicam ad sese rapere ac trahere voluerunt, & jura ac privilegia regni debilitare & infringere.

Recensentur 66. articuli (præter alios specialiores, qui etiam publicè tunc in conventu regni exhibiti fuerunt) in quibus enumerantur ordine modi ac viæ, seu rationes, quibus jura & privilegia regni à clericis extenuarentur & subverterentur: qui profectò non parvi, sed maximi momenti fuerunt, dignisimiq; sunt, qui ab omnibus cognoscantur.

Actum est de ea re aliqvot diebus Parisiis in maxima cum politicorum, tum Ecclesiasticorum hominum frequentia. Tandem polliciti sunt pseudospirituales, se abusus, de quibus quererentur Rex & regnum, brevi correcturos esse. Et Rex subjecit, si illi non corrigerent, se correcturum esse. Sed sic haud dubiè correxerunt, ut res qvotidie pejores fierent: sicut solitus est Antichristus, unà cum suis reformare-

Omnes

Omnes has contentiones Paparum cum Regibus Gallicis, prolixe eruditeq; exposuit Carolus Molinæus Parisiensis, in commentario suo, ad edictum Henrici secundi. Atq; testatur is, Papam adhuc annuatim ad minimum unum millionem certorum redituum ex Galliis habere.

Sed agè, nunc recitemus ex manuscripta Martini appendice de Bonifacio octavo.

Eodemqve anno Domini M. CCC. I. Bonifacius Papa, qvi contra Regem Franciæ plurima conceperat, provocatus tantum misit literas cum bulla sua eidem Regi, ad perpetuam rei memoriam, in qvibus mandavit eidem, qvod, cum ipse Papa dominus esset in temporalibus & spiritualibus in universo mundo, volebat, qvòd ab eo cognosceretur regnum Franciæ ab eodem, & contrarium sentire & tenere hæreticum judicabat.

Fueruntqve literæ hæ in Regis palatio coram pluribus concrematæ, & sine honore remissi nuncii vacui qvod portarent. Et tum Rex artari fecit omnes vias & exitus regni sui.

Eodem anno Papa excommunicavit omnes, qvi impediebant illos, qvi ad Romanam curiam veniebant. Anno Domini 1301. in fine Qvadragesimæ, Philippus Rex Franciæ considerans, qvòd prævisa jacula minùs feriunt, minusqve lædunt, convocavit omnes Prælatos & Barones personaliter, omnesqve communitates regni sui per procuratores idoneos, & advenire Parisios exegit, consilium & auxilium ab eisdem contra omnem hominem petiturus. Specialiter autem contra Bonifacium Papam intentio ferebatur. Fitqve rumor magnus in toto regno, turbatio cordium, & confusio rerum, fueruntqve ipsi Papæ Bonifacio objecta crimina, & titulus hæreseos, suoqve prædecessore vivente intrusio, & ingressus illegitimus ad Papatum, & qvòd ei non erat parendum, sitqve contra ipsum Papam provocatio ad concilium generale.

Eodemqve anno Domini prælaxato 1302. in Calend. Novembr. Romæ Bonifacius Papa celebravit concilium, qvod antè per annum & ampliùs convocaverat. Prælatorum regni Franciæ, omniumqve doctorum regnicolarum, tàm in Theologia, qvàm in utroque jure Canonico & Civili, contra Philippum Regem Franciæ memoratum coruscationem Papæ multis tonitruis contra Regem, nulla pluvia apparuit subsecuta. Defeceruntqve sibi Prælati aliqvi in regno magni, qværentes qvæ sua sunt, & sibiipsis ad tempus tantummodo consulentes:

Anno Domini M. CCC. III. Bonifacius Papa Regi Franciæ movet litem, ipsumqve excommunicat, inducens qvia non permittebat aliquem exire de regno versus curiam Romanam, nec liberè pecuniam apportari: ob qvam causam idem Bonifacius Albertum qvondam filium Rudolphi, Ducem Austriæ, Regem Alemaniæ, cujus electionem antè repulerat, in Imperatorem confirmat, eidemq; subjiciens regnum Franciæ, sicut & alia regna.

Anno Domini M. CCC. III. in vigilia beatæ Mariæ Virginis in sep. dum Bonifacius Papa Anagniæ in patrio solo, ac civitate Papæ originis cum sua curia resideret, ubi tutus esse amplius meritò crederetur in gente sua, & populo, & natione: ibi consciis aliqvibus domesticis suis proditus fuit, captusqve atqve detentus, & thesaurus suus ac Ecclesiæ deprædatus & deportatus, non sive ignominia Ecclesiæ & dedecore gravi. pag. 407.

Cardinales vero sibi timentes, relicto eo fugerunt, exceptis scilicet D. Petro Hispano Sabinensi, & D. Nicolao Hostiensi Episcopis. Cujus captionis & sceleris vexillifer fuit Gulielmus de Nogavelo, de S. Felice, diœcesis Tholosanæ, complicibus & consentaneis Columpuensibus. Ex qvibus olim duos decapellaverat Cardinales.

Super ipsum itaqve Bonifacium, qvi Reges & Pontifices & religiosos, clerumqve & populum horrere & tremere fecerat, & pavor, timor, & tremor, & dolor una die pariter irruerunt: aurumqve nimis sitiens, aurum perdidit & thesaurum, ut exemplo ejus discant superioris Prælati, non superbè dominari in clero & populo, sed forma facti gregis ex animo curam gerere subditorum, plusqve amari appetant, qvàm timeri.

De Anagnia verò Romam perductus 35. die à captione sua in loco doloris & amaritudinis positus, inter angustias spiritus cum esset, corde magnanimus obiit Romæ 5. Idus Octobr. Seqventi verò die fuit in tumulo, qvem sibi vivens præparari fecerat, tumulatus in Ecclesiæ sancti Petri, anno Domini M. CCC. III. Pontificatus sui anno nono.

Ex eodem in Clemente qvinto de eadem re.

Anno Domini M. CCC. XI. qvarto die exitus mensis Aprilis, scilicet V. Calend. Maji, in Avinione per Clementem Papam fuit in Consistorio publico excusatus Philippus Rex Franciæ de his, qvæ egerat contra memoriam Bonifacii qvondam Papæ, & pronunciatum ad excusationem Regis, qvòd egerat ea in bona intentione, & bono animo ac zelo, præsentibus ibidem Regis nunciis, & hæc fuerunt consequenter, ut dictum est, bullarum Papalium testimonio confirmata. Fuitqve ibidè Papæ Clementi commissum totum negocium,

cium, totusqve processus habitus Bonifacii Papæ memorati ab utraqve parte, scilicet accusante & defendente: fuitqve renunciatum & conclusum per viam pacis tractatæ. Papa vero suscepit super se negocium examinandum, & finaliter terminandum. Item ibidem Papa Clemens absolvit Guilielmum de Nogareto, præsentem & petentem absolui à sententia excommunicationis, qva tenebatur propter Bonifacii Papæ captionem.

1557. **Lælii Capilupi Cento Vergilianus de vita Monachorum, qvos vulgò Fratres appellant.**

Ille ego, qvi qvondam, cum Gallus amore periret,
Noctes atq; dies cecini, sub tegmine fagi,
Carminibus patriis levium spectacula rerum,
Majus opus moveo: non hic de carmine ficto,
Magnanimie Aenea, nec te rationis egentem,
Infelix Dido, miseri post fata Sychæi:
At fratres rerum dominos, gentemqve togatam,
Illustres animas, & corda oblita laborum
Dicam eqvidem, fretus cithara, fidibusq; canoris
Fatidicæ Mantûs: non omnia possumus omnes.
O decus Italiæ, magna spes altera Roma,
Cura Deûm Hippolyte, proles pulcherrima, bello
Per tot ducta viros antiqvâ ab origine gentis:
Tu mihi, seu magni superas jam frigora Rheni,
Horridus in jaculis & pelle Lybistidis ursæ
Arma inter regum, clypeoqve insigne paternum
Centum angues, cinctamqve geris serpentibus hydram,
Arduus insurgens & grandia lilia qvassans:
pag. 408. *Sive Padi ripis augusta ad mœnia regis,*
Vnde genus ducis Tyrio conspectus in ostro,
Inter sacra Deûm patribus das jura vocatis:
Da facilem cursum, atqve audacibus annue cœptis.
Ab Jove principium generis, si credere dignum est:
Diis qvanqvam geniti, tot jam labentibus annis,
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Nulli certa domus, habitabant vallibus imis,
Seclusum nemus, & scopulis pendentibus antrum,
Riparumqve thoros, inter deserta ferarum,
Sole sub ardenti, gelidiq; sub atheris axe.
Iam tum relligio pavidos terrebat agrestes,
Victum infelicem, baccas lapidosaq; corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.
Pocula sunt fontes liqvidi: non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuére repostæ.
Nulla Venus, nulliqve animum flexére Hymenæi.
Heu pietas, heu prisca fides! qvis talia fando
Temperet à lachrymis? Longo post tempore venit
Vnus qvi nobis Deus æthere missus ab alto,
Is genus indocile & dispersum montibus altis
Composuit, legesqve dedit, nova qværere tecta.
Idem omnes simul ardor agit, labor omnia vincit
Improbus, & rerum fato prudentia maior.
Magnanimi Heroes, nati melioribus annis,
Europa atqve Asia, super & Garamantas & Indos,
Centum urbes habitant magnas, atqve aurea tecta:
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Tantum ævi longinqva valet mutare vetustas.
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores,
Saxa & per scopulos, & virginitatis amorem
Relligio vetuit, monitu imperioq; Deorum.
Qvid loqvor? an sua cuiqve Deus fit dira cupido?
Ergo omni studio læti convivia curant.
Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra.
Hoc virtutis opus: glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemqve ferat, turpesqve podagras.
Et tunicæ manicas & habent redimicula mytræ.
At genus immortale, Deûm præcepta secuti,
Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas.
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.
Jura magistratusqve legunt, sanctumqve Senatum,

Rectores iuvenum, & rerum, regemque tremendum,
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis ætas,
Aut aris servare sacris, aut scindere terrā,
Condit opes alius, grandævis oppida cura.
Sunt quibꝰ ad portas cecidit custodia sorte:
Omnibus in morem tonsa est coma, obesaque terga,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Omnibus idem animus, denso distendere pingui,
Quem legère ducem; sed non genus omnibus unum.
Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus: nec enim percurrere nomina possem,
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum.
Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est: veniet, lustris labentibus, ætas,
Cum domꝰ & proles subito defecerit omnis.
109. *Heu, nihil invitis fas quenquam fidere divis.*
Quid labor aut benefacta iuvant? sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri
[illegible] aerias alpes, & Norica si qui
Castella in tumulis videat, desertaq́; regna.
Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Vana superstitio, veterumve ignara Deorū,
Quam neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro
Mores & studia, & populos, consortia tecta
Sustulit [illegible] prior stygijs emissa tenebris.
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores.
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri,
Ing, dies [illegible] surgēs caput altius effert.
Quæ regio in terris nostri nō plena laboris?
Aspice & extremis domitum cultoribus orbem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos,
Quid memorem infandas cædes, vetitosq́; Hymenæos?
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Diripuère aras, & religiosa Deorum
Limine, ubique pavor & plurima mortis imago,
Quin etiam medias Italûm bacchata per urbes
Pestis & ira Deûm, majoremque orsa furorem:
Haud ignota loquor, cuncti se scire fatentur.
Tertius ille hominum divumque interpres Asylas,
Os humerosque Deo similis, cui plurima mento
Canicies inculta jacet, dependet amictus
Sordidus ex humeris, omnis quem credidit ætas
Semine ab æthereo, & genus alto à sanguine divûm,
Fas omne abrumpit, trepidusque repente refugit,
Pictus acu tunicas, tot sese vertit in ora.
Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,
Seditione potens, instructus & arte Pelasga
Ibat, & ingenti sese clamore ferebat,
Consilio versare dolos ingressus & astu,
Fertilis Ausoniæ populos sermone replebat,
Oblitus decorisq́; sui, sociumq́; salutis.
Ausus quin etiam sacratæ avellere templo
Numina magna Deûm.
Ergo omnis furiis surrexit Hetruria iustis,
Tum celerare fugam, veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri,
Conscius audacis facti penetravit ad urbes,
Et genus invisum, & diri sacraria Ditis
Arma Iovis fugiens atque alta mœnia Romæ.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Ignis ubi in medio, & socij cratera coronant,
Te libans (Lenæe) vocat resupinus in antro.
Causa mali tanti fulgenti murice vestis,
Invidia infelix, laudumque immensa cupido.
Nusquam tuta fides, coluber mala gramina pastus
Hortator scelerum, stimulis agitabat amaris.
Nec requievit enim, donec de culmine summum
Inter saxa virum Stygias detrusit ad undas.
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans,

Nunc hos nunc illos aditus, omnemque pererrat
pag. 410. *Italiam, Italiam, sinnosa volumina versat,*
Arrectis horret squamis, & sibilat ore;
Horresco referens, Dii talem avertite casum,
Dii prohibete minas: superet modo Mantua nobis,
Mantua dives avis, qualis Berecynthia mater
Læta Deûm partu: procul ô procul este profani,
Dii patrij servate domum, parvosq; nepotes:
Et placidi servate pios, dominamque potentem.
Te precor, Alcide, magnum & memorabile numen,
Quem primi colimus miserantem incommoda nostra,
Hanc primùm tutare domum, genus arce luporum.
Hic casti maneant in relligione nepotes,
Et nati natorum & qui nascuntur ab illis.
Quo feror? unde abij? fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore:
Multaque præterea post me memoranda relinquo.
Vos, ô Calliope, precor aspirate canenti
Sacra, Deosque dapes, & plenæ pocula mensæ,
Fortia facta patrum magno nunc ore sonandum.
Omne adeo genus in terris, populumque patresque
Mollibus è stratis opera ad lux suscitat alma,
Et matutini volucrũ sub culmine cantus.
Principio delubra adeunt, atque ære sonoro
Turribus aut altis, aut summi culmine tecti
Dant signum; fulsère ignes altaria circum.
Jamque sacerdotes soli cantare periti,
Velati lino volitant, ostroque decori,
Et cantare pares & respondere parati,
Agmine partito fulgent, lustrantque choreis
Atria: dependent lychni laquearibus aureis.
Stant aræ circum, puraque in veste sacerdos
Ter centum tonat ore Deos, ter gutture voces
Aut quater ingeminat: sequitur cum cætera pubes,
Et nostras audite preces, templique sacerdos
Ante aras plena supplex veneratur acerra,
Affaturq; Deos, tendens ad sidera palmas:
Se causam clamat, crimenque caputque malorum,
Multaque se incusat, rapidoque hæc addidit ore:
Salve, sancte parens, superi regnator Olympi,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo,
Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem,
Hæc ex more dapes, ille hæc monumenta reliquit
Extrema jam in morte: hanc tanti numinis aram
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Nate patris summi, tuané hæc per vulnera servor,
Morte tua vivens? quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Vicit iter durum pietas: te janitor Orci,
Te Stygij tremuêre lacus, tu sceptra tenes,
Concedas, tu das epulis accumbere divûm:
Parce progeneri, & propius res aspice nostras,
Dijque Deæque omnes, tuque ô sanctissima vates,
Alma parẽs, præsens nostro succurre labori.
Hæc ubi dicta dedit, divino ex ore sacerdos
Dona laborata Cereris, cælestia dona,
Miraturque, interque manus & brachia versat.
Heu quid agat? varia confusus imagine rerum,
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesq; rapit varias, ut vertere morsus
Exiguam in Cererẽ suaserunt numine divi,
Et violare manu, malisq; audacibus orbem
Fatalis crusti, pectus percussit honestum
Terque quaterque manu, gemitumque dedit pectore ab imo:
Sic ait: Haud equidẽ tali me dignor honore.
Et sacer implevit dextram scyphus; ocyùs omnes
Demisere caput percussæ pectora matres:
Agnovère Deum proceres, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro:

Ita, ait: & socios pura circumluit unda,
Spargens rore levi, & depasta altaria liquit.
Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Consurgit senior, divosq. in vota vocavit,
Nudato capite, & medio stans aggere fatur:
Asper acerba sonans, intentis omnibus, unus
Fata canit, fusus propexam in pectora barbam.
Edocet, humanis quæ sit fiducia rebus,
Tartareas etiam fauces, noctemque profundam,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres,
Supplicia & scelerum pœnas, sedesque beatas,
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam,
Admonet immiscetque preces, alternasque jactat
Brachia protendens, flammantia lumina torquens,
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret.
Incipit effari, mediaq. in voce resistit.
Omnia transformat sese in miracula rerū.
Ille famem morbosq. ferens mortalibus ægris
Horrendas canit ambages, præsensq. minatur
Exitium, veterum volvens monumenta virorum,
Æstusq. & pluvias & agētes frigora vētos
Obscœnamq; famē, & tristes denunciat iras.
Horrescunt corda agricolū, stupet inscia turba.
Vota metu duplicant matres, actaque furore
Conclamant, resonant latè plangoribus ædes,
Lamentis, gemituq; , & fœmineo ululatu.
Talia vociferans, solio se tollit ab alto
Tempora nudus adhuc, tunicaq; inducitur artus
Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco.
Hunc circum innumeræ gentes miserabile vulgus.
Post alii proceres, vitas & crimina discit
Munera portantes eboris auriq; talenta,
Setigerosque sues, Dodonæosque lebetas.
Prosequitur venia, & verbis compellat amicis.
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos

Castigatque, auditque, & ad impia tartara mittit.
At qui divitiis soli incubuêre repertis,
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.
Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Ordine ahena locant alii, flammasque ministrant,
Pars calidos latices, verubusque trementia figunt
Terga suum, centum pingues cum matribus agnos.
Pars epulis onerat mensas, cereremque canistris
Expediunt, tonsisq; ferunt mātilia villis;
Supponunt alii cultros, Bacchumque ministrant.
Discurrunt, versantque vices, arisque reductus, Pag. 400
Perpetuis soliti patres considere mensis,
Circum claustra fremunt, arrectisque auribus astant.
Intenti expectant signum divosque precantur.
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Tandem progreditur, magna stipante caterva.
Monstrum, horrendum, ingens, crassum farragine corpus.
More patrum solio medius consedit avito,
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque agitans discordia fratres.
Ille regit dictis animos, fratresque superbos
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella;
Tuque Prior, tu parce, genus qui ducis Olympo.
His animadversis, opera inter talia primus
Ultrò animos tollit dictis, atque increpat ultrò:
[O socii, nec enim ignari sumus ante malorum,
Hæc erat illa fames, hæc nos suprema manebat

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Exitiis positura modum: nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Quod votis optastis adest, sic itur ad astra.
Ergo agite, & cuncti nunc illas premite vires.
Communemq; vocate Deum, & date vina volentes.
Hic finis fandi, solio insonuitq; flagello.
Utque dato signo spacia in sua quuque recessit
Ordine cuncta suo, tunc facta silentia linguis.
Sic animis juvenum furor additus: inde lupi ceu
Raptores atra in nebula rapiuntque ruuntque
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant.
Nec mora, nec requies, olli certamine summo
Tergora diripiunt costis, tum dente tenaci
Dant sonitus, duro crepitant sub vulnere malæ.
Implentur veteris Bacchi, pinguisq; ferinæ,
Teuthonico ritu vertunt crateres ahenos.
Postquam exemta fames epulis, vox omnibus una,
Cœli colum regi grates persolvere dignas
Non opis est nostræ. Media inter talia verba
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Devenêre locos lætos, cantusq; dedere,
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni,
Cum sese è pastu referunt hic flumina circũ
Fundit humus flores, texunt umbracula vites,
Hic gelidi fontes & prata recentia rivis,
Speluncæ, viviq; lacus, ac lustra ferarum.
Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Impendũt curas, & retia ponere cervis,
Auritosq; sequi lepores: & fluminis alveo,
Cum venti posuêre, alius trahit humida lina,
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Et tenues rumpunt tunicas per opaca virum.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt,
Cõsonat omne nemus strepitu, risuq; soluto.
Tunc pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, aut versi terga dedere.
At patiens operum, parvoque assueta juventus,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
(Fit via vi) penetrant aulas & limina regum, pag.
Discurrunt alii ad portas & tecta domorum,
Convectare juvat prædas, & vivere rapto,
Venturæque hyemis memores quæsita reponunt,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas,
Castaneasque nuces, pariter frumenta sequuntur.
Interea socios vocat alta in templa sacerdos
Jam pridem resides, agrisque effusa juventus,
Undique conveniunt, & tristia funera ducunt,
(Ne quid inexpertum) crepitantiaque æra secuti:
Tum gemini fratres, nec multum discrepat ætas.
Funereas rapuere faces, de more vetusto
Incedunt pueri, defunctaque corpora vita,
(Quod genus hoc hominum?) læti clamore reportant,
Hic matres miseræ, puerique parentibus orbi
Flent mœsti, resonat magnis plangoribus æther,
Spargitur & tellus lachrymis, & molle pharetrum,
Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Per medias urbes, longa cum veste sacerdos
Lustravitque viros, dixitque novissima verba
Manibus & cineri. Quam molliter ossa quiescent;
Tum lecti juvenes media testudine templi
Incurrunt densi, spoliantq; calentia membra
Relligione patrum, foveisque abscondere discunt.
Devexo interea propior fit vesper Olympo,
Tecta petunt, multa referunt se nocte minores.
Instaurant epulas, & mensæ grata secunda
Dona ferunt, noctem flammis funalia vincunt.

Advol-

Advolvêre focis ulmos, igniq; dedere.
Invitat genialis hyems, curasque resolvit.
Tunc somni dulces, & tunc mollissima vina.
Postquam prima quies epulis mensaque remotæ
Porticibus longis, nil magnæ laudis egentes.
Invalidiq; senes somno vinoq; sepulti,
Conticuère, sopor fessos complectitur artus.
Omnibus una quies, operum labor omnibus unus.
At non in Venerem segnes, & dulcia furta,
Egregii forma, & primævo flore juventus.
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ,
In furias ignemque ruunt, nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent, amor omnibus idem.
Multi præterea, quod rebus restat egenis
Sæpe manu liquido distendunt nectare cellas.
Magnanimum Heroum pertentant gaudia pectus,
Stillatque mali distillat ab inguine virus.
O fortunatos nimium, sua si bona nôrint!
Non absunt illis saltus, armentaque læta,
Cælati argenti sunt, auri multa talenta
Sacra Deum, sanctosque patres, & chara sororum
Pectora mærentum, tenebris & carcere cæco
Centum ærei claudunt vectes, & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ, mirabile dictu,
Relligione sacra: non hæc sine numine Divum.
Jam nova progenies cælo demittitur alto.
Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.
Salve, vera Jovis proles, tibi nomina mille.
Dives opum, dives pictai vestis & auri:
Omnes cælicolas censum complexa nepotes.
314 *Hinc Itala gentes, omnisque Oenotria tellus,*
In dubiis responsa ferunt; tibi maxima rerum
Verborumq; fides, & nescia fallere vita.
Cura tibi divum effigies, & templa tueri,
Europam atque Asiam magno turbante tumultu,
Non equidem invideo: ipse procul discordibus armis
Haud impacatos à tergo horrebis Iberos.
Non unquam somnos abrumpit cura salubres.
Atque utinam ex vobis unus, vestrique (fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.
Omnia vincit amor: quis enim modus adsit amori?
Ille mihi thoraca simul cum pectore rupit,
Transadigit costas, itque volatile ferrum,
Altius ad vivum persedit vulnere mucro.
Quid facerem? talin' possum me opponere monstro?
O fortunatæ gentes, genus ab Jove summo,
Vobis parta quies: nos flendo ducimus horas,
Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida belli
Fata vocant, sævit toto Mars impius orbe.
Regibus incessit magno discordia motu,
Hinc movit Euphrates, illinc Germania bellum,
Turbidus & torquens flaventes Ister arenas.
Extremiq; hominum Morini, tot millia gentes
Arma ferunt Itala, sanguis novus imbuit arma.
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Obscœnæ volucres (id rebus defuit unum)
Ætheraq; obscurant pennis, camposque patentes
Facta nube premunt. En queis consevimus agros?
Nec tantis mora prodigiis, bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.
Ecce inimicus atrox, genus insuperabile bello,
Victor ab auroræ populis summæque minatur
Dejecturum arces Italum, excidioque daturum
Aere cavo, curruq; volans dat lora secundo
Per Graium populos, & lapidis arva Timavi.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant.

Anno

Ventum ad supremum est: en quo discordia cives
Perduxit miseros? nec habet fortuna regressum.
Hos inter motus, atque hæc certamina tanta,
Ipsa immota manet, spectatque interrita pugnas
Chara Deûm soboles: solido de marmore templa
Assiduo resonat cantu, nec ferrea jura,
Insanumve forum, aut populi tabularia vidit.
Atque metus omnes strepitumq; Acherontis avari
Subjecit pedibus, non ulli obnoxia curæ.
Et spectare dapes solennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosq; videre juvencos.
Hic amor, hoc studium, summa nituntur opum vi,
Regales inter mensas, nymphasq; sorores,
Sideris in numerum, atq; alto succedere cœlo:
Is locus urbis erit, requies ea certa laborũ.
Vivite felices, ô terq; quaterq; beati:
Quo res cunq; cadent, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

pag. 415. 1535. *Philippus Decius in consil. 151. maximi ponderis num. 4. vol. 1.*

Quando Papa (ait) est incorrigibilis in aliquo notorio dicto, pro quo Ecclesia scandalisatur, gloss. in terminis in c. si Papa 40. dist. tenet, quod Papa accusari possit: & de illa glossa maximum fuit factum fundamentum contra Eugenium IIV. in concilio Basiliensi: & illa glossa communiter tenetur per omnes: ut Abbas dicit in c. significasti. de elect. & in disput. Episcopus & quidam rector: ubi inquit, quod totus mundus approbat illam glossam: & illam gloss. pluribus rationibus comprobat Ludovicus Rom in consil. 523.

Primò quia Papa, qui in notorio crimine persistit & non vult corrigi, in suspicionem hæresis incidit. 38. dist. c. fin. 86. dist. c. si qui sunt, & c. fin. de pœnit. Sed pro hæresi Papa accusari potest, d. c. si Papa. Ergo pro tali crimine.

Secundò, quia removetur Episcopus ab Ecclesia particulari, ut scandalum tollatur, ut notat Innocent in c. cum pridem de renunt. Idem à fortiori videtur dicendum in summo Pontifice, in quo est periculum universalis Ecclesiæ.

Tertio per auctoritatem Evangelii, si oculus tuus aut pes scandalisaverit, de quo text. eleganter loquitur in c. illud sanè, 24. q. 3. Expedit enim, ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.

Ergo Papa incorrigibilis moriatur civiliter, ne tota Ecclesia pereat, quia Papa positus ad gubernationem populorum, non debet esse ruina illorum: ut text. dicit 11. q. 3. in c. corporis. Nam tot mortibus dignus est, quod exempla perditionis ad suos trasmittit, c. præcipuè. 11. q. 3 Imp. Car. 5. Pp. Paulo 3.

Judæi ἀχριστιανοὶ καὶ ἄθεοι quomodo tractandi. 1536.

Martinus Huserus, Ioannes Kimæus Dionysius Milandinus, Ioannes Linmæus, Iustus VViderus, Casparus Capellus, Ioannes Pistorius, aliique verbi divini ministri passim in Hassia degentes, circa hoc tempus libro publicato, firmis rationibus & argumentis demonstrârunt, Iudæos indignos, ut nostris fruantur hospitiis, ad extremos, quod dicitur, Indos ejiciendos, & expellendos esse. Quodsi nihilominus ipsis hospitia præbere visum fuerit, a blasphemiis interdicendum: libros eorum horrendis convitiis contumeliisq; refertos comburendos esse.

Nam quamdiu liber ille, quem Thalmud sua lingua vocant, integer conservetur, de odio & convitiis, quibus nos petunt, nil unquam ipsos remissuros, licet id mille sacramentis seu juramentis, nulla habita conscientiæ ratione, pernegent.

Ad lectionem præterea novi & veteris Testamenti, ad audiendas conciones sacras, interpretationesq; sacrorum librorũ cogendos, à contractibus prohibendos, ad opera deniq; manuum adigendos, artibusque mechanicis instruendos esse, ut duro, & aspero labore confecti, tandem ad saniorem mentem redeant.

Lutherus item in eo libro, quem contra Thalmudistas edidit, monet: Synagogas ipsorum destruendas, & rei familiaris cura, administrationeque, & extructione ædium ipsis interdicendum esse, ut nimirum more erronum in stabulis habitent. Libros eorum cremandos, à rostris & cathedris deturbandos esse Rabinos, ne impia doctrina miseram gentem seducant. Privandos insuper omnibus pecuniis, à contractibus prohibendos, detrahendas illis omnes vestes magnificas & splendidas: deniq; ad arandam, fodiendam & excolendam terram ipsos esse impellendos.

Sin conditionibus his nobiscum vivere renuant, ex finibus nostrarum regionum exigendos esse, quemadmodum etiam ex Gallia, Hispania, Bohemia, Venetiis, Silesia, Norimberga, Regenspurgo, Argentina, Basilea & aliis locis profligati sunt.

Hæc

Hæc prudentissimi sapientissimiq; viri, D. Lutheri fuit sententia. Annexuit autem his gravem adhortationem: quod si, inquiens, Illustrissimi Principes, & vos Evangelii præcones vigilantissimi, hoc meum consilium vobis visum fuerit non satis prudens, & commodum, vos etiam atque etiam monitos volo, ut prudentius aliquod excogitetis, quo nimirum jugum illud, à Satana cervicibus nostris impositum, excutiamus, neque ire & participes fiamus mendaciorum, blasphemiarum, exsecrationumq; quas in Christum Iesum Servatorem nostrum, & Mariam virginem matrem ejus, in omnes deniq; sanctos ex fœdissimo suo palato eructant.

Nolite (quæso) illis patrocinari, pecuniam ab ipsis mutuam ne accipite, ab omni eorum commercio & societate, tanquam à peste & pernicie, abstinete. Iam enim satis superqve onera peccatorum tanto premimur, cui ferẽdo nõ sumus. Caveamus igitur, ne ad hoc onus alius præterea cumulus accedat: cogitemusqve, nobis quotidie pugnandum esse cum Sathana, carne, Turca, Christiani nominis hostibus infensissimis, ita ut seria pœnitentia, & vitæ emendatione valde opus sit. Hisce meam excusatã volo conscientiam: Nam pluribus vos monere & hortari nõ opus habeo.

1416. *Bernardinus Arlunus in Chronico Mediolanens.*

Mercatores duo non ignobiles, per Taurinos saltus in Galliam profecturi, ampliorem humana specie virum obvium habuerunt accersitique repentè ab illo mandatum in hæc verba suscepêre: Ludovicum Sfortiam fratrem meum alloquimini, hasque illi literas nomine meo date. Obstupentibus illis, ac percunctantibus, quisnam esset? sese Galeaciũ Sfortiam esse, respõdit: & mox ab oculis eorũ evanuit.

Illi properè Mediolanum rediêre inde Viglevanum, ubi Maurus agebat. Literas duci offerunt, ab aulicis irridentur. At cum pertinaciter in nuncio persisterent, in carceres conjecti, & tormentis examinati, nihil fraudis subesse, constantia sua declarârunt. Magno interea metu & consternatione de aperiendis literis consultabatur. Dubitantibus cæteris, unus Galeacius Vicecomes id ausus est. Charta erat in Pontificii Brevis (ut vocant) modum complicata, oblonga, caviculo tenuissimis filis æneis obserata, cujus verba hæc erant:

O, ô, ô Ludovice, cave tibi: quoniam Veneti Galliq; in tuam perniciem coituri sunt, tuamq; à stirpe rem eversuri.

Verùm si mihi tria aureorum millia dederis, dabo operam, ut conciliatis spiritibus, sinistra fata avertantur, idqve consequuturum spero, si mihi non adversatus annueris. Vale. Subscriptio erat: GALEACII fratris tui spiritus.

His attonitis aliis rei novitate, aliis commentum irridentibus; plerisqve pecuniam dependendam sub custodia affirmantibus: ne tamen seipsum ludibrio exponeret, à superstitiosa hac largitione Princeps prudentissimus abstinuit, & mercatores domum remisit. Cæterùm non multo post à Ludovico XII. Gallorum Rege principatu dejectus, & captivus abductus est. Imp. & Papa ut sup.

Christophorus Mandelius Ofensis, & Conradus Huserus.

Hi Turcæ tantos progressus in Ungaria, Bohemia, Moravia, Silesia ac Austria ideo tribuunt, qvod, etsi Magistratus ibi Iudæos manifestè Expilatores, Usurarios, Collybistas, Fallatores monetarum, mensuræ, ulnæ & ponderis, Veneficos, Christi infensissimos hostes, Christianorum liberos furantes, necantes, & eorum sanguine crudeliter abutentes conspiciunt: nihilominus tamen illis indulgeant omnia, ut apud eos. Imp. & Papa ut sup.

Conradus verò Huserus, qui de imposturis Iudæorum peculiarẽ tractatum scripsit, ait: Iudæos proditionibus Hungariam Turcis patefecisse, Insulamqve Cretam eidem prodidisse, obqve id scelus à Senatu Veneto in exilium actos. Reperiuntur, inquit, Christiani, Nobiles etiam, & alii, qui Iudæis pecuniam suam subministrârunt, qvibus suo nomine fœnerentur.

Et postea, Iudæi, ut recipiantur, pecuniam consiliariis largiter profundunt, qvippe qui eam aliis per fraudem eripuerunt, ut aliis largiantur. Tanta siquidem libido habendi quosdam invasit, ut vel à Sathana oblatum aurum non deneg ent, eidemqve accepta mercede inserviant. Qui etiam concionatoribus sæpè, seu canibus injecta offa os obturant.

Receptatores illorum similes esse hominibus, lucios in piscinam suam variis piscium generibus refertam, mittentibus.

Ibidem. Precantur & rogant Deum Iudæi quotidie, ut perpetuam victoriam contra Gohim, id est, impios & impuros Christianos (sic enim nos appellant) sibi concedat & largiatur.

Formula execrationum, quibus mala nobis omnia imprecantur.

Domine, impios ipsis præfice, gladius, hostis & adversarius ab eorum latere nunquam recedat: rem coram judice agentes causa excidant: preces eorum in maledictione convertantur, dies illorũ pauci sint & ærumnosi: regnum ipsorũ occupet & possideat hostis. Vagi & errabundi liberi illorũ sibi domicilia quærant, spolientur opib. hæreditatem ipsorum invadant & diripiant peregrini: ab omnibus sint derelicti: nullus misericordiæ aliqvo affectu erga ipsos tangatur: deniqve ut ros calore solis liqvescit & diffluit, sic nomen eorundem aboleatur & deleatur.

Qui

Anno

Qua gratulatione nostros ad se venientes excipiant, ex iisdem.

Verbis explicari nequit inimicitia & odium illud crudele, quod erga nos imo sub pectore, repostum gerunt. Venientem ad se Christianum his verbis excipiunt, Schet Willkom. quæ vox Germanis auribus benè sonare videtur, revera autem maledictio atrox est. Nam si eam interpreteris, hic sensus erit: Gulam tibi frangat Sathanas, cujus nomine huc ingrediaris. Interim alter imprudens, summus se cum gratulatione excipi putans, gratias ob maledictionem nebulonibus agit. pag. 417.

Doldus Jesus.

Habent item Iudæi librum, qui extat hoc titulo: qui detestabilibus blasphemiis erga Christum scatet, ut earum meminisse exhorrescat animus.

Christum Dole vocant, id est, latronem suspensum. Mariam matrem ejus Harriam acervum stercoris appellant. Ex vocabulo Iesu numerum 316. & totidem blasphemias colligunt. Munsterus refert, Christianum observâsse legentem Iudæum, qui, quotiescunq; nomen Iesu occurrisset, cum fastidio expuisset his verbis: Gemach schemohu Vesicharu, id est, nomen ejus deleatur funditus.

Ioannes Isaacus, professor sacræ lingvæ Coloniæ de his fuse scripsit. Execrandorum Iudæorum atrocissima omnes historiæ nobis proponunt innumera scelera: & ego eorum plurima horrenda & inaudita in promtu habeo: sed brevitatis studio hic omittere, & ad aliud tempus reservare volui. Constat enim, sæpissimè & plurimis in locis eos veneno aquas & fontes infecisse: homines & pecora sustulisse, Christianorum sanguinem diris modis profudisse: hostias à Christianis, ipsisqve sacerdotibus plurimas emisse, & ad veneficia & toxica pessimè abusos fuisse: & in locis ubi degunt largè illos crescere, Christianos verò lenta quasi tabe emarcescere. De quibus etiam alibi in hoc opere.

1536. *Ambrosius Moibanus in libro de Mandato Christi.*

Retulit hic, quod Prælatus quidam, cum per omnem suam vitam ex merâ pertinacia Evangelio fuisset adversatus, idqve verum esse Evangelium negasset, quia nimirum nulla ederet miracula, morbo correptus, atque eo ad mortem usqve laborans, ita dixerit:

O mi Deus omnipotens, remitte mihi, quod tam pervicaciter Evangelium tuum, quod hodie prædicatur, contemserim, idque nullam miracula faciendi vim habere protervè affirmaverim: heu, quam illud modo in agone meo verissimum est: & aliàs in vita deprehendi, quod semper Deus mihi, aliisqve mei similibus prælatis, idem conantibus apertè restiterit, osq; nostrum ita inhibuerit, ut ne illud quidem aperire contra Evangelii sui prædicatores, potuerimus. Illi profectò prædicatione sua omnem missam, omne purgatorium nostrum funditus subruerunt, quod ego cum omnibus aliis Papistis nunquam potui obtinere.

Peto itaqve veniam, & imploro misericordiam Dei, ne mihi imputare incredulitatem meam velit. Atqve ita prælatus iste haud multò post obdormivit. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut suprà.

F. Thomas Facellus de rebus Siculis.

Hic mentionem facit Sibyllanæ turris & sepulchri in Sicilia.

Idem. Sed & alia in hoc freto res mira frequenter apparet. Nam mitigato turbine quietoq; aëre, circa diei exortum, illucescente aurora, variæ animantium hominumqve formæ in aëre crebrò cernuntur: quarum aliæ penitus mortuæ sunt, pleræq; vel in aere discurrunt, vel inter se dimicant. De his etiam Polycletus de rebus Siculis, & Aristot. de mirabilibus.

Idem. Incolarum perfidia Deum & urbe & fanis discedere, constat.

Idem pro impetranda venia legati aliquando ad Romanum Pontificem missi sunt his verbis: Qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Quibus facetissime à Pontifice id solum responsum est: Ave Rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Imp & Pp. ut sup.

Idem. Messanæ patrum nostrorum memoria, Cola piscis, sed Catanæ ortus, vir cunctis seculis admirandus, qui omnem ferè vitam, relicta humana societate, solitariam in freto Messanensi, inter pisces peregit, adeo, quod diu extra aquas maris esse non pateretur, piscis cognomentum sortitus est.

Idem. Ætate mea, anno salut. 1536. tertio Idus Augusti, infans tria habens capita tria pectora, sex brachia, totidemque pedes natus est: qui ex triplicis capitis ore, & lac sugebat, & vagiebat, ut vidimus. Tres habuisse animas id monstrum, ex triplici pectore, ex quo triplex cor infertur, & Philosophi & Theologi optimis rationibus argumentantur: quod & diversus interitus probavit: nam idibus ejusdem mensis infans extinctus est: ita ut spiritus unum quidem caput mane, alterum mox, tertium verò paulo post reliquerit.

Idem. Mirum porro & illud, quod de fonte Dianæ scripsit Solinus: si quæ mulier impudica aquam ejus vino immiscuisset, fontis indicio, qui in unum corpus laticem cum mero coire non patereturc, pag.

vitam

vitam illico seclusque detectum iri: morisque hinc fuisse, ut qvivis suspectam adulterii uxorem in hoc fonte probaret.

Idem. In Alesino agro fons est, qui, cum silet, quietus & tranqvillus est: sin autem tibiæ sonant, exultabundus ad cantum elevatur, & qvasi miretur vocis dulcedinem, ultra margines intumescit. ex C. Iulio Solino & Dionysio Afro.

Idem. Ioanna Pancica Agrigentina mulier, ætate mea Bernardo Belluardo Agrigentino nupta, tantæ fuit fœcunditatis, ut tricies circiter enixa tres supra septuaginta ediderit liberos. Quod præter fidem nulli videri debet. Siqvidem 7. de natura animalium cap. 4. scribit Aristoteles, mulierem qvandam quatuor partubus viginti edidisse liberos. Singulo enim partu qvinq; emisit.

Magnus qvoqve Albertus mulierem quandam in Germania, configuratis conformatisqve in utero duorum & viginti infantium corpusculis, abortum fecisse: aliam vero etiam septuaginta: sed & aliam ejecisse in pelvim corpuscula auricularis digiti magnitudine centum & quinqvaginta refert. Et (ut amplius increscat admiratio) Margaretam Henneburgensem Comitissam, anno salutis 1276. ætatis vero suæ 42. in die Parasceves, nona hora, ante meridiem, infantes vivos promiscui sexus trecentos sexaginta quatuor peperisse, fama per cives ducta, publicis inscriptionibus, & ipsorum cadaverum numero quæ adhuc in eadem visuntur urbe, constantissimum est. Qvorum masculis Ioannis fœminis vero Elisabeth Guido Episcopus suffraganeus Trajectensis, qui baptismo eos initiavit, nomen imposuit.

Hi porrò statim unà cum matre decedentes in maximo templo, atque in eadem urna tumulati, Epitaphium habent in tantæ rei indicium.

Et (ut nostra etiam demum adjiciamus) An. salutis 1430. Mediolanæ mulier quædam annos 24. nata, novem infantulos uno simul partu edidit. Quæ posteaquam peperit, una cum filiis extincta est.

Et licet sint, quibus septem in utero cellulæ placeant, & propterea totidem duntaxat fœtus concipi posse, ex Galeni qvoqve de spermate libro tradiderint (unde & iurisconsultos lapsos errore censendum est) ea tamen omnia & temerè prodita, & opus illud Galeni non esse, eruditis perspicuum est.

Antonius Musa à Brassavolo.

Hic, scriptum reliqvit, Ferrariensem qvendam nostra ætate modum invenisse conficiendi pulveris tormentarii., qui ex bombardæ orificio emissus, nullum sonum faciat. Imperat. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut supra.

Matthiolus in Dioscorideam. Anno 1536.

Baldum I. C. scribit leviter morsum in labro à sua canicula, & post quartum mensem rabiem concepisse, & interiisse. Sic Rabula rabie periit. Imperat. & PP. ut sup.

Joannes Lucidus in Chronico de emendatione temporum. 1536.

Qvid sit aureum, argenteum, æneum, stanneum, ferreum & plumbeum seculum: item quis sit verus dies passionis Christi, & ordo Regnorum, reperies apud hunc Ioannem Lucidum. Imperat. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Franciscus Georgius, Lælius Jordanus, Castellius Eugubinus, 1536.

Hi libris & scriptis suis de Romanæ sedis origine & authoritate, probare nituntur Ecclesiasticorum in temporalibus dominium, Moysis exemplo: sed quia simile non est idem, illi viderint. Imp. Car. 5. Paulo 3. ut sup.

Signa. pag. 419

1536. In Hispaniæ qvodam oppido, die Februarii mensis septimo, circa horam noctis secundam (ut ex aliis Fincelius recitat) visi sunt, cœlo aqvoso & nubilo, duo adolescentes armati, gladiis congredientes: qvorum unus habuit in læva manu parmam aquila insignitam cum inscriptione, Regnabo: alter vero scutum prælongum cum inscriptione, Regnavi. Verum cum monomachiam instituissent, aqvilam habens, prostrato hoste, victor demum evasit. Ut sup.

De Roma Vultejus sic scripsit. 1536.

Via. Roma quid est? Pas. Qvod te docuit præposterus ordo.

Via. Quid docuit? Pas. Iungas versa elementa, scies.

Via. Roma amor est? Pas. Amor est. Via. Qualis?

Pas. Præposterus. Via. Unde hoc?

Pas. Roma mares. Via. Noli dicere plura, scio.

Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Ambrosius Blaurer concionator, vir Nobilis. 1536.

Hujus thesaurus spiritualis, sive libellus consolatorius, qva ratione Christianus homo se paret ad mortem, & ærumnas ferat, hoc tempore in lucem prodiit. Imper. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Mirum Dei judicium. 1537.

Anno salutis humanæ 1537. Dux Saxoniæ Ioannes, Filius Ducis Georgii, Dresdæ obiit 11. Ianuar. Iste Princeps quodam tempore per Lucam Pictorem referri jussit

Anno Jussit Martino Luthero: se compertum habere, quod Lutherus in suis scriptis multas moveret querelas de suo Parente, propter difficultates quaspiam. verum sic habere debere Lutherum, Principem Ioannem, si rerum summa ad ipsum foret deventura, longè alium ipsi esse futurum hostem: se namq; fore chalybeum, ubi parens ejus fuerit ferreus.

Lutherus autem ridens hanc vecordiam dixit: Dux Ioannes videat & cogitet, quomodo feliciter & benè queat mori: & addidit, se minas ejus non metuere: constare namque sibi, quod obitum Parentis sui non esset visurus. Igitur Dux Ioannes ex Luca Pictore rescíscens responsum Lutheri ad intentatas minas, & impropitium nuncium, perturbatus mente, & melancholia correptus ac tristitia, brevi post indignatam expiravit animam. Vincentius Sturmius. Imperator. Carolo 5. Papa Paulo 3.

Ostenta.

1537. Anno 1537. in Italia 25. Ianuarii aquila per aerem volavit, oculos è diametro obvertens Soli: in pede dextro tenuit lagenam vini in altero serpentem convolutum. Aquilam insecutæ sunt multæ picæ & graculi, eamque subinde incessebant, sine tamen noxa. Brevi post crux Burgundica conspecta fuit, tincta coloribus, rubeo, flavo, candido, viridi, denique vero aqueo. Frial. lib. 1. ut sup.

pag. 420. 1537.

Rasura Monachorum & Sacerdotum.

Rasuræ monachorum & sacerdotum magnum mysterium subesse affirmant: quod videlicet illa sit efficacissima ad excitandam Venerem. Cujus rei exemplum est. Mulier quædam maritum suum apud judicem impotentiæ accusaverat. Sciens autem Iudex, mulierem hanc adulteram esse, & cum Monacho rem habere, maritumque ejus falsò accusari, statuit, ut maritus tondeatur, coronamque capiti suo radat, & cum conjuge dormiat: quod tamen consilium clam marito indicatur. Obtemperat ille judici, & mulier attactu coronæ Monachum sibi adesse credens & condormire, laudat mariti potentiam. Tandem à marito cognoscens quis esset, totum hoc tonsuræ adscripsit, quod etiam ille affirmavit, dicens, poros capitis crine obstrictos, exhalare superfluitates non sinere: necesse igitur esse ut coitus impediatur, abrasis igitur pilis contrarium ei fieri persvasit, exemplum Monachorum reliquorumque sacerdotum adducens, qui omnium essent potentissimi, juxta proverbium, Qui non potest indulgere Veneri, radatur. Ex sermonibus Adelphinis. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Ordo Paulinorum, sive Gastalianorum.

Anno 1537. Hi cœperunt anno 1537. à Comitissa, Gastalia appellata, Mantuæ, de consilio Fr. Baptistæ Cremonensis, Prædicatorii Ordinis. Hujus sectæ fratres, & sorores (ut facilè credi potest) carnem suam hoc modo solent domare, propriis suis viribus, ut loquuntur. In uno enim lecto concumbunt, cruce interpositâ, ne coire unà possint. Tali concubitu tamdiu utuntur, quoad nullas amplius carnis titillationes sentiunt. Sed cum hypocrisis hæc, & locus innotesceret, ob impudicam & flagitiosam vitã ex totâ Italia ejecti sunt. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3 ut sup.

Joannes Agricola in proverbiis & sermonibus.

1537. Ioan. Lichtenbergius Bavariæ principẽ in Ephemeridum suarum etesiis prædictionibus, ut ita dicam, seriò admonuit cum scripto, cum pictura, Leonem Aquilæmetu latebras petiturum. Sprevit ille: at non multo post à Maximiliano Imperat. gravi bello petitus est. Ille idem Pontificem multò ante, quam Lutherus religionis caussam ageret, ad pœnitentiam & Ecclesiæ reformationem hortatus est.

Idem. Ioannes Teutonicus magni nominis olim, patre natus presbytero, eruditionis opinione ad Halberstadensem canonicatum, ad quem alioqui non nisi nobiles, & loco nati legitimo admittuntur, conscendit: cæterum quia à collegiis ob generis ignobilitatem spernebatur, convivio excepit illos splendido, & captata occasione, vellentne singuli suos videre patres? interrogavit. Id cum illi se vehementer cupere dicerent: arte magica umbras excitavit deformes, cuique stabularii morionis, rustici personam gestantes, quarum facies in paternis ædibus aliquando se vidisse fatebantur convivæ. Ad extremum, Ioannes suum quoque patrem excivit, habitu canonici, aqualiculo pingvi. Dimissis umbris, eccujus tandem patrem nobiliorem esse judicarent? convivas interrogavit. Illi metu territi, pudore suffusi, suas quisque domos repetiêre: & Ioanni porrò si non natalium, at virtutis tamen commendatione claro, molêsti esse desiêre. Qui quę vult dicit, quæ non vult audiet. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Idem. Ioan. Trithemius Abbas Spanheimensis, eas cruces, quæ cœlitus anno 1515. in vestibus hominum impressæ apparuêre, decennio post energiam suam habituras, prædixit. Nec defuit eventus. Anno enim 25. religionis nomine, seditiosi rustici & seipsos, & totam Germaniam maximis implicavêre malis, qui sacræ tesseræ loco cruces suis affixas vestibus habebant.

Heiveus

1537. *Herveus lib. de potest. Papæ, & alij ante & post eum.*

Post Christi adventum, sublatis Monarchiis, omne Imperium fuisse & esse apud Christum & ejus vicarium, referunt: & transferri per Papam in Principem secularem: allegantes super hoc Dan 9. Idem Genebrardus in Chron. Imp. Car. 5 Pp. Paulo 3 ut sup.

1537. *Grappa.*

Scripsit hic librum intitulatum: Cicalamento del grappa, infandum & scelestum: hunc si legeris, non opus tibi erit Rhythmis Italicis, nec salacibus cantiunculis Neapolitanis, nec Joannis Casæ aut Anastasii Plasii, (cujus meminit etiam Andr. Barbatia in consiliis) de Sodomia libris.

1537. *Marinus Barletius Scodrensis Sacerdos, de vita & gestis Scanderbegi, Epirotarum principis.*

Minimus natu Georgius fuit, cui postmodum apud Barbaros (ut suo loco dicemus) Scanderbego nomen inditum est. Sed anteqvam progrediar ulterius, omittendum non censeo, quod vel prodigiis ipsis ostensum, & à plerisque vaticinatum de hominis gloria accepi. Licet id, ceu antiquis simillimum fabulis, aspernaturos plurimos non ignorem. Ferunt enim quod cum eum concepisset mater, serpentem se enixam ejus magnitudinis somniârit, qui totam fermè operiens Epirum, caput inter Turcarum fines protenderet, & cruentis faucibus eos absorberet, caudam verò teneret in mari inter Christianos & Veneti maximè imperii terminos, narratum id sibi Joannes, cum non ejus generis res esset, quæ extis ullis scrutaretur, vel Apollinem exigeret interpretem, ingenti lætitia solatus uxorem, nasciturum ex ea virum, ominatus facilè est, clarum bello, factisq; qui Turcarum simul hostis acerrimus idemq; Dux fælicissimus, & Christianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor Imperii perpetuus existeret. Nihil fefellit se vel alios solicitus parens, sed aucta magis est vaticinio fides, puero nato, namqve aliud pulchrius longè clariusq; bellici decoris signum in dextro pueri brachio visum, forma ensis ita expressa, ut manu facta videretur. O insignem naturæ liberalitatem, qvæ vel nascentibus nobis subjicit documenta, & in corpore ipso figit insignia, quæ postmodum sint sequenda. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Idem. Ferunt de eo illud dignum qvoqve memoratu, cum initurus prælium foret, vel in ipso etiam pugnandi ardore, præter cetera mirabilia mutati vultus signa labrum inferius scindi solitum cum copia multa saguinis, quod etiam nedum in bellicis rebus, sed civilibus qvoq; negotiis frequenter visum, cùm præter modum excanduisset. Anno

Antonius de Bitonto Sermone 31, & 34. 1537.

Prælatus quidam gulæ adeò indulgebat intemperanter, ut pessimum ex quotidiana sibi crapula contraxerit morbum. Consultis igitur Medicis, jubetur uti thermis. Sed à quibusdam exploratoribus deprehensus capitur, pecunia, omnibusq; bonis spoliatur, aliqvandiu detinetur, & tandem pane & aqua pascitur. Sed ecce miraculum. Propter abstinentiam hanc prælatus felicissimè iterum convaluit: & suo exemplo docere incipit, temperantiæ studium esse præsentius antidotum contra omnes morbos, quàm decem thermarum usum.

Antonius Bonfinius civis Asculanus in decade 1. libro 10. rerum Vngaricarum. 1538.

Ex his qvi cæsi sunt, nobile Lehelis facinus prædicant. Hunc cum Bulcho captũ, ad Conradumqve ductum referunt. Post hæc percunctanti Principi, cur tam diro Christianos animo insectarentur? cum ita respondisse ajunt: Humanorum (inquit) scelerum sumus ultores, & ad supplicia vestra à Deo editi: cum vos persequi desinimus, tunc à vobis irato Numine capimur, & obtruncamur. Admiratus hæc Imperator, optandæ mortis potestatem obtulit. Lehel anteqvam optaret, tubam, qvâ in bello utebatur, postulavit: qvâ data, Conradi caput lethali vulnere extemplo confregit. Præibis (inqvis) ad inferos, & ibi mihi servies. Credebant enim Scythæ, qvoscunq; in hac vitâ cæderent, eorum se in alterâ servitio esse potituros. Imp. & PP. ut sup. pag. 411.

Idem Dec. 2. lib. 1. Adelberti Pragensis Episcopi in Livonia ob Christum occisi digitum, qvo inter prædicandum usus sæpe fuerat, in Vandalum amnem projecerunt carnifices. Projectum piscis absorbuit. Absorptus in specie facis in ventre piscis illuxit. Piscatores hoc edocti portento, mira industria ceperunt piscem, & in exenterati ventre Adelberti digitum facis more lucentem invenêre.

Idem Dec. 4. lib. 7. Ioannes Varadiensis antistes ab Matthiâ Corvino Ungariæ rege missus in Galliam orator, legatũ Gallorum secum reducturus, trecentos eqvos eodem colore omnes, & magnitudine, trecentos qvoqve juvenes ex universis ordinibus, & tota nobilitate delegit, qui per singulas urbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu uterentur: intonsi omnes, eadem proceritate & ætate consimiles. Ex his torqvatos multos cernere erat:

Anno ceteros, qvibus aurei crines fuerant, gemmatis capita sertis obductos: supplex adhæc plus quàm pontificia.

Idem. Nec illud quidem prætermittendum est, quod in coronæ casu contigisse affirmant: ne quis hanc divina tutelâ carere arbitretur. Othonem, ajunt: cum regnum adjuturus esset, ne qvo fortasse dolo corona subriperetur, eam tornatâ inclusisse lagenâ: fidelissimo commisisse cubiculario: neqve, qvid intus esset conditum, significasse. Dum iter omnes faciunt, lagena tanti momenti, quæ ex eqvestri sellâ pendebat, soluto loro, inscioq; famulo, decidit: neqve nisi ad serum usqve tempus, jam viginti millia passuum emensus, is, qvam jacturam fecerit, adverterat. Sed ubi illam amisisse intellexit, relato mox pede, postero die in mediâ hanc via reperit: retulit ad Othonem vasculum, ab eo tantopere commendatum. Multi eadem via qvamvis fecère iter, à nemine tamen visam fuisse ferunt. Prodigium mox aruspices interpretati, Othonem perbrevi regno potiturum: mox vero repertam ideo dixère, qvia Ungaris abalienari sanctum ac penè divinum diadema non posset.

Scribit hic idem cum Petro de Natalibus, Sigeberto, Balæo & aliis de undecim millibus virginum admiranda, qvæ vel errorem in cyphris habere, aut vero per totum commentitia esse putârim.

Idem. Sarolthæ, Ungarorum Ducis Geisæ conjugi dormienti, cum uterum gereret, Stephanus Protomartyr apparuit, eamqve his verbis affatus est: Confide in Domino JESU CHRISTO, mulier, & ex me divino mandato sic habeto, te propediem scitum fortunatumqve puerum edituram cui Pannonici Regni debetur diadema: ac talis is vir erit, qualem nunquam deinceps visura est Pannonia. Demum inter Divos ipsi locus erit. Et cum ego Stephanus sim Protomartyr: qvi nunquam ei non adero, meum filio nomen imponito. His dictis evanuit. Sarolthæ somnio confirmata, Protomartyri ad omnes aras sacra fieri, præcepit, & anno 909. puerum enixa est.

Idem. Adalberto pontifici Pragensi apparuit Iesus, eiqve hæc verba dixit: Adalberte, stertis, & populus tuus præceps fertur. Quibus calcaribus agitatus, in officio fuit postmodum fidelior.

Idem. Eodem anno, pontificio diplomate ac edicto, integra delictorũ remissio, & solida animorum fuit expiatio hominibus indulta fidelibus, Rhodianorum militum gratiâ, qui sub Hierosolymitanæ expeditionis prætextu, Clementis Pontificis auctoritate, multum pecuniarum, etiam suprà qvàm credi posset, undiqve corrogârunt: demum haud sine pontificis infamiâ, res exitum frustrata.

Idem. Sub mortem MATHIAE Regis Ungariæ, nulli corvi, qvi corvinæ domus insignia referunt, Budæ conspecti sunt contra Albæ, ubi regum monumenta sunt, tanta corvorum multitudo spectata, ut omnes hic regis mortem facilè ariolarentur. Paulò ante: cum Vienna Budam descenderet, in turris fastigio ciconiæ nidum suspexit, de qvo, ejecta domina, qvatuor inter se ciconiæ acerrimè certabant: & veluti divinitus afflatus, Pannonicam eo anno concordiam turbatum iri, dixit. At mortem Principis imminere suspicati sunt prudentiores, & reges qvatuor de regno dimicaturos.

Idem. Ad hoc enim res Ungarica ipsa devenerat, ut præ intestina discordia nullum adhuc Regem solidum haberent. Quin etiam illud magis Ungarorum animos exacerbabat: qvod creandi Regis potestatem, quam olim nunquam amiserant, nunc pontificem eripere velle conspicarentur: Qvod cum hactenus impetrare non potuerit: nunc, ut extorqveat, ac tale jus vendicet sibi, extremam etiam vim censuræ pontificiæ, veluti Iovis fulmen, adjecerit: & majoribus qvotidie injuriis Pannoniam afficere contendat: qvod ab omni pontifice, vel imprimis maximo, alienum esse debet. Quicunq; igitur pontificiæ voluntati & imperio adversabantur: pueroqve Carolo infesti erant, cum magnâ nobilium manu conjurârunt: & Othonem Bavariæ Ducem loco Regis in Ungariam duxerunt.

Bellum Turcicum Pontificiis admodum commodum, ex eodem.

Pontifices Romani multos per años collegerunt passim maximam pecuniarum vim, sub prætextu belli Turcici, cujus tamen ne minimam partem eò impenderunt. Et cum hac de causa Rex Ungariæ Ladislaus, inscio Papa Eugenio, cum Amurathe Turcico pepigisset fœdus, & pacem constituisset decennam, & sacro juramento utrinqve confirmata essent pacta: indignatur Papa Eugenius valde, qvod per decem annos cogeretur consveto qvæstu carere: igitur persvadet Regi per Legatum Julianum Cardinalem, fœdus constitutæ pacis se inscio sancitum, esse vanum & irritum, & à juramento dato Amurathæ absolvit, eumqve ad bellum concitat.

Hujus facinoris atrocitatem usqve non demirari satis poterat Turca, Christianos nimirum, & præsertim ipsius Dei vicarium, suum Deum, cui tanta religione & jure sint adstricti & devoti, & per cujus sancti nominis testimonium, suarumqve animarum salutem fœdus id confirmârunt, tam parvi pendere, tantaqve temeritate eum irritare. Ideoqve in acie & prælio ad Varnam, cum jam de victoria desperâsset, levatis

levatis ad cœlum oculis Deum inclamavit, dicens: O Christianorum Deus, si justus & adhuc Deus es, hos tuos perfidos, perjuros & fœdifragos non impunè dimittes. Et statim ea pugna, versa fortunæ vice, Rex E. cum universo exercitu ense Turcorum cecidit [illegible] usqve huc, ex causa Pontificiæ improbitatis, nunqvam felici victoriæ successu cum Turcis signa contulere Christiani. Ex lib. 28. Anton. Bonfin. & lib. 5. Chron. Phil.

[illegible] *Achilles Gassarus in Chronico.*

Otho IV. Saxo, Brunsvicensis Dux, Imperator centesimus quintus Germaniæ & Romanorum, regnat vaferrimè annis qvatuor: deinde, cum contra PRÆDONES legem fixisset rigidissimam, excommunicatur, & abrogatur, tandem post qvinqvennium moritur in patria sua. Imp. & Papa ut sup.

Idem. Nicolaus Papa tertius novos Reges in Italia creare nisus est, ac Bononiam cum tota Flaminia ab Imperatore Germano emunxit.

1538. *Ægidius Tschudus, & Hoggerus Abbas.*

Scripsit ille de Albina Rhetia, & mentionem facit Abbatis Hoggeri, qui vitam Fridolini sancti cujusdam descripsit: sed tribuit ei facta vix credenda, ut ibi. Imp. 117. Carolo 5. Pp. 227 Paulo 3. ut sup.

1538. *Nobilis studiosus Martyr.*

Hoc anno Tholosanus qvidam adolescens nobilis, literarum studiosus, Lutetiæ fuit exustus, ob solum esum carnium. Sleydanus.

1538. *Caspar Hedio in Chronicis.*

Subineon Arch. Pragensis, cognomine lepus, combussit ducentos libros VViclefi, & Husso conciones interdixit: sed frustra. Imp. & Pp. ut sup.

Idem lib. 5. cap. 19 Natalius monachus, qvoties Alexandriam ingrederetur, mulieres turpi corporis prostituti quæstu infames, si qvas haberet obvias, monebat, ne alii noctem condicerent: se enim cum ipsis concubiturum. Deinde sub vesperam si qvam accessisset, totam eam noctem apud meretricem ducebat insomnem, totus vacans precibus piisq; exhortationibus, qvibus eam à fœditate libidinum avocatam Christo lucraretur. Quo sanè modo complures à Sathanæ laqveis eripuit.

Idem. Anno supra millesimum qvadringentesimum octuagesimo octavo, sacrificulus pudicitiæ cujusdam matronæ tam diu insidiatus est, donec ei concumberet. Fœminæ istius maritus cum id rescivisset, serio minatus est sacrificulo, se deprehensum eum denuò castraturum. Paulo post, cum ædes viri hujus præteriret sacrificulus, mulier, re cum viro communicata, blandis eum verbis intra ædes pellicit: qvi velut victima, quæ ad aram ducitur, mulierem in conclave seqvitur, ignarus paratæ sibi fraudis. Vix conclave ingressus fuerat cum maritus stricto gladio prosiliens, sacerdotem interminabundus hortatur, ut se dedat, & castrari se, qvemadmodum minatus ei fuisset, patiatur. Sacerdos, qvanto in periculo versetur, animadvertens, timore in furorem verso, tantis viribus se tuetur, ut & gladium viro extorqveret, constrictumqve tenens adigeret ad jusjurandum, qvo impunitatem sibi promitteret.

Sacerdos fidem habens promissioni, eum missum facit, gladiumqve in mensam reponit. Maritus, cum periculum evasisset, jurisjurandi immemor, rabieqve efferus ensem rursus corripit, multoqve sævius qvàm antea, in Sacerdotem irruit, & intentatâ ferri acie cogit, ut manus in tergum rejectas uxori constringendas præberet, qvo facto, & manus & pedes lecti, cui eum injecerant, fulcris qvatuor fortiter alligant: maritusqve, ut interminatus fuerat, testiculos ei eximit: deniqve jurejurando adstrictum, qvotannis denos florenos sibi numerare, nec ulli hoc facinus revelare cogit. Hunc ad modum exceptus & tractatus Sacerdos, domum tristis revertitur, & in lectum se reclinat mortem expectans, qvâ tamen evitatâ, convaluit. Cumqve facinus hoc tandem emanaret, hac de re appellatus maritus rem omnem est confessus.

Idem. Anno millesimo trecentesimo vicesimo tertio, Fridericus Austriacus Imperatoris titulum sibi vendicans, adversus Ludovicum Bavarum Imperatorem grave gessit bellum, in qvo captus Fridericus, triennio in custodia detentus est in arce, vicina oppido celebri ad Nabum fluvium Naburg. Interim Magus qvidam Ducem Leopoldum, Friderici fratrem accedens promittit, se fratrem ejus Fridericum è custodia liberaturum, curaturumq; ut intra horæ spacium salvus in Austriam deducatur. Leopoldus ingentia munera Mago isti pollicetur, qvatenus id efficiat. Constituta itaqve nocte, uterqve circulum incantationibus magicis designatū ingressus est. pag. [illegible]

Magus per suas adjurationes spiritum accersit, qvi in peregrini hominis specie apparens, mandatum adducendi Fridericum accipit, ait, se qvidem facilè & liberaturum & adducturum Ducem Fridericum, qvatenus ille seqvi non recusaturus sit. Protinus itaqve noctu Spiritus captivum Principem convenit: Frater, inqviens, tuus Leopoldus me huc misit, ut te è custodia liberem. Qvare propere surge

Anno & equo inside, teque è vestigio ad fratrem tuum abducam. Ad quæ respondit Dux Fridericus: Quis es tu? Ne quæras quis sim, ait spiritus, sed citra aliquam dilationem equum conscende, quatenus ex hac custodia liberari desideras. Ibi ingens horror & pavor tam Fridericum, quam reliquos, qui cū ipso una erant, invasit: cumq; sanctæ crucis signo se munirent, evanuit spiritus, & ad Magum vacuus reversus est.

1538. **Breviarium Compertorum in monasteriis, cōventibus, collegiis, &c. ex regestis Anglicis.**

Angliæ Rex Henricus Octavus, cuculligerorum cœnobia, & sacrificorum collegia per venerabiles legum doctores, Thomam Læum, Ricardum Laytonum, Thomam Bedillum Archidiaconum Cornubiensem, Thomam Barthelettum notarium publicum, & alios visitari, in suo regno curavit, ante extremam eorum dissolutionem, quæ fiebat anno à Christi nativitate 1538. In quibus tanto numero reperti sunt scortatores, cinædi, ganeones, pedicones, puerarii, pæderastæ, Sodomitæ, Ganymedes, vocarii tamen ac cœlibes omnes: ut in unoqvoqve eorum credideris novam adesse Gomorrham. Liber eorum vocatur Breviarium compertorum in monasteriis, conventibus, collegiis, &c. in qvo inter alia recensetur:

Quod in monasterio Bellensi, quod alio nomine Batel vocatur, Licestriensis diœcesis, hi fuerint Sodomitæ in ipsa visitatione reperti: Ioannes abbas, Sicardus Salchurst, Thomas Cuthbert, Guilhelmus Marche, Ioannes Hastinge, Gregorius Chāpion, Clemens Vuestfelde, Ioannes Crosse, Thomas Crambroke, Thomas Basyll, Ioannes Hamfelde, Ioannes Hierom, Clemens Grigge, Ricardus Touye, & Ioannes Austyn. Incontinentes, Thomas Lyvet cū unâ maritatâ, & alia soluta: Thomas Crambroke cum eisdem ac pluribus, & cætera casta Papæ religio.

In Ecclesia Christi Cantuariæ, inter monachos etiam Benedictinos, hi qvoq; reperiebantur Sodomitæ: Ricardus Godmersham, Guilhelmus Lichefelde, Christophorus Lamys, Ioannes Goldmyston, Nicolaus Clement, Guilhelmus Cauuston, Ioannes Ambrose, Thomas Farlegh, & Thomas Morton. Incontinentes, Christophorus Lamys prædictus, cum tribus conjugatis, & Nicolaus Clement, cum una solutâ.

In Monasterio S. Augustini (Anglorum Apostoli) ejusdem urbis & ordinis, incontinentes isti inveniebantur: Ioannes abbas cum una tantum, Ioannes Langdon cum duabus, Ioannes Langport cum una, Ricardus Compton cum una, Guilhelmus Reynesforth cum una, Guilhelmus Godmerston cum duabus, David Frankes cum una, Robertus Saltvvode cum una, Laurentius Goldston cum una, Guilhelmus Mylton cum una, Ioannes Schreuvesbery cum una, & Thomas Barham Sodomita.

In Bathoniensi monasterio inter alios plures, Ricardus Lyncombe septem meretrices habebat, quatuor solutas & tres conjugatas, eratq; Sodomita: Guilhelmus Beuushon undecim scorta qvoqve habebat, præter Sodomismi varium genus.

In Monkenfarlegensi cœnobio Sarisburiensis diœcesis Ludovicus prior novem habuit meretrices, & conventus adhuc plures.

Ricardus prior de Mayden Bradley, qvinq; meretrices, & sex spurios habuit. Guilhelmus abbas Bristollensis quatuor meretrices habuit, tres solutas; & unam conjugatam. Thomas Abbas Abindonensis, præter sororem naturalem, ex quâ duas procreavit soboles, tres alias meretrices habuit, & hic pater multorum Sodomitarū fuit. In cœnobio de Schulbrede Licestriensis diœcesis, Georgius Yualden prior septē meretrices habuit, Ioannes Standney septem, Nicolaus Duke quinque, Henricus Selvvode duas, præter reliqvos & reliqvas. Ioannes Blanke prior de Bermondsey, viginti meretrices habuit. Ut ad sacrificulorum collegia veniamus: in castro Vuindesora, Henricus Vuoduvarde succentor plures meretrices habuit: Nicolaus Vuhyden quatuor, Georgius Vuhitethorne qvinq;, Nicolaus Spoke qvinq;, Robertus Huve qvinq;, Simon Todde unam, Nicolaus Vualker duas, Guilhelmus Vuase unam, Robertus Davyson sex, Petrus Bough multas, & alii alias.

In Ecclesia cathedrali Licestriæ, Ioannes Champion præbendarius de Vualtam duas meretrices habuit, Guilhelmus Crosse maritatam unam, Thomas Parcker duas solutas, Ricardus Busselde solutam unam, de qva suscitavit sobolem: Bartholomæus Cokisley solutam unam, Robertus Hunt plures, Thomas Gosse duas conjugatas, Ioannes Hylle tredecim meretrices, Robertus More plures, Rogerus Barham plures, Ioannes Bedfelde plures, & alii alias: inter qvos etiam prædicti Rogerus Barham, & Ioannes Champion reperti sunt Sodomitæ. Hæc ex prædicto libro.

Vide qualia portenta in monasteriis & in collegiis, & in suo cœlibatu, Papatus per Angliam nutrivit. Nonne merito sunt pulsi, cum sordidissimo Romanensium omnium Papâ? In aliis qvoq; omnibus tam collegiis, quàm conventibus, similia sunt perpetrata ac reperta: qvæ per longum esset per omnia referre, imo turpissimum con-

contracta simul, ob eandem Papæ religionem, multis in locis, scabie Gallica, vel morbo Hispanico. Quoniam erant in Angliâ plus quam quadringenta diversi generis monachorum & monialium cœnobia, preter fraterculorū mēdicantiū sceleratissimos nidos, quorum etiam fuerunt feredu centa. Quibus aptissimè convenit hoc distichon:

Non malè sunt monachis grata indita nomina patrum:
Cum numerent natos hic & ubiq; suos.
Bal. & alii.

Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Casparus Peucerus de Divinationibus.

1534 Ante primam expeditionem Landgravii honestissimus vir, Consul Schmalcaldensis, vidit noctu quasi coram, has species. Invenit senem inclinato capite dormientem; & in scamno propinquo cubantem leonem, atq; in eodem conclavi multitudinem virorum longis vestibus deliberantium de leone, contra quos tandem insurgens prioribus pedibus Leo, quasi invaliturus illos, de scamno prosilit: illi globo facto, opponunt se leoni, & impetentem pugiunculis fodiunt, tandemq; super injecta sellâ concluso leoni caudam amputant: sed non multo post eluctatus ex sellâ, caudam recepit, ubi cum, metu quasi leonis, viri illi secessissent extra conclave, leo rediit in priorem locum scamno insiliens.

Deinde cum aliqvoties ingressi essent & regressi rursus, veluti deliberarent de tollendo leone, irritat9 ille cum impetu irruit in eos, quibus vociferantibus, & metu ad dormientem senem brachia protendentibus, expergiscitur senex, & erecto capite, dextræ manus motu minatur leoni, qvo viso, leo retrocedit, & subinde respectans ad senem, consiliensq; in scamnum, in figuram Christi stantis & concionantis vertitur, coram qvo cum viri illi prostrati fuissent, tanquam veniam petentes, & conseqvuti, unà cum cæteris speciebus evanuerūt. Imp. 117. Car. 5. Pp. 227. Paulo 3.

Idem in Chronico, & Annales. An. 1049. Henricus Niger Romæ constituit Papam Leonem nonum: qui seqvutus Imperatorem in Germaniam, cum Moguntiæ in frequenti synodo, quam Imp. indixerat, ejus loci Episcopo sese anteferret, & priorem locū occupare vellet, Imperator eum cedere jussit. Nondum enim Pontifices Romani Tyrannicè imperabant Imperatoribus & Episcopis, ut postea Hērico qvinto crudeli perfidia extorserunt.

Ibidem. Anno 1165. Alexander tertius Pontifex, qui vixit circa annum 1165. Imperatorem Barbarossam pedib conculcavit & calicem laicis abstulit: & Urbanus po 1 100. annos, vero usu cœnæ Dominicæ abolito, in Idoli cultum & circumgestationis convertit: qvibus uterqve & Ecclesiasticus & politicus status labefactatus & prophanatus fuit. Cujus temeritatis, perfidiæ & idololatriæ pœnas dedit, & datura est hæc pars orbis Christiani, sicut Arii blasphemias adhuc luit Oriens, discerptus Sarracenis, Turcicis & Tartaricis armis, & ex clarissima luce doctrinæ, atqve ex optima & sanctissima Ecclesiæ disciplina, præcipitatus in tetros furores Mahometicos, & vitiorum Ethnicorum turpem & flagitiosam licentiam. Anno

Idem Peucerus. In urbe Fessa in Mauritania, plus qvàm octoginta hominum millia, hæresi Mahumetis repudiata & explosâ, fidem Christi receperunt. Cum autem viderent, ab Hispanis, immani & crudeli Tyrannide, synceriores Christianos furenter affligi, & atrocissima supplicia Papatū reclamantibus intentari, numero non parvo ad declinandam impiæ persecutionis rabiē in Africam ulteriorem navigârunt, ut vitæ tutioris sedem quærerent, & pietatis studio tantò liberius vacarent. Quamobrem nunc passim in barbariâ, & præsertim in regno Marocensi fideles repeciuntur Christicolæ, qvi sub Mahumetanorum procerum tutelâ, non dubitant Evangelicæ veritati palàm suffragari, & Papistis obloqvi.

Conviciantur Iesuitæ confessores istos, Apostatasqve vocant, & qvo fumum vendant simplicioribus, ajunt, anno 1580 qvendam Petrum Elcium, civem Madridiensem Hispanum, Maroci fidem pontificiam suo sanguine obsignasse: & antequam mortem oppeteret, hortatum esse Christianos Antipapistas, ut ad Ecclesiam Romanam redirent. Esse enim omnia mendacium & vanitatem, præterqvam credere & tenere, qvod Ecclesia Romana credit tenetqve. Hæc Iesuita Franciscus de Castro in Epistolâ ad Laurentium Xaram. Sed fides esto penes lectorem.

Nos Deo gratias agamus, qvod Ecclesiam filii sui in Mauritaniâ penitus interire neutiqvam permittit, sed inter medios hostium latratus clementer fovet, & ex ipsis Mahumetanis excitat, qvi afflictæ subveniant, & Christo adhærentem non obscura favoris significatione proseqvantur. E qvorum numero, superioribus annis Rex Abdelmelecus fuit: qvi cum multos haberet Christicolas, bello captos, intra trienniū, qvo regnavit, plus qvàm ducentos gratia & comitate summa complexus est, & sine ullo precio seu lytro dimissos libertati restituit. Adhæc pro ægrotis Regni sui Christianis juxta templum Marocense Xenodocheum extruxit, multisqve reditibus conditum locupletavit. pag. 426

Idem in historico tractatu de Cœna

Anno Domini. Apud utros, Saxonasne vel Helvetios prius emendatio doctrinæ & abusuum Pontificiorum cœperit, & apud utros uter, Lutherusne apud Saxonas, an apud Helvetios Zvvinglius, initium fecerit, quod aliqui disputant, omitto: cum hoc ad institutum nostrum nihil faciat. Hoc constat, Lutheri nomen à reprehensis abusibus & erroribus Romanæ Ecclesiæ multo ante Zvvinglium innotuisse, & eundem πρωταγωνιστὴν, atque à Pontificiis præcipuè peritum & impugnatum fuisse. Quare merito primas ac præcipuas partes in hoc toto emendationis susceptæ opere tribuimus ei, tanquam organo Dei singulari, excitato divinitus, & convenientibus ac necessariis donis animi excelsi, heroici, constantis, & infracti, instructo divinitus, ut contemtis potentia, numero, minis, insidiis adversantis sibi propemodum totius orbis Christiani, & periculis, quibus undique circumfusus erat, perruptis & fugatis, destrueret regnum tenebrarum, & tyrannidos Pontificiæ jugum detraheret cervicibus hominum.

Monstrosa.

1538. Colmariæ nobilis Alsatiæ superioris, ac Romani Imperii oppidi, in ædibus Thomæ Eberlini, die Iovis ante festum paschatis, qui fuit 18. Aprilis, ipso videlicet profesto salutiferæ passionis Iesu Christi, assiduis gallina in producendis pullis laboribus, demum inter cæteros ex ovo pullum eduxit quatuor pedibus, totidemqve alis, uno capite ac corpore, sed ex duobus conflato, duplici naturæ exitu.

Fuêre non inêruditi viri, qui monstrum eo potissimum die natum, qua communione sacramentorum fidem in recordatione passionis Christi testatur Ecclesia, ad Sacramentorum verum usum accommodaverunt. Quemadmodum enim hæc proles ex duobus corporibus in unum corpus desinit, cui unicum caput datum est: sic in communione sacramentorum per fidem in mortem Iesu Christi ac fusum ejus sanguinem, nos uniri in unum corpus cum Christo, qui unicum caput est suæ Ecclesiæ, quæ multa habet membra, ac potissimum multas alas, quibus reliqua membra corporis tuentur, ac ab omnibus insultibus conservantur.

Quatuor alas ac pedes significare voluerunt quatuor Evangelistarum consonantium in describenda cœna Dominica, qua Ecclesia fidelium sine ulla verborum contentione, vera, vivaqve fide erigitur ac confirmatur. Quemadmodum enim hic gallus quatuor pedibus innititur, sic etiam fidelium congregatio quatuor Evangelistarum pedibus, ac nullo alio ab aliis falsè confictо. Et ut duo colla habet, quæ in uno capite conveniunt, non aliter Christi Ecclesia unum caput habebit, Iesum Christum, à quo regitur, consolatur, liberatur, ac perpetuo conservatur. Lyc. ut sup.

Joannes Kymeus.

Scripsit de multis Cæsaribus, & aliis piis & doctis viris, qui Paparum Tyrannidi & impiæ corruptæq; doctrinæ se ante ducentos & plures annos opposuerunt, & reformatione opus esse testificaverunt. Idem probat etiam ex libris Nicolai Cusani, eum de imaginibus, ceremoniis, virginitate, cōmunione sub utraqve, sola fide, & aliis multis articulis idem cum reformata Ecclesia sensisse: ut apud eum.

Mira.

Hoc anno Christi, 23. die Iunii, alicubi non longè à Sitta, ingens annonæ charitas & fames grassabatur. Pia igitur & devota quædam matrona cum duobus suis liberis, mundis & honestis induta vestimentis, ire paravit ad quendam fontem, obnixè rogans Deum ardentibus precibus ipsum pro sua paterna clementia velle eam ibi cum liberis pascere, & levare diram famem.

Cum autem esset in via, obviam ei fit vir qvidam, interrogans illam, qvo tēdat cum suis hisce parvulis? illa respondet ad fontem, cujus ope vellet depellere & sedare famem. Vir econtra inquit: existimas igitur, te manducaturam ex aquis fontis? at illa: apud Deum possibilia sunt omnia: filios Israël per qvadraginta annos cibavit in deserto, igitur & me poterit aqva servare. Hæc cum tam constanter assereret mulier, inqvit ei vir (qvi procul dubio angelus Domini fuit) Ecce, cum tam indubitata spe confidas Deo, redi in domum tuā, & ibi tres invenies medimnos farinæ, &c. Idq; mulier sic habere domi secundum verba viri offendit.

Promt. Exemp. in 3. mand. de Angelis.

Chronicon Lubecense Hermanni Bonni.

Anno millesimo centesimo Collegium Aldenburgi extructum est, atq; fundatum, & Episcopi ipsi concionandi munere tunc fungentes, Vandalos ad Christianismum perduxerunt. Ne autem in eam rem deinceps alii qvoqve deessent, sed ut populus doceretur, optimus Princeps Gotschalcus nonnulla monasteria atqve collegia extruxit fundavitqve, ad profectum & utilitatem universæ ditionis, & ad Christiani nominis inter Vandalos propagationem. Ex qvo conjicere qvis facilè potest, qvâ opinione primum ducti boni principes, & in qvē finē collegia & campestria monasteria ædificanda curaverint: nimirum, qvo idonei homines ad literas & ad sacra

sacra studia colenda pararentur informarenturqve, qui, ubi opus esset, & ipsi postea populo in ministerio verbi præesse possent, qvemadmodum & historiæ de Corveja, monasterio in VVestphalia sito, perhibent inde quosdam ad Rugienses translatos, pro abolenda idololatria, ac informando Christianismo per prædicationem Evangelii: qvod factum est hoc tempore Friderici secundi Cæsaris. Imperat. Carolo 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Idem. Fridericus Imperator duci Henrico Leoni indulsit atqve permisit, ut Collegiorum Aldenburgi, Raschenburgi, ac Megaloburgi veluti Superintendens esset, horumqve Collegiorum Episcopi omnes per ipsum constituerentur, ac se dominum horum beneficiorum ac munerum agnoscerent. Ex qvo facilè apparet, prophanos Principes illo tempore Episcopos constituisse, iis imperasse, ac regalium nomine juramentum ab eis exegisse, accepisseqve. Nec tantam licentiam Capitulorum dominis fuisse in electione Episcopi, qvanta nunc est. Qvod & Urbano qvarto Pontifici Romano summè displicuit in Imperatore Friderico, atqve Episcopis. Ideoqve præcepit, ut Imperatorem excommunicarent.

Idem. Anno millesimo ducentesimo qvinqvagesimo qvarto, Ioannes qvidam Minorum frater Episcopus Samlandi, è Brabantinis oriundus, Epispcopus Lubecensis precibus Romanorum regis electus est, qvod acerrimus crucis & Romanorum indulgentiarum assertor ac præco esset. Idem & hoc tradidit, ut cantor cathedralis Ecclesiæ Lubecensis in magnis solennibusq; processionibus ac circuitionibus baculum argenteum in manu sua ferret, nec qvicqvam præterea commendatione dignum effecit.

Idem. Anno 1378. lectus est in episcopum, Romanâ Pontificia authoritate, Nicolaus, Prædicatorum monachus: qvi cũ sibi regendæ civitatis potestatem unà qvoqve non concedi videret: Episcopi munus suscipere recusavit.

Idem. Anteqvam Universitates & Scholæ fundatæ sunt, lecturæ sacrarum aliarumqve artium, seu prælectiones in Cathedralibus Ecclesiis viguerunt: ex qvo adhuc supersunt nomina illa apud dominos illarum Ecclesiarum, Cantor, Lector, Scholasticus. Quanqvam nunc nomina solum restant, officium autem ac munus longè remotum est ab eis, qvi plerunq; etiam ad eã functionem ineptissimi sunt.

Idem. Anno milleno ducenteno octuagesimo, Monachi cæsii (vulgò Griseos appellant) mortuam viduam divitem monasterio suo intulerunt ac sepelierunt, funus temerè, ac ceu vi qvadam ex aliena diœcesi trahentes, citra parochi voluntatem. Ex qvo factum est, ut Lubecum urbs per Episcopum excommunicaretur, & capitulum qvidem civitate pelleretur ejiceretur-q;: donec lis hæc tandem Romæ ex præcepto summi Pontificis, per legitimas sententias Cardinalis Iacobi de Columnis, sedaretur pacareturq;.

Idem lib. 3. Anno millesimo qvingentesimo tertio Raymundus Cardinalis Lubeci in majori æde sacra fecit, ingentem pecuniarum summam, Romani Pontificis mandato, congerens, hoc prætextu, qvasi bellum contra Turcam suscepturus esset Pontifex. Cæterum expeditio illa seu bellum haudqvaqvam progressum est.

Anno

Joan Gastius in Memorabilibus lib. 1.

Hic repetet lector protestationem, supra anno 1420 apud Pogium factam.

Monialis confitendo sacerdoti dixit inter cætera: cucullo se alieno aliqvando se contexisse. Cui sacerdos: hoc nihil nocet, sed qvid latuit sub illo? respondit, Monachus. Cui sacerdos, cave posthac, inqvit, ab istis vestibus, ne polluaris. Omnium enim scelerum sordes hoc parvo tegmine absconduntur. Ad hæc Monialis: Aethiops non denigrat æthiopem. Illi sacerdos succensens, maneas ergo meretrix, ut ante. Cui iterum Monialis: sed tu noli primum in me projicere lapidem. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Idem. Indulgentiæ Apostolicæ, & qvidẽ plenariæ ita passim nostris temporibus venduntur, (ut loqvi mos est rusticis) qvod jam penè vilescat clavium, & literarum Apostolicarum authoritas. Qvamobrem nuper qvidam fratrum ordinis minorum Coloniæ Agrippinæ ita in illas invectus est: audite, ô vos fideles animæ, ego vobis aliqvid novi dicam, & rem mirandam, hanc videlicet. Qvod si nunc aliqvis vestrûm habuerit medium aureum, habebit & regnum cœlorum per has indulgentias: si quis verò qvartam partem aurei habuerit, erit Diaboli. Nonne res nova, qvod sine pecuniis non sit locus fælicitati? malè nobiscum agitur, qvi sumus minores reformati.

Idem. In oppidulo qvodam, qvod strenuè & incessanter hactenus Evangelium de Iesu Christo persecutum est, & adhuc odio proseqvitur, qvidam Franciscani ordinis Monachus concionatus est: senex erat homo, multa passus propter veritatem à monachis. Inter alia, cum vellet concionem finire, alta voce dixit: Evangelium tam clarè, & solidè prædicatur nostro seculo, atq; temporibus Apostolorum. Veritas ipsa igitur consideranda & amplectenda, non secundum affectus judicanda, qvi magis obscurant lucem verbi Dei, qvàm aperiant. Cogor, inqvit, hoc dicere, sonia monachorum pag. 418

Anno rum obscurârunt verbum Dei. Cum autẽ hæc dixisset (plura absq; dubio adjicere voluit) in terram desedit leni motu, & absqve strepitu qvi jam accurrerunt, hominemq; levârunt, & qvid ei obvenerit perqvirunt: Qui dixit, audite adhuc pauca: si Evangelii veritatem ita pergitis damnare, & persequi pios: Iudicium Domini non effugietis. Agite pœnitentiam, securis est ad arborem posita: tolerabilius erit Sodomæ & Gomorrhæ, quam vobis, qvi ex destinata malitiâ peccatis. Hoc sermone finito, qui brevis fuit (propter morbi vehementiam) sed omninò dulcis, ut multi lachrymas continere non potuerint, tradidit spiritum Domino in ipso templi suggesto.

Idem. Philip. Marchio Badensis qvendam morionem summo in pretio habuit, ob divinationis donum, quo ab ineunte ætate præditus erat. Consultârunt aulici de Iudæis in Regionem accipiendis ac Marchio omnium nobilium ac doctorum virorum, quos in consilium adhibuerat, cum suffragia collegisset, alloqvitur etiam morionem: audi, inquit, qvid tu consulis hoc in negotio, qvi arte divinandi vales? nolo sine sententia tuâ aliqvid statuere. Respondit morio: maxime svadeo, Iudæos esse recipiendos: sic enim omnem religionem, qvæ in toto terrarum est angulo, habebimus, exceptâ Christiana. Ajunt, morionem non fictitium fuisse, sed à parentibus id vitii cõtraxisse: præterea in aula educatum ob pauperiem parentum.

Idem Novogardẽses olim idolum qvoddam, nomine Perun, eo loci, quo nunc est monasterium collocatum, imprimis colebant venerabanturqve. Deinde Baptismate assumto, id loco motum cum in flumen dejecissent, adverso dicitur fluvio natasse: & circa pontem auditam fuisse vocem: Hæc vobis, Novogardenses: in mei memoriam: simulqve cum dicto, fustem qvendam in pontem projectum fuisse. Solet etiamnum contingere, ut certis anni diebus hæc vox Perun audiatur: quâ auditâ subitò ejus loci cives concurrunt, seqve fustibus mutuò cædunt, tantusqve inde tumultus oboritur, ut vix magno præfecti labore sedari possit.

Idem lib. 2. Certum est, Deum Ecclesiæ suæ Angelos addidisse custodes, qvo pericula corporũ in obeunda vocatione minùs formidemus. Hæc mihi scribenti qvædam nostri temporis exempla in mentem venerunt. Et qvanqvam historias plures certas & veras, de honestis hominibus & fide dignis, qui adhuc vivunt, narrare possem: tamen unicam recitabo de Simone Grynęo qui ad excellentem eruditionem & virtutem adjunxerat veram Dei reverentiam: & maximè philosophiam illorum detestabatur, qui putant, eò se plus videre cæteris, quod vel contemnere religiones audent, vel de omnibus sententiis pyrrhoneo more in utramq; partem disputare solent.

In conventu Spirensi, qui fuit anno 1529 fortè ad me ex Academia Heidelbergensi expaciatus erat. Ibi cum Fabrum Viennensem Episcopum audisset, qvosdam tetros errores defendere in concione, seqvitur egredientem ex templo, ac reverenter salutat. Postea narrat, se non petulãtiâ qvadam, sed bono studio moveri, ut aliqva dicat. Non detrectat Faber colloqvium. Ibi Grynæus, dolere se, ait, quod vir doctrina instructus, & antecellens autoritate, confirmet errores palam contumeliosos adversus Deum, & qvos constet manifestis testimoniis antiqvitatis Ecclesiasticæ refutari posse. Scribit Irenæus, Polycarpum aures obstruxisse audientem portentosos errores fanaticorum hominum: quo te animo, putas, audisset jam Polycarpus differentem? Quid mus comedit, arrodens panem consecratum? Quis non deploret Ecclesiæ tenebras?

Interpellat Faber plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat, sed placidè fatetur, se Grynæum esse. Erat omninò Faber, ut multi nôrunt, flagitiose timidus in congressibus doctorum, vel potius erat, ut veteri proverbio dicebatur. Nullus magnus, malus, piscis: id est, pavidus, procerus, insidiosus & infans. Qvare cum Grynæi eruditionem, eloqventiam, copiam, ardorem animi, præsertim in tali causa metueret, simulat, se à Rege vocatum esse, nec esse nunc otium ad disputationem de re omnium maxima pertexendam. Simulat, se maximè cupidum esse & amicitiæ Grynæi, & colloqvii longioris, & cum suâ causâ, tum propter Rempublicam orare cœpit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, & horam constituit. Grynæus seriò hæc dici putans, non gravatim promittit. Relicto igitur Fabro, ad nos recta accedit.

Vix assederat mensæ (iam enim cœnæ tẽpus erat) & recitaverat partem disputationis mihi, & aliis. Cum ego assidens ad mensam, subitò ex conclavi evocor. Hic me nescio qvis senex, singularem gravitatem vultu, oratione & vestitu præ se ferens, nec qvis fuerit, unqvam rescîscere potui, alloqvitur, ac narrat, mox adfuturos esse in hospitio nostro lictores, missos jussu regis, apud quẽ Faber Grynæũ accusasset, ad abducendũ Grynæum in carcerẽ, jubet, ut statim ex urbe discedat, & hortatur, ne contemnat. Ita dictâ salute, senex abiit. Ego ad sodales redeo, jubeo, ut surgant, ac narro, qvid senex nunciârit. Mox per publicã plateam deducimus Grynæum, acceptũ in medium agmen, & ad Rhenum pergimus: ubi nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam Grynæus cum suo comite in parva cymbâ transvectus est.

Postea

Anno

Postea reversi in hospitium, intelligimus statim adfuisse lictores, cum nos exiguo spacio ab ea domo transgressi essemus. Quanto autem in periculo futurus fuisset Grynæus, si in carcerem abreptus esset, ex Fabri sævitia facilè æstimari poterat. Quare judicabamus, consilium illud crudele elisum esse divinitus. Et ut affirmare non possum, quis fuerit ille senex μηνυτής:
29. ita lictorum festinationem, nisi ab angelis tectus fuisset Grynæus, evadere non potuisset. Rem autem ita gestam esse, ut narravi, certum est, & norunt quidam boni viri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias, qvod nobis custodes Angelos addidit, & eò tranquillioribus animis vocationis officia obeamus.

Idem. Narrabo rem paucis ante annis gestam. Erat è pontificio grege qvidam in hac ditione pastor, cujus nomen, quoniam adhuc vivit, ut opinor, non eadem, qvod id contumeliæ potius in tali mentione, quam honoris causa fieri putaretur.

Hic cum propter vitæ turpitudinem, & incredibilem ruditatem, ac inscitiam sacrarum rerum, loco motus esset, quem tueri non poterat: & alius magis idoneus in ejus locum sublectus, qui gregi Dominico recte atqve utiliter præesse posset: venit ad me domum negotii cujusdam gratia. Inter cetera rogabam, quoniam annos supra triginta concubinam aluisset, ex eaq; jam grandes aliqvot liberos suscepisset in ea vita, an seriò unqvam & verè ac ex animo ipsum libidinis flagitiosæ pœnituerit? Respondit, pœnituisse nonnunqvam, velut in feriis Natalis Domini, aut Paschæ, ibi se per aliqvot noctes secubuisse.

Quæro, inqvam, veréne tandem flagitii istius pœnituerit, & an precibus, lachrimis, fletu, gemituq; veniam ejusdem à Deo petierit, idq; suscepto castè postea vivendi proposito, & animo commutandæ in melius vitæ: nec jam resipiscens, an exegerit à se, repudiaveritqve concubinas nunqvam illas recepturus? Negat.

Quid ergo, inqvam, ferè qvotidie rem divinam facere, aut vesci pane Dominico, & bibere poculum sacrum non dubitasti, tanti peccati conscius? non metuisti, ne terra tibi dehisceret, ac vivum absorberet te? cum instarem atq; urgerem, fassus tandem est, se omissis, qvib. sacramentum conficitur, verbis nihil consecrasse, ne indigne corpus & sangvinem Christi sumeret.

Quid ais? id qvod verum, inqvit, Heu tune tam horrendum & inauditum facinus committere ausus es? tune tam execrandæ idololatriæ velut ansam præbuisti? (ut sic dicam) populus, te & panem & calicem elevante, supplex in genus procumbit, ac humi prosternitur, & passis ante aram palmis, tunso pectore, colit & adorat? qvidnam? horresco referens at tibi pro scelere hoc, inqvam, pro talibus ausis, debitum aliquando præmium Deus, nisi resipueris, persolvet.

Quid multis? cum acerrimè verbis hominem castigarem, qui quidem vinculis ac carcere castigandus erat, rem extenuare cœpit, communicanda cum aliis culpa, qui & ipsi similiter facerent, nec tam grande id esse nefas, quam mihi videretur.

Videtis, cujusmodi fermè exstiterint gregis pontificii sacerdotes, & qvantorum scelerum ac flagitiorum illis causa fuerit cœlibatus? Is enim, quando non est omnibus castimonia divinitus data, fecit, ut tanqvam Epicuri de grege porci vitam agerent, dediti amoribus ac voluptatib. essent, alerent concubinas, stuprum honestis puellis offerrent, matronarũ pudicitiam imminuerent. Quid verbis opus? Hoc tam specioso prætextu, sacrifici aut libertatem, aut certè impunitatem scortandi, in regno sunt Pontificio adepti. Quid Episcopi interim? connivebant in tantis flagitiis, & in illa impuritate vitæ sacrificorum excusantes ultrò infirmitatem humanam, nec interim hunc tam contaminatum omni turpitudine cœlibatum præferre conjugio sancto dubitaverunt.

Idem. Deambulabant in civitate quadã duo fratres, antiqvo stemmate gaudentes, ambo Theutonici ordinis commilitones: alter, abjecta cruce, ac abjurato superstitioso habitu, uxorem duxerat, alter nigram adhuc crucem gerebat, & propter magnorum proventuum domusq; abundantiam, insolescebat. Religiosus dicebat ad alterum (nam videbat in foro lapidem politũ, catena ferrea alligatum, qvem adulteriũ perpetrantes per civitatem illam ferre cogebantur, tam viri quàm mulieres) utinam tu hunc lapidem, heus frater, ferre cogereris propter ductam uxorem.

Alter mox respondet: mallem lapidem hunc solum adulteris destinatum patienter ferre, qvàm crucis signum atræ, quod tu in veste tua geris: & honestius mihi esset coràm Deo, qvàm ipso mundo. Scortatorum & adulterorum est insigne, non conjugatorum, qvi Dei ordinem seqvuntur, relicto ordine ab hominibus instituto. Denotans fratrem, qvi omninò & scortationis vitio immersus erat, & avaritiæ inexplebiliter studebat. Nihil pudet tale hominum genus vel dicere vel facere. Risus obortus ab omnibus præsentibus, ob tàm promtum & non sine sale responsum.

Idem. Novi civitatem pulchris legibus hactenus administratam, in qva honestas & pudor sedem collocaverat. Accidit, ut multi sacrificuli contra illorum virorum voluntatem, ad cohabitandum, donec illorum res melius fieret, confluerent, quos suscipere, eis locum dare, ob mandatum

Anno

datum Regis, cujus civitas erat, cogebantur, etsi diu repugnaverunt. Sacerdotes isti secum plaustra scortorum advexerant, quæ sericis & purpureis vestibus zonisqve aureis incedebant, ut nullum amplius discrimen esset inter matronam & scortum. Senatus illius civitatis hac de re consultat, & itum est in hanc sententiam, ut scortis interdicatur civitati: nam nolle se scandalū hoc cum Ecclesiæ, tum juventuti atqve honestis matronis, diutius ferre. Hoc cum innotuisset sacrificis, mox adornaverunt legatum ad Regem, qvo illos defenderet à Lutheranis istis. Et mox id impetraverunt, quod volebant, ac Rex constitutionem contra scortatores latam abrogat, annihilatqve, sic scribens civitati:

Statuistis decretum contra sacerdotum concubinas, ac eas expulistis etiam, me inconsulto: nobis autem placet, & mandamus, cum sacerdotibus uxores ducere à summo Pontifice prohibitum denegatumqve sit, ut concubinas habeant, ne quid deterius ac abominabilius agant. Expulsis n. scortis, filiæ vestræ illis præda essent, cum otiosi homines in varia scelera prolabantur. Tolerate igitur importunitatem scortorum, donec concilium aliud generale decreverit. Hæc nostra est indubitata sententia, quam infringere piaculum summum sit.

pag. 430.

His lectis, civitas in mœrorem incidit ob scriptum, quod noverat contra legem divinam esse, contra honestatem pugnare, ac etiam Ethnicis displicere. Econtra sacerdotes gaudio adfluere omnibus in locis eò, qvod impetrassent scortationis defensorem: etsi qvidam has literas ex officina regia venire negarent.

Atqvi Dominus inter consultandum aliud medium aperuit: prohibuerunt enim scortis, ne ad plateas publicas eant, ne in foro commercandi gratia ambulent, sed domi lateant, propter exemplum: se nolle, hanc inordinatam & impudicam vitam oculis liberorum suorum subjici: quare legem prætergressa civitas, capta est & punita.

O miserum seculum, ac omni deploratione dignum, in qvo talia mandata, tam impia confirmantur, ac scortis fœdis patrocinantur? Quo ventum est? Nemo jam dicat, Turcam perpetuò victorem fore contra Christianos, jam cum tam manifesta peccata non solum non puniantur, sed & manibus & pedibus defendantur: cum scriptura dicat divina, tales regnum Dei non possessuros.

Idem. Conradus Rex cum multorum pateretur æmulationem in regno, sapientia tamen & constantia pervicit, ut principes Germaniæ in fide contineret. Inter omnes verò præcipuè de Henrico Othonis filio, duce Saxoniæ, suo in regno successore, curam gerebat: cujus acrimoniam veritus, quia placare non potuit, tollere eum cogitavit è medio. Hattoni Episcopo Moguntino notam inurunt annales, qvod, qvomodo Adelbertum Bambergensem comitē, Henrici ex sorore nepotem, Ludovico Regi prodiderit ad mortem: ita Henricum qvoqve similem ad exitum cogitaverit Regi Conrado in manus tradere.

Ferunt, Hattonem, cum aurificis domū in itinere haberet, considerandi operis gratia, quod ille faciebat, introjisse. Habebat in manibus opifex torqvem ex argento, ut inauraret. Pontificem cum opus inciperet, ferunt, ingemuisse: & illum, qui attenderet, per familiarem interrogasse ex Pontifice, qvo tam altè ducta mitterentur suspiria? Respondisse tum Hattonem, formidare se, qvod quæ nunc auro, post nobiliore sanguine imbuerentur. Tacitus secum rem perpendit aurifex, secretius inde scrutatus, cujus dono pararetur, & cum ex longinqvo compertum haberet, Henrico Saxonum duci illam magno munere destinari, curavit, ad eundem ducem rem omnem perduci, ut evitaret donum torqvis ab Hattone.

Dux ipse etiam jam suspectam habens Pontificis fidem, quod pridem ejus perdidisset nepotem, intelligens, quid de se strueretur, invitanti per solennem nuncium Pontifici, jussit responderi: vade, renuncia Pontifici tuo, non habere Henricum Alberto cervicem duriorem. Domi remanens, de illius mecum servitio tractabo. Et reversus in Saxoniam, omnia qvæ Hattonis fuêre & in Saxonia & in Turingia, pervastabat.

Idem. In extremis agens monialis, ad quam multæ ejusdem sanctitatis sorores confluxerant, consolandi & confortandi gratia, una ex illarum numero prudentior loqvaciorque dixit: Confide, mea optima soror, in opera tua, in jejunia, in preces, in regulam à sancta Clara institutam, & salva eris. Cum autem hæc proferret, plura addit ura ejusdem generis absurda: venit monachus vocatus ad eam. Qui cum audisset tales voces, non ferendas Christiano, dixit: abite, seductrices sorores: confide, tu casta soror, in Christum Iesum, respice in corde tuo ad crucem, in qvā Christus pependit propter peccata tua, qvæ nec tu, nec patres potuerunt solvere, & servaberis.

Tua opera nihil momenti adferunt ad æternam vitam conseqvendā, sumus nos in peccatis concepti & nati, & qvotidie in omni vitâ nostrâ peccamus graviter contra Deum, & proximum, & digni ob merita nostra, ut in ignem sempiternum conjiciamur. Christus autem est Salvator noster, redemtor, liberator, & vivificator, mediator denique apud patrem cœlestē, qvi satisfacit, ut scriptura loqvitur, pro peccatis totius mundi.

Soror

Anno

Soror moribunda cum hæc audiret, dixit: O miseram me mulierculam, qvam perditè vixi in hoc cœnobio? qvam nihil sunt opera mea? Christe Iesu, miserere mei, & demitte peccata mea: in te solum confido. Hæc vix elocuta, tradidit spiritum Domino. Reliquæ moniales tacitè apud se cogitabant: Quis illum insignem nebulonem, scortatorem, ebrium introduxit? qui miseram sororem cum Christi doctrina seduxit.

Considera cæcitatem illarum mulierculարũ, qvàm pessimos habuerint præceptores in religionis negocio, qui hæc initia non inculcârunt? Vera est historia, quam habeo à nonna, qvæ propriis auribus & propriis oculis hæc audivit & vidit.

Monachus deinceps non est visus in cœnobio. Conjiciunt quidam, miserum monachum nocturnum sacrificum esse factum, propter Lutheri doctrinam, quam parùm gustaverat: vel potius propter Evangelii lectionem sedulam, in qva omnem operam die noctuqve dederat, ad necem esse traditum, quo cæteri sibi ab ista doctrina caverent, regulasq; juramento pollicitas cum votis diligentius servarent.

Idem. Sacerdos quidam erat insignis adulter, lusor, & vinipotor, quem nihil puduit dicere aut facere. Voluit is Papisticis qvibusdam inservire, & eam ob causam iis gratior esse. Accidit, ut hospitio ab sanæ doctrinæ ejusdem diœceseos Presbytero exciperetur. Hic, nemine urgente, eadem in cœna adeo fit ebrius, ut nesciret, qvid ageret, aut finxit fortasse se bene potum, qvo commodius quod in votis habebat, perficeret. Hic ergò post primum summum surrexit è lecto, ac hospiti fenestras magno
Pag. 431. impetu scamnis admotus fregit, fornacem destruxit, mensam evertit, & libros laceravit. Bonus Pastor, audito hoc tumultu, excitatur è somno, inclamans: Quid agis, domine citatissime? quis te molestat? qvid tumultuaris? habesne adversarios, à qvibus tibi & mihi sit cavendum? paucis significa. Cum autem cubiculum aperuisset, ab impio illo sacerdote gladiolo transfoditur. Inclinat se mox, vulnere accepto, in terram ac casu spiritum exhalat. Accursum est à vicinis, clamante & ejulante familiâ, capitur homicida, detinetur publico in hospitio ad dies aliqvot catenis vinctus, ne per astutiam elaberetur.

Verum amici & consanguinei sacerdotis occisi non potuerunt impetrare, qvod plecteretur homicida supplicio digno. Noluit enim hoc superior potestas, ajens, vinctum Episcopo esse mittendum, cujus sit vel perdere homicidam, vel liberum facere. Conqvesti sunt rustici, indignam hanc rem esse, idem faciebat nobilis, qvi pagi ejus præfectum agebat, dicentes: valdè iniqvum esse, sacerdotem homicidam dimitti, cùm prius tot probi viri & conjugati sacerdotes aqvis sint suffocati, & propter rem levem capite spoliati. An isti scelestiores, quàm homicida ille & latro, qvi pium pastorem in propriis ædibus interfecerit? Responsum est, nemini contra sublimiorem potestatem licere vel hiscere, ni velit extremum periculum subire. Iam aliud seculum esse, qvàm in tumultu rustico. Potestatis est statuere quod vult, vestrûm est obedire.

Episcopo itaq; latro datus, fuit ad dies aliqvot vinctus, deinde dimissus, ac ditiori beneficio Ecclesiastico donatus, ob rem præclarè gestam. dixerat n. sese Lutheranũ sacerdotem studio interfecisse.

Idem. Presbyter quidam armis petitus invasorem gladio vulneravit. Læsus, alienum esse à sacrifici officio, qverebatur, ut gladio dimicet, quod Christus servator Petrum jusserit gladium vaginâ recondere. Falleris, ait, Presbyter, si hoc exemplo omnem nobis armorum usum coneris eripere. Nam qui recondere jussit gladium, tum demum jussit, cum abscissa esset auricula. Et ita consentaneum est fieri debere, ut hoste aut superato, aut cæso, dimissis armis, recepturi canamus.

Idem. Vidit quidam in papistico cœlo divum Gregorium, & post eum Papas, qui, conductis quatuordecim bajulis, decimas ex veteri Testamento in novum importabant: deinde etiam mitras, infulas, sacrificia, oblationes, suffumigia, lumina, & omnia ferè quæ in veteri templo fuêre. Sed callidi homines noluerunt uxores veterum patrũ abducere, sed loco illorum acceperunt ancillas. Nam uxores negabant ad novum Testamentum pertinere. Hinc est, quod hodiè passim pro uxoribus habent concubinas, quod ad eos uxores non pertinent, sed meritrices & cinædi.

Qvum vero Papales essent soliciti, quomodo locum Pauli 1. Timoth. 3. cap. defendere vellent, intervenit magnus quidam Abbas: qui, audite patres, inquit, an nescitis, uxores ex testamento veteri in novum traduci non potuisse? Quare necessum est, ut beneficia & sacerdotia uxorum loco substituta putemus. Quamobrem illum locum sic volo construatis: Episcopus sit unius uxoris vir, hoc est, habeat ad minus unum beneficium, eaqve ratione nostro Episcopo locus erit. Quod autem ad reliqua spectat, de quibus vos esse valdè solicitos scio, non habeat, inquit, unam, qvi potest habere plures. O solertes doctores Ecclesiæ!

Idem. Eremita quidam Paduæ erat, Ansimirus nomine, tempore Francisci, Ducis Patavini septimi. Hic, cum vir sanctus haberetur, multas mulieres, etiam nobiliores, per confessionis speciem, ad concubitum pellexit. Vulgata tandem (neqve enim diu hypocrisis celari potest) scelerum

Anno fama,captus à prætore,cum multa confessus esset,ad Franciscum deducitur. Is adscito Secretario,ex suis quædam (joci causa) sciscitabatur ab Eremitâ nomina mulierum,quas cognovisset : qui cum multas, etiam ex domesticis & familiaribus uxores protulisset: scribebat nomina secretarius, ut exinde causam risus eliceret.

Cum tandem nominandis finem fecisse videretur,peteretq;Dux, an plures superessent : ille verò constanter negaret : asperius hominem arguebat, & vim minabatur Secretarius, nisi omnes retulisset. Tum ille suspirans,scribas &tuam quoqve,ait,atqve eam addas numero aliarum. Quo dicto,& calamus præ dolore è manibus Secretarii excidit,& Dux in maximum est risum conversus. Rectè factum esse, dicens : ut qui tanta voluptate reliquarum maculas audiebat, & ipse in eorum cœtum adderetur. De his etiam supra.

Idem. Alius quidam ejusdem farinæ, ad prædivitis cujusdam obitum advolans,cum ille jam ageret animam, & nulla spes esset, ex testamento aliquid recipiendi, dictu mirabilem stropham excogitat. Advocato enim unico demortui hujus filio, qui nesciebat mortuum parentem, ita inqvit: parens tuus jam primum mihi, super quibusdam rebus,,animæ illius saluti conducibilib.verba fecit,verũ quando ipsi moribundo loqvendi facultas ademta est,liberat,vel nutibus discere extremam hominis voluntatem. Num,senex venerande, centũ nummos aureos nobis legas ? num totidem pro justis annuis ? Atqve in hunc modum cum multa alia interrogaret, Barbatulus quidam,prius edoctus, caput defuncti machinulis qvibusdam in pectus demittebat,ceu annuentis gestum videretur exprimere.

Porro filius certis conjecturis subdolam nebulonum vafriciem deprehendens,pater inqvit,nunquid gratificari tibi videbor, si impostorem hunc fratrem per omnes domus tuæ gradus dejecero ? Atq; ad hunc qvoqve filii sermonem cum annueret parens: Hæc, ait, patris mei voluntas omniũ est ultima,quam,abrogatis illis prioribus, firmius convenit observari. Proinde arrepto fratre,explesset testamentum, ni testes qui coram aderant, maturius pronum gradibus incumbentem eripuissent,illeqve fuga saluti consuluisset suæ.

Idem. Nobilis qvidam volens confiteri, versavit in manu aureum nummum, quo sacerdotem donare voluit. Hoc cum vidisset unus Sacerdotum avidus pecuniæ, accessit hominem : atqve, an confiteri velit, interrogat. Annuit ille. Quem cum Sacerdos post confessionem interrogaret, an pœniteret eum peccatorum, velletqve abstinere in posterum à peccatis,quantum humana fragilitas concederet,ut fiti recusavit nobilis obstinatè, atqve sine absolutione sic dimissus fuit.

Venit autem alter sacerdos, quem non minus auri sitis pressit,& nobilis confessionem audivit : sed cum nec pœnitentem, nec in futurum abstinere volentem compe-risset,nihilominus tamen , ut aureum acquireret,absolvit hominem,eâ forma,Dominus noster Iesus Christus te absolvat, si vult,& dimittat tibi peccata tua, quod ego non credo,& perducat te ad vitam æternã, quod est impossibile. Atq; ita à nobili latinitatis ignaro aureum extorsit.

Idem. Princeps quidam in Septentrionali plagâ,prudens & verè pius, cum fortè ante arcem suam, cum novo ignoto Theologo de vera religione verba commutaret, duo cucullati Monachi de professione S. Fräcisci,ordine autẽ Minoritæ,adventare ei visi sunt. Quibus visis, in hæc verba prorupit Princeps: Domine doctor,de qua arborum specie creditis esse illas crepidas, quibus calceati hi Monachi prætereuntes incedunt. Respondit Doctor , se id ignorare. Exclamans igitur princeps , Es tu magister in Israel, & hoc ignoras? addit, crepidæ istæ de illâ sunt arbore, cui Christus in Evangelio maledicit, dicens , jam non amplius in æternum ex te quisquam fructum manducet. Quo dicto facetus ille & lepidus princeps Monachorum hypocrisin notare voluit.

Idem. Video quidem, fuisse morem nostrâ memoria, ut concionatores narrationibus quibusdam uterentur sub orationis finem,quæ videri poterant studio confictæ, ad terrorem incutiendum rudibus & obduratis , aut ut rem alioqui frugiferam persvaderent: veluti de quibusdam impiè vivqntibus,qui à Dæmonibus abrepti sunt, aut de Archidiacono , qui,cum audisset in templo recitari, qvi se humiliat, exaltabitur : falsum est,inquit , si me dejecissem, huc dignitatis nunquam emersissem. Mox fulmen cœlitus emissum & blasphemam linguam & vitam abstulit.

Simile est de Lena,cui diabolus pollicitus est par calceorum, si quendam virum sanctum,qvem ipse multo tempore tentaverat frustra , ad incontinentiæ lapsum pertraheret. Lena perfecit, ac petiit mercedem ex pacto. At Dæmon illi calceos, longæ hastæ præfixos, porrexit ultra fluvium,ipso facto confitens,eam mulierem esse tam sceleratam, ut ipsis etiam Dæmonibus esset abominanda.

Idem. Eques quidam majoribus suis justa faciens, multos ad se vocaverat sacrificos: atqve perfecto sacro , epulis largioribus illos pascens, vidit, ex eis qvempiam turdum unum & alterum furtim in manicam conjicere. Peracto autem prandio, clàm illum ad se vocans,sciscitatur, an sacras aliquando legeret literas : at ille lego, inquit.

inquit. Rursus eques quærit, num alicubi dicatur, Nolite soliciti esse de crastino? Et sacrificus, hæc, ait, est sententia Christi salvatoris. Tunc eques, cur igitur tu saliari convivio à me exceptus, de crastino solicitus es, ubi epuleris? Ad hæc sacrificus, minimè, ait, sum solicitus. Rursus eques, qui non es solicitus? En turdosqvos prandens abstulisti. Ego, inquit sacrificus, non abstuli, sed ablatos accepi: atqve eò magis accepi, quo minus in crastinum essem solicitus.

Idem. Fuit ex Episcopis Germaniæ qvidam, singulari vir integritate præditus. Is Canonicorum, quibus præerat, vitæ turpitudine offensus, convocatis ad se denunciat, concubinas intra mensem ut repudient. Nam se qvidem, cui reddenda esset Deo olim sui officii ratio, facere nullo modo posse, quin collegii & Sacerdotii proventibus eos mulctet, qui non dicto audientes forent. Quid fit? antequam præstituta ei rei dies venisset, ecce è Roma literæ venerunt à Pontifice, quæ vetarent cœptum exsequi, & negotium canonicis facessere: ac Episcopum, sineret canonicos posthac jure suo uti, nec data illis privilegia tolleret, admonerent: propositis etiam, ni pareat minis. Hoc interjecto terrore, vir optimus incepto destitit, multa postea de Pontificis injuria, & ejus ad se minacibus literis apud alios conquestus. Quis non ubertim lachrymas die noctuqve funderet, hæc audiens? ubi cœlibatus cum sacerdotum tum Monachorum?

Idem. Mentior, nisi Cardinalis Sedunensis in convivio, multis audientibus, nominatim commemoravit vicum, personas, & Monasterium, in qvo vivum adolescentem defoderant Dominicani, qvod pater eques filium eò pertractum minis reposceret.

Idem lib. 5. In convivio multi sacerdotes congregati erant propter funus cujusdam prædivitis. Inter alia ut fit, mentio facta est Lutheri, quasi esset Ecclesiæ turbator, & omnium domesticarum rerum spoliator, præcipuè autem sacerdotum, qui nihil nôrunt, quam missare, hostis. Ad hæc quidam, Benè dicis, Domine Joannes Si Lutherus non venisset, ego rusticis meis facilè persvasissem, ut diebus veneris per totum annum fœnum, instar equi, comedissent. Sed nunc mihi nihil omninò credunt, nec fidunt, etiamsi Christum ipsum mecum, è cœlis vocatum, adducerem: adeo prudentes esse volunt. Ex libris Germanicis eam prudentiam didicerunt: quos velim combustos esse.

Insolens dictum sacerdotis, cujus erat doctrina Evangelii populum instruere, bonos mores præscribere, à sceleribus deterrere. Miser populus, qui tales indoctos pastores habet, qui nihil aliud curant, qvam culinam, quam otium.

Idem. Franciscani & Dominicani olim crudele certamen Romæ apud Rotam coram judice pontificio habuerunt. Franciscani contendebant, ad illos pertinere prærogativam in pulsanda salutatione divæ virgini. Econtra Dominicani suas rationes adferebant, & solida argumenta, ut putabāt, quod priores deberent esse eo in officio divæ virgini exhibendo, ob doctorum hominum multitudinem, ob vetustatem ordinis, ob niveam vestem, qvâ corpus tegerent. Tandem lis diremta, postquam plus quàm 30000. aureorum insumsissent, estqve sententia lata in hunc modum: qui prior surgit, prior pulset. Sic derisui se ob levicu-lam rem multis propinaverunt. Quam diabolica res odium? quam invidiosus honorum stimulus? in quot contentiones calamitatesqve sæpè homines sapientissimos detrudit? in qvæ damna volvit miserum hominum genus?

Anno

pag. 433.

Hieronymus Squarzaphicus Alexandrinus, in vita Francisci Petrarchæ. 1539.

Benedictus 12. Papa, qui Joanni in Pontificatu succesit, ne tantus amor Francisci Petrarchæ erga Lauretam puellam formosam vacuus haberetur, (qui canonicus Paduanus & Parmensis Archidiaconus tunc erat) ut illam in uxorem acciperet, persvasit. Et ut facilius adduceretur, concedebat, beneficia teneri posse, & alia etiam insuper erogare. Nam dum in curia in pretio esset, undique à principibus & à Pontifice pollicebantur illi honores. Erat soror Petrarchæ, quæ jam duodeviginti habebat annos, quæ Avenioni, ubi orta, cum Girardo morabatur, eleganti forma, moribus insignis, & virtutibus prædita. Cujus pulchritudine & forma captus, perditè deperibat Pontifex: (ô quam sanctulus?) & ut illa potiretur, multa fieri fecit experimenta.

Tandem cogitavit præmiis & honoribus Petrarcham in suam trahere opinionem. Cardinalem se facturum ipsum, promittit, dum modo illa suo concederetur arbitrio.

Franciscus, qui in omni re Deum præ oculis habebat, cui nihil est occultum, ut ille, qui nihil connivere, nihil fingere, nihil dissimulare didicerat (ut debuit) ira commotus, & id quod lingua, fronte, animo habebat, respondit, tam fœtidum galerum capiti non esse imponendum, sed fugiendū, abominandumqve omnibus, tanquam nefandum & dedecorosum. Et si reverentia nominis, quo vices Dei in terris gereret, non terreat & retrahat, calamo tantæ rei indignitatem se vindicaturum esse, & fecit, prout Philelpho placet, in una sua morali cantilena, quæ incipit, Io non vo piu cantare como solea.

 Nihil-

Anno Nihilominus Pontifex furoris impatiens alterum fratrem Girardum tentare cœpit, qui paucis muneribus captus, sororem concessit, quo facinore audito, & Ecclesiam Dei videns per abrupta vitiorum sic trahit. Avenione aufugit, & Italiam versus ire cœpit. Frater pœnitentia ductus, nupta sorore, sanctæ religionis habitum quæsivit, & Carthusiensium ordini in conventu de Materno, qvi est prope Massiliam, rebus mundanis rejectis, se devovit.

Idem. Petrarcha Hetruscus, Francisci Petrarchæ pater, Florentiæ olim scriba reformationum erat: quod officium cum dignitate multos annos tenuit, sed à factiosis tandem pulsus circa annum Dom. 1306. in Gallias proficiscens, Avenionem perrexit, ubi sub Clemente V. tabellionatus officium in curia, ut ipse vocabat, novæ Babylonis exercuit.

1539. *Simon Grynæus in libello, cui titulus est Somnium.*

Hic author summus, ex corruptissimis moribus, in tanta Evangelii luce, divinæ vindictæ flagellum præ foribus Germaniæ excubare, prævidit, quam prædictionem eleganti carmine complexus est, & Somnii titulum ei fecit, in quo libertatis Germanicæ interitum lachrymis nimium veris deplorat. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

1539. *Adrianus Venetus Monachus.*

Scripsit librum de arte inqvirendi hæreticos, & alia. Imperatore Carolo quinto. PP. Paulo 3.

1539. *Petrus à Monte I.C. de potestate Pontificis.*

Super illud Matth. 22. Date, qvæ sunt Cæsaris, Cæsari: & qvæ sunt Dei, Deo, dicit: quod Christus non jubet ei reddi omnia, sed tantum, quæ sua sunt, esse enim pronomen. Quæ restrictivum: & Papæ etiam suam, hoc est, majorem partem relinquendam. Imperatore Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

pag. 434.
1540 *Nicolaus Boerius decis.*

Refertur Abbatissæ dictum de mixtis monasteriis, quæ principi qværenti de numero collegiatorum, respondit: Canonicos 20. esse, & canonicas mulieres 40. Cui ait princeps, numerum debere converti: quod melius sufficiebant 20. fœminæ 40. viris, quam è converso. Sed ipsa principi replicavit, quod salva ejus reverentiâ benè fuerat ordinatum, scilicet qvod pro 20. canonicis essent 20. canonicæ: reliquæ verò essent pro hospitibus supervenientibus. Quo audito responso, gavisus Princeps, illi concessit quod petiit: periculosa tamen est sexuum commixtio. c. diffinimus. 18. quæst. 2. &c. mulieres, & ibi glo. de jud. lib. 6. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Idem in cons. 20. Papa Calistus 3. recusavit dispensare super conjugio Diaconi, qvi allegabat, se continentiæ donum non habere neqve legi carnis posse resistere, atqve uxore carere: quamvis pro eo intercederet tunc Cardinalis Senẽsis, qui postea successit Calisto, dictus Pius 2. ut in suis epistolis in Cardinalatu compositis testatur, scribens illi suo amico, alterum Papam expectandum esse, qui melior sit.

Andr. Alciatus I.C. c. novit. de judiciis. 1540

Papa in præceptis traditis in Evangelio ligatur æqvè, ac reliqvi Christiani.

Idem in prima Regula de præsumtionibus. Papa mortaliter peccat, si alienat res Ecclesiæ in consangvineos, ut eos divites faciat, Imperat. Car. 5. Papa Paulo 3. ut suprà.

Idem in lib. de formula Rom. Imperii. Rodolphus Habspurgensis comes, (cujus majores urbe Roma fuisse, scil. ex Aventino oriundos, pleriqve comminiscuntur, unus vel ea ex causa maximè celebrandus est, quod Florentinis, Lucensibusqve ab omni Cæsarum jure immunitatem precio venundedit, eoqve nomine appensa ab alteris sex aureorum millia, ab alteris duodecim accepit. Assensus est Honorius pontifex, ratamqve alienationem decreto suo fecit. Tametsi enim modica pecuniæ qvantitas videretur, satis tamen ei juri coëmundo esse censebat, qvod precariò à se concessum interpretabatur, qvodqve absq; armis obtineri non posset, cum illi non nisi exercitu coacti imperata facerent.

Post hunc à septemviris Albertus ejus filius Austriæ dux designatus est, quem Bonifacius VIII. cum multis maximisqve incommodis affecisset, regia tamen sede deturbare, qvod inprimis cupiebat, non poterat. Tantum enim abest, ut authoritate eum sua confirmare voluerit, ut receptissima tum fama fuerit, cum hac de re ab Alberto ad eum legati venissent, ense accinctum Pontificem, coronaque Imperatoria ornatum, tyrannico spiritu exclamasse: Ego sum Cæsar, sed nihilominus regnavit ille.

Joannes Manlius in locis communibus. 15[illegible]

Rotenburgi ad Tuberum honesti viri ædes freqventare solebat qvidam, & vestium splendore, & divitiarum jactatione, nobilitate illustrem sese virum professus, duos sibi junctos habebat comites, vestitu non minus precioso indutos. Adducebat tibicinem unà cum fidicine, & convivia choreasqve instituebat, sub prætextu illius

illius patrisfamilias ducendi honestam filiam. Se nobili stirpe natum esse, affirmabat, divitiasq; immensas, arces, prædia, oppidula in longinqvis terris sibi esse plurima, nec qvicqvam eorum, qvæ in hoc mundo optari aut desiderari possint, deesse, præter uxorem decoris ornatam moribus.

Displiquit Patrisfamilias hospitis ejusqve sociorum importunitas. Qvæ res eum movit, ut hospitibus illis adventantibus, illius loci verbi divini ministrum qvoqve ad cœnam vocaret, & pia cum eo ex verbo Dei inter cœnandum misceret colloqvia. Vehementer hospitem ejusqve socios ista colloqvia offenderunt. Qvare aliam dicendi materiam qværentes, multas, inqviunt, facetias esse, qvæ potius convivis exhilarandis inserviant, qvam divini verbi interpretationem: se rogare, ne eis ulteriùs sacra Scriptura tædium & molestias creare velint. Ex qvibus facilè cognovit Paterfamilias diabolicum convivarum istorum ingenium: & jam satis adversus diaboli insidias confirmatus.

Apagite, inqvit, vos scelerati nebulones, nihil vobis commercii est mecum & cum meis. Baptizati nos sumus, & precioso Christi sangvine redemti, is qvoq; nos adversus diabolicas vestras insidias tutabitur. His dictis, magno protinus cum strepitu impostor ille tartareus cum suis sociis evanuit, relicto post se fœtore teterrimo, triumq; suspensorum hominum cadaveribus. Imp. & Pp. U.S.

1540. *Joannes Sambucus in appendice ad historiam Bonfiny.*

Nonne qvarum in rerum, alieno usu obscurarum, desiderio ac votis à tot annis ejus ditiones fuêre, ea ante annum per Synodum, postea pontificem obtinuit, non sine gravi suspicione mutati consilii: ut integra & inprimis usitata seculis Christi institutio ultimæ cœnæ, seu memoris communicationis, à pontificibus ob qvasdam suas causas sublatæ, vulgo redderetur? ut etiam sacrorum ministri, qvi idonei forent, non coacti, sed libere, ætate & moribus exigentibus, in matrimonio esse legitimo, non adulterato possent? Imper. Carolo 5. Papa Paulo 3. U S.

Johann. Rivius Westphalus de abusibus Ecclesiasticis.

Illud ego tecum una incredibilem in modum, & supra qvàm dici potest, miror, eam esse plerorumqve de grege pontificio animi obstinationem atqve pervicatiam, ut aliqvid esse negent in doctrinâ, aut Ecclesiæ ritibus erroris: neqve esse affirment ullum, qvi hoc vere objicere aut probare possit. Agedum ergo, qvando nos calumniari dicunt, credant suis ipsi prophetis. Nam sic qvidam inter regni pontificii propugnatores non infimus, ut opinor, neqve sane contemnendus.

Sed præstat (ni fallor) speciatim ostendere de singulis qvibusqve sententiam ipsius.

Primum ergo qvod ad doctrinam attinet, testatur, monachos & theologos scholasticos novum docendi genus invexisse, & nova qvædam docuisse, qvæ nescierit antiqvitas. Ad hæc, multa eos majore damno, qvàm utilitate Ecclesiæ Dei, divinis literis & orthodoxorum patrum scriptis addidisse: sic ut additamenta illa plus dominarentur in Ecclesiastico populo, qvàm ipsum verbum Dei, & doctrina patrum, hujus rivulus. Item Prophetas, Apostolos, Martyres, Heremitas, episcopos, pastores, doctores à primordio sanctissimos ac eruditissimos ignorasse Sorbonicam Theologiam, & qvæ seqvuntur. Ostendit videlicet, doctrinam Evangelicam fuisse hominum commentis & additamentis corruptam, & propemodum obrutam & sepultam.

Jam de Eucharistiâ agens: Corrigant, inqvit, Ecclesiastici Missæ dedecorosos abusus, ac stolidas superstitiones. Amputetur consvetudo sacrificantium ob nummulos, atqve adeo sacra impiè vendentium, attestante illorum conscientiâ. Non admittantur sacra concubinariorum. Qvid? Videsne palàm, rei divinæ abusus, superstitiones, sacrilegam nundinationem taxari?

Idem qvo loco de jejunio agit: Pontifices (inqvit) æqvum est remittere aliqvid de severâ istâ obligatione conscientiarum propter cibum, ne statim ad lanienam trahatur, qvi vel invitus collapsæ valetudini esu promiscuo medetur. Meminerint, Christianos non esse Agarenos, neqve omnibus opipare pisculentas mensas contingere. Valde cavendum, ne superstitiosorum Judæorum similes efficiamur, ac ne innitamur operi. Qvæ qvasi retia conscientiarum fuerint illa indicta statis anni diebus atqve temporibus, jejunia, qvanta in his exigendis tyrannis Pontificum, qvanta in observandis spes atqve fiducia salutis, satis, ut opinor, innuit.

Idem varia in orando vitia ostendens: de Divorum intercessione inqvit, Ecclesiastici ponant modum dogmati suo, & non faciant articulum Symboli ex piâ persvasione. Præterea damnetur barbara superstitio magicarum precum, atqve consecrationum profanarum. Tollantur oratiunculæ, qvas somniârunt ad colum vespertinum anus, aut deliri monachi. Qvàm non magnificè de Divûm invocatione sentiat, & qvid præterea damnet, vides.

Jam de horis Canonicis agens: Illud, inqvit, curetur, ut preces ad laudes istas horarias decenter, magisqve piè agitentur,

Anno quàm eas hactenus sueverunt frigidissimi templarii agitare. Absit bonæ rei turbatrix festinatio: absit tædium, absit singularis justitiæ opinio. Et alio in libro: Non oratur (inquit) sed sibilatur: non verba, sed vox, non sensus, sed sonus, non affectus, sed strepitus quæritur.

Quid verò de diebus festis? Demant (inqvit) Ecclesiastici aliqvid de multitudine festorum, ne tot feriis tempus teramus. Adimatur gravissima obligatio conscientiæ, ac fiducia, &c. Obviam eatur falacissimis choreis, scurrilibus ludis, turpissimis ingurgitationibus. Hic os taxat, qvæ nos antehac sæpe de diebus sacris questi sumus, in qvibus ferè (ut Tertulliani verbis utar) malorum morum licentia, pietas est, occasio luxuriæ, religio.

Quid de ceremoniis idem? Inerant (inqvit) vitia, & qvidem multa: hæc igitur amputari oportuit magis, quàm totum tolli. Fidebat hisce vulgus: putabat, hæc necessario requiri: credebat, se justiorem ob hæc: credebat hæc efficere, ut peccatis venia sit, anteferebat hæc præceptis Decalogi, hæc modo spectabat, in hæc procumbebat, nullo respectu probæ vitæ habito. Videsne, Urbane, quid in ceremoniis improbet; Non vult in externis ritibus, quasi totus in his Dei cultus, & vera pietas consistat, adipiscendæ salutis fiduciam collocari: non aut peccatorum veniam illis, aut justiciam acceptam referri, non his Dei præcepta posthaberi.

Idem de imaginibus inter cætera: Statuatur (inqvit) ferendas qvidem esse imagines, sed non adorandas, cum ob id olim neqve sculptæ neqve pictæ sint, sed ob alias causas.

De reliquiis sanctorum, exsecrandas (inqvit) istas superstitiones reliqviarum, quas perditissimi nepotes, à quæstu verissimè appellati, ad Ecclesiæ ludibrium exitiumqve invexerunt, nescivit antiquitas. Nec vidit abusus ridiculos, in qvibus non exigua pars pietatis vulgi nostratis hærebat hactenus.

De purgatorio igne veterem contentionem esse, ait. Qui potissimum de hoc (inqvit) disputant, ferè ita vivunt, ut citius in gehennam, quàm purgatorium sint involaturi. Et cautius disputandum de eo, quod Deus in universum scire nos noluit.

pag. 436. Iam de monachis, (ut aliqvando desinã) Magna pars, inqvit, monachorum ceremoniis nititur plus, quam observatione præceptorum Dei: & alias aliis magno venditant, promittentes, quæ non habent ipsi. Reptentur cuculli salvandis animabus vẽditi. Repetetur Epicureismus monasteriorum principalium, in qvibus multò promtius Volupiæ ac Libentinæ deabus, qvàm Christo Deo serviatur.

Hactenus ille regni pontificii propugnator, & quidem uno in libello, eodemqve perexiguo. Cujus ergò imprudentiæ est negare, aliquid in Ecclesia fuisse erroris, aut in doctrina qvicqvam contaminatum, aut in ritibus depravatum: cum & res ipsa palàm reclamet, & qui præcipui sunt adversariorum nostrorum, quasi antesignani, contrarium doceant. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Idem lib. 1. de superstitione. Quid commentum illud de veste Franciscanâ? quâ in veste qui mortuus vel elatus fuisset, nihil in eum dæmoni esse juris: quia Franciscani merita sua operaqve bona, quæ toto fiunt ordine, una cum veste communicassent. Hinc majorum liberalitas erga monachos: hinc legata cœnobiorum. O impietatem! Verum hodie nihil ista movent: quod & merita illa monachorum nemo unius æstimet assis. Hinc causa odii in viros, qui primi commenta hæc detexerunt.

Idem. Narrant qvidam de Thoma, confectis in Paulum commentariis, apparentem ei magnoperè asseverasse Paulum: neminem fuisse antea unqvam nec intelligentia assecutum scripta sua, nec divinius in iis commentatum, præter unum Aquinatem istum. Qvis non vanissimum commentum esse putet?

Scripsit hic idem & alios utiles libros, de stulticiâ mortalium in procrastinandâ correctione vitæ: de erroribus Pontificiorum, & alia.

Ludovicus Cælius Rhodiginus lib. 8. cap. 11. Lectionum Antiquarum.

Mirabamur haud ita pridem, cum scitissimas & multifariam doctas beati Hieronymi epistolas evolveremus: quid ita vir sanctissimus, & propterea maximè verax, Babylonem purpuratam dixisset meretricem? Etiamsi eo nomine intelligi videtur Roma, cujus delicias non concoqvebat tanti viri stomachus. Nam prima Epistola Babylonis nomine, Petrus εἰκονικῶς Romam indicat: qvum, inquit, apud Babylonem versarer, essemqve purpuratæ meretricis colonus. Diu hoc anxieqve ex historia quæsitum. Tandem dicti rationem ex Plutarchi scientissimi tum Philosophi cum historici lectione aucupari sum visus, à quo sic memoriis proditum observavimus:

Xerxem Persarum regem qvandoqve in Babylonios excanduisse vehementius, quod ab ejus ductu auspiciisqve desciscere forent ausi: eoqve nomine comparato ingenti exercitu, qvum expugnata urbe insigniter victoria esset potitus, ut rebelles animos, nec satis in fide constantes reprimi-

primeret, ulcisceretur que, impetrasse traditur, in reliqvum uti arma ne ferrent, sed psallerent: tibiis uterentur, scorta alerent, cauponæ indulgerent, ac sinuosis tunicis induerentur, Hactenus Plutarchus.

Apud alios sic fermè legimus: Babyloniis mulieribus morem fuisse ex oraculo qvodam, cum hospitibus turpiter permisceri, turba & cultu plurimo apud Aphrodisium commeantibus, thominge singulis coronatis. Qvi verò admittebatur, posito super genibus argento, qvantum videretur, mulieram mox longè à fano abductam inibat: idqve argentum Veneri fuisse sacrum. Hæc nimirum probârint satis superq; cur purpurata dicatur meretrix Babylon.

Adduntur & illa: Nil admodum fuisse moribus ejus urbis corruptius, nec ad irritandas immodicas voluptates instructius, Babylonios in vinum præcipuè, qvæqve ebrietatis velut appendices sunt, fuisse procliviter effusos: fœminarum item convivia celebrantium, initiò modestum compositumq; fuisse habitum, mox tanqvam mero incaluissent, summa exuere consvesse amicula, sensimqve pudorem profanare. Postremo etiam eò adduci impudentiæ, ut ima corporum revelare non erubescerent. Puteret fortè aliqvis, damnati infelicisq; pudoris prostibula ista solitas perpetrare: imo verò nobilissimæ cuiusq; matronæ decora hæc habebantur.

Qvàm perditi essent mores, id porrò abundè arguerit, comitatem arbitrabantur vulgati corporis vilitatem. Tradunt auctores gravissimi: Macedonicum exercitum Asiæ domitorem, tanti Ducis nomine illustrem, inter tot & tanta flagitia diebus modò qvatuor & triginta saginatum, eviratumqve, ad ea, qvæ inseqvebantur discrimina, adeo ignaviorem fuisse futurum, si hostem habuisset, ut pro tam ampla gloria per tot devictas gentes, & tot terrarum spacia sub Macedonicas leges redacta, maturè perire potuerit.

Porrò ne quis, frustra ex diverso hæc in unum congesta, opinetur, adhæc omnino libro de rerum naturâ quarto respexisse Lucretium, contenderim, ubi amoris nocumenta colligens ita scribit:

Adde quod alterius sub nutu degitur ætas:
Labitur intereà res, & Babylonia fiunt,
Langvent officia, atq; ægrotat fama vacillans.

Nam qvod afferri potest de vestibus plumario, & polymitario opere illustribus, qvando auctore Plinio, colores diversos picturæ intexere instituit maximè Babylon: & in Catone Seniore Plutarchus scribit: hæreditate oblatum Catoni ἐπίβλημα τῶν ποικίλων Βαβυλωνίων. statim jussum vendi, mihi sane Platonis legibus, qvod dicitur, magis friget, ni forte per trabem meam, ut ajunt, festucam video alienam. Satius id, graviusq; multo, si sensū ita pag. 457.
cōcipias, amori libidiniq; mancipatos in eā labi fœditatem, ac famæ dispendiū, in qvod magno dedecore illapsa Babylon est.

Illud verò obiter testatum volumus, loqvi nos de Babylone, qvæ in Assyria est, qvoniam altera qvoqve in Ægypto Babylon est. Assyriam condidit Babylon sapientissimus, ut memorant, Medi filius: non (ut voluit Herodotus) Semiramis, qvando duobus annorum millibus eam civitatis hujus inædificatio antecessisse videtur, diligenti chronicorum supputatione. Ægyptiæ Babylonis Stephanus meminit, atqve Strabo & Ptolomæus. Sed Strabo eam magis Arabiæ contribuit. Unde & Arabum lingva Chairum illam vocant, qvæ vox non aliud nobis indicat, qvam Babylonem. Eam verò condidêre ex antiqva Babylone profugi qvidam.

Apud Babylonem porrò festum agi solitum, scribit Xenophon, in qvo Babylonii omnes universam noctem biberent, & lascivis carminibus, saltationibusqve indulgerent. Cujus occasione celebritatis à Cyro captam olim urbem, idem testatur. Pelles Babylonicæ sunt apud Iurecōsultos inter species ad vectigal pertinentes. De iis, qvales fuerint, in pellium mentione plura ex Hieronymo afferemus. Calix Babylonis aureus vice adagii usurpatur ab Hieronimo: Multa, inqvit, de perfectione dicuntur, ut qvi volumen Philosophi nesciunt, sub martyris nōmine bibât de aureo calice Babylonis. Meminit elegantissimè item Ambrosius qvodam loco, ille, inqvit, apud me primus, qvi omnium perditissimus: ille meus est, qvi suus non est: ille mihi gratior, qvi sibi neqvior. Calix aureus Babylonis in manu mea, inebrians omnem terram, animo meo biberūt omnes gentes. In sanctis qvippe literis meretriculæ versutioris typum habet Babylon, qvæ gentibus aureo poculo inscitiam propinet, unde scelerum mox agmen promicet, & errorum inexpugnabilis acies. Apud Hieremiam cap. 51. sic annotatum comperi, Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.

Sunt, qvi sermonis ornatum sic dici concipiant, qvo vitiis inebrientur omnes, qvi sit tamen in Domini pontificio constitutus. Origenes, Babylonis, inqvit, calicem aureum accipe dogmatum pravorum verba pestifera, eloqventiæ cultu decora. Omninò per parabolen ab Propheta dici ea, scribit Nicolaus Theologus. Indicari autem Babylonis regem, id est, (ut inqvit Origenes) Nabuchodonosor, qvi gentibus innumeris propinârit mœroris potum, superbè ac crudeliter, qvod Domini fiebat virtute, sibi arrogantius adscribens.

Anno

Et seqventi capite ait Cœlius: Apud Hieronymū proverbii faciem habet, qvod ait, Poteram qvidem liberè proclamare, & inter gladios qvoqve ignesqve Babylonios dicere: cur aliud respondetur, qvam qværitur? Et rursum adversus Pelagianos: Qui minas, injurias, paupertatem ferre non possumus, qvomodo flammas Babylonis vincemus? Intelligi vero per figuram, opinor urbis Romanæ devastationem, de qva ad Marcellinum Hieronymus: Animus, inqvit, Romanæ urbis vastatione sic est confusus, ut (qvod dicitur) proprium ignorarem vocabulum, diuqve tacui, sciens, tempus esse lachrymarum. Imp. Car 5. PP. Paulo 3. ut sup.

1540 *Leonardus Fuchsius institut Medicin, lib. 2. sect. 2. c. 9. Benedictus Theologus Parisiensis, & Reynoldus.*

Romanus Pontifex, ajunt, qui non modo usu carnium interdixit nobis verno tempore, sed etiam jus & potestatem comedendi lac, butyrum, & ova à se pecunia comparare coëgit: ita in corpora, fortunasqve nostras decretis suis grassatus est ut parùm abfuerit, nisi Deus Lutherum, virum perpetua memoria dignissimum excitasset, qvin mox fœno nobis, communi cū jumentis cibo utendum fuisset. Unde Benedictus Theologus Parisiensis in concordantiis Bibliorum affirmat, asinam in historia Balaami significare Ecclesiam, & Romanum, ut ex 2. Petri 2. constat, Pontificē esse Balaam: qui ei insidet. Enimverò, ait Reynoldus, multum ad hujus mysterii significationem confirmandam faceret, si Pontifex, quod eventurum metuebat Fuchsius, Ecclesiam cogeret vesci fœno. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.

1540 *Franciscus Burckhardus, Archiepisc. Colon. Cancellarius, in libro de Autonomia.*

Ut Deus, inqvit, & Diabolus unà consistere non possunt, sic qvoqve Romana & Augustana confessio. Similia qvoqve scribunt multi alii.

Andreas Fabritius Imperatoris officium ait esse, gladio concilium Tridentinum propugnare: utilem enim & necessariam esse hanc sanguinis profusionem.

Et Petrus Muchitsch dicit, Augustanam confessionem jam judicatam & condemnatam esse: neqve restare aliud, qvàm ut una cum illis, qui in illam credunt, igni tradatur.

Christophorus verò Rosenbusch non dubitat, Lutheranos hæreticos, & propterea (ut & Petrus Stevart) indubitatò tollendos esse.

1540 Idem etiam affirmant Ederus, Possevinus; & alii multi Iesuitæ: cui addunt, testantes: fœdus pacis à Ferdinando Rege & Imperii statibus Passavii anno 1552. initum, invalidum & nullum esse: & quod non sit fas, Imperatorem, Papam, vel alios Pontificiæ religionis ordines illud observare, sed potius secundum Dei mandatum id dissolvere, & deinde in Lutheranos ferro, igne & aqva plus qvam in Turcas ipsos (namqve illos his multo esse deteriores) sævissime animadvertere debere. Nam pactum hoc cum hæreticis saltem initum esse, & quidem necessitate tunc cogente: jam autem illo neminem ligari amplius: cum tam diu modo valuerit, donec occasio aliqva sumendæ vindictæ causam præberet. 1554

Hoc loco notabit lector primum crudelissimam horum fœdifragorum & sanguinariorum immanitatem, qui insatiabili Christiani sanguinis siti, sanctum fœdus à qvatuor sanctissimis Imperatoribus, Carolo qvinto, Ferdinando, Maximiliano, & Rudolfo 2. tot superillustrib. Electoribus, sanctis patribus, principibus, & reliqvis augustissimis sacri Romani Imperii membris, initiò Passavii anno 1552. ictum, & toties deinde, primùm Ratispone anno 1557. postea Francofurti anno 1558. Augustæqve anno 1559. & Francofurti iterum anno 1562. ut & Augustæ rursus anno 1566. ac tertium Francofurti anno 1569. & hactenus omnibus comitiis reiteratum, juramentoqve semper confirmatum, cum etiam hosti servanda sit fides, nihilominus turpiter rumpere jubeant, & qvo sanctius nihil esse potest, perfidissimè violare cogant, econtra verò summorum Imperatorum & reliquorum patriæ patrum summam pietatem, heroicam & intemeratam fidem & constantiam, qui qvod semel sancta fide receperunt, rumpantur ut ilia Baal, sanctè colere non desistunt. Imperat. & PP. ut sup.

Idem. Illi qvi dicunt, universos Germanos eo tempore, qvo Lutherus suum semen in hanc præclaram nationem projecit, alto sopore demersos fuisse, neqve ovium suarum, qvæ tunc per lupum abripiebantur, curam gessisse, verum eas qvocunqve liberet, divagari passos, fortasse non ita malè pronunciant, nec à scopo longius aberrant.

Idem, res nostræ, inqvit, pejori indies sunt in loco, jamqve ferè in eam calamitatem deductæ, ut neqve religio, neq; pastor, neqve Sacerdos, neqve altare, nec æditimus, nec campana penè supersit. Collabuntur & evanescunt pedetentim Episcopatus, Canonicatus, præpositure, ac monasteria: pauciq; illi, & exigui, qvi sunt superstites, tam sunt ex ista cōtrectatione picis & consortio malorum inquinati, atque ita frigide religionem administrant: ut Episcopum & Prælatum in equo minimè agno-

agnoscas, in templo vero difficulter ac rarò invenias.

Idem narrat, motos esse Protestantes, ut Calvinistas in confessionem suam Augustanam reciperent, hac eorum ratione: quia nempe sese offerebant, si quid minus sincerè statuerent, velle libenter se eorum instructioni cedere, indeqve in communem hostem Pontificem suos calamos atq; linguas distringere.

Idem. Circa tempus Schmalcaldici belli fuerunt editi seqventes Rhythmi:

Das Evangelium
(Puta novum prætensum)
Ist irr und thum.
Wa ich hin kum/
Ist alles krum/
Und niemand frum.
In einer Summ/
Man fellt um/
Vom Papstthum/
In Irrthum/
Und Ketzerthum.
Summa Summarum,
Es muß wieder hrum/
Vom Lutherthum/
Zum Papstthum/
Oder des Teuffels/ per Deum sanctũ.

Idem. Principum igitur Lutheranorum Consiliarii Calvinistas, etiam insciis & invitis suis dominis, in comitiis passim susceperunt, foverunt, & magnopere promoverunt. Quid verò præmii aut lucri inde habuerint, ac quid beneficii invicem ab his sectariis sperare aut polliceri sibi possint, temporis docebit progressus. Publicis enim jam nunc Calvinistæ scriptis (Tossanus & M. Ambrosius Wolffius, anno 79. editis) tradunt, se, & non Lutheranos, esse veræ Augustanæ confessionis cultores. Equidem more luporum in melius proficiunt Calvinistæ: non enim absistent prius, quam omnem Lutheranismum penitus sustulerint & absorpserint.

Idem ignominiose admodum exprobrat Lutheranis Principibus, qvod eorum Ecclesiastæ debeant pro concione fari, quod ipsis collubet. Die qvidem Dominica manè, eum nihil alias agendum sit, esse ipsos eis concionatores: reliqvis diebus septimanæ pro venatoribus, stabulariis, aut eqvitibus, ad mensam esse ipsis ministros, & à poculis: à prandio uti eis pro pædagogis, aut codicillariis, & scribis: vesperi haberi pro musicis. Quin igitur contraria efficiamus, ut mentiatur Burckhardus.

Idem. Diffiteri non possumus, multos insignes Ecclesiasticorum & vulgarium laicorum nostrorum nebulones habere greges: homines vanos & improbos, hypocritas, quibus magis hæc mundana, secularia, & carnalia, qvam spiritualia & divina curæ sunt, quiqve plus sapiant & affectant forum, quam chorum.

Idem. Per Autonomiam suam Lutherani nihil aliud, quam profusiones, abligurities, otia, & offendicula qværunt. Quis jam est, qui non statuat, longè saniore mente ipsos acturos esse, futurumqve religioni eorum convenientius, si nobis, qui jam id dulce jugum diu portavimus, eiqve familiariter assuevimus, si qvæ inde peccata si quæ offensiones existerent, ea inqvam nobis relinqverent, nostrisqve cervicibus acquiescere paterentur?

Idem. Dicunt & clamant Lutherani, ex nostra religione pingues præbendas, & mũdanas varias delicias provenire: suam autem Ecclesiam, sub paupertate & cruce virescentem, cœlum potius respicere. Quod si verum est, poterunt in prædicando pergere, & suũ sibi cœlũ retinere, id nos facile illis concedimus. Sed vicissim, quemadmodum illis tutò pauperibus esse licet: pag. 419.
ita ipsi propter conscientiam & tranquillitatem patiantur, nos (qvæso) missas decantare, & de bonis Ecclesiasticis, qvo usq; Deo placuerit, ætatulam nostram agere. Qui autem prior in cœlum ascenderit, poterit ibi alterius adventum expectare: modo nobis illi de rebus illis temporalibus & proventibus non sint molesti.

Aut si hac nostra facilitate abusuri, porrò extra limites paupertatis suæ, in pomœria divitiarum nostrarum digredi, & de corio nostro ludere animum induxerint: sciant illi, non impunè isthoc se suscepturos esse, nos enim salutis nostræ neqvaqvam immemores, ejusmodi mediis contra ipsos processuros, ut deinceps liberè & sine molestia bonis illis Ecclesiasticis per omnem vitam gaudere queamus.

Petrus Viretus de adulteratâ Cœnâ Domini, & sacra Missæ mysteriis. 1540

Quam sit Missa detestanda, & quàm sit toti Christiano orbi exitialis, & vera Satanæ lerna, cujus opera & veneficiis totum Christianum orbem fascinavit, & ad omne superstitionis & idololatriæ genus prostituit.

Pervenimus tandem ad extremam scenam extremi Missaticæ fabulæ actûs, in qvâ scitè satis observatum est, quod præcipit Horatius.

Neve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Hæc est fabula verè tragica & sangvinolenta, quæ tam tristes, tam lugubres, tamq; cruentas hodie in toto penè Christiano orbe movet tragœdias, omnem superantes veterum tragœdiarum crudelitatẽ & atrocitatem. Hæc est illa sacrosancta missa, cujus unius causa tam multa sunt.

Corpora

Corpora missa neci,

ut ait ille. Hæc est Missa illa Prædatrix, quæ cunctas totius penè Christiani orbis opes expilavit, exhausit, consumsit: quæ unctos derasosqve sacrificulos non solum super astra evexit: sed etiam supra divæ virginis Christi matris, si ipsis creditur, Angelorumqve dignitatem.

Hæc est fex omnis impietatis, in quam, quicquid fuit unqvam in toto Iudaismo, Hellenismo, & Mahumetismo, & in omnibus veterum hæreticorum insanis deliriis, jam inde à condito orbe, superstitionis, idololatriæ, idolomaniæ, tanquam in vastissimum omnis impuritatis gurgitem confluxit: in quam certatim comportatum est, quicqvid sacrilegiorum inveniri, quicquid in Christum potuit convitiorum & blasphemiarum excogitari sub sole, & evomi.

Hæc est tanquam malorum quoddam pelagus & diluvium, qvod totum Christianum orbem inundavit, Christianismumq; totum obruit, submersit, suffocavit, evertit, extinxit. Hæc est præclara illa Pandora, munus & ornamentum omnium Deorum Papisticorum, digna scilicet, cujus honos, dignitas & authoritas, ferro igniq; & cruciatibus omne genus, crudeliter vindicetur.

Hæc est formosa illa Helena, magna meretrix Babylonia, sanguinaria, purpurata, sangvine tincta martyrum Iesu Christi, Satanæ filia primogenita, cujus causa totus Christianus orbis bellis exitialibus, ac plus quàm intestinis, tumultuatur, conscinditur, discerpitur, dilaniatur, sævitq; in sua ipsius viscera crudelissimè, totus perfusus & madens innocentium sangvine.

Hæc est publica lena, & venefica totius Christiani orbis, quæ suis cantionibus, fatalisq; & mortiferi calicis veneficiis, præsentissimam pestem toti Christiano populo comparavit, eundemqve inebriatum penitus dementavit:

Qui bibit inde, furit, procul hinc discedite, queis est
Cura bonæ mentis, qui bibit inde furit.

Hæc est verè Lerna malorum, Hydra plus quam septiceps, ab infernis excita, cui domandæ & contundendæ, non uno Hercule opus est. Hæc est non jam cœna Dominica, sed Chymera monstrifica, nec ea quidem fabulosa & poetica, sed revera flammas evomens ardentissimas: quæ quã sit portentosa ac prodigiosa, & quibus parentibus prognata, cum ex ejus (quam descripsimus) anatome, tum ex ejusdem effectis, quæ tam funesta comitantur incendia, & tam crudeles laniena, cuiqve esse conspicuum facile potest.

Nam quis non videt luce clarius meridianâ hujus unius opera & præsidiis, à Satana erectum, auctum & confirmatum Antichristi regnum, ac penitus eversa Christi instituta omnia? perversum omnem verum Cœnæ Dominicæ usum? adulteratum, qvicquid unquam purius ac syncerius habuit veuts & Apostolica Ecclesia?

Qvis totam deniq; extinctam non videt Christianam religionem, & ad hoc unum sacrilegium, tanqvam ad unam summam, redactam, in quo velut postliminiò Satanas veteres omnes, & jam exoletos impios idolorum cultus restituit & revocavit, suasqve fraudes & artes omnes veteres explicuit, & renovavit?

Atqve ut semel omnia dicam, hæc est vera omnium impiorum cultuum mali dæmonis officina: περὶ τῶν ἀποῤῥήτων τελετῶν, καὶ κρυφίων μυστηρίων τῆς πολυθέου πλάνης, ut scripsit Clemens Alexandræus ad Græcos de impuris & impiis eorum sacris, hoc est, de arcanis sacrorum, & abditis mysteriis cultus multorum Deorum, absolutum complementum, & summum fastigium mysterii illius iniqvissimi, qvod jam inde ab Apostolorũ temporibus Satanam per filium suum primogenitum, hominem illum impurum & sceleratum, filium perditum, Antichristum, Paulus auspicatum esse, testatur.

Neqve profectò tam flammata cruentaqve esset, atqve ejus morsus tam venenatus ac quibusvis hæmorroidis serpentis dentibus & venenis magis sangvinolentus, nisi fœtus esset purpuratæ meretricis, & antiqvi ac sanguinarii illius Draconis rufi & rubentis: qui jam inde ab initio, ipso teste Christo, homicida est homicidarum parens. Sed hac omissa deploratione & insectatione, videamus, si quid amplius superest excutiendum in specioso hujus tam comtæ meretricis mundo, & pretiosis ejus myrotheciis.

Idem lib. 3. de mysterio redemtionis. Cum Papistæ à Lutheranis requirunt miracula! habeant sibi pro maximo miraculo, qvod unius hominis scriptum Germaniam à Romanensibus illis prædonibus & Harpyjis brevi totam liberavit, qvibus antea, ut ille canit:

Tristius haud ullum monstrum, nec sævior ulla,
Pestis, & ira Deûm stygiis sese extulit undis:

adeo planè flagitiosis nundinis, turpissimo veniarum mercatu, & illa sua de communicandis superfluis meritis sanctorum, ad qvæstum prædamqve singulari consilio, repertâ ratione, regna omnia penitus exhauserant.

Idem.

Idem. Indorum Reges, ut monumentis traditum est literarum, cum in publicum olim prodire dignabantur, ac se hominibus publicè visendos præbere: cincti erant undiqve frequenti ministrorum comitatu, qui argenteis acerris iter totum, quo vectabantur, odoratis vaporibus suffirent. Ipse verò lectica gestabatur aureâ, margaritis undiq; dependentibus nitente ac micante. Lecticam præterea circundabant corporis custodes. Omitto alia id genus plurima barbaræ luxuriæ ac magnificentiæ cui Persarum qvoqve Regum par fuit lupus & ambitio. His enim erat peculiaris adoratio & præcipuum decus, sine qua nullus ad eos facilis patebat accessus. Iidem, quo suam majestatem augustiorem ac magnificentiorem redderent, perpetuo ferè tanquam numina quædam, abditi delitescebant. Quare veluti felicissimum augustissimumqve auspicium, illos conspexisse, habebatur.

Quid autem est horum omnium, qvod Romani Pontifices & Antichristi ad unguem non imitêtur & exprimant? Hi namqve tanquam mortales Dii, & terrena numina, lecticis vectati, ab omnibus adorantur. Hos conspexisse, divinum quiddam censetur: & ad eorum se pedes provolvisse, ad qvorum oscula ne omnes quidem facilè admittuntur. Nam ipsi qvoqve summi orbis Christiani monarchæ beatissimos se esse arbitrantur, si hos beatissimos pedes osculari contigerit. Deinde, ne qvid desit Persicæ aut Indicæ imitationis, pro prægestato igne sacro, imperii imagino, Romani pontifices, summi regni Papistici Reges & Imperatores, sacrum suum crustulũ sibi præire jubent, eqvo sæpe vectum gradatio, quasi insigne sui Imperii: crustulum, inquam, ignis sobolem, in hoc enim natum & procreatum est. Quare mirum videri non debet, si parenti proles successerit.

Petrus Cieza tomo 2. histor. Peruina cap. 69.

Alfonsus Hoieda circa annum 1509. in novo orbe Zenu fluminis accolas, nave subvectus, ad Christianam fidem perducere studebat. Indi armati accurrunt, descensum prohibituri. Tum Martinus Ferdinandus ab Inciso, Baccalaureus Theologiæ, & ab Alfonso judiciis præpositus, de puppi altâ voce infit, per interpretem: Christianos homines videtis, Hispanos, pacificos, vestræ salutis studiosos, per longa æquora huc vectos, commeatus & auri indigos, rerum preciosissimarum, qvibus vos egetis, abundantes. Venirent, & amice sua communicarent permutatione justa.

Respondent Indi: Pacis verba audimus, facta non videmus. Prædonum hoc est, per longinqva vagari maria lucri causa. Abirét protinus, usuros se illos alioquin ut hostia.

Tum incisus: At causam primo adventus nostri audite, longaqve oratione Baptismum illis persvadere conatus, Deum unum, creatorem omnium illis adorandum proponebat, epilogi loco minas tum spirituales cum seculares ingeminans: non propriâ libidine motos, sed autoritate publica adductos, impulsos hoc pium opus suscepisse. Sanctissimus pater noster Romanus Pontifex, vicarius Iesu Christi per universum orbem terrarum, in cujus manu animæ sunt hominum, in cujus arbitrio religio consistit, hasce terras potentissimo regi Castellæ domino nostro dono dedit, cujus nomine adsumus, possessionem religionis adituri. Neqve verò patriâ vos expellere tentamus, sed id unum agimus, ut Pontificem animarum, & regem corporum vestrorum pro vero patre & protectore agnoscentes, annuumqve tributum exile pendentes, & hic felices, & post mortem beati evadatis.

Indi respondent; Non abhorrere se ab unius solius Dei mentione. Cæterum nondum sese ita pertæsos suæ religionis, ut illam cum alia commutatam velint. Neqve verò de religione certandum, sed suam cuiqve genti liberam relinqvendam. Sanctissimum Patrem, quem tantoperè prædicarent, vel stultum esse oportere, qvi qvæ non haberet, tanqvam ea habens, aliis largiretur, & qvos nunqvam vidisset, sis diras intentaret, vel certe injustum, qui excussis veris possessoribus, eas terras peregrinis addiceret, & in mutuas cædes mortale genus armaret. Veniret & possessioné adiret ejus terræ, daturos se illi æternam, capite palo affixo. Regis Castellæ potentiá se ignorare: sed id unum scire, qvotqvot domi suæ abundarent opibus, illos potius in qviete vitam traducere, qvam alienas terras petendo, animas suas & maris furori & hostium crudelitati objicere.

A verbis tandem ad pugnam venitur Indi sagittis, Hispani sclopetis rem gerebant. Indi sagittas veneno per temporis angustiam illinere prohibiti, multis suorum desideratis, ab Hispanis in fugam sunt cõversi. Baccalaurius obstinatam gentem videns, quæ pontificem regemqve Castellæ agnoscere nollet, armis deinceps, qvia verbis nollent, in convertendis Indis utendũm, etsi contrarium docente Christo, censuit. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3.

Idem 2. rerum Indicarum, c. 100. Cum Alexander Pontifex VI. pater scilic. spiritualis, inter Hispanum & Lusitanum, qvibus lis propter insulas Occidentales erat, judicem se in secularibus ultrò constitueret, & lineam à circulo arctico ad antarcticum ductam terminum illorum esse vellet, puer qvidam linteamina recens lota custodiens, cum audiret, duos huj9 negotii missos judices de hac ipsa re prætereundo disserere,

Anno

pag. 441.

Anno differere, Papæ ambitionem non fine omine taxans, rogavit, utrum & ipsi ex eorum numero essent, qui orbem terrarum dividerent. Affirmantibus illis, detectis diductisque natibus: En linea, inquit, naturalis, in partes æqvales orbem longè certius dividens, quam imaginaria illa, de qua tantoperè contenditis.

Idem asserit in Insula Peru nunquam mures repertos: sed quam primum Hispani eò appulissent, & avaritia Tyrannideqve insulanos ad internecionem usqve divexassent, repente tantam copiam illorum apparuisse, ut arbores, sata, & alia consumserint.

1540 *De Fatis Monarchiæ Romanæ.*

Extat liber de Fatis Monarchiæ Romanæ ex demonstratione Theologica, Historica & Mathematica, desumta ex Propheta Esdra, qvi Aquilam vidit tricipitem, & in alis habentem insigniores pennas duodecim, & octo subalares illis contrarias. Leo autem invadit Aquilam, & severissime carpit, quæ omnia doctissimo comentario explicat Theod. Bibliander, & dextrum caput

pag. 442 Imperium Constantinopolitanum, sinistrum Papatum Romanum, tertium & primarium Mahumeticum Regnum demonstrare, ait. Hæc capita & singulæ pennæ etiam qvid denotent, accuratè explicat.

Aquila quid alibi designet, habes apud Plinium, R. David Kimchi, & R. Saadiam super Psal. III. Augustinum, & Dionysium Theologum. Semper enim in Theologia arcano mysterio Romanæ Monarchiæ fata protendit atqve denunciat, ut etjam Hetruscæ disciplinæ periti, qvos Hebræi Cabalistas vocant, sentiunt: vide ipsos autores.

1540. *Guilielmus à Schawenburg.*

In historia de rebus gestis ac vita Caroli hæc de ipso enarrat: Valde Astrorum & Mathematicarũ artium cognitione, inqvit, ejusqve doctrinæ studio est delectatus, eaqve in re, cum Ratisbonæ conventus ageret, Petri Appiani, insignis Mathematici opera est usus. Ac ego tum ipsius Cæsaris jussu de circulis artis ejus in Gallicam lingvam quædam verti, ita ut plane perspectum sit mihi ejus in hac re longo tempore studium, qvod ne ultimo quidem tẽpore remisit, sit ut orbium illorum cœlestium motus definitos, siderumq; cursus ordinatos, Phœbi Dianæq; defectiones numeris & rotis perseqveretur, & ea instrumentis Sphæricisq; figuris, circulis, orbibus & radiationibus Solis examinaret, & ponderaret, & cum apud se haberet in heremo Iusti duodecim tantum ministros, inter eos fuit Turrianus Astrologus, horologiorum custos, qui motus cœlestes Cæsari qvotidie ostendit, cujusqve consuetudine familiarissimè usus est. Imp. ut sup. PP. Paulo 3.

Joannes Gennadius de fratricellis Neapolitanis. 1540

Tempore Ludovici Bavari Imperatoris in contemtum religionis Christianæ, fratres Neapolitani, dissidentibus Papis, flagitiosam qvandam & turpissimam excogitabant sectam. Nam convenientibus locisqve abditis, qvos in eam turpitudinem allexerant, viris & fœminis, Sacerdotes, qui inter ipsos habebantur, ut crimen honestate prætexerẽt, divinas laudes Christiano more præcipiebant. Quibus intempesta nocte peractis, Sacerdos pro concione qvædam præfatus, ad confirmandos in errore animos, in eo maximè erat occupatus: colendam esse ante omnia charitatem, quam esse omnium virtutum caput, sacræ literæ testarentur: & hanc potissimum inter homines autore DEO conciliari posse, si Spiritu sancto bini, masculus & fœmina, venereo complexu jungerentur.

Cum igitur qvam quisqve oculis prænotaret, extinctis luminibus, viciasset, tunc demum peracta sacra censebantur. Ii enim in publica professione docebant, non hoc esse Christi testamentum, Pacem meam relinqvo vobis: sed tò crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quo compressu si quæ concepisset, deportari ad se partum Sacerdotes jubebant: qui solenni more in loco sacrificiis dicato convenientes, infantulum subjecto igne, ad cineres usqve comburebant, qvos urna exceptos, ceu rem sacram reponebant. Cumqve erat aliqvis collegio sacerdotum cooptandus, illis cineribus cum vino epotis initiabatur.

Quod si pontificem eorum maximum mori contigisset, ut omnis abesset invidia, & res non humano, sed divino consilio agi videretur, hic erat in demortui alterius subrogandi statutus modus: Infantem illo flagitio conceptum, ad locum sceleribus destinatum jussa mater haud invita deportabat, & ubi vulgo astante sacerdotes consederant, tam diu per comprimentes manus in orbem trahebant, donec miserrimus infans pernecabatur.

Idem. Hæc seqventia reperta sunt in lapide marmoreo purpureo sepulchri Magni Constantini, eaqve interpretatus est Magnus Patriarcha Scholarius XXX. Constantinopolitanus.

Prima Indictione regnum Ismahel, qvi vocatur Mahomet, subvertet Palæologorum regnum, septicollem obtinebit, in ea regnabit, gentes multas abducet, & insulas vastabit, usqve ad Euxinum pontum. Vicinos Istri seu Danubii evertet, octava Indi-

Anno

Indictione Peloponnesum obtinebit. Nona Indictione ad Septentrionales partes pertransibit pugnaturus. Decima Indictione Dalmatas in fugam versos superabit, momento temporis iterum se convertet ad Dalmatas, prælium excitaturus magnum, & ut conterat particularium Regionum tàm multitudinem populorum, qvàm familias. Concursus fient occidentalium per mare & terram, ad bellum pariter capessendum, & ut Ismahelem subvertant, posteritas ipsius regnabit minus, parum, modicum. Flamini vero genus una cum mercatoribus universum Ismahel subvertet adhoc, ut septicollem cum suis dignitatibus reparet seu extollat, bellum suscitet congregatis undiqve vicinis nationibus, in quintam usqve horam illud continuans. Et mox sonabit tertia vice; State, state cum timore, festinate valde citò, ad dextram partem virum invenietis generosum, admirandum, & fortem, illum habebitis dominum: amicus enim meus est, & ipsum assumentes, voluntatem meam implebitis? XXX. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

1540 *Mutatio status Ecclesiastici & politici post annum 1600. ex Onuphrio, Theophrasto, & aliis.*

Proportio Romanorum Pontificum in membrorum numero, & in nominum mysteriis talis est.

De origine novi & ultimi Romani Imperii, videlicet 56. Pontificibus, qvi per 40. annos à Sylvestro primo usq; ad Pontificem Constantinum Syrum, qvi primus sibi à Cæsare Justiniano pedes osculari passus est, sub Imperatore Constantino vixerunt.

Per hos qvadringentos annos Papa solus sibi Primatum qvæsivit, qvem etiam Bonifacius tertius consecutus est. Ideoqve hoc tempore Bonifacii nomen continet peculiare mysterium: sicut etiam nostro seculo qvinq; hujus nominis fuerunt. Bonifacii nomen insignem præ se fert speciem sub qva Romani Episcopi dominatum ac principatum adepti sunt. Et hoc tempus Romani Papatus est exordium.

Item 56. Pontifices per annos trecentos à Constantino Syro, usqve ad Gregorium V. sub Cæsare Othone 3. vitam egerunt. Per qvod tempus Papa regni cupidus admodum fuit: qvod etiam à Carolo Magno & successoribus ipsius, tandem impetravit.

Et præcipuè Leonis nomen mysterio hic neqvaqvam vacat: ut Leo tertius, qvi Carolo Magno regnante, plurimum obtinuit: ac velut politicus Monarcha, atqve leo crudelis, ad summum fastigium se evexit: sicut & hoc tempore sex hujus nominis Romano insederunt tribunali: ut ita ipsum Leonis nomen satis mysterium rei innuat. Et hoc increscenti Romani Papatus tempus est, quo Pontifices regnum sunt adepti.

Item 56. Romanis pontificibus trecentorum annorum curriculum à Gregorio V. usq; ad Bonifacium VIII fuit circumscriptum. Quo sane tempore Papa summæ potestatis particeps factus, reges atque imperatores creare incepit. Et nunc Gregorii nomen haud absqve mysterio est: siquidem præcipuè Gregorius VII. Hildebrandus cognominatus, contra & supra Imperatores se erexit: qui etiam nigromanticus fuit, cujus similes per id tempus, Romanam sedem non pauci occupârunt, qui & ipsi cum diabolo rem habuerunt. Unde rectius Hellenbrandi nomine digni fuissent. Et hodiè VII. hujus nominis Papæ leguntur. Atqve hoc etiam vigoris & status Rom. Papatus tempus est.

A Bonifacio VIII. Papismus suspectus reddi, primatusq; ejus vexari cœpit, ita, ut Magnates nonnulli illi se opposuerint: inprimis Galliæ rex Philippus, Papam schismaticum & hæreticum esse, per Concilium Parisiis convocatum, cognovit. Id quod etiam ad Clementem V. recidit, quando multi docti homines fraudem sentientes, in publicis scriptis contra Papam insurrexerunt. Itaq; hîc decrementi Papismi tempus incipit, quandoquidem, ut Bonifacius III. primatu obtento, papismum auspicatus est: ita hîc decrementi initium fit, primatusq; suspectus redditur, etiam in ipso Bonifacii nomine. Atqve ita pedetentim ad ruinam inclinavit, usqve ad Leonem X. sub Carolo V. ubi jam lapsu cecidit graviore: siquidem & reges & principes, atqve insuper populi multi secessionem à Papa fecerunt.

Et ut sub hoc nomine, Leone III. Papatus regnum adeptus est: ita duobus nominibus jam sua fuit crisis: Bonifacio scilicet & Leoni. At etiam tertio nomini, nempe Gregorio, adhuc sua restat crisis: ita ut, qvemadmodum sub Gregoriis, Papa ad summum rerum fastigium ascendit, idem sub eodem nomine, ad infimum usq; dignitatis gradum delabatur. Quod sine dubio de Gregorio XIV. intelligendum est. Nam etiam VII. numero mysterium est, qvemadmodum III.

Sicut enim Papatus sub Bonifacio III. originem, sub Leone III. incrementum, sub Gregorio VII summam sumsit dignitatem, ita primam ruinam sub Bonifacio VII. secundam sub Leone VII. hujus nominis post Leonem III. minatus est: ultimam deniqve sub Gregorio VII. sumet, qvi XIV.

Anno XIV. hujus nominis est, septimus post Gregorium VII. Atqve ita palam fit, tertiæ & postremæ ruinæ Romani Imperii tempus fore circa annum Salvatoris nostri 1600. circa quod tempus etiam hic Gregorius XIV. Romanam cathedram occupabit.

Primum Romani Imperii decrementum seu ruina accidit, Imperio græco declinato atq; Constantinopoli, nova Roma, à Turcis occupata, an. salutis partæ 1452.

Secundum, qvod sub Carolo V. in pontificatu Romano evenit, sub Leone X. initium sumsit, & paulo post etiam Roma, sub Clemente VII. an. redemtionis humanæ 1527. est occupata.

Quod verò tertium & postremum decrementum circa añum Christi 1600. eventurum sit, ipsum docet tempus, inter primum & secundum decrementum interceptum, 75. videlicet anni, qui annis 1527. additi, faciunt 1602. años, circa qvos ultimum decrementum Imperii Romani eveniet, cum in politica, tum in Ecclesiastica potestate seu regimine.

Plures autem quadraginta duobus Rom. Pont. per 300. años non leguntur, à Bonifacio ad 1600. añorum tempus, qvo Gregorius XIV. regnum tenebit: ita ut in centum añis quatuordecim semper Pontifices inveniantur tempore decrementi, sicut in 100 añis etiam 14. reperti sunt tempore originis. Unde quater quatuordecim, id est, 56. Pontifices añis 400 à Sylvestro usq; ad Cõstantinum Syrum numerantur.

pag. 444

Hic aliquis completum numerum 56. in decrementi tempore urgere posset, & objicere, etsi tertium & extremum decrementũ sub Gregorio XIV. incidere possit, adhuc tamen 100. addendos annos, & adhuc 14. Romanos pontifices, ut tempus numerusq; demum circa añum Salvatoris 1600 sub Pontifice Gregorio XIV cognominato, & 56. à Bonifacio VIII. implendum sit. Huic vero oppono illud, quod in toto libro Harmoniæ Mundi scripsi, & confirmavi, omnes numeros circa añum salutis humanæ 1600. compleri, Romanumq; imperium ultimam tũc ruinam habiturum.

Sic etiam numeros Romanorum Pontificum positos volo, cum schismaticis, inter Sylvestrum primum & initium novi Romani Imperii existentibus, & in numero hoc non numeratis: qvorum 14. circiter reperti sunt, ut schismatici accommodè reliquis addi & annumerari possint. Nullus autem altero est melior, ita ut numerus quater 56. usq; ad hoc tempus completus sit. Præter hæc autem, qvæ in libro de Harmonia mundi conscripsi, insuper hoc ex sequentibus harmoniis & similitudinibus confirmabo, tempusque circa annum Christi 1600, in Gregorio XIV. finiri, edocebo.

A Carolo Magno usqve ad Othonem III. quatuordecim sunt Imperatores, & 49. Pontifices Romani, qui septies septem sunt. Item ab Othone III. usqve ad Rudolphum Comitem Habspurgensem, quatuordecim sunt Imperatores, & 49. Pontifices. Sic etiam à Rudolpho primo, usque ad Rudolphum secundum, & usqve ad hæc nostra tempora reperiuntur 14. Imperatores & 49. Pontifices, ut qvemadmodum numerus Romanorum Imperatorum à Carolo Magno in 42. Imperatoribus completus est, qui alias mundanorum Monarcharum numerus est, ita étiam Pontificum numerus in decremento à Bonifacio, usqvè ad hoc nostrum seculum, in 42. Pontificibus finiatur, etiam ideo, quia Bonifacius VIII. & seqventes eum alii, præcipuè autem Iulius II. politicum gladium, mundanamq; potestatem sibi vendicavit. Ita etiam ipsorum numerus in politicorũ Monarcharum numero finem sortitur suum & satis commode in harmonia quadam civilibus Monarchis respondet.

Nota. A nativitate Christi usqve ad Sylvestrum primum 313. anni numerantur, ubi novum Romanorum imperium originem sumsit. Item 300 anni ferè inter Sylvestrum I. usqve ad Bonifacium III. intercepti sunt. Item 200 anni à Bonifacio tertio, usqve ad Leonem tertium elapsi. Item 200. anni à Leone tertio, usq; ad Gregorium V. sub Othone tertio intervenerũt. Sic jam in regressu, 300. anni à Gregorio V. usq; ad Bonifacium VIII. numerantur: & 313. anni Bonifacii VIII. annis additi, circa annum redemtoris nostri 1607. finiuntur, ut ita numerus circa annum Christi 1600. cõpleatur, & plures 42. Pontificibus a Bonifacio VIII. usq; ad Gregorium XIV. esse non possint.

Item 1000. anni à Sylvestro I. quo cum Primatus novi Imperii Romani simul exortus est, qui postea sub Bonifacio tertio plenè excrevit, usqve ad Bonifacium VIII. ubi suspectus redditus, Pontifici attulit decrementum.

Item 800. anni à Constantino Syro, ubi populos & regiones Papa appetiit, & in Leone tertio consecutus est, usqve ad Leonem X. sub quo populi & regiones recedere cœperunt. Ita ergo proportio 200. annis decrescit. Et sic proportionum adhuc 600. anni à Gregorio V. erunt, ubi Papa summum fastigium ascendere cœpit, qvod etiam in Gregorio VII. plenariè occupavit, usqve ad Gregorium XIV. circa añum redemtoris nostri 1600. quo omnia simul ruina impendente opprimentur.

Ex quibus omnibus colligere quivis potest (id quod facile ãtea sub Gregorio XIII agnosci potuit) tertium post Gregorium XIII. Papam, fore Gregorium XIV. qui numerum compleat.

Et, si

Et, si tres horum sunt inclusive, tum Iulius initio ultimorum 14. annorum annumerandus est, ut etiam mox post centesimum numerum, videlicet 1500. regnare cœpit. Et Clemens VIII. & ultimus Avinione sedem habens, eodem annorum numero connumerandus erit. Sin autem tres sunt exclusivè: tum ultimi 14. in Leone X. incipiunt, nec ad complementū temporis, in uno tam multum elt situm. Tantum notetur, in Pontifice circa annum Christi 1600. regnaturo, Pontificum numerum finiri, illumqve Gregorium XIV. esse ac nominari: ut, quemadmodum sub Bonifaciis primatus obtentus, ac sub Leonibus auctus est, atqve sub Gregoriis suprema tandem occuparit, & sic ut post illum denuò sub Bonifacio decrescere cœpit, primatusqve suspectus factus est, ac postea Romanum Imperium primam ruinam passum est, atqve in secunda ruina sub Leone X. facta, opibus, populis ac regionibus decrevit: ita tertia atqve ultima ruina, sub Gregorio XIV. edatur, summumqve Papa dignitatis gradum amittat.

Ut sub Gregoriis supremum potestatis culmen acquisivit, gladioqve obtinuit: Ita illud omne tunc per arma collabetur & opprimetur, ac una Roma cum omnibus novi Imperii Romani reliqviis solo adæquabitur: &, si jam electus Papa Gregorius XIV. cognominatur patet inde, regimen ipsius cum ætate diu duraturum, & absqve dubio usq; ad tempus anni Christi 1600. aut etiam ultra, protensum iri. Nam circa id tempus, & post, demum res finietur. Quæ autem porro de Romano imperio, & mundano & Ecclesiastico, usqve ad diem novissimum supererunt: tantum reliqviæ ejus, ac nihil aliud, qvam schismata, cum in politico, tum in Ecclesiastico regimine erunt. Ut enim numeri potentum atqve annorum, in Romanis Pontificibus, circa jam sæpius citatum tempus incipiunt: ita etiam in Romanis Imperatoribus, & politicis monarchis, finiuntur. De Romanis Imperatoribus aliquid colophonis loco adjiciam.

Theophrastus Paracelsus circa annum Christi 1540. anteqvam noster jam Imperium tenens Rudolphus, longè clementissimus Cæsar natus esset (post 10. videlicet annos) mortuus est: & tamen vaticinatus is est, ad hunc nostrum Imperatorem, nomine & annis digitum intendens, dicensqve: inter R primum & R. secundum, 303. annos fore. Quod ex seqventibus rationibus bene prædicere longe ante potuit.

Vidit enim, novo Imperio Romano sub Imperatore Constantino Magno, Constantinopoli exorto, novaqve Roma ædificata, ac etiam aliqvo modo sub Imperatore Græco, debilitato, id postea sub Carolo Magno incrementa sumsisse, ubi Germanicum Imperium excrevit, ac eodem etiam tempore Romanus Pontifex potens factus est, similisq; politico, Monarchæ.

Rursus Paracelsus animadvertit, Germanico Imperio per continua bella, à Pontificibus exitata, debilitato, Ducumqve Sueviæ Conradinorum familia extincta, Cæsarum Imperium simul occidisse: sicut in Rudolpho primo, Comite Habspurgensi, laudatissimæ Austriacæ familiæ auctore, illud denuo exortum est, & iterum gradum ac processum habuit: Carolo deinceps IIII. aurea bulla Imperio auxiliares porrigente manus: ac sub laudatissima Austriaca familia clementissimè hactenus est conservatum.

Post hæc omnia Paracelsus denuo observavit: ut vetus Romanum Imperium, in Romulo & Remo exortum est, suaqve habuit decrementa, donec omnino est collapsum: Ita etiam novum Romanum Imperium, in Constantino excretum, jam jam ruinam minitari. Et, ut vetus Romanum Imperium, in Augusto Cæsare summas tenuit: ita in eodem etiam nomine cecidisse, sub Augustulo videlicet, ultimo Italico Cæsare ab Oedacro fugato: quæ etiam media ruina est primi & veteris Imperii Romani. Primam enim ruinam passum jam fuerat à Gotthis & Vandalis sub Honorio Cæsare: tertiam & ultimam à Totila, ultimo Gotthorum rege, sub Cæsare Iustiniano, ubi vetus Roma excisa, funditusq; deleta est.

Sic etiam Paracelsus prævidit atqve præsagiit novi Imperii Romani ruinas sub certis nominibus eventuras, & in certis proportionibus, annorumq; numeris: atqve sic etiam illud tres habiturum ruinas, quia triplex fuit: Orientale videlicet Græcum Imperium, deinde Occidentale Germanicum, & deniq; Romanus Papatus. Quia igitur Græcum orientale Imperium sub Constantino Magno exortū est, sub eodem etiam nomine collapsum est sub Constantino videlicet hujus nominis ultimo, Constantinopoli à Turcis occupata, imperioqve finem sumente, atq; sic facta prima ruina.

Sic Romano Pontifice sub Carolo Magno in Leone III. prævalescente, & Monarchæ Ecclesiæ haud absimili facto: etiam magnam passum est ruinam sub Carolo quinto in Leone X. Et hæc secunda ruina est novi Imperii Romani, ut ita nihil amplius, nisi tertia novi Imperii Romani ruina, restet.

Hæc tertia & ultima ruina, etiam ex analogia añorū tertiæ primi Romani imperii ruinæ emergit, ubi videlicet 1300. reperti sunt, à Romulo & Remo, donec vetus Roma sub Totila omnino cum suo regimine concidit. Sic totidem qvoqve anni computati

Anno putati à Constantino Magno, mox etiam post 1600. annum mundi finiuntur.

Verum analogia nominum & annorum longè emergit dilucidior, nempe 304. anni circiter à Christo, usqve ad Constantinum Magnum. Sed post circa 327. annum novam Romam Constantinopolim exædificavit: Carolusqve Magnus, Imperator, circa annum Christi 800. creatus est. Et Rudolphus Habspurgensis, anno salutis 1273. 4. Id. Octob. Onuphrio in fastis attestante, Imperator est electus.

Qvot ergo jam sunt anni à Constantino Magno, novæ Romæ extructore, usqve ad Carolum Magnum, nimirum 473. anni, totidem etiam anni à Carolo Magno sunt usq; ad Rudolphum primum, videlicet 473. Hæc media est proportio.

Jam etiam duo extrema attingantur: nempe, quot Anni à Constantino, usqve ad Christum fuerunt, initio annorum numeri adjecto, nimirum plus minus 303. Sic tot etiam à Rudolpho primo numerantur, usq; ad Rudolphum secundum, sine annorum numeri addito, nempe 303. Et præcise hi anni incidunt in dies, quibus Rudolphus, clementissimus noster Imperator, regnum occupavit, in quartum Id. Octob. patre ipsius Maximiliano II. eodem die supremum efflante spiritum, anno 1576. Præcedente autem anno, Cæsarea Maiest. Romanorum Rex constituta est.

His igitur annis, ab initio regni Constantini, novæ Romæ extructoris, elapsi anni additi, videlicet 24. circa annum Christi 1600. ad exitum perducuntur. Aut his annis, omnes anni Imperii Constantini Magni, utpote 30. adjecti, circa Salvatoris an. 1606. terminum habent.

pag. 446 Quæ omnia satis superq; comprobant, tertiam ac postremam novi Imperii mutationem etiam in politico statu futuram, quemadmodum in Ecclesiastico, post salutis partæ añum 1600. & circa illud tempus. Ex quibus omnibus colligitur, quomodo Theophrastus Paracelsus prædicere potuerit, inter R primum & R secundum interventuros 303. años.

Conatus est hic autor, qui etiam speculum mundi scripsit, eruere nescio quæ ex literis numeralibus nominis RUDOLPHI: sed cum videretur, talibus non, nisi divinitus revelatis, tutò esse credendum, omittenda putavi: de illis tamen quædam in dicto speculo.

1540 *AN* STATVI ET *D*IGNITATI ECCLESIASTICORUM MAGIS conducat, admittere Synodum nationalem, piam, & liberam, quam decernere bello?

EPISTOLÆ DVÆ DECANI & Canonici cujusdam.

Salutem plurimam, & obseqvia mea ad omnia beneplacita tua paratissima, domine venerabilis, & frater dilectissime. Scio petere vos, ut scribam vobis, quid hic fiat. Scitote igitur, quod parum adhuc fieri hîc videtur, quoniam Principes tardè veniunt. Trinitatis debuerant hîc esse in propriâ persona, cum serenissimo Rege, quatuor Electores Rheni, Duces Bavariæ & Brunsuicenses, Episcopi, Herbipol. Bambergen. Argentinen. Augusten. Eistaten. Spirensis & alii Principes obedientes, qvorum nomina non scio. Sed adhuc nemo advenit, præter Brunsuicensem Ericum; & Augustensem Episcopum Spirensis hîc fuit, sed quia alii non fuerunt hîc, ne impensas multas faceret, rediit. Dicunt, eum velle cum Palatino redire. Serenissimus Rex adduxit secum doctissimum Episcopũ Viеñen. Iohan. Fabrum, Tridentinum & Mutinensem, nuncium Apostolicum, qui est vir valde pulcher. Dicunt, quod sit etiam multum doctus, sed in oratoriâ. Optatis fortè etiam intelligere, quid sperent hîc fieri catholici?

Fuimus consternati per dies multos quasi Cæsar. & Regia Maiestas vellent Lutheranis publicam disputationem concedere, & permittere, quod illi in publica audientiâ sua venena effunderent, & conari quandam compositionem facere inter catholicos & hæreticos. Sed Deipara virgo, quæ sola cunctas hæreses interimit, fecit, ut speramus, quod invictissimus Cæsar, & serenissimus Rex melius cogitabunt, ad qvid sint sedi Apostolicæ obligati, & qvod sine consensu sanctissimi domini nostri Papæ, non debeant pessimis istis hæreticis & schismaticis concedere, qvod de articulis fidei & ordinationibus sanctæ matris Ecclesiæ disputent.

Nam &, ut ait Imperator, injuriam facit Iudicio reverendissimo Synodi, si quis semel indicata ac rectè deposita revolvet: & publice disputare contenderit. Et multis denuò Apostolicis & canonicis, atqve Ecclesiasticis instruimur Regulis, non debere absque Romani Pontificis sententia, concilia celebrari. Quod ad omnes etiam pertinet, non debet per nos paucos Allemãnos statui, vel mutari.

Ajunt, sanctissimum velle generale concilium indicere ad Metim. Si verum est, doleo. Spero tamen, etiamsi verum sit, quod nullum sortietur effectum, & qvod sanctissimus hoc offert tantum, ut Cæsaream Maiestatem suspendat, ne concedat Lutheranis concilium nationale, pro qvo instare dicuntur. Consistorium procul dubio plus sapientiæ habet, qvam quod cõcilium vellet generale celebrari. Apud omnes Principes & Reges inveniuntur Lutherani, & Lutheranizantes: & sunt laici per se clericis, bone Deus, multum infesti.

Ideo

Anno Ideò pro statu nostro nostrorumq; bonum erit, concilium celebrare.

Contra Lutheranam doctrinam maior pars, vel omnes potius consentirent, : sed vellent forte etiam aliqvi Reges de reformatione cleri quæstiones movere. Et per se est Monarchiæ contrarium, subditis permittere concilia fovere. Papa supra decreta concilii est, & potest concilia annihilare. Quare igitur vellet propter paucos hæreticos tot nationes fatigare, & se qvasi judicio concilii subjicere? Præsertim cum isti hæretici contra potestatem Papæ singulariter insaniant.

Et etiam aliqvi ex Episcopis, & Principibus nostris, qui creduntur adhuc esse Catholici, dicuntur dolere, qvod potestas Papæ tam magna sit. Ideo Episcopi, qui fideles Papæ erunt, & non sunt de malis avibus, qvæ suum proprium nidum permerdant, instabunt apud optimum Regem & Cæsarem, nec non alios catholicos Principes, ut Lutheranis ne nationale quidem concilium, nec ullus publicus tractatus permittatur. Sed si volunt eis aliqva ad tempus permittere, quod tamen juris Ecclesiæ & status clericalis non sit nimis derogativum, hoc eis brevibus verbis indicent, ut in cæteris obedientiam debitam exigant, ut si forte putarent, qvod concedi eis debeat communio sub utraqve specie, dispensatio de uxoribus, quas illorum sacerdotes nunc jam habent: qvæ dispensatio sit tamen concedi debet, ut in posterum nemo illorum uxorem accipiat. Et dispensationem oportebit eos a sanctissimo accipere, & simul in obedientiam ejus devote redire.

Posset tamen sanctissimus illam dispensationem eis ad intercessionem Cæsareæ Maiestatis & Principum gratis dare, ea tamen conditione, ut certam summam militum contra Turcam darent. Si nollent Lutherani talem misericordiam cũ gratiarum actione suscipere, tunc deberent eos Cæsar & Rex cum Principibus catholicis gladio humiliare, & obedientiam docere in virga ferreâ. Sed cum tempore videbimꝰ quid erit, & si aliquid cœperint deliberare, quod ego scire potero, volo hoc semper ad vos scribere. Salutem dic D. custodi, & D. Quirino cum illius Elsa, & bene valete. Hic non habemus vina Ringavica, sed crassa Alsatica, vel furibilia, nata circa Hagenoiam. Vale. Hagenoiæ 3. post festum Corporis Christi, anno 1540.

N. N. Decanus, tuus advotâ.

Salutem D. Accepi literas dominationis T. colende domine Decane, amice amãtissime, & legi sodalibus nostris, qui omnes tibi mecum gratias agunt, quod nostri amicè memor sis, & quæ istic exspectantur adhuc magis, quàm geruntur, tàm diligenter perscripseris. Quò autem re ipsâ ostendamus, quàm gratum nobis fuerit hoc tuum officium, voluerunt sodales, ut tibi rescriberem: idqve ego pro meâ erga te observantiâ, non illibenter facturũm me, illis recepi. Revertenti itaqve ad te ministro tuo, has præpropere sane scriptas tibi tradidi.

Sed oro tamen, ut, dum tibi nostram sententiam libere explico, sicut hic in mensa, & aliis nostris colloqviis facere soliti sumus, velis id æqvo animo pro tuo candore suscipere. Nam sicut præsentes, ita etiam absentes dissentire à te alicubi, vel error aliquis, vel verum conservandi, nos melioribus temporibus consilium compellit. De eo tamen convenit nobis tecum, qvod & Rex meritò irascitur, & cæteri jure indignantur, Principes suæ huic laudi tàm malignè respondere, ita sero adventando: maximè, cum & causa tam multiplex & difficilis agitanda sit, & Turci videantur haud ita multum temporis nostris ad consultandum concessuri. Haud tamen possum te cœlare quæ in quodam convivio, apud D. Cantorem ante triduum habito, de hac mora Principum inter nos disputavimus.

Aderant duo Eqvestris ordinis viri, ex câ aulâ, quàm tu singulari solcs laude cohonestare: ii cum audirent, omnes propè convivas, prope omnes Principum cunctationem damnare, soli defendere conabantur, imò contendebant, si etiam Principes ipsi prorsus non advenirent, id tamen non illis esse vitio vertendum. Ex more n. & instituto Imperii nostri esse ajebant, ut ob negotium multò minus periculosum & explicatu difficile, quàm sit hoc negocium, cujus gratiâ præsens conventus indictus est, justa omnium statuum imperii comitia indicantur. Ea magno Imperii incommodo multis jam annis dilata esse, nuncq; eam rationem conventus institutam, quâ non possint facile rebus adflictis Germaniæ & susceptæ causæ remedia opportuna inveniri.

Controversias enim de religione, deqve opibus & ditionibus Ecclesiastarum, ita inter omnes status versari, cunctosq; implicitos tenere, ut, nisi omnibus præsentibus & consentientibus, explicari discutiqve non queant. Iam frustra magnos sumtus facere, eoqve viam aperire novo, & liberari Germaniæ haud innoxio instituto, non esse principum, suis & imperii rebus ritè consulere cupientium.

Respondebatur ad hæc à nobis, qvæ ex aulâ ad nos scripta sunt, Cæsarem gravioribꝰ negotiis distentum, non potuisse citius de isto conventu constituere: nec spatium fuisse aut nunc esse, ut plena comitia convocentur, præstare etiam, ut antea cum prioribus principibus deliberetur.

Anno

Sed urgebant illi contra nos pondere negotii, de qvo agendum est, quod tantum est, ut nullum aliud ei præferri debeat, qvia religionem, totamq; Germaniam involvat, idq; tam diu: tum nullam existere probabilem causam, cur non pridem ille conventus indictus & habitus sit, quem superiori proximo anno Cæsar Francfordiæ pollicitus est.

Qvanqvam autem istas causas in se reprobare non possemus: institimus tamé, illas eò non valere, ut officii neglecti purgent Principes, qui Regem ab Imperatore tam graviter vocati, & in tam causa arduâ sua præsentiâ tam diu destituant. Quo n. diutius vera ratio liberandi Germaniam à pernitioso isto dissidio extracta fuerit, hoc magis decere Principes patriæ omnibus viribus eniti, incumbere, ut ea vel nunc tandem ineatur. Quodq; hac in re peccatum est hactenus, id illos multò facilius præsentes, quam absentes, corrigere posse. Habes itaq; nos tibi de mora Principum obedientium consentientes, volui tamen adjicere, quid & alii de ea re sentiant.

De concilio vero nationali, vel conventu, in qvo omnes status Germaniæ conveniant, & excussis controversiis Religionis qværant, si eo pacto dissidium hoc religionis tolli queat: à te, quod tua pace liceat, omnes nos consentienter dissidemus, ita ut coram sæpè ipse nos audivisti. De Concilio autem generali, qvantum ad rem quidem ipsam attinet, nullum celebratum iri, nobis tecum convenit. At causas, cur tu id probes, nos non probamus, de nationali concilio.

Qvævis vel libera cum Lutheranis actio pernitiosa tua sententiâ est: nihil huius concedendum est illis. Existimas enim, id nostris partibus fore inutile, & jure negari posse. Quamvis autem nostra

pag. 448 persona reqvirat, ut prius de jure, quam de utilitate, ante qvid deceat, quàm quid nostris rationibus conducat, concedi aut negari disputemus: volo tamen tuum ordiné seqvi, & de eo prius videre, utrum è re nostra sit Lutheranis locum dare, sive in concilio nationali, sive in alio quopiam conventu, ut causam suam libere agant, & moliri nostros cum illis, quam qveant, pacificationé, an ratione hac prætermissa, statim armis eos aggredi.

Naturâ qvisqve, conservari se, & suas vivendi rationes salvas esse, cupit, sit itaq; justum & honestum, quicquid ad conservandum statum nostrum valeat, & à directione Lutheranorum nostra nobis custodiat. Hic autem, mi domine Decane, pro tuâ prudentiâ potius, quàm in Lutheranos indignatione, expendas velim, qvo in loco ipsi simus, utqve res nostræ habeant: tum quo Lutherani pervenerint, & quid hodie valeant, qvantove rerum suarum successu fruantur: qvid deniqve ii, quibus defensoribus nitendum nobis est, velint, & perficiendum à se confidant. Compendium enim illud, ut Lutheranis parvula qvædam, quæ nobis fraudi non sint, eá lege concedantur, ut cætera se obedientiæ Pontificis restituant, &, si eam conditionem respuant, vi in ordinem redigantur, vereor non tam facile confici posse, atq; tu id pro conservatione status hujus nostri non imprudenter præscribis.

Anno

Vides, ut diffluimus, utq; & eruditione & qvarumlibet virtutum & jam ipsa specie indies magis destituimur, utqve ea, propter qvæ omnibus hominibus omnium fanè ordinum invisi sumus, continuè cumulamus. Quæ in templo gerenda nobis sunt, qvotidiè frigidius & fastidiosius geruntur, in luxum & ebrietates, inque omnia quæ ordinem deturpant nostrum maximè, feruntur nostri continuò ardentiores, & impudentiores.

Jam facesse, ut Deus ita humana negligens, nihil ob ea malorum nobis immissurus sit; & ut vel fabulæ sint, quæ de gravissimus Dei animadversionibus in ministros ejus, tantum muneris sui negligentes (taceo depravatos, & tam vitiosos) scripturæ commemorant, vel qvod nũc indulgentior in flagitiosos Deus factus sit, qvam olim erat, tamen insitum omnibus hominibus, etiam parum bonis, vitiorum odium, & innata cunctis contra homines vitiosos, & publica, nedum sacra bona, flagitiosè ligurientes invidia efficiet tandem, ut ii qvoqve nos oppugnent & diripiant, à quib. nos maximè speramus iri defensum: præsertim cum Germaniæ populi, quorum causa sacrosancti hactenus fuimus, tantopere frigeant & vilescant, idqve non tàm Lutheranorum in ea convitiis, qvàm nostra ipsorũ tàm irreligiosa & pudendâ sane eorum administratione, nunc obtinente passim, & in aulis præcipuè, contemtu eorum plane epicuræo.

Itaqve si nos & nostra respicimus, qvemadmodum indies horrendè accumulari in nostro ordine cernimus omnia ea, propter qvæ nos odio & prædâ omnium dignissimos, homines ipsa naturæ luce ducti judicant: Ità etiam si vel nulla in nos accensa sit, vel ultrà cesset ira Dei, nihil quàm dispoliationem atqve interitum ab eis qvoqve jure expectemus, in quibus præcipuum præsidium nobis & rebus nostris ponimus. Reliqui ut animati in nos sint, qvantaq; sit vis eorũ, qvotidie experiemur.

Consideremus nunc & Lutheranos, qvàles quales sint, habent tamen hodie præcipuas Germaniæ domos principales vel fœderatas sibi, vel admodum amicas, alias totas, alias partim. Domus Saxoniæ tota illis fœderata est. Domus Bavariæ si non tota, magnâ tamen ex parte illis amica est,

Anno

est, & haud scio an ullus in hac domo sit, qvi velit Lutheranos extinctos. Domus Electorum tertia, Brandenburgensis tota, etjamsi non defensionis, tamen religionis fœdere illis juncta est. Brunsvicensium nemo, præter Henricum est, nemo qui illis ex animo male velit, quidam etiam sunt in fœdere eorum: Clivensem tu scilicet putas socerum suum, & ex sorore Nepotes velle perditos: Pomeranorum, Wirtenbergensium, & Hessorum Principum ut pauci nunc sint, tamen & suis, & amicorum viribus non parum possent.

Ita & Regis Danorum, qui plus quàm Lutheranus est, magna profecto potentia est, & fortuna propè inaudita. Inter reliqvos qvoq; & principes & comites, atq; civitates totius Germaniæ, quantula quæso portio est eorum, qui hostili in Lutheranos animo sint, præ illis, qui eis vel socii sunt, vel amici? imo quæ urbs in Germania alicujus potentiæ exceptâ unâ & alterâ, planè est non Lutherana?

Populum verò si respicis, videmus pridem, quod ad Lutheranos inclinat, partim odio nostri, partim cupiditate vitæ licentioris, partim etiam, quod Lutherani sua & rectius probant, & gravius administrant. Quid igitur putas per Germanos pro nobis contra Lutheranos, præsertim ad delendum eos, confici posse? Sumus alioqvin etiam nostris hominibus qvasi mundo mortui, qvamlibet mundo studiose vivamus, ut etiam si non tantas daremus omnibus ordinibus odiendi nos causas, tamen non ii habeamur, pro qvibus illi putent multum periculorum sibi adeundum esse. Si vero adducatur miles extraneus, verendum, ne ad Lutheranos etiam eos jungat, qvos utcunqve in nostris adhuc partibus tenemus.

Huc itaq; potentiæ & societatis, atq; favoris cum Lutherani pervenerint, tantûq; valeant, non est ut speremus, eos tam parvo negotio excindi posse. De successu verò ipsorum quid attinet dicere? An non prorsus fatales victores Dani? Et quis nostrum expectasset, ditiones illas duas, Electoriam Brandenburgensem, & Mysnensem, Electoriæ partem, in quibus regnabant constantissimi patroni nostræ gentis, Joachimus Major, & Georg. tam brevi tempore Lutheranismo occupandas? Qvis non

p. 449 fateatur, & superos iratos nobis, qui cogitet, Georgium utroqve filio orbo, superstitem, nihil non molitum esse, ut retineret ditionem suam in nostrâ fide: avertere tamen non potuisse, quin nódum elato eo, regnaret in ejus ditione Lutheranismus? Idem fati in Pomerania experti sumus, ubi patri, quo nemo magis noster erat, successit filius tam minimè noster. Reputes tu ipse jam sectæ hujus ab initio progressus, & frustrata nostra contra illam consilia, annon in utroq; sive fortunæ libidinem, sive numinis vim merito admireris;

Sed expendamus etiam, quid & velint & possint ii, qvos constantissimos & summe voluntarios status nostri defensores esse confidimus. Imperator & frater ejus Ferdinandus, ut damnent hi, & detestentur Lutheranos ex animo, quam multa vero putas illos probare in nobis? Deinde cum cognatos habeant tot in Lutheranis principes cumq; servatores patriæ qvàm vastatores audire malint, existimasne, ita accêdi posse eos ad perdendum Lutheranos, & ad excitandum bellum in Germaniâ tam dubium: & utcunq; cadat, propè exitiosum est, qvàm nos accensi sumus? Neq; illud parum ponderis apud illos habebit, qvod toties & per se, & in comitiis Imperialibus promiserunt & sanxerunt, dissidium hoc religionis non armis, sed piâ & gravi controversiarum omnium explicatione in nationali Synodo, vel Imperii conventu, siquidem generale Concilium haberi non possit, tollendum esse.

Nosti enim, ut Lutherani hasce promissiones & sanctiones urgeant, utq; pro nationali Synodo, aut tali conventu & actione, quales Imperator superiori anno ultrò illis per oratorem suum Francofurti pollicitus est, instent. Nec ignoras, quam paucis hæc eorum postulatio non æquissima videatur, qvantumq; illis apud omnes bonos & æqvos ea & fidei & favoris, nobis autem non minus odii & defectionis conciliet, langvereq, eorum cònatus faciat, qui etiã toto pectore pugnare pro nobis cupiunt. Haud parum enim referre boni Duces existimant, causam belli habere, quæ vulgo probetur.

Verum fac, hos Principes ad tollendum Lutheranos, nobis ipsis esse inflammatiores, adeo ut eos nec cognatus sanguis refuget, nec bonorum vel vulgi judicia moveant, nec vel propria promissa, vel Imperii decreta impediant: haud tamen facias eos tam stultos, ut nostra causa non sint probè consideraturi, quid sibi ex bello commodi vel incommodi evenire possit. Meministi, ut suaviter nos Itali, viri sanè acuti, sæpe riserint, cum audirent, nos existimare, Imperatorem Gallo Mediolanum redditurum esse. At si non reddit, qvâ qvæso compensatione illum fidum certumq; amicum retinebit? A Turcis autem audis, ut in Germaniâ & Italiâ laboratur: & non esse nationem hodiè, cujus vires contra Turcos, sint æqvè necessariæ, etiam exteri fatentur.

Sed ut ob nullam etiam difficultatem, nullum ob discrimen Principes nostri removeri se patiantur, quò minus extremâ contra Lutheranos moliantur, siquidem hi nolent se nostro imperio restituere, sitqve illis hic omnium laborum & periculorum unus finis, ut nos regnemus, & de

Anno

opibus Ecclesiarum deliciemur, soli mortalium, quamlibet flagitiose & sceleratè vivamus, omnium judicio & imperio exemti: id tamen juxta cogites, qvo animo, quâ voluntate futuri sint ii, quorum operâ Principes, in restituendis nobis, & delendis Lutheranis utentur.

Quæ (obsecro) tenet hos religio possidendi ditiones, opesqve Ecclesiæ? Quam sunt etiam multi, qvàm deniqve insatiabiles? nec sunt opes, in quas, si semel direptioni patuerint, pari furore non milites tamen invadant. Videntur enim per se publica esse, & indigne teneri à nobis, qvos otiosos & nullius frugi homines existimant? Hinc potes & illud conjicere, qvâ possint nostri propugnatores voluntate esse in bellum, ut internecioni dent Lutheranos qvaq; fiducia?

Hæc ego dum inter se cònfero, gratiam & fortunã nostrã, socios, amicos, & successum Lutheranorum, humanitatem & prudentiam Imperatoris, & regis dicam & militum, per quos bellum Lutheranis inferẽdum erit, Religionem, & tàm moderatam cupiditatem, fateor ingenuè, exhorresco toties, cum audio, & alios nostros homines expetere, ut bello reprimantur Lutherani, & quamlibet malim cum illis transactionem, quæ synodis & disputationibus perfici possit, quam armis tentare fortunam, nobis tot jam annis adeò apertè inimicam.

Quis jam Deus nos certos faciet, nunc tempus advenisse, in quo cursus factionis hujus consistet, ut repelli se patiatur? Quanquam enim Lutherani nos male amẽt tamen homines sunt, molemqve belli, si armis de religione decernendum sit, indubiè perpendunt. Nam vidimus, jam sæpe eos se continuisse, non solum à vi, verum etiam ab invadendis Ecclesiis, etiam cum maximas alioquin occasiones parsiq; qvod metuerent, haberent. Nosti, quæ tempora aliquoties extiterint, quam prona ipsis & ardua nobis. Tum majestatem & potentiam principum nostrorum, Imperatoris & Regis longè pluris faciunt, quàm plerique existiment. Cum deniqve eos Ecclesiasticos, qvorum planè potiebantur, ubi conditionem illi admiserunt, non prorsus inhumaniter habuerint, non ab re expectavimus, tantis adhuc & patronis & propriis opibus freti, transactionem multò nobis commodiorem.

Jam si sit unde vivamus, & forsan etiam unde cognatis nostris locum tandem retineamus: cur non hoc mallemus? Doctrinam si purgari patiamur, quam ipsi fatemur nimis multis anilibus fabulis contaminatam, quid inde ad nos redeat incommodi? Si quid de ceremoniis & missis decidere oporteat, imminuentur nobis onera. Si minuenda sit Romanensium potentia, minus expilabimur. Si adimatur nobis & repudiorum & pellicum licentia, unaqve conjuge quemlibet contentum esse oporteat, ut hoc forsan aliquid molesti habere videatur: spes tamen est, tum honestius nos habituros tolerabiliores, pellices cum non admittentur nobis, arcebuntur à nobis diræ pestes.

Anno

Itaqve dum illud apud me quoq; principium valere sino, ut sit justum, sit pium & honestum, quod ad conservandum nostrum statum, vitamqve molliter degendam, & opes huic vitæ necessarias & opportunas, & juxta omnia, quæ meritò nobis in hoc discrimine constitutis consideranda sunt, rationem ineam quam possum diligentem, aliud statuere non possum, quàm optãdum nobis esse, & pro virili quærendum, & pro nobis omnibus maturandum, ut qvam commodissima viâ & ratione cum Lutheranis de pacificatione religionis tractemus sive id nationali synodo, sive in Imperii conventu fieri præstat. Generalem enim Synodum & frustrà expectabimus, & parum etiam idonea adhuc rebus nostris pacificandis futura est. pag. 49

Hic clamores eorum hominum, qvi ex isto dissidio emerserunt, surdâ aure prætermittendas esse, censeo. Nam quo rustici illi, & stolidi, & impudentes homines ad tantas opes pervenerunt: id sperant sibi semper lucrosum fore: & si civili bello conflagrat tota Germania, exspectant illi Romæ magnam præclari hujus facinoris mercedem. Nobis autem alia ratio est, homines sumus, & patriæ pietas apud nos meritò valet, cognati, & affines nobis sunt, qvi Imperio Germanico ornamento & cõmodo fuerunt, qvos conservari & augeri, quo & post hæc patriam juvent & ornent, jure expetimus. Etsi Martis discrimen subire eos oporteat, optandum nobis, ut id contra Turcos, qvàm contra cives & necessarios faciant. Bona eorum pars jam cum Lutheranis facit, nec nulla factura est, si ad arma veniantur, qvos velle excindi qui possumus?

Hisce de causis, dum non quid jus & fas sit vel poscat, sed quid nobis maxime utile & ad hanc nostram tranquillam & jucundam vitam tuendam conducibile videatur, reputo: ego ut dixi, in ea sententia persto, non modo multo expetibilius esse, quamlibet concordiam cum Lutheranis inire, quàm bello nobis pacem ab illis qværere, sed illud solum expetibile & salutare, hoc modis omnibus detestandum nobis esse, & exitiosum fore.

Alterum autem, ut nunc res Germaniæ habent, necessarium esse, aut vel dissidium hoc religionis conventu aliquo & commodâ collocutione componamus, vel brevi periculosissimo bello confligemur, arbitror te videre. Ita enim nimio nostri vel sui ipsorum potius studio, qui judicium Cameræ

Anno

mera moderantur, omnia exacerbarunt, tamq; multas causas, qvas Lutherani nunqvam concessuri videntur, judicandas susceperunt, indeq; plerosq; nostri ordinis homines reddiderunt inflammatos & audaces contra Lutheranos, ut nisi aliqua vera & solida pacificatio inter nos & illos constituatur, non videam, quomodo apertum bellum differri ampliùs qveat.

Neqve enim retractare sententias primi judicii licebit: & non exequi eas, dissolvet cunctam in Imperio juris societatem. Et nolent etiam forsan Lutherani in istis periculis diutius versari. Postulabunt, ut vel plane inter cives imperii, vel hostes numerentur.

Dum enim perstat edictum Vormaciense, & valent, quæ contra illos decreta sunt Augustæ, ut pro inobedientibus, pro hæreticis & schismaticis habeantur, & condemnentur, sentiunt, se re ipsa haberi pro hostibus Imperii, & incertas duntaxat eis concedi inducias, certò finiendas, dum eas nos armis opprimere confisi fuerimus: in hac belli expectatione haud quieturos esse verisimile est. Premuntur etiam gravibus & tam diuturnis sumtibus, quos interim facere coguntur, dum nolunt imparatos se nobis objicere. Monentur & illo indubie non parum, quod conventus illis ad liberè dicendâ causam, & quærendas rationes reformandæ & tranquillandæ Ecclesiæ, toties promissus est, & nec hodie præstatur.

Hæc me in eam adducunt sententiam, ut certum bellum expectem, & inde indubitatum Germaniæ interitum, si non vel nunc, vel admodum citò conventus nostrorum statuum indicatur, & per homines idoneos, via justa & legitima, tollendi dissidium hoc religionis inter nos, quæratur, & à Principibus nobisq; omnibus ineatur statim. Proinde dum nos ipsos respicio, dum optatam istam nobis qvietem retineri cupio, valde perturbor, dum audio te & alios prudentes homines transactionem cum Lutheranis tantopere abhorrere. Hactenus disputavi, quid in hoc, ocio & rebus nostris conducat.

Nunc disputemus etiam de jure & honesto. Primum, quod tu scribis, Deiparam virginem, quæ sola cunctas hæreses interimit, adfore imperatori & regi, ne oblivíscantur, qvid jurârint Pontifici Romano. Injuriam qvoqve sanctissimis Synodis fieri, si ritè in illis constituta iterum pertrahi in disputationem permittantur. Deniqve canonibus sancitum esse, ut sine Pontificis consensu nulla prorsus concilia, nec nationalia habeantur. Papæ jurati & Principes & nos sumus, sed ut vicario Christi, ut successori Petri, in salutẽ, non in perniciem Ecclesiæ, ad puritatem & integritatẽ religionis ejusmodi sunt, ut abjurari non possint.

Anno

Quis autem dubitet, Ecclesiæ Dei per Germanias, imò & totam Europam sparsæ, salutare esse, ut de verâ ejus reformatione tandem ipsi nos Germani consilium ineamus: dum frustra opem vel ab ipso Pontifice, vel à generali concilio exspectamus? equidem hoc ita necessarium etiam judico, ut, nisi maturè adhibeatur, haud quaquam vel Ecclesiam vel nationem nostram salvâ consistere posse, existimem.

Proinde nulla religio juris jurandi vel Imperatorem & Regem, vel alios avertere poterit, quo minus quamprimum, etiamsi Papa non per omnia probet, concilium nationis hujus indicant, in eoqve vetere illa & sancta ratione, excuti & explicari controversias, & verum reddi Ecclesiis, cum instauratione legitima & administratione totiùs doctrinæ & ceremoniarũ, curent & efficiant: imitati eo exempla verè religiosorum Principum, quotquot ab Cõstantino primo, usqve ad Henricum IIII. fuêre, quos omnes legimus sua authoritate cum nationalia, tum generalia concilia indixisse, eisqve vel per se vel per suos præsedisse, omnemqve operam navasse, ut per Episcopos aliosqve viros pios & doctos, doctrina & disciplina Ecclesiæ, cum illa viciata essent, repurgarentur, suumq; in locum restituerentur. pag. 451.

Neq; enim per Episcopos tantum, multo minus per quoslibet Episcopos, sed per eos vel Episcopos vel alios viros, qui sacrâ eruditione atque religionis zelo præstabant, explicari & definire ac statui in conciliis omnia procurabant. Istuc vero officii quod superiores principes Ecclesiæ præstiterunt, tam abest, ut quispiam vel Romanorum, vel aliorum Episcoporum, judicârit potestati Ecclesiasticæ adversarium: ut Pontifices ipsi hoc ipsum officium à principib. enixè sæpenumero rogârint, magnisqve laudibus eos principes, à qvibus illud impetrârunt, prosecuti sint.

Si itaq; Imperator & Rex, primi Ecclesiarum advocati, parem opem Ecclesiis ferant, & tale Concilium piorum & doctorum hominum cogant, qvod medendis malis Ecclesiarum idoneum sit, eiq; qvo valeat, præsint: facient, qvod non solum cum officio, sed cum juramento suo Ecclesiis debent. Statum qvoq; & dignitatem sive Romani, sive aliorum præsulum fulcient atq; ornabunt, non infirmabunt aut dedecorabunt.

Ista, mi domine Decane, ita habere, ipse judicares indubiè (novi enim aciem ingenii tui) si quod subinde à te contendo, tam freqvens & assiduus esses in legendis libris sanctissimorum Episcoporum, Cypriani, Eusebii, Ambrosii, Basilii, Chrysostomi, Leonis, & Gregorii, quàm es in libris Vicelii, Eccii, Pelargi, & hujus fermenti scriptorum. Condonabis amicitiæ nostræ

hanc

Anno

hanc meam libertatem; tibi pridem satis notam.

Sed non Pontificiæ tantum potestati, verumetiam sanctissimarum synodorum authoritati detractum arbitraris, si detur Lutheranis locus de religione palàm disputandi. At adducis dictum Imperatoris: videndum autem est, optime vir, quo sensu Imperator hoc dictum legi suæ inseruerit: non enim ignoras, vetare hic Imperatorem coadunatis disputare adversus ea, quæ veris Synodis probè judicata & rectè disposita sunt. Jam Lutherani nec in turbis, sed coram gravissimis & religiosis Principibus in consessu virorum pietate & eruditione (sententia omnium) præstantium, nec contra veterum & verè sanctarum Synodorum vel pia decreta, vel salubriter statuta, sed de probis, ut ea rursus & cognoscantur & recipiantur, disputare, & sententias atq; rationes conferre, ad divinamqve regulam scripturarum, priscorumq; canonum omnium exigere cupiunt.

Meministi qvoq;, cum proxima hyeme evolveremus acta Conciliorum, qvàm parum invenerimus, qvo ea, pro quibus cum Lutheranis dimicamus, defendere tueriq; possimus, qvam innumera autem, quibus nostra prope omnia severissime damnantur & Ecclesiis arceantur.

Dogmata fidei si consideres, nullum est Symbolorum à priscis illis synodis concinnatum, qvod Lutherani non nobiscum cõfiteantur. Quæ verò docent de gratia, fide, & meritis, añon clarè legebas expressa in actis Concilii Aphricani, cui Augustinus qvoqve interfuit. Nam Lutheranum fuisse concilium, tum exclamabas.

At qvæ de sacramentorum, aliarumqve ceremoniarum administratione sancita in conciliis sunt, ita pro Lutheranis, & contra nos facere, ipse agnovisti, ut non posses satis eorum Theologorum detestari impudentiam & audaciam, qui clamitant, Lutheranos ritus & ceremonias à sanctissimis conciliis constitutas, & à patribus atqve Ecclesiis per multa secula observatas dissolvere & abolere. Ajebas enim (& recte qvidem) efficere istos suis hujusmodi clamoribus, quod capra, qvæ gladium reperit, qvo mactaretur. Nam Lutheranos illis clamoribꝰ impelli, ut veteres canones ac scripta S. Patrum diligentius qvàm antea legant, inq; lucem proferant, itaq; nos eo ipso gladio iugulent, qvem nos eis ostendimus, imo ad qvem accipiendum & stringendum compellimus.

Ita qvid in Missis nostris, omniq; divinæ Eucharistiæ administratione Lutherani hodie damnant, qvod non & canonibus, Patrumqve cum scriptis tum observatione reprobum esse convincatur? Nam ita sancitum, ita traditum & observatum esse à divis patribus, ex tibi nunc lectis concilio rum actis, & pauculis locis ex historia Ecclesiastica & Patribus constat, Missas non nisi populo, & uni unas, eiq; non promiscuo sed sancto exhibendas esse.

Cum Catechumenis enim & Energumenis non vitiosi solum, sed ii quoqve sacro cœtu ejiciebantur, cum peragenda sacra mysteria essent, qui à peccatis ad pœnitentiam sese jam receperant, sed tamen nondum erant recõciliati pœnitentia perfecta. Sacramenta ambo, nõn minus sangvinis Christi quàm corporis, eaq; plebi dispensanda, atq; sacerdotib. sumenda.

Tum sacras lectiones, hymnos & preces, eoqve modo populo administrandas, ut instructiores inde pietate respondeant. Amen.

Sed extrahor in hæc longius, quam Epistolæ huic conveniat. Nec qui, quæ docuerunt, & observarunt de sacris ceremoniis sancti Patres, cognovit, negare potest, cum illis nostra propè ex diametro pugnare. Si jam inspicias, qvæ de electionibus & ordinationibus, atqve de vita & disciplinâ Clericorum quorumlibet ordinum, constituta sunt, videbis, vix è mille nostrorum hominem unum esse, qui suum in Ecclesia locum obtinere qveat, si valere veteres veri probatiqve canones debent.

Quæ de cœlibatu constituta sunt, & pœnitentiæ severitate, faciunt qvidem egregiè contra Lutheranos, at nobis simul nullum prorsus in Ecclesia locum relinqvunt. Nam qui ullam apud se mulierem habeat, præter matrem & sororem, eum canones in mysterio non ferunt. Fornicationis vero probabiliter suspectos, omni communione Ecclesiæ privant, ita nec eos, qvi ludũt alea quive venantur, in ordine clericorum tolerant, eamq; vitæ disciplinam præterea requirunt, qvam si nos præstare oporteat, qvotus qvisq; nostrûm existimaret se vivere? Hæc ita habere cognovisti, eoqve malè precari soles fratri illi, qui visus sibi, Lutheranis rem valde molestam facere, Acta conciliorum congesta nuper evulgavit. pag. 4

Si itaqve, amiciss. vir, petentibus Lutheranis, ut de iis qvæstionib. quæ inter nos cõtravertuntur, audiantur, objiciamus, injuriam fieri S. Synodis, si in disputationem revocentur, qvæ in conciliis bene constituta sunt: non putas responsuros esse, se nolle de eo disputare, ut quæ à Synodis sanctè sunt decreta, rescindantur, aut quæ utiliter in Ecclesiis instituta, refigantur, sed potius ubi hæc à nostris hominibus rescissa & refixa sunt, revocentur & restituantur, tum etjam orbi ostensuros, qvàm nihil ex omnib. Canonum sanctionibus nos observemus; imo quàm pugnent cum illis nostra prope omnia. Id quantam nobis etiam apud malos & seditiosos homines invidiam moturum sit, tua prudentia facile existimabit.

Nam

Anno

Nam sic nati homines sunt, ut sæpenumero hoc molestiores sint exactores justitiæ alienæ, quo minus præstãt propriæ. Istas itaqve veteres excusationes, nisi ipsi rationibus nostris obesse volumus, missas facere oportet. Quod enim priscis canonibus, qvod legibus piorum principum, de rebus & hominibus Ecclesiasticis constitutum est, nunc multo pluribus, qvàm antehac cognoscitur, nostræq; authoritatis religio longe etiam, quàm unqvam antea, facta est imminutior: omnium qvoq; mentes ad veritatem, ad religionem sinceram multò, quam erant, erectiores sunt. Unde satis non erit, nos aliqvid affirmare, vel negare: necesse propterea est, ut ita se habere, quæ affirmamus vel negamus, certis argumentis comprobemus.

Proinde nec vel illud, qvod ex Gratiano vel conficto quopiam Gregorio attulisti, ad rejiciendam Lutheranorum de Concilio Nationali postulationem, quicquam valebit, multis Apostolicis, canonicis, & Ecclesiasticis Regulis nos instrui, non debere concilia celebrari absq; sententia Romani Pontificis. Generalia quidem concilia, si Roma veros adhuc Pontifices haberet, celebrari non debent, illis præteritis eo quod inter Patriarchas primi esse debeant: sed ut nationalia vel provincialia celebrarentur, sententia Romani Pontificis, cum Apostolicæ adhuc & Ecclesiasticæ regulæ valebant, nunqvam requirebatur. Nam canones in singulis provinciis, & totius cujusqve nationis, toties celebrari synodos præcipiunt, qvoties id è re Ecclesiarum esse possit, & nullam sedem canonibus Romana magis subjectam esse, & servandis illis amplius studere convenit.

Sed fac constitutum esse, nec nationalia concilia, sine Romani Pontificis sententia cogi debere: quanquam donec de generalibus qvidem ita simpliciter verum est: quid tamen valere hoc ipsum debeat, si constet, Pontificem in fraudem Ecclesiarum velle nationalem synodum amittere? Nemini enim quicqvam potestatis esse potest ad incommodandum Ecclesiis. Omnia sunt Ecclesiæ, ipse quoqve Cephas, Apollo, Paulus, & universus orbis: quare salus Ecclesiæ omnibus & rebus & hominibus præferenda est: nec potest ea Pontifici, aut ulli creaturæ potestas esse, ut celebrare synodum prohibeat, cum id salus Ecclesiæ reqvirit.

Nunc autem res Ecclesiarum tam miserè habent, ut nunquam antehac habuerint miserius. Pontifex Adrianus Norimbergæ per nuncium suum ingenuè confessus est, à planta pedis usqve ad verticem, nihil esse sani in toto corpore ordinis Ecclesiastici. Atq; nemo nocet in Ecclesia Dei amplius, qvàm qvi perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Quare si unquam necessitas fuit, Synodo in Domino coacta restitutionem quærere sacri ministerii: nunc profecto summa est. Et nihil, quàm certum Ecclesiæ exitium moliri eum, necesse est, qui conetur hoc tam necessarium Synodi remedium Ecclesiis avertere.

Pontifex itaqve aut volet lupum se, aut Pastorem præstare: si pastorem: maximè gratum ei erit, ut convenientes juxta leges Domini & Patrum sanctiones, Ecclesiis nostris omnia restituamus. Si lupus: non est audiendus ab ovibus Christi. Nosti autē tu melius qvã ego, qvã nihil quamlibet immanium flagitiorum & scelerum Romæ non planè regnet, quare si intercedat Pontifex, ne Germani ipsi Ecclesiarum nostrarum reformationem moliantur, nemo dubitaverit, duntaxat bonorum, eum id ideo facere, quod mavult, regnum Christi apud nos penitus aboleri, qvàm aliquid suæ tyrannidi decedere.

Si itaqve non ultro libeat perire, dabimus nos Germani operam, quicquid Pontifex Romanus sibi sumat, quicquid etiam alii ignoratione juris Ecclesiastici ei tribuant, ut quàm primum concilio nationis nostræ libero & sancto, quæ sit pura certaqve Christi doctrina & administrandi Ecclesias optima ratio, inquiramus, eamq; toto pectore amplectamur, repudiatis & correctis, quæcunq; his adversa in Ecclesiam irrepserunt.

Nec magis nobis patrocinatur & illud qvanqvam verum sit, quod omnium interfit, non debere mutari aut constitui à paucis. Nec enim mutari recte constituta, aut aliqvid constitui, qvod non ante Spiritus sanctus constituerit, Lutherani postulant, licere modo sibi petunt, amplecti rursus, & restituere, qvæ sunt à Domino præcepta omnibus, & sine quo salutem consequi nemo potest. Quod autem sic omnium interest, id qvivis pro se amplecti atque restituere debet, etiam, si totus orbis repugnet: tam abest, ut id non liceat toti nationi, Christi sumus singuli, & hujus est totus orbis. pag. 453

Nulla itaqve probabilis ratio inveniri poterit, qvâ synodum nationalem, post toties repetita, atqve tantis authoritatibus sancita, Lutheranis postulantibus, negemus, neqve ullam etiam graviorem de cõtroversiis religionis collocutionem. Nostrûm enim est, quacunqve omninò ratione liceat, & errantes alios in explicatione veritatis in viam reducere, & nostræ qvoqve doctrinæ, & vitæ rationem cuivis poscenti libenter reddere. Id qvod inde ab Apostolis usqve in Ecclesia prope per annos mille observatum est.

Cum ergò pax nobis, nisi de religione conveniat, constare haud possit, & bello decernere tam sit dubium & periculosum

ego

Anno

ego certè valde optarim, ut cogi synodum nationalem, vel alium huic negocio idoneum conventum, ipsi curemus, & vias veræ consensionis studiose quæramus.

De concilio universali, ut scribis, Pontifex seriò non cogitat, sed si offert illud, extrahere tempus molitur. Verum quod tu hoc prudentiæ adscribis, & putas, obesse statui nostro, si concilia celebrentur, & monarchis iniicmos esse subditorum cœtus: & in his qvam diversa sit nostra sententia, pridem nosti. Nam ut ostendi & alias sæpe, & hac iterum epistola, sic res nostræ habent, eò turpitudinis & publici odii prolapsi sumus, ut nec per Deum, nec per homines posfimus statum nostrum, reformatione ejus repudiatâ, conservare. At si legitimam sacri ministerii restitutionem admiserimus, conditionem nostram & constabiliemus & commodam reddemus.

Quantumvis enim Lutheranorum, vel Lutherizantium apud Reges & Principes existat, & quamlibet infesti sint nobis Laici: tamen si veritati, si æquitati, si religioni muneris nostri nos sinceriter accommodemus, facilè à nobis omnem injuriam, statusvè nostri violationem abarcebimus. Vincet enim veritas, nec poterit justitiæ atq; pietati prævalere iniqvitas & superstitio.

Sed nec tibi illud largiri possumus, monarchiæ contrariū esse, subditis concedere ut concilia habeant. Tyrannidis enim, non monarchiæ est, cœtus subditorum prohibere. Princeps, quamlibet uni rerum summa sit credita, & monarcha habeatur, si verè princeps sit, non Tyrannus, qvemadmodum studet imperare liberis, & Rempublicam ex sententia civium suorum administrare, ita etiam ipse cives suos in consilium libenter adhibet, ac qvo certius omnium sententias, & voluntates pernoscat comitia illis non permittit modò, sed etiam ultrò indicit.

Ut ergo id nobis detur, Pontificem sub Christo, qvasi quendam Ecclesiarum monarcham esse, quod S. Patrum nemo unqvam admisisset: tamen quia imperiū ejus in liberos Christianos est, & hi singuli membra Christi sunt, & unusqvisqve suum donum proprium habet, exemplo Apostolorum, & veterum probatorum Episcoporum, quicunqve volet se Episcopum verum & Apostolicum præstare: is, qvoties gravior aliqua causa Ecclesiis inciderit, concilia cogi etiam à principibus, flagitabit, non permittet tantum.

Eoqve cum Ecclesiarum administratio, in omnibus nationibus, quæ Christiano nomini in Europâ reliqvæ sunt, tàm horrendè conciderit, oportebat certè Pontificem pridem nihil prius curare, & urgere, quàm ut capita nationum religionumqve, periti & studiosi viri undiq; evocati convenirent, & de instaurandis Ecclesiis comitiis maximis qvàm gravissimis deliberarent. Ea res nec fatigaret alios, nec suæ dignitati detraheret qvicqvam, sed locum potius aliis daret, operam suam Christo & Ecclesiæ ejus navandi, qvo Christianis nihil potest obvenire gratius, & ipse se hoc verius attolleret, quo magis se ad consulendū Ecclesiis demitteret.

Nec consistere illud nuperum inventum potest, Papam supra concilium esse, & facultatem habere, decreta conciliorum rescindendi. Petrus, Apollo, Paulus, ac mundus totus Ecclesiæ sunt: Ecclesia vero Christi est, non Petri, aut ullius creaturæ. Ministros Ecclesiarum se prædicaverunt Apostoli, atq; minister non supra eum est, cui ministrat. Hinc prisci pontifices se ipsi conciliorum judiciis ultro subjecerunt, tamq; alienum à suo munere judicarunt, conciliorum decreta rescindere, & sacros canones vel ipsos transgredi, vel aliis id permittere, ut illud ipsum esse blasphemiā in Spiritum sanctum statuerint.

Nosti illud Zozimi, contra statuta Patrum concedere aliqvid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritas. Et legi illi Christi, si peccaverit in te frater tuus, &c. ipse qvoq; Pontifex subjectus est, qvod & Canonistæ tui fatentur.

Hæc omnia ita habere ipse fateberis, si voles legere monumenta sanctissimorum Patrum, & rem ipsam fideliter considerare & judicare, ad qvod te sæpe hortatus sum, & iterum atqve iterum hortor. Id enim si feceris: scio, & nobis Germanis celebrandam esse qvàm primum nationalem synodum, etiamsi Romanus Pontifex, & totus reliqvus mundus repugnet, fateberis, & agnosces, nihil adeo esse in officio Pontificis Romani, quàm ut summo studio procuret, & Provinciales & Nationales Synodos & generales haberi, seqve & suos in illis in ordinem Christi redigi, vitia à sacratissimo ministerio tàm multa, & gravissima tolli, & cuncta in Ecclesiis ad regulam Christi restitui.

Nolo igitur nunc quicquam adjicere (tabellarius enim instat) quàm optare me, ut talem tandem statum nobis qværamus, qui veritate & æquitate nitatur. Certe hunc, quem tu convelli dicis Conciliis, sic divina & humana vi commotus est, ut nisi alia eam, quam tu scribis, ratione confirmemus, valde verendum est, ut brevi ruina non status futurus sit. Omnino enim, mi amicissime Decane, Deus est, Christus est, & omnium potestatem solus habet, quicquid hujus nostri homines credant, hic nos urget vi planè cœlesti, utcunqve pauci id sentiamus.

Demus itaq; tandem locum huic, cui necesse est cedant cœlum & terra tanto torrenti veritatis, qui pridem tàm violenter in nos pagin.

nos illabitur, ne objiciamus nos. Nam obsistere ei haud poterimus. Agnoscamus potius tempus visitationis nostræ, & tot modis quærenti eripere nos extremis malis Domino, ne pergamus repugnare. Erit nihilominus & unde vivamus, & unde commiter, & suaviter vivamus. Sed de his etjam antehac ostendi sæpè plus quàm satis. Et spero, de eis vel nunc te diligenter cogitaturum, cujus tibi existunt tam multæ caussæ. Oro autem, ut has literas Domino D.N. Secretario nostro, & duobus reliquis tuis contubernalibus cõmunices. Vale, & boni omnia consule, nosti meam libertatẽ, nec ignoras Cantorem. Datum apud Nemetes, D. Bonifacii, An. 1540.

Joannes N. tuus Collega, & Amicus verus.

Christianus Massæus Cameracensis Flander, Hieronymita in chronico mundi.

ANNO Domini 1322. Ioãnes Papa Decretalem edidit in Fratricellos, qvorum caput erat magister Michael de Cesena, minister ordinis Minorum generalis. Hic dogmatizabat, Christum & Apostolos adeo fuisse pauperes, ut nihil habeernt suum, nec in particulari, nec in communi, Romanorum Imperatorem non esse subjectum Pontifici, nisi tantum in Spiritualibus, & neminem posse salvari, qui aliter crederet. Credidit Ludovicus Bavarus, & ex ipsis qvendam Petrum de Corbaria creavit Romæ Pontificem, indito nomine Nicolai quinti, qui mox Bavarum in Cæsarem consecravit & unxit. Multos etiam suæ gẽtis Episcopos ordinavit. Quæ cum rescisset Ioãnes, & Michaelem & Bavarũ, & reliqvos omnes cõmmunione Ecclesiæ interdixit, ac misit exercitum in Fratricellos, qvorum multi damnati & exusti fuerunt.

Petrus captivus Papæ sistitur, fatetur culpam, remittitur ei, sed arctæ custodiæ mancipatur. Qui vero effugere potuerunt, in Græciam abiisse memorantur. Bavarus interim Concilium coegit. Ioannes Iandunus & Marsilius Patavinus, natione Lombardi, studentes Parisiis, Bavarum adeunt, manus ejus confortant, & non esse subjectum Pontifici confirmant. Michael etiam apud Perusium generale capitulum celebrat, & contra Pontificem cum Bavaro ad futurum generale concilium appellant. Pontifex autem tàm appellantes qvàm fautores eorum condemnat.

Joannes hic errores aliqvot docuit, præsertim, animas corpore exutas Deum non videre ante extremum diem, sic enim pater ejus docuerat, seductus visionibus Tundali cujusdam Hyberni. Imp. & PP. U.S.

Idem. Anno Domini 1307. jussu Philippi Regis Francorum, & Clementis Pontificis, decimo tertio die mensis Octobris, subito capti sunt Templarii, qvotqvot in regno inveniri potuerunt: qvod dicerentur ad paganismum defecisse: qvorum multi combusti fuerunt propter corũ divitias.

Idem. Synodi præsides Constantiensis decretum ediderunt, qvo declarabatur, generale Concilium legitimè congregatum esse suprà Papam, & habere potestatem à CHRISTO, qui caput est Ecclesiæ, qvamvis ad illum usqve diem, Papistæ Monarchiæ vindices ausi fuissent contendere, Papam esse legitimum Christi vicarium, & Ecclesiæ monarcham.

Idem. Cœlestinus qvintus cum Romanam Ecclesiam strictè reformare vellet: ut scilicet non equis, non mulis, sed asinis exemplo CHRISTI veherentur, & bono exemplo clerus aliis præluceret: nihil adeo effecit, ut etiam omnium indignationem & odium incurrerit, & fatuum ac delirum ipsum vocitaverint omnes, ac facto foramine in cubiculo Papæ, per fistulam multis noctibus insonârint, ac si Andelus de cœlo esset, Cœlestine, Cœlestine, desine, negociũ enim supra vires est, immo cedendo consule potius saluti tuæ.

Idem. Anno 435. dæmonem Moysis personam induisse, ait, obversatumqve ante oculos Iudæorum, qui tum vivebant, ac pollicitum, se suo pede eos in terram promissionis esse reducturum, stantibus utrinqve aqvis, ut olim in mari in murorum speciem, multosqve istis præstigiis temerè assensos ac pelagus ingressos, marinis fluctibus fuisse obrutos.

Idem, bis mille & ducentos Monachos Brytannicos crudelissimè interfectos, scribit, qvod dum pro suo populo fideliter orarent, nollent parere Romanæ curiæ.

Idem concludit historiam suam his verbis: Christus Salvator principum animis inspiret, ut Ecclesiam Dei reforment, & errantes in gremium matris, hoc est, primam Apostolicam Ecclesiam reducant. Cui sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Ludovicus Archiepiscopus Magdeburgensis, Anno 1383. oppido Calva oriundus, choream ducens ad medium noctis, subito cecidit mortuus, cum ea, quam tenebat, fœmina, manu: ut supra qvoqve enarravimus. Pag. 455

Idem. Bonifacius 8. Anno 1301. scripsit Philippo Franco, se esse dominum omnium tàm temporalium, quàm spiritualium per orbem terrarum: Conseqventer ergo & Regnum Franciæ à se debere suscipi: quo, quia Rex id non fecerat, meruisset privari. Rex autem cõtemtis legatis, literas ipsorum igni publico tradidit: vias regni præclusit, ne quis posset Romam accedere, concilioqve Parisiis vocato, Pontificẽ

 ipsum

Anno ipsum schismaticum, hæreticum, sedis invasorem nominavit, adq; generale concilium adversus eum appellavit.

Idem. Benedictus vendidit Papatum, vel potius permisit Gregorio, nam vendere malè sonat. Sed Benedictus post mortem cuidam apparuit, capite & cauda asini, reliqua similis urso, dicens: ut bestia vixi, ut bestia merito condemnatus sum.

Idem. Anno 1299. Robertus Canonicus Sosatensis, Germaniæ oppido, qvem Iudæi ad se converterant, mortuus est. Cumque per pontem qvendam portaretur ad sepulturam, subitò cadaver accensum adeo terribiliter arsit, ut portatores cogerentur ipsum in flumen projicere, sed neqve in aqvis extingui potuit, qvoadusq; totum in favillam redactum est. De hoc etiam suprà.

Idem. Anno Domini 1210. in Narbonensi diœcesi 140. hæretici comburi maluerunt, quàm sequi fidem Ecclesiæ Romanæ. Parisiis qvoqve 14. ejusdem obstinationis. Septem millia qvoqve Biturigibus sunt occisi. Anno Domini 1211. in castro Vari Tolosanæ diœcesis 400. hæreticos flammis tradiderunt, 80. decollaverunt, principem Almericum suspenderunt, & dominam castri lapidibus obruerunt. Anno Domini 1213. Petrum Arragonum regem cum 20. millibus sumtâ Eucharistiâ straverunt, qvi volebant ab Ecclesia auferre temporalia.

Idem. Paschalis secundus Papa excommunicationem in Henricum qvartum, piissimum Principem, in Synodo Romana renovabat ac promulgabat. Imo in tantum sæviit hujus immanissimi tyranni in illum rabies, ut & ejus filium Henricum qvintum in arma contra patrem excitaret. Nec ita conqvievit horribilis Papæ hujus odium, qvin in mortuum cadaver rabide sævierit, exhumari per literas jusserit, extra Ecclesiam projici: à Leodio ad Spiram transferri, & qvinqvennio carere christianâ sepulturâ.

Sed attende qvid interim fecerit Deus. Sangvis (teste Urspergense) ex panibus fluxit Spiræ, in signum Pontificiæ tyrannidis. Guardastalli anno Domini 1106. conventum Principum & Episcoporum habuit, cum qvibus egit de rebus fidei, ad culinam pertinentibus, utpote de homagiis, feudis & Episcoporum sacramentis, Laicis prius exhibitis. Raveñatem quoq; Archiepiscopum terris suis spoliavit, sibiipsi eas adjiciens. Cum vero recusaret Episcopos confirmare ab Henrico quinto constitutos, ab eodem Imperatore post pedum oscula capitur, & in carcerem truditur, nec inde educitur, donec omnes confirmaret: investiendi jus, Carolo Magno datum, diplomate restitueret, atqve ipsum Imperatorem confirmaret.

Henricus namqve Romam ingressus 11. Februarii, Indict. 4. anno sexto regni sui, coronam petiit à Pontifice, vicissim petiit ab Henrico Pontifex, ut secundum promissiones antea factas investituras Ecclesiarum renunciaret. Illicò secessit Henricus seorsum qvasi deliberaturus. Post tres circiter horas misit Pontifex, ut responderet: ille non Episcopos, sed milites remisit dicentes: reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Intellexit fraudem Pontifex, & postera die apud sanctum Petrum missa celebratâ in cathedra se continuit.

Et ecce, milites tàm ipsum qvàm totum clerum invaserunt, & abduxerunt, exueruntq; vestibus adeo nudos, ut nec femoralia reliqverint eis, exceptis cardinalibus & Episcopis. Ita spoliatos ad montem Soractim custodiæ manciparunt. Rogatus interea Pontifex, ut Henrico consentiret, respondit: mori possum, cõsentire non possum. Tandem lachrymis eorum, qvi per gyrum vastabantur, emollitus, consensit, Henricum in festo Paschæ coronavit, & compositis dissidiis Imp. renovavit Privilegium de Prælatorum investituris, & coram tota Ecclesia pronunciavit omnes anathematis reos, qvotqvot datum privilegium irritum duxerint. Cantatumq; est deinde, Gloria in excelsis Deo: qvod pax esset inter Cæsarem & Papam confirmata. Sed eo Italia in Germaniam regresso, singula & omnia qvæ promiserat, convocato ad Lateranum concilio: rescidit & revocavit: asserens, se non sponte, sed coactè in Cæsaris venisse sententiam. Privilegium inde damnatur, Cæsarq; excommunicatur, & mirabiles tragœdiæ fiunt, qvæ per omnia regna mox publicabantur.

Idem. An. Domini 562. mons magnus in Galliis, Rhodano imminens, diu terribilem mugitum dedit, tandem discissus, in ipsum flumen cum jumentis, hominibus, & Ecclesiis irruit. Mugitus iste Romani Papatus ortum jam propinqvum prænunciat, seu futuram à Christo defectionem, ut Paulus exprimit, & adventũ filii perditi in omni deceptione ac fallacia, secundum operationem Sathanæ, 2. Thessal. 2.

Nam & circa An. Domini 568. Ioannes Iejunator, Patriarcha Constantinopolitanus, & hypocrita mirificus, cum Pelagio primo Rom. Pontifice, super Ecclesiarum primatu contendit, qui tandem in Græcorum synodo, pro Universali patriarchâ, Imperatore Mauritio cõsentiente, proclamatus fuit. Cujus Pelagii verba ad õnes Episcopos, contra illum citantur 99. dist. Nullus (inquit) Patriarcharum universitatis vocabulo unquam utatur. Quia si unus Patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit à fidelibus, hoc sibi velle qvempiã arripere,

arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulaqve parte videatur, &c.

Et dist. 28. dicit idem Pontifex, cœlibatum Sacerdotum & Episcoporum præcipuè esse ideò institutum, ne Ecclesiastica bona in uxores & liberos eorum dissipa-rentur. Cur ergo maledicti Papistæ conjugium eorum, tanquam impium & impurum damnant?

Idem. Anno 1493. circa festum Cathedræ (terribile dictu) cœperunt dæmones habitare & possidere monasterium dominarum Quercetensium, quas annis quatuor & mensibus totidem miserabiliter vexaverunt. Vidisses eas crebrò velut canes per agros discurrere: instar avium volare per aera: sicut feles in arbores repere: pendere de ramis: variarum animantium effingere voces, secreta prodere, de futuris eventibus prophetare. Deniqve quoties dominus Henricus Cameracensis Episcopus, aut dominus Egidius Nettelet, Decanus ejusdem Ecclesiæ, viri virtutum, ad exorcismum earum accederent, en (inqviunt) cornutus ille nunc in viâ est, ut nobis comminetur, venit.

Post multa remedia undecunq; collata, earum nomina delata Romam ab Alexandro sexto lecta fuerunt in Cœnâ Domini sub divino sacrificio: sed nihil profuit. Ioanna Potiere, quæ malorum dicitur dedisse principium, à nono ætatis año ludere cum diabolo cœpit: qui accusabat eam in monasterio 434. vicibus indignè communicasse. Sed ille quia mendax est, non stamus verbis illius. Ipsa Cameracum adducta quadragenaria major, Anno tempestatis illius primo in carcere periit circa festum Martini. Cæteræ post Años qvatuor mense Iunio liberatæ sunt.

Massæus, & Aristæus Græcus de mirabilibus orbis.

Scripsit librum hoc titulo Aristæus Græcus, & alium qvoqve de 72. interpretibus, de quibus Massæus seqventia. Missa faciam, inquit, plurima, quæ apud eos vel intelligi neqveunt, vel sensum ridiculum præferunt. In historia S. Iob paulo minus octingentos versus omiserunt. In Hester plurimos addiderunt. In Esdrâ veris Apocrypha miscuerunt. In Daniele sic omnia confuderunt, ut præter syllabas legat nemo in cantum, ut ante annos fermè trecentos, qvàm S. Hieronymus transferret, in Ecclesiis non legeretur.

Quæ cum ita se habeant, dolenda satis nescio qvorum perversitas, qui mentiri ausi sunt, 70. interpretes singulos singulis inclusos cellulis, singulas editiones fecisse ita consonas, ut ne in verbo quidem discreparent: idqve Ptolomæum fieri voluisse, ut fidem interpretum explora-ret, cum manifestissimè scribat ipse, qui præsens erat, Aristæus & longo post tempore Iosephus, in unâ Basilica eos transtulisse, non prophetâsse. Unde rectè miratur S. Hieronymus, quis primus fuerit tantæ præsumtionis, qui 70. cellulas Alexandriæ mendacio suo construxerit.

Etenim absqve ullo certo authore, imò contrà certam authoritatem Aristæi hic error divulgatus est. Qvod autem dicunt, sanctum Iustinum vidisse cellulas, nihil pro se facit. Quis enim nesciat, unumqvemqve suam habuisse cellulam, ad commodum & quietem suam. Unde manè prodibant ad salutandum Regem. Deinde ad præfatam Basilicam conveniebant, & contulerunt simul, quid & qvomodo transferrent.

Qvod verò fingunt magnum miraculum ut tot viri diversis locis tam consonè scriberent, ut ne in uno verbo quidem discreparent, non parvam injuriam Spiritui sancto faciunt, ipsum erroris arguentes, ut qvę semel in Prophetis locutus est, in septuaginta retractaverit. Quod autem Apostoli, nonunquam eorum testimonia ponunt, movere non debet. Nam plura testimonia poëtarum quàm 70. interpretum ponit Apostolus Paulus, non tamen eos inter sanctos habuit Prophetas.

Idem. Anno 1515. Franciscus Dux Valesius Rex Gallorum apud Bononiam cum Leone decimo amicitias copulavit & accepit ab eo Iubilæum divulgandum per Gallias, qui & alia Christiani orbis climata occupavit, abyssus malorum. Nam sub umbra profectionis in Turcas inæstimabiles thesauros collegerunt, qvorum conflatores & commissarii quidam persuaserunt turbis, ut quicunq; daret decem solidos, liberaret animam, pro qua daret, à pœnis purgatorii. Nam pro regula certa tenebant, Dominum Deum facere, quicquid ipsi vellent, secundum illud: quicquid solveritis in terrâ, &c. Quod si vel jota minus fuisset, quàm decem solidi, nihil prodesse, concionati sunt.

Displicebat hic quæstus sanctis Ecclesię filiis, & cœpit quæstio ventilari de potestate vicarii, & unde hæc novissimis doctrina nova prelatis, quam prisci Pontifices ignorassent? Quænam in pectore beneficii reversatio, ut quoties vellet, daret & reciperet idem.

Erat in Germaniâ tunc Martinus Luther qui acriter invectus est in has indulgentias, cui opposuit se Iohan. Eccius, vicissimqve hi duo suggestum conscenderunt, coram populo contentiosissimè disputantes: tandem utriusqve rationes Parisium sunt missæ, ut à Sorbonicis judicarentur. Verum quia non facile fuit videre, cui potissimum palma daretur: dum censura differtur in longum, Leo interim longo fulmine Mar-

Anno tinum damnat hæreſeos, & à cœtu fidelium projicit. Ille primùm à Pontifice minus edocto, ad eum magis edocendum, mox ad futurum Concilium appellavit. Interim, qvia Leo juſſerat, libellos ejus incendio tradi, jus Pontificium, qvas Decretales vocant, atqve decreta publicè Vitebergæ combusſit dicens: ſicut fecerunt mihi, ſic feci eis.

pag. 457.

1540

Antonius Campanus in vitâ Pii 2. Papæ.

Pius 2. Pontifex Peruſiam ingreſſus eſt, eqvo vectus candidisſimo, duodecim eodem candore præcedentibus, ſtratis purpura, ſine ſeſſore, frenis aureis: magiſtratibus purpuream umbellam auro intextam præferentibus, ſub quam ipſe candidâ ſyndone, ſtolâ aureâ commiſſa, & purpureo ſuperbus galero vehebatur. Pompæ cauſſam prætendit, qvod poſt ejectum Bonifacium, 70. jam añis Peruſini pontificem intra urbem non âſpexiſſent. Imp. Car. 5. PP. 227. Paulo 3.

1540

Urbanus Regius de Dignit. Sacerdot.

Sed objiciet mihi quiſpiam opulentisſima ſacerdotia, quæ ſatraparum aut principum ſumtus ſuſtinere poſſent, qvalia in Germaniâ atqve Italiâ reperies, nihilque eſſe ſacerdotibus hoc tempore opulentius? Equidem haud negârim, multos eſſe ejus ordinis homines ditisſimos: ſed probis & eruditis plerunq; neglectis in homines ignarisſimos ſacerdotia congeruntur, tàm inertes, tàm literas virtutemq; peroſos, tantâ morum neqvitia ſeneſcendo bruteſcentes, ut animam illis pro ſale datam à natura, ſuſpicari quis posſit ideò tantum, ne putreſcerent; id qvod de ſue, animalium indocilimo ſtolidisſimoqve Plinius dixit. Nam vita talium ſagina eſt, quos inertia terræ pondera jure dixeris.

Quod ſi qvando tales in Principum aulis aliqva authoritate valere contigerit, ità dominorum animis literarum odia ingerunt, ut Licinios qvosdam faciant, qui poſtea nihil minus honorant, quàm qvod maximè honorandum eſſe, etiam Etnici crediderunt. Tu vero præſul dignisſime, Iano circumſpectior, ubiqve vigilas, ne ad ſacerdotia irrepant aut introrumpant ejuſmodi Epicuri, quorum Deus venter eſt, & ea qvæ ſub ventre ſunt. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3.

Idem. Illud certè compertum habeo, olim non malè Ethnicorum ſacerdotibus fuiſſe proviſum, ut ex Strabone de Commanis Ponticis intelligere licet: qvod ſacerdotium Dianæ dicatum erat. Ita enim loqvitur Strabo: Accepto Imperio, Pompejus Archelaum ſacerdotio præfecit: & regionem ei attribuit duorum ſchœnorum in circuitu, quæ ſexaginta ſunt ſtadia, ſacram urbem ambientia, juſſitqve ejus incolas imperio ejus parere. Qvale autem fuerit, aut qvàm locuples ſacerdotium, ex eo intelligitur, quod idem autor ait his verbis:

Regum Ponticorum tempore in diebus feſtis, qui Dianæ ſacri erant, Sacerdos Cōmanorum diadema Regium geſtabat & ſecundum Regem honori habebatur. Commana autem urbs imperio ejus ſuberat, cum ſacris ſervis, qvi Hieroduli dicebantur, numero non pauciores ſex millibus, in qvos omnimodâ poteſtatem habebat, præter qvàm vendendi. Ex tanta poteſtate intelligitur, eos non fuiſſe mendicos. Nam libro 17. idem aſſerit, in Merôe olim primū ordinem ſacerdotes obtinuiſſe, qvi tantam authoritatem habebant, ut nonnunqvam miſſo nuncio, mortem regi imperarent, & pro eo alium facerent.

Idem. Enimverò Ægyptii & Indi, Sacerdotium rem omnium maximam, & humanitatis faſtigio ſublimiorem eſſe crediderunt. Nam Ægyptii Sacerdotes, omnibus negotiis curisqve rejectis, in templo fuerunt, præparci in victu, & contemplationi dediti: rerum naturas cauſasq; ac ſyderum rationes contemplabantur, mulierum cōmercio, carnibus, vinoq; abſtinentes, rarò pane veſci ſolebant, ne ſtomachum onerarent, qvibus tamen omnino diſſimiles erāt alii apud Ægyptios Sarabytæ, ſacerdotes in foraminibus petrarum habitantes, induti porcorum & boum pellibus, cincti funibus, palmarum ſpinas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas, diſcalceati, & ſanguine cruentati, cavernis exeuntes, ad feſtum ſcenophegiæ petebant Hieroſolymam, & ſancta ſanctorum intrantes, paupertatem & abſtinentiam prædicabant à ſe ſervari, tum barbam ſpectante populo ibidem acriter pervellebant.

Nummis itaqve tali au & commento collectis, in ſuam regionem remeabant, lætitiâ & dapibus epulaturi. In horum vultu ſeveritas apparebat, in receſſu flagitia retinebantur. Cathones & Curios ſimulabant (qvod & hodie fit) ſed bacchanalia vivebant.

Idem. Abſurdam conſvetudinem penitus extirpatum iri, Imo voluit, qvâ Eccleſiarum patroni earundem proventus ſibi vendicantes, presbyteris, qvorum toti jure erant, exilem aliqvam portiunculam relinqvunt, qvâ vel non poſſunt vivere, vel adeo vivunt pauperculi, ut ferè inter pañoſos mendicātium greges manum ad ſtipem porrigere cogantur. Nihil ergo miremur, ſi his Eccleſiis idiotæ & analphabeti præficiuntur, qvi cæci cæcos ducentes ambo cadunt in foveam. Quis enim vel mediocriter doctus, qvi florem ætatis, qui omne vitæ tempus, non ſine immodicis nummorum impendiis, literarum ſtudiis dedit, ubi

1540 molestiarum præmium est expectandum, meram mendicitatem assumeret?

Aut enim literis renuncians, militatum, quoqvo fortuna vexerit, abibit, aut matrimoniali capistro, libertatem vendens, ora præbebit, & omnia potius extrema pertentabit, antequam post tot in scientiã cõparanda sudores, post amaras radices, ubi fructus dulcis est sperandus, inopiam & has vitæ sordes perpetiatur.

1548 Vidi ego ante aliquot annos facinus tàm indignum, ut propè collachrimârim. Est nescio quæ, mala crux misellos sacrificulos undiqve excarnificans. Exigunt enim veri Ecclesiarum Pastores vel pensiones, vel nescio quæ spolia ab his, qvos vicarios constituerunt, sed ita exigunt, ut malis Galeotam agere, aut durissimam servitutem servire, qvam talem agere Vicariũ. Erat itaqve Vicariolus, qui tantum nummorum vero pastori, alioqvi præbendoso ante festos Paschæ dies numerare cogebatur, ut sanctè juraret, se, quicquid confessionum laboribus erat partum, & totâ casulâ, divenditis nonnullis rebus, corrasum, id omne secum attulisse, nec quicquam domi habere reliquum, qvo vesceretur, sed hostiatim ad subdi... circumire velle, donec fortuna aliqva magis propicia subveniret.

O scelus! quid ille, qui de Pastoris nomine se jactitabat, qvid ovibus unquam contulit? siccine pastorem agebat, ut gregem non tonderet, sed degluberet? gregem dico, quem nunqvam recensuit, qvem non novit, quem nunquam pavit, nunqvam à luporum incursionibus defendit.

Idem Abrahami Patriarchæ librum ZESIRACH sive reformationis, ex Hebraico in Latinum transtulit, & scholiis illustravit: de Babylonis ruina & corrupti mundi fine.

1510 *Gondissalvus de Villadiego, sacri Palatii Apostolici causarum auditor, in tractatu de legato.*

Adeo Romana Ecclesia in concedendis indulgentiis modum excessit, ut videamus, illos contemni & rideri. Imp. Carolo 5. PP. Paulo 3. ut sup.

1549 *Guilhelmus Postellus.*

Hic, susceptâ peregrinatione in Orientem, diligenter de Aquilonarium & Orientalium in Asiâ Christianorum statu inquisivit, & scripsit, etiamnum in Tartariâ magnâ multos superesse Christianos. Et ait, à Iesu Nazareno Nazarenos vocari: inqve eo consentire omnes, qui ante quindena secula Rex aliquis ex illibatâ virgine natus, annunciatâ virtute & sanctitate per nuncios suos, idola in toto mundo ababrogari, Deumqve unum tres habentem facies adorari, jusserit. Addit, præesse his Christianis Pontificem generali titulo, quẽ Umchan appellitant; cujus olim summa fuerit potestas, hodie autem miserior sit conditio, quàm est patriarchæ Constantinopolitani sub Turcarum Imperio. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3, ut sup. Anno

Idem. Scripsit & arcanissima, & planè mystica multa, proposito nostro plurimùm inservientia: utpote πανθενωσίαν de compositione omnium dissidiorum, circa æternam veritatem, aut verisimilitudinem versantium. Vocat autem Tubæ penultimæ stridorem, & se Heliam Pandocheum. Candelabri typici in Mosis tabernaculo jussu divino expressi, brevis ac dilucida interpretatio, de Nativitate mediatoris ultimâ, nunc futura, & toti orbi terrarũ in singulis ratione præditis manifestanda. Absconditorum à constitutione mundi clavis, quâ mens humana tàm in divinis, quàm in humanis pertinget ad interiora velaminis æternæ veritatis.

Ejusdem opus vitæ magnitudinis, quod inscribitur, abscondita à constitutione mũdi, de naturæ humanæ restitutione in eam conditionem, quam ante peccatum habebat, nunc adfutura in inferioribus cum magno fœnore: in quo hæc continentur, Clavis scripturarum, quâ ad interiora itur velaminis: Ostium apertum æterni mysterii: Septem sigillorum libri ab agno aperti reseratio, Evangelion æternum, seu naturæ & gratiæ conjugium, ad Concilium divinitus coactum ubivis, liber nondum editus, extat apud Ioan. Oporinum Basileæ.

De originibus, seu de variâ & potissimũ orbi latino ad hunc diem incognita, aut inconsiderata historia, cum totius Orientis, tum maximè Tartarorum, Persarum, Turcarum & omnium Abrahami & Noachi alumnorum origines & mysteria Brachmanum retegente. De æterno Christi in interioribus regno, & sacro Petri primatu, jam ab Adamo per Noachum, Abrahamum, Mosen & Christum ad nos usqve deducto: ex Zoharis seu illustrationis scripturarum sententia tàm clara, ut sententiæ Evangelii instar sit, è 72. Seniorum Mosis spiritu donatorum doctrina, à sancto Simeone justo primum publicè exposita.

Chavæ seu Evæ matris omnium viventium admirabiles, & super omnes doctrinas mundi, secundum Evangelicam veteris & novi Testamenti veritatem amplectendæ Prophetiæ. conscriptæ à Raziele, Adami primi parentis Angelo, & ex libro Behir, id est: lucis purissimæ, exceptæ. Præfixa est Apologia ad Christi veros alumnos, ut ratio tanti exponatur mysterii.

Opus de Satanicæ monarchiæ destructione super Danielis prophetiam, demonstrans maximum peccatum mundi, qvod necesse est esse Antichristi solius, nec potest esse aut fieri committive ab alio,

Anno

Pag. 459. qvàm ab eo, qui summam totius mundi authoritatem habeat, & talem impietatem nunc fore disturbandam. De æternâ rerum dispositione opus, cõplectens & paucis exponens universi historiam, ac demonstrans, quomodo in figurativâ Geneseos historiâ est expressum, non solum qvicquid postea à Iudaicâ & Christianâ Repub. contigit, sed multo maximè ibi expressum esse, quicquid in Gentili sive Esuavinâ, & qvicqvid in Ismaëliticâ politiâ contigisse videtur, & unquam postea continget. Nam hoc est verissimum, omnia in figuris contingebant illis.

Versio arboris divinæ dispositionis, seu divinorum nominum ex Hebræis ante mille annos manuscriptis, ubi ostenditur innumerorum argumentorum fontibus, fore omnino complendam restitutionem omnium in virtute decimi nominis Dei, qvod est Adonai, in quo delitescit intellectus potentialis, sive possibilis aut passibilis virtus. Volumen Prophetiarum itidem Gallicè scriptum, & ab Arabum, Syrorum, Armeniorum, aliorumqve populorum Orientalium sacris, ab omnibꝰ receptis placitis, hoc ipsum de monarchiâ confirmans.

De filio perditionis & suis asseclis, qui unà cum eo elevantur supra omne, quod dicitur Deus, & quando corruet ejus potentia. De Turcarum & cæterorum Ismaëlitarum fatis. De raris & posteritati notandis historiis, De admirandis rebus, quæ à qvinqvaginta annis contigerunt usq; ad annum salutis 1553. & qvæ inde ad annum 1583. contingent.

Commentarius super Abdiam, in quo demonstratur, qvod õnino necesse est, qvod Ædomi, sive gentilitatis impietatis vires, tanquam Satanæ membra, conficiuntur à fidelibus tàm persacra, qvàm per rationalia arma, ita ut etiam ab occidentalibus (victa prius aut victrice imperii Zarphat potẽtiâ, hoc est, Galliâ) fiat expeditio in terræ sanctæ recuperationem ad hoc, ut ipsa Christi proprietas non tantùm spiritualis, sed & literalis ac temporalis vindicetur à fidelibꝰ, & fiant in mundo duo loco sacra, unum ad Noachi sepulchrum pro temporalibus Romæ, alterum ad sepulchrum Adami in Syriâ imo ad Adami novi IesuChristi monumenta clarissima, ubi Orientales Christiani ita certas exspectant Occidentalium Christianorum suppetias, ut olim Iudæi in Ægypto opem divinam.

Quatuor Davidis Psalmi super lilium testimonii decantati, expositi de lilio 22. in candelabri fabricâ, & maximè in septem verticibus collocato, ad ostendendum ex illis certissimam Christi per sua membra de universo victoriam, & ad notandum, quod est impossibile, unquam ad veram & realem monarchiam perveniri in Occiduo orbe, priusqvam aut Rex Galliæ adipiscatur imperium, aut aliquis imperator subigat ita Galliam, ut primæ expeditionis vires ex Gallicie populi in monarchiam conducti motu assurgant, & ad Christi proprietatem asserendam pergant. Etsi enim in hoc conflictu totis 500. annis fuerit Occidentalis Christianismus, tamen magis dominandi libidine, qvàm Imperium Christi promovendi, multi utrinqve contenderunt.

Donatus Gianottus Florentinus de Republica Venetorum. 1540

Germanorum Imperium & potentia tãetsi sit permagna, nunc tamen, quando civilibus bellis ardet, & intra se ipsam hostiliter dissidet, metuenda non est: qvodqᵹ pejus est, eam non facile conciliari posse, omnes norunt, quibus ingenium & negocia eorum sunt explorata. Certum enim est, quod, si illis inter se bene conveniret & pacem colerent invicem: Italiæ sanè majori essent formidini, quam Turcæ & Tartari. Imp. & PP. ut sup.

Henricus Bullinger in Apocalypsin conc. 64. 1540

Pleriqve interpretes priorem Petri epistolam enarrantes, in fine epistolæ per Babylonem Romam intelligunt. Certe Oecumenius: Babylonem autem hic Romam, inqvit, vocat, ob excellentiam Imperii & claritatem, id quod olim multo tempore Roma obtinuit. Significantius autem vetustiores hoc reddunt, ut Tertul. lib. contra Iudæos, qvi dicit: Sic & Babylon apud Ioannem nostrũ Romanæ urbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ & sanctorum debellatricis. Eadem verba prope repetit libro 3. contra Marcionem. Nec minus clarè S. Hieronymus Romam vocat Babylonem: & illam quidem Babylonem, de qua Ioannes in Apocalypsi loquitur.

Legatur epistola Paulæ & Eustochii, scripta ad Marcellam, opera & suppetiis Hieronymi. Legatur ipse quæst. ad Algasiam 2. Rursus in præfatione ad librum Didymi de spiritu sancto, ad Paulinianum. Item in fine 2. libri contra Iovinianum. In vita S. Marci idem: Petrus, inquit, in epistolâ primâ sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat. Sed ipse sese exponet. Ioan. cap. 17. intelligimus autem, Romanam urbem ruituram præcipuè cum omni suâ impietate: sed simul etiam superstitionem & abominationem Romanam dispersam per orbem. Ac cecidisse quidem dicit Angelus, & adhuc casuram, idqve more loquendi prophetico: quod id, quod certo futurum est, ita enunciatur, quasi nunc sit factum. Ad certitudinem de- Pag. 4[illegible]

notan-

notandam pertinet illa anadiplosis vel reduplicatio : Cecidit cecidit.

Idem concione 58. Pulchre Antichristianismum post laceratum & sublatum Imper. Romanum proponere incipit. Nam Daniel dicit: Corniculum exile, & contemtum oriri inter decem cornua, & ex his humiliare, evellere, atqve tollere cornua tria, atqve ita emergere in validam potentiam. Significat enim, diviso Rom. Imp. & jam veluti dilapso, oriturum Antichristum, qvi novum sibi imaginariumq; paret Imperium. Sed & Paulus dicit : Christum non venturum in judicium, nisi Antichristus præcesserit: hunc autem non præcessurum, nisi hoc tollatur è medio, qvod jam, qvo minus veniat, detinet & impedit: qvodq; S. Hieronymus & reliqvi interpretes sacri exponunt de Romano Imp. qvod divelli tolliqve oporteat : deinde oriturum Antichristum.

Destructa est autem Imperii majestas circa annum Domini 480. cum Odoacer Romam occuparet. Inde enim per 300. annos, & amplius nullus ab Augustulo fuit Occidentis Imperator. Qvibus accedit, qvod à Totila sub Justiniano Imp. Roman. combusta & desolata est. Inde vero cœperunt Romani Pontifices cristas erigere, & de novo regno cogitare.

Idem con. 92. Non puto, orbem unqvam habuisse famosiorem, truculentiorem homicidam, imo & parricidam verissimum, juxta verbum Christi, Joan. 8. diaboli primogenitum filium, qvàm Pont. Romanorum. Hic enim omnibus prope seculis, à qvingentis jam annis & amplius, classicum ad omnia ferè bella gravia Europæ cecinit: deinde & homicidis, potissimum vero pro sede Romanâ militantibus, & indulgentias dedit largissimas, & cœlum promisit in militiâ occumbentibus.

1540. *Joannes Peregrinus in convivalibus sermonibus.*

Est, inqvit, in Germania Episcopus qvidam, qvi dixit in convivio, uno anno ad se delata undecim millia sacerdotum palam concubinariorum. Nam tales singulis annis pendunt aliqvid Episcopo. Imperatore Carolo qvinto Papa Paulo 3. ut suprà.

1540. *Moronessa Italus, & Asotus Hispanus.*

Hi Germanicam nationem, Principes & reformatam religionem, qvibus maximè potuerunt, conviciis, probris, & contumeliis, libellis editis prosciderunt: qvos vide. Inter alia Moronessa dicit: Ecclesiasticos nullo modo esse culpandos, utcunqve delinqvant. Imperat. Carol. 5. Papa Clemen. 3.

Dictum cujusdam Cardinalis. Anno 1540.

Sive sit raptum sive captum, modo nobis aptum.

Hermannus Buschius.

Scripsit adhortationem ad Clerum, qva illos ad studia & lectionem sacræ Scripturæ invitat & cohortatur. Imperator. & Papa ut sup. 1540.

Gerardus Lorichius Hadamarius. 1540.

Scripsit theses professionis Catholicæ, unà cum abusionum, superstitionum, hæreseon, & schismatum cuiqve Catholico fugiendorum judicio, ad exactam Ecclesiæ reformationem. Ejusdem liber de missa publica propaganda, & abusibus tollendis extat. Imperatore Carolo 5. Papa Paulo 3. ut suprà.

Paulus Jovius in vitâ Leonis X. 1540.

Non caruit etiam Sodomiæ infamiâ, qvod parum honeste nonnullos è cubiculariis (erant enim è totâ Italia Nobilissimi) adamare, & cum his tenerius, atqve liberè jocari videretur. Sed demus aliqvid humanitati Leonis, uti in summa licentia fervidæ ætatis, ac prosperæ valetudinis æstum ægerrimè sustinenti. Deinde alia sunt vitia principis, alia hominis. Pulchra excusatio. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Idem. Laurentius Puccius Cardinalis, magnus pœnitentiarius prædicavit, nullum omninò qvæstum Pontificibus esse illicitum.

Idem in epist. ad Jo. Frid. Saxonem, & Landgravium Hassiæ. Si justissimus Deus vestra ope, ceu parato flagello, adversum crimina cleri & plebis decrevit uti : nihil aget in terris ullus propugnator, donec rectores nostri ad correctionem tam Ecclesiæ qvàm politiæ adigantur. pag. 461.

Idem. Venationibus & aucupiis nobilioribus adeo perditè Leo X. studebat, ut spurcissimas sæpe tempestates, insalubresqve ventos, & freqventia mansionum ac itinerum incommoda obstinatè contemneret : confisus ætati ac firmæ valetudini, qvam eqvitatione varioqve motu corporis tueri se posse existimabat: præsertim si in ambulationibus apertis vagaretur, ac animam innati caloris copia æstuantem & cœlo libero & multo spiritu recrearet.

Manlianam villam secundum Tyberim, qvinto ab urbe lapide, proximi stagni halitu, & caliginosi aëris intemperie prope toto anni tempore infamem, hyeme maximè freqventabat. Ex ea enim veluti ex portu, venatorum classes in subjectos Salinarum campos cervorum copiâ celebres, educebantur. In venando autem sicuti præcepta artis ad normam exactoris discipli-

plinæ patientissime observare erat solitus, ita severitatem aspere admodum, vir alioqvi lenissimus, semper exercuit, in eos præsertim, qvi petulanti discursu, aut vocibus temere editis improvisa feris effugia præbuissent: ita ut claros sæpe viros acerbissimis contumeliis oneraverit.

At si qvando imperitia vel fortuito errore hominum, aut feris subtiliore aliqvo insperatæ fugæ compendio servatis, vel iis denso in nemore contumacius latentibus, infeliciter venabatur, incredibile est, qvasi vultus animiqve habitu dolorem iracundiamqve præferret. Propterea amici familiares ea temporis momenta, provocandæ liberalitati maxime adversa, sedulo devitabant: qvando alias secundum opimam venationem, ac præsertim vario ac insigni aliqvo labore nobilem, maxima beneficia incredibili liberalitate collocaret.

Urbe statim Viterbium ad aqvas calidas evolabat, ubi coturnicum perdicumqve & phasianorum aucupiis aliqvandiu erat intentus: qvod genus avium cum accipitribus ac asturibus arte edoctis singulari cum voluptate sectabatur. Inde per Thuscum agrum venabundus, modicis itineribus ad mare circa Graviscas & Centumcellas descendebat. Qvo vix flexu apud Cornetum in agro Tarqviniensi longè celeberrima cervorum aprorumqve venatio parabatur, & ea qvidem in perampla planicie, ac maximè ad tendendas insidias opportuna, qvæ artificio naturæ humanis voluptatibus arridentis perpetuis terrenis collibus cincta, ingentis amphitheatri speciem ad ferarum exitium venantibus præbet.

Idem. Baptista Ursinus Cardinalis in magna gratia Alexandri Pontificis constitutus, in carcerem conjectus veneno tollitur. Pontifex rapax ut Cæsari filio magnos alenti exercitus, & regio luxu liberalitatem passim ostentanti pecuniam suppeditaret, ditissimum qvemqve Cardinalium veneno sustulerat, haud dubiè in reliqvos opibus insignes simili modo sæviturus: nisi admirabili Deorum providentia, homo in religionis causa probrosus, ad exitium Italiæ natus, sibi mortem supremam vero Cæsari filio calamitatem peperisset: hilariore scil. cœna venenum bibunt, lagena pocillatoris errore commutata, qvam dira fraude opulentis aliqvot senatoribus honoris specie paravissent.

Idem. Hadrianus Cornetanus Cardinalis nulla malevolentia, sed vana regnandi libidine inductus, Leonis X. mortem expectabat. Certam enim spem adipiscendi Pontificatus conceperat ex oraculo fatidicæ mulieris, qvæ, cum pleraqve jam pridem interrogandi de sua & publica rerum fortuna, exactissime prædixisset; constanter etiam affirmaverat, fore, ut Leone immatura morte sublato, succederet vir senex, nomine Hadrianus, obscuro natus loco, literarum studiis insignis, qvi sacros honores gradatim, sola nixus virtute, sine ulla majorum commendatione meruisset. Hæc omnia sibi uni aperte congruere, putabat.

Nam Cornero infami Tuscorum oppido, familia tenui & propè sordida ortus, uno bonarum literarum beneficio singulas sacrorum ordinum dignitates fuerat consecutus. At sicuti vetulæ oraculum fidem non fefellit, ita Cornetanum fefellit. Neqve enim ipse Leoni successit, sed Hadrianus senex Batavus, egeni opificis filius, doctrina illustris, post Leonem prodigiosa felicitate Pontificatum est adeptus.

Idem. Matthæus Magnus Vicecomes, Mediolanensis princeps, à Beltrando Vascone, Clementis V. Papæ legato, excommunicatus, Mediolano, prius tamen recitato ad aram symbolo Apostolico, nunqvam se à fidei articulis discessisse testatus, excessit: & Moguntiacum, qvod hodie Modæcia dicitur, ad divi Joannis Baptistæ templum contendens, in febrem incidit. Inde ad Crescentiacum cœnobium lectica delatus, his verbis supremis jam animam agens filios circumstantes allocutus est:

Stabit incolume vobis, carissimi atqve optimi filii, hoc imperium qvod relinqvo, si concordibus animis cum virtute tum fortuna vestra utemini: si vero dissederitis, omnis qvamlibet eximia vestra virtus frustra erit, & à vobis ad hostes illicò fortuna transfugiet. Nec ejus prædictioni tanqvam veri vatis eventus defuit.

Inde cum omnibus manarent lachrymæ, integris qvidem sensibus, sed collabente cervice, supremum osculum liberis dedit, moxqve inter amplexus eorum expiravit: eiqve tot superstites liberi (uti maximè optârat) oculos clausere. Defunctum autem secreto ignobiliqve loco tumulârunt, celata aliqvandiu etiam morte, ne cadaver in adversa forte belli fortuna, sævi legati contumeliis esset obnoxium. Sed destinata justi funeris pompa, toto vel operosi sepulchri honore facilè carere potuit, qvi publico consensu illud perenne lateqve diffusum decus excelsa virtute meruerat. pag.4

Ægidius Corrozetus de dictis Memorabilibus.

1503

Bonifacius VIII. peregrinum qvendam Bavarum facie sibi simillimum, astutè interrogârat: Nunqvamne mater ipsius Romam religionis causâ venisset? Respondit ille: non certè, sed pater meus persæpè. Idipsum Augusto Imp. inventum Sabinum responddisse,

disse tradit Svetonius. Imp. Car. 5 Papa Paulo 3. ut sup.

Idem. Julius II. reprehensus à familiaribus ob belli studium, an nescitis, inqvit, Petrum clavigerum, & Paulum ensiferum socios esse, & hujus protectores Ecclesiæ? Petri ignaviam antecessores nostri sæpe sunt experti. Paulus qvid possit, ego experiar. Cumqve illi dicerent: at Petrum Christus jussit recondere gladium in vaginam: promtè respondit: sic est sanè, verum non prius, qvàm Malchi auriculam amputasset: feriemus & recondemus. bellum indubitata pax seqvetur.

Idem. Raphael Urbinas pictor excellentissimus, reprehensus à duobus Cardinalibus, qvod Divorum Petri & Pauli facies insolito rubore præter decorum expressisset, respondit: Pudore suffusi Apostoli rubent, vicariorum suorum nefaria scelera cœlitus intuentes.

Idem. Agebatur de mittendo ad Venetos legato. Proponebatur qvidam multis titulis illustris, episcopatus abbatiarum, dominiorum. Tunc Ludovicus XI. Gallorum rex: ut plurimum, inqvit, titulorum copia literarum junctam habet inopiam. Sed Gallicè melius: La ou il y a tant de tiltres, il y a peu de letres.

Beatus Rhenanus.

Affirmat, qvod olim in Papatu nuspiam missæ decantatæ fuerint, præterqvàm in Germaniâ: & id tamen nullo modo, qvàm propter communionem, susceptum fuisse. Imperatore Carol. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Idem. Huc produco Agendas antiqvas, seu Ceremonias: qvarum rubricæ, communionem sub utraqve specie, & alia multa juxta Dei verbum, contra Papisticas corruptelas & abominationes, concedentes inveniuntur.

Vuaramundus Luitboldus.

Hic in actis Comitiorum scribit, Eccium, cum Theologi utrinqve ad colloqvendum convenissent, præfatum fuisse, se & collegas suos non collocuturos cum nostris, ut qvicqvam ipsis concederent, sed ut ad se eos rursus traducerent. Et Campegium, cum audivisset, à suæ partis Theologis qvædam concessa Lutheranis fuisse, ferali qvodam furore percitum dixisse: sibi hoc non licere, sed soli Pontifici Romano. Adjunctus est priori alius liber, qvæ sit optima ratio componendæ religionis, & à qvibus sit exigenda Ecclesiarum restitutio: qvem vide. Imperatore Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Joannes Sturmius.

Vir doctus & Orator insignis scripsit multa utilia: & inter alia, de dissidio periculoqve Germaniæ: & per qvos stet, qvò minus concordiæ ratio inter partes ineatur. Item extant aliæ duæ epistolæ ejusdem de emendatione Ecclesiæ, & religionis controversiis. Imper. 117. Carolo 5. Papa 227. Paulo 3. Anno

Idem. Qvod verò tunc iniqvi nostri non, qvantum cupiebant, tantum effecerunt, non id voluntatis fuit, sed fati: non fortunæ, sed divini numinis: cui nec vis opponitur, neqve arma objiciuntur, neqve crudelitas obstat.

Eberhardus Billick Monachus. 1540.

Hic in colloqvio Ratisbonæ unus fuit de collocutoribus, & scripsit de ratione summovendi præsentis temporis dissidia. Imp. & Papa ut sup.

Martinus Borrhaus. pag. 46.

Scripsit libellum elegantem valdè, de ortu, naturâ, atqve discrimine eorum Jubilæorum, qvos Deus instituit, qvidqve inter hos & falsos, ab adversario confictos intersit. Et præterea refert blasphemias multas, & inter alias: sine dispendio animarum fieri non posse, ut in aliis ullis regionibus vel locis, qvàm diu durat Jubilæus Romanus, ullæ distribuantur gratiæ. Ac proinde Papas revocare omnes toto orbe terrarum, easqve Romæ tantum, & à Romanis & peti & distribui posse: neqve velle integri anni spacio in alio loco esse remissionem delictorum. 1540.

Sed qvare hoc? Respondet author. Solent enim sine fine ita cumulare suas fraudes & impietates, donec tandem ad extremum malorum prolabantur. Legite (qvæso) conciones Pauli, Petri, Joannis, & reliqvorum Apostolorum: in qvibus videbitis, nunqvam alium eos vel cogitasse vel prædicasse Jubilæum, aut condonationem peccatorum, qvàm sangvinem filii Dei, cujus meritum ac beneficium per fidem in ipsum Christum apprehendimus: qvo neglecto, Papæ affirmant, veram causam instituti Jubilæi esse, ut, qvi eo animo Romam proficiscuntur, possint à Papâ obtinere, qvod alioqvin sangvine ac morte filii Dei obtinere domi non potuerint. O impudentem (inqvit) audaciam! ô blasphemiam detestandam!

Ultra hæc affirmat Clemens Papa: se velle in hoc suo Jubilæo distribuere merita, & sangvinem Christi, cujus alioqvi sangvinis meritum nemo conseqvi potest (sicut ille falso opinatur) per fidem in Christum: neqve aliâ ratione, nisi se Papâ distribuente, & sua qvasi manu, cuicunqve volet ipse, applicante. Præterea hoc adjungit, se qvidem velle donare plenam remissionem peccatorum, non qvidem omnibus, sed iis tantum, qvi Romam venerint qvinqvagesimo qvoqve anno, & illam qvidem haustam non tantum ex meritis Christi, sed etiam

ex me-

ex meritis divæ virginis, & aliorum sanctorum, qvasi Christi merita parùm sufficiant ad conferendam salutem credentibus, etiam si ab aliqvo Episcopo Romano essent distribuenda. O blasphemiam! ó infidelitatem!

Itaqve frater charissime, etiam atqve etiam tibi cogitandum censeo, qvomodo in gravi causâ prudenter sentire, deqve tantis rebus rectum judicium facere oporteat. Qvis enim usqve adeo est communi sensu destitutus, ut arbitretur, vel verum vel etiam verisimile esse, æternum Patrem nobis unigenitum filium suum tradidisse, eúmq; in ligno crucis & sangvinem profundere, & mortem ignominiosam nostrâ causâ sustinere voluisse, ut nostra delicta ipsius sangvine mundarentur, nosq; ipsi per ejus mortem à servitute & tyrannide mortis atqve inferni liberaremur, si tantam divinæ largitatis erga nos benevolentiam per vivam fidem apprehenderemus, certaqve cordis nostri fiduciâ in hac promissione divinâ, in hoc lavacro, atqve in hac liberatione acqviesceremus: neqve tamen unqvam eandem ipsam Dei beneficentiam in animis nostris utilem & efficacem sentire posse, nisi alicui Romano Episcopo libitum sit eam nobis suâ qvasi manu donare? O audaciam!

Præterea & illud cogita, & prudenter ex verbo Dei judicium facito, qvòd isti Romani audent asseverare. Cum enim remissio peccatorum, fides, atqve ipsa vita æterna sit donum Dei merum, nullis unqvam actionibus hominum aut meritis conqvisitum: isti homines affirmant, se non solum meritis suorum operum posse explere legem Dei, sibiqve in cœlum aditum suis actionibus patefacere: sed bonam insuper meritorum portionem, supra id qvod debent, de suo augere, qvæ ab ipsis merita supererogationis vocantur, qvorum Papa custos sit & conservator, eaqve teneat in arcâ thesaurorum ecclesiæ conclusa, iis tantum distribuenda, qvi & Romam venerint, & non nisi constituto tempore, qvandocunqve & qvomodocunqve illi visum erit arcam reserare.

Hoc nimirum est extollere se supra omnem potentiam divinam, sicut scriptum est de filio illo perditissimo: & blasphemia abominanda. Hoc est, velle stabilire, instar Luciferi, solium & Potentiam suam supra Deum ipsum. Qvi enim vult de suo explere, qvod in Christo defuit: necesse est, hunc esse Christo potentiorem. Hoc est vere accusare Christum aut livoris, qvi non voluit: aut imbecillitatis, qvi non potuit tanta sui sangvinis effusione, aut morte qvoqve ipsâ præstare hominibus solidam atqve integram condonationem delictorum, etiamsi ab istis sceleratissimis Bonifaciis aut Malifaciis non peteretur.

Hoc deniqve est Petrum & Paulum contumelia afficere, eosqve coarguere vanitatis, aut negligentiæ, aut ignorationis, qvi nullum unqvam Jubilæum in suis Ecclesiis stabilire voluerunt aut Hierosolymis, aut Antiochiæ, aut in Ecclesiis Græcis, & Italicis, unde explere potuisset populus peccatorum remissionem eam, qvàm Christus illis non præstitit.

Sed pudendum est, de re tam levi & manifestè impiâ, tam multa verba profundere. Illud autem scire oportet, naturam & consvetudinem Pharisæorum prorsus talem esse, qvæ nolit observare, qvid Christus fecerit ac docuerit, aut qvid in literis propheticis & Apostolicis scriptum reperiatur: aut in illis veteribus authoribus, qvi illam ipsam prophetarum, Christi, & Apostolorum doctrinam sunt secuti. Verum solent leviculas, & falsas (nescio qvas) res, ac non multo ante in Ecclesiam invectas, atqve his potissimum temporibus, qvibus majores tenebræ, & densiores caligines supra hominum ingenia incubuêre (qvalia fuere inter alia, Bonifacii tempora) mordicus tueri, & defendere, & ad eas stabiliendas violenter contorqvent & adulterant scripturas, anxieqve in veterum scriptis aliqvod verbulum expiscantur, qvod fortè contra perpetuam Evangelii normam exciderit, vel qvo impropriè ipsi authores aliqvando [illegible] fuerint.

Hæc enim spectant illi boni viri, atqve ex his solent nova dogmata speciosâ qvadam hypocrisi, ad fallendos simplicium virorum & mulierculárum oculos, concinnare. Qvæ postea ferro, & igni, & omni non crudelitatis genere volunt defendere: interimqve, sicut Pharaones, jubent trucidari primogenita, ne possit augeri semen Dei, à qvo sibi vehementer timent. Est enim illis ex eorum artificio (qvemadmodum Ephesi erat Demetrio, aliisqve artificibus statuarum) qvæstus multò uberrimus, ex qvo sibi honores, commoda, delicias parant prorsus Epicureas. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Paulus Fagius. 1540

Hoc tempore hic Fagius, vir Hebraicæ Lingvæ doctissimus, librum vetustissimum Hebraicum in latinam lingvam versum edidit, cujus titulus est Capitula Patrum. Ut suprà.

Liber Masoreth.

Hebræorum sapientes, Judæi scilicet, qvi olim in Tyberia habitaverunt, scripserunt annotationes in sacra biblia, qvas appellaverunt Masoreth, & sepem legis: ut nimirum lector maneat intra septa veterum sapientum, nec grassetur pro sua libidine, & ex qvolibet qvodlibet faciat. Et alibi apud Hebræos legitur: silentium sepes est sapientiæ, vota sunt sepes sanctitatis, de-

tæ, decimæ sepes sunt divitiis: ut Judæi, qvi sunt religiosiores, loco decimarũ eleemosynam pendunt de lucris, decem aureos de centum, centum de mille, & cæt. Ex eodem.

Ribbi Jochanan Hasandelar.

Omnis Ecclesia vel contentio qvæ fit propter Deum, confirmabitur. Qvæ verò non fit propter Deum, non durabit perpetuo. Ex eodem.

Valerius Anshelmus Ryd in Catal. annorum atq. Principum.

Stephanus 2. R. P. in Galliam profectus, cum a fidelitatis juramento subditos absolvisset, Pipinum ad regiam successionem confirmatum, in Italiam contra Longobardos duxit. Qvibus bis per illum ad pacem compulsis, Papa Rom. qvicqvid sancti Petri patrimonii venit appellatione, Romano Imperio & Longobardis ademtum, Ravennæ scilicet Exarchatum, alieno Francorum Regis dono obtinuit. Italiæ ergo jam non solum & Romanorum Pontifex, sed & vel omnium Christianorum Principum Imperator esse, & gestari cœpit. Imp. 117. Car. 5. Papa 227. Paulo 3.

Idem. Stephano defuncto, pontificia majestas, qvæ hactenus & libera, & chara multis obtigerat viris, & integris, & illustribus, deinceps & violenta, & venalis multis obtigit, & indignis, & vix à nemine notis.

Idem. Calixtus III. veniarum optimæ formæ literas effudit: è qvibus tunc qvinqve ducatis redemtis, nunc minimo redimendis, 1150000. ducatos successori reliqvit. Nec mirum, cum nostris diebus Samson Mediolanensis Franciscanus octies totidem eodem negotio congesserit.

Idem. Lucius 3. Pontifex Rom. approbavit scortatorum sacra.

Idem. Ex creatione 31. Cardinalium Leo X. ac nummariis indulgentiis, dispensationibus, privilegiis, sacerdotiis & aliis, ingenti corraso nummo, agnatos nummularios dotavit, atqve simul ad utriusqve ordinis principatus aliorum injuria evexit.

Pandulphus Collenutius Histor. Neapolis. libro 4.

Fridericus II. Imperator tot ingenii, corporis, fortunæqve dotibus ornatus, tamen Ecclesiæ hostis judicatus fuit: ac videtur qvidem aliqvid tale fuisse, postqvàm lata esset adversus eum ab Innocentio qvarto sententia, qvæ sexto Decretalium libro postea inserta fuit: nec proinde hanc rem esse amplius forte in dubium vocandam. Qvod etiamsi ita sit: tamen si ea, qvæ gesta ab illo suprà commemoravimus, aut qvæ à diversis scriptoribus literarum monumentis tradita sunt, considero, aut etiam epistolas ejus scriptaqve perpendo: nescio sane, an illum Ecclesiæ hostem declararint: qvod de pontificiis nimis vera prædicaverit: multaqve in eorum moribus, totaqve illa Apostolica vita desideravit: aut qvod Imperii jura acrius defenderit: aut deniqve, qvod nimis in Italia potens, qvàm voluissent, fuerit. pag. 469.

Indicium hujus rei relinqvam eqvidem æqvo rerum à Friderico gestarum lectori: sed interim, dum cogito. Christum (qvem Vicarii sui pontifices, sicuti præcepit, imitari, eiqve ceu ministri parere debent) mandasse, ut gladium in vaginam recondamus, nec septies tantum, sed septuagies septies delinqventi condonemus: & ex altera parte video tot insidias, atqve proditiones adversus Fridericum institutas: tot legatos Ecclesiasticos, qvi pastores appellantur, contra eundem in regnum Picenum, Longobardiam, Angliam, Flaminiamqve missos: tot urbes atqve regiones ob eandem causam devastatas: tantum Christiani sangvinis effusum: & illum tamen victorem semper evasisse: Pontificios verò, qvi adversus eum se conjunxerant, infortunatos semper succubuisse: non possum non approbare, qvod Pius Pontifex in historia Australi scripsit: nihil videlicet excellenter malum in Ecclesiâ catholicâ patrari, cujus prima origo à sacerdotibus non dependeat: ni forte occulto Dei consilio fiat.

Ego sanè multas Friderici epistolas (qvæ extant) vidi atque legi, cum ad Pontifices & Cardinales, tum alios Christiani orbis principes, privatasqve etiam personas exaratas: sed nihil in eis deprehendi contra fidei nostræ regulam, nihil hæreticum, nihil deniqve, qvod aliqvam Ecclesiæ oppressionem aut contumaciam redoleret. Sunt eqvidem in iis multæ quærelæ, lamentationes, admonitiones de avaritiâ & ambitione sacerdotum: de pontificis pertinaciâ, qui suas excusationes & Imperii defensionem audire nolit: deqve insidiis, quæ sibi struerentur.

Et qui harum rerum veritatem, & magnam principum virtutem cognoscere desiderat: is legere poterit inter cætera, unã ex ejus epistolis ad omnes Christianos principes scriptam, cujus exordium ita habet: Collegerunt Principes, Pontifices, & Pharisæi concilium in unum, & adversus principem Christum Dei convenerunt, &c. Et aliam item, qvam scripsit ad collegium Cardinalium, ut dissvaderent Pontifici, ne discordias inter ipsos & Imperium aleret, qvæ ita incipit: In exordio nascentis mundi, &c. & eam item, cujus principium est: Infallibilis veritatis testem, & supremum Justitiæ judicẽ obtestamur, &c. In hisce intercætera scribit alicubi hoc modo: Nos cũ sacro-

sacrosanctâ Romanâ Ecclesiâ discordias nullas habemus, sed injuriam atq; impetum hujus Romani Pontificis propulsamus, & imperii nostri jura defendimus: & tamen cum eo semper pacem habere desideramus, & etiamnum cupimus. Alia qvoqve ejus extat epistola, ad Principes itidem Christianos conscripta, in cujus fine alia qvædã ait, qvæ non tam ob elegantiã, qvàm ob veritatem ipsam huic nostro compẽdio inserenda putavi. Nam cum nostris tẽporibus peropportunè conveniant, forte poterunt bonũ aliqvem hominẽ ad veram viam reducere. Scribit autem in hanc ferè sententiam: Qvod vobis legati nostri retulerunt, credite ceu rem verissimam, non aliter, ac si eam D. Petrus jurejurando confirmasset. Añon videtur vobis, lata adversus nos de propositione sententia, Imperii majestatem læsam esse? Sumus n. puritatis nostræ cõscii, & Deũ nobiscum habemus, qvem obtestamur, nos semper eo spectasse, ut sacerdotes adduceremus ad perseverandum in vera fide, cujusmodi in primitiva Ecclesia fuerat: dũ vitam Apostolicam & Christi humilitatem imitabantur. Solebãt n. tunc clerici Angelos sæpè videre, miraculis fulgere, curare infirmos, suscitare mortuos: nec armis, sed sanctitate sua principes subjugare: qvi vero hoc seculo vivunt, mundo dediti sunt, & deliciis inebriati Deum humeris induunt, & divitiarũ suarum superfluitate religionem nostram suffocant. Subtrahere igitur talibus opes superfluas, qvæ ipsis nocent, eosqve magno cum detrimento aggravant: estné à charitate alienum? Itaqve ad hoc opus una nobiscum peragendum, omnes principes invitamus. Qvi deponunt enim superflua, Deo melius inserviunt: & vos operam dare debetis, ut Deo bene serviatur.

Hæc forte sunt illa, propter qvæ eo tempore Fridericum hostis Ecclesiæ nomen mereri censuerunt: cujus rei judicium, ut ante monuimus, aliis relinqvimus. Imper. Car. 5. Papa Paulo 3. U.S.

Idem. Omnib. ita confectis, totaq; Italiâ jam novo fœdere parata, ac Rege cũ Francisco peculiari affinitate conjuncto, discedit ex hac vita. Nicolaus VI. Pontifex, anno Domini 1455. eiqve in Pontificatum substituitur Calistus 3. Is Cathalanus erat, natus Valentiæ ex Borgia familia, & pluribus annis Alfonso à consiliis fuerat, ut illius rerum peritissimus esset. Cum ergo eum regis orator interrogasset, qvo animo erga Alfonsum esse vellet, respondit: Gubernet ipse suum regnum, ego meum administrabo pontificatum.

Et qvamvis multi, fictas tantum eas esse inter illos inimicitias, existimarent, tamen postea apparuit, verissimas fuisse, ejusqve rei causam in Calisto potius qvàm Alfonso, pro communi videlicet sacerdotum natura, extitisse. Hoc enim illius animi manifestum indiciũ postea fuit: qvod, ubi de regis mortis certior factus esset, sublatis in cœlum oculis, magna lætitia in hæc verba prorupit: Laqveus contritus est, & nos liberati sumus. Et deinde statim Fernandum ejus filium Neapolitano regno, confecto diplomate, movit.

Idem. Fuit sane Ladislaus, ut rem paucis complectar, ex eorum Principum numero unus, qvi inter bonos potius qvàm malos recensentur. Illius autem mortem testantur qvidam (& communis qvoqve fama est) veneno fuisse procuratam, Perusiæ videlicet à muliere, cum qva consvetudinem habere soleret: qvæ Florentinorum instinctu pudendum venenato medicamento inungens, illum qvoqve infecerit, eamqve rem ajunt in hunc modum accidisse.

Erat mulier illa Medici filia, juvencula, pulcherrima, cujus consvetudine rex plurimum delectabatur: ex qva re sumta occasione, qvi negotium hoc tractabant, maximo præmio proposito medicum solicitaverunt, ut filiæ opera Ladislaum è medio tollendum curaret. Atqve illi hanc ditescendi rationem non negligendam esse, ratus, ungventum venenatum filiæ tradidit, jussitqve eo inungere pudendum ante coitum: sic enim fore, ut regis amor erga illam magis, magisqve augeretur, & nunqvam deinceps ab illo dereliqvi posset.

Qvamobrem simplex juvencula, regis amore capta, parenti obtemperavit, & membrum inungens statim interiit: deinde rex eodem, uti diximus, veneno infectus, itidem mortuus est: sed non sine deliriis: in extremo enim vitæ spiritu ferè, vehementer inter cætera inclamabat, ut Florentini Paulum Ursinum caperent: & alia ejus generis item multa repetebat, de qvibus valens prius diligenter cogitasset. Dicitur autẽ venenum id ex succo Napelli compositum fuisse, re alioqvin maximè venenata.

Idem. Joanna Regina Neapolitana Andreasso Regis Ungariæ fratri nubit, qvi etiamsi juvenis esset, tamen cum usu veneris infrenatæ, reginæ libidini minimè sufficeret, strangulatus ab ipsa fuit clàm. Libertati igitur suæ & regno restituta secundis nuptiis Ludovico Tarentino juveni formosissimo nupsit, qvi, qvia & ipse nimia venere exagitabatur, interiit. Illa tertiò Jacobo Tharaconensi copulata fuit, cui paulo post caput amputavit. Qvarto Othoni Brunsvic. qvi in singulis pedibus senos digitos habuit, juncta, capto regno, ut ab ea Andreassus, sic & illa suspendio sublata fuit. Qvam Lucas Parmensis I.C. non Reginam, sed ruinam appellandam asseruit, & de imperio fœminarum binos hosce versus composuit:

Regna regunt vulva, gens tota clamat simul ob væ.
Interitus regni est, à muliere regi.

Maria

Maria ejus soror capite tum qvoq; plexa fuit, tanqvam socia scelerum Joannæ. Illa Maria fuit, qvæ tantopere à Joanne Bocacio, qvi tum florebat, adamata fuit. Cujus causa binos eleganter libros lingva Italica conscripsit, qvi FLAMMETTA & PHILOCOLUS inscripti sunt.

Pand. Collenutius, & Henricus Gundelfingius in hist. Austriacâ.

Carolus, victo Conradino, ultimo Duce Svevorum, juvene nunqvam satis laudato (ut de eo supra) collectis omnibus Juris interpretibus, qvæsivit ex singulis, qvid de eo agendum esset, qvi omnes ex jussu & præscripto Caroli respondisse feruntur, morte eum mulctandum. Eandem sententiam approbavit etiam Clemens Pontifex.

Idem. Ferdinandus namq; primus hujus nominis, defuncto Alphonso patre, administratione regni Neapolitani suscepit, qvod Rex moriens testamento ei legaverat, & jam antea qvoq; Eugenius IV. & Nicolaus V. Pontifices confirmaverant. Sed Calixtus 3. ubi de Alfonsi obitu certior factus est, statim decimâ die post pronunciavit per diploma consvetum, regnum Neapolitanum ob regis mortem ad Ecclesiam devenisse, & Rege carere: simulq; Ferdinando mandavit, ne id occupare tentaret, sub pœnâ sacræ censuræ: & omnibus incolis imperavit, ne illi deinceps parerent.

Qvod sanè, uti tunc vulgo ferebatur, non faciebat propter Ecclesiæ utilitatem, qvam mihi parvi facere videntur recentiores pontifices: sed ut regni jura in nepotem qvendam suum, aut filium fortè, Petrum Ludovicum Borgiam nomine, conferret: cui modo Cypri regnum, modo Imperium Constantinopolitanum promittebat, cæcus videlicet ob amorem nimium, qvo illum proseqvebatur: jam ætate decrepitâ puerilibus hujusmodi cogitationibus deditus. At Ferdinandus qvidem eâ re cognitâ, provocavit ad futurum concilium: sed fortuna illi adversus molestias, qvæ illi parabantur, promtius remedium obtulit. Calixtus enim mox seqventi mense, jam octoginta annos natus, paucis diebus ægrotans interiit.

Idem. Ludovicus 4. Ungariæ Rex fratrē vindicans Regnum occupat. Clemens V. Pontifex ante inhians prædæ, non obstante facinoroso delicto Joannæ, illam regno restituit, & mercedis loco urbem Avinionem accepit.

Item libro 5. Urbanus Papa duos donavit eqvestri ordine: ex qvo constat, etiam Papam eqvites creare.

Idem de Carolo Rege Siciliæ, Caroli F. loqvens ait: Potu, cibo, veneriesqve rebus modestè utebatur, non aliter ac si religiosam vitam ageret. Ex qvibus eruitur, Religiosos qvidem non omninò castos esse, sed tamen venere pro exercitio honesto uti. Anno

Idem. Petrus Murronæus ex heremitâ in Pontificatum, urgente Carolo, evectus est. Sed qvia invitus eum susceperat, pontificatui iterum renunciare cogitabat. Carolus conabatur ei hoc renunciandi consilium dissvadere: & cum Neapolim commigrasset Petrus, qvi jam Cœlestinus V. nuncupabatur: Carolus ipsemet & per Neapolitanum Archiepiscopum nihil aliud faciebat, qvàm ut eas cogitationes illi eriperet.

Ille tamen nihilominus Benedicti Cajetani Ananiensis Cardinalis malitiâ sollicitatus, sexto mense, postqvam fuisset electus, ubi solēnitate qvadam populo bene precatus esset, Pontificatum resignat, & collegio liberam potestatem eligendi novum Pontificem, facit. Qvamobrem substituitur illi Neapoli idem Benedictus Cardinalis in pontificatu, qvi se Bonifacium octavum postea appellari voluit, & ubi per añum Neapoli degisset Romam concessit: & ibi magnâ crudelitate Petrum Murroneum seu Cœlestinum V. in vincula conjici, necariq; curavit, metuens, ne ob singularem pietatem ad Pontificatum denuo revocaretur.

Laurentius Frisaus, Wasseburgius, AEmilius, & alii. pag. 447

Theodoricus Rex vicesimus Galliæ obiit, relicto fratre Childerico Simplice: Illius Major Domus sive Gubernator fuit Carolus Martellus: hujus vero filius Pipinus curtus, Childerici. Erat autem tunc qvidam Burckardus: is, qvia adjutor fuit Bonifacio Germanorum Apostolo Episcopo Moguntino in reformanda Germania à Gentilismo, & conversione ad fidem in Christum, magnum inde contraxerat singularis pietatis in Ecclesia, spectatæqve vitæ integritatis nomen, per qvod etiam dignitatem Episcopatus Wurtzburgensis fuit consecutus. 1540.

Eodem vero tempore illi Pipino suggestum fuit, qvod, si regnum sitiret Galliarum, facilimè eo potiri posset: non deesse enim propter Childerici inhabilitatem hujus rei optimam commoditatem & media: at in hoc, propter sacrum Regi datum juramentum, illaudabile & impium factu dixit: cui econtra responsum fuit: Papæ ex potestate sua divina & S. Petrina, qvorum ille sit vicarius & successor, perfacile esse, tum aliqvem inidoneum Regno, qvalis esset Childericus, Imperio submovere, & ejus alteri digniori tradere, habenas: cum vero & ipsum & subditos à præstito fidelitatis & observantiæ juramento absolvere.

Burchardus igitur ille cum Volrado, Pipini Capellano, Romam hujus negotii

Anno

debebat. Imperatore 117. Carolo 5. Papa 227. Paulo 3.

1540 *Libri Hebraici Zohar, Bahir. & Kacanati.*

Erat mulier qvædam Parisiis, in Latina, Græca, & Hebraica lingva, imo etiam divinis mysteriis & reconditis doctissima: qvæ, omnem scientiam ex his libris se hausisse, affirmabat: qvod recitat vir Nobilis Joannes de Marconville Gallus, in tractatu suo de virtutibus & malitia sexus fœminei.

Hic pro certo qvoq; asserit, Joannem 8. Papam fuisse fœminam.

Idem indubitanter confirmat Petrus Melliæ Hispanus in libro variarum lectionum: qvæ suprà relatis de eodem Joanne 8. adscribenda sunt.

1540 *Joan. Tilius in Chronico.*

Carolus 5. Rex Galliæ jussit, sacra Biblia fideliter verti in Gallicum sermonem, qvod posteriores Papæ propter suas causas prohibuerunt. Imp. Carolo 5. papa Paulo 3. ut suprà.

Idem. Sit Regibus speculum, qvod David rex & Propheta demonstravit dicens: Intelligite reges, servite Domino in timore, & exultate ei in tremore. Qvamobrem adjicitur Sapientiæ 6. durissimum horrendumqve judicium eis incumbere, qvi aliis præsunt, & potentes potentissimè cruciatum iri: qvia Dominus omnium, qvi æqve parvum fecit atqve magnum, personam non accepturus est. Hæc dicta sunt vobis, ô reges, ut discatis sapientiam: & consiliarii, ut eo moneatis sedulo, Deumqve oretis, ut hoc gratiosè ipsis largiatur: sic enim fidelis præstatur servitus, non autem assentando, aut mala consilia ministrando, qvibus modis casus ruinaq; funesta regibus & regnis accersitur.

Idem. Regibus corona Sphærica est, ut figuretur, eum divisionis expertem esse: Coronæ insunt flores, prærogativas & jura ad Regem solum pertinentia designantes, ut Baldus I.C. ait.

1540 *Joannes Cuspinianus in Friderico 2.*

Ipsi [Pontificum Rom. adulatores volunt, omnia licere Pontifici, ac utrumqve possidere gladium, omnesq; Imperatores servos esse Rom. Antistitis. Moritur Honorius, succeditq; in defuncti locum Hugolinus Hostiensis episcopus, Gregorius IX. dictus. Qvi homo superbus ac temerarius, omnia sibi licere putans, ob causas frivolas & vanas, nullo juris servato ordine, Fridericum imperatorem diris ac anathemate ferit. Qvód principibus imperii cõqvestus Imperator, literis innocentiam suam, & omnis vitæ suæ cursum latissimè explicavit. Non enim aliam causam habuit Pontifex, qvàm qvod votum peregrinationis Hierosolymitanæ (qvod non poterat multis rebus obstantibus exseqvi) adhuc non solvisset.

Licet enim Aqvis crucem acceptasset: res tamen imperii adeo tum confusæ fuerant: qvod neqvibat maturare iter in Asiam. Stipendia tamen militibus liberalissimè largitus est, & septingentos externos, trecentos de suis aluit, & omnia necessaria præbuit. Ob id nullam amissionis urbis Damiatæ causam habuit. Cum enim jam iturus erat, adversâ correptus valetudine invitus manere cogebatur. Magna namq; cruce signatorum multitudine (qvæ Hierosolymam properabat) ad maritima loca adveniente, subito à peste & aëris insveti alteratione correpti, patiuntur plurimas incommoditates.

Multi enim principes & nobiles miserrimè pereunt. Inter qvos Seufridus Augustensis Episcopus, Ludovicus maritus S. Elizabeth, Landgravius Thuringiæ, & innumeri sunt alii. Imperator qvoq; trajecturus mare, cum ægrotare inciperet, coactus est redire in terram, qvi valetudinarius ex mari Brundusium appulit. Italici scriptores, se ægrotum finxisse, scribunt, ut supellectile Landgravii raperet. Non potuit ob id cavere, qvin Gregorius eum iniqve excomunicaret, non modo non auditum, sed neqve convictum, neqve conventum. Licet enim per nuncios honestissimos honestas offerentes excusationes, sese excusaret, submisseq; veniam, si deliqvisset imprudens, peteret: noluit tn. illos neq; admittere præsentię suæ, neq; audire in conspectu concilii. pag.463

O integritas Romani Pontificis! Nõ erat Pontificibus satis, dũ eis infans & puer penè Fridericus, & à patre Henrico & Cõstantia matre commendaretur, regnum paternum magnum pati detrimentum, & pupillarem hæreditatem in multas scindi partes: sed præter hæc incommoda Otto interim coronatus Cæsar fit, nõ sine ejus ignominiâ: ac Fridericus in maximis corporis sui periculis constitutus, præsentem habuit timore mortẽ. Ad hæc ut facilius terram sanctam recuperaret, svasu Honorii Pontificis, reginam Hierosolymitanam duxit uxorem: ob qvæ Imperator certe erat venerandus non molestandus. Sed odiũ Pontificis tam gravè fuit, ut nullis posset medelis curari.

Obortæ igitur in universo orbe Christiano maximæ turbæ, ac gravissima dissidia, Pontifex qvotidie fulmen anathematis jaculatur. Imperator principibus id conqveritur, & nobilissimos qvosqve, inprimis autem insignes illos de Frangepanibus ex urbe ad se accersit, vasallos imperii creat, multisqve privilegiis & immunitatibus honorat. Deturbatur ex urbe Pontifex: expugnantur Italiæ civitates multæ.

Pontifex] Joannem Hierosolymitanum regem excitat, & comites Tusciæ Thomam ac Matthæum, aliosqve insignes è Longobardia proceres (multa illis subministrata pecunia) ut Cæsarem lacesserent.

Ravennæ itaqve Imperator conventus diem principibus iterum indixit. Sed Veronenses ac Mediolanenses non modo principibus iter interceperant, sed & cruce signatos deprædabantur, spoliabantq; omni viatico. Idq; jussu Romani Pontificis, qvi prius ad Hierosolymitanam expeditionem omnes Christianos principes per Cunradum Portuensem Episcopum, Cardinalem & Legatum per Germaniam, non modo adhortabatur, sed & efflagitabat.

Imperator nihilominus, defuncta sibi in puerperio conjuge, liber matrimonio, Hierosolymitanam expeditionem, jam diu meditatam, ut & votum exolveret, & Pontificem deliniret, maturat. Trajectoqve mari Cyprum pervenit. Dehinc Accon applicuit, ubi honorifice qvidem ab hospitalariis Teutonicis S. Mariæ à Genuensibus & Pisanis exceptus, & nonnullis aliis militibus, qvi ejus stipendio militabant. A templariis vero multa perpessus iniqva: Veneti enim vacillabant.

Dum Imperator ob fidem Christi multo sudore, ac labore cum Soldano de pace agit: Vicarius Christi (ut sese vocat) captata occasione, ob absentiam Imperatoris, totâ Apuliam cum ingenti exercitu in ditionem suam subigit, Cruce signatos qvi transfretare cupiunt, prohibet: imo & ab Apuliâ & Longobardiâ rejicit, multaqve portentosa, Pontifice & Vicario Christi indigna facit. Dum Imperator oves Christi, ne à lupo discerpantur, ense suo tutatur ac defendit: Pontifex radit, deglubit, & devorat saginatas. Hoc est enim verè pascere oves juxta doctrinam Christi.

Imperator pius nihil tale suspicatus, civitatem Hierosolymam, Nazareth, Joppen, cum adjacentibus oppidis ac villis à Soldano Babylonico recepit: cum illo qvoqve inducias deceñales paciscitur. Urbem sanctam restaurat, multisq; ædificiis & hanc & alias urbes adornat. Diemq; gloriosissimæ Resurrectionis Domini, regio more diademate ornatus, summa cum hilaritate, cum principibus multis festivè simul & religiosè celebrat: ac Pontificem literis certiorem de omnibus actis reddit, congratulationem ab eo expectans, & gaudium publicum Christianorum.

Pontifex superbissimus, contemtis ac abjectis literis, famam spargit, Imperatorem suum diem obiisse, qvo facilius aliqvot Apuliæ urbes, qvæ adhuc in fide steterant, ad se flecteret. Reversos autem Alemannos Gallosqve, ac alios milites, ne verum dicerent, truculentissime sine causa occidi fecit. Cognita hac fraude, Imperator cum ingentibus copiis in Apuliam revertitur: Pontificis expellit exercitum: terras suas sibi ablatas nullo labore recuperat. Longobardi & Tusci novam cum Pontifice ineunt conspirationem contra Imperatorem: qvem iterum anathemate execratur, qvod cum Soldano Imperator fœdus pepegisset. Non enim tum aliam habuit causam benignus Christi vicarius.

At Imperator tanqvam fortis athleta, omnia fortiter ob amorem Christi patiens: licet nuncios Pontificis intercepisset cum literis ad Soldanum, qvibus hunc rogabat, ne terram sanctam Cæsari redderet, qvemadmodum rumore incerto intellexisset, (ô scrinium pectoris sanctum!) omnia dissimulat, cum omni obedientia, cum justitiæ exhibitione, si qvid deliqverit, absolutionem petit, accersitis Allemanniæ Principibus, Patriarcha Aqvileiense Bertholdo, Salisburgense Episcopo Eberhardo, Ratisponense Seufrido, Augustense Siboto, Austriæ Duce Leopoldo, Ottone Moraniæ, & Carinthiæ Bernhardo ducibus, & aliis qvibusdam, qvibus res commissa est, ut pium Cæsarem cum Pontifice superbissimo componerent, Imperatore tum Capuæ agente.

Sed re infecta discesserunt, inq; seqvêtem annum negotium est dilatum: ac res in concordiam venit, potissimum adnitente Leopoldo Duce Austriæ, qvi postea pacem factam obiit. Imperator absolutus à pontifice, simulatâ amicitiâ convivio accipitur. Italici scriptores tradunt, Imperatorem emisse absolutionem à Pontifice per magistrum militiæ Teutonicæ centum viginti millibus unciis, in ærarium Ecclesiæ relatis. Qvod si verum est, carus est mercator, cum gratis acceperit claves solvêdi à Christo, nullis datis nummis Christo.

Reversus in Apuliam Imperator cum filio, Fridericum Leopoldi filium, Austriæ & Styriæ ducem, qvi ob rebellionem proscriptus erat, cupiebat reducere, & cum eo pacem tractare. Sed cum ille intractabilis esset, & Imperator usqve Viennam Austriæ progressus, rebellem ducatu spoliare conaretur, facta est tandem concordia per ejus sororem Margaretam, qvæ filio Cæsaris Henrico data est uxor. pag. 63

Interim Romani Viterbienses ferro flammisq; adorsi sunt, cum in apertam rebellionem Pont. Rom. desciviisset. Ob id Pontifex Romam petere non ausus, Imperatorê denuo, qvod in Germaniam ivisset, anathemate ferit, veritus, ne id, qvod interea machinatus erat, exploraret, qvod & factum erat. Nam cum Imperator in Germaniam veniret, emendaturus qvosdam Henrici primogeniti errores: intellexit à principibus coram, missos à Pontifice nuncios, qvi mandassent ejus nomine, ne ullum de Friderici filiis, deqve ejus domo in Regem eligerent.

Cum

Cum ita se haberi ludibrio intelligeret à Pontifice licet illi per suos nuncios, in Germaniam itineris causam significasset: iratum plenus Italiam ingreditur, hostibusqve Pontificis sese jungit (qvanqvam prius Encium filium ex concubina, qvem Sardiniæ Regem declaraverat, in fœdus pacis obsidem obtulisset) multas Italiæ urbes, multas Umbriæ, multas Ethruriæ expugnavit: Longobardos rebelles compescuit: Veronam in suam ditionem cepit, in Mantuano agro duo oppida incendit, obsidionem Mantuanis minatus. Vincentiam per vim cepit, flammis evastavit. Paduanum agrum populatus, totamqve Longobardiam qvasi evertit, pluribus cladibus afflictis Mediolanensibus. Viterbium, Favenciam, Perusium, Cremonam devicit. In Brixianos ducens Carummontem direptum incendit. Mediolanensium præsidem in vinculis diu tenuit, ac in Apuliam misit, ubi trucidatus est.

Ob id iterum excommunicatur Imperator à Gregorio, qvi, cum Venetis adversus Fridericum eâ causâ fœdera percussit. Sed Cæsar factus certior, Petrum de Vineis virum eruditissimum, & magistrum Epistolarum, jussit Patavii in die resurrectionis gloriosæ Domini nostri JesuChristi dicere sermonem de anathemate, & de Romana Ecclesia, innocentiam suam pluribus ostendens. Tradit Albericus, Imperatorem indignabundum Pontifici hæc inter cætera scripsisse:

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Cui Pontifex ita rescripsit:

Niteris incassum navē submergere Petri,
Fluctuat, ast nunquam desinet esse ratis.

Fridericus:

Fata volunt, stellaqve docent, aviumqve volatus,
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Papa:

Fata volunt, scriptura docet, peccata loqvuntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis (erit.

Cæterum qvum jam potior pars civitatum Italiæ Imperatori adhæreret, ac Romani propè omnes ad Cæsarem deficerent: Pontifex supplicationes instituit, ac capita Apostolorum circumferri jussit. Habitaqve in basilica S. Petri oratione commiserationum plenâ, populum cruce signavit, tanqvam adversus infideles pugnaturum, qvem contra Fridericum magnas copias ad urbis mœnia ducentem, eduxit.

Indignatus Imperator, contra se dari crucem, captivorum (qvos strage facta cepit) capita, qvi sic signati essent, qvadrifariam scindi jussit. Urbeq; tandem relictâ, Beneventum urbem cepit. Hinc in Picentes exercitum educens, Asculanum vastavit agrum. Dehinc templariorum bona ubiqve diripuit, Saracenorum opera strenuè usus in bello. Ob fidem, qvam præstiterunt, eis urbem dedit multis immunicatibus dotatam. Occupata tandem Ravennâ, Pontifex Lateranum indixit concilium. Sed par pari referens Imperator, iter adeo interclusit, ut venire pauci possent, multis etiam captis.

Mortuo Gregorio Pontifice, qvum Cœlestinus decem & octo sederet tantum dies, uno & viginti mensibus sedes vacat, qvod Cardinalibus iter non satis tutum videretur ad urbem. Tum Fridericus Favenciam fame oppressam diripuit, ac Bononiam Studio privavit, qvod Paduam transtulit, Parmamqve obsedit. Interim Innocentius IV. Pontifex creatur, olim Friderico amicus, sed in dignitate Papali capitalis est factus hostis. Nam in Lugduno concilium celebrans, Fridericum & citari jussit, & ipse concionabundus citavit. Qvanqvam Tadæus Svessanus, jureconsultus insignis, Cæsaris legatus, temp9 veniendi opportunum precaretur.

Ira itaqve succensus Romanus Pontifex, Imperatorem anathemate feriit, multa indigna, fingens, contra Christum esse locutum Cæsarem. Qvæ tanquam falsissima, & plane conficta in qvadam epistolâ diluit Fridericus ad universos prælatos, cujus exemplar reperies lib. 1. Epistolarum Petri de Vineis Epistola 32. Erat enim hoc concilium in odium Imperatoris coactum, in qvo eum imperiali dignitate privat, à juramento fidelitatis principes absolvit, atqve ut alium eligant, adhortatur, multas afferens causas: perjurium scilicet, sacrilegium, clericorum captivitatem, & id genus plurima scelera, de qvibus sese Imperator qvam honestissimè perpurgavit. pag. 471.

Effecit tamen, ut principes Henricum Landgravium Thuringiæ, dehinc comitem Hollandiæ Guilhelmum eligerent. At Fridericus ea intelligens, Parmæ obsidionem solvit, Lugdunumqve properat, tot & tales secum educens, ut togatum agmen par exercitui videretur, multisqve seculis à nemine visum. Non cessavit tamen odium Pontificis in Cæsarem, qvem perdere noctes diesqve cogitat: detectaq; est conjuratio Theobaldi, Francisci, Guilhelmi de Sancto Severino, & Pandulphi de Fasanollis, qvi autorem Pontificem confessi sunt, ut Petr9 de Vineis libro Epistolarum secundo, Epistola 10. item & 20. testatur. Non potuit tamen cavere postremo, qvin ubi in Apuliam redierat, veneno periret, anno Imperii 37. ætatis vero 57. ea die, qva olim erat IMPERATOR designatus.

Cum enim in Apulia apud Florenzolam ex accepto veneno graviter laboraret, ac tan-

Anno actandem medicorum diligentissimâ operâ ex longâ convalescere ægritudine inciperet, à Manfredo adolescente spurio, ex concubina ejus nobili, ori injecto pulvino, suffocatus est. Sive ab hostibus aut Pontifice corruptus id fecerat: sive qvia ad Siciliæ regnum aspiraret, de qvo paulò pòst plura. Sed alii Florenzolæ illum tradunt sepultum, alii Panormi, qvod verisimilius est, alii Tarenti: tam occulte est mortuus. Vide, qvàm Cuspinianus, aliâs Pontificius, Papæ huic abblandiatur scilicet. Utinam omnes alii tam liberè vera dicerét. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Vbertinus Pusculus, & Joannes Bocatius de Cartaldo, ex eodem.

SCRIPSERUNT hi de captivitate Constantinopolitana, qvorum primus ei bello interfuit. Alter vero cum aliis, tradunt, qvòd Turcæ in hoc excidio, facto ANNO 1453. simulachrum crucifixi, tympanis præeuntibus per fora, per plateas, per vicos, ex urbe, ad castra rapuerint, sputo, luto, jaculis incesserint, pileo imaginem capitis dehonestaverint: En Christianorum crucifixum DEUM, summis blasphemiis & conviciis per irrisionem inclamitarint.

Cruci etiam eulogium inscriptum passim legitur: HIC EST CHRISTIANORUM DEUS. Eaqve omnia sunt repræsentata, qvæ in illum Judæorum gens olim impia patrârat: putantes, se majestatem summi ac maximi DEI, Domini nostri JESU CHRISTI, qvæ impassibilis est, & ejus perfectionis, ut nec laudibus efferri, nec conviciis fœdari possit, dehonestare.

O immensum scelus: qvid posset excogitari horribilius? qvid dici crudelius hac sævitia, qvam spurcissimi & perfidissimi Turci impune egerunt? Eruti deinceps civium thesauri absconditi: qvos si in communem usum vertissent, non triumphasset sceleratus victor de Christiano sangvine. Triduo itaqve misera civitas vexata, atqve ad arbitrium impotentissimi victoris cuncta direpta. Inde qvicqvid regii sangvinis, mares fœminæqvè illustres superfuêre, aut inter epulas prægravante vino fœde jugulantur, aut victoris libidini (qvod morte gravius) reservantur.

Rirelucas, qvem alii Lucam Notaram vocant, qvi post Constantinum Imperatorem secundus erat, cæso ante oculos majori filio, altero ad illicitos usus reservato (duo enim alii ejus filii bello ceciderant) in convivio ante tyrannum securi percussus est, cum aliis filiis duobus, Isaacio & Joanne, illustri probitate adolescentibus: qvum supplici voce humiliqve fletu tyrannum perfidissimum rogasset, ne carum atqve pudicum puerum Jacobum, qvem abominabilis raptor suæ spurcissimæ libidini destinârat, à paternis complexibus avelleret.

Est præterea in hoc excidio illud admirandum, qvòd hanc urbem CONSTANTINUS MAGNUS Imperator, ex Helena matre progenitus, miro ornatu extruxit, & è ruderibus novam penè reformavit: qvam Constantinus VIII. qvi ejusdem nominis matrem Helenam habuit, Turcorum jugo subdidit: in qva nunc per septuaginta penè annos non sine gravi & pudendo dedecore Christianorum principum, Mahometes primum, Bazzites deinc ejus filius, tum Selimus Syriæ & Ægypto formidolosus, post Solomet imberbis tyrannus dominantur: effrenem libidinem in cunctos exercentes finitimos populos, sive sacerdotes sint, sive pudicæ honestæqve fœminæ, qvibus non pro calonibus aut lixis, ut olim Romani, sed pro jumentis utuntur: his vehunt, his arant, his fodiunt terram, his abjectissima qvæqve exercent & erubescenda ministeria.

Qvòd si ad pœnas ac supplicia perventum est, per extremos corporis cruciatus ducuntur, excoriantur, verubus suffiguntur, secantur, rotis insuuntur. Hæc Christiani principes sciunt, audiunt, sentiunt, vident, & animo tardissimo patiuntur. O infelix socordia, ô nimis misera principum Christianorùm felicitas: nunqvid illud scitis notum omnibus Poetæ proverbium:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Nunqvid videtis, ô principes socordes, universam Asiam à Phœnicibus & Medis, ad Hellespontum usqve, Turcorum parere tyrannidi? In Europam vero, jam annos aliqvot Hellespontó superato, accersiti sunt à THEODORO CANTACUZENO adversus generum suum, qvem execrabilis & socer & tutor, Constantinopolitano imperio fraudaverat: dum simulant fallacissimi latrones Turci, auxilium se laturos illi deliro seni, Callipolim & Chersonesum primo, deinde totam propè Thraciam occupant, Mysos, Macedonas, Thessalos omnes, Bœotios, universam Græciam, Ætolos, Epeirum, Illyricos, ad intimam usqve Dalmatiam, teterrima servitute premunt. Insulæ plures, qvæ à sinu Adriatico ad mare jacent Ponticum, vastatæ jam sunt, & desolatæ.

Sed nec modò qviescunt, aut ulla ex parte remittunt efferatæ belluæ, sed qvotidie magis ac magis (ut sunt & prædæ & cædis avidissimi) nunc in Getas, qvi trans Istrum incolunt, nunc in accolas Hungaros & Germanos impetum faciunt. Nostri autem principes, aut illos contemnentes, aut negligentes, in hanc decidunt calamitatem

micatem ac dedecus, ut suis sensibus, sua ratione privati, nesciant qvid agant.

Hungari, qvorum Regnum antemurale & Christianitatis clypeus vulgo appellatur, inter se tàm factiosi, tàm discordes, tàm segnes, ut in tanta rerum affluentia ex argento cœnent, ex auro bibant, capita auro onerent, & torqvibus & catenulis colla, pectora monilibus & fibulis ornent aureis ac argenteis, pedes item calcaribus ex argento condecorent, toti splendidi. Necdum luxus finis, onerantur & bestiæ ac equi phaleris argenteis & aureis. Nec nobilis censetur, qui non abacum instruit auro argentoq; onustum.

Alias autem nationes contemnunt, nec sinunt suppetias (nisi coacti) afferre, qvod si tulerint rogati, tum in eos desæviunt magis, quàm in canes, qvos alias natura odiunt, planè furibundi & dementes. Ac priusqvam se talibus spoliarent divitiis potius omnia sua Turco reservant, brevi omnia ablaturo, ut olim Constantinopolitani cives suo Imperatori auxilium negantes, omnia Turco servabant spolianda, ut scripsimus.

Hungaris finitimi GERMANI, in conviviis bellaces & strenui, præsertim cum noctes ac dies bibendo æqvaverint, ac omnes cyathos exsiccaverint. Nullas possunt nuptias, nulla convivia, nullos celebrare conventus, nisi ad extremam ebrietatem alter alterum ad pocula invitet, atqve ita repleat, (ut qvod dictu etiam pudendum est) coram servis ac vernaculis rursum potum evomat vinum, sub mensaqve impudicè mejat. Et cum semiamens, imo demens potius in stratum collaturum triumphus ingens excitatur, tum risus cum cachinnis exoritur.

Atqve id inter nobiles, qui præesse debent REIPUBLICAE, eamque tutari atque defendere præcipuè sit: nemoque censetur bellicosus, nisi fiat & ebriosus. Qui enim plurimum potant, judicantur magis strenui ac bellicosi. Olim multò alii, quàm nostra memoria, nobilium erant conventus, veluti pugiles, lucta, disco, cursu corpora exercebant, ut fierent bello aptiores, nunc poculis certant alter alterum superare ac dejicere.

O tempora, O mores: his igitur artibus, his studiis vincemus Turcos? GERMANIS meis, quibus natus sum, & HUNGARIS, quibus cùm longo tempore versatus, quàm familiarissimè hæc scribo. Non quod censeam, vitiis alias carere nationes quoque (quisque enim suos patimur manes) sed qvod vellem, hos vicinos & finitimos Turcis unionem quandam inter se inire, quod HUNGARI suam soli luxui servientem suppellectilem ex auro & argento, cum amplissimis suis divitiis, in eum converterent usum ut suos debellarent hostes: & Germania accepta sobrietate, cum Ungaris acies atque exercitus instruerent, concordibus animis amnestia celebrata, si alter alterum irritasset.

Tum Turcus non modo à limitibus nostrarum terrarum arcerent, sed mox è CONSTANTINOPOLITANO deturbaretur Imperio, atqve in aliquem ASIAE angulum, unde prodiit, rejiceretur. Sed iis moribus quibus hodie vivitur, planè dubito, ne brevi lares cogamur patrios trepidi relinqvere, aut in miseram venire servitutem.

Sed quid Imperii PRINCIPES? quid agunt? Sæpius vocati in comitia & à FRIDERICO Cæsare & MAXIMILIANO, ut generalis in Turcos fieret expeditio, antеqvam de sessione decernitur, uter alteri prælocandus, qvibus subselliis alterum præcedat, annus transit.

Tum fiunt hastiludia, tum adipales cœnæ. Veniunt oratores Rom. Pontificis, Principes adhortantes, ut lapsæ succurrant christianæ Reipub. Offert Pontifex cruciatam, offert indulgentias, ubi pecuniæ à misera plebe sunt corrasæ, instant fœneratores, qvi paulo ante suos nummos in luxum Principum mutuârunt, & usuram mutuatæ pecuniæ exposcunt. Solvuntur vestes scortis coëmtæ, & sumtus hospitibus abliguriti, tum nulla postea Turcorum memoria. pag. 471.

Religiosi autem Principes sacrosancti (de qvibus loqvi piaculum est) quibus in annuos redditus centena millia nummûm vix sufficiunt, ex pingui pane Christi caudatis vestibus & purpureis galeris Christianam profitentur religionem. Tres Episcopatus connectunt, ac Abbatias in comedenda (commenda volebam dicere:) potius catamitos ac scorta alunt, quàm milites, qvi pro Christi fide tutanda arma induant.

Interim Turcus tanqvam voracissima belua, Ionium mare ingressus, Asiæ primum littora depopulatus est, ac minorem Asiam occupavit: Ciliciam, Armeniam, Phrygiam possidens. Trajecto mari. Macedoniam, Thessaliam, Epeirum, Dalmatiam cum Illyrico depascitur, & Europæ claustris fractis, Hungariam mox, ac dein Germaniam vorabit.

Num id videtis Principes? Num clausis oculis more Andabatarum id cernitis? Detrahite nubem oculis, qvi ophthalmia laborant, & videte primum Christianorum cum Turcis infelicem ad Nicopolim conflictum, Duce SIGISMUNDO Hungarorum Rege, qui Anno Virginei partus fuit millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, ubi magna Christianorum strages facta, multi Duces capti, Sigismundus navicula fugiens salutem quæsivit.

Anno sivit. Attendite, quid sub Alberto quinto Archiduce Austriæ, Romanorum, Hungarorum & Boëmorum rege, An. Christi millesimo quadringentesimo trigesimo nono acciderit, Christianis cum Turcis confligentibus, ubi penè omnes, qui non fuga evaserunt, corruerunt.

Animadvertite deinceps, ô Christiani Principes, crudelissimam cladem Christianorum apud Varnam, sub Uladislao Hungarorum & Polonorum Rege, quæ Anno humani generis redemtionis accidit millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, quam mox subsecuta est millesimo quadringẽtesimo qvinquagesimo tertio Constantinopolitana ruina, sub Friderico tertio, quam jam scripsimus. Quæ omnia negligentia & socordia nostrorum Principum evenerunt, Christo Deo nostra scelera sic puniente.

Quandoqvidem, cum mentio fit Turci inter convivales Principum sermones, tàm pueriliter, tàm leviter de Turcis ut de muscis loqvuntur, qvum tamen nemo vanè debeat de suo hoste loqui, ita pericula perpessa hactenus à Christianis nihili fiunt.

Quod si hæc omnia vos non movent, numerate post captam Constantinopolim, abductam plebem ex Hungaria, Bulgaria, Croatia, Germania, & adjacentibus regionibus, in quas incursiones Turci nullo non anno cum impetu facientes, homines ut pecora ad servitutem semper abigunt crudelissimi latrones.

Nonne autem illud cordi est recipiendum, quod anno Virginei partus millesimo qvingentesimo vigesimo primo, post Cæsaris Maximiliani mortem, Carolo quinto imperante, Solomet Turcorum imberbis & imbellis Tyrannus, superato Histro, Savo, ac Dravo, fortissimas munitiones Nandaralbam, qvod & Belgradum & Taurinum dicitur, tum Sabbatz fortissimam arcem, cum viginti duobus castris, oppidis & villis, per milliaria penè quadraginta, duobus vix mensibus occupavit, nemine repugnante, nemine patrios lares defensante? Ac mox seqventi autumno quinqve millia hominum ex Croatia abduxère impii latrones.

O miseri Principes, quoad dormitabitis, qvoad segnes arma vestra rubigine consumi patiemini? Et tu, O magne Pontifex Leo, leonis fortissimi naturam quando indues? qvando crucem Christi in vexillo erectam, abjecto pontificali fastu, manibus per orbem circumduces?

Idem. De donatione CONSTANTINI satis eleganter Laurent. Valla, & ex fide scripsit, cum apud nullos alios auctores illius fiat mentio, nisi qvæ scribuntur in Decretis, ut & in Coll. nostris annotavimus. Libellus autem de elephantiâ, deqve sangvine puerorum, & Sylvestri baptismate, tanqvam apocryphus, omnino est rejiciendus, cum plenissimus sit vanitatibus & mendaciis.

Idem. In majorem veniens dementiam Imperator Valens, cum ex magicis vanitatibus intellexisset, post se regnaturum, cujus nomen à litero Θ inchoaret, omnes interfici jussit, qvi hanc literam suo nomine gerebant, Theodoros, Theodocos, Theodolos, & qvendam virum fortem ex Hispania THEODOSIUM. Qvare territi plures sua nomina inverterunt. Fertur autem ea diminutio facta esse per Libanium sophistam, & Procli discipulum Iamblichum, hoc pacto.

In pulvere viginti quatuor literæ distribuuntur, & unicuiqve singulum frumenti, vel hordei granum apponitur. Emittitur demum gallus: enunciatisqve inter hæc incantationibus quibusdam animadvertunt, à qvibus literis grana gallus sumserit, literisqve illis compositis creditur qvæsitæ rei indicium fieri. Id igitur cum illi fecissent, viderunt gallum literarũ θ. ε. ο. δ grana comedisse, visaqve est anceps ea demonstratio, cum plurima nomina ab iis literis ordiantur.

Cumq; plures essent interfecti, qvorum nomina has literas habent, jussit Valens divinationis hujus autores inqvirere. Cum autem esset iræ implacabilis, veritus Principis crudelitatem Iamblichus, sumta veneni potione, vitam exuit. Hæc Ioannes Monachus.

Idem. Carolus Crassus imperio depositus, in summa egestate adeo vixit, ut sæpius qvotidiani victus sentiret penuriam, ab omnibus suis derelictus, privam vitam miser vixit, adjutus ab Arnulpho, certis ex Alemaniâ redditibus pro victu qvotidianis qvem supplex rogaverat, ne fame periret. Et cui Bernhardum ex pellice filium unicum commendavit. Mortuus itaq; pauper sine honòre, in Augeo majori monasterio propè Constantiam, humili ac abjecto monimento sepultus, 2 Idus Ianuarii, Anno Virginei partus octingentesimo octogesimo octavo, Imperii decimo, ut aliqvi tradunt, alii vero, Imperii sexto. A suis strangulatus etiam scribitur.

Res digna spectaculo, & magnis Principibus animadvertenda, humanæ sortis insigne exemplar. Qvi enim paulo ante tot tantisqve regnis sine labore, sine sudoribus, sine sangvine partis à Carolo Magno, nulli Francorum erat inferior, momento temporis ut sic dicam, fragilitatis humanæ exemplum, omnibus suis regnis exutus, egenus & inops qværit corporis alimoniam. Nemo itaqve confidat rebus nimium prosperis, cum & regibus plerumqve varietas fortunæ occurrat, ut miseris coæqventur. Ostendit enim sæpe Deus potentiam principibus,

cipibus, ut intelligant, quoniam solus est adorandus, cujus regni nullus est finis.

Idem. Georgius Maniaces Protospatarius, & urbium juxta Euphratem præses, Edessam insignem urbem Euphratis vi cepit. Ubi Epistolam propria Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi manu conscriptam cum reperisset, Regi eam transmisit. Fuit autem hæc Epistola à Christo Iesu regi Abagaro conscripta, priusqvàm pateretur, & ex Syrorum linguâ tráslata, ab Eusebio primo Ecclesiasticæ libro est inserta, ubi exemplar leges, studiose lector.

Idem Ludovicus Bavarus Imperat. à Ioanne XXII. & denuo à Benedicto XII. diris devotus, in Germaniam Roma reversus, An. Domini 1339. convocat Francofurtum omnes Electores, Duces, Episcopos, Comites, Nobiliores quoscunque, ac humanæ divinæqve sapientiæ doctissimos quosque. Inde coram omnibus Romani Imperii proceribus congregatis, acclamatione publicâ ac solenni, novas confirmationes antiquis legibus addidit, easq; corroboravit.

Ut scilicet Electores Imperii, & nemo alius, Regem Romanorum eligant: cuique plura accedant Principum suffragia, is etiam in discordiâ verus censeatur electus, sive Rex, sive IMPERATOR. Nam in essentiâ idem, licet nomina credantur diversa. Idemqve possit (citra Apostolicæ sedis confirmationem) Imperii jura exercere & administrare. Debeat quoque mox idem, post Principum insinuationem à PONTIFICE inungi, si legitimè sit electus, nisi horrendo aliquo scelere atqve manifestario palàm sit commaculatus. Quod si recuset Pontifex, à catholico possit quocunqve antistite proclamari Imperator ac Augustus, qui prius post electionem statim verus fuit Imperator designatus, cum inunctiones istę solennitates quædam sint adventiciæ, à pontificibus adinventæ, nomina non res concedentes, in signum defensionis ac unionis Ecclesiæ Imperiiq; Romani.

Non enim fidelitatis juramentum Pontifici tribuit Imperator, sed obsequii ac fidei defensionis. Qvandoqvidem hoc juramentum nullam majoritatem operatur in temporalibus. Præterea falsissimum esse protulit, per vacationem Imperii jus ad Papam devolvi. Idque esse contra sacri Imperii libertatem, dignitatem & jura. Longâ enim & approbatâ consvetudine, inconcusse à majorum ordinatione hactenus observatâ, vacante Imperio, jus administrandi Imperii jura, feuda conferendi, & negocia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina, Pastoralis.

Hæc atqve alia multa in hanc formam, pro Imperio firmando promulgavit. Dehinc in personæ suæ excusationem, coram Regibus, Principibus, & Nobilibus omnibus, rationem fidei suæ clarisfimè reddidit, planèqve confessus est, se Christianum hominem articulos fidei integrè credere.

Idem. Cum Ludovicus Bavarus Imper. cum civitatibus ad Rhenum sitis inito fœdere, contra eos, qui distractione Principum, Germaniam vastabant, in armis esset: MARIA Brabantina ejus conjunx, Vuerdæ habitans, binas literas, uno quidem annulo, diversa tamen cerâ, atrâ & rubra, obsignatas, illas marito, alteras HEINRICO Ruchoni Decurioni equestri mittit. Atqve is qui epistolas detulit, errore seductus, rubra cera complicatas Ludovico tradit. Qui lectis literis amatoria agi suspicatus, dissimulatâ re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis potest itineribus, ad uxorem diu noctuqve contendit, & indicta causa adulterii cōdemnatam securi percuti jubet. Postea veluti conscias, Helicam virginem Prennebergensem cultello confodit, & aliam fœminam nobilem, quam gynæceio præfecerat, de turri præcipitavit, An. 1256. Aventinus lib. Añalium Bojorum.

Ob id mirandam habuit & horrendam nocturnam visionem, qua unâ nocte totus factus est canus. Inde pœnitentia ductus, Pag. 471. monasterium in Bavariâ suprà Amrâ, quod Principis campus, patria lingva Fürstenfeld dicitur, extruxit, & donariis ac censib9 locupletavit.

Idem. Occiso Procopio tyranno à Valête Imp. CHALCEDONIS mœnia (quod ejus urbis cives Procopii partib9 favissent) solo sunt æqvata. Qvod dum fieret, in eorum fundamétis lapideam tabulã, cui hæc inscripta erant, repererunt.

Urbem cum Nymphæ choreas ducent prope sacram,
Ornatasq́ vias sertis: postquam & miseranda lavacris
Mœnia ponendis fuerint conversa, videbis
Mille hominum species, variis è gentibus, acri
In prædam rabie ardentes, validis heu viribus, ire
Trans Istrum & mare Cimmerium, tunc Moesia tellus,
Tunc Scythicæ gentes clade perdentur amara.
Cum tandem ad Thracas, ducente cupidine lucri,
Barbarus irrumpet, fato extinguetur iniquo.

Hoc vaticinium tum non intelligebatur sed post est impletum, cum Valens aquæductum exædificasset, & abundantiam aqvarum

Anno rum urbi induxisset. Is namque excisis montibus, saxis ad aquæductum usus est, quem Valentem dixit de suo nomine, ut oppidanis gratificaretur, & balneæ hoc aquæductu juvarentur, licet aliqui thermas Constantianas apellarent. Tandem urbis præfectus Clearchus, in loco, cui nomen est Tauro, postea Platea Theodosii dicta, Nymphæum extruxit, ut inductę aquæ gratiam & amœnitatem demonstraret. Per has ædificationes lapideæ tabulæ jam Barbarorum adventum denunciârunt, qui in in ipsa Thracia post factas populationes omnes oppressi sunt.

Idem. Albertus I. Rex Roman. electus, An. Regni secundo, à Bonifacio VIII. electionis suæ approbationem per oratores petiit. At is indignabundus recusavit, electionemque verbis injuriarum plenis, & nullam & frivolam asseruit, omnia improbans: ALBERTUM homicidam appellitans, (quod ADOLPHUM Cæsarem à Principibus Imperio dejectum, acie victum occidisset) atqve ense accinctus & coronatus, in publicum prodiit inquiens: Ego sum Cæsar & Pontifex. Voluit (puto) imitari veteres Augustos Romanos, qui etiam summi Pontificis fuerant.

Orta est mox inter Pontificem & PHILIPPUM Franciæ regem gravissima discordia, qui nolebat ipsum dominum suum agnoscere, legatis omnibus ejus contemtis, futurum Concilium appellans: ob id Imperatorem ALBERTUM approbavit, & eundem de regno Franciæ per literas investivit, Rege Franciæ excommunicato in publico consistorio, maximâ hominum freqventiâ, insignem habens orationem (quæ extat) sic exorsus: Refulsit sol, qui erat sub nubilo, &c. Exposuit deinde, id Geneseos primo, Creavit Deus 2. luminaria magna, de Imperatore intelligendum, qui bonis ut Sol, malis ut Luna præest, tanquam monarcha totius mundi. Multa in Gallicanam superbiam cum criminatione perorans, multas laudes in Imperatorem congerens, qui ex nobilissimo sangvine Rudolphi descendisset.

Suscipiens verba Pontificis Cancellarius Regis, qui inter cæteros oratores verba fecit, in omni re, inquit, causa effectum antecedit, quem finis concomitatur. Sic Deum Cœlum sequitur, quod inferiora gubernat. Et tu, Beatissime pater, causa movens es, Imperator exequês, finis est pax universi. Leva igitur manum tuam, & aquila elevabitur, & exeqvetur motus tuos. Placuerunt hæ assentationes mirum in modum Pontifici, ac mox sciscitatur, si cum Rege Franciæ Cæsar confœderationem habeat. Quam cum nullá esse asseruit, absolvit eum Papa à quibuscunque præstitis juramentis, ex suâ plenariâ potestate, à nemine sibi concessa.

Idem. Ferunt, occupato crudeliter imperio Constantinopolitano, MANUELEM in divinorum carminum libellum incidisse, quem dum forte evolveret, exhorruit vehementer fatidicum carmen, quo significabatur, fore qvandoqve, ut ex Hadriâ venirent, qui Byzantium occuparent, & reliqva ejus regionis. Quæ omnia qvum obscuris verborum involucris operta jaceréte, conjectoribus divinationumq; peritis hominibus adhibitis, inter omnes constitit, eos Venetos esse, Hadriatici sinus accolas. Inde odium in Venetos concepit, & Panoniæ regem contra eos excitavit.

Idem. Trecentis & amplius añis à Carolo Magno sub sexaginta tribus Pontificibus licuerat Episcopales dignitates & Abbatias regi per aũulum & virgam conferre: idq; autoritate, consuetudine & privilegiis vetustissimis, per tot años erat firmatum. Post vero Pontifices sanxerunt, Ecclesiasticam dignitatem vel investituram à laico minime conferri posse: excommunicabantque quoque, qui sic investiti erant. Ob eam causam Henricus V. Rex Romam profectus post salutationem atq; ingressum templi, qvum jurium suorum confirmationem à Pontifice peteret, recusantem Pontificem cum Cardinalibus cepit.

Paschalis ergo II. octava Paschæ, lecto Evangelio, astante omni plebe, Henricum coram principibus in Imperatorem ac Augustum coronavit, & privilegium de investiturâ Episcoporum ac Abbatum, tàm per annulum qvàm per virgam, tradidit, ita tamen, ut post investituram, consecrationem ab EPISCOPO suscipiant sic investiti à Rege aut Imperatore. Dum itaqve in celebratione Missæ Pontifex panem consecrasset, particulam manu sua Imperatori iis verbis dedit: Domine Imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria Virgine, passum in cruce pro nobis sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. pag. 476

Verum reverso in Germaniam Imperatore, Pontifex diris prosecutus est Henricũ, & easdem Gelasius secundus confirmavit, Calixtus secundus principes commovit, ut de deponendo Imperatore cogitarent. Tãdem inter Imperatorem & Pontificem Calixtum pax facta est, ut Imperator investituram omnem per annulum & baculũ dimitteret & concederet, in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecratiõnem, ac regalia ablata, si qvæ haberet, restitueret, aut restituerentur procuraret.

Pontifex rursus concessit, electionem Episcoporum & Abbatum in præsentiâ Imperatoris fieri sine violentiâ ita, ut electus regalia per sceptrum ab Imperat. reciperet. Concordia hæc facta Wormaciæ nono Kalend. Octob. An. M.CXXII.

De dolo

Anno

De dolo Willæ Burgundicæ, Idem.

Hæc mulier versuta, vafra, & inexplebilis avaritiæ, post obitum mariti, baltheum aureum gemmis preciosissimis nobilem, pudendis abscondit. Quem Hugo cum ab ea requireret, nec inveniretur, eam denudari jussit: & furtum, corrigiola è locis muliebribus dependente, proditum fuit. Unde extracto baltheo, multis ipsa opprobriis afficitur, & ad patriam Burgundiam remittitur.

Idem. Rodolphus Imp. rogatus à principibus, cur non Romam pro imperiali coronâ peteret? ut erat facetus, apologum de vulpe & leone recensuit.

Omnes olim feræ à rege animantium in altum qvendam montem, specubus & antris concavum, accersebantur. Venerant cicures, venerant feræ pleræque omnes. Sagax vulpes antro qvidem proxima, priusqvam ingrederetur montis profunditatem, aliarum animantium reditum præstolabatur. Cum autem paucissimæ egrederentur: Neq; ego, inqvit, ingrediar, forte in illarum numero, quæ intus manent, connumerarer, non harum quæ egrediuntur. Innuere volens, plures quidem Cæsares Italiam ingredi, sed paucos cum suo & patriæ commodo feliciter redire.

Mansit ergo in Germaniâ ab Alpibus ad Balthicum mare pacata omnia cum justitia reddens. Licet ab Adriano Pontifice vocaretur, admoneretur q; voti sub Gregorio facti, de expeditione Hierosolymitanâ, tamen id solvere non potuit.

Idem. Secunda uxor Rudolphi Imperat. Agnes fuit, juvencula, filia Ducis Burgundiæ, neptis Regis Franciæ. Quam in senectute recepit, & nullam ex eâ prolem progenuit. Ideo post mortem Regis in Burgundiam rediit. Hanc, cum esset venustissima, Fridericus Comes de Leiningen, antistes Spirensis, è carpento tollens, cum violenter deoscularetur, Regi id conquestabilem illi movit non mediocrem, quandoquidem & ipse sæpe principum uxores osculabatur. Sed ut reginæ satisfaceret, nobilem quendam præluli hæc referenda præmisit, ut aliud sibi pacificale qværeret deosculandum, id soli sibi emtum. Episcopus Regis iram timens, patriam reliqvit, & usq; ad mortem regis in exilio delituit.

Idem. Fridericus Dux Brunsvicensis, Francofurti Rex Rom. electus, (Princeps omnino dignus, qui Imperii habenas tractaret) cum Moguntino antistite veteres inimicitias habens: dum revertitur domû per Hassiam, reversurus ad coronationem haud longè à Frislariâ in insidias à Moguntino subornatas, improvidè incidit, & à Comite de Waldeck, jussu Moguntini, impiè est occisus: quod homicidium per universam Germaniam magnos excivit tumultus.

Ferunt incolæ (sive fabula sit sive res gesta) hanc ob rem repertum ante fores templi Moguntini lapidem majusculis inscriptum literis: VERTE ET INVENIES. Quem homo quidam curiosus, lectis his verbis, thesaurum abditum esse ratus, noctu evertit, & in alio latere saxi scriptum reperit: MOGUNTIA AB ANTIQVO NEQVAM: effossa terra frustra, & nullo reperto thesauro. Mox ob has insidias Friderico illatas, cavillum hoc quidam sculptum circũtulerunt, licet alii alias afferant fabulas.

Circumferuntur rhythmi vulgares, non admodum latini, ac elegantes, sed veritatem exprimentes, ac syllabis quibusdam nomen Friderici notantes, ejus sepulchro inscripti. Qvalescunq; tamen sint, cum Romanos non puduerit aliqvando Ethruscorum & Oscorum inserere nomina, subjunxi, qvandoquidem ea tempora his in terris non aliam ferebant elegantiam.

Regula non ficta, nequam Moguntia dicta:
Germen Pilati nunc denuo vivificati,
Sicut dum vixit, iterum Christum crucifixit.
Namque Ducem stravit Fridericum, qui quasi David,
Braunschvvich protexit, gentemq́ suam bene rexit.
Transtulit ad Christum Respublica (dicitur) istum,
Pro quâ perrexit Frankfurt. Heu tunc sibi texit pag. 477
Traditio vestem, quem mortis postea testem,
Nequiter infixit, prope Fritzlar vulnera fixit.
Heu heu heu mille, miles validissimus ille
Cernitur ipse fuga, qui sapius ardua juga
Belli contrivit, spes est quod in æthere vivit.
Nunc jacet in crypta: de quo sunt talia scripta,
FRE. fremit in mundo: DE. deprimit alta profundo,
RI. rigidum flectit, CVS. cuspis mucroque plectit.
Vivat ut in Cœlis Dux inclitus ille fidelis,
optet ei quivquis, qui scriptis condolet istis.

Ita mortem optimi Principis defleverunt versificatores isti, qui meliora procul dubio præstitissent, si novissent.

Idem ex Svetonio. Germani Quintillium Va-

Anno

um Varum cum Legionibus Romanis tribus apud Bructeros (qui sunt Frisiis conterminí) delevêre. Ob qvam cladem Augustus consternatus, barbam continuos aliquot menses nutrivit.

Nihil fuit illa cæde cruentius. Tres enim legiones obtruncatæ, signa & aquilæ duæ à Germanis captæ, qvas adhuc hodie posidene. Non enim biceps est aquila, ut imperitum vulgus credit: sed duæ simul, quarum altera alteram expansis alis obtegit. Tertiam signifer legionis tertiæ abstulit, paludeq; demersit, ne in hostium manus veniret. Alioqvi tres haberent aquilas in insignibus Imperii. Nec unquam hæ redditæ sunt Imperatoribus Romanis, qvod Parthi fecerunt, sed semper in hunc usqve diem servatæ, licet Tacitus scribat, Germanicum cum in Teutoburgiensi saltu reliqvias Varianæ cladis inspicere concupisceret, per L. Stertinium apud Bructeros undevicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam reperisse.

Idem. Alberto I. Imperat. Conradus Saleburgensis Episcopus hostis, venenum propinari curavit. Medici Regem in caput inverterunt, machinâ ad hoc ingeniose fabrefactâ, ut continuo evomeret, non tamen suffocaretur. Effusum est itaqve venenum per os, per nares, per oculos, visq; ejus tanta fuit, ut alterum illi oculum corrumperet. Unde Monoculus Rex dictus est. At Stumpfius, Albertum veneno potionatum, consilio Medicorum, oculum sibi exsculpi curâsse, scribit, ut per vulnus venenũ evacuaretur.

Idem. Clemens quintus Pontifex, ut Romanorum Pontificum augeret potestatem, decrevit, ut designati in Germaniâ Cæsares, quamvis Roman. Regis appellationẽ sortirentur, tamen à summo sacerdote Imperii jura & nomen acciperent, adjecit insuper, ut mortuo Imperatore, per omne interregni tempus, Italicarum urbium, quæ Cæsari stipendiariæ sunt arbitrium, & potestas penes Rom. Pontifices foret.

Idem, memini, inquit, me puerum octennem, post illam cladem qvæ adhuc recens erat, inaudivisse, cum mensæ paternæ astarem, & crudelitatem sævitiæ ab aliis enarrari audirem, fuisse qvendam Constantinopolitanum civem, opibus ac divitiis clarum ac insignem (sed qui proditione voluit clarior, insigniorque fieri) & suo Imperatori CONSTANTINO infestum, clàm venisse ad Mahometem, qui ordinatum tum habebat exercitum, animumque urbis obsidendæ, ac secum pactum, si ex filiabus suis (plures enim habent Turci & uxores & pellices, ac proinde multos liberos) unam sibi uxorem despon-deret, cum ampla dote, portam urbis unam in ejus fore potestate, quâ illi posset hora qva vellet, aperire, assensisse tyrannum ac proditorem id præstitisse.

Cum itaqve triduum illud sævitiâ omni crudelius præteriisset, à tyranno uxorem, & proditionis præmium postulasse. Cui tyrannus: Meruisti, inquit, qui rem promissam integrè præstitisti, dignam te & facinore tuo mercedem: Jussitque magnum auri afferri pondus, qvod illi daret. Sed quia, inqvit, filiam meam tibi uxorem cum dote (qvæ præsens est) poscis, cum Christianus sis, vitam hanc exuas oportet: moxqve jussit carnificem cutem totius corporis illi detrahere, inseruitqve illi cineres cum sale calidos, moxqve lecto cooperire jussit, ut nova illi cutis succresceret, qvo aptior fieret ad novam novæ sectæ sponsam accipiendam: quasi indignum judicaret proditorem suæ patriæ vel exoleto scorto.

Ordo Jesuvitarum, sive Societatis Jesu.

VENIO tandem, inquit Hospinianus, ad Iesuitas, qui nostrâ memoriâ, sicut mox indicabitur, ex infernali puteo catervatim ascenderunt, & totum orbem suo fœtore repleverunt. Cirva adventum eorum monstrum marinum in Norvegia captum est, mari procelloso, id qvotqvot viderunt, statim ei Monachi nomen imposuerunt. Humanâ enim facie videbatur, sed rustica atqve agresti, capite raso ac levi, humeros contegebat veluti Monachorum nostrorum cucullus. Pars infima in caudam latam desinebat: mediâ multo erat latior, sagi militaris figura. Hanc effigiem Medico & Philosopho incomparabili, Doct. Conrado Gesnero Tigurino dono misit illustrissima MARGARETA Navarræ Regina. Ea à viro nobili hanc effigiem acceperat, qui similem ad Carolum quintum Imperatorem in Hispania tum agentem deferebat: Ille reginæ affirmavit, se monstrum hoc in Norvegiâ captum vidisse, post gravissimas tempestates undis & fluctibus in littus ejectum, locumqve designabat Diezum, juxta oppidum Den Elepoch. Ejusdem monstri figuram, D. Gesnero retulit Gisbertus Medicus, ex eadem Norvegiâ Romam ad se missam esse. Georgius Fabricius eandem imaginem ad Gesnerum misit cum descriptione hujusmodi:

Piscis hic captus est in mari Balthico juxta Elboæam oppidum, quod milliaribus quatuor distat à Coppenhagâ, Danici Regni Metropoli. Caput, collum, humeri, thorax humanâ specie, caput rasum, ut Monachi, de collo, humeris, thorace cucullus qvasi pependit, qvi nigris & rubeis maculis fuit variatus. Cucullus desiit in fimbriam quali perizomate lumbos & femora tegere solemus. Brachiorum loco pennæ fuerunt, pedum qvoq; cauda piscis. Totius monstri longi-

longitudo quatuor cubitorum, ad regem delatum, & coslum ob raritatem & miraculum asservatum est, captum An. salutis 1546. Bellonius addit, nullam vocem edidisse, præterquam suspiria quædam, summum mœrorem ac luctum referentia.

Huic simile monstrum in Gallico etiam Oceano prope Burdegalas, eodem ferè tempore captum, quidam Gallus eidem Gesnero scripsit. Homines in littore ambulantes hoc monstrum libenter allicit, & coram eis supra aquas ludit, quod si hominem admirantem appropinquare viderit, appropinquat etiam ipsum, & si qua potest ratione, hominem rapit, & trahit in profundum, ut carnibus ejus satietur.

Hoc monstro marino, Monachum referente, clementissimus Deus mundo significare voluit, emersisse in terris Monachorum monstra horrenda, Iesuitas videlicet: qui monstri illius marini ingenium egregiè referentes, blandis verbis, & hypocritica sua sanctitate, aliisqve miris artibus ad se pelliciant homines, & in sui admirationem adducant: quosque sic illaqueatos teneant, hos in profundum barathrum errorum, ac superstitionum horribilium demergant, & tandem in abyssum infernalem præcipitent, proindeqve sibi ab illis diligentissime caveant, qui æternum perire nolint.

Referunt etiam historici, ANNO 1542. qui eum, quo confirmatus fuit Iesuvitarum Ordo, secutus est in plurimis Europæ provinciis incredibilem ingentium locustarum multitudinem subito exortam fuisse. Hæ primo nullas habebant alas, sed magnos dabant saltus: Paulo post quatuor adeptæ sunt, tantaqve multitudine provolaverunt, ut duo milliaria in longum & latum cubitotenus ita occuparent, ut solis qvoqve splendorem à toto illo terræ spacio sua densitate excluderent. Dici non posse, affirmant earum regionum incolæ, quantum damni dederint rebus humi nascentibus, vastantes & depascentes omnia ad radices usqve.

Transvolasse (ajunt) aqvas, arbores, ædes & ovia quæqve, cumqve earum alæ succrevissent, fuisse humani digiti magnitudine & tunc atrocius multò grassatas in fruges & ea, quæ in usus hominum necessarios gignit terra: tota æstate nulla vel vi vel arte earum sævitiam retardari potuisse, sed in autumno demum, cœlo frigescente, extinctas esse, atro post se relicto semine, unde seqventi año alii vermes orti sint. Mortuas pecus edisse avidissimè, porcos inprimis, Laurent. Surius testatur in Comm. suis 1479. hist. qui se illis mirè farserint, creditumqve tum fuit, non absimiles extitisse illis Ægyptiacis, quarum in exodo fit mentio.

Hoc prodigio DEUS absqve dubio, inquit Hospin. Iesuitas nuper natos significare voluit. Locustas enim Monachorum greges denotare, ita manifestum est ex Apocalyp. 9. ut lõga probatione non egeat. Et sanè hæc locustarum istarum descriptio, quæ non à me conficta, sed ex Pontificiorum Commentariis desumta est, Iesuitis egregiè convenit.

Anno

Nam ab initio nullas qvoqve habuêre alas, hoc est, in nulla æstimatione fuerunt, cum author eorum fuisset aliqvandiu miles & literarum omnium prorsus rudis atqve ignarus. Literarum autem cum aliqvam noticiam acqvisivisset, & discipulos nactus esset, pauci tamen erant numero, illiqve ipsi à clero Romano valde exagitabantur, multisqve molestiis afficiebantur.

Mox tamen ac alas nacti sunt, id est, cum in auctoritate & æstimatione aliqva haberi cœpissent, mirum in modum creverunt, & longè lateque dispersi sunt per totam Europam, florentissimis pascuis, hoc est, Ecclesiæ Dei maximum inferentes damnum.

Qvemadmodum verò istæ locustæ brevi extinctæ, & svavissimus cibus porcis factæ sunt, ita sperârim ego, novorum istorum Prophetarum interitum præ foribus esse, cum jam videamus, ob deprehensam eorum hypocriticam seu fucatam sanctitatem, dolos, fraudes & imposturas, authoritati ipsorum plurimum indies decedere.

Qvid vero in ultimo illo & universali totius mundi judicio, qvod prope est, Dominus & Servator noster cum illis acturus sit, justus ille judex, & Ecclesiæ suæ fidelissimus vindex solus novit, quem etiam rogo supplex, ut citò, citò veniat, Amen.

De Origine Jesuvitarum Hosp.

Circa annos reparatæ salutis humanæ 1540. Ignatius Lojola Cantaber Societatis Iesu fratribus initium dedit. Fuerat is in arce Pompeiopolitana munitissima, eo tempore, qvo eam Galli obsederunt, vehementissimeqve oppugnarunt. In quâ obsidione tàm strenuè se gessit Ignatius, ut illi uni Hispani omnes primas facilè deferrent. Qui tamen honos tanti illi constitit, ut altero crure bombardæ majoris ictu comminuto, in altero verò circa inguina gravissimo vulnere accepto, à Gallis captus fuerit, qvorum tamen humanitate, & lenitate usus, liber paulò pòst domum rediit.

Gravissimis autem illis doloribus, diuturnaqve ægritudine vehementer excruciatus, mundi vanitatem, cui huc usqve plus satis addictus fuerat, agnoscere, & divinis rebus, quas hactenus non magnopere curaverat, animum adjicere cœpit: adeoqve vitæ suæ genus, ob vulnerum suorum dolores incredibiles, mutare & aliud instituere proposuit, ut verissimè dixerit ille: Desperatio facit monachum.

Anno

Contigit interim, ut annum integrum & amplius eo ex morbo decumbenti, in manus venirent Legendæ mendaciorum plenissimæ, qvas Vitas Sanctorum vulgo nominant. Has tamen, pro more superstitiosorum hominum, avidissimè legit, & legentem mira incessit religio. Corpore igitur aliqvantulum firmiore, nondum tamen omninò confirmato, anno ætatis suæ XXVI. domo, patria ac propriis laribus relictis, ita se comparat, tanqvam ad ducem Nagera profecturus esset: re autē verâ templum Deiparæ virgini dedicatum, qvod Montemserratum vocant, concessit, ibiqve vestibus pretiosioribus exutus, laceras & viles induit, in qvibus rigidissimam aliqvâdiu vitam egit.

Delituit aliqvandiu etiam solitarius in specu qvodam, ad littus fluvii per campum Manresanum decurrentis. Cumqve in hac palæstra sese ad tempus exercuisset, inde in pauperis peregrini habitu Hierosolymam se contulit, Christi sepulchri adorandi, & cætera loca, in quibus adhuc Christi expressa vestigia extare nugantur, visendi gratia. Iis vero locis usqve adeo delectatus fuit, ut nihil optârit magis, qvàm ætatem omnem illic degere.

Veruntamen in Hispanias rediens, qvod ad id usqve tempus literarum rudis fuisset, intellexisset autem, ad eam vitæ rationem, quam inierat, literarum cognitionem plurimum valere, Complutum primo, post Salamanticam se confert, ibiqve literis dat operam. Cumqve in vili suo habitu, coopertus sacco, publicè homines ad pœnitentiam hortaretur, nulla accepta ab Episcopis concionandi licentia, nec eruditione sufficienti præditus, bis in carcerem conjectus, & ab inqvisitoribus, tanquam de doctrina suspectus examinatus est, sed Pontificiæ doctrinæ addictissimus cognitus, extra omnem noxam è custodia dimissus fuit.

Inde PARISIORUM LUTETIAM se contulit, ubi decem annos literarum studiis, corpore debilis, & rerum prope omnium inops, nisi quantum aliorum liberalitate, & propria mendicitate sustentabatur, impendit, tantumque labore & diligentiâ consecutus est, ut brevi artium MAGISTER creatus fuerit. Nec interim cessabat homines provocare ad pœnitentiam, idq; tanto studio, ut amore ejus incensi aliquot docti viri, illi se socios & imitatores adjunxerint.

Pag. 480.

Post hæc anno Domini 1536. in Hispaniam revertitur, adscitis decem novæ suæ religionis sociis, ii erant P. Faber, Fr. Xavier, Iacobus Laines, Claudius Gajus, Ioannes Coduri, Alphonsus Salmeronius, Simon Rodericus Lusitanus, & Nicolaus Bovadilla. Sequenti anno, qui fuit tricesimus septimus supra millesimum quingentesimum, Romam se contulerunt, ut à pontifice Romano in terram sanctam abeundi licentiam impetrarent. Ante vero quam Romam venissent, Venetiis in pauperum hospitiis, quæ Xenodochia & Nolodochia appellant, ita versati sunt, eamqve diligentiam & solicitudinem in ægrorum ibi morbis curandis, vulneribus obligandis, molesta, gravi, ac putida sanie abstergenda impenderut, ut omnes in sui admirationem pertraxerint.

Data vero Romæ licentia à Papâ proficiscendi in Syriam, Venetias redeunt. Ibi cognoscunt, ob pacem inter Turcas & Venetos per idem tempus ruptam, nulli tuto Hierosolymam navigare licere. Mutata igitur sententia, septem ex illis sacris initiari, & ad sacerdotium promoveri voluerunt.

Cum verò Ecclesiastica lege, ex Pauli 3. institutione caveatur, ne quis sacris initietur, qui aut hæreditariis, aut Ecclesiasticis bonis, unde honeste vivere posset, caruerit, hi novi Apostoli, amplissimam sibi hæreditatem esse Deum ipsum: lautissimumqve patrimonium, nudos nudum Christum sequi, affirmârunt, pro qvo egere, extremamqve penuriam pati, maximas opes ducerent. Quod copiosissimum esse, & sacerdote Christiano dignissimum patrimonium, cum judicaret Verallus Archiepiscopus Rosanensis, qui per id temporis Venetiis Apostolicæ sedis Legatus fuit, postea Cardinalis factus perpetuam spontaneamqve paupertatem Deo ante ejus pedes promiserunt, illoq; patrimonino constituto, ex illis septem sunt sacerdotio inaugurati: facultas qvoq; illis data est, ut secretas atq; occultas peccatorum confessiones liberè ubiq; audire possent.

Ab eo tempore cœperunt per urbes Venetæ ditionis in Italiâ prædicare, postea simul omnes se Romam versus contulerunt An. Christi 1538. ibiqve diu gravissimis molestiis à Clero Romano sunt exagitati. Cum vero aliqui eorum exemplo incitati, se illis socios adjungerent, ne vitæ institutum unà cum ipsis interiret, à Paulo III. pontifice, Cardinale Contareno internuncio, petierunt, ut ratum illud ac firmum haberet, quo, Apostolicâ authoritate munitum atq; firmatum, conservari perpetuo posset. Pontifex libentissimè assensit, & institutum eorum confirmavit Anno reparatæ salutis 1540.

Ne verò in re novâ inconsideratius egisse videretur, principio cavit, ne plures qvàm sexaginta viri in eam societatem adscriberentur. Cernens autem idem Pontifex, quantos illi indies fructus facerent in agro Pontificio, rursus anno à nato in carnē filio Dei 1543. illud eorum institutum firmavit: neque jam, ut antea, ullis ipsum terminis, aut virorum numero circumscriptum esse, voluit, qvod augeri atque

atque multiplicari id summoperè jam optabat. Quam ob causam postea etiam hunc ordinem authoritate Apostolica communiverunt Iulius III. Paulus IV. Pius IV. & Tridentin. Concilium Sess. 9. c. 10 ubi multa agit de Monachis, inter cætera sic habet: per hæc autem sancta Synodus non intendit aliqvid innovare aut prohibere, quin religio clericorum societatis Iesu, juxta pium eorum institutum, à sancta sede Apostolicâ approbatum, Domino & ejus Ecclesiæ inservire possit.

Hæc omnia referunt Laur. Sur. in Com. histor. & Diegho Payva lib. 1. Orthodox. explicationum. Gregorius XIII. quoque permisit, ut quicunqve idonei essent, huic ordini, absqve numero ascriberentur.

Mirum autem (inquit ulterius Hospinianus) non immerito videri alicui posset, quo consilio, seu, ut verius dicam, qva astutia, post tot Monachorum examina, quibus totus mundus scatet, Thais Babylonica hunc novum fœtum enixa sit: præsertim cum jampridem in Lateranensi cõcilio año 1215, sub Innocentio III. & in Lugdunensi An. 1273. sub Gregorio X. celebrato decretum fuerit, ne quis de cætero novam religionem instituat, ne nimia religiosorum diversitas gravem in Ecclesia Dei offensionem inducat, Scilicet, ut hoc artificio fortissima illa gens sub jugum Pontificiorum errorum reduceretur, & lux Evangelii ei eriperetur, aut certe obscuraretur: sicut sæpè factum legimus, quod agmina locustarum oculis hominum solemq; lucemq; eripuerint.

Quæ igitur de Dracone magno & rufo, ejusq; ministris, Ioañes in Apocalypsi scribit, qvæq; Hilarius & Ignatius de iis referunt, quod nimirum seducere & scandalizare soleant qvidam pusillos in Christum credentes, bona omnia instar aranearum corrumpẽdo, officia patris sui diaboli perficiendo, zizania in agro Domini superseminãdo, qvorum sermo sicut cancer serpat: hæc inquam, in nullos quadrãt aptius, quàm in hanc Iesuitarum sectam,

Quamprimum enim post Pontificios, horrendos, diuturnos, ac crassos errores, tenebrasq; plus quàm cimmerias, lux verbi Dei, immensa ipsius bonitate illuxit mundo, statim Draco ille magnus fœtum parturire cœpit novissimum, qui & seculorum aliqvot veternosos, turpissimos, ac perniciosissimos luceq; meridianâ manifestiores errores, claritate doctrinæ cœlestis hoc nostro seculo, ingenti Dei beneficio, immensaq; bonitate detectos, palliare, tegere, verborum lenociniis involvere rhetoricisq; coloribus pingere, maxime autem augustissimo titulo, & prætextu catholicæ Ecclesiæ cœperunt, nihilq; adeo est crassum, tàm putidum, tàm impurum, tàm insulsum atqve impium in pontificia lacunâ aut cloacâ, qvod novis istis hominibus non bene oleat, quod editorum ab ipsis librorum lectio certissimè docere potest.

De Etymologia nominis Iesuvitarum. pag. 481.

Jesuvitarum verò, de quibus hæc tractatio instituta est, nova planè est religio, valde recens ante paucos annos à Romano Pontifice creata, & orbi Christiano obtrusa. Utque de novitate hujus sectæ omnibus constaret, studiose vitârunt veteres illas, de qvibus dixi, appellationes. Noluerunt enim assumere vocabulum militum Iesu, nec Iesuatorum, nec Ordinis Servatoris, sed novo invento nova attributa est appellatio, Iesuvitarum scilicet. Forsan ut ostenderent, se alienos esse à suspicione illâ veterum Iesuatorum. Prima verò origo sic se habet.

Joannes Petrus Carapha, qui postea Cardinalis, & tandem Anno Domini 1555. Pontifex factus, Paulus quartus dictus est, sectam hanc, priusqvam ad fastigium illud eveheretur, Venetiis primum instituisse, scribitur: Qvam postea Cardinalis & Pontifex factus ita auxit, illustravit, & tandem canonizavit, ut toti orbi Christiano inficiundo vel sola sufficere jam judicetur. Et de mysteriis qvidem illorum, ad qvæ solis forsan initiatis aditus patet, nihil dicam; qvâ scilicet astutiâ, & qvibus technis (post tot monachorum examina, qvibus mundus obsessus tenetur) Thaidis Babyloniæ sedes novas has creaturas sive exclu serit, sive enixa sit. Illa autem tantum recitabo, qvæ non ignota sunt.

Sentit homo ille peccati, & filius perditionis, (quem Dominus conficiet spiritu oris sui, hoc est, verbo suo) cœptum jam illud esse, quod Paulus prædixit & videt, reliqvorum Ordinum quantumvis præpingues & crassos ventres, non posse fulcire labascentem Romanam sedem, hanc maximè ob causam, quia illam partem regulæ Francisci jam sic (Nescientes non curent discere literas) omnes tàm solicitè observant: sicut & Epigramma quoddam dicit:

Cavisti bene tu, ne te ulla occidere posset
Littera, nam nulla est littera nota tibi.

ut Ordo fratrum Ignorantiæ factus sit jam universalis. Animadvertit igitur Pontifex (nec mirum, omnia enim jura habẽt in scrinio pectoris sui) opus esse regno suo novâ creaturâ. Et quia Extra. de translatione Episcoporum, c. qvanto. glossa affirmat, Papam mutare rerum naturas, & posse aliquid de nihilo facere, ideo magno animo, & multo majori spe creationem hujus novi Ordinis aggressus est, & in regulâ cavit, non esse onerandos immodicis ceremoniis, sed adhibendos summa diligentiâ

ad discendas literas, ad cognoscenda studia linguarum, ad evolvẽda scripta veterum, ut erroribus & abusibus ex verbo Dei toti jam mũdo detectis, plausibilem aliquam speciẽ orationis lenocinio induere, & nervos regni Pontificii conservare discerent, & conarentur, ut, si usus periclitantis jam in tantâ Evangelii luce, Regni Pontificii ita flagitaret, ex illo ordine possent tanqvam cõmissarii in omnem terram submitti Pontificiæ turpitudinis patroni.

Hinc in recenti Pontificis legatione per Germaniam, præcipuè Iesuitarum nomen auditum fuit. Et quidem in scripto illo, cujus examen jam instituemus, gloriose magis quam solide & verè ostentant cognitionem linguarum, flosculos aliquos politioris literaturæ, & multam lectionem antiquitatis.

Deinde animadversum est & hoc, in Germania præsertim, etiam illos, qvi Pontifici jurati sunt, imo apostates etiam, qui magnâ mercede conducticiam linguam Romanæ sedi locaverunt, quædam in manifestis erroribus, & nimium crassis abusibus improbare, quædam timidius defendere, de qvibusdam nimis modeste, & mitius, qvàm status regni Pontificii ferat, loqui propterea, quod in Germaniâ educati clarissimam Evangelii lucem etiam inviti sentiant, in testimonium ipsis.

Inita igitur in exordio hujus religionis fuit hæc ratio, ut in teneris annis pueri, in quibus spes aliqva videretur ingenii, in hunc ordinem cooptarentur, & procul à luce Evangelii, quod Dei benignitate Germaniæ affulsit, Romam missi, ibi in mediis abominationibus educarentur, tingerentur & formarentur. Notum est enim illud Virgilii: A teneris assuescere multum est. Item illud Terentii: si quis Magistrum ad eam rem ceperit improbum, ipse animum ægrotum facile ad deteriorem partem applicat. Et postquam viderentur, imis visceribus imbibisse abominationes, & spurcities, quas meretrix Babylonia Apoc. 17. calice suo propinat, & satis charactere bestiæ confirmati, tunc per Germaniam (tanquam locustarum examina) saltant, tanta multitudine, ut etiam oculis hominum eripiant solem, lucemq; diemq;.

Tibi igitur, ô Germania, & saluti tuæ Iesuvitarũ secta principaliter in exordio suæ creationis opposita fuit. Et res notoria est. Occupârunt enim jam examina illa Austriam: obsederunt Bavariam, & recens invaserunt magno strepitu Westphaliam: & prospectant jam de alveariis suis latius proferendis, & in illis, quos suo contactu fœdarunt, locis aperiunt ludos pro pueris, etiam illis, qui prima literarum elementa discunt. Et ut multos ad auditoria sua alliciant, profitentur ibi non tantum Theologica, verum etiam studia politioris literaturæ, id qvo consilio fiat, lector ex illis, quæ diximus, intelligit.

Postremò vetus est narratio de rustico qvodam, qui, cum in Hercynia sylva majorem ætatis partem consumsisset, venit aliquando in vicinam urbem, & incepit sciscitari à civibus, quis esset ipsorum Deus? illi respondent, Deus pater Domini nostri Iesu Christi, quem pater nobis proposuit Salvatorẽ, Redemtorem & Mediatorẽ. Rusticus pergit per civitatem, & obvios quosque interrogat, cujus hoc est templum, quis ibi colitur, quem homines illic invocant? Wer ist dort gnädig? Cumqve omnes vicos urbis percontando perrepsisset, semper responsum est de sanctis. Rusticus igitur egressus urbe, cœpit exclamare: Quàm hoc est mirabile? Pater Domini nostri Iesu Christi est Deus hujus civitatis, & in tota civitate ne unum quidem tẽplum habet, sed omnia sunt occupata patrociniis, cultibus, & invocationibus sanctorum. Et inde forsan factum est, quod inter multa millia templorum, quæ sanctis dedicata sunt, ne unum quidem esse auditur, quod appelletur Salvatoris.

Eodem planè modo in Papatu nullus ferè sanctorum est, cui non peculiaris ordo religionis consecratus: solus vero Dominus noster Iesus Christus nullum inter ipsos ordinem habet. Quia igitur vident Pontificii, Rusticos in hac Evangelii luce illud animadvertere, cœperunt cogitare, tandem Domino nostro Iesu Christo, verbi gratiâ, esse locum aliquem dandum inter tàm multos & varios Pontificiæ religionis ordines, & sectam illam nuper natam jusserunt vocari Iesuvitarum, ut ipsa appellatione favorem illi apud Germanos conciliarent, quasi qui doctrinam & vitam Iesu profiteantur, & sequantur. Qvàm verum autem sit, postea videbimus.

Porrò, sicut fieri solet, in re & appellatione nova variæ ortæ sunt de Etymologia vocabuli disputationes, & ego sanè illam tantam Grammaticorum litem nollem meam facere, sed varias opiniones recensebo, & deinde lectori liberum permittam judicium.

Quidam Romano more quæsiverunt Etymologiam. Sicut enim olim Romanorum Imperatores dicebantur Aphricani, Germanici, Asiatici, &c. non quod amici & socii essent illorum populorum: Ita dictos putant Iesuitas, quasi professos & juratos hostes Iesu.

Alii ex historiis veteris Testamenti παρονομασίας quæsiverunt, dictos esse Iesuvitas quasi Esavitas, vel certe Iebusitas, & historiæ illæ sanè non malè quadrant ad sectam Iesuvitarum.

Sed sunt, qui contrà disputent, non esse quærendam Hebraicam Etymologiam, cum

Anno

cum Romæ nata vel certè cõfirmata sit illa appellatio. Contendunt igitur, dictos esse Iesuvitas, qvod symbolum, regula & summa professionis ac vitæ ipsorum hæc sit: IESUM VITA.

Ego vero, ut meas etiam conjecturas in re & appellatione nova afferam, ex Germanica lingva rationem notationis (reor) posse commodius & melius inveniri: nec immeritò, quia debent Germanorum esse Apostoli. Sunt autem duo potissimum in Germaniâ linguâ idiomata. Si itaq; juxta idioma Germaniæ inferioris vocabulum examinetur, etymologia erit Jesu Witt/ quasi qui & ipsi longè sit à Iesu, & procul abducat à Iesu. In idiomate verò Germanicæ superioris dicitur Jesuwiter / quasi Jesuwider. Est enim inter t & d Symbolismus usitatus, ut Thumherr und Tummerherr. Et sicut nomina sæpe sunt fatalia, ita Iesuitæ ipsa appellatione præ se ferunt charactere͂ bestiæ Apocalypseos. Vocatur autem homo ille peccati à Paulo ἀντικείμενος, à Ioanne Antichristus. Sicut igitur Germanicè ad verbum diceretur Gottswider und Christowider/ ita hæc secta vocatur Jesuwider. Oppugnant enim præcipuè nomen Iesu, quod ipse salvum faciat populum suum à peccatis eorum, Matth. 1. & Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat ipsos salvari.

Sunt præterea Grammatici qvidam, qui per usitatas in scholis figuras, πρόθεσιν scilicet & ἀφαίρεσιν, etymologiam qværunt, & disputant, primam syllabam superfluè additam. Vero autem nomine, sine figura appellandos esse Suitas, qvos Horatius vocat Epicuri de grege porcos. Et durior sanè videri posset hæc derivatio: sed ipsi ostendunt, tales etymologias in Pontificiæ religionis ordinibus esse usitatas. Qui enim vocantur canonici regulares, vita & factis demonstrant, se (prima syllaba demta) gulares. Sed, ut dixi, hanc etymologicam litem non faciam meam. Chemnicius in libello de præcipuis Theologiæ Iesuitarum capitibus. Plura de Iesuitis alibi reperies in hoc Opere, hinc inde consignata.

1541. *Martinus de Arles in tract. de superstit. num. 9.*

Apud nostros quoque proavos non sanâ parochorum doctrinâ, inolevit longa annorum serie persuasio: artemisiam in feriis D. Ioanni Baptistæ sacris, ante domos suspensam, item alios frutices & plantas, atqve etiam candelas facesqve, designatis quibusdam diebus celebrioribus aqua lustrali rigatas, vel nescio quomodo expiatas, & quando usus postulat, incensas, contra tempestates, fulmina, tonitrua, (ob quæ etiam agminatim è vestigio ad omnium campanarum violentum continuumq; tractum atq; pulsum, ut præsentissimum auxilium & ancoram sacram, concurritur) & adversus diaboli potestatem, opera & quæcunqve maleficia, velut prærogativa qvadam valere. Quosdam incendere ipso die Ioannis fasciculum lustratarũ herbarũ, contra tonitrua, fulmina, grandinem, & credere, eo suffumigio diabolum profligari, tempestatesqve sedari. Imp. Carolo 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Rodolphus Gualtherus.

CumPontifex Imperatoris filium adversus patrem concitaret, hæc qvidem (inqvit) non alicujus barbari tyranni jussu, non Phalaridis alicujus instinctu, sed sanctissimi patris (si Diis placet) consilio fiunt. 1541.
Gaudete nunc Caligulæ, exultate Nerones & quotquot unquam crudelitatis nomine fuistis celebres, habetis enim, qui dum vos longo post se reliquit spacio infamia & diri nominis memoria liberat: Romanum videlicet Pontificem, qui in patris viscera filii gladium stringi præcipit. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup. pag. 483.

Dirum nefas.

Hoc anno Turci Budam ex monachi fraude receperunt. Funccius. Imp. Car. 5. Pp. ut sup. 1541. *

Portentosum.

In Germaniâ prope Alberschvviler, non longe à Landavio oppido, uvæ in vindemiâ inventæ sunt barbatæ, quæ primum ad Ludovicum Bavariæ Ducem electorem dono missæ, deinde vero à Ferdinando Rege, ac Imperii Principibus in comitiis Spirensibus miraculi loco conspectæ, ibidemq; ab Henrico Vogther insigni pictore, ad vivum in hunc modum expressæ sunt. Lycost. 1541.

Philippus Aureolus Theophrastus Bombast ab Hohenheim, dictus Paracelsus, ex Eremo Helvetiorum nobili familia oriundus, utriusqve Medicinæ Doctor, Philosophus Paradoxus, Mysteriarcha: Musarum Mechanicarum Trismegistus, Obiit (fidei Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ strenuus defensor) Salisburgi, anno 1541. die 24. Septembris. Ejus Epitaphium ibidem in Nosocomio apud S. Sebastianum, ad templi murum erectum spectatur, lapidi insculptum, tale:

Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui Dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropisim, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit, ac bona sua in pauperes distribuenda, collocandaq; honoravit.

Fuit hic Catholicus Romanus: sed tamen Ceremonias (quas Sathanæ inventum dicit) & sanctorum adorationem, nostraqve opera omnino rejicit, & causas addit

Anno lib. quinto de Origine morborum invisibilium. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.
Idē in libro de arte præsaga, Prophetas, Sibyllas & Apostolos Christi æquiparat, & ex uno ore Christi procedere affirmat.

Idem. Quinqve vota faciunt (utpote castitatis, aut alia) fundamenta ponunt Antichristo. Oportere enim Antichristum initium sortiri à votis, ait.

Marsupii & pilei fortunati interpretationem seriam & pulchram habes apud eundem in libro Azoth, seu de ligno & linea vitæ.

Ejusdem Prognosticatio futuræ pestis. Signa certa sunt imminentis pestis, maculæ nigræ in liguis ranarum quarūcunq;. Nota etiam, si plures ranæ tempore non consveto secundum naturam, sibi invicem insident, ut vel decem vel viginti, certum est hoc indicium imminentis luis pestiferæ.

Idem eodem in libro. Medici non Professores veritatum, sed confessores mendaciorum, non Doctores, sed Mendaces existunt.

Eodem in libro de Pestilitate, hæc scribit ad Medicos Montis Pessulani, Lutetiarum, Paduæ, Salerni, Viennæ, & Lipsiæ & alios plures: irregulares vos estis, & non Regulares: argentum improbum: talis est & Philosophia vestra mendacissima. Omnis Philosophia vestra mendacium vocabitur.

Scire enim cupitis vos, qvid sit Magia? adite ad Apocalypsin, & qværite gnavius, & tunc perspiciemus, unde locorum & materiæ hujusmodi Professor & Magus sit oriundus. Ad hæc scriptura cum suis paragraphis est interpres, & instar clavis ad resolvendum Ioannem. Tam enim Ioāñes qvam Moyses, Aaron, Elias, Enoch, Bildad, David, Salomon, Daniel, Baruch, Ieremia, Hesekiel, & Prophetarum reliqvorū quicunq; in Magia excelluit, Cabalista qvasi natus & divinator.

pag. 484. Hæc est illa miseria hujus mundi, qvod omnis vestra Philosophia in mendaciis subsistit. Sic enim dicitis vos: non eget nostra Philosophia testimoniis sacrarum literarum eò, quod vestram Philosophiam per Biblia & Apocalypsin computare & munire neqvitis.

Nihil igitur vestræ nugæ: deserite eas, & convertamini ad discendam Cabalisticam Magiam, & alias sororias disciplinas, Astronomiam, Pyromantiam, Chiromantiam & Hydromantiam: tunc habebitis fidem, & quibus egeris nihil autem sine hoc experimento.

Idem. Vos Principes & Dynastæ, animadvertite in Monasteria, facta lupanaria: Ibi committuntur gravia & horrenda scelera, qvæ sunt causa pestilentiæ. Nam in talibus fornicariis & κυνοζ... multum spermatis colligitur à dęmonibus, ex quo Venefici & Necromantici noxiam Mumiam, & pestifera ejusmodi pharmaca conficiunt, quibus multa hominum millia infecti contabescunt. Ibidem recitat etiam exempla gestorum Rodevvilæ, Passaviæ, & Ægræ, ut ibi.

Idem. Medicinæ opera danda est non ex studio lucri, sed ex amore proximi. Abiit in morem vobis Medicis Doctoribus, exigere singulos florenos pro singulis accessibus ad vestros infirmos, & pro inspecta urina definitum certum qvoddam precium, cum tamen non mereamini, & ars vestra potius ad regulam illam Christi: ama proximum tuum sicut te ipsum, directa esse deberet. Dolendum est, nobilissimam hanc artem à tam leviculis, perditis, rudibus, & nullius precii homuncionibus tam iniquè tractari. Sed quid? Perditus est mundus, nec sufferre, quæ pia sunt potest: & simile gaudet simili.

Ars est Medicina, exercenda non nisi cum bona & provida conscientia, pura pietate & magna experientia. Qui vero Deum non metuit, & conscientiam non habet, furatur & latrocinatur pro sua libidine dat quid pro qvo: merdum pro musco. Longas compilant (ut vocant) Receptas ex 40. vel 50. speciebus, ut sic pharmacopolia vacuentur, ex quibus in se non contemnendum redundare lucrum à Pharmacopolis sciunt. Sæpè item unum Recipe (ut vocant) decem vel vicena exigit simplicia, qvorum tamen optima & ad infirmitatem morbumque præsentem magis convenientia omnino desunt, & non minus tamen exiguntur duriter, & persolvi integrè debent. Non igitur inservire poterit cor & cōsciētia mea Deo simul & marsupiis Apothecariorum, vel meis.

Prognosticatio facta per clarissimum virum Doctorem Paracelsum, & perscripta ad invictissimum & illustrissimum, Principem Ferdinandum, Romanorum regem, Archiducem Austriæ, &c.

Atqve ex Germanico translata in Latinum à viro doctiss. Davide Schramo, Ecclesiaste Neoburgico, cum gloss. marginalibus.

PRAEFATIO.

Dum describo citima astra secundum operationes suas, forsan qværi possit, an non, quia minus accuratè videmus ea, quæ ante pedes sunt, atqve propterea sæpius cespitamus, illud ipsum in rebus cœlestibus evenire nobis queat? Responsio autem est, oculorum usum hîc non requiri, multo minus pedum: Itaqve sic nos paramur instituti. Vult Deus: ut experientiam habeamus in omnibus ejus operibus:

(vult

(vult etiam) ut cognitionem habeamus arcanorum naturæ: ita ut nihil maneat, qvod non penetremus. Hinc inventæ sunt multę & magnæ artes: deprehensa sunt admirandaqvædam in ingeniis hominum: qvæ sigillatim referri etiam multo cum labore vix poterunt.

Qvia a. Deus nos tales esse vult, necesse est, ut ipse nos doceat: secus perpetuo futuri sumus ignari: qvādoqvidem hæc ab hominibus præstari neqveunt. Qvis indicare falsò potest: qva ratione literæ sint inventæ? Certè institutio Dei sola has nobis tradidit: placuit enim Deo, ut has sciremus: itaqve easdem ipse nos homines docuit.

Jam vero cum Deus miranda opera ediderit, qvæ ab hominibus vult agnosci, scholam etiam construxit, in qvā hæc possimus addiscere: seu ea nec à qvovis videri, nec capi potest. Piscator capit pisces ad mille cubitos subter aqvam, qvos nunqvam vidit: metallicus aurum ex profundissimâ terrâ eruit, qvam nunqvam inspexit: (unde? qvia Deus id docuit. Ergo qvia nihil est tam occultum, qvod non sit revelandum, revelari oportet omnia ea, qvæ sunt in cœlo firmamenti, in mari, atqve in terrâ, (revelantur autem) per hominem, qvi omnia invenit.

Qvis igitur primum doctorem nominare eumqve digito monstrare posset? qvandoqvidem ex Adamo ortum non trahit? Per hunc operatur: per hunc emergunt omnia ejus opera: qvod in ipso est, discit. Dum describuntur acta mundi, qvæ spacio viginti qvatuor annorum se offerant, miserabile esse deprehenditur, hominem tantopere suis cupiditatibus se dedere, se ipsum seducere, atqve negligere: ut fieri non possit, qvin dies abrumpantur, qvandoqvidem homo tantopere Dei est oblitus, nec secundum ejus mandata vitam instituit. Hæc causa est, qvæ jubet: ut investigemus res arcanas, qvæ significantur per signa, solem nimirum, lunam atqve stellas: & perpendamus calamitates generis humani, qvas ipsimet homines sibi creant: (nam res) eo devenit: ut unus alteri invideat vel solis splendorem: (qvod dicimus proverbio.)

Unicus est numerus, cui in terris studeamus: est a. unitas: plura enim ne numeremus. Divinitas habet tria: sed à tribus recedit in unitatem. Qvia autem Deus in unitate variat, dum numeratur: sic etiam nos homines in unitate (facere consvevimus.) Tradamus enim nos unitati, & simus uni. In hoc numero inest qvies & pax: in aliis non item, qvicqvid ab unitate discedit, cum illo conjuncta est contentio, nam unum adversus alterum pugnat: sicut enim arithmeticus numerum ponit, & numerando plura qvàm unum afficit: (ita & hic.)

Qvàm multa sunt capita? qvàm latè se extendit numerus? atqve hæc est necessitas, hic vermis, qui nos mordet. Res plena est gaudii, si in unitate ambulemus: cœlum ipsum perficit naturalem suum cursum per hunc numerum: similiter & terra, omniaq; in ea contenta. Aut si hæc non ita habent, signa in sole, luna, & astris non immerito contemnuntur. Atqvi finis nondum adest, etiamsi signa præterierint: calamitatis modo factum est initium. Beatus est ille, qui non sedet in cathedrâ pestilentiæ, nec cum peccatoribus habitat, punientur enim.

Quivis per conscientiā cognoscere potest, illum non posse consistere atq; vincere, qui Deo repugnat, difficile est bellum cum eo gerere, quia nemo prævalet. Itaqve stolidissimum est, reluctari illis, qvos ut vinces fieri non potest.

Offerunt itaqve se articuli triginta duo, qui compleri non possunt, quin in hæc cadant tempora, (afferunt enim) extremam abolitionem atq; diminutionem, medium etiam plurimum (habet) calamitatis. Nam instar serpentum (homo) se in gyrum aget, donec finis adveniet. Verum quis tristabitur, si audiet, appropinqvare redemtionem ab omni arrogantiā & superbiā? quis non lætabitur, ubi audierit, unitatem, id est, unum pastorem rediturum, & in unā habitationem nos convolaturos? Qvam tranqvilla res erit, si non cogemur tot res numerare?

Tum enim nobile ungventum defluet in barbam Aaronis, veniet benedictio à supernis, tum, inquam, benedictio larga a Deo dabitur. Si certum est, nullas lachrymas fuisse auditas in cœlo, dum Lucifer est conjectus in barathrum inferni, qvi nos tristari poterimus, (ubi videbimus,) ipsius superbiam, aboleri, ut regnet unitas, & ipse non grassetur amplius in ullo regno?

Et antehac multa dicta sunt de his mutationibus mundi, at tantum fuerunt signa, quorum significata jam capiunt initium, operatio nondum finitur, vix cœpit. Jam vero tempus est, ut tempora nationum interitui appropinquent: abruptionem autem quandam oportet fieri: ne etiam justi seducantur. Nullum equidem scio, in qvem Deus collimet, prognosticatio tamen proponitur, etiamsi ignoretur is (in quem tendat.) Alii fortasse accuratius scient, intelligentq;, quem hæ prædictiones tangant, cabala sic nobis eas subministravit, qvæ est mater Astronomiæ.

Tam latenter autem hæ res transcurrunt ut à nobis non animadvertantur, donec sunt factæ. Hoc enim sibi qvisqve persvasum habeat: Deum hoc nolle, ne videlicet convertantur, & absolvantur ab eo judicio, quod in ipsos est latum: itaqve hæ res oculis patentibus cernuntur, nec tamen ver-

Anno cernuntur. Æqvum etiam non est: ut qvis trahat in suspicionem vel hunc vel illum: sed patiatur, ipsum exitum horum omnium esse testem, & judicem. Multi multa dicunt & scribunt: qvilibet pro virili: qvod alii dixerunt, ego non reprehendam: magna enim est copia prædictionum, hanc monarchiam interituram esse.

Figura Prima.

Interna rei natura per externum signum agnoscitur: sic natura res suas, & magia item suas signat. Tu etiam signata es: nempe te esse devoraticem omnium, qvi tecum negociantur. Felix est is, qvi à te non contaminatur: neminem enim permittis juxta te qviescere.

Magia probè hæc consideravit, &, qvod tibi convenit, assignavit: qvia vero pulchritudinem tuam, nec tua signa vulgo animadvertunt, devoras omnia, qvæ te contingunt: amœnitas enim, non probitas tua qværitur.

Figura secunda.

pag. 486

Flos excrescit in eam altitudinem, qvæ ipsi est destinata. Qvi te in sublimitatem extulit, & virore donavit, is etiam te exsiccat: hoc tibi accidit. Magia enim propterea te ornavit, ut manifestum fieret, qva ratione surgeres, & caderes. Anteqvam enim esses, vidit te magia, atqve flori assimilavit, qvi modo viret, cras exarescit. Sapientia & timore Dei te sustentare debueras: at neglexisti: tua ipsius prudentia te decepit.

An Lilia?

Figura tertia.

Commodam qvietem occupâsti: qvam tamen non agnovisti: qvia in eâ te commoveri es passus. Arrogantia tua te commutavit, atqve divisit. Non amplius gloriari poteris de iis, de qvibus gloriari poteras. Itaq; dejicieris, & ad antiqvum statum redigeris. Potuisses tu qvidem universo mundo prodesse, atq; te, & alios liberare: sed te decepit, qvod majores, & avi cõtemserunt. Descendes tamen tandem in teipsum: nemo autem ob te lætabitur.

Figura qvarta.

pag. 487.

Promissum tuum dextrum & sinistrum fecisti: qvasi nihil tibi deesse possit. Ambo (ergo) te affligent: odiumq; te suffocabit. Meretrix dividit suum amorem: qvod ad tempus illi condonatur. Sed væ eidem, ubi facta illius revelantur: cum enim locum habebit (tritum illud) nullus amor absqve tristitiâ, tu qvidem lætatus es. Etiamsi sis expers capitis: caput tibi imponetur: tu membri (vulgaris) naturam assumes: cui conditioni tu haudqvaqvam assvevisti. Verum præter tuam voluntatem cogeris cõcedere, imo deglutire, qvod ipse tibi nõ destinasti.

An Arg.

Figura qvinta.

Sapientiam coronæ tuę non habuisti: sed contra naturam coronæ contendisti, ac plurima mala perpetrasti. Incidet in te lapis, qvi præter tuam voluntatem te crudeliter conteret: qvia innocentem sangvinem effudisti, neqve agnovisti, qvod agnosci debuerat. Atqve hoc est, qvod coronæ est proprium. Qvem contemsisti, is te aggredietur à meridie ortuqve, anteqvàm etiam numerare poteris duo triáve. Non juvaberis eorum auxilio, cum qvibus fœdus percussisti: cadent enim etiam ipsi.

Figura sexta.

pag.

Odor tuus est gravis, qvocirca cuivis nec acceptus nec commodus: igitur hostes tui (non enim es sanus) tibi umbram facient, teqve domabunt, ut fias temperatus: nec fructum ex te feras, ut existimas. Cogeris enim cedere alicui, qvem non novisti. In principio eras audax, & agebas Perinde, ut heros. Propositum autem tuum divisit tuos socios: qvod divisum est, nihil habet, qvod sit stabile. Laudem tamen habebis, reportabisq; victoriam: qvia te ipsum agnovisti.

An Ros.

Figura septima.

Qvia semper præfractam cervicem habuisti, huc te prædestinavit: ut multis cum calamitatibus conflictareris. Non enim apud te reputasti: te in lapide & macrum, & obesum esse adumbratum per magiam. Hunc tu ignoras: ideoqve te apprehendet pœna, qvæ omnia regna fregit. Si sapuisses, ut te sapere existimas, hoc malum utiqve, præcavisses, & alia regna potius, qvàm tuum, fecisses tuum speculum. Verum aliter est: ideoqve sapientia tua hoc tempore stultitia est.

Figura octava.

pag. 488

Quis est, qui sciat, cui luceat sol? aut quomodo detur id, quod homo sibi sumere non potest? Quia itaqve hæc sunt posita in manu Dei, quia etiam hæc idem elargitur, cui vult, seqvitur, hominum adversationem frustra esse. Adest enim hora, qvâ deficere cogeris, nullo habito respectu tui roboris, tui fœderis, tuæqve potentiæ: omnia enim quę intra te sunt conclusa, tecum cocident, & tu te ipsum, aliosq; seduces: adeo ut te tandem ipse sis commiseraturus.

Figura nona.

Quanquam permisit Deus, ut alii te metuant, & ad tuum conspectum retrocedant: tamen & tibi virgula est destinata, qvæ eo tempore tergum tuum franget: ut te ipsum movere non possis. Omnes autem summa cum admiratione dicent: quis putasset, hunc adeo potuisse compesci? Decue-

An C.

Anno

Decuerat te modum servare, & qvod ante pedes est, aliter judicare, qvàm videtur, exitumqve rei perpendere. Hoc debilitabit te: itaqve & tu, & seqvaces tui cum planctu miserabili vobis hoc invicem exponeris.

1490

Figura decima.

Vestis tua non est nuptialis, per hoc magia cor tuum revelavit, & aliis te cognoscendum proposuit. Itaqve instar auri argentiqve oportet purgeris & proberis sæpius, qvàm septies, exactiusqve, qvam aurum & argentum per ignem à suis scoriis. Si perpendisses, ecqvod tuum fuerat initium, cum te educarent tui vicini: & justo liberaliores in te erant, animos tibi non sumsisses: hoc unum à te reposcitur: opes tuæ fluxæ ad alium spectant.

Figura undecima.

Fulsit tibi sol: ideoque te saginâsti, & ditâsti, cum in favis sederes: qvia verò finem sapienter haud respexisti, hyemis oblitus, ideoque te tua spoliat voluptate, atqve te eo miseriarum adiget: ut cogaris sugere tuos ungves. Qvia vero ursinæ naturæ es, & ultrà nihil sapis, magia te conjecit in retia: ut agnosceceris similis ursarum. Tu si saperes ut homo, hyems utiqve te non obruisset.

Hist.

1491.

Figura duodecima.

Bene sæpe qvis se collocat: (sed frustra est) si non fit sedes talis, qvæ cadere non possit cum eo, qvi eam insidet. Et tu, in altum te extulisti: sed hic locus tuus non est: mane inferius: non stabis superius. Es enim jugum, & onus, qvod gestare haud côveris: itaqve & ruit S.P. Tu collocasti te super Deum, is retribuit tibi mercedem, qvam qvæsivisti: mundanam nimirum gloriam, atqve laudem, qvam accumulâsti, & devorâsti: ut res mundanæ omnes, ita & tu peribis.

Pag.

Figura decima tertia.

Nimium bonum causa est nimii mali: si malus bonum contemnit, stulticia sua ipsi ascensum condonat in re propositâ: sed ascendit, ut minimè decebat: itaqve fortunam graminis subibit, qvod si maturuit, ingeritur eo, qvo docet, falce prius demessum. Tu si esses prudens, & respiceres finê, tuam miseriam ipse esses visurus, & agniturus. Verum non ita: hoc voluisti: recipis ergo mercedem, & attingis finem, qvem tibi exoptâsti: sapientia itaqve tua redundabit in tuam contumeliam.

1493

Figura decima qvarta.

Nimium concedere, causa est calamitatis: nam si res male cadat, propriis armis quis vulneratur: qvia plus justo concessit. Superbus es factus: superbiæ autem suus propositus est terminus, qvem non transilies: omnia dilacerabuntur: tu vero plane egebis. Si perpendisses: malum esse, si qvis miseris obsistat, siqve libertatem tuam in proximum tuum pugnandi agnovisses, omisisses hæc omnia. Sed proprius sensus te seduxit: & reputata est tibi sapientia tua in stulticiam.

Figura decima qvinta.

Nihil tam bonum est, qvod malum non possit fieri, si nullum habeat caput. Nullum caput habere, causa est superbiæ, qvæ nullius boni est causa. Ergo caput tibi imponitur: sub qvo cum futurus sis membrum, oportet ut premaris, & caput cum reliqvis membris, gestes. Res satis alta est: sed adhuc altius qvid tentabis. Illa tibi evenient, qvæ nunqvam sperasti, qvæ consilium tuum etiam vertent in perturbationem. At te dominante fiet concordia.

Figura decima sexta.

pag. 493.

PUER qvi scholam freqventat, & discit, ubi ætatem aliqvam attingit, puerilem laborem contemnit: immo pudet eum ejusdem. Hoc & tibi eveniet: si hoc modo scribis, labor tuus futurus est frustraneus: atq; hæc erit causa, ob qvam incassum perditu laborabitur. Tempus enim docet, atqve demonstrat: non semper esse margaritas, qvæ pro margaritis venditantur. Itaqve manus in te irruet, te dilaceratura perinde ut laciniam.

Figura decima septima.

Qvi domum ædificat, eandem custodiat: ne hostis adventans eam destruat. Et qvi destruit, destructam custodiat: ne instauretur; atqve sic utriusqve imprudentia rideatur. Ut ergo qvod destructum est, denno ædificetur, faciunt filii hominum, qvi finem non respiciunt: extruunt: exornant: expoliunt: obliti, hæc destructioni esse obnoxia: & iterum ædificationi: qvia fragilia sunt omnia: qvia non ædificant in petrâ: sed in arenâ.

Figura decima octava

pag. 494

Aqvila ex te non nascitur: Itaq; ventum emittet, qvi te tuosqve pullos perdomabit. Etiamsi res bene tibi succedant: ut dicere possis intra animum: mea anima, omnibus voluptatibus abundas. Qvid est, qvod asseqvi non possis? stabularis in Paradiso. Sita (inqvam) censes, & de nullis adversitatibus cogitas, tum inter maxima tua consilia & gaudia, diluvium te obruet, & asper Auster flatu suo te difficiet, tanqvâ pulverem à facie terræ. Non enim sumus conditi ad volupeates, & opes: sed ad vallem lachrymarum, & calamitatum. Hujus tu sanè es oblitus.

Figura

Anno

Figura decima nona.

Exultas in tuo horto, & mire tibi ipsi places: qvia vero sapientiam spernis, atq; consectaris voluptates, exultatio hæc tua tibi male cedet: jacebis igitur. Illi etiam, qvi qvietem tibi concedere debebant, præcipitem te agent, & ad cursum incitabunt. Nosce te ipsum: & perpende: res hominum esse vanitatem. (Qvod si feceris,) te convertes, & evitabis pericula, in qvibus qvotidie versaris. Cogita: arrogantiam, ataxiamq; nunqvam sortitas esse felicem finem.

pag. 495

Figura vigesima.

Res erecta manet, qvàm diu sustentari potest: qvod si vero à solo homine sustentatur, cum tempore superum inferum fieri potest. Ad eundem modum & homo prudentiam suam in terram stringet, & quasi sub eam defodiet, ex qvâ est nata, & alteri cedet. Certe enim prudentia hominum cōsistere non potest: similis est jucundo flori in agro, qvi admodum sibi placet: at flos non perdurat, multo minus hominum prudentia. Proverbio fertur: Tempus fert rosas, easq; exsiccat: hoc & tibi dictum velim: qvia ex te ipso pendes.

Figura vigesima Prima.

Si illi redibit qvies, custodia peribit, & tuus molossus lassabitur: tuo ipsius nido tu & pulli tui comprehenderis: cogerisqve cedere huic, qvem existimasti cessurum tibi, atqve ita relinqvere & nidū, & ova. Fiet ita: ut tu tuique incidatis in retia, qvæ aliis tetendisti: nunqvam eris is, qvi fuisti: nec filii tui erunt hi, qvi erant ipsorum majores. Tua vestis hostem tuum exornabit, atqve te contemnet.

pag. 496.

Figura vigesima secunda.

Etiamsi cordis secreta non prorsus retegas: nihil tamen est, qvod, licet aliqvandiu occultum fuerit, non reveletur: tum te agnoscet, qvi te debet agnoscere. Conatus enim es, & conaberis etiam posthac, molles in sericis, & duros in ferreis vestimentis sub jugum tuum mittere. Utinam inter consulendum tibi incideret: non possumꝰ, qvod volumus. (At cogitas,) qvi sunt illi, qvi nos impediunt? age, mollem primum, deinde ferreum (aggrediemur.) Verum proprium sanguinem fundes. Memor esto humilitatis, nec regni hujus mundi. Qvàm bene tibi erit?

Figura vigesima tertia.

Qvemadmodum tres personæ sunt in Deitate, qvæ unitate cōprehenduntur: sic homines in unitatē concurrant. Qvod nisi fiat, impletur illud: omne regnū in se divisum peribit. Itaq; nullum regnum sine divisione perit. Præcipua exaltatio, præcipuum qve fœdus regni est: ut (ejus subditi) ambulent in unitate, atqve ita agant, ne unitas dividatur. Qvicqvid enim dividi potest, instabile atqve vanum est: aliudqve cum alio semper contendit. At gaude: unitatis enim fies particeps.

Figura vigesima qvarta.

Qvid est, aut qvid juvat: ut fœdus inter vos pangatis, non considerantes: animos vestros inter se dissidere? Animadvertite saltem, qvibus signis vestes vestræ sint notate: tales & prorsus intus estis. Nolite esse bestiæ: sed homines. Qvia vero monitionibus locum non datis, vobis dominabitur is, qvi supra vos est. Nam sensus bestiæ non est durabilis. Hic sensus vero manet, qvi ex Deo datur: ille suo tempore concidet: & simul consilium vestrum peribit.

Figura vigesima qvinta.

Tanta certitudine res est discenda atqve intelligenda: ut nullum prorsus relinqvatur dubium. Qvia vero scientia tua ad propositum tuum perseqvendum, manca atqve imperfecta fuit, tuis dubitationibus es suffocatus. Putasti: non esse necesse: ut germano sigillo res consignetur: qvi tui ipsiꝰ sigillum esse optasti. Hinc qvia non recte egisti, nec fuisti, qvod te esse putabas, miserabilis mors te exspectat. Semper enim dubitasti: qvin etiam alii in arena ædificârunt tecum: illi lachrymati sunt: sed tu adhuc plus lachrymaberis.

Figura vigesima sexta.

Sibylla mentionem tui fecit, ubi dixit tu F. Merito jam es in flore: maturus enim es, & tempus te absolvit. Qvicqvid Sibylla de te dixit, illud complebitur: qvin adhuc plura de te dicentur. Æstas, qvæ fert rosas, est illud litigiosum tempus: qvo omnia sunt dividenda. Argumentum hoc est, qvod arenæ inædificavit homo, illud peribit, & tu in petram id transferes: id qvod omnes vehementissime mirabuntur. Nam cum tempus istud adventabit, simul adventabit cum eo id, cujus gratia adventavit (tempus.)

Figura vigesima septima.

Qvia oblivioni traditum est, multorum principatum non esse bonum: qvia etiam non amplius tenetur, unum esse oportere, nec plura: factum est, ut in partes discesserint singuli pro occasione: qvam sunt nacti. Cum vero minime conveniat: ut qvisqværat proprium commodum: (sed pulcherrimum sit:) ut unus alteri inserviat: proprium negligat, alterius commodum promoveat: qvod fieri non potest, ubi sunt multa. Hæc causa est, ut studeat unitati, illud præminebit, & sub illo gaudebunt illi, qvi diu fuerunt afflicti atq; excruciati.

Figura,

1599 *Figura vigesima octava.*

Non erit unanimis vox: itaqve frustra erit qvicqvid hic qvinq; consulent. Observate qvadragesimum secundum, qvod est futurum, aut id, qvod paulum antecedit, aut seqvitur: veniet enim atqve aget, volet qvod: vosqve inflectet, tanqvam ramos, aut virgas: qvod sane molestum vobis erit. Nam consilium tuum non fluit ex eo, qvi in ægrotitur, atqve esse putatur. Si consideratis, qvantæ imprudentiæ in se locum daret homo, si deficit, malum hoc præcaveret, atqve nunqvam deficeret: potiùs memor esset gravis illius rationis, qvam in illeiræ (est redditurus.)

Figura vigesima nona.

Futurum est: ut unumqvodqve ad sua pascua subducatur: pasci enim in alienis pratis res est, qvæ excitat contentiones, calamitates, & miserias in mundo. At cum qvodlibet suum ingredietur stabulum, concordia erit: qvam perturbat ipsum os, qvia pro libitu depascit gramen, modo ut gratum faciat gulæ. Hæc incommoda omnia oriuntur ex alienis pascuis. Qvàm beata erit illa hora, & qvàm beata paupertas illa futura est, ubi comparebit is, qvi qvemlibet ad sua prata est abducturus, non procul ab illo, qvi est qvadragesimus tertius.

1600. *Figura trigesima.*

Sæpius estis congregati: multi convenerunt: qvia vero abfuit hostis, nullius sunt momenti ea, qvæ à vobis sunt decreta. Hoc solum abs te reqviritur, ut cesses, & tecum cogites: unde es? à qvo didicisti? Qvid faceres, si cessares? si te & tuos propalares, esses cessaturus: qvia vero affectas esse id, qvod affectare non debes nempe sedem S. P. qvam cadere oportet, nullus erit successus consiliorum tuorum: nam propositum tuum impedit, qvi omnium est Dominus.

Figura trigesima Prima.

Magna futura est mutatio, & renovatio: qvemadmodum enim pueri ignorant fraudes & dolos seniorum: sic se res habebit, qvando numerabuntur 60. cui tempori paululum decedet, nihil addetur. Probe itaqve nobis est perpendendum: tempus illud statui prolixum, qvod secundum annos hominis statuitur: nos breve statuamus, credamusqve. Ut enim tam multi cadant, tam multi sternantur, una cum tam multi immani atqve rugiente Leone, qvi tam diu crevit, uno momento perfici non potest. At bene huic erit, qui instar pueri qvietem colet: qvandoqvidē hominū scientia tantum efficit ægritudinē ac turbas, &c.

1610 *Figura trigesima secunda.*

Multum laborasti, ut seculum conderes aureum: itaqve absoluto penso qviesce. Felix est is, qvi dormiens nascitur: nullum malum enim cognitum habebit: purgationes fecisti, multa passus per vitam. Nemo te superabit: nemo etiam erit, qvi te excitabit tam diu, qvam diu non duplicabitur numerus annorum, qvem numerârunt tui hostes à suo inde nido.

Alia Prognosticatio Theophrasti Paracelsi.

Prævideo: te fidem mihi non habiturū, si dicam: mea hoc qvidem tempore contemta scripta, aliqvando apud doctos & sapientes in precio fore. Sed illud non fiet, donec magna & terribilis Eclipsis solis transiit: tum (addo) magnis cum aqvarū exundationibus variæ turbæ, seditiones, bella, cædes, incendia, regiones septentrionales infestabunt. Cave tibi tunc Brabantia, Flandria, Selandia, & vos Tyrophagi, qvales sunt mei populares. Belg.

Eo tempore Lilium prorsus exsugetur, computrescet, atqve in terram dejicietur: Aqvila deplumabitur, dehonestabitur, prorsus contemnetur. Gall.

Othomannus rerum potietur, & ad hujus nutum omnia aget Aqvila. Anni qvidem frugiferi tum futuri sunt: omnia enim ad vitam necessaria abundanter provenient: sed pauperibus non dabitur his frui. Turc.

Ecclesiastici tunc florebunt: implebuntur ut Luna: Orientales magnas obtinebunt victorias, tenebuntq; erectam auream illam turrim: gens acephala non expers erit periculi: alta & nobilis familia punietur, tanqvam malefica. Leo, qvi socium habet cæruleum & album, alta spirabit: cave tibi amœnissima civitas, qvæ hactenus oculus fuisti Europæ. Leau V.

Corona rutæ prorsus peribit: & de magno isthoc igne tantum restabit scintilla, qvæ mox augebitur, & excitabit incendiū non extingvendum. Ubi hæc sunt facta; nec religio, nec fides, nec honestas amplius erit: sed erunt multæ religiones, plures species fidei, atq; honestatis: verum cum omnibus his ita erit comparatum, ut hæ omnes pro una religione, fide, & honestate non possint haberi.

Albus cum nigro nigrum aliqvamdiu superabit: res ingentes perficiet. Pomū granati dividetur, grana ejus ejicientur, atq; exarescent: stirps rutæ atqve corona radicē suam inclinabit ad lilium: illud defendet, ne ventus sanitatis illud afflare possit Certè populi terræ eo tempore commovebuntur: nec curabitur vel fraternitas, vel affinitas, vel amicitia. Leo amicitiam cum piscibus contrahet: & corona pulchro illi pileo subjicietur. (a)

Corona

(a) *Hisp. Nota Hoc factum circit. 84. VV. & P. Calvinismus in Saxonia.*

Anno

Corona rutæ commaculabitur lacte: & Pelicanus à suis devorabitur pullis. Phœnix consumetur per ignem, & ubi ros irrigabit ejus cineres, (prout fert natura ejus) reviviscet. Sed surget nobilis Phœnix: Bufonem premet: Leonem acceptabit, suoqve adjuvabit suffragio. Leo meliora eligeret: sed nihil amplius (impetrabit.) Eqvo feroci Phœnix frenum injiciet, eumq; premet insessor cum calcaribus, absqve ephippio.

Hoc etiam tempore novum genus ferarum, variis & admirandis capitibus instructarum, nascetur. Multa ora, multosqve stomachos hæc fera habebit, verum unum duntaxat podicem. Abjectissimus hominum dominationem suam probabit: angeli ejus vestientur sangvine, atqve unum urgebunt opus. Comparebit feretrum eqvorum, & ubiq; exaudientur gemitus, & suspiria agentium animam. Somnolenta Aqvila conspicietur in universo imperio: causa somni erit Draco.

An Ies.

E. N. B.

Fons vitæ aqvas fundere incipiet: & Aqvila alba in nigram convertetur. Minuetur lac, & sangvis: & arbor ferarum efflorescet, Leo senior ligabitur, & juvenculus liberabitur, qvi feras omnes à seniore Leone offensas in gratiam suscipiet. Imo adhuc plura præstabit: nam jubas suas in sericum commutabit. Ipsi insidias struet ursa: & Bucephalus conabitur eum cornu petere. Gryps volatu ipsum superabit: sed non lædet. Tunc etiam margarita, qvæ diu amissa fuerat, ab abjectiss. homine reperietur: qvæ etiam auro cingetur, & principi ferarum, id est, vero Leoni dono dabitur: is autem eandem de collo suo suspensam maximo cum honore gestabit. Idem vim lupi ursæq; prohibebit: eos discerpet: ut bestiæ sylvæ securam vitam agere possint.

pag. 502.

Antiqva ars tum obtinebit: nova autem jacebit contemta: novus mundus emerget: & albus cum nigro evanescet. Omnis etiam gloria peribit: & pennæ orientalis illius avis consumentur per solem meridianum. At tu Leo terrestris, qvi deauratus es, atqve ligatus, qvomodo habebis: Omnis fortuna tua commutabitur: septem tua capita unũ fient: ex qvo nascetur caput, qvod armabitur qvodam cornu: hoc cornu conteret omnia, qvæ jam diu afflixit (Issinos.) Magna urbs tum caput erit parvorum, & à servitute liberabitur. Europa erit caput: Asia corona: Aphrica clinodium.

Faxit Deus, ut cito id fiat.

Michael Neander, & Joach. Rheticus, Mathematicus Cracoviensis, de eodem.

Paracelsus nostri seculi Theophrastus miracula multa præstitit, de qvibus certo constat. Cum Albertus Basa Poloniæ Regis Medicus ex Italia rediret, divertit ad Paracelsum, qvi tum temporis ad Sancti Viti urbem agebat. Accessit cum Theophrasto ægrotum, qvem supervicturum paucis horis, affirmabant omnes, ex casu virtutis, & pulsus defectu, laborante etiam pectore. Ibi Theophrastus idem affirmabat fore, secundum Humoristarum artem medicam, sed facile restitui posse ex vera arte, qvam Deus in natura occultaverit: atqve ægrum in crastinum ad prandium invitavit.

Producto igitur qvodam destillato trium guttarum, quod illi in vino exhibuit, restituit hominem, ut ea nocte convaluerit, & seqventi die comparuerit in hospitio Theophrasti sanus, maximo omnium miraculo. cum hujusmodi multa ex Dei beneficio faceret, nihil nisi calumnias & obtrectationes assecutus est. Hæc Rheticus.

Adjicio, inquit Neander, ad superiora etiam ex literis ad me amici narrationem de Theophrasto memorabilẽ, cujus generis simile nihil hactenus qvisqvam prodidit, ne quidem de illis etiam, qvi in Theophrasto evehendo supra Philosophos atqve Medicos omnium ætatum atqve temporũ toti sunt atq; occupati. Verba hæc sunt.

Gottes Gnad/durch Jesum Christum unsern Erlöser/sambt meinen ganz willigen diensten allezeit zuvoran/ Achtbarer/Ehrbarer/und Wolgelarter Herr Magister. Ewer Schreiben/ des Datum den 5. Tag Julii/ sambt dem beygelegten meines lieben Vettern Matthæi Richtern/habe ich den 8. Tag Augusti von dem Botten / Zeiger dieses Brieffs empfangen. Vnd was meinen lieben Præceptorem Doctorem Theophrastum belanget / daß denn zu Basel geschehen / hab ich euch den nechst vergangenen Weyhenacht Leipzischen Marckt geschrieben/ kan aber wol mercken/ der Brieff sey euch nicht kommen: So hab ich auch den Brieff meines Vettern / so auch die Zeit gegeben / allererst auff den Ofter Leipzischen Marckt bekommen/ Vnd wenn ich alles/ was allda zu Basel diß halbe Jahr von ihme mit den Galenischen Doctoribus und sonsten Krancken gehandelt ist worden/ hette sollen beschreiben/ hette ich warhafftig an einem ganzen Buch Pappier nicht genug/wiewol es mir auch unmüglich/ dieweil es vorlangst geschehen/ und ichs nunmahls alters halben vergessen habe. Doch/so viel ich noch im Gedächtnis habe/wil ich euch nicht verhalten.

Da ich (ungefährlich / wie man 29. oder 30. geschrieben hat / bin ich die Wochen nach Michaelis gehn Basel kommen zu meinem Landsmann / der damahls Cantor in einem Particular allda gewesen / der denn am schweren Fieber lange Zeit kranck gewesen/) hab seinen Chor und Stelle für ihn versorget / ist der mehrgenante Doctor und mein lieber Præceptor, selig. Gedächtnis) Philippus Theophrastus Paracelsus / zu dem krancken Cantorl gefodert kommen/ hat er mich bey ihm gesehen/

Anno

sehen / und gefraget / waser Nation bistu? hab ich geantwortet / ich bin ein Meißner / ich hab mich zu Heidelberg im Studio verzehret / wolt gern diesen Winter / dieweil numals die Dienste überall versäumet / einem Bürger die Kinder lehren / damit ich den Winter Unterhaltung möchte haben / hat er geantwortet: So du nicht weiter könst / ich wolt dich zu mir nemmen und dich unterhalten. Bin ich auch froh worden / mit ihm gangen / doch dem Krancken seinen Chor und stelle / weil er gelegen / mit seinem Willen versorget.

Da ich nun etliche Zeit bey ihm gewesen / ist eine Frau zu ihm kommen / sich beklaget / ihr lieber Mann sey sehr schwach / sie besorge sich / er werde die Nacht nicht überleben / hat er ihm sein Wasser bringen heissen / und darauff / da ers besehen / gesagt: Euer Mann wird morgen das Frühstück mit euch essen / und frisch werden. Wenn das Gott wolt / hat sie gesagt / ich hab noch ein Gülden / und auch nicht mehr in meinem Vermögen / ich wolt ihn euch gern geben. Hat er gesagt: Schicke ihm nur essen zu: ihr werdet wol sehen

Den andern Tag umb den Mittag ist Sie wiederkommen / hat den Gülden gebracht / für ihm niedergefallen / ihm den gereicht / und gebeten / er wolte ihn für gut annemmen / und gesaget / sie hätte nicht mehr Hauß und Hoff / sie wolt ihm sonst mehr geben / daneben ihr Mann ist gar frisch worden von dem jenigen / was er ihr gegeben hat / darauff er geantwortet: Liebes Weib / nimb deinen Gülden / und kauff dir und deinem Manne Essen und Trincken / und dancket Gott.

1502. Was es aber war / das er ihr gegeben / weiß ich nicht / es war ein weiß Pulver / das solte sie ihm im warmen Wein geben / und ihn darauff schwitzen lassen. Deßgleichen weiß ich / daß er Aussätzige / Wassersüchtige / Fallentsüchtige / Podagrische / Frantzösische und andere unzehlig viel Krancke gar umbsonst curiret, das Ihm dann die Galenischen Doctores nicht ohne merckliche Schande / nicht nachthun haben mögen / dadurch sie denn in grosse Verachtung bey iederman kommen / und er Theophrastus dargegen geehret ist worden.

Noch eins / und damit zum Beschluß / er sagete einmal: Frantz / wir haben nicht Geld / gab mir einen Reinischen Gülden / sprach: Gehe herfür in die Apotecken / laß dir ein pfund Mercurii abwegen / und bringe mir ihn her. Ich thet das / brachte ihn den / sambt dem übrigen Gelde / (denn damahls war der Mercurius nicht theuer) da satzt er vier Ziegel auff dem Heerde zusammen / daß die Lufft unten geringe herumb gehn kundte / und schüttete den Mercurium in einen Tiegel / satzte ihn zwischen die vier Ziegel / hieß mich Kolen drum schütten / darnach auch lebendig Feuer / und wieder Kolen darauff / und liessens also fein mähelich angehen / giengen in die Stuben / denn es die Zeit kalt war.

Uber eine gute Weile sprach er: Unser Servus fugitivus möchte uns draussen entfliehen / wir müssen sehen was er mache / wie wir kommen / wolte er schon rauchen und wegfliehen / sprach er: Gehe hin / nimb das Keulgen zwischen die Klufft / und halt es ein kleine weile hinein / es wird bald zergehen / wie denn geschach. Nu sprach er / nimb die Klufft wider heraus / und decke den Tiegel zu / und gib ihm gut Feuer / und laß es stehen. Wir giengen davon in die Stuben / hatten des im Tiegel vergessen / über eine halbe Stunde sprach er: Wir müssen traun sehen / was uns GOtt bescheret hat / heb die Stürtz vom Tiegel. Das vollbracht ich / es war aber das Feur gar abgangen / und im Tiegel alles gestanden. Sprach er: wie siehet es? ich sprach / es siehet geel wie Gold / ja Gold solte es auch seyn / sprach er. Ich hub es heraus / zuschlug den Tiegel / da es erkühlet / nahm ichs heraus / es war Gold. Er sprach: Nimb es / trag es zum Goldschmide über der Apoteck / und heiß mir Geld dafür geben. Ich thet es / der Goldschmid wug es / es wug ein Pfund / weniger ein Loth / und gieng / und holete Geld / brachte einen ebenen Beutel von Kartecken gemacht / voller Rheinischer Gülden / und sprach: den bringe deinem Herrn / und sprich / es ist nicht gar / ich wil ihm das ander wol schicken / wenn ich hab. Ich bracht es ihm / es ist gut sprach er / er wird mirs wol schicken.

Es war ein Keulchen einer zimlichen Haselnuß groß / in ein roth Siegelwachs eingemacht / was aber darinnen / weiß ich nicht / dorffte auch Scham wegen / als ein Junger / nicht fragen / ich glaube aber / daß ers darumb thet / daß ich ihn umb etwas ansprechen solt / er hatte mich sonst lieb / ich glaube / er hette mir etwas mitgetheilt / so ich ihn gebeten hette. Das hab ich euch auff euer Schreiben nicht wollen verhalten.

Den Elleborum muß man den Tag / ehe der Monat neu wird / frü vor der Sonnen Auffgang ausgraben / und darnach allererst damit gebaren / wie es mein Vetter gemacht / deß meinen schicke ich euch / dieweil ich sein selber wenig hab / ein klein Büchslein voll / bitte der Herr wolle damit fürlieb nemmen / ich wils kürtzlich wieder machen / kan euch mehr übersendet werden.

Was aber das oleum Antimonii belanget / weiß ich wol / daß es ein köstlich Ding in der Medicin und Chimy ist / ich weiß auch die Retorten zu Görlitz / ich bin aber nunmehr zu alt / drey Tag und Nacht drüber zubrennen / darff mich nicht dran machen. Wie es aber der Herr Doctor Copus zu Braunschweig machet / möchte ich gern wissen. Damit ich aber euch mit meinem Schreiben nicht überdrüssig mache / will ich also beschliessen / und euch alle in unsers HErrn GOttes Schutz befehlen. Meinem lieben Vettern habe ich hiebeyliegende geschrieben / bitte freundlich / wollet es ihm zuschaffen / will ichs wieder umb

Anno euch verdienen. Datum den 9. Augusti, Anno 75.

Euer Achtbarkeit allezeit
gantz Williger
N. N.

Ulterius de Theophrasto loqvens Neander, etiam hæc addit: Habuit Theophrastus laudanum, quo infinitos mortales sanavit, sed ejus conficiendi modum, ut & alia multa, nemini moriens patefecit.

Franciscus Duarenus in lib. de beneficiis.

Svetonius in vita Iulii Cæsaris Romani: Omnem (ait) Galliam, in provinciæ formam redegit, eiq; in singulos annos quadringenties sestertiûm stipendii nomine imposuit. Hoc idem Eutropius lib. Breviarii 6. totidem prope verbis scriptum reliquit. Hunc sestertiûm numerum, si Guilh. Budæi rationem seqvamur, reperiemus, respondere nostrati pecuniæ ad decies centena aureorum coronatorum millia, sive, ut vulgus loquitur, unum millionem, ut Germani usurpant, decem tonnas auri.

Ingens hoc fuit Galliæ tributum: quod quotannis ita Cæsaribus pensitabat: ut tamen ex eo stipendium præsidiariis aliqvot legionibus persolveretur. Quid si jam doceamus, Papam Romanum non minorem qvotannis summam sine ullo impendio, Romam inde suis præstigiis atqve artibus elicere? Incredibile fortassis alicui videbitur, ac planè monstro simile, ut ante dixi. Sed tamen esse verissimum, certissimo testimonio convincemus.

Ecquis igitur istius tam immanis latrocinii, vel potius sacrilegii testis est? Senatus ipse Parisiensis, qui in Gallia dominatur, qui Regi LUDOVICO XI. postulata qvædam pro Gallicis Ecclesiis detulit his verbis, quæ Franciscus Duarenus I. C. Latinè convertit, & edidit cum privilegio Regis, bis Lutetiæ, & iterum bis Lugduni: sub finem lib. de Beneficiis. Nam sub illorum postulatorum artic. 72. ita scriptum est. pag. 504.

Ut speciatim ac sigillatim demonstremus, quantopere hoc triennio pecuniâ regnum exhaustum sit, animadvertendum est, Pii Pontificis tempore vacasse in hoc regno plus, quam viginti Archiepiscopatus, & Episcopatus, nec dubium est, qvin tam pro annuo illo vectigali (qvod annatam vocamus) quam pro reliqvo sumtu accessorio & extraordinario, in singulas bullas sena aureorum millia depensa, numerataqve sint: qvæ summa est centum & viginti millium aureorum.

Sequitur articulus 73. Abbatiæ ab sexaginta eò amplius vacaverunt in hoc regno: quarum singulæ duobus millibus aureorum minimum constiterunt. Summa est centû & viginti millium aureorum.

Art. 74. Eodem tempore prioratus, Decanatus, præposituræ, præceptoriæ, & aliæ dignitates, quæ lituo insignitæ non sunt, plus qvàm ducentæ vacaverût, ac in singula hujusmodi beneficia aurei numerati sunt qvingenti. Summa igitur est centum millium aureorum.

Art. 75. Constat, in hoc regno minimum centum millia parœciarum esse, quæ inhabitentur & incolantur. Nec ulla est, in qvâ eo tempore gratiam exspectativam aliqvis non impetraverit: in quarum singulas viginti qvinqve aurei impensi sunt, tàm pro itineris sumtu, qvàm bullarum confectione, pro non obstantiis, prærogativis, annulationibus, & aliis specialibus clausulis, quæ gratiis expectativis adscribi consveverunt. Item pro exsecutorio processu super eisdem gratiis facto. Summa hæc est vicies qvinqvies centena millia aureorum. Hæc senatus Parisiensis.

Colligatur nunc illarum sumarum summa, reperietur ad novies centena sex, & qvadraginta millia, sexcentos sex, & sexaginta coronatos, & insuper unius coronati bessem: qvæ tertia pars est ejus summæ, qvàm Senatus Parisiensis demonstrat illo triennio Romam esse delatam: nempe duodecies centenûm & qvadragenûm millium coronatorum: sive, ut vernaculo sermone utamur, trium auri millionum, minus centum sexaginta millibus: sive, ut Germani loqvuntur, ad octo ferè & viginti auri tonnas.

Quin etiam compertum est, taxam vacatiarum descriptam in libris Cameræ de Ecclesiis cathedralibus & Abbatiis Gallicarum, taxatis tantum sexto qvoqve anno conficere summam sexcentorum nonaginta septem millium septingentarum qvinqvaginta librarum Gallicarum, extra prælaturas non taxatas, & alia beneficia, qvorum exactiones ferè illam summam exæqvant. Et erit qvisqvam in regiis Parlamentis Gallicis, qvi hanc sive voraginem, sive potius Scyllam, Charybdim, gurgitem, æqvo se animo ferre fatebitur? ac non potius, ubi tantarum sumarum jacturam audierit, non illam immanem ac tetram belluam precibus omnibus detestabitur?

Ex sylvâ locorum communium, sub exitum Concilii Basiliensis editorum.

In illo libro ratio confectæ ejus pecuniæ est, quæ sub Papæ Martini V. Pontificatu ex sola Galliâ Romam exportata est, excurrisse dicitur ad nonagies centena aureorum coronatorum millia. Et miramur, eundem illum supradictum Senatum Parisiensem in iisdem postulatis, art. 71. graviter & acerbè qvestum esse, tantam auri argentiq; Gallici copiam quotannis Romam exportari, ut interdum ad usum plebis Gallicæ pecu-

pecuniam æream pro argenteâ cudi oportuerit? Sed audiamus articulum eorundem postulatorum 62.

Antehac (inquit Senatus Parisiensis) populares regni hujus certatim concurrebant Romam, qvorum alii Cardinalibus, & aulicis inserviebant: alii nullius hominis familiæ mancipati, sed aliqva spe vanâ illecti, suam parentumqve suorum substantiam absumebant, alii & hi quidem plurimi, eo consilio Romam migrabant, ut cæteris hic manentibus molestiam exhiberent, & Ecclesias beneficiaq; ab eis, qvoqvo jure & qvaqve injuria extorqverent.

Nam experimento compertum est, maximam eorum partem, quihinc Romam proficiscebatur, sive ob itineris periculum & molestiam, sive ob pestem, quæ Romæ crebrò grassatur, mortem statim oppetere solitos fuisse: qui verò ex his periculis incolumes evadebant, negotium facessebant senibus, valetudinariis, & aliis ejusmodi, qui in Ecclesiis & beneficiis suis erant assidui. Ac sæpenumero contingebat, ut miseri homines in curiam Rom. citati, cum adversus istos calumniatores se defendere nequirent, præ tædio & mœrore vitam finire cogerentur,

Artic. 62. Pleriqve beneficiorum captatores, parentum & amicorum loculos exhauriebant omninò, tandemqve ad summam inopiam, atqve adeo mendicitatem redigebantur. Nec vero ulla spe aliâ tantas perferebant miserias, nisi ut plumbum fortè pro auro domum aliqvando referrent; accidebatq; interdum, ut corvus inhians deluderetur, utq; plumbum auro emtum nihil planè aliud quàm plumbum esset. Cum enim bullis suis plumbeis confiderent, interveniebat alius, qui annullationem aliquam ex insperato afferret, ac interdum decem aut duodecim ad idē beneficiū anhelantes & acceptantes existebant. Ortâ vero lite inter eos, Romam deuò rectâ eundum erat litigandi caussa. Sic omnibus passim Romam confluentibus, regnum popularibus ac subditis miserabiliter destituebatur. Imper. Car. 5. PP. Paulo III.

Miraculum.

1542 Anno 1542. in Bilsen Bohemiæ oppidò natus est infans similis imagini Christi crucifixi, aut pendentis in cruce: qui collum contortum & in latus reflexum habuit, quemadmodum pingitur imago Filii Dei de cruce ablati, ut difficulter ipsi propter obliqvitatem cibus ingeri potuerit: crura etiam transversa & inflexa habuit, quæ etsi pluries sejungerentur & distenderentur, sua sponte tamen iterum coierunt, & ad priorem figuram sunt relapsa. Vixit aliquandiu Viennæ Austriæ, German. Chron. Ut suprà.

Portentum.

Hoc & superiori anno Constantinopoli plurimi fuerunt lupi, qvi magna dederunt multis civibus damna, & valde angustiârunt homines, ut vix qvicquam exire domo vel redire domum incolumis potuerit. Igitur Clientum seu subditorum cura assumta, Turcicus Imperator mœnias fortalicia & valla munivit viris, & seqventi die ipsemet præsens cum omnibus suis Ducibus & Magnatibus, & universis suis Satrapis, peditibus & equitibus de mane urbem totam ordine facto cinxit, & ultimò lupos, qvorum plus minus ducenti fuerant, in qvendam angulum mœniorum compegit. Anno 1542

Tunc Wascha Mustafa distributo in ampliores series milite suo, volebat capere in corona lupos: hi autem, cum præsens animadverterent discrimen mortis, uno impetu mœnibus saltu superatis, urbe excesserunt, & postea nec in civitate, nec in finitimis ullus fuit conspectus amplius locis. Iob. Fincel. ut sup.

Ostenta.

Anno Domini 1542. in Marchia & aliis locis tanta cicadarum fuit copia, ut in unius ferè cubiti altitudinem passim per campos exsurrexerint stratæ. Multigenorum erant colorum, virides, flavæ, cœruleæ, albæ, grisiæ & atræ, & in tergo gerebant qvandam speciem cuculli monachalis, cum quatuor alis. 1542

Hæ locustæ procul dubio fuerunt nuncii spiritualium illarum locustarum (de qvibus Apoc. 9.) hoc est, Iesuitarum, qvi ex montanis Tridentinis, loco execrati illius Concilii, oriundi tunc tanta incrementa sumere, & omnem terrarum orbem miranda velocitate miseris modis tractare & possidere virulenter cœperunt. And. Ang. de mirabilibus mundi. Ut sup.

Mirum.

Quarto nonas Maji non procul à Pfortzhemio, in pago Zesenhusen, inter qvartam & qvintam post meridiem, ingens Cometa visus est, sua magnitudine lapidem molarem facilè superans. Qui caudam suam adversus aquilonem dirigebat. Ex quo desuper ignis instar magni Draconis descendens in terram, proximum rivum planè exhausit, & inde in agrum quendam volitans, magnam frugum partem absumsit, indeqve se recipiens in altum, harum rerum vestigia horrenda post se conspicienda reliqvit. 1542 *

Petrus Joan. Olivarius Valentinus. 1542

Hic scripsit librum de Prophetia & spiritu Prophetiæ, qvæ sunt de Romana Ecclesia, vide ibi. Imp. Carolo 5. PP. Paulo ut sup.

Anno Pag.506.

Johannes Monheymius, aliàs Ebrenfeldius.

1542. Hic edidit Catechismum, super eo extat censura universitatis Coloniensis, in quâ affirmant, sacram scripturam esse veluti nasum cereum, qui in quamvis interpretationem flecti possit. Imp: Carolo 5. PP: Paulo 3. ut suprà.

Dira.

1542. Anno 1542. Iunii decimo quarto, Budæ horrenda admodum tempestas sæviens, suo impetu fastigium turris ad sanctum Stephanum, ruptum, solutum, in campum Herculis, ubi commisso inter Regem Ludovicum & Turcas acri prælio, plurimi interierant Christiani, horrendo cum fragore dejecit. Quam cum præstigiosus sacrificulus compescere sibi proposuisset, caputqve ovis superstitioso ritu ante se portans ad Missam in templo celebrandam festinaret: turbo vehemens eum unà cum ovis capite in sublime arreptum è conspectu omnium abstulit, ut nunqvam suorum oculis postea fuerit redditus. Finc. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3. ut sup.

Ex libro, cui titulus est Prognocon finis mundi.

1543. Primum quod dicit, multos suo nomine venturos, qui dicerent, Ego sum Christus: Qvando, in quibus id factum est, nisi in Papa? qui se palam pro Christo ac nostro in terris Deo ostentavit, id quod ante fecit nemo. Nam ut illud obiter moneam, In nomine Christi venire, ac se Christum dicere, nihil aliud est, quam Christi regnum titulo, ut sic dicam, Vicariatus usurpare, quod qvi facit, hunc vulgo Locum tenentem vocant, aut clare & recte Christi vicarium. Qvod ut ex professo fecit Papa, ita nemo fecit præter Papam.

Quod porro Multos dicit venturos, ad numerum Paparum pertinet, non ad Papæ personam, quæ una tantum fuit. Unde & hoc clarum esse potest, de Simone Mago hunc locum non esse intelligendum: dicit enim Multos. Adde etiam, quod iste non dixerit, se Christum esse, sed Magnum aliquem, quemadmodum id acta testantur. Quod autem virtus Dei dicebatur, id nominis ipse sibi non tribuebat, sed populus illum ita vocabat. Dominus autem dicit, hos Pseudochristos, ipsos sese mentituros esse Christum. Sed neq; quælibet Dei virtus dicta Christus est.

Pseudochristi igitur isti, soli Papæ sunt. Per Pseudoprophetas intelligit quoscunqve falsos doctores. Stat igitur, hanc Pseudochristorum agnitionem per Lutheri Evangelium factam, finis seculi prognosticon esse, non templi. Imperat. & Papa ut suprà.

Ibidem. Qualem autem Christus prædixerat fore, talem offendimus. Prædixerat, Pseudochristos fore, qui dicerent, hoc est, mentirentur: Ego sum Christus. Id primus, quantum ad significationem per Evangelion factam attinet, sine qua, ut dixi, signa non sunt signa, fecit Leo, deinde Adrianus, postremo autem Clemens, & quotquot postea secuti sunt & sequentur.

Laurentius Douer Concionator in Stasfurt.

Ad hunc Concionatorem aliquando diabolus venit templum, confessurus ei sua peccata. Ibi postquam acriter utrinqve dimicatum verbis, & Diabolus ex verbo Dei fuisset convictus, indignatus cessit, teterrimo post se relicto fœtore, Imp. & Papa ut sup. 1543

Hieronymus Cardanus, de Dæmonibus.

Verùm sunt alia hujus rei experimenta. Placet autem duo ex Erasmo Roterodamo, viro docto & minime superstitioso, ut etjam in spectro talia irriserit ubertim, ex Epistolis suis subjungere. 1543.

Oppidum, de quo tibi narratum est, Germanis dicitur Schiltach. Abest à Friburgo octo millibus Germanicis magnis, de quo an omnia vera sint, quæ vulgo jactantur, non ausim affirmare. Illud nimis verum est, totum subito conflagrasse: mulierem confessam ac supplicio affectam. Conflagratio accidit quarto Idus Aprilis, qui dies erat Iovis ante Pascha, anno à CHRISTO nato M. D. XXXIII. Quidam ejus oppidi cives, apud hujus urbis Magistratum, rem ita gestam, pro comperto narrârunt, qvemadmodum mihi retulit Henricus Glareanus, qvantum meminisse possum.

Dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans esse furem, ascendit, neminem reperit. Sed idem signum rursus altiore cœnaculo redditum. Et huc conscendit caupo, furem persequens. Cum nec illic quisqvam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarii. Illicò tetigit cauponis animum, esse dæmoniacum quiddam: jubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt sacerdotes duo, adhibitus exorcismus. Respondit, se esse dæmonem.

Rogatus quid illic ageret, ait, se velle exuere oppidum. Minitantibus sacrificis, respondit: se pro nihilo ducere minas illorum, quod alter esset scortator, uterq; fur. Aliqvantò pòst, mulierculam, qvi cum habuerat consuetudinem annis quatuordecim, cum interim illa qvotannis & confiteretur, & acciperet eucharistiam: sustulit in aerem, imposuitqve fumarii fastigio, tradidit ollam, jussit ut inverteret, inver-

invenit, & intra horam totum oppidum exustum est. Imperat. Carolo 5. Papa Paulo 3.

Idem. Franciscus Mirandula se agnovisse scribit Sacerdotem Benedictum Bernam, ætatis annorum septuaginta quinqve, qui annis plus quàm quadraginta cum Dæmone familiari, sub forma fœminæ associato concumbebat, in forum deducebat, alloqvebatur, adeo, ut astantes, qui nihil videbant, eum pro fatuo haberent. Vocavit autem illam Hermelinam, quasi mulier esset.

Alium qvoqve Pinnetum (ait) nomine novi (qui ad octoginta & amplius annos pervenerat) cum Dæmone alio, (qui mulie bri forma videbatur, vocabatqve eam Florinæ nomine) plus quadraginta annis venereas voluptates exercuisse.

Idem. An. 1542. iu Ducato Wirtembergico horrendæ imagines, & inter eas etiam virgæ vel faces, celerrimo motu hinc inde in cœlo ferri visæ sunt.

Idem Sacerdos quidam confessus, se arcana in sacrificio non protulisse: consecratum munus mulierculis ad veneficia præbuisse, pueris sanguinem exsuxisse, pœnas dedit An. 1435.

Idem lib. 8. cap. 43. de rerum var. Cuidam monacho Carmelitani ordinis, per annos tredecim perpetuos evenit, ut quoties capitium reduceret ad occiput, scintillæ ignis è capillis erumperent. Si de die illud visum, mirum est, si de nocte, non nam ego simile exemplum novi.

Superstitiones ad sistendum sanguinem, ex eodem.

Te per eum, sanguis, quo perfidus occidit angvis,
Et sanguis cujus mundi pretium fuit hujus
Adjuro: cessa, vena, vel nare repressa.

Aliud ad sistendum sanguinem.

Sanguis & livor stet in te, in nomine Patris,
Sicut & Christus mansit in se inter patrem nostrum.
Sangvis & livor stet in sua vena,
Sicut & Christus stetit in sua pœna.
Sanguis & livor stet jam fixus,
Sicut & Christus stetit crucifixus.

1508. Idem. Quarto nonas Maji Anno 1543. non procul à Pfortzhemio Marchionis Badensis haud ignobili oppido, in pago Zesenhusen inter quartam & quintam post meridiem, ingens Cometa visus est, sua magnitudine lapidem molarem facile superans.

Idem. Sed audi aliam ejusdem historiam. Anno superiore Magduni (id est oppidulum haud ita procul ab Aurelia) maleficus quispiam decessurus uxori mandat, ut quicquid esset apud se librorum magicorum, reliquaqve ejus sacri arma, civi cuidam Aureliano tradat, propediem videlicet perituro, quod hunc sceleris conscium ac participem habuisset. Is hæc omnia Aurelia transfert.

Iam ipse Sacerdos domi suæ plus triennium nephandum sacrum, & quavis idololatriâ execratius, non insciente uxore, filiâ virgine etiam adjuvante, peragitat. Quibus verò ceremoniis, qvove ritu sacrilegium hoc constiterit, paucis referam ita, ut à certissimis hominibus accepi.

Corpus illud adorandum vindicis nostris Iesu in pyxidulâ qvadam saligna conditum sub lecti stramentis abdiderat. O divinam patientiam! mihi referenti frigidus horror membra qvatit. Id ante triennium à sacrificulo quopiam famelico & impio (cujusmodi hic est nimis magna copia) fuerat mercatus, & quidem minoris, opinor, quàm olim Iudæi Christum, ut scelestissimus ille sacerdos Iudam nobis non retulerit solum, sed etiam vicerit, & illum quidem (rumor est) subitanea morte impietatis pœnas dedisse.

Ergò quoties veneficus ille rem non divinam sed diabolicam facturus esset, depromebatur prophanis manibus cœleste mysterium, atqve è stramentis erutum nudatumqve exponebatur. Filia puella, neqve dum virum passa, ensem nudum manu sublata tenebat, qvod id muneris nisi à virgine obiri ritè non posset, mucronem in sacrum illud corpus intentans, scilicet minitanti similis. Tum caput quoddam proferebatur, ex nescio qva materiâ, triplici facie cœlatum, nempe monadem illam triformem, & triadem uniformem repræsentans. Id novies reducto ambitu cingebatur.

In his mille figuræ Thau, inauditis Angelorum nominibus inscriptæ, postea totidem ambitus, cacodæmonum horrendis vocabulis distincti. His ita compositis, malefici Antistites explicitis libris, execratis illis precibus, Hecate dictante, primum adorandam triadem & Angelorum qvàmplurimos suo quosqve choro, deinde cacodæmonum sexcenta nomina citat, neq; finis, donec dæmon ille præsto sit, præsensqve vocanti respondet. Is erat ingentium thesaurorum aut opifex, aut certè monstrator.

Promiserat scelestus ille sacrifico suo Persicos montes, largitus etiam nonnihil: sed adeo infrà spem, ut virum jam operæ, quippe triennis, cœperit pœnitere. Itaqve promissorem suum solitis precantibus evocat, expostulatq; se jampridem lactari, & spe

Anno & spe modo duci, neqve ullum operæ precium facere. Purgat ille se contrà, negans, id sua culpâ accidere, verum deesse qviddã ceremoniis, qvod hominem literis præditũ desideraret, qvem si nancisci posset, se thesauros indicaturum omnium votis ampliores. Simulq; percuntanti, quis esset ad eam rem potissimum adsciscendus, svadet, prionem querdam vicini monasterii adeat, & tautim virum pertentet.

Est verò hic Theologiæ Baccalaureus, ut vocant, formatus, apud vulgus opinione non incelebri & concionator non omninò pessimus. Sed haud etiam conjectura consequor, quid genius ille malus captârit, ut me sacerdotem suum jamiam ad defectionem spectantem, rectâ in perniciem induceret: an quod serio sibi promiserit, theologi mentem præmii propositi magnitudine posse corrũpi, hac opinor fiduciâ qvod, ut divinitus scripsit Maro:

Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?

Verum hoc qvidem in medio relinqvimus. Reliqva vide apud authorem.

Idem. In Orphanotrophio, Anno Dom. 1554. Romæ omnes puellæ (erant autem circiter 70.) nocte unâ factæ sunt dæmoniacæ, nec ulla usqve nunc, cum jam exacti sint duo anni, curari potuit. Causa igitur ex halitu loci provenire potest, aut ex aqvâ. Aqua enim pilos & humores mutat, potest & esse dolus.

Sic novi virum, qui puer per sex & amplius annos, dæmonem se videre simulavit, tum ut liberius viveret, cum ut homines in sui admirationem traheret, atq; etiam sic effreni voluptati operam daret.

Multa contingunt in hominibus, sed si quis obfirmato animo secum reputet, talia omnia esse vana & dolis plena, facile subolebit fucos. At dæmone corripi, aut insanire, quis varium non esse dubitat? utinam esset: Si ergo hoc absqve fuco contigit, futurorum temporum & Antistitum improbitatem declarat. Nam sicut innoxia ætas in pessimum exemplum transiit, ita qvi præesse debent religioni, in improbum sensum tradentur. Unde non solum exsecrandi explodentur & irridebuntur, sed etjam damnabuntur.

1544 ## De Carolo V. cum Romam ex victoria Africana venisset.

Cum Carolus 5. Imperat. ex Africâ amplissimâ potitus victoriâ reversus, Romam concessisset, supplicemqve se ad Pontificis pedes abjecisset humilimè: in perennem gloriosi facti memoriam, Papa (Paulus III.) ei in templo sancti Petri & Castro sancti Angeli hoc depingi, inqve marmore incidi jussit, de quo quidam seqventes edidit versus: pag. 509.

E Lybia advenit Romanas victor in arces,
Cæsar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit, sed tu plus, Paule, triumphas,
Victor namqve suis oscula dat pedibus.

1544 ## Franciscus Encenas.

In Brabandiâ Rochus, ingeniosissimus artifex imaginum sculpendarum vixit. Quodam autem tempore Mariæ virginis effigiem elaboratissimè factam, artis ostendendæ gratiâ, ad parietem prostituit. Qvam ubi contuitus quidam, à proceribus esset, inqvirit, quanti imago ista constet? Artifex, ut justum videbatur, certum imponit precium: ille renuere, & vix dimidium addere. Magister autem operis, si hoc pacto, inqvit, id vendere vellem, non suppeteret mihi, unde aqvam victui meo acqvirerem.

Tamen, ait ille, dabis mihi effigiem, etsi plus non recipias: tantum, respondit artifex, si erogaveris, habebis utiqve, alio modo potius imaginem totam comminuerem. Quid, inqvit Dominus, tu illam frangeres? Qvidni vero? dicit artifex, simulq; arrepto qvodam instrumento, faciem simulachri lædit. Hic continuo Rochus abripitur, & carceri mancipatur.

Multis incusanti iniuriam istam, & privilegium, qvod in opera sua artifices habent, adducenti, nihil respondetur: sed triduo post erecto, rogo Rochus iste, ut qui Mariam læserit, igne comburitur. De hoc etiam Ludovicus Rabus in vitis Martyrum, Imperatore Carolo 5. Pp. Paulo 3. ut suprà.

1544 ## Portentosa.

In multis Germaniæ locis magna iterum (ut Fincelius refert) locustarũ copia infestavit agros hoc anno. Erant autem inusitatæ speciei, cucullatæ videlicet instar monachorum, gilvo ac subnigro colore permixtæ.

In Saxoniâ mense Februario infans natus est horrendo aspectu, corpore quidem integro & bene compacto, sed contusis, laceratis, atqve laxatis membris omnibus excepto capite oblongo ac quasi Turcico pileo insignito.

In Polonia vigesimo nono Martii circa horam octav. antemeridianam, horrendum fulmen de cœlo jactum, universam Poloniam commovit. Mox apparuêre tres punicei coloris cruces in cœlo, inter quas cataphractus miles flammeo gladio contra exercitum sibi oppositum pugnavit ac vicit, ac deinde victor à Dracone horrendo devoratus est.

Refulsit

Anno

Refulsit statim etiam chasma ingens in toto cœlo ad horam fere integram. Apparuere demum tres irides cum suis coloribus, qvibus Angelus alatus insedit, ad dimium horæ omnibus conspicuus, qvi tamen deinde cum reliqvis, continuò nubium concursu evanuit. Fincelius de miraculis post renatum Evangelium Imp. Car. 5. Papa Paulo 3.

Vidus Vidius Junior de curat. memb. l. 11. cap. 2.

1544 Nos olim in Agro Barchinonensi in cadavere religiosissimi Monachi, à pleuritide & pestilenti febre abrepti, cujus testes in adolescentia (ut ipse adhuc vivens tanqvam inauditum qvippiam nobis retulit) licet moderatam magnitudinem à natura fuissent adepti, nihilominus processu temporis, ob votum castitatis inviolabiliter ab eo per multos annos observatum, fere penitus contabuêre, (exemplum rarum) vasaque spermatica ejusdem Monachi, una cum semine ejus redundante, adeo aruêre, ut cum ejus cadaver secaretur, exsiccatorum nervorum, seu duriorum ligamentorum potiꝰ imaginem præ se ferrent. Imp. Carolo V. Papa Paulo 3.

Monstrum fatidicum.

1544 In die Conversionis Pauli in Belgico (licet non desint, qvi Cracoviæ scribant) natꝰ est infans ex honestis & nobilibus parentibus, teter admodum & horribilis aspectu, flammeis oculis & radiantibus, ore naribusqve bovonis, cornu figura exertis ac prominentibus, dorso pilis caninis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus, qva mammarum locus, oculis felium subtus umbilicum hypogastrio adfixis, teris ac minacibus canum capitibus adutrumqve cubitum, & pedis utriusqve patellam antrorsum spectantibus, στεγανόποδος, & στεγανόχειρ, figura pedum cygni, cauda sursum reflexa & recurva, longitudine ulnæ dimidiæ, editus in lucem qvatuor horas vixisse, & tandem his emissis vocibus, Vigilate, Dominus Deus vester adventat, expirasse dicitur. Hoc monstrum describit Casparus Peucerus de Teratoscop. & Munsterus noster in Cosmographicis, elegantissimo autem carmine Casparus Brüschius. Imperatore & Papa ut sup.

Prodigium.

1544 Heydelbergæ ad Neccarum flumen die Pentecostes, nati infantes duo conjuncti, & masculi, duobus corporibus ventre conglutinatis, duobus capitibus, qvatuor manibus & pedibus, ex matre Catharinâ, patre verò Casparo Baslero fabro, baptizati sunt ambo: & unus Joannes, alter vero Hieronymus nuncupatus est. Vixerunt diem unum cum dimidio. Defunctorum vero à medicis membris interioribus per secationem visis, cor tantum unum inventum est. Imp. & Papa U. S.

Hieronymus Montuus de Med. Theoresi l. 1. c. 6. 1544.

Ipse novi (inqvit) Hermaphroditum qvi sexus muliebris putabatur, viroqve nupserat: cui filios aliqvot, & filias peperit: sed nihilominus ancillas comprimere, & in his generare solebat. Imperatore & Papa ut supra.

Ominosa. 1544

Altero die post Pentecosten in Silesia hæ visæ sunt imagines. Duxit ab Oriente insignem aciem Ursus, cui ab occasu Leo armatâ manu occurrit, intra exercitum utrunqve lucidissima stella emicuit: mox congressi inter sese, utrinqve dimicârunt acriter, ut distillare ex sauciatis corporibus saugvis uberrim, & exanima concidere viderentur cæsorum cadavera. Inter prœliandum Aqvila ex præcelsâ rupe supra copias Leonis sese vibrare alatum remigio visa est.

Ubi depugnatum esset, qvasi diremto certamine, Leo rursus inter suas effulsit cohortes, U. simulla apparuit species, sed prostrata & sparsa jacuerunt cadavera, qvâ alter exercitus constiterat, qvibus adstiterunt senes canicie spectabiles & venerandi. pag. 511. Finito prœlio, reduxit exercitum ab occasu Leo, qvo aliqvo usqve progresso, qvidam albo & ornato vectus eqvo, à copiis rediit ad pugnæ locum, atqve in eum eqvum Juvenem cataphractum ibi stantem collocavit, & versus ortum procedentem comitatus, cum cæteris speciebus evanuit. Peucer. Lyco. Ut sup.

Joannes Avene Rubeaqvensis. 1546.

Hic transtulit ex Gallicâ lingva librum cujusdam Anonymi, de Repugnantiâ doctrinæ CHRISTI ac Romani Pontificis inscriptum, In quo demonstratur per antithesin, Pontificum doctrinam & vitam non tantum sacrosancto Christi Evangelio non consentaneam, sed extra Dei verbum ac ab hominibus saltem traditam atq; confictam esse. Imper. Carolo 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Alphonsus à Castro Zamorensis, Minorita de Hæresibus. 1546.

Omnes, inqvit, hæreses ac errores irrepsisse in Ecclesiam ob hanc causam.: qvod sacram Scripturam peregrinis & omnibus lingvis legi contigisset. Imperatore

Anno ratore Carolo qvinto Papa Paulo tertio ut suprà.

Idem scripsit & librum de hæreticis,&de justa eorum punitione: & adversus omnes hæreses. Extant autem etiam Ambrosii de Vignate,Francisci Bechnæ, Joannis Lopes, & Pauli Ghirlandi libri de hæreticis & hæresi.

Idem mirificè commendat Reges populumqve Hispaniæ, atqve hoc nomine summis extollit laudibus: qvod nempe per omnem vitam à lectione sacrarum literarū, veluti à peste,abhorreant &abstineant. Novum hoc est, & inusitatum certe laudandi genus.

1546 *Eduardus Hallus libro 8.*

Anno Domini 1540. ac die 28. Maji, David Betonius Scotus, Archiepiscopus & Cardinalis, in cathedrali Ecclesiâ urbis S. Andreæ, Primas regni Scotiæ, Caiphæ loco, cum episcopis, abbatibus, prioribus, præpositis, doctoribus, fraterculis, scribis & aliis Antichristi ministris, pro tribunali, ut vocant, in pestilentiæ cathedra sedens, qvendam militaris ordinis virum nobilem, Joannem Borthunyck hæreseos damnavit, ob seqventium articulorum assertiones.

Dixerat enim dictus dominus Joannes primo, qvod Romanus Pontifex majoris authoritatis non esset, qvàm alius qvisqvam episcopus aut sacrificus. 2. Quod ejus indulgentiæ res essent nihili, nisi sint decipiendarum animarum instrumenta. 3. Qvod Papa sit spiritualium rerum venditor, & Simoniacus. 4. Qvod matrimonia contrahere ex DEI verbo etiam sacrificis ac monachis liceret. 5. Qvod Angelorum liturgia nova laudabilis sit, & à Christianis servanda. 6. Qvod Scotiæ populus à suo Clero sit excæcatus. 7. Qvod Ecclesiastici temporalibus non gauderent. 8. Qvod Rex Scotiæ deberet in pios usus suarum ecclesiarum proventus convertere. 6. Qvod scotorum ecclesiæ Anglico more deberent gubernari. 10. Quod Episcoporum canones & decreta nullius sint valoris. 11. Qvod sectæ monasticæ, ut monstra deformia, tolli debeant, sicut in Anglia. 12. Qvod hæreticorum (ut vocant) libros haberet, utpote novum Christi testamentum in Anglico sermone, Oecolampadium, Melanchthonem, & Erasmum, cum unione dissidentium. 13. Qvod pertinax sit in istis assertionibus, & Romanæ ecclesiæ obedire nolit.

Pro his articulis non solum hæreticus, sed & hæresiarcha ab hoc Cardinale simul adjudicatus ac damnatus est. Imaginemq; ejus fieri præcepit, & in foro publico ignibus, spectante populo, tradi, ac in cineres cremari fecit. Evaserat prius ungves Joannes tam truculenti tyranni. Sed accе mirum divinæ providentiæ judicium.

Sexto post anno, eodem mense, die, & hora eadem, occisus præfatus Cardinalis à qvibusdam nobilibus ejusdem cum nobili concremato familiæ, qvi castrum ejus 28. Maji intrabant, evaginatisq; gladiis illum interimebant, ac tandem Cardinalitii ordinis insigniis ornatum ad murum suspendebant. Imper. Carolo qvinto Papa Paulo tertio ut sup.

Bernhardus Saccus, patritius Papiensis.

Scripsit libros novem de rerum Italicarum varietate & elegantia, inter qvos septimum ita incipit: Lugubris mihi oratio incunda esset, flebiliqve stylo repetendum Italiæ excidium, qvod non tam humano consilio, aut casu, qvàm Divina providentia hoc seculo patratum fuit, Italicis jam diu animis, moribusqve ocio, luxuqve corruptis, nimisqve idcirco, nimis in religione & virtute labantibus: sed videamus, num Religionis debitus honor ab Italis DEO præstitus fuerit?

Respondeo, minimè qvidem. Ab ortu enim Christi, tot annis, vix sexaginta annis viguisse religionem, reperies. Atqve, qvod est detestabilius, adorationis honor, qvi soli Deo impendendus erat, nephario Principum, ac populorum assensu, ipsis Principibus attributus fuit, Diviqve illi non solum post fata, sed etiam dum in scelerum fœditate viverent, appellati sunt, Deo ipso palàm posthabito.

Idem. Nisi aliqvando Romanorum imperitatio concidisset, sceptri qvidem æternitatem sibi soli Roma, & non divinæ potestati arrogâsset.

Idem. Omnis origo Romani dominii in Ecclesiâ constituti, ab Exarchi ejectione potius, qvàm à Constantini largitione initium habuit.

Qvod in Jure nullus sit ordo, nulla methodus, sed mera confusio: Protestatio Ejusdem.

Nec illa juris compositio, qvam aliqvi mirantur & celebrant, digna commendatione est. Ordo enim rerum omissus in componendis legibus fuit. Realia passim cum personalibus, Civilia jura cum iis, qvæ juris gentium sunt. Prætoria cum aliis, & è contrario immiscentur. De acqvirendo rerum dominio & possessione, qvæ sunt prima hominum jura, in extremis fermè Digestorum partibus translata leguntur, de rerum divisione Titulo præposito, longeq; collocato.

Idem qvod uni Titulo sive inscriptioni subjiciendum erat, procul ab eo alibi refertur. Pacta, qvæ contractibus interponuntur, ante contractuum noticiam ac traditionem

Anno

nem collocantur. Publica jura, veluti de jure Fisci, de re militari, de Decurionibus, & alia, privatorum obligationibus postponuntur, qvæ multo aptius conjungenda videbantur cum juribus ad publicas personas referendis, ubi tractatur de Senatoribus, de officio Consulis, Præfecti urbis, Qvæstorum, Prætoris, & aliorum Magistratuum.

Denique ut agnoscas inconditum, atqve inordinatum opus in ipso Digestorum limine, inspicere licet Titulum primum de origine juris, Paragrapho, Juris Civilis scientiam, ubi, cum proponuntur enumerandi Juris Scriptores, qvinqvaginta viri omittuntur, à qvibus major Digestorum pars confecta fuit. Istorum enim virorum mencio habenda in illa enarratione fuerat, ut eorum industriæ ac disciplinæ ratio exigebat.

Plura alia referre possem, ad indicandum operis Justinianæi incompositionem. A qva demum effectum est, ut fuerit necessaria posterorum cura, atqve sedulitas, in conjungendis Codicis & Autenticorum innovationibus cum Digestorum juribus, in multis abrogatis, & in distingvendo casus, sive propositiones aut similitudine pares, aut ex parte dissimiles, & in iis conciliandis, in qvibus vis contradictionis inesse apparuit. Qvo qvidem in negotio Actius Bononiensis, vulgo Azo dictus, diligens scriptor fuit, & sese Tribuniano & aliis collegis ejus doctiorem in eo munere obeundo probavit.

Sed heu infelix nimis seculorum status juris scriptoribus fuit. Mille enim, vel paulo minus anni intercesserunt à Justiniani Imperio ad CAROLUM QVINTUM Imperatorem, in qvibus vix qvisqvam ex Imperatoribus in Juris communis voluminadetergenda oculos vertit, sed suo quisqve arbitrio in subjectis provinciis leges tulit Iuri communi adversantes. Hinc Scriptorum copia crevit, crevitqve simul dissensio, casuum etiam varietas, ac multitudo excrevit. Rerum deinde, & personarum, Principatuum, ac Regnorum immutatio subsecuta, multa ademit, vertitqve in diversum.

Pontificum qvoqve Romanorum scita, canones, interdictaqve, plura subverterunt, aliaqve immensa introduxêre volumina. Populorum deniqve jura, quæ municipalia vocant, suam similiter copiam, ac variationem effuderunt. Quæ quidem omnia juris peritiam in opinionum certamina deduxerunt. Unde communis opinio dicta illa est, qvæ numero, non qvæ sensu præstantior apparet, hinc etiam consilia peti scribi, ediqve necesse fuit. Tandemq; juris facultas atqve peritia ab artis similitudine in dissimilitudinem ac difficultatem traducta est.

Dolere itaqve vicem istius confusæ artis, non solum Justiniani causa, sed etiam successorum, possumus, qvi expurgandis desvetis antiqvatisqve juribus, peritos viros sua qvisqve ætate non adhibuerunt: sed Imperatorum culpam leviorem facit Pontificum injuria, qvi suum jus Pontificium in simili fermè rerum commixtione, assi sunt versari.

Nemo tamen hæc legens, deterreatur à juris facultate agnoscenda, qvoniam ingenio præditis, studiumqve adhibentibus scientiæ, etiam confusæ, in lucem vertuntur: & qvamvis plurima circumferantur Jura Regnorum, & Populorum, Juri communi adversantia, attamen ad istius Juris fontes peritiæ causâ descendere oportet. Ab eo enim rerum, & personarum, obligationum, actionum, exceptionumqve capita sive argumenta elicimus. Ab eo petimus regulas contractuum, successionum, substitutionum, legatorum, Dotium, Alimentorum, & cætera ad impuberes spectantia. Ab eo divisiones bonorum facere, servitutes constituere, & communionem inter socios nectere discimus. Pag. 513.

Qvisqvis igitur istius facultatis penetralia adire optat, minimè difficultates à me enarratas pertimescat, subeat laborem virtute Duce, labor enim virorum est, qvem seqvitur oblectatio cognitæ disciplinæ, disciplinæ autem cognitionem seqvitur præstantia animi, qva qvis honorificentia dignus efficitur. Cum unus peritus plura scire videatur, qvàm universa civitas, illum unum omnes adeunt, consulunt, audiuntqve.

Ludovicus olim, me puero, Gallorum Rex, & Mediolani Dux, Jasonis Maini fama commotus, Papiæ moram fecit, ut tantum virum iura legentem audiret. Ingressusqve Auditorium manu silentium indixit, vetuitqve, scholasticos juvenes loco cedere. Sedit itaqve Rex qvasi unus ex illis, centum illic astantibus nobilissimis Proceribus. Auditum deinde Jasonem cōmendavit, sociumqve sibi adesse à latere, operto capite, in egressu honoris causa coëgit. Togæqve auratæ, id est, aureo filo contextæ, munere ipsum honestavit.

Vide igitur, qvid unius viri præstantia in orbe possit, qvando Regi Francorum in Italia Jurisperitum audire jucundum fit. Commodè qvoqve Juris facultas, adhibito ordine, percipi poterit scribendi cura adjecta, de qva alibi fortasse aptius.

Prodigia.

In Daniâ hoc anno non procul à Coppenhagen, præclaro oppido, captus est piscis marinus capite humano, sed instar Mauri subnigro, vestitu suo exprimebat Monachum. Erat enim cappâ vestitus circa collum, ac habitu punctis quibusdam ornato.

Anno ornato, brachiorum ac manuum loco habebat pinnas nationi accommodatas. Inferior autem pars, hoc est cauda, in piscem desinebat, longitudine trium ulnarum: postqvàm captus est, vixit dies tres, ac ad Daniæ Regem miraculi loco missus est.

Antonius Mizaldus Memorab. cent. 8. aphor. 8.

Inventus est rusticus, qvi, cum per fœnisecia aperto ore in agris dormiret, & serpentem per fauces hiantes intra corpus admisisset, se statim, aliis commanducatis, ceu præsenti amuleto curavit. Virus tamen uxori in coitu (res mira) instillavit, & morte comite transtulit. Imp. Carol. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Idem cent. 6. de reb. memorab. Monachũ videre inter somniandum, mortem vel calamitatem portendit. Adeo ominosum & monstrosum est hoc genus hominum.

Monstra.

Ante bellum Germanicum, qvod Carolus qvintus Imperator adversus ducem Saxoniæ & fœderatos gessit, natus est infans in pago qvodam Francorum, qvo exemto ex alvo matris, culter jacuit in ventre, eminens cuspide extra ventrem, qvi & paulatim factâ suppuratione extractus est. Omnes judicârunt, bellum civile significari, mutuasqve civium inter se cædes, qvi velut in viscera sua ferrum postea stringerunt. Fritsch. Lyco. Ut sup.

pag. 514.

Ominosum.

1547. Die 24. Aprilis non tantum in Saxoniâ, Turingiâ, Misnia: sed apud nos etiam in Helvetiâ, Sol non tristi modò, sed planè sangvinolento vultu ad qvatuor fere integras horas, magno multorum stupore, visus est. Qvem diem cum in Calend. meum historicum annotassem, deprehendi postea, eodem die Joannem Fridericum Saxoniæ Principem, sanctissimum atq; constantissimum in fide heroem, ad Mylbergam à Cæsare in clade cruentâ captũ esse. Lyco, Imp. Car. 5. Papa Paulo 3.

Consul Papista.

1547. Cum Christiani degentes Hoxeræ, de captivitate Principis illius Friderici Electoris dolorem conciperent, ut obortis lacrymis gemerent: tum ibi consul hoc eos sarcasmo ridebat: En, inqviens, ô vos audaculi, ubi jam religio & Sacramenta vestra? Hisqve se domum conferebat, defecato planè animo, suæqve sectæ qvendam ad epulas invitabat. At vero noctu Deus illi imparato lethum & ineluctabile fatum mittit, qvo etiam, haud compos voti sui, qvo Pastorem in summis angustiis, & solatium expectabat, succubuit. C. Spangenb. Imperatore Carolo qvinto Papa Paulo tertio.

Georgius Wernerus.

Scripsit de undarum in Pannonia miraculis, & de fonte, cujus aqvæ ferri consumendi vis inest. Imper. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Portentum.

Calendis Octobris ejusdem anni in Saxonia mane circa solis Orientem visa est in cœlo tumba mortui, atro panno tecta, superimposito panno rufi coloris cruciformi, qvam præcesserunt lugubri vestitu ornati viri sex: secuti autem sunt homines infinitæ multitudinis, alacres, plaudentes, ovantes, ac jubilantes, & cum tubis, lituis qve tantum strepitum atqve sonum edentes, ut clangor etiam ab incolis facilè sit auditus: qvidamq; putaverint, fieri hoc in ipsa urbe Wittebergа.

Dum autem hic solennis processus funebris duravit, pannus ater cruce rubra pictus evanuit, & ejus loco in tumba apparuit pañus candidissimus & mundissimus. Deinde visus est miles cataphractus, loricatus, & armis totus tectus, horrendo aspectu: is gladio evaginato pañum alt um aliqva parte secuit, ac deinde, qvod reliqvum erat, ambabus manibus in duas partes dilaceravit, & circa dextrum suum brachium circumvolvit: postmodum cum omnibus ab hominum visu sublatus est. Imp. Car. 5. Papa. Paulo 3.

Prodigiosum.

Hoc anno die S. Mariæ Magdalenæ, 22. Julii, in Helvetia & alibi conspectum est prodigium circa vesperam diei, sole nondum Horizontem sublapso, qvod ad noctem usqve duravit. 1547.

Erat crux alba, ejus infima pars vertebatur contra Orientem & Meridiem, & desinebat (in longitudinem extensa,) in speciem virgæ seu flabelli, qvod flabellum sese magis flectebat ad Orientem qvàm ad Austrum. Interea ex montibus utrinqve sitis prodierunt duo leones fulvi, egregiæ formæ: unus à regione meridionali, alter boreali: & cum congressuri ad crucem pervenissent, ibi fixo gradu sese invicem contuebantur. pag.

Stante autem sic immoto Leone Australi, Leo Borealis paulatim processit contra illum, tandemq; audacter aggressus est, & invasit, eiq; caput de corpore mordicus avulsit: & truncum secum abripuit iterum versus Boream, unde processerat, & sic disparuit. Interea è regione supra crucem paulatim prodière duo exercitus militum: alter itidem ab Austro, alter à Boreâ provenïens. Australis Boreali minor erat.

Con-

Anno

Congressi tandem cum conseruissent manus ad dimicandum, mox iterum à se mutuo recesserunt: & qvilibet ad locum ex qvo venerat, denuo se recepit, sicq; ambo evanuerunt. Crux autem ad ingruentem usqve noctem permansit. Valent. Myntzer Fuldensis in Chronographia.

1547 *Mirandum.*

Augustani proceres ubi de sibi confœderati Principis Electoris Joannis Friderici vinculis audivêre: inqve lætitiæ signum tormenta bellica & sclopeta gratulabundi displosêre: continuò propugnacula qvædam munitionesqve, ac plurimæ domus & ædificia, nemine turbante, corruere.

Sed & JoannesEislebius qvoq; tunc plurimis atrocibus & blasphemis utebatur cavillis, contra eundem pium Principem Joannem. Verum haud impunè tulit. Ostendit enim Deus judicium suum mirabili qvodam morbo cujusdam famuli, qvo morbo invalescente, subinde clamavit iste: Væ Cæsari! Væ Eyslebio: væ tibi N. & N. & N. Væ omnibus proditoribus & hostibus innocentis Electoris! & hæc iterum atqve iterum repetens, horrendam mortem oppetiit. Spangenb. Imp. & Papa ut sup.

1547. *Joan. Guilh. Saxo Princeps.*

Evulgatis literis monuit suos, ut sibi diligenter caverent. Nuper enim non procul à Vinariâ oppido Turingiæ, comprehensum esse qvendam, ex suspectione Italum, qvi, sibi & non nullis aliis Romæ datam esse pecuniam, fateatur, nomine Pontificis, ut incendio & veneno, qvantum omnino possent, per Germaniam damni darent. Imp. & Papa ut sup.

1547. *Thomas Stybarus in historica narratione de vita Joannis Friderici Electoris Ducis Saxoniæ.*

Anno 1530. cum Joannes Fridericus unà cum D. suo parente comitiis interfuisset: disputabant Sacerdotes de Sacramento, nempe de verbis Christi: Bibite ex hoc omnes. Et cum D. Eccius mordicus suam opinionem defenderet: Christum solummodo ostiariatis Sacerdotibus, non autem Laicis utramqve speciem concessisse: tunc è Principibus qvidam primarius vocabulum illud OMNES naribus ejus admovit, qvo obtinere volebat, Christum omnibus suis discipulis utramqve speciem instituisse, velut & Ecclesia Corinthiaca cœna Domini postmodum usa est: Eccius tamen vocabulum omnes ad unctos saltem sacerdotes detorsit.

Tum Joannes Fridericus infit: Scio ego, qvod vocabulum OMNES plures qvàm Sacerdotes concernat, & si soli Sacerdotes hoc vocabulo comprehenduntur, alibi sic etiam habetur: Mundi estis, sed non Omnes: seqvitur ergo, & hoc solum Sacerdotes concernere, ideoqve, eos esse neqvam, nebulones, & nefarios, concluditur. Sic ergo Sacrificorum plus qvàm asininam ruditatem confudit, & eorum stoliditatem omnibus deridendam propinavit.

Iisdem in comitiis, cum inter seqvestros articulus de invocatione Sanctorum ageretur: D. Eccius dictum Gen. 48. protulit, ubi Jacob de Ephraim & Manasse inqvit: Et invocetur nomen meum super pueros istos. Et cum post multa verba M. Philippi, D. Joannes Brentius fortè dixisset: Nihil in sacris literis de invocatione sanctorum extare: ad hæc D. Cochlæus prorumpit, rei succurrere volens, tanqvam profundæ cogitationis vir, dicit: Qvòd in veteri Testamento Sancti non invocati fuerint, id in causa esse, qvod sancti tunc temporis nondum in cœlo, sed in vestibulo inferni fuerint.

Tum Princeps Joannes Fridericus retia contrahens, & utrumq; Cochlæum & Eccium vanitatis convincens, Eccio dicit: En tibi perbellè defensum tuum dictum, qvod ex veteri Testamento de Jacobo protulisti. Imper. Carolo qvinto Papa Paulo 3.

Idem. Cum in alterum jam annum bellum Smalcaldense protraheretur, anno 1547. pientissimus Elector Joan. Fridericus Dux Saxoniæ ante Mylburgum in castris, qvarta die Aprilis obrutus & captus fuit, & ut fama fert, proditione id factum est, sicut de his in libello qvodam legi: qvod Elector optimus præsenserit, & dixerit: Beatior ego sum Christo. Christus enim unum solummodo proditorem secum accumbentem habuit, ego plurimos meæ mensæ mecum assidentes habui. pag. 516.

Idem. Carolum V. Imperatorem sæpenumero doluisse & pœnituisse; perhibent, qvod se instigari & exacerbari adversus omni laude dignissimum Electorem Joannem Fridericum passus fuerit. Nam cum Imperialem magistratum abdicasset, & ejus administrationem fratri suo Ferdinando Regi commisisset, in Hispaniam concessit, & in regiâ suâ juxta monasterium qvoddam vitam consumsit. Ibi tunc omnes suas res gestas in mappis depingi. quarum viginti aut plures fuêre, curâsse ajunt, qvas mappas in monasterio parietibus circuitus affigi fecit.

Et in istum circuitum monasterii illius sæpe se, ac si exspatiaretur, deportari jussit, & ibidem præ mappis pictis sedit, secumq; ipse recoluit, qvid in expeditionibus, obsessionibus, aciebus, & alibi acciderit, qvos duces belli, qvos centuriones & eqvitum magistros habuerit, qva usus sit fortunâ, qvibus successibus & infortuniis: & ubi

Anno & ubi devenit ad eas mappas, in qvibus Smalcaldense bellum, & captivitas laudatissimi electoris Joan. Friderici Ducis Saxoniæ ante Mylburgum, depicta erant: ingemens & suspirans dixit: Hunc si relinqvissem, qvalis fuerat, mansissem & ego, qvalis eram. Et verum dixit. Nam ex eo, qvo Dux hic laudatissimus captus est, parũ fortunæ & victoriæ ab hostibus reportavit.

Idem. Anno 1547. statim à clade & captivitate excellentissimi Electoris Joannis Friderici Ducis Saxoniæ, Canonici Zeitzenses Misenæ supra modum jubilaverunt, plauserunt: & in templum concurrerunt, hymnumqve Te Deum laudamus, decantaverunt propter stragem & captivationem hujus præstantissimi septemviri Electoralis. Tum Deus justissimus vindex, in malignorum & perversorum illorum hominum ἐπιχαιρεκακίαν exemplum statuit, manifestoqve signo, se abominari pravorum gaudia, declaravit. Actutum enim templum illud de cœlo fulmine tactum, & incendio correptum est: & desuper omnia ædificia in cinerem redacta sunt: campanæ & organa musicalia liqvescentia perierunt: & incendium illud à qvartâ pomeridiana ad sextam matutinam alterius diei horam continuè duravit.

Carolstadius.

1547. Habuit homo sectarius triduo ante, qvàm decederet, concionem ad populum: prædicante vero ipso, procerus, & totus ater vir qvidam templum ingressus est, qvẽ nemo, præter Carolstadium, videbat. Habitâ concione, prætorem de viro illo interrogat, qvi se ignarum ejus esse dicebat. Porro inter concionandum niger ille domum Carolstadii ingreditur, & arrepto illius filio, humiqve extenso, de Patre qværit, ubinám sit? trepido pusione affirmante, se nescire, dicit: indica ergo parenti tuo, me intra triduum reversurum, ipsumqve mihi comitem abducturum esse. Audito nuncio illætabili, in tantum expavit Carolstadius, ut ægritudine contractâ decumberet, & triduo post cum illo gigante, nescio qvo locorum mortuus abiret. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3.

F. Hentinus Mechliniensis in præfatione in Biblia Lovaniensia,

1547. Papæ, ait, soli competere, Biblia corrigere. Et ibidem probat: qvod Lovaniense Bibliorũ exemplar longè melius sit, qvàm Hebræorum & Græcorum: licet illis lingvis divina volumina initio conscripta sint. Sua enim esse correcta ex omnibus vetustissimis Bibliothecis Belgicis. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3.

Joannes Andreas c. fundamenta, de Elect. in 6.

Roma fundata à prædonibus, adhuc de primordiis retinet: unde versus:

Roma manus rodit, qvos rodere non valet, odit.

Imp. & PP. U. S.

Dethlevus Reventlovius, nobilis Holsatus, Mathematicus, Vates.

Prædixit hic Friderico I. & Christiano III. gubernationem regni Daniæ ac Norvegiæ & diversas victorias, cum regna ista Christiernus II. gener Philippi Regis Hispaniarum adhuc teneret: qvemadmodum & tempus horum filiorum, qvo die essent nascituri, & cujus sexus essent futuri, statim post conceptionem.

Idem Andreæ de Barbi, Episcopo Lubecensi dignitatem, genus mortis, annum & mensem denunciavit, ut exemplar Schematis & judicii sui, propria ipsius manu scriptum testatur, qvod in Bibliotheca Ranzoviana Bredenbergæ extat.

Imperatori Carolo V. etiam belli exitum, qvod gessit cum Protestantibus, Electore Saxoniæ & Landgravio, prædixit, & profectus est ad eum versus Gengam, in qvo itinere periit, aut propter honestum munus, qvod à Carolo acceperat, interfectus, aut alioqvin ab ignotis, ut fit in bellicis tumultibus, trucidatus. Pp. Paulo 3.

Ostenta.

Hoc item anno in Italia non procul à Roma, idibus Decembris, circa horam tertiam pomeridianam, cœlo sereno, visa sunt flagellum seu virga sangvinea, & crux rubea, ad lævam: super cujus vertice alas suas Aqvila vibrando subinde, qvasi volans, ascendebat & descendebat, in aëre conspecta tribus fere integris diebus. Eo autem anno Tridentinum concilium à Cardinalibus & Episcopis Romanæ curiæ, continuatum est: & INTERIM, novus Papatus, ad Germaniæ interitum, Augustæ vindelicorum promulgatus. Lyc. Imp. Car. 5. PP. Paulo 3.

Joannes Igneus J. C.

Hic l. necessarios, §. non alias, ff. ad SC. Silan. inqvit: Curia Papæ desiderat, ut totus mundus in eam influat: tanta est in ea auri & argenti sacra fames. Cynus. l. eos §. ne temerè. C. de appellat. Archid. c. hoc videtur, col. 2. 22. q. 5. & gl. c. si clericus, Ex. de foro compet.

Ex libro, cui titulus est INTERIM, & de signis ante novissimum diem.

Qvidam Joannes, cui nomen Hofmeister, ordinis Augustini, cum iter faceret Augu-

Augustam Vindelicorum versus, eo animo, ut quantum in se esset, dispiceret de libri illius INTERIM maturâ divulgatione, qui jam in fabricâ pontificiâ cudebatur: Ecce derepentè eò insaniæ delabitur, ut Gunterbergæ, furoris ejus edomandi gratiâ, catenis adstringeretur. Sed & horribiliter ejulando, se in æternum à facie Dei projectum, & Diabolo mancipatum esse, clamabat.

Ubi verò de misericordia Dei magna, de pœnitentiâ agenda monebatur à circumstantibus: ajebat miser ille, hæc se nihil amplius attinere, ut qui hactenus apertam veritatem dictis & factis acerrime oppugnaverit, & conscientiam suam obstinatâ mente sauciaverit. Ita vociferans, & de salute sua desperans, extinctus est in eodem diversorio, quo paulò ante Cæsareus Cancellarius D. Navis quoq; miserabili fato defungebatur, ut & Trevirensis Episcopus quidam, de quo alibi nonnulla scribuntur, G. Spangenberg. Imp. Carolo V. P. P. Paulo 3.

Paulus III. Papa 227.

1548. *Minùs tutum est cum Papa ullum fœdus inire, quàm cum Turca. Semper enim negabit successor, sibi legem imponi potuisse, ad diminutionem jurium Papatus: quæ tanquam divina, imutabilia putant: & ab omni juramento nō minùs se, quàm alios absolvunt: ut omittam, quòd habent jura pejora: ut Paulus 3. contra Malatestā Balionem, cui securitatem è Perusio ad se juraverat, quem jussit occidi, dicens: se de veniendo jurasse, non de redeundo. Molinæus de abusibus Paparum. Imp. Carolo V.

Rex Galliæ Henricus I.

1548. Vehementer persecutus fuit Christianos. Cùm autē in quodam ludicro equestri (quod decursum Trojæ vocant) quendam comitem Montgomerium provocasset, & concurreretur: Montgomerio lanceam in Regis thoracem tam acriter jaculante, ut confracta schidia in Regiæ galeæ bucculam facilè se aperientem provolaverint: horum unum in dextram Regis oculum prosilit, eiq; mortiferam plagam infligit. Mortuus autem est decimo Augusti, anno 1559. Morti vicinus admodum deplorabat suam temeritatem, & in religionis purioris sectatores sævitiam: verùm Cardinalis Lotharingus, ejusmodi cogitationibus, tanquam cacodæmonis suggestis, resistendum esse, monebat. *Meteranus.*

Signa.

1548. Rosenfeldæ, in *Ducatu Wirtenbergē*, haud ignobilis oppidi, vigesimo tertio Julii die, primum Luna jam plena, contra naturam tunc temporis sanguineo colore, & in eadem brachii subnigri cū manu expansa, imago visa est. Quæ cum jam naturalem splendorem recepisset, iterum cum trabibus subnigris tribus, per transversum rectâ quasi lineâ deductis, est cōspecta. Deinde his omnibus evanescentibus, tertiò crux Burgundica, nigra, ac postremò supra lunam, ex utraq; ejus parte duæ aliæ lunæ, sed multo minores, apparuerunt. Lyco. V. S.

Eodem anno Brettæ in Thuringia conspectæ sunt in aëre effigies Joannis Friderici Principis Electoris Ducis *Saxoniæ*: & Doctoris Martini Lutheri.

Gulhelmus Turnerus.

Scripsit inter alia carmen jocosum ad Papam, & pro insequenda Romana vulpe Imp. 117. Car. V. PP. 227. Paulo 3. 1548.

Bar. Chassanæus I. C. l. 4. Catal. gloria mundi.

Dominium temporale Paparum, justo titulo acquisitum, initium habuisse à Moyse, duce populi à Deo constituto, affirmat. Imp. Car. V. PP. Paulo 3. 1548.

Idem narrat, audivisse se Mediolani, quod eximius Astrologus dixisset Duci Mediolanensi, Galeacio Mariæ Vicecomiti, ipsum ex vulnere periturum, quod esset ei proprius Vasallus inflicturus. Astrologus autē interrogatus à Duce, quo mortis genere esset ipse interiturus, cum respondisset, se in publico interemtum iri ex trabe ligni cadente. Dux ita accensus, ipsum mox decollari jussit, ut ex rei eventu cerneret, Astrologicam artem esse falsam.

Igitur cum interim pararetur locus, & campana solito more pulsaretur, populusque concurrisset, & ipse traditus executori, ad locum supplicii deduceretur, exeundo palatium sub porta magna, quæ est ante Ecclesiam Cathedralem, cecidit turris, quæ dictum Astrologum cum aliis interfecit: sed Dux Mediolanensium in festo Sancti Stephani, & in Ecclesia ipsi sancto dicata Mediolani, universo astante populo & ipsius *Aulicis*, interfectus est à proprio Vasallo: & sic prædictio Astrologi de proprio exitu, & de morte principis vera fuit. Etsi enim Princeps vatis voluerit prævenire fatum, ut Domitianus Ascletarionis, tamen non potuit: & est in his exemplis quædam similitudo, nisi quod Ascletarionis corpus à canibus statim post mortem dilaceratum est.

In Epistolâ Ecclesiasticorum Imperii statuum ad Paulum III. Papam, ex Conventu Augustano, inter alia hæc exstant. 1548.

Supplicamus Sanctitati vestræ, quantoq; possumus studio & observatione obtestamur: ut redintegrato Tridentino cōci- 1548.

 lio,

lio, inq; pristin: m locū & statum suum restituto, consulat saluti & tranquillitati nationis Germanicæ: eademque demum opera efficiat, ut expulsis errorum tenebris, omniq; dissidio procul ab Ecclesiastica doctrina, atque animis hominum profligato, reddatur lux pristina Ecclesiis in Germania &c.

Hoc si fecerit *Sanct.* V. nostrisq; precibus, quam non justas modò, sed etiam necessarias arbitrati sumus, locum dederit: habebit nos paratos atque obsequentes ad omnia, quæ pro extirpandis hæresibus, quoq; pacificatione non tantum Germanicæ nationis (quæ ut laborat præ cæteris: ita majori etiam cura, præsentioriq; medico opus habet) sed totius etiam Imperii, atque adeo catholicæ Ecclesiæ tranquillitate suscepta fuerint.

Sin minus (quod divina Clementia in hoc ancipiti periculosoque rerum statu avertat) quid agemus, aut quo confugiemus? Beatissime Pater? unde petemus auxilium certissimis ruinis nostris? Cujus deniq;, nisi sedis Apostolicæ, quam contra procellas omnes servator noster supra firmam petram constituit, præsidium implorabimus? undique urgent venti, & ad extrema jam ventum est. Videat *S*ancta paternitas vestra, ac pro fide summaque solicitudine sua erga Rempublicam Christianam reputet: si nihil profecerint preces nostræ: nihil pericula Germaniæ (quæ nec progredi longius, nec ampliorem dilationem ferre possunt) quis tandem exitus malorum futurus sit? Adeoq; illud provideat, ne cessante diutius in hoc opere sede Apostolica, alia sumantur consilia, aliisque viis & rationibus hæc causa tandem expediatur.

Responsio Pontificis Pauli tertii.

Quod extremis vestris literis, verendum nobis esse, significatis, ne, cessante in hoc opere diutius sede *Apostolica*, alia sumantur consilia, aliisque viis & rationibus hæc causa tandem expediatur: nos quidem, si agnosceremus, in procuranda salute illius inclytæ provinciæ à nobis cessatum fuisse: omnia sane timeremus: præcipue vero divinam iram, quæ nos in hac sancta sede, tanquam in specula collocavit, ut omnium Christi ovium, præcipue autem illarum, quæ à reliquo grege se subtraxerunt, curam haberemus. Quod vero non defuerimus hac in causa provinciæ Germanicæ, quæ supra scripsimus, satis testimonio esse possunt: præsertim cum nota scribamus non tam vobis, quam universo Christiano orbi.

Quare quod ad nos attinet, eo minus nobis timendum duximus, quo magis nostri studii & laboris in hac causa nobis ipsi sumus conscii: & quod eam de gravitate & moderatione vestra opinionem, eam de Cæsaris sapientia & animo inChristianamRempublicam spem habemus: ut nec illum, nec vos ullam hujus expediundæ causæ rationem, nisi quæ recta, & ipso ac vobis digna sunt, probaturos credamus. Hoc enim experta vestra, & constans semper in aliorum defectione pietas & fides, nos sperare jubet.

Quod si non fiat, nova vero consilia contra authoritatem hujus sanctæ sedis suscipiantur: nos quidem non ii sumus, qui prohibere possimus, quo minus in eam, tanquam in domum aliquam descendat pluvia, veniant flumina, flent atque irruant venti. Hæc enim omnia futura esse, ab ipso summo *A*rchitecto, cum eius fundamenta jaceret, sunt prædicta. Ne vero propterea cadat, ne dissolvatur, timere quidem non possumus: quis scimus, fundatam esse super firmam petram.

Illis potius timemus, & eorum vicem dolemus valde, qui nec irritis conatibus illorum, qui hanc sibi oppugnandam animo proposuerunt, nec gravibus Dei judiciis cum veteribus tum novis, in omnes, qui hoc aliquando tentaverunt, deterrentur: quo minus eiusmodi consilia capiant: malintque se certo periculo cum totius Ecclesiæ perturbatione exponere, dum opus Dei dissolvere conantur: quod nullo non seculo ab improbis oppugnatum, nunquam expugnatum iri potuit, quam in pulchritudine pacis nobisbum unanimes in una domo vivere. Imp. Carolo.

Protestatio habita Romæ nomine Caroli quinti.

*S*anctissime Pater. Cum Respublica Christiana miserabiliter convulsa esset, religio labefactaretur, mores vehementer corrupti essent, tota fere Germania ab Ecclesia descivisset: invictissimus dominus meus Carolus Cæsar, Romanorum Imperator semper *A*ugustus, cujus ego oratoris & procuratoris vices gero, primum à Leone, deinde ab Hadriano, deinde à Clemente sanctissimæ memoriæ Pontificibus maximis, postremo à *Sanct.* *V.* beatissime Pater, Paule 3. sæpe summis & continuis precibus universale concilium efflagitavit, & ratione suæ dignitatis, & ut satisfaceret assiduis supplicationibus ordinum Imperii, ut solum eversarum rerum perfugium, ad quod semper in duris Ecclesia accedere consuesset, quas quidem ob causas à *Sanct.* V. primum Mantuam postremo Vincentiam convocatum est generale concilium: sed harum civitatum neutra satis apta fuit, in qua diversarum & multarum provinciarum homines, libenter simul & commode convenirent: Germani præsertim, quibus justis & gravibus de causis eo proficisci nō licebat.

De-

Demum Imperatoris ipsius voluntate, cæteris etiam Christianis principibus assistentibus, ipsisq; adeo poscentibus Germanis, Sanct. V. Tridentum delegit, Germanorum gratia, propter quos id præcipue concilium fiebat, quod illam approbaverant civitatem, quemadmodum Imperatori, iisq; in publicis eorum Ratisbonæ habitis comitiis, in provincia Germaniæ celebrando concesserat eadem Sanct. V. quod locus esset aptissimus ob libertatem, securitatem & opportunitatem. Ita enim positus est, ut tam Italiæ propinquus (particeps) quam Germaniæ situs esset: nec à Gallis aut Hispanis longissime distare videretur. Cujus civitatis Episcopus esset Christophorus Madrucius, vir sane probus piusq;, ac sancti imperii princeps, & Sanct. V. multis nominibus amicus: & quod omnium rerum, quæ ad victum necessariæ sunt, commoditas non desit. Sanct. V. in sua bulla indictionis latius declarat.

Tridenti est inquam, indictum concilium generale omnium consensu: legati Cardinales missi, primum Reverendiss. Panutius, Moronus & Polus adfuere, qui vices pontificis repræsentarent, oratores Imperatoris admodum illustrissimus, & religiosissimus Episcopus Artebatensis, Illustrissimus vir dominus de Granvella, & ego Iacobus de Mendozâ. Sed nondum visum fuit Sanct. V. ut appareret in secunda bulla sanctitatis vestræ, tempus satis idoneum ad inchoandum cócilium, post aliquot dies iterum à Sanct. V. missi sedis Apostolicæ legati, Cardinalis Reverendus de Monte, reverendus sanctæ crucis, & iterum reverendus Polus, rursum oratores, Ego Iacobus Mendoza, & illustris vir Franciscus Toledo absens: accesserunt nonnulli aliorum principum itidem oratores, nonulli erant in itinere, multarum nationum Episcopi etiam ab ultimis terris convenere magnis impensis: magno labore inchoatum est, & petitum ab omnibus Christianis concilium, & causa religionis & reformationis morum id eo tractari cœpta.

Eodem quoque tempore bellum adversus hostes & sacri Imperii violatores Imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum tuendæ & amplificandæ religionis, idq; interveniente Sanct. V. ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poteramus, armis cogeremus. Cum res essent in hoc statu, cœpto, ut dixi, religionis negotio, causa morum (quæ totis viribus & consilo indigebat, ad quam legitime & absolute prorsus peragendam Sanct. Majestas & Germaniæ ordines à retro pontificibus & Sanct. V. jam antea remedium tam crebro flagitaverat) sed frigide nimis & vix tentata, deinde virtute Imperatoris pacata Germania, in qua recuperanda Sanct. V. & sacrosancto concilio munus incumbebat maxima spe & certitudine eorū advenctus, tum etiam, qui huc usque concilium recusaverant, & eorum qui in tam necessario religionis negotio adhuc occupati, Imperatori adjutores erant.

Ecce reverendissimi asserti legati tumultuose, præter omnium exspectationem, Sanct. V. (quod ipsi dicunt) inscia & inconsulta; levissima sane causa procurata, & conficta de tralatione consilii retulerunt ad patres, nullo consultandi, sed neque cogitādi spacio dato, ita ut pridie proposuerint, postridie decreverint, perendie discesserint cum multis patribus, atque iis quidem tum temporis vel unius fere Italicæ nationis, vel ante adeptum Episcopatus nomen in Italia degentibus.

Huic consilio, sanctissime Pater, plures Episcopi, magnæ fidei & autoritatis viri, quibus religionis & morum causa cordi erat, tanquam callido nimis & immaturo, Christianæq; reipub. periculoso, contravenere, planeq; & publice, inspirante eis Spiritu sancto, cujus sane causa in primis agi debebat, tum tralationem propositam, tum legatorum assertorum & patrum, qui eos secuti sunt, injustam esse tralationem concilii, velleq; se manere Tridenti, libero & legitimo concilii loco, publice potestati sunt.

Inter hæc Imperator, dum Episcoporum congregatio Bononiæ manet, hoste ad Albim devicto, Saxonia provincia superata, duobus belli ducibus, altero pugna, altero deditione captis, pacata prorsus Germania, arduum [illegible] periculosissimum bellum solus confecit: nec destitit sæpius S. V. per nuncios, per legatum sedis Apostolicæ, per illustrissimum virum Ioannem Vegam, per me & Majestatis suæ apud S. V. oratores, & ante & post confectum bellum magnis & continuis precibus solicitare, juberet patres, qui Bononiæ perstant, ad concilium Tridentinum redire, eandemque ipsam admonere, prævideat, quot scandala, dissidia, pericula, impendeant Christianæ religioni, si jam cœptum concilium Tridenti non continuetur & absolvatur.

Comitia interim Augustæ Germanis indixit, quæ quidem adhuc celebrantur. In his libero, spontaneo, generali totius Germaniæ ordinum & statuum, præterea omnium civitatum consensu, petente Imperatore, decretum est; Germanos omnes ad concilium Tridenti convocatum venturos, ut ea, super quibus indictum fuit, tractentur, & sacrosancta concilii authoritate decidantur. I. si S. sanctam Tridentinam Synodum se suscepturos, idq; prorsus & absq; ulla conditione se præstituros, Imperatori sunt polliciti. p. 521

Legavit Imperator oratorem ad S. V. Illustrissimum & Reverendissimum Christopho-

stophorũ Madrucium, Cardinalem & principem Tridentinum, quo S. Majestatis & Serenissimi Romani Regis, ordinumq; sacri imperii nomine S. V. pium hoc & sanctum Garmaniæ concilium judicaret, supplicaret, juberet patres, qui Bononiæ agũt, ad concilium Tridenti inchoatum reverti: hortaretur & admoneret, ut honestissimam & necessariam occasionem, tot laboribus & periculis tam diu quæsitam, nunc demum partam, susciperet & amplecteretur, in qua & patres cum dignitate Tridentum redire, & religionis causa generali Christianorum consensu, ipsorumque Germanorum, quorum potissimum gratia ipsa S. sancta Synodus Tridenti convocata fuerat, tractari & confici, & S. sanctæ sedis Apostolicę autoritas magna cum Pontificii nominis Majestate, & ipsius S. V. immortali gloria augeri posset: idque non privatim solum, sed publicè faceret in Reverendissimorum Cardinalium consessu.

Præterea jussit me, qui Senas ad componendas illius reipublicæ res veneram, idẽ negotium præstare. Quod si S. V. dilationem aut excusationem aliquam interponeret, neq; præsentem occasionem susciperet, hujusce rei, ut tam justæ petitionis, promtissimique Christianam religionem majestatis suæ animi, tam publice quam privatim vos ipsos Reverẽdissimos Cardinales, & omnes omnium principum oratores, qui Roma augunt, testes vocarem, præcepit.

Præterea jussit procuratores & consiliarios suos, qui Bononiæ expectabant de ea re responsum, & à patribus ibi congregatis, & à sanct. v. si unquam vel ipsi patres vel Sanct. V. id recusassent, vel dilationem aliquam interposuissent in generali patrum cœtu, nomine majestatis suæ protestari, iniquam fuisse translationem, & omnia inde facta & secuta ab ipsis patribus affectata, & nulla esse atque futura fore: factum est (beatissime Pater) post requisitiones privatas ettiam publice primum à Reverendissimo Tridentino die nona Decembris: deinde à me die 14. ejusdem mensis, hora, antemeridiana, in hoc reverendissimorum patrum consessu cum debita humilitate instantissime rogando, idq; per viscèra & per sanguinem Domini nostri JESV CHRISTI: tempus tamen Sanct. V. interposuit ad consulendos super responso patres qui Bononiæ sunt, qui quidem non dissimili secessioni, sive (ut ipsi dicunt) translationi consilium dedere vanum, subdolum & captiosum, in gravissimum religionis, & universalis Ecclesiæ dissidium, scandalum & detrimentum.

Sanctit. autem vestra id consilium approbasse, illorumq; sententiam suscepisse quodammodo visa est, illegitimam secessionem Tridentinam, periculosissimam sane, & perniciosam reipublicæ Christianæ translationis vocabulo, congregationemque seu illegitimũ conventum Bononiensem generalis concilii nomine appellans: tantumq; ei congregationi autoritatis in suis reverendissimum Cardinalem de Monte, Episcopum Prænestinum, & ad vos qui adestis, literis & suo ad Imperatorem responso tribuere videtur, quantum Episcopi prænominati autoritate propria sibi ipsis arrogare ausi sunt.

Præterea responsum ad Cæsarem dat dilatorium & illegitimum, præsenti occasioni & negotio impertinens, ineptum & inconveniens. Quid enim magis alienum, quam in gravissima causa, in negotio religionis & Spiritus sancti, & causæ cognitionem antevertere, & sententiam ferre: & se judicem constituere, antequam judicium sibi deferatur: & his qui ægrotabant, & sanandi erant, qui hucusque remedium detrectare videbantur; qui nunc religionem, qui morum reformationem, qui unionem publicarum dissensionum petunt à Sanct. V. Concilium enim petunt: Tridenti, ubi cœptum fuerat, continuari & absolvi, quod omnium bonorum causam futurum certissime credunt, præsentissimam medicinam tergiversationibus & ambagibus producere & denegare.

Et cum probationem causarum translationis à perspicuis & religiosissimis & probatissimis testibus sumi, conveniens sit, in hac ipsa testibus parum inter se convenientibus, nullius autoritatis infimis de plebe hominibus fidem adhibere: Imperatoris autem & Regis Romani, & principum statuumq; Germaniæ, qui in publicis comitiis congregati sunt, & qui & per sanctæ sedis Apostolicæ Cardinalem atq; eundem sacri Imperii principem S. vestram certiorem faciunt: de hoc tam sancto, tam pio Germanorum proposito atque decreto fidem in dubium vertere, quod ex ipsorum & S. vestræ responso cum publicè tum privatim dato, intelligi potest.

Multa alia à me prætermittuntur, sanctiss. Pater, quæ tempore & loco, si opus fuerit, in hac causa dicentur. Quid prætere a desiderabamus à Germanis, quid ab eis petebamus, toties à Cæsare repetitis itineribus, tot impensis, tot laboribus, maximo & ancipiti suscepto bello, atq; confecto? Perdet omnes labores hos Sanct. V. pro religione susceptos, perdet optimam & præstantem sanandæ restituendæque religionis causam, admonitus & requisitus? Id vero certissimum consilium universale, ob causas gravissimas & maxime necessarias Tridenti congregatum, vestræ Sanct. in ditione, flagitante Imperatore, principibus Christianis assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus Episcopis, jam cœptum, nisi summa urgentique necessitate præcedentibus tractatibus & diligentissima discussione, servato juris

juris ordine, consensu omnium patrum alio mutari, neq; legitime posse, nec licere.

Sæpe enim tralationes callido & præcipiti consilio sine causa factæ, in causa esse solent, ut magno religionis periculo, magnis in repub. Christiana turbis & dissensionibus, interdum populi Christiani perniciosa divisione concilia dissolvantur. Causa autem tam subitæ translationis nulla fuit, sed arrepta, quæ se primũ obtulit. Occasionem vos reverendiss. asserti legati, ut à me dictum est, & reliqui Patres, fecistis, id quod jam priũ meditati fueratis. Febres enim nescio quas, & aëris vitium causati; affectatum & procuratum quorundam medicorum, sed præcipue ancillarum & coquorum, vilissimorum hominum testimoniũ recitantes, Tridento præcipites discesserunt: nempe & tunc & deinceps apertissime patuit, nullam extitisse vanæ formidinis causam.

Præterea ut ulla fuerit ratio discendi, V. Sanctitatem in hac prætensa causa consuluissent, cum tam parui temporis mora nihil periculi esset allatura. Neq; enim tam repentina res erat; quod exitus morbi; quem causati fuerant, comprobavit. Inconsulta autem sanctitate vestra, discessisse illos Episcopos, falsi estis, & S. vestra postmodum affirmavit. Cui quidem S. vestræ testimonio multum certe fidei & autoritatis detrahunt vestræ ad reverendissimum de Monte literæ, & responsiones ad Cæsarem datæ.

Imperatore quoq; consulto & assentiente, id facere debuissent, cui curæ sunt & tutelæ omnia universalia concilia, atq; id ex munere officii Augustalis: cujus quanta sit in conciliis autoritas, manifestum est. Verum tanta fuit legatorum assertorum festinatio & simulatio, ut nec ipsi voluerint consulere, nec eos qui dicebant, S. Vestram & Imperatorem prius per sanctam synodum certiores fieri oportere; audiendos putarint. Cumque Imperator ipse pro tuenda & amplificanda religione, pro Ecclesia, pro concilio laboraret; ipsi vano & inani timore simulato, Imperatore inconsulto, abcesserunt. Atqui sæpe Imperator per oratores suos cum ipsos assertos legatos, tum Sanct. Vestram admonuerat, se neque tralationi concilii, sed neque suspensioni aut vacationi tacite vel expresse assentiri posse.

Præterea juris ordinem contempserant, & eam causæ cognitionem, quæ in synodalibus tralationibus sanctorum patrum sanctionibus instituta est. Rem enim fere omnium gravissimam propere sane & leviter confecerunt. debuerant certe justas multorum gravissimorum patrum, qui illis haudquaquam assentari docti, rei ex recta conscientia consulebant, contradictiones libenter audire, eorumq; sententias ac rationes animadvertere atque examinare, ac non ipsis neglectis, vixq; auditis, rem pro libitu definire: quorum quidem sententiæ; quod graviores & firmiores erant, saniores que reipublicæ Christianæ, debuissent jure præferri: potuissentque multarum nationum patres, etsi multitudine aliis impares, tralationẽ mere voluntariam, eãdemque reipub. Christianæ perniciosam impepedire. Quam si fieri oportebat, fuerant sacrorum conciliorũ decreta servanda, ne discederetur à terminis ejus regionis, eligendus erat in Germania locus propinquior & opportunior: atque ob id maxime fieri oportebat; ut de quorum causa præcipue agebatur, Germani tuto possent ad concilium venire: quod proculdubio fecissent; omnibus non veniendi subterfugiis, impedimentis & difficultatibus sublatis, ut exitus ipse comprobavit.

Illud vero nulla ratione defendi potest, quod Bononiam, In medio Italiæ collocatam, subditam Imperio Ecclesiæ, delegerint: quo nemini dubium est, non adituros Germanos. Locum itaq; delegerunt, quem possent omnes merito multis de causis, quæ nunc à me prætermittuntur, recusare, non ut concilium prosequantur, sed ut summo exitio Christianorum decoloratione & deformatione status reipub. Christianæ concilium præpropere & ex abrupto dissolvant, aut ex animi eorum sententia conficiant. Ac cũ sit conciliorum officium dissidia tollere, religionem sustentare, mores emendare: hic recessus, quem ipsi translationem vocant, turbabit concilium, perdet omnia.

Verum cum piissimus imperator, sanctissime ac summe Pontifex, ut verus & legitimus Romanus Imperator, Ecclesiam omnium matrem augere ac defendere teneatur (quod semper ab initio regnorum suorum & imperii fecit) cumque ab antiquissimis retro temporibus Imperatorii muneris fuerit, universalia concilia protegere, & eo usq; integra & salva præstare, quoad negotia, quorum gratia congregantur, debito loco & ordine absoluta sint: cumque Germaniæ dissidia componere, eamque provinciam partem imperii potissimam, magnumque Ecclesiæ membrum, pacare, & ad veram Christianamq; religionem reducere constituerit: cumq; ad eundem etiam Hispaniarum, aliorumque regnorum & statuum suorum, quorum rex verus ac Dominus est, auxilio Sanctit. Vestr. & sacrosancti concilii, corrigendorum, & ad veram Christianam vitam reducendorum, cura pertineat: quæ ita demum vana non erit, si Sanct. Vestr. concilium Tridenti indictum, Tridenti cœptum, Tridenti continuaverit, & absolverit.

Animadvertens inquam Imperator, hunc recessum, seu, ut ipsi dicunt, tralationem, sine ordine legitimo factam, neque lege, nec ratione, neque causa, neque consilio p. 523. inniti, omnem sancti justique propositi sui rationem perturbare: præterea totam Germaniam, ad quam hæc potissimum causa spectat, concilium postulare Tridenti, polliceri se concilio Tridenti affuturū, sanctam Tridentinam synodum suscepturam S. Vestram, quàm semel atque iterum obtestatus est, nunc quoque, ut bonus obediensq; S. Vestræ, & Ecclesiæ filius, maxime contestatur, debita humilitate, & Christiana monitione per viscera Domini nostri Jesu Christi, ne magno labore tam diu quæsitam componendæ, instaurandæq; religionis occasionem prætermittat.

Ovibus à Deo Opt. Max. sibi commissis auxilium feratis, jubebat suos assertos legatos cum reliquis Episcopis, qui recesserunt, sine mora Tridentum reverti, qui locus visus est sanctitatis vestræ approbatione tutus & liber, ipsiusq; invictissimi & pientissimi Imperatoris fide tutior atq; liberior: cujus muneris est, concilia protegere atque tueri: ibique ut decet, ac necessariū est, sacrosanctum concilium, autoritate Imperatoris, efflagitatione & assensu principum, Tridenti inchoatum, diuque habitum prosequatur: quod nullo pacto recusare possunt, & sane id jam antea polliciti sunt, si utique Germani ad concilium accessissent, se, quam primum illa falsi morbi suspicio refrixisset esse reditores, atque adeo Sanct. Vestr. id ipsum Cæsari per nuncios sæpe & legatos promisit.

Anno jam fere elapso, cessante morbo (si quis fuit) re tranquilla & pacata, ablata ratione timoris, postulantibus principibus & statibus Germaniæ, iisque denique pollicentibus, se libere ac absque ulla conditione aut prætextu synodum sanctam Tridentinum suscepturos, cur non revertuntur, & intermissum continuant opus ut cœperant, ut continuare oportebat. Hoc si S. V. fuerit executa, & nunc assertos legatos Tridentum redire sua autoritate & imperio coëgerit, neque dilationem aut difficultatem ullam interposuerit, rem populo Christiano valde necessariam, & divinæ majestati gratissimam faciet.

Sin autem tam justæ petitioni tempore & occasione necessaria, quæquidem nunc se ultro præsens offert, assentiri noluerit (quod abhorrendum sane est ab eo, qui prorsus totius reipubl. Christianæ curam gerit, atque adeo ipsius Domini nostri Jesu Christi vices repræsentat) Ego Jacobus Harcadus Mandoza, nomine pientissimi & invictissimi & domini mei Caroli, Cæsaris Rom. Imperatoris, ex illius speciali mandato, ac nomine totius sacri imperii, regnorum & dominiorum suorum, multiplicatas privatim & publice Evangelicas requisitiones, monitiones, denunciationes, idque non solum (ut superius dictum est à me) semel atq; iterum, sed etiam plures in hoc amplissimo & religiosissimo Cardinalium consensu, die Mercurii, hora antemeridiana: XIIII. Decemb. & in hoc eodem loco rursus, die Martis hora pomeridiana 27. ejusdem Decembris, præsentibus reverendissimis patribus & principum oratoribus, aliam protestationem die Lunæ 16. mensis Januarii, hora meridiana, à procuratoribus & consiliariis Imperatoriæ Majestatis prolatis, in generali cœtu convenientibus, Bononiæ habitam: tandem novissime protestor, dictam tralationem seu ecessionem fuisse & esse illegitimam, & nullam: atque omnia inde acta atque secuta, & quæ posthac quomodocunque de re qualibet agentur atq; sequentur affectata fuisse, & futuras rixas & contentiones in Ecclesia Dei inducere atque nutrire, ac deinde nullius momenti, nullius effectus, magnam cladem & exitum populo Christiano minari, fidem Catholicam & sacrosanctam religionem in periculum adducere, universalem Ecclesiam Dei scandalizare, deformare, ejusque statum & majestatem pervertere, ac proinde nullius momenti, nullius effectus, nullamque habuisse vim, sed nec habitura vigorem ullum, ullam penitus subsistentiam: neque eam posse esse autoritatem assertorum legatorum Sanct. Vestr. & eorum Episcoporum, qui Bononiæ sunt, sanctitati vestræ majori ex parte obnoxiorum, atque ab illius nutu omnino pendentium, ut in religionis & morum reformationis causa, tanti momenti negotio universæ reipubl. Christianæ, cuique provinciæ, præsertim cujus mores & instituta parum eis nota legē præscribant.

Præterea ejusdem invictissimi Romani Imperatoris semper Augusti nomine & speciali mandato, prout supra, protestor, atque denuncio, Sanct. Vestra responsionem illegitimam, præsenti negotio & necessitati ineptam & inconvenientem, fuco & figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse & esse, nulloq; jure nullaque ratione subsistere.

Protestor præterea, omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, adhæc divisiones & scandala in Ecclesia Dei, & religionis pericula, atq; reipubl. Christianæ detrimenta, quæ inde evenire atque eveniunt, & possunt contingere, vestræ Beatitudini, non sibi imputanda. Ad quæ quidem facilime & potuit & debuit, ex forma & essentia Pontificatus usque ad sanguinem, usque ad animam, remedium commodum adhibere.

Pro-

Protestorq; similiter, Carolum, Romanorum Imperatorem semper Augustum, defectu, culpa, & negligentia Sanctitatis Vestræ, Ecclesiæ procellis & tempestatibus, quas metuit ex hoc facto, viderq; impendere, totis suis viribus obviam iturum, ejusq; protectionē & tutelam omni studio suscepturum: totumq; id quod sui juris, muneris, officii & dignitatis est, quo Imperator est, quo Rex est, quatenus jus patitur, & legibus sanctorumq; Patrum institutis, & orbis eo consensu decretum atq; observatum est, ex nunc non omissurum, omniaq; alia, quæ ejusdem domini mei Imperatoris nomine possum & debeo, quò meliùs expediat atq; conveniat modo & ordine.

Protestor vobis etiam, Romani Patres, amplissimi Cardinales, salvo omni jure & facultatibus, quomodocunq; domino meo Imperatori competentibus, ubi Sancti. S. in præmissis negligens fuerit, aut quacunque alia causa instaurationem religionis, unionem provinciarum Germaniæ veram, absolutam, & generalem in sancto universali concilio fieri oportet, morum reformationem omiserit, aut distulerit, vosque itidem in his negligentes fueritis, eadem omnia, quæ Sanctitati suæ protestatus sum, eodem modo & ordine, nomine invictissimi & piissimi domini mei CAROLI Romanorum Imperatoris semper Augusti, protestor atq; denuncio: atq; hanc protestationem bis, ter, & toties, quoties & ubi mihi visum fuerit, esse necessariam: & quamcunq; aliam super promissis, & ab eis dependentibus connexis, & demergentibus facturum affirmo, & facultatem mihi reservo. Testes vos omnes, qui adestis huic meæ protestationi, sistens, petoq; à vobis Notariis, & à quocunq; vestrûm, ut publica de his omnibus conficiatis instrumenta.

Hac Bononiensi protestatione lecta, idē Magnificus dominus Fiscalis Cæsareus suo & Collegæ nomine, dictam protestationis scripturam sic lectam & recitatam, virtute mandati Cæsarei præsentavit, illamque in actis redigi petiit & requisivit, modo & forma, prout in ipsa continetur. Atque omnia reverendissimus dominus Cardinalis de Monte prædictus, repetita protestatione, lecta per dominum Claudium notarium suprà dictum, ex mente & sententia patrū existentium, ut suprà, respondit, narrata & recitata per dominum Doctorem Velasco, prout recitantur & narrantur in protestatione seu scriptura per eum lecta, præsertim contra honorem ipsius reverendissimi COLLEGÆ sui, & patrum in civitate BONONIÆ congregatorum, & ea quæ proposita fuêre de invaliditate translationis de civitate Tridenti ad civitatem Bononiæ dolose facta, & quæ proposita fuêre de securitate & libertate civitatis Tridenti, non esse vera, & veritatis clypeo carere: contestans de hoc DEUM, qui est ipsa veritas: prout suo loco & tempore, si opus fuerit, deducetur & ostendetur; asserens etiam & affirmans, se esse paratum unà cum patribus concilii, mortem oppetere, & martyrium pati, priusquàm consentiant, quòd hoc exemplū in Ecclesiam introducatur, quòd secularis potestas velit concilium cogere prohibitu suo, & ei libertatem adimere: & Imperatorem (quod cum pace ejus dicitur) esse Ecclesiæ filium, non autem dominum vel magistrum: & se & collegam suum esse sedis Apostolicæ legatos, & de his quæ eis imponuntur, & de tota villicatione sua paratos se esse reddere rationem Deo primùm, deinde S. Domino nostro in ipsa sede sedenti.

Et nihilominus, cum proposita per ipsos dominos procuratores Cæsareæ majestatis longam contineant seriem verborum, & non possint omnia memoria retineri, dixit & obtulit, quòd dabitur eis congruum & plenius responsum die Veneris proximè futura, hora congregationis consueta: monendo eosdem, ut ipso die & hora compareant: responsum ipsum accepturi. Et nisi comparuerint, dixit & protestatus est; quod nihilominus responsum dabitur, & publicabitur mundo universo, repetens protestationem prædictam, & pro repetita haberi volens. Quibus prolatis, præfatus magnificus dominus Fiscalis Cæsareus dixit, suo & collegæ nomine se ea respondere, quæ tantùm in protestatione sua dicta erant, de quibus publicum instrumentum seu publica instrumenta confici, & sibi reddi in autentica forma, petiit & requisivit. His peractis, omnes discesserunt hora tertia noctis.

Super hisce omnibus atq; singulis suprà scriptis, partes ante dictæ astantes, ut suprà rogaverunt nos JULIUM Cipatam & Joannem Salvam Notarios, adductos ad instantiam præfatorum magnificorum dominorum procuratorum Cæsareæ Majestatis, & dominos Claudium de la Casa, ac Nicolaum Dz el, notarios pro parte dicti R. D. Cardinalis de Monte, & aliorum Episcoporum & prælatorum, adductos, ut de promissis omnibus instrumenta vel instrumētum publicum vel publica conficeremus, ipsis partibus danda.

Acta fuerunt hæc in civitate Bononiæ, die, loco & anno, quibus suprà, præsentibus ibidem domino Francisco de Vivero, domino Joanne de Ligny samo, domino Joanne de Fonseca, domino Petro de Vargus, domino Garcia Hernander, Hispanis, testibus ad prædicta omnia adhibitis, pro parte Doctorum magnificorum dominorum procuratorum Cæs. Majest.

Nec non domino Bartholomæo, quondam Antonii Graffiti Senensi magnifico equite: domino Herculo Mariscotto Bononiens. domino Joanne de Modestis Ariminensi, domino Bartholomæo Foscaratio, notario Bononiensi: & domino Alexandro Garganello Bononiensi, testibus similiter adhibitis ad prædicta omnia, pro parte præfati reverendiss. & illustriss. D. Card. de Monte, & aliorum Episcoporum & Prælatorũ; qui omnes testes idonei ab omnibus partibus vocati fuerunt, & rogati, &c.

Responsum Pontificis datum oratori Cæsareo ad protestationem.

Magnam superiori consistorio, Illustriss. domine Orator, mæroris causam dedisti sancto domino nostro, & sacro Cardinalium collegio, cum ex diplomatis illius verbis, quod mandatum appellabas, hoc in loco abs te prolati & recitati, facultatem tibi ipsi, coram sanctissimo Domino nostro & sacro collegio protestandi, à Cæsarea Majestate datam esse, assereres, qua statim es usus. Magna idem mandatum postea diligentiùs expensum & examinatum, lætitia eos ipsos affecit, quorum animos dolore antè affixerat: cum nihil in eo repertum sit, quod tibi istam facultatem, quam tu tibi sumeras, daret.

p. 525. Hæc verò duo cum explicavero, ac simul doloris & mœroris causas atq; rationes reddidero, scias, tibi maxima ex parte ad ea omnia, quæ alicujus momenti vel dicta abs te prolixiùs, vel acta in superiori consistorio fuêre. de quibus nunc responsum expectas, esse responsum. Quæ enim protestatio illa tua complectebatur, licet responsione non indigerent, tamen silentio minimè præteribo. Hunc verò ordinem in respondendo sequar, Sanctissimi domini nostri autoritati obtemperans, qui cum mihi præscripsit, cum mihi has partes tibi respondendi imposuit.

Igitur ut à mœroris causa explicanda incipiam, ea quid m ejusmodi est, quam per te facilè intelligere possis, præsertim cum partem hujus molestiæ tam in ipso protestandi munere fungendo, quàm gravi onere portando, teipsum sensisse minimè dubitandum est: eò autem majorem, quò nihil magis studium tuum erga clarissimam Cæsareæ pietatis & religionis famam, vel major pietas erga Ecclesiam esse debebat: cui ex hac re non minimam perturbationem impendere, quisq; ac prudẽs rerum æstimator meritò suspicari potest.

Hæc ergo est ipsa causa doloris, quam protestandi asserta à te facultas, meritò utrisq; attulit. Quam si in teipso, quod minimè credendum est, expertus non fuisses, in illis certè religiosissimis & principibus viris, & nomini Cæsaris addictissimis, qui te, cum jam ad protestandum accederes, adierunt, multis lachrimis preces mixtas & adhortationes secum afferentes, ut te ab incepto protestandi proposito abducerẽt: hanc, qualis sit, potuisti facilè agnoscere.

Illud verò omnibus notum est, rem mali exempli esse, & ab iis potissimum usurpatã, qui vel prorsus ab obedientia discesserũt, vel in ea vacillare cœperunt. Quare si hæc maximæ perturbationis Ecclesiæ signa certissima graviter S. Domini N. animum cõmoverunt, qui paterno amore semper Cæs. Majestatem est prosecutus, & Ecclesiæ paci, ut pastorem Ecclesiæ decet, semper studuit, nihil mirum. Eò verò graviorem dolorem & ejus Sanct. & sacro collegio, ac omnibus, qui pacem Ecclesiæ amant, incusserunt, quò minùs hoc tempore aliquid ejusmodi expectabatur.

Quid enim minùs expectari poterat à Cæs. Majest. quàm eo tempore, quo contra eos, qui quò rebellionis nomen erga ejus Majestatem, maximè verò erga Ecclesiam Rom. obtegerent, Protestantes se appellãrunt, gloriosissimam victoriã reportavit? id quod non tantùm interveniente Sanctitate sua (ut tu, domine Orator, nimis leviter æstimans Sanctitatis suæ auxilia, in hoc ipso bello Cæs. Majestati missa, dixisti) sed ita prolixè copiis & pecuniis adjuvante, ut vires patrimonii Ecclesiæ excesserit: omnia autem tempore ita opportuna data, ut ipsa opportunitate auxilio utcunq; magna beneficio & utilitate superarent. Quid igitur minùs expectari potuit, quàm ut adepta victoria, & ad huc recenti, tales fructus pietatis & benevolentiæ Sanctitatis ejus Cæs. Majest. redderet, ut finis illius belli, principium protestandi contra eam futurum esset?

Cùm expectavit, ut faceret uvas, fecit labruscas, dicit propheta in Dei persona ad populum suum, post multa beneficia illis collata, cum eorum ingratum animum redargueret. Si verò ipse Dei in terris vicarius, Cæs. Majest. tanquam plantam nobilissimam omni studio jam inde ab initio pontificatus semper colẽs, ex qua Sanctiss. & nobiliss. fructus ad pacem & concordiam Ecclesiæ expectabantur: hac suæ diligenti & assidua cultura non suaves pacis & concordiæ tanquam uvarum fructus, sed protestationis minimè decentis, & discordiarum acerbissimas quasi labruscas percipiat, cui magis conveniret mœrenti animo dicere, Quid potui facere vineæ meæ, & non feci? & quæ sequuntur.

Hæc ergò fuerunt, quæ Sanct. Domino N. & universo huic sacro collegio mœrorem animi meritò attulerunt: cum tamen (domine orator) diplomatis seu mandati sui autoritate & facultate fretus, nullis rationibus, quo minùs à protestatione te abstineres, deduci te patereris. Nunc igitur accipe

accipe, quo pacto idem mandatum diligentius examinatum, primùm Sanct. S. deinde reliquos omnes, qui ob hanc causam dolore sunt affecti, omni dolore levârit. Quod uno verbo minimè à te expectato, dicere possum: hoc scilicet, nihil in mandati diplomate contineri, ne verbum quidem, quod tibi facultatem præbeat, sub ea forma verborum contra S.S. & hoc sacrum collegium protestandi, qua in tua protestatione es usus, cum minimè honorifica sanct. suæ, tum Cæsar. Majest. parùm digna.

Dico verò iterum atq; iterum, ut meliùs audias & intelligas, nullum scilicet verbum esse in mandati diplomate, quod significet, talem voluntatem Cæsaris fuisse, ut eo modo contra Sanctissimum dominum nostrum protestareris, quo jam es protestatus: nullum, quod hanc tibi facultatem daret. Tu enim, quasi facultas tibi data esset contra sanctitatem suam & sacrũ collegium protestandi, sic ea usus es: hujus vero rei in mandato tuo nullam non modò expressam, sed ne leviter quidem adumbratam voluntatem Cæsar. Majest. habes: in hoc verò expressam, contra legatos sanctitatis suæ, & prælatos Bononiæ existentes, quos translatione concilii è Tridento Bononiam autores fuisse accusat: ac ut contra eos sui procuratores protestentur, mandat.

126 Tu verò cum audires, contra illos à procuratoribus Cæsaris jam protestatum fuisse, quasi idem esset protestari coram sanctitate sua, & sacro hoc collegio, & contra ejus sanctitatem & sacrum collegium, eo modo protestandi es usus in hoc sacro loco, assertus hac in causa procurator, quomodo alii procuratores Cæs. Majestatis apud assertos, ut appellas, legatos sanctitatis suæ Bononiæ sunt usi: quam tibi facultatem, ut dixi, non competere, ex tenore & data mandati planè constat. Præcipua enim quæ tu protestando objicis, aliquot mensium spacio, postquàm mandatum factum fuerat, acciderunt: ita ut in illo S. Majest. complecti ea, quæ necdum contigerant, nulla ratione potuerit.

Sed quî meliùs hoc intelligi potest, quàm ex ipsius mandati verbis? Recitabitur igitur bona fide, quæ tu bona fide scripta esse dixisti, cùm descriptum exemplar mandati mihi traderes. RECITETUR MANDATUM. Carolus V. &c.

Intellexisti nunc tandem domine Orator, quod antè non animadvertisti in verbis mandati? Si enim abs te animadversum fuisset, non tam longè extra fines mandati fuisses progressus. Sed nunc admonitus, annôn animadvertis, quo pacto, cum delegatis Bononiæ, & de protestatione mandatum loquitur, hanc voluntatem Cæsaris fuisse, satis apertis verbis declarat, ut contra eos protestareris, cum de sanctitate sua & sacro collegio nullo in loco dicat contra, sed semper coram S.S. & sacro collegio contra ipsos legatos: ex quo semper his Majest. S. judicium à sanctitate sua, quæ legitimus & unicus judex hujus negotii est, reposcere censenda est.

Nunc ergo ex his vides, quod videmus omnes, & libenter prædicamus, legitimos fines modestissimi Principis Cæsarem suo mandato non egressum: qui si se offensum existimabat à legatis sanctitatis suæ, & ab illis prælatis, nihil à justitia alienum fecisse videbatur, si contra illos coram sanctissimo D.N. & sacro hoc collegio protestaretur: neq; extra hos terminos diploma illud, quod mandatum appellas, quoquam progreditur. Quòd si Sanct. S. hujus causæ cognitionem suscipere recusasses, tunc demum, si unquam, protestationi contra S. S. locus aliquis & tempus fuisset.

Tu verò non modò hoc tempus non expectasti (quod certè si futurum fuisset, expectare debuisses, si vel speciem aliquam justitiæ tuam protestationem habere voluisses) sed nec tale judicium unquam postulasti: si quod verò postulasti, quod ad judicium hujus causæ attinet, hæc summa tuæ protestationis fuit, ut legatos ipsos, unà cum maxima parte ipsorum prælatorum, indicta causa S.S. condemnaret.

Quid enim aliud revera petis, quando à SANCTITATE sua postulas, ut decretum illud concilii, quod statuit translationem ejusdem concilii è Tridento Bononiam, quod illi ut necessariò & salutariter, sic & justissimis modis factum asserunt, rescindere & abrogare tanquam injustum, & factione potiùs quàm jure factum, sine ulla ulteriore causæ cognitione postulas: & ut multò maximam partem prælatorum una cum legatis minimæ parti, quæ Tridenti manserat, cedere cogat: quod quid magis omnem authoritatem ipsi concilio, non modò in præteritis actis, sed etiam in futuris adimere possit, præsertim cum nullam æquitatis formam, nullam juris, id judicium habiturum esset, non video.

Quantò æquius fuisset, ut pauciores illi, qui Tridenti remanserunt, si quid à majori parte minus justo factum fuisse in hac trãslatione, cognovissent, ejus Sanctitati suas vel excusationes vel querelas porrigerent: quas quidem ejus sanctitas nunquam sanè recusasset accipere, quemadmodum neque nunc recusat. Imò quoniam Cæs. Majest. mandati verba huc spectant & provocant, quemadmodum justissimum & religiosissimum principem decet, sanctitas ejus hujus causæ cognitionem & controversiam de jure translationis ejusdem, veteri & perpetuo more & jure Rom. Pontific. ad se revocat. Quanta verò æquitate hoc faciat, & facturus sit, paulò pòst explicabo.

Nunc

Nunc ut concludam hunc locum gratulationis & gaudii, ex his, quæ jã diximus, vides, domine Orator, quantam causam habet & Sanctitas ejus & sacrum hoc collegium, ac omnes pii: tu ipse deniq; PRINCIPIS tui causa, ECCLESIÆ gratulandi, ereptæ ex tanto timore, quantum asserta protestatio tanti principis tali tempore meritò incutere potuisset. Qua in re divinæ bonitati maximæ sunt agendæ gratiæ, quòd cum seditiosa consilia non deessent, quæ Cæsar. Majestat. huc impellerent; tamen Dei tutela in eam tanta extitit, non modò, ut non permiserit eum aliquid ejusmodi in suis scriptis complecti, quod Ecclesiæ perturbationem afferre possit, sed contrà veram & legitimam viam aperuerit ad ipsam pacem Ecclesiæ, & concilii ipsius concordiam firmandam. Principis igitur tui causa habes, domine Orator, quòd gaudeas: tua verò, quantum vel gaudendum vel dolendum tibi sit, tuo judicio perpendendum relinquitur.

Atque hæc quidem hactenus dicta sunt, cum ejusmodi sint, quæ fundamenta tuorum dictorum & actorum in superiori cõsistorio tollant. Iisdem sanè Sanctitas ejus omnem suam responsionem concludere posset, nec quicquam præterea ad protestationem tuam, quæ nulla est, nullam vim habet, nullo jure consistit, respondere: Verùm quia fieri possit, si, quæ abs te sunt dicta, silentio præterirentur, ut suspicionem ea res alicujus verè objecti criminis (eò verò plura objecisti) ignaris rerum afferre possit, idq; cum detrimento salutis animarum eorum, qui illis fidem essent habituri: ideò Sanctitas ejus omnium saluti consulere volens, & falsos rumores sparsos, quãtum fieri potest, ex omnium animis depellere, me etiam jussit, ut ad objecta tua in asserta illa tua protestatione responderem ea quæ nunc es à me auditurus: si primùm, quò spectat hæc tota protestatio, quem finẽ sibi proponat, edixero.

p. 527. Scopum vero eum esse video, ut negligentem in rebus Ecclesiæ S.S. tergiversantem, ac moras afferentem, ne concilia ritè celebrentur, ostendat. Contra autem, vigilantem & diligentem ipsam Cæs. Majest. Cum igitur hunc scopum tibi tua protestatio proposuerit, argumenta omnia, quibus viam ad hanc conclusionem firmandam munire tibi contendis, ejus quidem generis sunt, quæ maximè Cæs. Majest. pietatem & studium erga Ecclesiam declarare videtur: præcipuè vero procuratione celebrationis concilii generalis, quod præcipuum remedium rebus Ecclesiæ afflictis & perturbatis semper est judicatum.

Hæc omnia si abs te hoc animo prolata fuissent, ut Cæsaris pietatem testatiorem redderes, non opus esset hîc alia responsione, præter gratulationem apud ipsam ECCLESIAM: & gratiarum actionem apud divinam bonitatem, quæ tali animo præditum IMPERATOREM Ecclesiæ dederit: nec enim S. Sanctitas Cæsaris virtutes obscurare cupit, ut suæ illustrentur, quod esset invidi: nec minores videri eas, desiderare potest, pro quibus unà cum Ecclesia preces toties fundit.

Sed quoniam tu, in hac tua asserta protestatione quo magis CÆSARIS virtutes illustras, hoc magis obscuriora ejus Sanctitatis studia, & ejusdem negligentiam in rebus Ecclesiæ testatiorem reddere existimasti: ideo huic parti, quæ prima pars est protestationis tuæ, in qua Cæsaris studium extollis in procurandis rebus Ecclesiæ, maximè autem frequenti postulatione concilii generalis, primùm apud beatissimæ memoriæ Pontifices Leonem & Clementem, tandem apud S. Sanctitatem: sic respondet S. Sanctitas.

S. Cæsaris animus hic fuit, si hoc ejus desiderum, ut generale concilium celebretur, comune quidem hoc desiderium fuisse suæ Sanctitati cum illius Majestate. Si vero commune, ut Sanctitatis ejus voluntas sit hac in re, quemadmodum est illo ætate, sic tempore etiam antiquior, quam eandem fuisse etiã ante pontificatum adeptum sic declaravit, ut nullus ex hoc S. Collegii frequentiùs ea de re cum eisdem Pontificibus egerit: idq; testimonio ipsius S. Collegii, præsertim eorum, qui tum in Cardinalium numero adscripti fuêre.

Nec vero inanem hanc ejus voluntatem fuisse, sed sinceram & stabilem, factus Pontifex statim declaravit: cum nulla de re potiùs apud principes, quam de celebratione concilii egerit. Simul ac autem ei vel minima occasio ejus celebrandi fuit oblata, id indixit primum quidem Mantuæ, ut tu domine Orator rectè quidem commemoras: deinde Vincentiæ. Quibus in locis si res ex voluntate Sanctitatis suæ non successit, quod Mantuæ ferè nulli, Vincentiæ pauci prælati convenerant: tamen non defuit cura & studium suæ sanctitatis, quæ Vincentiæ suos legatos sex mensium spacio expectare Episcopos fecit, quos per literas suas ad omnes provincias directas, ad concilium invitaverat: & simul nuncios ad principes dimiserat, ut bona eorum pace liceret Episcopis ex quavis provincia, qui convocati erant, venire.

Quod si Mantuæ ac Vincentiæ nulla frequentia Episcoporum fuerit: non ob eam quidem causam id accidit, quam tu domine Orator affers, cum dicis, illas civitates minimè aptas fuisse, quo diversarum provinciarum homines convenirent: qui solam TRIDENTINAM nunc aptam esse contendis. Præsertim cum hoc consteret iam, ut satis opportuna sit Tridentina civitas: tamen commoditate loci & abundantia

loci & abundantia omnium rerum, quæ celebrationi concilii sunt necessariæ, has urbes Tridentinam longè superare. Sed aliæ causæ fuêre, maximè verò ipsa bella inter principes Christianos, quæ hoc sanctum studium celebrãdi concilium, nusquam ulla causa penè sola impedivit.

Hic verò magis eminere sanctitatis suæ studium celebrandi concilium, Cæsaris studio est necesse, quòd Cæsar sive invitus id fecerit, sive quacunque causa adductꝰ & tractꝰ ad bella, quæ gessit, maxima impedimenta interposuisse celebrationi concilii, nemo negare potest. Quæ hanc tamen majorem occasionem ejus sanctitati declarandæ suæ piæ voluntatis dedêre, quòd assiduus svasor pacis semper fuerit, bellum ipse nunquam gesserit: quòd vel minimum impedimentum concilii celebrationi dare potuerit, nulli parti plusquàm alteri adhæserit: nulli principi se sociũ belli adjunxerit, præterquàm ipsi Cæsari, eo in bello, quod videbatur maximè viam munire celebrando concilio: & ut tu domine Orator rectè dixisti, ut quod ratione suaderi sibi non permitterent, ut sacris concilis obedirent, vi cogerentur.

Verùm ne singula recenseantur, quod esset nimis longum; & ut omnis actionũ comparatio tollatur, quam sanctitas sua fieri non vult, præsertim hac in re, in qua de pietatis laude sit contentio [quæ qualiscunq; sit, tota tribuenda Deo est] sed ut concludatur hic locus de studio suæ sanctitatis, de laboribus, de impensis pro celebratione concilii, in cujus commemorationem tu domine Orator S.S. compulisti; sic breviã me expedietur tota hæc oratio: si tu domine Orator, apud animũ tuum paulò diligentiùs recensere volueris acta singulorum annorum pontificatus sanct. suæ, quæ publicè omnib. sunt nota. Quod si feceris, ejus piam voluntatem statim clarissimè in nunciis & legatis agnosces: quos singulis ferè annis cũ iis mandatis præcipuè ad diversas provincias miserit, ut quoties ab armis cessatum esset, & intervalla bellorum spem aliquam alicujus opportunitatis celebrandi concilii darent, de hoc cum iis principibus agerent, quorum autoritate & opera concilia indigere solent, cùm bella flagrarent, de pace, cujus tamen finis & fructꝰ esset ipsa concilii celebratio.

Hac in re ita fuit ardens animo Sanctitas ejus, ut nec itinerum longitudine, nec incommodis deterreri potuerit: licet annis admodum gravis, quò minùs ejusmodi legatione, idq; non semel apud principes discordes, per se obire vellet pro ipsa Ecclesia, ut ei simul cum pace concilium generale redderet. Hos certè annos si paululum tecum consideraveris, videbis, universum ejus Pontificatum, in his duobus sanctissimis negotiis esse cõsumtum.

Neq; tu quicquã horum negas, quia nihil accusas, antequàm ventũ sit ad Tridentinum Concilium: neq; etiam quicquã hîc objicis, antequàm venias ad translationẽ: ac ne in ea quidem aliquid accusas, fateris enim, inscias sanctitate sua, id factum fuisse: & ob eam causam legatos accusas, quòd incõsulta sanctitate sua id fecerint.

In hoc tantùm factum sanctitatis suæ improbas, quòd quibusdã literis, in quibus prælatorum, qui Tridentino Bononiam unà cum legatis concilii se contulerant, mentionem faciens, concilii Bononiensis nomine illorum congregationem appellat, in grave (ut tu dicis) præjudicium illorum prælatorum, qui Tridenti remanserunt. Si verò hoc præjudicium concilii appellatione attulisse illis affirmas, añón idem præjudicium est, quod Cæsar ipse suis in literis attulit, quod tu ipse domine Orator, quod reverendiss. Tridentinus, cum verba literarum Cæsaris sequentes postularetis, ut sua sanctitas Concilium Tridentinum revocaret, reverti faceret, reduceret? Quod fieri quidem non posset, si nusquam nisi Tridenti concilium esset.

Quare cum de congregatione Bononiæ constet, Imperatorem intellexisse, cõcilium eam congregationem illũ quoq; appellasse, non est dubium. Cur ergo hîc non idem est præjudicium? an quod summi Pontificis verbum, qui legitimus est judex, vim sententiæ habere videatur? In hoc sanctitatem ejus accusas, quod præpropero judicio antevertens judicis sententiam, causam eorum qui Tridenti remanserunt, damnaverit, congregationem Bononiensem Concilium appellans.

Ausculta ergo, & intellige, domine Orator, qui rectè hac in causa suã sanctitatem judicem cognoscis, ne latum quidem unguem eam ab officio judicis discessisse, nullumq; præjudicium alteri parti attulisse, etiamsi concilium conventũ Bononiensem appellet: quià donec causa cognoscatur, liberum est judici, communi vocabulo, quo omnes utuntur, ut. O nnes vero ita vulgo & loqvuntur & scribunt, concilium esse translatum Tridento Bononiam, & illic nunc esse: imo Sanctitas sua, donec aliter sibi per contrarias probationes constiterit, cùm videat, multo maximam partẽ Episcoporum unà cum legatis S. Apostolicæ Bononiam causa transferendi cõcilii se contulisse, aliter, si justi judicis partes sequi velit, dicere aut appellare nõ potest, nec enim minor pars in re dubia, quod tu in tua protestatione asseris, sed major debet sanior haberi.

Non igitur alia appellatione majoris partis Episcoporum se ex Tridẽto Bononiam transferentis uti potuit, præsertim cum sciant, concilio potestatem datam esse, seipsum transferendi: an vero legitimis

mis modis translatum fuerit, quoniam in eo est controversia: de hoc judicium sua Sanctitas, prout ad se delatum est sibi conservat: concilii tamen appellationem non aufert, donec, ut dixi, alterius partis probationibus error & injustitia modi transferendi ostendatur.

Sed transeamus ad reliqua, quæ apertis verbis obiicis S. S. Adjungis autem nescio quid in illa tua querela injustæ (ut dicis) translationis concilii: quod non tam ad prælatos illos pertinet, qui autores eius rei fuerunt, quam ad eius Sanctitatem in eadem causa, & ut dicis, crimine involvendam: cum dicis, prælatos quosdam obnoxios & addictos nomini Sanctitatis suæ hoc fecisse.

Quid vero tu, domine Orator? an ut hoc accusas, quod sunt addicti: sic illos laudas, qui Tridenti manserunt, quod nomini Pontificio non sunt addicti? At vides, quale periculum inde timeri poterit. Nec enim schisma ex alia re nasci solet, quam ex eis prælatis, qui nomini Pontificis Roman. minus sunt addicti. Si vero addictos intelligis factiosos quosdam, qui partes Sanctitatis suæ jure vel injuria defendere velint: tales quidem sua sanctitas nullos cognoscit, quia partes suas nullas proprias agnoscit, præter eas, quæ sunt patris erga filios, & pastoris erga gregem: nec vero accidit adhuc ulla talis controversia in concilio, ut ejusmodi addictis opus esset: tantum denique sua Sanctitas sibi addictos Episcopos esse cupit, quantum suæ conscientiæ & libertati, cujus præcipue semper concilio habita est ratio, addicti esse velint.

Neque vero quicquam fuit, quod sua Sanctitas legatis suis discedentibus majori cura commendarit, quam ut viderent, ne patribus in concilio ullam occasionē de adempta sibi libertate sententiarum dicendarum conquerendi præberent.

Sed transeamus nunc ad reliqua, quæ apertis verbis obiicis S. S. Ad illud vero in primis, in quo insistis maxime, quod S. S. nullis nec Cæsaris nec serenissimi regis Rom. hortationibus, nullis denique aliorum principum Germaniæ vel hortationibus vel precibus sibi persuaderi patiatur, ut concilium revertatur Tridentum. Ex quo argumentaris, minime curæ esse Sanctitati suæ res Germanorum, eorū salutem pro nihilo apud eam haberi: præsertim cum Majest. eius studio & cura tantum effectum sit, ut si concilium redeat Tridentum, ii statim Tridentinæ synodi decreta sint suscepturi, qui jam pridem ab Ecclesiæ obedientia discesserunt.

Hic quidem sua S. hoc primum respondet, nunquam se præcise negasse reditum concilii Tridentum, modo id debitis modis fiat; illiq; provinciæ sic utiliter, & p. 529. sine scandalo aliarum provinciarum provideri possit, id quod sæpe à sanctitatis eius legatis est affirmatum. Sed ne facile hoc credat, experientia superiorum annorum satis admonetur: quæ hac ratione adducta, quod salutarem Germaniæ populis indictionem concilii Tridenti futuram speraret, jam bis eodem in loco concilium vocavit, bis legatos misit: quod satis ostendit, sanctitati suæ non minime, sed maxime curæ esse res Germanorum.

Sed cum legati eius in prima indictione, 7. menses integros expectassent adventum Germanorum, & aliarum provinciarum Episcopos, quam pauci venerint, quam nulli potius, quis te melius noverit, domine Orator? qui una cum Illustri domino Granvella, & Reverendiss. domino Episcopo Atrebatens. tertius Orator Cæs. Majest. eo accessisti: cum legati tamen eò in loco adessent reverendiss. Cardinales Parisius Moronus & Polus, quorum patientiæ in expectando ipse optimus testis esse potes: eo autem locupletius testimonium hac in re dare, quod invitati tu & collegæ tui à legatis, ut eandē imitaremini, ut saltem vel unus vestrū maneret Tridenti, quia vestrum exemplum multos facile invitare posset, ut venirent: vos ipsos excusastis, quod id minime facere possetis: & cum pauculos dies illic fuissetis, tandem discessistis.

Sequutum est postea eodem in loco, maturiori tempore, ut est existimatum, indictum à S. D. N. concilium, missis eodem legatis reverendiss. de Monte, S. Crucis. & eodem Polo: cum tu domine Orator, una cum illustri domino Francisco de Toleto, Cæs. Majest. iterum oratore venisses. Quanta vero & quam longa expectatio legatorum fuerit, cum tu eorum patientiæ particeps esses, nihil attinet apud te commemorare: sed meminisse potes, quot menses pene frustra consumti sint, antequam principium Concilii dari poterat. Post vero, cum jam per Dei gratiam. & solicitudinem S. D. N. & legatorum suorum, concilium inchoaretur, & jam præclaros progressus fecisset, multa præclara tum de fide cum de morū reformatione decreta edidisset, omniaq; abunde adessent concilio, quæ Germanos, ut eo venirent, invitare possent: tu vidisti, quam pauci accesserint: ex illis quidem, qui medicina cōcilii maxime indigebant, nulli.

Ex episcoporum numero etsi aliqui inventi sunt, saltem qui procuratores suos miserint: tamen quod attinet ad id remedium, quod ex concilio Tridenti celebrando, salutis Germanorum causa, sperari potuit, ne minima quidem ex parte signa voluntatis in recipienda medicina salutis ostendebant, quæ studio, curæ & solicitudini S. D. N. in ea porrigenda re-

spon-

sponderent: imò in ipso studio, in diligētia accedendi ad concilium, ipsa Germanica natio licet propinquior, passa est se vinci ab aliis nationibus, ab aliis episcopis, qui satis magno numero venerunt ex Hispania, Gallia, Italia, & remotioribus provinciis, quibus civitas Tridentina non erat ita commoda.

At alia nunc tempora sunt, aucta nunc est magis autoritas Cæsaris, qui in se recipit Germanos, si concilium redeat Tridentū, omnes ad obedientiam redituros. Hoc enim se effecturum, Cæsar, cæteriq; Principes & status Germaniæ pollicentur. Tu verò domine Orator, tecum considera, si Germani hanc voluptatem habent, cur non simpliciter se concilio submiserunt? Quāquam non hoc propterea dictum est, quasi multùm laboret sua sanctitas, Bononiæné an alio loco perficiatur concilium, modò publicæ & communis Ecclesiæ utilitatis ratio habeatur.

Tu verò, domine Orator, ita vim loci & urbis Tridentinæ in hac causa verbis exaggeras, ita necessariam esse illam civitatem, affirmas, quò redeat concilium: ut, nisi in eo loco, ubi inceptum est, illud quoq; concilium finiatur, actum esse de salute populorum Germaniæ, asseras. Quare culpam hanc suæ sanctitati tribuere vis, nisi ejus autoritate eò rursus redeat concilium. Cōsidera quæso quæ dicis de hac necessitate cogendi concilii eo uno in loco, quo videris idem facere in re concilii, atq; factum est (divina providentia statuente) in veteri populo, cum nondum Spiritus esset datus, ut uno tantùm in loco, in una tantū civitate Hierosolymitana sacrificare possent.

Cur enim concilii universalis vim, in quo Spiritus sanctus præsidet, ad unius civitatis muros cogis, in quo de Germanorū salute agatur? annón eandem servitutem in celebrandis conciliis pro salute populi Germaniæ introducis, quæ erat populi Judæorum in sacrificiis, qui nusquam salutares hostias, præterquàm Hierosolymis offerre poterant? Nunc enim, qui certum locum præscribere velint conciliis, de cujuscunq; populi salute agatur, quasi nusquam pro illis quicquam salutare decerni possit, nisi eo in certo loco, vim quidem & injuriam facit Spiritui sancto & illi, ex cujus merito, & per cujus misericordiam per orbem universum est diffusus.

Vide verò, si hæc ratio valeret, qua sola niti videris, cum contendis, concilium necessariò Tridentum reduci oportere: hoc scilicet, quia Germani illis morbis laborant, qui per concilium necessariò sanari debeant. Quid ergò, si Daci, si Bohemi, si Gotthi, si Angli eisdem morbis laborant, an singulis Generale Concilium domi suæ dabitur? Nec verò, quando de commoditate loci agitur in celebrationibus Conciliorum, eorum ratio habetur, qui retenturi sunt decreta conciliorum: sed eorum, qui facturi sunt decreta conciliorum: qui sunt ipsi Episcopi, qui præsunt in Conciliis, quorum commoditati ea re maximè consulitur: nec ita spectatur unius nationis hac in re commoditas. Quot enim concilia nominari possunt, ad extirpandas unius provinciæ hæreses, in aliâ indicta, & celebrata, quæ non minùs erant utilia illi provinciæ, in qua natæ sunt hæreses, quàm si in ipsa celebrata fuissent? p. 530.

Deniq; quàm iniquum hoc videtur, ut lege vel decreto facto à Germanis, de loco certo unius urbis statuendo pro concilio, ipsi cæteris libertatem, & ejus eligendi loci auferre & sibi vendicare velint?

Hæc verò nunc sint dicta, ut intelligas, cum de concilio celebrando conveniat, nullam esse causam, cur tam pertinaciter de uno certo loco contendi debeat, ut necesse sit, ad tam extrema remedia, qualia sunt hæc genera protestationum, venire, quibus tu nunc apud S. D. N. apud quem minimè oportuit, es usus. Quorum capita in fine tuæ prolixæ orationis collegis: ad quæ nunc respondebo, sed mutato ordine, ut ad primum caput, in quo contra illos, qui concilium Tridento Bononiam transtulerāt, protestaris, eorum factum, ut alienum à legibus & moribus Ecclesiæ & conciliorum, accusans, ultimo loco respondeā.

Tametsi in his, quæ superiùs à me dicta sunt, quæ justè & legitimè dici possunt à S. S. jam intellexisti. Illud autem inprimis, quòd si sua sanctitas verbo approbare visa est illam translationem concilii (sequens majoris partis sententiam) cum nondum talis controversia exorta esset, ut pro ea dijudicanda judicis personam sumere esset necesse: tamen nunc in eo non persistit, re jam vocata ad judicium. Sed in fine distinctiùs declarabitur, quid in hac re sua sanctitas respondere statuerit.

Nunc quòd in secundo capite totam protestationem convertis contra sanctitatem suam, objiciens, ejus responsionem ad Cæs. M. jest. illegitimam, præsenti negotio & necessitati ineptam & inconvenientem, fuco & figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse & esse, nulloq; jure, nulla ratione subsistere.

Hîc enim tua verba repeto, quæ utinam aut modestiora fuissent, aut saltē ejusmodi, ut non in genere tantùm dicta, sed aliquibus probationibus nixus distinctiùs ostendisses, qua in re, quo in capite (nam plura continebat) responsio suæ sanctitatis illa peccaret. Sic enim distinctius posset tibi responderi. Nunc cum in genere dicas, etiam in genere erit respondendum, rem contrà se habere, atq; tu affirmas: esse scilicet legitimam, & pro tempore & causā

opportunam, ac ab omni fuco alienam ejus responsionem. Vel si quid distinctius debeat responderi, suspicari oportebit, quibus rebus maximè offendaris.

Si verò his, quæ præcipua capita sunt, quæ postulant, ut rata ac firma ea decreta habeantur, quæ jam tractata sunt, quæ petunt ea, quæ ad securitatem loci pertinent præstandam, quæ ad libertatem eorum, qui venturi sunt ad concilium, ut tutus sit eorum itus & reditus; quæ petunt, ut is ordo retineatur in conciliis, qui jam inde ab Apostolorum temporibus per sanctam Romanam & universalem Ecclesiam fuerit observatus: quæ postulant rei frumentariæ & commeatus rationes explicari, antequàm Tridentum redeatur: hæc omnia consveta sunt postulari in conciliis omnibus, ac non tam legibus pontificum, quàm ipsorum Cæsarum firmata. Quare quid ex his magis te offendat, quod injustitiæ speciem præ se ferat, cum tu nihil explices, difficile est divinare: utcunq; sit, ex his satis ad hoc caput responsum erit.

Restant duo alia, in quorum priori protestaris, omnia damna, tumultus & pericula, quæ in rempubl. Christianam sunt eventura, sanctitati suæ Majestatem Cæsaream attributuram: in altero, suam Majestatem non defuturam Ecclesiæ: sed in omnibus, in quib. negligens invenietur, sua S. in eisdem eandem Cæs. Majest. protectionem Ecclesiæ suscepturam. Ad quæ duo capita sua S. sic simul respondet: se, quatenus humanam imbecillitatem per divinam gratiam vincere possit, non commissuram, ut jure negligens in rebus Ecclesiæ haberi possit.

Sin ita contigerit (septies enim in die cadit justus) se eò minùs dolere posse, si ejus negligentia Cæsaris vigilantiam acuere posset, ut necessitatibus Ecclesiæ subveniat: modò ita ejus curam suscipiat, quemadmodum tu Majestati suæ in hac asserta protestatione præscribis, cum dicis, quatenus jus patitur, & legibus sanctissimorum patrum institutis, & orbis consensu hoc decretum atq; observatum fuerit. Quem morem & modum si Cæsar sibi observandum animo proposuit, tum sanctitatem suam in optimam spem venire, facilè per Dei gratiam, omnia ea mala, quæ hæc protestatio minatur, depelli posse: nihil autem in posterum opus fore protestationibus.

Nec enim unquam talem suam negligentiam futuram sperat, quin, si Cæsar hanc diligentiam præstet, quam hæc protestatio pollicetur, uterq; suo officio fungens, Ecclesiæ utilitatibus ad Dei honorem, cujus in diverso munere ambo sunt ministri, cum pace & tranquillitate populi Christiani, servire possit.

Reliqvum nunc solùm est, ut ad illud caput tuæ protestationis respondeatur: quod tu solum, domine Orator, si attulisses, exactiùs formam mandati tui secutus fuisses: nec tantam materiam sermonis cum multorum scandalo dedisses, quantum te vel falsum rumorem protestationis hujus multorum animis attulisse est verisimile. Quià igitur tu procuratorio nomine S. Majestatis protestationem contra legatos & alios prælatos Bononiæ, sub nomine concilii congregatos & congregandos, corã sanct. sua & his venerabilibus fratribus suis interposuisti, ad quod tantùm faciendum & proponendum Majestas sua te procuratorem & mandatarium fecit, constituit, & deputavit, sanctitas sua, habita super his cum eisdem venerabilibus fratribus suis, sanctæ Rom. Ecclef. Cardinalibus, matura deliberatione, de ipsorum concilio & unanimi assensu, protestationem hujusmodi admittit, si & in quantum de jure admittenda veniat, & non alias aliter, nec alio modo.

Non intendens propterea, per hujusmodi admissionem concilio, aut præfatis legatis & prælatis, seu aliis quibuscunq; (quorum interest, aut interesse potest, vel poterit quomodolibet in futurum) in aliquo præjudicare: nec eis jacturam aut ullum præjudicium inferre, sed eorum jus (si quod illis jure, privilegio vel consvetudine qualitercunq; competat) salvum, integrum, & illæsum præservari: neq; ex hoc S. Majest. aut quibuscunq; personis, regnis, & dominiis suis protestationi hujusmodi adhærentibus seu adhærere volentibus, actionem vel exceptionem, seu jus aliquod de novo acquiri, sed nihilominùs (cùm in dicta protestatione, translationem concilii ex Tridento ad Bononiam civitatem factam, nullam, & invalidam, & injustam, nulliusq; momenti & effectus fuisse, coram beatitudine sua, & ejusdem venerabilibus fratribus suis proponatur, & quàm plures quidem causæ & rationes ad id allegentur & deducantur, quia probationem, causæq; cognitionem requirant) volens S.S. (prout ad suum incumbit officium) conquestionẽ coram ea propositam hujusmodi cognoscere, illamq; ad universalis Ecclesiæ unitatem, pacem, & conjunctionem membrorum ad unum caput, Christum videlicet, conservandam: ad divisionem ovilis S. Sanctit. ex alto commissi: & illud schisma (per quod ipsa Ecclesia scindi & scandalizari, grexq; Dominicus sibi creditus turbari potuit) prohibendum, nec non scandalis & damnis, quæ exinde evenire possent, occurrendum concordia vel jure, aut aliter fine debito, quàm celerrimè poterit, decidere & determinare.

Igitur de eodem consilio & assensu, tam ex officio quàm per viam querelæ, & instantiam omnium & singulorum, quorum interest, ac aliàs omni meliori modo, forma,

ma,via,jure & causa,quibus meliùs & efficaciùs potest, etiam de Apostolicæ sedis in personam beatissimi Petri concessæ potestatis plenitudine,causam & causas nullitatis, invaliditatis,& injustitiæ translationis hujusmodi, & processuum omnium desuper habitorum, & exinde sequutorum quorumcunq;,ad se assumit: & illam & illas cum dependentibus,emergentibus, annexis & connexis etiam summariè, simpliciter,& de plano,ac sine strepitu ac figura judici ,solaq; facti veritate inspecta, audiendas & in sacro consistorio referendas, Reverendissimis D.Parisiensi,Brugensi,Polo, & Crescentio S. Rom. Eccl. Cardinalibus committit & mandat,cum potestate citandi,& inhibendi etiam per publicum edictum,constituto summariè & extrajudicialiter de non tuto accessu: ac omnia alia & singula, quæ in præmissis necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna & necessaria,faciendi, gerendi, & exsequendi: inhibens propterea in virtute sanctæ obedientiæ,ac sub excommunicationis, anathematis,& maledictionis æternæ,& dignitatum ac beneficiorum Ecclesiasticorum, quorumcunq; feudorum,indultorum, privilegiorum, concessionum, facultatum, privationum pœnis, ipso facto incurrendis ipsis legatis ac prælatis utrobivis existentibus, nec non quibuscunq; personis, quacunq; Ecclesiastica seu mundana præfulgeant dignitate,ne interim, pendente hujusmodi cognitione,aliquid in ejus præjudicium attentare,aut renovare audeant vel præsumant: decernens ex nunc irritum & inane,si secus à quocunq; super his sciẽter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandans igitur sub eisdem pœnis, tam legatis ac prælatis, Bononiæ sub concilii nomine commorantibus, quàm prælatis Tridenti existentibus,ut aliquos ex eis,vita,moribus,& scientia commendabiles, & ad hoc instructos & peritos,(qui,postpositis odiis,conciliatis animis,& Spiritu sancto,non autem passionibus,repleti dicant, quid sentiant) quantò citius mittere procurent: monens Episcopos omnes,&quoscunq; alios,sua interesse putantes,ut infra mensem, à die intimationis præsentium computantes,per se,vel per alios,ut in præsentia ejus compareant propterea coram sua sanctitate, vel ipsis judicibus,ad allegandum,deducendum,probandum, quicquid allegare,deducere,probaréve voluerint,ut in præmissis.

Veruntamen pendente hoc translationis judicio,ne ulla ex parte sanctitas sua saluti provinciæ Germaniæ deesse videatur: quemadmodum parentem decet nuncios & legatos eò mittere offert, si id præsenti tempori expediens, & ipsi Cæsari & Germanis gratum cognoverit, qui eorum populorum infirmitati præsenti aliqua curatione medeantur.

Finito verò judicio, si quacunq; causa, nulla aut injusta translatio reperiatur, cōcilium Tridenti persequendum omni sua autoritate & studio curabit: in omnem verò eventum S.S.charitate, qua complectitur inclytam Germanorum nationem, nullum officii genus prætermittet,quod in ejus potestate sit,quò minùs eam provinciam ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem revocet, & in ea pristinum Christianæ religionis splendorem restituat: quemadmodum à Deo Opt. Max. votis omnibus precatur,atq; exhortatur illustrissimus D. Orator.

Tædet sanctitatem suam, te cum tuis continuis protestationibus contendere: nec ipsam ægrè ferre credas,Cæs.Majest.ac sancti Imperii jus,cui tantum præjudicare times,si quod competat per te, illæsum perservari,cum illud lædere sua S. nusquā intendat. S.n tamen pariter sanctitatis suæ ac S. Apostolicæ sedis,& hujus sacri senatus jura semper salva,& præservata,nec per has tuas quantumcunq; repetitas protestationes,ac quantumcunque per te & nuper & hac præsenti die gesta & dicta in aliquo læsa,satis est per protestationem per te in præterito consistorio factam, congruè esse responsum: illudq; tibimet,ut illi,qui eam proposuit,ac temet præsente & intelligente,nec non coram eisdem notariis ac testibus datum: quod quidem nec tua probatione indigere, nec ei tua negatione aut inficiatione seu improbatione aliquid juris detrahi posse constat.

Eritis igitur iidem vos & alii, si qui præsentes sitis notarii, de omnibus & singulis rogati & requisiti,ut adhibitis eisdē & testibus,ac cæteris præsentibus,qui pariter ad hoc rogantur & requiruntur: unum vel plura instrumentum seu instrumenta, prout necessarium fuerit,desuper conficiatis,ac in notam redigatis,&c.die 1. Februarii,1548.in consistorio secreto jussu domini nostri sanctiss. legi suprascriptam responsionem ipsi D. Didaco oratori Cæsareo, præsenti & audienti ac intelligenti, præsentibus ibidem,&c. p. 532.

Responsum datum in congregatione Oratori Cæsareæ Maiestatis, die 27. Decembris post Missam,1548.

Cum in ultimo consistorio secreto, illustris domine Orator, sanctissimo domino nostro,nomine Cæsareæ Majestatis supplicasses,ut sua sanctitas universale Conciliū pro salute Germanicæ nationis Tridentum remittere dignaretur, sanctitas sua, sicut Excellentia tua recordari potest, etsi fuisset parata statim ad proposita per te,

quantum in ea erat, respondere: tamen cum ea ipsa non coram sanctitate suâ solum, verùm etiam coram universis his dominis Reverendissimis, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, exponere voluerat, meritò eosdem Reverendissimos dominos pro rei etiam gravitate consulendos duxit, & excellentiam tuam monuit ad revertendum in Consistorium, pro respōso suæ sanctitatis accipiendo. Qua in re ne longior mora interponeretur, negotium cum eisdem Reverendissimis dominis Cardinalibus eo ipso in consistorio discusit, ac de eorum consilio & assensu Reverendissimos Episcopos & Prælatos, qui Bononiæ in concilio sunt, ante omnia consuli debere decrevit. Quod sanè statim sua sanctitas fecit, celeri & tabellario deditâ operâ ad eos cum literis misso, hujus tenoris.

Epistola Papæ Pauli 3. ad Joannem Mariæ, Cardinalem de Monte, legatum in Concilio Bononiensi, &c.

Venerabilis frater noster, salutem. Missus ad nos his proximis diebus à seren. ss. Cæsar. dilectus filius noster Christophorus, tituli S. Cæsaris Cardinalis Tridentinensis, ipsius Cæsaris nomine nobis retulit, Majestatem suam magno studio & diligentia procurasse, ut universa natio Germanica Concilio jam indicto & incepto Tridenti celebrando, se submitteret, prout se submiserat, Addiditq; se habere in mandatis à Cæsare, ut suæ Majestatis ac serenissimi ejus fratris Rom. Regis, & statuum sacri Imperii nomine, à nobis peteret, ut pro unione dictæ nationis, ad gremium Ecclesiæ ipsum concilium Tridentum redire faceremus. Et deinde dilectus filius Didacus de Mendoza, ipsius Cæsaris apud nos Orator, in nostro consistorio, interessentibus (de nostra voluntate, cum ipsi id cuperent) cæteris Oratoribus Principum ac rerumpublicarum, qui apud nos sunt, idem dixit & petiit, ac ne mora aliqua interponeretur, instanter postulavit.

Nos verò, re cum venerabilibus fratribus nostris. S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, communicata, de ipsorum consilio & voto, pro communis pacis conservatione, ac pro evitandis scandalis, & ut tam illud, per quod concilium Bononiam translatum est, quam cætera istius sacrosanctæ synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam ardua, more majorum, ipsius synodi fratres nostros Episcopos & Prælatos, qui ex omnibus ferè nationibus istic sunt, consulendos esse decrevimus. Quamobrem de salute dictæ nationis soliciti, & ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponatur, volumus, ut hæc omnia ejusmodi sacrosanctæ synodi patribus explices ac sancti Spiritus, quo illa regitur, nomine invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ, & S. fidei Catholicæ, ac dictæ nationis reunionem præ oculis habentes; omnia ea maturè examinetis, & perpendatis: & quid ipsi Cæsari à nobis super hoc responderi posse puteris, ad nos scribere non differas. Datum Romæ, &c. die 16. Decembris, 1548. anno 14.

Ipsa autem sacrosancta synodus, auxilio Spiritus sancti implorata, solitisq; orationib. & precibus per Reverendiss. D. Cardinalem de Monte, præsidentem & legatum Concilii, antea lectis, ac literis nostris prædictis alta & intelligibili voce, ita ut nemo ipsarum literarum tenorem commodè intelligere non posset, recitatis: ac re in duabus desuper factis congregationibus discussa, imprimis quidem humiliter a sanctitate sua, & D. Majestate petiit, ut quæcunq; ipsa synodus de hac re, de qua consulitur, responderit, boni consulere, ac pro Dei gloria & Christianæ reipub. salute & pace dicta esse, censere vellent.

Deinde respondit, quòd cum constet aliquos prælatos, (concilio è civitate Tridentina ad civitatem Bononiensem legitimè translato) ibidem post generalem monitionem in publica sessione, ipsa translationis die ab omnibus prælatis facta, post amicabiliter ejusdem Cardinalis de Monte præsidentis & legati, & ejus collegii literas, unicuiq; ipsorum Prælatorum ex Bononia ad civitatem Tridentinam, per specialem nuncium missas, & præsentatas jam per tot menses Tridenti remansisse, & adhuc remanere non sine magno vilipendio concilii: ac fortasse aliquorum scandalo, qui remansionem illam divisionem arbitrantur, proptereaq; minoris autoritatis concilium esse putant: non videt ipsa sacrosancta Bononiensis synodus, qua via, quo modo, quave ratione, (salva dignitate, majestate, honore, existimatione ipsius synodi ac sine pernicioso pestiferoq; in omne ævum exemplo) de reditu ad civitatem Tridentinam deliberare possit: nisi priùs Prælati ipsi Bononiam veniant, & cum reliquis patribus se conjungant, atq; ipsius Sacrosanctæ synodi autoritatem & potestatem agnoscant, & amplectantur: quòd synodus ipsa (ad tollenda scandala in populis suscitata, ac pro Ecclesiæ pace atq; unitate) maximè cupit, ac parvo negotio, ac solo ipsius Cæsaris nutu fieri posse confidit: & de hoc Majestatem suam enixè precatur.

Quodq; eadem sancta synodus non videt, quomodo de hac liberatione tractari possit, nisi priùs certa reddatur, quod ita se natio Germanica concilio Tridentino celebrando submittat, ut fidem concernentia decreta, quæ ibidem promulgata, etiam ab omnibus Christianæ reip. Gymnasiis atque

que insignibus Theologorum universitatibus, & ab omni Catholicæ Ecclesiæ summo assensu, gaudio & applausu recepta fuêre, rata, firma, stabilia, & perpetua futura sint: nec alterius in controversiam aliquam, quovis prætextu, colore, occasione, vel causa deducentur: cùm, juxta sacros canones sanctorum patrum exempla ac statuta, ac Imperiales etiam constitutiones, exploratissimi juris sit, quæ contra unamquamque hæresin coacta semel synodus pro fidei cómunione & veritate Catholica atq; Apostolica promulgasset, non esse novis posteà retractionibus mutilanda: & injuriam fieri reverendissimæ synodo, si quis semel judicata revolvere & publicè disputare contenderit.

Præterea cum rumor increbruerit, quòd prætextu cujusdam vulgaris seu popularis concilii ex omni hominum genere colligendi (quòd Christianum colloquium appellant) mutanda esset forma generalium conciliorum, quæ per Apostolos, & ab Apostolorum tempore per S. Rom. & universalem Ecclesiam celebrata fuêre: posthabito laudab. more sive modo procedendi, atq; indictæ synodi definitionibus hucusq; recento: cupere propterea ipsam S. Synodum de hac ipsa re certam reddi, ac sibi opportunè caveri, antequàm de reditu ad ipsam Tridenti urbem deliberetur. Insuperq; scire antè cupere, quænam cautio dabitur patribus Tridentum ituris, pro suis personis, rebus & bonis ita ut tam singuli quàm universi plena securitate, ac libertate fruantur & gaudeant, & unicuiq; pro suo libitu eundi, standi, ac recedendi libera potestas futura sit; atq; à nemine via facti compelli possit.

Scire etiam ipsam synodum antea cupere, & certam reddi, quæ cautio ipsi concilio dabitur, ut quandocunq; videbitur majori parti, legitimas & rationabiles causas adesse, se ex Tridento ad locum ab ipsa majori parte, eligendum transferendi: itemq; causis, ob quas concilium indictum fuit, satisfactum esse: liberum sit ipsi majori parti, cujusvis contradictione, oppositione seu reclamatione non obstante, concilium transferre, vel etiã claudere & finire.

Ex quibus quidem Excellentia tua cognoscere clarè potest, non posse ipsam synodum de reditu ad ipsam civitatem Tridentinam deliberare antea, quàm præmissa omnia dilucidentur, & declarentur, ac plenè fiant. Quæ tanquam rationabilia, & sanctorum Patrum ac cæterorum conciliorũ decretis conformia, & ad bonum publicum ac quietem reip. Christianæ tendentia, etiam suæ sanctitati & eisdem reverendissimis D. Cardinalibus, ab his qui se concilio submiserunt, sicut tua excellentia asserit, juxta desiderium dictæ sanctæ synodi, antè omnia re ipsa adimplenda, ipsamq; liberationem præcedere debere videntur.

Quantum autem ad sanctitatem suam pertinet, respondet, se omnibus studiis ac votis cupere salutem, pacem & quidẽ ipsius nationis Germanicæ: sicut jam multis & claris argumentis ostendit, & ipsi in primis Cæsareæ Majestati cognitum est: ac paratum esse, ac semper fore, omnia curare & facere, quæ pro ejusdem nationis salute, ad boni pastoris & amantissimi parentis officium quomodolibet pertinebunt: certò sibi persuadens, rem ipsam à pientissimis & optimis Cæsare & rege Romanorum, nobilissimaque illa provincia eatenus peti, quatenus sine scandalo & perturbatione, imò cum pace & concordiâ cæterarum nationum & provinciarum, servata etiam autoritate concilii & libertate Ecclesiastica, fieri possit. Ad quæ omnia sanctitas sua, pro universali ejus curâ & officio, invigilare universaliter debet.

Acta, quæ præcesserunt protestationem Bononiæ habitam.

In nomine Domini, Amen. Noverint universi & singuli, præsentis instrumenti seriem inspecturi, lecturi pariter & auditturi, quòd anno à nativitate Redemtoris & Dom. nostri Jesu Christi, 1548. indictione 6. Pont. S. D. Pauli, divina providentia Papæ III. 14. & invictissimi Cæsaris Caroli V. Rom. Imperatoris optimi max. Imperii 28. regnorumq; suorum 38. die verò lunæ 26. mensis Januarii, de serò, hora circiter prima noctis, Bononiæ, in palatio nobilium ac magnificorum dominorum de Campegio, [dum ibidem convenirent reverendissimus & illustrissimus dominus Cardinalis de monte, & quidam Episcopi ac Prælati numero quadraginta quatuor, vel circa) in nostrorum notariorum & testium infrà scriptorum præsentia, introducti fuerunt in ipsum locum magnifici domini, Franciscus Vargas, procurator generalis fisci regni Castellæ: & Martinus de Soria Velasco Brugensis, Jurium D. D. & ipsius invictissimi Cæs. Consiliarii: quib. coram reverendissimo & illustriss. D. Card. de Monte comparentibus, ut Invictissimi Imp. procuratores Mag. D. Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus petiit, sibi restitui mandatum Cæsareum, quod antea ipsis per ipsum & collegam suum traditum fuerat: quo ei restituto, Reverendiss. & Illustriss. D. Card. de Monte præfatus, mandavit, legi per D. Claudium de la Casa notarium, infrà scriptam protestationem.

Anteaquàm autem D. Claudius protestationem præfatam legeret, ipse magnificus D. Franciscus Vargas, fiscalis Cæsareus petiit audiri, sed reverendiss. & illustrissimus ipse D. Cardinalis de Monte mandavit, ante omnia dictam suam & patrum prædicto- p. 534.

prædictorum protestationem legi. Quam quidem protestationem ipse D. Claudius notarius alta & intelligibili voce legit, cujus tenor sequitur, & est talis:

Protestatio ex parte Papæ.

Licet hæc sancta congregatio cum præsidentia Reverendiss. & illustrissimi D. Card. de Monte legati Apostolici, non debeat & non teneatur audire aliquam propositionem vestram, faciendam occasione mandati Cæs. Majestatis, per vos exhibiti, quod mandatum verè & cum effectu non dirigitur ad hanc S. synodum universalem & œcumenicam, in hanc civitatem Bononiæ legitimè translatam & congregatam: tamen ut nemo unquam possit prætendere, in hac sancta synodo non esse omnimodam libertatem omnib. loquendi: contenta est vos audire, solenni tamen protestatione præmissa, quòd per hanc audientiam & qualemcunq; propositionem vestram, factam, aut faciendam, non intelligit aliquo modo approbare aut admittere personas vestras, nec dicta, nec dicenda, nec facta, nec facienda per vos, juxta tenorem prætensi mandati, & ipsius mandati occasione: & etiam protestatione solenni præmissa, quòd per ipsum mandatum, & quæcunq; exinde subsecuta & subsequenda, non intelligit ipsa S. synodus aliquod præjudicium sibi, neq; etiam Sanctissimo D.N. qui & ipsius concilii caput, inferri: nec aliquod jus ipsi invictissimo Imperatori mandanti acquiri, nec cuicunq; alteri personæ, per quod ipsa sancta synodus minùs possit ad ulteriorem prosecutionem, celebrationem, expeditionem sacri concilii (Deo dante) procedere, & omnia alia facere, quæ sibi videbuntur necessaria & opportuna: reservans sibi nihilominùs ipsa sancta synodus potestatem & authoritatem, omnia & singula præmissa, & quæcunq; ab eis quomodocunq; dependentia & dependenda, & emergentia & emergenda, pleniùs & uberiùs, uno vel pluribus sessionib. per eam celebrandis, prout ipsi sanctæ synodo utilius videbitur, declarandi & decernendi: nec non contra contumaces & rebelles quoscunq; ad pœnas juris & literarum Apostolicarum, & arbitrii ipsius sacri concilii procedēdi, quam protestationem voluit sancta congregatio in principio, medio, & in fine, & semper esse repetitā, & pro repetita intelligi & haberi.

Qua quidem protestatione lecta, Reverendissimus D. Hercules Severolus, ibidem astans & præsens hæc verba protulit: videlicet, & ego, tanquam promotor istius sacri concilii, peto à vobis notariis, fieri unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum vel instrumenta de præmissis.

Deinde magnificens D. Franciscus Vargas, fiscalis Cæsareus præfatus, petiit, sibi dari testimonium & fidem publicam à nobis notariis, quòd non fuit per m[illegible] antea loqui, nec exponere ea, quæ ipse & collega suus habebant in mandatis, quàm legeretur suprà scripta protestatio. Postea alta & intelligibili voce idem magnificus D. Franciscus Vargas, Cæsareus fiscalis fie orsus est & protulit quædam verba, quæ postea in scriptis tradidit D. Claudio notario suprà scripto, quorum tenor sequitur & est talis.

Adsumus, reverendissime D. reverendique admodum patres, Cæsaris domini nostri Romanorum Imperatoris optimi maximi, procuratores legitimi (cujus mandatum autenticum vidistis: nunc igitur solenniter audietis) adsumus, inquam, apud vos, acturi de re omnium maxima, quam & vos futuram jam diu argutati estis, & respub. Christiana summis votis efflagitat, ut vos hac in re æquos præbeatis. Est enim apud omnes in confesso, & ob oculos versari jam videtur, quanta rerū humanarum calamitas eventura sit necessariô, si mordicus persistere velitis in sententia, quam semel haud satis provide arripuistis, & contrà, quanta orbis tranquillitas ac felicitas, si (ut decet vos) velitis in commune consulere, & Cæs. Majestatis voluntatem pro vestra virili fovere.

Verùm ut omnia constent, non tantùm vobis, apud quos nihil novi dicturi videmur, sed universæ etiam reipubl. Christianæ: paulò altius repetemus rem omnem, Sic enim planum faciemus, quàm perniciosè sitis erraturi, si persvaderi nolueritis: & invictissimi Imperatoris domini nostri animus, quàm latè patet orbis Christianis omnibus, manifestus erit. Illud tantùm præfabor, nos nec verbum quidem addituros ex nostri animi sententia: sed bona fide explicaturos, quæ à Cæsarea Majestate in mandatis habemus.

Quo facto, Reverendissimus & Illustriss. dominus Cardinalis de Monte præfatus, respondit ad ea, quæ dictus magnificus dominus Franciscus Vargas, fiscalis Cæsareus dixerat, primò verbo, deinde scripto, ut sequitur.

Adsum & ego, hujus sacrosancti concilii, à sanctissimo D. nostro Paulo, divina providentia Papa 3. vero ac indubitato & certo beati Petri successore, ac Jesu Christi. Domini & redemtoris nostri in terris vicario, præsidens & legatus. Adsunt & hi sanctissimi patres, concilio ex civitate Tridenti legitimè, & ex causis ipsi concilio probatis, translato, ad ipsum concilium cum Dei adjutorio, & Spiritu sancto suggerente, pro ipsius Dei gloria, & reipublicæ Christianæ salute, prosequendum & celebrandum: rogamus Majestatem suam, ut sententiam mutare velit, & nobis auxilium & favorem suum impertiri, ac ipsius concilii

concilii celebrationem perturbantes compescere, sciens, quod concilium impedientes & perturbantes, quacunq; illi dignitate præfulgeant, gravissimas pœnas incurrant. Vtcunque tamen evenerit, quicunque afferantur terrores, nos libertati & honori Ecclesiæ, concilii, & nostro, defuturi non sumus.

Et successive præfatus magnif. D. Magnificus D. Franciscus Vargas, fiscalis Cæsareus, tenens in manibus mandatum Cæs. originale, quod sibi restitui fecerat, illud solenniter præsentavit suo & collegæ nomine: quod quidem erat scriptum in charta pergamena, Imperiali sigillo cereo appenso, non vitiatum, non cancellatum, nec in aliqua parte suspectum, sed in forma publica & solenni scriptum & redactum: & legi alta voce petiit: quod ita lectum statim fuit coram omnibus, per dominum Angelum Massarellum, eratque tenoris sequentis.

Carolus Quintus, divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex. Archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, &c. Notum facimus tenore præsentium, cum pro natione muneris nostri, quo Dei Opt. Max. voluntate fungimur, proque eo zelo, quem erga sacrosanctam fidem & religionem nostram orthodoxam merito gerimus, & ipsius religionis summa necessitate ita exigente, cogamur contra nonnullos, qui se asserunt legationis munere fungi, una cum aliis prælatis & personis in conventu Bononiensi, cui titulum generalis concilii prætexunt, jam congregatis, & deinceps eo nomine congregandis, justam atq; legitimam protestationem facere: id vero ob locorum distantiam coram facere non possumus.

Eapropter de fide, prudentia, & rerum usu honorabilium, doctorum, fidelium, nobis dilectorum, N. Licentiati Vargas procuratoris generalis Fisci nostri regni Castellæ, & Martini de Soria Velasco Burgensis, Jurium Doctoris, Consiliariorum nostrorum, plene confisi, eosdem fecimus, constituimus & deputavimus, ac tenore præsentium, ex certa nostra scientia, & sano accedente consilio, facimus, constituimus, & deputamus procuratores & mandatarios nostros: simul & insolidum dantes eis plenam facultatem & potestatem, ut simul, vel saltem alter eorum qui interesse poterit, protestationem, nostro ac totius Sacri Romani Imperii, regnorumque & dominorum nostrorum omnium nomine, contra præfatos assertos legatos, aliosque prælatos & personas, nomine concilii Bononiæ tam congregatos quam congregandos, solenniter cum verbo, tum scripto proponere, & ad acta registrari petere & obtinere: instrumenta superinde necessaria à notario, seu notariis publicis, adhibitis seu adhibendis, requirere, & omnia alia dicere, facere, gerere & exercere possint & valeant, quæ in hujusmodi actibus requiruntur, & necessaria fuerint, seu quovis modo opportuna: & quæ nos ipsi facere possemus & deberemus, si præmissis personaliter interessemus: & secundum quod à vobis habent in mandatis, promittentes in verbo nostro Cæsareo & regio, nos ratum gratumque habituros, quicquid per præfatos procuratores & mandatarios nostros, vel alterum eorum, actum, dictum, gestumq; fuerit in præmissis, nec quovis modo illis contraventuros esse, dolo & fraude penitus remotis: harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Augustæ Vindelicorum, die 22 mensis Augusti, Anno Domini 1548. Imperii nostri 27. & regnorum nostrorum 37. Carolus, &c.

Perrenottus ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majest. proprium

Obernburg.

Quo lecto, idem præfatus D. Hercules Severolus, repetiit iterum protestationem dictam Reverendiss. & Illustriss. Card. de Monte, & aliorum patrum, idemq; fecit Reverendissimus D. Card. de Monte, præfatus, & dictus magnificus D. Franciscus Vargas, Fiscalis Cæsareus dixit, ea, quæ à se & collega suo dicenda erant, contineri in protestatione statim legenda à præfato collega suo: quam quidem protestationem repetere intendebat, & pro repetita haberi volebat toties, quoties opus esset: eandemque repetitionem protestationis lectæ per ante dictum D. Claudium, Reverendissim. D. Card. de Monte, toties quoties opus esset, fecit, & pro repetita haberi voluit, & declaravit.

Petiitque insuper dictus magnificus D. Franciscus Vargas, fiscalis Cæsareus, & requisivit à nobis notariis, in actis redigi, qualiter Reveren. & illust. D. Cardinal. de Monte, & patres præsentes non consenserunt: & testes per eum nominari admissi forent, ut singulariter & de per se rogarentur de omnibus, per eum & collegam suum dictis & dicendis, sed à nobis conjunctim: deinde præfatus magnif. D. Martinus Velasco, nomine magnifici domini fiscalis Cæsarei, & suo, legit alta & intelligibili voce scripturã Protestationis tenoris sequentis: p. 563.

Sanctiss. Pater, cum respublica Christiana miserabiliter, &c.

Hic debet sequi protestatio facta Bononia,

 qua

qua verbotenus tantum in aliquibus locis à Romanis dissidet sed sensu conveniunt, quam hoc loco recole. Item Regis Galliæ protestatio, aliqua ex parte à Vergerio. in libello de fugienda Tridentina synodo, addita.

Sanctissimis & observandissimis in Christo patribus, conventus Tridentini, &c.

Henricus, divino beneficio Francorum Rex, sanctissimis in Christo, & observandis summopere patribus Tridentini consessus, *S. P. D.*

Hoc imprimis visum est convenire cum cuidam singulari observantiæ nostræ, majorumq; nostrorum in universam Ecclesiam, tum egregio præterea studio erga ordinem vestrum. Patres ornatissimi, quod apud vos minime nos quidem dissimulandum duximus, quib. causis, quam justis, quam necessariis non modo adducti, impulsi, verum etiam coacti sumus, nullum Episcopum, qui nostræ ditionis esset, Tridentum mitere, ad eum conventum celebrandum, qui esset à beatiss. patre Papa nostro Julio indictus, nomine publici concilii: eaq; de causa perscribenda breviter ad vos omnia curavimus, & quæ pro vobis exponenda, & quæ vobis ipsis ista dignitate, hominibus, diligenter & attente perpendenda videbantur: præsertim cum nobis dubium non esset, valde alienum à sapientia, prudentia, integritate vestra, sanctissimi patres, factum aliquid aut nostrum aut alterius cujusdam temere condemnare, quod perspecta diiudicatione à vobis facilime probaretur.

In iis itaque, quæ pro causa nostra scripta mittimus, quæ partim communi omnium partium, quæ præcipuo jure aut profitemur ultro, aut aspernamur à vobis, ac deprecamur necessario quodam deplorato pene injuriæ ac contumeliæ metu, cum à nonnullis, si quis à vobis retineatur humanitatis sensus, aut benignitatis, vehementer ac præter modum videamur oppugnari, qui tantum non repugnaremus quidem, si liceret nobis ab omni justitiæ ac æquitatis instituto & suscepto semel patrocinio recedere.

Sed patres, non secus ac honorarii arbitri, comiter atque benigne uti cui has literas ipsas, ad vos nulla alia de re dedimus, vos vehementer etiam atque etiam obtestamur, eaq; sic accipiatis obsecramus; non tanquam ab ignoto, aut alieno, aut adversario profecta, sed veluti ab eo, qui hæreditario nomine maximus, aut (sicuti loquimur) & perhibeatur, & sit Ecclesiæ Catholicæ filius: quo quidem in domestico ornamento obtinendo, & sustinenda majorum nostrorum & virtutis & pietatis opinione, pollicemur vobis præstantiss. patres, idque à Deo nobis sumere audemus, freti benignitate Domini nostri Jesu Christi, recipimus, spondemus, nos mirificam illorum omnium magnitudinem, vigilantiam, solicitudinem, fortitudinem, religionem, omniaq; præstituros esse studiorum officiorumq; nostrorum: tantum abest, ut dum factam aut illatam ab aliis injuriam necessario cogimur repellere, ut traditam nobis à majoribus nostris Ecclesiæ Catholicæ charitatem deponere, quamvis aut nostra sponte desinere, prosequi quicquid ab ea pertractatum, decretum, constitutum fuerit, quomodovis ab illa per tractari, decerni, & constitui par est.

Dum ne quid interea sincero atq; integro ob hæreticorum vecordiam principi immerenti atque innocenti, aut captiosum compareretur, aut contumeliosum sit, faxit Dom. noster Jesus Christus ipse qui autor est, custos etiam & conservator, Patres amantiss. salutis, incolumitatis, dignitatisq; vestræ, Valet. Ex villa Regia, quæ fontis bellis aquæ dicitur, ante diem Idus Augusti 1551. Sic signavimus.

Henricus Duthier

Protestatoria.

Hæc, sanctissimi patres, quæ post susceptum primum agri Parmensis patrocinium, à Christianissimo Rege, post exortam deinde ea de re gravissimam illam quidem querimoniam, post oblatum postremo proximum hunc tumultum & certissimum civilium armorum intestiniq; belli terrorem ostentatum, rex ipse Christianiss. jussit eum beatissimo patri Papæ nostro Iulio, tum sacro Cardinalium collegio profiteri denunciariq;, quæ totidem prope verbis sunt deinceps exposita, cum facta quædam sua, quæ non modo reprehensione nulla, sed summa laude digna essent, trahi tamen atque vocari in invidiam animadverteret, idque quorundam hominum iniqua interpretatione fieri, eoque dissensionum semina jaci, quæriq; materiam armorum: illud inprimis seduloque curavisse, ut quod integra res esset, & consilii & facti totius rationem illius sanctitati, collegioque accuratissime redderet Paulus à Thermis orator suus, vir equestri dignitate clarissimus, idque eo consilio à se factum esse; ut si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenua illa satisfactione revelleretur: atque ita imminentibus malis, si repudiata pace occasiones armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam, & quoad eius fieri posset, tale ante refutaret.

Itaq; primum omnium illud proposuisse, id quod fecisset, ut eius propugnationem susciperet, qui in fidem suam, quasi in portum aliquem confugisset: sed non videt, qua ratione à quopiam jure possit improbari; quippe cum id nō magis com-

communis cujusdam esset humanitatis ad incertos & rerum & temporum casus, quam opt. maximiq;, ac vere regii animi & liberalis officium. Nec æquum esse, se deteriori conditione haberi, quam cæteros. A se nihil astute actum, nihil subdole cogitatum, nihil commodi alicujus sui causa gestum: sed unius Ecclesiæ tantummodo habitam esse rationē, pro perpetua quadam Francorum regum ac majorum suorum consuetudine: qui illam ipsam non opibus solum suis exornaverint, aut armis extulerint, sed corpora etiam sua gravissimis illorum temporibus, periculis omnibus exposuerint: idque quod fieret, illius causa cœptum esse, his conditionibus esse testatissimum, quas ipse pacis concordiæque constituendæ obtulisset: quæ quidem eo semper spectasset, uti qua de re agebatur, eares ne Ecclesiæ aliqua vel surriperetur, vel eriperetur, quam vellet perpetuo juris ejusdem ditionisq; esse, id unum tantopere contenderet.

Quæ cum hujusmodi essent, neminem sanæ mentis existimare, quicquam à se vel actum vel susceptum, quod non maximum generosissimumq; præstitisset: sed etiam maximis suis sumtibus, ac nullo non rerū suarum dispendio, Italiæ pacem, ocium libertatemque obtulisset, & omni studio suo conatuq; Ecclesiæ dignitatem & autoritatem procurasset: se propterea palam denunciare, atq; testatum esse, si beatissimi Papæ nostri sanctitas hanc justam esse causam armorum decrevisset, ac proinde Italiam, atq; adeo universam Europam bello implicasset, ex quo Ecclesiæ status convelleretur, cum mores, tum religio, tum fidei ipsi9 causa, in ultimum discrimen adduceretur, maximo id quidem cum suo dolore futurum. Sed sibi tamen nihil illorum merito imputatum iri, qui omnia antè fecisset, quo minus illa acciderent, omneisq; propterea conditiones, quæ modo & honestæ & temporis illius essent, non solum ferre, verum etiam accipere voluisset.

Denique concilii quod nuper indictum esset, solutionem (quam, si ad arma iretur, necesse erat consequi) sibi minime assignari posse: orare atque obtestari enixius summi nostri Pontificis sanctitatem, consideraret etiam atque etiam, quanta ex bello semel suscepto damna atque incommoda reip. Christianæ impenderent, eaque ne evenirent (quod pace tuenda facilimum esset) efficeret. Attamen cum hæc tot ac tanta ipse pro se, per suprà dictum illum Oratorem egisset, monuisset, denunciasset, hortatus esset: ut illis omnibus quæ summopere, jure omni divino humanoque niteretur, ullo modo summus Pontifex Christianorum moveretur, ut eam pacem tranquillitatemque tueri deberet; controversias, dissidia, lites, si quæ ipsis inter se principibus Christianis essent, vel minuere, vel funditus tollere, ocium atque securitatem omni ratione celebrando cōcilio parare: Ital æ tamen funestissimum bellū concitare, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset, nova excitare animorum dissidia, aditus ad Concilium omnes præcludere maluisse videretur: eamque omnibus suspicionem inducere, illam ipsam concilii Tridentini indictionem non communis universæ Ecclesiæ utilitatis gratia repetitam esse, sed factam potius conditionem cum iis, quorum privatis rationibus ac commodis illic inserviretur, nullo reclamante, nullo repugnante.

Videri summi Pontificis nostri sanctitatem se excludere, ac fructu optatissimi concilii privare voluisse. Id rerum initia, progressus, exitus consiliorum sanctitatis eius videri declarasse, cum illa de causa nec hoc tempore, nec hoc autore, aut bellum tam perniciosum tanto reip. periculo suscipi, aut tanta ejusdem jactura & calamitate geri debuerit. Claros sæpenumero, & admirabili quadam animi magnitudine principes, dissimulandis gravioribus injuriis, pacem retinuisse, eoq; modo restinxisse initia communis incendii: nunc quæsitam videri ultro, & adornatam, à quo minime debuit, flammæ illiue perniciosissimæ ac luctuosissimæ materiam.

Constituendam fuisse, aut revocandam magis, exemplo sanctitatis illius, concilio ipso jam indicto, veteris Ecclesiæ severiorem disciplinam, ac speciem: non labefactandam, aut deformandam eam, quæ cum paucissimorum hominum religione nititur tum ex pauciorum multo honestate ac moribus agnoscitur. Nec spargenda Christianis principibus odiorum semina, nec obiiciendam Petri princip s Apostolorum naviculam majoribus prope fluctibus, quā ulla unquam majorum nostrorum memoria objecta sit: nec se ab eo concilio, quod magnopere expetivisset rex perpetuo sensu, non modo nomine Christianiss. cujus cum tanta majorum beneficia in Ecclesiam existant, ipse in communi fidei atq; etiam religionis causa nec hæserit unquam, nec offenderit, nec titubarit ullo modo, nec animo futurus sit unquam ab Ecclesiæ Catholicæ rationibus alieno.

Se facere non potuisse, quin apud illius sanctitatem, apud sacrum Cardinalium collegium, dolorem suum exponeret, ac vere & ex animo conquereretur. Illudq; cum conquerendo, tum precando postularet, ne alienum existimarent, aut suo aut majorum suorum more, quod deprecaretur quædam, hoc est, ut nunc loquimur, protestaretur ipse: quomodo quidem omnino

prod

protestatus est, sicut ab ipso jure sibi promissum esse non ignorabat, id est, ne sibi gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato necesse esset. Tridentum ad Concilium mittere suæ ditionis Episcopos: quippe quibus nec liber nec tutus pateret eo accessus, neue id ipsum concilium,
p. 538. à quo excluderetur invitus, tale, quale totius Ecclesiæ Catholicæ aut haberetur aut appellaretur: quia potius privatum existimaretur concilium, quod videretur illud quidem quæsitum & expeditum, non reformandæ restituendæq; disciplinæ, nec sectas optimendi studio, sed quibusdam obsequendi: quoque privatæ utilitatis magis quam publicæ ratio habita esse videretur.

Deniq; nec concilii hujusmodi, eorumue decretis, aut ipse, aut populus Gallicus, aut ullæ Gallicæ Ecclesiæ ministri, in posterum tenerentur: imo vero se testari palam, ac denunciare, ad eadem se remedia ac præsidia discessurum (si necesse videatur) quibus majores sui Francorum reges in re consimili, causaque, uti consuevissent. Nec sibi quicqam antiquius fore (secundum fidei ac religionis integritatem) libertate ac incolumitate Ecclesiæ Gallicæ: nihilominus se hoc profiteri tamen, non hæc ita à se dici, quasi aut cogitaret ullo modo, aut haberet in animo meritam ac debitam à se S. Apost. sedi observantiam & obediendi conditionem, aut excutere, aut diminuere; quin contra operam daturum esse, ut magis ac magis indies se dignum probaret hoc Christianiss. regis cognomine, hocq; max. ecclesiæ ac fidei elogio.

Animi hujus sui ac studii propensionem ad feliciora melioraq; tempora reservari cum S. hoc humano generi, ac præcipue reipub. Christianæ summis ipsius ac populi totius Gallici votis, Dei Optim. Max. gratia tribuisset, ut honeste depositis armis, quæ essent parum modeste illata, & motiones animi componerentur, & hoc modo pax ipsa conveniret. Se præterea supplicare cum ab eius sanctitate, tum ab ipso collegio postulare, uti ne moleste ferret, si ipse professionem, instationem, denunciationem, deprecationem in acta referri peteret, sibique justitiam his de rebus publicæ confici, quibus quotiens aut tempora aut res poposcissent, uti posset ad superiorum omnium fidem: sibique ut ad singula responderetur, rogare, ut his de rebus omnibus Christiani nominis principes, populos, civitates liceret certiores facere.

Nunquam itaque S. Patres, cum vobis promtum sit, ac facile, notum Christianiss. animum, & explicatam apertamq; facti consiliique sui mentem perspicere: potestis etiam statuere, nec hunc ordinis istius conventum ab illo sperni, nec authoritatem gravitatemque non magnifieri: sed præreptam potius hujus celebrandi facultatem, quod vos accepturos confidit, ornatiss. Patres, ut nec de illius religione dubitare possitis, nec de animo erga vos totamque ecclesiasticam administrationem secus ac commodum est judicare: in quo uno vestro judicio adversus malevolorum & iniquorum hominum sermones, satis adversus suggillationes argumenti, simul acquiescere, & innocentiæ suæ conscientia, officiorumque suorum.

In quibus Regis literis, ubi in ipso statim primordio deprehensum est, concilium simpliciter appellari conventum, gravis summo cum clamore contentio orta: & ex legato regio quæsitum, quare non potius proprio nomine appellaret Concilium? an quia tale non agnoscitur? Post longam, atque adeo scurilem disceptationem, surrexerunt omnes, secum trahentes legatum, & super hæc re seorsum deliberaverunt: unde redeuntes, quidam Papalis Doctor easdem regis literas tali tenore repetit, &c.

Paulus III. Pont. Max. Carolo V. Imperatori.

Charissime fili, salutem & apostolicam benedictionem. Ex edicto Majestatis tuæ acta conventus tui Spirensis cognovimus, de quibus cum paternus noster erga te amor, tum vero officii & muneris à Deo nobis per Christum commendati ratio in cura universalis Ecclesiæ, ut apertis verbis te admoneamus, compellit. Nec vero parum nos ad hoc movet grave severitatis divinæ in Heli sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & ad eorum errata conniventem extat severa illa Dei in hæc verba sententia: *Quia indigna noverat agere filios suos suos, nec corripuit eos, idcirco, inquit Deus, non expietur iniqnitas domus eius victimis & muneribus usq; in æternum.*

Hæc quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum primum, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta hincque posteritas à sacerdotio repulsa, verbum Domini verum & rarum fecerunt.

Nos vero fili, cum te indigna quædam decreta in conventu Spirensi ex ipsis actis animadverterimus edidisse, indigniora vero designata esse, & talia, quod si propositum exitum, quod Deus avertat, consequantur, non solum te in certissimum animæ salutis periculum adductura, sed Ecclesiæ paci atque unitati, cui super omnia studere debemus, majorem quam qua hactenus laborarint, perturbationem sint allatura.

Noluimus sane prætermittere, qui te à Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, his nostris literis de tanto tuo & Ecclesiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem te non ut Heli liberos

liberos admonendum duximus, quos depravata voluntas & consuetudo peccandi indociles prope ad rectam disciplinam reddiderant, sed ut eum potius, qui multorum annorum cursu non abiit in consilium impiorum, quo majorum in spem venimus, non frustra nos admonitione paterna esse apud te usuros.

539. Omnia vero (fili) in eo sunt, si ab unitate Ecclesiæ te abduci non sinas, à consuetudine majorum tuorum religiosissimorum principum non recedas, sed eundem, ut debes, morem in omnibus, quæ ad Ecclesiæ disciplinam, ordinem, & instituta pertinent, observes, quem multos annos summa cum pietatis animi tui significatione edidisti. Is vero est ejusmodi, ut quoties de his, quæ ad religionem pertinent, discrepatur, ad sedem Apostolicam omne judicium semper referatur, nihil illa inconsulta statuatur.

Tu vero nunc fili, cum vel de concilio generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis ecclesiæ rebus & ipsius imprimis Germaniæ mentionem facis, vel de nationali, cujus etiam meministi, vel de futuro ad proximum autumnum Imperiali conventu, in quo de religione, cæterisque rebus quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statuis, ut supprimas eius nomen ubiq; cui divina & humana jura approbante tot seculorum consensu, supremam cum cogendi concilia, tum statuendi de his, & ordinandi, quæ ad Ecclesiæ unitatem utilitatemque spectant, authoritatem dederunt.

At vero neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur Ecclesiæ & Majorum abs te morem atq; institutiones divinas minime servatas fuisse, sed alia præterea, & ea quidem non pauca, peracti jam conventus decreta leguntur, quæ maxime, & omnem legum ordinem confundunt. Nam quod laicos de rebus spiritualibus judicare vis posse, neque laicos modo, sed nullo discrimine laicos, & damnatarum hæresium assertores, quod de bonis Ecclesiasticis, & de eo- turis controversiis statuis, quod eos, qui extra ecclesiam sunt, & per edictum tuum pridem damnati, honoribus, pristinis in judiciis ac tribunalibus restitutis, atq; hoc pro tua & imperatoria potestate facis, minimo approbantibus cæteris, qui antiqua & sancta obedientia perseverant.

Quid tandem horum cum divinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuo Ecclesia est gubernata, convenit? Quæ omnē potius disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum cœtus regi potest, ab Ecclesia prorsus tollunt. Hoc vero quo magis ab omni recta disciplina, & consuetudine majorum sunt aliena, eo minus nobis persuadere possumus, è tuo ipsius sensu illa unquam emanare potuisse, sed eandem pietatem animo tuo suppressam quidem ad tempus malorum consiliis, qui huic sanctæ sedi sunt rebelles, putamus, qui si à te impetrare non potuerunt, ut quæ contra iam volebant facere, probares, saltem ut ejusmodi edictis aliquam abalienati animi tui significationem dares, abs te contendisse, facile possumus existimare, impetrasse vero tanto magis debemus, quanto id tibi & Ecclesiæ, nisi cito ad teipsum redeas, majori damno & detrimento fore nobis maxime est persuasum, quod non possumus non indies magis magisque timere, quo attentius consideramus, quibuscum amicitiam inieris.

Si enim, ut inquit *Apostolus*, corrumpunt bonos mores colloquia mala, quanto gravius, si quis cum malis conjuncta consilia & fœdera habeat, hoc de eo timendum erit. Quamquam quidem non dubitamus, sub specie tatis, utilitatis, honoris ad hæc eos te solicitasse, sed nullum prorsus est tam malum consilium, quod non specioso aliquo ejusmodi nomine quasi veste preciosa se ornet.

Tu vero (fili) interroga potius patrem tuum, & annunciabit tibi: majores tuos, & dicent tibi. Si enim omnes una voce te ad unitatem Ecclesiæ atque honorem & obedientiam hujus sanctæ sedis hortabuntur atque jam pridem facti ipsis sunt hortati, si vero sanctissimum quenque & in divinis legibus peritissimum consules, gravissimas in eos divinæ iræ vindictas proferent, qui quacunque de causa, quacunque pietatis specie adducti, summi sacerdotis munera sibi sumere voluerunt: est vero ea maxima, quam rebelles adducere solent, cum principes, ut eius cathedram ascendant, atq; ut jus & authoritatem cognoscendi causas religionis & judicandi sibi assumant, hortantur.

Sacerdotum enim negligentia pro stimulo ad impellendum eos utuntur, ut Ecclesiæ curam in componendis religionis controversiis, & in ordinandis Ecclesiæ rebus, in se suscipiant. Quis enim hoc factum non dignum summa laude judicet? Nemo quidem, si factum tantum respiciatur.

Sed ut in domo bene instituta, in qua divisa officia & munera non licet unicuique pro suo arbitratu omnia exercere, etiamsi singula in suo genere sint præclara, quod qui tentant, quamvis bono id animo faciant, à patre tamen familias merito reprehenduntur, quippe qui suo intempestivo zelo, quod pulcherrimum est in domo, nempe ipsum ordinem, sine quo nulla domus diutius stare potest, quantum quidem in ipsis est, tollunt: & prudentiæ eius, qui illum instituit, summam injuriam faciunt: sic prorsus in Ecclesia Christi, quæ est domus

Dei,

Dei, in qua omnia munera sunt dispertita, & singula singulis ita distributa, ut inferiores superiorum officiis non fungantur, eo minus licet ordinem perturbare, quo majore prudentia est ordinata Ecclesia, quam de ulla domo cogitari possit. Estque ea semper gravissima in Dei prudentiam ac sapientiam injuria. A: omnes hoc vident, sed nec te etiam satis adhuc videre arbitramur, Cæsar, quantum injuriæ inferas divinæ providentiæ in hac domo Dei, in qua supremum munus sacerdotibus est commendatum, cum horum tibi partes & honorem sumis. Nec vero vidit Ozias, eum honoris causa arcam Dei curru boum vectam prosequens, illis calcitantibus, manu admota, dum ruinam timet, sustentare voluit. Quis vero hominum hoc factum improbare ausus esset? Vel quis non potius illud summopere laudaret, sacerdotib. absentibus, in præsenti periculo ruinæ ipsius arcæ, quam bos lasciviens (ut inquit Scriptura) jam inclinaverat, manum, ut eam sustineret, admoverit.

p. 540.

Nemo quidem hoc non ut pie factum laudasset, nisi severitate vindictæ minime id sibi gratum fuisse Deus ostendisset, cujus quidem ultio Ozam statim è vita sustulit, nullam aliam ob causam (Scriptura testante) nisi quia temere quod ad Sacerdotum & Levitarum officium pertinebat, supplere ipse ausus esset. Tantum vero peccatum in hoc fuisset, quis unquam cogitasset?

Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit, ne in eundem divinæ iræ laqueum incidamus. De quo nunc (fili) te admonere volumus, ne fallacibus illorum persuasionibus adductus, qui in ore semper habent reformationem Ecclesiæ, in tanto non bonum, sed sacerdotum quasi lascivientium cœtu, quorum illa humeris sustentatur, tu manus temere admoveas: est enim hoc sacerdotum Dei munus atque officium. In eundem vero laqueum inciderunt Dathan & Abyron atque Core, qui ægre ferentes in sancto populo, unum præ cæteris dignitate summi sacerdotii fulgera, se tam Moysi quam Aaroni opposuere cum dicerent, sufficit vobis, quod omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, qui elevamini super populum? Licet vero hæc verba contra ambos dicta videantur, tamen Moyse interprete didicimus, omnis eorum indignationis causam, summum sacerdotium Aaronis fuisse. Non enim ubi omnis multitudo est sancta, virum aliquem eminere dignitate æquum esse censebat.

Quam vero graviter hæc res displicuerit Deo, insigne in eos divini judicii & severitatis exemplum ostendit, quos terra dehiscens, una cum universa supellectili & omnibus bonis vivos absorpsit. Hæc vero vetera nunc recito, quia (ut inquit Apostolus) in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt, ut discant omnes, si in sacerdotio quod deserviebat tabernaculo & umbræ, quoque una cum tabernaculo abolendum divina providentia statuerat, tantam curam Deus ostenderit, ut nec minimam quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiserit: quanto major reverentia tribuenda sit illis sacerdotibus, qui non amplius serviunt typo & umbræ abolendis sed ipsi vero tabernaculo quod nunquam transferetur? quantoque minus de mutatione vel minimæ ordinationis, quæ ad eos pertinet, cogitare debeant?

Quanto denique gravius & magis intolerabili superbia putabimus eos in divinam providentiam peccare, qui vel hanc confundere vel ad se transferre postulant, vel alio modo de illa statuere volunt, quã longa Ecclesiæ consuetudo fundata in testimoniis scripturarum promittit, & declarat? Quocunque vero modo, quacunque specie pietatis proposita hæc tententur, radicem quidem mali superbiam, Deo semper odiosam esse non est dubium.

Sed ad id, quod maxime declarat Oziæ Regis exemplum, in quo simul & radicem hujus mali, & gravem illius vindictam Scriptura nobis exprimit. Hic autem Rex alias laudatissimus, idque testimonio Scripturæ, in hoc tantum superbiæ arguitur, quod incensum ad altare thymiamatis adolere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam potius, quam superbam indicasset? Sed spiritus DEI in scriptura cum ad hujus facti narrationem pervenit, elevatum, (inquit) est cor Oziæ.

In quo vero elevatum, nempe quod alieno ministerio fungi voluit, de quo postquam à sacerdotibus admonitus, nec illis paruisset, statim à Deo lepra est percussus. Hæc vero nunc charissime fili recensemus, ut intelligas, si superbum fuit Oziæ factum in adolendo incenso super altare thymiamatis, quanto superbius esset hoc tantum adolere incensum super altare corporis Christi, cæteraq; quæ religionem ipsam comitantur, persequi. Quid autem, an non putas hoc incensum esse coram Deo, leges de religione sancire.

Est quidem incensum, idque omnium Deo gratissimum (Nullum enim odorem tibi persuade Deum gratius suscipere:) sed non tuum munus illud, Imperator, est sacerdotum Domini, est nostrum imprimis, quibus Deus potestatem ligandi & solvendi dedit. Vide vero, in quam tum partem templi intres, cum hodie tibi ministerium sumis, non quidem in atrium aut in sancta, ut Ozias, non enim tantum sanctum est hoc factum, sed sanctissimum.

Cum

Cum ergò prudentiâ tuâ hoc tu penetras, in domum Domini tu penetras, & in sancta sanctorum, atque ipsum corpus Christi penetras, ejus officium tibi arrogans: nec te excusat, quòd sanctum sit factum, vel quòd non perpetuas, sed ad tempus hoc est, usq; ad futurum concilium duraturas leges laturum te esse dicas: ut enim id per se pium sit, tamen in eo, cui Deus hoc ministerium non dedit, maximè est impium.

Sumis enim tibi jam personã, quæ propria est *Dei*, cui solùm de sacerdotibus judicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam sumere licet. Dei enim vox est ad malos sacerdotes, Ego ipse (inquit super pastores) requiram gregem meum de manu illorum: quod ut suo tempore penitus facturus est Deus: ita si quis interim quasi de manu ejus præripere hoc tentaverit, is semper pro tali ausu, gravissimas pœnas dedit, veluti contrà nullo unquam seculo intermisit certis quibusdam signis testari, illos majoribus gratiis tum interius tum exterius, & omni genere bonorum dignos esse, qui augendo & ornando sacerdotum genus, Ecclesiæ suæ unitatem ad principem sedem auxilio & gratiâ foverunt, ut in Constantino Magno, in Theodosiis, in Carolo Magno accidisse videmus, quibus nulli nunquam Christiani Imperatores vel divinis gratiis, vel victoriis illustriores fuerunt.

141 Contrà verò Deus, eos qui sacerdotibus restitêre, non solùm passus est in omne genus turpitudinis labi, sed sæpè & insignib9 quibusdam pœnis in testimonium divinæ iræ suæ castigavit. *Nec* verò de illis loquimur, qui Ecclesiam nascentem adhuc, extinguere sunt conati, Neronibus, Domitianis, & ejusdem generis reliquis: sed de his qui illam persecuti sunt, jam adultâ ætate, incipientem in principes authoritatem sui muneris exercere, postquàm constituta *jam* & confirmata est Petri sedes in oculis omnium principum.

Qui verò hujus authoritati restitêre, à Deo sic castigatos constat, ut manifestè appareat, quàm grata sit ac semper fuerit Deo hujus sedis obedientia: contrà autem quàm ingrata & odiosa in eandem inobedientia. Inprimis cum ex Imperatoribus, qui in apertam defectionem & contemtum hujus sanctæ sedis erupit, legimus fuisse Anastasium primum, quem à Gelasio Pontifice Rom. admonitum, ne Acatii Episcopi Constantinopolitani à sede Apostolicâ damnati partes solveret, cum nec monitis ejus paruisset, & Hermasdæ ejusdem successoris legatos, ad eum eâ de caussâ missos, ut à communione cum hæreticis desisteret, contemtim primùm auditos contumeliosè dimisisset, divina tandem ira fulmine è vita sustulit.

*S*eqvuntur hujus impietatis successores, sed per intervalla, multi alii Imperatores, quales fuêre Mauritius, Constans secund9, Justiniani, Constantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare longũ esset, qui diverso quidem genere mortis, sed omnes aut violento aut ignominioso, spoliati antea imperio & omni dignitate perierunt, ut manifestè appareat in eis ultrix inobedientiæ, vindicta divina. Quæ series usq; ad Henricum illum perduci posset, qui cum gravissimè sedem Apostolicam vexasset, tandem eum à suo filio captum Leodii, ultio divina in carcere mori fecit: justissimam quidem inobedientiæ pœnam ab ipso repetens, ut à filio castigaretur, qui eum, quem patris loco divina providentia in Ecclesiâ constituerat, tot modis vexaverat, ejusq; authoritatem neglexerat. Id quod & de Friderico secundo dici potest, nisi quòd infeliciori mortis genere est sublatus, qui filio suo ipso carnificis munere fungente, strangulatus interiit.

Tametsi a. Deus non semper hoc modo rebelles castigare soleat, quandoquidem nonnullos desideriis suis frui permittat, ut quod ad externam castigationem attinet, impunè peccare, & in magnâ rerum omnium affluentiâ quasi felices vivere videantur: id tamen eâ ratione factum à divinâ providentiâ sancti Patres piè existimaverunt, ne, si omnes hi impii castigarentur, nullum aliud tribunal divinæ justitiæ reliqvum esse, homines judicarent.

Quosdam ergò hic in aliorum exemplum, Deus, ut justus agnoscatur, apertè castigat: quosdam verò dum hîc castigare dissimulat, ad tribunal suum futurum severius judicandos referunt. Nullum verò peccatum impunitum dimittit divina justitia. Ea autem omnium gravissima est castigatio, cum ii qui *D*eum gravissimè offendunt, impunè id se facere existimant. Omnes enim tales cæcitate mentis sunt percussi, & in passiones, ignominias ac in reprobũ sensum traditi, quæ ceu propria impiorum flagella Apostol9 numerat.

Cum autem hæc omnibus impiis sint communia, tum verò maximè illorum propria, qui suam impietatem in oppugnandâ principe sede & in Ecclesiæ unitate scindendâ exercuêre, hoc quidem in quibusdam animadvertimus, qui quò pluribus (dum sanctam erga illum obedientiã eruârunt) virtutibus splendere sunt visi, eò magis post impiam ab eo defectionem in prodigiosas animi passiones avaritiæ, libidinis & crudelitatis fuerunt traditi: id quod Anastasio ei, de quo suprà mentionem fecimus, evenisse historiæ narrant.

Similibus verò exemplis in hâc nostrâ ætate utinam quidem careremus. Nec verò in singulos tantùm homines hæc ultio di-

vina, castigans eorum inobedientiam erga hanc principem sedem, est pervagata : sed in nationes etiam ac provincias, in quibus videmus, cum gravissimè omnium ii sunt castigari, qui Christum Dominum habere recusarent, proximum miseriæ locum eos sortitos esse, qui Vicariis Christi aut veritati restitêre. Duas verò nationes à Deo inprimis castigatas, atq; afflictas videmus quæ olim florentissimæ fuerunt. Quarum una pertinax in negando Christo permansit, altera aliquandiu cum Vicario ejus præ ceteris omnibus contendit.

Illa est Judæorum, quâ nulla majori miseriâ est oppressa; hæc verò Græcorum, quæ proximè ad miseriam Judæorum] accessit, quia proximè ad eorum impietatem accesserat. Quare si Christus ipse in cæteris Imperatoribus, Regibus, populis & nationibus nunquam inultam tulit Vicarii sui spretam authoritatem: ea interim perpetuâ successione conservata, si tum severis judiciis eorum inobedientiam castigando odiosus sibi semper fuisse hujusmodi conatus ostendit: quantò in te Cæsar, si [quod Deus avertat) hanc oppugnares, cum apud Deum, tum apud homines hoc odiosius judicaretur, qui ex illis Imperatoribus originem ducis, qui non plus honoris sedi apostolicæ detulerunt, quàm ipsi ab eâ receperint?

At neque hæc charissime fili scribimus, quasi ullo modo nobis persvadere possimus hujusmodi te consilia in animo rata & confirmata habere: sed ut amans Pater, salutis filii & honoris, ac de utroq; solicitus, simulatque edictum editum ipsius *Spirensis* conventus vidimus, te admonendú duximus, eò quidem gravius, quò magis exploratum periculum, in quo versaris, habemus.

p. 540 Deniq; si pluribus dissvasimus, ne in disceptationes super his, quæ ad religionem pertinent, componendas, jus tibi vel authoritatem sumeres: non ob id scripsimus, quòd disceptationes componi non maximè optaremus, qui (teste nostrâ conscientiâ) ut hoc ritè fieret, vitam & sanguinem libenter effunderemus: sed ut exemplis, cum ex divinâ *Scripturâ*, tum ex ecclesiasticis historiis citatis, te admoneremus, ne, quod ad tuum ministerium non pertinet, ipsi non arrogares, & pro tuâ & imperatoriâ dignitate juberes: sed potius *Constantini Magni* servi Dei maximi, ac fœlicissimi Imperatoris, exemplo te hortamur, quod tantùm facimus, ut eos primùm suo judici & suis judicibus judicandos & corrigendos relinquas.

Ille verò cum rogatus esset ab ipsis sacerdotibus, ut in eorum disceptationibus se judicem præberet, prorsus recusavit. *Cujus* verba in hanc sententiam ab historiarum scriptoribus, qui affuerunt, citantur: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; judicandi: & ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos expectare judicium, & vestra jurgia, quæcunque sint, ad illud divinum reserventur examen.

Hæc ille Magnus non tam imperio, quod erat maximum, quàm pietate & ceteris virtutibus, dixit: cui te Cæsar in omnibus persimilē esse cupimus & optamus.

Quòd verò præ te fers studium & desiderium, ut componantur controversiæ in religione, & ut aliqua disciplina morum in universâ Ecclesiâ renovetur, te in hoc quidem magnoperè laudamus, & abs te petimus, ut in hoc operam tuam præbeas, cen cui Deus curam hujus ministerii commisit. Ut enim te tanquam caput in rebus hujusmodi tractandis minimè ferendum censemus, ita tanquam brachii accommodatissimi tuam inprimis opem desideramus.

Hoc verò nostrum desiderium fecit, ut ad minimā quanq; spē cogēdi cōsilii œcumenici non solùm nos semper promtos præbuerimus, ad illud indicendum, sed ubi vel minima spei scintilla eluxerit, cogi posse, eò statim legatos miserimus: quemadmodum ultimo loco etiam fecimus, quanquam non cū eo fructu, quem assiduè optamus: sed maluimus sanè omnia tentare, quàm vel minimæ occasioni deesse, quam à divinâ bonitate semper expectamus.

Cum autem universalis Ecclesiæ utilitatis causâ concilium fieri summopere cupimus, tum verò præcipuè illius inclutæ nationis Germanicæ, quæ jam pridem discordiis, in his quæ ad religionem] pertinent, plurimum vexata dissidet, cujus salus (ut tua etiam Majestas fatetur] commodissimè per generale concilium opitulari nos posse, semper speravimus. Horum autem consiliis, qui jam ab hac sede sunt damnati, te usum esse, nunc conquerimur, quòd semper hos remotos a tuâ amicitiâ esse cupiamus: aut id quæramus, quia semel damnati, ut semper damnati maneant.

Testis enim nobis est Deus, quàm nihil magis in votis habeamus, quàm ut oves perditas ad *Dominicum* ovile reducamus, & ut illam nobilem provinciam universam in fide & religione cum capite & reliquo corpore in omni amore atq; amicitiâ conjunctam videamus, idq; ob eas, quas diximus, causas.

Sed tu nunc (dum ii in discordiis cum capite & reliquo corpore manent, de iis qui tales sunt, loquimur, cum extra ecclesiam, tum per edictum etiam tuum damnati) eorum amicitiam pluris quàm

pas

pareſt facis, dum indulgentius eos tractas: cum hæc tua indulgentia & præteritorum edictorum declarationes ſeparatim à te factæ, non ſolùm hactenus illis non profuerint, ut ad ſaniorem mentem redirent, ſed potius, quod reipſâ compertum eſt, occaſionem dederint, ut inſolentiores ſint facti, & ad occupanda vicinorum bona animoſiores, diſſidium certè ipſorum magis hoc modo fovere quàm tollere videris.

Sed hæc quia ad meliorem formam, non iis quidem viis alienis ab omni more & conſuetudine majorum, atq; ab ipſo jure divino, ſed per generale concilium optimè perduci potuiſſe, ſemper in Domino ſperavimus, & nunc etiam ſperamus, ideo nos plus illius provinciæ comodis, quàm ullius alterius conſulentes, ad Germaniæ fores Tridentum usq; legatos noſtros miſimus & vocavimus, & non erat qui audiret venimus & non erat vir.

Verùm nec propterea deſiſtimus, ſed adhuc vocamus, & clamamus ad te & ad cæteros principes, clamamus verò cum Prophetâ Davide: Venite ploremus coram Deo, nec enim aptius principium concilii eſſe poterit: & cum Daniele: Oro pro peccatis meis & populi, accuſo, confiteor, obſecro, Domine peccavimus, iniquitatem fecimus, & impiè egimus & receſſimus, nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, principibus & patribus noſtris, quia peccavimus: tibi autem Domine miſericordia eſt & propitiatio.

Ad tale ergò concilium te vocamus, in quo angelos aſſeſſores habere ſperamus, qui ſi ſuper uno peccatore pœnitentiam agente gaudent, quanto magis ſuper univerſâ Eccleſiâ, cujus ipſi pars ſunt ad pœnitentiam congregata, gaudebunt? Huc accedit, quòd ſaluti Chriſtiani populi ab imminente potentisſimo & perpetuo nominis Chriſtiani hoſte Turcarum tyranno, quo pacto niſi per Chriſtianorum conjuncta in fide & charitate auxilia conſuli poſſit, non videmus. Quare ſterne viam dilecte fili, ad tale concilium.

Hoc enim tui muneris proprium erit, ſternes autem ſi vel pacem reddas, quantū in te eſt, Chriſtiano populo, tantopere ab omnibus expetitam: vel ſaltem arma cohibeas, dum Eccleſia in concilio congregari poſſit, ubi æquius eſt quàm per vim veſtras diſceptationes decidi. Hoc verò tu & cæteri Chriſtiani principes, quos etiam atq; etiam de eadem hac re admonebimus, præſertim verò eum, quo cum bellum geris, faciatis. Jam concilium adeſt, jam pridem enim indictum eſt, neq; verò abruptū eſt, etſi bellorum causâ in commodius tempus dilatum.

Itaq; huc (chariſſime fili) incumbe, & hanc lætitiam primùm populo Chriſtiano, qui jam pridem inteſtinis bellis eſt atteritus, redde.

Deinde verò nobis, qui te nihil charius in terris nos habere judicamus, qui primogeniti apud nos locum in amore tenes, idque ſpecimen divinæ in te virtutis præbes, ut non modò patrem, te piè monentem non averſeris: quod faciunt ii, quos Deus in ſignum abdicationis, ſuis deſideriis tradit: ſed ut eundem ad te, tanquam Deo jubente, tali tempore miſſum, qui labantē ſuſtineat, & magno animæ ſalutis periculo liberet, omni pietate amplexeris, ejus vocē libenter audias, monitis obtemperes, ſatis verò obtemperabis, ſi cum te à ſemitâ ſanctâ, ut appellat Propheta, quæ eadem eſt regia via, majorum tuorum, religioſiſſimorum principum, humana conſilia ut hominem deflectere potuêre, huc ſtatim de eâ, qualis ſit, admonitus, divinam indolem proferens videas, atq; ita in animum inducas, nullum ut in iis, quæ ad religionem pertinent, tibi jus & authoritatem vindices, ſi divinam inſtitutionem & Eccleſiæ conſvetudinem ſequens ab ipſis conventibus imperialibus, à quibus abſunt, qui authoritatem de ejusmodi rebus cognoſcendi habent, omnes de ſacerdotibus atque de religione diſceptationes prorſus excludas, & ad eorum proprium tribunal rejicias, ſi de bonis Eccleſiaſticis, quorum judicium ab ipſo Domino, cui ſunt conſervata, ſacerdotibus relinquitur & commendatur, & ipſe nihil ſtatuas: ſepoſitis armis aut ſtudeas paci, aut ſi aliter pax cōciliari non poteſt, concilio generali judicandi de iis, quæ tam pernicioſa bella in populo Chriſtiano tam diu alunt, poteſtatem facias.

Si deniq; ea, quæ per nimiam indulgentiam rebellibus huic ſanctæ ſedi, & contumacibus conceſſiſti, ipſe reſcindas ac tollas, Hæc enim (chariſſime fili) cum ita ſint, quæ tuam ipſius animam in magnum ſalutis periculum adducant, & Eccleſiæ pacem magis magisq; perturbent, facilè videre potes, niſi per te quam primùm his malis remedium adhibeatur (quod te facturum ſperamus) in quas anguſtias ſis nos compulſurus: ut aut officio aut muneri nobis à Deo per ejus Filium dato deeſſe cogamur, cum omnium maximo Eccleſiæ detrimento: aut iterum ſeverius agere, quàm vel conſvetudo noſtra, vel natura, vel voluntas ferant. Quanquam in officio quidem deeſſe in tanto Eccleſiæ diſcrimine, nec debemus prorſus, nec volumus, quantum per ejus gratiam, cujus vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri poſſumus.

Inſidet enim in animo, & ob oculos nobis obverſatur illud idem, de quo principiò diximus, divinæ ſeveritatis in Heli ſacerdotem exemplum, quem non ob id quidem,

quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorsus abstinuerit. Corripuisse enim ipsum eos satis constat ex Scriptura, sed quòd in corripiendo, ut inquit divus Hieronymus, lenitatem patris, non autoritatem pontificis agebat. Nos lenitate patris integris propè adhuc rebus usi sumus, quibus ex edicti formâ transactis, quod Deus avertat, in Heli exemplo satis video, in quam nos necessitatem sis adducturus.

Quare tecum considera Cæsar, quid te magis deceat, quid ad tuum inprimis officium erga Deum & Ecclesiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat. An ut brachium nostræ severitati in iis, quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinent, præbeas, an potius illis faveas, qui hanc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immensâ misericordiâ suâ, tuam Majestatem ab iniquorum consiliis liberet, ac pacis consilia in tuo corde confirmet, ut unanimes uno ore honorificemus Deum patrem per Jesum Christum, cui cũ sancto Spiritu sit honor per æterna secula. Amen. Datum Romæ apud S. Marc. XXIV. Aug. M.D.XLIV.

Bulla Pauli III. Papæ pro reductione multorum populorum Germanicæ nationis.

Petrus Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Farnensis, Aloysius Veronensis, ac Sebastianus Ferentinus Episcopi, sanctissimi domini nostri Pauli III. Papæ, ac sanctæ sedis Apostolicæ per totam Germaniam nuncii ad infrà scripta specialiter deputati, Reverendo patri Francisco Bonuallat Abbati Luxoviensi, administratori archiepiscopatus Bisuntinensis, salutem Domino, & in commissis diligentiam debitam, nostrisq; hujusmodi, imò veriùs apostolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quòd nuper sanctissimus dominus noster, dominus Paulus, divina providentia Papa tertius, ad instantiam & requisitionem Cæsareæ Majestatis, tam suo quàm totius sacri Imperii ordinis nomine, nos suos & sanctæ sedis Apostolicæ nuncios, pro reductione multorum populorũ Germanicæ nationis, qui ab unione Ecclesiæ se separaverunt, in Germaniam cum infrà scriptis facultatibus, pro receptione eorum, qui ad gremium Ecclesiæ redire cupiunt, ad honorem Dei, augmentum fidei, & salutem animarum: & ut latius in literis ejusdem sanctissimi Domini nostri Papæ sub plumbo expeditis, sub data Romæ apud S. Marcum, Anno incarnationis divinæ millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, pridie Calend. Septembr. Pontificatus sui anno 14. continetur, deputavit, & destinavit. Quarum tenor talis est.

Paulus Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Petro Farnensi, & Aloysio Veronensi, ac Sebastiano Ferentinensi, Episcopis, nostris & Apostolicæ sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis, qui innumeris nos curis circumseptos, in hac procuratione Vniversalis Ecclesiæ, quæ nobis ab illius divina providentia est commendata, ea parte consolari cœpit, qua major dolor urgebat, & majus periculum, nisi divinæ benignitate remedium aliquod adhiberetur, eidem Ecclesiæ imminebat.

Quid enim magis dolendum fuerat Ecclesiæ, (cujus exordium ab unitate proficiscitur, & quam Spiritus sanctus ex persona ejusdem Christi Domini unam esse designavit, dicens: una est columba mea, perfecta mea) & nobis, qui in ejus ministerio, tanquam pro omnibus rationem reddituri versamur: quàm plures qui Christi vestimenta susceperunt, à cæterorum communione suspensos videre? Qui cum nec divisum Christum possent configere, nec Ecclesiam, quæ Christi corpus est, in duo vel plura dividere, ipsam Ecclesiam, sicque indiscissam Domini tunicam, ut de super contextam, per frustra discerpere niterentur. Quod nos & omnes principes Catholicos, qui Ecclesiæ statum salvum & tranquillum cupimus, majore dolore afficit, quòd nunquàm intermittebam Ecclesiæ pacem procurare, tantum aberat, ut quicquam proficeremus, quòd etiam indies omnia in deterius labi experiebamur.

In hoc verò rerum statu, & Ecclesiæ periculo, cum maximè affligeremur: illa nos spe primùm sustentabamur, quam Domini verba in omni Ecclesiæ perturbatione nos habere jubent. Qui futuros graves insultus Sathanæ contra Ecclesiam prædicẽs, remedium simul, & qualis futurus esset eventus, demonstravit, cum ad primos ejus pastores verba faciens, dixit: Sathan expetivit, ut vos cribraret tanquam triticum: Et statim conversus ad Petrum sermone, ait: Ego autem pro te oravi Petre, ut non deficiat fides tua: volens in hoc significare, fidem Petri ejus oratione confirmatam, illam futuram, quæ triticum Ecclesiæ contra omnes Sathanæ tumultus conservaret: qui nõ ullum exitum habituri essent, præter eum, qui cribrandi verbo est significatus, ut Ecclesia purgatior, cum à Sathana agitaretur, fieret: & Petri fides, dum quod purgatum erat, conservaret, redderetur illustrior, ad ejus gloriam, qui pro eo oravit.

Hac igitur spe cum nos primum consolaret,

solaremur, in ea magis sumus confirmati, postquàm concilii œcumenici necessarium & consvetum sedis Apostolicæ remedium ad purganda omnia, quæ Sathanæ malicia in dogmatibus vel in moribus Ecclesiam invaserant, mala, adhibuimus. Cujus quidem fructus cum in aliis provinciis statim appareret, idem quoq; ut in nobilissima & latissima Germaniæ provincia fieret, votis omnibus à Deo optimo maximo petebamus, quam variis ac plurimis in religione dissensionibus & controversiis jam multos annos præ cæteris Christianis provinciis, magno cum animi dolore agitari vidimus.

Cumq; ob id etiam clarissimus in Christo filius noster, *Carolus* Romanorum Imperator semper Augustus, postulaverit, ut legatos nostros in eam provinciam mitteremus, qui pro hujusmodi dissensionibus & controversiis sedandis præsentaneam aliquam curationem afferrunt: eos, qui hoc illi provinciæ maximè salutare, & ad restituendam Ecclesiæ pacem admodum validum & potens remedium esse speramus, ac certò nobis persuademus, brevi gloriam Dei in ipsius Germaniæ unanimitate, ac Ecclesiæ obedientia & unitate visuros: habita super iis cum fratribus venerabilibus nostris, sanctæ Ecclesiæ *Romanæ* Cardinalibus, matura deliberatione, de eorum consilio & assensu, fraternitates vestras, de quarum pietate, doctrina & prudentia plurimum in Domino confidimus, in Germaniam mittendos duximus.

Primùm quidem, ut illis, quorum corda Deus tetigerit, ad fidei Catholicæ unitatem redire, declaretis ob paternum nostrum, quem erga illos animum gerimus, nos non tantùm promtos esse, omni paterna indulgentia & charitate eos benignè amplecti, sed quod ad nos attinet, pro ea potestate, quam à Deo patre misericordiarum per sanguinem filii sui partam habemus, nulla in re restrictos aut difficiles futuros ad eis indulgendum, modò non leges dare, sed accipere velint, præsertim quas acceptas à majoribus nostris ipse Dominus omnium, & Ecclesiæ consensus, & illis & nobis servandas dedit.

His itaq; hujusmodi monitionibus animos illorum in obedientia ac cæterorum communione, quam veram, nisi in unitate, constat esse non posse, omni diligentia vestra confirmabitis: & hoc cum illis vobis agendum est. Et hæc summa mandatorum nostrorum erit, ut in illorum animis pulchritudinem & sanctitatem veteris disciplinæ, qua maximè sponsa *Christi* ornatur, omni mitiore ratione inseratis. Quod si post omnem adhibitam salutarem admonitionem, per vestram conscientiam absq; publico scandalo, quædam de antiquæ disciplinæ severitate remittenda, judicaveritis, quibus in rebus fieri id possit, facultates, quas vobis per præsentes concedimus & præscribimus, extra quas vobis progredi non licebit, declarabunt.

De similibus igitur, consilio & assensu, p. 545.
ac apostolicæ potestatis plenitudine vobis, & cum consensu reliquorum duorum, cuilibet vestrûm: seu, si unus ex vobis legitimo impedimento detentus, interesse non poterit, cæteris duobus, sive omnes & singulas utriusque sexus, tam laicas quàm Ecclesiasticas, seculares, & quorumvis ordinum, vel regulares personas, in quibusvis etiam sacris ordinibus constitutas, cujuscunque status, gradus, conditionis & qualitatis existant, aut quacunq; Ecclesiastica, etiam Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali, aut mundana etiam, Marchionali, Ducali, aut Regia dignitate præfulgeant: etiamsi capitulum, collegium, universitas, vel communitas fuerint, quarumcunque hæresium aut novarum sectarum professores, aut in eis culpabiles, vel suspectas ac credentes, receptores & fautores, etiamsi relapsæ fuerint, eorum errores recognoscentes, & de illis dolentes, & ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes, cognita in eis vera & non ficta aut simulata pœnitentia, ab omnibus & singulis per eas perpetratis, hæreses, & ab eadem apostasias, blasphemias, & alios quoscunq; errores etiam, sub generali sermone non venientes sapientibus, peccatis, criminibusq;, excessibus ac delictis, nec non excommunicationis, suspensionis, interdictorum, & aliis Ecclesiasticis ac temporalibus, etiam corporis afflictionibus, ac capitalibus sententiis, censuris & pœnis, in eos præmissorum occasione, à jure vel ab homine latis & promulgatis, etiamsi in eis triginta & pluribus annis insurduerint, & eorum absolutio nobis & dictæ sedi per literas in die cœnæ Domini legi consvetas, reservata existat. Quorum omnium qualitates, & circumstantias, præsentibus haberi volumus pro expressis, in utroq;, conscientiæ videlicet & contentioso foro plenariè.

Nam ut super legitimo omnibus excessibus & delictis per eas usq; ad diem absolutionis & liberationis desuper faciendorum commissis, nullatenus inquiri, accusari, denunciari, aut molestari possint absolvendi & liberandi, ac aliorum *Christi* fidelium consortio aggregandi. Nec non cum eis super irregularitate per eos præmissorum occasione, etiam cum sic legati missas & alia officia divina, etiam contra ritus & ceremonias ab Ecclesia

hactenus probatas, & usitatas celebraverint, aut illis aliàs se immiscuerint, contracta nec non bigamia per eosdem Clericos seculares vel regulares, verè aut fictè, seu aliàs qualitercunq; incursa, etiamsi ex eo, quòd iidem clerici in sacris constituti cũ viduis, vel aliàs corruptis matrimoniis de facto contraxerint, prætendatur, quodque bigamia, irregularitate, ac aliis præmissis non obstantibus; in eorum ordinibus, dummodò ante lapsum in hæresin, hujusmodi ritè & legitimè promoti vel ordinati fuerint, etiam in altaris ministrare, & quæcunque & qualiacunque etiam curata beneficia, secularia vel regularia, ut priùs, dummodò super eis, alteri jus acquisitum non existat, retinere, & non promoti ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines, ab eorum ordinariis, si digni & idonei reperti fuerint, promoveri, ac beneficia Ecclesiastica, si eis aliàs canonicè conferantur, recipere & retinere valeant, dispensandi & indulgendi: ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam ex præmissis quomodolibet insurgentem, penitus & omnino abolendi, nec non ad pristinos honores, dignitates, famam & patriam, & bona etiam confiscata, in pristinum, & cum, in quo antè præmissa quomodolibet erant statu, item & omnibus & singulis gratiis, privilegiis, favoribus & indultis, quibus cæteri Christi fideles gaudent, & gaudere quomodolibet possunt, uti & gaudere valeant, in omnibus & per omnia, perinde ac si à fide Catholica in aliquo nunquam defecissent, restituendi, reponendi & redintegrãdi: ac eis, dummodò corde contriti, eorum errata & excessus alicui per eos eligendo Catholico confessori sacramentaliter confiteantur, ac pœnitentiam salutarem eis per ipsorum confessorem propterea injungendam omninò adimpleant: omnem publicam confessionem, abjurationem, renunciationem, purgationem, & pœnitentiam jure debitam, arbitrio vestro moderandi, vel in totum remittendi.

Nec non communitates & universitates, ac singulares personas quascunq, à quibusvis illicitis pactionibus & conventionibus, per eas cum dictis aberrantibus, seu in eorum favorem quomodolibet initis, & eis præstitis juramentis, & homagiis, illorumque omnium observatione, & si quem hactenus eorum in occasione incurrerint, perjurii reatum, etiam absolvendi, & juramenta ipsa relaxandi.

Ac quoscunq; regulares & religiosos, etiam in hæresin hujusmodi, ut præfertur, lapsos, extra eorum regularia loca, absque dictæ sedis licentia vagantes, & apostasiæ reatu, & excommunicationis, aliisq; censuris & pœnis Ecclesiasticis per eos propterea etiam juxta suorum ordinum instituta incursis, pariter absolvendi: ac cum eis, ut alicui beneficio Ecclesiastico curato de illius obtinentis consensu, etiam in habitu clerici secularis habitum suum regularem, sub honesta toga presbyteri secularis deferendo, deservire, & extra eadem regularia loca remanere liberè & licitè possint, dispensandi.

Nec non quibusvis personis, etiam Ecclesiasticis, ut quadragesimalibus & aliis anni temporibus & diebus, quibus eius ovorum & carnium est de jure prohibitus, butyro, caseo, & aliis lacticiniis, & dictis ovis & carnibus, de utriusq; sive alterius spiritualis, qui Catholicus existat, medici consilio, aut si locorum ac personarum qualitate inspecta, ex defectu piscium aut olei, vel dispositione personarum earundem, seu alia causa legitima id vobis faciendum videbitur, vestro arbitrio, uti & vesci possint, indulgendi & concedendi.

Nec non feriarum numerum juxta Lugdunense concilium, seu aliàs arbitrio vestro, dummodò singuli dies Dominici & *Nativitatis*, & Resurrectionis Dominicæ; & *Pentecostes*, cum duobus illarum singulos immediatè sequentibus diebus, nec nõ Ascensionis etiam *Dominicæ*, & corporis Christi, ac Circumcisionis, & Epiphaniæ, nec non Purificationis, & *Assumtionis* ac Nativitatis beatæ Mariæ, & S. Joannis *Baptistæ*, nec non singulorum Apostolorum & Evangelistarum celebritates, ac omnium Sanctorum festivitates sanctificentur, minuendi ac reducendi. p. 548

Præterea, iis, qui hactenus contra statutum Ecclesiæ communionem sub utraque specie sumere præsumserunt, si, ut eis id concedatur, humiliter devotionis causâ petierint, sublatis à se autem singulis erroribus & hæresibus, vestigiis patrum in concilio Constantiensi tunc existentium aliquorum prædecessorum nostrorum inhærendo, facta priùs per eos confessione in Ecclesia coram Catholico sacerdote, in sumtione sacræ Eucharistiæ tantum sub una, quantum sub utraq; specie, verum videlicet Christi Domini nostri, & integrum corpus, contineri, Catholicamq; Ecclesiam non errare, quæ sacerdotibus celebrantibus duntaxat exceptis, cæteros tam laicos, quàm clericos, sub una tantùm panis specie communicare statuit: sub unaque specie, ut præsertim ob eorum vitam vel ad tempus, de quo vobis videbitur, communicare valeant, separatim tum loco & tempore ab ea, quæ juxta statum Ecclesiæ hujusmodi sub una tantùm specie datur, etiam concedendi & indulgendi.

Insu-

Insuper, quæcunq; beneficia Ecclesiastica tam secularia quam regularia, etiam quæ per Catholicos possidentur; de ipsorum tam Catholicorum consensu, seu absq; eorum præjudicio, unicuique alteri beneficio Ecclesiastico ob eius fructuum tenuitatem, aut hospitali jam erecto, vel erigendo, seu studio universali, vel scholis literariis, uniendi, annectendi & incorporandi: aut fructus, redditus, proventus, seu bona eorundem beneficiorum dividendi; separandi, dismembrandi: ac eorum sic divisorum, separatorum, ac dimembratorum partem aliis beneficiis, seu hospitalibus, vel studiis aut scholis, seu piis usibus; similiter vestro arbitrio perpetuo applicandi & appropriandi.

Ac cum possessoribus bonorum Ecclesiasticorum, restitutis inprimis immobilibus per eos indebite detentis, super fructibus male perceptis, ac bonis mobilibus consumtis; concordandi transigendi, ac eos desuper liberandi, ac quietandi: ac quicquid ex concordiis & transactionibus hujusmodi pervenerit, in Ecclesiæ, cujus erant bona, vel in alios pios tantum usus convertendi: omniaq; & singula alia, quæ in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna esse cognoveritis, faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi.

Nec non contradictores quoslibet & rebelles, ac vobis in præmissis non parentes, per sententias, censuras; & pœnas Ecclesiasticas, ac quæcunque alia juris & facti remedia appellatione post habita compescendi, & legitimis super ijs habendis servatis processibus, sententias, censuras & pœnas hujusmodi; etiam iteratis vicibus aggravandi; ac auxilium brachii secularis, si opus fuerit, invocandi.

Necnon per vos omnes insimul Catholicos locorum ordinarios, aut alias personas Deum timentes, fide insignes, & literarum scientia præditas, ac gravitate morum conspicuas, & ætate venerandas, de quarum probitate & circumspectione, ac charitatis zelo plena fiducia concipi possit, ad præmissa omnia, cum simili aut limitata potestate, ac unione beneficiorum; seu eorum fructuum & bonorum separatione & applicatione ac concordia, cum possessoribus bonorum Ecclesiasticorum; & earum liberationis duntaxat exceptis, substituendi & subdelegandi plenam & liberam, Apostolica autoritate, tenore præsentium, ex certa scientia concedimus facultatem, & potestatem decernendi omnia & singula per vos, seu à nobis pro tempore substitutas, & subdelelegatas vigore præsentium, & illorum forma servata, alias rite & recte pro tempore facta & gesta, valida & efficacia fore, suosq; effectus sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari debere: nec ea aut præsentes literas de surreptionis aut abreptionis vitio, seu intentionis defectu notari vel impugnari posse, sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscunq; judices & commissarios quavis authoritate fungantur, etiam causarum palatii Apostoli auditores in quavis causa & instantia, sublata eis & cuilibet eorum quavis aliter & judicandi & facultate interpretnadi, judicari & definiri debere. Ac si secus super ijs à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane, non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus, Synodalibus & generalibus comitiis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus etiam pluries emanatis, ac in corpore juris clausis, & quibusvis literis per nos & prædecessores nostros addictam sedem; cum quibuscumq; derogatoriarum, derogatoriis, aliisq; efficacioribus clausulis & decretis concessis & emanatis ac innovatis, nec non quarumvis etiam Cathedralium, & Metropolitanarum ac collegiatarum Ecclesiarum, nec non monasteriorum & aliorum regularium locorum quorumlibet, ac quorumcunque ordinum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione expressa, specifica & individua mentio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent; pro sufficienter expressis habentes, illis alias in robore suo permansuris; hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus. P. 547.

Contrariis in quibuscunq; aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem, ut hi, qui per vos, aut substitutos, vel subdelegatos vestros, vigore præsentium quovis modo absoluti fuerint, si eis per vos, aut substitutos, & subdelegatos prædictos, specialis pœnitentia injuncta non fuerit, pœnitentiam per Catholicorum confessorem, quem duxerint eligendum, pro præmissis eis injungendam adimplere omnino teneantur, alioquin absolutioni, illis pro tempore concessæ, minime suffragentur.

Nulli ergo hominum omnino liceat; hanc paginam nostræ concessionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare hoc præsumserit: indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, noverit se incursurum. Datæ Romæ, apud S. Marcum. Anno incarnationis Dominicæ 1548.

Pridie Calendarum Septembris, Pontificatus nostri anno 14. Signatum Romæ die Sanct Marsal.

Nos igitur mandatis Apostolicis obedire volentes, cum primum nobis oblata fuit occasio, ad provinciam Germaniæ pro præmissorum executione & successione, ad Cæsaream majestatem, ut de modo executionis præmissarum facultatum ageremus, accessimus. Cognoscentes autem, difficile admodum & fere impossibile esse, ut nos in omnibus locis, in quibus usus dictarum facultatum necessarius est, personaliter interesse possimus, nobisq; propterea ad substitutionis remedium necesse deveniendum esse, te, de cujus pietate, religione, integritate vitæ, gravitate morum, literarum scientia plurimum in Domino confidimus, juxta facultatem nobis concessum, vigore clausulæ in dictis literis contētæ, quę incipit, Nec nō per vos omnes in simul Catholicos, &c. ad infra scripta specialiter substituimus, subrogamus, ac tibi vices nostras concedimus, inprimis, ut omnes & singulas utriusque sexus, tam laicas, quam Ecclesiasticas, populares, & quorumlibet ordinum Regulares personas, in quibuscunq; sacris etiam ordinibus constitutas, cujuscunque gradus, status, conditionis & qualitatis existant, etiamsi Ducali, Marchionali, aut alia quacunq; majori vel minori præfulgeant dignitate, archiepiscopis, Abbatibus, ac cathedralium & collegiatarum Ecclesiarum præpositis, jurisdictionem habentibus, nec non illis, qui bona Ecclesiarum aut aliorum piorum locorum occuparunt, seu occupata detinent, restitutione non facta: duntaxat exceptis, quas nobis specialiter reservamus, quarumque hæresium aut novarum sectarum professores, aut eis culpabiles vel suspectas, ac credentes, receptores & fautores eorum, etiamsi relapsæ fuerint, suos errores tamen recognoscentes, & de illis dolentes, & ad orthodoxam fidem redire postulantes, cognita in eis vera & non ficta aut simulata pœnitentia, ab omnibus & singulis per eas perpetratis, hæreses, & ab eadem fide apostasias, blasphemias & alios quoscunque errores etiam, sub generali sermone non venientes sapientibus, peccatis, criminibus, excessibus & delictis, nec non excommunicationis, suspensionum, interdictorum, & aliis Ecclesiasticis ac temporalibus, etiam corporis afflictionibus, & capitalibus sententiis, censuris & pœnis, in eos præmissorum occasione à jure, vel ab homine latis, & promulgatis, etiamsi in eis triginta & pluribus annis insurduerint, & eorum absolutio sanctissimo Domino nostro & sedi appostolicæ etiam per literas in die cœnæ Domini legi consuetas, specialiter reservata existat.

Quorum enim qualitates & circumstantias, præsentibus volumus haberi pro expressis in utroque videlicet conscientiæ & contentioso foro, ita ut semper hujusmodi criminibus, excessibus & delictis, usque ad diem absolutionis & liberationis desuper faciendorum per eas commissis nullatenus inquiri, accusari, denunciari aut molestari possent, absolvere & liberare, ac aliorum Christi fidelium aggregare consortio: nec non cum eis super irregularitate per eas præmissorum occasione, & quia sic ligati missas & alia divina officia, etiam contra ritus & ceremonias hactenus ab Ecclesia probatas & usitatas, celebraverint, aut alias se immiscuerint, contracta nec non bigamia per eosdem clericos seculares vel regulares, vere aut ficte, seu alias qualitercunque incursa, etiamsi ex eo, quod iidem Clerici, in sacris constituti, cum viduis, vel aliis corruptis matrimonia de facto contraxerint, prætendatur.

Quodq; bigamia & irregularitate, ac aliis præmissis non obstantibus, in eorum ordinibus, dummodo ante eorum lapsum in hæresin hujusmodi, rite & legitime promoti & ordinati fuerint, etiam in altaris ministerio ministrare, & quæcunque & qualiacunque etiam curata beneficia secularia vel regularia, ut prius, dummodo super eis alterius quæsitum non existat, retinere, & non promoti ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines ab eorum ordinariis, si digni & idonei reperti fuerint, promoveri ac beneficia Ecclesiastica, si eis alias canonice conferantur, recipere, & retinere valeant: rejectis & expulsis tamen prius uxoribus, sic de facto sibi conjunctis & copulatis, dispensare ac indulgere, ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam ex præmissis quomodolibet insurgentē, penitus & omnino abolere, nec non ad pristinos honores, dignitates, famam & patriam, & bona etiam confiscata, in pristinum, & in eum, in quo ante præmissa erant statu, ita ut omnibus & singulis gratiis, privilegiis, favoribus & indultis, quibus cæteri Christi fideles gaudent, & quomodolibet gaudere possunt, uti & gaudere valeant, in omnibus ac per omnia, ac si à Catholica in aliquo non defecissent, restituere & reponere ac redintegrare: & eis, dummodo corde contriti, eorum errata & excessus, alicui per religendo Catholico confessori sacramentaliter confiteantur, & pœnitentiam salutarem eis per ipsum confessorem propterea injungendam omnino adimpleant, omnem publicam confessionem, abjurationem, renunciationem, purgationem, & poenitentiam jure debitam, arbitrio tuo moderare: adhibita tamen per te moderatione

ratione, ut Clerici seculares vel regulares, qui per te absoluti & restituti fuerint, per te absoluti & restituti fuerint, per aliquod tempus arbitrio tuo juxta vicinitatem locorum persigendum, apud aliquam ædem sacram vel monasterium aut locum alium idoneum sequestrati à ministerio altaris abstineant, quascunque etiam personas à quibusvis illicitis pactionibus aut conventionibus, per eas cum dictis aberrantibus, seu in eorum favorem quomodolibet initis, & eis præstitis juramentis, & homagiis, illorumque omnium observatione, & si quem hactenus eorum occasione incurrerint perjurii reatum, etiam absolvere, & juramenta ipsa relaxare, ac quascunque regulares, & religiosos etiam in hæresin hujusmodi, ut præfertur, lapsos, extra earum regularia loca, absque dictæ sedis licentia vagantes, & apostasiæ reato, & excommunicationis, aliisque censuris & pœnis Ecclesiasticis per eas propterea etiam juxta suorum ordinum statuta incursis, pariter absolvere: ac cum eis ut alicui beneficio Ecclesiastico etiam curato de illius obtinentis consensu, etiam in habitu clerici secularis, habitum suum regularem sub honesta toga presbyteri secularis deferendo deservire, & extra eadem regularia loca remanere libere & licite possint, dispēsare.

Necnon quibusvis personis etiam Ecclesiasticis, ut quadragesimalibus & aliis anni temporibus, & diebus, quibus esus ovorum & carnium est de jure prohibitus, butyro, caseo, & aliis lacticiniis, & dictis ovis & carnibus, de consilio tamen utriusq;, seu saltem spiritualis per te eligendi, qui Catholicus existant, medici consilio, aut alia legitima causa subsistente, ea tantum durante, uti & vesci possint, indulgere.

Necnon cum his, qui hactenus contra statutum Ecclesiæ communioni sub utraq; specie sumere præsumserunt, si aliter ad gremium Ecclesiæ reduci non possint, ad tempus, de quo tibi videbitur saluti animarum eorum expedire, non tamen ultra determinationem, quæ desuper per Oecumenicum legitimumque concilium fieri contigerit.

In cæteris tamen juxta formam & tenorem præinsertarum literarum, dispensare, & cum eis, ut communionem sub utraque specie recipere possint, indulgere possis, & valeas. Notificantes nihilominus per te, ad dispensationem hujusmodi communionis sub utraque specie, & esus carnium, & aliorum, non nisi cum magna maturitate, ac cum Ecclesiæ utilitate, ac animarum salute deveniendum esse, super quibus ac omnibus aliis præmissis conscientiam tuam oneramus. Volumus autem, & expresse inhibebimus, ut nec per te, nec per ministros tuos, mediate vel immediate, aliquid quovis colore, etiam chartæ, vel sigilli, seu laboris alicujus ministri, seu notarii, aut alias quomodolibet recipiatur, cum hæc omnia gratis accipienda sint, & concedi mandamus, in quibus, si ut speramus te solertem, vigilantem, ac ut tantum decet negocium, probum & integrum exhibueris, apud Sanctitatem suam, Cæsar: Majest: & Catholicos omnes, laudem magnam & gloriam consequeris. Et à Deo opt. max. beatitudinis retributionem sperare poteris.

In quorum omnium & testimonium præsentes literas nostras fieri & per notarium nostrum subscribi, sigillorumque nostrorum impressione muniri mandavimus. Datum & actum Bruxellæ Cameracensis diœcesis, sub anno à nativitate Domini 1549. indictione 7. Rept. Calend. Iunii. Pontificatus prælibati Sanctiss. domini nostri, domini Pauli Papæ 3. anno 15. præsentibus ibidem discretis viris, dominis Adriano Iuliano, & Lazaro Breanconio, clericis B. saurienf. & Ianuens. diœcesis, testibus ad præmissa vocatis, & rogatis, sic subscriptum. Et quia Ego Nicolaus Driel, clericus Coloniensis diœcesis, publicus Apostolica authoritate, nec non sacri Oecumenici & generalis concilii notarius, prædictæ substitutionis potestatis dationi, aliisque præmissis præsens interfui: ideo supra scriptum publicum substitutionis instrumentum confeci, subscripsi, & una cum reverendissimorum dominorum nunciorum sigillorum impressione publicavi, in fidem præmissorum omnium rogatus: & sigillavi tribus sigillis duorum Episcoporum nunciorum Apostolicorum substituentium. p. 549.

Consilium trium Episcoporum, quod de ratione stabilienda Romanæ Ecclesiæ Paulo III. Pont. Max. datum est, inventum in Palatio post illius obitum. 1549.

Legatus tuus apud Bononienses, Beatiss. Pater, significavit nobis, cupere sanctitatem tuam, ut qui tuo jussu hac in urbe recens congregati sumus, Episcopi terni seorsim consultaremus, quanam ratione stabiliri, augerique sedes apostolica posset, quæ hoc tempore à perfidis Lutheranis sic infestatur, oppugnatur, ac debilitatur: deque ea re sententias nostras literis explicaremus, quas conferre inter se, atque examinare, & de his secum ipsa deinde deliberare cupiat.

Nos igitur tres infra nominati Episcopi, quamquam nec prudentia, nec doctrina, nec rerum usu plurimum possumus: tamen

tamen, voluntati tuæ ut obtemperem⁹, nostrum in ea te consilium tibi separatim exponere decrevimus: ita tamen, ut sanctissimo Beatitudinis tuæ judicio omnia interim permittamus. *S*ed illam prius suppliciter oratam volumus, caveat, ne nostro huic consilio idem forte eveniat, quod olim sub eius felicis Papatus initia accidisse meminimus.

Cum enim⁹. illi cardinales, & una delecti aliquot Episcopi, de ratione reformandæ Ecclesiæ consulerentur, ac sanctitati tuæ libellum obtulissent, in quo illorum omnium sententiæ perscriptæ erant: illæ cum supprimi & occultari debuissent (quod & sanctitatem tuam voluisse minime dubitamus) illico emanarunt, & in Germaniam usque dispersæ ac dissipatæ sunt. Atque in hunc modum detegi, patefierique Lutheranis hostibus nostra consilia contigit: quæ res deinde in oppugnandis nobis mirifice illis profuit.

Nam libellis illico editis incredibile est quantum in nos undique odium concitaverint, multos errores atque abusus fateri nos in Ecclesia esse dictantes, quos tantum abest, ut corrigere ipsi velimus, ut vi etiam tueri ac defendere non dubitemus: Et si quis est, qui de necessaria emendatione vel hiscere audeat, eum terra mariq; hostiliter persequamur. Tua *S*anctitas igitur videt, quantum detrimentum consilium illud ita evulgatum rebus nostris attulerit. Deus ei ignoscat quisquis in causa fuit. Proinde omnis cura ac diligentia adhibenda est, ut nostrum hoc supprimatur, alioquin incommoda incommodis & mala malis cumulabimus.

Nos enim res multo maximi momenti hic perstringimus, & libere sineque ullius respectu ipsius causæ arcem invadentes, indicato prius morbo convenientem illi medicinam afferimus: sed hæc silenda inquam & occultanda sunt. *A*ge itaque investigemus gravissimæ hujus controversiæ statum, & ab ipsa origine omnia repetamus.

Lutherani Symboli Apostolici articulos omnes recipiunt, ac confitentur: atque id verissimum est. Neq; enim inficiari oportet (præsertim inter nos) quod adeo verum esse omnes intelligimus.

Iidem Lutherani negant, velle se ullam aliam doctrinam admittere, quam unicam illam, quæ Christum & Apostolos authores habet: cuperentque ut omnes paucissimis illis contenti essemus, quæ Apostolorum temporibus vel circiter ea tempora observata fuere: & tantum priscas illas Ecclesias imitaremur: nec de recipiendis ullis traditionib⁹ cogitarem⁹, quã quæ ab illis emanarunt. *S*ic sentiunt adversarii nostri, & male illi quidem sentiunt. Nos contra, sequuti opinionem Beatitudinis tuæ, volumus, haberi credique, necessarias ad salutem esse omnes doctrinas, traditiones, constitutiones, ceremonias, quæ hactenus vel à patribus, vel conciliis, vel à privato etiam aliquo (bono zelo) introductæ sunt.

Hic est, in summa, cardo totius controversiæ: hinc tumultus illi, hinc illa contentio. Verum omni opera ac diligentia nobis providendum est (etiamsi vita nobis in ea re impendenda foret, nedum facultates, labor ac vigiliæ) ne latius sepat istorum opinio: quanquam longe lateque nimium jam dimanavit, quod valde dolendum ac deplorandum est. Neque enim de nihilo hic agitur: sed de salute & incolumitate universi status Beatitudinis tuæ, & nostrum omnium; qui ipsius membra & creaturæ sumus.

Nam Apostolorum temporibus (ut verum S. tuæ fateamur: sed silentio hic plane opus est) vel aliquot annis post ipsos Apostolos, nulla vel Papatus, vel Cardinalatus mentio erat: sed nec amplissimos illos Episcopatuum ac sacerdotiorum reditus fuisse constat: nec templa tantis sumtibus extruebantur: non erant Monasteria, non Priores non Abbates: multo vero minus hæ doctrinæ, hæ sanctiones, & hæ consuetudines, & hoc Imperium, quod in gentes ac nationes hodie obtinemus: Quin potius omnes omnium Ecclesiarum ministri (Romanæ non minus quam cæterarum) ultro Regibus, principibus ac magistratibus parebant.

Æstimet ergo tuã Sanctitas, quam male nobiscum argeretur, si nostro aliquo facto in pristinam paupertatem, humilitatem & miseram illam servitutem redigendi essemus. Est igitur ea res magni momenti, uti diximus.

Cæterum hæc una est gravissimi hujus periculi declinandi ratio. Nos re beneac diligenter considerata, comperimus, hanc ecclesiæ gloriam, authoritatem, ac potentiam tunc primum exortam esse, cum præesse in ea coeperunt sagaces & solertes episcopi: qui per occasionem à Cæsaribus contenderent, uti sua autoritate ac potentia primatum, summam in alias ecclesias potestatem penes hanc sedem esse statuerent. Id quod inter alios *P*apa Bonifacius 3. à Phoca Imperatore impetrasse dicitur.

Deinde illud etiam adnimadvertimus, coepisse tum Ecclesiæ res magis magisque in dies crescere, cum creari cardinales, augerique Episcoporum numerus, ac tot tamque elegantes monachorum ac monialium ordines emergere cœperunt. Nec vero dubium est, quin isti, Papæ, Cardinales Episcopi, Monachi, & moniales: sua astutia, suis addicionibus, suis cultibus ac ceremoniis, ecclesiam à vetere illa doctrina, quæ ipsam in ea paupertate ac servitute con-

continebat, averterint, & decus atque autoritatem illi conciliârint.

Quare ut amplificandi modus oportet: Nempe sagacitas & solertia omnis adhibenda est, & augendus Cardinalium, Episcoporum, Monachorum, ac monialium numerus. Et ut speciatim dicamus, hæc imprimis tuæ S. tenenda est via, Imperium adhuc tuum perferunt (utcunque Lutherani bonam partem Europæ secum facere garriant) Gallia, Italia, & Hispania. Harum proxima S. tuæ, & lege ac constitutionum illius omnium observantissima est: nihil innovat, nihil mutat.

Proinde quantum ad illam attinet, nihil formidandum est. Paucos enim inter Hispanos omnes invenias, qui ab hac Lutherana doctrina non abhorreant. Quanquam non desunt & apud illos (adeo corruptus est orbis) qui ab hac nostra sede aliquando desciscant. Gallia vero atque Italia novis rebus plane studere videntur: & pleriq; harum nationum Populi, Germanorum exemplo, quaq; occasione defectionem à nobis moliuntur.

Porro in his duabus provinciis multas ac præclaras urbes invenire est, quæ nullum proprium Episcopum habeant, sed aliorum majorum nobiliorumq; urbium Episcopis pareant. Hujusmodi urbes tua S. centum vel circiter deligat: quibus regendis mox totidem Episcopos creet: Deinde Cardinales quinquaginta numero veteribus adjungat.

Postea ex his omnibus Episcopis & Cardinalibus tam veteribus quam recens designatis, triginta vel quadraginta seligat, qui sagaces imprimis, inque aulicis publicisque negotiis exercitatissimi, ac pontificii Cæsariiq; Iuris peritissimi habeantur: hos apud se retineat: his autoribus adjutoribusque ad exequẽda prudentissima sua consilia, & familiaria ac domestica negotia administranda utatur: Reliquos vero tam Cardinales, qui cum Episcopali dignitate sunt, quam ipsos alioquin episcopos, ad suam quemq; diœcesin amandet: præcipiatque, ut ludis & spectaculis atque id genus deliciis cives oblectent suos: ipsiq; interim eodem quo Romæ splendore ac pompa in templis, & frequenti populo assidue equitando conspiciendos sese præbeant.

Ita protinus fiet, ut vulgus, cui istiusmodi pompæ magnificẽtiæ abominationi esse solent, & ad quem etiam non parum inde lucri atque utilitatis redire convenit, præsulibus istis sese in servitutem dedat: ac tandem omnes partim benevolentia, partim privatis commodis adducti sententiæ tuæ faveant: securi posthac, quid vel Mart. Lutherus, vel Bernardinus Occhinus, vel nonus ille hæreticus P. Paulus Vergerius scripserit.

O quanti referebat hunc è nostris manibus non elabi, sed vel dari in custodiam, vel potius in Tyberim deijci. Is enim utpote in publicis & privatis S. T. negotiis versatus, bonam partem rerum nostrarum consiliorumq; omnium intelligit. Sed longas manus tua Sanct. habet, &, quæ illius est prudentia, facile huic malo remedium inveniet. Licuit enim semper semperque licebit omnes persequi vias, quo nos ab hostium insidiis liberemus. Hic certe tibi minime contemnendus est.

Curet deinde S. T. ut Cardinales illi atque Episcopi, qui sedes incolunt suas, civium suorum liberis sacerdotia conferant. Hæc enim ac mirabilis omniumque expeditissima ratio erit ad retinendos in tua fide istorum animos. Constat enim, multos hodie esse, qui Lutheranam hanc doctrinam jamdudum amplexi fuissent, nisi hæc una ratio obstitisset, quod vel ipsi vel eorum fratres liberive, aut cognati reditus ecclesiasticos possident.

Nec absonum etiam fuerit, mitti passim in Galliam atque in Italiam magnum aliquem numerum Sacerdotum illorum, quos tua S. nuper reformavit atque instituit: tum etiam illorum, quos vulgo Chierinos vel Paulinos nominant. Nam quod missæ adeo fere ubique eviluerint, vulgares illi sacerdotes in causa sunt: quippe qui eas parũ religiose & nimia celeritate, nec sine aperta etiam illarum nundinatione, celebrare sint soliti: & qui præterea adeo flagitiose & contaminate vivant: ut minime mirum videri debeat, populum illis nullam amplius habere fidem, nec se jam persuaderi permittere (licet Sophistæ nostriq; magno id studio ac labore conentur) posse sceleratum & impium aliquem è cœlo Christum ad altare deducere, purgatorio animas eximere, & sibi aliisque peccatorum veniam promereri. P. 551.

Novi itaq; illi sacerdotes ac Chietini quoniam missas lenius majoreq; cum gravitate facere soliti sunt, idque nulla mercede, solo victu contenti ac vestitu, & requa saltim vita probitatem quandam præ se ferunt, missis facile pristinam autoritatem restituent.

Danda erit etiam opera, ut novi illic monachorum & monialium ordines, præter eos qui hactenus fuere, instituantur. Hi enim, crede nobis, magnum momentum ad regnum tuum stabiliendum allaturi sunt. Namque animadvertere licet, quantum illi suis confessionibus, concionibus, ac ceremoniis illud jam auxerint. Et nos longo quoque usu experti sumus, sectam Lutheranam ibi semper minus potuisse sese insinuare, ubi monachorum (Franciscanorum præsertim ac Dominicanorum) major numerus extitisset, à quibus utiliter propugnata sententia tua,

& adversariorum doctrina perpetuo profligata est.

Illud præterea Cardinalibus & Episcopis, qui in suis diœcesibus commorabuntur, atque item Sacerdotibus illis ac monachis præcipiendum erit, ut nova sodalitia (vulgò confraternitates vocant) in hujus vel illius divi honorem instituant. Nam frater Thomas Stella collega noster affirmat, magnum sed ad firmandum augendumque regnum tuum operæ precium fecisse, quod in multis Italiæ partibus horum sodalitiorum studium pro concione populo commendarit.

Adhæc edicere illis quoque convenit, ut supplicationes maximo cum splendore ac magnificentia habeant, imagines ac statuas fieri mandent, illis cereos, lampadesq; accendi jubeant, organa & alia instrumenta musica, ne in templis desint, curent ac provideant. Hæc enim sunt quibus vulgus præcipue delectatur, & quorum gratia doctrinam illam, quæ adeo nobis exitialis & perniciosa est, fere obliviscitur.

Non solum autem illa quæ jam à nobis commemorata sunt, observanda nobis esse videntur: Sed illud etiam reverendissimis Cardinalibus & Episcopis curæ sit oportet, missas ut quanta maxima pompa & apparatu poterunt, ipsimet factitent: baptisteria in hominum conspectu atq; oculis consecrent: sacerdotes ordinent: templa, altaria, cœmiteria expient; baptizent campanas: moniales velent. Nam isthæc etiam vulgus stupere, & admirari solet: & horum contemplatione, veluti laqueis, mente animoq; ita irretitur, ut nullo alterius cibi ac doctrinæ tangi desiderio queat; sicuti nec in alium usum (si vera fateri volumus) hæc omnia instituta fuere.

Quinimò augenda etiam istæc, ac multiplicanda nostro iudicio forent. Nam si parcarum istiusmodi rerum, quas modò retulimus, institutio atq; introductio adeò regnum promovere potuit: quid putat T. S. fore, si ijs nova ad huc quædam adiungantur?

Verbi gratia, consecratur quotannis quinta feria, quæ festum Paschæ proxime præcedit, triplex illud oleum, sanctum, chrismatis, & infirmorum; idque episcopo uno, & duodecim sacerdotibus, terna illa adoratione, salutationeque, multis illis exorcismis, & insufflationibus, admixto etiam opobalsamo. Statuat nunc T. S. ne paucioribus quinque salutationibus duodeviginti, istiusmodi consecratio fieri possit: & præter opobalsamum alium preciosum aliquem liquorem addi jubeas: cujusmodi certe manna fuerit: quam cum pluisse in deserto constet, merito & illa in ceremoniis locum obtinere debet.

Similiter quoties aqua baptismatis consecratur, salem in eam imponi, oleum in stillari, terque cereum paschalem immergi receptum est: Imperet ergo tua S. ut vasi cereo simul aliquantulum infundatur. Nam & illud Christo in cruce propinatum est: unde eius etiam aliquem in ceremoniis iussum esse oportet. Item in templorum dedicationibus Episcopi Latinum & Græcum Alphabetum pedo exarare in cinere soliti sunt: manda tu, ut Hebraicum quoq; alphabetum adpingant, siquidem norunt (quanquam non magni illud refert. Nam nec græcum quidem pingere norunt, & tamen ab illis pingitur, perindeq; est ac si nossent) Etenim in Christi cruce triplici lingua, Hebraica, Græca & Latina ipsius mortis causa inscripta fuit.

Deinde ubi Episcopi sacerdotum palmas tantum inungunt: Iube illos internam atque externam manum, ac simul caput ipsum & faciem totam perungere. Nam si tantulum oleum sanctificandi vim habet, major certa olei quantitas majorem quoq; sanctificandi vim obtinebit. Præterea quoties baptizantur campanæ, suffitus ab illis ex thure & thymiamate fieri solent: edicito, ut & moschus ac ambar illis adjungantur, ad majorem religionem & admirationem.

Denique Episcopum aliquis facturus cum solemni pompa & apparatu rem divinam, multa separatim à privatis sacerdotibus ornamenta habere solet: cujusmodi sunt (ut reliqua omittamus) ossa vel reliquiæ mortui alicujus, quas illum in cruce inaurata ad pectus gestare convenit: Iube tu, ut brachium integrum, vel crus, vel caput alicujus divi detectum, bene crasso funiculo è collo suspendat.

Augebit enim hæc res mirum in modum hominum religionem, & omnes incredibili admiratione obstupefacit. Istiusmodi ceremoniæ omnes à summis Pont. inventæ & excogitatæ sunt.

Tu ergo cum æque summus Pont. sis, pro imperio tuo easdem, si vis, augere potes: imo velle omnino debes, in eum, quem tibi ostendimus, finem atq; usum. Censemus etiam magnopere, ut tua S. Cardinalibus & Episcopis omnibus, quos in suis residere Ecclesiis contigerit, præcipiat, ut sophisticam, artem scholasticam, metaphysicam: item Decretales, sextum, clementinas, extravagantes, & regulas cancellariæ, in sua quisq; civitate legi doceriq; curent.

Vtinam legendis hujusmodi autoribus homines passim diligentius incubuissent, Neque enim res nostræ in hunc deploratissimum statum pervenissent. Sed incontemtis hisce melioribus disciplinis, dare Græcæ & Hebraicæ linguæ operam, & mox Bibliorum versionem ad Græcam & Hebraicam veritatem exigere, Theologiæq; studere, & Patrum libros assiduè evolvere cœperunt: unde illa, quæ jam sustinemus damna

damna omnia extitere. Quare danda erit opera, ut studiis istiusmodi valere iussis, scholasticam artem, & tuum Ius canonicum homines repetant, quibus Theologiæ studia sepulta pene atque obruta fuisse olim constat. Sed animum advertat hic tua sanctitas.

Nam decretalium & sexti & clementinarum & extravagantium tantum supra meminimus, ac non item decreti, quod minime mirum videri debet. Est enim perniciosus liber, & Autoritatem tuam valde vehementer imminuit: licet alicubi extollere videatur, nam inter alia negat multis in locis posse papam vel tantillum ad eam doctrinam adjungere, quam nobis Christus ipse tradidit, & Apostoli docuere. Ita enim inquit canon, qui incipit, Transferunt. 24. q. 3. Immutant mendacio veritatem qui aliud prædicant, quam ab Apostolis acceperunt. Hoc plane est Lutheranum axioma.

Quid enim aliud quotidie inculcant nostri adversarii, quam ne latum quidem unguem licere ab his rebus, quæ Apostolis fuere in usu, recedere? At quis est ex nostris, qui non recedat sæpe quotide? certe vix umbram quandam retinemus in nostris ecclesiis eius doctrinæ & disciplinæ, quæ Apostolorum temporibus (sicuti etiam initio attigimus) floruerunt, & prorsus aliam accersivimus. Verum interim in illo decreto diserte appellamur mendaces, quia hoc fecerimus: fecimus, summis pontificibus autoribus, & magistris, imo imperantibus & impellentibus.

Vtinam vero non essent multi hujusmodi canones, qui longe aliud præcipiant, quam indies pontifices solebant, & nos omnes solemus facere, (loquimur de doctrinis & de fide, non de moribus.) Audi nunc unum atq; alterum, ita inquit canon, qui incipit: Contra. 25. q. 1. Contra statuta patrum condere aliquid, vel mutare nec hujus quidem sedis autoritas potest. Alius vero canon qui incipit: Ideo, ita inquit; Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod patres nostri sive in sanctis canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus: Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt consulto, intactum non conservamus.

An non hic disertissime Zosimus, & Leo III. Pontifices (quin & tota ipsa Romana Ecclesia) clamat, autoritatem istius sedis non posse quicquam agere contra canones, contra leges; contra statuta veterum patrum, sed debere ea intacte servari? Quo pacto ergo respondebimus adversariis, qui hic urgent nos & exagitant, & de nobis usurpant illud Psal. 5. Non est certitudo in ore eorum: accusant enim nos levitatis etq; inconstantiæ, qui habeamus tam claros canones qui vetant, ne Pontifices queant mutare decreta patrum, aut quippiam agere contra ea, & nihilominus nihil frequentius videamus, quam istiusmodi mutationes & derogationes antiquorum patrum & conciliorum.

Quomodo inquam hic respondebimus, præsertim quum decretorum liber sit tam illustris, & celeberrimus, qui in omnibus ecclesiis summo in pretio atque honore habitus est? Verum interea non modo pauca ea quæ præbuimus degustanda continet, sed plurima alia quæ causam hostium nostrorum juvant, & ita juvant, ut videantur ab aliquo ipsorum fuisse scripta.

Proinde de hoc decreto captandum erit nobis consilium aliquod, videtur enim res perquam absurda, quod in eo illud doceatur cujus contrarium tua S. agat, & fieri mandet.

Denique (quod inter omnia consilia, quæ nos dare hoc tempore Beatitudini tuæ possumus, omnium gravissimum ad extremum reservavimus) oculi hic aperiendi sunt, omnibus nervis adnitendum erit, ut quam minimum Evangelii poterit (præsertim vulgari lingua) in iis legatur civitatibus, quæ sub tua ditione ac potestate sunt: Sufficiatque tantillum illud, quod in Missa legi solet, nec eo amplius cuiquam mortalium legere permittatur. Quamdiu enim pauculo illo homines contenti fuerunt, diu res tuæ ex sententia successere, eædemque in contrarium labi cœperunt, ex quo ulterius legi vulgo usurpatum est.

Hic ille (in summa) est liber, qui præter cæteros hasce nobis tempestates ac turbines concitavit, quibus prope abrepti sumus. Et sane si quis illum diligenter expendat, deinde quæ in nostris fieri ecclesiis consueverunt, singulo ordine contempletur; videbit plurimum inter se dissidere, & hanc doctrinam nostram ab illa prorsus diversam esse; ac sæpe contrariam etiam: Quod simul atque homines intelligunt, à docto scilicet aliquo adversariorum nostrorum stimulati, non ante clamandi in nos finem faciunt, donec re tandem pervulgata nos invisos omnibus reddiderint.

Quare occultandæ pauculæ illæ chartulæ erunt, sed adhibita quadam cautione ac diligentia, ne ea res majores nobis turbas ac tumultus excitet. Legatus tuus apud Venetos D. Ioan. Della Casa Archiepiscopus Beneventanus præclare se admodum in ea re gessit: Nam etsi aperte palamque librum illum Evangelii minime damnarit, vel abscondi jusserit, id tamen obscure ac dissimulanter feciandum in prolixo illo catalogo hæreticorum, quem edidit, bonam partem eius doctrinæ inprobavit, quæ in p. 553.

in Evangelio continetur, præcipue vero certa quædam capita, quæ nobis maxime omnium adversari videbantur: Factum sane præclarum ac divinum, & vel hoc solo nomine galerum meritus est, quicquid alii inepti hic blaterent.

Nam multis prima facie ridiculum videbatur, damnari ab illo tot simul autores, qui de religione scripserunt, cum is ne syllabam quidem Theologiæ unquam legerit, edidisseque illum nescio quid, cui de arte divina titulum fecit. Sed hoc nihil est, & qui id in ipso vituperant, multum ab re sua illis est ocij, seque rerum Romanæ curiæ valde imperitos esse ostendunt. Nam hic, ut est verus atq; eximius aulicus, libere quod sentiebat, dixit, quod maximæ laudi dandum illi esse putamus.

Sed dicat fortasſis tua S. si adeo periculosa res est habere hoc tempore concilium, quod hoc, tam exiguo licet, Episcoporum numero, metuendum sit, ne inter illos forte aliquis inveniatur, qui clamorem tollere, & linguam ad statum nostrum labefactandum exacuere ausit: quanto id majore cum periculo fieret, si ad veterem illum numerum centum præterea alii adjungendi sint? Ad id Beatiss. Pater, nos trifariam respondebimus.

Imprimis fac (quemadmodum soles) ut episcopi illi qui jam creandi erunt, rudes ut plurimum ac literarum imperiti, cæterum Aulicarum rerum callentissimi, & familiæ tuæ quam studiosissimi sint, id enim abunde erit: Deinde declina concilium: quantum potes, utcunque Cæsar clamet, urgeat & instet. *Postremo* si, solum ut famæ & existimationi tuæ consulas, optare te concilium vel saltem simulare cupis, indicito quidem illud: sed, quod hactenus, & Tridentino hoc concilio factum est, soli illi in eo admittantur, quos sententiæ tuæ subscripturos esse exploratissimum habueris: contra prorsus excludantur & longe arceantur, quicunque vel minimum suspecti fuerint.

Habes inter ceteros Cardinalem à *S.* cruce, qui tibi in hac re egregiam navavit operam: Idem vehementer tibi posthac usui esse poterit: quare illum unice amplectere. Verum ante omnia cave, ne posthac ulla ex principib. Germaniæ, qui Augustanæ Confessioni adhærent, legatio intrare in locum concilii possit. Nam, proh superi, quantum incommodi & jacturæ multis modis sensimus ex illa legatione D. Ducis Wirtembergæ, quæ Tridentum advenerat?

Vtinam Legatus Crescentius in proximum Athesim curasset proiici in unum fascem colligatos, illum Theodoricum à Plieningen, & illos duos doctores Vernherum à Muchingen, & Hieronymum Gerhardum, & illos duos malos Theologos Brentium & Beurlinum (hi scilicet erant legati illius D. Ducis.) Nec fuisset parcendum *Sleidano* illi *Argentin* Reip. nuncio. Nam cum impetrare à Concilio audientiam nunquam potuissent (hæretici enim non sunt digni qui audiantur) rediere in patriam longe acriores sanctitatis tuæ hostes, quam unquam fuerunt, & scribunt libros contra nos, & omnia miscent.

Itaq; consultius fuisset, si fides illis minime fuisset servata (ut nostræ jubent leges) sed facti essent incolæ & cives fluvii illius Athesini, etiam ad exemplum aliorum hæreticorum, ne venire ad nostra sacrosancta concilia unquam auderent.

Hæc sunt, beatissime Pater, quæ nos, ut *S.* tuæ obsequeremur, proponenda in præsentiarum esse duximus. Quod si nos aliud quippiam vel commodius, vel utilius in eam rem, de qua nunc quæstio est, habuissemus, non minus certe libenter, quam eadem ista S. Tuæ suggesſiſſemus. Nam quicquid ad hujus causæ utilitatem pertinere nobis videbatur, id nos aperte atque ingenue hic diximus.

Sed illud iterum admonemus, cavendum scilicet esse, ne hæc in vulgus emanent. Quod si nostro huic consilio T. *S.* paruerit, facile spes erit, ut Galliam atque Italiam universam (nam de Hispania diximus jam nihil metuendum esse) in fide retineat, atque ita regnum suum fulciat stabiliatq;.

*Q*uod ad Germaniam nunc attinet, nos plane (ut verum tibi fateamur) desperamus, illā in tuam fidem unquam esse redituram. Quare hortamur ut omnē de ea spem abiicias. Nam si Cæsar & quidem victor, ac concessis licet adeo multis articulis, qui cum nostra Catholica ecclesia plane pugnant (sicut in suo illo Interim videre est) nationem illam in concordiam nobiscum reducere non potuit, scito, nullam eius capiendæ viam esse reliquam.

Adde quod populus ille à 36. annis in alium prorsus degeneravit. Mortui enim sunt, qui sub tuo imperio nati atque educati fuerant, & quibus studium, & observantia quædam singularis erga te in medullis ac visceribus hærebat. Contra successit juventus quædam, quæ ut doctrinam tuam experta non est, ita nec te amat, nec suspicit, ut etiam *Antichristum* (proh facinus) appellare non vereatur. *Et* scimus quidem, illic esse aliquot viros mediocriter eruditos, qui ex animo nobis favent, & sane cuperent restituta ea, quæ fuerunt à nostris majoribus tradita, tuamq; pristinam potestatem, & laborant illi quidam pro virili, & modo ferunt sermones in conviviis, modo libellis etiam editis conantur papatum ruentem sublevare & instaurare, verum hi paucissimi sunt, & parva autoritate & judicio. Itaque nihil proficiunt.

At mirum est, quanto impetu populus ille Germanicus feratur potius ad cupiditatem audiendi eos concionatores, qui Lutheranam hæresim docent, quam aut missam, aut eos qui tuam doctrinam prædicant.

Vidit

554. Vidit nuper fere tota Italia Cardinalis Poli,tui ad vendicandam ex hæresibus Angliam Legati, literas, qui in hanc sententiam scripsit: substitimus Tillingæ atque *Augustæ* per aliquot dies, exploravimus omnia diligenter, quæ ad religionem pertinent, at nihil in hoc genere vidimus; quod potuerit placere. Ecclesiæ enim adversariorum mirifice fervent, & indies frequentiores magna lætitia audiunt suos concionatores: nostræ vicissim frigent, & vastas dixeris si videas, ita pauci tantum vetuli nescio qui, & fœmellæ adeunt missas. Hæc ille, & familiares eius, imprimis D. *Aloysius* Priulus, multa hujusmodi scripsere. In summa, de illa natione prorsus omnia spes abijcienda est.

Sed non est, quod tua S. ob id se nimium cruciet: nam etsi hujus tam populosæ nationis defectio incredibile illi damnum attulisse videatur, multumque ob id de illius censu ac reditibus decesserit, remedium tamen in promtu est. *Poterit* enim tua *S.* amplius solito ab ijs nationibus,in quas imperium adhuc habet, aliquid exigere: ita fiet, ut, quod impia istorum defectione illi periit,commodissime aliunde resarciatur.

Verum illud quoque admonitam illam volumus, ut in conficienda ex datariatu & pœnitentiariatu (ut vocant) alijsq; officijs & muneribus pecunia, tum etiam in exigendis tributis ac decimis, cautionem & dexteritatem quandam adhibeat: volensque pecuniam undiq; corradere, ita se in ea re gerat, ut eius inexplebilem habendi sitim homines percipere non possint, minusq; posthac clament.

Certum quidem est, omnes orbis facultates esse tuas, qui *Christi* vicarium agas, cujus omnium rerum possessio est, ac proinde undecunque tibi sumere licet: verum cum dexteritate & elegantia quadam id facito. Nam [liceat verum fateri] incredibile est, quanto tui odio homines flagrent, quamq; horrenda de re in vulgus sparsetint: adeo ut vix ullus pontifex unquam extiterit,in quem immaniora fœdioraque, cum voce,tum scripto jactata sint probra & convicia: & quo pontifice, tantam existimationis ac rerum omnium jacturam *Papatus* fecerit.

Quare advigilandum est, & ire obviam periculo oportet: nisi omnem semel aleam jacere velimus. Valeat æternum tua sanctitas, cujus sanctissimum pedem ipsi deosculamur. Bononiæ 20. Aug. an. M.D.XLIX

Ejusdem Tuæ S. servi & creaturæ devotissimæ

Vicentius de Durantibus. Episcopus Theremularum Brixtensis.

Egidius Falceta, Episcopus Caprulanus.
Gerhardus Busdragus, Episcopus Thessalonensis.

Epistola de morte Pauli tertii, Pontificis Max. deque iis, quæ ei post mortem eius acciderunt. 1549.

Pub. Æsquillus Magister Pontificum, M. Forio, I. V. perito, fratrique longe chariss. Gaudium & Pacem.

Quam moleste tuum ab Urbe discessum, Marce frater, tulerim: & tu ipse discedens, & postea literis absens cognovisti. Ac mihi quoq; tecum aut abeundum fuerat: nisi me magis *Papa* absentem timuisset: aut si mortalis essem, moriendum. *Confligari* vero cum præsente non est ausus: quod, quam male id cessisset cum Adriano sexto, tum Clementi septimo, meminisset.

Nam cum me Deus opt. max. Magistrum Pontificum, pontificorumq; esse volverit: eam naturam & conditionem simul me habere dedit, quæ mortis sensum ignoraret: præsertim cum natura ita comparatum sit, ut semel duntaxat homines moriantur: ego autem naturæ munus semel obivi. Quare mori iterum non possum: ut Pontificios exercere, & castigare perpetuo possim. Te Vero beatum, Mar. Fori, cui statim eius, quam ex nostro illo congressu disciplinæ cœlestis acceperas, testimonium accipere contigit tunc, cum, furente *Papa Paulo*, & te vel ad necem poscente, cum paucis evasisti.

Quod enim certius testimonium habere aliquis divinæ erga se benevolentiæ & comprobationis, potest, quam si eum Pontifices, & sacerdotes, & pharisæi (quod ipsi capiti Christo fecerunt) diris devoveant, vexent, exagitent, & ad tormenta necemque deposcant? Verum ut hæc nunc omittam, quæ divinitus edoctus, præclare nosti: ad ipsum negotii caput, cujus gratia ad te nunc scribo, veniamus. Memoria tenes, credo, cum de rebus cœlestibus sermonem inter nos haberemus, te à me contendisse, ut si quando me,ut superas oras peragraveram, sic in feras perlustare, id est, Orci arcana, maniumq;, contingeret: eam rem tecum communicarem.

Iam id peropportune cecidit,ut hoc scilicernio [*Paulum* Farnesium dico) defuncto, atque in Orcum delato, eo descenderim, multaq; viderim,quæ si *Pontifices*, cæteriq; mortales crederent, nec illi Christum Jesum persequerentur, eiusq; Ecclesiam vastarent: nec hi se à Christo, nescio quibus nugis & superstitionibus, abduci paterentur. Quoniam vero tecum in præsentia congredi non licet, atque ea coram commorare, hac epistola tibi totam hanc Tragœdiam, quam brevissime potero, describam. Tu vero ut soles, quæ leges, toto animo atque mente percipito. p. 555.

Paulus, Qui & Sualus, quinto *Idus*

Novembris, circa noctis primam vigiliam cœpit animam agere. Eram ego tum apud Titum *Polybium*, quem si nosti, virum unum inter omnes cives Romanos cordatum, & quem vere possis sapientem appellare: cum eo ad multam noctem de *Reipublicæ* Christianæ calamitatibus, deque remediis ipsarum, sermonem produxeramus: quo sermone non finito, sed in aliud tempus dilato, placuit Polybio, ut apud eum eam noctem quiescerem.

Vix autem somnus irrepserat, & ecce Genius is, qui me abhinc decennium in cœlum deduxerat, visus est adesse: &, Surge, inquit, Publi: si quidem videre aves, qua pompa, quove apparatu Paulus à Dite reliquisq; Manibus accipiatur. Quid? inquam, mortuusne est *Noster Sanctissimus*? Mortuus, inquit, tandem, si modo vixit unquam. Sanctitatem vero totam reliquit Christo, & sanctis eius: sibi satis esse ratus, si titulótenus & nomine *Sanctissimus* diceretur. Venio, inquam, & te dux fidissime, lubens volensque sequor.

Imus, in Palatium ventum est, ubi Paulum invenimus adhuc paululum respirantem; agebat enim extremam animam. Ac circa eum multi Dœmones, homines pauci. Nam jam de eius morte certi, alii arculas vertere, alii stragulam vestem, vasaque argentea, & aurea quærere, diripere: alii alia, ut eiusmodi occasione solet, agitare. Dum hæc aguntur, N. S. extremum vitæ spiritum edidit, ibi tum unus, qui inter Dæmonas dux videbatur, & reliquis dignitate præstare, accedens: Servet te Satanas, inquit, regni nostri columen & decus. Et apprehensa eius manu, deduxit in vallem quandam opacam, cujus latera cupressis altissimis referta erant ita, ut *Solis* jucundissimum lumen nulla ex parte posset admittere.

In vallis autem capite erat lacus fœtidissimus, quem aut *Avernum*, aut eius similem esse existimo. Hic Dracolycus (id enim erat ei Dæmonum duci nomen) proferri jubet stolam muliebrem (nam nudus exierat Paulus) ferrugineam, igneis serpentibus suffultam, cujus oras, limbi instar, scorpiones ambiebant. Tum vero mihi totus in turpissimam & temulentam anum mutatus Paulus videbatur: contra quam Joannes Papa ille fecit, qui viri sexum mentitus, fœminam se esse, filium enixa, declarat.

Illud autem mihi permirum videbatur, cum in eius stola cernerem insigniora ipsius facinora figurata: parricidia, veneficia, proditiones, incestus, & stupra nefanda. Calceos ei induunt, sive potius ocreas, ex suillo corio. In capite pileolum ex vulpina imponunt pelle: & desuper mitram induunt, tribus aptam coronis: quarum prima, quæ frontem temporaque redimebat, biceps erat amphisbena: aspide secunda constabat: cerastes duobus corniculis prædita, mitræ fastigium exornabat. E collo monile pendebat, quod geminæ viperæ contortæ conficiebant. Ad aures vero, binæ versicolores ranæ, pro in aure coaxabant. Chirothecas addunt plumbeas, & vipereas armillas, ut nihil ad meretricium cultum & ornatum deesse videretur.

Tum imponunt eum feræ vastissimæ, quæ humano cruore concretos pilos habebat, & maculis versicoloribus distincta videbatur. In his maculis, omnium errorum, omnium in Deum & Christum conviciorum nomina, quæ post natos homines unquam fuere, quasi inustis notis legebantur: Ægyptiorum, Pharisæorum, Hessenorum, Hebionitarum, Manicheorum, Arrianorum, Maometanorum, Pelagianorum, prætere a, quæ ipsi Papistæ in Dei Christique contumeliam invenerunt. Ipsa autem fera capitibus septem decemq; cornibus elata incedebat: ac singulis cornibus singulæ erant coronæ, quæ regiam in fera potentiam significarent.

Tulerat secum Paulus poculum aureum, simile his, quæ ad altere operaturi sacris eius ferunt sacerdotes: cum calicem manu gestabat, eo gestu, quo solent Germani ad bibendum invitare. Ita exornatum Pontificem Maximum deducunt Tartarei ministri per imam vallem. Me vero Genius meus per dextrum montis latus commodissime ducebat. Ita quæ fierent omnia, totamq; pompam ex editiore loco, inter cupressa latentes, facilius spectabamus. Atque ubi aliquantum processimus, fit ingens adventantis equitatus strepitus. Pauloque post, Genio monente, Petrum Aloysium Pontificis filium agnovi: qui audito patris adventu, ei obviam honoris causa processerat. Hircina pelle contectus, ipse hircum insidebat, eumq; vastum adeo, ut tauri magnitudinem superaret. Pro aurea bulla ad pectus eius ingens pendebat *Priapus*: & quod valde sum miratus, ad *Priapum* erat pusio nudus media parte corporis appensus.

Petrum Aloysium catamiri innumerabiles stipabant, reliqua molliter amicti, nates tantum nudas simiarum in morem ostentantes. Qui cum eo erant reliqui, prægrandes captas inequitabant, & in vexillis (nescio ad terrendas aves) *Priapos* habebant. Ibi *Petrus* Aloysius, cum sorore Constantia, eademq; noverca qarentem in nigra illa equitum turma vix agnovit. Nam non idem erat ornatus, non ea facies, non equus albus, non idem comitatus qui fuerat viventi. Nec agnovisset prorsus, nisi formam quandam pontificiæ mitræ, quam Regnum vocant, & vocem eius, animadvertisset. *Atque* ubi propius accessisset, invicemq; consalutassent:

Hucne

Huc ergo tu quoq; (inquit) parens descendisti? quem, si animi superstites corporibus fuisse (quod quidem nunc, heu me! sentio) in cœlum evolaturum credidissem. [illegible] quasi Deum aliquem magna mortalium pars colebat. Tu tuis cultoribus cœlum promittebas: tu animas ab inferis revocabas: tu pœnas, ad tuam Sacram sedem & devotionem redeuntibus, & de antiqua severitate multum remittebas: ut nuper Germaniæ principibus & populis, qui a te ad nescio quam Evangelicam disciplinam defecerant, per tres Episcopos, tuos a latere nuncios, significasti. Quanquam qui [illegible] (quemadmodum ego cum paucis fui) satis superque nôrant, te illis ipsis, quæ aliis venditabas, fidem non habere, sed fabulas semper existimasse. Nam memini, cum nullos esse manes affirmares, nec subterranea regna.

Verum tu illa tueri, quod essent præclara [illegible]modum apta ad mortales decipiendos, ad opes & imperia non modo tuenda, verum etiam acquirenda. Hac ego filius tuus præclara disciplina institutus & imbutus, nihil non mihi licere putavi: hinc tot mea cum maribus, & fœminis stupra, hinc cædes, & rapinæ: hinc in Deum, & Christum, hinc in Virginem matrem, & superos omnes sacrilega nefandaque convicia: hinc innumera alia omnis generis scelera atque flagitia, quæ ego te genitorem imitatus, patravi: quibus coopertus, cum me nec Dii nec homines ferre jam possent, tandem aliorum Tyrannorum more, quorum sine cæde & vulnere pauci huc descendunt, cecidi in hanc foveam: ubi jam re ipsa experior, esse Tartara, esse Furias & manes, esse deniq; scelerum supplicia, atque ignem sempiternum: quæ dum vita manebat, tuis documentis & domestica imbutus disciplina, nec cogitavi unquam nec credidi. Quamobrem (pater) nihil est quod hic aliud expectemus, quam miseriam & sempiternam desperationem.

Ad hæc ingemuit pater, & obmutuit: tantum in id intentus, ut finem suæ videret fabulæ. Et ecce dum procedunt, major equorum hinnitus, & rugitus leonum exauditur. Hi erant aliquot Imperatores, Reges, Tyranni, atque alii Principes, ex iis præsertim, qui Bestiæ potentiam tradiderunt [illegible] quique de poculo meretricis Babylonicæ amatorio poti, cum ea concubuerunt. Hi ei venerunt obviam, atque eius calamitatem luxerunt. Post hæc longe major processit turba, Paparum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, monachorum, & sacerdotum, hi omnes inequitabant locustas, similes equorum, qui ad prælium sunt instructi: in quorum capitibus erat species coronæ cujusdam aureæ.

Eis erat humana facies, capillique mulierum: dentibus leoninis, loricisque ferreis munitæ videbantur. Concussu alarum quadrigas in prælium procedentes imitabantur. Caudas habebant, & in caudis acumina scorpionum. Ac ne te diutius teneam, cum hoc comitatu pervenimus ad Ditis ferream urbem, inamœnaq; regna: ubi arcus, ubi ingentes columnæ, ubi trophæa erant erecta: in quibus tituli atque egregia N. S. Farnesii facinora inscripta atque incisa cernebantur. Primus arcus ante Vrbis portam, rudimenta illustrium facinorum ipsius ostentabat. Machina ipsa ex gravissimo plumbo tota constabat. Et ibi opere cælato Paulum vidi, qui Alexandro Borgiæ Pont. Max. sororem suam stuprandam tradebat, ut se ære alieno liberaret.

In altera arcûs parte, idem Paulus alteri sorori, quæ familiæ Farnesiæ mores nimis aperte sequeretur, atq; alios magis quam Paulum fratrem amare videretur, infundebat venenum, non dabat. Sed non possunt non prodigè vivere, qui aliena bona sperant, cum effundunt sua. Et vero eodem poculo matrem suam illum sustulisse arcus frons parsque superior aperte declarabat. Erat hujus arcus titulus: Paulo Farnesio, lenonum & parricidarum patrono singulari.

Inde in Vrbem ipsam ingressis, occurrit altera fabrica, ex solido ære constructa, in qua noster Paulus de puella quadam Anconitana triumphabat. Nam cum jam consuetis lenociniis & dolis rubrum galerum meruisset, essetque legatus Anconæ, specie cujusdam mercatoris fucum faciebat nobili puellæ: sibiq; desponsam, uxorem docebat, quæ posteaquam eum esse, qui erat, cognovisset, seque non legitimam matronam, sed concubinam (quod ex Pontificio jure tu optime nosti) satis resciret, parum abfuit, quin in insaniam furoremque incideret. Ex eo tamen connubio Petrum Aloysium sustulit, Romani nominis decus scilicet, & ornamentum singulare. Hujusce autem facti elogium ita habebat: Paulo Farnesio Cardinali Nebuloni reverendiss. impostores posuerunt.

Procedimus, & ecce aliud monumentum, ex illiusmodi materia confectum, quæ ex plumbo, ære, & stanno conflatur ibi opere fusorio, Paulum jam Pontificem maximum cum filia sua Constantia vidi, quæ ei iucundior atq; obsequentior erat, quam parenti par est. E regione hujus, neptem quandam suam, Regiam matronam, non minus virginali pudore, quam forma bona præstantem, ad incestum, & nefandum stuprum, senex hircosus, puellam lectissimam, sollicitabat. In superiore arcus parte Petrus Aloysius Episcopo Farnensi per vim stuprum offerebat, ex quo adolescens ille bonus moriebatur. Et ibidem Paulus pater, eum subridens absolvebat.

Itaque propter hæc generosa facinora, Manes in arcu inscripserant: Paulo tertio Pont. Max. ejusq; filio, mœchis, incestisq; & cinædis draucisq; omnium maximis, luxuriosorum turba memoriæ sempiternæ ergo posuit. Hinc in plutonium, maximum totius urbis campum, ventum est; ubi binatrophæa, quæ dorissimo sale, eoque subrufo constare videbantur. In altero Perusini subacti & oppressi visebantur: in altero, Ascanius Colona princeps justissimus, è suo regno, magno furore, ab hoc silicernio pellebatur. His erat unum elogium, in hunc modum: Paulo Farnesio Pont. Max. tyranno crudelissimo, tyranni posuere.

Non procul ab his ad alterum campi latus, erant geminæ columnæ quadratæ, & latæ, quarum materiem cognoscere non potui: non enim erant ea his consuetis usitatisq; materiis. In altera, Camerinum dolo malo (pulsa ejus principe fœmina, singulari sapientia & religione prædita) capiebat: in altera cernere licebat, quibus artibus collegium Cardinalium in suam sententiam, de Placentia & Parma pertraxisset, facta permutatione Camerini non sui, in Parmam Placentiamq; non suas: quæ res Petro Aloysio filio, quem duabus illis clarissimis civitatibus dominum imposuerat, meritam mortem attulit. Et harum titulus unus erat: Paulo tertio Pont. Max. proditionibus innumeris & maximis, clariss. *Iudas Iscariotes* cum aliis proditoribus posuere.

In tertio campi capite, & latere, arcus erat ad cœli figuram efformatus: ibi Planetæ septem, & signa duodecim, illa astrologis notissima, & stellæ innumerabiles. Ibi erat noster Paulus, cum Dionysio *Servira*, & Gaurico, & quibusdam aliis: qui omnes fata *Pontificis*, & suorum, in horoscopis, in aspectibus, & siderum domiciliis inquirebant: in eoque tanto erant stupore attoniti, ut in insaniam incidisse viderentur. Hic erat titulus: Paulo Phrenesio Pont. max. astrologo, mago, & *Ariolo* summo, Chaldæi posuerunt.

In quarto campi angulo, & capite erat fabrica quædam ex rubra cera compacta: in qua mitrati multi, ac reliquis sublimiores, & tanquam judices, purpurati tres considebant. Literis his locus, & caussa notata erat: S. S. T. C. *Sacrosancti Concilii* cujusdam speciem, & locus & consessus referebat: in quo, ut literis quibusdam, quæ illic & legabantur, & scribebantur, animadverti, de opprimenda veritate, ac de Cæsare decipiendo, paucorum suffragiis agebatur. E concilio vidisses quosdam exsibilari, & discedere, quod veritatem vel leviter tueri, atque illorum perversis consiliis obviam ire ausi essent.

Illic videbam non indoctum medicum quendam, sed meliorem astrologum, F. C. pecunia corrumpi, ut non esse [illegible] patribus, sententiam [illegible] retur suo, ut in Cæsaris fraudem, Concilium alio transferre liceret, ubi & certiora, & liberiora, & plura pro sua tyrannide suffragia auferre, aut saltem protrahere [illegible] concilium posset. Ei medico, credite [illegible] contradicebat Alexander [illegible] medicus non vulgaris, probatq; cœlum ibi, & alia omnia esse quam saluberrima: neque in natura & loci indole quicquam esse, quod à Concilio illic celebrando absterrere posse videretur. Et tamen contradicente Medico, & repugnante vehementer Cæsare; corruptis [illegible] pedariis effectum est suffragiis, ut major pars patrum Bononiam discederet. Hic etiam arcus suo non carebat elogio. In eo enim hæc verba legebantur: Paulo tertio, P. M. conciliorum & publicæ pacis perturbatori xxx. Papæ posuere.

Ad medium Plutonium columna erat ex solido adamante, in qua satis mirari non potui, cum viderem, adversus sanctos ora [illegible] la cruentasque pugnas ita elucere, ut [illegible] tunc, non imaginibus ostendi viderentur, sed novo & inusitato pugnandi genere. Duæ enim illic spectabantur certaminum formæ. Erant ovium mitissimarum greges stolis candidis amicti: in ovium autem capitibus erant aureæ coronæ, admirabili fulgore radiantes. Hi greges ducem habebant Agnum, cui erant cornua septem, & totidem oculi.

Ex altera parte lupi rapaces, lupi quidem, verum non omnes uno ornatu: nam alii rubro pileo caput tegebant, alii mitra bifida, alii cucullo, eoque vario: alii alio modo. Vnus vero inter eos erat eminentior, is in capite triplicem coronam gestabat, quæ nihil prorsus à summi Pont. [illegible] mitra & Regno differebat. Pallio omnes quodam utebantur: alii purpureo, alii violaceo, alii nigro, cinericio alii, alii albo. Genus pugnandi hoc erat: Irrumpebant in gregem diversis ex locis lupi: singuli aliquam ovem corripiebant, raptabant, eamque vorabant. Pavidæ oves nihil aliud sapere, quam seipsas interdum una constringere, interdum diffugere, & capitibus in cœlum sublatis, misere balare, atque in Agnum ipsum respicere. Solus Agnus hasta quadam, crucis instar, pugnare: lupos sæpe vel fugare, itaq; persequi, ut eos coegeret in proximum quoddam barathrum præcipites ruere.

Alterum bellum in hunc modum gerebatur. Non procul hinc erant armatorum legiones & copiæ, similes iis omnibus quos supra dixi, obviam Petro Aloysio processisse: nisi quod omnes illæ copiæ Paulum tertium summum ducem & imperatorem habere videbantur. Horum alii districtos gladios, alii faces accensas, alii pocula atris mista venenis contra ferebant. Qui

gla-

gladiis,& usitatis armis pugnabant, eos ducebat Cardinalis quidam, Pontificis Legatus, juvenis,& inanes spirans glorias, in cujus veste hæc erant inscripta verba, Ibo, & tantam efficiam stragem, ut meus equus in sanguine Lutheranorum innatet. Hi omnes in vexillo mundum inter duas claves [illegible]ebant.

Contra hos certabant magnâ vi animi & spiritu homines prorsus inermes: nisi quod eorum bona pars alterâ manu calamum, alterâ librum hostium ictibus opponebat: pars puras manus, precantium ritu, ad montem quendam attollebat. Erant enim hæ copiæ circum montem quendam [illegible] in cujus vertice fixam & erectam videre crucem celsissimam, ita ut cœlum ipsum capite videretur attingere: & in eâ crucifixus Dei filius ille Christus Jesus. Et titulus ad crucis caput affixus, in hunc modũ: Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

Hæc erat atrox pugna,& novum vincendi genus. Vidisses enim alios ab hostibus vinctos in tetros carceres includi: alios gladio trucidari, alios veneno tolli, alios in mediis flammis Dei, & Christi laudes canere, alios in flumen vinctos immergi, alios ad triremes, alios in exilium relegari. Quibus rebus ita stupebant, itaq; indignabantur hostes, ut linguas suas dentibus morderent, & barbæ pilos vellerent. Hæc erant in illa vasta columna,& alia multa: quæ quibus eloquar verbis, non reperio. Nam & nonnullos ex Papæ satellitibus, atque ejus crudelitatis ministris agnovi, partim mortuos, partim adhuc in corpore suo vitam agentes: quos si nominarem, totum impleret orbis. Quidam tamen ex his ita suis flagitiis & sceleribus noti sunt, ut nihil sit opus eos nominare. Reliquos taceo, ne odio potiùs ipsorum, quàm Reip. Christianæ charitate, à me nominati videantur.

Sed penè elogium hujus columnæ prætereo, quod circa columnæ epistylium, hujusmodi erat: Paulo tertio Pont. Max. ob suum singulare in Christum Christianosque odium, atq; ob rem adversus eos feliciter gestam, id quod carceres, triremes, incendia, cineres, exilia, clades, stragesq; in Italia, Gallia, Hispania, Anglia, & invicta Germania testantur, adeò, ut Antichristi nomen jure optimo meritus sit: Cæsares, Reges, Principesq; reliqui, deinde Pontifices, Cardinales, Episcopi, cæteriq; Romanæ sedis proceres, atque uncti omnes, qui hic sunt, hoc ex solido adamante admirabile æternumq; trophæum consecrarunt.

Interea dum maxima admiratione, & pene stupore, ob ea, quæ & videbam & legebam, teneor, monet me Genius, ut in eam tandem partem oculos convertam, ubi Regia Plutonis erat. Et ecce ministros video innumerabiles, quorum alii mensas & tripodes, alii mantilia & mappas, alii patinas & pocula, alii cultros ferebant. Et actutum collocatæ fuerunt & paratæ per totum campum mensæ,& sedes appositæ: & inter reliquas una cæteris cum celsior, tum operosior, tum ornatior: quam pro basi, Lupa & Draco sustentabant.

In ea collocata est Meretrix N. S. poculum aureum, cujus suprà mentionem fecimus, ambabus manibus tenens: in quo poculo ipsa primum menstrui sui fœditatem, deinde Dæmones omnes genitale semen emittebant. Ad eam proni accedebant Reges terræ; quibus illa pòst pedum oscula beatorum, poculum porrigebat amatoriũ: Bibebant illi: quo facto, omnes Reges cũ ea nefando concubitu miscebantur.

Verùm ubi actus hic peractus, fuit accesserunt Plutonii ministri, & correptam Meretricem illam Babylonem, id est, Pont. Max. ad lanienam [horrendum dictu] pertrahunt, laniãt, in mensas ferunt, & accumbentibus Regib. apponunt. Illi carnibus meretricis Romanæ vescuntur: & paulò pòst nausea correpti, frusta esculẽta, vinum illud obscœnum redolentia, revomunt. Ex quib. [ô rem miram] rursum coagmentatis, Pontificem vidi conflari: quib. peractis, omnes à mensa (signum dante Dracolyco) surrexerunt. Ductaq; est meretrix cum suis amatoribus & copiis extra urbẽ, ad stagnum quoddam, totum igni sulphureo accensum.

Genius innuit, ut sequeremur: instare enim Tragœdiæ finem. Ubi eò ventum est, Meretrix, cum suis lenonibus, assentatoribus,& amatoribus,& copiis, in stagnum, ut perpetuò ibi crucientur, præcipitantur. Hic Pauli, Pontificis maximi, finis: hæc pars calicis ejus,& impiorum omnium.

Genius autem meus, ut in Ditis urbem reverteremur, non probavit: sed per arduum tramitẽ quendam ascendens, monuit, ne ullo pacto subsisterem, néve oculos retrò flecterem, quod si facerem, se extra culpam fore; nec quicquam præstare posse. Parui, unà ascendo, nusquam oculos converto, unum præeuntem ducem & oculis sequor,& passibus. Eo tramite pervenimus in eam viam, quæ ducit ad superos. Et ecce jam antè ibat unus ex Plutoniis ministris, qui septicipitem illam feram, quã inequitaverat Paulus, ducebat: super cujus dorso vastum & ingẽs illud populum, quo poti omnes fuerant Reges, erat collocatum, eadem meretricis obscœnitate plenum. Rogavi ego ducem meum, quid hoc fieret? Ille: Munera sunt, inquit, quæ Pauli successori, novo Pontifici, à Plutone mittuntur: quadrupedem feram, ut ea feratur: poculum, ut eo potu principum sibi & populorum amorem, Pontificum aliorum more conciliet.

Sed enim vereor, nec non ea vis insit potioni, quæ fuit ante: cum aliam potionem nondum nossent, & Christi poculum Pontificum opera lateret. Nunc verò, cum plerique suavissimum & salutarem Domini liquorem incipiant gustare, pauciores ad meretricium poculum accedent.

Fateor, inquam, dux fidissime, vera esse quæ dicis. Nam non sola plebs, & docti quidam hunc Christi dulcissimum potum gustârunt, verùm etiam Principes: & quod longè est mirandû magis, Cardinales quidam, & Episcopi, *Scis*, Fregosium, & G. Contarenum, Cardinales: & Jo. Baptistam Tergerium, Polensem episcopum, ob hanc causam à Paulo N. S. veneno fuisse sublatos: Petrum verò *Paulum*, ejus fratrem, Justinopolitanum Pontificem, in magnum vitæ discrimen eandem ob causam vocatum. Quem tamen Christus, quasi alterum Paulum, ad multa Ecclesiæ suæ negotia vocavit & reservavit.

Nam vides, quàm brevi tempore quàm præclara pietatis ediderit monumenta. Mihi n. in hoc potissimum videtur à Domino hic vir excitatus, ut sit *Italiæ* nostræ *D*octor, & lumen. Complures item alii sunt, quos hic consultò prætereo. Ita prorsus est, ut dicis, inquit. *S*ed vidésne, jam nos ad urbem pervenisse? Video, inquam: & jam me ejus piget & pudet. Est enim non jam *R*oma, sed *B*abylonia, & Christiani orbis dedecus. Ne dubita, inquit, P. Æsquille: brevi tolletur hæc labes: & omnium malorum caput, Papatus iste Romanus: quo sublato, non Roma modò, sed & cuncta Italia suam illam veterem recipiet & dignitatem, & sanctitatem, Christique florebit ecclesia.

Sed quando jam te incolumen domum reduxi, tua cum bona pace discedam: tu verò, Publi, perge in officio tuo, & Principes admone sedulò, caveant ab hujus scorti perniciosissimo poculo, & blanditiis, & cantu: si cupiunt, se suamq; navim, ad cujus
p. 519 gubernacula sedent, in salutis portum appellere. His dictis, discessit. Ego verò, mi Fori charissime, statim hæc tibi exaravi, ut eorum, quæ gesta sunt, quæq; geruntur, à me, veritatem acciperes.

Farnesius Card. arcem S. Angeli statim, avo suo mortuo, occupavit. Cardinalium collegium, ad novum Pontificẽ creandum, se comparat: magna fit ambientium concursatio. Principes non dormiunt: quisq; suam partem urget: & vereor, ne tres creentur uno tempore Pontifices: nisi Princeps aliquis potentior suffragia plurimorum ad suam flectat voluntatem. Quod si fiat, brevi hæc bellua cadet: nam quò major erit rerum omnium confusio & perturbatio, eò propior erit salus, & spes major Reip. Christianæ constituendæ.

Interea dum inter se contendunt, & digladiantur, nos Halcyoniis hisce diebus divino munere concessis fruamur. Tu enim videris in urbem posse redire. Hoc enim ego tibi verè affirmo, in hac totius urbis, ac potius orbis maxima lætitia, & optatissima Papæ Pauli morte, (ut meum ad cumulandum gaudium) conspectum, ac potiùs complexum mihi tuum desidero. Quem semel nactus, nunquam dimittere. Ac nisi etiam prætermissos fructus suavitatis præteriti temporis omnes exegero, profectò tua ista in me benevolentia me ipse non satis dignum judicabo. Vale. Romæ. 4. Idus Novembr. Anno *M. D. XLIX.* Imp. Car. 5.

Ordo Capucinorum.

Hic Ordo habuit authorem Gotfridum Varaglium *B*uscanum Pedemontanum, qui etiam Generalis *Ordinis* fuit. Ad cognitionem erroris sui tandem, quod memorabile est, pervenit. Secutus enim Cardinalem Carrafam, Papæ Legatum in Gallias euntem, relicto eo, Genevam profectus est: ubi cum ex verbo Dei, à superstitionibus & meritis hominum ad unicum Jesu Christi Salvatoris meritum esse confugiendum, agnovisset; institutum suum monasticum toto corde detestatus est. Reversus igitur ad suos, ob veritatis confessionem captus, & Taurinum, quod tum Galliæ Rex tenebat, ductus, ante arcis portam, penultimo Decemb. anno Domini 1557. in vera fide persistens, crematus est. Liber Martyr. & hist. Gallicæ.

*R*egulam habent Minorum, sive Franciscanorum: unde etiam loco calceorum ligneas tantùm soleas, pro cingulo funes nodosos, vestes grisei coloris, grandes cucullos, & oblonga caputia, (unde dicti sunt) gerunt.

Ex Deut. cap. 6. & Num. cap. 15.

Cave diligenter, ne obliviscaris Domini DEI tui. Narrabis mirabilia ejus filiis & nepotibus tuis, Meditaberis de illis sedens in domo, ambulans, dormiens, consurgens. Ligabis signa ad manum, quæ ad animum tibi revocent ea, & te ad obedientiam invitent. Scribes illa in limine & ostiis domus tuæ.

Facite vobis fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eos vittas hyacinthinas, quas cum inspicietis, recordamini mandatorum *D*omini: nec sequantur cogitationes suas, sed sint memores præceptorum Domini.

Hoc igitur tempore apud Magnates his sacræ Scripturæ locis motos, magna fuit devotio & ardens religionis verbiq; Dei zelus & studium: adeò, ut eorum impulsu literas has V. D. M. I. Æ. (verbum Domini manet in æternum) in publicum testimonium amoris sui erga Evangelium ipsi pro symbolo, & eorum aulici manicis

annexas

affixas gestaverint. Faxit Deus, ut & nos majorum vestigiis insistamus: & ea, quæ ab aliis pio zelo nobis parta sunt, eodem pietatis studio & ardore conservare pergam': ne si procrastinando non hodie faciamus officium [ut, proh dolor, nostram ignaviã plus satis experientia testatur] ob nauseam & ingratitudinem cibus divinus cras computrescat, & exeat per nares nostras, eque manibus nobis eripiatur: ut sic cœlesti Manna (quo Deus nos, quemadmodum olim populum suum in deserto, quoque iam ultra 40. annos hinc ab illo tempore, à 1552. quo pax religionis Passauij constituta est, ad saturitatem usque pavit] destituamur: & (sicut Israëlitis ingratis evenit) pro Moabitis & Philistæis, Turcas nostræ improbitatis ultores habeam'.

Signa.

1549. Anno quadragesimo nono quidam honesti viri Brunscuicenses, cum noctu iter facerent, lunam viderunt circũdatam esse conspicuâ specie, quæ nominatur Halo. & juxta eam duo παρασέληνα; ipsam verò lunam quater circumvolvi: deinde juxta, παρασέληνα igneum conspexerunt leonem, aquilam fodientem sibi pectus.

His successit horribilis species inflammatarum urbium, & circa has cameli, figura Christi pendentis in cruce cum latronibus & circa eam cœtus hominum quasi Apostolorum.

Extrema species omnium maximè terribilis fuit: stetit vir truculentus stricto gladio minitans puellæ, quæ ante ipsum specie supplicantis, lachrymans petere videbatur, ne feriretur. His similes & alibi visæ sunt.

Sunt autem hæc publicè per Germaniam, cum piâ ad pœnitentiam adhortatione Nicolai Melderi, edita. Ut sup.

Wolffgangus Musculus.

1549. Tractat hic quæstionem: An liceat homini Christiano, Evãgelicæ doctrinæ gnaro, Papisticis superstitionibus ac falsis cultibus externa societate communicare. dial. 4. Imperatore & Papa ut suprà.

Franciscus Xaverius in epistolis Japannicis.

1549. Bonzi Ethnici, inquit, Sacerdotes non negant (ut hodie Papistæ faciunt) sed ingenuè fatêtur, se animas è pœnis & inferni cruciatibus eripere non posse: sed tantùm hac de causa ab ipsis doceri, ne sibi ad vitam sustentandam necessaria desint. Unde vides, quomodo ut in aliis pluribus, sic etiam in quæstu, tanquam primario illorum fidei articulo, Papistis cum Ethnicis conveniat?

Sic quoq; Sacerdotes Japanniæ populo persvadent, quòd qui multum in eos conferat in hac vita, decuplũ in altera recipiat: & ita ingentem pecuniam colligunt, & pro certitudine hujus promissi Chirographum etiam dantibus impertiunt. Pauperes quia nihil dare possint, pejoris esse cõditionis: quod idem Albertum Magnum in libro de officio Missæ affirmare alibi dictum est.

Quia autem Epistolarum Japannicarum facta est mentio, notandum est, quod Gas. Vilella Jesuita in suis Epist. Jap. scribit: ipso die, inquit, qui D. Lucæ sacer est, Mœacum venimus, quare ipsum Evangelistam in Divum tutelarem provinciæ & omnium nostrarum actionum delegimus. Unde Lector habes, quis Jesuitarum sit Deus?

Emericus Zigerius. 1549.

Scripsit ex Turcica civitate Tolna, epistolam ad Matth. Flacc. Illyricum de statu Ecclesiarum sub Mahomete: in qua simul paucitatem ministrorum & alia scitu dignissima deplorat. Edita est Magdeburgi anno Dom. 1550. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3.

Stupenda. p. 561. 1549.

In Pannoniâ, cum viperæ ac lacertæ in hominum corporibus nascerentur, magna hominum copia, cum remedium deesset, cruciatibus ac doloribus multis extincta est. Quidam demum ad solem expositi, serpentes calorem naturalem sentientes, evomuerunt ac liberati sunt. Inventa est etiam magna hinc inde serpentum copia in ædibus, qui cùm fustibus & flammis interficerentur ab incolis, serpentum unus aliorum nomine, voce humanâ, apertisq; verbis dixisse fertur: Nihil efficietis, contra ultionem divinam pugnantes. Fr. Bebeccius, Egidius Aquila: Lyco. Fincel. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3. ut sup.

Petrus Bembus lib. 4. Histor. Veneta. 1549.

Quoniam libido ea inter cives Venetos creverat, ut quàm plurimi sacerdotia, quæ habere bonis artibus non poterant, Romæ coëmerent, quâ in urbe ejus consvetudo facultasq; ab Alexandro VI. Papa instituta, latè palamque invaluerat: Decemviri Veneti sanxerunt: si quis imposterum id faceret, ut ejus bona fisco inferrentur, ipse ab urbe, atq; urbis finibus, quamdiu viveret, exul esset. Imp. & Papa ut sup.

Idem, Joannes Michaël civis Venetus Cardinalis, qui Pauli secundi Romani Pontificis Max. sororis filius fuerat, Romæ veneno interiit, quod ei Alexander Papa à præfecto Michaëlis epularum dari jussit.

Causa interficiendi hominem fuit aurum atque argentum, quod is habere existimabatur, quarum omninò rerum inexplebilis *Alexandri* animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat, uti filio pecuniā exercitibus alendis suppeditaret, quò is Italorum principum Regna occupare celeriùs posset, se jam sene.

Idem lib. 5. Cum Julius Pontifex Maximus multa nimis injusta à Venetis peteret, omnes magistratus irâ, indignationeq; arsêre: sed reliqui fremuêre, atque in illos contrà invecti sunt: nemoque, quid agi oporteret, scivit. Unus Laurentius Lauredanus, Leonardi Principis filius, clarâ voce cur non, inquit, ad regem Thracium, qui nobis sese obtulit, legatos statim mittimus, auxilium contra istum non Pontificem max. sed carnificem omni crudelitate præditum, imploratum?

Idem libro 6. Aliis post hos relictis populis, mare Rubrum ingressi, complures nigrorum item & bonorum hominum, ac bello fortium civitates adierunt, qui natis statim fœminis naturam consuunt, quo per id urinæ exitus nō impediatur: easq; cùm adoleverint, sic consutas in matrimonium collocant, ut sponsi prima cura sit, conglutinatas atq; coalitas puellæ oras ferro interscindere: tanto in honore apud homines barbaros est non ambigua ducendis in uxoribus virginitas. Hæc ille.

Mirum equidem, *Barbaros* tum Dei cum æternæ vitæ ignaros, castitatem tam constanter colere, cum tamen illi, qui certam sibi faciunt æternæ salutis spem ex juratæ castitatis votis, ad servandam ipsam, nec hujusmodi mediis, nec medicamentis [qualia in promtu essent ad perennem cōtinentiam præsentissima] utantur: verùm sic horrea [ut Gallis est in proverbio] vacarent trituratoribus.

1549. *Sigismundus ab Herberstein de rebus Moscoviticis.*

Nulli hominum infensiorem Moscum, ait, quàm Romano Pontifici, quem non nisi doctoris titulo dignatur. Unde Mosci in catalogo certos Romanos Pontifices habent, quos inter sanctos venerantur: alios verò, qui post illud schisma fuerunt, execrantur, tanquam eos, qui ab Apostolorumq; patrum, & septem conciliorum ordinationibus defecerunt: & exinde hæreticos & schismaticos appellant: eosdemque majori odio prosequūtur, quàm ipsos Mahumetanos.

Dicunt enim, septimo generali Concilio conclusum esse, ut ea, quæ in præcedētibus constituta ac determinata erant, inposterum quoque firma, rata & perpetua essent: nec unquam posthac cuiquam licere aliud Concilium aut indicere, aut accedere, sub pœnâ anathematis: & hoc severissimè servant.

Quidam Metropolitanus Rusciæ cum ad instantiam Eugenii Papæ, Synodum in Italiâ convocatam accessisset, ubi & Ecclesiæ erant unitæ, reversus in patriam, captus, & omnibus bonis spoliatus, inq; carcerem conjectus fuit: ex quo tamen tandem evasit.

Et infrà: *A*junt, Principem Moscoviæ, cum audiendi sunt *R*omanæ fidei Oratores, pelvim cum duobus gutturniis, adjuncto impositoque mantili, apud se habere, ut continuò porrectam manum Oratori, quem pro immundo & impuro homine, propter Romanam fidem habet, abluere possit. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 3. p. 564

Idem. Erat eo tempore, cum Cæsaris Maximiliani Oratorem Moscoviæ agerem, Bartholomæus Metropolita, vir sanctæ vitæ: cumq; princeps violasset juramentum, per se & ipsum Metropolitam duci Semesitz præstitum, & alia quædam designasset, quæ videbantur contra authoritatem illius esse, accessit principem & inquit: Dum omnem authoritatem tibi usurpas, ideo officio meo præesse non possum. Porrectoque sibi baculo suo, quem in modum crucis ferebat, officium resignat. Princeps baculum cum officio sine mora suscipit, atque pauperem cathenis vinctum, continuò Bielogesero mittit. Ajunt, hunc ibi aliquandiu in vinculis fuisse: liberatum tamen pòst, privatumq; in monasterio reliquum vitæ exegisse.

Exemplum sanè hoc apud Ecclesiarum rectores rarum est: utinam huic omnes sint similes, & non muti canes: in tutiore certè loco res Ecclesiæ se haberent: simile votū Lutheri habes infrà anno 1597.

Huic metropolitæ Daniel quidam xxx. ferè annos natus, homo corpore robusto atque obeso, facie rubenti, successit: qui, ne ventri magis quàm jejuniis, vigiliis ac orationib9 deditus videretur, quoties actū publicum esset celebraturus, sulphuris fumo faciem, ut impallesceret, inficere, atq; ita pallore imbutus, in publicum prodire solebat.

Idem. Purgatorium Græci & Rutheni negant, sed dicunt, unumquemque secundum opera sua, post mortem locum designatum habere, ubi diem judicii extremi expectaret: pios quidem cum Angelis placidis, in lucidis & amœnissimis Ælisii viridiferis campis recumbere: impiis autem in obscuris, cæcis, nigrisque ac caligine obductis voraginibus, cum angelis terribilib. destinatam esse mansionem, ad expectandam judicii diem, unde illæ animæ, quæ in locis amœnissimis & splendidis, cum angelis placidis benignisq; collocatæ sunt, gratiam Dei sibi affuturam cognoscunt

ſcunt, aſsidueque judicium extremum fieri petunt.

Aliæ contrà condemnationem ſibi imminere, in caliginoſis voraginibus ſitæ pœnas terribiles præſagiunt: idque eò maximè allegant, quòd animæ poſt mortem in cœlum ſtatim non aſcendant, nec in infernum. Quibus enim illud verbum à Chriſto in noviſsimo die diceretur: venite benedicti patris mei, poſsidete regnum cælorum, & cæt. cum jam omnes aurea in cœlo ſint: & contrà: ite maledicti in ignem æternum, cum jam olim in inferno condemnati fuerint?

Idem. *Sacramento* Euchariſtiæ Rutheni ſub utraque ſpecie utuntur.

Idem. Sacrum ſive Miſſa lingua Sclavonica peragitur, intermixtis etiam aliquando cantionibus Græcis: Epiſtola & Evangelium, quò magis à populo percipiantur, extra chorum in medio Eccleſiæ, aſtanti populo clara voce recitantur. Concionatoribus carent, ſatis enim eſſe putant ſacris interfuiſſe, ac Evangelii Epiſtolarumque verba vernacula lingua recitata audiviſſe. Concionari: in ſuis eccleſiis obſtinatisſimè prohibent, dicunt enim, ſe hoc modo varias hæreſes & diverſas de fide opiniones effugere, quæ ex concionibus ſubtilib⁹, que argumentis, ſophiſticisque quæſtionibus oriuntur.

Panem ad ſacrificandum hoc modo ſacrificant: unus eorum præparatum panem ad ſacrificandum in patena ſuper capite, per minorem portam de ſacrario egreſſus portat: alter verò coopertum calicem vino repletum (cæteris Diaconis vel ſacerdotibus imagines ſanctorum, Petri, Pauli, Nicolai, vel Michaëlis Archangeli, magna populi circumſtantis acclamatione & veneratione, portantibus) præferunt, quidā ex circumſtantib⁹ acclamant vulgari oratione, Domine miſerere, alii fronte terrā, gentili more percutiunt, quidam ſe ſigno crucis, caput frequenter inclinando, muniunt, varia denique veneratione ac cultu circumlata ſigna venerantur.

Poſtea finito circuitu, per mediam chori portam ſacerdotes in ſacrarium ingrediuntur, ſacrumq; peragunt. Quoties ſe ſigno crucis muniunt, id manu dextra ſic faciunt, ut frontem primùm, deinde pectus, mox dextrā, ac demum ſiniſtram pectoris partem punctis in formam crucis tangāt: quod ſi quis aliter ſe crucis ſigno munierit, hunc velut hæreticum objurgant.

Gloriantur *Rutheni*, ſe ſolos cum Græcis veros Chriſtianos eſſe, *Romanos* verò & alios Chriſtianos damnant & exſecrantur, tanquam primitivæ Eccleſiæ deſertores, & ſeptem ſanctarum ſynodorum prævaricatores.

Idem. Archiepiſcopi in toto imperio Moſchorum duo ſunt, unus in Novogardia magna, qui habet prærogativam, infulam albam bicornem, uoſtrorum Epiſcoporum more, geſtandi. *S*ecundus in Roſtovia. Epiſcopi ſunt multi, videlicet *Permiæ*, Suſdaliæ, Tvverenſis, *Columnæ*, *Cernigoviæ*, Rheſanenſis, Smolenſtenſis, Pleskovienſis, & cæt. Veſtes eorum ſunt ſicut aliorū Monachorum, nigræ, niſi quòd aliquando ſericeas ferunt, & præſertim pallium nigrum, quod habet à pectore tres fimbrias albas, ad ſimilitudinem rivuli fluentis inflexas, quod ſignificat, ex cordibus eorum rivulos doctrinæ fidei, & bonorum exemplorum ſcatere.

Metropolita autem, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Abbates, Monachi, carnis perpetuò abſtinent eſu. Proventus neceſſarios ex prædiis, & aliis extraordinariis accidētibus, & beneficiis habent. *A*rces verò & civitates, & omnes adminiſtrationes ſeculares eis ademtæ ſunt. Sed metropolita Ruſſiæ, Polono Regi ſubjectæ, & alii Epiſcopi villas civitatesque poſſident. p. 564.

Ibidem. Scribunt quidam, Moſeum à Pontifice *R*omano & à Cæſare *M*aximiliano nomen expetiviſſe, & titulum Regium: Mihi veriſimile non videtur: præſertim cum, ut dictum, nulli homini infenſior ſit, quàm ſummo Pont. & quem non niſi Doctoris titulo dignatur. *C*æſarem autem Romanum non majorem ſe exiſtimat: ut ex literis ſuis apparet, in quibus nomen ſuum Imperatoris titulo præponit. Nomen itē Ducis apud eos dicitur Knes.

Ibidem. Sacerdotes Romanos confundunt, qui cœlibem vitam ducere ſeſe juramento obſtringunt, cum ſancta *Synodus*, quæ fuit in Gangra, ſcribat in quarto canone: qui ſpernit ſacerdotem ſecundum legem uxorem habentem, dicens, quòd non liceat de manibus ejus *S*acramentum ſumere, Anathema ſit: & omnis Sacerdos, & Diaconus, propriam uxorem dimittens, Sacerdotio privetur.

Idem. Abbates, qui Iconomei, Priores, qui Archimandritæ dicuntur, & omnes Monachi duriſſimas, moleſtisſimasq; leges & regulas præſcriptas habent: nullo ſolatii genere eos recreari conceditur. Omnes non ſolùm principis, ſed & cæterorum nobilium mandatis parent: plures eorum ex Monaſteriis in eremum ſe conferunt, ibiq; in arctis tuguriolis, aut ſoli, aut cum ſociis manent, victum de radicibus arborum, & variis terræ herbis acquirunt.

In ſacerdotii gradus hi tantùm promoventur, qui diu apud Eccleſias ſervierunt. In diaconum autem nemo conſecratur, niſi uxorem habuerit, unde interdum & matrimonio copulantur, & in Diaco-

Diaconatum consecrantur. Præterea qui virgini stuprum aliquando obtulerit, aut uxorem suam primo concubitu viciatam animadverterit, in Diaconatum non ordinatur.

Mortua uxore, Sacerdos à sacris prorsus suspenditur, nisi monasterium ingressus juxta regulam vivat, in officiis etiam peragendis, si castè viduus vixerit, velut minister, cum cæteris Ecclesiæ ministris choro interesse potest. Si autem viduus Sacerdos aliam uxorem (quod eis liberum est) duxerit, is munere sacerdotali privatur, nihilque commune cum clero habet.

Nullus sacerdotum Monachorumve, horas canonicas dicit, nisi habeat imaginem alicujus divi præsentem, quam etiam nemo nisi cum magna veneratione attingit (cui autem etiam in publicum profert, manu eam in altum extollit, quam omnes prætereuntes, cruce se signantes, inclinando plurimum venerantur. Libros Evangelii maxima veneratione prosequuntur, neque eos manibus tangunt, nisi priùs, caput multoties inclinando, cruce se munierint.

Omnes Sacerdotes ex contributione quadam certa sustentantur: assignantur etiam eis domunculæ cum agris & pratis, unde victum suis vel famulorum manibus, more agricolarum, acquirunt.

1549. *Index Expurgatorius.*

Extat liber hoc titulo, qui Philippi II. Regis Hispaniarum jussu & auctoritate, atque Albani Ducis consilio ac ministerio in Belgiâ concinnatus est, in quo multorum recentium autorum libri mutilantur, corrumpuntur, adulterantur: & si quæ minùs pro Papâ prolata in iis sunt, expunguntur: & substituuntur sententiis authorum planè contraria verba: & ita veritatem in alienis libris occultant: ne dici queat, aliquid unquam contra Papam & ejus corruptelas scriptum fuisse: & sic sceleste cum omnibus patribus ante hac à pontificiis factitatum fuit, dum pias sententias, doctrinas, reprehensiones, & correctiones ex eorum libris sustulerunt, & suas blasphemias inseruerunt. Quæ potest esse nequior & crudelior carnificina librorum, & quæ major injuria piis viris & Ecclesiæ infertur, quàm hæc pontificiorum?

Servari autem clàm hunc Indicem inter se tantùm, voluerunt, ut libri juxta eum in vulgus emitterentur: sed depravationem hanc detectam esse, reip. Ecclesiasticæ maximopere expedit. Imperatore Carolo 5. Papa Paulo 3.

Franciscus Junius in Indicis Expurgatorii præfatione.

Rem meis oculis visam ad exemplum, ait, adferam. Ante annos 27, cum Lugduni agerem (egi autem anno M. D. LIX. & sequente) Correctore quodam typographico usus sum familiariter, cui Ludovico Savario fuit nomen. Habitabat ille non procul à Mercuriali vico, in ædibus conjunctis trium columbarum signo. Cum ad salutandum hominem venissem, casu vel potiùs singulari Dei providentiâ accidit, ut versantem eum offenderem in recognoscendis D. Ambrosii operibus, quæ cum Frelonius excudebat.

Variis autem sermonibus ultrò citroq; habitis, cum me avocamēto ei esse ab opere nolle ostenderem, ille percurrens lectionem unius paginæ, videsné, inquit, hanc formam Ambrosianæ editionis nostræ? quàm sit elegans, accurata, & in speciem omnibus anteponenda aliis, quæ adhuc in lucem prodierunt? postea contuenti opus & probanti elegantiam ejus dixit. Ego verò, si quod exemplum Ambrosiani operis mihi emendum esset, quodvis exemplum aliud potiùs, quàm hoc quod vides, compararem.

Sciscitatus sum hujus dicti causam. Tum ille de forulis sub mensâ suâ latentib. aliquot paginas promens (erant autem paginæ, ut loqvuntur, cancellatæ, aliæ ex parte, & aliæ universè) hæc est, inquit, prima forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris & certi exemplaris optimâ fide impressimus: Franciscani autem duo pro auctoritate has omnes paginas dispunxerunt, ut vides, & illas substitui in locum priorum curaverunt, præter omnem nostrorum librorum fidem: quæ res sumtum & molestiam Frelonio creavit gravissimam. Nam pretium chartæ operarumq; amisit universum: temporis jacturã passus est, & typographicas illas priores plagulas commutari novis ad libidinem istorum oportuit, magno malo nostro & admiratione meâ.

Complura ejusmodi exempla proferri cum veritate possent, nisi hoc unum, quod meis oculis vidi, putarem sufficere ad demonstrandam quorundam audaciam in libris interpolandis intolerabilem.

Casparus Bruschius P. L. in Præfatione operum suorum manuscriptorum. 155

Scribo mensuratæ illius nostræ Germanicæ saltem Ecclesiæ historiam, & magnis laboribus per omnem Germaniam longè lateq; eam collegi, in præsensq; opus redegi, nequaquam propriæ gloriæ aut ambitionis causâ, aut quòd ejusmodi impiam Ecclesiam, pontificiam illam aut Romanam, probem vel instauratam cupiam: sed in odium potiùs, & majorem confusionem Antichristi Romani, & omnium ejus satellitum.

litum, quorum impietas & nequitia, quibuscunque etiam modis id fiat, detegenda & patefacienda est: scripsi item in gloriam Dei & Domini nostri Iesu Christi, cujus denuò patefactam, & postlimimo renatam veritatem, (cujus æternam lucem tam feliciter ante imminentem finem mundi iterum accensam Christianitati gratulor) sed & ipsam simul omnium temporum Magistram historiam, ego, hoc quoque accenso quasi funali, pro mea virili adiuvare volui.

Deinde in gratiam, in utilitatem & laudem dulcissimæ patriæ meæ, Germaniæ, & omnium Majorum nostrorum memoriam instaurandam, idem libentissimè feci, qui uti edocti fuerunt, ita Deum coluerunt, veritatem proculdubio, si ipsis, ut nobis ostensa fuisset, non ita oppugnaturi, ut multi nostra ætate fecerunt, & multi hodie adhuc faciunt, qui vel primi in Ecclesia esse & haberi volunt. Videamus [inquam] charissime lector: quomodo Germanica etiam Ecclesia à prudentibus illis Antichristi Geometris dimensa, & quibus pompis personata & quo meretricio cultu induta, & ad admirationem, imo nauseam etiam usque fucata sit.

Initio constitutæ sunt in universa Germania à pontificibus summis & Imperatoribus Romanis septem Archiepiscopales seu Metropolitanæ sedes, quarum quælibet singularibus, privilegiis, juribus & opibus aucta & illustrata est: in quibus antesignani & Coryphæi, hoc est, præcipui aliarum omnium totius Germaniæ Ecclesiarum gugubernatores, vigiles, & inspectores habitarent, qui Regni latissime patentis populum omnem in Romani, (tanquam œcumenici & universalis) pontificis obedientia, timore & officio pergetuo conservarent, & retinerent. Hæc sunt Moguntia, Colonia, Treveris, Magdenburgum, Salisburgum, Bremia.

& sub Mænalio sydere Riga rigens

Harum Archiepiscopalium sedium unaquæque suos certos etiam sub se habet Episcopatus insuper alios, eosque itidem preciosis titulis ac juribus conspicuos, quos comprovinciales, id est, ejusdem provinciæ & administrationis collegas & synergos vocant, & alia voce, ab unanimi cum cæteris sublimioribus consensu, suffraganeos: ut qui pedarii senatores, & capita sine linguis, una cum Archiepiscopis, tanquam præcipuo Ecclesiastico in Germaniis senatu,, nusquam, ac ne lâtum quidem digitum ab Ocumenici sententiis discedere: sed omnia ipsius, concordibus suffragiis & approbare, & simul adjuvare teneantur, quæcunque à pontifice Romano in universali Ecclesia jubeantur, statuantur, ordinentur aut decernantur: adhoc ipsum singuli certis etiam sacramentis, & magna diligentia confectis jurandi formulis, huic ipsi Romano pontifici devincti sunt, & veluti ministeriales aut potius subjecti servi certis conditionibus obligati.

Sic Maguntia ad Rhenum (principem Germaniæ fluviorum) in umbilico pene Germaniæ, aut in veteri potius termino inferioris à superiori, sita, prima Archiepiscopalis Germaniæ Ecclesia & præcipua Metropolis, ex Wormatia nata & eius Antistes est princeps Elector, ac sacri Romani imperii per Germanias Archicancellarius: comprovinciales Episcopatus sub se habet duodecim, Curiensem nimirum, Constantiensem, Argentiensem, Wormatiensem antiquitus Archiepiscopatum, Herbipolensem sive VVyrzburgensem, cujus flamen Dux etiam Ostrofrancorum est, Augustanum, Aychstetensem (cujus Antistes, ex dono & speciali gratia Bonifacii primi Archiflaminis, cancellarius est hujus Archieqiscopatus Maguntini) Hildeshaymensem, itidem Baderboraensem, Halberstatensem & Verdensem. p. 565.

Hi certam etiam ac dimensam (ne quid omnino in Antichristi Ecclesia sit non diligentissime mensuratum) sessionem habent in Imperii & provinciæ conventibus, non quidem eam, quam commemoravi, aut in hoc præsentis etiam operis contextu æmulatus sum, sed istam quæ sequitur, etsi etiam de hac non plane inter omnes conveniat.

VVormaciensis præsul, propter habitam olim Archiepiscopalem dignitatem, primarium inter Moguntini Archiflaminis suffraganeos locum obtinet: proximum Herbipolensis, quod is dux Franciæ orientalis cæteros opibus plurimum antecedat: Tertium Aychstetensis, ut metropolitanus Cancellarius: quartum Spirensis: quintum Argentinensis: sextum Verdensis: septimum Curiensis: octavum Hildesianus: nonum Baderbornensis: decimum Constantiensis: undecimum Halberstatinus: ultimum Augustanus: etsi quidam Verdensem ultimum faciant, & Augustano proximum ab Argentinensi locum concedant.

Talem vero de loco & sessione contentionem inter Apostolos Christi aut veteres Episcopos fuisse, nusquam legimus, nisi mater filiorum Zebedæi tale fere quiddam meditabatur, ac filiis petebat: quam vero una cum filiis & Apostolis aliis gravissime reprehendit Christus Luc. 22. inquiens: principes gentium dominantur, & qui potestatem habent, vocantur benefici: vos autem non sic. Vnde iterum, cujus Spiritus mancipia Episcopi nostri sint, quivis lippus ac tonsor potest dijudicare.

Subiiciebatur olim Mogûtino huic Archiepisco-

patui etiam Babenbergensis. Episcopatus adhuc novellus & nondum satis erectus, sed exemtus est paulo post iterum ab omni jugo *Archiepiscopali*, & ingenuus ac liberrimus pronunciatus (ut qui nulli alteri mortali, nisi *Romano* pontifici subesse deberet) cum ab ipso fundatore, Imp. Henrico claudo & sancto, tum è pontifice maximo Clemente secundo, qui antea Bambergensis Ecclesiæ secundus fuerat Episcopus, Suidegerus dictus. Ita Bambergensis quilibet Episcopus, suæ diœceseos Archiepiscopus est, & appellari potest. Is sub se habet Episcopatum Pomeraniæ Iulinensem, ab antiquiori & prima sede Iulina, mox vero alio translatum à nova sede, Caminensem nuncupatum.

Secunda sedes Archiepiscopalis & Metropolitana in Imperio Germanico est Colonia in inferiori Germania ad Rhenum sita, & latissime per Westphaliam, h. e. occidentalem Saxoniam, & Angeriam hodie imperitans: cujus antistes sacri Romani Imperii itidem princeps Elector est, & ejusdem Archicancellarius per Italiam. Hujus amplissimæ sedis comprovinciales Episcopatus numerantur hi quinque: Leodiensis, olim Tungrensis dictus: Trajectensis, seu Vltrajectinus: Mindensis: Monasteriensis, antiquitus Mimigardevordensis à prima sede appellatus: & *O*snaburgensis; eodem ordine etiam in publicis vel Imperii vel provincialium Synodorum congressibus sedentes, quo eos recensui.

Tertia sedes Archiepiscopalis in Germania, situ media fere inter Coloniensem & Moguntinam, constituta & ordinata est TREVERIS, omnium totius Christiani orbis fere urbium antiquisfima, ad Mosellam in Lotharingiæ finibus quidem sita, sed quæ ad Rehnum etiam letissime dominatur. Hujus flamen ex vetustissimo Sylvestri pontificis maximi indulto & privilegiis singularibus primas constitutus fuit omnium totius *Germaniæ* & *Galliæ* Episcoporum, unde distichon Sylvestris papæ ad Agricium Archiepiscopum Treverensem tale vulgo jactatur:

Sume prioratum post Alpes, Trevir. ubiq;
Quem tibi lege novâ Roma dat, & veteri.

Sed primatus seu prioratus hujus per Germanias [proculdubio ficticia etiam: sed diu tamen usurpata à Treverensibus] dignitas, sub Imperatoribus Othonibus postea huic ademta, & Magdenburgensis concessa est. Vero Treverensis Archiflamen unus etiam ex Imperii septemviris, h. e. civibus Electoribus, simulq; ejusdem Imperii Archicancellarius per Gallias, & regnum Arelatense ad Rhodanum situm, & Allobrogibus, h. e. Sabaudis vicinum. Hæc tertia Metropolitana Ecclesia habet sub se comprovinciales & suffraganeatus titulo sibi conjunctos Episcopos, tres tantum; Metensem, seu urbis Mediomatricum antistitem, Tullensem & Virdunensem.

Quarta Archiepiscopalis Germaniæ sedes est Magdeburgum, in primo Saxoniæ aditu & initio ad Albim sita, primatus titulo & dignitate præ cæteris à Pontifice Max. Ioanne VIIII. gratitudinem in hoc suam Othoni Imperatori ostendente, honorata, de qua Conradus Celtis Albim celebrans in 4. lib. Amorum, Elegia secunda sic canit:

Eius & ad ripas Madeburgum nobile splendet,
De septem sacris sedibus una nitens.
Condidit hanc Cæsar primus qui dicitur Oddo,
Oddo Saxonicæ gloria summa plagæ.

Huic *Archiepiscopatui* provinciales Episcopatus subditi sunt, Mörsenburgensis, in Thuringia ad Salam fluvium situs: Numburgensis, quin & Mammillensis, qui in Misnia partim ad Hellestramamnem, partim in Thuringia itidem ad Salam situs est: *B*randenburgensis in veteri Marchia ad Hortellum amnem: Havelburgensis, in eadem fere vicinia ad Havelum fluvium fundatus. Suberat eidem olim & Misnensis Episcopatus, sed & ille exemtus, & pontificum ac Imperatorum munificentia ingenuus, & ab omni *A*rciepiscopali jugo & obedientia liber est, solusq; Papæ esse dicitur.

Quinta Archiepiscopalis sedes *SALISBVRGVM* [etsi ea quarto loco, quod Magdeburgensi antiquior sit, collocanda erat, ut etiam in publicis consessibus quartam sedem tenet) est in Bavaria ad Salsam seu Saltisium amnem sita, dicta olim Iuvavia, & Germanica voce Helffenburg/ quod antiquitus Romanorum ibi collocata fuissent præsidia adversus Bojos & *A*llemanios: unde aliqui fluvium etiam Iuvarum appellarunt. Hujus sedis mentionem facit Celtis in l. secundo Amorum, Elegia septima, talibus versibus.

Est locus, aëreas ubi noricus excipit Alpes,
Hic magnum numen Bavara terra colit:
Hic ubi consurgit septem de sedibus una:
De falsâ cuarum nomen in orbe gerens.
Quæ quondam fuerat Romana Iuvavia dicta,
Iuvit ut Italicos sæva per arma viros.

Hæc Tauriscis vicina Metropolis & Ecclesia Archiepiscopalis omnium quas Germania habet, opulentissima, & Tauriscorum provinciæ magna ex parte, & Carinthiæ imperitat: & habet se comprovinciales Episcopatus octo, tali mensura, serie & ordine collocandos: Frysingensem in superiori *B*avaria ad Isarum amnem: Pataviensem, infima Bavaria ad Oeni ac Danubii confluentes situm, & latissime pro omnem supe-

superiorem Austriam domitantem: Ratisbonensem in medioxima Bavaria: Brixinensem, ab antiqua & prima Sede: Sabionensem in Alpestri Tautisiorum vel Rhetia prima, ultra Brennum ad Isarum amnem situm: Chyemensem, urbe Salisburgensi conterminum, & pene inclusum: Garcensem in Charinthia; Seccoviensem in Stiria seu Taurimarchia: Laventinensem in amœnissima Carinthiæ valle, quæ à Laventibus nobili fluvio nomen accepit, splendide fundatum.

Sexta Archiepiscopalis sedes est BREMIS sive BREMA, ad VVertam. alio nomine Visurgin, Usurum, seu Weseram, amnem amplissimum in Saxonibus sita cujus itidem Celtis poeta meminit in 4. libr. Amorum Elegia secunda his versiculis:

Visure. Saxonicis amnis clarissimus oris,
Sedibus è septem quà Bremis una micat.

Hujus sedis comprovinciales Episcopatus sive suffraganeatus sunt Lubecensis, olim Altenburgensis ab antiquiore sede, oceano septentrionali vicinus & Cymbricæ chersoneso; Suerinensis in Mechelburgia seu ducatu Megapolitano: Lebusfinensis seu Lybussimus in veteri Marchia, Brandenburgensi seu Vandalorum terra: Schleswicensis, Daniæ & Diethmarsiæ vicinus; Razenburgensis in VViredis & Sclavonib. situs: Hamburgensis, olim Archiepiscopatus & omnium Aquilonarium provinciarum Metropolitanus, nunc Bremensi unitus.

Septima sedes Archiepiscopales in Imperio Germanico est & nominatur RIGA: hæc in Livonia ad mare Balthicum, aut in maris potius Balthici vicini ad navigabilem & amplissimum flumen Dunam sita est, hujus sic etiam Celtis meminit in l. 4. Amorum, Elegia nona:

Vel pete Sauromatas, ubi Revela Rugaque surgunt,
Ultima de septem sedibus alta micans.

Huic subjecti sunt Episcopatus comprovinciales Revaliensis, ad mare Balticum; Curonensis, Oeselicensis, & Tarbatensis seu Derptensis, in mediterranea Livonia siti. Sunt autem adhuc alii Episcopatus in Germania, aut certe Germaniæ annexi, à germanis septem sedibus item culti & gubernati, qui majori etiam ex parte Germanica lingua utuntur, quos non his commemoratis septem sedibus, sed aliis Archiepiscopatibus subjectos, ordine etiam recensebo. In Borussia (illic enim, Regensibus nunc vicinus auspicari volo) quatuor sunt celebres & præclari Episcopatus; VVarmia, Germanice Ermenland/ cui nostro seculo præfuit clarissimus Antistes Ioannes Dantiscus, Poloniæ Regum olim Secretarius, cujus extant quædam insignia poemata. Sambia, vulgo Somland, cui præsidet Episcopus Ioannes Bolencki. Tertius est Bomesania, cui præfuit laudatissimus, & omnium seculorum memoria dignissimus antistes, Paulus Speratus, Theologus insignis, & recens patefactæ veritatis Evangelicæ fautor, & illustrator, & propagator fidelissimus. Quartus est Culmia: huic præsidet magna virtute Diedemannus Gieso. Has quatuor Episcopales sedes hodie una cum reliqua Borussia, Regno Polonico subditas, (qui eas melius novit) ornandas & illustrandas relinquo. In Silesia Episcopatus est celeberrimus Uratislaviensis, is (si recte edoctus sum) ab omni jugo Archiepiscopali exemtus est, Episcopatus olim aureus, sed quem bella Hussitica luteum fecerunt: eius antistes Nocesii residere, & habitare solet. In Moraviæ Marchionatu est Episcopatus Olomuntinus amplissimus. Is Pragensi Episcopatui penitus devorato, suffraganeatus titulo subjectus fuit. In Austria duo sunt, Viennensis antiquissimus, sed mox collapsus, at nuper ab Imperatore Friderico III. ex Austriæ Archiducatu Regnum facere parante, postliminio instauratus: Episcopatus tenuis, & cujus diœcesis cum urbis Viennensis mœnibus fere terminatur. Alter tenuior fere, Neostadianus est, octo germanicis milliaribus infra Viennam situs, & ipse ab Friderico III. Imperatore recens fundatus, Hi ambo, singularibus prærogativis & speciali gratia Curiæ Antichristianæ Romanæ nulli Archiepiscopo subjecti, sed liberi & exemti sunt ab hoc, & ab omni regno Dei. Sequitur Carniolæ Episcopatus, plane etiam novellus & exiguus, Labacensis: qui eundem Fridericum III. Imperatorem authorem habet. Is una cum Wesbrunnensi seu Vesprimiano, & Iauriensi, h. e. Rabensi, inferioris Pannoniæ Episcopatibus & Ecclesiis, Strigoniensi Archiepiscopo subesse dicitur. Non procul inde & Tergestinus est, in foro Iulii & ad Martis Adriatici æstuaria situs, Is Veneræ ditionis, & Patavino seu Paduano Antistiti, ad Medoacum seu Brentam habitani, subjectus est. Infra Carinthiam in Athesina provincia est ad Athesin, fluvium vele Germanicum, & in Germaniam ortum, in ipsis mediis fere Alpinum faucibus, Episcopatus Tridentinus, vere unus ex Germaniæ Episcopatibus, & qui semper Germanos gubernatores habuit. Is Patriarchæ Aquileiano, una cum Longobardiæ Episcopatibus, aquilegiensi, Mantuano, Cumano ac Veronensi, subest. In Helvetiis sunt Episcopatus celebres tres, Basiliensis ad Rhenum, cujus sedes hodie Bruntrudum est: Sedunensis in Valesia, ad Rhodanum & Sedunum confluentes situs: & Lausannensis, ad lacum Lemannum seu Genevensem, ex veteri Aventico translatus. Hi p. 567.

Bbb 2 Bisantino

Archiepiscopatui in Burgundionensibus sito subsunt. Is vero Galliæ, non Germaniæ Archiepiscopatibus annumeratur. Sic habes, studiose lector, Episcopatuum Germaniæ omnium, numero videlicet sexaginta sex, ordinariam commemorationem, & quo quemq; loco quærere debeas: horum omnium annales in hoc opere nostro videbis, collectos à nobis mediocres, etsi aliquos aliis copiosiores, aliquos jejuniores, neque n. ubiq; perlustrandis, evolvendisq; Bibliothecis admissi sumus, ut certe aliquibus locis clementer sumus, non bibliothecis solum, sed & Archivis admissi.

Hi vero mensuratæ illius Ecclesiæ, de qua Angelus in Apocalypsi loquitur, non exigna pars, non ea solum harmonia & mensura (quam hactenus recensuimus) distincti & ordinati, sed singuli aliis insuper splendidis ornamentis, mirisq; insuper fulcris & sustentaculis, præsidiis secularibus (ut videlicet is ordo totius mensuratæ Ecclesiæ, & maxime conspicuus esset, & diutissime inconvulsus maneret) primum illustrati, postea vero ad omnem hostilem impetum ac violentiam incomparabiliter suffulti & muniti sunt: qua de re libet etiam tecum pauca adhuc colloqui ac confabulari. Oportet enim omnino nos tam accurate mensuratam illam Ecclesiam diligenter videre, ut alteram postea, nudam scilicet, inermem, & omnibus humanis præsidiis spoliatam, nullaq; externa specie superbientem, certius ac facilius agnoscere valeamus. Quemadmodum ergo Romanus pontifex (mensurati hujus templi caput) non Cardinalium & Archiepiscoporum tantum ac Episcoporum, non Patriarcharum & Abbatum speciosa corona, tamque diversissimorum ordinum innumeris Monasticis utriusque sexus cœtibus, circumquaque vestitus & ornatus est (quæ omnia & ad pompam & ad majorem existimationem, apud summos pariter infimosque seculi hujus homines comparandam, præclare facere, & plurimum momenti afferre posse videntur) sed & insuper adversus omnem vim secularem, nequaquam beatæ Virginis, nequaquam Beati Apostolorum principis Petri, beatorumq; aliorum mille divorum ac tutelarium numinum (quorum patrocinium tamen Papistæ indesinenter jactant) tuitione contentus, Regum potius ac totius orbis Christiani potentissimorum principum amicitia, benevolentia & præsidiis armatus est. (Hi enim omnes tanquam subjecti vasalli, omnia regna sua ab hoc uno, tanquam supremo directo domino, accipere, & hunc unum regnorum omnium datorem confirmatoremq; agnoscunt: Vnde sæpe factum est, ut quoties unus aliquis adversus pontificem, justissimis causis etiam motus, insurrexerit, ibi reliquos statim armatos adesse & Ecclesiam illam, rerum dominam, adversus omnem violentiam tueri ac defendere oportuit.) Sic, inquam, Archiepiscopi & Episcopi omnes in nostra Germania (de aliarum enim orbis partium tutelaribus Episcopis innumeris nihil hoc loco plane agimus) incomparabili superbia, fastu, ac insatiabili latissime dominandi cupidine incensi, sua secularia quoque ornamenta, & armata præsidia non quæsiverunt tantum strenue, sed apud ignaros rerum simul ac veræ pietatis Reges & principes facilime obtinuerunt, & consecuti sunt: siquidē omnia, quæ habent ex Regibus & orbis terrarum principibus, illa humilime primum, sub ornandæ pietatis, sub augendæ & promovendæ Christianæ religionis sceleratissimo prætextu postularunt, & idcirco nullam usque repulsam passi, à pietatis Christianæ studiosis nimiumq; credulis Germanis citra laborem & difficultatem omnia impetrarunt. Vtq; de Moguntino incipiam primarie agam (nolo. n. imo non possum etiam omnium & singulorum superbiam ac fastum commemorare, sed exemplum saltem unum aut alterum inducere volo, ex quibus cæteri etiam judicari possint) habet iste aulæ suæ, non aliter ac Reges & Imperatores ipsi solent, proprios in Imperio eosq; certis conditionibus & juramentis sibi obnoxios & obligatos (etiam inter principes viros) ministeriales, corporis sui curam gerentes, Marsallos, Camerarios, pincernas, ac dapiferos, non solum supremos (quales Imperatori sunt quatuor Electores, Saxo, Marchio Brandenburgensis, Palatinus Rheni, & Bohemiæ Rex) sed & his subdelegatos, quales itidem in Imperio designati sunt, qui vices absentium Imperii Electorum gerant, Bappenheymius, Falckensteinius, Archimagirus de Nortemberg, & pincerna Limpurgius. Sic Moguntinus Archiepiscopus Archimarsallum, primarium ensiferum seu protospatarium habet illustrem principem Landgravium Hassiæ, & huic subdelegatum Hæreditarium Salæ, id est, aulæ Magistrum, seniorem ex nobili familia Vbeniana: Archipincernam generosum comitem de Veldenz, hæreditarium huic absenti subdelegatum, nobilem virum à Cronberg. Archidapiferum comitem Anaxovianum: Subdapiferum, nobilem Regulum à Kronnweg. Sic Archicamerarium, illustrem comitem Rinegianum, & huic absenti substituendum, hæreditarium cubicularium, majorem canem, vulgo den Rüden de Collenberg.

Hæc maguntini Archiflaminis superbia, magnificentia & splendor est. De Treveri, Golonia, cæterisq; multis nihil dicam, quis enim fastum sacrificulorum omnem, centum etiam linguis instructus, effari posset? Intueamur vero & Argentinensem, imo

Bamb

Bambergensem,& huic vicinum Herbipolensem, Moguntino *Archiep.* superbiorem. Argentinensis habet ducem *S*eviæ camerarium, ducem Wurtembergensem Marschallum, Langraphionem Alsatiæ dapiferum, & nescio quem alium provincialem comitem, Ecclesiæ suæ pincernam. Babenbergensis vero, omnium (quos orbis habet) Episcopatuum fastuosissimus, eosdem habet Archimarschallū, Archidapiferum, Archicamerarium, Archipincernam, quos habet *R*omanus Imperator: sed hi rursus ita privilegiati sunt, ut suo loco talibus ministeriis substituant. Saxo Elector seniorem ex familia Marsallorum de Ebmut, Palatinus Rheni seniorem ex familia dapiferorum de Bommersfelden, Marchio Elector seniorem ex familia nobilium de Schweinsberg. Schvveinsbergiis vero extinctis, cum Babenbergensis camerariatus dignitatem nobiles Reguli de Rotenhan ducentis Rhenensib. aureis compararunt, ex abulismo de Schweinsberg/ canonico Babenbergensi redemerunt, sibiq; ac posteris suis, tanquam illustre ac magnificum quiddam, vendicarunt. Rex Bohemiæ substituit pincernam suo loco, seniorem ex familia nobilium de Aufsess.

Et hi quatuor seculares sacri *Romani* Imperii Electores, Saxo videlicet, *Palatinus*, Marchio Brandenburgensis, & Rex Bohemus, Vasalli sunt Antistitis Babenbergensis & singuli certarum civitatum ab hoc ipso Episcopo feudis investiuntur: Rex enim Bohemiæ Electoratus dignitatem, & simul veterem civitatem *Pragensem*: Elector Palatinus Electoratum cum oppido Anbergensi, Elector Saxonicus una cum Electoratu civitates etiam VVittebergam & Mysburgum (accepitq; hanc investituram à Wigando Episcopo *B*abenbergensi: Joan Fridericus Elector, postea in Schmalcaldico bello captus:) Elector Brandenburgensis Septemviratus dignitatem una cum civitate Berolinensi ab hoc veluti primario directo Domino, petere tenentur. Et hanc præeminentiam & singularium privilegiorum amplitudinem ac Majestatem, ab *Imperatore* Henrico II. & à S. Kunigunde, ejusdem conthorali, primariis Ecclesiæ Bamberg fundatoribus ac patronis concessam, vocant *S*ericatum, seu sericinum filum divæ Kunigundis Imperatricis, quo ipsa videlicet Ecclesiam sibi charissimam munire & circumdare voluerit. Venio ad Herbipolensem, is inter suos ministeriales, Hennenbergensem principem & comitem Rinegianum habet. Sed desino hæc commemorare, quæ nescio an Germaniæ ornamento sint, aut non potius summo dedecori: quod eo res principum clarissimorum pervenerit, ut sacrificulorum, impurissimorum hominum servitores, & pene mancipia facti, ad infimam prope sortem redacti sunt: splendentibus interim & opum magnitudine incomparabiliter insatiabiliterq; luxuriantibus his, quibus pietem præclara hypocrisi simulantibus, & eandem vendentibus, ipsi Eleemosynas tam munifice tamque liberaliter subministrârunt. Hunc incomparabilem Episcoporum fastum paulò post etiam Monachi sequuti, ex ipsis quoque aliqui talem rerum eminentiam ac sublimitatem consecuti sunt. Sic Abbas Sancto Gallensis 4. suos officiales habuit, duces *S*ueviæ dapiferos, Comites ab Hohenberg pincernas, comites à Zollern Marsallos; comites à Regensperg Camerarios. De aliis Abbatibus nihil dicam, inter quos tam commune etiam hoc fuit, ut ad muliebrem quoque sexum ejusmodi dominandi cupiditas & ambitio pervenerint. Sic n. Abbatissa Quedlinburgensis quatuor officiales habuit quatuor illos imperii prætores & advocatos, à quibus Voytlandia seu terra *A*dvocatorum & prætoriana nomen accepit; *B*arones videlicet à Gera, *B*arones de Plauhen, Rhurenos de Grez, & *B*arones de Weydaw. Nonne vero hæc est infinitis Geometricis formis præclare mensurata illa (de qua in Apocalypsi tam prolixe agitur) illustris & pomposa admodum, totique terrarum orbi spectabilis Ecclesia, ad quam totam elucidandā, ad cujus omnes superbiæ formas explicandas, aliquot etiam opus erat linguarum Myriadibus. Sunt vero hæc tandem *A*postolica? suntne Ecclesiastica? Quid (obsecro) Ecclesiæ pincernis, quid Camerariis, quid Marsallis opus erat? Si quidem humilis ille & abjectus cœtus est contemti & crucifixi in hoc mundo Christi Iesu fidelium.

Vbi verò hæc à Deo mandata? à quove Christi Apostolo ostensa, quove Spiritu monitore deprehensa & producta sunt? Talene aliquid Moses, aut Elias, aut Christus, aut hujus præcursor *B*aptista præcipit? Talene quiddam Paulus doctor gentium monstravit, aut orbi terrarum invexit? Hæcne pater cœlestis instituere jussit, cum de cœlis propria voce dilectissimo filio suo testimonium perhiberet, eumq; audiri serio mandaret: Taliane doctor ille totius humani generis (qui per triennium in hac mortali vita concionatus est) secum cælo attulit alto? Si non attulit, sed humana sapientia (veri Dei ignara) excogitavit: cur rebus & sententiis, pompis & ceremoniis, cum Christi veritate & sanctissimis præceptis ex diametro pugnantibus, tantus habetur honos? Si vero attulit, a quo *A*postolo hæc conscripta? cur ita turpiter à regni cœlestis quatuor illis *A*rchicancellariis (qui vitam omnem, qui dicta simul & facta Christi solicite, & Dei instinctu, & Spiritus sancti præsidio annotârunt) neglecta sunt? An vero (ut ejusmodi pompæ & mensurationes instituerentur) tum mandavit

Christus, quando prope afflictam Bethaniam in monte Oliveti, elevatis manibus greg. Apostolorum benedicens mox propria virtute sublatus ferretur in cœlum? omnino non. Quid ergo mandavit? certe mandavit aliquid: certe non mutus ab Apostolis & charissimis discipulis suis discessit? quid ergo facere eos jussit.

Iussit redire eos Hierosolymam, & ibi expectare brevi mittendum paracletum, quo veritatis duce accepto, induti virtute ex alto, postea irent in orbem universum? an ut tales mille ceremonias & pompas papisticas & Monasticas circumquaque instituerent? nequaquam. Ad quid ergo? Vt prædicarent Evangelium omni creaturæ. Evangelium? certe diligenter illud ipsum & legitur & canitur, honorificentissimeq; tractatur omnino in tot Episcoporum, Monachorum & sacrificulorum Missis: & ut unius saltem templi mentione faciam, in solo summo Ratisbonensi singulis annis cani solent Missæ num. 7254. Nonne vero hoc est placere iterare, ornare & celebrare Evangelium? sacrificuli. n. legentes & canentes, in honorem Evangeliorum, quæ leguntur, auro argento, & serico & gemmis ornati, cereos accendunt, tiolas pulsant; & omnia ordinatissime simul & pulcherrima serie faciunt. Imo ad libru etiam ipsum non nisi singulari veneratione accedunt, p. 569. toties flexis sese poplitibus inclinantes, toties capita cum toto corpore incurvantes, tot crucibus librum signantes, tot osculis eundem excipientes imo librum Evangeliorum ipsis etiam Regibus exosculandum proponentes.

An vero hoc non est Evangelium honorare & late propagare? quod Episcopi & sacrificuli sane faciunt, ac ita quidem magnifice ac pompose, ut regibus etiam terram admirationi simul ac terrori sint. At hæc inepta ac mundi superbiam referentia Christus nusquam jussit. Quid ergo jussit prædicare & docere id Evangelium, quod ipse totius generis humani Doct. prius docuit, quod ipse è sinu æterni patris ad nos transportavit. Id solum & unum Bonum ac lætũ nuncium, de placato per se dilectissimum filium æterno patre, de gratuita remissione peccatorum, de donatione Spiritus sancti & vitæ æternæ: hoc inquam toti terrarum orbi annunciari voluit, hoc prædicari, hoc doceri mandavit ubique: addita insuper illustri & luculenta promissione, qua huic Evangelio credituris pollicetur salutem & vitam sempiternam: adducta item gravissima comminatione, qua interminatur non credituris æternam damnationem.

Quid hic obsecro de pompis? quid de Missis? quid de fastu sacrificulorum? nihil quicquam. Quid enim tale suos doceret, aut suis mandaret, qui ipse fastum [illegible] oderat & abominabatur? qui pomp[illegible] omnem detestabatur? [illegible] Regium [illegible] dorem & dominationem fugiebat [illegible] qui discipulis regnum mundanum [illegible] antibus aperta voce dicebat: [illegible] gentium, principes dico [illegible] per gentium, id est, gubernandis [illegible] dis gentibus, amplissimis [illegible] nitus præfecti? Hi, inquam, [illegible] & vocantur benefici. Vos autem [illegible] vos inquam, quos ego Doctores [illegible] generis, quos Ecclesiarum, non [illegible] rum gubernatores, quos animarum pastores esse volo: vos (inquam) non [illegible], non debetis dominari, non regere, non gubernationes instituere more [illegible] principum. Quid ergo facere debent? Ministrare debent, servire debent, [illegible] & pascere oves Christi: hoc unum [illegible] lum verum est Ecclesiasticorum [illegible] Christi sequacium, verorumq; [illegible] rum munus. Sic Filius hominis [illegible] mundum venit, non ut ei [illegible] sed ut ministraret omnibus ipse. [illegible] Sicut me misit pater, ita ego [illegible] nempe non ut civile [illegible] quod [illegible] in hoc mundo regnum [illegible] amplissim[illegible] imperium, sed ut serviatis [illegible] ri, ut doceatis & prædicetis [illegible] sitis testes, & eam etiam mercedem [illegible] atis, quam ego recepi. Non mitto [illegible] vobis quæratis regna, sed ut mihi [illegible] regnum æternum inchoanti, colligatis [illegible] clesiam, quæ mihi vere credens [illegible] cet me, recte colat, & me [illegible] tandem liberata in omni æternitate [illegible] cet, honoret, illustret.

In hoc mittam Spiritum [illegible] qui arguat impium & sceleratum mund[illegible] h. e. omne mundi satellitium [illegible] idque per vos, & per ministe[illegible] sticum. In quo mihi vos servietis, [illegible] virtute Spiritus sancti ex alto. Non [illegible] verum solummodo mundum, sed [illegible] consolabitur in omnibus ærumnis, [illegible] ce, quæ itidem vobis bajulanda [illegible] fuit.

Idem ille Spiritus erit non [illegible] fastus, non pomparum author [illegible] spiritus veritatis. Quis vero est veritas? Nonne ego Christus? Ergo ille meus Spiritus ex me & patre meo procedet, qui ducet vos in omnem veritatem [illegible] in perfectam cognitionem mei & dilectissimi patris mei qui est in cœlis, inquam Spiritus erit [illegible] testis, i. e. testificabitur coram omni, quantumvis ferociente & grunniente, M[illegible], hanc solam & unicam doctrinam [illegible] cœlestem vocem, quam ego patris [illegible] su, in hoc mundo docui. Sed [illegible] vos discipuli mei, quos nolo de externo aliquo regno solicitos esse, itidem eodem Spiritu sancto, eodem Spiritu veritatis, eodem [illegible]

[illegible] doce & adjutore ; ejusdem insuper [illegible] induti & roborati. Testes mei eri[tis, &] nihil aliud euntes in orbem univer[sum] concionabimini, nihil aliud docebi[tis], nisi hoc unum : Me Christum Jesum [ae]terni & immortalis Dei unigenitū filium, [ve]rum Deum ab aeterno genitum, verumq; [ho]minem, sed è Spiritu sancto conceptum, [&] ex intemerata Virgine in seculo natum, qui [illegible] in hac vitâ docui, jam à vo[bis] [illegible] abiturus, ut fiam victima [pro] peccatis mundi, ut patiar sub Pontio Pilato, crucifigar, moriar, sepeliar, descen[d]am ad inferna, tertiâ die resurgam, ascen[dam] [&] dextra patris assideam: me (inquā) [ver]e esse Semen illud mulieris, quod con[te]rere debet caput serpentis, mordendum [ta]men prius ejusdem calcaneo.

Me verè esse semen promissum patribus, in quo benedicendæ sint omnes gentes: Me [ver]è esse serpentem illum æneum, cujus in[tui]tus sanet infernalis serpentis morsus: Me verè esse eum, per cujus vulnera sanan[d]um sit genus humanum omne : Me verè esse Agnum Dei tollentem peccata mundi, [pro]pitiatorem, Mediatorem inter Deum & hominem, Sacerdotem & pontificē sum[mum], [ver]um Ecclesiæ Dei caput, lapidem [sum]mum angularem & fundamentum omniū [illegible], imò viam, veritatem, resurrecti[onem] [illegible] & vitam sempiternam.

Hujus, inquam, nec ullius alterius do[ctr]inæ à me primum patefactæ, uti Spirit[us] sanctus testis erit, quid nihil novum affe[ret], [aut] antea inauditum confinget. sed de [meo] accipiens vobis annunciabit, sic vos [illegible] testes & prædicatores, atq; propaga[tores] [illegible] hujus unius, & solius æternæ, & [im]mutabilis meæ sententiæ. Hoc concors [illegible] semper ad finem Mundi usq; du[rat] [illegible] & Spiritus sancti & Apostolorum, & [o]mnium piorum doctorum concionato[rum]que de Christo æterno Dei filio testimo[nium], in quo præter prædicationem Evan[geli]i, præter baptismum, absolutionem, & [c]œnam Domini, nihil præterea doceri au[dir]i, nihil omnino tradi de titularium E[pi]scoporum & Monachorum pompis ac [ceri]moniis [illegible] nihil de Antichristi Ro[mani] [illegible] incomparabili, & innumeris ac[illegible] [illegible] traditionibus, de quibus u[illegible] [illegible] quid tamen etiam dicat Christus, hoc [illegible] ex veteri Propheta dicit : frustra se [colunt] mandatis & doctrinis hominum.

Videant itaq; nunc secumq; quo amen[ti]æ prolapsi sint, tandem aliquando cogi[ta]ntes non hi solum, qui mensuratæ hujus Ec[cl]esiæ capita sunt & principes, Episcopi ni[mi]rum & Canonici, nobilitatis Germanicæ [illegible] reliqui item sacrificuli & Monachi : [sed] & orbis terrarum maximi quiq; prin[ci]pes, qui hujus, in templum Dei inductæ [illegible] humanarum incomparabilis abyssi, & incōprehensibilis petulantiæ ac superbiæ, ineffabilis itidem Tyrannidis & crudelitatis, non spectatores tantùm, sed & approbatores confirmatoresq;, & munifi. centissimi simul etiam illustratores fuerūt, parùm ejus fastigii & summæ dignitatis (in quam divinitus collocati sunt) memores: imò, quod magis dolendum est, omnis ve. rioris functionis suæ penitus ignari.

Dum enim veram pietatem a Christo & Apostolis traditam & verbo Dei compre. hensam agnoscere, profiteri, & tueri debu- erunt: hujus planè obliti & securi, omne re. ligionis studium (à quo penitus ferè exem. tos se arbitrabantur) solis sacrificulis & Monachis, ignavissimis simulque impuris. simis hominibus commiserunt, à quibus in æternas tenebras & omnis pietatis ignoti ā- tiam præcipitati sunt. Cum his seductori- bus nihilominus interea summi pariter in- fimiq; prolixissimè scortati sunt, dum ad Romani Pontificis, Meretricis illius Baby- lonicæ omnium procacissimæ, impudentissi- mæq;, & universi ejusdem Sodalitii nutum, nihil non fecerunt non aliter ac libidino- sissimi proci, Meretricularum amoribus ita occupati, victi & occæcati, ut negare ipsarum desideriis aut cupiditatibus nec possint, nec ausint etiam quicquam.

Utq; meretricum semper ulteriùs pro- greditur & in dies crescit superbia, petu- lantia, & fastus, hunc hoc, nunc illud delici- arum genus à procis suis fictitia & compo- sitâ verborum suavitate, innumerisq; leno- ciniorum generibus elicientium: Sic Thai- dis etiam hujus Antichristianicæ semper magis, & eo tandem usq; excrevit ambitio, fastus, superbia, cupiditas, & omne deside- rium, ut, absumtis propè procorum opibus & thesauris omnibus, latiùs progredi ne- queat omninò.

Hinc domina orbis terrarum facta est cum sodalitio suo omni, Meretrix illa im- periosissima, cui turpiter servierunt, & ad- huc majori ex parte serviunt (non secus ac Omphalæ libidinosæ Lydorum Reginæ strenuus & invictus aliquandiu, sed mere- triciis lenociniis fractus & eunuchatus Hercules) Imperatores, Reges, & principes terræ, etiā ad oscula turpissimorum pedum usq; : lenociniis eisdem impudentissimæ Laidis ita evirati ita dementati, ut nec quid pium, nec quid justum, nec quid Deo acce- ptum, nec quid humano generi utile aut sa- lutare, sit, usq; amplius possint, ac ne qui- dem cogitare.

Interim vera Dei Ecclesia, quæ Christi vocem audit & sequitur, tanquam veri sui pastoris & salvatoris divinitus missi, eamq; alios etiam fideliter docere parat, horribi- libus modis ab hac ipsa superbissima im- purissimaq; meretrice contemnitur, vexa-

tur, impugnatur, premitur, & tantùm non tota opprimitur. Contra hanc innocentem ac honestissimam puellam crudelissima meretrix, reprehensionis omnis impatientissima, procos suos circumquaq; pellicit, excitat & armat non aliter, ac lupa in agnā insurgens, hanc unam omnis fontis turbatricem, hoc est, publicam orbis pestem ac perniciem, & omnium totius humani generis calamitatū authorem & causam ubique clamitat, hanc non proscribi tantùm, sed universaliter excindi, & radicitus ex hominum societate ejici cupit, idq; procis suis imperiosè mandare, & imperare nequaquā erubescit, per omnia nimirum potenti, & immanissimæ meretrici simillima, imò omnium quas orbis terrarum habere potuit, impudentissimarum Laidum atq; Thaidum incomparabilis antesignana.

Atq; ita tandem habes lector, cujus Ecclesiæ historiam aut Annales à nobis expectare debeas: nempe mensuratæ illius, & tam incomparabiliter personatæ, insatiabiliterq; luxuriantis Meretricis, quam secunda *Babylon*, rerum domina Roma fovet, Sathanæ filiā & Erebi sponsam certissimam. Dabimus tamen in operis hujus colophone, aliquid etiam de veræ, & nostro seculo resuscitatæ Ecclesiæ doctoribus: ut non meretricis tantùm Babylonicæ, in splēdidissimo imperiorum mundi curru luxuriantis & triumphantis, superbiam ac fortunas admirari, sed sanctissimæ etiam filiæ Sionis, innocentissimæque Christi sponsæ (quæ supra dicto splēdidissimo currui tanquam abjectissimum lutum adhæret) humilia & contempta quidem coram mundo, sed æterno Deo gratissima saltim vestigia, reverenter intueri & piis precibus adjuvare possit. Bene vale. Pestendorphi in Palatinatu 20. Maji Anno *Domini* 1556.

Idem. *Altmannus* patriā Saxo, aut ferè Westphalus, extra honestum conjugium illegitimè natus (ut pervetus Chronicon habet) constitutus Episcop. *Pataviensis* Anno 1065. in luxuriantem clerum gravis & acerrimus erat animadversor: quē idcircò universaliter reformare, & in meliorē (ut sibi videbatur) statum redigere volebat. Cumque, tanto labori oneriq; imparem se esse videret: Romam scribit, consilium pontificis Gregorii septimi expedit. Is rescribēs, fulmina sua in conjugatum clerum sine discrimine omnem conjicit: *Altmanno* plenariam potestatem confert, ejiciendi ex Ecclesiis sacerdotes uxoratos omnes, & substituendi cœlibes. Hac authoritate fultus Altmannus clerum omnem suum convocat, literas pontificias in ipso Pataviensis Ecclesiæ gremio publicè prælegi jubet, & mandato simul pontificio & consilio suo proposito, viros consecratos ab uxorum consvetudine abstinere præcipit. Clerus Altmanno antea infensus, & [illegible] jam novæ rei indignitate magis [illegible] audacter respondet, nec posse, nec velle [illegible] se conjugale hoc vitæ genus, divinitus [illegible] permissum solummodò, sed [illegible] mandatum, cōmutare: habēre se vitæ [illegible] sacris literis congruam, ab antiquis patribus quasi per manus accepisse, & [illegible] nullo Episcopo hactenus oppugnatam [illegible] prohibitam esse: in hac divinā ordina[illegible] ne natos se, in eadem permansuros [illegible] esse, quoad viverent. Altmannus propositionem suam intelligens parum fuisse gratiam, nec se satis tutum esse in hac rerum perturbatione, primo furori aliquantulum cedendum esse, ratus, concionem dimittit: paulò pòst, ipsâ nimirum S. Stephani die, in festo solenni, ministeriales suos accersiverat & invitârat omnes, aliosq; vicinos [illegible] nobiles plurimos, quibus conjugii sacerdotalis prohibitio, utpote nova, [illegible] ta aut injucunda erat, non [illegible] cæcatis ac insulsissimis hominibus, quantū mali aut turbarum ex eā re enatum [illegible] riri aliquando posset. Horum [illegible] fretus, & præsidiis stipatus *Altmannus* [illegible] bito priùs solenni sacro) iterū in con[illegible] nem venit, ascendit suggestum & ibi [illegible] in theatro, magnā voce pontificium diploma, totum fulminibus plenum, secundariò recitat: gravissima simul interminatione canonicis ac presbyteris omnibus, juxta Canonum decreta ac instituta, simpliciter omne conjugium prohibens: & de facto excommunicans omnes, qui huic ordinationi vel medium ostenderent digitum, [illegible] ponere sese conarentur. Ibi universus [illegible] majore furore accensus, tanto tumultu [illegible] Altmannum consurgit, ut nisi ministerialium suorum & eorum procerum, quorum authoritatem & præsidia profore sibi duc[illegible] existimârat) ope & auxilio defensus, mox fugam quoq; è templo arripuisset, vita comite è S. Stephano abire nō fuisset permissus. Pòst quàm autem in tutum sese [illegible] recepisset, ne nunc quidē quiescens, sed officiosus ac diligens Pontificii decreti & executor esse volens (secutus Dei mandatorum, aut illius etiam veteris dicti, non facienda mala, ut proveniant bona) quod universaliter hactenus facere & exequi nō potuerat, moderatiori [illegible] consilio particulariter aggreditur; proscribit nunc hunc, nunc illum, donec paulatim & per gradus universum uxoratum clerum totā urbe ejiceret: assumtis in eorundem locum aliis, qui cœlibem vitam, etsi eandem impurissimā ore magis quàm corde, verbisque prolixiùs quàm facto, hypocrisi [illegible]ntùm quadam profiterentur.

Clerus è Pataviā expulsus, ad imperatorem Henricum IV. opem ejus implorans confugit: cui jam tum, etiam cum pontificibus

tibus acerrimum erat certamen de pontificum electione, ac de Episcopatuum collatione & investiturâ, qua Cæsar ex antiquo more ad se pertinere: pontifices verò, nusquam non novitati studentes, & Imperatorum potentiam authoritatéq; carpere non erubescentes, sibi deberi affirmabant. *Imperator* conjugium sacerdotum, ut ordinationem à scripturis sacris non alienam, approbans, hypocritico cœlibatui anteferēs, exulantem clerum Pataviensem defendendum suscipit, ac Ecclesiasticis muneribus præficit: contumaces sacrificulos ejicit, *Altmannum* vero, pontificiam authoritatem nusquam non allegantem, ac mordicus defendentem, proscribit.

Fecerat idem in aliis etiam Episcopatibus, ubi simili tyrannide conjugium sacerdotibus exceptum ac prohibitū fuerat. Unde Romanus pontifex Gregorius VII. antea Hildebrandus dictus, iterum in Henricum Imperatorem exarsit: quem Romā citatum, denuò (quòd non illicò compareret) non solùm excommunicavit, sed Episcopis insuper Germaniæ, suas partes adversus Cæsarem foventibus, alterius Regis eligendi (qui idoneus, ut ipsi loquebantur, esset, & Pontifici obtemperaret) negotium dedit.

Electus itaq; est adversꝯ legitimum Imperatorem Henricum (qui jam transigendi omnis hujus negotii causa in Italiam profectus erat) pontificiâ & Episcoporum quorundam autoritate, non in loco legitimo, & honestæ electioni designato; sed in abstruso angulo, ac loco obscuro: non in Vorchemi *Babenbergēsis* Episcopi oppido (ut aliqui annotârunt) sed in Pfortzēsi Sueviæ ducum oppido (in quo hodiè Marchiones *Badenses* habenas moderātur) Rudolphus Svevorum Dux ac Rhinfeldiæ comes, anno 1077. qui tribus annis adversus dominum suum imperatorē Henricum, seditiosa arma gerens, cœlum terris miscuit, & sursum ac deorsum volutans omnia, totam *Germaniam* sanguine, incendiis, cœdibus, ac rapinis implevit: donec tandē post commissa in variis locis multa prælia (in quibus aliqui etiam Episcopi motæ seditionis pœnas dantes occubuerunt) anno 1080. ad Elysterim amnem cæsus ab Henrico est, & manu dextrâ (quæ præstitum Cæsari juramentum fregerat) amissâ Morsenburgum (id celebre Thuringiæ oppidum est ad Salam fluvium situm) confugiens, justas motæ adversꝯ optimum Imperatorem seditionis pœnas dedit, paulò pòst (cum tamen acerrimè priùs cum seditiosis hujus consilii authorib. Episcopis, objectâ ipsis etiam manu sibi amputatâ, expostulasset) rebus humanis exemtus.

Sic decretum istud pontificium de abrogando sacerdotum conjugio, maximorum in Germanico imperio tumultuum fomes, initium, ac seminarium fuit. Sed redeo ad Pataviam: unde cum discessisset Henricus IV. monachi cœlibes (qui S. Nicolai antemuranum oratorium ab Agnete Imperatrice & Altmanno Episcopo fundatum, tenebant, & nuper Henrico Imperatori emēdationē vitæ promiserant) novum tumultum exorsi sunt, antequàm etiam Imperatorii ministeriales ex urbe discessissent omnes. Conjugatos enim monachos seu Canonicos à Cæsare eidem etiā cœnobio restitutos, iterum expellunt unà cum uxoribus: templum verò (quoad ab his pollutum ac profanatum vociferabantur) scopis mundant, & aquâ benedictâ lustrant. Hos igitur imperatorii satellites cœnobio extractos, virgis publicè cædunt: & restitutis priùs sacerdotib⁹ conjugatis, magnâ ignominiâ cæteros nō solùm monasterio solùm, sed & urbe & omni viciniâ ejiciunt. Altmanuꝯ tali rerum *Patavianarum* facie animadversâ, cum nullam haberet spem in Episcopatum suum redeundi, in Saxoniā primùm fugit, ubi cum Halberstatensi Episcopo, *Bernhardo Buccone*, pōtificiarum machinationum ac seditionum omnium veluti chorago, novis contra Henricum IV. consiliis habitis ac initis, aliquandiu mansit: postea in patriam vicinam, nimirum Westphaliam reversus est. Cum verò nec istic quidē esset admodum acceptus iis, qui honestum conjugium impuro cœlibatui anteferrent: *Romā* abiit, remedium (unde malum acceperat) repetiturus. Cumq; illic Gregorio Pontifici Maximo ærumnas suas magnis querelis explicuisset: mox etiā ecclesiam Pataviensem (quā jam merito suo exciderat) eidem spe fortassis amplioris beneficii resignavit: additâ protestatione lugubri, sed nimium pharisaicâ, ne dicam etiam sycophanticâ, se eam videlicet Ecclesiā non (uti decuisset) à pontificiæ sanctitatis, omnibus mortalibus reverendâ & tremendâ plenitudine, sed ab Imperatricis Agnetis laicâ ac profanâ manu accepisse, atq; idcircò infeliciꝯ cesisse hoc, quicquid esset ornamenti seu fastigii, ad quod malè paratus & indignè accessisset Pontifex vel simplicitate, vel hypocrisi potiùs tali delectatus, jubet bono cum esse animo: curaturum, n. se, ut in brevi vel redeat ad Ecclesiam, ex quâ ejectus sit: vel pro sylvestri hac Amaryllide formosiorem aliquando Galatheam consequatur. Sic *Altmannus* aliquandiu *Romæ* hæret; spe secundioris auræ. In *Germaniâ* interim exardescit bellum, ut suprà dixi, inter duos *Reges* plusquā civile, ac toti imperio *Germanico* pestiferum, ac perniciosum summè. Henricus Imp. in Italiā audiens, electum esse à *Germaniæ* Epistolis alium contra se Regē, mox inGermaniam revertitur, Moguntiæ comitia indicit: ac tantum ibi etiam efficit, ut & armis & justis præsidiis adversus rivalem suum Rudolphum sese muniret: ac in Italiâ etiam adversus pontificem, harum omnium P. 174.

omnium turbarum authorem, miro per Cynthium Romanum civem quendam incendio excitato, eundem quoq; gravissimis turbis implicaret.

In his ipsis comitiis Altmannum (quem in suis opinionibus ac seditionibus firmato jam animo hærere ac permanere sentiebat) à Pataviensi Ecclesiâ in universum excludit, eidemq; Hermannum Leutholdi ducis fortè Francorum fratrem, substituit, qui duobus annis feliciter præfuit. Emigrati vero postea ex hac vitâ, annum Christi circiter 1080. Thiemo quidam succesit, Herbipolensis Canonicus, qui favore & pecuniâ veriùs quàm pietate aut virtute (ut hodie ferè fieri solet) Episcopatum sibi comparavit.

Is occupavit Episcopatum omnem ad Anasum usque. Quæ enim infra Anasum erant Episcopalia, sive allodia, sive feuda, ea Leopoldus Austriæ Marchico, & ipse contra Henricum IV. seditiosus, in Altmāni gratiam occupârat, ac potêter tenebat. De Hermanno ac Thiemone Herbipolensi canonico, schismaticis (ut vulgo vocant) Episcopis, hoc est, sub schismate designatis, aliud nihil in literas relatum est. Relictis itaq; his, ad Altmannum redeo.

Is Romæ clementiam pontificiam expectans magnâ spe, & subinde in curiâ hoc ipsum negotium suum, ut vocant, solicitâs: tandem aliquando, anno nimirum 1080. à pontifice Maximo in summum divi Petri templum vocatus, ibidem inspectante & annuente toto clero Romano, denuo non Episcopus tantum Pataviensis designatur & consecratur, sed pontificius etiam in Germaniam legatus constituitur, & cum privilegiorum ac authoritatum plaustris ablegatur.

Ajunt, Altmannū magnâ modestiâ onus hoc veriùs quàm honorem, diu recusasse: sed columbam albâ in templo circumvolitâsse, & Altmanni tandem capiti insedisse: quo prodigio Papa motus suam ipse sibi infulam à capite tolli, ac Altmanni vertici imponi jussisse legitur: quod sive fabulosum sit, ut esse apparet, sive verum, omittere hoc loco nolui. In Germaniâ itaq; reversus Altmannus non ad Pataviam amplius redit (nam omnia illic ei occlusa erant) ac si vere esset, Ovidiana Helenes fortè audivisset egregium quidem illud, sed parùm jucundum distichon:

Ad possessa venis, præceptaq; gaudia servus:
Spes tua tota jacet: quod petis, alter habet.

Itaque apud Leopoldum Austriæ Marchionem divertit, cum quo contra Henricum IV. novâ conjuratione facta, strenuè paciscitur: quod dum fit, Rudolphus interim, (de quo pontificii nihil non sibi pollicebantur) ab Henrico 4. victus & profligatus occubuit. Quæ res cum Gregorio pontifici per literas significarentur, rescripsit ille (mox Altmanno Episcopo ac legato suo. Literis his (quæ in Gotwicensi cœnobio adhuc incolumes habentur) jubet aliū regem idoneum in Rudolphi cæsi locum adversus Henricum eligi, idq; quam maturrimè.

Quid in hoc negotio ampliùs egerit Altmannus, non invenio. Certè unus ex his fuit, qui filium etiam Henricum V. contra patrem tandem excitârunt. Iterū enim in Saxoniam profectus est ad Halberstadiensem suprà nominatam furiam: quæ tamen paulò pòst, anno nimirum 1088. in seditione civium suorum Halberstadensium, sagittæ ictu verberata, miserè etiam extincta, motarum à se maximarum seditionum justas pœnas dedit, & dabit deinceps in omnia secula seculorum.

Altmannus in eâ secundariâ ad Saxones & Westphalos peregrinatione, anno nimirum 1082. Abdinghovensis cœnobii in Baderbonensi Episcopatu templum ea ipsa tempestate recens erectum dedicavit. Postea in Austriam reversus, in Mauterensi oppidulo Austriaco reliquum vitæ exegit, tantùm illustrando suo Gotwicensi cœnobio vacans. Circa hæc ipsa tempora Leopoldus etiam Austriæ Marchio, Henrico IV. parêre negans, intentatum nihil relinquebat, quo Cæsarem vel impedire vel opprimere se posse arbitrabatur. Cum itaque Henricus, victo Svevo Rudolpho, Italiæ jā arma inferret, quærens ipsum pontificem, de quo justas etiam pœnas sumsit: Bohemiæ duci Vratislao secundo, constantissimo amico, (quem idcircò etiam Regē postea creavit,) ut in Austrium animadverteret, eumdemq; aliquantulum disciplinaret, injungit: qui monenti Henrico Imperatori libenter parens, citra moram arma in Leopoldum Austrium movet, ac cum ipso in Moraviæ finibus confligens ac rapinis admodum etiam defœdasset. Factum est id anno Domini 1082.

Hanc Austriæ vastationem ingens postea annonæ difficultas subsecuta est: quâ durante, Altmannus in Mauterensi oppidulo, magnam pauperum multitudinem mirâ beneficentiâ indies pavisse legitur. Vir bonus aliàs, si pontificum saltem impiis constitutionibus non tantum tribuisset, & adversus apertam Dei ordinationem, vitam nimirum conjugalem, non tam atrociter, in pontificum gratiam, pugnasset. Objicit in oppido Austriaco Zeyselmaur 6. Idaum Augusti, Anno Domini 1092.

Idem. Georgius comes de Alta flamma vulgò

vulgò Hohenloes ex percelebri apud Ostrofrancos familia natus: ab Alberto ejus nominis tertio, Austriæ duce adjutus ac promotus: ab aliquibus tamen & paucioribus canonicis, Pataviensis antistes designatur anno 1388. Et ad ejusdem Austriaci ducis preces ac commendationem ab Urbano VI. Pont. Max. illicò confirmatur: cum tamen à majori capitularium parte, ad Bojariæ ducum intercedentes preces, legitimè electus fuerat egregius, & magna virtute præditus juvenis Rupertus, Wilhelmi ducis de Monte primogenitus filius, Bavariæ ducib9 nescio qua vel sanguinis vel affinitatis proximitate conjunctus.

Orta est ex discordi hac electione magna controversia, sed Austrius Georgium à se commendatum & oblatum promoveri cupiens omninò, post multam contentionem, ad arma tandem confugit, Pataviumque obsidione cingens, eò rem brevi deduxit, ut Georgius pontificia authoritate cõfirmatus, neglecto Ruperto, susciperetur à Pataviensis cùm templi, tum urbis senatu, populoq; omni, Rupertus verò hîc impeditus ac neglectus, annuente Papa Urbano, Paderbornam tamen (is Westphaliæ Episcopatus est, Moguntino Archiflamini obnoxius) illic accersitus est anno Domini 1390.

Georgius Pataviensi Ecclesiæ violenter intrusus potius, quàm legitimè introductus, in ejusdem gubernatione ac cathedra ab inchoatæ litis tempore XXXV. annis & quatuor mensibus sedit: vir tantùm secularibus rebus deditus & corporis deliciis vacans, de Episcopali officio rarissimè, aut omninò non solicitus. Breviter bos (ut proverbio dicitur) in quadra argentea. Quarumvis levissimarum injuriolarum sibi illatarum adeò tenax & memor, ut eorũ, à quibus læsum sese arbitrabatur, nomina pupillaribus inscripta nusquam non, ad finem vitæ suæ usq; diligentissimè secũ circumferret, ac de reddenda talione miro studio cogitaret.

Mortuo autem Strigoniensi Archiepiscopo Joanne, anno 1416. eam etiam Ecclesiam Imperatoris Sigismundi beneficio in comedendis, dico, commendis, habuit. In quam descendens, cum paucis illic annis sedisset, homo vetulus jam & viribus exhaustus, Ungarici aëris fervor non ferens, febrim contraxit: quæ præcordia ipsius ita depascebat, ut mox vitalem illic spiritum exhalare: sedulò priùs rogata & expetita à Deo opt. Max. erratorum & peccatorum venia. Erat auri è subditis suis extortor, sed & ejusdem decoctor mirus, & qui ex concubinariis sacerdotibus (cùm tamen in eodem luto hæreret) magnam quoq; pecuniam emulsit, nihilominùs ære, alieno Pataviensem Ecclesiam redimens, & ab eadem plurimas possessiones ab alienans.

Vendidit enim Caspari & Gundaggero fratribus ac Baronibus de Starhenberg castrum Belli collis, vulgò Schönbühel dictũ, & arcem Teresburgensem liberæ civitati vicinam. Vendidit & aliis quibusdam ministerialibus suis arces Riedeck & Mattsech, aliasq; plures possessiones. Erat enim sumtuosus admodum. Habebat symbolum, quod parietibus plerumq; inscribere solebat, Germanicum illud Epiphonema, O Welt/O Welt: cui Aristarchus aliquis hoc noema rhythmicum aliquando non invenustè subjecerat, Wie verschreystu so übel S. Stephhans Gelt? reprehendens nimirum illum, & Episcopo inprimis indecorum, ac ne secularibus quidem principibus convenientem, & à majorum virtute prorsus degenerem luxum. Aliud de eo extat nihil, nisi quòd S. Stephanum singulis septimanis etiam colendum, & cantionibus quibusdam peculiaribus salutandum, mandâtit: metuens nimirum iram & ultionem ejus, cujus opes malè se pessundare agnoscebat.

Epistola, Udiloni cæterisq; Bavariæ Sacerdotibus omnibus, de reformando Ecclesiæ statu, à pontifice Gregorio III. missa, ex eodem.

Gregorius III. Servus servorum Dei, dilectissimis vobis Episcopis in regione Bavariæ. Continuò (ubi nostram recepetitis Epistolam) Udilonem ducẽ vestrum à vobis adiri volo, ut illius edicto conventus sacerdotum, antistitum, procerum, gentisque indicatur: ibi veros sacerdotes omniũ suffragiis nobis coaptate, pravos & criminibus designatos exauthorate: concilia pro salute Christiani populi bis quotannis juxta Danubium, ubi libuerit, cogite. In hisce cõtroversiæ ac causæ omnium, secundum Christi servatoris nostri legem, & placita Evangelii, Pauliq; legati Christi scita, cognoscantur: omnes concordiam & pacẽ Christianã operibus comprobent, & juxta Evangelii doctrinam, & more Christiano vivant, Oves sedulò pascite, parochos sæpius visitent Episcopi: presbyteros rectè vivere compellant.

Dent deniq; operam, ne lupi tecti pelle ovinâ ovile irrumpant: archimystes comuni omnium suffragio deligatur, isq; continuò Romam eat, ut si dignus fuerit, qui populo Christi præsit, à Romano pontifice cõsecretur. Nemo pravus atq; ineptus sacris admoveatur. Cum Ecclesiasticis opib9 cœlesti lavacro ita fieri par est, sicuti Gregorius prædecessor meus statuit, Nemo scortum aut concubinam alat: quisq; aut castè vivat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non esto. Nihil immundum in cibis judicetur, nisi simulachris falsorum deorum immolatum: somnia, auguria, incantationes, diesq; nullus observetur: diffidentia

donaris

donaria aris & sacris ædibus arceātur, nec ea sacerdotes recipiant, nisi illi reconciliati fuerint. Nemo se perfectum, nemò justulum, nemo sanctulum esse confidat. Tota vita Christiana, pœnitentia est & bellum: imbecilles & homines sumus: omnes egemus clementiâ Dei Opt. Max. quæ sit in omnibus nobis. Amen.

Idem Brusch. Tempore Archiep. Sidonii, nempe circiter ann. 745. erat in Bavariâ sacerdos quidam, latinæ locutionis ignar⁹: quales hodie non in Germaniâ tantùm, sed in Italiæ etiam maximis ac populosissimis civitatibus reperias innumeros. Is Christianæ religionis candidatos hisce verbis lustrare ac baptisare solebat: *Baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritu sancta.* Hos parùm eruditè, & omninò non latinè baptizatos, divus Bonifacius *Arch* flamen Monguntinus, omniumq; toti9 Germaniæ Ecclesiarum usitator reformatorq; , ceu prophanos, ac non rectè baptizatos, abominabatur, & iterum aquâ lustrali tingendos arbitrabatur. Sidonius verò, maximus ille *Bojorum* pontifex, & Vergilius Juvaviensis antistes, ab eo dissentiebant, & huj9modi neophytos (quos rectè lustratos cēsebant) rebaptizari omninò prohibebant. Cumq; Bonifacius sententia sua non cederet: alii duo ad Zachariam P. provocant. Is *Bonifacio* rescribens, Sidonii ac Virgilii sententiam approbavit. Epistola super hoc negocio ad Bonifacium scripta, extat in libris Con. Tom. I. inter Zachariæ P. Epist.

p. 574. Idem in annalibus Episcoporum Constantiensium. Joannes VI. nobilis à Wezâ, ex inferiori *Germania*, Juliano videlicet ducatu natus, Episcopus primùm à *Roma*no pontifice designatur Lundæ in Regno Daniæ, ubi à Christierno Rege, divi Caroli *V.* sororio, in tanto habitus est precio, ut ille unicum filium ei traderet erudiendum. Postea eodem *Rege* Christierno incomparabili Tyranno, crudelissimè, & omnibus phalarismis superiore immanitate, cum in *Svecia* & ejus Metropoli Stockholmia, tū in regno suo Danenmarchico grassante & sæviente, subduxit sese ex Dania etiam Archipresbyter iste, in Brabantiam concedens, ubi Imp. Carolo V. à legationib. & consiliis fuit. Missus 2. anno 1548. à Carolo Imp. in superiorem *Germaniam* ad fratrē Ferdinandum, in eo ipso itinere ad gubernatorem Episcopatus Constantiensis, ipsi9 Regis Ferdinandi consiliis & auxiliis, pervenit. Consecratus est postea Ratisbonæ in comitiis, anno 1541. Unde in præpotentem Nariscorum terræ *Abbatiam* VValdsassensem, ad VVundlebum fluviolū, in amœnissimâ paradyso sitam (quam itidem præcedente anno ex Imperat. & Palatini Friderici manu emendicârat) reversus, egregium Episcopale facinus, neutiquàm hic omittendum, designavit.

Cujusdam enim subditi sui elegantulam filiam, invitis & reclamantibus, Deiq; vindictam implorantibus miseris parentibus, nocte quadam, quâ solus cum suo coco ad puellæ ædes venit, rapuit, per vim stupravit, & palliolo (quod esset παρασφ?εγκτήριον) donatam, parentib9 post aliquot dies contumeliosè remisit. Devoravit eodem anno, & exhausto Episcopatui Constantiensi incorporavit præpotens Divitis Augiæ cœnobium Benedictinum, in lacu Veneto situm, & præposituram simul etiam *Oeningensem*, ad eundē locum sitā, quod utrumque dudum etiam Romæ impetratum facere conatus erat antecessor, sed frustra, obstante ei tantùm *Rege* Ferdinando.

Interfuit plurimis comitiis, præcipuè verò illis superbissimis simul ac feuerissimis, quæ Carolus V. Imp. Augustæ Vindelic. celebravit annis 1547. & 1548. post confectum bellum Germanicum seu Smalchaldicum, in quo hic flamen etiam hostibus Evangelii, cujus ipse quoq; hostis fuit, non parùm profuit. Idcircò Galerum Cardinalitium consecutus esset, si diutius ei superstiti licuisset. Nam in his ipsis comitiis subitaneâ morte ex hac vitâ ante tremendum Dei judicium evocatus: idq; noctu factum est, cum paucis horis priùs, inter cœnandum, horribilia Constantiensi urbi, & Lutheranis in diœcesi suâ habitantibus, interminatus esset, hac ipsâ voce etiā usus, Ich will sie butzen/oder die Hand Gottes sol mich rühren: h. e. tractabo eos egregiè, aut Manus Domini tangat me.

Hæc verò non tetigit modò eum ita, ut mortuus in lecto inveniretur postero die à cubiculariis, qui horribilia se quædam eā nocte audisse fassi sunt: sed in puteum interitus præcipitem veritatis hostem dedit. Vectus est ex *Augustâ* ad devoratum Augiæ divitis monasterium. Sepelitur illic in primario templo, sine monachorum lachrymis, ut ipsi mihi fassi sunt, prolixè de eo querulantes plurima.

Idem. Erat Resp. Constantiensis sub Episcopo Christophoro Metzlero, Doctore legum, Canonico Churensi & Constantiensi, homine tenacissimo, avaritiæ deditissimo, propterea, quòd Schmalchaldici fœderis & belli socia fuisset, nondum reconciliata victori Carolo V. Imp. eò, quòd ille peteret, quæ Constantiensibus iniquissima viderentur, & apud posteros essent futura ignominiosa. Volebat enim, ut Constantienses etiam, quemadmodum reliquarum urbium Imperialium Consules, & multi principes fecissent, ad Cæsaris pedes prostrati supplices fierent, culpam deprecarentur, & omnia privilegia, à majoribus olim suis honestè parta, Cæsari redderent, item clerum universum & simul pontificias etiam Idolomanias omnes in urbem reciperent, & alia hujus farinæ plura,

Legatis

Legatis itaq; Constantinensium patrum Augustæ adhuc hærentibus, & Cæsari noxam deprecantib⁹,&reconciliationē humillime quærentibus: Urbe etiam tota nihil hostile sub talib⁹ quasi induciis metuente: interim eo ipso tempore, quo Mezletus Episcopatum ingreditur, & ea ipsa die, sexta videlicet Augusti, qua clerus Constantiensis defuncti flaminis sui exsequias in Augia divite ad sepulchrum celebrat, jussu Imperatoris *Caroli*, & suasu Episcoporum, Hispanus miles, qui aliquandiu in VVirtembergensi ducatu latuerat, & incomparabiliter illic grassatus fuerat, noctu Uberlingam ad lacum Acronium, venit: ubi navigiis & machinis oppugnandæ urbi necessariis & idoneis instructus & postero die ante Solis ortum transportatus, ex improviso urbem *Constantinensem* invadit, & acerrime oppugnat ea ipsa hora, qua plebis aliqua pars, præsertim ad labores & operes manuarias itura, in sacram ædem, audiendæ prius matutinæ concionis & rogationis usitatæ ergo, convenerat, majori, præsertim opulentiorum civium, & non ad excubias delectorum, parte in plumis adhuc jacente, & secure in utramque aurem dormiente. Erant in ponte Rhenano [qui ex Petridomensi suburbio in urbem ducit] dispositæ excubiæ, quibus nondum erat cantatus recessus, in his cives erant circiter 120. Hi in pontem irruentibus *Hispanis* magnanimiter sese opponentes, hostis impetum fortiter sustinuerunt, & eo usque, donec post acerrimū conflictum, excubitores in ipso ponte pro patria conciderunt, & occubuerunt omnes, quorum aliqui, apprehensis utraque manu Hispanis, una cum ipsis ex ponte in Rhenum præcipites sese dederunt, dulcissimæ patriæ, sæpe repetito eius nomine, extremum vale dicentes.

Dum hæc in ponte geruntur, interim, qui in urbe partim adhuc dormiebant, partim vero ad audiendam concionem confluxerant, excitati, & præsentium rerum certiores facti, ad pontis & sociorum, in ponte vim hostilem sustinentium, & pro patriæ libertate, synceraque Evangelii religione acerrime dimicantium, defensionem, & ipsi armati prosiliunt, quibus omnia desperata esse animadvertentibus, hoc consilium fuit, claudere ocyus portas, & afferre machinas, quibus hostis ponte quam citissime pelleretur, simulque vicinis Helvetiis (qui plurima quidem promiserant, sed in tam insperata ac subita rerum properatione parum facere poterant) motus majoris, & ad ejusmodi tumultus præparatæ campanæ signum dare.

1575. Producta ergo una machina, & portæ admota, per ipsam portam in medium pontem immensa vi & maximo fragore exonerata est, dum conflictus in ipso ponte esset acerrimus, tantusque omnino, ut quis hostis, quis civis esset, dignosci jam amplius non posset. In hoc tumultu dux Hispanorum *Alphonsus* de Vivis in medio pontes sclopetæ ictu percuss⁹ vivere desiit. Sed & filius ejusdem, qui paucis diebus prius Constantiæ fuerat, & sub induciis totam urbem & omnem eius situm exploraret, simili ictu graviter vulneratus, prælio excedere coactus est, qui in *Radophina* cella postea ex eodem vulnere obiit.

Hac lugubri rerum facie Hispani exterriti, & à fortiter morientibus Constantiensibus civibus plurimum jam etiam diminuti, cum & Helvetios metuerent, quos (capitales Hispanicæ gentis hostes] pulsu nolarum acciri animadverterent: aliqua pontis parte prius incensa & eversa, fugam arripientes, in Petridomense suburbium retrocesserunt. Id cum cædibus & incendio deformassent, & vastassent adeo crudeliter, ut nec mulierculis quibusdam cum infantibus cymbæ impositis, & per *Rhenum*, versus civitatem fugientibus, parcerent, quas immanissimi nebulones sclopetis etiam è suburbio petebant & trajiciebant: tandem pulchre confecto latrocinio per Vberlingam, fidelem (si diis placet) Constantiēsiū vicinam, in ducatum *Wirtenbergensem*, quingentis tamen sociis amissis, gloriosi & jactabundi revolarunt.

Conciderunt in funesto hoc conflictu plurimi præstantes ac egregii cives Constantienses, qui patriam libertatem, religionemque Evangelii puriorem & salutificam generoso sanguine suo fortiter, ut probos, virtuosos, Christiq; asseclas decebat, honestissime tutati sunt, quorum animæ nunc vivunt meliore loco, utpote martyrio in terris ob fidem Christi coronatæ: nunc vero in cœlis corona & insignib. vitæ æternæ ornatæ.

Sed inter nos diuturniore vita & meliore fortuna [ne silentio prætercam) præcipue dignus erat Ioannes Iacobus Menlishoferus, Medicinarum D. & in omnibus Musicæ partibus exercitatissimus juvenis, corporis item statura vere heroica conspicuus, patricio sanguine natus. Quicum inter dimicandum in *Rhenum* quoque prolapsus esset, & Dei præsidio servatus pene enatasset, & in Rheno tamen (qua parte vadosus is erat) collotenus adhuc stans, Hispanos in ripa videret, eos comiter latina oratione allocutus, & prædæ jam inhiantibus supplex factus est.

Videns autem unus ex his, aurea eum catena ornatum, data fide & addito sacramento, Menlishoferum ex Rheno advocat, eumq; incolumem fore pollicetur. Huic latroni credens clarissimus juvenis, progreditur supplex, inermis, & ex natione jam non parum defatigatus, & aquis onustus, sed illico ab immiti, ac perfido Hispano spada transverberatus, etiā indignis modis spoliatur.

Quanta ergo pericula crudelissimos, immanissimosq;, ac omni humanitate exutos latrones, renascens Ecclesia experta sit: inde etiam ex hac historia colligere licet. Sed non mirum. Nam statim ab exordio mundi, post lapsum protoplastarum, Cain latro & Ecclesiæ Malignantis princeps, in pium *Abelem*, ob veros Dei cultus, ipsique placentes, ejusdem generis exercuit perfidiam & latrocinia.

Idem in m. sc. de monasteriis Germaniæ in loco de cœnobio *Badensi Austriæ*. Scribitur à Ioh. de Turre Cremata & aliis, Papam posse alicui dare plenariam indulgentiam omnium peccatorum: h. e. omnium peccatorum, & scelerum remisionem pecunia posse parari apud Papam. Et vide quæso lector, quot hæc fabula tragœdias pepererit, & innocentissimas animas in profundum inferni immerserit.

Dum enim Magnates autumant, flagitia & scelera nummis aboleri & expiari posse: certe eo plura perpetrare non dubitant. Ut inter alia abominabilis hæc recitatur historia.

Badense cœnobium *Augustinianum*, in oppido Thermarum Austriacarum (quæ medio inter Viennam, & novam civitatem itinere sunt) situm, & ipsis majoribus Baliniis pene contiguum, etsi mendicantium Monachorum tantum cavea sit, hodieq; vacua fere: tamen huic descriptioni inserere volui, vel propter solum Fridericum Kreimsbeggium illustrem, & plurimæ experientiæ virum, qui hujus cœnobii sacello quodam, sub insigni Mausoleo quiescit, cui talis est superaddita inscriptio: Anno 1560. obiit strenuus, ac nobilis miles, dominus Fridericus Kreimsbegg. dictus der Landfahrer/ hic sepultus.

Iste Creimsbeggius (quem, corrupta & immutata voce, alioqui Krebsbeggium à cancro, quem in insigni gestat, vocant) vicinas arces Rauhenneggú & Rauhenstéinium (inter quas per sylvestrem vallem Schvverhadius fluviolus versus *Badenses* thermas defluit) condidisse dicitur, cum ex Babylone aliisq; procul dissitis regionibus opulentissimus domum rediisset. De hoc *Creimsbeggio* talis à thermarum *Badensium* seu *Austriacarum* incolis narratur historia.

Habuisse ipsum bellam uxorem, dominam de carenis, vulgo Kettnerin/ hujusque amore exarsisse *Regem* quendam, quem etsi non nominant, tamen Austriacum ducem fuisse affirmant. Eum venisse aliquando cum uno aut altero Ministeriali in ædes Craimsbegii, nihil violentum aut hostile metuentis: quē vero comprehensum columnæ alligarit Tyrannus, & in eius liberorumque ejusdem conspectu, fœminam adamatam, & ad eiusmodi lusus paratam vitiarit, moxque post congressum una cum adultera profundo somno correptus obdormierit. *Postulasse* vero Craymsbeggium à filia, ut cultellus sibi porrigeretur, qui casu in mensa jacebat: id vero filiam patri negasse. Puerum autem filiolum, absente tandem sorore, accessisse ad mensam, & patri cultellum exhibuisse, quo cum vincula ille scidisset, seseq; liberasset, justa ira Tyrannum adulterum cum adultera uxore, ob indignissimum facinus, moxq; filiam etiam ob negatum cultellum, eodem per filium exhibito cultello sibi trucidavit. Hujus familiæ illustre est Mausoleum in hujus Monasterii templo ante aram maximam.

Idem. Tuiciense Benedictinorum *Monachornm* ampliss. opulentissimumq; cœnobium, è regione Coloniæ Agrippinæ in dextra descendentis in Belgicum Rheni situm: fundatum est circiter annum 1012. ab Heriberti Archiepiscopi Coloniensis Germano quodam fratre, comite Rotenburgio ad Tubarum: cujus tamen nomen mihi non constat. Is in magna annonæ difficultate crudele Hattonis Moguntini *Archiepiscopi* exemplum imitatus, ingentem mendicantium pauperum (ut inutilem) multitudinem in horreum ruri situm convocatam, incendio cum delevisset sceleris tanti pœnitentia tandem ductus Romam pontifici supplicatum venit, à quo (haud dubie interveniente pecunia) absolutus, jubebatur cœnobium construere pro talis peccati satisfactione, p. 57

Ejusdem Bruschii jocus de Iulio 2.

Iulius adversum Roma egressurus in hostem,
Magne sub imperio Maximiliane tuo;
Clavibus in Tyberium projectis, ocyus ensem
Fulmineum arripiens, talia latus ait:
Quandoquidem Petri nos nil juvat aurea clavis,
Arma, arma, & gladios experiamur tot.
Quos Paulus nostrâ Tarsensis in urbe reliquit:
Forsitan hi melius limina nostra regent.
Si nunc Pontifices etiam magis arma requirunt,
Quam claves, doceant ut, Galilae. tuas.
At quanto melius facerent, & rectius ipsi
Consulerent sibi, consulerentque suis;
Si veram fassi pietatem, & tam manifestam,
Hac spargi sinerent dogmata vera Dei,
Quæ Paulus quondam & Petrus docuere, docentique
Germani hoc nostro tempore mille viri?

Idem. apud S. Lambertum, inquit, tale est

est in libro historiæ Romanorum, vaticinium:

Cum fuerint anni completi mille, ducenti,
Ac octoginta post partum virginis almæ;
Tunc Antichristus nascetur dæmone plenus:
Et tunc error erit, qualis nunquam fuit ante.

Idem in manuscript. Exempl. Anno 1531. obiit pater Wolffgangus Ostermeyer, *Vulgo* dictus Cappelmeyer, *Doctor* Theologiæ, Præceptor Martini Lutheri, *Prior* ac concionator apud Augustinianos in urbe München Bavariæ, sepultus ibidem ætatis anno 61. Canente eo, aures eius movebantur: miraculo quodam.

Idem. Habeo in Iudenburg civitate Styriæ, sacerdotes plurima palatia & privilegia. Quid enim aliud cogitarunt Episcopi ab annis jam sexcentis, quam quomodo ditescerent, & ditionum suarum pomæria latissime ampliarent? Inprimis inenarrabili mendicitate sua; qua & Regibus, & principibus totas ditiones extorserunt, & ita talibus artibus Imperium deplumaruut, ut præter nomen vix ei aliquid reliquum maneret.

Aperite oculos tandem, Regesq; Ducesq;,
Et forti vestras res reparate manu.
Pontifices doceant, non mundi regna gubernēt
Vestras ista manus maxima sceptra decent.
Pontifices libros habeant, victumque & amictum:
Vos terras, arces, prædia, castra, domos.
Vos rerum dominos fecit Deus. Ergo videte,
Rursus ut amissas res capiatis eas.
Quæ vobis, non pontificum debentur inerti
Ocio, avaritia, degenerisq; gulæ.

Idem de Abbat. Monast. Salvat. Augustinus Aychingerus Ratisbonensis, successit Leonhardo: præfedit adhuc anno 1554. homo literarum omnium rudis, & aratro magis, quam tali functioni idoneus: œconomus tamen haud pœnitendus. Id enim hodie in monastica gubernatione solum & unum spectari solet, de literis siquidem, & Christiana pietate, & vere salvifica doctrina Evangelii propaganda, securi sunt Episcopi, & plane Epimenideum somnum cum omnibus præpositis, cleris, monachis, monialisq; altissime dormiunt.

Idem. Sub VVolffgango Mario abbate Aldersbacensi, anno Christi 1542. mirabile & ridiculum quiddam accidit, quod obticendum non erat.

Monachus enim juvenis sedecim annorum, nomine Sigismundus Iustelius ex vicina Marca Bavarica, Munster dicta; natus, audiens in colloquio Monastico à domino Abbate, Monachos ad castitatem exhortante, Origenem veterem Theologum sibiipsi religionis ergo testiculos exsecuisse ipse etiam idem sibi facere nocte quadam non dubitavit. Expectans ergo diem lotioni assignatum, in balneis se prius eleganter lavit, postea noctu ad ædiculam corporis Dominici genua flectens, & precibus ibi ad Deum præmissis, in cubiculum inde reversus, reliquis dormientibus, solus vigil, animi propositum magnanimiter aggressus est.

Cumque ad eum decumbentem paulo post nobiles ex Bavaria aula mulierculæ accessissent; pudore suffusus est admodum. Correptus etiam ab Abbate, post pauculos menses ex cœnobio profugit. In eum D. Bartholomæus Abbas ejusdem monasterii tale lusit tetrastichon: p. 577.

Sigmundus variis noster celebrabitur oris,
Exsecuit proprios qui sibi testiculos.
Est aliquid Regnum cælorum quærere: sed sic
Cælorum quæram non ego regna mihi.

Idem. Eriderico ex Schaumhaupensi cœnobio, anno 1294. post secundario pulsum Othonem, ab amicis & cognatis suis, viris nobilibus evocato, hic in Damasianum monasterium intrusus, non per ostium intravit ad libidinosissimorum hominum caprile: assumtus tamen, quo magnifice sese ostentaret, quingentorum equitum comitatu adventavit. Præfuit vix bene integris duobus annis: quibus cum ab antecessoribus relicta strenue absumsisset, nocte quadam tandem cum unico famulo aufugiens, mendicus Schaumhauptum rediit; unde splendido apparatu educto huc devenerat.

Idem. Multa olim ad monstaerium Salomonis Villa, vulgo Salmensvvyler, contulerunt Comites Montisfortis, qui inter cætera beneficia & hoc fundaverunt, ut omnib⁹ ibi equit⁹ & viatoribus gratuitum pateret per unam noctē hospitium. Sed quomodo ista tandē vet⁹ consuetudo abrogata sit, narrat mirabilis quædam historia de monacho Diabolum effingente, & nocturnis temporibus mirifice in domo hospitum (qua forte fortuna ea nocte receptus erat Comes quidam Montisfortis) tumultuante, quem idem Comes noctu surgens, gladio sursum per asserem [cui incubuerat tumultuans monachus) infixo, forte fortuna ita deprehensum transfoderat F. Anno 1155.

Idem. Sanctgallensis Abbatia apud Helvetios Abbatem habuit adeo pomposum, ut legatur, eum mille equitum comitatu Argentinam esse ingressum, cum VValter⁹ Baro à Geroltzeck in Episcopum Argentinensem

nensem electus introduceretur. Anne igitur vel Petrus vel Apostolorum alius quispiam hoc vel minori etiam numero Romam unquam intravit?

Idem. Anno Dominicæ incarnationis 1128. Ioannes patria Herbipolensis, ab ipso S. Nortberto fundatore constitutus est primus novæ (nempe cellæ Dei superioris) monasticæ congregationis præpositus & pater, cujus sub gubarnatione cœpit anno 1130. in eodem cœnobio, Embriconis Episcopi consensu, Monialium etiam congregatio. Habuit enim hoc ordo iste Nortbertinus initio peculiare, ut ubi esset monachorum collegium, ibi puellarum etiam non tantum non procul abesset, sed contigua etiam esset habitatio: ne deesset monachis costa, quam ademtam primo humani generis parenti, & postea cum multo lucro redditam eidem sciebant. Locus vero monialibus deputatus paradysi nomine appellatus, S. Michaëlis patrocinio suberat: is postea in eum locum, ubi hodie est cella Dei inferior, paululum infra superiorem, in eadem sinistra descendentis Mœni ripa, translatus est.

Idem in manuscripto. Nota, calices duos argenteos vetustissimos, deauratos & umonibus distinctos, superesse in Kanshoffen [Canonicorum Regularium S. Augustini coenobio ad Oenum, ubi olim Reges Bojarii sedem habuerunt] quorum maior duarum mensurarum, minor unius mensuræ capax est: quo olim in primitiva Ecclesia soliti fuerunt in sacra synaxi uti Christiani. Horum calicum uni inscripti sunt hi versiculi: patenæ nempe circumferentaniæ:

Sancte Deus fortis, portis nos subtrahe mortis,
Nostros dignatus hoc munere dele reatus.

Hic adsunt arundines argentea & deaurata, ex quibus biberunt, qui sacra synaxi usi sunt.

Idem. Anno 941. S. Ulricus Episcopus Augustanus, factus est VII. Abbas Utenburani coenobii: & confirmationem privilegiorum eius obtinuit, cum novis immunitatibus, ab Imp. Othone. Cum autem non integrum annum præfuisset, resignavit gubernationem. Auctor ipse fertur, ut mures nec sint nec esse possint in eo monasterio.

Idem de Abbatibus Melicens. Anno 1136 Episcopus Pataviensis Regimatus, Ecclesiæ Dei molestus, & avarus, libertatem monasterii Melicensis molitus est refringere, & decimationes Ecclesiarum ejusdem
p. 178. loci auferre: pro qua re Erchenfridus Abbas dominum Apostolicum, vita & nomine Innocentium adiit, & coenobii privilegium tertio innovari fecit, & Episcopi factiones apostolica authoritate annihilavit.

Idem. Eringus nobilis heros de Reinstein successit anno 1250. Is Herbipolensibus & Rotenburgensibus maiorem in modum gravis fuit, & incredibiliter crudelis. Nam viros 12. de Vetere Lapide, post factam transactionem peramnistam, convivio excepit in arce Altenstein, prandioque peracto, contra datam fidem, ordine obtruncari in conclavi quodam præcepit: inter quos postremus Heerdegenius eques auratus, facto impetu, in sanguinarium Antistitem insultar, vulnus ipsi infligit, nasumq; abscindit. Præfuit annis 16. obiit anno 1266.

Idem de urbe Moguntina. Liberius anno 354. Romanæ Ecclesiæ præsul, Pontifexque Maximus, tandem à Catholica sua doctrina, turpissimam ad Arrianos defectionem fecit.

Idem de Episcopis Moguntinis. Hatto cognomento Bonosus, Abbas Fuldensis, Hadumarii è sorore nepos, eligitur in Archiepiscopum Moguntinum ab ipso Othone Imperatore: sed præfuit undecim saltem mensibus, devoratur à muribus in medio Rheno, justo Dei judicio, propter convocatos (spe & pollicitatione accipiendi frumenti in maxima annonæ difficultate) & tandem misere exceptos, & incendio deletos pauperes. quos pereuntes, & horribiliter clamantes ipse, insultans adhuc calamitosis, mures, & nulli alteri rei, quam panibus tantum devorandis idoneos appellabat.

Turris prope Bingam, quatuor infra Moguntiam, milliaribus, salva adhuc & integra est, in qua devoratus est: & ea hodie adhuc ab omnibus accolis murium turris dici solet. Ajunt nomen etiam ipsius Episcopi chartis inscriptum, à muribus undique corrosum esse. Factum id est anno Domini 969. Sepelitur in templo Sancti Albani, prope alios Archiepiscopos cum tali Epitaphio:

Parcus, & infelix, qua te dementia ludit?
Pauperibus Christi commoda nulla feres?
Cum judex solum hoc querulabitur ipse futurum:
Nescis quod post hac ultio dira premat?

Idem. An. 772. Episc. Moguntinus XV. Gerholdus nomine, in gratiam Regum Galliæ Pipini & Carolomanni, propria sponte, contra Saxones Turingiam armata manu occupantes, cum copiis suis profectus est, immemor officii sui, & ovilis sibi commissi: sed dignam inde tulit poenam. Nam in prælio à procere quodam Saxone misere ense perfossus est. Hinc versus hi loco Epitaphii:

Ense Geroldus obit præsul qui dimicat ense,
Perplacet ergo chorum, non adiisse forum.

Germanice sic sonant:

Bischoff

Bischoff Berhold focht mit dem Schwerdt /
Darzu Schwerdt kam er auch ab der Erdt /
Daum ihm sein Seel nützer gewesen wer /
Er were gen Chor gangen / dan ins Heer.

Idem in Episcopatu Curiensi. Nordenbertus, aliis Volipertus, comes à Summontorio, Bavarus, homo mire ambitiosus & gloriæ cupidus, & auri avarus, venit anno Domini 1079. ad possessionem & gubernaculum Episcopatus Curiensis, non per legitimæ vocationis aut electionis ostium, sed per simoniacæ pravitatis cuniculos, largitionibus videlicet ac muneribus quibus emebat verius expilatum Episcopatum à suis Guelphis Bavariam tenentibus, quam precibus obtinebat. Deturbatur cum Burchardo Basiliensi, & Othone Constantiensi eo, quod Henrico 4. contra pontificiam excommunicationem adhæreret.

Idem in manusc. de Episcopis Spirens. VVernibaldus Monachus quidem eximie doctus ac religiosus, ex Hirsaugiensi coenobio ad gubernandum Episcopatum Nemetensem summis precibus invitatur: qui vocanti clero parere in hac parte minime volens, sic respondisse legitur: se, si mundo servire voluisset, in hanc Monasticæ vitæ sollicitudinem venire nequaquam voluisse: eligant ergo Episcopum quem vellent, se id oves gubernationis suscipere nec velle nec posse.

Hanc vocem si nostri seculi Monachi & Episcopi considerarent, minus esset in imperiis mundi turbarum, & non tot Monachorum ac sacrificulorum examinibus perstreperent aulæ Regum & Imperatorum, nec tantis odiis expositus esset universus ambitiosissimus, & præter aulicam majestatem nihil hac ætate sapiens, nihilque cogitans, ad cætera omnia ineptissimus clerus.

Electus igitur est Baldericus, qui tribus Othonibus fuit ab intimis consiliis, ut vir rerum gerendarum usu maximus. Sub eo Canonici Spirenses, ut & Moguntini ac VVormacienses, cucullata vita abjecta, seculares fieri coeperunt, seorsim habitare, propria bona habere, proventus annuos inter se distribuere.

Idem. Erat Augustenses Episcopatus Ecclesiæ non adeo temporalibus pollens rebus, ut nostro conspicitur ævo: nec Prælatorum tanta, ut nunc observatur, gloria, & pompa. Sed erant pastores & rectores cum suis clericis in communi viventes, juxta Apostolorum præceptum: nec quisquam Ecclesiasticarum rerum quicquam suum vel proprium æstimabat, seu possidebat: sed omnia, ut in primitiva Ecclesia fuisse constat, erant illis communia. Diligentes enim Christum imitando & Apostolos, per sanctam paupertatem, se à proprietatis labe custodiebant. Nec pestiferum tunc animarum morbum, Simoniam, credendum est, Sacerdotum Dei corda tenuisse, sed habentes victum & vestitum, contentos fuisse.

Idem in m.s. annalibus de Episcop. Laureac. Vinilo, aliis, varie torta & depravata voce jam Uvilo, jam Vivilo, sed in Conciliorum libris Phiphilo, Laureacensi & Pataviensi Ecclesiæ Episcopus contigit anno 722. præfuit pie ac fideliter annis 23. Honoratur pallio magisterii Christiani, ornamento summo, anno Domini 730. à Gregorio 3. eius nominis Pontifice Maximo, à quo Romæ in Archiepiscopum etiam consecratur. Legimus, eidem pallium iterum ademtum esse postea à Pontifice Zacharia, quod Honorantias (utar enim inepta voce, quam in Chronicis reperi) pro pallio Romam mittere nollet: adeo Roma auri sitiens, ac prodiga semper fuit. Et recte illud distichon grammaticale de Roma luditur:

Aurum Roma sitit dantes amat absq; dativo
Accusativis Roma favere negat.

Idem. Martalensi coenobio, ordinis Præmonstratensis, ad dextram Danubii è Suevia descendentis, inter Rietlingum & Ehingum, præclara Austriacæ domus oppida, conjunctum erat Monasterium Sororum sub priorissa viventium; sed viri pii, Monachi eius seculi, volentes saluti animarum suarum consulere, ejecerunt, bono & pio cum fratrum consilio, moniales omnes, factis super hac re literis sequentibus:

Anno Verbi incarnati M. CC. LXXIII. Dominica, qua cantatur Iudica me Deus, Nos Conradus Præpositus de Martello, cum universo conventu Canonicorum nostrorum, attendentes, quod mulierum nequitia superet omnes nequitias quæ sunt in mundo, & quod non est ira super iram mulieris, quodque venena aspidum & Draconum sanabiliora sint homini & mitiora, quam familiaritas mulierum: decrevimus pari consensu & communi consilio, saluti tam animarum, quam corporum, & etiam rerum in posterum providere volentes, ut aliquas de cætero sorores (ad augmentum nostræ perditionis) nullatenus recipimus, sed eas quasi venena animalia recipere devitemus.

Ut autem hæc firmitatis robur obtineant inconvulsum: Ego Conradus, prædictæ Ecclesiæ prælatus, tradidi fidem meam sanioribus & senioribus, nomine juramenti, ut infra spacium quinquaginta annorũ nullã sororum, recipiam, vel recipi patiar.

Cæterorum vero Canonicorum juramenta recepi, ut nullus ipsorum aliquam sororem recipiat, infra terminum quinquaginta annorum, vel recipi patiatur: post hunc terminum elapsum, quid successoribus nostris complaceat, arbitrio eorum relinquimus. Consulimus autem, ut & ipsi prædecessorum vestigia, ob commodum & salutem suam, in his imitentur. Utinam fiat.

Idem. *Albertus* Saxoniæ Dux ex filia *Rudolphi* Habspurgii, domina *Agnete Austriæ* ducissa, filius, ex homine mero Laico Pataviensis Ecclesiæ Episcopus lectus est, anno Christi 1342. *Ioanne* 22. *Pont. Max.* etiam annuente. Non enim jam amplius spectabatur, quales aut quam idonei Episcopatibus præficerentur, modo nobiles & viri principes, ac secularium rerum gerendarum gnari essent: de literis siquidem, de pietate, de vita ac morum innocentia altum erat silentium. Personati idcirco, & titulares fiebant Episcopi, & qui ipsos Episcopatus interdum in electionis dignam remunerationem præclare etiam dilapidabant, & extreme non nunquam attenuabant.

Sedit ad gubernaculum viginti annis, non ut Episcopus, sed veluti secularis princeps, cum multa ministerialium atque nobilium frequentia, prolixius quam decebat, aut Episcopatus ferre poterat, faciens sumtus Bos (ut proverbio dici solet) in acervo seu stabulo: utres etiam ac thylicos alens quam plurimos, & cum Herculanis lectulis, hoc est, sui similibus delicatis ac mollibus omnem ætatem transigens. Conflavit magnum æs alienum: unde moriens Pataviensem Ecclesiam valde reliquit obæratam.

Idem. Sub Regimanno Episcopo Pataviensi, fuit Patavii magister quidam *Arnoldus*, qui videns, opibus luxuriare, & luxu diffluere Clerum, graviter adversus Episcythisantem clerum concionatus est: sed bonus vir, emendationem Ecclesiæ promovere percupiens, luxuriantis & impœnitentis cleri insidiis captus, & è medio sublatus est. *Adeo veritas*, filia illa temporis, matri suæ contra aliarum matrum naturalem morem & consuetudinem inaccepta est. Omni enim tempore invisa, omni tempore intolerabilis est. Et recte Comicus ille inquit: Obsequium amicos, veritas odium parit.

Idem. Godefridus Baro de VVeisseneck, natione Syrius, factus successor Episcopi Pataviensis Alberti, anno Christi 1342. vir ad res bellicas gerendas, quam Ecclesiasticas administrandas longe aptior, semper, tunc se bene Episcopi munere functum esse arbitratus est, si ædificia saxea præclare instauraret. An vero tali ratione Episcopale officium perficiatur, & sic è castris perveniatur ad astra, cuilibet judicandum relinquo.

Idem in Cat. præpos. Neuburg. Leopoldus Marchio Austriæ, & fundator [illegible] Neuburgensis, 15. Novembrium anni 1136. solo hoc nomine sanctus & pius cognominatus est, quod multorum cœnobiorum conditor & reparator fuit, quod multa sacrificulis dedit, & adversus legitimum Imperatorem Henricum IV. Pontificibus Romanis firmissime inhæserit, & seditiosos Episcopos & Sacerdotum conjugii obtrectatores foverit, & lauto hospitio exceperit: alia sanctitas in eo nulla fuit. Præterea Henrico 4. Imperatori datam fidem fregit, tantum ut Agnete potiretur, de quo lege plura in Cuspiniano.

Et si fucatis & commentitiis laudibus delectaris: quære eas in impio libro, quem Defensorium canonisationis S. Leopoldi vocant, quibus Lazii etiam (si lubet) adulatorios Gnathonismos adde. De sanctimoniarum vero Leopoldi cumulo, illud etiam non populare est, quod Monachi annotarunt, uno eum die duo Monasteria, hanc nimirum claustralem Neuburgam, & S. Crucem fundasse, quodque præcipue meritorium apud Deum esse [illegible] no etiam stomacho: unde merito dicere posset novus ille Deus tutelaris: S. [illegible] quanta patimur propter regnum coelorum.

Idem. Monasterium Neoburgense [illegible] pro secularibus Canonicis fundatum est, qui cum nimium seculariter viverent, & nihil minus essent, quam Canonici [illegible] ipsis, eo illorum cœtus assumtus est: [illegible] duplici Thrasonismo sese venditantes, Canonicos se vocant Regulares, qua [illegible] one eruditionem etiam [illegible] præclare manifestarunt [illegible] Canonicum idem esse quod Regularem.

Vocant autem se Canonicos Regulares S. Augustini, de quibus S. [illegible] Augustinus nihil unquam scivit: nec eos [illegible] agnosceret aut discipulos, si hodie in vitam rediret: ita abominatur procul dubio in ipso Abrahæ sinu hominum genus omnium levissimum, ignavissimumque, quod nec de Augustini doctrina, eruditione, & vita professioneq; quicquam novit, aut reliquum habet.

Epistola Imperatoris ad Episcopum Trevirensem, quæ legitur ibidem.

Cum Imperatoria [illegible] imperialibus armis pacem Ecclesiarum ubique tueri debeat: imperialem manum adversum se commovet, qui pacem Ecclesiarum disturbat. Iudicium quippe portabit, quicunque est ille. Disturbat autem pacem Ecclesiarum, qui reus est majestatis. Reus est Majestatis qui imperatoriæ derogat dignitati. Cum enim pax Ecclesiarum ex Imperatoria dignitate viget: pax

Eccle-

Ecclesiæ studet, qui Imperatoriæ non derogat dignitati.

Itaq; cum paria sint, pax scilicet Ecclesiarum, & Imperatoria dignitas, (quia unū absque altero non consistit: utpote nec Imperatoria dignitas sine pace Ecclesiarum, neque pax Ecclesiarum sine Imperatoria dignitate:) qui unum offendit & aliud: quia qui dixit, Deum Timete: idem statim subjunxit: Regem honorificate: ut per hoc clarescerct, quod Dei timor Regis esset honor, & è converso, Regis honor Dei esset timor: qui regem inhonorat, Deum non timet. Inhonorat autem, qui dicit, eum ab homine accepisse illud. Cum enim (juxtà Apostolum) Omnis potestas à Deo sit: mendacii reus est, qui dogmatisat, ab homine esse, quod à DEO constat esse.

Pax itaq; nostra, & regnum à Deo est; qui etiam ante mundi constitutionem elegit nos, ut per nos administraretur pax Ecclesiarum. Sed quia vos plurima pars estis de numero lætantium in pace Ecclesiarum, utpote columna & basis Ecclesiarum, quā S. Petrus aliquando suo ditavit baculo; sicut ipse post Deum: ita vos post Petrum gubernatores Ecclesiæ. Hoc mare magnū & spaciosum manib⁹, ubi reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis, in baculo Petri remigetis, in tranquillum charitatis portum anchoram fidei vestræ figatis, innixiq; baculo Petri, non sitis arundo vento agitata, nec ut quidam ajunt, vos esse Baculum Arundineum, cui si innixi fuerimus, perforabitis manum nostram.

Conquerimur dilectioni vestræ, quòd nuper in curia Bisantii, dum de stabilitate regni & pace Ecclesiarum, debita solicitudine tractaremus: Apostolicus scripto nobis mandavit, quòd præ oculis mentis haberemus: quomodo ipse nos in thronum regni coronaverit: & neq; inde pœnituerit eum, si majora etiam beneficia nostra Excellentia ab eo suscepisset. Ecce audistis blasphemiam, recolite librarios & percunctamini antiquarios vestros, & videte, si auditum sit hujuscemodi verbum in diebus eorum, in diebus antiquis. Sed nec patres nostri annunciaverunt nobis, quòd unquam Regnum alicui Augustorum ab aliquo Apostolicorum beneficiatum sit, sicut ille vesanæ mentis vir scripsit, se nos inbeneficiasse, pro eo solo, quòd solùm unctionem per reverentiam beati Petri ab eo accepimus.

Ecce schisma quòd, nisi Deus avertat, inficiet totum corpus Ecclesiæ juxta illud, necesse est, ut veniant scandala, sed quid sequitur? Væ autem illi, per quem veniunt scandala! Per nos igitur non veniunt, sed per illum, qui se dicit vicarium Petri, & non est. Quia si in viridi ligno hoc facit, quid in arido fiet? Tribus toxicatis nos de mammonâ iniquitatis suæ appetiit, videlicet, quòd nos in Regnum coronaverit, & neq; inde pœnituerit eum, si majora beneficia ab eo suscepissemus. Videamus igitur, si hæc vera sint.

Certè nobis coronam per electionem principum imposuimus: nisi solam unctionem ab eo accepimus, & ubi est beneficiū, quod ab eo consecuti sumus? Quæ est ergò illa pœnitentia? & ubi sunt majora beneficia? An potest esse majus beneficium, quàm Romanum Imperium? Nos ipsi nobis coronam imposuimus, & quomodo tum coronavit, dum coronam regni nobis ipsi imposuimus? Regnum non ab eo, sed à Deo suscepimus. Videte ergò, qualiter mentitus sit: Sed quis ipse sibi beneficia usurpavit, sine consensu nostro: & Viterbium, cameram Regni, sibi fecit sedem: præponens caudam capiti, & ancillā præferens dominæ. p. 181.

Et quia, te teste, nusquam pejus agitur divinum servitium, quàm Romæ, ubi domus Petri facta est spelunca latronum, & habitatio dæmonum: & ubi ille alter Simon hæresiarcha (quærens sua, non quæ Jesu Christi) cuncta spiritualia habet venalia: Nos judicabimus eum in virgā Regni nostri, & requiremus ab eo, quæ nostræ ditionis sunt, urbes & cāstella, munitiones & oppida, quæ in totâ tenet Apuliâ, & videbimus, quis liberet de manu nostra.

Excommunicationem ejus non timebimus, quæ ter tantùm apud suos vilipenditur, despicitur, negligiturq;. Numquid non est nos excommunicare paries dealbatus, tumens in supercilio pharisæorum, mortificans animas, quæ non moriuntur, & vivificans quæ non vivitant. Nonne magis (secundùm B. Gregorium) ligandi, solvendique potestate se privat, qui hanc pro suis voluntatibus, non pro subjectorum meritis exercet? Quid ejus cis Alpes timemus excommunicationem? dum trans Alpes ipsi vulgares parvi pendunt suam excommunicationem. Romæ in sede sua vilipenditur cum suâ excommunicatione: & nobis tam gravis est sua indignatio?

Ecce qualis subsannatio! certè vos ipsi vidistis & audistis, quàm derisui nos habuerint, vocantes nos, stultos Allemannos, quòd ad præceptum ejus staremus subjecti, quorum dextras totus orbis ferre non posset. Igitur, quia vos primas estis cis Alpes, & cor Regni, & Metropolis illa vestra, Treveris inquam) inclyta, quæ inconsutili præpollet tunicâ Domini: vestro consilio & auxilio, summam & mysterialem inconsutilem tunicam Domini, id est, Emath, de manu illius Amorrhæi videlicet Apostolici (à quo hucusque scissa & divisa sorte, & in jus Ægyptiorum ite-

tam vendita est) eruemus. Non enim per ostium, sed aliunde ascendit in ovile : fur quippe est & latro.

Nos in brachio Regni & arcu extenso eam eruemus: & vobis (qui ideò secundæ Romæ præestis, ut si ille deviaverit, vos cōversus confirmetis fratres vestros: quod & vobis in baculo suo Petrus tradidit, sicut ipse à Domino accepit, ut solus sitis inter omnes post Petrum, sicut ipse post Christum) Emath Dei regendam in vice Petri, imperiali authoritate committimus: ut omnes de regno nostro cis *Alpes*, non Viterbii ad novam *Romam*, sed Treverim ad secundam *Romam* veniant, qui in causa sua secundum judicium, & justiciam, non nummò cooperante, sicut Romæ, ubi nummus regnat & imperat, quæstiones suas exequantur, dum *Deus* tantùm sit in causa: & ideò Deus merces operis.

Nónne & hoc Petrus factis ostendit, dū vobis baculum suum præscius futurorum tradit? quòd adhuc tota dignitas Apostolici ad vos tantùm, Metropolitanum quasi hæreditario jure derivaretur. Nónne ideò adhuc Apostolicus sine baculo est, ut vos sitis in baculo ejus? Igitur hæres Petri cōtra eum, qui se dicit vicarium Petri, & non est, nobiscum insurgite, & suffraganeos vestros Metensem, Tullensem, & Virdunensem, ut vobis & regno subscribant, efficite: & vos columna regni, pro regno, quod jam titubat, viriliter state, & stando, quis [illegible] quid sitis, factis ostendite: ut per vos cæteri nobis fideliter assistant, & filiis Belial unanimiter (prout Dominus dederit) resistant.

Idem. Fuit anno 1240. bellū plus quàm civile inter Romanum *Imperatorem* Fridericum II. & Gregorium IX. Innocentiumq; IV. Pontifices *Romanos*. Hi duo pontifices suspectam habentes sapientiam atq; opes Imperatoris, non solùm cum quibusdam Italiæ civitatibus aliisq; principibus adversus Cæsarem conspirant: sed Episcopos quoque Germaniæ in ordinem atque servitutem redigere conabantur. Erat inter conjuratos pontificum Romanorum Otho quartus, Comes Palatinus *Rheni*, & dux Bojorum.

Hic Albertum Bojemum *Archidiaconum* Bachavensem, *Romanorum* Pontificū legatum, ad serendas in Germania discordias, & ad concitandum populum adversus Imperatorem & Episcopos, missum, cum mandatis Landishutæ (est ea civitas Bavariæ insignis, ad Isarum amnem sita) excepit honorificè atque detinuit, partesq; secutus est pontificias, acriterq; primùm tutatus est. Contra Episcopi quoq; *Bojariæ* pro virili restiterunt conatibus Episcoporum Romanorum, nec destiterunt, donec animum Othonis ducis *Bavariæ* abalienarunt à pontificibus max. in suasq; pertraxerunt partes.

Ratisbonæ enim in maximo conventu indicto (cui interfuêre Eberhardus [illegible] Archiepiscopus Salisburgensis, Rudeg[illegible] Episcopus Bachavensis, Sifridus Episcopus Ratisbonensis, Conradus Episcopus Frisingensis) Otho dux Albertum [illegible] deseruit, ita persuasus Episcopis istis, eidemq; edicto Bojaria expulit. Albertus fretus authoritate Romani Pontificis, potentia factionis, ut illatam sibi injuriam ulcisceretur, decimas templorum, jussu pontificis Maximi, suarum partium nobilibus distribuit, & multa alia atrocia facinora [illegible].

Pleriq; nobilium hac re inescati, præcipuè Comites de Wasserburg & [illegible] Obernbergum invadunt, Episcopatumq; [illegible] de *Bachavensem* Bojariamque [illegible] ferro, flamma, præda devastant, cœnobia exurunt, templa effringunt atq; [illegible]unt. Qua tempestate & Rhansophense Monasterium ab hoste exustum est, [illegible] pavimenti & Conradus præpositus [illegible]tur. *Calumniabantur* latrones [illegible], Henricum præpositum, ut domesticum [illegible] Friderici Imperatoris atque fautorem, [illegible] & *Othonem* ducem Bojorum, [illegible] & excommunicatum esse: ita sub rel[igio]nis prætextu pessima quæque facinora in innocentes passim æ[illegible].

Otho dux Bojorum ubi hæc audivit, correptis armis Obernberg arctissima obsidione sex septimanis, frustra tamen cingit. Nam *Bertholdus* quidam datus *Alberto* jure Pontificis Romani, Episcopis *Pataviensibus*, adversus *Rudegerum* [illegible], cum comite de Sigmaringen fratre suo, usq; ad Braunau & Weilhart [illegible] & præda depopulatur, pecorum gregem millenarium insontibus agricolis abigit.

Nobiles Bavariæ indignitate rei commoti, præcipuè *A*[illegible]ramus de [illegible], Ortholphus de Wald [illegible] Henricus de [illegible] subitò armis correptis, vexilloq; sacro ex templo Neukirchen rapto, vestigia hostium usque ad Marichluppam pagum insequuntur, armato milite Bertholdum in fugam vertunt, prædamq; hosti excutientes recuperant: fratrem Bertholdi, de Sigmaringen Comitem, fratres duos de Morsbach, Vilhelmum de Prambach, & plerosque alios capiunt, vinctosque *Burghusium* abducunt. Filius quoque Othonis ducis, Ludovicus secundus dux Bojorum, Comitem de Wasserburg omnibus vicis oppidisque exuit, & in Vngariam profugum pellit. Hæc facta esse sub Henricō præposito, in annalibus cœnobii Ranshovensis reperitur.

Idem. Manegoltus Histriæ Marchio ex abbate Cremiphanensi, in Pataviensem Episcopum eligitur, anno salutiferi partus 1206. Sedit ad clavum annis novem. Præ-

Præsuit

fuit quidem, sed parùm profuit. Contendit diu, & bellum tandem etiam gessit gravissimum cum *Rapathone* Comite Palatino, anno Christi 1212. Hoc bello & Bavaria admodum attenuata est, & maximam rerũ suarum jacturam fecerunt Episcopales Ecclesiæ plurimæ, sed & Monasteria *Bavariæ* omnia, inprimis Tegorinum & *Aspacense*, quæ incendio deleta & solótenus pené vastata sunt. Quod unicum acceptum ferendum erat Episcopo officium diligenter peragenti (si Diis placet) & de verâ salutiferâ doctrinâ cogitanti.

Accidit sub hoc Episcopo horrendum & crudele, indignissimumq; in Ungaria facinus, nequaquam hoc loco prætereundũ, cum in *Germaniam* sit designatum.

Anno enim 1213. regina Ungarorum, domina Gertrudis, *Bertholdi* Moraviæ Ducis filia, & Eggenbarti Babenbergensis Episcopi soror, quæ virilem & veré heroicum animum in fœmineo pectore, cum mirâ probitate & eximiâ vitæ morumq; honestate, gerebat, ob hoc unum, quòd Germana esset, Ungaris invisa, marito expeditionem contra Pruthenos suscipiente, à Comite quodam Petro miserrimè trucidatur: qui & ipse subsequenti nocte, in ultionem sceleris, cum aliis pluribus jugulatur.

Hujus nefariæ cædis conscius fuit *Episcopus* Strigoniensis, nequam incomparabilis: dum non prohiberet, quod scelerate & impiè decretum sciebat. Is sicariis de trucidandâ *Reginâ* consultantibus, in cætera hæc etiam verba inscripsisse legitur: Reginam occidere nolite, timere bonum est: ac si omnes consentiunt, nec ego contradico.

Idem in m.s. de Viennens. Episcopis. Mamertinus & pugnax, & victoriosus antea militum tribunus, mirabili metamorphosi primus Fabiensis seu Fabianæ *Ecclesiæ* Episcopus designatus esse legitur, à quo verò, id incertum est, & nusquam in annalibus reperitur. Præfuit autem sub Romanis Episcopis Hilario ac Simplicio: quo tempore *S. Severinus*, primarius superioris Pannoniæ Apostolus, sub *Cæcio* vixit, annum videlicet ante & post quadringentesimum, & sexagesimum.

Idem de monasteriorum præpositis: Henricus ex Damasiano Canonico, in Monasterii Regularium S. *Augustini*, in superiore Bavariâ siti, Præpositum lectus, præfuit parùm utiliter annis decem, exauthoratus anno *Christi* 1275. *Amisit* omnia Monasterii clinodia, per pictorem & aurifabros duos subtracta, quorum unus deprehensus in *Schongaviensi* oppido judicatꝰ, & interemtus est. Præpositus quendam cœnobitam suum, virum nobilem Gissonem, suspectum habuit, quem etiam in carcerem ab Episcopo rapi curavit.

Cùm verò is sufficienter sese purgaret, tandem pace facta dimissus est, qui tamen ulturus sese, noctu per fenestram in præpositi cubiculum inscendit, & muliere apud eum deprehensa, miserè cum primò verberavit, mox convocato conventui scortationem præpositi manifestavit, qui idcircò exauthoratus est. Hodie ejusdem loci monachis ferè omnibus, scorta in vicinis pagis alere plurima, liberrimum est. *O mores, ô tempora? ô monachos? & quomodo monachos, si vivant cum scortis? ô castimoniam mendacissimam?* P. 583.

Idem. Requiescunt in templo cœnobii Cœlicorona duo infantes, puellus videlicet & puella, patre comite Orlemundensi, matre verò Ducissa Meroniæ nati, crudeliter ac miserè trucidati annos ferè ante ducentos (cùm nondum essent bimi) ab ea ipsa matre sua, Meroniæ Ducissa, Blassenburgi tunc temporis habitante: quæ cum esset vidua procax & lasciva, formæ verò elegãtia ubiq; celebris, non amavit ipsa tantùm Albertum quendam illustrem juvenem, ac fortissimum principem, Burggravium Noribergensem, Friderici Comitis à Zollern, primi *Burggravii* filium, sed ab eo etiam vehementer & ardentissimè est redamata.

Hunc suum amorem fassus aliquoties *Burggravius*, publicè dixisse fertur: se (nisi prohiberent quatuor oculi) libentissimè ducturum viduam illã Blassenburgensẽm: quæ verba cum, relatu clancularii alicujus internuncii & quasi pronubi, pervenissent ad aures libidinosæ, ac jam tum vehementissimè prurientis in Albertum fœminæ, mox furore & amore magis incensa, libros suos propria occidit manu, capitibus eorum vel capitum verticibus adhuc teneris, acu contusis & perfractis, ne facilè talis perfidia agnosci, & ipsa, liberos morbo aut contagio aliquo sublatos esse, commodiùs ac verisimilius fabulari posset.

Exitum & catastrophen hujus Tragœdiæ in Grundlacensis Cœnobii origine ac monumentis aliquando leges. Hos innocentes Martyres ipse meis oculis vidi, meisq; manibus contrectavi. Puella tota ita adhuc integra est, ut putes, eam vix ante unum annum emigrasse, adeò nihil prorsꝰ adhuc in ea apparet cineribus simile. *Masculi* verò vel puelli pectus humoribus & aquis, (quæ per parietem sudantis hyberno frigore templi descenderunt in parieti cõtiguum Sarcophagum) aliquo modo læsum, in cineres resolvi cœpit. Caput tamẽ, humeri & crura integra adhuc sunt, nec tantillum immutata.

Adeò mirifice ostendit Divina Majestas, quàm innocenter perierint isti infantes, quorum animæ verè cœlestes clamabunt in die extremi judicii contra tam immanem, adeoque crudelissimam matrem, quæ nec suo pepercit sanguini, modò insano ac omnibus modis detestando amore

amore frui liceret. Adeo verum est, quod à Seneca dicitur: Amare & sapere ne diis quidem ipsis concessum esse.

Idem in manuscripto de monasterio *Aldersbach*, Joannes Kiener ex Vilsenhovio, vicino & ad Danubium sito oppido natus: eligitur in Abbatem Aldersbacensis Monasterii, unanimi omnium consensu, in die S. Francisci, anno 1051. vir statura magnus, qui antea parochiæ Schonaviensi 20. annis piè & eleganter præfuerat. Infeliciter consecutus est hoc gubernaculum. Cum enim opulentissimum invenisset, & inpromtis etiam pecuniis dives Monasterium, ita prodigus ac conviviis deditꝰ vixit, ut post biennium cogeretur aliunde argentum mutuari.

Cœpit itaq; Cœnobii possessiones partim oppignorare, & hypothecas facere, partim vēdere. Sic lapsum est exiguo, quod partum est tempore longo. Conflictabatur etiam cum morbo Gallico, idcircò rarò in Monasterium venit, sed semper verè Patavii erat in sui Cœnobii curia, numerosam alens ociosorum hominum familiam, & crebros invitās hospites ac convivas, quib. cum abligurire solebat omnia, quasi ex professo Ecclesiasticarum facultatum perfundatorem ageret: homo alioqui facetꝰ, & ad concitandos risus peridoneus & egregiè doctus.

Gignit tales homines multos *Bavaria*, Iocularios, & Vlenspiegelii aut similium Morionum instar, inepta garrulitate risum movere omnibus egregiè callentes, quos ipsi *Bavari* inepta voce Beygschyrer vocāt.

Idem de claustro Bulgern, Bulgarium, vulgò *Bulgern*, Monialium & secularium sacerdotum in duas partes divisum, fluvioloq; & alio interjecti agri spacio discretum, ordinis S. Spiritus. Xenodochium potiùs appellandum quàm cœnobium, in Austriacā provinciā supra Anasum sita, medio penè itinere inter *S*teurecense oppidum ac castrum, oppidulumq; Mauthusense, paululùm à sinistrā descendentis Danubii, in amœnissimā paradyso extructum, à quibus *R*egulis vel fundatum initio sit, vel postea auctum, expiscari hactenus non potui. Advocati ac tutores ejus sunt illustres Comites à Liechtenstein, domini in Niclasburgo & arce Steurecensi. Habet hæc Monachorum & sacrificulorum scortantium cavea Magistram plerunque utriusq; loci & altricem & gubernatricem. In hodeporico nostro *A*nasiano de hoc & aliis Monacharum, aut Vestalium collegiis ita non lusimus quidē, sed seriò cantavimus, rumpantur ut interim ilia Pfaffis.

Manè, sub auroram venientem surgimus.
Ingredimurq; iterum (nam pauca negotia nostro
Illic Pribizero priùs expediunda fuerunt)
His ritè exactis jentacula lauta parantur,
Cùm vix Phœbus adhuc Eoum ascenderat orbem.
Hæc vita Aularum est, exorto Hyperione vixdum,
Indulgere statim ventri, genioq; , guleque:
Hinc jentacula sunt, mox prandia, & inde merenda:
Tandem cœna etiam, nocturnus & insuper haustus:
Vita quasi hæc nobis data in hoc tantū sit, ut inter
Delicias mensæ noctesq; diesq; soluti
Omnibꝰ à curis, & mādūcemꝰ, & instar
Anseris ad potum semper sedeamus, & urnas:
Quas exhaurire & siccare sit inclyta virtus,
Aut quoq; nobilitas æterno nomine digna.
Dimissi tandem, sat poti, & sobria certè
Turba parùm (quis enim, nisi potus & ebrius, ire
Ex madidis proprias ad res permittitur aulis?) pi. sum
Rursus equis ferimur per florea prata, per agros,
Vndique fronde nova novo honoreq; luxuriantes:
Donec ad exiguam Monacharum venimus adem
Bulgariam, celebris dictam de nomine terra.
Sexus uterq; illic, fratres nempe atque sorores,
Pontificum fictā sub religione, seorsim
Degentes, rivo sejuncti agroq; (simul diis
Et mortalibus illud obest:) dominantur & illic
Fratribus, adversus Pauli pia jussa, sorores:
Sic mandavit enim Christo adversarius hostis,
Ille creaturarum ejusmodi alumnus & author.
Non tamen iste diu nos detinuit locus, ut qui
Nec monumentorum quicquam, nec bibliothecam,

Aut aliud quid tale, quid aut virtutis haberet.
Nam simulatrices tantùm virtutis ibidē
Invenies, simulatores pietatis & unà,
Quid plebi ostentant Curios, castasque Sibyllas:
Intus agunt thyasos, & Bacchanalia vivunt.
Et nihil omninò est in toto stultius unquam
Inventum Mundo, nihil imprudentius atque:
Quàm quòd regna etiam stultis mulieribus istis
Sunt commissa, & religio, pietasque fidesque:
Qua de relligione, fide, probitate, pieque
Vivendi normâ, nil norunt, turpibus ac sunt
Vt desideriis, ita amoribus undiq; plena.
Fœmina quando semel totum seduxerit orbem
Et nostrum genus omne ità morti immerserit atra,
Ex quâ non aliâ redimi ratione, nisi unâ
Hac, potuit, fieret cœlesti ut victima patri
Ipse Dei gnatus, cœlestis imago parentis,
Verus homo, verusq; Deus: vita unica nostra.
Et quid ineptius est, quàm quòd Regesq; ducesq;
Fecerunt aliquas harum membra atque columnas
Imperii? O miserum Imperium, cui præsidet, & quod
Adiuvat effrenis Meretrix & adultera turpis:
Quæ nupsisse Deo, & castè se vivere jactat,
Prostituitq; simul tot se Monachisq;, virisque
Sacrificis, servis sed & upilionibus ipsis!
Hunc lupis fieri tales voluêre tavernas
Imperii proceres? qui maxima dona dederunt
Talibus ornandis Monacharum sedibus: An sic
Ad castam vitam tenera est ducenda juventus?
Non puto. Tutius idcirco foret, utiliusque,
Esse solo æquatas has circumquaque latebras,
Ista latibula scortorum quàm stare, & ibidem
In vitia & scelerum duci genus omne juventam
A Sathanæ servis Monachis, fœdisq; lupercis,
Præsulib9 nostris, horumq; satellite clero,
Hac vos Imperii Reges aliquando videte:
Ad vos pertinet hac totum cognoscere ad unguem,
Atque reformare hæc Mundi portenta cadentis:
Quæ propter Deus iratus tot plaustra malorum
Omnibus infundit Regnis. Sed pluribus ista
Cesso monere: satis dictum est, si sunt modò, qui se
Credāt esse Deos sola hac ratione vocatos:
Quòd, quacunque Deum sapiunt, defendere: sed quæ
Sint adversa Deo, teneantur perdere ferro.
Non picta imperii statua, sed fortia membra: p. 581.
Æternig; Dei lecti hac ad munia servi.

Idem. Temporibus Arnoldi de Radberg, Episcopi Basiliensis, circa annum Domini M.CCCC.LVII. magna quædam Hæreticorum secta in Germania pullulavit, quæ circa terram Bohemorum in civitate Egra ortum habuit à fratribus dictis Die armen Barfüsser, qui tantam multitudinem ad se traxerunt pecunia & donis, in diversis Alemanni partibus, quòd si simul congregati fuissent, cuicunque etiam potentissimo principi resistere potuissent. Hi etiam cōventionem habuerunt in diœcesi Eysteten. Quo audito, Episcopus Eystetensis inquisitionem contra eos fecit, & plures ex iis comprehendit, examinatosque ac condemnatos, igni cremandos tradidit. Quod factum idem Episcopus Eystetensis aliis notificavit: ut similem inquisitionem facerent, & articulos perfidiæ ipsis transsumsit: & præsertim præscripto domino Arnoldo de Radperg. Episcopo Basiliensi, tanquam viro catholico, & suo constudenti Papiensi, infrà scriptos articulos transumsit, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur & extat.

Articuli & errores Hæreticorum, qui in diœcesi Eysteten. latuerunt, & examinati sunt.

1. Dicunt, se habere quosdam magistros, qui per mundum vagantur: & esse numero XII. exemplo discipulorum Christi, & prædicant occultè: quia propter metum aliorum sacerdotum publicè prædicare non audent.

2. Eo-

2. Eorum sacerdotes esse pauperes, nihil in mundo posidentes: qui ordo originem habeat à tempore *Beati Sylvestri*, *Papæ* XXXV. qui post donationem per Constantinum Imperatorem Ecclesiæ factam pauperes permanserunt, & ab aliis ditatis fuerunt separati.

3. Prædicant, unum *Deum* adorandum esse, & quòd neque B. virgo Maria, neque alii sancti sint venerandi, neque invocandi: quia nullum possint hominibus præstare suffragium, cum talis sit in cœlo concordia, ut nihil velint, nisi quod Deus.

4. Sanctorum festa non esse celebranda; neque vigilias eorum agendas, ex causa præmissa, cum nihil hominibus prosint; sed quicquid ab hominibus fiat, totum in honorem Dei fieri debere, & non *Sanctorum*.

5. Quòd duæ tantùm post mortem sint viæ: videlicet fidelibus ad cœlum: peccatoribus autem ad infernum: purgatorium omninò negant.

6. *Quòd* suffragia pro mortuis nulli prosint: & sic oblationes, missas & eleemosynas nullius dicunt utilitatis.

7. Ceremonias *Ecclesiæ* detestantur: nempè benedictiones salis, olei, palmarum, candelarum, & aliarum rerum.

8. Censuras *Ecclesiasticas* detestantur: præsertim excommunicationem dicunt nullius esse momenti, & quòd neminem liget.

9. Imagines Sanctorum reprehendunt dicentes, simulachra esse, & quod neq; colendæ neq; venerandæ sint.

10. Nullum festum alicujus *Sancti* esse celebrandum, sed duntaxat diem Dominicam festivandam, & feria sexta initiandam.

11. Quòd sacerdotes injuriam faciant Laicis, dum utramq; speciem in cœna Dominica iis non communicent: quibus tam necessarii sint, ac ipsi celebrantes.

12. Dicunt, salutationem Angelicã nullius esse efficaciæ, & quòd in honorem *B.* Virginis non sit dicenda: sed dici possit in honorem Dei: & in dicendo omittatur clausula, Benedicta tu in mulieribus.

13. Peregrinationes ad limina *Sanctorũ* omninò derident: dicentes, hominibus nihil proficere, neque indulgentias dare posse, sed quòd talia sint à sacerdotibus propter quæstum excogitata.

14. Quòd uxor ex nulla alia causa, nisi fornicationis, possit à marito separari, neque etiam à viro dimittendam.

15. Quòd Sacerdotes & Clerici nihil proprii habere debeant, nisi de una confessione ad aliam. Et quòd ipsi sint de iisdem sacerdotibus, qui tempore Beati Sylvestris pauperes permanserunt.

Idem in manuscripto de *Episcopis* Pataviensium. In Albertum II. Baronem de Winckel, bellatorem veriùs quã sacerdotem, Pataviensis civitas sumens arma, insurrexit, (etsi quæ motæ seditionis causa fuerit, subticeatur) resque utrinque exacerbata, summè eò deducta est, ut in aciem utraq; pars martis alcam experiri volens egrederetur. Pugnatum est acerrimè & atrocissimè, inter Pataviam & Frigulinæ Cellæ Episcopale oppidum, eo ipso loco, ubi Ehrlachius fluviolus è Bohemico nemore profluens, Danubio sociatur. Cumq; diu ancipiti marte dimicatum fuisset, & utrinque plurimi cecidissent, quorum sanguine uterque fluvius tinctus esse scribitur: tamen victoria, etsi cruentissima, Episcopo cessit.

Quis non in apostolicis viris [quales episcopi esse volunt] studia hæc bellica reprehenderet? quos siti sanguinis fervere omninò, præsertim in negotio religionis, non convenit: cum & Christus ipse, Episcoporum omnium, sed verorum & piorum, non personatorum, antesignanus, neminem unquam vel gladio, vel igne occiderit, sed simpliciter fateatur, venisse se, nõ ut perdat animas, sed ut servet: Luc. 16. Sed quò prolabor? quóve feror? qui non hîc Theologum sed Chronologum ex professo ago.

Pictura universam Christianorum doctrinam veriorem illam, nostro seculo iterum patefactam, verè exprimentis, delineatio & explicatio verissima. authore eodem Caspare Bruschio Poëta Laureato, Comite Palatino.

Hæc, vos Austriaci, Stiri, fortesq; Carinthi,
Carni, ac Taurisci discite (quæso) boni:
Quos procul abducunt à Christo principe nostro,
Qui sumunt Jesu nomina mira sibi.
Hi dum sese audent Jesu jactare ministros:
Verborum Christi dogmata sana premunt:
Pontificisq; juvant scelera, atq; tyrannadẽ sævam,
Pro veraq; docent impia monstra fide.
Hinc Jesuvvidri dicuntur ritè, sequaces
Christi immortalis quos pudet esse Dei.
Triste Satellicium Satanæ Antichristi, & Averni,
Quod veluti stygium vos fugitote lacum.
Nos Jesu Christo dedimus non nomina Jesu:
(Hic novus ut Satanæ grex sibi fingit iners.)
Atque hinc Christiadum cœtus, Christique vocamur
Membra, hujus sequimur qui monumẽta ducis:

Discipulĩ

Discipuli cujus, puerique manebimus, & non
Quaeremus nobis nomen in orbe novum.
Est idem semper Satanas, ludibria vero
Sunt nova semper ei, quae fugiamus Amen.

R. Patri ac D. D. Micalo Raczbegio, Abbati Reichenbacensis, non personato aut titulari, sed vero, non Antichristianico seu Pontificio, sed Christiano, non impiorum & idolatricarum traditionum humanarum, sed Christi verborum ac veritatis patrono, Mecoenati suo S. D. Bruschius.

Micale Raczbegi. Reverende & amabilis Abba.
Doctorum pater, & Mecoenas magne virorum,
Iulius & verbi coelestis fide patrone,
Quod supera nobis olim pater almus ab arce
Misit, ut, assumta à nostra ista carne misella,
Victima pro nobis fieret, placaret & iram
Accensam prima mala per delicta parentis,
Totius & generis sordes atq; ulcera nostri.
Est pictura mihi nuper pulcherrima visa,
Digna tuo vultu: verum & dignissima, templo
Urgna picta tuo sit testis posteritati.
Qualem doctrinam, quem sis heroa professus,
Dum licuit Mundo vitam tibi degere in isto.
Sub certaminibus tot, schismatibusque dolendis:
Solum hunc nimirum, qui coelo venit ab alto.
Inque cruce est factus pro nobis hostia Patri
Sustulit atque nefas nostrum omne, suoque cruore
Innocuo, & sancto, & precioso crimina nostra
Omnia delevit, quibus irritavimus iram,
Placari quae nō potuit nisi sanguine Christi.
Solum hunc, qui tumidum veniens iratus ad Orcum.
Omne sodaliciū Phlegetontis contudit illic,
Rursus & ethereas remeavit victor ad oras:
In patriam, quam nunc cum patre & flamine sacro
Ipse tenet semperq; potens sine fine tenebit:
In quam nos etiam venturis attrahet annis,
Hac quicunq; fide sincera credimus illi.
Hanc tibi picturam descriptam, & numine dextro
Expositam à nobis, pater optime mitto legendam;
Et meditandam isto lugubri tempore; quo nos
Dicimur à vero procul isse in devia, priscis
Discessisse & ab his doctrinis, quas pia Christi
Sponsa docet veneranda parens Ecclesia nostra
Cum nos doctrina vere maneamus in illa.
Quam semper Christi est Ecclesia vera professa,
Cujus & ista rei pictura erit optima testis.
A Satanae verò doctrinis prorsus abisse
Nec nos poeniteat, nec nos pudeat quoq;, Christus
Cum solus nobis Doctor sit missus ab alto,
Cuius nos verbum coeleste audire jubemur
Coelitus ac fugere interea Satanamq; luposq;
Ergo illi, humanas qui tantum traditiones
Ore tonant magno, & mixis clamoribꝰ urgent, p. 588.
Hi discesserunt à Christo principe, veri
Hi sunt Haeretici, quos olim Acherontius ignis
Comburet miseros, scelerū nisi poeniteat mox.
Tu mihi si velles parere haud vana monenti
Curares etiam, velut est descripta sat apte.
Sic pingi in tabula vel sacri pariete templi:
Conspicua ut multis multos de religione,
Quae placet una & sola Deo queat illa doceri.
Haec pictura Deo jucunda & grata futura est:
Haec multos vera de religione docebit,
Et trahet in Christi perfectam cognitionem
Ignaros verae doctrinae hoc tempore multos.
Vive pater reverende diu, vive optime praesul,
Meque tibi fido conjunctum pectore semper
Esse, tibi commendatum quoq; pectore fido
Quaeso sine, & nobis Mecoenas esto benignus:
Sic faveant etiam superi numina coeli.

Etsi aliquot jam seculis magnae in universo Mundo regnaverunt, per impiam Pontificum audaciam invectae, & per Episcoporum ignaviam ac segnitiem illapsae in Ecclesiam tenebrae: ac vera aeternae salutis via, illa coelestis regni Sapientia, per se aperta & luculenta; humanarum traditionum pelago ita immersa & obruta jacuit; ut à nemine fere sciretur aut intelligeretur tamen (quandoquidem semper aliqua Ecclesia est) aliquos subinde extitisse uti credibile, ita etiam certissimum est, qui veram de Deo & hominum generis salute doctrinam scrutati quidem sunt, sed animadversam in tanta tenebrarum existimatione prodere (nisi Martyres esse vellent) ausi omnino non fuerunt: qui enim in lucem prodire, & tenebras Mundi reprehendere ausi sunt, haeretici judicati, & vel gladio, vel igne, tanquam caeterorum seductores, sublati sunt.

Sic superiore aut nostro fere seculo in

Italia Hieronymus *S*auanorola (cum tenebras reprehenderet, & lucem veritatis divinæ oſtenderet) rogo impoſitus & interemtus eſt. In *G*ermania multis aute eum luſtris, Ioannes Huſſenicz, & Hieronymus Pragenſis, tenebrarum reprehenſores, & verioris ad vitam æternam viæ monſtratores, ab antichriſti ſynagoga Conſtantiæ ad Rhenum è medio ſublati ſunt.

*S*ic eodem noſtro ſeculo, paucis ante Lutherum annis, Uveſſelus *G*ransfortius Friſius, trium facultatum *D*octor, & totidem principalium linguarum peritus, lux Mundi vulgo appellatus: sed & *A*lbertus Crantzius, canonicus Hamburgenſis, Ioan. Gyller Keyſersbergius à patrio oppido dictus, ſummi templi *A*rgentinenſis concionatur, Joannes item Capnio, & alii plures reprehendere & taxare ſubinde tenebras auſi fuerunt: etſi id trepide & tenuitur fecerunt, ut omnino (niſi & ipſi *M*artyres fieri voluiſſent) modeſtiſſime id eos facere oportuit.

Talis & in Ulmenſi Eccleſia fuit Doctor Ulricus Crato, publico probi parochi elogio ac cognomento in ea *R*epub. (in qua patricio ſanguine etiam natus fuit) adhuc hodie celebris, qui ante Lutherum, idolomanias & nundinationes pontificias & publice taxavit plurimas, & abrogavit etiam non paucas, veritatemque diligenter ſcrutatus, in maximo templo Ulmenſi præclare docuit, vir literis, pietate & virtute clariſſimus, & immortali gloria digniſſimus.

Fuerunt vero non pauci ſubinde aliarum etiam profeſſionum homines: Poëtæ, hiſtorici, pictores, & ſimiles artifices, qui cum publice veram pietatem profiteri non auderent, poematibus & picturis ea (quæ de vera Dei doctrina ſentiebant) ſapienter & erudite complexi ſunt.

Talem hominem fuiſſe credo eum etiam pictorem, cujus ingenioſam picturam & recitabo & explicabo hoc loco breviter. Eſt in *S*tiria ad Muram fluvium, ſupra Loubenium præclarum oppidum, illuſtre & magnificum Veſtalium puellarum cœnobium, Goſſia ſeu *G*oſſiacum dictum: in quo hodie adhuc ſub Abbatiſſa, nobili domina Omelia Leyſſerina triginta quinque vivunt velatæ virgines, & totidem aliæ honeſtæ puellæ, quæ in literis & virtute educantur ad annos uſque nubiles: omnes nobili proſapia, quædam ex Baronibus ac comitibus etiam natæ. Inchoatum id eſt annos ante ſexcentos, ſub *I*mperatore Cthone Magno, ab illuſtri quadam domina *A*dula Palatiniſſa, *A*cibonis Moguntini *A*rchiepiſcopi matre.

*I*n eo monaſterio ampliſſimo multa ſunt cum viſu, tum admiratione digna, quæ alibi à nobis commemorabuntur. *S*ed unum illic monumentum videmus, quod peculiari libello illuſtrandum duximus. Eſt ibi præter primarium templum, parochialis etiam Eccleſia S. Andreæ. *E*ius parieti exteriori, qui Orientem ſpectat, & principaliorum aram chaudit, talis appicta eſt imago.

In ſummitate parietis veluti tabulæ, pictæ ſunt aërei coloris nubes plurimæ, in his ipſis nubibus, aut ſupra potius nubes, elegantiſſima civitas quadrata, qualem fere *D*. Ioannes in Apocalypſi, cap. 21. æternam delineat ac cœleſtem Hieroſolymam. In ima parietis parte præclare depictus eſt univerſus Tartarus, impiorum, & Dei contemtorum lugubris & horrenda ſedes. In media parte, tanquam in centro totius picturæ, extat imago pendentis in cruce filii Dei, *D*omini ac liberatoris noſtri Jeſu *C*hriſti. p. 119.

Huic ad ſiniſtram aſtat primum & proxime puella quædam regia, aſinæ inſidens undiquaque vulneratæ & ſanguinolentæ, ac præ dolore jam jam corruituræ: de cujus puellæ capite corona regalis lapſa eſt. Hæc in dextra geſtat caput hirci ſanguineum, in ſiniſtra ſceptrum confractum, Ipſa ſemianimis aſinæ inhæret, per cujus caput penetrat gladius biceps, quem verberans manus è transverſo crucis ligno prodiens, quaſi percutientis Dei manus, gubernat, & puellæ capiti infligit. Huic miſerrimæ faciei muliebri ſubdita eſt Inſcriptio *S*ynagogæ.

Ad lævam hujus Virginis eſt arbor ſperamœna & delicata, cui per varios orbes implicitus & inſertus eſt, ſerpens, humani generis ſeductor: ex cujus ore *E*VA, prima humani generis & parens & calamitas, pomum ſcientiæ boni & mali apprehendit. Coram Evâ ingens aſtat hominum multitudo, ſed inter eam multitudinem & Evam, primam peccatricem, mortui hominis cranium interpoſitum, Mortem, peccati ſtipendium, per Evam in omnem hanc hominum converſationem intraſſe innuit.

In dextra pendentis *S*alvatoris, ſtat ſolus leo cum quatuor capitibus, leonis nimirum, hominis, *A*quilæ & *B*ovis, quatuor Evangeliorum ſcriptores, coeleſtis imperii archicancellarios deſignans.

Huic leoni fortiſſime inſiſtit alia puella, pudica & elegantisſima, regio & ipſa, ſed integro ornata diademate. Hæc aureum calicem læva tenens, excipit ex pendentis *C*hriſti latere precioſum ſanguinem, qui effuſus eſt pro magnitudine peccatorum totius mundi: dextra ſpectantibus hunc ipſum crucifixum liberatorem oſtendit. E crucis ſummitate, ſeu dextro tranſverſi ligni apice, prodit manus ſuper hanc puellam non irati aut verberantis (ut eſt altera manus ex lævo crucis apice propendens) ſed manns benedicentis huic Sponſæ Dei.

Dei. Huic puellæ addita est inscriptio & titulus Ecclesiæ.

Altat arbor proxima, cujus ramis itidem serpens implicitus est; & huic serpenti superaddita brevis imaguncula crucifixi Christi, ostendens, typum, populo Dei olim à Mose propositum, nunc esse impletum, Num. 21.

Prope hanc arborem, in loco paulum humiliore astat beata virgo, Christi Iesu mater, & coram hac immensus hominum cœtus: Papa, Cæsar, Reges, Principes, Episcopi, cives & rustici, omnes flexis genibus, & quasi adorabundi. His omnibus beata Virgo dextra Hostiam ostendens; lævæ autem digito monstratore vel indice pendentem & erectum in arbore sinuosum serpentem, & crucifixum Christum, sublatis oculis, & quasi concionans demonstrat.

Ab infima crucis parte, quasi tertia manus victoris Dei, grandi malleo subjectum effringentis tartarum, & percutientis atq; comminuentis Serpentem malorum omnium authorem, & omne inferorum satellitium.

Hæc tota imago est, quæ quid significet, breviter etiam, Deo duce, explicabo. Apparet autem, totam eam imaginem perveterem esse. Etsi enim contra tempestates & imbres recto munita sit: tamen inferior pars læsa jam est, & sublatæ ac deletæ sunt aliquæ inscriptiones. Quicunque vero elegantissimæ hujus picturæ author fuit, is mihi & totum Christianæ pietatis ac doctrinæ negocium præclare intellexisse, & ejusdem methodum quandam non invenustam in hac figura instituere voluisse videtur.

Primum enim (ut ab Eva ordiar) per serpentis odium, invidiam, astutiam, Evæq; primæ parentis nostræ fragilitatem, & ex fragilitate emergentem inobedientiam, peccatum in omnem mundum venit; per quod peccatum originale omnes filii iræ facti, imaginem & similitudinem Dei (ad quam initio conditi eramus) misere amisimus, facti ex innocentibus nocentes, ex perfectæ bonitatis hominibus illustribus ac piis, sordidi peccatores, deniq; (cum peccati merces Mors sit) ex immortalibus mortales, qui (ut cranion hujus imaginis testatur) corruptioni & interitui sumus obnoxii, ex pulvere facti, in pulverem resolvendi.

Misertus vero incomporabilis hujus cum cladis, tum hominum calamitatis, clementissimus Deus, prodiens ex arcana sede sua patefecit se denuo universo humano generi: ostendens viam, per quam solam totius generis nostri ingens ruina illa reparari & instaurari denuo posset ac deberet, nempe per Semen mulieris, quod aliquando esset futurum victima pro peccatis mundi. Hujus benedicti seminis & mactandæ aliquando hostiæ, typi erant & imagines crebræ pecudum mactationes, in populo Dei institutæ; quibus significatum hoc unum est, venturum olim agnum immaculatum, cujus preciosissimo cruore effuso posset ac deberet placari ira Dei.

Interim jubebantur mactare pecudes, ut testarenrur, se huic divinæ patefactioni assentiri & certo credere, Iudæi. Non jubebantur id facere, ut crebra illa mactatione & immolatione pecudum quasi opere operato placarent aut obnoxium sibi facerent Deum. Quicunque hac fiducia venturi liberatoris immolarunt, grati fuerunt Deo. Et quicunque hac se, venturæ aliquando per agnum immaculatum perpetuæ liberationis, ex hac vita mortali decesserunt, servati sunt, & vivent cum agno in cœlesti Hierosolyma: & non sunt Synagogæ Iudaicæ, sed veræ Chrsti Ecclesiæ pars, cum Deo immortali perpetuo victura. p. 590.

Quemadmodum autem promissus est patribus Redemtor humani generis: ita tandem etiam eo ipso tempore (quod à prophetis significatum ac proditum erat) exhibitus, è Spiritu sancto conceptus, ex intemerata virgine natus, Agnus immaculatus, Christus Jesus filius Dei, verus Deus & verus homo, in cujus ore non est inventus dolus. Is etsi in propria venit, hoc est, in populum suum Judaicum, cui præcipue promissus & exhibitus erat, natus nimirum etiam ex populo Iudaico, ex Abrahæ semine, ac Davidis posteritate: tamen sui non receperunt eum, sed affixum cruci crudeliter interfecerunt.

Hæc est Synagogæ Iudaicæ tyrannis, asinę illius tot legum plaustris oppressæ, & tamē adhuc luxuriantis prævaricatio, quæ quia tempus salutaris visitationis suæ non neglexit tantum, sed & contemsit: adultera, Deos alienos colens, & in verum Deum cruentas manus injiciens, cœlesti brachio vicissim interemta est: corona de capite eius dejecta, sceptrum confractum, urbs nobilissima (regni caput) funditus eversa, hircorum sanguinis immolatio abrogata est: hoc est, totum cum sacerdotium, tum regnum populi Iudaici extinctum, dissipatum, extirpatum est radicitus.

vocatæ autem sunt gentes per Evangelium ad Christum, ut sint Ecclesia Dei. Hunc coetum DEVS non humanis traditionibus veluti asinam regi voluit, sed veluti dilectissimam sponsam, verbo suo coelesti ac immortali, cujus scribæ & cancellarii fuerunt quatuor illi Evangeliographi, quos designant quatuor capita, quibus insistit & innititur Ecclesia Dei, quæ humilime sese deijciens, aliud jactare: aliud docere & prædicare nihil omnino potest, quam sanguinem

guinem [redacted] merita redemtoris sui Jesu Christi: cui soli tantum tribuit, ut ei & se & sua omnia legissime postponat, & humilime subjiciat.

Accedit autem hic & altera concionatrix beata virgo, mater Christi: non semetipsam jactans, non suam virginitatem superbe extollens, non ubera sua ostentans, non sua merita sesquipedalibus verbis allegans: sed veluti humilis serva Domini, omnibus cum summis, tum infimis hunc solum & unum crucifixum filium suum ostendens, hunc unum prædicans, & toti mortalium generi commendans, & unice inculcans. Hunc nimirum, hunc inquam, factum esse victimam pro peccatis mundi, hunc esse solum & unum humani generis liberatorem, non sese: hunc esse immaculatam hostiam, hujus unius merito Pœnitentiam agentes peccatores ab æterna morte liberari. Hunc esse, quem serpens in deserto à viro Dei Mose erectus præfiguraverit, in quem intuentes salvi fiant à morsu serpentis, in hunc solum omnem spem & fiduciam esse collocandam. Hanc ipsam solam doctrinam jubet profiteri & propagare Cæsarem, Papam, Reges, episcopos, principes & subditos, summos pariter infimosq; omnes.

In hac professione & hujus professionis intrepida confessione, est vita & salus sempiterna. Extra hanc salus nulla est, sed perpetua condemnatio. Hæc est victoria crucis, ex qua manus progreditur vindicis Dei, confringentis tartarum, & inde deducentis eos, qui ante adventũ liberatoris in venturum aliquando Redemtorem crediderunt.

Atque hæc est brevis & succincta & tumultuaria picturæ hujus interpretatio, sacris scripturis consona, & cum recens accensa & patefacta nobis iterum Evangelii luce per omnia consentiens: piis studiose cognoscenda, diligenter meditanda, & fideliter tenenda in omne ævum.

Hoc vero corollarii auctariiq; vice adjiciendum hic duxi, quod observatione omnino dignum etiam est: figuram hanc piam & veræ doctrinæ per omnia consentaneam & convenientem, non habuisse locum in ipsis papistarum templis, ut nec conciones de Christo habent: sed bonum pictorem seu figuræ ipsius inventorem, coactum fuisse foris manere cum suo vero Christianismo, quem mundus omnino ferre non potest. Christus IESVS æternus Dei filius veniat tandem, & contemtum suæ veritatis vindicet, qui sit benedictꝰ in secula: Amen.

1550. *Iacobus Fincelius.*

Vir quidam divitiis abundans, tredecim milliaribus à Gorlitz, cœna oppipare instructa convivas invitarat, qui cum advenire recusarent, ita ille excandescens: proh, inquit: si venire isti recusant, adveniant ergo, quotquot sunt Diacoli. Vota hæc non sunt irrita. Nam ingens protinus eorum numerus, quos cum execratione vocarat, ad ipsum adventat. Quos ille primo aspectu non agnoscens, humaniter accepturus accedit. Verum cum illi loco manuum ungues protenderent, supra modum territus, quos domi suæ jam haberet convivas, facile intellexit. Trepidus itaque cum uxore sua ex arce profugit, relicto in cunis infantulo & morione, qui in hypocausto cunis assidebat. Sed cum infantulo morio iste è turba Dæmoniorum incolumis evasit. Imp. & Pn. V. S.

Bartholomæus Latomus.

Hic animam agens, se non aliam ob caussam damnatum, vociferatus est, quam quod veram doctrinam oppugnasset. Idem & Cancellarius Pratensis fecisse dicitur. Imp. 117. Car. 5. Pp. 228. Iulio 3.

Rebuffus in praxi.

Inutilia capita Ecclesiis esse, & lolium frugum loco succrescere queritur. Imperat. & Pp. ut supra.

Iacobuus de Monte Pessulano, de statu curiæ Rom. Rebuffus in pract. Cancell. Iacobus Petrus de Ferrariis, Budæus, & Pighius in controvers. de missa privata.

Hi canonum & constitutionum pontificarum iniquitatem notaverunt, & in ipsam missam abusus irrepsisse, fatentur: ut apud eos.

Andreas Thevetus Gallus, & Ioan. Lerius.

Scripsit ille antiquitates singulares & notatu admirandas. Quem tamen Ioannes Lerius mendacem dicit, & fictitia multa annotasse affirmat. Imp. & Pp. v. s.

Barlette Prædicator Gallus.

Prælatum quendam, qui loqui nesciebat, nisi per corpus Christi, & nomen Diaboli, cum nemo auderet monere, ego officium suscepi, dicens: Pater Reverende, plures de V. nobis dicunt, quod nescitis loqui sine juramento [redacted] nomine Diaboli. At Episcopus in impatientiam versus ait: In nomine Diaboli, & quis de me ita dicit? per corpus Christi non est verum. Cui respondi, Reverende domine, à vobis testimonium capio: tunc cum rubore discessit. Imp. Car. 5. PP. Iulio 3. V. S.

Iodo-

Jodocus Ludovicus Decius.

Conscripsit hic historiam Boemorum, Polonorum, Borussiæ, Lithuaniæ, & circumjacentium regnorum, & terrarum. Et multorum historicorum errores, Bergomatis, Volaterani, Francisci Irenici, & aliorum, corrigit. & raro nobiles Polonos reperiri scribit, qui non trium, vel quatuor nationum linguas novissent: Latinam vero callere aut omnes. Imp. Car. 5. Pp. Jul. 3.

Idem contentionem Legatorum Imperatoris & Papæ, ubi Pontificius à Cæsariano pulsus loco, describit.

Wierus lib. 1. cap. 16. de præstigiis dæmonum.

Philippus Melanchthon retulit: Lutheri ædes accessisse monachum, fores vehementer pulsitantem: cui cum famulus aperiret, & [illegible] quid vellet: num domi esset Lutherus? quærit monachus. Re cognita, Lutherus eum ingredi jubet, quod nullum [illegible] tempore vidisset monachum. Ingressus [illegible], habere se quosdam errores papisticos, ait, quorum nomine libenter cum ipso [illegible]: proposuitque syllogismos, [illegible] difficulter à Luthero solutis, [illegible] explicatu minus faciles. Vn[illegible] Lutherus, in hæc prorupit verba:

[illegible] mihi facessis negotii. Aliud [illegible], quod jam agerem, erat: simulque [illegible], loci à monacho propositi explicationem ostendit: atque in ejusmodi collatione, manus monachi non esse avium [illegible] dissimiles, animadvertens, inquit: Tune is es? ausculta, sententia hæc [illegible] te pronunciata est, & mox locum ex Genesi commonstrat: semen mulieris conteret caput serpentis. Inde subjungit: [illegible] tu deglutiens. Hoc dicto victus dæmon, indignabundus, secumque murmurans abiit, elisto crepitu non exiguo; cujus [illegible] odoris dies aliquot redolebat hypocaustum. Vide, quam pompam diabolus in monachali habitu agat! Imp. Car. 5. Pp. Jul. 3.

Idem lib. 2. c. 4. Anno 1530. sacerdoti in crystallo thesauros Norimbergæ ostenderat dæmon: hos igitur cum loco perfosso ante [illegible] quæreret sacerdos, adhibito amico [illegible], & jam in specu arcam vidisset, atque ad eam cubantem canem atrum; ingressus in specum opprimitur, interficitur. [illegible] cacumine, & specum rursus complente.

De arte Almadel, arte Notoria, arte [illegible], arte Artephii, Paulina, arte [illegible], & Stegano-graphia Ioan. Trithemii abbatis Sponheymensis, Idem.

De illis (cum nimis longum foret) alibi legitur, hoc loco solum ea, quæ Carolus Bovillus de stegano-graphia sentiat, recensebuntur. p. 592.

Ad Tritemium diverti, quem reperi magnum, nulla Philosophiæ parte insignem. Eius Steganographiam evolvi velitatim, nonnullorum capitum perlegens initia: vix horas duas librum in manibus habui: abjeci enim eum illico, quod terrere cœperant me tantæ adjurationes, ac tam barbara atque insolita spirituum (ne forte dicam dæmonum) nomina: universa vero hujusmodi nomina (quoad videre visus sum) ignotæ linguæ sunt. Ait enim Arabica, aut Hebraica, aut Caldaica, aut Græca: Latina pauca, aut ferme nulla. Innumeri autem sunt characteres, quibus adjurationes singulæ notantur.

Quod in Epistola ad Boscium Tritemius scribit, verba esse plana, lucida, sine omni literarum aut vocabulorum transpositione ita ut omnes legant & intelligant: secretum tamen illius, qualecunque erit, manere ignotum: hactenus vera loquutus sit. Nam in tota hujusmodi Steganographia passim sanctissimas ac piissimas orationes inserit, quæ ad amicum epistolarum loco mittantur: re autem vera lachrymæ sunt crocodili. Id enim mihi facere videtur, quod D. Dionysius in epistola ad Sosipatrum de Apollophane sentit: Divinis adversus Deum nefarie utitur, ac per mundanam inanemque sapientiam divinam sapientiam evacuare molitur. Quod autem sine adjutorio spirituum omnia pollicetur se facturum, recte (ut ait Daniel) in caput suum mendacia confingit: manetq; (puto) angelus Dei bonus, ut secet eum medium: dissolvatque fœdus iniquum, quod cum nocentibus angelis iniisse ac sanxisse, palam ex ipso opere declaratur.

Porro si rite memini, hunc ipsum in Steganographia illa ordinem servat: inprimis spirituum ipsorum nomina digerit, hinc eorum adjurationes disponit, ac singulorum characteres subscribit: postremo figuras distinguit, è quibus pro adjurationib. singulis apta spirituum nomina, quoties necessitas ingruerit, depromere atque elicere doceat. Partitur autem in hujusmodi figuris spiritus ipsos in quatuor. Imperatores, Duces, comites, & servos. Imperatores vero totius orbis esse tantum duodecim, quotquot & venti à Philosophis esse traduntur. Ex his quoque quatuor designat præcipuos, Orientis, Meridiei, occidentis & septentrionis: quos, ut magnos, Imperatores appellat. Sub quolibet Imperatore statuit Duces, puto trigenos aut quadragenos. Sub Ducibus singulis rursus comites, majore numero: & Servos sub comitibus innumeros.

[illegible] olim apud Gallorum Druidas, [illegible] Indorum Gymnosophistas] [illegible] idemq; ejus cultus observaretur: sed [illegible] (quod multò magis mirandum vel potius [illegible]) in Christiana nostra Europa, apud diversissimas regiones, in cujus[illegible] materiæ vel nominis idolis, non dis[illegible] ritu, honor sibi haberetur.

Hanc cæcitatem apud commoda suis [illegible] organa auxit voce, cantu, capitis [illegible] aversione, inflexione ad latera, [illegible] gesticulationibus, aut aliis motibus [illegible] quæ indicia propitiæ vel aversæ [illegible] voluntatis edidit [illegible] prophanavitq; loca, quæ certè [illegible] & sedes doctrinæ cœlestis, [illegible] scholæ patrum, & in quæ (velut [illegible] in suæ impietatis & superstitio[illegible]) suas blasphemias in Deum [illegible] liosas, & hominum generi exitia[illegible] evomere conatus est.

[illegible] hac mundi senecta, nutantibus [illegible] se in vero Dei templo [illegible] & hominum mentibus domi[illegible] in lucis angelum transformatus, [illegible] graviori divinæ majestatis [illegible] hominum exitio, magis ul[illegible].

[illegible] pertinent ludibria, quibus nostros [illegible] ut, nisi sacro bapti[illegible] lavacro, ad Christi so[illegible] membra pertinente, & exorcis[illegible] sua sede deturbandus est [illegible] illis, qui ejus pellendi singulare [illegible] applicandis, campanæ & [illegible] expientur sacrificenturque, [illegible] & testibus (in sacrilegam ube[illegible] compilationem) undiq; convoca[illegible] in animatas mortuasq; è turri[illegible] ablatum iri, simplicibus per[illegible].

[illegible] imò foveæ & stagna ostenduntur, [illegible] vidi, si dignus sum, quò ejusmo[illegible] baptizatas, cõsecratasq; campanas [illegible] ex turribus proximis invectas [illegible] dicunt: auditiq; earum [illegible] nocturna hora duodecima in Nati[illegible] Christi solennibus, vel etiam singu[illegible] quatuor anni temporibus, quæ vocant: [illegible] commori, qui audierit. Sic fit, ut à [illegible] caveant imprudentes, nec inveniatur, [illegible] & si aliquem audire contin[illegible] procul dubio à dæmone ob impie[illegible] interim tamen hisce re[illegible] præstigiis illi detinentur. [illegible] eo loco prope Abbatiam [illegible] ductus sum, ubi firmiter ad[illegible] hoc sacrilegium coram audivi: [illegible] fovea, turrisq; ostenditur.

[illegible] perquàm prudenter & piè [illegible] inter gravamina se[illegible] à Germanis non toleranda, [illegible] consecrationem recensuit iis hæc verba: Suffraganei excogitaverunt, ut solùm ipsi, & nullus alius sacerdos laicis campanas baptizaret. Credunt deinde simpliciores; ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas dæmones & tẽpestates pellere.

Quapropter innumeri plerunque adhibentur compatres, præcipuè verò, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana ligata est, tangunt, ac suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteq; nova (quemadmodum & Christianis fieri solet) campana induitur. Inde ad sumtuosa properatur convivia, quibus præcipuè compatres, ut eò largius munera offerant, adhibentur: nec non suffraganei, & eorum capellani, cum multis aliis ministris regaliter pascuntur:

Nec hoc satis est, sed & suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent. Inde evenit, ut aliquando, etiam in parvis villis, centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione. p. 594.

Quæ res non solùm superstitiosa, sed etiam Christianæ religioni contraria, ac simpliciorum seductio & mera est exactio. Verùm etiam episcopi, ut suffraganeos vel vilissima obærare possint mercede, talia & adhuc absurdiora tolerant. Res igitur tam nephanda & illicita meritò aboleri debet.

Idem. Mulier Catharina Lor nomine, cujus mihi nota soboles, viro nupta, hunc in initio comperit impotentem. Quare à vario temerè quæsito consilio, hæc in ara D. Antonio sacra Everfeldi in ducatu Montẽsi, ubi degebat, ceream membri virilis effigiem religionis ergo, ut à suo malo levaretur maritus, suspendit offertq; Sacrificus rei ignarus, canone ad altare demissis oculis recitato, ut fieri solet, suscipit, priapumque illum cereum inopinatò intuitus, tollatur dæmonium illud, mox inquit, & cæt.

Idem. In celebri quodam apud Geldros oppido, ubi olim medicinam publico feci stipendio, in virginum arctiùs occlusarum cœnobio, uni valetudinis nonnihil afflictæ, maleficium esse, quo exerceretur, persuasit pontificius quidam pastor: nec id, nisi missæ sacrificio super puellæ ventrem celebrato, tolli posse, addit: quo permisso peractoque, eam primùm maleficio cœpisse exagitari, quum leviter antea naturali afficeretur malo, postea sæpenumero monasterii gubernatrix (quam matrem appellant) nobilitate, ætate & probitate veneranda expostulavit. Suos interim, qui ipsum ob religionis fortassis nomen admirentur, habebat ridiculus hic actor & ineptiarum

 scriptor,

testatem attribuit. Facit idem Cancellarius Antonius Pratensis, Cardinalis legatus per Galliam pontificius.

Itaq; cum nullam haberent exceptionẽ rei, traducti Lutetiam coacti sunt respondere: sed nulla potuit ab eis exprimi confessio. Positæ singulis erant custodiæ separatim, & novitius quidem tenebatur in ædibus Fumæi senatoris, & sæpe solicitatus nihil voluit fateri, metuens, ne pòst interficeretur ab illis, ob injustam ordini maculã, & factam ignominiam: sed qvum judices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent, ut in ipsorum potestatem minimè rediret, totã actionem ordine recenset: & adductus ad illos, idem affirmat. Illi quanquam erant convicti, & in ipso propè maleficio deprehensi: recusabant tamen judices, ac privilegia sua jactabant.

Verum id frustra fuit, & de communi consilio latâ sententiâ damnati sunt, ut Aureliam reducti, & in carcerem conditi, publicè deinde producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum, ubi supplicia sumuntur de maleficis: atq; ibi suum scelus ipsi profiterentur. Postea in proverbium abiisse memini, quo, ubi figmentum aliquod narraretur: Spiritus est Aurelianensis, dici solitum est.

Idem. Quidam pastorem agens in pago Dorweiss, circa Esu Weiler, puellam nomine Helenam Diaboli obsidione pressam in Loën, pagó prope Aldenhoviam sito, in Juliæ ducatu, suis execrationibus se liberare velle, elato supercilio promittebat; convocatis ad hujus miraculi spectaculum solenne aliquot Ecclesiasticis viris vicinis. Exorcistæ huic aliquandiu suis dejerationibus frustra sudanti in exturbãdo dæmone: hic tandem ait, se mansurum propterea, quòd circa vitrum loco illi illustrando applicatum versarentur multi ejus collegæ qui ipsum confirmarent.

Miser ille pastor mendaciorum autori confisus, ad eos per vitrum expellendos convertitur: atque ubi se operam ludere videret, indignabundus tandem in hæc erupit verba: Si ullam habes potestatem trãsmigrandi in Christianum, transmigra ex illâ in me. Cui incunctanter latinè respondit Diabolus: Quem pleno jure in postremo die possidebo, quid opus est illum jam tentare?

Postea dæmonis testimonium de Missa cognoscere cupiens Joannes Sartorius, parochus in Loën, linguâ maternâ rogabat dæmonium, quare puella mox ad sonum campanæ, judicantem missæ actionem celebrandam, semper ab eo cogeretur ad tẽplum: num missa tam esset bona, aut mala? Ad hanc quæstionem se non respondere posse: sed deliberaturum, inquit. Actus hic est celebratus anno 1559. circiter 17. August. ut mihi Johannes Windelinus pastor, in Biecht, qui actioni interfuit, & eam recensuit ordine, atque ex mea petitione scripsit.

Idem lib. 4. cap. 10. Moniales in Hessimonte Neomagii, dæmonium aliquot annos infestasse, audio: quod dormitorium noctu velut cum turbine ingressum, testudine citharaq; tam videbatur ludere suaviter, ut ad choreas temère induci potuissent virgines: inde canis instar in unius N. lectum insiliebat, in quã muti peccati, quod vocant, cadebat suspicio. Similia multa, & longè graviora in eodem accidêre cœnobio, vivente patre Paulo 3. Novi aliud item collegium non ignobile, in Coloniensis provinciæ limitibus: ubi ante annos octo dæmon canis specie interdiu procurrens, conscendensq; sub interiora religiosarum virginum indumenta, spurcæ velitationis indicia exteriora vestium motu ostendere videbatur.

Idem lib. 5. cap. 26. In pago quodam inter Delphinatus & Sabaudiæ montes parochus quidam, Mauricius nomine, ut indoctus, ita in rusticorum mulierculis demulcendis ingeniosus, cum Lisetrâ quadã plus quàm sacerdotali jungebatur vinculo. Maritus zelotypus eam ægrè ferre, & uxori omni sacrificorum consuetudine interdicere. Mauritius amore ardens per lenã quandam Lisettæ persuadet, ut Dominico die, quando sacris interesset, humi prolapso se dæmonicam esse fingeret: fore enim, ut maritus opem sacrifici in dæmone pellendo imploraret: Successit techna ex voto. Et Lisetta à Mauricio adjurata, sub dæmonis personâ, quam egregiè fingebat, in maritum zelotypum mox se commigraturam, respondit. Miser ille metu territus, veniam petit, & peccati sui expiandi modum cum lachrimis à sacrifico postulans. XL. sanctorum templa invisere, & Mauricio viro sancto mulierem dæmoniacam concredere ad reditum usq; jubetur. Paret misellus, & ut ab imaginario dæmone se suamq; liberaret, religiosâ peregrinatione suscepta, uxorem parocho, lupam scilicet lupo commisit. p. 398.

Idem cap. 33. Grassante crudeli bello inter Reges Daniæ & Sueciæ, anno 1563. ex castris Danicis scriptum est, Sueciæ Regem inter suas copias circumducere quatuor vetulas Lamias, quæ carmine omnem Dano præpedirent victoriam, ut nullum posset hosti facere damnum: & si qui à Sueciæ Rege cingerentur obsidione, redderentur imbelles, atque in deditionem proni. Ac licet famæ huic priùs nulla fuisset data fides; postea tamen unam ex his Lamiis captam fuisse à milite generosi Comitis à Schvvartzenburg Guntheri, Ducis exercitus, quæ ea confiteretur, scripto asserebat.

scripsit. Hanc Historiam sciolus quidam, procul dubio Romanensium favore & instinctu, mirum in modum auxit, multis hinc inde corrasis historiolis. Is, quisquis tandem fuerit, cum legationis Philonis meminit, inter alia & hæc verba posuit: Is (scilicet Philo) Romam veniens, locutus est cum Apostolo Petro, ejusq; amicitias habuisse fertur.

At cum hoc in Romanensium favorem confictum sit, non potui intermittere, quin non ferendum errorem fanatici ejus hominis, quisquis fuerit, in lucem producem, & paucis hoc, quo Papa nititur, fundamentum ictibus arietinis concuterem, quò si majoribus machinis id adoriri oporteat; ruinæ tantæ molis facilior patefiat locus.

Scias igitur, pie lector, quòd omnes Papatus Romani historici unanimiter tradunt, B. Petrum quadragesimo post natum Christum & quarto anno Romam venisse. (Quamvis omnes à vero aberrant, tamen hoc loco refellere non est animus.)

Hic Eutropii depravator, & Pontificius adulator dicit, Philonem anno quadragesimo Petrum Romæ convenisse, &c. Mendaces ergò facit omnes Romani Pontificis historio planos, cum is solus quatuor annis priùs Petrum Romæ intrudat, quàm illi fecerint.

Secundò, ipse compilator historiæ, & augmentator Eutropii, altera statim columna, in vita Claudii dicit, Petrum sub Claudio eò venisse, &c. Si sub Claudio eò venit, quomodo sub Cajo ibi erat, qui Claudium præcessit? Nam si velit hoc obvertere, Petrum in Judæam sub Cajo rediisse, ac demum sub Claudio Romam reversum: quomodo hoc ex actis Apostolorum, ex historia Ecclesiæ, & ex iis, qui, aliquot annis Antiochenam Ecclesiam à Petro rectá esse, asserunt, verum esse demonstrabit? Sed hæc admonuisse hoc loco sufficiat: mox totum Petri, nunquam Romani Pontificis, negocium aggressuri: Res Judæorum, & alia quædam scitu necessaria, priùs absolvemus.

Cum modis in Alexandria miseris Judæi oppressi essent, in Babylone Chaldæorum & Seleucia Syriæ non minor eis calamitas evenit, quam Josephus 18. Antiquitatum libro cap. ultimo satis luculenter descriptam reliquit. Cujus summa hæc est.

Erant duo fratres Judæi, infimo loco nati, Asineo uni, Amileo alteri nomen, ii latrocinando primùm haud contemnendam sibi multitudinem asciverunt: & cum hoc malum subinde latiùs serperet, Artabanus Parthus principiis (sed serò) obstare cupiens, de nocte ab illis invasus magnam suorum cladem perpessus est. Tandem virtute juvenum motus, eos in amicitiam recepit, commendata curæ eorum Babylonicæ regionis administratione.

Quindecim tandem annis rebus benè ac feliciter gestis, ad lasciviam (ut plerunque fit, quòd res secundæ animos hominũ ad luxuriam flectant) viri cætera præstantissimi conversi, Anileus Satrapæ cuidam uxorem, quæ forma omnes eo loci fœminas anteibat, vi ademit, ipsoq; interfecto, eam sibi matrimonio junxit. Quæ sine mora animum ejus ad Parthicorum cultum Deorum rapuit. Quod Judæi fascibus ejus subjecti graviter ferre, ac ad Asineum trãsire, tandem & arma minitari: Asineus fratri connivere: tandem clamore suorum victus, ut fratris resisteret actibus, Anileus uxoris instinctu, Asineum fratrem priùs veneno tollit, quàm is quicquam adversus eum tentare posset, solusq; regno potitus, exercitu collecto, Mitridatem generum Parthorum regis invadit. (Sic à flagitio, ubi principio non obstes, subinde ad audendum majora rapitur homo, donec factorum dignam recipiat mercerdem.)

Is bello hosti obviam factus, fessos itinere sitiq; fatigatos, sine mora cædit, sternit, profligat. Anileus fuga elapsus, reliquias ex bello collegit, iisq; infinitam ferè pessimorum desperatissimorumque hominum multitudinem adjunxit: quibus instructus, Babyloniorum vicos longè lateq; populatur, Babylonii, pacis petendæ gratia, castra ejus ingressi, omnia, ut erant, pro necessitate speculantur: visaq; opportunitate, ad suos, quasi quæ acta essent relaturi, regrediuntur, Judæisq; nihil tale suspicantibus, Babylonii de nocte eorum castra invadũt, Anileum cum suis opprimunt: statimque metu ejus liberati, omnem vim in ipsos, qui Babylonem habitarent, Judæos convertunt, multis occisis, reliquos urbe propulsant. Qui Seleuciam transmigrantes, quinquennio res aliquantulum habuêre tranquillas.

Orta autem postea seditione, ad quinquaginta millia Judæorum ibidem cæduntur. Cæteri ad Nisibim & Neerdam Mesopotamiæ urbes sese receperunt. Sic divina ultio passim Judæorum populum invenit: donec tandem penitus respublica eorum deletá fit. Quod nobis in exemplum proponitur, ne abjecto Dei verbo, spretoq; Domino nostro Jesu Christo, similes, aut pejores tandem sufferre pœnas, velimus nolimus, cogamur.

Nunquam credidissem, Satanam in tantum excæcare potuisse hominum mentes, ut eá, quæ de Simone Mago, cujus in Actis Apostolorum mentio fit, ab Irenæo referũtur, cogitaret, nedum diceret homo tacerctvè: ni nostra mihi secula fidem facerent, ubi non multò major tam Deo, quàm filio ejus Domino nostro Jesu Christo, à quam plurimis honor tribuitur, quorum blasphemiæ vel ipso, quo eas mente cogito, me ad stuporem adigant ita ut nesciam, referen- p. 598.

ferendæné, an tacendæ sint magis. Sed quæ nostrum tempus attinent, suo fortassis loco narrabuntur. Nunc, ut *Satanæ* vim cernas, ejusq; in *Dominum* nostrum JESUM virulentiam agnoscas, pauca de Simone ex historia subjungam. Quæ compendio sic accipe.

Simon magus Samaritanus fuit, de vico Gyttho natus. Is sub Claudio, postquàm in Oriente ab *Apostolo* confusus esset (ut in Actis legitur) Romam venit, magicis artibus multorum mentes decipit ita, ut DEUS putaretur, statuamq; sibi in honorem poni videret, cujus inscriptio erat, SIMONI *DEO* SANCTO. Is mulierculam quãdam, SELENEM nomine, quæ prius apud Tyrum corpore mercedem fecerat, secum circumduxit,

Eam primam mentis suæ conceptionẽ, matremq; omnium vocitabat, per quam initio concepisset *Angelos* facere & Archangelos. Ipsi quoque ferè omnia adscribebat, quæ sacræ literæ Verbo *Dei* æterno in creatione asscribunt.

De se quoque dicebat, se summum esse *D*eum, qui ob id descendisset ac transfiguratus esset, ut res male ab *Angelis* administratas emendaret: atque in humana forma appareret, cum non esset homo: & passum se in Judæa putatum, cum nõ esset passus: sicque omnem Christi honorem in se transferens, promittebat omnibus, qui in eum *S*elenamque suam spem haberent, salutem, & ad quodvis eos impelleret libido, liberam faciendi potestatem. *S*ecundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas. Justa enim opera non esse secundum naturam, sed ab Angelis (qui mundum, se permittente, fecissent) hominibus, ut in servitutem eos deducerent, imposita,

Hæc fuit *S*imonis doctrina, quam similes fructus secuti sunt: Scortationes, adulteria, in *D*eum verum blasphemiæ, &c. Fons denique hic Simon ac *P*ater omnium hæreticorum ab Irenæo vocatur. Vide plura apud ipsum lib. 1. cap. 20. & hist. *E*ccles. lib. 2. c. 13.

Notum est omnibus, quod omnis totius Romani Pontificatus potentia atq; majestas, super unicum hoc fundamentum primitus extructum est, quod Dominus dixerit Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hoc põtificii arripuerunt, ad suam in Ecclesia tyrannidem stabiliendam roborandamque. Persvaserunt enim hominibus, Petrum *Ro*manam Ecclesiam primitus fundasse, primum q; fundamenti lapidem ipsum fuisse, super quem omnes successores ejus collocati, eandem potentiam haberent, ut & ipsi fundamentum *E*cclesiæ vocitarentur essentque.

Hoc insigni mendacio totam Europam, & eam, quæ in ea est, Ecclesiam dementarunt. Age ergò, si ego fundamentum hoc eis, ut confido, evertero, & vanum ementitumque esse demonstravero: insignemné victoriam consecutus erò? *O*stendam itaque primùm, falsum esse, quod dicunt, Petrum Romam venisse anno 2 Claudii hoc est, anno *C*hristi 44. & *E*cclesiæ præfuisse annis 25. deinde cætera persequar.

*C*ertum est igitur ex Epistola beati Pauli ad Galatas, quòd *P*etrus anno Christi 51. Hierosolymis fuerit, ubi magnum illud *A*postolorum concilium celebratum est, de quo in *A*ctis cap. 15.

Dicit enim *P*aulus, se post tres annos, postquàm conversus esset, primùm Hierosolymam venisse, ut videret Petrum: deinde ait, se post annos quatuordecim ascendisse unà cum Barnaba, assumto simul Tito, ubi illa quæstio de lege observanda, in concilio agitata est, ut ibi patet.

Nam si conclusio illa, quæ in *A*ctis 15. scribitur, antea facta fuisset ab Apostolis: non fuisset necessarium, ut Paulus denuò cum Tito ad reliquos Apostolos ascenderet: sed antè scivisset eorum sententiam, quòd circumcisione non esset opus. Sed utcunq; sit, certum est, eo tempore Petrum fuisse Hierosolymis. Computa nunc annos. *A*nno currente 35. Paulus conversus est: his adde 17. usq; ad concilium, habes 51. si tricesimum quintũ pro primo cursus Pauli ponis. Quomodo ergò ante septennium *R*omæ fuit?

*S*ed dicet quispiam: fuit illic, & reversus. *S*ed ego respondeo: B. Lucas nihil de eo scriptum reliquit in Actis, quod certè non tacuisset, præsertim cum ejus propositum fuerit, Acta Apostolorum conscribere. Neque in ulla fide digna historia reperitur, quòd Petrus Romam, postquàm eò venerit, reliquerit, & Hierosolymam reversus sit. Et fac, quòd inveniretur: tamen cum in Actis Lucas nihil de eo dicat, æquè integrum manet. Patet ergò, primum fundamentum falsum esse.

*S*ed dicat quis: Sit sanè, Hoc anno Petrus *R*omæ non fuerit, quid si aliquot annos post eò venit? Fac esse, tamen iterum certum est, cum sub annum Christi 58. & 60. Romæ non fuisse, cum B. Paulus eò captivus duceretur, & duobus annis in suo conducto maneret Ibi *B* Lucas iterum nihil de Petro. At quid, si post hoc tempus eò venerit? Venerit sanè; tamen ex secunda Pauli ad Timotheum Epistola cap. ultimo iterum certum est, cum sub tempus, quo mors Pauli instabat, Romæ non fuisse. Siquidem illic B. Paulus eorum, qui secum fuêre, meminit, Eubulum scilicet, Podentem, *L*inum enumerans, & de Petro ne gry quidem. p. 599

Cæterum

Cæterùm Romana Ecclesia fundata erat, antequam B. Paulus eo veniret, ut ex Epistola Pauli ad *Romanos* certum est.

Igitur neq; Petr⁹ neq; Paulus ei⁹ fundatores esse potuerunt. Si itaq; ab aliis, quã ab his, fundata est Romana Ecclesia: vanũ, falsum, fictum & ementitum est; quicquid Romani Pontifices de B. Petro &c. gloriati sunt. Vides ergo, pie lector, Romam sedem super mendacio fundatam: quæ tamen tot seculis, magna cum superbia, totum fere Mundum tyrannice oppressit.

Sed obijciat mihi aliquis: Ipsum Petrum in sua priori Epistola Babylonis meminisse, atque ibi typice Romam significari. Cui respondeo: Hanc conjecturam nullam esse: quia Petrus, cum illam Epistolam scriberet, Roma non fuit, ut ex prædictis patet. *Sed* quæ fuit illa Babylon? Scias, lector, unam fuisse *Babylonem* in Chaldæa, in scriptura famosissimam: ad illam Petrum venisse non videtur à veritate alienum. Nam cum ex *Actis* manifestum fit, eum annis aliquot in Syria egisse: fieri potuit, ut & illam Babylonem adierit.

Præterea altera fuit Babylon in Ægypto; in qua multi Judæi fuerunt congregati. Petrus ergo cum ad prædicationem Evangelii inter Judæos vocatus esset, etiam eo venire potuit. Ac videtur mihi valde verisimile: Nam cum Marcus, Petri discipulus, qui Evangelium scripsit, apud Alexandriam Aegypti fuerit constitutus: non videbitur alienum, Petrum in Aegypto annos aliquot egisse.

Sed utcunque sit: certum est, Petrum non esse fundatorem Romanæ Ecclesiæ, ut *Papa* mentitur. *Si* vero perrexerint historiam mihi Ecclesiasticam & Irenæum obiicere; quorum uterque, Romanam Ecclesiam à *B. Petro* rectam esse, tradunt: respondeo; suppofititium id esse, & ab Adulatore quodam non *Pontificio* subornatum. Siquidem Romana Ecclesia, circa Nicænam Synodum, in eo honore non est habita, quo eam depravator ille Irenæi, circa annum Christi 180. fuisse tradit, ut eo loci fortassis judicabimus.

Valeant ergo Romani cum sua *Papa*, & regnet CHRISTUS verus ille lapis *Angularis*, super quem si quis ædificatus fuerit, non confundetur, *Amen*.

Quid ergo sentis de morte *Petri*, quem plerique *Romæ* in crucem actum esse tradidere? Hoc sentio. *Si* certum est, cum *Romæ* crucem subiisse: necesse est, eum non diu ibi fuisse, alioqui certiora testimonia de eo extarent. *Sed* & hoc in dubio relinquitur. Verum sit, necne, quod Romæ interemtus sit, non est articulus fidei: nec hæreticus censendus, si quis non omnia credat, quæ Pontificii ad suam tyrannidem stabiliendam excogitarunt.

Prodigium. 1550.

* In mari Balthico, non procul ab Hafnia, piscem humana specie, capite circumtonso instar coronæ Monachorum, facie alba, corpore squamis cucullæ specie obsito, captum hoc anno affirmat *Casparus Peucetus*.

Franciscus Rabaleus Doctor Gallus. 1550.

Ex decretalibus (inquit) constat, *Papam* habere testiculos, aut quod non possit esse *Papa*. Nam per subtilem *Philosophiam* Decretalium, consequentiam talem esse necessariam: *Ille* est *Papa*, ergo habet testiculos: & non nisi cum defecerint testiculi, *Papas* nullos futuros in mundo. Ex quibus infertur, nullius esse pensi vates illos, quicunque in hac maxima testiculorum copia de interitu *Papatus* quicquam præsagire volunt.

Vlterius etiam scribit, & Causam refert quamobrem præ aliis Monachi virili membro excellãt: quæ quia obscœnior videtur, lector ad ipsum remittitur autorem.

Ait præterea: Si totius mundus sit pacificus, *Papam* movere bella. *Et* deportari ex Gallia quolibet anno quatuor centena millia ducatorum. Describit quoque insulas papisticas miro artificio. *Imp. Car.* 5. *Pp.* Julio 3. p. 600.

Cornelius Ambsderdamus. 1550.

* Scribit, quod anno Domini 1531. monstrum in Nortwegia prope urbem Elopech captum, & regi *Poloniæ* donatum sit. Fuisse autem illud Episcopo, quantum ad ornatum, infulam, & patagium, admodum simile: sed paulo post gemitu, suspiriis, atque absurdo ululatu finiisse vitam. *Im.* Car. 5. pp. Julio 3.

Guilielmus Rondeletius, & Laurentius Ioubertus Decad. 1. Paradox 2. 1550.

Mulierem se vidisse, testantur, quæ absq; victu ad decimum ætatis annum pervenerit, & tandem grandis facta nupserit, felicemq; prolem fecerit.

Reperti sunt etiam, qui nihil unquam biberunt, quod testatur *Cælius* lib. 13. cap. 25. *Plin.* lib. 7. cap. 18. *Apollonius* de hist. mirabilib. Athenæus libr. 2. capit. 2. *Imper.* Carol. 5. *Pp.* Julio 3.

Michaël Nostradamus Vates. 1556.

Hic, Turcas altum quidem gradum consecuturos: sed postmodum (ob propria

illorum dissensiones, rixas, atque contentiones] recasuros, vaticinatus est. Præterea fortem Leonem dentes suos acutos ostensurum, atque cum ijs, qui caudam illi eripere contendunt, pugnaturum, omnesque suos hostes im angustiam redacturum, atq; ita seculum aureum rediturum, scripsit.

porro retulit, quod antequam unus pastor, unumque ovile sit futurum, Turcarum leges atque exercitus corrumpi atque extingui oporteat: ut omnia, quæ verbo Dei adversantur, intereant: illud autem solum remaneat. Imp. Car. 5. Pp. Jul. 3.

1550. *Petrus Bellonius Cenomanus.*

Turcæ, quando prodeundum est in aciem, antequam aggrediantur conflictum, vescuntur quodam pulvere: ex quo facti animosi & audaces, pericula facilius contemnunt. Utuntur quoque remedio, ut per id alacriores sint ad vigilandum. Imp. Car. 5. Pp. 22.8. Iul. 3.

1550. *Baptista Egnatius lib. 1. cap. 3.*

Albertus unus Monoritanæ familiæ (quæ tunc Venetiis in summa autoritate erat, recenti adhuc memoria diui Francisci) cum concionando, aliisque institutis nomen sibi peramplum parasset; in aures animumq; Elisæ Quirinæ matronæ nobilis facile pervenit: quæ marito tunc absente, Britannica negotiatione implicito, ad Albertum ipsum stato tempore venit, ut annuum confessionis obiret munus. Qui conspecta statim matrona, formæque elegantia motus, munere tamen in præsentia suo perfunctus, cum in illa quædam laudaret, quædam etiam corrigeret: Abi, inquit, matrona, factumque hunc tuum depone: quasi vero cœlesti quadam hac forma nullam tibi parem ducas.

pi 601. Nec multos moratus dies, ad eam profectus, amoreque jam flagrans, bonæque spei plenus, ad eam solus ingreditur. Tum ad genua illi accidens: Nescis, inquit, matrona, quam gravi supplicio sim affectus, ex quo à me discessisti, cujúsue rei nuncius ad te felicioris accedam. Si igitur, penes te arcanum id fore secretumque, polliceberis, magnæ te certe rei & felicissime certiorem faciam. Iussu enim Archangeli Michaëlis huc ad te venio, qui te unam præ cæteris Veneris matronis diligit, noctemque unam condicit, qua ad te visendam venturus sit, meo tamen hoc ipso vestitu, meoque hoc corpore.

Hoc cum illa [ut sunt fœminarum ingenia) perlibenter accepisset, præscripta adventus sui die ad eam venit: moxq; semel & iterum in eodem versatus negotio: res prædicatione mulieris ipsius palam facta est: dataque opera à cognatis, ut Albertus deprehensus gravi supplicio afficeretur. Ille vero nudus in subjectum canalem præcipitem sese à fenestra dedit: evadensque in incogniti sibi hominis tectum ingressus, mox ab eodem, re cognita perque verbem vulgata, ductus est in Marcianam aream ursina pelle tectus: sed pari quoque dolo ab omnibus cognitus, contumeliis variis ab urbe petitus, moxq; fratrum suorum adventu sublevatus, carceri perpetuo ab eisdem includitur. Imp. Car. 5. Papa Iulio 3. ut sup.

Idem. Phocas socors, ignavus, infamis, inertissimus & impurissimus, nihil præstitit laudabile, nisi quod Romanum Papam summum & primum Ecclesiæ caput constituit. Ecce authorem primatus, non Christum, sed impurissimum porcum. F. Anno 607. Papa Bonifacio 3.

Eduardus VI. Rex Angliæ. 155

Hic maxime pius, ab ipsis incunabulis Latinæ & Græcæ eloquentiæ ac bonis artibus operam navavit: & tanquam alter Iosias verum Dei cultum, idolatriis superstitionibusq; pulsis fulgarisque, restituit. Eo autem die, quo in Regem coronandus erat, oblati sunt ei tres gladii, in signum, quod trium regnorum, Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ monarcha esset. Optimus Rex unum adhuc deesse dixit, interrogatus, quisnam ille esset? Respondit, esse volumen sacrorum Bibliorum. Ille liber, inquit, gladius spiritus est, & gladiis his omnibus longe anteferendus. Scripsit Comœdiam de Meretrice Babylonica lib. 1. Ex auditis concionibus lib. 1. Obijt autem sanctissimus Rex non sine suspicione veneni. anno 1553. sexta Julii, & ætatis suæ anno 16. Imp. Car. 5. Papa Jul. 3.

Matthius Cornax. 155

Imperatoris hic Medicus, scripsit historiam admirandam quinquennis gestationis in utero: & quomodo infans semiputridus resecta aluo exemtus sit, & mater curata evaserit. Imperatore Carolo 5. Papa Julio. 3.

Franciscus Leander in descriptione Italiæ. 155

Petrus Damianus Cardinalis Episcopus Ostiensis, abdicato Cardinalatu, se in Eremum recepit. Rara avis. Imper. & Papa ut sup.

Idem. Benedictus II. fertur veneno ab Abbatissa quadam in ficu præparato interisse.

Sebastiánus Munsterus. 15

Anno Domini 1476. Herbipolensis Episcopus pro heretico damnavit & combussit Ioannem quendam pecorum pastorem, ad Niclashausen in Franconia: quia docebat, cleri vitam esse ignominiosam, & coram Deo abominabilē. Imp. Car. 5. Papa Julio 3.

Idem.

Idem. Habent Ægyptii, ut ajunt, à temporibus reginæ *Saba* circumcisionem, quã in hunc usque diem servant. Eadem quoq; regina, quæ Maqueda fuit proprio nomine vocata, voluit, quod & mulieres circumciderentur, deducta ad id ea ratione: quemadmodum viri præputium eodem modo mulieres etiam quandam glandulosam carnem, quam nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam characteri circumcisionis accipiendo: id quod fit tam in masculis quam in fœminis ad octavum diem. Cæterum post circumcisionem masculi baptisantur ad quadragesimum diem, mulieres vero ad octogesimum, nisi aliqua intervenerit ægritudo, ut opus sit festinatione. Et etiam die, qua baptisantur, accipiunt corpus *Domini* sub exigua specie panis. Hæc omnia dicunt se habere ex libris *Synodorum Apostolorum*.

Idem. *Scribunt* in Itinerariis suis Felix Ulmensis, & *Breitenbachius* Moguntinus decanus, Alexandriæ, & alibi in Ægypto parari furnos plenos foraminibus: in quos
602. reponuntur tria aut quatuor millia avorum anserinorum, gallinaceorum, columbinorum, & anatinorum, & firmo cooperto furno, prunæ à longe ponuntur circum fimum, quarum lento calore ova ipsa sensim per fimum calefiunt, ceu sub gallinâ: atq; tandem simul excluduntur, & pulli ex fimo gregatim procedunt, atque inde ad pascura ducuntur, & ex pascuis ad forum.

Idem in Cosmographia libro 4. cap. 78. Turcæ neminem cogunt ad abnegationem suæ religionis, tametsi ipsis in *A*corano imperetur exterminare contradictores. Cur ergo Papistæ pejores Turcis esse volunt?

Idem. Est & hoc prodigii genus. Narratur, ad Ulmensium arcem esse stagnum, in quo nonnunquam piscis duodecim aut triginta pedes longus conspiciatur, haberiq; eum, si appareat, argumento certissimo morituri hominis de familia *Ganerben*.

Idem. Perhibent, metallum Goslariæ sic natum: Quidam nobilis homo equum, cui nomen erat *Ramelus*, in monte ad ramum arboris alligavit. Is ungulis, quibus ferreæ soleæ inductæ, terram quatit, vertit, atque ita reconditam plumbi nigri venam integumentis nudavit, non aliter ac Pegasus alatus, ut Poetæ fingunt, aperuit fontem, dum ungula feriit saxum.

Idola oraculaque impia & falsa, Ex eodem.

In Phocide fuit sita urbs Delphica, juxta montem Parnassum: ibi fuit templum Apollinis Delphici, situm in tali loco, ubi hominum clamor & tubarum sonus, personantibus inter se rupibus, audiebantur, Quæ res terrorem ignaris rei, admiratione studentibus, plerumq; afferebat. In hoc rupis anfractu profundum terræ foramen erat, cui inhabitabant sacerdotes & vates, qui impleti non Deo, sed Sathana, ibi (ut & per simulachra) responsa dabant.

Multa igitur ibi & opulenta Regum populorumque visebantur munera, non modo ex Græcia, verum & ex toto ferme terrarum orbe oblata, quæ sui magnificentia reddentium vota gratam voluntatem & dæmonum responsa manifestabant. Hunc immensum auri & argenti thesaurum nemo mortalium audebat invadere, adeo mammonæ princeps illi custodiendo incubuit, & homines in superstitione continuit.

Cum Xerxes rex Persarum direpturus Græciam, magnam vim hominum in eam transtulisset, contendissetque *Apollinis* templum spoliare, in maximum venit periculum. Nam devolvebantur è monte in eius excercitum duo saxa, cadebantque ignita spicula cum horrendis tonitruis è cœlo, & qui conscenderant montem, ceu insani præcipitabantur de monte, interieruntque tunc (machinatione dæmonis) ut Trogus scribit, quatuor millia hominum.

Idem evenit *Gallis*, sub duce Brenno, cum niterentur conscendere hunc montem, & dispoliare Delphicum templum. Nam per excitatum terræ motum cadebat in exercitum portio montis, quæ multos interemit, deinde insecuta est horrenda tempestas, tonitrua, fulmina & grando, unde bona pars exercitus sternebatur, ut cogerentur abstinere à sacrilegio. Brennus quoque dux graviter læsus, & dolorem vulneris ferre non potens, ex impatientia sibi ipsi pugione mortem conscivit. Delphici vero liberati ex illa necessitate, laudaverunt *Apollinem* Deum suum. Si ergo Diabolus apud infideles potest aeris tempestates, quod vult, vertere, quo illos in errore & falsa religione contineat.

Quis jam *Papistas Ethnicorum* esse æmulatores, neget? An non enim excavant simulchra sua, (quæ hac ex causa tam diu ac deo mordicus in templis suis, contra omnium magistratuum imperata, retinuerunt) & falsa oracula per ea edunt, artificiisque suis eadem sic componunt, ut, mediante oleo, lachrymari cum hominibus videantur. Item simulant larvas spectrorum & læmurum, & se animas esse ex purgatorio ajunt, jubentes sibi salutem consuli & parari per eleemosynas & contributiones in æraria Ecclesiastica: cujus rei exempla alibi in opere recitata fuerunt.

Idem Pontifices progressi, aut lectis in publicum portati, præconio clamari faciunt: ABASSO, ABASSO: id est,

procidite ad genua, procedire ad genua. Secus vero facere deprehensi mox fustes satellitum Papæ sentiunt. Deinde triplicem auream coronam neque Monarchæ, neque Christiani umquam gestaverunt. Nisi quod Inde Calecutini similem coronam capiti Cacodæmonis, quem adorant, appingunt, &c. De eodem etiam infra anno 1587.

Idem refert ex Herodoto, Ægyptiis esse consuetum, à cœna & prandio, priusquam discedatur, mortuum è ligno factum aut pictum, cuilibet assidenti monstrare: ut memores impendentis mortis à vanitate mundi conversi, ad illam se operibus bonis & piis præparare discant: post à sacerdotibus pia exempla ex sacris prælegi, ut illis rex ad justitiam, & pie justeque imperandum commoneatur. Sed & Regi hoc inprimis adumbrari, ne ex voluntate, sed justicia & pietate imperet. Post hæc execrationem etiam fieri in malos consiliarios, qui Regi iniqua suadeant, nam in hos omnem culpam conijciendam esse malorum.

Hæc dum memorantur, in mentem venit & iste ad convivia laudatissimus Regum Galliæ mos, institutus à R. Francisco 1. Valesio, fautore illo humanarum literarum munificentissimo, scilicet; ut semper ad mensam regibus post tergum præsto adsent Philosophi, historici, aliique docti & periti rerum viri, qui ad omnigena proposita & quæstiones interrogari, respondere, & pulcherrima inter epulas exempla, historias, apophthegmata & alia, ne sine fructu & doctrina abeat tempus & symposium, coram regibus recensere soleant.

Cum autem hoc loco mentio facta sit de Ægyptiorum sacris, obiter quoque observari potest, sacerdotes eorum habere librum, illis *Sacra Ambris* dicitur, ex quo sua responsa depromunt.

Ioannes Lelandus Antiquarius.

In vita Ricardi Regiosylvani narrat, aliquot Franciscanos sibi abscidisse testiculos ut sine molestia servarent coelibatum: idē & de Origene fertur. Sed hoc hodie, ut & omni tempore, adeo est rarum, ut lasciviæ religiosorum nihil non sacrorum & profanorum in universo mundo polluerint. Imperat. & Papa ut sup.

Idem. Petrus cum ex Christi Domini jussu ac præcepto circumcisionis apostolus fuerit ' Gal. 2. æquum profecto non erat, ut relicto Iudæorum grege, 25. annis (ut somniant Papistæ) apud Gentes incircumcisas Romæ sederet, aut illic gentilium regnum more imperaret. In Iudæa ergo ac finitimis regionibus Christi mandato obstrictus permansit, prædicans in maritimis urbibus Evangelium regni Dei: (quod & ipsa testantur miracula, quæ per illum Deus operabatur. Nam Liddæ paralyticum Æneam sanitati restituit, Tabitam Ioppea mortuis excitavit: in Cæsarea centurionem Cornelium baptizavit, atq; alibi alia plura fecit. Quæ omnia declarant, illum nec sedisse, nec mortem obijsse Romæ. Vnde *Bapista Mantuanus* non ineleganter in sexto Fastorum libro:

Urbibus Assyriis Christi post funera, postquam
In cœlum rediit, bisseptem dicitur annos
Impendisse gravi vexans mala numina bello.
Mox maria ingressus, longaque ambage viarum
Circumlatus, inter vertit Bithynica versus
Littera, Cappadoces, Galatas, Pontumque peragrant.
Quotquot erant illis Iudæâ ab origine regnis,
Edocuit Christum, veteríque retraxit ab usu.

* Hieronymus, atque Lyranus super illa Christi verba, Ecce ego mitto ad vos Prophetas ac sapientes, &c. asserunt, Petrum fuisse à Iudæis Hierosolymæ crucifixum: quod & illis verbis aptissime respondet.

Idem. Inter hæc, quædam fratricellorum orta est, qui paupertatem Christi & Apostolorum constanter prædicaverunt. Inter quos & noster Ockamus postea signifer fuit. Nam librum de paupertate Christi, strenui ducis officio functus, scripsit ad Ioannem 22. Pontificem Rom. Ille videns, nisi maturius tantæ pesti occurreret, suas opes, pampam, fastumque perditum iri, totis viribus novam factionem radicitus extirpare contendit, Ockamum ecclesiasticæ censuræ fulmine percutiens. Territus Ockamus, in Bavariam ad Ludovicum Imperatorem cunfugit; à quo humaniter est acceptus, &c. p. 604

Idem. Nullo (inquit) tempore defuerunt suæ artes Romanis corradendi pecunias: sive Turba aliquid novatum rerum sive nihil in Christianos moliretur.

Stanislaus Orichonius Ruthenus in libro de lege cœlibatus.

Cum quædam poëmata Romæ legisset Paulus 3. in se atq; filiam scripta: illachrymasse dicitur, & ob acerbitatem legis cœlibatus cum amicis expostulasse: quod is, qui non solum Ecclesiæ, sed etiam continentiæ antistes esse deberet: filiam in ore atque oculis civitatis cum summo probro versari,

sari, videtet. Quæ etsi erat eximia pulchritudine, scortatione tamen ab se ortam dolebat existimari: cum legem *Dei* sciret esse: qua huic in matrimonio nasci licebat, nisi idem cœlibatus obstitisset. Itaque consilium illum cœpisse de restituendo sacerdotum conjugio fuerunt: quod tamen morte præventus, exsequi non potuit.

Hunc eundem lector vide, quæ de pecunia, quam meretrices *Papæ* pendent, scribit: & mira reperies: nam in Metropoli Pontificis, Romæ perhibet esse plures, quam quadragies millenas meretrices & scorta publica: & ab his colligi censum singulis mensibus in æstimabilis magnitudinis, Imp. Car. 5. Papa Julio 3. ut sup.

1550. *Michas Merasthites.*

Hic de quæsitis per abusus (ut etiam Car. Mol.) inquit: Quia de mercedibus meretricis congregata sunt: ad mercedem meretricis revertentur. Imp. Carolo 5. Papa Julio 3.

1550. *De sacerdote ebrio Ioa. Stigelius.*

Pontificis quidam non ultimus inter alumnos
Mystica de votâ dum sacra voce canit,
Hesterna crapula faciente gravedine somnum,
Sopitus positos labitur ante Deos.
Excitus à famulo, Prosit si verteris, inquit:
Inter convivas se ratus esse suos.
Quis vos pontifices famulos neget esse deorum?
Non alio debet Bacchus honore coli.

1550. *Papirius Massonus de vitis Paptrum.*

Tempore Innocentii VIII. Zizimus, frater immanissimi Regis Turcarum à Rhodiis captus Romam adducitur. Quis eius ingressus in urbem fuerit, quid facere coram pontifice recusarit, Matthæus *Bossus* Canonicus Veronensis epistola tricesima diligentius exponit, quam illius ætatis gravissimi historiarum scriptores, in hunc quidem modum:

Sed ne modo etiam te lateat, quæ in urbe geruntur: hoc vel unum videtur mihi cognitu dignum, fratris Imperatoris magni Turcorum accessus, qui solenni pompa acceptus est, tota urbe spectante. Incessit enim per speciosiores vias insigni insidens equo mediusq; inter Francescetum Papæ filium, & grandis magistri Rhodiorum equitum fratrem. Deniq; in sacrum palatium invectus est, ibiq; honrifice habitus.

Non multos post dies publicum in Consistorium deductus est ad pontificis Max. conspectum conspicuo in throno sedentis: neque flecti ante illum; neq; desculari ex more vestigium (ut, qui præsunt sacris ritibus & ceremoniis, illum edocebant) ullo cogi potuit modo: ut dolore & indignatione permoti Christiani, qui spectaculo aderant, rabidam omnes bilem despumarent, & in alterutros fremerent, quod non vi incurvaretur à stipatoribus armatis, aut barba raptaretur ad sacros pontificis pedes, ne impune Christianam dignitatem & divinam rem nostram contemneret.

Idem. Habuisse *Alexandrum* 3. Papam Judaici generis servos, ostendit Beniaminus Judæus in Itinerario suo, ut supra dictum. At nescio an laudari possit, quod Judaici generis servos habeat *Pontifex* Christianus? Reges enim ac pontifices sæpe miseri sunt non tam sua culpa, quam quod affectatorum suorum peccatis ac criminibus premuntur. Itaque impuræ damnatæque sectæ, & cœlo quoque ipsi invisos servos habere non debuit. *Imperatore* Carolo 5. Papa Iulio 3. p. 605.

Remigius de Conuy de immunitate Ecclesiastica. 1550.

Ducto ad patibulum si obviet Cardinalis, liberatur, ponendo capellam super caput ejus, idem tenent *Salicetus*, *Castrensis*, Martinus Laudensis, Bald. Bœpolla, Panormitanus, Zasius, Matth. de Affl. Bar. *Albericus*, Bar. de Bellezinis, & aliis. *Imperatore* Carolo 5. *Papa Iulio* 3. ut sup.

Bernhardinus Ochinus Senensis. 1550.

Brnhardinus Ochinus inter cæteros suos libros pios & doctos, scripsit Apologos, quinque libris comprehensos: in quibus *Papatus* superstitionem, impietatem, stultitiam, corruptosq; mores acriter perstringit. Docuit autem Christum in Italia, ubi potenter *Antichristus* regnat, & fideliter in vinea Domini laboravit. In libris autem suis (sicut & Rauscherus & historia Madeburgica) recenset aliquot centena falsorum miraculorum & mendaciorum, plena impietatis & blasphemiæ: quæ commenti sunt sacerdotes & Monachi, ad captandam opinionem sanctitatis, cujus prætextu facerent quæstum, & per hunc Politicam dignitatem, & imperium assequerentur: Christi scilicet & *S.* Apostolorum exemplo, quibus nec fuit, quo caput reclinarent, nec auri vel argenti quicquam.

Verum & ego similium plaustra (in aliud tempus reservanda) aliquot ex ipsis collecta in promtu habeo: quorum eos nonnulla sanctis quoque Patribus affingere non puduit.

Præcipui ipsorum, in quibus talia referunt, libri sunt hi fere: Liber de proprietatibus apum Petrus Damianus, Liber de illustrissimis viris ordinis Cisterciensis, vitæ fratrum ordinis Eremitarum, Paradisus Heraclidæ monachi: Iacobus de Vitriaco, Itinerarium Dietmari, Scala cœli, Historia Lampardica, Acta B. Francisci, & Rosarium: Liber exemplorum, Orosius, Vitæ Patrum, Speculum historiale, Vita S. Bernhardi, Vitæ Sanctorum, Exempla Beatæ Virginis, Liber conformitatum, Discipulus, Paratus, & alii plurimi.

1550. *Farrago conformitatis.*

Habeo librum, cui titulus est, Farrago Conformitatis Ethnicæ, Judaicæ, & Turcicæ religionis cum hodierna Papistarum doctrina & ceremoniis: in quo, ut titulus præfert, luculenter docetur, papistas ut plurimum suos ritus ab Ethnicis mutuatos esse. Probatur hoc quoque à Gyraldo, Polydoro, Ballingero de origine erroris, & Verteto. Inter alia multa unum atq; alterũ tantum hic referam: Cœli Rhod. lect. antiq. lib. c. 10. ubi ait, Sacrificulos olim ab uno cornu ab aliud discurisse: & Gyraldi, quod de gesticulationibus Ethnicorum Sacerdotum ante altare refert. Ait enim, illos primum dextram ad os ferre, & deinde se in orbe ceu rotam circumagere. Cui plane conforme exemplum habes apud Sleidanum lib. 21.

Cum post reformationem, inquit, Lutheri, Missa per totos viginti & unum annos exulasset Argentinæ, & postea denuo reduceretur, ingens juventutis erat concursus. Nam his omnibus novum erat spectaculum & inauditum, multos ibi, raso vertice, novo genere vestitus, cantare simul, quæ nemo intelligat, cereos atque lampades ardere in ipsa, quod dicitur, meridie, fumigationes atque suffitius excitari thuribulis, sacrificum astare cum ministris ad aram, pronunciare omnia sermone peregrino, variis uti geniculationibus atque gestibus, inclinari strictis manibus, modo distendere, modo reducere brachia, subinde sese convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere non uno loco, nunc in dextram, nunc in levam partem altaris commigrare, micare digitis, inhalare in calicem, eumque tollere in sublime, postea reponere certis locis, nominare nunc vivos, nunc mortuos, panem azymum frangere, & in calicem immittere, pectus ferire pugno, suspirare, clausis oculis repræsentare somnum, rursus expergisci, manducare partem unam panis, alteram haurire cum vino totam, ne qua guttula remaneat, abluere manus, patellam deauratam aversum, extenso brachio, demonstrare populo, admovere eandem fronti atque pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam, materiæ vel metallo inclusam: hæc, inquam, & id genus alia juventus non sine admiratione & stupore, neque sane sine risu spectabat, & vix cohiberi potuit: juxta illud Poetæ:

Ridiculæ causæ effectus quoque ridiculos dant.

Carolus Molinæus in commentario contra abusus Paparum. 1550 p. 6..

Benedictus XIII. (licet suorum Cardinalium & curialium importunitate, ut scribit Theodoricus à Niem libro 2. cap. 33. evictus) multas valde anomalas & exorbitantes beneficiales & alias gratias, nec non exemtiones & uniones beneficiorum, ac dispensationes incompatibilium, & peccatorum remissiones, pecuniæ emungendæ gratia faciebat, sequendo in hoc Bonifacium nonum, impium corrivalem suum. Quare merito, juxta Epistolam Clementis 1. quæ habetur in primo Tomo Conciliorum, deponendus erat, eiq; obedientia subtrahenda, etiamsi non esset tam flagitiosus, ut ille Bonifacius nonus, qui adeo Simonem Magum imitatus est, ut morientibus Cardinalibus, qui Simoniam oderant, summopere lætaretur, velut liberas habenas habere incipiens ad Simoniam publice exercendam: sub quo justitia venalis: nec fœnus peccatum arbitrabatur, nec falsitas quidem: quia plus offerenti, indiscriminatim vendebat prioritates datarum:

Et hæc mercimonia palam in sua curia multis annis, nullam infamiam veritus, exercuit: & adhuc priores mercatores eludebat, inventa clausula anteferri pro 25. florentis: & hos rursus per prærogativam antelationis pro 50. ducatis: fixis etiam multis regulis Cancellariæ, quas precio refigeret, ut late scribit Theodoricus, qui illis præsens adfuit, libro 2. cap. 6. cum multis seq. Et sic multo magis attrita fuit & afflicta Italia, non habens, ad quem recurreret (quia carens Rege) & sic, olim provinciarum domina, omnium miserrima, ut inquit Bald in l. ex omnibus. de offic. præsid. & ut inquit idem Bald. de allod. col. 3. in usib. feud. carentes Rege dicere possunt: Deseruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum: quod intellige, vel recte firmata politia.

Ibidem. Faciebant Officiales Papæ quemlibet successorem obligari ad reliqua, omnium annatarum & servitiorum prædecessorum. Formas execrabiles & plus quam barbaras legere potes, si vacat, in dicto libello Apostolorum. Vides itaque, quam necessarium fuerit hoc sanctum edictum: citra quod Ecclesia Gallicana omnium erat deterioris conditioris: quoniam (etiam ante

ante hoc edictum) camera, seu fiscus Papæ, vel Cardinales, nihil in Angliâ percipiebât h. si de Episcopatibus, qui sunt pauci. (Adhuc rex Angliæ vetuerat omnes ejusmodi exactiones, nec ampliùs tolerabat in Regno suo. Et pariter in Regnis Hispaniarum statutum fuerat, quòd camera seu fiscus Papæ nihil omninò perciperet.

Taxa vero vacantiarum descripta in libris cameræ Papæ, etiam de Ecclesiis cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis tãtùm, ascendebat ad 697750. Francorum, nõ computatis Prælaturis, non taxatis & aliis beneficiis, quorum exactiones ferè tantundem ascendebant. Prior autem illa summa in sex annis integraliter solvebatur; & sic singulis annis ascendebat ultra ducenta millia: & sic valdè necessarium fuit istud edictum: prout simile valdè necessarium erat in natione Germanicâ, quæ licet minus penderet eo, quod minùs opulenta; tamen mirum in modum gravabatur: ut identidem cogeretur supplices & querulos libellos offerre Pontificibus Romanis, qui eos verbis eludebant, exprobrantes etiam, quod spiritualia multo preciosiora eis seminabant, quodq; centuplum etiam per eas, quas vocant indulgentias, recipiebant, ut patet in Epistolis Æneæ Sylvii, qui postea Papa Pius 2. factus est: Imp. Carolo 5, Papa Julio 3.

Ibidem. Fuit quidem Æneas ille egregiè à natura dotatus, & variis studiis eruditus; ut ejus scripta docent: sed de sapientibus hujus seculi, ad summos ejusdem seculi honores sensim omnibusque nervis tendens: quo etiam tandem pervenit, & ad hunc sibi præstitutum scopum versatilis, pulchrè foro uti, scenæque inservire sciens.

Primùm enim scriba fuit, & duodecimvir in celeberrima synodo Basiliensi, & quam diu ea invaluit, eam egregiè propugnavit epistolis & orationibus: Eugenium quartum, tanquam merito suspensum, dejectum, & pseudo pontificem, insectatus: & Legatus à Felice novo Pontifice missus ad dictum Fridericum, illum & Germanos in obedientiam Felicis, Eugenio abjecto, confirmavit.

Sed mox, ut Concilii & Felicis res mutare cœperunt, invalescente Eugenio, sententiam & mores cum tempora mutans, & etiam spretis amicorum precibus, qui illi metuebant, Eugenium adiit; prætextu legationis, quam super abolendo schismate à Friderico susceperat, & non ut homo constans, sua innocentia fretus (ut ait Platina, favens ei, cujus, quàm honorificè potest, vitam describit) sed ut tempori serviens, versatili sua arte oratoria (ad virum modicæ literaturæ, ut etiam testatur Platina) fretus eidem sese conciliavit, suaque dexteritate & industria curavit, & conciliaria decreta, & neutralitatem aboleri in Germania; eamque in humanis & divinis Papæ subjici.

Hinc unam, deindè alteram episcopiam nactus, Fridericum à populi sui charitate & defensione veneno infuso avertit. His artibus mox Cardinalis & summus Pontifex effectus, quàm humanissimè & humillimè scripsit ad Academiam Pariensem, nonnihil submurmurantem, quod poeta & orator varius & inconstans, ad Pontificatum pervenisset. Sed mox, autoritate sua firmata, pragmaticam Gallorum sanctionem, è decretis, quæ olim libris editis propugnaverat sumtam, cane pejus & angue odit, & persecutus est: qui graphicè miserias Cardinalium olim descripserat, ut videretur aulam penitus execrari, utq; pestem fugere, cum tamen nemo major & callidior aulic9 fuerit. Hæc tamen Æneæ vitia virtutes sunt, si conferas ad monstra successorum, quos habuit, Alexandri, Julii, &c. P. 607.

Idem in Oratione de Theologiæ & Jurispr. excellentia, Tubingæ habitâ. Ut sileam bonos antiquos Italorum mores, & splendidissima olim eorum ingenia & judicia, jam in extremam desolationem, & apertum epicureismum, sub longa tyrannide, & afflatu continuo pestiferi Papatus; depravata, & in urbibus (ubi matronæ olim, scriptorum etiam monumentis celebratæ, exemplâ erant pudicitiæ) omnia adeò degenerâsse, & in abyssum turpitudinis collapsa esse, ut etiam decreto Senatus meretrices de publico gratis honoratis hospitib9 dentur, horreudum dictu. Sed κακοζηλῶν Papæ stupiditas & pervicacia infrunita extundit, ut, quod jam omnibus notum est, & in summo totius Europæ, imò totius mundi theatro, nempe Venetis; sed à Papistis gestum est, dicam.

Nondum 5. anni, impiusnè magis an fœtidus, nescio, sed quem utroq; malo extremè notabilem esse notum est, Joannes della Casa, Archiepiscopus Beneventanus, Papalis Cameræ Decanus, & in toto Venetorum dominio, cum potestate Legati à latere Legatus, ea legatione fungens, Venetiis librum composuit & edidit de laudib9 Sodomiæ. Quis hîc non exhorrescat? sed horribilius est, quòd in eo libro affirmat, execrandissimum illud Sodomiæ scelus esse artem & opus divinum, idq; etiam propria experientia persuadere, & facere credi nititur, dicens: se non alia magis venere delectari.

Quis ethnicorum etiam cynædorum, imò pathicissimorum poetarum, tam impudenti & projecta libidinis prurientis, & plus quàm beluinæ licentiâ, uti ausus est? Quid, quòd veteres illi Sodomitæ, Dei vindicta; sulphuris & ignis pluvia, & abysso in infernum

num viventes absorpti? Genes. 19. qui tamen nunquam eò dementiæ & petulantiæ venerant, nunquam scelus suum ita laudarunt, nec artem & opus divinum esse dixerant.

Ex tamen tam hujus non puduit Legatũ illum & Archiepiscopum Papalem, interioris etiam consilii Romanæ sedis antesignanum & Decanum, ut etiam inde sibi suisque symmistis, tanquam de egregio & illi curiæ gratissimo palmario, plaudat: non clàm, sed in totius orbis, tanquam libidinibus Antichristi subacti, theatri, nomenque suum & qualitatem, in honorem sedis & functionis suæ, libro præfixerit, venetiis per Trajanum Naum, publicũ chalcographum, propalàm impresso & vendito, & nondum biennium in Comitiis Helveticorum Badensib. tam prodigiosam fœditatem execrantium, lecto: dum interim Christianos, & libros de Christo (ut illum de beneficio Jesu Christi suâ impiâ bullâ 7. Maji, anno 1549, notatum, dira crudelitate persequeretur & combureret, suæ impietatis administro Gerardo Busdrago, Lucensi. Decretalista, auditore seu quæsitore suo impurissimo, qui in impietatis præmium Episcopus Argolicensis, & episcopi Patavini suffuraneus (suffraganeum vocant) creatus est.

Idem. Ludovicus Pius Francorum Rex & Rom. Imperator, & pariter Lotharius ejus filius & Imperator, lib. 2. capitulorum apud Ansegisum abbatem, æquè Christianissimã & sanctissimam legem statuerunt de S. S. Cœnæ Dominicæ Sacramento, cap. 38. & rursus capite 43. sub titulo, de corporis & sanguinis Domini communione laicorũ in hæc verba: Ut, si non frequentiùs, vel ter (saltem) laici homines communicent: nisi fortè majoribus quibuslibet criminibus impediantur. Et quòd Caroli Magni ætas hunc morem integri sacramenti dandi etiam laicis renuerit, testatur Joachimus Vadianus Helvetius Med. D. in Æolide & Troade, citans acta synodorum Germanicarũ à morte Caroli Magni.

Illud notissimum est, usum hujus sancti sacramenti integri tam laicis quàm etiam fœminis observatum, & retentum fuisse publicè & ordinariè in Gallis, usq; ad Concilium Constantiense, & deinde per Concilium Basiliense permissum fuisse Bohemis, & omni regioni adjacenti. Quin etiam indifferenter permissum est per Decretales Paparum, quæ non tam corruptæ sunt, quã liber sextus, Clement. & Extravagantes, quæ postea supervenerunt.

Adhuc enim tempore Decretalium usus ille sacramenti in utraq; specie panis & vini indifferenter observabatur, quin etiam specialiter injunctum erat sacristis cujusque parochiæ, ut hanc solicitudinem haberent, ne infirmi viri vel fœminæ carerent administratione sacramenti in utraq; specie & panis & vini: ut expressè continetur in dictis Decretalibus lib. 1. tit. 24. de off. Archipresbyt. cap. 2. & 3.

Idem. Anno 1552. Sorbonici, jurati Papæ in publicis concionibus, magnis clamoribus & omni studio, populo affirmãtunt, de necessitate salutis esse credere & facere, quicquid Papa jubet: qua nefaria arte sæpè subditos ab Imperatorum & aliorum magistratuum non solùm juramẽto absolverunt: sed etiam hostes sui principis fecerunt, inflicto falso religionis metu.

Idem super Reg. Cancellariæ. n. 107. Abusus Papæ facere jus non minùs quàm errores Imperatorum, ait, 1. c. l 1. m. f. de sup. leg.

Idem. Sed quorsum episcopatus Petri apud Romanos? Certum enim est, beatum Petrum nunquam episcopatum alienum ambivisse nec occupasse, etiam à sola Ecclesiâ designatum, quantò minùs ipsius Jesu Christi ore constitutum. Atqui beatus Paulus ipsius Christi proprio ore constitutus est Urbis Romæ Episcopus, Act. 23. ibi: Constans esto Paule, sicut, n. testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari. Ecce missionem specialem, quò nondum fuerat ullus designatus, nec missus Episcopus. Paulus ergò primus Romanus Episcopus fuit, eò à Deo missus, & ab Angelo deductus, Act. 27. ibi: Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum Ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, &c. Ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecũ. p. 608

Romam autem ingressus, mox episcopale munus exercuit, à manè usq; ad vesperã, exponens legem & prophetas, testificans & suadens de regno Dei, & Jesu Christo. Et ita mansit Romæ biennio continuo, suscipiẽs omnes, eisq; prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu, cum omni fiduciâ, nemine prohibente, Act. ult. Habes designationem, missionẽ, ingressum, & verã functionem primi Episcopi Romani, cum nullus ante eum in eo ministerio ibi fuerit, ut liquet ex Actis Apostolicis.

Et eum fuisse sub Nerone Episcopum Romanorum, latè ostendit Jo. Chrysost. in sermone de profectu Evangelii, Tom. 6. ubi ne verbum quidem de Petro. Tum accuratissimè illa uberrima & verè Apostolicæ ejusdem Pauli ad Romanos epistola, totius fidei summam & universam Ecclesiæ doctrinam continuans, satis specialem ejusdẽ Apostoli curam erga Romanos arguit.

Non obstat, quòd quidam scripserunt, Petrum venisse Romam ante Paulum, videlicet tempore Claudii Soceri Neronis: hoc enim neque ex sacris Scripturis, neq; ex scriptis quidẽ Petri probatur, sed potius oppositum. Tum beatus Lucas in Actis hoc

hoc non tacuisset, præsertim cum idem Lucas *Act.* 11. in fi. meminerit famis illius magnæ, quæ sub Claudio Cæsare contigit, neq; postea Claudius omnes Judæos Româ & Italiâ ejecerit, *Act.* 18. Quæ contigisse oportet post fictam illam Petri ab Hierosolymis Romam migrationem.

Sed Paulus ipse, qui in epist. ad *Rom.* c. 16. Ecclesiæ vel mulierculam nominatim salvere jubet, quomodo Petrum præ cæteris salvere non jussisset, si verum est, Petrū secundo anno Claudii Romam venisse, & ibi 25. annis Papam sedisse, ut fingunt Papistæ? ea enim epistola aliquot annis post secundum annum Claudii scripta est, cum jam migratio Petri, sedes ejus, & prædicatio Romam nullo modo latêre potuisset.

Quid, quod Paul. 2. ad Tim. 4. è Româ ipsa scribens, queritur, omnes fratres abiisse, & Romæ nullum alium secum esse, nisi Lucam solum? Quomodo ergò Petrus ibi fuisset, & à secundo Claudii anno, per sequentes 25. annos ibi sedisset; ut volunt Papistæ?

Rursus Paulus scribens è Româ ad Philippenses, cap. 2. de Timotheo ait: Neminem habeo tam unanimem, qui syncerâ affectione solicitus sit pro vobis. Omnes enim quæ sua sunt, quærunt. Si Petrus erat Romæ, an charitate inferior erat Timotheo?

Et in fine ejusdem Epistolæ ait! Salutāt vos omnes sancti, maximè verò qui sunt ex Cæsaris familia. An Petrum, si ibi fuisset, omisisset? An etiam proselytos è familiâ Neronis illi prætulisset? Illi (inquam) cujus videndi desiderio, Damasco relicta, Hierosolymam profectus fuerat, & apud illum dies quindecim manserat, ad Gal. 1. D. Illum, qui jam (si figmentum verum est) ultra quatuordecim annos in eadem urbe Româ Papam agebat.

Tum Paulus è Româ scribens ad Coloss. cap. ult. nominat Jesum, qui vocabatur Justus, & alios, qui erant ex circumcisione, quos solos dicit cooperarios ad regnum Dei, nec Petrum nominat: quomodo ergò ibi fuisset, imò præfuisset Episcopus, nec tamē cooperarius esset ad regnū Dei? Tum, cum de tam multis fratribus obviam factis Paulo eunti Romam Lucas meminerit, apud quos cum Paulo septem dies mānserit, Act. 28. quomodo tantum silentium fuisset de Petro, si Romæ jam erat, & ibi Papa sedebat, ut volunt Papistæ?

Imò si à secundo anno Claudii (ut fingunt) & sic jam quatuordecim ad minus annis ibi sedebat & prædicabat (annus enim secundus ad minus Imperii Neronis agebatur, quando Paulus eò ductus est, ubi biennium integrum cum Lucâ mansit, nullum tamen verbum fit de Petro, nec à Judæis quidem illic commorantibus, & Paulum certatim de religione percontantibus; *Act.* ult.) annón fuisset dictum de Petro Judæorum episcopo, si jam quatuordecim annos ibi fuisset?

Rursus cum Paulus è Româ tam multas epistolas ad plures Ecclesias scripserit, nēpe ad Galatas, ad Ephesos, ad Colossenses, ad Philemonem, & secundam ad Timotheum, & multorum nominatim etiam privatorum meminerit, quomodo nunquam Petri meminisset, & Petrus ibi fuisset? Aut si Petrus ibat & redibat, & ferè (quod verisimile nō esset) toto illo biennio, quod Paulus aderat, abfuit, qui fieri potuit, ut Paulus nunquam admoneret Ecclesias de his; quæ Petrus egerat, vel quæ his contingebant, cum de quibusvis aliis diligenter admoneret, nomine præsentium salutans, & de absentibus certiores reddens?

Tum scribens secundam ad Timotheū, cap. 4. ait: Demas me reliquit, & profectus est Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas mecum est solus. Ubi ergò erat Petrus, aut saltem aliqui ex ejus diaconis vel discipulis? An totos quatuordecim annos, omisso ministerio, latebant, vel ipse cum suis Paulum negligebat? vel à Paulo biennio toto neglectus fuisset?

Sed quò me tandem calami fervor adegit? nempè Petrum nunquam sedisse Romæ. Quod etsi Papistis plusquam παράδοξότατον videbatur, tumpantur licet, tamen ut quæ hactenus de hoc scripsi, verissima esse certum est, ita hodie plusquàm notorium est, eos fictis illis mendaciis, ad primatum suum invehendum, populo Christiano imposuisse.

Ut autem semel & in eluctabiliter tam audax, quantumvis inveterata, confiteetur impostura, quæ hujusmodi est, videlicet Petrum secundo Claudii anno (qui erat nativitatis Christi 44. passionis verò ad minimum decimus) Romam venisse, ibiq; prædicasse, & Papam egisse continuis 25. annis, & sic usque ad ultimum vel penultimum annum Imperii Neronis, qui fuit annus nativitatis Christi 69. vel 70. & passionis 35. vel 36. Atqui falsissimum hoc esse convincit textus apertus sacræ scripturæ, qui expressim probat, Petrum anno IIX. Claudii adhuc Hierosolymis fuisse. p. 609.

Paulus enim à tempore vocationis suæ (quę, ut omnes fatentur, non fuit ante annū post ascensionem Christi) postquàm per aliquot dies à Baptismo, cum discipulis, qui erant Damasci, se continuisset, cœpit ibi (stupentibus omnibus) prædicare Christum, & indies invalescebat confundendo Judæos. Tandem expletis pluribus diebus, intellectis insidiis Judæorum, & præfecti Aretæ regis; nocte sporta emissus evasit, Act. 9. & Arabiam petit, ubi verbum Dei prædicavit. Unde iterum reversus est

Dama-

Damascum. Inde post tres annos venit Hierosolymam visurus Petrum, apud quem mansit dies quindecim, ad Gal. 1. Et sic jam sunt ad minus quinque anni à passione Christi.

Exinde post alios quatuordecim annos (cum interim Paulus Syriam Ciliciamq; Christum prædicans peragrasset) rursus ascendens Hierosolymam, Jacobum, Petrū & Joannem ibi invenit, ad Gal. 2. Et sic jam novendecim anni ad min⁹ à passione Christi, qui est ad minimum decimus annus Imperii Claudii. Impossibile est igitur, Petrū fuisse & sedisse Romæ novem præcedentes annos, videlicet à secundo anno Claudii.

Nec evadere licet, dicendo, Petrum ante novem annos adiisse Romam, ibiq; sedisse: deinde post illos novem annos rediisse Hierosolymam ad Concilium, de quo *Act.* 15. quia primò certum est, Petrum per illos primos quinq; annos mansisse in Judæa, (ut dixi) infra quos cum Joanne missus ab apostolis in *Samariam*, Legatione perfunctus rediit Hierosolymam, *Act.* 8. & exinde terè usque ad mortem Agrippæ magni mansit in Judæa, quam interim non excessit, sed eam peragrando Christum prædicans, venit Liddam, ubi Æneam paralyticum sanavit, & inde Joppen, ubi Thabitā suscitavit, diesq; multos apud Simonem quendam coriarium mansit. Inde Cæsareā Philippi ad Cornelium Centurionem, ubi eo cum suis baptizato, aliquot dies mansit.

Tandem reversus est Hierosolymam, ubi gestorum rationem reddidit, ut patet Act. 9. 10. 11. His factis, audientes *Apostoli*, qui erant Hierosolymis, multos ad Dominum conversos *Antiochiæ*, miserunt eò *Barnabam*, qui cum ibi multam turbam Domino addidisset, ut jam pleniori (utpote pluribus turbis) prædicatione opus esset, profectus est Tharsum, ut quæreret Paulum quem inventum perduxit Antiochiam.

Ubi cum annum totum docuissent: tanta multitudo discipulorum accessit, ut ibi primùm vocati sint Christiani. Deinde fames per *Agabum* prædicta.

Tunc autem *Agrippa* Magnus, penultimus Judæorum Rex, Jacobum fratrem Joannis occidit: quod cum videret placere Judæis, comprehendit & Petrum, qui per Angelum eductus de carcere abiit in aliū locum, *Act.* 12. non autem extra Judæam, ut verisimile est: & omninò tunc non adiit *Romam*, per præcedentia & consequentia. Adhuc enim invent⁹ est Hierosolymæ post mortem præfati *Agrippæ*, qui paulò post liberationem Petri, post magnam turbationem, & aerem, sed irritam, quæstionē habitam de custodibus & illis carceratis, Cæsarem *Philippi* petiit, ubi ab angelo percussus interiit, *Act.* 12.

Cum autem mortuus est *Agrippa* Magnus, jam erat quartus annus Imperii *Claudii*, sub quo per tres annos regnavit, videlicet quatuor sub *Cajo Caligulá*, & tribus sub *Claudio*, ut testatur Josephus antiq. Judaicarum lib. 19. cap. 8.

Jam ergò impossibile est, Petrum secundo Claudii anno Romam ingressum esse, cum adhuc tertio Claudii anno teneretur Hierosolymis in carcere, & nondum Palæstinam exivisset: & adhuc post dictos quatuordecim annos, qui excurrunt, in novū Imperii Claudii annum, inventus est Petrus Hierosolymis, cum Iacobo & Ioanne, per Paulum, Barnabam, & Titum: ad Gal. 2. ubi in sancto illo concilio, de quo *Act.* 15. fœdus ictum est inter Petrum, Jacobum & Joannem ex una parte, & Paulum, Barnabam & Titum ex alia parte: ut illi quidem per circumcisionem Apostolatu fungerentur, hi verò inter Gentes: ad Gal. 2.

Postea (& sic ad minus anno sequenti, & sic 20. saltem annis à passione Christi) cum *Petrus Antiochiæ* existens, nimis indulgeret Judæis, reprehensus à Paulo dissimulationem abjecit: ad Gal. 2. *Et* sic erat ad minus undecimus annus Claudii, quo nondū *Petrus* excesserat Palæstinam, nisi usq; *Antiochiam*. Unde, quòd & præfatum fœdus, & ejusdem Petri scripta indicant, pertexit in Pontum, *Galatiam*, Cappadociam, ad dispersos Israëlis, usq; Babylonem.

Quòd si, ut Papistæ fingunt, mansisset Petrus, ut *Papa* sedens, Antiochiæ septem annis prius, quam adiisset Romam, non fuisset illam ingressus, nisi 27. anno passionis, seu 61. anno nativitatis Christi, qui erat quartus annus Imperii Neronis: & sic non potuisset ibi sedere 25. annis, nisi vixisset ultra tempora Neronis, *Galbæ*, *Othonis*, Vitellii, Vespasiani & Titi, imò usque ad tempora *Domitiani*, ut patet abacum Chronicon intuenti. Quando ergò venit Romam? quādo ibi præfuit 25. annis? nónne commentitium est?

Præterea constat non solùm ex Lucâ Act. 18. sed etiám ex Svetonio Tranquillo, & aliis, Claudii edicto omnes Judæos *Romá* & Italiâ exactos esse, inter quos exierunt Aquila & Priscilla ejus uxor, & alii: quorum, priusquàm ejecti essent, meminit Paulus scribens ad *Rom.* c. 16. ubi Priscam & *Aquilam* adjutores suos vocat, & nominatim salvere jubet, & complures alios, quos etiam suis elogiis honorat. Quod si Petrus ibi fuisset (ut jam esse debebat, secundum præfatum errorē) nónne Petrum præ cæteris salvere jussisset?

Rursus, quomodo Petrus post illud edictum ibi remanere pastor potuisset, vel etiam ausus fuisset contumaciter, tanquam Imperatori non subditus? ut de seipsis jactant Papæ. Annón potiùs juxta præceptū Christi, pulverem pedibus excutiendo exivisset,

visset, & juxta doctrinam suam, quâ regibus obediendum præcipit? 1. Pet. 2. Quòd si cum reliquis Judæis ex tunc exivit, quomodo ibi viginti quinq; annos ut Papa sedit? nónne liquet, conficta esse omnia?

Non ergò Petrus, qui circumcisionis, sed Paulus, qui Gentium erat Apostolus, Rom. 1, 11, 15. & 1. Cor. 9. 1. Tim. 2. & 2. Tim. 1. fuit Romanorum (qui Roman. 1. præcipui gentium erant) Apostolus, primusq; ore Christi designatus. Sed cur Papistæ abnegant Paulum in Episcopum Romanum? nisi quòd is tam multa & aperta scripsit, ut eorum fucamenta latêre nequeant. Quoties eos vidi è suggesto concionis frendêtes in Paulum & ejus scripta? non minùs abnegaturos Petrum, si æquè multa scripsisset: quàmquam satis totâ & vitâ & doctrinâ eum abnegant.

Ex prædictis manifestum est, Eusebium in historiâ Ecclesiasticâ (& quotquot eum secuti sunt) errasse, dum lib. 2. c. 14. scripsit, quòd Petrus primus in Urbe Româ Evangelium prædicaverit. Si enim ibi unquam fuit, saltem Paulus ore Christi missus eum ibi præcessit, per prædicta: sed Paulum Andronicus & Iunia, Prisca & Aquila, Apollo & alii præcesserunt, qui Romanam Ecclesiam fundaverunt, quos refert & laudat Paulus ad Rom. 16. Nec sibi constat Eusebius, qui postea libro 3. c. 2. scribit, Petrum non venisse Romam, nisi ad ultimum Claudii annum. Quomodo ergò à secundo anno Claudii, & ibi 25. annos, & sic totum ferè tempus Apostolatus ibi consumsisset? præsertim cum, ut ait idem Eusebius in d. c. 2. & in c. 4. libro 3. non gentibus, & sic nec Romanis, sed Judæis & Hebræis tantùm, ab eodem Claudio Româ & Italiâ pulsis, prædicaret. Præterea idem Eusebius libro 3. c. 21. scribit, Clementem fuisse tertium post Paulum & Petrum Urbis Romæ Episcopū: & sic non solùm facit Paulum Urbis Romæ Episcopum, sed etiam primum nominat. Et eodem lib. c. 15. scribit, præfatum Clementem illum esse, quem Paulus in Epistolis è Roma missis vocat adjutorem suum.

Cum igitur sibi non constet (quod mirum non est, cum in præfatione suæ historiæ dicat beatus Rhenanus, illum ex alienis commentariis compegisse, imò partim ex scriptis, quæ postea velut apocrypha circiter 170. annos post ejusdem Eusebii mortē, damnata & rejecta sunt, in c. sancta Romana 15. distin. ut ibi tetigi in addit. ad tex.) nullum in hoc fidei pondus habet, & multò minùs, qui postea eum gruum more secuti sunt. Ut omittam, quod Eusebius ille Arianus fuit, & in eâ hæresi existens historiam suam conscripsit, & postea in Concilio ipso Nicæno Arrianum dogma palàm defendit, ut habet historia tripartita lib. 2. c. 7

Et quamvis tandem Nicæno concilio subscripserit, tamen postea à Sabino obstinato Arriano (qui cæteros patres dicti Concilii idiotas vocabat) laudatus fuit, & subtiliter vocem ὁμοούσιον interpretatus est, ut in d. lib. 2. c. 12. Et novissimè sanctum Athanasium, fidei sanctæ Trinitatis propugnatorem acerrimum, criminatus est erga Imperatorem, eumq; rursus Episcopatu suo Alexandriæ injustè dejici fecit, & mox obiit, ut eadem Tripartita Historia testatur lib. 3. cap. 3.

Minus etiam credendum libro cuidam pontificum, quem nuper quidam Franciscanæ observantiæ Tomo 1. Conciliorum inservit, dicens, à Damaso Papa compilatum. Dicit enim, Petrum ingressum Romā sub Nerone, & ibi ultra viginti quinque annis in cathedra Episcopatus sedisse: & tamen ibi mortuum anno passionis Christi tricesimo octavo, qui est ultimus annus Neronis, qui decimumquartum annum Imperii non implevit, ut sit manifesta repugnantia, præter suspicionem autoris, qui multa alia manifestè falsa pro veris tradit. Hæc sunt necessaria ad discussionem multorum canonum.

Unum exempli vice pro multis accipe. Cap. quis nesciat. 11. distinct. Innocentii nō primi, sed secundi, qui circa annum 1138. autor fuit c. si quis suadente. 17. q. 4. vide; quibus argumentis, quâ confidentia decernat, ab omnibus observari debere, quod servat Romana Ecclesia, id est, Papa, qui se illam esse Ecclesiam asserit. Primùm enim affirmat, omnes Ecclesias, præsertim per omnem Italiam & Galliam, Hispaniam & Aphricam, Siciliam & in Insulis interjacētibus, esse institutas à Petro vel suis successoribus, & à nullo alio principium accepisse.

Secundò negat, legi vel inveniri, alium Apostolum, quàm Petrum, in omnibus provinciis docuisse: Syriam & Asiam minorem dudum à Turcis occupatam, & Græciam, quæ nunquam paruit, non est ausus nominare. Ex his tamen infert primatum & dominatum. Sed ut negatio illa est impudentissima, utpote contra omnes & sacras in Actis 2. & ecclesiasticas historias, ita & præcedēs affirmatio per prædicta. Ex tunc ergò Papæ aut penitus ignorabant, aut dolosè depravabant sacras Scripturas.

Nec minus impudenter mētitur gl. (dignum patella operculum) in d. c. vers. Petrus Apostolus, ubi supplet, vel aliquis ex ejus mandato, ut Paulus: nam (ait gl.) Petrus Paulo dedit licentiam prædicandi, autoritate Domini, dum dicit: Segregate mihi Saulum & Barnabam. Atqui verba illa, Segregate mihi, &c. Act. 13. non erant verba Petri, sed ipsius Spiritus sancti. Nec Petrus ibi functus est aliquo vel nudo ministerio, quia longè aberat. Frustra verò d. gl. allegant testimonium alterius Papæ in c. quod

quòd dic.95.distin.cum domesticum testimonium omne Papatum sit rejiciendum, secundum Jo.And. in Cle.1. de jurejurand.

Tum adhuc ibi non dicit, quòd Petrus miserit, sed quòd Apostoli : quod adhuc falsum est, quia ibi nulli erant ex duodecim *Apostolis* : nec *Lucas* omisisset, qui etiam proselytos nominat : sed benè aderant alii Prophetæ & doctores, qui cum jejunassent & orassent, imposuerunt manus. Cæterùm falsum est, imò hæreticum, Paulū accepisse autoritatem aliquam vel licentiam (ut vocant) à Petro, qui nihil ei contulit, ad *Gal.*2. Nec ab hominibus, nec per hominem, sed per Jesum Christum missus est: ad Gal.1.& 1.Tim.1. Et cum Paulus Timotheum & Titum Episcopus instituit, non fecit aliqua authoritate accepta à Petro, nec per ejus ministerium : nec Titus ex mandato Pauli, instituens in Creta, ad Tit. 1. Sic nec Paulus & Barnabas redeundo per singulas Ecclesias Asiæ, in quibus prædicaverunt, & inibi suffragiis cujusq; *Ecclesiæ* deligendo Episcopos, Act. 14. Nec Paulus in ultima sua & accurata concione ad Episcopos *Asiaticos*, *Act.* 20. monuit, quòd subesse deberent *Petro*, nec Romano quidē pontifici, qui pro tempore foret : quod si vel operæ precium, nedum ad salutem necessarium fuisset, nunquam omisisset.

p. 611.

Non solùm ergò commentitiū, sed plus quàm hæreticum, utpote *Antichristianicum* est, quod de primatu Romani pontificis & creaturæ suæ finxerunt in suis Canonib. & glossis, etiam per Gratianum symmystam suum Decreto suo insertis. Idem de similibus etiam novissimis, ut de extrav. unam sanctam. de major, & obed. in communibus.

Habuit quidem *Romana* Ecclesia, ab *Andronico*, Junia, Prisca, *Aquila*, Apollo, & aliis discipulis fundata, deinde à Paulo peculiari suo Episcopo exculta & nobilitata, ferè per trecentos annos à martyrio Pauli, plures pios & doctos episcopos & administros, à fastu & avaritia alienos: quibus mortuis, postquam cum divitiis studium fastus & dominationis irrepsit: ingressi sunt lupi rapaces (ut prædixit Paulus) primùm superstitione & fucis mendacibus tecti, quorum testes esse volunt, & judices postremò plusquam manifesti.

Idem. Ut paucis videas, quanta vis pecuniarum singulis annis exhauritur è regno Franciæ, primò innumeræ myriades auri expiscantur per eas, quas vocant annatas, seu vacantias archiepiscopatuum, episcopatuum, *Abbatiarum*, prioratuum, convētualium, & aliorum sacerdotiorum electivorum. Et hoc tributum exigit Papa ante ullam expeditionem, vel traditionem bullarum.

Secundò, non solùm exigit de sacerdotio tunc collata, sed etiam de omnibus aliis sacerdotiis, quæ impetrans tenet cum eo, ut ea simul cum collato novo sacerdotio retinere possit, dispensatur, non obstāte, quòd in prioribus collationibus eorundem sacerdotiorum annatas persolvisset.

Tertiò, rursus omnium eorundem novas annatas exigit, etiam ab eodem possessore vel titulario, toties, quoties eodem modo per novi sacerdotii assecutionem vacant, seu vacare finguntur, & de novo dispensatur, etiamsi bis, ter, aut quater in anno hoc contingat : ita quòd sæpius contigit, & visum est in Galliâ, eundem Prælatum pro eodem beneficio tres aut quatuor annatas integras Papæ dependisse, non sine magno etiam imperitorum & simplicium scandalo: cum videant, feuda & res prophanas semel tantùm in vita Vasalli domino directo & unius anni tantùm redditum dependere, & adhuc hoc rato contingere, & quando casus exigendi contingit, non plusquā semel in vita Vasalli exigit.

Quòd si unquàm, maximè hic exclamat sancta illa l. si quēquam. C. de episc. & cler. Quem (inquit) murum integritatis, aut vallum fidei providebimus ? & auri sacri fames penetralia veneranda proserpit. Quid deniq; cautum esse poterit aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur ? Cesset igitur deinceps altaribus imminere prophanus ardor avaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium.

Quartò, infinitas quotannis exigit pecunias etiam de simplicibus, ratione præventionum, à ducentis circiter annis, contra disciplinam Ecclesiasticam & antiquos canones usurpatarum. Hac enim via nequissima provocantur homines ambitiosi ut Romam mittant : quin quandoq; vel pauperes, versuram facientes, quam huic aleæ committant, quin etiam (ut quandoq; vidi) viles imò famuli ad furta etiā domestica alliciuntur, ut inde cum trapezitis Papæ, spe venandi beneficia, negociētur adeò, ut nonnunquam ad idem beneficium tres quatuor, vel sex (ut vidi) per simoniacæ hæresis trapezitas (ita vocat eos text. in c.1. col.1 13. distinct. (Romam mittant, ut etiā pro eodem beneficio quandoq; plures bullæ à diversis redimantur: tot enim & totidem vendunt *Romani* officiales, quot veniunt emtores, solidum bullæ precium numerantes : nihil enim ad eos de exitu, lucro, vel damno emtoris seu collatarii, modò precium habeant.

Et hac via non solùm affligitur regnum in pecuniarum ingenti evacuatione, sed in morum depravatione, disciplinæq; Ecclesiasticæ corruptione. Hac enim arte *Romana* non solùm irritantur, qui suapte naturâ sunt

sunt ambitiosi, sed etiam & majores & minores provocantur, ut postergata vera disciplina, ambitioni & avaritiæ studeant: cumque multi eandem aleam subierint, & unus tantum ex currentibus brabæum obtinere possit, sese litibus infinitis, nec non odiis & vexationibus invicem atterunt & conviciunt: hic scilicet interim officii ecclesiastici cura subeat?

Quinto, propter resignationes in favorem: quæ licet quandoq; de idoneis sincere fieri possent, ut sunt exempla veterum, c. petijsti. 7. q. 1. c. q. 1. & hoc etiam admittit Ægid. Bellemere, tamen Papa, majoris cujusdam religionis prætextu, in universum prohibuit: sed ut sibi soli hoc genus negociationis exercere liceret, ut eventus docuit.

Sexto, ratione commendarum. Septimo, ratione vacantium in curia; quovis modo. Est enim recens inventum novorum pontificum, & utcunq; Clemens tertius in c. 2. de præbend. in 6. jacter, antiquam consuetudo etiam post eius obitum non erat ab omnibus cognita & recepta: tantum abest, ut vivo Clemente tertio, & multo minus ante eum antiqua fuerit, ut patet in c. inter cætera, de præbend. Extra. ubi Celestinus tertius successor dicti Clementis, non declaravit, ullam esse collationem ordinarij factam de beneficio resignato in manu sui decessoris: quod non omisisset, si quid tunc fuisset de illa prætensa consuetudine, quæ tamen sensim, cum reliquis abusionibus, cancri more serpsit: & quia non mox compressa fuit, pro lege venerari cœpit, inquit text. in c. mala consuetudo, 8. distinct.

612. Octavo, propter infinitas dispensationes: puta ætatis, ordinis, beneficiorum incompatibilium, & varias species incompatibilium: puta numeri, ordinis, certi monasterij, & tecti, tum dispensationis variarum specierum irregularitatis, sive corporalis vitij, vel delicti, vel ceremoniæ omissæ, aut præposteratæ: cum dispensationum in gradu prohibito matrimonij, vel affinitatis canonicæ: inventa etiam arte, qua gradus distenderentur. Hinc enim acervi pecuniarum Romam fluunt, ubi non erubescunt publicas gravesq; taxas prostare, velut leges certo proscripto precio refigendas.

Vidi, qui ultra mille aureos numeraverunt pro dispensatione commentitiæ cujusdam, quam spiritualem cognationem vocant. Et nuper simplex Prioratus à Rupe Guidonis, in diœcesi Carnotensi, non conventualis vel electivus, ob curam animarum & minorem ætatem impetrantis, constitit Romæ nongentis aureis, & tamen impetrans arresto Parisiensis Senatus & precium & mercedem amisit, ob levem quandam omissionem vel surreptionem dispensationis: & juste quidem amisit: sed indignum & pudendum est, Romanos institores & trapezitas sic Ecclesiæ Gallicanæ illudere, & tam ingentem & auream messem pro illius vexatione & difformatione, percipere.

Nono, ab infinitis privilegijs, exemtionib. gratijs (quas vocant, non visitandi, vel per procuratorem visitandi) confirmationibus privilegiorum, homologationibus concordatorum, transactionum sub beneplacito Papæ factarum, permutatione beneficiorum cum dispensatione, vel pensionis creatione, aut alia negotiatione jure communi vetita.

Decimo, de mandatis: singuli enim Papæ infinita prope concedunt mandata: cum quilibet ordinarius uno, si decem, vel si quinquaginta ad suam collationem vel præsentationem habet, duobus mandatis circiter viginti ducati exiguntur. Hinc ingens vis pecuniarum ærufcatur: & quanquam non possint nisi unum, vel ad summum duo mandata super singulis ordinarijs concedi, tamen tot venduntur & bullantur, quot sese redemtores offerunt & numerant periculo suo.

Undecimo, propter aliud genus acupij, quod Pœnitentiariam Papæ vocant, propter absolutiones casuum Papæ reservatorum, infractiones vel commutationes votorum, translationes monachorum non solum de uno monasterio ad aliud, sed etiam de uno ordine in alium, potestatis ingrediendi quævis monasteria, altaria deferendi, & alia innumera, mensæ pœnitentiarij Papæ deputata.

Duodecima, propter concessionem vel confirmationem condonationum, quas vocant Indulgentias Papæ, quæ mirum in modum non solum in magnis templis, sed etiam in privatorum quorundam ædiculis multiplicatæ sunt adeo, ut vulgus hoc genus τῆς καπηλικῆς irrideat: tamen ab institoribus & lucrum inde quærentibus quandoq; centum vel quinquaginta aureis Romæ redimuntur.

Decimotertio in creandis protonotarijs & aliis notariis (quos Apostolicos vocant) & episcopis, quos Rota & aulici Papæ nullatenances vocant, vulgus Gallorum portativos: quidam ludibrii causa, potativos vocant.

Decimoquarto propter bullas & commissiones novarum fundationum, vel immutationis antiquarum, vel reductionis regularium monasteriorum in secularem statum, vel restitutionum in integrum & infinitorum rescriptorum ad lites, etiam in his, quæ jure communi per ordinarios expediri deberent. Ex quibus etiam, non

computato primo annatarum articulo, tempore Ludovici undecimi inventum est ultra ducenta millia aureorum singulis annis regno efferri. Quare idem Rex omnino vetuit Romam quicquam deferri, vel ullam bullam inde auehi, & supra eo. gl. 15. nu. 181.

Certum est autem, hodie quantitatem illam ad minus duplicatam esse, tam propter augmentationem populi plus media parte ab illo tempore aucti, quam propter augmentationem taxarum curiæ Romanæ. Postquam autem locum Pragmaticæ subintravit Concordatum, & sic locus apertus est annatis, cœpit ultra quantitatem præcedentem (qui circiter quater centum millia aureorum ascendit) alia similis quantitas, annatarum nomine extrahi.

Præterea cœperunt multi curiæ Romanæ aulici Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & pinguiora beneficia regni possidere, quorum redditus singulis annis regno evehuntur: ita quod singulis annis fere decem myriades (quam millionem vocant) soleant regno Romam evehi, unde nihil unquam redit, sed vel in luxu Romanæ curiæ consumitur, vel inimicis Regis datur. Nulla enim negociatio mercaturæ, ad usum hominum utilis, nobis cum illis intercedit.

Aliæ quidem nationes bonas & utiles merces pro pecunia inferunt, justa & æquali commutatione: Romana vero curia plumbum duntaxat: nisi quod (ut dentes Cadmi) ingentia seminaria & anfractus litium, pro ingentibus acervis auri ingerit. Quare non est mirum, si à ducentis annis regnum Franciæ, olim sine tributis & impositionibus regiis (quæ subsidia vocant) ditissimum, opulentissimum, nunc adeo depauperatum sit & attritum, ut (exhausto ærario) vix, novis tributis, quod ad defensionem regni sufficiat, corradi possit. Sanguisuga enim illo nervos Reipublicæ indies exugente, non solum in regno exhausto nihil superest: sed sæpe pecuniæ regni in manibus inimicorum eius reperiuntur.

Infinita hujusmodi damna, non solum in notorium & continuum detrimentum, sed etiam in dedecus & ignominiam veteris gloriæ splendorisque Regum Francicorum redundantia, prætereo, ut manum tandem de tabula mihi tollere liceat.

* Pa. 615. Idem. In loco Decretal. l. 1. 24. de off. Archipresb. c. 2. & 3. per presbyteros Cardinales nuncupantur, quia habent principalem curam parochiæ, & ad hoc obligati sunt. Tum etiam eo tempore, & ab antiquo maximo, Romæ Cardinales non erant aliud quam parochi, vel principales sacerdotes cujusq; parochiæ, ut patet per omnes libros & Epistolas Gregorii 1. Episcopi Romani. Idque verum esse, fatetur Cardinalis Florentinus, (à cujus morte nondum effluxerunt centum quadraginta anni) in suis Consiliis consil. 65. ubi ait: Cardinales Romanos fundatos esse in omni jure parochiali in locis suorum titulorum, qui tituli non erant aliud quam nomina parochialium Ecclesiarum, ut patet apud Gregorium Magnum, & in concilio tempore suo Romæ habito.

Quid, quod tempore Lotharii Imperatoris, & Caroli Calvi filiorum Ludovici Pij Leo IV. Episcopus Romanus destituit & degradavit Cardinalem S. Marcelli eo, quod in sua parochia S. Marcelli jam per quinq; annos non resederat, ut testatur Platina in vita dicti Leonis.

Sed posteaquam Innocentius 4. Papa armorum impetu devicit imperatorem Fridericum II. anno Domini 1247. & de spoliis illius dedit Cardinalibus suis galeros purpureos: tum (ut inquit Platina in vita Innocentii IIII.) Cardinales reliquerunt parochias, seque fecerunt principes & cognatos Regum ita, quod vilissimus mendicus, si fiat Cardinalis, vocabit se cognatum summorum Regum, & illi vicissim voce & scriptis nuncupabunt eum cognatum suum. Videant reges, quorsum reciderit eorum prærogata nobilitas?

Idem in Tractatu de Monarchia Francorum. Sensim Successores Tancredi, & filii Guilielmi Normanni cognomento Ferrebach (qui suppetias tulit Malocho Duci Imperatoris Constantinopolitani, ad expellendos Saracenos ex Apulia & Sicilia: sed quis Molochus iniquus ei fuit in divisione prædæ hostilis, ille cum quadraginta millibus tam Francorum quam Normannorum rediens, Calabriam, Apuliam & Siciliam occupavit, quæ de Græcis in Normannos hac occasione transierunt) facti sunt domini utriusque Siciliæ & initio quidem se gerebant comites Apuliæ, postea Duces, & tandem Reges Siciliæ.

Et ad majorem autoritatem principatus sui, circa annum Domini 1060. titulos suos voluntarie emendicarunt à Pontificibus Romanis, qui initio facile gratisque aliena, in quibus nil juris habeant, petentibus infeudabant, nihil recusantes, quod ad potentiam & autoritatem suam augendam spectaret.

At hanc quasi possessionem sensim nacti, postea anno Domini 1267. cœperunt sensim ingentes pecunias exigere hujus investituræ nomine, etiam à Carolo comite Provinciæ, & Andium, fratre germano Ludovici 9. Franciæ regis, (quem propter insignem superstitionem & Idolomaniam Romani Pontifices in Catalogum divorum suorum, sumtibus tamen Gallorum, retulerunt) a quo Carolo Papa Clemens Quartus quadraginta millia aureorum annua exegit

pro-

propter investituram Regni Siciliæ, ut etiam Platina Secretarius & fautor Paparum testatur; idque non obstante, quod idem Papa præfatum Carolum, nihil de hoc cogitantem, tanquam potentiorem principem, non modo in auxilium suum vocasset contra posteros Tancredi, sed etiam induxisset, ut sumtibus & periculis ipsius Caroli Francorum & utriusque Siciliæ regnum armis acquireret; ut & Carolus fecit; longe plura exacturo Papa, si ditionem pacificam eidem Carolo concessisset, quia eam longe carius (ut notum est) ipsi vendidisset.

Iohannes Foxus in historia Thomæ Rhedonensis Galli, ac Carmelitæ, in Italia Christi nomine exusti.

Diximus superius, persecutionis hunc fatalem turbinem, quæ primum apud Angelos exorta, diu hic, multumq; in sanctissimorum hominum capita exarsit, ex hac demum Insula facta irruptione, in Bohemos demigrasse. Mox interjecto deinde tempore, & Scotos, grassante paulatim incendio, corripuisse. Inde nunc facto ad ulteriores nationes gradu, in Italiam quoq; transvolat procax rabies: nec ullam fere orbis partem immunem sinit ab innocentissimorum laniatu.

Accesserat forte fortuna in Italiam, sub idem tempus, cum Venetis oratoribus, Thomas quidam Gallus ex ordine eorum, qui ex monte Carmelo religionis titulum circumferunt.

614. Jam enim & montes habent suos sectarum duces. Quid miramur, si Franciscus sui nominis ac sanctimoniæ relinquat admiratores, cum & mons Carmelus suos invenerit Carmelitas? Et quid possit tam ineptum esse, cujus non alicubi in tanta sectarum fœcunditate, suos applausores, templumque reperias?

Sed hic quamvis ejus erat gregis, qui pro Christianis Carmelitæ appellabantur; longe tamen diversa ratione institutus, Christi verbum sapiebat, & non in monte hoc, neq; Hierosolymis duntaxat, sed in spiritu & veritate, Deum sibi colendum existimavit. Hic ergo ferus Cermelita toto pectore Christi novum illud mustum spirans, dum Christianæ integritatis vestigia magno studio votoq; sectatur, in Italiam primum proficisci parat: illic aut nusquam se repertutum, sperans, quorum convictu melior fieri posset.

Vbi enim magis virtutum omnium segetem suppullulare conveniebat, quam illic, ubi totius religionis arx quædam ac fons habebatur? Nam qua fieri potuit, ubi tanta omnis sanctimoniæ professio jactabatur, ubi omnium hominum oculi ceu in theatrum quoddam conjiciebantur, ubi sanctissimi Petri sedes ac totius Ecclesiæ regimen credebatur, quin omnia illic digna tanta expectatione vigerent? Hæc dum in animo sibi proponeret sanctissimus vir, magna spe, relicta civitate sua, Romam petit, certissimam spem concipiens, futurum, ut tot illustrissimorum hominum adjutus exemplis, magnum sibi & pietatis & doctrinæ lucrum acquireret. Cæterum hanc spem longe destituit successus. Quippe omnia dissimilia, fucum ac meram hypocrisim esse quæcunque viderat: deniq; pro auro nihil quā carbones: imo ut verius fatear, nihil aliud quam aurum & argentum reperit.

Pro donis cœlestibus regnabat cultus ac providentia hujus seculi: pro pietate luxus: pro literis ac studio, ignavia & superstitio: pro simplicitate Apostolica tyrannis ac supercilium omnia occupans: ut non solum discendi, quod ignoraret: sed nec tradendi, quod quisquam recte sciret, locus jam amplius relinqueretur. Postremo nihil non inversum, nihil non præter suam existimationem, quaquam versum se flecteret, illi offerebatur.

Sed nihil magis sanctissimum pectus offendit, quam intoleranda ambitio, ac plus quam regalis strepitus in iis, quos potissimum humilitatis exempla orbi commendare debebant. Etsi enim hic nihil fere cerneret, quod ad Apostolicæ imitationis normam quadraret: illa tamen usque adeo omnem modum ac patientiam exuperabant, ut nullo pacto linguam sibi temperandam in tanta Ecclesiæ corruptela, existimaret: cum in ædificiis, in vestitu, in palatiis, in victu, in famulorum comitatu, in admiratorum turba, invitæ apparatu, in equis, in armis etiam ambitiosum fastum cerneret. Quæ quo magis ab Evangelica præscriptione recedebant, hoc minus contineri vox potuit sanctissimi hominis: etsi alioquin, haud ita multum loquendo consecuturum se, intelligeret.

Nam si quid proficeret admonitio, non deerant: Wiclevi, cæterorumque libri non deerant & nuper Hussi, ac Hieronymi clarissima testimonia, ac sanguis effusus etiam: quorum tamen efficacissimis hortatibus adeo nihilo illi correctiores sunt facti, ut duplo efferatiores viderentur. Quanquam neque ea res adeo perterruit Thomam nostrum, quin tam salubri ac necessario officio vitam quoque, si opus esset, impenderet. Sic qui cæteris venerat discipulus futurus, ijsdem nunc doctor esse cogitur: quorumq; mores imitari constituerat, ijs nunc versa vice suam vitam spectandam imitandamq; proposuit. Sic enim vixerat apud hos, ut omnibus posset esse loco regulæ, Sic docuerat, ut quibusque esse posset pædagogus. Sed quod Paulus prædixerat iis, qui in Christo pie vivere student, ut persecutionem habeant comitem: simile & huic evenit præmium à suis.

Ille dedit pietatis fructus, quos imitentur: isti rursus martyrii huic diadema reposuerunt. Ille ad salutem ostendit viam: isti pro vitæ beneficio mortem retaliant: cujusque summis laboribus nulla satis digna fuerunt præmia, eum summa cum ignominia ad supremum rogum persequuntur. Nam dum diutina prædicatione satis grave sibi odium conflarat apud purpuratos quamplurimos: tandem agitari cœptum est, quibus machinis vita hujus circumveniri posset. Hic ad consuetum remedium confugitum est.

Est enim hæc jam olim apud Ecclesiasticos dominos peculiaris ac perpetua consuetudo, ut si quis cui displiceat, cujus molesta videatur oratio, aut lucro ipsorum paululum offectura: statim hæreseos alicujus fabricent articulos, quos in caput illius contorqueant.

Quemadmodum cæterorum animantium sua sunt cujusq; tela peculiaria, quibus se ab injuria vindicent: aprum dente armavit natura; histrix suos habet aculeos: est leo unguibus formidabilis: suus est morsus canibus: cornu taurus pugnat: nec asino sua deest calx: ita & unica hæc Episcoporum armatura est, ut hæresi aliqua involutum strangulent, si quis voluntati eorum vel ambitioni obstrepere audeat. Id quod cum in aliis pene innumeris, tum in hoc sanctissimo viro facile videre est. Qui ubi jam, ut dictum est, gravior esse cœpit, nec ferri potuit: quid tum illi?

Ad artes veteranas fugiunt, quodq; modo in Husso & Hieronymo designarunt: idem & in hunc jam moliuntur. Suspicione obruunt, quæstionibus involvunt, judicio examinant, articulos struunt, hæresin impingunt, hæreticum condemnant, damnatum abripiunt, tolluntq; è medio. Atque hæc est illa pietas, ac pacificus ordo nostrorum sacerdotum: quibus interim religio est ensem ac scutum circumferre, cum tamen livorem, maliciam, vindictam, venenum, insidias in mente ferant, quovis gladio acutiores.

Ne quis eorum in plateis ferro depugnet quibus legibus, quanta solicitudine cavetur cum judiciis, in accusationibus, ubi liceat fratrem opprimere, nullus sit sicarius, qui aut paratiorem ultionem, aut viliorem fratris sui animam habeat? Non ipsi hauriunt sanguinem, non feriunt, non occidunt, sed aliis occidendos tradunt. Quid quæso interest, nisi quod illi autores, hi tantum ministri sunt facinoris? Nulli eadem inferunt, ut sicarii: qui cum, si non eodem modo, ut aliter idem efficiant?

Porro articuli, ob quos fuit accusatus, hujusmodi traduntur à quibusdam: p. 617.

Quod Ecclesia egeat reformatione: quod flagellabitur, ac reformabitur.

Quod infideles, Judæi, Turcæ & Mauri convertentur ad Christum temporibus iis ultimis.

Quod abominationes fiunt Romæ.

Quod injusta Papæ excommunicatio timenda non sit: quodq; eam non observantes non peccant.

Sed his nunc articulis deest adhuc minister, quanquam neq; hic Romæ diu desiderari potuit: ubi omnia venalia, etiam animæ hominum. Ad hoc vero ministerium nemo accommodatior est visus, quam Guilhelmus Rothomagensis, divi Martini in montibus Cardinalis, Romanæ Curiæ Procancellarius. Præsidebat id temporis princeps sacerdotum Eugenius nomine tantum. Apud hunc captus accersitur Thomas noster, accersitus carceri deditur. Iterum post carcerem: post tormenta, post cruciatus, ad judices postulatur, producitur. Judicio præest lupus, accusatur agnus. Quamobrem? quis turbarit fontem.

Quid multis? quia resistere non voluit maliciæ potentiorum Thomas: satis peccasse creditur, facileq; cōvincitur incendio adjudicatur: sed sic, ut prius tamen gradibus, per quos ascenderat ad sacerdotium, iterum denudandus sit. Nephas enim habetur, ut sacerdos prophanis succumbat suppliciis: cum id interim summe fas sit, sacerdotes quemvis laicum (licet insontem) dedere neci, ne lædatur majestas sacerdotis officii, quam hic religiose procurant isti: at ne lædatur conscientia falsis judiciis ac premendis insontibus, quam nihil habent pensi? Itaq; priusquam ad supplicium ventum sit: degraduandus erat S. Thomas. Sunt enim gradus isti (ut obiter ne ignores) non inter differentias, quibus distinguimur à cæteris, neq; inter propria, quæ semper conveniunt, sed accidentia illa communia, quæ adesse & abesse poterunt pro arbitrio Episcoporum. Ita à physilogis docemur, ab habitu ad privationem proclivem esse motum, at retrorsum à privatione ad habitum impossibilem esse regressionem. Non est igitur quod mireris, pie lector, quo pacto is nunc laicus perire potuit, qui modo sacerdos vixerat? Magis id tibi mirum sit, quæ hæc tanta fatuitas istorum occupare animos potuit, qui talibus factis, universo orbi se deridendos propinant, tam homines ridiculi, quam Deo abominabiles?

Idem. Erfurdiæ Berghardus hæreseos titulo igni traditus fuit, anno 1218.

Idem. Est talis Hildegardis prophetia apud Vincentium lib. 27. Anno, inquit, post incarnationem Christ. 1146. Apostolorum doctrina & ardens justitia, quam in spiritualibus & Christianis constituerat Deus, tardare & in hæsitationem verti cœpit. Sed hoc muliebre tempus non tam diu durabit, quam hucusque perstitit. Hac ille ex ea.

Idem,

Idem. Annus 1539. nulla ferè rei insigni erat memorabilis, nisi quod peregrinationes idololatricæ publicis legibus sublatæ sunt, Cucullones ad vestes mutandas adacti, multaque præstigia circa divos patefacta, inter quæ erat sanguis Hallensis, qui multos ante annos apud vulgus hominum venerationi habitus est, tanquam pro ipsissimo Christi sanguine, cum tamen per Cromelium longe diversa res fuisse deprehenderetur. Apud alios item alia erant Idola, quibus oculi volubili motu circumagitari, occulto religiosorum artificio, quasiq; viverent, conspicerentur: & alia, quæ sudoris quasi speciem oculis præ se ferrent intuentium. Quibus ex rebus incredibile dictu, quantus oblationum proventus quotannis religiosorum accreverit monasteriis.

Idem. Majorita inter Christi discipulos, non penes magnitudinem mundanam, sed penes Christi imitationem in moribus mensuratur. Iterum ex isto corde legis Domini patenter elicio; quod, quia Christus fuit pro tempore hujus viationis, homo pauperrimus, omnem dominationem mundanam abjiciens, (ut patet per fidem Evangelii Matth. 8. & 2. Cor. 8. nec ipsum Papam, nec aliquem sanctorum debeat fidelis aliquis imitari, nisi de quanto ipse imitatus fuerit Dominum Jesum Christum.

Idem in Commentario Martyrum ecclesiæ. In hac tanta rerum perturbatione, ac confusissimis ignorantiæ tenebris, cum nulla propemodum scintilla relicta videretur purioris doctrinæ: exortus est divinis auspiciis Ioannes Wiclevus: in quo primum voluit Dominus mundum expergefacere; plus nimio humanarum traditionum somniis insepultum.

Circa annum 1379 contigit, VViclevum fere ad mortem ægrotare. Quod cum esset Mendicantium fratrum ordinibus ex fama publica notum: oratores statim ad illum mittendos subornabant, quatuor scilicet doctores solennes, quos Regentes vocabant: quisq; ordo suum. Et quod solennior esset legatio: adjunxerunt eis quatuor urbis senatores, quos regionum Aldermannos appellant.

Cumq; ad illum in lecto decumbentem venissent: precabantur illi primo salutem, ac à morbo illo revalitudinem. Postea recitatis incommodis multis & magnis, quæ ex eius concionibus ac scriptis, ipsis obvenerant: hortabantur, ut ea omnia tandem in mortis articulo pœnitens defleret, ac revocaret, ipsis præsentibus. Ille statim, resumtis viribus, familiares advocabat, jubens se per pulvillos paululum erigi. Quod cum esset factum, alta voce dicebat: Non moriar, sed vivam, & narrabo pessima facta fratrum. Et ita ab illo decesserunt confusi, ipse autem deinceps convalebat.

Hic minime quoq; prætereundum videtur divinæ commotionis ostentum. Anno Domini 1382. congregatis Londini in domo prædicatorum, cum Cantuariensi Archiepiscopo, pontificibus, doctoribus ac prælatis, in ipso Dunstani festo, pro damnanda VViclevi doctrina cum libris omnibus: eadem hora, qua rem aggressuri essent, secunda, insolitus ac terribilis terræ motus universam pervasit Angliam: unde omnes, excepto archiepiscopo, mirum in modum deterriti, ab incepto negotio desistendum, censuerunt. At ipse, audacior quam prudentior, omnia in diversum interpretabatur, & delapsos eorum animos in malitia confirmabat. p. 616.

Idem. Dum fortissimus Christi satelles Cobhanius miles combustus fuit, interim, Pontificii sedulo populum admonuerunt, ne quis pro ipsius anima precaretur: sed omnes pro damnato haberent: quippe qui extra fidem & obedientiam Pontificis Romani, vitam reliquisset.

1550.

Thomas Coperus, & Ioannes Noviomagus.

*

Martinum quartum, scribunt autores, quos sequitur Thomas Coperus in Chronicorum Epitome, primo sui pontificatus anno, Nicolai prædecessoris concubinam (ex qua Nicolaus susceperat filium crinibus & unguibus similem ursæ, ut Joannes Noviomagus habet, in illustrationibus Bedæ) in suam familiarem accepisse. Sed ne similis illi casus accideret, ut futura proles sit urso similis, præcepit; ursos omnes, in palatio per Vrsinæ Pontificem olim depictos, auferri, vel deleri: persuasus; quod formæ in ipso coitu à fœminis conceptæ, in productis infantibus expressæ non raro maneant. Peritus ea in arte, ut apparet, hic pontifex erat. Sed non animadvertit bestia, portendere hoc monstrum, qualis sit ex ejusmodi factis Papalis cœlibatus ac sanctitas. O venerei, imo sordissimi cœlibes, ac Priapi sacerdotes. Concipe hoc loco miraculum magnum ex Platina: Nicolaus prædictus ex Vrsina familia venit, & ursum nepotem habuit: non est ergo mirandum, si ursas genuerit. Im. & Pp. V. S.

1550.

Ioannes Benedictus in lib. de vision. & Revelat.

Relucet summa Dei gloriosi sapientia; qui non solum omnia in certo numero, pondere & mensura creavit: sed unicuique etiam rei visibili in hoc mundo præposuit Angelicam potestatem in laudes eius sempiternas. Imp. Car. 5. Pp. Iul. 3.

De inquisitione Hispanica.

Descriptam habemus eam suis coloribus in lib. Maccabæorum primo, ubi legitur: *Et apud quemcunque inveniebantur libri* Testamenti Domini: & quicunque inveniebant legem Domini, secundum edictum Regis trucidabant eum. Quod vero omnium nostro seculo crudelissimum est, dum fortissimi Christi satellites ubivis terrarum comburuntur, interim à *Pontificiis*(ut paulo supa referentem audivimus testem Foxum) populus sedulo admonetur, ne quis etiam pro ipsorum animabus precetur, sed omnes pro damnato habent: quippe qui extra fidem & obedientiam pontificis *Romani* vitam relinquant. *O* crudelitatem & plus quam *Diabolicam* immanitatem: hos homines præ Christo judicare velle: Christianos fratres nulla misericordia tam misere enecare: sed & æternam salutem eis negare, Christiq; meritum, & humanis miseriis semper propicium invidere & prohibere velle Dei auxilium. *Antichristi* sane signum vel unicum istud (omissis sexcentis aliis) queat esse evidentissimum; hoc enim est se per Deum se extollere, & sanctissima Christi merita pedibus conculcare: imo ipsum Deum esse velle: & pro suo lubitu mortalibus vitam æternam dare & adimere.

Edidit autem anno *1569. Reginaldus* Gonsalvus Montanus hujus inquisitionis horrendum modum & praxin, per quam infiniti Christi confessores ad Martyria crudeliter & nefarie protracti, misere vitam cum morte commutarunt: hæcque ipsa initium præbuit *Belgicis* motibus, & causa est multarum horribilium cædium & ruinarum tam politici, quam Ecclesiastici status. Vide ibi, & conclude cum Lactantio cap. 20. de divino premio: Quid ergo sæviunt, &c. Verum inquisitionis originem habes apud Natalem comitem Italum, historicum.

p. 617. *Forma inquisitionis Hispanicæ instituta & edita in inferiori Germania Anno 1550.*

Cum sacra *Cæsareæ* Majestas pro ea devotione, quam erga Deum, sanctam *Ecclesiam*, Religionem Christianam, universos Christi fideles ex debito *Imperialis* officii gerit, multis modis conata sit, omnes hæreses & errores, qui hodie in diversis mundi partibus pullulant, extirpare & præcipue præcavere, ne boni & simplices Christiani à Pseudoprophetis, qui sub veste ovili, tamquam lupi rapaces, discurrunt, ad seducendos justos & pios, sua perversa dogmata sub specie pietatis illis inculcantes, seducerentur: ad id diversas fecit constitutiones, ordinationes, & edicta, præcipue in ditionibus inferioris Germaniæ, suæ *Majestati* ex successione suorum prædecessorum subjectis, ac aliis suæ *Majestati* postea incorporatis, & acquisitis, quæ stricte observari, & debitæ executioni mandari voluit, & adhuc vult.

Et cum per experientiam, rerum magistram, compertum sit, non sufficienter negocio tam arduo esse satisfactum, præcipue propter nonnullos malos sacerdotes, & viros *Ecclesiasticos*, qui (non obstantibus hujusmodi ordinationibus & edictis) simplices populares & Laicos perversa sua doctrina inficere, & à via veritatis, & unionis *S. Matris* Ecclesiæ seducere non formidant: ideo sua *Majestas* huic malo mederi volens, in provinciis inferioris *Germaniæ* (suæ *Majestati*, ratione sui patrimonii, subjectis) certos Inquisitores hæreticæ pravitatis, viros doctos & probatos, inculpatæ vitæ & famæ, ordinari & designari curavit, quibus data est ampla potestas, contra omnes hæreticos & hæresis suspectos, & eorum fautores & receptores inquirendi, procedendi, corrigendi, & puniendi in curia seculari juxta formam, & tenorem literarum *Apostolicarum* desuper confectarum.

Et ut hæc tam sancta, & necessaria inquisitio melius, & commodius fieri posset, sua *Majestas* (tanquam dominus supremus inferioris Germaniæ) ordinavit, & statuit ea, quæ sequuntur. Inprimis, ut prædicti inquisitores & commissarii, seu alter eorum, assumto secum Notario, viro integro & experto, ad exercitium actus Notariatus in his partibus admisso, debeant expensis suæ *Majestatis* visitare Provinciam sibi commissam & diligenter, tam apud officiatos suæ *Majestatis*, quam alios viros pios & integros, si qui sunt hæresi infecti, aut de ea vehementer, aut vel ex probabilibus conjecturis suspecti. Similiter si aliqui sub se habeant aut aut legant libros prohibitos & damnatos, aut teneant conventicula, in quibus de *S. Scriptura*, aut Religione Christiana disputent, aut communicent, deq; illorum fautoribus & receptatoribus.

Suamq; informationem per notarium in scriptis autentice redigi curabunt, & diligenter custodiri, ut ad eandem, quoties necesse fuerit, recursus, ac relatio habeatur, debentq; dicti inquisitores & *Commissarii* examinare testes, per eos audiendos, in forma Juris, præstito solenniter juramento de dicenda veritate, omni odio & favore exclusis, & illos, ne aliquem accusent ac deferant per invidiam, aut aliquam aliam occasionem, admonere, & diligenter interrogare de caussa scientiæ suorum dictorum, & illam in informatione inserere, ne viri boni injuste scandalizentur.

Et si aliqui apud inquisitores compareāt, volen-

volentes alium deferre super hæresi, eâ tamen conditione, quòd nomen delatoris celabitur,& informationi non inferetur ut sæpius contingit,illos tanquam testes non recipient, neq; ejus delationem informationi inserent,neque ex hujusmodi delatione contra aliquem procedent,servabuntque secretè ea,quæ eis deferentur, nec publicabunt delatores,aut depositiones testium,nisi quatenus ad procedendum contra reos de jure fuerit necessarium: tenebuntur tamen omnes audire,& si per alios delatio vera probari poterit,ex depositione eorum,si sufficiens fit,contra delatum procedatur,nullo habito respectu, ad delationem hujusmodi, quæ pro nullâ reputabatur.

Et si prædicti inquisitores Commissarii comperiant aliquos, qui per invidiam aut occasione alios injustè detulerint, hoc indicabunt *Magistratui* ejus loci, aut concilio provinciali,& ipsi cõtra tales calumniatores procedi curent.

Item dicti Inquisitores & Commissarii poterunt vocare coram se quoscunq; subditos *Cæsareæ* Majestatis, cujuscumq; autoritatis,qualitatis aut cõditionis fuerint, aut quacunque auctoritate aut potestate utantur,etiamsi sint præsides, consiliarii provinciæ,aut alii officiales provinciæ, sive *Burgamagistri, Scabini*,aut de magistratu loci, ad præstandum solenne juramentum,de dicendâ veritate super interrogandis,& deponendo ea,quæ verè sciunt & finaliter,si sciant aliquos hæresi infectos,aut de ea vehementer suspectos.

Et si aliquos offendant, qui in testimonio reddendo sint difficiles, aut deponere omninò recusent,illos admonebunt, quòd si eorum monitis non obediunt, notabuntur tamquam fautores hæreticorum, procedentq; contra illos tanquam fautores hæreticorum in formâ Juris: aut poterunt illis mandare,sub certis pœnis pecuniariis pro eorum arbitrio moderantis, ut deponant,&nisi obedierint,vult sua Majestas, hujusmodi pœnas irremissibiliter exigi.

Et si aliqui pertinaciter,non formidantes pœnam pecuniariam,in suâ recusatione persistant,nolentes coram inquisitoribus deponere, si *Laici* fuerint, ut fautores hæreticorum punientur pœnâ in edictis Cæsariis contentâ: si verò Ecclesiastici, procedent contra eos dicti Inquisitores, prout ipsis justum,& æqvum videbitur.

618. Vult Cæsarea Majestas,&mandat omnibus &singulis præsidibus,consiliariis,&judicibus baillivis,majoribus *Sculteti*s, ac generaliter omnibus suis officialibus, omnibus Magistratibus & subditis suis, ut in tam sanctâ &,piâ *Inquisitione* præfatis Inquisitoribus,Notario,aliisq; suis officiariis & familiaribus assistant, omnemque favorem & auxilium præstent, quoties requisiti fuerint,omnemq; diligentiam adhibeant,ne dicti inquisitores, Notarii aliiq; sui officiati, & familiares aliquâ injuriâ reali aut verbali afficiantur. *Et* si aliquos contra illos murmurantes invenerint, eos apprehendant,& severè puniant, in exemplum aliorum, sub pœnâ indictâ contra Fautores Hæreticorum,quam incurrent,si notabiliter negligentes in hoc deprehendantur.

Si dictis Commissariis seu Inquisitoribus,vel alteri eorum per informationem sufficienter constiterit,& plenè probatum fuerit per duos testes, aut alios legitimè, aliquem esse hæreticum, & contravenisse constitutionibus,ordinationibus seu edictis per Cæsarem, ad extirpandas hæreses promulgatis: eo casu ipsi Inquisitores, vel alter eorum reos apprehendi jubebit, ac sub fidâ custodiâ detineri, vel per judicem loci,vel per alios eorum arbitrio assumendos,quibus sua Majestas vult per judices loci,tam suos,quàm suorum vasallorum omnem dari assistentiam.Et si in hoc negligentes, aut difficiles se reddant, punientur pœnâ,contra fautores hæreticorum indictâ.

Ad hunc effectum *Cæs.* Majest. præfatis inquisitoribus tradet literas potentes,quarum vigore dicti judices præmissa omnia facere,& adimplere tenebuntur.

Ac mandavit Consiliis suis supremis,ac provincialibus, ut exemplariter puniant omnes & singulos,qui in præmissis culpabiles aut negligentes invenientur, sicque provideant,ut sua Majestas intelligat, negocium hoc inquisitionis per eos non impediri,sed promoveri,alioquin & in illos animadverti jubebit.

Postquam autem rei apprehensi fuerint, si Ecclesiastici sint, illos ducant sub fidâ custodia ad carceres Concilii provincialis vel ordinarii,ac diœcesis loci,prout commodius eis visum fuerit. In quo loco dicti Inquisitores contra ejusmodi reos procedant juxta tenorem eorum commissionis summatim,& planè sine figura,ac strepitu Judicii,& processu. Et instructi assument secum aliquem, vel aliquos de Consilio Cæsaris,per eos eligendos, ad definiendũ processum,& condemnandum, vel absolvendum reum.*Sic* electi tenebuntur, ad requisitionem Inquisitoris,processum visitare,& suffragia sua conferre ad condemnationem vel absolutionem rei.Quemadmodum & concilium ipsum Provinciale super ejusmodi processum deliberare,& sententiam dicere tenebitur, si ad hoc ab Inquisitore rogetur,& requiratur.

Si verò aliqui in præmissis se præbeant difficiles,aut onus subire recusent, rescribent

bent Inquisitores *R*eginæ,seu Consilio privato,qui taliter providebunt,quòd negotium Inquisitionis per ejusmodi subterfugia non protelerur,neq; differatur.

Quando præfati Inquisitores, seu alter eorum cum consilio aliorum, ex Provinciali aut alio quopiam consilio assumendus declaraverint, aliquem esse degrandandum,& curiæ seculari tradendum: degradatione juxta tenorem Commisſionis Apostolicæ factâ, Consilium Provinciale, vel idem preordinatus Judex loci tenebitur statim,&absq; aliquâ dilatiatione,ej9modi sententiam executioni demandare, prout de jure.

Si verò dicti inquisitores,seu eorum aliquis per suas informationes invenerit, aliquos Laicos contravenisse ordinationib9 Cæs. *M*ajest. illos communicabit alicui ex consilio Cæsaris,in singulis provinciis,per illos ad hoc assumendo,ex cujus relatione, Consilium *P*rovinciale jubebit ejusmodi Laicos apprehendi, & juxta formam edictorum puniri. Ac ut hoc citra aliquod irregularitatis periculum facere libere queant,sedis *A*postolicæ permisſio super hac re expectatur. Interim verò,ubi opus videbitur,ejus loci inquisitores,ad informationes ejusmodi processuri, Consiliū Provinciale,pro aliquo sibi adjungēdo interpellare poterunt. cujus quidem adjuncti id erit officium,diligenter animadvertere, ne quid contra Cæsar. Majest.edicta ac ordinationes commissum comperiatur, ut si quid tale appatuerit, Judici loci,seu Consilio Provinciali, ac procuratori generali eas informationes comunicent, qui juxta edictorum tenorem contra transgressores debitè procedere tenebuntur.

Videbūnt ex informationibus Inquisitores communicatis, ut dictum est, si constiterit,aliquos Laicos suspectos de hæresi, & apertè non probetur, illos edictis Cæs. Majest.contravenisse,tunc inquisitor contra eos procedat juxta formam Juris, usq; ad sententiam diffinitivam,in quâ ferenda utetur consilio alicujus Consiliarii Cæs. Majest.vel alterius periti. vel experti viri, per Consilium Provinciale ad hoc deputandi.

Similiter ubi Judices seculares per processum coram eis factum contra accusatos de contraventione edictorum Cæsareæ Majest.invenerint,accusatos non sufficienter convictos ad subeundam pœnam, in edictis contemtam,alios tamen suspectos, aut hæresi vehementer diffamatos, vel aliquâ pœnâ, à Jure communi statuta puniendos,tunc processum comunicabunt inquisitori,ut consideret,si contra illos ulteriùs erit procedendum, & eo casu absolvendo ab instantiâ Judicii secularis,remittent ad Inquisitorem.

Vetat etiam Cæs. *M*ajest. ac inhibet omnibus consiliis Provincialibus, sub pœnâ suæ indignationis,ne suis mandatis,aut literis processus vel informationis inquisitoris, aut Juris memorati aliquo modo resistatur. p. 619

Sed si quæ difficultas inter consilium Provinciale & Inquisitores seu Inquisitorem oriatur, *R*eginæ rescribatur, quæ pro qualitate negocii providebit.

Similiter non vult sua Majestas, ut Inquisitores aliquo modo in exercitio commisſionum suarum per ordinarios loci, seu eorum officiales impediantur,contra quos nisi omnes obediant, secundum censuras Ecclesiasticas juxta tenorem literarū Apostolicarum procedere poterunt, & si necesse fuerit, Regina illis omnem præstabit operam,favorem,& auxilium,ne negocium tam pium sub hoc prætextu differatur. Vicissim & Inquisitores non debent aliquo modo impedire ordinarios,seu eorum officiales,in processibus per eos inchoatis, aut inchoandis.

Si inquisitores unius Provinciæ, seu alter eorum per suas informationes invenerit,aliquos deferri hæreticos alterius Provinciæ,statim hoc significabit Inquisitoribus,seu Inquisitori provinciæ,in quâ habitat taliter delatus, & transmittet copiam hujusmodi informationis manu Notarii signatam,ut dictus inquisitor contra delatum procedat modo & forma præscriptis.

Item præfati Inquisitores,& Commissarii,in visitatione *P*rovinciæ diligenter inquirent de curatis,si boni,& sinceri, & Catholici fuerint,&si invenerint aliquos mercenarios,seu vicecuratos, qui aliquando religiosi fuerint, [illegible] eorum habitu curas administrant,illos amoveri, & alios in illorum locum subrogari,à Judice *E*cclesiastico obtinebunt.

Si verò inveniant aliquos curatos, concubinarios notatos,aut scandalosè viventes,aut planè indoctos & inidoneos, illos deferent *E*piscopo,& suis officialibus, illos admonendo suis literis, [illegible] curis. De idoneis,doctis, & probis curatis provideant,reservatâ nihilominùs cuiq; suâ collatione & præsentatione, destituendo notatos cōncubinarios, aut scandalosè viventes,seu alios planè indoctos. Et nisi Episcopi,& sui officiales eorum monitis obediāt, *R*eginæ significabunt.

*P*ræfati inquisitores & inquirent de libris,qui venduntur per *B*ibliopolas, aut imprimuntur in locis provinciæ eis destinatæ,si aliquos habeant damnatos, aut suspectos,&similiter de tota cōversatione,& fama impressorum,&*B*ibliopolarum, Et si quid in his corrigendū invenerint, cōsilio magistratus loci,aut consilii *P*rovincialis corrigant.

gant, & si aliquod illis fiat obstaculum, reginæ indicabunt.

Item hoc præcipuè laborabunt dicti inquisitores, ne hoc negotiū tam pium, quod est difficile, reddant impossibile, neq; nimis conniveant. Primò remedium adhibeant in his, quæ fine periculo religionis, & incommodo Reipub. tolerari non possunt, tantamq; adhibeant diligentiam, ut omnibus persuadeant, se non, quæ sua, sed quæ Christi sunt, quærere, hoc solùm conantes, ut hæ ditiones inferioris Germaniæ ab omni errore purgentur, omnesq; ab hæresi serventur.

Ut autem negotium hoc Inquisitionis meliùs procedat, vult sua Cæs. Majest. ut dictis inquisitoribus, & suis officialibus de competenti salario suis impensis provideatur. Quantum verò attinet ad expensas apprehensionis, & captivorum, illæ solventur per Judices loci, qui reos apprehendāt, qui illis restituentur in rationibus suis, quas singulis annis reddere tenentur, & in hoc per literas rationalium illis providebitur sic.

Signatum Charles, & subscriptum; sic ordinatum per suam Majestatem, Bruxellis, ultimâ die Maji, Anno 1550. & signatum Vorrecken.

Quæstiones, de quibus inquisitores in Inferiori Germaniâ Christianos examinant.

1. *An* credat, jure divino licitum esse, præstare juramentum?

2. An credat, jure divino se obligari per juramentum, dicere veritatem super proponendis?

3. An credat, hanc solam esse Ecclesiam Catholicâm, in quâ est unanimis & communis professio doctrinæ *Evangelicæ* & *Apostolicæ*, secundum intellectum & expositionem S. Patrum, & dijudicationem & determinationem generalium Conciliorum ab Ecclesia receptorum, & in quâ est administratio *Sacramentorum*, secundum Catholicam traditionem, in Ecclesiâ occidentali hactenus piè, & laudabiliter observata, quæ non in angulo aliquo orbis terrarum conclusa, sed in unitate doctrinæ, & *Sacramentorum* communione in vinculo pacis diffusa est; & propagata per totum terrarum orbem?

1610. 4. *An* credat, in hac *Ecclesiâ Catholicâ* nos, omnesq; alios esse, qui in hac concordia, communione, & pace, sub obedientia unius summi *Pontificis*, sanctæque sedis Apostolicæ, vivimus?

5. Num putet, diversam *Ecclesiam* esse Lutheranos, seu *Buceranos*, vel horum similes sectarios, qui *Ecclesiam*, quam nos ut *Apostolicam* & Catholicam agnoscimus, execrantur, atq; adeo non Christi, sed Antichristi regnum vocare non verentur?

6. Num sentiat, Justificationem hominis constare eâ solâ fide, quâ quis credit, sibi non imputari peccata propter Christū: An potiùs nobiscum credat, Justificationē esse communicationem Justitiæ Christi, nec solùm ejus imputationem, sed actualē regenerationem, & renovationem mentis per spiritum charitatis, quo demum per fidem accepto, ex injustis justi efficimur, & quæ justa & sancta sunt, operamur, peccatis ex Christi merito condonatis?

7. An credat, quod peccatum Originale per Justificationem quæ fit in Baptismo virtute Sacramenti, non tantùm tegatur, sed & tegendo auferatur, & dissolvatur, ut verum sit dicere: *Omni peccato caret jam Baptizatus, est mundus totus?* Vel è diverso existimet, peccatum hoc realiter adhuc in *Baptizato* superesse, hoc est, concupiscētiā, quæ manet in renatis post Baptismum, non tantùm fomitem esse peccati, sed reverâ peccatum, tale, tantumque, quod suâ naturâ omnes pariter, tam infantes Baptizatos, quàm adultos damnaret (etiamsi nullus postea accedat assensus) nisi non imputaretur, pro qua etiam non imputatione à Baptismo continuè orandum sit?

8. An credat, Liberum Arbitrium peccato primi hominis oppressum, per renovationem, quæ in Christo est, in *Baptismo* verè liberari ita, ut sic præventum à Deo per gratiam, quæ est in Christo Iesu, exinde tam in ipsa Iustificatione; quàm in bonis operibus, tamquam partiale agens concurrat, & cooperetur *Deo*, & eâ ratione, cum gratiâ Dei, causa meritorum fiat?

9. *An* credat, Baptisatum, assistente & adjuvante gratiâ, posse facere vel implere mandata Dei, secundum eam rationem impletionis, quam exigit à nobis Deus, quàm diu sumus in hoc mortali corporis tabernaculo?

10. *An* credat, hominem renatum, & adultum per observationem mandatorum seu bonis operibus, ex fide, & *Dilectione* Dei factis, promereri regnum cœlorum?

11. An credat, hominem propter opera mala condemnandum esse ad ignem æternum, etiamsi habeat tantam fidem, quâ & prophetare, & Dæmones ejicere, & montes transferre possit, nedum eam, quâ credunt sibi remissa peccata propter Christum?

12. An credat, hominem tantisper manere in morte, quàm diu fides ejus non vivificatur, vel accenditur per charitatem?

13. An credat, Septem esse Sacramenta Ecclesiæ, videlicet Sacramentum *Baptismi*, *Sacramentum* confirmationis, *Sacramentum* *Eucharistiæ*, *Sacramentum Pœnitētiæ*, *Sacramētum* ordinis, *Sacramentum* Matrimonii, & Sacramentum extremæ unctionis

infirmorum: & quod hæc Sacramenta cōferant gratiam suscipienti, non ponenti obicem?

14. Vel an è diverso credat, tantùm duo esse Sacramenta: *Baptismum*, & Eucharistiam?

15. *An* credat, differre Baptismum Christi à Baptismo Johannis, & quomodo?

16. An credat, in *Administratione* Baptismi adhibendas esse solennes orationes & Ceremonias Ecclesiasticas; quales sunt Exorcizatio, & Exufflatio Diaboli, crebra crucis impressio, manus impositio, datio consecrati salis, apertio aurium, & narium cum salinâ, unctio tam ante, quàm post Baptismum, consecratio *Baptismi* more solenni, abrenuntiatio, & professio fidei per susceptores, non suo, sed infantis nomine; & impositio albæ vestis. Et quod has Ceremonias extra tempus necessitatis contemtim omittens, Schismaticus censendus sit?

17. An credat, usum Chrismatis esse de necessitate *Sacramenti* Confirmationis; illudque successisse in locum corporalis descensionis S. Sancti, post tempora Apostolorum, & *Apostolicâ* traditione?

18. An credat, administrationem hujus *Sacramenti* solis Episcopis esse reservatam?

19. An credat, virtute hujus *Sacramenti* infantibus, vel aliis confirmatis conferri virtutem constantiæ professionis fidei, patientiæ in tribulationibus, & robur vincendi astus Diaboli, & perseverandi in bonis operibus?

20. An credat, in Eucharistiæ *Sacramento* sub qualibet specie, esse verum corpus, & verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi: Substantiam panis, & vini aquâ mixti, in corpus & sanguinem Christi, virtute verborum consecrationis transsubstantiari?

21. *An* credat, veritatem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistiâ esse permanentem, & non in solo usu, sicut Baptismi Sacramentum, consistere. Et propterea posse nos, & debere hoc Sacramentum pro infirmis reservare, & in eo Christum præsentialiter se illis exhibentem, adorare?

22. An credat, hoc sacramentum sine gravi scelere alibi posse confici, quàm in locis consecratis, & ad hoc ritè adornatis, seu ab aliis, quàm à Sacerdotibus jejuniis, idemque *Sacramentum* post factam consecrationem sumentibus?

23. *An* credat, Laicis ad salutem sufficere communionem sub unâ tantùm specie, ut sub quâ reverâ continetur totus Christus?

p. 621. 24. *An* credat, *Missam* esse sacrificium novæ legis, in quâ non solùm conficiatur, sed & *Deo Patri* repræsentativè offeratur, non cruento quidem, sed incruento, & commemorativo sacrificio, corpus, & sanguis filii sui, tam pro vivis, quàm pro defunctis?

25. *An* credat, Lutheranos, ac *Bucera*nos hoc Sacramentum extra communionem Ecclesiæ Catholicæ, omisso sacro *Missæ* canone; in quo forma consecrationis Ecclesiæ continetur, posse conficere?

26. *An* credat, in canone Missæ, pro *Romanæ* Ecclesiæ Catholicæ summo *Pontifice* orandum esse?

27. *An* credat, in eodem habendam esse memoriam sanctorum, qui cum Christo vivunt, & in eorum communione vota nostra reddenda esse Deo?

28. *An* credat, Sanctos cum Christo regnantes, non solùm in hac vitâ imitatione, sed laudis quoque & honoris exhibitione, & meritorum, & intercessionis pro nobis apud Deum attributione; & ut Deum pro nobis orent; imploratione invocandos esse?

29. *An* credat, hoc Altaris sacrificium, adhæc orationes, & eleemosynas fidelium prodesse defunctis, qui fideles decesserunt; ad purgationem macularum, in hâc vitâ contractarum, & ante obitum nondum satis expiatarum, & pro absolutione pœnarum temporalium?

30. An credat, post hanc mortem, talem aliquem esse ignem, in quo ejusmodi fideles animæ purgentur?

31. An credat, tres esse integrales partes pœnitentiæ, relapsorum in crimina post *Baptismum*: videlicet, Contricionem, Cōfessionem sacramentalem, & satisfactionem, ad remisfionem pœnæ & culpæ necessarias?

32. An credat, enumerationem criminum saltem lethalium, & eorum, quæ angunt conscientiam, necessariam esse in confessione *Sacramentali*, quæ fit, & fieri debet Sacerdoti, modò haberi possit ejus copia?

33. An credat, satisfactione Ecclesiasticâ mederi reliquis peccatis, mitigari, seu tolli pœnas temporales, & Ecclesiæ legi satisfieri, & propterea eam necessariam esse lapso post *Baptismum*?

34. An credat, ordinem in Ecclesiâ esse Sacramentum, ita, quòd ille, qui non est ordinatus secundum ritum Ecclesiæ Catholicæ, per suum proprium, vel alium Catholicum Episcopum, de proprii Episcopi consensu, non possit efficaciter in Ecclesiâ Sacramenta Ecclesiastica ministrare, nec alia ministeria Ecclesiæ salubriter obire?

35. An credat, S. Petrum fuisse principem *Apostolorum*, & Christi vicarium, & *Romanæ Catholicæ Ecclesiæ* summum Pontificem, & tales quoque censendos esse, qui ei canonicè in cathedrâ suâ successerunt, & succedunt, quamvis sint longè inferiores merito?

36. An

36. An credat, à tali Pontificis obediẽtiâ (exceptâ causa hæresis sive schismatis) posse recedi?

38. An credat, Matrimonium esse Sacramentum Ecclesiæ, & indissolubile vinculum unius viri, & unius uxoris, & eum, qui priori uxori, antequam ea morte decedat, aliam super induerit, adulterum esse, etiãsi ex causâ fornicationis dimissa sit?

38. An credat, Matrimonium clandestinè contractum, accedente contrahentis assensu, coram Deo verum Matrimonium esse, ita quòd tali matrimonio fraudem faciens, adulter censendus sit?

Imp. Carolo 5. Pp. Julio 3.

De eadem.

Mediolanum, Neapolis, & Veneti inquisitionem Hispanicam recipere recusárunt ut etiam Antwerpienses: quod quidem Papa ægrè tulit, sed Carolus quintus cogere illos noluit: Quod est notatu dignum.

Quæritur, an sciant inquisitores, subditos laicos (cum adeò multos interimant subinde, qui vel leviter hallucinantur aut ambigunt) etiam tam perspicuè doceri de his omnibus articulis, de quibus tam durã ab eis requiritur ratio, cum pleriq; ipsorũ doctores, monachi & pfaffi, tam sint veræ doctrinæ & pietatis rudes, ut hodierni Jesuitæ (præstantiores illi, si diis placet; pingendæ & fingendæ meretricis Romano Babyloniæ artifices) ipsorum ignorantiã & inertiam publicè detestentur & exsecrentur?

Natalis Comes.

1550. In sua historia scribit, quòd cladem Gallorum factam ad S. Quintinum in quâ Conestablius, Mompenserius, Mareschalcus S. Andreæ, Reingrafius Lansaccius, & ferè bis mille nobiles capti & interfecti sunt, multò antè prædixerit Michaël Nostrodanus, rerum Astronomicarum peritissimus; cum multis inde secutis calamitatibus, in quodam prognostico.

p. 611. Neque enim tam fallax existimari debet, ut assolet, prædicto, quæ à peritissimis fit astrorum, cum DEUS optimus rerum omnium moderator, non ita occultas esse aliquando imminentes calamitates, voluerit, ut eas devitare non possimus, si expergiscamur. Sed propter inscitiam ferimur plerumq;, tanquam prono alveo fluminis, neque studemus per sapientiam viribus Astrorum resistere. Nam profectò facilius est Sapienti prævisum, quàm ignoratum periculum devitare, cum imprudentia contra; & inscitia periculi devitandi ipsa propè sit necessitas. Clar. Imp. Carol. 5. Pp. Julio 3.

Idem. In Svetia, cum magna exorta esset annonæ penuria, Richberger vir opulentus & dives, sed ingenio crudeli & avaro, qui nihil sanctum aut admirabile præter opulentiam existimabat; quoquo modo illa compararetur, propter suam avaritiam mirandum, ac semper memorabile exemplum posteris reliquit, cum per illud pateat, neminem avarum non esse Dei adversarium, & hostem. Plurimum enim dissentit à natura; & à divinis institutis suarum facultatum nimis esse tenacem, cum viri boni non possessores simpliciter, sed villici DEI reipsa sint.

Hic cum magnam haberet copiam frumenti, atque res illuc esset redacta, ut necessariò ab illo emendum esset, cœpit non vendere nisi magno precio. Inops civis multis filiis gravatus, vix collecto dimidio precii, rogat concedi frumentum, reliquã partem pretii brevi se daturum, pollicetur. Proponit periculum familiæ suæ ex inedia: vanæ fiunt preces: missus est servus in horreum paulò pòst alia de causa, patefacta porta, visi sunt bini boves nigri vesci frumento: rem defert ad dominum, moritur nuntius, alius spectatum missus, refert, sues etiam accessisse, ac moritur.

Accedit dominus ipse damni magnitudine territus, non audet portam aperire, sed spectat per rimas: visis multis animalibus variis generis vescentibus: ita furore corripitur, ut necessariò conjectus sit in vincula.

Iodocus Dambouderius in praxi crim. cap. 61. num. 64. & seqq. 1550.

Simoniacum intellige illum, qui Sacramenta Ecclesiastica, beneficia, prælaturas, atque reliquas dignitates Ecclesiasticas mercatur aut vendit. Et huic Simoniæ vitio nostris temporibus multos (quòd jure deplorandum) illaqueatos conspicimus: quoniam & temporale & spirituale hodie venalitati expositum est, ut inquit Antho. in c. tuam Col. 3. de ætat. & qualit.

Papa tamen non dicitur committere Simoniam, si confert beneficia vel dignitates, acceptâ pecunia: Bart. in l. Barbarius, 3. Col. ff. de offic. prætor. in repet. Ubi dicit, rationem esse, quia Papatus est Apostolatus, & aut sanctum facit, aut sanctum recipit: quod est notandum contra rabidè latrantes adversus sedem Apostolicam: quibus non est licitum apponere os in cœlum; sed LICITUM est Papæ æquare quadrata rotundis c. cuncta per mundum, & c. principalem 9. q. 3.

Ludovicus ab Avila, & Anatolius Desbarres. 1550.

Interfuit ille bellis ab Imp. Carolo V. gestis, & Germanicè ea descripsit. Hic verò li-

librum de immortalitate Caroli edidit. Extollunt autem bellum suum, & dicunt, Julium Cæsarem novem annis subjecisse sibi Gallos: & Carolum Magnum 30. annis Saxones: Hunc autem Carolum unico anno, non solùm totam Germaniam subjugasse: sed etiam Ecclesiam, ac religionem pacatam reddidisse.

Risit etiam *Avila* Germanicam simplicitatem in Landgrafio Hassiæ, quòd non animadvertit, nec perpendit Ducis *Albani* astutias in obligatione & cautione ipsi data *Perpetui*, vel *Nullius* carceris: ut & olim *Bellisarius Gilimero* Regi Vandalorum capto promiserat: ferreis catenis ligatum non ducturum: aureis autem duxit: de quo Ægidius Perrinus *Arremarensis* in vita Justiniani Imperatoris. Sed stultè risit & *Albanus* & *Avila*: non enim respexit ad finē, nec quónam successu gesta sint ista, intellexit: scilicet quòd Electores, Duces, & Principes, atque civitates Germaniæ: tametsi quingentis magnis tormentis bellicis, (quæ in Mediolanum, Neapolim, Belgiam & Hispaniam delata sunt) & decies sexies centenis aureorum millibus, hoc est, armamentariis & loculis nonnihil, & pro tempore ab Hispanico isto *Albano* (quem ad perdendam Germaniam natum fuisse dicere possis) emuncti fuerint: tamen invictos contra hostes animis & religione perstitisse. *At* vicissim hoc probè notent, quis terror panicꝰ sanctissimos patres Tridento: & ipsum Albanum Oeniponte tam miserè aufugere compulerit: item, quare tanquam versipellis Hispanus, tam stupidus, tam incautus, tamque improvidus fuerit, ut crediderit, *Mauritium*, quando Oe-
p. 623. niponti sibi, & Tridenti pro Theologis suis diversoria parari jusserat, porpterea eò perventurum submissurum se illius jugo, & deserturum religionis & libertatis Germanicæ susceptum patrocinium!

Item, si tantæ sagacitatis fuit ille venaticus canis, cur subodorari non potuit formulam pacificationis Magdeburgicæ, seorsim aliter conceptam (nam clanculùm illis de religione cautum fuerat) & aliis deinde verbis publicatam? Nec non & legiones militares *Magdeburgicas* dimissas quidem, sed statim iterum tectis consiliis conscriptas, & Gallum cum ingenti exercitu adductum: de his omninò nihil.

Ex illis ergò & aliis, qui reticentur, laus & gratia Deo Opt. Max, fit planum, salvam adhuc esse Germaniæ hodie religionem, vicisse Evangelii veritatem, intemeratam manere illius libertatem, fusum & confusum autorem ejus belli *Papam*, aurǫꝗ; corruptum Albanum: ideoque multo splendidius post, quàm ante bellum, effloruisse, & adhuc florere, firmasꝗ; indies magis magisꝗ; acquirere vires cum religionem, tum laudabiles ipsorum immunitates.

Unum est, quod ex libro *Avilæ* capere possunt emolumentum podagrici. Scribit enim, Imp. Carolum V. podagrâ vehementissimè afflictū, tantùm radice Chinâ usum esse, quòd eam ad hunc morbum præsentissimum remedium sæpe esset expertus. Curatur quoque Podagra secundum Ol. Magnum, sanguine columbæ, & vulpeculæ pelle calida detracta, & pedibus circumligata. Sicut etiam cerebrum ejus infanti sæpe datum nunquàm caducum eum facit. Aquas calidas circa urbem Ticinum scaturientes, valdè utiles podagræ dicit *Cassiodorus* lib. 10. Imp. & Pp. V. *S.*

Alvearium Examinis Pontificii *part. 1. cap. 1.*

Antonius Legatus Pyranensis dixit: Hominibus non concedendum esse, ut *Epistolas Pauli* legant. Multos enim scio (ajebat) qui ex solis Paulinis *Epistolis* Lutherani effecti sunt: velut nuper Herbipolensi Ecclesiastæ Joanni Sylvano Athesino cōtigit, ut ipse in suâ confessione typis excusam confitetur, se in *Paulo* reperisse, doctrinam papisticam & religionem (quam ipse diu exercuerat) falsam & *Antichristicam* esse. Ideoque Regius Gallicus Aristarchus, eum Lugduni novem ob *Lutheranismum* exussisset, publicè dixit: *Si Ecclesia Sanct.* *Pauli* Epistolas non recepisset, nec inter canonicas retulisset: pluris profectò illas non facerem ac *AEsopi* fabulas.

Mersburgensis *Cancellarius* quoque dicebat: Paulum non esse *Evangelicum*: diversis enim verbis uti ab Evangelio, ideoꝗ; diversa esse *Evangelium* & Pauli dogmata. *Ante* sedecim annos Papa monachum & Doctorem Joan. Montilinum *Romæ* exuri, jussit eò, quòd Bononiæ S. Pauli *Epistolas* publicè docuerat, & explicaverat. In *Anhaltino* Ducatu, Dessanii in suggesto templi summi *Paulus* appictus est, & post eum nuncius *Pontificius*, in suis tesseris claves Petri gerens, & qui S. Paulo eminus epistolam quorundam Cardinalium sigillo munitam tradit, interrogans quasi *S.* Paulum, serione ea dicta sint, quæ ad Romanos scripserat, an verò ipsos propriè in eâ epistolâ subintelligi velit?

Scitum est etiam illud *Episcopi* dicentis: scitisné, quid ego cum Epistolis *Pauli* agerem, si eas solus haberem? sub rosâ dictum sit: in ignem eas conjicerem, Ehem tunc dirutum omne Lutheranorum armamentarium jaceret!

Idem, Hispani, deliciæ ac primogeniti

Papæ,

Papæ, cum non ita dudum Gröningam Frisiæ venissent, vexilla seu signa sua baptizata Chrismate inungi, adjurari, consecrari & benedici curaverunt, & aliud *Barbaram*, alud Catharinam; & sic deinceps nominarunt.

Idem. Nobilis quædam fæmina Hispana, nomine signora Maria Osorio, à Papa Paulo 3. facultatem consecuta est, pro se & duodecim sui generis personis, Corollas precatorias consecrandi & benedicendi. Virtutem autem hanc habebant illi preculares globuli: nempe si unicum *Pater noster* super iis demurmurabatur, licet sine omni devotione & religione, impetrabatur tamen remissio tertiæ partis peccatorum: idcirco etiam orichalco illa granula incrustabantur, inq; templa suspendebantur, eorumq; jam dictam virtutem expressis verbis appingebant, uti adhuc hodie videre est, quando vulgus coram iis in genua procumbit, & manus super granula tenens, sic ad remissionem peccatorum suorum corollas suas dinumerat.

Idem. Apostata *Staphylus* cum *Romæ* beneficium seu præbendam opimam ambiret: Cardinales ei proponebant, eum non esse dispositum & habilem ad capessenda beneficia eo, quod conjugem haberet: tum ille respondit: *Apud* Lutheranos erat mea conjux, apud vos sit mea concubina. En hic apparent *Lutheranæ* fœminæ, quomodo in meretrices commigerent. Hinc Lutheri dictum: si non vult mulier, veniat ancilla, planum & liquidum fit.

1524. Idem. Pius 4. coëmto pontificatu, hoc elogium per pasquillum merebatur: Impius es tu, *Pater* tuus latro est, *Mater* tua meretrix, quomodo huc intrasti? Hanc ob causam, ut impietatis maculam abstergeret, pium se vocari voluit. Deperibat a. non solum *Romanas* meretrices & curtisanas, sed etiam aliorum conjuges ita, ut in extremo vitæ actu, præter publicum scortum seu curtisanam, *Romani* cujusdam nobilis Papirij Capizuechi conjugem in suam libidinem aleret: vescebatur plerunque ostreis, & vinum bibebat fortissimum, quod vocabat Mangeguerram, ad excitandem erga eam libidinem.

Sed cum nihil proficeret, ita ut curtisanæ eum tanquam impotentem amatorem palam naso suspenderent, & videret, sibi in amore Cardinalem de monte Innocentium, Julij tertij olim ganymedem præponi: publice eas in custodiam conjecit: attamen paulo post ex abundanti amore, & misericordia eas rursus dimisit: & cum præpostera venere se in eis defatigasset: & nihilominus insuper nobilem illam supra dictam fœminam comprimere quoq; vellet, vespere aliquo ostrea comedebat plurima, vinumq; suum *Mangeguerram* bibebat: & ubi se ita in venerem excitasset, cubile cum ea conscendit: de quo postmodum, proh Deum, non surrexit: sed mortuus efferebatur: unde Epithaphium ei tale.

La Donne, Lumagi & Mangaiguerra
M'hanno levato dalla sedia, & posto in terra.

Idem. Abbas quidam interrogatus, cujus Papa esset partis orationis? respondit: *Participii* partis: quia partem capit à clero, partem à seculari, partem ab utroque, cum totius orbis doloris significatione, sine modis & temporibus.

Ostentosum. 1551.

Anno 1551. Bernoburgi Saxoniæ in quodam templo signum crucifixi admodum cœpit fluere sanguine inter concionem, ita ut guttulæ ad terram delapsæ sint. Cum vero accederet quispiam, & conscenderet per scalam, & abstergeret cruorem linteo, vehementius coepit ex omni parte sanguinem emittere. Cumq; hoc quatuor jam horas durasset, deponebatur tandem, & perspiciebatur, an non dolo illud, vel quadam arte præstigiosa sic se haberet. Verum nihil fraudis subesse deprehendebatur, ideoq; in *Sacristiam* deportatum est, & sic sanguis effluere cessavit. Neq; ante, neq; postmodum etiam ullum tale miraculum prodidit lignum. Hondorp.

Ioannes Vasæus in Chron. Hispaniæ, de Episcopo quodam glorioso. 1551.

Sæpe, inquit, coecis visum restitui, & surdis auditum. Quin & nunc satisfacere expectationi tuæ queam. *Mox* hæreticum quendam decem aureis corruptum clam subornavit, ut in itinere, quo *Regi* transeundum erat, clausis oculis residens, *Episcopi* opem imploraret, ut in virtute, fidei suæ perditum lumen misero restitueret. Quod cum ille ex composito fecisset, Episcopus cum magna arrogantia manus oculis eius imponens ait: secundum fidem meam fiat tibi.

Vix dum hæc dixerat *Episcopus*, cum oculi infelicis hominis ita obserati sunt cum grevi dolore, ut non solum visum penitus amiserit, verum etiam dolum quem avaritia impellente confinxerat, evulgaverit, Imp. & Pp. V. S.

Ex Tomis conciliorum. 1551.

Ad Bonifacium Zacharias quasdam scripsit Epistolas, in quibus etiam nonnullæ constitutiones & Decreta pontificalia reperiuntur. Sed & *Bonifacius* conqueritatur magnopere, *Ecclesiastas* Galliæ omnino verecundiæ & religionis limites excessisse, vocat eos scortatores, adulteros, bellatores, latrones, venatores, heluones: plurimos eorum habere quatuor aut

aut quinque secum scorta seu meretrices: adeoq; impiissimam ipsus degere vitam.

Ideoque (addit) conscripsi Synodum ex permissu & jussu Carolomanni, quo omnia restituantur integritati & pristino ordini. nam in 70. vel 80. annis nullum hactenus habitum est concilium: ideoq; tanta vitiorum & flagitiorum seges succrevit, & ejusmodi ἀταξία invaluit.

Idem Bonifacius etiam dolet, & tædet eum, tam multos sua peccata & scelera hoc prætextu, quod indulgentias acceperint Romæ, excusare.

Ibidem. Ioannes 23. Pp. negavit, animas esse immortales, verbis seqq. *Dominus* Joannes *Pp*, sæpe, & sæpius diversis prælatis & aliis honestis & probis viris, pertinaciter

p. 625. (Diabolo suadente) dixit, asseveravit, dogmatizavit, & astruxit: Vitam æternam non esse, neq; aliam post hanc: quin imo dixit, & pertinaciter credidit: animam hominis cum corpore humano mori & extingui, ad instar animalium brutorum: dixitq; mortuum semel etiam in novissimo die minime resurrecturum. Hinc ibidem Diabolus incarnatus vocatur.

Dicitur etiam pag. 395. 6. synod. Constantin. Honorium *Papam* incidisse in sectam *Monothelitarum.* Imp. & *Papa* ut sup.

Ibidem. Constantinus, cum Nicenam ingrederetur synodum, jussus & rogatus fuit ab Episcopis, ut primam sedem occuparet. Quid hodie Papa, & liber Ceremoniarum jubet? scilicet, ut Imperatori sit locus circa pedes Papæ. Vide ibi.

Idem etiam notandum, quod reperitur, Ecclesiasticis etiam Laicos tunc temporis in concilijs adjunctos fuisse.

1550. *Augustinus Steuchus Bibliothecarius Papæ.*

In libro de donatione Constantini, impresso Lugduni anno 1547. in hanc sententiam ait: ut totius Occidentis, hoc est, Italiæ, *Siciliæ*, Sardiniæ, Galliæ, Hispaniæ, *Angliæ*, Germaniæ imperium sit penes *Papam Romanum*: eoq; nomine pari ornatu, paique adeo majori dignitate, majestate, imperio & potestate præditus sit, atque ipse Constantinus fuerat: comitatum etiã equitum consimilem habeat: usque eo, ut ei in equo sedenti *Imperator* aliquantisper pedissequi operam præstet, & ipsius equi frenum tenens aliquandiu eum assectetur.

De Germanico Imperio Papæ subjecto vide etiam *Cujacium* de *Imp.* cap. 7. Non solum enim Papa, sede vacante, imperat, sed & ipsum vivum Imperatorem judicat. Egn. *Rodol.* Sigo. ult. de reb. Ital. *Alc.* 4. cons. 17. *Et* refert Albericus Gentilis I. C. Professor regius tractatu de jure belli.

Idem. Regna *Angliæ*, Hyberniæ, *Arragoniæ*, Sardaniæ, Dalmatiæ, Daniæ, Franciæ, Hispaniæ, Vngariæ, Poloniæ, Rusciæ, Siciliæ, & *Scotiæ*, qualiter Papæ subjecta sint, refert Blondus lib. 6. dec. 2. *Anton.* Hist. parte 3. tit. 19. Nicol. Gilius. Et apud Canonistas c. tibi domino. dist. 63 Imperator Papæ Vasallus est, nam præstat juramentum Papæ, quod contendunt esse fidelitatis, c. de jurejur. in *Clem.* & exinde Imperatorem Papæ esse Vasallum.

Ibidem de regno Hungariæ. Gregorius *Episcopus*, servus S. Dei, dilecto filio Salomoni, Regi Hungariæ salutem. Sicut à majoribus patriæ cognoscere potes, regnum Hungariæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à rege Stephano olim *B. Petro*, cum omni jure ac potestate sua, oblatum & devote traditum.

Et mox idem Grogorius ad Geusum Hungariæ regem: Notum tibi esse credimus Regnum Hungariæ, sicut & alia nobilissima *Regna*, in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli *Regi* alterius regni subjici, nisi sanctæ & universali matri, *Ecclesiæ* Romæ.

Ibidem, *Regnum* Danorum (inquit) est peculium & vectigal sacrosanctæ *Rom. Ecclesiæ*: quod eadem pontificum vera monimenta testantur. *Alexander* Episcopus *S.S.* D. dilecto filio *Suevi*, *Regi* Danorum salut. & *Apost.* Benedict. Prudentiam tuam monemus, ut censum regni tui, quem antecessores tui sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ persolvere soliti sunt, nobis & successoribus nostris transmittere studeas: ita tamen, ut non sicut oblatio super altare ponatur, sed tam nobis quam successoribus nostris, ut certius approbetur, præsentialiter offeratur.

Idem in nationem Germaniæ invectivam truculentissimam scripsit, quæ passim extat. Titulus libri est: Adversus Lutheranos libri 4. Ait vero in summa, *Germanos* non modo esse totius Italiæ, inprimis vero urbis *Romæ* veteres acerbissimosq; hostes, sed omnis etiam civilitatis, omnis religionis pietatisq; hostes, ac plane feras ac belluas.

Idem in libro 10. de perenni Philosophia quædam de exitio mundi tractat, quæ brevitatis studio omitto.

Ibidem de *Anglico* regno, quod Papæ sit. *Epistola Alexandri* 3. ad *Gulielmum* regem *Angliæ* hæc extat in Bibliotheca Papæ. Novit *Prudentia* tua, *Anglorum* regnum, ex quo nomen Christi ibi glorificatum est, sub Apostolorum principis manu & tutela extitisse. Nam ut bene nosti, Angli fideles erant, & piæ devotionis respectu, ac cognitione religionis, annalem pensionem *Apostolicæ* sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Ecclesiæ S. Mariæ, quæ vocatur schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur.

Ibidem

Ibidem de regno Arragoniæ inquit: Petrus *Rex* Arragoniæ anno tertio D. Innocentii 3. *Papæ* venit *Romam* ad eundem Innocentium, ab eoq; militiam ſolenniter ac honorifice accepit: obtulitque ſponte totum regnum *B.* Petro, & ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ: ibique accipit in feudum prædictum regnum. Itemq; conſtituit, ſe pro regno Sardiniæ certam pecuniæ ſummam daturum.

Ibidem Bonifacius VII. *Philippum* Gallorum regem, quod contra *Eccleſiam* ſeſe extolleret, cum ei pontifex vetera monimenta explicaſſet, quibus doceret, quod *Romanæ Eccleſiæ* & in ſacris & in profanis Gallia ſubeſſet, ex quo neceſſe eſſet, pontificem uti dominum regni ſui e-
626. um venerari & colere: cumq; ille deſpiceret, excommunicavit. Aqud hunc Steuchum de imperio Germanico ſummum eſt ſilentium, propter ſummam (ut credi par eſt) Imperatoris Caroli V. potentiam, quem offendere Steuchus metuebat: ſed aliunde permulta teſtimonia ſuppetunt: primum apud canoniſtas in c. tibi domino. diſt. 6. 3. ubi Imperatoris Othonis jusjurandum continetur Papæ præſtitum, quod Papa Clemēs contendit eſſe jusjurandum fidelitatis, quod Vaſalli feudo accepto ſuis patronis præſtant, in c. de jurejurand. in Clem. Unde Canoniſtæ fortiſſime diſputant ac ratiocinantur, Imperatorem eſſe Papæ vaſallum, & imperium ab eodem feudi nomine teneri.

Sed & Papa *Innocentius III* in cap. Venerabilem, *Extra.* de election. ſcribit, jus eligendi *Imperatoris* ad Principes Germaniæ ab *Apoſtolica* ſede perueniſſe: & cap. 2. de re judic. in VI. *Imperatorem* poſſe à Papa deponi: & in cap. 1. Extra. Ne ſed. vacant. *Papam* vacante imperio *Imperatorem* eſſe.

Ibidem. Regnum item *Ruſſiæ* juris ac diſtrictionis eſſe *Romanæ Eccleſiæ*, priſca monimenta præ ſe ferunt. Gregorius 7. *Regi* & *Reginæ Ruſſiæ* ſcribens, Dilectis, inquit, filijs, *Demetrio* Regi *Ruſſorum*, & *Reginæ* uxori eius ſalutem & *Apoſtolicam* benedictionem. Fili^9 veſter limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, & quod regnum illud dono ſancti Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem beato *Petro* Apoſtolo debita fidelitate exhibita, devotis precibus poſtulavit: indubitanter aſſerens: illam ſuam petitionem noſtro conſenſu ratam fore ac ſtabilem, ſi *Apoſtolicæ* authoritatis gratia ac numine donaretur: cujus petitionibus aſſenſum præbuimus: & regni noſtri gubernacula ex parte *B.* Petri illi tradidimus, ea videlicet intentione charitatis, ut *B.* Petrus vos & regnum veſtrum ſua apud Deum interceſſione defendat.

Ibidem. Gregorius 7. ſcribens *Regibus* ac Principibus Hiſpaniæ, ita de Hiſpania dicit: Vos ſcitis, quod antiquitus *Regnum* Hiſpaniæ eſt *Romanæ* Eccleſiæ.

Et paulo poſt ex regiſtro epiſtolarum ejuſdem *Papæ*, quod in ſua biliotheca religioſe aſſervari affirmat, hanc epiſtolam profert: Gregorius *Epiſcopus* ſervus ſervorum Dei, *Regibus*, Comitibus, cæteriſque principibus Hiſpaniæ ſalutem. Notum fieri vobis volumus, regnum Hiſpaniæ, ex antiquis conſtitutionibus, beato Petro & S. *Romanæ* Eccleſiæ in jus & proprietatem traditum eſſe, & quæ ſequuntur.

Ibidem. De regno Croatiæ & Dalmatiæ in regiſtro Gregorii *VII.* ita legitur. *In* nomine Dom. S. & individuæ Trinitatis, anno Dominicæ incarnationis 1076. indictione quarta, decima menſis Octobr. *Ego* Demetrius, qui & Suinumir nuncupor, Dei gratia Croatiæ Dalmatiæq; Dux, à te D. Gebizo, ex *Apoſtolicæ* ſedis legatione, domini Papæ Gregorij poteſtatem obtinente, in Salontana *Baſilica S* Petri, ſynodali & concordi totius cleri & populi electione, & Croatiorum Dalmatiorumq; regni regimine, per vexillum, enſem, ſceptrum & coronam inveſtitus atq; conſtitutus *Rex*, tibi devoveo & polliceor, me in commutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reverenda injunget ſanctitas, ut in omnibus & per omnia *Apoſtolicæ* ſed fidem ſervem, & quicquid in hoc regno tam *Apoſtolica* ſedes, quam legati ſui ſanxerunt vel ſanxerint, irrevocabiliter cuſtodiam: juſtitiam excolam, Eccleſiam defendam, ducentorum quoq; *Byzantiorum* tributum *S.* Petro per ſingulos annos in reſurrectione Domini, de mihi conceſſo regno perſolvam. Præterea, cum Deo ſervire regnare ſit, vice *B.* Petri, domini noſtri *Papæ* Gregorii, atq; poſt ipſum ſucceſſorum in *Apoſtolica* ſede me manibus committo, & hanc fidelitatem juramento ſtabilio.

Ego, inquam, Demetrius, qui & Suinumir, *Dei* gratia, & Apoſtolicæ ſedis dono, *Rex* ab hac die inantea *S.* Petro, & domino meo *Papæ* Gregorio, & ſuis ſucceſſoribus canonice intrantibus, ero fidelis. *Regnum* autem quod mihi per manum tuam, domine Gebizo, traditur, fideliter retinebo, & illud ſuumque jus Apoſtolicæ ſedi aliquo ingenio aliquando non ſubtraham: dominum meum Papam Gregorium, & ſuos ſucceſſores atq; legatos, ſi in meam poteſtatem venerint, honorifice ſuſcipiam, honeſte tractabo, & remittam, & undequaque me invitaverint, prout potero, ſimpliciter eis ſerviam.

Ex hinc Papæ etiam hoc ſibi regnum arrogant, ut pleraque cætera.

Idem. *De Regno Scotio* Polydorus Virgil. lib. 17. ita ſcribit: Bonifacius interea *Pontifex* à Scotis precibus fatigatus, inter-

interdixit Eduardo Regi, ne amplius posthac Scotos bello vexaret: quod id regnum antea in Romani Pontificis fidem & potestatem à *Scotis* ipsis permissum fuisset. Et ideo asseverabat, sibi soli integrum esse, cuicunq; liberet, dare aut auferre.

Hactenus regna *Christianorum* *Regum* omnia enumeravimus, quæ papa feudi ac beneficij ab se accepti loco teneri ac possideri contendit. Ex quibus singulis atque universis dijudicandum cordatis viris relinquimus, utrumne hæc modesti Ecclesiæ pastoris humilitas esse videatur, tantopere à *Christo* commendata, an potius immanis atque intolerandi *Cyclopis* confidentia? simul ab ijsdem cogitari cupimus, an non ista *Paparum* superbiloquentia ex eodem spiritu profecta sit, unde illa tyranni Neronis oratio à *Seneca* libro de Clementia primo posteritati tradita:

*E*go ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui in terris deorum vice fungerer. Ego vitæ necisque gentibus arbiter. Qualem quisq; sortem statumq; habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat. Ex nostro responso lætitiæ causas populi urbesq; concipiunt. Nulla pars usquam, nisi volente propitioq; me floret: hæc tot millia gladiatorum, quæ potestas mea comprimit, ad nutum meum stringentur. Quas nationes funditus excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumq; capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est.

p. 627.

Idem. Blondus libro 6. Decad. 2. Tunc, inquit, Iohannes Anglorum *Rex*, vires suas Regi Francorum impares fore, veritus, ad Innocentii III. Pontificis Rom. Misericordiam confugit: nam Angliam Hyberniamq; *Romanæ Ecclesiæ* feudatarias ex fœdere constituens, centum auri marcas pro utraq; insula quotannis solvere est pollicitus. Anton. Florent. Histor. part. 3. tit. 19. § 5. *Anno* 1223 Joannes Rex Anglorum sponte, de consilio suorum *Principum*, obtulit ac libere concessit *Deo*, & *Apostolis* eius sanctissimis, *Petro* & Paulo, & *S.* Romanæ *Ecclesiæ*, & D. Papæ innocentio 3. totum *Angliæ Regnum*, & Hyberniæ pariter, cum omnibus juribus & pertinentiis suis: & fecit ac juravit homagium pro dictis *Regnis*, dicto Innocentio Papæ, ut illa de cætero, ut feudatarius, ab ipso *Papa* & successoribus eius teneret. Quod idem Polydorus Virgilius libro 15. commemorat.

Idem. De Regno *S*iciliæ Papa Clemens V. in Clem. pastoralis, de sentent. & re Judic. Non est, inquit silentio relinquendum, quod ipse *Rex Siciliæ*, noster & Ecclesiæ *Romanæ*, ratione regni prædicti, notorie subditus, homoq; ligius & vasallus, in eodem *Regno* continuum habet domicilium.

Hieronymus Mutius Italus.

Hujus librum, inquit Vergerius, contra doctrinam, quam nos tuemur, Julius tertius disertissime approbavit, non aliam ob causam, quam ut Germanorum principum ac liberarum civitatum nomen (quantum in se est) traduceret atq; diffamaret. In quo quidem libro mira est verborum laniena.

Nam postquam miris convitijs divexavit pastores *Ecclesiarum* nostrarum, atq; oves & auditores simul, eosq; nuncupavit ebriosos, adulteros, sacrilegos, seditiosos, contemtores beatæ Virginis, sanctorum, templorum, sacerdotii, rerumq; omnium sacrarum raptores, sentinas, feces, hæreticos, infideles, & qui in Christum non credunt, & quid non? conscendit altius, atque in ipsos sacri imperii principes impurissimo ore invectus, atque in universam adeo nationem, hæc verba effutivit:

Invida Germaniæ natio minime adhuc contenta, quod imperium ipsum magno cum Italiæ præjudicio usurpaverit, ut nos omni gloria & bono privet, ingressa est in hanc phrenesin ac rebellionem.

Et paulo post de eisdem loquens, quos usurpatores imperii appellat, ita inquit: Nec vident ebriosi illi: nam si papatus est nomen inane, *Gregorius* eorum *Papa* non potuit ad eos transferre imperium: quid potest dici truculentius?

*Q*uæso, si Papistæ anxie conducunt manus & calamos suorum adulatorum, qui talia scribant, & ea palam in media Italia typis excudant (certe Mutii liber Venetiis excusus est à Iolito, atq; adeo cum privilegio eius reipublicæ: Cardinalis vero Poli Romæ à *Blodo*) si inquam, Papæ & *Papistæ* hæc sibi putant licere: annon eos pudet queri nunc, & exclamare contra me, qui pauca quædam scripsi? Imp. *Carol.* 5. Papa Iulio 3.

Idem. *Alexander* Papa totam Italiam contra Imperatorem commovit, & juramento, quo Imperatori erant obstricti, omnes absolvit. *Et* novam urbem, quam ex suo nomine Alexandriam appellat, contra Cæsarem ædificat, & munit: Episcopum etiam illuc constituit, & Papiam vicinam pallij dignitate privat. *S*pem Emanueli Imperatori Constantinopolitano de *Occidentis* imperio recuperando fecit, ut pecuniam emungat. Hac pecunia regem Siciliæ, regem Galliæ & omnes principes Italiæ in *I*mperatorem concitat. *I*mperator cum exercitu in Italiam venit, adducto Henrico nepote *Saxone*, cujus maxima pars exercitus erat.

Sed

Sed & hic pecunia à Papa, ut ferebatur; corruptus, relicto Imperatore, in Germaniam reversus est. Imperator cum suo periculo in Germaniam redire conatus, per totum iter sentit structas insidias; ut indutus fuerit habitu servi, & curaverit equos; ut stabularius.

Idem. Cum duo Papæ, Alaxander & Victor, essent electi; Fridericus Imperator utrumq; citat, ut Papiam ad se veniant. Alexander superbe respondit Imperatori; Romanum Pontificem à nemine judicari debere, nec parere Imperatori. Victor autem Papiam accesfit, & omnium consensu Papa declaratus est. Quas ob causas Alexander Fridericum cum suo Pontifice excommunicat: Fridericus vero à suo Pontifice absolutus, non curat fulmen.

Fridericus Nauseæ Blancicampianus Episcopus.

Scripsit Secreta de calamitatibus hujus temporis, & reformanda Ecclesia: & plura alia. Imper. Car. 5. Papa Julio 3.

Hieronymus Garimbertus lib. 5. de vitis Pontificum.

Franciscus Zabarella Cardinalis, is cujus scripta à Jureconsultis summopere probantur, legatus missus à Joanne 23. ad Concilium Constantinense, auctor fuit Joannis è statu dejiciendi; eâ spe, ut ipse voluntate concilij ei succederet. Verum morte præventus, ambitioni & perfidiæ simul satisfecit. Imp. Car. 5. Papa Julio. 3.

Idem lib. 6. Leo decimus Pontifex prodigalissimus fuit in quosuis, indoctos, mociones; venatores, ludiones; coquos. Itaque; ut pares tantæ eluviei opes haberes, undecunque potuit; per fas & nefas bona corrasit.

Matthæus Delius Danus Mathematicus.

Hic constituens in Oenoponte anno Domini 155. Philippo Hispaniarum regi figuram nativitatis, Medico Cæsareo Caroli V. ipsi tempus nativitatis præscribente, & judicium ejus postulante, prædixit ex Marte in secunda retrogrado, & damnato à Luna, Lunaq; ab illo, significare ei paternam substanciam aliquo modo frangi, & cum haberet Solem in domo cadente, diminui potentiam eius, cum maxima visa esset.

Erexit etiam eodem loco & tempore Carolo Philippi regis filio thema, in cujus expositione talia scribit: Hæc figura inchoata est in ipsa conjunctione Luminarium incidencium in tam gravissima loca Eclipsium præcedentis anni ita, ut non debito tempore prodierit infans, & mirum quod ipse una cum matre non perierit: raro enim veniunt ad senectutem, & si vivunt, maximas experiuntur adversitates.

Quidam carent visu, quidam auditu, alij loquela; hic natus: tamen processu temporis mutabitur: non erit tam longæuus quam pater: morietur in adolescentia post directionem Saturni ad ascendentem. Exemplar Schematis etiam invenitur in Bibliotheca Ranzoviana, & aliud etiam extare in Hipania apud regios ministros non est dubium. F. ut sup. Imperat. Carolo. Papa Julio 3.

Huldericus Mutius.

Erant duo Imperatores de Imperio certantes, Otho à Papa confirmatus, Philippus autem excommunicatus. Philippus Papæ favorem ambiens, ad eum Legatos mittit, pro communi pace Ecclesiæ & Reipublicæ statuenda. Papa privatum negocium respiciens, petit, si velit Philippus absolvi, & electionem suam approbari per Apostolicam authoritatem, ut filiam suam nepoti Pontificis matrimonio copulet. Speravit enim Pontifex, ex hoc conjugio Pontificatus honorem tanto majorem futurum, & magnam etiam Italiæ partem ad se redituram. F. Anno Domini 1198.

Idem. Habet Papa sui corporis custodes Germanos, propter insignem fortitudinem; animi magnitudinem, & fidem.

Idem. Feruntur multi inventi sancti viri; qui (relictis, quæ mundi sunt) vacarint contemplationibus & orationibus; mortui mundo, consolationem in spiritu & contemplationibus habentes. Certe, quales fuerint majores nostri, declarant ecclesiarum & monasteriorum ædificia & facultates: Quales fratres olim in monasteriis fuerint, demonstrant bibliothecæ: declarant quoq; eorum institutiones: quas si posteri aliqui eorum non tam prævaricati fuissent, nunquam Dominus eos passus fuisset pervenire in tantum contemtum. Dominus dirigat nos in vias rectas.

Idem. Ioannes Papa cum videret, Imperatores duos propter discordiam non modo non tantum posse, quantum unus in imperio promovendo & defendendo valeret; sed etiam imperium dicordia illorum dilabi, putavit, occasionem se habere suos iuvandi & promovendi ex imperij bonis. Quare quæcunq; potuit sibi vendicare de imperio per Italiam, fecit, deditq; exemplum aliis idem faciendi.

Idem. Cum Conradus intelligeret, quid essent omnes homines Iudicaturi de ingratitudine sua, si palam cum illo armis rem ageret, de dolo & insidiis cogitavit: Ad hanc rem neminem judicavit aptiorem Hattone episcopo Moguntino, quem insidiis fabricandis millean tificem sciebat, & audentem p. 619.

& paratum ad quodvis facinus. Cum illo ergo communicat Conradus consilia sua. Hatto pollicetur nefandam operam, facile se id posse, addens, nam in ea arte erat jam exercitatus.

Occasione igitur quæsita, Hatto invitat Henricum, magnum, nescio quid, inquiens se habere, quod cum illo communicet. Advenientem Henricum ficto vultu læto excipit Hatto latro, in convivio donat illi auream torquem, quæ venenato auro erat facta ita, ut qui semel in collum injiceret, veneni vis penetraret per vestes etiam ad cordis penetralia & brevi necaret, nec nihil manibus tractanti nocuit. Hatto igitur allatam per famulum, manibus medicamine præparatis, in collum injecturus erat lethale donum Henrico, qui per quendam admonitus clanculum, recusavit. Postea ille, qui admonuerat Henricum, soli exponit omnia, & Comitem Albertum tali torque esse sublatum per hunc episcopum.

Hattoni ergo roganti, cur tantopere suum munusculum renueret, respondisse scribitur Henricus, sibi non esse durius collum quam Comiti Alberto. Latrocinio illo ergo Henricus supra modum iratus, cognoverat post, Conradi odio subornatum hunc proditorem. Quamobrem proxima quæque Saxoniæ fines, quæ ad Conradum pertinebant invadit, & suæ ditioni adjicit, nec finem grassandi facit ullum. Hatto se (propter proditionem suam manifestatam, & propter quæ sequebantur mala) mœrore & tristitia conficit, animiq; ægritudine moritur. Quidam multa scribunt, quomodo Satan non modo eius animam, sed & corpus à morte tractaverit. Hæc historia ab aliis historicis quoque aliquoties supra recitata fuit.

Idem. In Germania legatus apostolicus, Raimundus P. yrandus habuit potestatem à summo Pontifice, non solum vivos à peccatis absolvendi, sed etiam mortuos: eius enim pontificium indultum se ad vivos & ad mortuos extendebat. Multi quoque emebant indulgentias.

Idem. Cum forte Argentinæ esset Imp. aliquando, ceremoniæque & preces Sacerdotum illi arriderent, consors eorum regulæ, ut sic loquamur, factus est: sed instituta pro sacerdote, viro probæ vitæ, præbenda, qui regis in sacris esset vicarius, ipse discessit, avocatus publicis imperij negotijs. Et præbenda Argentinæ ad nostram usque ætatem vocata est Regalis.

Idem. Apud Aquisgranum generalem Imperat. habuit synodum ecclesiasticorum & secularium procerum, in qua, de vitijs ex ecclesia tollendis, de reformandis (quæ in deterius labebantur) multis ecclesiasticis rebus & personis, de scholis instituendis, de probandis personis in ministerium ecclesiæ assumendis, de personis in monasteriis alendis, de rationibus tuendæ pacis, de ritibus ecclesiasticis, de psallendo & cantãdo non ore tantum, sed & corde: deque aliis ad societatem & vitam felicem mortalium facientibus, est tractatum.

Idem. Pontifex cum non haberet aliud, quod opponeret furori Friderici I. accepit capita Apostolorum, & portionem sanctissimæ crucis, & in basilica beati Petri, stans in edito loco, præsenti populo Romano & clero ostendit lachrymans, & adhortatur populum oratione affectibus turbatissima, adversus Fridericum hostem principis Apostolorum, filium Satanæ, sic enim vocabat: pollicetur præterea fortiter pugnaturis adversus canem hunc (ut eius verbis utar) præmia vitæ æternæ, & omnino peccatorum plenariam remissionem.

Hanc concionem Romæ habuit Pontifex, cum audiret, Cæsarem appropinquare urbi. Quare hac oratione ad populum habita, & ut videbatur, animis incensis, jubet armari multitudinem, quam venienti Friderico obviam ducit Pontifex. Sed Cæsar Romanos in urbem repulit, multis occisis & captis, captorum alios aliis membris mutilatos in urbem remisit. Clericis coronam in crucis formam vulneravit per primam cutem usq; ad cranium, quibusdam per os cranii.

Idem. Misit Innocentius legatos suos in Germaniam ad Carolum Imperatorem, pro subsidio Cameræ. Quod ut concederet Imperator, multa jura dedit Pontifex illi in ecclesiasticis rebus: verum Imperator solus in ea re neque negare volens, convocavit Moguntiam Principes multos, episcopos Treverensem & Coloniensem, ducem Bavariæ, & ducem Saxoniæ, & alios: quibus congregatis, jussit Imperator apostolicos legatos coram Principibus mandata sua exponere, Episcopus igitur Calvacensis legatus pontificius multis peroravit.

Fine orationis facto, dixit Imparator, se mirari, quo ore audeant tantam pecuniam petere, cum tam male vivant, & nefandis modis dilapident pecunias. Cur non, inquit ad legatum, prius reformatis clerum vestium, & ostenditis vitam Christo sanctisq; eius dignam, ut cord. fidelium piorumque hominum ultro inclinentur ad dandum, etiam si non petatis? Considerate prædecessorum vestrorum vias, quantum abstitis ab illis? Judicium Domini non feret diutius.

Aderat forte canonicus ecclesiæ Moguntinen. nomine Cuno de Falkenstein, cum capitio serico aureis ligaturis intertextos Hoc capitium petit Imperator sibi dari & imponit capiti, suo viliore deposito, & conversus ad præsentes Principes dixit, utrum militi an Sacerdoti similior in hoc capitio videor? Subridebant præsentes omnes, canonicus rubore suffusus, tacuit.

Impe-

Imperator verò severo vultu exorsus est dicere longa oratione de officio clericorum, quòd debeant esse exemplaria gregis, & quantum malorum in totam plebem
1410. emanet ex corruptis moribus sacerdotum rursum docet, quantum bona exempla valeat, prædicit illis, quid futurum sit illis, nisi mutent mores, serviantq; Domino, non ventri: nihil enim stare posse diu, quod nō obit functiones suas à Deo & natura institutas, demonstratque, quomodo sanctè & inculpatè vixerint in monasteriis & collegiis primi patres, quibus benevoli homines facti, tantas facultates in eos contulerunt.

Ubi hanc orationem finivit, ad archiepiscopum converso vultu, graviore voce dixit, domine Archiepiscope, mandamus, qua possumus maxima autoritate, ut clerum vestrum omnem reducatis in viā, quò præsint & ministrent ecclesiæ, ut ædificentur homines, eorumq; vita sit illiteratis liber vivus, in quo discant rectum & pietatē veram: præcipimus verò, inquit, ut quàm plurimùm abusus vestium & calceorum; ludorum & compotationum tollatur, & in jejuniis & orationibus toti sint. Quod nisi fiat, minabatur, se mutaturū personās, operamque daturum, ut pii viri & digni fruantur beneficiis ecclesiasticis, nam in pios usus esse contributa illa bona.

Hunc animum & hoc judicium in Imperatore audientes pontificii legati, excusare se conantur, inquientes, Pontificem in hoc esse, ut corrigat quæ emendanda sunt per ecclesiam, & quotidie emendare: sed nullum hominum statum posse irreprehensibilem esse, homines esse, non angelos, in hac vita: & multa in hanc sententiam locuti legati, conscenderunt navem, in qua secundo flumine Coloniam vecti sunt, ibi civitate & episcopo permittente, magnam collegerunt pecuniam. Imperatori autem non placuit animus eorum cum hoc judicio de ecclesiasticis personis.

Hoc tempore, quantumvis resisteret Carolus Imperator, apostolici legati magnā ex Germania pecuniam Romam pertulerunt. Sub idem tempus misit Pontifex Innocentius Spiram literas, quibus præcepit, ad apostolicam cameram mitti mediam partem omnium fructuum beneficiorum vacantium, aut vacaturorum, duobus annis in tota diœcesi Spirensi, & apud alios episcopos quoq; tentavit: sed noluerunt consentire.

Idem. Romam veniens aliquando Imperator, exceptus est honorificè, & multa cum Pontifice decrevit: sed postea parùm est effectui datum. Nec longam moram fecit Romæ, quoniam omnia illi fuerunt suspecta, & pleraque displicuerunt, quæ propter temporum malitiam mutare non poterat.

Idem. Misit Carolus, cum esset Norinbergæ, ad Innocentium Papā legatos duos episcopos, Argentinensem & Pragensem, & per illos postulavit ab eo, ut multa per ecclesiam reformaret.

Idem. Ex Germania Wenceslaus mittit legatos ad Clementem Avinionem, & ceu Imperator dehortatur eum à schismate, ut pontificatum deponat: potiusque ecclesiæ commodis, quàm suis affectibus consulat, etiam atque etiam rogat. Clemens non ignarus, quàm intimus Wenceslaus esset Urbano, judicansque, omnia facere Urbani, non ecclesiæ toties nomine, ignominia legatos Cæsarianos affecit, quosdam ex eis sacris ordinibus initiatos conjecit in carcerem, & ceu maleficii reos torsit.

Idem. Saxonibus omninò sub jugum missis, Turcæ iterum in Hispaniis multa vastârant: abductis incolis, ipsi sedes & possessiones occupârant, semperque latiùs sua propagârant. Carolus igitur à Pontifice & Hispanis invocatus, majorum suorum quoque extemplo invitatus, parat profectionem in Hispanias adversus Turcas, qui majoribus animis & copiis, quàm prioribus temporibus, illud bellum susceperant.

Venit Carolus: Turcæ intelligentes regem cupidum pugnandi, videntes simul suorum alacritatem, & animos spe victoriæ futuræ plenos, descendunt in planitiem, & ad prælium paratos se ostentant. Carolus suos pro tempore adhortatus, in memoriā revocat eis, quàm sine Christianorum sanguine Pipinus pater suus illos vicerit: jamque multò potentiores se, pluribusque instructos copiis, dissimulans majorem Turcarum multitudinem.

Hæc cū multis & eloquenter [fuit enim facundus] dicit, equitatus utriusque exercitus concurrunt, Turcæ levioribus suis equis cedunt, incertum, an de industria, an quòd impetum nostrorum non potuerint ferre, nostri incautiùs seqvuntur, fugientes usque post peditatum Turcarum, quo circumventi ad unum omnes sunt partim occisi, partim capti. Sicque perit equitatus ferè totus, in quo multum spei habebat Carolus. Pauci, qui circa regem manserant, apud exercitum supererant: sed ii pauciores, quàm ut magno usui esse possint. Hîc vero erant tam propinqui exercitui, ut referre pedem non liceret: alioqui consilium fuisset intra munitiones reducere exercitum, & reparare equitatum.

Confusus igitur Carolus, cogitur invitus pugnare, etsi videret, suorum animum jam dudum in pedes delapsum. Post scilicet equites amissus, in quibus erat magna pars victoriæ, Turcæ gestientes animis cursu concitato in nostros irruunt, qui diutius acriusq; pugnaverunt, quam prudens harū rerum judex sperasset: sed tamen post

tres quatuorvé horas fuga salutem quærunt, quæ paucis saluti esse potuit, pauci incolumes evaserunt, cum equitibus, qui reliqui erant, Carolus evasit.

Quantus terror Italiæ & Galliæ illam Caroli fugam secutus sit, verbis consequi non est possibile: *Saraceni* enim persequebantur fugientes usque ad fines Hispaniæ. Carolus animo non fractus suos consolatur, *Deum* sic passum suos tentari: sed non prorsus abjecisse. Pollicetur brevi rerum mirabilem vicissitudinem: non hoc factum virtute Turcarum, sed temeritate equitum, qui præcipitarent se; cum essent victores, in certam mortem: jam enim victoriam in manibus sibi fuisse, si illi cautè insecuti fuissent hostes fugientes, jam hostes elatos victoria, suæ hanc virtuti adscribere, omnia negligenter administraturos.

p. 631. *Mittit* extemplò nuncios in Germaniam & Italiam, qui cogunt exercitum quàm possint maximum: omnes ubiq; parati sunt periculum depellere. *Conveniunt* exercitus ex *Germania, Galliis* & Italia; quantus vix hominum memoria fuit eodem tempore congregatus, mira velocitate, non credibilibus itineribus obviam veniunt hosti, jam omnia victa putanti. *Carolus* quàm arctissimè cogit copias, quò speciem paucorum præberet exercitus, donec hostes se demiserint in æquam planitiem.

Eò ubi ventum est, ut neuter exercitus sine pernicie in castra redire posset, imperat, ut equites lacessant Turcarum equitatum: lacessiti accurrunt, impetum verò nostrorum non ferentes, vel, ut quidam judicaverunt, ex compositio fugientes, vertunt terga, sed nostris præceptum fuerat, ne cupidiùs persequentes eos, circumvenirentur: in medio *igitur* cursu sistunt equos.

Cum igitur eò deducti essent, ut neutris liceret in castra redire, pugna devitata, deducit *Carolus* suum exercitum qui spissimè steterat, & aciem instruxit. Quam multitudinem hostis videns; intelligensque, propterea coactos fuisse in angustias, quo ipse in harenas descenderet, timorem dissimulare ita non potuit, quin daret clara suæ formidinis signa. *Carolus* suos alloquitur, certum se habere oraculum à *Deo*, hos sibi in manus datos. Jam animo victos, circumspicere fugam, &c.

Scribunt historiæ de *Comite* Palatino Colandi *Germano*, quod ante prælium cōmissum singulari prælio equestri, quod paribus conditionibus comparatum erat, Turcam nobilem in re militari; insolitæ staturæ virum vicerit & interfecerit: sed ita fessus in ea pugna fuit & siti confectus, ut & ipse correptus febre mortuus sit. De illo viro & alia insignia facta referuntur. *Singulari* alio certamine vicit principem Marsurium.

Cohortatus milites, ut jam dixi, Carolus signum pugnæ dat, concurritur, acerrimè pugnatur, equitatus nostri pars in fugam actum hostilem equitatum submovet longius, & dissipatos, quos consequi possunt, interficiunt nostri. *Reliqua* pars (nam in duas partes diviserat equitatum) hostilem ordinem perrumpit.

Perturbato ordine, conjiciunt se in pedes, vertuntque terga: quibus obvii nostri equites victores, qui dissipārant, imo deleverant Saracenorum equitatum, interficiunt sine numero multitudinem hostium, detentosque hostes per equites nostros peditatus assequitur: occiduntur igitur & capiuntur incredibili numero. *Recuperatis* ergò omnibus in Hispania, hostibus submotis usque in Africam & *Asiam*, Carolus dimittit exercitum, & redit triumphans ad suos.

Idem. Ecclesia Reatina vacante, ut sic loquar, *Pontifex* noluit electum episcopum consecrare, nisi ab Imperatore Pio obtinuisset priùs licentiam. Habetur in *Decretis* 63. dist. ca. Lectis. *Ex* quo satis clarum est, tunc Imp. investituras episcopis præstitisse.

Idem. Rex pauperum in regno suo præcipuam rationem habuit. *Admonitusque* aliquando à quopiam familiari, ne quibusvis petentibus etiam indignis daret: respondisse fertur: Et qua caritate nos tulit hactenus Pater cœlestis, ad cujus legem nos collocati, sumus ipsa impuritas & injustitia, latrones & fures?

Idem. *Imperator* ubi Romam venit, exceptus est, & senatus unà cum populo Romano rogaverunt eum, ut respiceret Ecclesiæ miserum statum, ut possit alius creari *Pontifex*, vir vitæ innocentia sede illa dignus. Imperator quàm minimis motibus semper omnia agere cupiens, revocare statuit Joannem illum, sperans, eum post illā fugam & exilium, & gratiam veniamvè mutaturum vitam. *Scribitur* igitur illi, mittuntur nuncii: sed Papa Joannes ad insaniam redactus, nemini fidit, in quadam arce in accessis saxis sita habitat inter scorta, cum quodam similis farinæ homine, ad quem è Roma gravis ære venerat. Hanc otiosam ludendo, scortando, bibendo vitam maluit, quàm summum ecclesiæ episcopatum.

Otho ubi audivit hominis voluntatem & voluptatem, jubet, ut ipsi *Romani* eligāt ad pontificatum virum quempiam eruditione & morum probitate præstantem. Nā ea modestia erat *Otho*, ut nulli unquam aliquid de suo jure aut authoritate detraxerit & sibi arrogaverit. Romani igitur cum clero, elegerunt Leonem actavum. Hunc Imperator confirmavit, existimans, virum bonum esse.

Idem. Scribitur à Nauclero ecclesiæ Tubingen-

bingensis præposito, bonæ fidei autore, quòd Carolus cuidam nobili adolescenti episcopatum contulit, qui mox actis regi gratiis, lætus discedens, & ante palatium in sellam equi sibi adducti è terra insiliit gestiens. *Carolus* diligens personarum probator ecclesiasticarum, hoc cernens per fenestras, jussit adolescentem revocari, dixitque illi, video ex moribus & gestibus tuis, te bello aptiorem quàm episcopatui, ubi oportet esse viros pietatis, & bonorum morum exemplaria. Tu igitur mecum ibis cōtra hostes militatum, alii magis idoneo imponemus munus episcopi: moxq; contulit alii episcopatum, impetarq; illi, ut præsens in exercitu sit, die constituto.

631. Legitur etiam de eo, quòd quoq; aliàs non dubitaverit non modò verbis reprehendere & confutare episcopos, sed & ex ecclesiis ejicere, propter mores pastoribus indignos.

Idem. Henricus uxorem suam non attigerat: ipsa vicissim castitatem servare cupiens, consenserat sponso: ita ambo degebant vitam cœlibem. Satan, qui nunquam quievit, neq; quiescit, neque quiescet ante seculorum consummationem, suspectam Imperatori reddit reginam Kunegundam nomine adulterii: cum quodā enim equite aurato rem habere, conabatur malas cogitationes suggerens diabolus persuadere Henrico.

Henricus incusat eam, cur simulet & profiteatur castitatem coram hominibus, gravius judicium eam manere: Dominum, qui corda & oculos fecit, omnia videre, etiamsi fallat homines. Castissima virgo pudico & modesto vultu constanter negat, & se gaudere inquit, quòd Dominum testem habeat, cujus testimonio ipsa sit contenta: nam repositam in corde suo certam fiduciam manifestam fore suam innocentiam, cum Domino tepestivum fuerit visum.

Ut autem Henrico hic scrupulus, quem *Satan* illi injecerat, eximeretur, convenit inter eos, ut regina ambularet super ferrum candens, (vomerem candentem scribunt fuisse) quæ postquàm invocavit nomē Domini, ut propter gloriam suam probaret innocentiam ancillæ suæ, læta, sed modestissima fronte, nudis pedibus ferrum igne jamjam extractum, & adhuc rubens calcar toties, quoties voluerunt ii, qui aderant testes miraculi, quod *Deus* cum virgine sua ancilla operatus est.

Idem. Egit Imperator *Constantinopolitanus* cum Pontifice *Alexandro*, ut ecclesiæ Orientalis ritus concordes redderētur ecclesiæ Occidentali, subjectionemq; ecclesiæ Græc. *Rom. Pon.* promittit ea conditione ut Alex. coronā imperialem, qua jure esset per anathema privatus Fridericus, *Romani Imperatoris* Constantinopolitano redderet. Unum enim Imperium fuisse, & magnorum motuum ac bellorum causam fuisse divisionem illam Imperii, quæ per dissensionem nullo consilio sit facta. *Aliaq;* multa apud Alexandrum addunt legati Græci, quibus inducant Papam, ut Emanuelem *Græcorum* principem appellet Imperatorem *Romanorum*.

Alexander cupiebat quidem depositum Germanum Fridericum, sed satis habebat exploratum, quàm impossibile esset. Quare etsi nullam spem haberet, hoc posse fieri: tamen spem facit *Græcis*: nam magnam vim pecuniæ attulerāt, & plus expectabat, qua opus erat Alexandro in ducendo bello contra Imperatorem Fridericum. Respondet verò *Alexander* legatis, se celebraturum brevi synodum, in qua res tam magna agenda sit, interim se deliberaturū & acturum causam Constantinopolitani contra Germanum.

Idem. Imperator, totam Italiam subditam in se solum respicere, videns, legibus cavendum putavit, ne posthac tam levibus causis rebellarent. Quare principibus cōvocatis, suppliciorum genera statuit in violatores pacis, & contemtores summorum magistratuum. Constituit quoq; pecuniariam mulctam in eos, qui violarent fœdus: nempe mediocres urbes singulæ centum marcas auri persolverent, majores ducentas, Marchio quinquaginta, *Comes* quadraginta, & sic usq; ad tres marcas, pro cujusque dignitate & facultatibus: qui tres marcas auri non haberent, pro magnitudine rebellionis aut mori, aut verberibus cædi, & mitti in exilium deberent. Judices quoque per singulas urbes constituit.

Scribitur à Frisingensi (qui eo tempore vixit, & præsentem in Italia apud Fridericum fuisse est probabile) Imperatorē magna diligētia à juris peritis quæsivisse, quid juris in civitates Italiæ Imperator haberet? Nam contra jus & æquum nihil voluit prudens sciensve facere, persvasus, nihil injusti durabile esse posse.

Omnes jureperiti & *Principes*, ecclesiastici secularesq;, qui aderant, una concordi sententia adjudicaverunt Imperatori omnia regalia, quæ sunt monetæ, telonia, vectigalia, navigia, officiorum dignitatūve confirmationes, judicum, consulum, omniumq; magistratuum creationem, exactiones præterea, quocunque tempore & quotiescunq; necessariæ sunt ad imperium defendendum, aut tuendum, aut augēdum.

Has leges & constitutiones per Italiam promulgandas commisit Imperator Cancellario Rainaldo, & Othoni *Palatino*, & quibusdam aliis: qui comitati forti militum manu hæc per civitates singulas ordine denunciant, & servanda imperant.

Idem.

Idem. Anno Domini 1186. fuit cœlum Hyemis clementissimum in Germania: floruerunt in Januario præcoces arbores omnes, & vitium oculi promoti conspiciebantur longitudine spithamæ. In Februario poma quantitate nucis juglandis conspiciebantur: frumenta florebant: aves excludebant ova, nec ullum frigus in eo anno secutum est, quod nocuerit fructibus In *Majo* metebatur frumentum in regionibus, in quibus solet aliàs in fine Julii demeti. Coctæque erant uvæ in principio *Augusti*: optimum & multum vinum ac frumentum eo anno proveniebat.

Anno verò, qui sequebatur, principiũ brumæ non erat inclemens, sed *Martio* incepit frigus intolerabile animalibus & plantis, quod duravit per *Aprilem* & per medium *Majum*. Vini caritas rarissima est secuta: periêre enim frigore vites. *Et* fruméti quædam genera pruinis perierunt.

Idem. Fuit hæresis in Alsatia, qua seducti erant nobiles & vulgus. *Affirmabant*, quolibet die licere carnes comedere, in piscium esu immodico tam inesse luxum, p. 653. quàm in reliquis carnis generibus. Item malè facere, qui contrahere matrimonia prohiberent, cum Deus omnia creaverit, & sancta omnia sint cum gratiarum actione accepta à fidelibus.

Hi pertinaciter opinionem illam suam defendebant, & credebant multi illis, nec dubitabant blasphemias dicere in sanctissimum dominum Papam, qui prohiberet Ecclesiasticis contrahere, & quibusdã diebus à cibis corporum humanorum constitutioni idoneis. Quapropter Pontifex Romanus præcepit, ejusmodi homines è medio tollere. *S*untq; uno die circiter centum ab episcopo Argentinensi combusti. Multi carceribus mancipati, donec revocaverunt, palàm professi, se errare.

Idem. Conradinus filius Conradi copias in *G*ermania conscribit, imperium sibi vendicatur, cui Pontifex resistit. *S*ic enim in quadam scribit epistola Pontifex: Nos volentes Conradini ambitum refrænare, omnibus & singulis *P*rincipibus Alamanniæ, vocem in electione Romani Imperatoris habentibus, prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ac interdicti, ne eum eligant in Romanum regem, attento etiam, quòd non licet eligere quenquam pendenti electione duorum coram *Roma*no Pontifice, quæ fuerat facta de rege Castellæ & *R*ichardo Cornubiæ comite. Ubi hæc significata sunt Conradino mirum in modum est commotus rei indignitate & iniquitate: scribitq; epistolam plenã querelis de Pontificum Romanorum injuriis sibi illatis.

Idem. Henricus fluctuanti & perturbatæ ecclesiæ consulere volens, cogit concilium Brixiæ, quæ est urbs Norica, convocat autem omnes episcopos & abbates secũ sentientes adversus *G*regorium *P*ontificem. In eo concilio Gregorium à sede apostolica depellebant suis decretis, ut ecclesiæ turbatorem & vesanum monachum (nam monachus ante pontificatum fuerat:) in ejus locum eligebant archiepiscopum *Ra*vennatem, Guibertum nomine. Recensebo autem decreti verba quæ sic habent.

Quia Gregorium illum constat non à *Deo* electum, sed à se ipso in fraude & pecunia impudentissimè erectum, qui ecclesiasticum subvertit ordinem, qui *C*hristiani imperii perturbat regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurium defendit regem, qui inter concordes seminat discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scãdala, inter conjuges divortia (loquitur hîc de sacerdotum conjugio) & quicquid quietè inter piè viventes stare videbatur concussit:

Nos authore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti episcoporum decem & novem, die sancto Pentecostes *B*rixiæ congregatorum, contra eundem *G*regorium procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, catholicam & apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici *B*erengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem manifestum, necromanticum, pythonico spiritu laborantem, & idcirco a vera fide exorbitantem, judicavimus canonicè deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa sede, his auditis, descẽderit, in perpetuum condemnandum. Acta autem sunt hæc septimo Calend. Julii, indictione tertia.

Idem. Erant aliquando Romæ tres Pontifices eodem tempore, eorumq; nullus eo nomine dignus erat, erant enim omnibus vitiis inquinatissimi. Molestè tulit Henricus, tales haberi capita ecclesiæ Christi: quam ob causam *R*omam cum copiis proficiscitur, eò ubi venit, certatim Pontifices muneribus & promissis devincere Imperatorem conantur. Henricus sciens, esse malos viros, nihil adulationibus, nihil donis promissisq; movetur, omnes deponit, pontificatum tribuit *S*vigero Episcopo Babenbergensi, nominatque eum Clementem secundum.

Idem. *C*æsar exosculatur Papæ sanctissimos pedes, & offert ponderosam puri puti auri massam non levis ponderis. F. anno *D*omini 1452, Imperatore Frid. 3, *P*apa Nicolao 5.

Idem Adrianus post hæc cogit concilium, adjutus à Carolo: in quo cõcilio datur plena potestas Carolo eligendi Pontificem *R*omanum, nec licere statuitur ulli religio-

religiosorum aut secularium, quos vocant, principem contra vel dicere vel sentire. Item in eo concilio decernitur, ut omnes episcopi & archiepiscopi pallium à Carolo Germano Francorum rege comparent. Quicunque contrà aut dixerint aut fecerint, ut excommunicentur, habet eadem constitutio. Hæ constitutiones multas cōtentiones perpeerunt, antequàm posteri Pontifices à posteris Imperatoribus *Romanis* hæc privilegia rursus extorserint.

Idem. Fortè à Pontifice tunc venit legatus, ab *Apostolico* ferens de ea re bullas Romanas episcopo *Babenbergensi*, de absolvendis excommunicatis propter Ludovicum mortuum. Erant autem in illis bullis hæc verba:

Cum multi contra processus & sententias Joannis Papæ agentes, ad hærentes quondam Ludovico de *Bavaria* hæretico, redire cupiant ad unitatem ecclesiæ, committimus tibi, ut qui confessi fuerint errores suos & pœnas, quas inciderunt explicitè, vel implicitè, & juraverint deinceps fidem catholicam tenere, & nulli deinceps hæretico vel schismatico favere & credere, & quòd non spectat ad Imperatorem, Papam deponere, & alium creare, sed hanc hæresim esse damnatam, & quòd nullum Imperatorem habebunt, nisi per sedē Apostolicam approbatum: nec relictæ & liberis ipsius Ludovicus favebunt, nisi cū ecclesia reformentur, & Carolo Romanorum regi per ecclesiam approbato, parebunt, ab hujusmodi sententiis & pœnis eos absoluas ita, quod si in aliqua contravenerint, in sententias & pœnas pristinas relabantur.

634 Idem. Vectores Caroli Calui Imp. cadaver in Germaniam, quò ipse voluerat, ferre jussi, propter subvenientia incommoda *Vercellis* in via humi mandârunt.

Idem. Boëmia & Moravia rex *Othocarus* contentus erat, principatus verò alios, nēpe *Austriam*, *Carinthiam*, Stiriam, *Carniolam*, portumq; Naonis reddebat iis, quib⁹ erant justiores tituli. Othocarus quoq; regnum suum *Boemiæ* & Moraviæ ex manibus Cæsaris Rudolphi (ceu feudum) cum juramento flexis genibus accipere est coactus. Sunt quoq; eodem tempore, eademque ferè operâ conciliati reges Ungariæ & Boemiæ, conditionibus æquis: reddidit enim alter alteri captivos, urbes, castraque sua, fœdereq; coiere ad multos annos,

Viennam igitur post fœdus factum *Rudolphus* ingreditur, & quod *Fridericus* olim de ea urbe constituerat, id confirmat, ut ratum perpetuò maneat. Othocarus rex habebat superbia & loquacitate, hoc est, pessimis moribus perditissimam uxorem, quæ assiduè regem maritum corrigit & cōtemnit, opprobrās illi odiosè, quòd tantas provincias principatusque hosti dederit, fortuna omninò non tentata; omni belli apparatu instructissim⁹, meticulosum eum vocans, non virum: jubet ipsum in gynæceo muliebres functiones obire, sibi dare arma: repetituram se, quod ille præ ignavo timore hosti concesserat.

Hæc & hoc genus alia quotidie in aures inq; faciem, præsentibus familiaribus nobilibus, cōtumeliosè prædicabat astu turgida mulier. Maritus stultitia improbaque loquacitate uxoris tandem victus, non cogitat periculum, immemor juramenti fœderisque; convocatis, qui illi erant à consiliis, proponit illis, se pœnitere, quod tam inhonestas admiserit conditiones pacis, præstare mori, quàm ita vitam in dedecore conservare. Præterea in memoriam revocat, Germanos à Boemis aliquando victos, sibi omnia auguria & omina polliceri successum: quare bellū renovandū sibi videri.

Consiliarii, vel potiùs adulatores omnes voluntatem, non utilitatem regis respiciētes in consultationibus omnibus, probant recuperatos spiritus regios, & sibi dolere pacem, inquiunt, tam iniquam: minus juris esse Rudolpho in principatus illos Carinthiæ, Austriæ, &c. quàm regi Boemorum, asserunt. Hoc omnes majore studio dicebant, quia reginæ sententiam & animum non ignorabant, quam magis dominam non solùm aulæ, sed totius regni experti erant. Quare qui locum habere volebat in ea aula, observabat necessariò reginam dominam regis.

Decernitur igitur bellum, omnia necessaria parantur. Idcirco rex, Boemicis copiis coactis, mira velocitate passim per prædictos ducat⁹ munitiora loca occupavit multa. *Rudolphus* animadvertens hominis conatus insanos (qui ex stultis mulieris consiliis proveniebant) parat copias cum sociis & principibus agit de bello, regem Ungariæ, quo satis testaretur animum suum erga eum, juvenē in filium adoptat.

Eo anno Juliacensis Dux parans se ad expeditionem Boemicam, Aquisgrani exactionem à Rudolpho Imperatore impositam in usum belli exigens à civibus, ante ecclesiam cum filiis duobus & ducentis militibus comitantibus eum, trucidatur. Imperator ergo id facinus inultum in præsentiarum relinquens, occurrit cum copiis Othocaro obviam, miserè affligenti Austriacos, quod tam faciles fuerant ad excipiendum Rudolphum, & Othocarum deserendum.

Conveniunt ergo in campo, qui vocatur Germanicè Nidersprung/ instructis acieb. concurrunt, fit acerrima pugna: ad postremum victi Boemi fugantur magna utrinq; multitudine militum desiderata. Rex quoque Othocarus occubuit, qui post prælium exutus omnibus vestimentis est repertus, vectusque Viennam apud fratres Franciscanos

Franciſcanos ſepultus eſt. Hic fuit finis conſiliorum mulieris.

Idem. *Rudolphus* etiam miſit in Italiam nomine ſuo vicarium, qui *Romæ* & alibi per Italiam res ordinaret, & rebelles ad obedientiam cogeret: miſit autem eum cũ equitatu & peditatu *Germanorum*, ſufficientibus ſuſtinere quantumvis magnas copias. Hi ubi in Latium pervenerunt, à pleriſq; civitatibus, tanquam Imperator adeſſet, ſunt excepti & honoribus affecti. Quasdam verò armorum vi ſubjugârunt. Ex quibus Florentini erant, quos virtute militum brevi domuit. Paceq; per Italiam facta, ut rerum ſtatus permittebat, reverſus eſt vicarius cum copiis in Germaniam.

Idem. Alexander Romanos, Imperatorem Conſtantinop. omnes Latii civitates, Regem *Galliæ*, regemq; Siciliæ ſolicitat ad arma uno tempore capienda adverſus Imperatorem Fridericum: & mittit quoque clam literas in *Germaniam*, ſi quo modo bellum etiam illic poſſet ſuſcitari, & non omninò nihil effecit; multum enim tranquillitati imperii obſtitit.

Idem. Raimundum *Cardinalem* legatum miſit Pontifex *Alexander*, ſextus ejus nominis, in *Germaniam* & alias quasdam ſeptentrionales nationes, cum magna apoſtolica clavium poteſtate: indulta ejus extendebant ſe in mortuorum ante multos annos animas.

Idem. *Per Germaniam* atque per totam adeò Europam inundationes aquarum perdiderunt non ſolùm plantas, ſed etiam ædificia multa: nam adeò increverunt torrentes, & exiverunt flumina alveos ſuos.

Idem. Carolus ab Ungariæ regibus originem ducens, invitatus ubi ad Urbanum venit, *Romæ* unctus & coronatus eſt, rexq; *Siciliæ* appellatus. *Antè* verò quam eum fecerit regem Siciliæ, Pontifex ſuis nepotibus meliores ejus regni principatus, nempè Amalfitanum, & Capuanum & alios dedit, *Carolo* futuro rege jurejurando pollicente, ſe ratum habiturum, ſi quid Papa mutaverit.

p. 635. Idem. Ferunt, *Sigiſmundum* primùm omninò fidem ſervare Huſſo & Hieronymo *Pragenſi* voluiſſe, ſed eccleſiaſticos Principes illi ex pontificiis legibus probaſſe, hæreticis fidem non ſervandam. Fuerunt etiã qui dixerunt, *Sigiſmundum* nunquam conſenſiſſe in eorum necem, & nullam aliam cauſam potiorem fuiſſe, qua alienatus ſit à Pontifice, cum quo pulchrè reconciliatus fuerat.

Idem. Diligens inprimis fuit, ut religioni ſuus maneat honos. Idem autem fieri aliter non poſſe exiſtimabat, quam ut perſonæ eccleſiis miniſtrantes quam probatiſſimis ſint moribus, & præſtent aliis hominibus præſtantia ingeniorum, & animorum probitate, ut eos ſuſpicientes æmulari omnes cupiant.

Idem, & ante eum plures. Lotharius Rex Romam venit, communicat menſæ Domini: communicabant verò etiam cum eo ejus aulici primores: & qui participârant cum eo, omnes ante annum periêre, & Lotharius poſt illam participationem menſæ D. ſemper triſtior eſt conſpectus, & in itinere quoq; moritur.

Idem. Sed & poſt Lotharium ſimiliter Carolus Calvus in Italia periit, ſubmiſſo Judæo Sedechia, qui venenum præbuit.

Idem. Sic etiam *A*rnolphus Imp. venenum in Italia hauſit somniferum, quo tam alto ſomno fuit oppreſſus, ut toto triduò non potuerit excitari: & paulò pòſt mortuus eſt.

Idem. Romani Cæſari Othoni portas aperiunt ſupplices, omnem obedientiam promittunt: ſed nihilominùs clàm eum interficiendi occaſionem quærunt.

Idem Otho Imp, proditus ab Italis, infeliciter pugnavit, & veneno à *Romanis* ſublatus fertur.

Idem. Otho 3. propter Romanorum diſcordiam Romam profectus eſt, ordinavit ibi *I*mperii Eccleſiæq; ſtatum: ſed Romani hoc iniquo animo ferentes, illi inſidias ſtruunt, & magnum militum ejus numerum occidunt, ipſumq; *I*mp. in palatio obſidẽt: O ho, mutata veſte, vix cum periculo evaſit, & in itinere deinceps hauſto veneno interiit.

Ante & poſt hujus Othonis mortem etiam cœlum ob tanta ſcelera cõmotum legitur: & fuiſſe terræ motus, cometes appa`ruiſſe, & ardentes in aëre faculas interdiu.

Idem. Conradum quoq; veneno periiſſe ferunt.

Idem. Honorius, quartus ejus nominis *Papa* fecit comitem Januenſem, nomine Pinzivallam de Fliſco, vicarium generalẽ imperii, miſitque eum in Germaniam ad *R*udolphum *I*mperatorem cum mandatis, ut Rudolphus hunc vicarium confirmaret: Quod fecit in gratiam Pontificis *I*mperator, quanquam invitus: male enim habebat eum, quòd *Pontifex* hoc jus in imperio ſibi arrogabat, alium enim vicarium *Rudolphus* maluiſſet.

Idem. *In* Germaniam miſſus Cardinalis Tuſculanus, Herbipolin convocavit ad ſynodum omnes magiſtratus eccleſiaſticos & ſeculares. Aderat quoq; *I*mperator Rudolphus. Legatus apoſtolicus in eo concilio petiit quartam partem omnium proventuum eccleſiaſticorum per quatuor annos. Non admodum iniquo ferebant animo ſeculares, quoniam ab *Eccleſiaſticis* ſolum exigebat pecuniam *Pontificius* legatus.

Facilè verò dici non poteſt, quàm moleſtè tulerint eccleſiarum Pontifices exactiones illas, eoq; magis, quòd meliùs ſciebãt, quàm ſeculares, in quem nefandum uſum

solent collationes illæ conferri Romæ tamen episcopi, abates, & alii prælati metuentes tacebant, excepto uno episcopo Tullensi Franciscani ordinis, qui in cathedrali ecclesia Herbipoli, præsentibus omnibus secularibus & ecclesiasticis, longam orationem habuit de jure humano & divino, de officiis ecclesiasticis, de bonis eclesiarum, de usu illorum bonorum.

Effecitque ea oratione, ut ecclesiastici prælati omnes uno consensu negaverint daturos, patrocinatiq; illis sunt plerique secularium Principum: tantum didicerant ex una concione Probi, nam hoc nomen erat episcopo Tullensi. Cardinalis minatus est episcopo Tullensi, non impunitam futuram eius temerariam linguam. Jubebant Germaniæ Principes Probum bono esse animo, neq; enim se passuros, ut illum quisquam propter hanc rem vel digito unquam attingat.

Sed nescio quibus Pontificis artibus factum sit, ut hic Probus paulo post ab episcopatu deturbatus & retrursus sit ad fratres suos mendicantes. Postea cum Pontificii voluerunt pecuniam extorquere aliquo prætextu quantumvis honesti tituli, obstruebant muneribus sacerdotioq; aliquo ora hujusmodi virorum, qui aliquid authoritate aut linguæ viribus poterant.

Idem. Per Italiam Principes seculares cum Pontifice Romano de multis contendebant. Pontifex usus autoritate Rudolphi absentis effecit, quicquid cupiebat. Erat enim singulare Rudolpho studium retinere Pontificis amicitiam. Pontifex præter reliqua consecutus est à Rudolpho, ut Romaniolam, & Exarchatum Ravennatem Pontifici restituerit. Pontifex multis benedictionib. & indulgentiis animum Rudolphi sibi devicit. Quæ alii dicunt Rudolpho pretiosa existimata, alii dicunt simulasse, sibi grata fuisse.

Idem. VVormatiæ, ubi cives audebant quæ exigebat Papa ab absolvendis, magnus populi excitatus est tumultus, cogebantq; Episcopum Babenbergensem, ut sine omni delictorum confessione eos absolverit. Erant etiam civitatum & Principum nonnulli, qui omnino nolebant absolutionem: nec enim vel nauci æstimabant execratione Papæ: tanta erant scandala & schismata in ecclesia Romana.

66. *Mirum.*

1. Hoc anno è flamma & fumo Draco ignitus urbem versus evolare visus est, qui trans Albim longos tractus duxit, diu conspiciendus. Ejusmodi Dracones ali à veneficis, quibus ad furta utantur, vulgi opinio est. Annales Misniæ. Imp. & Papa ut sup.

11. *Wolffg. Lazius in Vaticiniis.*

Isidorus, tempore Antichristi Ecclesiam Christianorum negligentissimam fore, & virtutes in ea cessaturas, prædixit: quod & Catholicis objiciunt, & sane pij fateri coguntur. Imperatore Carolo 5. Papa Julio 3.

Idem Conscripsit quoq; Libros tres Conjurationis (ut nominat) Smalcaldensis, constantes ex fragmentis & admissariis. Item picturam sive mappam ejusdem belli.

Idem. Cum Moroveus in tanta Barbarorum commotione de sua posteritate esset solicitus, ominosa visio ei obviam facta est. Is enim numen triceps sibi astare conspexit, & uniuscujusq; capitis singulare audivit vaticinium: diadema unicuiq; supereminere impositum. Primum caput erat Bufonis, secundum Leonis, & tertium Aquilæ in forma quasi expansis alis desuper stantis; & dextra Leonem, sinistra vero Bufonem foventis.

Dixitque Aquila: Tua progenies caput meum sibi subiciet: Leonem simul conculcabit, & Bufonem occidet. Non me, quod fœda appareo, Rex aspernandam ducas: Est species rebus conveniens, & forma futuris. Me primum extinguet generatio tua procul: post hæc Leonem servabit cose captum: cujus ore, quod amplius restat, audire curato.

Leoninum postea caput dixit: Hospes in mea, fortissime Rex, cum gente tua venture, cito Bufonem vinces, labore cum & tempore multo. Tunc mea tibi cedent jura passim ultro bellis, ac astu: Postea me dextrum coronabit Apuila monstrum, habens à sinistris semine victum. Quod vero postea futurum erit, nostra tibi conjunctio monstrat.

His à Leonino phantasmate relatis; tria in unum cito capita sunt conversa, stabatque monstrum triceps in hominis imaginē transformatum, nec simplicis conditionis, sed coronatum aureo diademate, in sinistra sceptrum gerens, in dextra gladium. Porro hæc visio Francici regni progressum atq; incrementum præsagiebat, quod nimirum, Romano Imperio ex Occidente profligato, etiam leonem sibi sit subjectum, Bufone semine proprio victo.

Per Leonem Burgundiam significabat; in quam Francus primum hospes, deinde victor venturus esset. Postea enim Clodomyrus, natu maximus Clodovei magni; cœlestinæ coronæ in aureo clypeo existenti (quæ vetustissima Burgundionum erant insignia) Leonem adiecit. Ea insignia postea ad Hapspurgensem familiam sunt devoluta, qui Transjuranam ditionem acceperunt. Per Bufonem intelligebatur Transjurana regio, in qua multi passim lacus existunt. Nam ea regio postea Francis cessit, qui tres bufones in antiquis insignib. præferebant, quos Clodoveus primus Christianus Rex in tria Lilia commutavit.

Hanc visionem Meroveus alta mente

Hhh con-

conservavit, atq; suæ posteritati per manus tradidit. Cum autem ipse per annos sedecim magna gloria rebus apud Francos præfuisset: ita ut Reges Franciæ, ex ipsius familia prognati, ab eo *Merovei* cognominarentur: tandem moriens regnum Chilmerico filio, ipsius Clodovei magni parenti, reliquit. Factum anno *Domini* circiter 450.

Ibidem. *Amissa* libertate, quam Bruto duce [redacted] auctore defenderat ita consenuit (*Roma*) tanquam sustentare seipsam non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur. *Quod* si hæc ita sunt, quid restat, nisi ut sequatur interitus senectutem? *Et* id futurum brevi, cantiones Prophetarum denunciant, sub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat. *Sibyllæ* tamen aperte, interituram esse *Romam*, loquuntur: & quidem judicio Dei, quod nomen eius habuerit invisum, & inimica justiciæ alumnum veritatis populum trucidarit.

Hydaspes quoque, qui fuit Medorum *Rex* antiquissimus, (à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur) admirabilis omnibus ad memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex urbe imperium nomenq; *Romanum*. De quibus eodem modo verissime Lactantius & *Bruschius* notanda dicit.

1551. *Georgius Waradinæus Episcopus.*

Anno Christi 1551. 18. decembris, Episcopus VVaradini Georgius Mart nusius Dalmata ni per inauguratus in *Cardinalem*; propter suspicionem, quod cum Turca confœderatus esset, & inducias clancularias iciisset, necatus fuit, & in sua habitatione pugione confossus Tridenti in Concilio. *Autor* homicidii fuit Ioannes Baptista de Castaldo *Italus*. Imp. & Papa ut sup.

p. 637.
1552. *Bartholomæus Casasius.*

Edidit hic librum, qui Hispali impressus fuit, ibi affirmat, centies quinquagies centena millia hominum 40. annorum spacio extincta esse ab Hispanis in *India* & novis Insulis; aliaque horrenda: inter quæ non minima, quod aliquot millia canibus dilacerandi sunt objecta, nulla alia fere de causa, quam quod non aurum, quantum poscerent, attulissent. *Imp.* Carol. 5. Pp. Julio 3. V. *S.*

1552. *Joannes Cosmius.*

Fuit hic *Regius* concionator in Polonia, & videns *Ecclesiæ* corruptum statum, scripsit ad Julium 3. pro reformatione in Ecclesia instituenda. Annales *Poloniæ*, *Imp.* Carol. 5. Pp. V. *S.*

1552. *Crescentius PP. Legatus.*

Crescentius Pontificis Legatus in Tridentino Concilio, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo secúdo, Martij die vigesimoquinto, scribendis literis ad Pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem usq; continuavit. *Ibi* surgens, ut sese reficeret, ecce visus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis, ingredi, & ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam dilabi.

Perculsus & obstupefactus, ubi demum se collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo, jubet afferri lumen, & investigari canem. Cum autem nusquam apparet, ne in vicino quidem conclavi, gravem concepit cogitationem, & in morbum incidens decessit. Moribundus etiam subinde suis acclamasse fertur, ut canem, qui lectum conscenderet, arcerent. *Schleidanus* l. 2. 3. *Imp.* Car. 5. Pp. *Julio* 3.

Lucas Gauricus Mathematicus. 151

Prædixit, ruinam Romæ fore circa annum 1598 propter certas causas ex doctrina directionum Astrologicarum desumtas; Quem citat ac sequitur & *David* Herlitzius Mathematicus, *Imp.* Carolo 5. Pp. Julio 3.

Idem. *Mirum* est, quod hæc urbs (de Venetiis loquitur) nunquam fuit capta, & nullam unquam habuit seditionem popularem, etsi duravit annos 1176. Ædificata enim fuit anno 421. duratura usque ad annum 1888. *Sed* falsum esse, nunquam captam fuisse, ex aliis historiographis constat.

Idem scribit: Thema urbis Constantinopolitanæ inventum esse à Pomponio Gaurico in *B*ibliotheca Vaticana; à Valentino *Antiocheno* erectum, & illam fundatam fuisse anno post Christum 638. die 2. Maii, hora secunda post ortum *Solis*. Ex qua vaticinatus fuit; illius infelicitatis tempora fore anno 792. utpote 1430. die 14. Martii, & nihil aberravit, quoniam illa tempestate Mahometes urbem illam cepit, & ex Christianorum manibus eripuit. Quanquam hæc à Zonaro paulò aliter referuntur.

Idem indicavit etiam Paulo 3. illum certo anno pleuritide laboraturum, aut in aquis periculum vitæ aditurum, quod cum accidisset, ob prædictionis veritatem remunerandam, fecit illum Episcopum Civitatensem, & equitem *S.* Pauli.

Idem monuit etiam Henricum 2. regem *Galliæ* per literas, quinquennio antequam moreretur, ut finito 41. anno ætatis vitaret duellum: *Astra* enim minari vulnus in capite, quod vel cœcitatem vel mortem vel continuò affert.

Epigramma in eandem.

Esse Lutheranum rumor te Gaurice clamat:
Sed tuus Antistes te tamen esse negat.
Tam scortaris, ait, quam si vel Episcopus esses:
Et potas dubiam pervigil usque diem.

Nec

Nec memores Christi, nisi cum jurare libet:
Nec sciis scriptura vel breve jota sacra.
Nempe per hac voluit nunquam fallentia signa,
Ille vigil sanas noscere pastor oves.

1552. *Ascanius Centorinus lib. 4. bellorum Transsylvania.*

Quidam uxorem mœcham deprehensam damnatam mactaturus erat, sed precibus & pollicitis illius persuasus incolumem abire permisit. Non multo post deprehensus vir ab ingratissima muliere securi percussus est.

Mira. 638. 1552.

Anno 1552. circa horam vespertinam quartam, captivo Duci Saxoniæ Ioanni Friderico, à Rege Romanorum Ferdinando, fratre Caroli V. Cæsaris, Oenipotenti in quodam horto consito ad arcem, refertur lætum nuncium restitutæ ipsi libertatis & quo ex carcere dimittendus esset, in quem patientissimo animo per qinquennium compactus fuerat. Eadem hora Wittebergæ & in universa vicina magna fuit aëris inclementia, & atrox tempestas; plurimis hinc inde conjectis fulminibus furens, & imbribus horridis inundans, ac tonitruis concutiens terram: & tunc ictus fulminis etiam cancellos ligneos portæ Albis, ad prohibendum irrupturis in urbem equitibus ingressum; constructos; confregit & depopulatus fuit. *Hondorp.*

1553. *Iulius tertius Papa 228.*

Delectabatur inprimis porcerum & pavonum carnibus: sed cum medicus admonuisset, ne porcinis vesceretur, quod valde inimicæ essent podagræ; qua Julius subinde affligebatur: nec tamen vellet Julius abstinere: medicus submonuit præfectum convivorum, ne procinas carnes juberet apponi.

Ergo cum semel non fuissent appositæ; idque Pontifex animadvertisset: Vbi est ferculum porcinarum carnium? inquit. Cumque convivij præfectus respondisset; medicum imperasse ne apponeretur: Pontifex in hæc verba prorupit: Affer meum ferculum, al dispetto di Dio: quod si velis latine vertere, sonat, in contemtum Dei: & est quotidiana blasphemia quorundam ex lenonum & aliorum nebulonum per Italiam fece, quam Julius sæpissime usurpabat quemadmodum etiam obscœnissima sæpe verba.

Cum in prandio pavonem vidisset, quem non attigerat: Serva, inquit, mihi hunc frigidum in cœna, & para mihi in horto. Nam habiturus sum convivas aliquot. Cum igitur in cœna alios pavones calentes vidisset appositos: frigidumque pavonem, quem jusserat reservari, non vidisset: vehementer excandescens, atrocissimam in Deum evomuit blasphemiam. Tunc ex cardinalibus quispiam, qui accumbebat: Ne tantopere commoveatur, inquit, sanctitas vestra pro re tantilla. Tum Julius: Si voluit Deus usq; adeo propter unum pomum irasci, ut ejecerit primos parentes ex paradiso: cur non liceat mihi, qui sum eius vicarius, irasci propter pavonem, cum multo major res sit pavo, quam pomum?

Creaturus Cardinalem Petrum Betanum Episcopum Fanensem: ordinis Prædicatorum, aliquot è Cardinalibus resistebant, atq; id potissimum objiciebant, Episcopum illum infectum esse Lutheri haresi. Tum Julius: sit ita sane: an non consultius fuerit, imposito Cardinalitio galero eum mundare ab ea macula; & nobiscum tali vinculo retinere, quam sinere; ut fugiens à nobis conjugat se hostibus, quos in Germania habemus; sicut Vergerius fecit? Gerardus Busdragus. *Imp.Carolo 5.*

Bulla Iulii tertii Pont. Max. qua concilium Tridenti ad Cal. Maij proximas indicitur. 1553.

Nos Julius tertius Papa simulatque ad hujus Pontificatus nostri fastigium evecti sumus (quod sane præter meritum atque omnem expectationem nostram accidit; Non enim ignoramus; quam impares tanto oneri simus) agitare animo cœpimus; qua ratione præsentem Ecclesiæ nostræ statum non solum confirmare atque stabilire, sed augere & amplificare; etiam possemus: ea rursus in potestatem ac ditionem nostram redigendo; quæ partim majorum nostrorum culpa & negligentia, partim Lutheranorum perfidia ac vigilantia nobis erepta.

Sed ut omnia de communi Cardinalium fratrum nostrum sententia gererentur, utpote quos multo magis de nostræ sedis incolumitate & amplitudine (à qua multis se commodis & beneficiis auctos esse non ignorant) quam de sua ipsorum salute esse solicitos, optime nobis exploratum est: adhibere illos in consilium placuit.

Omnibus itaq; diligenter exploratis ac consultatis, nulla tandem via ad eam rem esse commodior visa est, indictione Concilii: non ut in illo ex Bibliis, aut Patrum libris, ulla institui de religione disputatio debeat: sed ubi tantum declarari liceat, iniquas & injustas fuisse eas omnes criminationes & calumnias, quibus nos, Sacerdotesq; nostri & Monachi, atq; adeo cætera membra nostra jam inde à XXXIIII. annis gravamur & premimur: & ubi rata esse jubeantur, quæcunq; sub imperio nostro vel hactenus facta sunt, vel fiunt, vel posthac fient: deniq; ubi temerarii isti, qui hoc pacto in cœlum, ipsosq; adeo cœlites; sacri-

sacrilego ore maledicta congerere ausi sunt, qui sanctiones ac traditiones nostras cavillari ac reprehendere non verentur, esse, fuisse, fore, schismatici, hæretici, atq; execrabiles pronuncientur.

p. 639. Peracto hujusmodi concilio, mox civilium magistratuum reliquorumq; principum, quos partium adhuc nostrarum studiosos esse novimus, implorandum nobis erit auxilium: qui cum habitum esse Concilium intellexerint, facere non poterunt, quin se ad causam nostram adjungant & unanimiter contra jam damnatos, cum Principes, tum nationes ac populos arma capiant: & nullo vel sexus vel ætatis discrimine habito, omnes ad unum profligent, atque exterminent: familias eorum funditus evertant: ædificia, urbes atque oppida incendant: nec ante grassandi in illos finem faciant, donec ipsi animum mutent, ac inserto in collum laqueo, ad pedes nostros supplicatum veniant, nosq; pro vero Christi vicario agnoscant, & decreta nostra atque sanctiones omnes, ut pias & sacro-sanctas recipiant: ac deniq; habere nos Spiritum sanctum, proindeq; nullo modo errare posse, diserte confiteantur.

Jam vero ut concilium istius modi, ex quo tam multa commoda merito speramus, facilius ad optatum exitum perduci possit, significare decrevimus, ubi & quibus legibus celebrari id velimus.

Inprimis itaq; Tridentum urbem ad eam rem nobis deligimus: quod in spem maximam adducimur, fore, ut qui illic rerum potitur Cardinalis, summam nobis potestatem ibi esse permittat, adeo, ut nobis liceat vel retinere, quos interesse concilio voluerimus, vel conjicere in carcerem, aut exurere, aut in malam rem aliquò expellere, quotquot contra adesse è re nostra minime futurum arbitrabimur.

Nec vero hanc unam ob causam ea urbs præ cæteris, rebus nostris opportuna esse visa est: sed ob id quoq; eo libentius illuc concedimus, ut Germani videant, audere nos cum nostro concilio vel in ipsorum usque fines pervadere. Huc accedit (idque recte, summaq; prudentia à nobis provisum est) quod ibi tutissime nobis esse licebit. Non enim ignoramus, Tridentum urbem (fuimus enim ibi & nos aliquando) Italiæ adeo finitimam esse, ut merito ab omni metu procul abesse debeamus. Neq; enim periculum est, hæreticam Germanorum gentem vim ibi ullam in nos facere posse: cum nos dubio procul viribus superiores illic futuri simus: alioqui nemo à nobis illuc mitteretur.

Tridentum igitur locus celebrando concilii destinatus erit. Edicimus itaque omnibus Episcopis, qui eandem nobiscum profitentur fidem, nosq; ac sedem nostram observant, ad proximas Cal. Maij eò se conferant. Quo simulac pervenerint, coram tribus illis à nobis delegatis Cardinalibus se sistant, ac quicquid illi tandem nostro nomine jusserint, protinus pareant, atque imperata facere minime recusent.

Nec vero eo proficisci quisquam episcoporum in animum inducat, quasi propriam sententiã illic dicturus, ut sibi vel ipse placeat, vel ut conscientiæ suæ morem gerat [id enim autoritatẽm nostram imminueret] sed quam ex ore legatorum nostram esse mentem ac sententiam intellexerint, eam solam sequantur, ac pronuncient. Etenim cum nos caput & Ecclesiæ & concilii simus, ac proinde merito Principem in concilio locum obtineamus: nemo profecto est, qui in eo regendo ac moderando, vel in statuendis decernendisq; rebus nobis præferri debeat.

Quin illud quoq; præcipimus, idq; sub pœna indignationis nostræ, ne Episcoporum, vel alterius cujusvis conditionis quisquam adferre quæstionem audeat: utra major, concilijne, an nostra sit autoritas. Nec vero desperamus, quin Cæsar cæteriq; Principes, per legatos suos, qui eo singuli missuri sunt (quorum ipsi animos ita nobis conciliabimus, ut dubium non sit, quin eos partibus nostris fautores habituri simus) in re tam gravi adeo magni momenti, operam suam autoritatemq; nobis accommodent, ac sua potentia efficiant, ut nemo de his vel hiscere audeat.

Sed quid diximus, non desperare nos? Imò vero habere nos id quam exploratissimum affirmamus. Neque enim adeo stupidi sumus, ut indicere concilium voluerimus, non pertentatis prius illorum animis neq; impetrata prorsus re atq; confecta.

Illud etiam interdicimus, ne quis Episcoporum, quo minus eo veniat, hoc quasi perfugium quærat: quod rudis (quales illorum plerique esse solent] & literarum imperitus sit. Nam cum res ibi nostro arbitratu decidi ac diffiniri debeant: nihil interest, doctine, an indocti illi sint. Satis enim est, quod gradum Episcopatus adepti sint; quod; vel titulotenus Episcopi existant, & mitræ illis, ac lineus amictus, trabeæq; & id genus ornamenta non desint: modo ad parendum compositi, & velut organa tantum & sententiam nostram promulgandam accedant.

Optamus vero, adesse illorum quamplurimos, qui eas ceremonias apprime calleant, quas in faciendis solennibus missis adhibere soliti sumus, ut cum nostra laude, magnoq; spectantium stupore illic gerantur omnia.

Ceterum quo periculorum ac offendiculorum omnium præcidatur materia: interdicimus jam Episcopis omnibus, qui ali-

aliqua eruditione præditi sunt, ne ullum ex iis libris, quos Lutherani (nostri hostes) scripserunt, vel legant vel apud se habeant idq; sub pœna excommunicationis. Abeunde enim fuerit, si missale, Breviarium, Pontificale, Rationale divinorum officiorum, summam Angelicam, Manipulum curatorum, sibi comites adjungant, &c.

640. *Bulla Iulii tertii Rom. Episcopi, qua Concilium ad Cal. Maii rursus fuit convocatum Tridentum: cum Commentariolo D. Vida.*

Julius Episcopus servus servorum Dei, ad futuram memoriam, ad tollenda dissidia religionis nostræ.) Voluit dicere, ad tollendam puritatem doctrinæ Jesu Christi, & sanctorum Apostolorum, & ad evertendas bene cœptas reformationes: nam vere adversus has concilium adornat.

Quæ in *Germania*.) Germaniam hic & in tota Bulla sæpe nominat, non autem alias provincias & nationes propterea, quod novit, in ipsa Germania receptam esse puritatem Evangelii, quam Papa cupit suis novis superstitionibus obrutam & sepultam tenere.

Non sine perturbatione totius reipubl. Christianæ.) Distingno de rebuspublicis, nam quæ vere sunt Christianæ, exorta Evangelii luce, magna laticia sunt perfusæ: at papisticas fatemur fuisse perturbatas.

E scandalo diu viguerunt.) Hæc est ipsissima Natura Evangelii, ut scandalo sit Papis, quemadmodum fuit Judæis.

Sicut charissimus noster in Christo filius, Carolus Romanorum imperator, semper Augustus, suis literis & nunciis significavit.) Cæsarem hic nominat, ut dicat hic saltem id quod est, nempe suam Majestatem vehementer ursisse pro concilio celebrando, nam Papa *Julius* sanguinarius (quemadmodum ille alius *Julius* fuit) maluisset duntaxat bellum gerere, atq; vi armorum Christum & Evangelium profligare, at vivit ea spe, fore, ut (peracto Concilio) effundendus sit sanguis, & succendendæ sint urbes, eorum, qui impiis decretis non paruerint.

Bonum opportunum & expediens videtur.) Noluit dicere, necesse est concilium celebrare: nam putat, omnino inhærendum esse omnium conciliorum & patrum decretis, quicquid antea Christus, & eius Apostololi docuerint. *Præterea* existimasset, sibi incommodo futurum, si confessus fuisset, se hactenus potuisse cum suis membris errare, atq; in ipsius ecclesiis aliquid esse, quod emendare oportuisset.

Quod sacrum) id est, execrabile: quippe quod cupit condemnatam & extirpatam genuinam ipsam Christi doctrinam.

Et universale concilium.) Abutitur verbo Vniversale; nam re ipsa, futurum est Concilium paucorum episcoporum conjuratorum, creaturarum Papisticarum, alii enim, præter has, non admittentur. Præterea universale concilium non est dicendum, cui neq; Henricus Galliarum, neq; Eduardus Angliæ, neq; Sigismundus Poloniæ, neq; alii quidam principes, neque quædam aliæ provinciæ consenserint, & prudentissime agunt.

Per felic. Paulum III. prædecessorem nostrum indictum, & per nos, qui eo tempore honore Cardinalatus fungabamur, & ipsius nostri prædecessoris nomine.) Sic commemorat seipsum fuisse illius Concilii legatum & gubernatorem, certo scitote, omnibus nervis laboraturum illum Beatum Patrem, ut omnia quæ illic gesta sunt, quantumvis impia, nova hac synagoga confirmentur.

Vna cum duobus aliis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præsidebamus.) Hæc commemoratio, quod duo alii Cardinales una cum eo præsederint, eo tendit, ut cœpto illo Concilio autoritatem atq; existimationem conciliet apud omnes.

Cœptum, ordinatum, & continuatum, in quo multæ publicæ & solennes sessiones factæ.) Commemoratio multarum publicarum & solennium sessionum, ad idem tendit. Sed fuerunt solennes pompâ mitrarum & vestium, ornatibus altarium, & musica: & fuere publicæ atq; apertæ solis papisticis, aliis autem omnino clausæ: imo etiam ex ipso Papistico grege aliquot fuere ejecti, exsibilati, quia semiliberum verbum contra voluntatem Papæ ausi fuer nt aliquando summissa voce trementes emittere, & quia tantum essent suspecti. Quid facerent illæ Tridentinæ larvæ, si illic viderent faciem, & audirent vocem unius viri, qui palam & intrepide vellet partes nostras, id est, sanctum IEsu CHristi Evangelium tueri, & illud contra contaminationem omnium humanarum inventionum fortiter asserere? Clamarent ita & furore perciti, illum esse tollendum, & in eum rogum conjiciendum, in quem ante centum annos conjecti sunt Johannes Huss. & Hieronymus de Praga.

Et multa decreta tam ad fidem) Pauca illa decreta, quæ de rebus fidei illic facta sunt, magna ex parte sunt contra verbum Dei, præcipue vero illud de Justificatione.

Quam ad morum reformationem spectantia.) Hoc est impudentissimum ac maximum mendacium, & mirum est, non pudere Papam tam insigniter mentiri. Nam minime verum est, factam fuisse illic ullam morum reformationem, imo publico decreto sanxit conciliabulum illud, etiam

Tridentino Cardinale reclamante, ut tota ea pars, quæ ad morum emendationem pertinebat, prorsus omitteretur.

Publicata, & multa ad utramque rem pertinentia examinata & excussa, ad civitatem Tridenti reducatur.) Tantundem erat, si *Romam* rectâ transtulisset: siquidem tanta libertas loquendi futura est Tridenti, quanta *Romæ* futura fuisset.

p. 642. Nos, ad quos, & ad summos Pontifices pro tempore existentes, spectat publicare generalia concilia] *Affirmat*, ad se unum pertinere, generalia concilia publicare, quæ olim Imperatores convocare consueverunt: & suam vult statuere autoritatem & potestatem supra ipsa concilia: & interim contemnit universitatem Parisiensem & regnum Galliæ, quod etiam Concilii oecumenici autoritatem *Papis* anteponit, & recte.

Et ea dirigere.) Non modo vult ipse indicere concilia, sed per singulos dies & horas ea dirigere. & suos Episcopos docere, & cogere, ut semper comprobent quod ille jusserit, id est, vult uti fistulis organi alicujus, per quas ipse spiret, & sonet, ac loquatur ut vult.

Ut procuraremus pacem Ecclesiæ, augmentû fidei Christianæ & Orthodoxæ religionis, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei: & etiam ut, quantum in nobis est, tranquillitatem *Germaniæ* procuraremus) *S*uæ ipsius *Romanæ Ecclesiæ*, imo tyrannidis pacem, opes & delitias hoc *Concilio* quærit, & non Christi Ecclesiæ augmentum suarum superstitionum & idolomaniarum, non Christianæ fidei & orthodoxæ religionis: ad suam ipsius potentiam & gloriam stabiliendam, non Dei. Deniq; scissuram, turbationem, & cædes contra *Germaniam* procurat, non pacem & tranquillitatem. At videte, ut Germaniam solam, ut dixi, sæpe nominet: perinde ac si in Italia, in Hispania nihil sit in causa religionis, quod corrigere necesse sit. *At* qui non videt, has provincias, plenas esse gravissimis abusibus & erroribus, nihil plane videt.

Quæ sane provincia retroactis temporibus in vera religione, & doctrina sanctorum Conciliorum & *Patrum* colenda.) En quam demum religionem *Papa* putet esse veram: eam: scilicet quæ doctrinas conciliorum & patrum habet pro fundamento: & eam, quæ credit, *Rom.* Episcopum esse vicarium Christi. *At* nos, illam esse veram doctrinam, certo scimus, quæ sanctum Jesu Christi Evangelium habet pro angulari lapide, & ipsum Christum redemtorem nostrum pro solo & vero pontifice: quicquid concilia, quicquid patres & Papæ voluerunt aliquando contra & ultra hanc sacrosanctam veritatem statuere. Præterea scitote, hic præscribi normam, juxta quam creaturæ Papisticæ sententiam in concilio dicturæ sint: id est, ut ne latum quidem unguem liceat eis discere ab omnibus decretis conciliorum.

Et in exhibenda debita obedientia & reverentia Pontificibus *Maximis*, Christi redemtoris nostri in terra vicariis.) Hinc illæ lachrimæ! Nullum non movet lapidem, ut possit veterē illam obedientiam & reverentiam recuperare. Sed frustra laborat, postea quam cœlestis Pater revelavit ac docuit veram obedientiam & reverentiam, quam summo nostro Pontifici JESV CHRISTO debemus à qua non sinemus nos unquam avelli ullis conditionibus: neque amplius ad vomitum & ad volutabrum luti, id est, ad cœnosas & fœtentes *Paparum* superstitiones redibimus, etiamsi millies moriendum sit.

Nemini fuit secunda) Germania placuit aliquando papis *Romanis*, & nunc affirmat Julius, eam nemini fuisse secundam. Laudat scilicet veterem eius ruditatem ac veluti stupiditatem eius temporis, quo sinebat se nugis papisticis fascinari & dementari: nunc cum (Dei benignitate) facta sit cultior, & sane floreat viris doctissimis & prudentissimis, & pro superstitionibus novisq; cultibus, qui ab animalibus hominibus invecti fuerant, complexa sit veterem & genuinam ipsam JESV CHRISTI doctrinam, *Antichristis* non potest amplius placere.

Sperantes per gratiam & benignitatem ipsius Dei, quod omnes *Reges* & principes Christiani his nostris justis & piis desideriis consentient, & dabunt nobis favorem & assistentiam.) Hic palam protestatur, quod nullum *Regem*, nullumque principem Christianam, quantumvis pium & doctum, admissurus sit in judicem earum rerum, quæ in Concilio proponentur: sed ait, satis futurum esse, si assistat, & sinat *Papam* agere fabulam cum suis personatis fratribus, quemadmodum vult. *At* vere stupidi essent Reges & Principes, si ituri illuc essent, & vellent duntaxat assistere, ac non etiam libere loqui & sententiam dicere, etiam frementibus *Papis*.

Per viscera misericordiæ Domini nostri JESV CHRISTI hortamur,) Non imperat, ut omnes undiq; *Episcopi* accedant, sed hortatur, nam paucos quosdam habet ex suis in eo genere exercitatos, quos jam convocavit, & quos certo novit ab eius voluntate ac nutu nunquam esse vel tantillum discessuros.

Requirimus & monemus venerabiles fratres nostros *Archiepiscopos*, Episcopos, & dilectos filios abbates. Hic animadvertite, multis modis esse jam exclusos & ejectos è concilio omnes viros doctos, quos habet Germania, *Anglia*, Rhetia, & qui puriorem doctrinam profitentur; nam

Papa

Papa invitat suos venerabiles fratres Archiepiscopos & Episcopos, & suos dilectos filios abbates. *At* ministri Ecclesiarum *Evangelicarum* (si spectes communem usum loquendi, præsertim *Romanæ* curiæ) non sunt *Archiepiscopi* aut Episcopi, neq; eos cognoscit Papa pro fratribus aut filiis, sed pro hæreticis & schismaticis, pro barbaris, pro sacrilegis, pro ebriosis, pro stupratoribus & adulteris, pro raptoribus, pro infidelibus. His scilicet encomiis sua sanctitas
1542, nuper eos excepit in libro Mutii gladiatoris: ergò non solùm non vocantur, sed longissimè arcentur à concilio, veluti hostes capitales. Imò disertè affirmavit Paulus tertius in sua bulla indictionis, cui veluti primo fundamento hæc ipsa imposita est, quòd contra eos Concilium adornet, ut illos extirpet radicitus.

In summa, à Papa soli ejus prælati vocantur, qui in concilio sententias dicant: & non ministri, pastores, concionatores ecclesiarum nostrarum. Appellatione verò Prælatorum quinam veniant, facile est videre in libro, quem sacrarum ceremoniarũ appellant, ubi hæc verba habentur: Adsunt in conciliis ad statuendum *Romanus* Pontifex, tanquam rector & moderator totius ecclesiæ, pastor gregis Dominici, & omnium Episcoporum Episcopus: sacer Cardinalium senatus, Primates, Archiepiscopi, *Episcopi*, *Abbates*, quib⁹ non immerito & ordinum religiosorum generales magistri additi sunt: deniq; omnes Prælati, qui secundum formam juramenti, quod præstant, qvum ad dignitates promoventur, ad synodum venire tenentur.

Omnes & singulos eos, qui de jure] Hactenus satis clare Papa nostros à Concilio excluserat, qvum dixerit, se fratres suos archiepiscopos, & dilectos filios abbates cõvocare. Sed tamen adhuc vult clariùs excludere: nam ait, se eos vocare, qui de jure possunt cõciliis interesse, at de jure (præsertim canonico) nemo eorum, qui à Romana curia dissentit, potest adesse in conciliis. *Is* enim pro hæretico habetur inter *Antichristos*: ergo omnes sunt exclusi, qui eam curiam accusant, quod sanctam Jesu Christi doctrinam corruperit.

Et de consuetudine) Adhuc hoc verbo nihil aliud agit, quàm ut eosdem excludat Nam cum gurgites illi Paparum undique omnes omnium Jurisdictiones atque authoritates ad se traxerint, usurpaverint, & absorbuerint, solos Episcopos unctos & mitratos putârunt esse ad eorum conciliabula convocandos. *Itaque* consvetudinem nunc appellant id, quod violentia & tyrannide introductum est: ita tolerante ignorantia & negligentia quorundam principum & populorum. *Et* si quispiam vellet nunc ad *Tridentinum* Concilium accedere, statim audiret, diximus & protestati sumus Bulla edita, ne huc veniretis: quia talem consvetudinem non habemus, ut alios quàm unctos, mitratos, & conjuratos nostros admittamus. *Itaq;* vos abite hinc in malam rem, nisi fortè & in ignem conjicerent.

Aut ex privilegio debent generalibus Conciliis interesse.) Papa non modo vult suo arbitratu indicere cõcilia, modò post centum annos, modò post quinquaginta: tametsi lex lata sit ab ejus Constantien Cõcilio, quòd singulo decennio cogatur ea celebrare: non modò vult dirigere & præscribere quid illic statuendum sit, verum etiam vult constituere suis privilegiis cotidie novos judices, quales vult. Illiusmodi vero privilegia nemini daturus est, nisi suis aulicis, quibus plurimùm fidat, quiq; cum omni studio defensuri sint. Imo sciendum est, quod confestim, ubi ipse videret, advenisse ad Concilium aliquot bonos & pios viros, à quibus sibi metuendum putaret, ille ut hos numero votorum posset superare, daret isthæc privilegia quinquaginta aut sexaginta ex suis carnalibus *Curtisanis*, ut repente evaderent in Theologos & judices sacræ causæ, & pares essent autoritate Episcopis atque Archiepiscopis.

Nec non eos, quos prædecessor noster in suis superinde literis factis & publicatis interesse voluit) Hoc enim egerat *Paulus* tertius, qui aliquot Rotæ auditores, & Fiscales nescio quos sycophantas, atq; alios quosdam monachos *Catarinos*, qui neque Episcopi erant neque abbates, concilio inservit, & jussit, ut nihilominùs possent sententiam dicere, ac si fuissent prælati. *Atque* hoc ipsum est, quod nunc Julius hic ait, velle se, ut omnes hi possint Concilio interesse, quibus ejus prædecessor privilegia dederat, tanquam de Concilio benè meritis.

Ut proximis Cal. Maji debeant, cessante legitimo impedimento, se conferre & congregare ad civitatem Tridenti) Papa non existimat, esse legitimum impedimentum ejus Episcopi, qui sit plane indoctus, & totus caro & mundus: quales sunt eorum fere omnes. Quin potiùs hujusmodi cupit habere in suo Concilio, ut clausis oculis confestim annuant mitrâ, & dicant *Placet*, ad omnia quæ illis proposita fuerint. Sed justũ impedimentum putabit esse ejus, qui in curia *Romana* emerit officium aliquot, aut suæ sanctitati, vel sacrosanctis Cardinalibus cotidie assistat & famuletur.

Quo tempore & die, prævia matura deliberatione, & nostra certa scientia, & ex Apostolicæ autoritatis plenitudine, & de consilio & assensu nostrorum fratrum sanctæ Rom. *Ecclesiæ* Cardinalium constituimus & declaramus; ipsum Concilium in eo, in quo nunc est, statu resumendum

mendum & prosequendum) Hoc attendite, quod maximi momenti est. In ipso Concilio Tridentino hactenus jacta fuêre fundamenta, super quibus veluti statuendæ essent bombardæ impietatum, quibus Papa posset impetere & destruere veram Jesu Christi doctrinam. Hic itaq; disertè dicit, velle se, ut super illis ipsis, & non aliis fundamétis suæ creaturæ perseverent ædificare: verbi gratia, jam legem tulit, ut sola vulgata Bibliæ editio habeatur in precio, & regnet, fontibꝰ Hebraicis & Græcis cum bonis translationibus condemnatis. Deinde posuit secundum librum Maccabæorum inter canonicos ita, ut sit par autoritate his qui sunt in Canone.

p. 643. Præterea affirmavit, quòd Christus & Apostoli ultra ea, quæ scripto continentur, traditiones nescio quas dederint necessariò servandas ecclesiis. Deniq; quòd nemo possit exponere locum aliquem scripturæ secus, quàm *Ecclesia* Rom. hactenus fuerit interpretata.

Atq; ista quatuor decreta si observẽtur, jam actum est de puritate doctrinæ, quam profitemur, & planè cõfirmati sunt omnes Ecclesiarum Papisticarum errores. Nunc itaque nullum novum & liberum concilium indicitur, in quo illi, qui à Papis diffident, possint esse præsentes, & causam nostram, ac potiùs Christi defendere: sed vetus & servum illud à filicernio illo *Paulo* III. orditum proponitur continuandum, atq; super iisdem fundamentis, ut dixi, quibus cœptum est, absentibus nobis, & nunquam vocatis. Itaque quid ab eo expectandum sit, cogitare: præsertim cũ omnes illi *Episcopi* & prælati solenne jusjurandum Papæ præstiterint, quòd ab ejus sentẽtia nunquam discedent: imò cum causam nostram non intelligant: fuit enim illis edita bulla nuperrimè interdictum, ne possint libros legere, in quibus insunt nostræ doctrinæ.

Et nos operam dabimus, ut eo tempore in eadem civitate nostri Legati adsint omninò.) Unus tantùm legatus missus est, Cardinalis *Crescentius*, merus canonista, id est, acerrimus hostis renascentis Evangelii. Cur adjuncti sunt duo, quos Papa appellat *Assistentes*, ejusdem farinæ viri, Veronensis Episcopus, & *Pighinus* nescio quis, atq; per ministerium horum trium Papa imperabit quotidie episcopis atque aliis Prælatis, servis suis, quidnam sint facturi & dicturi. Itaq; potuisset etiam his sumptibꝰ & laboribus parcere, & Romæ palàm pro tribunali nostras opiniones & doctrinas condemnare: quandoquidem ejus astutiæ & imposturæ jam sunt toti orbi patefactæ.

Quorum medio nos, *Spiritu* sancto duce ipsi concilio præsidebimus) Toties inculcat, ad se pertinere concilium convocare, regere, judices creare, & præsidere, atque hoc perinde est, ac si diceret: Nemo huc accedat, nisi qui voluerit mihi subesse, obedire, & in rebus omnibus sine ulla exceptione consentire.

Casu, quo aut per ætatem, aut per valetudinem, aut per *Apostolicæ* sedis necessitates personaliter interesse non possemus.] *Si* fortè voluerit ipsemet interesse (quamquam libentiùs volet cum suis exercitibus proficisci, quippe qui sitiat humanum sanguinem, & nunc totum Christianum orbẽ suis conciliis, & sua illa parma conturbârit) propterea intererit, quia sua præsentia sperabit omnes suos mitratos milites in officio continere, & cavere, ne quis eorum audeat hiscere, neve ex nostratibus aliquis illuc possit irrumpere, Christi causam defensurus. Nam omninò hoc agit & spectat, ut nos inauditos, atq; etiam non vocatos condemnet. Non planè diffidit causæ suæ.

Non obstante translatione & suspensione, aliisq; contrariis non obstantibus, & præsertim his, quæ idem prædecessor noster in suis prædictis literis voluit non obstare, quæ cum omnibus & singulis clausulis & decretis volumus in suo robore permanere, & in quantum opus esset, etiam innovamus: irritum nihilominùs & inane decernentes, quicquid super hoc quopiam (cujuscunque autoritatis existat) scienter aut ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat huic nostræ hortationis, monitionis, statuti, declarationis, voluntatis, invocationis chartæ ausu temerario contradicere. Si quis verò hoc ausus fuerit tentare, sciat, se omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli indignationẽ incursurum] Postrema hæc sunt inania quædam & verè bullaria verba, quæ Papæ solent effutire & crepare, ut perterrefaciant simplices. In summa, hîc audimus astutias, dolos, imposturas, minas atroces, & plusquàm tyrañicas, adversus eos, qui ausi fuerint sanctiss. Patri contradicere. Et interim de Christo Jesu, de ejus Evangelio & beneficio, de fide, de charitate, de misericordia, clementia, & sinceritate verbum omninò nullum. Nisi fortè velimus esse contenti egregia illa doctrina, quam addidit in calce bullæ: ubi non satis putat, comminari indignationem omnipotentis Dei: nam (perinde ac si non sufficiat Deus sua ipsius potestate ad ulciscendum, si velit) addit, D.D. Petrum & Paulum affuturos, & omnipotentiam Dei sua ipsorum autoritate, juvaturos.

Proh pudor! hæ scilicet sunt doctrinæ, quas Tridentina *Synagoga* comprobatura est: Nam putaret, actum esse de tota fide Christiana, & de salute electorum, & irritam & inanem futuram Jesu *Christi*, *Domini* nostri crucem & mortem, nisi divorũ intercessionem retineret. *Sed* habeât ea

ēam sibi,& insaniant quantum velint: nos solo filio dilecto,quem nobis donavit cœlestis pater,intercessore,mediatore & advocato utemur,& fruemur: qui etiam spiritu oris sui destruet istas humanas potentias & astutias Papales, ad laudem & gloriam sancti nominis ejus.

In summa summatum,ponite vobis Papam ante oculos, sedentem in superbissimo suo solio,atq; indignabundum hæc ita jactare: Cæsar obtundit me & extorquet, ut concilium celebrem: at ego his demum legibus celebrabo.

Primùm volo ego in ipso concilio dominus esse,ego convocabo,ego præsidebo, ego dirigam & proponam, quæ mihi libitum fuerit: & volo, ut omnes qui affuturi sunt, sentiant & dicant quemadmodum ego volo.

Deinde palam edico, me pro extirpandis hæresib. Germaniæ ad hanc Concilii
644. celebrationem descendere: nam pro mea Roma,pro Italia, pro reliquis provinciis & nationibus,quæ meam doctrinam, meamq; obedientiam retinent, nihil opus est concilio: omnia enim in his benè habent, & scio,me non posse errare.

Deinde sciant omnes *Reges* & principes,me nunquam permissurum, ut vel ipsi vel eorum oratores possint sedere in hoc concilio ad sententiam dicendam, sed solùm ut assistant,& sint spectatores.

Item longè repello à toto Concilio omnes eos,qui neq; *A*rchiepiscopi sunt,neque Episcopi,neq; Abbates,aut prælati, & non jurârunt,se fideles nobis futuros, & multò longiùs omnes eos summoveo, qui mecum & cum sede mea in doctrina & moribus non consentiunt, & me non habent pro verissimo Christi vicario.

Præterea volo, ut meæ creaturæ in decretis faciendis nihil aliud spectent, quàm quod cōcilia & partes ante nos statuerint: & ut ab eorum vestigiis & norma ne tantillum unquam discedant. Postremò jubeo, ut habeant omnes pro universali,legitimo, & sacrosancto illud Concilium,in quo ego ut legatus prædecessoris mei præsedi: nā in eo jacta sunt fundamenta, quæ necessaria putavi pro regno meo stabiliendo: itaque illud ipsum volo nunc resumere,& persequi,non aliud novum inchoare.

Si diligenter totam bullam excusseris, videbis, me omninò collegisse conditiones,quas ille astutissimus Pater proponit. Itaq; sentiant alii quod volunt, ego in ea sum sententia,ut putem, Papam de industria voluisse tam duras leges & conditiones sui Concili proponere,ut quodammodo deterreret eos bonos viros, qui alioquin optassent Concilium adire veritatis quendæ gratia. Nam prorsus nollet illud celebrare,& non proponit ex animo, sed mallet frui suo papatu,partim in voluptate & deliciis,partim in bellis gerendis. *A*ut si compulsus à Cæsare cœperit celebrare, & viderit,aliquem advenisse ex his, qui ab eo dissentiunt,præsertim si quis benè doctus futurus sit, aut à magno aliquo principe missus,certè non permittet unquam, eum posse de articulis cōtroversis vel verbulum facere,sed lactabit inani spe,& tandem decipiet,& irridebit eum sua astutia. Verùm si ex animo optaret concilium celebrare, missis tricis,cavillationibus atque insidiis, in hæc potiùs aut hujusmodi verba convocasset.

*S*entimus undiq; multas gravissimorum hominum querelas,qui clamant, puram Jesu Christi doctrinam atq; Ecclesiam vehementer esse contaminatam & corruptam: & quoniam sperandum est,fore, ut posteaquàm unâ convenerimus ea animi sinceritate,ut velimus quærere valetudinem,purgationem atq; illustrationem ipsius ecclesiæ,cœlestis pater mittat in animas nostras Spiritum suum sanctum, doceatq;, quid nobis sit agendum & dicendum.

Hanc ob causam rogamus omnes Reges,omnes principes, omnes magistratus atq; ordines, ut ex omnibus suis subditis seligant eos,qui pietate, innocentia vitæ doctrina & prudentia reliquos antecellūt, atq; hos demum jubeant ad concilium venire,ubi pollicemur omnia tuta illis esse futura,præsertim verò quòd potuerunt liberè loqui,quicquid Deus suggesserit. Et nos vicissim mittemus viros doctos, qui apud nos sunt, aut in nostris urbibus degunt,neq; laborabimus,utrum sint episcopi,*A*bbates,aut prælati, an non sint: sed tantùm ut sint pii,prudentes & docti. *A*tq; hi omnes in Spiritu sancto congregati,mutua benevolentia & charitate diligentissimè quærent & diffinient id,quod verum est, & in suis judiciis & sententiis ferendis nullam aliam normam sequentur, quàm sanctum Jesu Christi Evangelium: & nihil aliud spectabunt,quam solius Dei gloriā.

*S*i,inquam, seriò & sincerè nobiscum ageret *P*apa,hac potius formula,uteretur: sed non est illi cordi simplicitas, nihil minùs, cogitat decipere, mala mens,malus animus. *A*t destruat eum Deus cum suis imposturis.

Idem Jul.3.cudit monetam novam,& inscribi fecit: Gens & Regnum, quod mihi non paruerit,peribit.

Thomas Naogeorgus in Regno Papistico.

Ex multis quædam tantùm hujus authoris recitabo.

Assignant etiam divûm sua munera cuiq;
Bis septemq; ferunt,quorum certissima spes

Auxilia

Auxilia: hos inter primos sanctissima Virgo
Obtinet & casu clemens succurrit in omni.
Barbara conservat, ne quis sine corpore Christi
Decedat. Catharina fovet doctosque scholasq;,
Donat & ingenium, tortosq; resolvere nodos,
p. 645. *Præstat & insanis firma argumenta sophistis.*
Culta putres sanat diva Appollonia dentes.
Otilia virtus lippis medicatur ocellis.
At scabiem pellit, sanatq; mala hulcera Rochus.
Est cujus nomen versu non dicere possis:
Is valet adversus pesten, contagia cultus.
Porro Valentinus morbum spretoribus addit
Herculeum, auxilium contra imploratoribus adfert.
Saltantes Vitus præsenti numine sedat,
Et reddit menti precibus donisq; vocatus.
Ilia procurat, tormentaq; ventris Erasmus.
Ut dorsi spinam & scapulas Laurentius ille.
Blasius anginam miris, quas consecrat, undis
Arcet ab armentis, gregibus, nuribusq; virisq;.
At captivorum Leonhardus vincula rumpit,
Carceris & portas reserat, crassasque catenas.
Frangit & ade sua ferri vim possidet amplam.
Quartanam reliquasq; febres Petronella repellit.
Diraq; Joannes proprio à cultore venena:
Quod Benedicto etiam tribuunt: satis ut sit ubiq;
Auxilii in Divis. Quid enim tu rerum omissum?
Utq; improvisum sic formidabile lethum
Avertit Marcus fato violentior ipso.
Divitias lautumque suis cultoribus Anna
Largitur victum, rerumq; est promta repetrix
Amissarum: id quod fausto quoq; numine fertur
Cultus largiri Vincentius, haud scio quisnam.
Contra ignominiam turpem Susanna vocatur.
Pellit ab obsessis Romanus dæmonas omnes.
Contractos sanat Wolfgangus Episcopus artus,
Wendlinus custodit oves, oviumq; magistros,
Atque boves idem pingues, ut fecit & olim:
Setigeros verò porcos Antonius ille,
Quos coluisse olim vastam narratur eremum.
E domibus mures abigit, gliresque nocivos,
Gertrudis quædam: penitusq; extinguit eosdem
Hulderichus præsul patriæ conspergine glebæ.
Gregorius curat pueros, elementaq; tradit
Primus, deinde etiam studiorum instillat amorem
Nicolaos nautas miseros tutatur in alto,
Et qui trajiciunt vasti tumida æquora ponti.
Christophorus grandi depictus corpore vulgo
Curat idem: tantumq; aspectus noctis atroces
Visus terroresq; arcet, somnumque quietum
Certaque per vitam cultori gaudia confert.
Ne noceant ignes surgantq; incendia dira,
Dat virtus Agathæ: porrò orta extinguere fertur
Florianus, ferro totus munitus & urnâ
Gnaviter infundens. Urbanus vina secundat,
Et multo replet spumantia dolia musto.
Jodocus fruges tristi à rubigine servat,
Et bruchos tollit Magnus. Tua cura Georgi
Sunt equites, magnaq; colunt tua fœdera pompa
Reges atque duces, generosorumque caterva.
Curat equos faber Eulogius, tutatur & omnes
Fabros, seu ferrum tractent, seu pulcherrimum aurum.
Omnia pictorum servat collegia Lucas.
Cosmas cum socio medicos defendit & ornat.
Omnes quis numeres divos, divasq; Papatus?
Ad quos quisq; fugit cantu, prece, munere, cultu,
Quos vocat auxilio præsentia numina tanquam.
Scilicet ignavum credunt, valideve furentem,
Curantemq; aliud nil, quàm pigra otia, Christum.

Gerardus Busdragus Episcopus Argolicensis.

Biblia est liber hæreticorum nosq; dicimus

timus cum Ecclesiâ: si etiam Diabolus merdaret in aquam benedictam, & mater ejus in eam mingeret: tamen maneret aqua benedicta. Tu tamen allegas antiquum Testamentum (Aggei secundo:) quod fuit figura novi Testamenti, sed nunc cessavit: ideò nunc revelatâ veritate, per authoritatem Ecclesiæ, aqua benedicta non potest pollui, etiamsi omnes diaboli in eam merdarent: quia Ecclesia non potest errare. Imp. Carolo 5. Pp. Julio 3.

553. *Horrenda portenta.*

In Saxonia, in quodam saltu locoq;, quò postridie (9. Julii) funestum commissum fuit prælium, aliquot diebus antè magni strepitus, fremitus, turbæ, clamores, ploratus, cursitationes, miseri boatus audiri fuerũt. Sæpè quis vociferabatur, Ah, ah, væ, væ, væ. Pridie autem illius diei impetuosus ventorum turbo duo tabernacula ducis Mauritii dissipavit & humi fudit: unum, in quo habitum fuerat convivium: alterum in quo culina fuit: reliquis autem tentoriis nihil accidit adversi.

Item aliquot septimanis ante factum prælium, sæpenumero in Misnia ingentes copiæ canum confluxerunt, inq; se mutuò truculentissimè irruentes, diris se confecêre morsibus ita, ut neq; clamoribus, neque verberibus potuerint divelli & separari.

Die Dominica proxima securæ morti Ducis Mauritii, in Thuringia in cœlo procerus quidam Gigas integer ex omnibus artubus & membris, conspectus fuit, ab eo ex omnibus corporis partibus copiosus demanavit sanguinis amnis; deinde flammæ & candentes favillæ ab illo prolabebatur: tandem in frusta concidit, & resolutus in tenues evanuit auras. Job. Finc. lib. 1. Amper. & Pp. V. S.

54 *Georgius Fabricius Chemnicensis:*

Res Boemicas, Jacobe, ad Sleidanum nostrum mitto: quas illi reddet Rihelius. Adjunxi & de proximo prælio in diœcesi Hildesheimensi narratiunculam, è castris scriptam, in aulâ emendatam.

Ante prælium tractus ille terræmotu concussus est: & in campo nocte præcedēti, fremitus pugnantium, & equorum strepitus, terribili cum vento auditi. Proximè Lipsiam, quâ Chemnicium itur, sanguine pluit. In oppido ipso mira rabies erat canum, aliquot mensibus: qui se lacerabant invicem ita, ut pugnando & mutuis morsibus conciderent. Credo, nunquam acriùs in Germaniâ pugnatum esse.

Princeps noster in sinistro latere supra cingulum ictus: tertio pòst die, cum intestina læsa essent, ut nec urinam reddere, nec alia opera naturæ facere posset, vitam mortalem finivit: in ardente invocatione Dei. Nam interfuit Joannes Albinus, optimus vir: qui iniquitate æmulorum, ex aulâ & Ecclesiâ pulsus, summum jam in nostrũ Principem contulit beneficium.

Comitia fient Lipsiæ post triduum. Arbitri constituti sunt inter Augustum (fratris Mauricii successorem) & Joannem Fridericum senem (Electorum decus, & suas possessiones repetentem] Rex Daniæ, socer Augusti, Electores Brandenburgensis & Palatinus, Dux Clivensis, Bavarus, VVirtembergensis, Landgravius Hassiæ. Utinam pia pax restituatur, & fugiantur impiorum societates, & fœdera. Heu, quò redacta Germania est? Vale. Misenæ, 17. Calend. Septemb. Anno Domini 1553.

Idem fratri Blasio Fabricio. Wolff von Werter ist mit in der Schlacht gewesen / und hat sich umb meinen Herrn / das ist / unter den rechten Hanen finden lassen: ist ihm Gott Lob / nichts wiederfahren. Das tröstlichst ist mir gewesen / das unser Herr seeliglich gestorben: auch von Herrn Johann Albino, der im Churfürsten Krieg zu Kemnitz von ihm zoge in Ungnaden / neben Gott gewißlich erhalten. Hat bekant / er wolle gern sterben: und diesen P. 647.
Spruch: Oves meæ vocem meam audiunt: und / Sic Deus dilexit mundum, & cæt. zu Trost herzlich angenommen: und begehrt ihm offt dieselbigen vorzusagen Ist biß an sein Ende / bey guter Vernunfft gewesen / und zu Freyburg mit gewöhnlichen Gepräng begraben / neben seinen Vater und Sohn / (Henricum & Albertum] seliger Gedächtniß. Ist auch sein Pittschir Ring / altem Brauch nach / dieweil er keinen Leibserben verlassen / beym Grab zerschlagen worden.

Datum 17. Augusti, zwischen sieben und achten auff den Abend / um welche Zeit ein groß Erdbebem / das mir die Bücher und Schreibzeug auff dem Tisch umgefallen / gewesen / vor zwey Jahren weinet hie ein Kind im Mutterleib. Vor ein Jahr schwitzet ein Weib in ihrer Kranckheit drey Tag bluttigen Schweiß / ist nicht vergebens gewesen / Gott woll uns gnädig sein / um seines Sohns Jesu Christi willen: Vale. A. 1553.

Idem scripsit, monachum quendam pastorem Misenensem, anno 15‥5. odio & contemtu sexus fœminei, quotiescunq; fœmellam aliquam sacris undis esset abluturus, dicere solitum fuisse, statim à baptismo in profluentem conjiciendam: getäufft und ersäufft: sed ipsum de ponte Albis, cum fortè prospiceret, justo Dei judicio delapsum submersum fuisse.

Idem scripsit & ad Philipp. Melanth. elegiam de infante, qui quinto ante partum die ploravit in utero materno: de quo etiam Fincelius.

Porten-

1553 *Portenta mira.*

Mauritius Saxoniæ princeps, & Imp. Romani elector, cum jam vicinorum patrocinio, Albertum, Marchionem Brandenburgicum, in Germaniæ certis in locis igne ferroq; sævientem, persequitur, cum eodem in diœcesi Hildeshemensi fortiter congressus, fuso fugatoq; ejus exercitu, captisque hostium signis 68 demum in ipsâ clade, bellici tormenti ictu, quem in latere dextro acceperat, tertiâ post eam die fortiter occubuit. In eadem pugnâ Carolus & Philippus, duces Brunsvicenses, Henrici filii, & Fridericus dux Luneburgensis interierunt.

Portenta tantæ calamitatis fuêre multa. Canum rabies, quâ ad mortem usq; certârunt, fremitus in aere, sanguineæ in herbis & arboribus guttæ, hominum & equorum in illo campo, in quo conflictus fuit, nocte intempestâ audti clamores, ejulatus item nocturni in oppidis. In arce Perlini de statuâ Mauritii. nullâ vi adhibitâ, delapsum est caput. Ipse quoq; viro cuidam optimo in flagrante domo per quietem visus fuit. Hæc scribit Georgius Fabricius Chemnicensis in Misniacis.

1553. *Hieronymus Marius in Eusobio captivo.*

Anno 1542. Paulus tertius in tabellis habebat numerata 4.5. meretricum millia: ex quarum fornicatione singulis mensib' censum exegit, contribuente qualibet secundum pulchritudinis suæ excellentiam. Hæ à Papa in summo honore habentur, hæ Papæ pedes exosculãtur, hæ Papam familiarissimè alloqvuntur, hæ cum Papa die noctuq; consuetudinem habent: qui verò unico Christo fidunt, ejusq; doctrinam amplectuntur, à Papa pro hæreticis habẽtur, exulant, proscribuntur, carceribus mancipantur, compedibusq; astringuntur: triremibus, aquis, laqueo, securi, igneq; plectuntur.

Idem. Pontifex Innocentius qnartus, in Friderici odium, Lugduni conciliũ statim indixit: ubi illemet Innocentius concionabundus Fridericum ipsum citabat. Friderici verò Legatus, tempus opportunum dari, precabatur, quo venire Lugdunum posset. Quod pontifex non modò non de-

p. 648. dit: sed irâ ac furore succensus, Fridericũ anathemate notabat. Imperiali dignitate privabat, à juramento fidelitatis principes absolvit: eosq;, ut alium eligant Imperatorem, hortabatur. Multa contra pijssimũ Imperatorem falsa produxit: perjurium, sacrilegium, & quorundam clericorum captivitatem, atque id genus alia. De quibus omnibus etsi Imperator honestissimè apud principes antea se purgasset: Põtifex tamẽ adeò principes solicitavit, ac pollicitationibus commovit, quòd Henricum Landgravium Thuringiæ elegerũt. Quod cum ad Imperatoris aures pervenisset, strenuè adversus Innocentium, ad alios quoscunq; tyrannos, imperium suum defendit, donec in Apuliâ Pontificis laqueos effugere nequivit.

Nam ibi quidam pontificia largitione corruptus, venenum sacro Imperatori exhibuit. Cujus causâ cum Imperator graviter laborasset, jam convalescere videbatur: sed à Manfredo quodam adolescentẽ spurio, qui & à Pontifice fortè corruptus erat pecunia vel promissis, ori injecto pulvinõ, suffocatus est. Hæc sunt, quæ de invictissimo Friderico enarrari debent. Nec hac in causa Blondo, Platinæ, Stellæ, vel Sabellico fides habenda est. Nec mirum quidem. Hi enim tantùm ea scripserũt, quæ passim à pontifice ac ejus adulatorib', contra imperatorem vulgabantur per totam Italiam ut contra eum totum terrarum orbem (si fieri potuisset) concitaret: at qui rei veritatem agnoscere cupiunt, Petri de Vineis libros sex Epistolarum legant.

Idem. Alexander Papa cum Gemen, Bajazetis Turcarum regis fratrem aliquandiu Romæ captivum tenuisset, & quotannis quadraginta millia aureorum nummûm (sicut & Innocentius 8. ejus prædecessor per multos annos acceperat) à Bajazete alimẽtorum fratris nomine accepisset; tandem oratoribus ad Bajazetem missis, obsecrat eum, ut Gallorum regem, qui regnum Neapolitanum invadere moliebatur, omninò reprimeret: veritus, ne Gallus, Neapolitano regno ac Roma occupata, tandem & Græciam ac alia ipsius Bajazetis regna potentissimo exercitu invadat.

His artibus Alexander tyrannidem suã tutari cogitavit, ideò Bajazetis imperii rationem habere simulat: oratoribusq; hac ex causa ad illum missis inquit, Bajazetem rebus Græciæ opportunè consulturum, si quotannis aliquot millia aureorum nummum sibi persolveret, ut una cum Aragonijs, quibus cum fœdus inierat, Gallorũ impetum terra mariq; sustinere posset, ac arcere. Sic enim fore, ut Neapolitanum regnũ ac Roma Othomanici imperii munimenta essent.

At quæ inter CHRISTI vicarium, ac Mahumetarum regem conventio est habita? Bajazetes Pontificem pecuniæ cupidum cognoscens, multa arte illi suasit, ut Gemẽ fratrem, tanquam alienæ religionis hominẽm, veneno tollendum curaret (hunc n. Bajazetes de imperio solicitus, ob ingentes ejus virtutes, si qua fortè custodia evaderet, maximè formidabat) id si præstaret Pontifex, ducenta millia aureorum nummûm, Christiq; inconsutilem tunicam integra fide se persoluturum, promittebat. Accepit

cepit condicionem Pontifex sanctissimus; ac brevi Gemen veneno interfici mandavit.

Quis hæc non miretur? Quis Alexandri factum non detestetur? CHRISTVS, dum veste exueretur, homini vitam largitus est: Alexander vero, cũ eandem acciperet, homicida factus est. Ac quis eius finis? Dum parato convivio opulentos aliquot Senatores eodem veneni genere, quo Gemen occiderat, interfici mandasset, contigit, ut incaute ab his, qui pocula porrigebant, mutata lagena, Alexander & ipse venenum hauserit, sicq; una cum senatoribus periret.

Idem. Clemens 6. homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus, diabolico furore percitus, literas scriptas foribus templorum affixit, quibus imperatori gravissimarum pœnarum supplicium comminabatur, suis nisi cupiditatib9 infra triduum satisfaceret, & ab occupatione jurium Imperii abstineret. Mira istius inclementis Clementis crudelitas. Imperator Francofurtum venit: & paratus omnia sibi injuncta pro virili facere, per oratores petiit, ut illi veniam daret; illumq; in sui gratiam reciperet. At pontifex oratoribus dicebat; se nunquam Ludovico veniam daturum, nisi prius omnes errores ac hæreses confiteretur, & Imperium deponeret, & se atque filios suos, & bona omnia in manus ac voluntatem ipsius reponeret: polliceretur q; se nihil horum rursus suscepturum, nisi ex ipsius pontificis gratia. Et horum omnium formulam quandam scripto oratoribus tradidit: eamque ut Ludovico offerrent, mandavit.

Vbi hic pastoris forma? Ubi patris aspectus? Ubi sanctitatis specimen? Bonus imperator, ne qua forte orirentur bella aut cædes, si non se subjiceret, formulam pontificis accipit, eaq; inspecta, Christiano sanguini consuluit. Huc enim plurimum effundendum conspiciebat, si in sententia perstitisset: ideoq; illam non tantum sigillo corroborabat: sed & juramento, se omnia servaturum esse, pollicebatur. Quod dum pontifex audisset, admodum miratus est. Sed num Ludovicum in gratiam suam recepit? num illi aliquod benevoli animi signum ostendit?

Audit, quomodo res se habuerit. Ludovicus formulam illam principibus, electoribus, ac oratoribus civitatum Imperii demonstravit. Principes Articulos quosdam,
49. quoniam in perniciem ac destructionem Imperii à Pontifice concepti fuerant, detestati sunt: Imperatori firmum auxilium & assistentiam polliciti sunt, si jura Imperii defensare velint. Per oratores Clementem rogaverunt, ut ab eis articulis, in læsionem sacri Imperii excogitatis, abstineret. Et nihil præterea aut agentes aut petentes oratores discesserunt. Clemẽs vero horum omnium causã in Ludovicum transferens, eis ac filiorũ exterminiũ una meditabatur.

In cæna Domini crudelissime eum execrabatur, Joannis Pontificis processus omnes durissimos innovabat, hæreticum ac schismaticum declarabat, principes electores admonebat, ut alium eligerent Imperatorem. Archiepiscopum Moguntinensem dignitate ac eligendi autoritate privavit eo, cum Imperatoris innocentiam cognosceret, sacram eius majestatem violare nolebat. Cæteri vero electores ingenti pecuniarum largitione corrupti à Joanne Bohemorum rege, Carolum ipsius filium in regem Romanorum decernebant: quem Clemens inclemens paulo post in publico consistorio approbavit.

At quis horrida bella enarrare posset, quæ ex Clementis hujus beatissimi in imperium admisso scelere orta sunt? Viginti millibus Gallorum per Eduardum Anglum prostratis, & Joanne Caroli patre cum multis millibus occiso. Ludovicus autem, dum pontificis processus adhuc curaret, imperii administratione relicta, ex Clementis insidiis, venenum bibit, ex quo atque corporis collisione mortuus est.

Hinc agnoscant populi, quam omnibus bonis detestandam tyrannidem pontifices Romani in Christi ecclesia exerceant. Optimos imperatores injusto anathemate feriunt: eos Imperiali majestate, omnibus bonis, omnibusq; liberis, quæ omnia à Deo ipso acceperunt, exspoliant. Electores Imperii autoritate sua privant, aliosq; quicunq; illis placuerint, substituunt. Imperatores, invitis omnibus imperii principibus ac civitatibus, eligunt: seditionum ac bellorum semina serunt: ut Christianus sanguis ferro exhauriatur, optant ac moliuntur. Si ferro id præstare non possint, ut id contingat lethalibus potionibus, procurant. Imperium ipsum deniq; ad eam vexerunt calamitatem, in qua hodie adhuc jacet.

Is enim Carolus, quẽ ipsi, invitis omnibus Imperii ordinibus, imperatorem creaverunt, ut filium sibi successorem pararet, Electores adeo magnis pollicitationibus ac largitionibus corrupit, ut publica imperii vectigalia illis oppignoraverit, quæ & hodie retinent: atq; ideo Romanum Imperium sese attollere non potest. Nam tum Electores Carolum jurejurando coëgerunt, ne pignora unquam revocare posset. Vnde tandem factum est, ut imperio prostrato, Turca ecclesias Christi invaserit, earumq; plurimas destruxerit: parumque abesst, ne ubiq; per totam Europam fero, ac miserrimo Mahumetici dogmatis jugo debachetur.

Resipiscentur aliquando Christiani principes, ut summum ecclesiæ Christi hostem

tuisse Joannem contra illum talia attentare, cum pontificis & Imperatoriæ Jurisdictiones distinctæ sint. Et aperte testatus est, Ludovicum in omnibus se gessisse, quemadmodum strenuum & Christianum Imperatorem decet.

Sciendum tamen, pontificem nihil horum ex animo, sed arte, in Ludovici favorem fuisse. Nam cum videret, regem Galliæ, in cujus ditione ac regno morabatur, simultate quadam secum agere: veritus est, ne, si Imperatorem hostem haberet, nullum ei superesset auxilium, si Galliæ rex in illum aliquid moliri voluisset. Hac igitur ex causa Benedictus è re sua esse arbitratus est, si Imperatorem sui benevolum redderet, sperans, ita futurum esse, ut nihil contra ipsum tentare auderet. Hæ sunt artes quibus pontifices Rom. tyrannidem suam in Dei ecclesia foverunt ac fovent. Hæc sunt arma, quibus inferorum portæ adversus pontifices non prævalent.

Idem alibi. Ludovicus Imperator ex Clemētis 6. insidijs venenum bibit: ex quo mortuus est.

Idem. Clemens quintus (inquit) quoniam non aljis servire ac ministrare, quemadmodum Christus Apostolis suis mandavit, sed, ut & illi ab Imperatoribus ministraretur, optarat, decreto statuit, ut designati in Germania Cæsares, quamvis Romanorum regis appellationem sortirentur à summo tamen Pontifice Imperii jura ac nomen acciperent. Atque ut mortuo Imperatore, per omne interregni tempus, Italicarum urbium, quæ Cæsari stipendiariæ essent, arbitrium & potestas penes Romanum Pontificem esset.

Idem. Gregorius Nonus crudeliore adhuc animo in Imperatorem desævjit. Eum namq; accusare incepit, quoniam Hierosolymitanæ peregrinationis votum, quod sub honorio voverat, perficere ac absolvere nollet: eumq; hac ex causa non modo non auditum, sed neq; ulla ratione convictum, anathemate ferit. Imperatorisque nuncios, honestas ac veras domini sui excusationes afferentes, nunquam, ut ad suæ beatitudinis pedes accederent, permittere voluit, nec in conspectu concilii audire. Quis unquam majorem tyranndem vidit? Pontificis odium nullis artibus unquam mitigari potuit. Sed Joannem Hierosolymitanum regem, ac comites Thusciæ imperatoris rebelles, multosq; alios principis ad eum lacessendum excitavit. Dumq; imperator diem conventus Christianorum principibus quibusdam Ravennæ indixisset, principesq; (ut ei parerent) illuc properarent, Pontificis jussu iter eorum intercipiebatur: ac milites cruce signati (hi jussu imperatoriis collecti fuerant) ad Hierosolymitanam peregrinationem parati, omni viatico spoliabantur. Quæ omnia Imperator videns, Pontificis rabiem demum delinire curavit. Hierosolymam versus iter parabat, trajecto mari Cyprum pervenit, mox Acon explicuit, multaq; propter Christi fidem multo cum sudore ac labore apud Soldanum egit.

Interim Papa, ob Imperatoris absentiam capta occasione, Apuliam tyrannidi suæ (proditor) subegit: cruce signatos milites transfretare prohibuit, eosq; ex Apulia ac Longobardia expulit, multaq; alia portētosa ac indigna fecit. Sicq; dum bonus Imperator Christi oves, ne à lupis discerperentur, ense defendit, Pontifex, qui eas pascere tenebatur, lacerabat ac devorabat. Imperator Hierosolymam, Nazareth, Joppen à Soldano recuperabat, & cum eo inducias decennales pactus fuit: atq; de his omnibus pontificem per literas certiorem fecit, inde ipsius congratulationem ac Christianorum publicum gaudium (ut par erat) expectans. At pontifex, contemtis & abjectis literis (magna Hierosolymæ cura) eos, qui literas attulerant, ne rei insigni erigestæ veritatem narrarent, occidi mandavit, & Imperatorem diem suum obijsse, palam nunciavit. p. 651

Quis unquam futurus carnifex Antichristus, si Papa non sit? At quanam ex causa id fecit? ut Apuliæ urbes aliquot, quæ Pontifici se subjicere noluerant, hac arte flectere posset. Atque ne reverteretur Imperator, ipseq; pro sua libidine totam Apuliam sibi subjiceret, Soldanum per literas rogabat, ne terram sanctam Cæsari redderet: (vide nunc eorum erga Hierosolymam zelum) quemadmodum eum reddere intelligebat. At Imperator, omnibus cum Soldano, quæ cum fieri poterant, peractis, in Italiam revertebatur. Et ex Apulia pulso pontificis exercitu, divino ei favente auxilio, quæ sibi injuste ablata fuerunt, brevi recuperavit. Pontifex iterum Imperatorem anathemate percussit, & una cum Longobardis ac Thuscis contra ipsum conjurationem fecit eo, quod cum Soldano fœdus injisset.

Postremo, procurantibus principibus multis, ut pius Cæsar cum superbissimo tyranno pontifice componeretur, absolutionem ipse centum millib9 auri uncjis emit. Hinc conjicere licet, quam carus rerum suarum mercator sit Pontifex factus: qui tamen fatetur, se nullis nummis Christo datis, claves solvendi ab illo accepisse. Mox imperator in Germaniam parabat iter, ut quædam Henrici primogeniti sui errata corrigeret. At pontifex (ô inauditam perfidiam!) statim Germaniæ principibus per nuncios mandabat, ne quenquam ex Imperatoris domo in regem Romanorum decernant.

Hoc cum ei relatum esset, atq; una intellexisset, pontificem cum multis Italiæ prin-

principibus contra ipsum conspirasse, ut prorsus *I*mperatoria majestate privaretur: Italiam invasit, rebellesque Longobardos compescuit: multas Vmbriæ deniq; ac Heturiæ urbes expugnavit. Totam Longobardiam, Viterbium, *P*erusium, Faventiam, Cremonam, Vicentiam, Patavium; quæ cum pontifice conspiraverant, Imperio subdidit. Quæ cum Pontifex vidisset, Fridericus rursus anathemate percutiebatur. Imperator, qui *P*atavij tunc erat, hoc audiens, & quoniam Romanorum Pontificum avaritia, audacia, ac tyrannis, amplius ferri non poterant, ideo omnibus Christi fidelibus eas patefacere decrevit, ut illos ab errore ac falsa eorum religione revocaret.

Hac ex causa jussit cuidam in sacris literis eruditissimo, ut coram se liberam haberet concionem de anathemate, ac de Ecclesia *R*omana: contigitque, ut absoluta concione adeo *R*om. Ecclesiæ errores detecti sint, Pontificumq; technæ atq; pessimæ artes ita patefactæ, ut *I*mperator pontifici illi in hæc verba scripserit.

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Interim potior pars *I*taliæ *I*mperatori adhæsit. Et Gregorius in desperationem rerum ac tyrannidis suæ in posterum exercendæ adductus, anno Domini 1241. animam exhalavit, Diaboloque reddidit, cujus & opera & consilia dum viveret, secutus est.

Idem. Quid *A*lexandri sexti inaudita & obscœna facta enarrem? *I*s cum dæmonibus fœdere inito, sese illis modis omnibus addixit ac donavit, si eorum artibus in Pontificem Romanum crearetur: quod cum dæmones illi polliciti fuissent ac præstitissent, Alexander ita vitam suam sancte instituere cœpit, ut nunquam aliquid facere moliretur, nisi prius dæmones in consilium advocasset.

Idem. *O* beati nostræ tempestatis martyres, qui non à Cæsaribus, publicis Ecclesiæ hostibus, sicut aliquandiu antiquitus factum fuit, martyrio donamini; sed ab his, qui ipsiusmet *E*cclesiæ pastorum, tutorum, patrumq; nomine gloriantur.

Idem. Ludovicum *B*avarum, Imperatorem optimum, *E*cclesiæ rebellem, schismaticum & hæreticum Joannes 23. Papa declaravit, quod à principibus electus, administrationem imperij suscepisset, nullo sibi præstitio subjectionis juramento. *I*oannes enim Ludovicum Bavarum acerrimo odio prosecutus est, cum quia à Germaniæ principibus in regem *R*omanorum electus, nomen ac titulum Imperatorium (ut Clemens quintus decreverat) de manu pontificis accipere dedignabatur: tum quoque, quoniam monachos quosdam (quos tanquam hæreticos ipse damnaverat) adversus illum defendebat. *I*deoq *I*oannes Ludovicum hæreticum asseruit.

Ludovicus in Italiam veniens, vicarios singulis Imperij civitatibus, ut parerat, imposuit, Mediolanum venit. Cumq; *P*ontificis rabiem delinire optaret, ad illum, qui *A*venioni in Gallia tunc sedem habebat, oratores misit, qui *I*mperialia insignia peterent sibi (more majorum) benigne ac amico animo conferri. *P*ontifex non modo id facere recusabat, sed & oratores summa cum ignominia repulit. Imperatoremque ipsum peremtorie citabat, ut Avenionem veniret, ac statutis ecclesiæ se subjiceret. Imperator Pontificiam in Ecclesia tyrannidem agnoscens, seq; à Deo *I*mperatoriam majestatem habuisse, sciens eandem pariter sanctam ac inviolatam servare studebat.

*I*deo nec Pontificibus se tanquam servum subjicere volebat. Ideo *A*venionem petere denegabat. *P*acis tamen cum esset avidus, rursus per nuncios obsecrabat, ut Imperialia signa ei benigne conferrentur. Pontifex in sua perstabat sententia: Vicecomites, quibus Imperator Mediolani dominium permittebat, in Ludovici odium excommunicabat. *I*mperator cum Pharaonis cor induratum conspiceret, Romam, multis secum adscitis Italorum principibus pervenit, ac honorifice ab universo populo est susceptus: imperialiaque insignia pro more sibi concedi petijt, *R*omanorum proceres ac totus populus, oratores ad Joannem in Galliam mittebant, cumq; obsecrabant supplices, ut urbem suam invisere vellet, ac regi *R*omanorum imperialia insignia conferre. Quod si ipse hoc facere renueret, se antiquam populi *R*omani legem ac jura servaturos, asserebat.

Ioannes, oratoribus auditis, summa cum ignominia, terroribus ac minis eos à se repulit. Quæ videns populus *R*omanus decrevit, optimo Ludovico concedere quod petebat: & ita à senatoribus *S*tephano & Nicolao, jussu totius cleri ac populi, cum conjuge una coronatus fuit, omnib. nobilibus (qui astabant) acclamantib. Ludovicum Augustum *R*omanorum Imperatorem.

Quid quæso hactenus Ludovicus egit, quod optimum ac magnanimum Imperatorem non deceret? *A*ttamen Joannes hoc audiens, cum læsæ majestatis reum ac hæreticum incusabat, durissimos processus contra illum publicabat, imperiali dignitate dejiciebat, regno privabat, excommunicatione crudelissima, tanquam ecclesiæ *R*om. rebellem atq; hæresiarcham, condemnabat. Sed quidam erant his dieb. tam theologi quam juristæ, qui docebant, Christum & Apostolos nihil habuisse proprii, & Imperatorem non esse in temporalibus Papæ subjectum. *E*x horum numero fuerunt Michaël Cesenas & Guilhelmus Occam Minoritæ: Marsilius Paduenus, & Ioannes de Ianduno jurisperiti, cum aliis mul-

multis. Per hos Ludovicus Imperator ita confortatus est, ut Papæ se conatibus utiliter opponeret, tali appellatione in omnes imperii fines publicata.

Literæ Ludovici.

Nos Ludovicus Romanorum rex, proponimus adversus Joannem, qui se dicit esse Papam, quod CHRISTI testamentum de pace male exequitur, publicam Christianitatis pacem perturbans. Nec reminiscitur, à sancto Constantino id, quicquid nunc habet honoris, lacitanti Sylvestro permissum: male gratus Romano Imperio, unde desumsit omnem (quo nunc abutitur) splendorem &c.

Cum ergo Ludovicus ac Romani proceres, iniqua Joannis facta optime cognoscerent, populusq; Romanus à Majore ad minimum usq; ægre ferret, quod ab eo oratores, quos miserant, ita delusi essent: una omnes conveniebant, ut antiquus mos in eligendo pontifice in ecclesiam invehere-tur: ut videlicet à populo Romano electus, ab Imperatore ipso confirmationem acciperet. Ideo Petrus quidam Corbariensis Minorita in Rom. Pontificem creabatur, ac Nicolaus Quintus dicebatur: Joannem vero hæreticum atque Ecclesiæ tyrannum, & non pastorem, publicæque Christianorum pacis perturbatorem declarabant. Hæc quoq; omnia Imperator ac Rom. Concilij patres ecclesiæ catholicæ submittebant.

55 3. Ominosa.

Anno hoc 27. Octobris in arce VVittembergæ quædam species apparuit trium virorum candidis amictorum togis, qui tres ultra horas circumierunt: in peristyliis quasi colloquentes recubuerunt, in aulam deorsum despexerunt: conclavia Principis sæpe exiverunt & intraverunt: multisq; conspecti fuerunt hominibus. Fincel. libro 2. Imp. Carolo 5. Papa Julio 3. sup.

553. Præsagium.

In ultima venatione ante mortem animadvertit Fridericus Saxo, omnes illum feras fugere, nec ulterius pro domino agnoscere: voluerunt quidam, quod id præsagium fuerit mortis.

554. Marcus Antonius Muretus in Epist. & Rutgerus Rulandus I. C. in Tract. de Commiss.

Habitabat, inquiunt, Patav. in vicinia mea, homo adolescens, genere Corsicus, honesto, ut ferebatur & credibile erat, apud suos loco natus, qui eo venerat, ad jus ci-
553. vile discendum, quo in studio ita diligenter & attente aliquot annos consumserat, ut magna jam esset de doctrina illius hominum opinio: ventitabat autem quotidie in ædes meas, devexo jam & inclinato sole, æstus enim erat, ibique (quod ædes satis amplæ erant, satisque apricæ) aut sub dio ambulans, & cum æqualibus suis jucundissime colloquens: aut saltu, aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens, fessas studiorum laboribus vires honestissime reficiebat.

Rumor erat, tenere eum artem quandam memoriæ, cujus auxilio multa efficeret, quæ credi, nisi spectata, non possent. Is cum ad aures meas perlatus esset, cupido me incessit; mirabilia illa & inaudita spectandi: cujusmodi enim in rebus minime omnium auditis credulus esse soleo: visum est igitur, quando ille domo mea arbitratu suo uteretur, hoc ab eo, quasi ἐνοίκιον exigere, ut, quod sibi commodum foret artis suæ specimen aliquod daret. Ille nihil gravatus, lubentissimo animo se, cum vellem, facturum esse, respondit. Placuit statim, & cum per ipsum mora non esset, una omnes qui aderamus, in proximum cubiculum ingressi, consedimus: cœpi ego dictare nomina latina, græca, barbara, significantia, tam varia, tam nihil inter se coherentia, tam multa, ut & ego dictando, & puer, cui mandatum erat, ut ea exciperet, scribendo, & cæteri, qui aderant, audiendo atque expectando fessi jam miris modis essemus: ipse unus ex omnium numero, alacer & recens, assidue plura poscebat.

Sed cum ego ipse, modum aliquem fieri oportere, dixissem: & abunde mihi satisfactum iri, si vel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuisset: tum ille, fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium expectatione, tacitus aliquandiu stetit. Quid verbis opus est? vidi facinus, ut ille ait, mirificissimum. ὁ Δαιμόνι@ ἐκεῖν@ exorsus loqui plane omnia, eodem ordine, nusquam hæsitans nobis stupentibus reddit. Deinde ab ultimo incipiens sursum versus pervenit ad primum, inde rursus ita, ut primum, tertium, quintum & sic deinceps omnia diceret, quo deniq; quisq; voluerat ordine, sine ullo errore, omnia referebat. Idem postea, cum etiam familiarior factus essem, sæpe expertus usquequaq, verum deprehendi.

Ipse mihi aliquando affirmavit, & erat ab omni jactantia alienissimus, se triginta sex millium nomina, eo modo recitare posse: quodq; admirabilius est, ita hærebant omnia in animo, ut vel post annum diceret se, quæcunq; memoriæ mandasset, minimo negotio repetiturum: & ego certe, post multos dies facto periculo, verum comperi. Neque hoc satis: diversabatur apud me Franciscus Molinus patritius Venetus, adolescens, optimarum artium studijs mirifice deditus, qui cum se memoria parum firma esse sentiret, oravit hominem, uti se artem illam doceret: vix ostenderat, se id velle, cum Corsicus ei operam suam prolixissime detulit, dictus est locus, dicta

hora, ad quam quotidie convenirent. Nondum sex aut septem dies abierant, cum ille quoque alter, nomina amplius quingenta sine ulla difficultate, aut eodem, aut quocunq; alio libuisset ordine repetebat.

Hæc ego vix auderem literis prodere, mendatij suspicionem reverens, nisi & res adhuc recens esset (nondum enim annus est) & Nicolaum Lippomanum, Petri Alexandri filium, Joannem *Malipetrum*, Nicolai filium, patritios Venetos optimos & nobilissimos adolescentes, aliosq; præterea innumerabiles eius rei testes haberem, à quibus, si mentirer, vanitatem meam coargui nollem. Artem vero illam se Corsicus accepisse dicebat ab homine Gallo, quo puer domestico præceptore usus esset. Imperatore & Papa ut supra.

Andreas Hondorpius in speculo Historiali.

Homo quidam devotus quotidie, in honorem *Beatæ Mariæ*, recitabat Ave Maria, &c. Is ipse homo quodam tempore in desperationem incidit, ut sibi ipsi linguam & labia deroderet, & sine dubio plura sibi membra demordisset, si ei concessum fuisset. Illi ipsi virgo Maria comparuit, & suas mammillas exeruit, & lac in infirmi os immulsit, ex quo ei labia & lingua succreverunt de integro, & ipse pristinæ sanitati & intellectui restitutus fuit. *Invocatio Mariæ* hinc probatur.

Idem. Guido *Bonatus* insignis fuit Astronomus: & *Astrologiæ* tam peritus & certus Magister, ut fugere ipsum nullius rei potuerit notitia, quod ex hoc liquere potest exemplo. Aliquando enim cuidam Comiti de monte ferrato, eodem Guidonis nomine Gaudenti, prædicebat, quod, si ex oppidulo Forolivio hostes insidiose incesseret aut invaderet, potiturus esset victoria, eosdemq; subacturus: sed tamen & ipsum saucium fore vulnere accepto ex uno femore. Et in hujus rei certitudinem seipsum cum comite proditurum in aciem, & primam cum aliis conserturum hosti dextram: secum sumturum etiam quædam, quibus ad sanandum vulnus [quod habebat nondum] uti vellet. Et factum hoc non male cecidit. Cum enim dimicaretur, vicit Comes & potitus est victoria: saucius tamen ex superiore illa parte, sicut prædixerat Astronomus. Campofulgosius libro 8. cap. 11.

p. 654.

Idem. In codice admodum vetusto versum hunc legi:

Versus amor mundi caput est, & bestia terra.

Roma scilicet bestia illa est, quæ omnes ex[illegible] & perdit terras.

Idem. Sub Leone 10. anno 1517 Franciscus P[illegible] in Concilio Lateranensi, gravi [illegible] impudicam Pontificiorum vitam reprehendit, indicans, ab impiis quibusdam parentibus Romæ filios Cardinalibus Sacerdotibus vendi, & Sodomiticæ eorum fœditati & libidini tradi: quæ sane parrhesia inter Pontificios & rara & valde est periculosa.

Idem. *Bernburgi* ante annos aliquot bonarum literarum fuit studiosus, qui ex abbatis cujusdam promotione, Canonicatum in cathedrali Ecclesia *Magdeburgensi* adeptus est. Hic cum otium & tranquillitatem propter annuos suos reditus sibi polliceretur, & Babylonicæ meretricis signaculo gauderet, subito in extremas deductus est angustias. Nam cum aliquando equo vectus Magdeburgo egressus esset: ijs diabolici spectri dementatus est præstigiis, ut, se corpore & anima à Sathana jam jam abreptum iri, putarret, quod & factum esset, adeoq;, ut (quod ipsemet confessus est) in angustijs istis defecisset, & in desperatione misere perijsset, nisi, ex Christi Salvatoris dicto consolatione arrepta, seipsum confortasset: *Sic* Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quo dicto tanquam sacro scuto tum temporis Sathanam à se abegit, sed relicto fœtore pessimo, qualis adustarum est vestium.

Mœstus itaque & animo turbidus domum revertitur, ubi cum mensæ assideret, fratrem lateri affixum habens, spectrum illud animo eius obversatur, & in tantas eum denuo redigit angustias, ut flebilibus gemitibus testaretur, se *Sathanæ* & corpore & anima esse proprium. In qua desperatione festino cursu in puteum proximum se præcipitat. *Sed* ex Divina gratia, urnam in aquis pensilem apprehendens, se sustentavit, illæsusq; inde extractus est. Ab eo tempore consolando hominem hunc turbidum, gravibusq; tentationibus oppressum admodum occupati fuerunt *Ecclesiarum* eius loci ministri, animarum curam sibi demandatam habentes.

Sæpe enim numero accidit, ut, concioni sacræ cum interesset, tanti subito eum opprimerent terrores, ut amentis instar ipsa sacrarium se proripiens, ex Concionatoribus aliquem accerseret, supplexq; ab eo, consolatione ex verbo *Dei* desumta erigi se, peteret. Tanto ipsi Canonicatus iste constitit. Quoniam autem & lapsum & peccatum suum agnovit, & vere ob peccatum dolens, gratiam & consolationem anxie disquisivit: Misericors *Deus*, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, gratiæ ex verbo suo eum participem reddidit, & ex mera sua Misericordia, in agris, in puteo, & aliis quibusvis tentationibus mirabiliter conservavit, omnibus periculis eripuit, ut malit jam plebeius esse civis, dummodo salvam habeat conscientiam, quam magnificus & dives Canonicus, turpi conscientiæ labe aspersus.

Hoc

Hoc exemplum in promptu esset debebat omnibꝰ iis, qui parum salutis suæ memores Pontificiorum inhiant deliciis, & in fronte signati charactere bestiæ, fornicationis mercedem ad se pertrahunt, nec vel solo gemitu animarum & vitæ jacturam deplorant.

Idem. Thomas Blauetus, Regis Scotorum Consiliarius summus, autor persecutionis adversus Doctores Evangelicos susceptæ, cum, horam mortis jam ingruere intelligeret, se damnatum & perditum esse, assidue clamavit. Cumq; Monachi lecto assisterent, eumq; consolari vellent: *Apagite*, inquit, cum vestris ineptiis. Nunquam enim adduci potui, ut crederem, *Deum esse* vel *Sathanam*, infernum vel cœlum, & in pari pretio tam vestram quàm *Evangelicorum* doctrinam habui. *Solam* spectavi in meis consiliis pecuniam. *Et* ejus rei gratia Episcoporum causam egi, *Regiq;* author fui, ut vestros adversarios ejiceret. *Idcirco* nihil proderunt mihi vestræ vel Missæ vel Vigiliæ. *Sum* enim damnatus, & Sathanas jam constrictum me tenet, ut in abyssum inferorum me abripiat, & in æternum illic secundum mea merita me affligat. *In* hac desperatione miserè exstinctus est.

Idem. Ferunt, in montanis *Bohemiæ* nō raro apparere Monachum, quem nominant Rubezal: & persæpe in thermis conspicuū iter per montana & sylvas facturis sese adjungere, eosq; bono animo esse jubere. *Se* enim ignaros itineris recto tramite per sylvam deducturum, quos simul ac in nemore in avia deduxerit, ut, quò se vertant, prorsus nesciant, eum protinus in arborem subsilire, tantumq; cachinnum tollere, ut vastum inde nemus resonet. *Monachus iste* vel *Rubezal* est *Sathanas* ipse, qui, assumtâ monachi specie, indicat, monachos Pontificum satellites, verè suos esse ministros, & larvas, quibus indui gaudeat, nec scelꝰ ullum vel flagitium tantum esse, quod non per impios monachos, effœtasq; veneficas, ut Sathanæ organa, ex Dei permissu, perpetrari queat, quod & notum illud distichon ostendit:

Non audet Stygius Pluto *tentare, quod audent*
Effrenis monachus plenaq; fraudis anus.

655. *Articuli contra Cardinalem Moronum de Lutheranismo accusatum, & in Carcerem conjectum.*

Articulos infrà scriptos partim hæreticos, & partim scandalosos respectivè, vel de hæresi suspectos, dat, facit, & exhibet Procurator Fisci & *Cameræ Apostolicæ*, nomine officii sanctæ inquisitionis, tam conjunctim quàm divisim, contra & adversus Illustrissimum & *Reverendissimum* dominum Joannem Cardinalem *Moronum*, ad quos probandum, quatenus ex adverso negetur, tam in Romanâ Curia, quàm extra admitti petit, ac committi alicui probo viro, in qualibet civitate, & quibuscunque locis, ubi erit opus testium repetitione, & novum examen, ac desuper literas remissoriales, juxta formam & stylum officii dictæ inquisitionis, ac in dictis literis remissorialibus interrogatoria ab ipso Illustrissimo & reverendiss. includi, & ad partes mitti, ad superfluam tamen probationem non se astringit, de quo protestatur expressè.

Imprimis procurator, qui suprà dicta repetit, & pro repetitis habere vult & intendit omnia & singula dicta, acta, gesta, facta, agitata, confessiones, ex quib. quidē sic repetitis dicit constare, & quatenus non constat, probare vult & intendit, qualiter dictus Illustriss. ac Reverendiss. Cardinalis immemor salutis suæ, & beneficiorum receptorum à sanctâ *Romanâ* Ecclesiâ, à fide *Catholica*, quam ipsa docet, tenet & prædicat, in pluribus dictis & factis deviavit palàm & publicè, & sic facit, & est verum.

2. Item tenuit & credidit, & se tenere & credere asseruit, articulum Justificationis esse retractandum, tam ante quàm post determinationem Concilii Tridentini.

3. Item, quòd cuidam prælato dixit: *Concilium* Tridentinum, quoad articulum Justificationis esse retractandum, & retractari debere.

4. Item de & super eo, quòd, cum esset in *Concilio* Tridentino, scripsit Vicario suo Mutinensi, quòd faceret intimare populis, quòd deberent tantummodo confidere in sanguine Christi.

5. Item de & super eo, quod tenuit & credidit, seu se tenere & credere ostendit, Sacerdotem non absolvere pœnitentem, cujꝰ audit peccata in confessione sacramentali, sed tantùm declarare absolutum.

6. Item de & super eo, quod scripsit literas ex Tridento prædicto Vicario, quod deberet vocare ad se presbyteros omnes audientiæ confessionis expositos, & ex parte suæ *Illustriss.* ac *Reverendiss.* domino diceret illis, quod adverterent punctum absolutionis, quia Christus erat, qui absolvebat, de quibus literis valdè lætati sunt Lutherani Mutinenses.

7. Item quod tenuit & credidit, seu se tenere & credere ostendit, Pontifici non esse parendum uti vicario Christi, sed tantummodo tanquam *Principi* temporali: & ipse asseverando dixit, quod ipse non arbitrabatur, se esse *Episcopum Mutinensem*, & parebat Paulo Papæ 3 ut principi tēporali.

8. Item quod tenuit & credidit, & se tenere & credere demonstravit, opera nostra, quantumcunq; in gratiâ Dei facta, non esse meretoria: quin imo quod ipse, propter quantumvis bonum opus (uti in celebrando *Missam*) mereri se infernum, affirmavit.

9. Item de & super eo, quod prædicaret *Mutinæ* de Justificatione contra sensum

Tridentino Cardinale reclamante, ut tota ea pars, quæ ad morum emendationem pertinebat, prorsus omitteretur.

Publicata, & multa ad utramque rem pertinentia examinata & excussa, ad civitatem Tridenti reducatur.) Tantundem erat, si *Romam* rectâ transtulisset: siquidem tanta libertas loquendi futura est Tridenti, quanta *Romæ* futura fuisset.

p. 641. Nos, ad quos, & ad summos Pontifices pro tempore existentes, spectat publicare generalia concilia.] *Affirmat*, ad se unum pertinere, generalia concilia publicare, quæ olim Imperatores convocare consueverunt: & suam vult statuere autoritatem & potestatem supra ipsa concilia: & interim contemnit universitatem Parisiensem & regnum Galliæ, quod etiam Concilii oecumenici autoritatem *Papis* anteponit, & recte.

Et ea dirigere.) Non modo vult ipse indicere concilia, sed per singulos dies & horas ea dirigere, & suos Episcopos docere, & cogere, ut semper comprobent quod ille jusserit, id est, vult uti fistulis organi alicujus, per quas ipse spiret, & sonet, ac loquatur ut vult.

Ut procuraremus pacem Ecclesiæ, augmentū fidei *Christianæ* & Orthodoxæ religionis, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei: & etiam ut, quantum in nobis est, tranquillitatem *Germaniæ* procuraremus) *Suæ* ipsius *Romanæ Ecclesiæ*, imo tyrannidis pacem, opes & delitias hoc *Concilio* quærit, & non Christi Ecclesiæ augmentum suarum superstitionum & idolomaniarum, non *Christianæ* fidei & orthodoxæ religionis: ad suam ipsius potentiam & gloriam stabiliendam, non Dei. Deniq; scissuram, turbationem, & cædes contra *Germaniam* procurat, non pacem & tranquillitatem. At videte, ut Germaniam solam, ut dixi, sæpe nominet: perinde ac si in Italia, in Hispania nihil sit in causa religionis, quod corrigere necesse fit. *At* qui non videt, has provincias, plenas esse gravissimis abusibus & erroribus, nihil plane videt.

Quæ sane provincia retroactis temporibus in vera religione, & doctrina sanctorum Conciliorum & *Patrum* colenda.) En quam demum religionem *Papa* putet esse veram? eam: scilicet quæ doctrinas conciliorum & patrum habet pro fundamento: & eam, quæ credit, *Rom.* Episcopum esse vicarium Christi. *At* nos, illam esse veram doctrinam, certo scimus, quæ sanctum Jesu Christi Evangelium habet pro angulari lapide, & ipsum Christum redemtorem nostrum pro solo & vero pontifice: quicquid concilia, quicquid patres & Papæ voluerunt aliquando contra & ultra hanc sacrosanctam veritatem statuere. Præterea scitote, hic præscribi normam, juxta quam creaturæ Papisticæ sententiam in concilio dicturæ sint: id est, ut ne latum quidem unguem liceat eis discere ab omnibus decretis conciliorum.

Et in exhibenda debita obedientia & reverentia *Pontificibus Maximis*, *Christi* redemtoris nostri in terra vicariis.) Hinc illæ lachrimæ! Nullum non movet lapidem, ut possit veterē illam obedientiam & reverentiam recuperare. *Sed* frustra laborat, posteaqam cœlestis Pater revelavit ac docuit veram obedientiam & reverentiam, quam summo nostro Pontifici JESU CHRISTO debemus à qua non sinemus nos unquam avelli ullis conditionibus: neque amplius ad vomitum & ad volutabrum luti, id est, ad cœnosas & fœtentes *Paparum* superstitiones redibimus, etiamsi millies moriendum sit.

Nemini fuit secunda) Germania placuit aliquando papis *Romanis*, & nunc affirmat Julius, eam nemini fuisse secundam. Laudat scilicet veterem eius ruditatem ac veluti stupiditatem eius temporis, quo sinebat se nugis papisticis fascinari & dementari: nunc cum (Dei benignitate) facta sit cultior, & sane floreat viris doctissimis & prudentissimis, & pro superstitionibus novisq; cultibus, qui ab animalibus hominibus invecti fuerant, complexa sit veterem & genuinam ipsam JESU CHRISTI doctrinam, *Antichristis* non potest amplius placere.

Sperantes per gratiam & benignitatem ipsius Dei, quod omnes *Reges* & principes Christiani his nostris justis & piis desideris consentient, & dabunt nobis favorem & assistentiam.) Hic palam protestatur, quod nullum *Regem*, nullumque principem Christianam, quantumvis pium & doctum, admissurus sit in judicem earum rerum, quæ in Concilio proponentur: sed ait, satis futurum esse, si assistat, & sinat *Papam* agere fabulam cum suis personatis fratribus, quemadmodum vult. *At* vere stupidi essent Reges & Principes, si ituri illuc essent, & vellent duntaxat assistere, ac non etiam libere loqui & sententiam dicere, etiam frementibus *Papis*.

Per viscera misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI hortamur,) Non imperat, ut omnes undiq; *Episcodi* accedant, sed hortatur, nam paucos quosdam habet ex suis in eo genere exercitatos, quos jam convocavit, & quos certo novit ab eius voluntate ac nutu nunquam esse vel tantillum discessuros.

Requirimus & monemus venerabiles fratres nostros *Archiepiscopos*, Episcopos, & dilectos filios abbates. Hic animadvertite, multis modis esse jam exclusos & ejectos è concilio omnes viros doctos, quos habet Germania, Anglia, Rhetia, & qui puriorem doctrinam profitentur: nam

Papa

Papa invitat suos venerabiles fratres Archiepiscopos & Episcopos,& suos dilectos filios abbates. *At* ministri Ecclesiarum *Evangelicarum* (si spectes communem usum loquendi, praesertim *Romanae* curiae) non sunt *Archiepiscopi* aut Episcopi, neq; eos cognoscit Papa pro fratribus aut filiis, sed pro haereticis & schismaticis, pro barbaris, pro sacrilegis, pro ebriosis, pro stupratoribus & adulteris, pro raptoribus, pro infidelibus. His scilicet encomiis sua sanctitas
p. 642.
nuper eos excepit in libro Mutii gladiatoris: ergò non solùm non vocantur, sed longissimè arcentur à concilio, veluti hostes capitales. Imò disertè affirmavit Paulus tertius in sua bulla indictionis, cui veluti primo fundamento haec ipsa imposita est, quòd contra eos Concilium adornet, ut illos extirpet radicitus.

In summa, à Papa soli ejus praelati vocantur, qui in concilio sententias dicant: & non ministri, pastores, concionatores ecclesiarum nostrarum. Appellatione verò Praelatorum quinam veniant, facile est videre in libro, quem sacrarum ceremoniarũ appellant, ubi haec verba habentur: Adsunt in conciliis ad statuendum *Romanus* Pontifex, tanquam rector & moderator totius ecclesiae, pastor gregis Dominici, & omnium Episcoporum Episcopus: sacer Cardinalium senatus, Primates, Archiepiscopi, *Episcopi*, *Abbates*, quib^9 non immeritò & ordinum religiosorum generales magistri additi sunt: deniq; omnes Praelati, qui secundum formam juramenti, quod praestant, quum ad dignitates promoventur, ad synodum venire tenentur.

Omnes & singulos eos, qui de jure] Hactenus satis clare Papa nostros à Concilio excluserat, quum dixerit, se fratres suos archiepiscopos, & dilectos filios abbates cõvocare. Sed tamen adhuc vult clariùs excludere: nam ait, se eos vocare, qui de jure possunt cõciliis interesse, at de jure (praesertim canonico) nemo eorum, qui à *Romana* curia dissentit, potest adesse in conciliis. *Is* enim pro haeretico habetur inter Antichristos: ergo omnes sunt exclusi, qui eam curiam accusant, quod sanctam Jesu *Christi* doctrinam corruperit.

Et de consuetudine) Adhuc hoc verbo nihil aliud agit, quàm ut eosdem excludat. Nam cum gurgites illi Paparum undique omnes omnium Jurisdictiones atque authoritates ad se traxerint, usurpaverint, & absorbuerint, solos Episcopos unctos & mitratos putârunt esse ad eorum concillabula convocandos. *Itaque* consvetudinem nunc appellant id, quod violentia & tyrannide introductum est: ita tolerante ignorantia & negligentia quorundam principum & populorum. *Et* si quispiam vellet nunc ad Tridentinum Concilium accedere, statim audiret, diximus & protestati sumus Bulla edita, ne huc veniretis: quia talem consvetudinem non habemus, ut alios quàm unctos, mitratos, & conjuratos nostros admittamus. *Itaq;* vos abite hinc in malam rem, nisi fortè & in ignem conjicerent.

Aut ex privilegio debent generalibus Conciliis interesse.) Papa non modo vult suo arbitratu indicere cõcilia, modò post centum annos, modò post quinquaginta: tametsi lex lata sit ab ejus Constantien Cõcilio, quòd singulo decennio cogatur ea celebrare: non modò vult dirigere & praescribere quid illic statuendum sit, verum etiam vult constituere suis privilegiis cotidie novos judices, quales vult. Illiusmodi vero privilegia nemini daturus est, nisi suis aulicis, quibus plurimùm fidat, quiq; cum omni studio defensuri sint. Imo sciendum est, quod confestim, ubi ipse videret, advenisse ad Concilium aliquot bonos & pios viros, à quibus sibi metuendum putaret, ille ut hos numero votorum posset superare, daret isthaec privilegia quinquaginta aut sexaginta ex suis carnalibus Curtisanis, ut repentè evaderent in Theologos & judices sacrae causae, & pares essent autoritate Episcopis atque Archiepiscopis.

Nec non eos, quos praedecessor noster in suis superinde literis factis & publicatis interesse voluit) Hoc enim egerat Paulus tertius, qui aliquot Rotae auditores, & Fiscales nescio quos sycophantas, atq; alios quosdam monachos Catarinos, qui neque Episcopi erant neque abbates, concilio inservit, & jussit, ut nihilominùs possent sententiam dicere, ac si fuissent praelati. *Atque* hoc ipsum est, quod nunc Julius hic ait, velle se, ut omnes hi posfint Concilio interesse, quibus ejus praedecessor privilegia dederat, tanquam de Concilio benè meritis.

Ut proximis Cal. Maji debeant, cessante legitimo impedimento, se conferre & congregare ad civitatem Tridenti) *Papa* non existimat, esse legitimum impedimentum ejus Episcopi, qui sit plane indoctus, & totus caro & mundus: quales sunt eorum fere omnes. Quin potiùs hujusmodi cupit habere in suo Concilio, ut clausis oculis confestim annuant mitrâ, & dicant *Placet*, ad omnia quae illis proposita fuerint. Sed justũ impedimentum putabit esse ejus, qui in curia *Romana* emerit officium aliquot, aut suae sanctitati, vel sacrosanctis Cardinalibus cotidie assistat & famuletur.

Quo tempore & die, praevia maturâ deliberatione, & nostra certa scientia, & ex Apostolicae autoritatis plenitudine, & de consilio & assensu nostrorum fratrum sanctae Rom. *Ecclesiae* Cardinalium constituimus & declaramus, ipsum Concilium in eo, in quo nunc est, statu resumendum

mendum & prosequendum) Hoc attendite, quod maximi momenti est. In ipso Concilio Tridentino hactenus jacta fuere fundamenta, super quibus veluti statuendæ essent bombardæ impietatum, quibus Papa posset impetere & destruere veram Jesu Christi doctrinam. Hic itaq; disertè dicit, velle se, ut super illis ipsis, & non aliis fundamētis suæ creaturæ perseverent ædificare: verbi gratia, jam legem tulit, ut sola vulgata Bibliæ editio habeatur in precio, & regnet, fontibꝰ Hebraicis & Græcis cum bonis translationibus condemnatis. Deinde posuit secundum librum Maccabæorum inter canonicos ita, ut sit par autoritate his qui sunt in Canone.

p. 643. Præterea affirmavit, quòd Christus & Apostoli ultra ea, quæ scripto continentur, traditiones nescio quas dederint necessariò servandas ecclesiis. Deniq; quòd nemo possit exponere locum aliquem scripturæ secus, quàm *Ecclesia Rom.* hactenus fuerit interpretata.

Atq; ista quatuor decreta si observētur, jam actum est de puritate doctrinæ, quam profitemur, & planè cōfirmati sunt omnes Ecclesiarum Papisticarum errores. Nunc itaque nullum novum & liberum concilium indicitur, in quo illi, qui à Papis dissident, possint esse præsentes, & causam nostram, ac potiùs Christi defendere: sed vetus & servum illud à filicernio illo *Paulo* III. orditum, proponitur continuandum, atq; super iisdem fundamentis, ut dixi, quibus cœptum est, absentibus nobis, & nunquam vocatis. Itaque quid ab eo expectandum sit, cogitate: præsertim cū omnes illi *Episcopi* & prælati solenne jusjurandum Papæ præstiterint, quòd ab ejus sententia nunquam discedent: imò cum causam nostram non intelligant: fuit enim illis edita bulla nuperrimè interdictum, ne possint libros legere, in quibus insunt nostræ doctrinæ.

Et nos operam dabimus, ut eo tempore in eadem civitate nostri Legati adsint omninò.) Unus tantùm legatus missus est, Cardinalis *Crescentius*, merus canonista, id est, acerrimus hostis renascentis Evangelii. Cur adjuncti sunt duo, quos Papa appellat *Assistentes*, ejusdem farinæ viri, Veronensis Episcopus, & *Pighinus* nescio quis, atq; per ministerium horum trium Papa imperabit quotidie episcopis atque aliis Prælatis, servis suis, quidnam sint facturi & dicturi. Itaq; potuisset etiam his sumptibꝰ & laboribus parcere, & Romæ palàm pro tribunali nostras opiniones & doctrinas condemnare: quandoquidem ejus astutiæ & imposturæ jam sunt toti orbi patefactæ.

Quorum medio nos, *Spiritu* sancto duce ipsi concilio præsidebimus) Toties inculcat, ad se pertinere concilium convocare, regere, judices creare, & præsidere, atque hoc perinde est, ac si diceret: Nemo huc accedat, nisi qui voluerit mihi subesse, obedire, & in rebus omnibus sine ulla exceptione consentire.

Casu, quo aut per ætatem, aut per valetudinem, aut per *Apostolicæ* sedis necessitates personaliter interesse non possemus.] Si fortè voluerit ipsemet interesse (quamquam libentiùs volet cum suis exercitibus proficisci, quippe qui sitiat humanum sanguinem, & nunc totum Christianum orbē suis conciliis, & sua illa parma conturbārit) propterea intererit, quia sua præsentia sperabit omnes suos mitratos milites in officio continere, & cavere, ne quis eorum audeat hiscere, neve ex nostratibus aliquis illuc possit irrumpere, Christi causam defensurus. Nam omninò hoc agit & spectat, ut nos inauditos, atq; etiam non vocatos condemnet. Non planè diffidit causæ suæ.

Non obstante translatione & suspensione, aliisq; contrariis non obstantibus, & præsertim his, quæ idem prædecessor noster in suis prædictis literis voluit non obstare, quæ cum omnibus & singulis clausulis & decretis volumus in suo robore permanere, & in quantum opus esset, etiam innovamus: irritum nihilominùs & inane decernentes, quicquid super hoc quopiam (cujuscunque autoritatis existat) scienter aut ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat huic nostræ hortationis, monitionis, statuti, declarationis, voluntatis, invocationis chartæ ausu temerario contradicere. Si quis verò hoc ausus fuerit tentare, sciat, se omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli indignationem incursurum] Postrema hæc sunt inania quædam & verè bullaria verba, quæ Papæ solent effutire & crepare, ut perterrefaciant simplices. In summa, hîc audimus astutias, dolos, imposturas, minas atroces, & plusquàm tyrāñicas, adversus eos, qui ausi fuerint sanctiss. Patri contradicere. Et interim de Christo Jesu, de ejus Evangelio & beneficio, de fide, de charitate, de misericordia, clementia, & sinceritate verbum omninò nullum. Nisi fortè velimus esse contenti egregia illa doctrina, quam addidit in calce bullæ: ubi non satis putat, comminari indignationem omnipotentis *Dei*: nam (perinde ac si non sufficiat Deus sua ipsius potestate ad ulciscendum, si velit) addit, D.D. Petrum & Paulum affuturos, & omnipotentiam Dei sua ipsorum autoritate, juvaturos.

Proh pudor! hæ scilicet sunt doctrinæ, quas Tridentina *Synagoga* comprobatura est. Nam putaret, actum esse de tota fide Christiana, & de salute electorum, & irritam & inanem futuram Jesu *Christi*, *Domini* nostri crucem & mortem, nisi divorū intercessionem retineret. *Sed* habeāt

ea

dam sibi,& insaniant quantum velint: nos solo filio dilecto,quem nobis donavit cœlestis pater,intercessore,mediatore & advocato utemur,& fruemur: qui etiam spiritu oris sui destruet istas humanas potentias & astutias Papales, ad laudem & gloriam sancti nominis ejus.

In summa summatum,ponite vobis Papam ante oculos, sedentem in superbissimo suo solio,atq; indignabundum hæc ita jactare: Cæsar obtundit me & extorquet, ut concilium celebrem: at ego his demum legibus celebrabo.

Primùm volo ego in ipso concilio dominus esse,ego convocabo,ego præsidebo, ego dirigam & proponam, quæ mihi libitum fuerit:& volo, ut omnes qui affuturi sunt , sentiant & dicant quemadmodum ego volo.

Deinde palam edico, me pro extirpan-
644. dis hæresib. Germaniæ ad hanc Concilii celebrationem descendere : nam pro mea *Roma*,pro Italia, pro reliquis provinciis & nationibus,quæ meam doctrinam, meamq; obedientiam retinent, nihil opus est concilio : omnia enim in his benè habent, & scio,me non posse errare.

Deinde sciant omnes *Reges* & principes,me nunquam permissurum, ut vel ipsi vel eorum oratores possint sedere in hoc concilio ad sententiam dicendam, sed solùm ut assistant,& sint spectatores.

Item longè repello à toto Concilio omnes eos,qui neq; *A*rchiepiscopi sunt,neque Episcopi,neq; Abbates,aut prælati, & non jurârunt,se fideles nobis futuros , & multò longiùs omnes eos summoveo, qui mecum & cum sede mea in doctrina & moribus non consentiunt, & me non habent pro verissimo Christi vicario.

Præterea volo , ut meæ creaturæ in decretis faciendis nihil aliud spectent, quàm quod côcilia & partes ante nos statuerint: & ut ab eorum vestigiis &norma ne tantillum unquam discedant. Postremò jubeo, ut habeant omnes pro universali,legitimo, & sacrosancto illud Concilium,in quo ego uti legatus prædecessoris mei præsedi: nã in eo jacta sunt fundamenta, quæ necessaria putavi pro regno meo stabiliendo : itaque illud ipsum volo nunc resumere,& persequi,non aliud novum inchoare.

Si diligenter totam bullam excusseris, videbis, me omninò collegisse conditiones,quas ille astutissimus Pater proponit. Itaq; sentiant alii quod volunt, ego in ea sum sententia,ut putem, Papam de industria voluisse tam duras leges & conditiones sui Concili proponere,ut quodammodo deterreret eos bonos viros , qui alioquin optassent Concilium adire veritatis tuendæ gratia. Nam prorsus nollet illud celebrare,& non proponit ex animo , sed mallet frui suo papatu,partim in voluptate &deliciis,partim in bellis gerendis. *A*ut si compulsus à Cæsare cœperit celebrare, & viderit,aliquem advenisse ex his, qui ab eo dissentiunt,præsertim si quis benè doctus futurus sit , aut à magno aliquo principe missus,certè non permittet unquam, eum posse de articulis côtroversis vel verbulum facere,sed lactabit inani spe,& tandem decipiet,& irridebit eum sua astutia. Verùm si ex animo optaret concilium celebrare, missis tricis,cavillationibus atque insidiis, in hæc potiùs aut hujusmodi verba convocasset.

*S*entimus undiq; multas gravissimorum hominum querelas,qui clamant , puram Jesu Christi doctrinam atq; Ecclesiam vehementer esse contaminatam&corruptam: & quoniam sperandum est,fore, ut posteaquàm unâ convenerimus ea animi sinceritate,ut velimus quærere valetudinem,purgationem atq; illustrationem ipsius ecclesiæ,cœlestis pater mittat in animas nostras Spiritum suum sanctum, doceatq; , quid nobis sit agendum & dicendum.

Hanc ob causam rogamus omnes Reges,omnes principes , omnes magistratus atq; ordines, ut ex omnibus suis subditis seligant eos,qui pietate , innocentia vitæ doctrina & prudentia reliquos antecellũt, atq; hos demum jubeant ad concilium venire,ubi pollicemur omnia tuta illis esse futura,præsertim verò quòd potuerunt liberè loqui,quicquid Deus suggesserit: Et nos vicissim mittemus viros doctos , qui apud nos sunt , aut in nostris urbibus degunt,neq; laborabimus,utrum sint episcopi,*A*bbates,aut prælati, an non sint : sed tantùm ut sint pii,prudentes & docti. *A*tq; hi omnes in Spiritu sancto congregati,mutua benevolentia & charitate diligentissimè quærent & diffinient id,quod verum est, & in suis judiciis &sententiis ferendis nullam aliam normam sequentur , quàm sanctum Jesu Christi Evangelium : & nihil aliud spectabunt,quam solius Dei gloriã.

*S*i,inquam , seriò & sincerè nobiscum ageret *Papa*,hac potius formula,uteretur : sed non est illi cordi simplicitas, nihil minùs,cogitat decipere , mala mens,malus animus. *A*t destruat eum Deus cum suis imposturis.

Idem Jul.3.cudit monetam novam,&inscribi fecit: Gens & Regnum , quod mihi non paruerit,peribit.

Thomas Naogeorgus in Regno Papistico.

Ex multis quædam tantùm hujus authoris recitabo.

Assignant etiam divûm sua munera cuiq;
Bis septemq; ferunt,quorum certissima spe-
res

Auxilia

Auxilia: hos inter primos sanctissima Virgo
Obtinet & casu clemens succurrit in omni.
Barbara conservat, ne quis sine corpore Christi
Decedat. Catharina fovet doctosque scholasq;.
Donat & ingenium, tortosq; resolvere nodos,
p. 645. *Præstat & insanis firma argumenta sophistis.*
Culta putres sanat diva Appollonia dentes.
Otilia virtus lippis medicatur ocellis.
At scabiem pellit, sanatq; mala hulcera Rochus.
Est cujus nomen versu non dicere possis:
Is valet adversus pesten, contagia cultus.
Porrò Valentinus morbum spretoribus addit
Herculeum auxilium contrà imploratoribus adfert.
Saltantes Vitus præsenti numine sedat,
Et reddit menti precibus donisq; vocatus.
Ilia procurat, tormentaq; ventris Erasmus.
Vt dorsi spinam & scapulas Laurentius ille.
Blasius anginam miris, quas consecrat, undis
Arcet ab armentis, gregibus, nuribusq; virisq;.
At captivorum Leonhardus vincula rumpit,
Carceris & portas reserat, crassasque catenas.
Frangit & ade suâ ferri vim possidet amplam.
Quartanam reliquasq; febres Petronella repellit.
Diraq; Joannes proprio à cultore venena:
Quod Benedicto etiam tribuunt: satis ut sit ubiq;
Auxilii in Divis. Quid enim tu reris omissum?
Vtq; improvisum sic formidabile lethum
Avertit Marcus fato violentior ipso.
Divitias lautumque suis cultoribus Anna
Largitur victum, rerumq; est promta repertrix
Amissarum: id quod fausto quoq; numine fertur
Cultus largiri Vincentius, haud scio quisnam.
Contra ignominiam turpem Susanna vocatur.
Pellit ab obsessis Romanus dæmonas omnes.
Contractos sanat Wolfgangus Episcopus artus,
Wendlinus custodit oves, oviumq; magistros,
Atque boves idem pingues, ut fecit & olim:
Setigeros verò porcos Antonius ille.
Qui coluisse olim vastam narratur eremum.
E domibus mures abigit, gliresque nocivos.
Gertrudis quædam: penitusq; extinguit eosdem
Hulderichus præsul patriæ conspergine glebæ.
Gregorius curat pueros, elementaq; tradit
Primum, deinde etiam studiorum instillat amorem
Nicolaos nautas miseros tutatur in alto,
Et qui trajiciunt vasti tumida æquora ponti.
Christophorus grandi depictus corpore vulgò
Curat idem: tantumq; aspectus noctis atroces
Visus terroresq; arcet, somnumque quietum
Certaque per vitam cultori gaudia confert.
Ne noceant ignes surgantq; incendia dira,
Dat virtus Agathæ: porrò orta extinguere fertur
Florianus, ferro totus munitus & urnâ
Gnaviter infundens. Vrbanus vina secundas,
Et multo replet spumantia dolia musto.
Jodocus fruges tristi à rubigine servat,
Et bruchos tollit Magnus. Tua cura Georgi
Sunt equites, magnaq; colunt tua fœdera pompâ
Reges atque duces, generosorumque catervæ.
Curat equos faber Eulogius, tutatur & omnes
Fabros, seu ferrum tractent, seu pulchrum aurum.
Omnia pictorum servat collegia Lucas.
Cosmas cum socio medicos defendit & ornat.
Omnes quis numeret divos, divasq; Papatus?
Ad quos quisq; fugit cantu, prece, munere, cultu,
Quos vocat auxilio præsentia numina tanquam.
Scilicet ignavum credunt, vel saevè furentem,
Curantemq; aliud nil, quàm pigra otia, Christum.

Gerardus Busdragus Episcopus Argolicensis. 155

Biblia est liber hæreticorum nosq; dicimus

timus cum *Ecclesiâ* : ſi etiam Diabolus merdaret in aquam benedictam, & mater ejus in eam mingeret: tamen maneret aqua benedicta. Tu tamen allegas antiqvum Teſtamentum (*Aggei ſecundo*:) quod fuit figura novi Teſtamenti, ſed nunc ceſſavit: ideò nunc revelatâ veritate, per authoritatem Eccleſiæ, aqua benedicta non poteſt pollui; etiamſi omnes diaboli in eam merdarent: quia Eccleſia non poteſt errare. Imp. Carolo 5. Pp. Julio 3.

553. *Horrenda portenta.*

In Saxonia, in quodam ſaltu loco, quò poſtridie (9. Julii) funeſtum comiſſum fuit prælium, aliquot diebus antè magni ſtrepitus, fremitus, turbæ, clamores, ploratus, curſitationes, miſeri boatus auditi fuerût. Sæpè quis vociferabatur, *Ah, ah, væ, væ, væ*. Pridie autem illius diei impetuoſus ventorum turbo duo tabernacula ducis Mauritii diſſipavit & humi fudit: unum, in quo habitum fuerat convivium: alterum in quo culina fuit: reliquis autem tentoriis nihil accidit adverſi.

Item aliquot ſeptimanis ante factum prælium, ſæpenumero in *Miſnia* ingentes copiæ canum confluxerunt, inq; ſe mutuò truculentiſſimè irruentes, diris ſe confecêre morſibus ita, ut neq; clamoribus, neque verberibus potuerint divelli & ſeparari.

Die Dominica proxima ſecutæ morti Ducis Mauritii, in Thuringia in cœlo procerus quidam Gigas integer ex omnibus artubus & membris, conſpectus fuit, ab eo ex omnibus corporis partibus copioſus demanavit ſanguinis amnis, deinde flammæ & candentes favillæ ab illo prolabebâtur: tandem in fruſta concidit, & reſolutus in tenues evanuit auras. Job. Finc. lib. 1. Imper. & Pp. V. *S*.

554. *Georgius Fabricius Chemnicenſis:*

Res Boemicas, Jacobe, ad Sleidanum noſtrum mitto: quas illi reddet Rihelius. Adjunxi & de proximo prælio in diœceſi Hildesheimenſi narratiunculam, è caſtris ſcriptam, in aulâ emendatam.

Ante prælium tractus ille terræmotu concuſſus eſt: & in campo nocte præcedêti, fremitus pugnantium, & equorum ſtrepitus, terribili cum vento auditi. *Proxime* Lipſiam, quâ Chemnicium itur, ſanguine pluit. In oppido ipſo mira rabies erat canum, aliquot menſibus: qui ſe lacerabant invicem ita, ut pugnando & mutuis morſibus conciderent. Credo, nunquam acriùs in Germaniâ pugnatum eſſe.

Princeps noſter in ſiniſtro latere ſupra cingulum ictus: tertio pòſt die, cum inteſtina læſa eſſent, ut nec urinam reddere, nec alia opera naturæ facere poſſet, vitam mortalem finivit: in ardente invocatione Dei. Nam interfuit Joannes Albinus, optimus vir: qui iniquitate æmulorum, ex aulâ & *Eccleſiâ* pulſus, ſummum jam in noſtrû Principem contulit beneficium.

Comitia fient Lipſiæ poſt triduum. Arbitri conſtituti ſunt inter *Auguſtum* (fratris *Mauricii* ſucceſſorem) & Joannem Fridericum ſenem (Electorum decus, & ſuas poſſeſſiones repetentem] Rex Daniæ, ſocer Auguſti, *Electores* Brandenburgenſis & *Palatinus*, Dux Clivenſis, *Bavarus*, VVirtembergenſis, Landgravius Haſſiæ. Utinam pia pax reſtituatur, & fugiantur impiorum ſocietates, & fœdera. Heu, quò redacta *Germania* eſt? *Vale*. Miſenæ, 17. Calend. Septemb. Anno Domini 1553.

Idem fratri *Blaſio* Fabricio. Wolff von Werter iſt mit in der Schlacht geweſen / und hat ſich umb meinen Herrn / das iſt / unter den rechten Hanen finden laſſen: iſt ihm Gott Lob / nichts wiederfahren. Das tröſtlichſt iſt mir geweſen / das unſer Herr ſeeliglich geſtorben: auch von Herrn Johann *Albino*, der im Churfürſten Krieg zu Kemnitz von ihm zoge in Ungnaden / neben Gott gewißlich erhalten. Hat bekant / er wolle gern ſterben: und dieſen P. 647.
Sprüch: Oves meæ vocem meam audiunt: und / *Sic* Deus dilexit mundum, & cæt. zu Troſt herzlich angenommen: und begehrt ihm offt dieſelbigen vorzuſagen. Iſt biß an ſein Ende / bey guter Vernunfft geweſen / und zu Freyburg mit gewöhnlichen Gepräng begraben / neben ſeinen Vater und Sohn / (Henricum & Albertum] ſeliger Gedächtnüß. Iſt auch ſein Bitſchir Ring / altem Brauch nach / dieweil er keinen Leibserben verlaſſen / beym Grab zerſchlagen worden.

Datum 17. *Auguſti*, zwiſchen ſieben und achten auff den Abend / um welche Zeit ein groß Erdbeben / das mir die Bücher und Schreibzeug auff dem Tiſch umgefallen / geweſen / vor zwey Jahren weinet hie ein Kind im Mutterleib. Vor ein Jahr ſchwitzet ein Weib in ihrer Kranckheit drey Tag blutigen Schweiß / iſt nicht vergebens geweſen / Gott woll uns gnädig ſein / um ſeines Sohns Jeſu Chriſti willen. Vale. *A*. 1553.

Idem ſcripſit, monachum quendam paſtorem Miſenenſem, anno 15.5. odio & contemtu ſexus fœminei, quotiescunq; fœmellam aliquam ſacris undis eſſet abluturus, dicere ſolitum fuiſſe, ſtatim à baptiſmo in profluentem conjiciendam: getäufft und erſäufft: ſed ipſum de ponte *Albis*, cum fortè proſpiceret, juſto Dei judicio delapſum ſubmerſum fuiſſe.

Idem ſcripſit & ad Philipp. Melanth. elegiam de infante, qui quinto ante partum die ploravit in utero materno: de quo etiam Fincelius.

Porten-

1553. *Portenta mira.*

Mauritius Saxoniæ princeps, & Imp. Romani elector, cum jam vicinorum patrocinio, Albertum, Marchionem Brandenburgium, in Germaniam certis in locis igne ferroq; sævientem, persequitur, cum eodem in diœcesi Hildeshemensi fortiter congressus, fuso fugatoq; ejus exercitu, captisque hostium signis 68 demum in ipsâ clade, bellici tormenti ictu, quem in latere dextro acceperat, tertiâ post eam die fortiter occubuit. In eadem pugnâ Carolus & Philippus, duces Brunsvicenses, Henrici filii, & Fridericus dux Luneburgensis interierunt.

Portenta tantæ calamitatis fuêre multa. Canum rabies, quâ ad mortem usq; certârunt, fremitus in aere, sanguineæ in herbis & arboribus guttæ, hominum & equorum in illo campo, in quo conflictus fuit, noctu intempestâ audit clamores, ejulatus item nocturni in oppidis. In arce Perlini de statuâ Mauritii nullâ vi adhibitâ, delapsum est caput. Ipse quoq; viro cuidam optimo in flagrante domo per quietem visus fuit. Hæc scribit Georgius Fabricius Chemnicensis in Misniacis.

1553. *Hieronymus Marius in Eusebio captivo.*

Anno 1542. Paulus tertius in tabellis habebat numerata 45. meretricum millia: ex quarum fornicatione singulis mensibus censum exegit, contribuente qualibet secundum pulchritudinis suæ excellentiam. Hæ à Papa in summo honore habentur, hæ Papæ pedes exosculãtur, hæ Papam familiarissimè alloqvuntur, hæ cum Papa die noctuq; consuetudinem habent: qui verò unico Christo fidunt, ejusq; doctrinam amplectuntur, à Papa pro hæreticis habẽtur, exulant, proscribuntur, carceribus mancipantur, compedibusq; astringuntur: triremibus, aquis, laqueo, securi, igneq; plectuntur.

Idem. Pontifex Innocentius qvartus, in Friderici odium, Lugduni conciliũ statim indixit: ubi illemet Innocentius concionabundus Fridericum ipsum citabat. Friderici verò Legatus, tempus opportunum dari, precabatur, quo venire Lugdunum posset. Quod pontifex non modò non dedit: sed irâ ac furore succensus, Fridericũ anathemate notabat, Imperiali dignitate privabat, à juramento fidelitatis principes absolvit: eosq; ut alium eligant Imperatorem, hortabatur. Multa contra piissimũ Imperatorem falsa produxit: perjurium, sacrilegium, & quorundam clericorum captivitatem, atque id genus alia. De quibus omnibus etsi Imperator honestissimè apud principes antea se purgasset: Põtifex tamẽ adeò principes solicitavit, ac pollicitatio-

p. 648.

nibus commovit, quòd Henricum Landsgravium Thuringiæ elegerunt. Quod cum ad Imperatoris aures pervenisset, strenuè adversus Innocentium, ad aliosquoscunq; tyrannos, imperium suum defendit, donec in Apuliâ Pontificis laqueos effugere nequivit.

Nam ibi quidam pontificia largitione corruptus, venenum sacro Imperatori exhibuit. Cujus causâ cum Imperator graviter laborasset, jam convalescere videbatur: sed à Manfredo quodam adolescente spurio, qui & à Pontifice fortè corruptus erat pecunia vel promissis, ori injecto pulvino, suffocatus est. Hæc sunt, quæ de invictissimo Friderico enarrari debent. Nec hac in causa Blondo, Platinæ, Sicilæ, vel Sabellico fides habenda est. Nec mirum quidem: Hi enim tantùm ea scripserũt, quæ passim à pontifice ac ejus adulatorib⁹, contra imperatorem vulgabantur per totam Italiam ut contra eum totum terrarũm orbem (si fieri potuisset) concitaret: at qui rei veritatem agnoscere cupiunt; Petri de Vineis libros sex Epistolarum legant.

Idem. Alexander Papa cum Gemen, Bajazetis Turcarum regis fratrem aliquandiù Romæ captivum tenuisset, & quotannis quadraginta millia aureorum nummum (sicut & Innocentius 8. ejus prædecessor per multos annos acceperat) à Bajazete alimentorum fratris nomine accepisset; tandem oratoribus ad Bajazetem missis, obsecrat eum, ut Gallorum regem, qui regnum Neapolitanum invadere moliebatur, omninò reprimeret: veritus, ne Gallus, Neapolitano regno ac Roma occupata, tandem & Græciam ac alia ipsius Bajazetis regna potentissimo exercitu invadat.

His artibus Alexander tyrannidem suã tutari cogitavit, ideò Bajazetis imperii rationem habere simulat: oratoribusq; hac ex causa ad illum missis inquit, Bajazetem rebus Græciæ opportunè consultorum, si quotannis aliquot millia aureorum nummum sibi persolveret, ut una cum Aragoniis, quibus cum fœdus inierat, Gallorũ impetum terra mariq; sustinere posset, ac arcere. Sic enim fore, ut Neapolitanũm regnũ ac Roma Othomanici imperii munimenta essent.

At quæ inter CHRISTI vicarium, ac Mahumetarum regem conventio est habita? Bajazetes Pontificem pecuniæ cupidum cognoscens, multa arte illi suasit, ut Gemẽ fratrem, tanquam alienæ religionis hominem, veneno tollendum curaret (hunc, n. Bajazetes de imperio solicitus, ob ingentes ejus virtutes, si qua fortè custodia evaderet, maximè formidabat) id si præstaret Pontifex, ducenta millia aureorum nummũm, Christiq; inconsutilem tunicam integra fide se persoluturum, promittebat. Accepit

cœpit conditionem Pontifex sanctissimus; ac breviGemen veneno interfici mandavit.

Quis hæc non miretur? Quis Alexandri factum non detestetur? CHRISTVS, dum veste exueretur, homini vitam largitus est: Alexander vero, cũ eandem acciperet, homicida factus est. At quis eius finis? Dum parato convivio opulentos aliquot Senatores eodem veneni genere, quo Gemen occiderat, interfici mandasset, contigit, ut incaute ab his, qui pocula porrigebant, mutata lagena, Alexander & ipse venenum hauserit, sicq; una cum senatoribus periret.

Idem. Clemens 6. homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus, diabolico furore percitus, literas scriptas foribus templorum affixit, quibus imperatori gravissimarum pœnarum supplicium comminabatur, suis nisi cupiditatibꝰ infra triduum satisfaceret, & ab occupatione jurium Imperii abstineret. Mira istius inclementis Clementis crudelitas. Imperator Francofurtum venit: & paratus omnia sibi injuncta pro virili facere, per oratores petiit, ut illi veniam daret; illumq; in sui gratiam reciperet. At pontifex oratoribus dicebat; se nunquamLudovico veniam daturum, nisi prius omnes errores ac hæreses confiteretur, & Imperium deponeret, & se atque filios suos, & bona omnia in manus ac voluntatem ipsius reponeret: pollicereturq; se nihil horum rursus suscepturum, nisi ex ipsius pontificis gratia. Et horum omnium formulam quandam scripto oratoribus tradidit: eamque ut Ludovico offerrent, mandavit.

Vbi hic pastoris forma? Ubi patris aspectus? Ubi sanctitatis specimen? Bonus imperator, ne qua forte orirentur bella aut cædes, si non se subjiceret, formulam pontificis accipit, eaq; inspecta, Christiano sanguini consuluit. Huc enim plurimum effundendum conspiciebat, si in sententia perstitisset: ideoq; illam non tantum sigillo corroborabat: sed & juramento, se omnia servaturum esse, pollicebatur. Quod dum pontifex audisset, admodum miratus est. Sed num Ludovicum in gratiam suam recepit? num illi aliquod benevoli animi signum ostendit?

Audit, quomodo res se habuerit. Ludovicus formulam illam principibus, electoribus, ac oratoribus civitatum Imperii demonstravit. Principes Articulos quosdam,
1349. quoniam in perniciem ac destructionem Imperii à Pontifice concepti fuerant, detestati sunt: Imperatori firmum auxilium & assistentiam polliciti sunt, si jura Imperii defensare velint. Per oratores Clementem rogaverunt, ut ab eis articulis, in læsionem sacri Imperii excogitatis, abstineret. Et nihil præterea aut agentes aut petentes oratores discesserunt. Clemēs vero horum omnium causā in Ludovicum transferens, eis ac filiorũ exterminiũ una meditabatur.

In cœna Domini crudelissime eum execrabatur, Joannis Pontificis processus omnes durissimos innovabat, hæreticum ac schismaticum declarabat, principes electores admonebat, ut alium eligerent Imperatorem. Archiepiscopum Moguntinensem dignitate ac eligendi autoritate privavit eo, cum Imperatoris innocentiam cognosceret, sacram eius majestatem violare nolebat. Cæteri vero electores ingenti pecuniarum largitione corrupti à JoanneBohemorum rege, Carolum ipsius filium in regem Romanorum decernebant: quem Clemens inclemens paulo post in publico consistorio approbavit.

At quis horrida bella enarrare posset, quæ ex Clementis hujus beatissimi in imperium admisso scelere orta sunt? Viginti millibus Gallorum per Eduardum Anglum prostratis, & Joanne Caroli patre cum multis millibus occiso. Ludovicus autem, dum pontificis processus adhuc curaret, imperii administratione relicta, ex Clementis insidiis, venenum bibit, ex quo atque corporis collisione mortuus est.

Hinc agnoscant populi, quam omnibus bonis detestandam tyrannidem pontifices Romani in Christi ecclesia exerceant. Optimos imperatores injusto anathemate feriunt: eos Imperiali majestate, omnibus bonis, omnibusq; liberis, quæ omnia à Deo ipso acceperunt, exspoliant. Electores Imperii autoritate sua privant, aliosq; quicunq; illis placuerint, substituunt. Imperatores, invitis omnibus imperii principibus ac civitatibus, eligunt: seditionum ac bellorum semina serunt: ut Christianus sanguis ferro exhauriatur, optant ac moliuntur. Si ferro id præstare non possint, ut id contingat lethalibus potionibus, procurant. Imperium ipsum deniq; ad eam vexerunt calamitatem, in qua hodie adhuc jacet.

Is enim Carolus, quē ipsi, invitis omnibus Imperii ordinibus, imperatorem crearunt, ut filium sibi successorem pararet, Electores adeo magnis pollicitationibus ac largitionibus corrupit, ut publica imperii vectigalia illis oppignoraverit, quæ & hodie retinent: atq; ideo Romanum Imperium sese attollere non potest. Nam tum Electores Carolum jurejurando coëgerunt, ne pignora unquam revocare posset. Vnde tandem factum est, ut imperio prostrato, Turca ecclesias Christi invaserit, earumq; plurimas destruxerit: parumque abesse, ne ubiq; per totam Europam fero, ac miserrimo Mahumetici dogmatis jugo debachetur.

Resipiscent (aliquando Christiani principes, ut summum ecclesiæ Christi hostem

fecisse Joannem contra illum talia attentare, cum pontificis & Imperatoriæ Jurisdictiones distinctæ sint. Et aperte testatus est, Ludovicum in omnibus se gessisse, quemadmodum strenuum & Christianum Imperatorem decet.

Sciendum tamen, pontificem nihil horum ex animo, sed arte, in *Ludovici* favorem fuisse. Nam cum videret, regem *Galliæ*, in cujus ditione ac regno morabatur, simul pace quadam secum agere: veritus est, ne, si Imperatorem hostem haberet, nullum ei superesset auxilium, si *Galliæ* rex in illum aliquid moliri voluisset. Hac igitur ex causa *Benedictus* è re sua esse arbitratus est, si Imperatorem sui benevolum redderet, sperans, ita futurum esse, ut nihil contrà ipsum tentare auderet. Hæ sunt artes quibus pontifices *Rom.* tyrannidem suam in Dei ecclesia foverunt ac fovent. Hæc sunt arma, quibus inferorum portæ adversus pontifices non prævalent.

Idem alibi. Ludovicus Imperator ex Clemētis 6. insidijs venenum bibit: ex quo mortuus est.

Idem. Clemens quintus (inquit) quoniam non aljis servire ac ministrare, quemadmodum *Christus Apostolis* suis mandavit, sed, ut & illi ab Imperatoribus ministraretur, optarat, decreto statuit, ut designati in *Germania* Cæsares, quamvis *Romanorum* regis appellationem sortirentur à summo tamen Pontifice Imperii jura ac nomen acciperent. *A*tque ut mortuo Imperatore, per omne interregni tempus, Italicarum urbium, quæ *Cæsari* stipendiariæ essent, arbitrium & potestas penes Romanum Pontificem esset.

Idem. Gregorius Nonus crudeliore adhuc animo in Imperatorem desævjit. Eum namq; accusare incepit, quoniam Hierosolymitanæ peregrinationis votum, quod sub honorio voverat, perficere ac absolvere nollet: eumq; hac ex causa non modo non auditum, sed neq; ulla ratione convictum, anathemate ferit. *I*mperatorisque nuncios, honestas ac veras domini sui excusationes afferentes, nunquam, ut ad suæ beatitudinis pedes accederent, permittere voluit, nec in conspectu concilii audire. Quis unquam majorem tyranndem vidit?

Pontificis odium nullis artibus unquam mitigari potuit. *S*ed Joannem Hierosolymitanum regem, ac comites Thusciæ imperatoris rebelles, multosq; alios principis ad eum lacessendum excitavit. Dumq; imperator diem conventus Christianorum principibus quibusdam *Ravennæ* indixisset, principesq; (ut ei parerent) illuc properarent, Pontificis jussu iter eorum intercipiebatur: ac milites cruce signati (hi jussu imperatoriis collecti fuerant) ad Hierosolymitanam peregrinationem parati, omni viatico spoliabantur. Quæ omnia *I*mperator videns, Pontificis rabiem demum delinire curavit. Hierosolymam versus iter parabat, trajecto mari Cyprum pervenit, mox Acon explicuit, multaq; propter Christi fidem multo cum sudore ac labore apud Soldanum egit.

Interim Papa, ob Imperatoris absentiam capta occasione, *A*puliam tyrannidi suæ (proditor) subegit: cruce signatos milites transfretare prohibuit, eosq; ex *Apulia* ac *Longobardia* expulit, multaq; alia portentosa ac indigna fecit. *S*icq; dum bonus *I*mperator Christi oves, ne à lupis discerperentur, ense defendit, Pontifex, qui eas pascere tenebatur, lacerabat ac devorabat. *I*mperator Hierosolymam, Nazareth, Joppen à Soldano recuperabat, & cum eo inducias decennales pactus fuit: atq; de his omnibus pontificem per literas certiorem fecit, inde ipsius congratulationem ac Christianorum publicum gaudium (ut par erat) expectans. *A*t pontifex, contemtis & abjectis literis (magna Hierosolymæ cura) eos, qui literas attulerant, ne rei insigni erigestæ veritatem narrarent, occidi mandavit, & *I*mperatorem diem suum obiisse, palam nunciavit. p. 652

Quis unquam futurus carnifex *Antichristus*, si Papa non sit? *A*: quanam ex causa id fecit? ut *A*puliæ urbes aliquot, quæ *Pontifici* se subjicere noluerant, hac arte flectere posset. Atque ne reverteretur Imperator, ipseq; pro sua libidine totam Apuliam sibi subjiceret, *S*oldanum per literas rogabat, ne terram sanctam Cæsari redderet: (vide nunc eorum erga Hierosolymam zelum) quemadmodum eum reddere intelligebat. At Imperator, omnibus cum Soldano, quæ cum fieri poterant, peractis, in Italiam revertebatur. *E*t ex Apulia pulso pontificis exercitu, divino ei favente auxilio, quæ sibi injuste ablata fuerunt, brevi recuperavit. Pontifex iterum Imperatorem anathemate percussit, & una cum Longobardis ac Thuscis contra ipsum conjurationem fecit eo, quod cum Soldano fœdus injisset.

Postremo, procurantibus principibus multis, ut pius Cæsar cum superbissimo tyranno pontifice componeretur, absolutionem ipse centum millibus auri uncjis emit *H*inc conjicere licet, quam carus rerum suarum mercator sit *Pontifex factus*: qui tamen fatetur, se nullis nummis Christo datis, claves solvendi ab illo accepisse. *M*ox imperator in Germaniam parabat iter, ut quædam Henrici primogeniti sui errata corrigeret *A*. pontifex (ô inauditam perfidiam!) statim Germaniæ principibus per nuncios mandabat, ne quenquam ex Imperatoris domo in regem *Romanorum* decernant.

Hoc cum ei relatum esset, atq; una intellexisset, pontificem cum multis Italiæ

principibus contra ipsum conspirasse, ut prorsus Imperatoria majestate privaretur: Italiam invasit, rebellesque Longobardos compescuit: multas Vmbriæ denique ac Hetruriæ urbes expugnavit: Totam Longobardiam, Viterbium, Perusium, Faventiam, Cremonam, Vicentiam, Patavium, quæ cum pontifice conspiraverant, Imperio subdidit. Quæ cum Pontifex vidisset, Fridericus rursus anathemate percutiebatur. Imperator, qui Patavij tunc erat, hoc audiens, & quoniam Romanorum Pontificum avaritia, audacia, ac tyrannis, amplius ferri non poterant, ideo omnibus Christi fidelibus eas patefacere decrevit, ut illos ab errore ac falsa eorum religione revocaret.

Hac ex causa jussit cuidam in sacris literis eruditissimo, ut coram se liberam haberet concionem de anathemate, ac de Ecclesia Romana: contigitque, ut absoluta concione adeo Rom. Ecclesiæ errores detecti sint, Pontificumq; technæ atq; pessimæ artes ita patefactæ, ut Imperator pontifici illi in hæc verba scripserit.

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Interim potior pars Italiæ Imperatori adhæsit. Et Gregorius in desperationem rerum ac tyrannidis suæ in posterum exercendæ adductus, anno Domini 1241. animam exhalavit, Diaboloque reddidit, cujus & opera & consilia dum viveret, secutus est.

Idem. Quid Alexandri sexti inaudita & obscœna facta enarrem? Is cum dæmonibus fœdere inito, sese illis modis omnibus addixit ac donavit, si eorum artibus in Pontificem Romanum crearetur: quod cum dæmones illi polliciti fuissent ac præstitissent, Alexander ita vitam suam sancte instituere cœpit, ut nunquam aliquid facere moliretur, nisi prius dæmones in consilium advocasset.

Idem. O beati nostræ tempestatis martyres, qui non à Cæsaribus, publicis Ecclesiæ hostibus, sicut aliquandiu antiquitus factum fuit, martyrio donamini; sed ab his, qui ipsiusmet Ecclesiæ pastorum, tutorum, patrumq; nomine gloriantur.

Idem. Ludovicum Bavarum, Imperatorem optimum, Ecclesiæ rebellem, schismaticum & hæreticum Joannes 23. Papa declaravit, quod à principibus electus, administrationem imperij suscepisset, nullo sibi præstitio subjectionis juramento. Ioannes enim Ludovicum Bavarum acerrimo odio prosecutus est, cum quia à Germaniæ principibus in regem Romanorum electus, nomen ac titulum Imperatorium (ut Clemens quintus decreverat) de manu pontificis accipere dedignabatur: tum quoque, quoniam monachos quosdam (quos tanquam hæreticos ipse damnaverat) adversus illum defendebat. Ideoq Ioannes Ludovicum hæreticum asseruit.

Ludovicus in Italiam veniens, vicarios singulis Imperij civitatibus, ut pareat, imposuit, Mediolanum venit. Cumq; Pontificis rabiem delinire optaret, ad illum, qui Avenioni in Gallia tunc sedem habebat, oratores misit, qui Imperialia insignia peterent sibi (more majorum) benigne ac amico animo conferri. Pontifex non modo id facere recusabat, sed & oratores summa cum ignominia repulit. Imperatoremque ipsum peremtorie citabat, ut Avenionem veniret, ac statutis ecclesiæ se subjiceret. Imperator Pontificiam in Ecclesia tyrannidem agnoscens, seq; à Deo Imperatoriam majestatem habuisse, sciens eandem pariter sanctam ac inviolatam servare studebat.

Ideo nec Pontificibus se tanquam servum subjicere volebat. Ideo Avenionem petere denegabat. Pacis tamen cum esset avidus, rursus per nuncios obsecrabat, ut Imperialia signa ei benigne conferrentur. Pontifex in sua perstabat sententia: Vicecomites, quibus Imperator Mediolani dominium permittebat, in Ludovici odium excommunicabat. Imperator cum Pharaonis cor induratum conspiceret, Romam, multis secum adscitis Italorum principibus pervenit, ac honorifice ab universo populo est susceptus: imperialiaque insignia pro more sibi concedi petijt. Romanorum proceres ac totus populus, oratores ad Joannem in Galliam mittebant, eumq; obsecrabant supplices, ut urbem suam invisere vellet, ac regi Romanorum imperialia insignia conferre. Quod si ipse hoc facere renueret, se antiquam populi Romani legem ac jura servaturos, asserebat.

Ioannes, oratoribus auditis, summa cum ignominia, terroribus ac minis eos à se repulit. Quæ videns populus Romanus decrevit, optimo Ludovico concedere quod petebat: & ita à senatoribus Stephano & Nicolao, jussu totius cleri ac populi, cum conjuge una coronatus fuit, omnib. nobilibus (qui astabant) acclamantib. Ludovicum Augustum Romanorum Imperatorem.

Quid quæso hactenus Ludovicus egit, quod optimum ac magnanimum Imperatorem non deceret? Attamen Joannes hoc audiens, cum læsæ majestatis reum ac hæreticum incusabat, durissimos processus contra illum publicabat, imperiali dignitate dejiciebat, regno privabat, excommunicatione crudelissima, tanquam ecclesiæ Rom. rebellem atq; hæresiarcham, condemnabat. Sed quidam erant his dieb. tam theologi quam juristæ, qui docebant, Christum & Apostolos nihil habuisse proprii, & Imperatorem non esse in temporalibus Papæ subjectum. Ex horum numero fuerunt Michaël Cesenas & Guilhelmus Occá, Minoritæ: Marsilius Paduenus, & Ioannes de Ianduno jurisperiti, cum aliis mul-

multis. Per hos Ludovicus Imperator ita confortatus est, ut Papæ se conatibus utiliter opponeret, tali appellatione in omnes imperii fines publicata.

Literæ Ludovici.

Nos Ludovicus Romanorum rex, proponimus adversus Joannem, qui se dicit esse Papam, quod CHRISTI testamentum de pace male exequitur, publicam Christianitatis pacem perturbans. Nec reminiscitur, à sancto Constantino id, quicquid nunc habet honoris, lacitanti Sylvestro permissum: male gratus Romano Imperio, unde desumsit omnem (quo nunc abutitur) splendorem &c.

Cum ergo Ludovicus ac Romani proceres, iniqua Joannis facta optime cognoscerent; populusq; Romanus à Majore ad minimum usq; ægre ferret, quod ab eo oratores, quos miserant, ita delusi essent: una omnes conveniebant, ut antiquus mos in eligendo pontifice in ecclesiam invehere-tur: ut videlicet à populo Romano electus, ab Imperatore ipso confirmationem acciperet. Ideo Petrus quidam Corbariensis Minorita in Rom. Pontificem creabatur, ac Nicolaus Quintus dicebatur: Joannem vero hæreticum atque Ecclesiæ tyrannum, & non pastorem, publicæque Christianorum pacis perturbatorem declarabant. Hæc quoq; omnia Imperator ac Rom. Concilij patres ecclesiæ catholicæ submittebant.

553. ## Ominosa.

Anno hoc 27. Octobris in arce VVittembergæ quædam species apparuit trium virorum candidis amictorum togis, qui tres ultra horas circumierunt: in peristyliis quasi colloquentes recuberunt, in aulam deorsum despexerunt: conclavia Principis sæpe exiverunt & intraverunt: multisq; conspecti fuerunt hominibus. Fincel. libro 2. Imp. Carolo 5. Papa Julio 3. sup.

553. ## Præsagium.

In ultima venatione ante mortem animadvertit Fridericus Saxo, omnes illum feras fugere, nec ulterius pro domino agnoscere: voluerunt quidam, quod id præsagium fuerit mortis.

554. ## Marcus Antonius Muretus in Epist. & Rutgerus Rulandus I. C. in Tract. de Commiss.

Habitabat, inquiunt, Patavij in vicinia mea, homo adolescens, genere Corsicus, honesto, ut ferebatur & credibile erat, apud suos loco natus, qui eo venerat, ad jus ci-
555. vile discendum, quo in studio ita diligenter & attente aliquot annos consumserat, ut magna jam esset de doctrina illius hominum opinio: ventitabat autem quotidie in ædes meas, devexo jam & inclinato sole, æstus enim erat, ibique (quod ædes satis amplæ erant, satisque apricæ) aut sub dio ambulans, & cum æqualibus suis jucundissime colloquens: aut saltu, aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens, fessas studiorum laboribus vires honestissime reficiebat.

Rumor erat, tenere eum artem quandam memoriæ, cujus auxilio multa efficeceret, quæ credi, nisi spectata, non possent. Is cum ad aures meas perlatus esset, cupido me incessit, mirabilia illa & inaudita spectandi: cujusmodi enim in rebus minime omnium auditis credulus esse soleo: visum est igitur, quando ille domo mea arbitratu suo uteretur, hoc ab eo, quasi ἐνοίκιον exigere, ut, quod sibi commodum foret artis suæ specimen aliquod daret. Ille nihil gravatus, lubentissimo animo se, cum vellem, facturum esse, respondit. Placuit statim, & cum per ipsum mora non esset, una omnes qui aderamus, in proximum cubiculum ingressi, consedimus: cœpi ego dictare nomina latina, græca, barbara, significantia, tam varia, tam nihil inter se coherentia, tam multa, ut & ego dictando, & puer, cui mandatum erat, ut ea exciperet, scribendo, & cæteri, qui aderant, audiendo atque expectando fessi jam miris modis essemus: ipse unus ex omnium numero, alacer & recens, assidue plura poscebat.

Sed cum ego ipse, modum aliquem fieri oportere, dixissem: & abunde mihi satisfactum iri, si vel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuisset: tum ille, fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium expectatione, tacitus aliquandiu stetit. Quid verbis opus est? vidi facinus, ut ille ait, mirificissimum. ὁ Δαιμόνιος ἐκεῖνος exorsus loqui plane omnia, eodem ordine, nusquam hæsitans nobis stupentibus reddit. Deinde ab ultimo incipiens sursum versus pervenit ad primum, inde rursus ita, ut primum, tertium, quintum & sic deinceps omnia diceret, quo denique quisq; voluerat ordine, sine ullo errore, omnia referebat. Idem postea, cum etiam familiarior factus essem, sæpe expertus usquequaq, verum deprehendi.

Ipse mihi aliquando affirmavit, & erat ab omni jactantia alienissimus, se triginta sex millium nomina, eo modo recitare posse: quodq; admirabilius est, ita hærebant omnia in animo, ut vel post annum diceret se, quæcunq; memoriæ mandasset, minimo negotio repetiturum: & ego certe, post multos dies facto periculo, verum comperi. Neque hoc satis: diversabatur apud me Franciscus Molinus patritius Venetus, adolescens, optimarum artium studijs mirifice deditus, qui cum se memoria parum firma esse sentiret, oravit hominem, uti se artem illam doceret: vix ostenderat, se id velle, cum Corsicus ei operam suam prolixissime detulit, dictus est locus, dicta

 est

hora, ad quam quotidie convenirent. Nondum sex aut septem dies abierant, cum ille quoque alter, nomina amplius quingenta sine ulla difficultate, aut eodem, aut quocunq; alio libuisset ordine repetebat.

Hæc ego vix auderem literis prodere, mendatij suspicionem reverens, nisi & res adhuc recens esset (nondum enim annus est) & Nicolaum Lippomanum, Petri Alexandri filium, Joannem Malipetrum, Nicolai filium, patritios Venetos optimos & nobilissimos adolescentes, aliosq; praeterea innumerabiles eius rei testes haberem, à quibus, si mentirer, vanitatem meam coargui nollem. Artem vero illam se Corsicus accepisse dicebat ab homine Gallo, quo puer demestico præceptore usus esset. Imperatore & Papa ut supra.

Andreas Hondorpius in speculo Historiali.

Homo quidam devotus quotidie, in honorem *Beatæ* Mariæ, recitabat Ave Maria, &c. Is ipse homo quodam tempore in desperationem incidit, ut sibi ipsi linguam & labia deroderet, & sine dubio plura sibi membra demordisset, si ei concessum fuisset. Illi ipsi virgo Maria comparuit, & suas mammillas exeruit, & lac in infirmi os immulsit, ex quo ei labia & lingua succreverunt de integro, & ipse pristinæ sanitati & intellectui restitutus fuit. *Invocatio Mariæ* hinc probatur.

Idem. *Guido Bonatus* insignis fuit Astronomus: & *Astrologiæ* tam peritus & certus Magister, ut fugere ipsum nullius rei potuerit notitia, quod ex hoc liquere potest exemplo. Aliquando enim cuidam Comiti de monte ferrato, eodem Guidonis nomine Gaudenti, prædicebat, quod, si ex oppidulo Forolivio hostes insidiose incesseret aut invaderet, potiturus esset victoria, eosdemq; subacturus: sed tamen & ipsum saucium fore vulnere accepto ex uno femore. Et in hujus rei certitudinem seipsum cum comite proditurum in aciem, & primam cum aliis conserturum hosti dextram: secum sumturum etiam quædam, quibus ad sanandum vulnus [quod habebat nondum] uti vellet. Et factum hoc non male cecidit. Cum enim dimicaretur, vicit Comes & potitus est victoria: saucius tamen ex superiore illa parte, sicut prædixerat Astronomus. Campofulgosius libro 8. cap. 11.

p. 654.

Idem. *In* codice admodum vetusto versum hunc legi:

Versus amor mundi caput est, & bestia terra.

Roma scilicet bestia illa est, quæ omnes ex gi & perdit terras.

Idem. *Sub* Leone 10. anno 1517 Franciscus Picus in Concilio Lateranensi, gravi oratione impudicam *Pontificiorum* vitam reprehendit, indicans, ab impiis quibusdam parentibus Romæ filios Cardinalibus *Sacerdotibus* vendi, & *Sodomiticæ* eorum fœditati & libidini tradi: quæ sane parrhesia inter Pontificios & rara & valde est periculosa.

Idem. *Bernburgi* ante annos aliquot bonarum literarum fuit studiosus, qui ex abbatis cujusdam promotione, Canonicatum in cathedrali Ecclesia *Magdeburgensi* adeptus est. Hic cum otium & tranquillitatem propter amplos suos reditus sibi polliceretur, & Babylonicæ meretricis signaculo gauderet, subito in extremas deductus est angustias. Nam cum aliquando equo vectus Magdeburgo egressus esset: ijs diabolici spectri dementatus est præstigiis, ut, se corpore & anima à Sathana jam jam abreptum iri, putarret, quod & factum esset, adeoq;, ut (quod ipsemet confessus est) in angustijs istis defecisset, & in desperatione misere perijsset, nisi, ex Christi Salvatoris dicto consolatione arrepta, seipsum confortasset: *Sic* Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quo dicto tanquam sacro scuto tum temporis Sathanam à se abegit, sed relicto fœtore pessimo, qualis adustarum est vestium.

Mœstus itaque & animo turbidus domum revertitur, ubi cum mensæ assideret, fratrem lateri affixum habens, spectrum illud animo eius obversatur, & in tantas eum denuo redigit angustias, ut flebilibus gemitibus testaretur, se *Sathanæ* & corpore & anima esse proprium. In qua desperatione festino cursu in puteum proximum se præcipitat. *Sed* ex Divina gratia, urnam in aquis pensilem apprehendens, se sustentavit, illæsusq; inde extractus est. Ab eo tempore consolando hominem hunc turbidum, gravibusq; tentationibus oppressum admodum occupati fuerunt *Ecclesiarum* eius loci ministri, animarum curam sibi demandatam habentes.

Sæpe enim numero accidit, ut, concioni sacræ cum interesset, tanti subito eum opprimerent terrores, ut amentis instar in sacrarium se proripiens, ex Concionatoribus aliquem accerseret, supplexq; ab eo, consolatione ex verbo *Dei* desumta erigi se, peteret. Tanto ipsi *Canonicatus* iste constitit. Quoniam autem lapsum & peccatum suum agnovit, & vere ob peccatum dolens, gratiam & consolationem anxie disquisivit: Misericors *Deus*, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, gratiæ ex verbo suo eum participem reddidit, & ex mera sua Misericordia, in agris, in puteo, & aliis quibusvis tentationibus mirabiliter conservavit, omnibus periculis eripuit, ut malit jam plebeius esse civis, dummodo salvam habeat conscientiam, quam magnificus & dives *Canonicus*, turpi conscientiæ labe aspersus.

Hoc

Hoc exemplum in promptu esset debebat omnib⁹ iis, qui parum salutis suæ memores Pontificiorum inhiant delitiis, & in fronte signati charactere bestiæ, fornicationis mercedem ad se pertrahunt, nec vel solo gemitu animarum & vitæ jacturam deplorant.

Idem. Thomas Blauerus, Regis *Scotorum* Consiliarius summus, autor persecutionis adversus Doctores Evangelicos susceptæ, cum, horam mortis jam ingruere intelligeret, se damnatum & perditum esse, assiduè clamavit. Cumq; Monachi lecto assisterent, eumq; consolari vellent: *Apagite*, inquit, cum vestris ineptiis. Nunquam enim adduci potui, ut crederem, *Deum* esse vel *Sathanam*, infernum vel cœlum, & in pari pretio tam vestram quàm *Evangelicorum* doctrinam habui. *Solam* spectavi in meis consiliis pecuniam. *Et* ejus rei gratia Episcoporum causam egi, *Regiq;* author fui, ut vestros adversarios ejiceret. *Idcirco* nihil proderunt mihi vestræ vel Missæ vel Vigiliæ. *Sum* enim damnatus, & Sathanas jam constrictum me tenet, ut in abyssum inferorum me abripiat, & in æternum illic secundum mea merita me affligat. *In* hac desperatione miserè exstinctus est.

Idem. Ferunt, in montanis *Bohemiæ* nō raro apparere Monachum, quem nominant Rubezal: & persæpe in thermis conspicuū iter per montana & sylvas facturis sese adjungere, eosq; bono animo esse jubere. *Se* enim ignaros itineris recto tramite per sylvam deducturum, quos simul ac in nemore in avia deduxerit, ut, quò se vertant, prorsus nesciant, eum protinus in arborem subsilire, tantumq; cachinnum tollere, ut vastum inde nemus resonet. *Monachus* iste vel *Rubezal* est *Sathanas* ipse, qui, assumtâ monachi specie, indicat, monachos Pontificum satellites, verè suos esse ministros, & larvas, quibus indui gaudeat, nec scel⁹ ullum vel flagitium tantum esse, quod non per impios monachos, effœtasq; veneficas, ut Sathanæ organa, ex Dei permissu, perpetrari queat, quod & notum illud distichon ostendit:

Non audet stygius Pluto tentare, quod audent
Effrenis monachus plenaq; fraudis anus.

655. *Articuli contra Cardinalem Moronum de Lutheranismo accusatum, & in Carcerem conjectum.*

Articulos infrà scriptos partim hæreticos, & partim scandalosos respectivè, vel de hæresi suspectos, dat, facit, & exhibet Procurator Fisci & Cameræ *Apostolicæ*, nomine officii sanctæ inquisitionis, tam conjunctim quàm divisim, contra & adversus Illustrissimum & *Reverendissimum* dominum Joannem Cardinalem *Moronum*, ad quos probandum, quatenus ex adverso negetur, tam in Romanâ Curia, quàm extra admitti petit, ac committi alicui probo viro, in qualibet civitate, & quibuscunque locis, ubi erit opus testium repetitione, & novum examen, ac desuper literas remissoriales, juxta formam & stylum officii dictæ inquisitionis, ac in dictis literis remissorialibus interrogatoria ab ipso Illustrissimo & reverendiss. includi, & ad partes mitti, ad superfluam tamen probationem non se astringit, de quo protestatur expressè.

Imprimis procurator, qui suprà dicta repetit, & pro repetitis habere vult & intendit omnia & singula dicta, acta, gesta, facta, agitata, confessiones, ex quib. quidē sic repetitis dicit constare, & quatenus non constat, probare vult & intendit, qualiter dictus Illustriss. ac Revereudiss. Cardinalis immemor salutis suæ, & beneficiorum receptorum à sanctâ *Romanâ* Ecclesiâ, à fide Catholica, quam ipsa docet, tenet & prædicat, in pluribus dictis & factis deviavit palàm & publicè, & sic facit, & est verum.

2. Item tenuit & credidit, & se tenere & credere asseruit, articulum Justificationis esse retractandum, tam ante quàm post determinationem Concilii Tridentini.

3. Item, quòd cuidam prælato dixit: *Cōcilium* Tridentinum, quoad articulum Justificationis esse retractandum, & retractari debere.

4. Item de & super eo, quòd, cum esset in Concilio Tridentino, scripsit Vicario suo Mutinensi, quòd faceret intimare populis, quòd deberent tantummodo confidere in sanguine Christi.

5. Item de & super eo, quod tenuit & tradidit, seu se tenere & credere ostendit, Sacerdotem non absolvere pœnitentem, cuj⁹ audit peccata in confessione sacramentali, sed tantùm declarare absolutum.

6. Item de & super eo, quod scripsit literas ex Tridento prædicto Vicario, quod deberet vocare ad se presbyteros omnes audientiæ confessionis expositos, & ex parte suæ *Illustriss.* ac *Reverendiss.* domino diceret illis, quod adverterent punctum absolutionis, quia Christus erat, qui absolvebat, de quibus literis valdè lætati sunt Lutherani Mutinenses.

7. Item quod tenuit & credidit, seu se tenere & credere ostendit, Pontifici non esse parendum uti vicario Christi, sed tantummodo tanquam Principi temporali: & ipse asseverando dixit, quod ipse non arbitrabatur, se esse *Episcopum Mutinensem*, & parebat Paulo Papæ 3. ut principi tēporali.

8. *Item* quod tenuit & credidit, & se tenere & credere demonstravit, opera nostra, quantumcunq; in gratiâ Dei facta, non esse meretoria: quin imo quod ipse, propter quantumvis bonum opus (uti in celebrando *Missam*) mereri se infernum, affirmavit.

9. Item de & super eo, quod prædicaret *Mutinæ* de Justificatione contra sensum

Lutheranorum, & quòd opera bona facta in gratiâ Dei essent meritoria vitæ æternæ, nedum illi prædicandi officium interdixit verùm etiam à dictâ civitate licentiavit.

10. Item quòd tenuit & credidit, seu se tenere & credere demonstravit, sanctos nō esse invocandos.

11. Item quòd quendam prædicatorem redarguit eò, quòd prædicarat de meritis & invocatione Sanctorum, mandans illi quòd deberet prædicare Christum & ejus Evangelium, & non tot merita; neque tot sanctos.

12. Item de & super eo, quòd reprehendit quosdam fratres religiosos de eo, quòd ita pleno ore cantarent illa verba: Eia ergo advocata nostra, in Antiphonâ Salve regina posita.

13. Item de & super eo, quod cum colloquium haberet, cum quodam religioso docto de adoratione S. Crucis, nonnulla hæretica dixit circa hujusmodi adorationem.

14. Item de & super eo, quod admonitus, nonnullos scandalum suscepisse eo, quod minùs reverenter se habuisset in visitando reliquias cujusdam sancti; ipse redarguit ipsos religiosos, dicendo, quod admirabatur de illis pro tantâ reverentiâ, quâ præstabant ergo hujusmodi reliquias.

15. Item quod super illis verbis, Non levabit gens contra gentem gladium: annotavit hujusmodi verba, scilicet contra Christianos non esse bellandum, ex quibus habitus est suspectus de hujusmodi errore.

p. 656. 16. Item quod cuidam Concionatori, quem noverat Lutheranum, dixit: quod deberet prædicare de Iustificatione, invocatione sanctorum, prædestinatione, & aliis hujusmodi articulis, ad mentem Lutheri, excepto articulo sanctissimæ Eucharistiæ;

17. Item de & super eo, quod libros & scripta hæreticorum tenuit, legit, aliisque legendos, seu legenda exhibuit.

18. Item quod libellum intitulatum, Beneficium Christi, distribuendum curavit: & Bibliopolæ hæretico, seu de hæresi suspecto mandavit, ut hujusmodi libellos venderet, quàm pluribus posset, & iis, qui non haberent, dono traderet, quia ipse pecuniâ illorum solveret.

19. Item, quod ipse hæreticos, seu de hæresi suspectos in domo suâ tenuit, & quàm plures alios domesticos habuit, & præcipuè quosdam prælatos: & pecuniam, inter hæreticos seu de hæresi suspectos pauperes destribuendam, pluries est elargitus.

20. Item Hæreticis seu de hæresi suspectis favit, & præcipuè Bononiæ, quib9 pollicitus est, quod, si mitteretur ex urbe aliqua provisio contra eos, quod caperentur, &c. illos præmoneret, &c. asserendo, ipsos hæreticos non esse persequendos, ex quo Deus ipse tolerat eos.

21. Item quòd ab hæreticis seu de hæresi suspectis Mutinensibus, redeundo à Concilio Tridentino, veniam quodamodo postulavit eo, quòd aliàs ipsos fuerit persecutus. Imperat. Carolo 5. Papa Julio 3.

Psalterium Mariæ. 1554.

Notum est Psalterium Mariæ, anno Domini 1554. Venetiis impressum, in quo omnes Psalmi Davidici, non sine horrenda blasphemia, Mariæ adaptantur sic, ut pro nomine Jehovæ, Elohim, Domini, Christi, nomen Mariæ ubiq; sit substitutum;

Signa. 1554.

Fribergi Misniæ in medio die visa est imago Domini nostri Jesu Christi, sedentis super iridem, insigniter suis coloribus nativis depictam, ut Fincelius in suis post renatum Evangelium miraculis memoriæ prodidit. Fincel. ut sup.

Jacobus Ratz de Cland. Matrim. 1554.

Parochus quidam dicebat: Hæc fœmina coram Lutheranis est uxor mea, cui clam promisi matrimonium: sed coram aliis dominis meis est mea ancilla, mea cōcubina, & mea meretrix. Imp. Car. 5. Papa Julio 3.

Conradus Bolovesus. 1554.

Hoc anno, & sequentibus, varia prodigia, monstra & portenta cælo terraq; visa sunt multis in locis; quæ Bolovesus hic edito libro enumerat, & suam interpretationem addit. Vt sup.

Ludovicus Masurius. 1556.

Extant hujus libri, & inter alia Babylon sive Babylonicæ Tyrañidis eversio. Ut sup.

Conciliatio Papæ & Lutheri. 1557.

In colloquio Wormatiensi anno 1557. hos quidam composuit versus, innuens, impossibile esse, Pontificem Romanum & Lutherum conciliari.

Ja wenn der Teuffel morgen sturb/
Und ein Wolff zum Schaaf und Lamb wurd:
So würd der Pabst und Luther eins/
Der beyder gschicht gewißlich keins.
Noch will man viel davon tractiern,
Das ist Geld/ Mühe und Zeit verliern.
Bleibt Christus Wort mit Ehrn bestohn/ p. 657.
So muß der Pabst zu drümmern gohn/
Kein Mittel ist zu finden hie.
Was thun wir denn mit unser Mühe?

Iacobus Ruff. 1554.

Scripsit de quibusdam ostentis, & significatione eorundem. Imperatore Carolo 5. Papa Julio 3.

Horrendum. 1555.

Duodecimo Julii Nebræ in Thuringiâ hoc stupendum factum accidit, quod Fincelius nobis describit. Conjunx sutoris cujusdam habitandis ibidem, triduum ingenti dolore sustinuit labores partus, ut obstetri-

stetrices tres adhibere necesse fuerit. tandẽ fœtum mortuum enixa est. In ipso autem enisu atq; contentione, cum fœtus dimidio corpore exiisset alvo maternâ, ingens fragor seu sonitus terribilis, qualis est bõbardæ, auditus est in alvo parturientis, & flammæ ignis maximi cum infante eruperunt, eiq; is in natibus bullas amplas inussit. Obstetrici Catharinæ Hegenwaldis genas adussit, flammæque in toto vaporario dissipatæ fuerunt, sulphureo odore implẽtes totam domum. Ut sup.

1554. *Andradius.*

Pro stabilitione traditionum hic sic inquit: si libros sacros ex traditione *E*cclesiæ recipimus, cur non eodem modo etiam omnes reliquas traditiones reciperemus? *E*t *L*yranus Deut. 17. citat glossam hebraicam, ubi ait, omni modo recipiendum esse, quicquid hoc modo proponatur, etiamsi dextrum dixerit esse sinistrum. Imp. & Papa ut sup.

1555. *Laurentius Agricola.*

Laurentius *A*gricola contra Mendicantes & universum monachorum gregem ita cecinit:

Qui volet immundum in mundo cognoscere mundum,
Exploret rasos, vestales atque cucullos.
Bis tres immensis ambigunt clamoribus horas:
Quod superest ventri tempus id omne datur.
Quæris tu, quid agant? stertunt potantq;, canuntq;:
Ventris in his munus vertitur omne tribus.

Imp. Carolo 5. Papa 230. Paulo 4.

1556. *Ioannes Ferus Franciscanus.*

Fuit hic Metropolitanus Moguntinæ Ecclesiæ Concionator. *A*licubi, illud ingenuè fateor, ait, si successores Petri eo modo potestate sua fuissent usi, quo *P*etrus, nemo Christianus eam potestatem impugnasset: quia autem pleriq; hac potestate abusi sunt quemadmodum nemo est, qui nesciat: hæc causa est & seminarium hujus tumultus: neque spes est, hunc tumultum cessaturũ, nisi tollatur causa. Imp. Car. 5. *P*apa Paulo 4.

Ejusdem in *S*ermone 5. *E*vangelii Dominicalis, quod Dominicâ 11. post Pentecosten, ex Evangelistâ Luc. cap. 18. Ecclesiæ prælegitur, hæc verba sequentia pag. 281. a. reperiuntur:

*Q*uis porrò etiam non videt insatiabilẽ avaritiam *E*cclesiasticorum, Sacerdotum, *M*onachorum, & *E*piscoporum? Eos intellige: qui aut Ecclesiastica munia quærunt & ad se trahunt, nec tamen ob aliam causam, quàm ob temporalem utilitatem & lucrum: aut verò, quia ea, quorum dispẽsatores & administri constituti sunt, non ad honorem Dei, non ad animarum salutẽ, neq; ad utilitatem & emendationẽ sanctæ Ecclesiæ, sed ad suum tantum commodum dispensant: imò vendunt, quod gratis dare debebant: quæ sua sunt, quærunt ex iis, quæ ipsorum non sunt: quin etiam in spiritualibus & cœlestibus rebus nihil aliud, quàm temporalia & terrena aucupantur.

Imò apud tales omnia venalia sunt, non solùm Oves & Boves, id est, parva & magna officia & præbendæ, ut vocant: sed etiam Columbæ, hoc est, dona Spiritus sancti & bona spiritualia, quæ gratis dispensare debebant, quemadmodum etiam gratis acceperunt. Adeoq; inter tales inveniũtur, qui, Spiritualibus penitus omissis, ad trapezas & mensas suas tantùm sedent, avaritiæ suæ studentes, & temporalibus duntaxat occupati sunt: ad hæc omnia; mensas suas ita fixè posuerunt, mundanaque potentiâ ita firmârunt, ut eos expellere nemo facilè possit: quamquam nihil tam forte est, quod Deus non queat evertere. p. 658.

*I*n summâ, quicquid olim Prophetæ de Judæis ob avaritiam eorum cõquesti sunt: id etiam in nobis invenitur: ut cum Scriptura dicit 3. Reg. 13. Quicunque implebat manum suam, id est, quisquis plenâ manu veniebat, fiebat *S*acerdos excelsorum. Et quod Malachias ait cap. 1. Quis est ex vobis, qui laudet justa, & incendat altare meũm gratuito? Hi illi sunt, qui ex Domõ Dei domum Negociationis faciunt.

*P*aulò post hæc idem Ferus ait: Omnes ejusmodi negotiatores, prædones & latrones faciunt, se è domo Dei ejici, & non materiali templo solùm, sed & spirituali corpore Christi, & communione sanctorum.

Hucusq; ipsa verba Feri, Concionatoris Moguntini. Hunc etiam vide super cap. 16. Matth. ubi interpretatur illa verba: Tibi dabo claves, &c. sed longè alio effectu, quã facit hodierna Roma: ut & Occam docet in dialogis.

Idem. Nihil tibi coram Deo profuerit, quòd in loco sancto habitas, nisi ipse quoque sanctus sis. *I*mmò condemnatio tua hoc gravior erit & certior, si in loco sancto flagitiosè vivas, quemadmodum in *I*saiâ id prædictum est. Nec proderit tibi, quòd rebus te sanctis occupas, si non ita facis, ut oportet.

Idem. Principiò verò, & mihi quædam tùm in sacerdotibus tum etiam laicis displicere, & non approbari omnia, testor: quin & abusus nonnullos irrepsisse, qui rectiùs jam dudum vel emendati vel ablati essent. Video, cultum honoresq;, quos huic Sacramento nõ sine fastu exhibemus, nihil ferè quàm externum ritum quendã ac põpam esse: & hoc sibi quisq; placet magis, quasi satis abundè hoc *S*acramentum veneratus, quo superbiore ac procaciore fastu se omnium oculis exposuerit: nulla tamen interea pietas, nulla fides, nullus amor nulla

nulla nec diligentis nec intentio, in nobis animadvertitur.

Equidem non dubito, propterea tot errores, tam gravia scandala Deum in Ecclesiâ permittere, quòd tot nominibus hoc *Sacramento* abutimur: nempe justo *Dei* judicio, mensa nostra nobis sit deserta, & in retributionem & scandalum: completurque in nobis, quod olim in Samuele scriptū est: *Repleti* priùs pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt: esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Non enim, dum verus Sacramenti hujus usus observatus est, *Diabolo* errorum machinis illud impugnare permissum fuit.

Idem Dom. 1. post *Pasch. Serm. 4. Illi* (Christo) hoc transcribendum est, non nostris meritis.

Et Dom. *Cantate. Serm. 5.* per solam fidem, nullo merito nostro nos salvari, dicit.

Dom. Misericordiæ *Serm. 1.* Fides auferet tibi peccata tua, & liberabit te, à morte & inferno.

Dom. Miser, *Serm. 4.* de hodiernis pastoribus, eos esse veros lupos, & alia durissima sed verissima in illos dicit: ut ibi.

Dom. Vocem Jucund. Serm. 6. Non meritorum nostrorum gratiâ nos diligit.

Dom. 13. post Pentecost. *Serm. 1.* Ne jactes bona opera: ne dicas, gloriabimur, hæc & hæc opera bona fieri: sed simpliciter implora misericordiam Dei.

1555. *Marcus Fritschius in Meteoris:*

Budæ Pannoniæ urbe, duo aleatores ita convenerant, ut alter in *Dei* nomine, alter in nomine diaboli luderet. Qui Deum nequitiæ fautorem faciebat, pecunias omnes, ipsas quoq; vestes amisit: intempesta nocte desperabundus domum rediens, per cœmiterium iter fecit, Ibi *Salvatoris* crucifixi imaginem conspicatus, ira & furore plen⁹, saxum arreptum violenter fronti illisit. Miraculosè igitur saxum in vulnere hæsit, & copiosus sanguis profluxit.

Cœmiterio vicinus habitabat lanius senex, podagricus, is per quietem, vocem incertam audit, surgeret, & cultro proximum quemvis sibi obviam factum confoderet.

p. 659. Quem vocem cum tertio & multis cum minis instantem, audivisset, parêre decrevit. Itaq; (cum priùs ne movere quidem sese lecto posset) impigrè surgens, lanario cultro arrepto, in cœmiterium descendens, aleatorem infelicem furibundum sibi obviam factum cultrò confixit. Hoc patrato facinore, Judicis ædes accedens, aditum & colloquium postulat. *Iudex* non credere, sed phantasma Dæmonis arbitrari. Tandē admissus, somnium & cædem indicat.

Cum jam illuxisset, ad cœmiterium conveniunt, cadaver circumstant Interim Dæmones cum terribili ululatu in sublime raptum cadaver, ex hominum conspectu abstulerunt. Ea res præter vulnus crucifixo illatum, aleatoris perfidiam arguit, & lanium periculo liberavit. *Imperatore* & Papa ut sup.

Idem. Crebra prodigia superstitiosius atque scrupulosius etiam, quam Christiano convenit, anno 1104, notata atq; observata, terruêre mentes hominum. Cœlum ardere frequenter visum. Sol atque Luna crebrò præter solitum defecêre. Complures stellæ de cœlo in terram cadere visæ. Faces ardētes, jacula ignita, ignis volans, sæpius per aëra ferri conspecta sunt. Nova astra visa: Papilionum castra, ignei vermiculi atque ignoti per cœlum volârunt, qui *Solis* lumē in nubium morem abstulerunt. Fulmine, grandine, ventis, turbine, templa, ædes, casæ, homines, pecora, agri afflicti, legumina, poma, fruges attritæ. Ignes cœlestes multifariam orti. Igneæ acies, turmæ equitum, peditum cohortes, civitates, enses, gladii, arma cruenta in cœlo visa, invicem conflixêre.

Sanguinis rivos extitisse ferunt. *Sub* ipsis flammis, cum panis clibano esset imposi:9, ut coqueretur, cum fortè panem quidam frangeret, manantis guttas sanguinis invenit: & *Spiræ* sanguinem ex panibus fluxisse, Abbas attestatur. *Signum* immortale subitò vestimentis hominum adhæsit. Fœmina biennio uterum ferens, marem loquentem enixa est. Monstrosi partus editi, pecudes, homines bicipites nati. Domesticæ aves, pavones, gallinæ, anseres, ex vicis, pagis, urbibus, ædibus in sylvas migrârunt, ibi habitantes efferati sunt. Lupum triginta homines esitasse, in annales relatum est.

Hæc omnia prodigia tempore Henrici quarti Imperatoris Augusti evenerunt. Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tunc imperium Antichristi cœpisse, memoriæ literarum prodidêre. Orbis terrarum tum à cardine bellorum procellis jactatus est. Genus humanum undique turbine armorum involutum est. Orientales atque Occidentales inter se armis concurrerunt. *Mortales* cuncti mutuis se vulneribus afflixerunt.

Idem. Duodecimo Aprilis die anno 1547 Sol per tres dies, ut globus igneus, post meridiem in cœlo comparuit adeò, quòd stellæ etiam conspicerentur: post hosce dies grave prælium inter Imperatorem Carolū 5. & Electorem Joannem ducem Saxoniæ in *Misniâ* extitit, intra *Mylbergum* & *Witebergam*, ubi multum sanguinis effusum est, ipse verò Joannes Fridericus Elector venit in captivitatem *Cæsaris*.

Idem. Dum Comitia Imperialis Augustæ Vindelicorum à serenissimâ *Romanorum* Regiâ *Majestate* Ferdinando celebrantur, septem milliaribus ab Augustâ urbe nascitur vitulus, in pago quodā Lader nomine,

nomine, habens duas facies, oculos quatuor: duos quidem in fronte anteriori, in lateribus verò alteros: per omnia alioquin in membris quidem singulis vero vitulo persimilis, qui insuper, quã primùm in lucẽ æditus est, animum actutum exhaluit.

Contigit hic prodigiosus partus die vicesimo primo Maji mensis: quo quidem die (ut satis equidem luculente scribit Josephus de bello Judaico, libro septimo, capite duodecimo) visio quædam mirabilis apparuit Hierosolymæ, antequàm urbs olim sanctissima, cum universa terra Israëlitica, ob scelera populi sui, crudelem in modum excinderetur, fidem humanam excedens, quam fabulam fortasſis esset quis habiturus, nisi gravisſimus author oculares potiùs testes, quàm auritos in locupletisſimum testimonium adduceret. Ante Solis enim occasum visi sunt per inane ferri currus & armatæ acies, tranantes nubila civitati circumfusa.

Hanc visionem cum reliquis ostentis, quæ tunc temporis per totum integrum annum Hierosolymitanis Deus cœlitus declaravit, clades dignæ præsagiis secutæ sunt, donec patriæ excidio, suaq; pernicie Hierosolymitanorum iniquitatis confecta est. Jam dudum autem prædixerat Judæis ipse Salvator noster, Dominus Jesus Christus, hanc calamitatem exorituram, nempè quòd lapis non maneret super lapidẽ, sed potiùs omnia interirent: eò, quòd tempus visitationis suæ non agnovissent: quod quidem luctuosisſimũ in terra Israelitica excidium factum legimus anno post Christũ incarnatum 71. quando Titus Romanorum Imperator expugnatam Hierosolymam devastavit, & multa millia Judæorum miserrimè interfecit, plurimos etiam captivos abduxit, qui gladium, pestem, & famem, gravisſimas humani generis pœnas, comprimis singulari Dei providentia evaserãt.

Idem. Anno 1530. die Octob 8 ingens, & nulla antea memoriâ hominum tanta visa exundatio facta est Romæ, eaq; circa 24. horas perduravit, atq; hac ipsa exundatione in Floræ campo ad longisſimæ hastæ altitudinem stante, multa ædificia, muri, domus, bona deniq; corrumpebantur. Chart.

Idem. Eodem anno Cometes in Germaniâ, Italiâ & Galliâ visus est circiter sextum diem Augusti, & primùm aliquot dies manè ante ortum solis apparuit, inde sequutus est solem, & sub vesperum post occasum Solis circiter tres septimanas visus est, usque ad tertium diem Septembris. Cursus ejus fuit per cancrum, leonem, virginem, & li-
1560. bram, ubi desiit videri, neque apparuit ampliùs postea. Non multò pòst in Octob. exortum apud Helvetios bellum est. Seditiosi rustici saviunt undique in Germaniâ.

Martinus Cromerus in sermone de tuendâ dignitate sacerdotii, Petricoviæ in synodo Provinciali habito. 1555.

Mos inolevisse creditur ferendæ crucis Episcopis: ut ne sibi, sed Christo eum honorem haberi, putarent: utq; meminissent cujus essent vicarii.

Et paulò pòst ait: Dignitatem sacerdotum qui tuetur? num longa satellitũ agmina, equitum turmæ auro fulgentes? num tympana? num pretiosæ vestes? num pontificiales mensæ? num generis claritas? num cõstitutiones de non recipiendis plebejis ad primarias ecclesias? num intolerabilis iste fastus, qui ad sacrificium Christi (proh pudor!) irrepsit? num profusa largitio? num gratiâ principum? num spes beneficii? An verò pecunia injustè quæsita? an terror, carcer, verbera, rogus, ac omnis supplicii metus? Nihil horum sane. Alioquin multò amplior esset nostri temporis dignitas sacerdotum, quàm olim. Longe enim hæc in nobis exuberant, quæ in illis nulla fuerunt: potiùs labefactant, non benevolentiam conciliant.

Prisci sacerdotes pii, sancti, puri, Dei & proximi amantes, & in omnes benefici erant: non indocti aut dissoluti juvenes atque pueri, aut pueris non minùs inepti senes: à profanis negotiis ad sacerdotium aspirabant: non precibus, precio, vi atque potentiâ irrumpebant; non malis artibus; non propinquorum studio intrudebantur: sed viri graves, docti, & vitæ integri è sacerdotum collegio, approbante populo, ritè cooptabantur, & è latebris; & ex monasteriis ac cœnobiis, quæ tum scholæ erãt pietatis & religionis, inviti ad sacerdotium protrahebantur. Cernebant illi, onus esse sacerdotium. Non ad ocium, commodum, aut fastum id ambiebant: sed obtrusum propter DEUM volentem atq; jubentem, metuque pœnæ talenti absconsi, non obstinatè recusabant.

Itaque populus eos non fures aut latrones, neq; servituros suis cupiditatibus; sed pastores, & ad gloriam Dei ac populi salutem actiones suas relaturos, existimabat: docebant, monebant, lectitabant, precabantur: somnus, cibus, potus ad necessitatem sumebatur: à mulierum consortio & consuetudine omninò se submovebant: in conspectum principum non veniebant, nisi ut à pernitiosis ad salutares conatus eos adhortarentur, aut pro oppressis intercederent: inde adhibiti sunt sacerdotes consiliis & judiciis principum, ne quid contra Christianam professionem decerneretur: & ut foris innocenter, sic domi inculpatè vivebant: non scurris, palponibus, lenonibus, voluptatum architectis, heluonibus, scortatoribus, adulteris, militibus, aut barbaris: sed viris piis, & sacerdotibus negotia sua committebant. Judi-

Judicabant enim, si quid peccaretur, in se redundare: in mensâ pio colloquio vacabant, paucissimis contenti: omnia egenis dilargiebantur: & cum nihil haberent reliqui, seipsos pro captivis servituti mancipârunt. Hinc non ita, ut nostro tempore, sacerdotia venabantur profani; sed omnes omnia ipsis aggerebant, ut ab ipsis inter pauperes distribuerentur. Sic successivè sacerdotibus possessiones regionesq; attribui coeperunt, ut esset perpetuò, non unde voluptatibus diffluerent, aut scorta & parasitos alerent, aut verò propinquos ditarent: sed unde ministri ecclesiæ alerentur, templa & alia conservarentur, captivi redimerentur, juventus educaretur, scholæ constituerentur. Deniq; omnia ad salutem hominum referebant, laudis humanæ negligentes, & commodorum suorum prorsus obliti, majori cum fiduciâ & libertate orationis principes peccantes & monarchas, nedum privatos, apertè arguebant, & excommunicabant, omnia vilia atq; nihil præ Christo ducentes.

Hinc terrori erant tyrannis & carnificibus suis. At ne tunc quidem deerant sacerdotes, qui dedecori essent toti ordini: sed minùs multi, atq; nunc. Non illi gloriabantur in malitiâ suâ, neq; in præcopitata facinora pervicaciter se præcipitabant: sed humanâ fragilitate labebantur, Deo permittente, ut condolere nossent iis, qui inscitiâ & errore peccabant. Agebantur crebri conventus, sive synodi: ubi perquisita diligenter vitia sacerdotum, justa animadversione coercebantur: mores in deterius labentes corrigebantur: errores in fide, & hæreses nascentes etiam dum confutabantur, & radicitus extirpabantur, ritus atque ceremoniæ sacrorum instituebantur: inter dissidentes ac litigantes pax & concordia componebatur.

Quid igitur mirum, si nunc tam contemtum ac propemodum abominale vulgo est sacerdotium, quando omnia hæc, quæ priscos illos veneradnos & admirabiles faciebant, in nobis desiderantur? Nemo officium suum facit, & ne nôrunt quidem plerique. Omnes, cultu divino, & hominum nobis commendatorum salute neglectâ, bonis pauperum, & patrimonio Christi flagitiose & indigne abutimur, & in vicarios munera nostra rejicimus: atq; utinam in iis tamen delectum aliquem probitatis atque doctrinæ haberemus: utinamq; ii non alios porrò pro se vicarios subjicerent. Et quod pejus est, eò ventum est, ut nos sacerdotes esse, haberiq; diciq; pudeat. In omne scelerum & flagitiorum genus, pudore omnî metuq; profligato, projecti sumus: & peccata nostra quemadmodum Sodoma prædicamus.

p. 661. Quid mirum, si contemnimur, vexamur, exagitamur, diripimur, & exsibilamur passim? atq; nostri is quidem odio; hæreticis vero ludibrio sumus? Recessimus de viâ: & plurimos offendimus in lege. Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum per Malachiam: propter quod & ego dedi vos contemtibiles & humiles omnibus populis. Mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. Et per Ozeam, Gloriam, inquit, vestram in ignominiam commutabo. Magis certe mirandum est, religionem Christianam non proculcari vulgò & explodi: cum tantum absint sacerdotes, primores etiam, ut possint rudes erudire, aut errantes in viam reducere: ut vix noverint nonnulli, quare dicantur Christiani, quamq; vim habeat, & in quo posita Christiana sit religio.

Quocirca mirandum non est, tam infirmo ac debili capite, ægrotare & labare membra cætera. Sacerdotes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi: pastores semetipsos pascunt non gregem *Dei*: non sanant, non colligunt, non reducunt, sananda, colliganda, reducenda: pudet dicere, dicendum est tamen: longè à profanis hominibus hoc seculo sacerdotes sacrarũ litterarũ studio & cognitione superatur. Fortunæ libamus, cum fructus & emolumenta sacerdotii, nõ sacerdotium ipsum consectamur: credat quisq; quod vult, dummodo commoda nostra nobis salva sint: si non verbis, reipsa certè palam loquimur. Itaq; sacerdotiorum nomine antiquato, beneficia vulgo appellamus: quasi quæ non, ut aliquo munere fugamur, sed ut bene sit nobis, dentur.

F. Unde impiæ & horrendæ illæ voces natæ sunt, cum patronorum, in beneficii loco sacerdotia clientibus data exprobrantium clientum, mercedis nomine ea vel jactantium vel efflagitantium: nocte dieque decimas census, fructusq; beneficiorum vel in abaco vel in digitis computamus: divinas scripturas vero procul à cubiculis, mensis, & omni conversatione relegavimus, & cæt. *Imp.* Carolo 5. Pp. Marcello 2.

Idem lib. 7. de gest. Polonor. *Romanos* etiam pontifices aliquos, sed non, nisi mediante pecuniâ (quæ omnia in curiâ Romanâ potest) à suo voto absolvisse leguntur. *Oratoribus Polonicis Casimirus* Cluniacensis diaconus, qui regio sanguine apud Polonos ortus, & regno ejectus, monachum agebat, cum ad avitum revocaretur regnum, respondet: *Alieni jam se juris factum esse*, datam semel Deo atq; iis, quorũ se potestati ultrò subjecisset, fidem fallere non posse. Mœsti hoc responso legati, ac de spe propemodùm dejecti, omnia tamen tentanda esse, existimant. *Abbatem* monasterii adeunt, eadem orant, muneribus ejus animum emollire conantur. Ab eo ad *Pontificem* Max. rejiciuntur. Ne eum quidem itineris laborem & molestiam defugiunt.

Romani

Romam igitur è Gallis profecti, à Benedicto 9. vel (ut alii volunt) à Clemente 2. impetrant, ut Casimirus monachus & diaconus, professionis & Sacramenti religione solutus, ad regnum majorum suorum redeat, uxorem ducat, & liberos procreet. Pro hoc autem Polonis est injunctum primum, ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus, sive equitibus, & qui sacris indicti sunt, quotannis obolus unus in lucernam, perpetuo in æde D. Petri Romæ arsuram, pendatur: qui etiamnum S. Petri nummus dicitur. Deinde injunctum est, ut omnes Poloni rotunda in morem monachorum, tonsura capillorum utantur, nec infra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comam promittat. Item, ut festis solemnibus, dum sacra paraguntur, singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris utuntur sacerdotes atq; diaconi, à collio suspensam ferant.

Suscipiunt non gravatim præcepta, leges & conditiones Pontificis, legati, & Poloniam omnem adhæc servanda obstringunt. Nota autem hic, quid hoc facto Pontifex quæsierit: videlicet imperium mundi, deinde pecunias.

Idem lib. 10. Paulus Cracoviensis episcopus venationi sic deditus erat: ut venatorem, quod feram imprudens à cassibus repulerat, venabulo transfegerit.

Idem lib. 13. Anno Christi 1582. Zavissa episcopus Cracoviensis, in prædio suo Dobrovoda, seu repentino morbo, seu de scala lapsus, cum acervum forte ad constuprandam rusticanam puellam ascenderet, extinctus est. Cujus funus cum pompa militari à Dobeslao patre, & Creslao fratre, castello Sendomiriensi elatum esset: ferunt noctu in basilica Cracoviensi, ubi sepultus est, exauditos esse, strepitus & hinnitus equorum discursantinm, dæmonumq; voces vociferantium: Proficiscamur Meretricatum.

Idem in sermonibus Synodicis. Neque enim unquam deerant in Ecclesia superbi & arrogantes homines, quamvis sancti in speciem nonnunquam, qui rempublicam Christianam perturbarent, & sancti Spiritus nomine in suis somniis & impiis nugis impudenter abuterentur.

Idem lib. 26. Georgius Podiebradius rex Bohemorum anno 1466. judicio Romæ instaurato, hæreseos & perfidiæ damnatus, omni regio, ducali & marchionali honore, non in præsens modo, sed etiam in futurum tempus una cum liberis suis à pontifice privabatur: & subditis eius indulgebatur, ut ei parere necesse non haberent. Aliis autem Matthiam Vngarorum regem, aliis Vladislaum Casimiri Polonorum regis filium in regem habere cupientibus, Georgius anno 1470 hydrope periit.

Monstrosum.

In Marchia non procul à Rhegio monte monstrosus equus natus est, undique lacerata cute, ea ligis dependentibus, & thorace scissis indutus. Hunc describit Iobus Fincelius de miraculis post renatum Evangelium. V. S. p. 662. 1555.

Martinus Chemnicius in Examine Concilii Tridentini. 1558

Durandus diserte hoc fatetur hisce verbis: De indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia nec Scriptura expresse de eis loquitur, sancti etiam Patres, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus minime loquuntur de indulgentiis. Antonius etiam hoc fatetur illis verbis: De indulgentiis nihil expresse habemus ex sacra Scriptura: nec etiam ex dictis antiquorum Doctorum, sed modernorum. Addunt quidam, quod vulgo dicatur, Gregorium circa annum Domini 600. in Romanis stationibus dedisse septennes indulgentias. Sed audi, quid magister Angularis ad VVesselum scribat, circa annum Domini 1470. Verum est, inquit, de indulgentiis nihil expresse ex sacra scriptura haberi, nihil de his veteres scripsisse Doctores, quanquam Gregorius dicatur (quod tamen nusquam legi) septennes Romanis in stationibus indulgentias collocasse.

Audis? ipsos Pontificos fateri, illud, quod dicatur de Gregorii indulgentiis, nusquam legi. Nam nec ex Gregorii scriptis, nec ex ullis historiis ostendi hoc potest: sed fabulæ vel, sicut Terentius loquitur, λόγοι sunt. Et post patrum etiam tempora, si ordine recenseantur Scriptores Ecclesiastici, in nullo deprehenduntur vestigia vel doctrinæ, vel praxeos de indulgentiis, nec apud posteriores quidem, qui annū Domini 1200. scripserunt, ut sunt Rupertus Tuitiensis, Anshelmus, Bernhardus: imo nec apud Magistrum Sententiarum, nec in Decreto Gratiani quicquam haberi de Pontificiis indulgentiis. Hæc manifestissima sunt.

Et Roffensis hoc non dissimulat. Inquit enim: Multos fortasse movet, indulgentiis istis non usq; adeo fidere, quod earum usus in Ecclesia videatur fuisse recentior, & admodum sero repertus apud Christianos. Et postea respondet: in primtiva Ecclesia non tam necessariam fuisse sive purgatorii, sive indulgentiarum fidem, atq; nunc sit. Item inquit: Quam diu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsivit indulgentias: nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Cum quoq; purgatorium tam sero cognitum ac receptum Ecclesiæ fuerit universæ: quis de indulgentiis mirari

potest;

potest, quod in principio nascentis Ecclesiæ nullus fuerit earum usus? Cœperunt itaq; indulgentiæ, postquam ad purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatam fuerat. Hæc Roffensis, Imp. Carolo 5. Pp. Marcello 2.

Idem. Populus in Bohemia, cognitis indulgentiarum imposturis, nundinationes istas amplius ferre non voluit: sed quæstores indulgentias publicaturos in carcerem conjecit, sicut Conradus VVimpina in 11. articulo contra Hieronymum Pragensem indicat, ubi & hanc recitat historiam: Quod Pragæ anno 1411. cum post octavas Pentecostes quæstor quidam indulgentiarum literas invulgare vellet, & jam pro concione venias suas impudenter ebuccinaret: populus armatus concurrerit, & Quæstorem istum captum currui imposuerit, adjunctis ipsi in curru publicis quibusdam meretricibus, ex quarum mammis Papales indulgentiarum Bullas suspenderit, atq; ita quæstorem indulgentiarum cum Bullis Pontificiis, de meretricum collo pendentibus, per totam urbem Pragensem vicatim circumduxerit, & ostentui habuerit, ac tandem Bullas istas indulgentiarum publice & solenniter crepitantibus flammis concremarit.

Idem. Ex sexta Iconolatrica Synodo observandum, quod aliquoties ipsi, qui interfuerunt, fatentur: Sacracenos (quorum Religio, ut nunc Turcarum, sine simulachris fuit) alienores à Christianorum Religione factos, propter cultum & adorationem imaginum. Et actione 4. fatentur; Judæos absterritos, ne fidem Christi amplecterentur, quia videbant, Christianos; contra legem Exod. 20. imagines adorare & colere. Quod enim Synodus prætendit; regem Dei tantum prohibere, ne vel falsorum Deorum, vel eorum, quæ nihil sunt, simulachra adorentur: manifeste contra textum legis pugnat, quæ diserte dicit, ne vel similitudines eorum, quæ sunt, sive in terra, sive sub terra, adorentur & colantur.

Idem. Adscribam ex Bernhardini Rosario imqudentissimam fabulam de plenaria indulgentia in Ecclesia sanctæ Mariæ de Angelis apud Assisium. Cum, inquit, Franciscus apud illum locum in cella sua oraret, apparuit ei angelus dicens, ut iret ad Ecclesiam, quoniam CHRISTVS & beata virgo cum Angelis expectarent eum. p. 663. Christus autem dixit: Francisce, postula quid circa salutem animarum, quia datus es in lucem gentium. Franciscus dixit: Supplico, ut digneris facere hanc gratiam generi humano, concedere scilicet omnibus & singulis venientibus ad locum istum, & in Ecclesiam illam introeuntibus, veniam & indulgentiam omnium peccatorum suorum universaliter & generaliter; Et supplico beatæ virgini, advocatæ humani generis, ut pro hac petitione impetranda, me adjuvare dignetur. Christus vero respondit, dicens: satis grande est, quod petisti, sed majoribus dignus es, frater Francisce. Admitto igitur supplicationem tuam: sed volo, ut vadas ad meum vicarium, cui dedi potestatem ligandi & solvendi in coelo & in terra, & petas ab eo ex parte mea dictam indulgentiam.

Franciscus mane se contulit ad Papam Honorium, & petiit, ut (ad honorem B. virginis Mariæ) dignaretur in ipsa Ecclesia Portiunculæ, ponere indulgentiam plenariam sine oblationibus. Papa respondit: se non posse hoc facere, quia oporteat, ut qui vult indulgentiam, eam, mereatur ponendo manus adjutrices. Interrogavit autem Pontifex Franciscum, quot annos vellet ibi poni de indulgentia? Qui respondit, se non velle annos, sed animas; ut quicunq; dictam Ecclesiam intrarent contriti & confessi, plenam consequerentur remissionem omnium peccatorum suorum à culpa & à pœna, quæ peccata commisissent à die Baptismi usq; ad diem & horam introitus in Ecclesiam: addens, quod non ex se hoc peteret, sed ex parte Christi, qui eum miserat. Tunc Papa annuit, & quod postulaverat, concessit.

Egrediente autem Francisco, Papa dixit: Ubi habes bullam? At ille respondit: Nullum de hac re volo instrumentum: sed sit beata virgo charta, Notarius autem sive plumbator Christus, Angeli testes, sigilla stigmata Francisci. Postmodum ad petitionem Cardinalium Papa, indulgentiam illam ad unam diem naturalem singulis annis in perpetuum extendi declaravit, prima scilicet die Augusti, à primis vesperis usq; ad vesperas secundæ diei. Hæc & plura Bernhardinus. Atque ita impletum fuit Pauli illud: propterea, quod non receperunt dilectionem veritatis, misit illis Deus efficaciam illusionis, ut crederent mendacio.

Idem. Pro concione despumabant quæstores isti tales exhortationes: En coelum undiq; apertum jam est, si nunc non intres, quando unquam intrabis? O insensatos & crassi cordis homines, bestiis prope similes, qui non percipitis tantam effusionem gratiarum! En tot potestis redimere animas! O duri, duri, & negligentes: duodecim denariis Patrem extrahere potes & tam ingratus parenti in tantis pœnis non succurris? Ego sane in extremo judicio excusatus sum: vos videritis. Dico tibi, si unam solam tunicam haberes, hanc quoq; exuendam & distrahendam, judico, ut tantas gratias obtineres, &c.

In oblocutores vero istius gratiæ ita detonabant,

dabant, ut tremens vulgus, & cœlum mox ruiturum, & terram hiaturam, formidaret. *A*ddebant amplificationes: *S*i quis literas indulgentiarum redimeret, eius animam securam esse de salute sua. Et animas in purgatorio existens, pro quibus indulgentiæ redimantur, statim, ubi conjectus in cistam nummus tinnierit, ex purgatorio in cœlum evolare. Item: tantas esse illas gratias, ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiamsi per impossibile quis matrem Dei violasset, quin per indulgentias solvi posset, & hominem per istas indulgentias liberum fieri ab omni pœna & culpa. Esse enim istis gratias donum illud Dei inæstimabile, quo homo reconcilietur Deo, & omues poenæ purgatorii deleantur

Nec necessariam esse contritionem his, qui vel animas vel confessionalia redimerent. Verba enim instructionis hac fuerunt: Prima gratia principalis indulgentiarum est plenaria remissio omnium peccatorum per quam peccator perfectam remissionem & Dei gratiam denuo consequitur: per quam etiam remissionem peccatorum sibi pœnæ (in purgatorio propter offensam divinæ majestatis luendæ) plenissime remittuntur & omnino delentur. Item: *P*ontificem habere potestatem in purgatorium, ad liberandas per viam indulgentiarum animas: & tam certam esse fiduciam salutis per literas veniarum, affirmabant, ut suam animam pro illis impignorarent. *C*rucem, quam cum insignibus Papæ in *E*cclesia erigebant, æqne efficacem esse, ac ipsammet Christi crucem, docebant.

*A*ddebant fabulas: In certo quodam loco quinq; animarum millia per venias istas redemtas, inter quam solum tres fuissent damnatæ ideo, quod detraxissent indulgentiis.

Finis & conclusio concionum fuit: Impone, impone, impone. Utrq; non verbis tantum, sed exemplo & facto homines excitarent, primi ad cistam in omnium conspectu procedebant, splendido gestu, & sonoro tinnitu aliquid in cistam conjicientes arridebant imponentibus, omittentib. indignabautur. Permittebant etiam, pauperibus indulgeutias istas gratis dari, sed ita, ut primum undecunq; pecunias corradere tentarent à bonis fautoribus. Et uxores docebant, etiam invitis maritis, quomodocunq; corradere pecuniam ad redimendas indulgentias. Hæc ex scriptis istorum temporum collecta, ipsis verbis, quibus annotata fuerunt, adscripsi.

Idem. Adscribam autem formam talis Indulgentiæ. Raimundus ad Alemaniam
1464. Orator, Nuncius & Commissarius *A*postolicus. Notum fecimus, quatenus *P*ontifex N. cunctis utriusq; sexus Christi fidelibus, pro tuitione fidei contra Turcas, juxta ordinationem nostram, manus adjutrices porrigentibus concessit indulgentias, gratias & facultates, quas obtinerent, si visitassent *ECCLESIAS* urbis temporis jubilæi: & præterea concessit, ut possint eligere confessorem idoneum secularem vel regularem, qui eos, vita comite, ab omnibus excessibus & delictis (præterquam sedi *APOSTOLICÆ* reservatis) toties, quoties opus fuerit, absolvere possit. Et insuper toties, quoties ad talem statum devenerint, ut verisimiliter de eorum morte dubitetur, etiamsi tunc eos ab hac luce decedere non contingat, atque in vero mortis articulo plenariam omnium suorum peccatorum remissionem eis impertiri, de sua plenitudine potestatis, facultatem concessit.

Indulsit præterea, & ipsus, & parentes, & benefactores eorum defunctos, qui cum charitate decesserunt, in omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota universali Christi *E*cclesia militante, & omnibus membris eiusdem, in perpetuum participes fieri.

*A*liæ formæ habent: Ut possit absolvere ab aliis etiam casibus, specialiter vel generaliter Romano Pontifici & sedi Apostolicæ quovis modo reservatis, & propter quæ ipsa sedes merito esset consulenda. Item à peccatis contritis, confessis, & oblitis. Item in articulo mortis plenariam omnium peccatorum, etiam exceptorum, remissionem impendere possit. Quod si tunc non obierit, illam, quoties in tali statu constitutus fuerit, recitare possit vel idem vel alius confessor.

Forma absolutionis in *R*aimundi Bullis hæc est: *D*ominus noster Jesus Christus per meritum suæ passionis te absolvat. Et ego authoritate ipsius, & Apostolica authoritate, mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, te absolvo primo ab omni sententia excommunicationis majoris vel minoris, quam incurristi: deinde ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis, conferendo tibi plenariam omnium peccatorum tuorum remissionem, remittendo tibi pœnas purgatorii, in nomine &c.

*A*liæ formæ habent: Ego autoritate *C*hristi, & Beatorum Petri ac Pauli & domini nostri Papæ, mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, absolvo te plenarie ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis & oblitis, & casibus etiam sedi *A*postolicæ reservatis, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, tibi concessum & mihi commissum est: remittoq; tibi omnes pœnas in purgatorio debitas, claudo tibi portas inferni & ianuas aperio Paradisi: bona opera per te facta & fienda tibi sint in augmentum tuæ salutis & gratiæ divinæ.

Vel: remitto per plenariam ingulgentiã omnem

omnem pœnam in purgatorio tibi debitam, ac restituo te illi innocentiæ & puritati, quam in Baptismo accepisti, ita, quod decedenti tibi ab hoc seculo clausæ sint portæ pœnarum, & aperta janua delitiarum Paradisi. E. si hac vice non morieris, salva fit tibi nihilominus ista gratia, quando alias fueris in articulo mortis, in nomine, &c.

Idem. Fuit & hoc non postremum artificium, quod confessionalia (sicut vocant) magno vendiderunt. Efficaciæ enim erroris non sufficere visum fuit indulgentias vendere illo tempore, & in illis locis, ubi & quando publice prostabant, ad remissiones non modo præteritorum peccatorum sed ad futuros etiam casus, pro peccatis adhuc committendis, vendebantur & emebantur indulgentiæ. Pro numerata enim pecunia vendebant Bullas, ut quando quis in posterum crimen aliquod commisisset, haberet potestatem eligendi sibi confessorem, qui vigore Bullæ haberet sibi potestatem hac in parte commissam, ut vel in certis, vel in quibuscunq; casibus posset confitentem absolvere, & plenariam indulgentiam ipsi conficere, vel semel in vita, vel bis in anno, vel toties quoties volebat, prout carius quis Bullas licitatus fuerat: & hæc diplomata vocabant confessionalia.

Idem. Verba ipsa Chrysostomi adscribam: via solutionis seu remissionis peccatorum, nec laboribus indiget, nec pecuniarum expensa: seu ulla aliqua alia re: sed simpliciter tantum bono proposito. Non opus est peregrinationem suscipere, nec ultra montana aut externa loca petere, aut pericula adire & sustinere, &c.

Eandem sententiam habet Augustinus in Sermone de Martyribus: Non dixit Deus, vade in Orientem, & quære Justitiam: naviga usq; ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi: indulge, indulgebitur tibi. Non opus habes inquirere peccatorum tuorum indulgentiam: si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire.

Bernhardus etiam Sermone primo de Adventu: Non te oportet (o homo) maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis tibi ostenditur via usq; ad temetipsum. Occurre Deo tuo: prope enim est, verbum in ore tuo, & in corde tuo.

Chrysostomus Homilia 38. in Matth. Templum Dei speluncam facit latronum, qui lucra terrena sectatur: cultus religionis eo modo non tam cultus est Dei, quam iniquæ negotiationis occasio. Nam quotidie Jesus ingreditur templum, & ejicit omnes vendentes gratiam Dei.

p. 665. Idem. Plenitudinem potestatis profundendi plenarias indulgentias, Romanus Pontifex ita sibi soli reservavit, ut pro expilatione eorum, qui Romam non adirent, vel negociationem istam per alios exerceret, vel eam facultatem certis limitationibus aliis venderet. Legatos enim suos per varias misit provincias, assignatis ipsis certis legationis terminis, cum plenitudine potestatis concedende plenarias indulgentias nomine Pontificis, ad instar jubilæi. Vendidit etiam certis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Hospitalibus, Confraternitatibus, & Universitatibus privilegia, facultates, concessiones, & indulta concedendi indulgentias plenarias certis limitationibus.

Sed ecce iterum novam impolluram, ne enim ideo, quod ubiq; plenariæ indulgentiæ prostarent, jubilæi nundinationes Romæ frigescerent: Pontifices imminentibus jubilæis venditas prius facultates, & & concessiones suspenderunt usq; post jubilæum, vel ad beneplacitum. Sæpius etiam posteriores Pontifices privilegia indulgentiarum à prædecessoribus vendita, revocarunt & irrita fecerunt, ut de novo & carius redimerentur. Extant hæc in Extravagantibus Pauli Secundi, & Sixti Quarti, & in gravaminibus Germaniæ.

Idem. Cum Clemens VI. in bullis indulgentiarum à culpa & à pœna indulgentias publicaret, & cruce signatis ad ipsorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellent, elargiretur, ac ipsis Angelis in coelo præciperet, ut peregrinantium animas, si in itinere evolarent, statim in Paradisum transferrent: inventus est quidam Joannes Angelus, qui publice docuit hanc propositionem: Animas in purgatorio existentes esse de jurisdictione Papæ, & Papam, si vellet, posse totum purgatorium evacuare. Parisienses vero Angeli istius propositionem damnarunt, & populo publice prædicandam prohibuerunt, sicut Franciscus Maironis scribit: Ipsius vero Clementis temeritatem publice reprehenderunt, & corrigi petiverunt, sicut wesselus scribit.

Antonius etiam scribit, in Bullis quibusdam Clementis VI. multa narrari levia & orbitantia satis, quas Bullas verisimile sit esse fictitias. Sed VVesselus affirmat, se illas vidisse plumbatas, & reservari Viennæ, Limoviis, Pictavii, in thesauro Privilegiorum. Idem scribit, Ludovicum Regem Franciæ per Legatum suum apud Sixtum IIII. de abusibus & excessibus indulgentiarum graviter egisse. Et Sixtum quidem medio juramento corporaliter, manibus præcordia tenentem, in verbo Pontificis se purgasse, quod illa non sciret. Addit autem VVesselus: Sed quid valuit purgatio illa nescienti, quando postea, cum sciret, nihilominus dissimulavit & toleravit?

Coro-

Coropœdia Caspari Stiblini.

Scripsit Casparus Stiblinus de moribus sacrarum Virginum librum elegantem, & alia quoque Imp. Car. 5. Pp. Marcello. 2.

Idem. Olim, inquit, in monasteriis virtutū exercitia, honestæ disciplinæ industria vigebat: hodie impura morum lues, vitia, luxus omnia profanāt. Et quæ contubernia quondam eruditione & virtute claros viros in orbem dabant, hodie, præter Penelopes sponsos, nebulones, Alcinoosque, neminem educant.

Eurypides in Phanas: & ibi Casparus Stiblinus.

Quisquis futura prædicit, stultus est: si enim tristia enunciaverit, invisus est iis, quibus futura prædicit: rursus si ex misericordia consultantibus ficta respondet, Deorum religionem violat.

Idem in Iphigenia. Vates, poetæ, sacrifici, genus hominum est ambitiosum & irritabile.

Mensio Popius Curothalaßius.

Hic refert in libro 5. Cyclopædiæ: dixisse quendam monachum: majus esse peccatum, si sacerdos ducat uxorem, quam si cum brutis animantibus libidinem exerceat. Imper. & Pp. V. S.

Richardus Samson Cicestrensis Episcopus.

Non Episcopum illum Romanum, inquit, intelligo: qui suo jure non habet, quod agat extra suam provinciam.

1666. Et infra. Pontifex, ait, se Petri successorem esse, & ab hac successione auctoritatem accepisse: si adesset D. Petrus, negaret plane, & in hunc mendacem haud dubie exclamaret: ô Impostorem! ô virum ambitiosum! superbum! arrogantem! Docuit magister meus humilitatem. Nihil minus arrogavit sibi Petrus, quam ejusmodi primatum, quem exercuit nunquam: & ideo non exercuit, quia nunquam accepit. Imp. Carolo 5. Pp. Marcello 2.

1556. *Carolus 5. Imp. & Rex Galliæ.*

Hic communi consilio ad Venetos mittunt, ut, remotis pactis, in Turcam arma simul capiant. Quod quidem Gallus palam fecit, sed clam hortatus Venetos fuerat, ne à pactis cum Turca cederent. Annales. Imp. Pp. V. S.

Accipit paulo (Carolus V. Imp.) ante mortem diploma Pontificium de potestate utriusq; speciei in sacra cœna laicis exhibendæ, quod pius IIII. ad Archiepiscopum Salisburgensem miserat. De hoc vehementer lætatus est, & gratias DEO egit, quod id tandem impetrasset, quod multis votis & supplicibus literis augustriacæ regionis populi flagitarant, ipse vero ad concilium Tridentinum, concilium ad Pontificem rejecerat. Judicavit enim beneficium amplissimum sibi tributum esse à pontifice, cum tot precibus rogatus, certis tamen conditionibus id tandem concessisset, quod Christus diserte & serio singulis suis Christianis mandat.

Xenocarus. 1556.

Cum Carolus quintus Cæsar Aquisgrani, Wormatiæ, Augustæ, & Ratisbonæ ipsemet sæpius negotia religionis & Turcarum in Comitiis Germanicis frustra tractavisset, dicere illum solitum, ajebant: DIÆTA DIÆTAM PARIT, SED PARTUS MATREM SUFFOCAT.

Et cum rursus à Pontificibus Romanis nunc Romæ, nunc Bononiæ, nunc Florentiæ, nunc Placentiæ, nunc Ferrariæ, nunc Mantuæ, nunc Tridenti concilia generalia indici adverteret, dicebat: concilium consilium est Dei. Imp. Carolo 5. Pp. 230. Paulo 4.

Idem Carolus in bello Smalcaldico Witebergam ingressus, cum in templo arcis se pulchrum Lutheri conspexisset, & Episcopus Atrebatensis ei astans petivisset, Lutheri cadaver effodi, & comburi tanquam hæretici, respondit Cæsar: Non gero bellum cum mortuis.

Horrenda. 1556.

Aldenburgi Misniæ oppidi, nono Augusti, magna orta tempestas oppidanos in maximum vitæ periculum conjecit. Quo die est & infans natus, ibidemq; baptizatus (ut Fincelius annotavit) qui aliquoties, tanquam in lucem prodiret, in aluo materna claros omnium stupore eiulatus edidit. Imp. Carolo. 5. Pp. Paulo 4.

Paulus IIII. Papa 230. 1556.

Scripsit hic Paulus 4. ante Papatum ad Paulum tertium libellum de emendanda Ecclesia, in quo, Ecclesiam Romanam ita collapsam esse, affirmat, ut jam non Christi, sed diaboli Ecclesia sit. Papas enim ad sua desideria coacervare sibi magistros auribus prurientes: per Cardinales & Episcopos Christi nomen inter gentes blasphemari: clavium potestate emungi pecunias: improbos ordinari: simoniacas nundinationes exerceri: ambitione & avaritia æstuare prœlatos: in monasteriis sordida fieri flagitia. Romam repleri impudicissimis scortis. Sed nec hic nec alius in Papatu quicquam emendavit: imo majoribus sceleribus & impietatibus eundem oppleverunt, ut ex illorum rebus gestis constat. Imp. Carolo.

Ludi Clericosecularium. 1556.

Cuidam bono suo amico retulit quidam D. Juris, Syndicus civitatis alicujus Imperialis, se in Ecclesia primaria celeberrimæ cujusdam extra Germaniam Universitatis vidisse, Canonicos (qui tempore

Bacchanaliorum vesperæ interfuerunt) larvis atque absurdis schematibus uti, seq; invicem nucibus& pomissimiarum in morem, petere, atq; icere. Sic illi pro Dei cultu, quoad zelum usq; ardere putabantur, stultitiam & impietatem suam in conspectu omnium abunde prodiderunt.

p. 867.

1556. ## *Minacia ostenta.*

* In Hungariæ civitate Babatscha, 6. Octobris die, ante solis exortum, visa est in aëre duorum puerorum, nudorum quidem, sed clypeis militaribus ac gladiis armatorum, & ad monomachiam congredientium pugna, in qua is, qui scutum duplici aquila ornatum habebat, armatura Turcica munitum adeo prosternebat, ut corpus multis ictibus vulneratũ è nubibus in terram cadere visum sit. Eodem etiam tempore ac loco, visus est arcus cœlestis, naturalibus suis coloribus depictus, ac duo ex utraq; eius parte soles. Xenocarus. Imp. & Pp. V. S.

1556. ## *Paulus Fabricius Mathematicus.*

Scripsit, anno Domini 1556. extitisse Cometam eodem in signo cœlesti, in quo apparuit illa stella, nato Christo, ex cujus motu didicerunt Magi, Salvatorem mundi esse natum, unde eum salutatum Hierosolymam concesserunt. V. S.

1556. ## *Horribilia signa.*

* Quinto Septembris in Marchiæ oppidulo Costerino, hora nona vespertina, innumeræ flammæ undiq; cœlo emicuerunt: in medio vero cœlo trabes duæ ignitæ visæ: ad extremum autem incerto autore vox desuper audita est: VEH, VEH ECCLESIÆ. Iobus Fineelius de miraculis sui temporis. V. S.

1556. ## *Dira.*

Latomus hæreticæ pravitatis Inquisitor, Christiq; fidelium persecutor immanissimus, paucis abhinc annis in horrendam desperationem incidit. Nam cum ex ambitione, contra conscientiam, veritatem Evangelii atrociter impugnasset, corpore vegeto & sano, subita trepidatione & terroribus ita perculsus est, ut, quos ex amicis noverat, doctissimos ad se accerseret, suamq; impietatem in extrema constitutus desperatione ultro fateretur: Grave est, inquiens, peccatum meum qui prudens sciensq; in verbo Dei persequendo & opprimendo aliis meam locavi operam. Quare adversus Spiritum sanctum peccavi: nec ulla vel in hac vita, vel in æternum peccati mei condonatio mihi speranda est: sed diaboli & corpore & anima æternum sum mancipium, adeoq; jam in regnum eius incorporatus. Quin imo haud porro Latomum ut hominem intuemini, sed ut ipsum Diabolum, & si aperirentur vobis oculi, manus pedesq; meos terris unguibus deformes & formidabiles esse, deprehēderitis.

Per hæc eius verba, qui aderant, viri docti supra modum territi sunt, inter quos quidam Doctor Theologiæ, amicus eius intimus consolari eum cœpit, & docere: nullum peccatum grave adeo esse, quin per misericordiam Dei condonetur. Ad quæ respondit Latomus: sibi non ignotas esse plurimas ex sacris literis depromptas sententias, quæ præclaræ admodum sint, & consolationis plenissimæ: sed deesse sibi fidem & fiduciam in Deum. Et ne vobis dubium sit, certa esse, quæ de mea damnatione locutus sum: videbitis, quod lecto jam affixus moriar. Sim autem vobis exemplo, eaq; de causa vos accersiri jussi, ut per me moniti resipiscatis, & in persequendis fidelibus finem faciatis. Hæc & plura cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuus est: eaq; oris eius totiusq; corporis apparuit fœditas, ut omnibus esset terrori. Fincelius. Imp. & Pp. V. S.

PETRUS PAULUS VERGERIUS I.C. EPISCOPUS IUSTINOPOLITANUS, LEGATUS PONTIFICIUS, DE Idolo Lauretano, quod Julium III. Rom. Episcopum non puduit, in tanta luce Evangelii undiq; erumpente, veluti in contemtum Dei atq; hominum, approbare.

Illustrissimo, & vere Christiano Principi ac domino, D. Othoni Henrico Palatino Rheni, inferioris & superioris Bavariæ Duci, Domino meo clementissimo.

Intra hosce fere 40. annos, quibus DEUS accendit post tot tenebras lucem Evangelii, non puto, fuisse pauciores sexcentis militibus Jesu Christi, qui mox, ubi acceperunt arrham Spiritus sancti, superstitiones & idolomanias Papatus magna fide & diligentia susceperunt, libris editis, patefaciendas & profligandas: certũ enim est, hoc ipso anno evulgatum fuisse ab ipso Papatu Mediolani Catalogum, in quo trecenti eius hostes numerantur, quanquam non omnes adhuc numeramur, qui aut latine aut Italice scripsimus: illi vero omnes, qui tantum Germanice aut Gallice, prorsus fuerunt omissi. Sed cum tam multi & tam multis annis tantopere in eo genere laborarint: tamen adhuc plures superstitiones & idolomanias, non quidem ex gravioribus horribilioribusq; plane scio superesse, quas nemo adhuc attigit.

Unde facile judicare totus terrarum orbis potest, quanta sit altitudo, profunditas, & latitudo gurgitis & abyssi illius quam sibi Papatus foderat, & suis fecib9 atq; abomninatio-

nationibus usq; ad summum repleverat: ut doctrinam & gloriam Domini Dei nostri, ejus dilecti filii Jesu Christi & Spiritus sancti non modò contaminaret & obscuraret, sed absorberet, ut nec vestigium ejus ullum, aut odor superesset. Quanquam verò, ad patefaciendas & confodiendas superstitiones ipsas, inprimis necesse arbitror, ut ipsum *E*vangelium & Jesum Christum prædicemus: hæc enim est præcipua machina: tamen ipsâ experientiâ didici, multum utilitatis solere afferre *E*cclesiæ Christi eos, qui se aliquando dimittunt ad patefaciendum hunc & illum errorem & abusum nominatim, & admota illa machina conantur evertere.

Quæ cum ita se habeant: suscepi nunc ego *D*eo monente & impellente, hoc opus, ut aliquo ex illis superstitionibus & idolomaniis, quas nemo adhuc, ut dixi, attigit (aut si aliquando uno atq; altero verbo attigit, non tamen, quales essent, indicavit, neq; pro meritis exagitavit) & quæ sunt valdè horribiles, patefacerem: cujusmodi est inprimis Lauretanum idolum, quod rectè appellâris *P*rincipem & Regem reliquorum idolorum omnium, quæ sunt in regno Antichristi: nisi velimus excipere illud unum, quod sacrificuli in eorum Missis proponunt adorandum. Itaq;, quale illud sit, & ex quàm horrendis impolturis & blasphemiis concinnatum & extructum, in hoc libro ostendam, in aliis verò, qui non multò pòst subsequuntur, & in lucem prodibunt, spero, me patefacturum alia quædã hujus farinæ nihilò impudentiora, & cum doctrinâ, & gloria Dei nihilominùs pugnantia.

Cum verò cœlestis noster *I*mperator atque idem pater, qui ante creationem mundi constituerat, velle hac nostra ætate suo *S*piritu, suis scripturis & potentia bellum gerere adversus Papatum, jam tunc Celsitudinem Tuam elegerit in *C*hristo, & nunc vocaverit, ornaveritq; & corroboraverit fide & spiritu sancto: hæc enim inprimis necessaria sunt in eo, qui Jesu *C*hristi exercitum ducturus sit: deinde etiam autoritatem omni genere laudum addiderit, ut esses unus ex præcipuis *P*rincipibus & Ducibus, quorum operâ in afferendâ & vindicandâ ejus gloria uteretur: volui eidem Celf. Tuæ mea hæc, quæ de *L*auretano idolo nuper scripsi, offerre & donare.

Nam omninò spero fore, ut ubi hæc legeris & pernoveris, quàm sint non modò inepta & putida, sed horrenda, & historiæ & doctrinæ Jesu Christi ex diametro adversantia ea, quæ adhuc audet Papatus tueri in tanta adeo luce Evangelii undique erumpente. & nullo non crudelitatis genere, in apertum contemtum ipsius Dei & piorum omnium, qui sunt hodie tam multi; ubi, inquam, hæc noveris, spero, confestim cum reliquis Germaniæ Principibus, apud quos non modo ob maximum splendorem familiæ, sed propter excellentem tuam pietatem, sapientiam, fortitudinem animi, & reliquas tuas Heroicas virtutes plurimum potes gratia & autoritate, sis acturus ferè in hunc modum. p. 669.

*A*dhuc sunt, qui possunt sibi persuadere, Papatum fuisse à Deo constitutum, *S*piritum sanctum habere, à quo perpetuò regatur, atq; errare non posse. Sed legite, obsecro, optimi Principes, legite hic & cognoscite, quale idolum, quàm fabulosum & abominandum, contemtâ & pedibus calcatâ doctrinâ & præceptionibus Domini Dei nostri, summa tyrannide ipse Antichristus & Papatus velit sustentare. Ferro enim, igne, & crucibus crudelissimè grassatur adversus omnes eos, qui tali idolo spurcissimo negant flectenda esse genua: neque hæc fiunt in abdito aliquo orbis angulo, & clanculum: sed palàm in ipso amphitheatro & luce Italiæ, dissimulantibus illis tam multis Principibus, ad quos inprimis pertinet non sinere, doctrinam & gloriam Dei tam turpiter eo contaminari & imminui.

Certè ex doctrina *C*hristi monemur, ut ex operibus & fructibus æstimemus, qualis quisq; sit. Quod verò opus, aut quis fructus erit unquam dicendus Diabolicus, si is nõ erit? Et quidem si solum hunc ex eo monstro enasci vidissemus: jure meritò nos ab ejus obedientia atq; consortio subducere debuissemus: sed quantò justius, si totus consutus est ex hujusmodi turpissimis mẽdaciis & fecibus? *Q*uare omnis nostra prudentia & cautio, omnisq; autoritas & potentia adhibenda erit, fortissimi Principes, ut eam sanctam libertatem, in quam nos Deus prædicatione *E*vangelii dilecti filii sui, fractis *A*ntichristi catenis, asserere dignatus est, constantissimè tueamur & conservemus ita, ut mori potiùs statuamus, quàm de ea deserenda & abjicienda, deq; revocando jugo & servitute Antichristi cogitare.

Ita, inquam, spero, tuam Celf. Otho Henrice, verè Christiane Princeps, ubi noveris ex meo hoc libro, quid sit Lauretanum idolum, cum reliquis Principibus acturam esse, & valdè profecturam, ita præsagit animus, & nulla præterea officia prætermissuram, quibus videris te posse promovere doctrinam & gloriam æterni patris Domini nostri Jesu Christi, & nostri patris, quem oro, ut suis Ecclesiis hoc difficilimo tempore diu servet tuam Celsit. incolumen. Tubingæ, pridie Cal. Octobris *A*nno Domini 1556.

Translatio miraculosa Ecclesiæ beatæ Virginis Mariæ de Loreto.

Ecclesia beatæ *M*ariæ de Loreto fuit Camera domus beatæ Virginis Mariæ matris,

matris Domini nostri Jesu Christi, quæ domus fuit in partibus Hierusalem Judææ, in civitate Galileæ, cui nomen Nazareth, & in dictâ Camerâ fuit beata Virgo Maria nata, & ibi educata, & postea ab Angelo Gabriele salutata: & demum in dictâ Camerâ nutrivit filium suum Jesum Christū, usq; ad ætatem duodecim annorum. Demum post ascensionem Domini nostri Jesu Christi in cœlum, remansit Virgo Maria in terrâ cum Apostolis & aliis discipulis Christi, qui videntes, multa Mysteria divina fuisse facta in dicta Camera, decreverunt de communi consensu omnium, de dicta camera facere unam Ecclesiam, in honorem & memoriam beatæ Virginis Mariæ: & ita factum fuit, & deinde Apostolici ac discipuli illam Cameram consecraverunt in Ecclesiam, & ibi celebraverunt divina officia, & beatus Lucas Evangelista suis manibus fecit ibidem unam imaginem ad similitudinem beatæ Virginis, quæ ibi est usque hodie.

Demum dicta Ecclesia fuit habitata & honorata cum magna devotione & reverētia ab illo populo Christiano, qui erat in illis partibus, in quibus stetit dicta Ecclesia quousq; ille populus fuit Christianus: sed postquàm ille populus dimisit fidem Christi, & recepit fidem Mahometi, tunc Dei Angeli abstulerunt prælibatam Ecclesiam, & portaverunt illam in partes Sclavoniæ, & posuerunt eam ad quoddam castrum, quod vocatur Flumen, & ibi minimè honorabatur, ut desiderabat beata virgo Maria.

Iterum de eodem loco Angeli abstulerunt illam, & portaverunt eam supra mare in partibus territorii Recanati, & posuerūt eam in quadam sylva, quæ erat cujusdam nobilis dominæ civitatis Recanatensis, quæ vocabatur Loreta, tunc accepit ista Ecclesia nomen ab illa domina, quæ erat illius sylvæ domina & patrona, sancta Maria de Loreto.

In illo tempore propter Gentium nimium concursum in ea sylva, qua ipsa Ecclesia permansit, maxima latrocinia & innumerabilia mala committebantur. Quapropter per Angelorum manus rursus assumta est, & portata in montem duorum fratrum: qui fratres ob maximum denariorū & aliarum rerum introitum & lucrum, simul atq; ad invicem ad maximas discordias & lites venerunt.

Propterea pari modo Angeli abstulerunt eam ab eodem montis loco, & portaverunt in viam communem, & in eadem illam posuerunt, & firmaverunt eam: ubi est nunc cum magnis signis & innumerabilibus gratiis & miraculis, collocata a. fuit in eadem via ista alma Ecclesia. Tunc igitur totus populus Recanati venit ad videndū dictam Ecclesiam, quæ erat super terram sine aliquo fundamento, propter quo dictus populus considerans tam magnum miraculum, & dubitans, ne dicta Ecclesia veniret ad ruinam, fecerunt dictam Ecclesiam circundari alio muro bono, grosso, & optimo fundamento, prout hodie videtur manifestè: tamen nullus sciebat, unde ista Ecclesia originaliter veniret, nec unde recessit.

Nota, quomodo suprà dicta sunt scita in anno Domini M.CC.LXXXX. quia beata Virgo apparuit in somno cuidam sancto viro & devoto, cui ipsa suprà dicta revelavit, & ipse statim omnia divulgavit quibusdam bonis viris istius provinciæ, & ipsi immediatè deliberaverunt velle scire veritatem hujus rei, & sic communicato consilio decreverunt, quòd essent eligendi 16. homines notabiles & boni, qui simul irent ad sanctum sepulchrum, & demum ad illas partes de Hierusalem Judææ, & in civitate Nazareth, ad investigandum suprà dicta inventa, & ita factum est: Nam ipsi secum portaverunt mensuram dictæ Ecclesiæ, & vestigia fundamentorum dictæ Ecclesiæ invenerunt, & illā mensuram ad unguem, sicut est ista, & in uno pariete ibi propè est scriptum in muro, quomodo ista Ecclesia fuit ibi, & postea recessit, demum quippe ibidem viri reversi sunt ad istā provinciam, & notificaverunt, suprà dicta inventa per eos esse vera. Et ex tunc fuit scitum, quòd ista Ecclesia fuit Camera sanctæ Mariæ virginis, & exinde populus Christianus habuit magnam devotionem, & habet: nam omni die ibi beata Virgo Maria mediante dicta Ecclesia, facit infinita miracula, veluti experientia docet.

Hìc fuit unus Eremita, qui vocabatur frater Paulus de sylva, qui habitabat in uno tugurio in sylva, prope istā Ecclesiam, qui omni manè erat in ista Ecclesia, ad officium divinum: & fuit homo magnæ abstinentiæ, & vitæ sanctæ, de eo mihi quidam dixit: sunt anni decem vel circa quòd in die nativitatis Mariæ, quæ est octava dies Septembris, ante diem per duas horas, stante aëris serenitate, & dicto fratre Paulo exeunte de suo tugurio, & veniente versus Ecclesiam, vidit, unum lumen descendere de cœlo supra dictam Ecclesiam, quod in longitudine videbatur 12. pedum, & in latitudine sex pedum: & cum fuit illud lumen supra dictam ecclesiam, disparuit: ob quam rem ipsam dicebat, quòd fuit beata virgo, quæ ibi appruit in die nativitis suæ, quæ venit, ut videret suum festum, & hoc non vidit quisquam alius, nisi ille sanctus homo.

In quorum omnium fidem & testimonium mihi præposito Teremano, & gubernatori prænunciatæ Ecclesiæ quidam duo boni viri hujus villæ habitatores hoc retulerunt ac nunciaverunt, & pluribus vicibus

vicibus dixerunt: unus vocabatur Paulus Renalducius, & alius Fran. alias Prior. Et dictus Paulus dixit mihi, quòd avus avi ejus vidit, quando Angeli duxerunt prædictam Ecclesiam per mare, & posuerunt illam in dicta sylva, & pluribus vicibus ipse cum cæteris personis ipsam Ecclesiam in prælibata sylva visitavit. Item dictus Fran. multoties retulit ac dixit mihi, quod avus ejus, qui erat centum viginti annorum, dixit, quòd pluribus vicibus visitavit dictam Ecclesiam in eadem sylva: & pari modo ipse Francisc. retulit atq; dixit mihi per plures vices.

Item ad hujus rei credulitatem atq; certitudinem declaramus, quomodo ista alma Ecclesia fuit & stetit in dicta sylva, pluribusque probis personis dictus Fran. dixit, quòd avus avi ejus habuit domum, & habitavit ibi, & ejus domus erat penes prætactam Ecclesiam, & in suo tempore elevata fuit per Angelos à loco sylvæ, & portata in montem duorum fratrum, & ibi sita & collocata est, ut dictum est superiùs. Deo gratias. Impressum Venetiis per Benedictum de Bindonis, Anno Domini 1544.

In exemplari Italico addita sunt pauca hæc, quæ versa ita sonant: In fidem verò rerum prædictarum, notum facimus, totum hoc scriptum desumptum fuisse ex originali authentico scripto in dicta Ecclesia S. Mariæ de Loreto, die 20. mensis Martii, 1492. Don. Bartholomæus Monachus vallis umbrosæ, & Prior S. Viridianæ Florentinæ commotus maxima devotione curavi, ut ex Latino in Italicum verteretur, atq; imprimeretur, ut tantum miraculum & tam devotum publicetur & manifestetur pluribus personis, & inde accipiant consolationem spiritualem.

Ad Papatum de idolo Lauretano.

Primus autor horum insignium & impudentissimorum mendaciorum, quæ hic initio proposui, fuit sacrificulus ille, qui ferè ante ducentos annos erat parochus in eo pago, quem Laurerum appellant: hoc enim ipsemet testatur, ubi inquit: Duo boni viri hujus pagi dixerunt hæc mihi gubernatori dictæ Ecclesiæ. Tunc erat illic pagulus quispiam, in quo vix unicus sacrificulus victitabat, nunc verò, [cum ad summum creverit superstitio atq; idolomania, à te invecta: ô Papatus, hi sunt fructus, quos tu soles parere] ex pago factum est frequens oppidum, cinctum mœnibus & propugnaculis munitissimis: atq; ubi ferè 40. partim Canonici, partim capellani inhabitant, & in deliciis atq; luxu vivunt: & usq; adeò crevit simul existimatio & commoditas loci, ut Cardinales inter se litigent & digladientur, ut possint à Papis illic præfici.

Jam quanta fides sit adhibenda tali sacrificulo, qui cum suscepisset provinciam côcinnandi talem fabulam, nihil aliud spectabat, quàm ut plurimos posset invitare & commovere, ut eò accurrerent, & opimas eleemosynas ad se afferrent, facilè judicare poterit, qui vel mediocri judicio præditus fuerit, præsertim verò cum constet ex suo ipsius scripto, illum esse non modò indoctum & rudem, sed impudentissimè mendacem. p. 671. Congessit enim ingentes fasces, imò verò plaustra aliquot turpissimarum fraudum & imposturarum, quæ ex diametro pugnant cum historia & doctrina Evangelii, Actuum Apostolorum, & totius S. Scripturæ quemadmodum nunc ordine ostendam.

Primò, omninò repugnat veritati, quæ est in Evangelio de Christo comprehensa, illum fuisse enutritum & educatum in eamet Camera, in qua virgo Maria, ejus mater, nata erat. Matthæus enim ita scribit c.1. Cum esset desponsata mater Jesu Maria, Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Itaq; si Joseph paruit Angelo, nec timuit accipere Mariã conjugem ejus apud se: quis non videt, eam fuisse in ipsius Josephi domum adductãm, ut mos est maritis: non autem Josephum fuisse receptum, ut unà cum sponsa in domo soceri & socrus, nempè Joachimi & Annæ, habitaret.

Et quamvis nihil necesse sit, ut hoc aliorum autoritate confirmẽ, cum satis omnia nõ esse debeat, si clarissimum Evangelii textum adduxi: nihilominus adducam adhuc autorem unum, atq; is erit Nicephorus, autor Ecclesiasticæ historiæ, unus ex his, qui tibi, ô Papatus, sæpe, solet valdè favere. Is ergò cap. 8. primi libri ita inquit: Itaque in Nazareth cum Josepho domicilium illa habens ab Archangelo Gabriele lætum accepit nuncium, dicente: Ave gratiã plena. Et cap. 12. ejusdem libri, Christus in domo Josephi circumciditur. Annón clarè tibi ostendo, te falsum narrare, cum dicis, Christum fuisse enutritum in illomet cubiculo, in quo fuerat nata ejus mater? Nam enutritus fuit partim in domo ipsius Josephi, partim etiam in Ægypto. Annón hoc disertè dixit Evangelista, Josephum, cum Herodis crudelitatem metuerat, cum Maria & puero, monente Angelo, in AEgyptum secessisse?

Præterea est contrarium aut diversum historiæ, quæ scripta est à Spiritu sancto, de

de sanctis Apostolis, id quod in fabella sequitur, nempe ipsos Apostolos vidisse, quòd in ea *Camera* multa divina mysteria fiebant. At cur non expressit Missarius ille ruralis, cujusmodi fuerint ea mysteria? Prædicabanturné ibi verbum Dei? *Administrabaturné Baptismus* & Cœna? *Sanabantur*, né ægroti? *Suscitabanturné* mortui? Quid tandem mysteriorum videbant *Apostoli* illi fieri in ea *Camera*, & per quem? Lucas quidem divina quadam diligentia, scripsit res gestas Apostolorum, conciones, administrationes duorum Sacramentorum, quo Christus instituit, fugas, itinera, orationes, miracula, contentiones cum *Pharisæis*, carceres, flagella, concilia: quin & ipsasmet eorum epistolas: sed nunquam fecit ullam mentionem de Camera illa, neque de ullis mysteiris divinis, aut aliis, qui illic fierent.

Cur ergò ausus est sacrificulus ille Evangelistam veluti mendacem insimulare? Nam qui in describenda historia tacet ea, quæ vera & magna sunt, is profectò dignissimus est, qui pro mendace habeatur. Et procul dubiò inter res magnas est censenda illa, quam parochus fingit, Apostolos vidisse, quòd in illa Camera multa divina mysteria fiebant. At, si hæc, quæ sanè magna, atq; adeò maxima fuissent, Lucas, divinus scriptor non attigit: cur ausus est ille ineptulus ea confingere? Et tu Papatus, cur autoritate tuæ istius *Romanæ* sedis ea mox confirmare? & isti superstitiosulo & indocto asino credere potiùs voluisti, quàm divo Lucæ, qui in illa Historia scribenda fuit Spiritus sancti organum?

Sed id, quod sequitur in fabulâ, adhuc magis falsum & detestabile est, id est, omnes Apostolos concordibus votis statuisse, velle eam Cameram in *Ecclesiam* cõvertere, in honorem & memoriam Virginis *Mariæ*. Tales sunt tuæ doctrinæ, quas tu Papatus Catholicas atq; sacrosanctos, & quas adeò pertinaciter & tyrannicè crucibus, rogis, ensibus, & nullo non crudelitatis genere defendis, id est, doctrinæ, quas tu ipse tibi finxisti aut somniasti, falsissimæ scilicet & Diabolicæ. *Atq;* ut, verum hoc esse quod dico, constet: peto abs te, ut nobis demonstres, in quo capite ejus libri, cui titulus est *Actus* Apostolorum, aut etiam in quo alio libro (præterquàm in hoc scripto tui *M*issatoris mendacissimi) scriptum fuerit, Apostolos ullam fecisse *Ecclesiam*? loquor de his *Ecclesiis* materialibus, quæ muro aliquo cinguntur. Nam collegisse eos multas *Ecclesias* spirituales, quarum electi & filii *Dei* erant lapides vivi, sat scimus.

Quin etiam peto, ut demonstres nobis, quo in loco totius *Sacræ Scripturæ* Deus aut Christus unquam jusserit ullas *Ecclesias* ædificari, in honorem & memoriam virginis *Mariæ*, aut sanctorum aliquorum, imò etiam in honorem ipsius Dei aut Christi? Scimus enim, hoc nullibi fuisse in sacris literis præceptum: solumq; adeo Hierosolymitanum templum fuisse Dei jussu ædificatum, & nullum præterea.

Nec minùs falsum & enorme illud est, quod mox additur, Apostolos non modò constituisse, ut illa Camera deinceps haberetur pro Ecclesia, in memoriam & honorẽ Virginis Mariæ, sed & ipsosmet voluisse eam consecrare, & dedicare. *Proh* mendacem & falsarium *Papatum*.

Quis enim ex his, qui Spiritum Dei sentiat, queat se contineri, quin te ita honorificè compellat: cum videat te non pudere, tam crassa & horribilia mendacia, quibus scilicet tuos ineptos & impios ritus confirmes, effutire? Sed eho dic nobis, quis unquam ante hac audivit aut legit, *Apostolos* Jesu Christi dedicasse aut consecrasse ullam Ecclesiam? Itané delectaris mendaciis & imposturis? *Itané* juvat populum, qui nomen Christi gerit, ludificare & perdere, si modò pergeret te audire?

Sed, quemadmodum in alio quodam tuo libello inepto & impio, cui titulus *Rosarium* virginis, finxisti, quod in funere virginis Mariæ quispiã ex *Apostolis* prætulerit crucem, alius thuribulũ, alius aquã benedictam, & singuli cereos accensos (ita etiam te non puduit omnia hæc scripsisse & approbasse, ut tuis exequiis refertissimis impietate, ambitione & avaritia, autoritatem sic conciliares) cur, inquam, si isthæc affirmare de Apostolis celebrantibus illas exequias ausus es, non hoc in loco diserte dixisti, unum ex illis, dum consecraretur & dedicaretur illa *E*cclesia pinxisse in parietibus 12. circulos, & totidem cruces, deinde clavos ferreos totidẽ cum singulis certis illic affixisse. Alium verò ex Apostolis cinerem in ea sparsisse, & pedo aut pastorali (ut tu appellas) *Alphabetum* Latine & Græce in eo inscripsisse. Alium novies intus & foris omnes eos muros circuisse, & fasciculo cujusdam herbæ, cui nomen Isopus, baculo imposito, eos aspersisse, & simul totum solum quadam aqua mixta sale, vino & cinere. Alium deniq; usum fu[illegible] oleis quibusdam incantatis & rancidis, & pollice dextræ manus unxisse muros illic tantùm, ubi erant facti circuli, & affixi clavi.

Hic forsitan dicat mihi aliquis ex tuis rudibus superstitiosis, videris nunc irridere & contemnere pulcherrimas nostras ceremonias, quibus nostri *Episcopi* & suffraganei, cum Ecclesias dedicant, utuntur. *Sed* in Veteri Testamento legimus, tunc fuisse factam dedicationem templi: cur non debemus credere, etiam Apostolos ea usos fuisse? Itaq; sic respõdeo, Primùm, omninò verissimum esse, me deridere & contemnere istas

istas futilissimas nænias vestratium Episcoporum, & veluti incantationes simillimas illis, quibus sagæ illæ aniculæ uti solent; aut illi, qui magicam artem exercent. Et dignissimæ profectò sunt, quæ ab omnium piorum linguis & calamis exagitentur & explodantur.

Deinde addo, nos certò scire, Apostolos in nulla unquam templorum dedicatione versatos esse: quia verissima historia divini illius autoris, qui Lucas est, minimè dicit eos esse versatos: præterea quia dedicatio illa, cujus est mentio in Veteri Testamento, erat una ex ceremoniis Judaicis & legalibus, unaq; ex umbris & figuris, quæ desitura erat unà cum reliquis ceremoniis, figuris & umbris, cum primum Jesus Christus, inclinato capite, expiraturus, inquit: Consummatum est, & velum templi scissū est. Verùm tuus carnalissimus Papat⁹, partim ex omnibus ceremoniis & ritibus Hebræorum, partim ex illis, quibus Ethnici usi fuerunt, falce ingenti concinnato, illum in suum nothum *Christianissimum* transferre voluit.

Majus mendacium, & magis nefarium, & planè Diabolicum adhuc sequitur in fabula, nempè post factam consecrationem, divum Lucam manu sua concinnasse pulchram imaginem similem beatæ Virgini, & eam in Ecclesia illa collocasse, & hanc ipsam eam esse, quæ hodie *Laureti* visitur. Non queo me continere, quin clarissima voce tibi dicam: Deus te perdat, Deus te perdat, Papatus, qui es autor & defensor sceleratissimorum istorum mendaciorum, & horribiliū idolomaniarum. *Extat* enim æternum & clarissimum Dei præceptum, quod ita habet: non facies tibi sculptile, aut aliquam omninò similitudinem, non adores eam neq; coles. Tu verò omnino à Diabolo, præcepti Dei hoste, perpetuò edoctus, ut posses in populis conservare eos falsissimos & abominabiles imaginum & statuarum cultus, quos invexeras, hîc voluisti impudentissimè mentiri, usum collocandarum imaginum aut statuarum in templis, *Apostolorum* ætate cœpisse.

Sed quæro abs te, putasnè, Lucam scivisse, & simul cum eo omnes reliquos *Apostolos*, extare in prima adeò tabula certissimum præceptum Dei, de non habendis imaginibus aut statuis, quæ colerentur aut adorarentur? *Et*, si quidem putas eos scivisse: cur audes affirmare, eos tale præceptum voluisse turpiter & blasphemè contemnere?

Sed responde simul ad hæc, nonne Hebræi mordicus observabant illud præceptum primæ tabulæ? Si itaq; illi Pontifices Sacerdotum, scribæ & Pharisæi, penes quos tanta erat autoritas, videre potuissent: nescio quos piscatores, atq; alios obscuros homunciones, non solùm voluisse quandā cameram in Ecclesiam convertere, & non solùm eam dedicare & consecrare, verùm etiam imaginem aut statuam illic, ut coleretur atq; adoraretur, collocare: quid tu putas illos potentes *Satrapas* fuisse facturos? laturósnè? certè non permittebant, ut ullo in loco Apostoli possent vel loqui de *Christo*: itaq; quo pacto ferre voluissent imaginem?

Ego quidem crediderim, illos Apostolorum hostes acerbissimos omnia pati maluisse, quàm ut ullo in loco totius Judææ aliqua imago coleretur aut adoraretur, præsertim quæ esset ab ipsis Apostolis proposita. *Et* si propositam vidissent: accurissent omnes, & non modò eam sustulissent, & fractam in multa frusta combussissent, sed domum aut Ecclesiam illam à fundamentis evertissent, trucidatis Apostolis, & quotquot præterea unà cum illis deprehendere potuissent.

Sed nondum finis turpissimorum mendaciorum, quæ tuus sacrificulus in isto scripto evomuit, & tu mox approbasti, imò nova semper scatēt fœdiora & enormiora, cujusmodi hoc est: Apostolos in ea *Ecclesia* celebrasse divina officia. Proh pudor! Itáne sentis, eos matutinas & laudes, paulò post tertiam & sextam (ut tu soles dicere) cantitasse, aut etiam reboasse, & quidem cum Antiphonis & responsoriis interjectis? Deinde se missæ accinxisse, & eam legisse, aut fortè cantasse? Deinde rursus ad canendum vesperas & completorium accessisse? *Annon* omnia hæc intelligis, cum divina officia dicis? Nam quæ alia sunt apud te, quæ soleas hoc nomine appellare? p. 675.

Mirum certè est, te, si neque Deum neq; Christum times, quia putas fabulam & somnium esse, quicquid de eo affirmat *Spiritus* sanctus in sacris literis, saltem non timuisse judicium hominum, & naufragium honoris & existimationis tuæ: cum istas tuas absurdissimas fabulas & nugas ex diametro cum Evangelio pugnantes concinnares & approbares. *Sed* scio, quid te fefellerit. Cùm enim tam magnam videres esse (tua adeò opera invectam) in toto orbe Christiano apostasiam à Deo, & tam magnas in omnibus Ecclesiis tenebras & cæcitates: nunquam credidisses fore, ut hæc tempora venirent, quibus pater noster cœlestis rursus accenderet faces *Evangelii*, filios suos illuminaret, & ad obedientiam sui verbi revocaret, tuis nefandissimis fraudibus imposturisq; orbi terrarum ad deridendum propinatis, & omnium pedibus conculcatis.

Ut verò brevi quodam epilogo claudā ea, quæ hactenus in te reprehendi, tu huc usque tuo isto scripto disertissimè affirmasti, Lucam Evangelistam quinquies fuisse menti-

mentitum: & ita quidem locutus es, ut perinde sit, ac si dixisses, Tu *Luca*, qui vis inter *Evangelistas* numerari, falsò scripsisti istã tuam Historiam de actis *Apostolorum*. Nunquam enim attigisti, eos vidisse, multa divina mysteria fieri in ea *Camera*, fecisse Ecclesiam, eam dedicasse & consecrasse, repinxisse imaginem virginis *Mariæ*, & in eo templo collocasse, omnes Apostolos Missas & reliqua divina officia illic celebrasse. Verùm, si tu, qui præsens fuisti unà cum aliis Apostolis, atq; omnia hæc tractasti, & pars magna eorum fuisti, noluisti ea fide, qua decebat, recitare omnia illa, quæ ad sedis *Romanæ* existimationem & majestatem retinendam & conservandam magnoperè pertinent: qua in re jure possum te crimine falsi accusare (nam omninò falsus & mendax autor dicendus est, qui talia in describendâ Historiâ omittit, cum alia multò minora narraverit:) si tu, inquam, hæc neglexisti: volui ego curare, ut à meo parocho scriberentur, deinde omnia mea authoritate confirmare.

Scio enim ego, scio: nam quispiam mihi revelavit, esse verissima: propterea mãdo atq; impero, ut omnes inviolabiliter ea credant, sub pœna temporalis atque æterni ignis. Et profectò, ô Papatus, si ista ita apertè, ut à me nunc recitantur, non pronuncias: tamen usque adeò malè te geris contra Deum, contra Christum, & contra ejus *Evangelistas* & *Apostolos*, ut reipsa omnino sic loquaris, ut te ego nunc loquétem induxi.

Sed ut confutem & transfodiam istas tuas horrendas blasphemias: dic mihi, nónne mortuus est, quando nos te jure accusamus, quòd ausus fueris addere & cumulare supra humeros Christianorum multa præcepta, multas ceremonias, & multas alias novitates, præter id, quod ex lectione libri sancti Evangelii, & actuum *Apostolicorũ*, Epistolarumq; apparet, Christum filium Dei instituere & docere voluisse: nónne est, inquam, tuus mos, ita nobis respondere? Christum atque *Apostolos* multas doctrinas, multasque ceremonias instituisse, quarum in libris scriptis ab *Evangelistis* & ab *Apostolis* nulla est facta mentio, sed eam reperiri deinde in aliquo ex his autoribus, qui post Christi & Apostolorum ætatem scripserunt? Has verò soles appellare Traditiones, utpotè quæ non fuerunt comprehensæ in ulla ex divinis Scripturis, sed oretenus absque eo, quòd unquam fuerint ab *Apostolis* scriptæ, traditæ fuerunt posteris veluti per manus. Nónne soles ita dicere? Nónne ita affirmas multis in locis, præsertim in Canone Ecclesiasticarum distione XI? Et nónne ea de re in primo actu concilii aut comœdiæ Tridentinæ solenne decretum tibi concinnasti?

Verùm, si hæc tua sententia de Traditionibus & doctrinis ore traditis, & nunquam scriptis vera esset (quæ tamen est falsissima) quia immensa sapientia & bonitas Dei nũquam solita fuit uti hujusmodi modis leviculis & incertis, nempè ut voluerit, alteram partem ejus sanctissimæ & æternæ doctrinæ literis mandari à divinis suis Prophetis & Evangelistis ita, ut esset certissimũ: alteram verò minimè mandari ab illis, sed quæri eam oportere in voluminibus hujus aut illius humani autoris, quemadmodũ olim apud *Ethnicos* quærebantur responsa *Sibyllæ*, quæ foliis inscripta data fuissent: de qua materia cum alibi scripserim, non est necesse, ut rursus eam hîc inseram.

Sed si tua ista opinio esset vera, quòd tamen nunquam tibi concesserim, dic mihi, si Lucas, qui descripsit *Acta Apostolorum* si Petrus, si Jacobus, si Judas, si Paulus, qui omnes de doctrinis & rebus gestis in illis initiis & incunabilis nascentis *Ecclesiæ* scripserunt, nullam mentionem de illa Camera, & de ullis ministeriis, quæ in ipsa facta fuerint, fecerunt, neque de illa dedicatione, neq; de illa imagine aut statura, fuitné fortè ullus unquam ex illis autoribus, qui mox *Apostolis*, successerunt, qui illis de rebus mentionem fecerit? Certè nemo. *Successit Apostolis* Clemens, successit Dionysius, sucessit *Polycarpus*, Ignatius, Irenæus, Quadratus, *Evodius*, Hippolytus, & scripta vim ferunt, in quibꝰ de rebus gestis Apostolorum non pauca attigerunt. *Sed* nullum verbulum de illa Camera, aut de p. 674. consecratione, aut imagine, aut de divinis officiis illic celebratis. *Itaque* possumus planè affirmare, ea fuisse delira mentis tuæ, & mẽdacia à diabolo in tuo capite, in quo ille regnat, conficta, quibus posses decipere & prædari animas, & gloriam adimere Deo patri nostro cœlesti, ut est tuum perpetuum ingenium & institutum.

Sed hic dices, ut opinior, cur inter successores & discipulos Apostolorum non connumerasti etiam Abdiam Episcopum Babyloniæ, cujus decem libri de historia certamnis *Apostolici* nuper inventi sunt, & opera Wolfgangi Lazii medici in lucẽ editi? Respondeo, propterea me non connumerasse, quia nihil minùs verum esse puto, quàm quòd tales libri fuerint scripti Apostolorum temporibus. Nam quid tandẽ est in illis, quod nobis vel umbram *Apostolici* pectoris & Majestatis referat? Omnia illic frigent, & inepta sunt & superstitiòsa: & tamen neque illic quidem ulla est mentio de illa camera, & de reliquis tuis nugis. *Ac* de libris tui istius nescio cuis *Abdiæ*, tui etiam Nicephori, & tui Joachimi Perionii, qui tot feces collegit ex Voragine, atq; eas, ut pro veris posset populo obtrudere, luminibus quibusdam eloquentiæ conatus est illustrare, spero me alibi esse dicturum. Multum enim interest, ut orbis

ut orbis terrarum sciat, quam multis artibus velles fulcire & sustentare tuam autoritatem atq; existimationem cadentem & ruentem.

Interea pergam in meo instituto, & sic te interrogo: si hi primi successores Apostolorum non fecerunt ipsi ullam mentionem illis de rebus, quas tu affirmas: feceruntne alii illi autores, qui post aliquot secula vixerunt, & Chronica & Historiam Ecclesiasticam scripserunt, cujusmodi fuit Eusebius Pamphilius Cæsariensis, Ruffinus Aquileiensis, Theodoretus Episcopus Cirenensis, Sozomenus & Socrates Constantinopolitani? Certe neq; hic cum tamen quædam alia attigerint de Christo, & de Apostolis, de quibus in sacris literis nullum extat verbum.

Sed audi amplius, ô Papatus. Historiographis his successit Hieronymus, qui cum superstitiosus aliquando esset, solebat se conferre ad suum illum Betlehem, atque ibi lubens degebat, & lubens aliquid scribebat de illo præsepi, ubi Christus natus fuerit, de aliis locis, ubi non modo Christus, sed mater & apostoli versari solebant: & tamen neq; ipse unquam de tali Ecclesia aut Camera vel minimum verbum attigit, & nihilominus vir fuit diligentissimus, atque illic vivebat, ubi noscere omnia illa, quæ tu narras pro veris (modo unquam fuissent gesta) potuisset.

Quod bonus ille Hieronymus scribit bene longam Epistolam, quæ est 72. in ordine ad Eustochium, in quo recenset multas illas peregrinationes, quibus altera illa superstitiosa eius discipula Paula delectabatur, atq; illum voluisse invisere locum, ubi fuerat diversorium, in quo beata Virgo non potuit hospitari, præsepe ipsum, in quo natus erat Christus, Montem Calvarium, Sepulchrum, & domum illam, in qua supra centum & 20. personas descendit Spiritus sanctus: & tamen de illa Ecclesia, quam tu (Papatus) ais ab Apostolis fuisse consecratam, nullum unquam facit verbum, & si ullo in loco debuisset eius mentio fieri, tunc profecto erat occasio & tempus opportunissimum, & etiam necessarium. Sed audi ulterius: post tempora Hieronymi Anno Domini circiter 700. vixit Nicephorus ille Calistus Xanthopli, cujus non multo ante memini, is fuit superstitiosus (ut fere solent Græci) atque in eius historia recitat ingentes fasces rerum quarundam levicularum de sancto Ioachimo, de sancta Anna, de sancto Josepho, de educatione, de forma & statura, de ætate virginis Mariæ, præterea de miraculis eius de morte, de funere, de resurrectione, atque adeo de ascensu in cœlum una cum corpore, ut etiam duo hæc postrema voluisset nobis obtrudere, & tamen cum ita diligens fuerit, ut ea etiam voluerit recensere, quæ nunquam fuerunt, nunquam illi in mentem venit quid ullius Ecclesiæ, quæ fuerit ab Apostolis in honorem Virginis facta & consecrata. At quo pacto potuisset hoc silentio præterire, si eo tempore, quo suam illam laboriosissimam historiam, 18. libris comprehensam, scripsit, de ea Ecclesia aliquid sensisset, aut odoratus fuisset?

Ecce itaq; ô Papatus, mendacia & pudenda tua, quæ aliquandiu latuerunt, veluti sub foliis ficuum, & sub infirmis quibusdam prætextibus & coloribus: tandem, cum apparuerint radii ex Evangelio, & flaverint Spiritus Dei, esse nudata & toti terrarum orbi patefacta, & torqueas te, quantum vis, atq; utere quanta vis astutia & versutia tuorum adulatorum, tuisq; ensibus, crucibus, & rogis (his enim armis soles uti contra nostrates, loco sacræ Scripturæ) jam non potes te amplius tegere & defendere.

Sed progrediamur adhuc ulterius, & videamus, quid subdat tuus sacrificulus, subdit: cum populus, qui in Judæa habitabat, deseruisset fidem Christi, Angelos fecisse eam Ecclesiam juxta terram à suis fundamentis, quæ in eorum loco illic manserunt (audi, audi alia mendacia crassissima, & ignominias tuas incomparabiles, quæ, quanto longius in tua fabula progredimur, tanto magis scaturiunt) atque ita à suis fundamentis avulsam, detulisse eam in Illyricum, & collocasse prope oppidum, cui nomen Flumen.

Hic paulatim procedendum: nam habeo, quo te possim consolari, mi papatus, audi modo Machometus plantavit falsissimam suam religionem anno sexcentesimo: quo tempore etiam tuus Antichristus cœpit vires & existimationem acquirere. Is fuit à Mahometo, & Mahometus ab illo magnopere adjutus (ut videre est in Historiis, & ego alibi fuse docui: nempe in 12. concionibus de Antichristo.) At non multo postquam fuit plantata illa pestilentissima secta, ea per totam Asiam, non solum in Judæa sparsit suas radices, hoc vero contigit jam fere noningentis ante annis.

Cum itaq; tuus Missarius in hac fabella scriptum reliquerit, Angelos sustulisse ex Judæa eam Ecclesiam sine ullis fundamentis, posteaquam populus, qui illic habitabat, deseruerat fidem Christi: tu declara nobis, tu inquam, qui tibi vendicas atque arrogas autoritatem & sapientiam interpretandarum divinarum scripturarum (& tu istam habes pro divina procul dubio, quia imperas, omnes debere illi credere sub pœna non modo temporalis, sed æterni ignis) declara tu, inquam, num Angeli abstulerint inde Ecclesiam statim, ubi Turcica secta cœpta est recipi, aut forsitan post quingentos aut sexcentos annos? p. 675.

Si responderis, statim initio, cum ille populus desiisset colere fidem Christi: tunc velim mihi dicas, quo paco fieri potuerit,

ut, cum jam multi à noningentis annis usq; ad nostra tempora scriptores extiterint, qui tanta diligentia tot historias, & tot Chronica scripserint, nunquam vel unicus fuerit, qui vel uno verbulo attigerit rem ita mirandam, ita prodigiosam, & nulla unquam ætate aut memoria auditam, qualis ista est, integram scilicet Ecclesiam fuisse secatam aut avulsam per manus Angelorum à suis fundamentis, quæ in Judæa manserint, & totam illam, veluti materiem, delatam ab ipsis Angelis itinere trium millium milliariorum *Italicorum*, & amplius, partim terrestri, partim maritimo, & non semel quidem, sed quater eam transtutisse de loco ad locum, & interim in tanta jactatione, nullum unquam lapidem dimotum fuisse, aut cecidisse?

Si vero respondere volueris, Angelos eam Ecclesiam ex Judæa sustulisse, jam circiter 300. annis (ut tuus ille nugator videtur voluisse dicere) tunc quæram, cur sustulerint? Dices, quia ille populus desciverat fidem Christi. Audivi, hanc causam fuisse etiam in ipsa fabula adductam. Sed hic velim mihi dicas (si quidem scias) quare *Angelis* passi fuerint, eam *Ecclesiam* per quingentos aut sexcentos annos manere inter eos populos, qui à fide Christi desciverant: quod scio tuo carnali ingenio & spiritui vertiginoso & fanatico absurdissimum videri. Nam putas, populos illos omnino indignos fuisse, penes quos illa, sacrosancta *Ecclesia*, & ille veluti divinus thesaurus, relinqueretur. *Sed* cum ita tibi omnino persuadeas: cur tam diu illic relictus est & contemtus thesaurus ille?

Verum aliud adhuc habeo, quod hic quæram: *Si* ita censes, quia animalis es, atque ideo non potes non præpostere his de reb. sentire: Angelos non debuisse pati, talem Ecclesiam diutius hærere inter eos, qui fidē Christi contemnerent, cur passi sunt, & cur adhuc patiuntur, in eadem provincia, atq; inter eosdem fidei Christi contemtores hærere locum, in quo Christus natus est? Item sepulhhrum, in quo jacuit, & ipsum adeo montem Calvarium? Nec dubium est (si modo harum externarum rerum ratio esset habenda, quæ certe non est habenda) quin tanto honore & reverentia dignus esse deberes (si non etiam majore) ille locus, ubi *Christus* primum in lucem editus est: quæ res militiam ipsam Angelorum cœlestem ad lætitiam excitavit: & alius locus, in quo *Christus* sanguinem fundens, & moriens triumphavit de morte, de peccatis, de inferno, & de Mundo: & certus item locus, in quo divinum illud corpus jacuit, parti oblatum pro victima & sacrificio electorum, quanto honore & reverentia dignum tu esse putas locum illum, in quo eius mater fuerit enutrita. *Sed* ista, quæ sunt mundi elementa, externa & carnalia, omnes *Scripturæ* sacræ censent respuenda, & Deum ac *Christum* cum Spiritu sancto adorandum in Spiritu ac Veritate.

Sed pergamus in tua fabula. Posteaquam *Camera* illa ex Judæa ad Illyricos ab *Angelis* delata est, quid mox accidit? Proh quam dignus es, qui hoc loco exagiteris, ac profecto non modo hoc meritus es, ut te multis probris & conviciis oneremus & insectemur, utpote hostem *Domini Dei* nostri, tam multis & tam turpibus mendaciis e[jus] doctrinam & gloriam comminuentem & conspurcantem: sed ut totius Europæ populi, una adeo cum uxoribus & liberis, qui fuerunt tam diu abs te isto maledicto Idolo *Lauretano* decepti & delusi: in eo quidem, quod ad honorem, ad rem, ad vitam, atq; ad animam pertinent, isto accurrerent, Imagunculam illam, & idolum è spelunca illa latronum (ita enim verius dixerim, quam Ecclesia) tollerent, pedibus calcatam confringerent, quinetiam muros illos omnes demolirentur, saxis in mare, quod non longe abest, principitatis aut quovis modo consumtis: quo sanctissimo opere patrato, mox Romam venirent, ut tunc demum tui *Antichristi* pedes pro dignitate suaviarentur. Sed forsitan non longe abest hoc judicium Domini, & flagellum.

Sed ad fabulam. In hac te non pudet dicere, quod cum Ecclesia in Illyrico esset, virgo Maria videbat, se non ita illi honorari, ut desiderabat: itaque Angeli nautæ aut bajuli facti rursus accesserunt, & sublaram inde repente eam Ecclesiam per dorsum totius maris *Adriatici* itinere ducentorum & amplius milliariorum bajulantes collocaverunt in quadam sylva. *Ergo* tibi persuades, sanctissimam matrem JesuChristi esse (quemadmodum tu es) idolatram, ut cupiat in imaginibus & statuis atq; hujusmodi rebus externis, & à Deo prohibitis honorari & adorari? & putas etiam, eam esse (sicut tu es) ambitiosam, & nil nisi fumum, & ventum.

Quid potest pejus dici aut cogitari de illa humillima serva & ancilla Domini? *Quæ* cum magno spiritu & fide adundet, & propterea omnino respuat & abhorreat ab illis adorationibus, cultibus & honoribus, qui *DEO* & *CHRISTO* debent exhiberi in spiritu & veritate: quanto magis persuadere nobis debemus, illam respuere & abominari tales populi concursus ad Ecclesias, quæ illi fuerunt à carnalibus & hypocritis dedicata? & ad adorandum eius imagines & statuas?

Verum hic aliud addam. Tu soles affirmare, eam esse *Regiam* cœli, tutricem & & patronam Dei & Christi: & conaris toti orbi persuadere, hebere omnia præsentia, sicut habet *Deus* & *Christus*: & nihilominus hic tu eam nunc facis imprudentissimā, ita

ita ut nesciverit prævidere, fore, ut eius
1676. Camera non ita magno in honore habenda esset, ut desiderasset, si in Illyricum fuisset delata: quanquam de eius imprudentia non semel ita judicasti, sed bis deinde eodem modo. Addis enim in fabula, illam Cameram neq; in illa quidem Sylva, in quam postea fuit ab Angelis ex Illyrico delata, diutius constitisse: quandoquidem multa latrocina, ob opportunitatem loci, illic patrabantur. Itaque affirmas, Angelos tertio eandem Ecclęsiam humeris sustulisse, & in montem duorum fratrum transtulisse. Quin addit, neq; hic quidem potuisse illam diutius consistere. Nam illi duo fratres, cum magnas opes ex maximo peregrinorum concursu compararent, earum occasione discordes esse factos ita, ut ad arma inter se ventum fuerit. Quare boni illi angeli quarto impositam sibi totam illam machinam in humeros, deportaverunt extra illum montem, ubi erant fratrum discordiæ, & illic, ubi ea nunc est maxima dexteritate atq; elegantia, collocaverunt ita ut erecta possit consistereneq; ulla ventorum aut tempestatum vi dimoveri, neq; suo ipsius pondere dissolvi, tametsi nulla secum haberet fundamenda, quæ eam sustinerent & corroborarent. Nam semper oportet meminisse, fundamnta eius in Judæa temansisse.

Quis unquam audivit stultiora & absurdiora his? Quid fuit unquam post orbem conditum ab ullo quantumvis mendace & perdito scriptum, quod magis stomachum moveret, & magis esset prodigiosum? Quam putas Turcas & Hebreos solere Christianos irridere hoc adeo nomine? At profecto non injuria. Ipsi enim in eorum Alcoranis & Talmudis nunquam scripserunt ineptias & freneses similes istis tuis, quæ ita sunt stultæ & horribiles, ut certo credendum sit fore, uti posteri cum illas legerint, vix queant sibi persuadere, fuisse unquam gentem usq; adeo stupidam, mente captam, atq; impiam, ut tu es, Papatus.

Sed pergamus suam majora adhuc reliqua sunt. Hactenus recitatæ sunt tuæ nugæ, & nulla testimonia adduxisti. Nunc vero incipies ea adducere: eia igitur profer tandem, cujusmodi ea sunt? Ex quibus historiis, aut Chronicis, & quorum virorum autoritate ea tibi sumes? Res certe maximas, atq; aliis ætatibus omnino inauditas, & prodigiosissimas quasdam narrasti. Itaque non mediocribus testimoniis tibi opus est si velis ea confirmare ita, ut persuadere sibi homines possint, ea esse vera. Profer ergo nunc in medium, quæcunq; habes. Beata Virgo anno 1296. apparuit cuidam eius devoto dormienti, & illi hæc omnia revelavit. Hoc tuum testimonium est in te tanti ponderis.

Occælum, ô terra, ô inferne audite, quid sit papatus, audite: Papatus, est congregatio aut conspiratio quorundam sub quodam capite dato illi à Diabolo, qui nunc inflatis buccis, magna superbia & tyrannide ita tonat.

Quanquam nec Lucas Evangelista, neq; alius ex Apostolis aut Scriptoribus veteribus aut recentioribus, nunquam scripserit, Jesum Christum fuisse enutritum in eadem Camera, in qua Virgo Mara nata est, imo quanquam contrarium legatur: quanquam nunquam scripserit, Apostolos vidisse multa divina mysteria, quæ facta fuerint in ea Camera: quanquam nunquam scripserit, eosdem Apostolos eam convertisse in Ecclesiam: quanquam nunquam scripserit, eam Ecclesiam mox fuisse ab Apostolis dedicatam & consecratam: quanquam nunquam scripserit, Lucam eius imaginem pinxisse, & in ea Ecclesia collocasse: quanquam nunquam scripserit, Apostolos illic divina officia celebrasse: quanquam nunquam scripserit, eam Ecclesiam post aliquot secula fuisse sine ullis suis fundamentis ab Angelis ex Judæa in Illyricum delatam, atque hinc (quia Virgo videbat, se non esse ita honoratam, ut cupiebat) trans mare Adriaticum in sylvam quandam, & deinde in montem: postremo prope Recanatum.

Denique, quanquam omnia hæc sint omnino contra id, quod docet & præcipit historia, doctrina Jesu Christi: tamen jubeo atq; impero, ut omnes hæc, quæ à me dicuntur, sine ulla exceptione credant esse verissima, perinde ac credunt articulos fidei comprehensos in Symbolis, sub poena æternæ damnationis, quin etiam sub poena tẽporalis ignis, quo veluti hæretici mox exurentur omnes, qui ita, ut ego impero, non crediderint: contra vero totum id, quod in sacris literis continetur (quandoquidem mihi tota scriptura subdita est) satis est, si ego pronunciem aliquem ex meis ea, quæ mihi adlubescunt, somniasse, sive is revera somniaverit, sive mihi libitum fuerit aliquando confingere, & mentiri eum somniasse. Nam tum somnia & deliria mearum creaturarum, tum mea mendacia volo haberi pro articulis fidei: quicquid garriant Lutherani.

Hac tua, ô Papatus, oratio est. Mea vero hæc: Videm⁹ nunc omninò completam esse prophetiam Danielis, qui dixerat fore, ut quispiã impudens ad tyrannidẽ evect⁹ extolleret se supra omnẽ divinitatẽ, & illi disertissime & arrogantissime contradicere, spretis vero divinis oraculis esset prolocuturus, atque imperaturus maxima quædam horribilia & prodigiosissima, quemadmodum illi libido suggessisset. Tu ergo Papatus, tu cum tuo Antichristo, ille ipse tyrañ⁹ impudens es, de quo primum Propheta ille postea Apost⁹ clarissima voce vaticinat⁹ est,

est, tu, tu contemnis, tu pedibus conculcas veritatem, quæ est in divinis scripturis comprehensa, & loco hujus proponis nescio quas tuas revelationes, deliria & freneses atq; imperas: ut hæc habeantur pro rebus verissimis & divinis, quemadmodum nunc agis in isto Lauretano negotio. Nam libuit tibi confingere, virginem Mariam cuidam eius devoto in somniis revelasse o-
p. 677. mnia illa tam multa prodigia & deliria, quæ hactenus non semel recensui, & vis, ut talibus revelationibus & deliriis credatur, non autem Spiritui sancto, qui prorsus contraria docet in ipsis Bibliis.

Et quod indignius & intolerabilibus est, si quis aliquando velit interrogare à tuis, quisnam fuit ille devotus, cui facta est revelatio? quonam tempore? quod fuit viri nomen? quæ patria? quæ professio? quæ vita? quæ autoritas? non solum non vis respondere, sed soles comburere eos, qui non statim professi fuerint, se credere, quæ tu pronunciare semel voluisti. Atq; his præclaris modis quotidie invehis diversas tuas opiniones & dogmata, & talibus dico somniis & spectris tui illius Gregorii (inter alios) importasti in Ecclesiam enormem illam imposturam Purgatorii. Imo nunc succurrit, de hujusmodi revelatione nuper alium ex tuis luculentam mentionem fecisse, quæ usq; adeo tibi arrisit, ut eam volueris edito diplomate commendare: scis quam dico? annon meministi? de illa loquor, quam tuus Mutius in suo quodam libro attigit, ubi affirmat, revelatum fuisse cuipiam (cujus nomen nemo potest scire) virginem Mariam mirandum in modum oblectari, cum audit aliquem erga ipsam proferentem illa duo jucundissima verbula: DOMINVS TECVM: atq; ideo omnes qui orant salutationem angelicam, debere illa tertio repetere.

Hæc vero sunt ingenia, & judicia gravia, quæ perplacent tuis carnalibus atq; hypocritis: hæc tu Papatus, & tu præsertim Juli III. soles commendare, atq; approbare tuis bullis. Certum est, te aliam hanc anilem atq; insipidam revelationem de verbulis illis. Dominus tecum, magno totius Europæ risu, diserte brevi edito, utpote verissimam & gravissimam approbasse, nec te pudet Sed videor te audire dicentem, non propter eam solam revelationem, quæ anno 1296. contigit illi devoto, te commotum fuisse ad imperandum, ut totum negocium Lauretanum pro vero haberetur, sed te habere alia graviora argumenta & probationes.

Eia, videamus ergo, cujusmodi sint. Tu ita dicis: Cum devotus ille, quem nemo unquam novit, indicasset omnia ea, quæ dormiens audierat, quibusdam bonis hominibus Marchiæ Aconitanæ, mox hi communi consensu statuerunt, velle inquirere, an ea vera essent: quare selegerunt 16. insignes viros, qui in Judæam primo quoque tempore navigarent, investigarentq; de rebus illis omnibus. Cum itaq; essent profecti & redijssent, eos renunciasse, se invenisse, vera esse omnia, quæ devotus nunciaverat se in somnis audivisse. Sed hic consistamus. Primum omnium dixerim, viros eos, qui tunc incolebant Anconitanam Marchiam, qui alioquin solent esse cordati & astuti, fuisse habendos pro ineptioribus & stultioribus, quam tu sis, ô Papatus, si commoti verbo unius homuncionis, qui ajebat, se somniasse nescio quid, mox voluissent totius provinciæ viros, & consilium convocare, & statuere, ut 16. ex insignioribus aggrederentur iter, quod est trium millium milliariorum, deinde inter periculosum, cum ob naufragia, quæ sæpe patiuntur, qui per illa tam vasta maria navigant, tum ob pyratas, qui quotidie illic prædantur: deinde maximo sumtu, fere millium coronatorum. Nam singuli, qui illud iter suscipiunt 60, coronatos ad minimum pro vectura & simul pro victu solvunt: postremo ad investigandas res vanissimas & incertissimas. Quamobrem censeo, stupidissimum esse, & communi sensu carere, qui non videt, has esse nugas inanissimas, & mendacia ridicula. Quod etiam inde apparet: nam in hac narratione, quæ fit de concilio in tota illa Marchia congregato, & de tam honorifica lagatione missa, nunquam expressum est vel unicum nomen alicujus ex illis, qui convenerunt, vel ex illis, qui fuerunt in legationem missi. Certe si agebatur de concilianda fide rebus gestis tam magnis, erant exprimenda non solum nomina, saltem aliquorum, si non omnium Senatorum & legatorum, sed & locus, in quem convenerunt, atq; etiam tempus.

Sed demus, verum fuisse, viros illos ex Marchia Anconitana una convenisse, unoq; verbo illius superstitiosuli Somniatoris impulsos, constituisse 16. Legatos in Judæam mittere (quod falsissimum esse existimo, mentium vero, ut major fides fabulæ conciliaretur) videamus, quid renunciaverint se invenisse, & an possimus illo modo putare esse vera, quæ se invenisse dixerint. Itaq; tuus ille vanissimus & mendacissimus sacrificulus inquit, illos renunciasse, se invenisse signa aut vestigia fundamentorum eius Ecclesiæ, cumq; ea magna diligentia fuissent metiti mensura, quam secum domo attulerant, omnino se ea ipsa fundamenta, & non alia, conspexisse, unde Camera fuerat avulsa.

Proh infelecissimum Papatum, proh quantopere brevi vituperandus es hoc adeo nomine, etiam ab ipsis mulierculis & pueris? Quis unquam ab eo tempore, quo pris

primum sive Cadmus sive alius literas invenit, majores ineptias, putidiora mendacia, & magis impia scripsit? Sedecim insignes viri invenerunt in Judæa fundamenta illius Cameræ, quæ jam erat in italiam delata, nonne ita affirmat Missator in isto scripto, quod pendet tabella affixum in templo Lauretano? Sed quæro abs te, num illa Camera fuerit sola sub uno tecto & seorsim, in quibusdam fundamentis collocata ita ut præter eam Cameram nullus illic alius locus fuerit, nec coquina, nec cellarium, an vero sub eodem tecto, & super eisdem fundamentis fuerint aliæ etiam mansiones? Sed nunc succurrit, initio fabulæ scriptum sic esse: Ecclesia beatæ Mariæ de Leroto fuit Camera domus, erant ibi procul dubio aliæ etiam mansiones sub eodem tecto, & in eisdem fundamentis, neq;
687. erat sola una Camera. Quare, quo pacto potuerunt illi 16. Legati reperire vestigia fundamentorum Cameræ seorsim à fundamentis totius domus?

Sed aliud etiam quæro, quot anni tuo judicio prætererant ab eo tempore, quo illa fundamenta jacta & ædificata fuerunt, usq; ad id tempus, quo legati dixerunt, se ea reperisse? Profecto non pauciores, quam mille ducenti. Sed spacio tot seculorum non modo saxa, & fundamenta privatæ & pauperis alicujus domunculæ omnino involvuntur in aliis ruinis: & crescente terra, illic fiunt pascua, aut campi, aut vineæ, sæpe etiam sylvæ; verum etiam publica ædificia profundissimis fundamentis & solidissimis saxis & columnis extructa, corruunt & pereunt ita, ut nec vestigium, neq; odor ullus appareat. Certe vix vestigium extat hodie celeberrimi illius Templi, quod & tanto sumtu, tantoq; artificio 46. annorum spacio ex ædificatum fuerat in Hierusalem imo vix exigua quædam illius maximæ civitatis vestigia videri possunt.

Lege, quid scripserunt Josephus libro 7. belli Iudaici, & quid Dion in vita Traiani, & illic videbis, quantopere primum Vespasianus, & circiter 40. annis post eum statuerit non modo urbem illam Hierosolymitanam, sed totam adeo Judæam. Audi pauca hæc Dionis verba: Arces Judæorum quinquaginta diruptæ sunt, vici ad noningentos & octoginta quinq;, qui sane frequentes & nominatissimi erant, direpti, & mox igne consumti sunt: sic fere omnis Judæa desolata est, & lupi ac hyenæ passim per urbes incedentes ululabant. Si itaq; tota illa regio ita fuit afflicta, ut hic audis: cur tam perfrictæ frontis es, ô Papatus, ut audeas affirmare, post tantam desolationem & excidium, & post tam multa secula adhuc potuisse consistere exiguam quandam casam, aut Cameram, ut dicis, aut eius etiam fundamenta conspici potuisse? Nam quicquid horum dixeris, stulte dixeris.

Sed video, quid hic dicturus sis, nempe 16. illos Legatos retulisse, se non modo fundamenta illa reperisse, sed murum quendam vidisse, in quo scriptum erat, Cameram illam illic fuisse, discessisse. Non possum me continere, quin hic exclamem, ut Ethnici proh Deum atque hominum fidem. Annon te pudet, Papatus, nonne te pudet effutire isthæc tam puerilia, aut anilia, tam ridicula & putida? Certe putasti, homines esse stipites aut asinos, cum ista concinnares. Sed huc ades cum tuo isto muro. Quid ais? Scriptum in eo fuisse, Cameram illic fuisse? At quæro abs te, ad quam domum vel ædificium pertinebat ille murus? ad vetusne aliquod, an ad novum? publicumne, an privatum? Certe hæc oportuisset renunciari à tuis istis legatis, si non essent conficti. Deinde quia ais fuisse scriptum in muro: quæro, an carbone, aut creta rubenti fuerit scriptum? tum etiam, qua lingua, Arabicane, an Hebræa, an etiam Græca, aut forsitan Italica, cum illic nullus Italicæ linguæ sit usus? Sed aliud adhuc quæro non minoris momenti, si illa verba inscripta in muro debuerant fidem facere, cur tui Legati non interrogaverunt, & quidem diligenter, à quibus fuissent scripta? Quid enim, si aliquis Turca aut Hebræus ita illic scripsisset, ut Christianos irrideret (quod sæpe solent) putaresne posse sufficere id tibi ad tuum mendacium constabiliendum? Sed jam pudor est versari in istis tuis tam multis nænjis, sed tamen prodest veræ Christi Ecclesiæ, si versemur, & subducamus fimbrias tibi super faciem tuam, & ostendamus gentibus pudenda tua, regnisq; fœditatem tuam, ut est apud Nahum, cap. 3. semper tamen in gloriam Dei, qui suo spiritu impellit suos, & jubet, ut accuses, exagiteris & confodiaris à magnis & doctis viris, parvis & ab omnibus vocibus, & omnibus calamis, tanquam eius atrox & capitalis hostis, ut tu es.

Hactenus, ut isti tuo idolo fidem & autoritatem concilieres, adduxisti somnium devoti, nescio cujus: deinde ementitam quandam 16. virorum Picenorum legationem: mox eorum renunciationem de fundamentis quibusdam inventi, & de literis in quodem muro inscriptis: sed quia tumet, licet sis impudentissimus & stolidissimus (ita Deo operante, ipse tibi, ipse ingenium, ipse communem sensum adimit, & in reprobum sensum tradit, quia cum eo vis bellum gerere) quia inquam tumet, videris agnoscere, futilia, fatua, & prorsus falsa ea testimonia esse, quæ hactenus adduxisti, aliud aggrederis, sed item futile, fatuum & falsum.

Ais enim, te omnino credere, Ecclesiam istam, quæ Laureti visitur, fuisse Cameram, in qua Virgo Maria filium suum enutrivit: quia quotidie omnes vident, quod beata Virgo, mediante illa Camera, illic facit infinita miracula, & fit ita ut dicis. At si etiam hoc argumentum statim excutiam tibi è manib. quid ages, miser Papatus? quo te convertes? quam invenies machinam, qua possis sustentare istud tuum idolum, ne in præceps collabatur & corruat, ridente & plaudente maxima totius orbis terrarum parte, sed, lugentibus & gementibus apud te tuis superstitiosulis & hypocritis? certe excutiam, & quidem verbo Dei: annon tibi videor magno telo velle uti? Quare ad id, quod nugatis de tam multis miraculis, quæ virgo Maria illic agat, mediante illa Camera, duo hic responsa habeo.

Alterum est hujusmodi: dico enim, tuosmet adulatores & defensores, qui vel mediocriter sint in sacris literis versati, solere damnare istam tuam opinionem, quod virgo Maria faciat ipsa ulla miracula: sed ajunt, ea fieri à Deo ob preces & intercessionem matris. Nos vero utrumq; negamus: quotiescunq; enim Pater cœlestis largitur nobis gratias aliquas, id agit sua propria bonitate & misericordia, tum etiam precibus & intercessione dilecti filii sui. Cujus nostræ doctrinæ habemus firmissima
p. 676. testimonia in scripturis, cum tu tuæ istius ullum omnino habeas. Nam Christus inquit: quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Joannes vero, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Paulus vero, interpellat pro nobis (de Christo loquitur) Quamobrem non modo nos possumus te accusare, quod falsam doctrinam hic doceas, sed etiam tuimet cucullati, qui licet alias sint valde impudentes & impii, tamen nondum eo dementiæ venerunt, ut audeant dicere, quod tu hic audes, virginem Mariã facere ipsam miracula, atq; adeo mediante illa Camera; quasi virtute eius Cameræ diva Virgo possit edere miracula, & alioquin non posset. Quæ hæc fatuitas?

Sed accipe alterum responsum: Tu, quia vides tam multas tabellas pictas, tam multas statuas & imagines tam multas vestes, naves, funes & anchoras tam multa arma, denique tam multos cereos pendentes in isto tuo templo Lauretano, putas, totidem miracula facta fuisse illic, & propterea jubes credi oportere, eam fuisse Cameram virginis Mariæ. Primum itaq; possem dicere, non continuo credendum esse, vera esse illa tam multa, quæ peregrini afferunt, & in Ecclesiam affigunt, quia sunt illic affixa. Sæpe enim solent sine ullo pudore fingere sibi illa somnia, & mentiri. Quin amplius dixerim, sæpe ipsosmet sacrificulos aut monachos, cum de industria domi alant eius rei artifices, solere collocare non modo in Lauretano templo, sed in aljis etiam multis, quæ sunt eius generis, tabellas, statuas, naves, arma, & subscribere, hoc in tali urbe contigisse, illud in alia, & mentiri, sed ita fingere, ut suis idolis autoritatem concilient.

Sed esto, facta fuerint miracula illa tam multa, fac, nullum esse confictum & emcutitum, sed revera illos tam multos, quorum nomina illic recitantur, miraculo evasisse ex tempestate maris, alioquin perituros: sanatos ex mortiferis vulneribus, atque ex aljis morbis insanabilibus: ista, inquam, miracula facta inter tuos istos superstitiosos, qui nihil aliud sunt, quam caro & mundus, fiunt ab ipso Diabolo altero ex duobus modis: aut enim ille, qui in suis membris regnat, & efficacissimus est, potest efficere sua illa efficacia & vi, ut sui sibi plane persuadeant, se omnino vidisse apparitionem, quam unquam viderint, aut verba audivisse, quæ nunquam audiverint, & se liberatos fuisse ab aliquo maximo vel belli, vel maris vel incendji, vel ægritudinis periculo, opevel intercessione virginis Mariæ, cum tamen alias etiam sine miraculo essent evasuri.

Hic, inquam, unus modus est: alter vero hujusmodi. Dico diabolum ipsum non modo posse suos ita fascinare, ut cogat eos sibi pro veris persuadere ea, quæ omnino falsa sunt, sed posse etiam signa & miracula edere in suis, ad confirmationem ejus falsæ doctrinæ, id est, Papisticæ. qua ipse delectatur. Verbi gratia: Iactabitur in magna maris tempestate infidelis aliquis (Infidelẽ vero cum dico, non intelligo nunc Turcum aut Hebræum, sed merum aliquem Papistam, qui careat dono vivæ illius fidei à qua Christiani efficimur, & qui sibi persuaserit, Papatum à Deo fuisse institutum, & omnes eius institutiones & dogmata ita servanda, ut sanctum Jesu Christi Evangelium: eos vero, qui cum illis non consentiunt, esse Hæreticos, hos in summa ego proprio vocabulo infideles appello,) Si itaq; aliquis hujusmodi in aliquo vel maris vel alio periculo extiterit & putaverit, si votum fecerit Idolo Lauretano, velle se ad illud accedere, tabellam afferre, & Missatorem conducere: Diabolus, inquam, ut omnes eos errores constabiliat, & suum illud membrum, nempe infidelem virum dementet & ludificet, edere potest miraculum & ex periculo liberare.

Unde tibi hæc doctrina? clamabis, unde tibi? A Christo & à Paulo: nos ab his purissimis fontibus nostras doctrinas haurimus, tu ex lacunis, imo vero ex stygia palude tuorum Decretalium, Sextorum, & Clementinarum. Quid vero ait Christus? Audi, quid dicat: Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro,

sed

ſed propter electos breviabuntur dies illi: Tunc ſi quis vobis dixerit, hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere, ſurgent enim [audi Papatus, audi, quid Chriſtus dicat hîc de te, & de tuis creaturis, id eſt, de membris Diaboli) ſurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poſſit) etiam electi. *Audisne?* ſigna magna & prodigia edita à membris Diaboli? Ne ergò affirmet, *Eccleſiam* Lauretanam fuiſſe Cameram virginis Mariæ, quòd ibi fiant miracula: Non enim valet conſequentia, omnem locum eſſe ſanctum, ubi fiant miracula.

Sed audiamus Paulum unà cum Chriſtò, attende Papatus. Nam *Spiritus* ſanctus per os Pauli hîc loquitur de te & de tuo *Papa*, id eſt, de *Antichriſto*: Et tunc revelabitur ille iniquos, quem *Dominus* Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui, cujus eſt adventus ſecundùm operationem *Sathanæ* [Audis, *Sathanam* operari in tuo *Antichriſto?*) in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus (*Audis*, ſigna & prodigia mendacia, id eſt, ad confirmanda mendacia, edita à *Sathana*) & in omni ſeductione iniquitatis his, qui pereunt eò, quòd charitatem non receperunt, ut ſalvi fierent (hi ſunt infideles illi, de quibus dixi, qui nihil Evangelio, omnia verò *Papis* credunt, ita ut nolint ſalvi eſſe] ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed oblectati ſunt iniquitate.

Pro operatione vero erroris Paulus intelligit vim ipſam ingentem & efficaciſſimam, quæ reprobos in errorem propellit, & magno impetu præcipitat. Cum vero dicit, eos oblectatos falſitate, illos voluit exprimere, quos ſolem9 videre, ita habere ſuperſtitiones & idolomanias in deliciis, ut malint omnia pati, quàm finere ſe ab illarum complexu & amore divelli.

p. 680.

Sed quanquam plurimùm valere apud te ratio iſtorum miraculorum editorum apud imagines & ſtatuas ſolet: tamen tu ipſe nunc videris diffidere, ut te eadem ratio hîc ad perſuadendum juvet, Eccleſiam illam fuiſſe Cameram Virginis Mariæ, in qua filium ejus nutrierit, Nam duos veluti Gigantes aut Achilles, ſub finem fabulæ, in ſubſidium vocas. Vides enim, cauſam tuam eſſe inclinatam, & ſummo in periculo, ne ſuccumbas. Si itaq; fortè poſſem iſtos tuos Achilles debilitare, & proſternere, jam eſſes omni auxilio deſtitutus jam tumet cogereris, fateri, te tua iſta fabula per trecentos ferſe annos toti Chriſtianos orbi impoſuiſſe, doctrinamq; & gloriam Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti fœdisſime conſpurcaſſe. Quare videamus, num poſſimus hæc duo, quæ tibi reliqua ſunt, fundamentà revellere.

Profer prius, Quid tandem ais? *Ajo*, dicis, quempiam *Eremitam*, cui nomen frater Paulus à ſylva, virum magna abſtinentia, aliquando dixiſſe, ſe die octava *Septembris*, qua celebratur feſtum Nativitatis divæ Virginis, duab9 horis ante exortum *Solis*, vidiſſe lumen è cœlo deſcendens ſupra eam *Eccleſiam*: quod lumen erat longitudine *12*. pedum, latitudine verò *6*. atq; ubi pervenit prope ſummum Eccleſiæ, evanuit. *Eremitam* verò interpretatum fuiſſe, lumē illud fuiſſe virginem *Mariam*, quæ tunc venerat, ut ſuum feſtum videret.

Itaque hîc Eremita eſt alter ex tuis Gigantibus (ut dixi) quem adducis in poſtrema acie, ut tibi laboranti ſuppetias ferat, & eſt omninò aliquid: quid enim poſſum hîc reſpondere? dicis, fuiſſe monachum, & quidem ſobrium, quod rarum eſt, ne quis ſuſpicaretur, te iſta audiviſſe ab ebrioſo aliquo aut helluone: adducis diem, imo & horam, addis, ita illum fuiſſe interpretatū, quod lumen longum longitudine 12. pedū, & latitudine 6 ſignificaret, illic divam Virginem eſſe. Et ſiquidem tuo monacho ità libuit interpretari, tibi vero, quod ille interpretaturus eſt, approbare: jam reliqvū eſt, niſi ut omnes ſubmittamus cervices, cedamus, credamus, illam verè fuiſſe *Camerā* divæ Virginis, præſertim vero cum Monachus poſtremum illud addiderit, divam Virginem in lumine illo propterea veniſſe, ut videret ſuum diem feſtum?

Quis autem poſſit dubitare, eam veniſſe ob tam gravem cauſam: non enim facile quis dixerit, quantoperè ſoleat ſuis illis diebus feſtis oblectari & placari. Deinde ex alto illo cœlo non potuiſſet ita ſingula contemplari, itaq; ad ſummum usq; *Eccleſiæ* deſcendit, atque ubi omnia diligenter luſtravit & circumſpexit, evanuit: ſed tamen audi, *Papatus*, unicus mihi hîc reſtat ſcrupulus: nam nihil dubium, quin credā reliqua. Si enim diva Virgo propterea ex ſummo cœlo deſcenderat in forma illius luminis, ut ſuum feſtum videret: cur ante diem deſcendit? Cur non diſtulit profectionem usque ad horam tertiam diei, qua videre potuiſſet totum clerum ſericis atq; aureis veſtibus indutum, cum ſuis crucib9 argenteis, cum vexillis, & cum tam multis cereis accenſis? Deinde frequentiam tot virorum & tot mulierum? deinde tot diverſoria benè inſtructa, tot tabernas, ubi venduntur globuli precari, imagines, ſtatuæ, cerei, tabellæ, quin etiam ut potuiſſet audire Tibicines, atq; etiam Lyriſtas, quib9 feſtum ſolet undiq; ſtrepere, non modo campanarum tinnitu.

Addo etiam, me mirari, cur beata virgò non diſtulerit profectionem ad pomeridianas horas, tunc enim omnes peregrini ſolent

solent esse hilariores, tunc ducuntur pulcherrimæ choreæ, tunc omnia perstrepunt Iocis, cachinnis, amoribus, lætitia, imò sæpè etiam illic itur ad arma, neque est injucundum spectaculum, si hinc cernas 20. aut 30. viros, illinc totidem, qui strictis ensib. congrediantur, & strenuè pugnent ita, ut nonnulli in pugna etiam occumbant, nonnulli vulnerentur, alii fugiant, alii exultent, trucidato hoste & parta victoria. Sentisne, ô Papatus, ut te irrideo atq; exagito, quanquam hîc non ita exclamo contra te, ut alibi? At profectò, cum tam stulta & tam fatua ausus fueris effutire palàm, ut Christi gloriam obrueres, dignissimus es, qui ab omnium vocibus & calamis modò irridearis & exagiteris, modò exclamationibus & omni conviciorum genere obtundaris, nequid dicam durius & odiosius. Ote miserrimum & infelicissimum, primò quidem, quod ad salutem animarum attinet, à qua omninò excidisti, actum, actum de te: deinde quod ad honorem & existimationem, cujus tam magnum fecisti naufragium, & quotidie facis, nec minora te vel pauciora damna & ignominiæ manent his, quas forè 40. annis passus es. *Et* scio, quid affirmem.

Sed prostrato priore tuo *Achille*, nunc invadam alterum, qui hujusmodi est. Ais enim, tibi esse duorum rusticorum præclara testimonia, quibus omnia ea, quæ hactenus recensuisti, queas probare: quorum alteri fingis nomen esse Francisco Priori, alteri Paulo *R*inalducio: itaq; videndum erit, quid dixerint isti duo rustici: quanquam aliud erit priùs dispiciendum, nempè, an fuerint legitimè, atq; ita, ut jura ipsa civilia & canonica jubent, examinati, quod omninò non fuit, nam neque præsente aut jubente magistratu, neque scribente notario, mandata fuerunt literis eorum dicta, verùm solus sacrificulus ea seorsim & privatim scripsit.

Cui verò unquam permissum fuit, ut in sua ipsius causa testes citaret, interrogaret, & verba eorum describeret? Nulli hoc profectò conceditur, quemadmodum nec judicium & sententiam ferre. *Et* quis non videt, sacrificulum illum Lauretanum, cū dicta duorum rusticorum susciperet, id in sua ejus causa fecisse? Quid enim aliud elaborabat, quàm ut suæ rurali parochiæ existimationem præ cæteris augeret, unde cōsequeretur concursus populi, qui oblationes ferret? p. 681. Deinde uterque testis est singularis in suo dicto: nam quod unus ait, non confirmatur ab altero, imò quilibet eorum seorsim aliquid dicit, atq; id valdè diversum.

Quare, cum Christus ipse dicat, veritatem rei apparere, quando a duobus vel tribus eadem res affirmatur, hîc verò vix unicus affirmet, procul dubio nullam fidē merebitur. *A*dde, quòd uterque loquitur non de visu & de vera scientia, sed de auditu: quin uterque dicit, avum avi sui quædam audivisse, nec nominat illum avum avi. Quid enim si is avus avi forsan fuerit, non modo rusticus quispiam rudis & stupidus (hoc enim omninò fuit) sed nebulo aliquis & furcifer, atque ita indignissimus, cujus verbis quis fidem habeat?

Rectè mecum agitur, inquiet *Papatus*, Nam cum tam multa objicias contra personam meorum testium, hoc propterea facis, quia vides, eorum dicta tam gravia, tam vera & tam sancta esse, ut, cum infirmare ea nulla tua astutia & cavillatione possit, invadas in personam. Itane seriò censes, eorum dicta gravia & vera esse? Visne, ut credamus te usq; adeo stupidum & insanum? Sed profecto, quandoquidem, vidente & audiente toto Christiani orbis amphitheatro, tu tam audacter adducis dicta illorum testium, & jubes tam disertè, ut omnes habeant ea pro gravibus, pro veris, pro sanctis, aloquin exurantur, & in profundum inferni detrudantur: necesse est, ut te vel stupidum & insanum affirmemus esse, vel insignem impostorem, veræ doctrinæ Christianæ corruptorem, & gloriæ *D*ei & Christi atrocissimum hostem.

Ac ne diutius moremur, adducamus jam in medium rusticorum attestationes, ut totus orbis eas diligenter respiciat, & summa cum ignominia irrideat atque explodat, & te autorem & defensorem earum unà cum illis multò adhuc magis. *A*lter ergo ex Rusticis ita inquit: (proferam ipsiusmet sacrificuli verba, quæ tu vis pro divinis oraculis haberi) *P*aulus dixit, quòd avus avi sui sibi dixerit, quòd vidit, quando Angeli conduxerunt dictam *E*cclesiam per mare, & collocaverunt in dictâ sylvâ, & plaries ipse cum aliis personis dictam *E*cclesiam visitavit.

Quo pacto queam hic me contineri, quin exclamem, ô cœlum, ô terra, ô maria, ô inferne, qui mendacissimum hunc Papatum expectas, pro dignitate à tuis diabolis cum omnibus suis rasis & unctis tractandum! *A*spice ô cœlum! aspice o terra! aspice o inferne! cum omnibus, qui illic sursum, qui hic in medio, & qui inferiùs degunt: aspice & contemplare, inquam, qualia sint dicta *R*ustici hujus, quæ sacrosanctus Papatus jam dudum obtrusit orbi pro veris, gravibus & sanctis, & quæ nunc tanta tyrannide & crudelitate adhuc audet defendere, in tanta luce *E*vangelii, quæ undiq; erumpit. Proh pudor, quid potuit stultius & putidius dici aut excogitari? nempè rusticum, nescio quem, vidisse *An*gelos bajulantes Ecclesiam ultra mare. At cur non interrogabatur, quot fuissent illi Angeli? Nudine, an vestiti? & quibus vestibus, & quo colore? præsertim an alas habuerint, & quomodo ferrent illā Ecclesiam,

siam, humerisne, ut bajuli solent, an fortè per mare traherent sine ullo navigio, quia su caret?

Proh stultissimum & impudentissimum Papatum, qui isthæc vere deliria ægrotorum proponis credenda. Et profectò si nulla alia essent in te mendacia, nullæ aliæ superstitiones atq; idolomaniæ, quibus ita undiq; scates: tamen ob solam adeò hanc insignem fatuitatem, quam prædicas de Rustico, qui Angelos viderit, ingentem machinam murorum ferentes per dorsum maris, dignissimus esses, quem omnes desererent & exsibilarent, quemadmodum planè desereris & exsibilareris. Sed cum hanc inanissimam fabulam, concinnares aut approbares, nonné tibi veniebat in mentem, fore, ut multi essent ita erga te dicturi?

Quæ prodigia nobis narras de Angelis, muros per aëra portantibus? Putas forsitá, nos esse stipites aut asinos, quibus talia pro veris obtrudas? Sed fac, *Angelos* solitos fuisse videri ab oculis nostris, talia onera vehentes aut bajulantes, quid ais? Unicúsne fuit rustic⁹ in toto orbe, qui eos videre potuerit? *A*, qui non parùm itineris emensi sunt: primùm enim ex Nazareth ad mare, deinde ais, ex littoribus *Asiæ Angelos* illam totam *Cameram* in *Illyriam* detulisse, deinde ex *Illyrico* trans mare Adriaticum in *Picenum* in quandam sylvam, deinde ex sylva in montem duorum fratrũ, postremò ex monte non longè à *Recanato*. Ista certè excedunt tria millia & quingenta milliaria: & cum totus orbis refertus sit tam multis viris, pueris, fœminis, cur nul⁹ alius inventus est, præter *Rusticum* unum, non nauta, non piscator, non pastor, non arator, non venator (omnes enim hi frequentiùs degunt sub dio) qui illud tam magnum monstrum viderit aperto cœlo, & per medium mare divagari?

Quid, inquam, ad istos, qui ita te interrogarent, posses respondere, ô *Papatus*? Quis enim non videt, insigniter mentitum fuisse avum illum, cum diceret, se solum Angelos eos vidisse (si modò unquam dixit) & mentitum Paulum *Rinalducium*, cum diceret) si modò unquam dixit) se ab avo avi ea audivisse, deniq; mentitum fuisse sacrificulum, qui ea scripsit, (si modò & is scripsit) Nam hîc patet esse ingentem fascem mendaciorum, & falsissima esse omnia, præter illud, quòd tu ea pro veris approbasti, hoc unicum certò scimus. *Aut* si fortè posses alicunde (quod tamen non potes) probare, proavum illum aliquid revera dixisse, quod de Camera per mare vecta ab Angelis viderit: ad summum potest tibi concedi, illum rusticum, cum vel ligna secaret, vel boves pasceret in illis montib⁹ Piceni agri, qui imminent mari, vidisse procul navim, quæ passis velis ferretur ad suum iter, itaque existimasse, Cameram esse, quæ ab Angelis albis vestibus indutis veheretur.

Jam ostendi, & quidem paucis, alterum testem planè ridiculum esse atq; falsum. Nunc paucis item ostendam, alterum etiã, nempè Franciscum Priorem, & ridiculum & falsum esse nihilominùs. p. 681.

Quid enim ait? *Avum ejus, qui attigerat annum 120, sæpè invisisse jeam Ecclesiam, quæ nunc Laureti est, cum adhuc ea esset in sylva.* Subsistamus hîc, primùm si peterẽ abs re, *Papatus*, cujus fidei & existimationis fuerit avus ille tam grandævus, quẽ ferunt dixisse (si modò is etiam unquam aliquid hujusmodi dixit) se eandem Ecclesiam alibi vidisse, quid aliud posses respõdere, nisi rusticum aliquem stupidum & delirum decrepitum? Vide igitur, qualem habeas authorem tui mendacii. *Et* si aliud peterem, nempe cur nullus alius ex toto Piceno invent⁹ fuerit, qui ausus fuerit nugari, se eandem *Ecclesiam* alibi aliquando vidisse, quid tum posses respondere?

Certè eo tempore, quo tu dicis, Franciscum hunc dixisse, se ab ejus avo ea audivisse, potuissent multi præterea inveniri, qui dicerent, se à suis avis aut proavis eadẽ sæpè audivisse: sed ideò non sunt inventi alii, qui talia effutirent, quia nemo alius, præter Franciscum illũ, tunc fuit tam perfrictæ frontis, qui falsa voluisset testari. *Et* movet me nonnihil cognomen illud, quod dicis fuisse *Rustico*, id est, quòd alias *Prior* appellaretur: id verò crediderim, eum ex monasterio aliquo, in quo aliquamdiu vixerit, & monachis inservivrit, reportasse. *Ex* qua quidem schola Diaboli cum prodire soleant superstitiosissima ingenia, inprimisq; ad mentiendum instructa: nihil mirum, si ea contagio & in *Rusticum* inde emanârit.

Verùm, si hîc affirmas, eam ipsam *Ecclesiam* aliquando in sylva substitisse, deinde & in monte duorum fratrum: mirum, non inveniri illic vestigia aliqua fundamentorum, aut loci, unde fuerint avulsi. Nam ea longè faciliùs invenire possent post unum seculum, quàm ea, quæ nugaris fuisse quæsita in Judæa post decem aut plura. Quin monuerim, debere te adhuc quærere, num in illa sylva, aut in illo monte reperiri adhuc possent, nam profectò hoc aliquid esset.

Sed quid ago? Proh quàm obliviosus sum, qui moneo, quærenda esse in sylva aut in monte vestigia fundamentorum, quemadmodum in Judæa quæsita sunt, quasi nõ legerim, te sanctè affirmasse, avulsam quidem fuisse ex media Judæa *Ecclesiam* ab *Angelis*, sed fundamenta illic remansisse, & nihilominus molem & machinam illam, etsi nulla haberet fundamenta, à quibus sustentaretur & corroboraretur, potuisse per mare ferri, potuisse in Illyria in sylva, in monte, atq; ubi jam nunc est, pulcherrimè consiste-

consistere,& nullam vim ventorum aut alicujus tempestatis extimuisse.

Irrides me, inquies. Quidni? Quis te nō irrideat,& plane exsibilet? An ita cares comuni sensu,ut existimen.*,tuas istas aniles nugas& imposturas non esse dignas,quæ exagitentur? *S*ed fine,fine,ut adhuc magis innotescant. Nam plurimi sunt, qui eas nondum planè nôrunt, & spero fore, ut à meo hoc scripto benè multi doceantur & tunc videbis, in qua existimatione futurus sis,& quomodo tecum agetur.

In fine totius scripti ita est legere: In fidem præmissorum omnibus denunciatur, totam hanc Scripturam sumtam esse ex originali *A*utentico scripto in dicta Ecclesia sanctæ Mariæ de Laureto. Tu vehementer timebas,ne quis fortè putaret, te nullū autographum habere,unde exemplum hoc descripsisses,quod Latinè & Italicè per totam *E*uropam curas spargendum, & quod audio hoc ipso añō fuisse Venetiis impressum,propterea hîc veluti pro sigillo,& cōfirmatione rerum omnium, quas narrasti, addendum putasti, te habere autographū ipsum,in tua ista Ecclesia servatum. At ego dico,nos agere tibi gratias, quòd palam profitearis,ista, quæ hactenus exagitavi, non fuisse ab uno,aut ab altero ex tuis monachis aut sactificulis superstitiosulis (te invito aut inscio) conficta,& te ea negligere. *S*ed gloriaris,te autographum habere,id est,ipsammet manū sacrificuli, qui omnia ista descripsit, & illud veluti preciosum quendam thesaurum,& rem sanctam summa veneratione servare,eadem scilicet,qua autographum Donationis Constantini in secreta Bibliotheca.

*S*ed per nos quidem licebit, ut serves utrumq;,quanta volueris religione. *C*ertè rem falsissimam & fatuissimam servas,& omninò dignam te,qui totus ex nugis es,ex fabulis,ex mendaciis, ex superstitionibus atq; idolomaniis consutus. Annón videor tibi clara voce loqui? Annón multa etiam adversus tuam istam Lauretanam fabulam dixisse? *S*ed quanquam multa omnino dixerim: tamen multa adhuc supersunt, quæ nunc à me audies non fine magno tuo dolore,tremitu,atq; indignatione.

Cum attentè perquisierim,quónam anno contigerint ista tam multa valdè mirāda,quæ tuus *M*issarius narravit: animadverti,ea anno Domini 1296.(ut tu quidem dicis) contigisse. Tunc enim quidam ille devotus apparitionem vidit in somnis, & jam erat Ecclesia delata,non modò ex Judæa in *I*llyricum,& jam viderat eam *A*ngelis circumdatam Rusticus ille, cum ultra Adriaticum mare veheretur, sed etiam ex sylva in montem, & ex monte ad Recanatum,ita ut res esset passim nota, & tamen affirmes, maximum fuisse populi concursum & frequentiam in illa sylva, deinde in mōte,deinde Recanati,atq; affirmas, simul plurima miracula hîc & illic, fuisse edita.

Eodem verò anno etiam concilium totius *M*archiæ *A*nconitanæ puto fuisse convocatum,destinatosq; 16. *L*egatos: quin eo ipso anno etiam navigasse in Judæam, redisse (nam iter quatuor ut quinq; mensibus solet confici) & renunciasse palàm, se fundamenta invenisse, & literas eas muro inscriptas: res itaque erat notissima & vulgatissima, si tibi velimus credere.

*A*udi itaq;,eo ipso tempore, quo affirmas illa fuisse jam evulgata, fuit in vivis Dantes *A*ligerius, qui natus fuerat anno 1260. mortuus verò 1321. Eodem tempore fuit etiam in vivis Franciscus Petrarcha, qui natus fuerat anno 1304. mortuus verò 1374. Denique eo ipso tempore fuit in vivis Jo. Boccatius, qui natus fuerat anno 1314. mortu9 verò 1372 Hi tres fuerunt Itali (ut omnes nôrunt) & Florentini, maxima laude,maximaq; autoritate viri, quippe qui erant doctissimi & prudentissimi,& omnibus Principibus aliisq; præclaris viris charissimi, cum quibus assiduè versabantur in celebrioribus civitatibus Italiæ, modò *R*omæ,modò Neapoli,modò Bononiæ, Ravennæ, Venetiis, Patavii, Veronæ, Mediolani: hi deniq; plurima scripsêrunt versu & prosa,Italica lingua (in qua fine controversia principes & reliquorū præceptores fuerunt) atque etiam Latina, in qua tamen non usq; adeo felices extiterunt,& quidem magno intervallo.

*A*t in summa,in tam multis eorum scriptis varii generis, nunquam indicium dederunt,ad eorum aures pervenisse,in *M*archia Anconitana,quæ à Florentia & *R*oma non valdè distat (certe vix duorum, aut ad summum trium dierum itinere) mira illa prodigia & miracula visa fuisse,nempe nōnullorum Angelorum,qui visi fuerint, ingentem quandā molem murorum per aëra & per mare bajulasse, & sedecim Legatorum,qui in Orientem fuerint missi, & maximi populorum motus,qui modo in sylvam,modo ad montem,modo ad Recanatum præcipites ruerent: postremo aliquorum,qui à gravissimis morbis & vulneribus, aliisq; ingentibus periculis fuissent apud *I*magunculam quandam liberati. Quarum certe rerum omnium maxime memorabilium,minime sibi temperare tres illi summi viri potuissent,quin alicubi in eorum scriptis disertam mentionem facerent,si modo audivissent,eas ætate sua contigisse.

Imo crediderim, eos non modo versu & prosâ,Italicâ linguâ & Latinâ facturos fuisse earum mentionem, & celebraturos miracula illius seculi,sed se continere etiam non potuisse,quo minus ipsimet, cū nō ita longa abessent, eo accurrerent, & suis ipsimet

ipsimet oculis, quæ audissent ab aliis, intuerentur & admirarentur: & si eò venissent, procul dubio aliquot versus voluissent illic concinnare, ut solent Poëtæ, qui tales occasiones non deserunt, qui versus postea ad nos unà cum aliis eorum tam multis pervenissent: & hi, qui vitam eorum trium virorum tam diligenter scripserunt, id etiam attigissent, nempe Dantem, Petrarchã & Boccatium, rei maximæ novitate permotos, voluisse Lauretanam Ecclesiam, quã ex Judæâ illis diebus sine ullis fundamentis audierant advolasse, invisere, præsertim verò cum vita Petrarchæ fuerit descripta à viro, qui omnia ejus dicta, facta, & cogitationes; etiam habebat compertissimas. quippe qui cum eo in extrema parte ætatis familiarissimè & conjunctissimè apud principes Carrarienses vixerit, nempe à me illo Petro Paulo Vergerio Justinopolitano, quẽ postea in ea Petrarchæ vita describenda secutus est Hieronymus Squarzaficus Alexandrinus.

Quid jam sentis, Papatus? Annón hoc meum putas maximum esse argumentum, cum dico, Dantem, Petrarcham, & Boccatium eodem illo tempore in vivis fuisse, quo tu dicis monstra & prodigia illa Lauretana contigisse, ac eos nihil horum unquam audivisse: ergò falsum esse, quod tu dicis? Respondebis dissimulando & cavillando, (ut tuus est mox) & dices, non esse mirum, si earum rerum nullam mentionem fecerint eò, quòd nulla ipsis obtigit occasio, neque soliti fuerint tales materias, quæ ad Religionem attinent, tractare, cum Theologi non fuerint: sed potiùs amores & fabulas, ut Poëtæ solent. Quare audi, quod tibi ad hæc sum responsurus.

Dantes scripsit plurimis Carminibus Italicis de Paradiso, de Purgatorio, & de inferno. Quæro ergò abs te an materiæ de primatu, de purgatorio, de inferno, & de paradiso, videantur tibi Theologicæ esse? & an Dantes, cum eas tractaverit, potuisset opportunè aliquid inserere de Angelis, qui cum alioquin sint invisibiles, tamen tunc visi fuerint ferentes Ecclesiam per tam longa itinera maritima & terrestria? Nisi fortè velis dicere, Dantem Rom. sedem usque ideò reverenter coluisse, ut nihil quod illa aliquando probasset, putaverit esse reprehendendum. Quod si diceres, possem tibi respondere, illum virum magnâ ex parte agnovisse eam ipsam veritatem, quam nos profitemur, & istam tuam urbem & sedem unà nobiscum putasse Babylonem ipsissimam esse illam, cujus meminit Evangelista in Apocalypsi. Audi, num ita revera existimaverit?

Nel' inferno nel canto XIX.

Di voi pastor s' accorse il Vangelista,
Quando colei, che siede sopra l' acq;,
Puttaneggiar con regi à lui fu vista:
Quella, che con le sette teste nacq;,
Et da le dieci corna hebbe argomento,
Fin che virtute al suo marito piacq;,
Fatto vi havete Dio d' oro & d' argento,
Et che altr' é da voi al idolatre
Se non ch' egli un, & voi n' orate cento?

Hoc de verbo ad verbum ita sonant Latinè.

De vobis pastor intellexit Evangelista,
Quando illa, quæ sedet super aquas,
Fornicari cum Regibus ab illo fuit visa: p. 684.
Illa, quæ cum septem capitibus nata est,
Et à decem cornibus habuit audaciam,
Donec virtus suo marito placuit.
Fecistis vobis Deum ex auro & argento,
Et quid interest inter vos & Idolatras,
Nisi, quòd illi unum, & vos oratis centum?

Ac non modò hoc sensit, & multis aliis in locis te mirificè exagitavit, sed & disertissimè perhibet, Imperium non pendere ab Ecclesia: quin omnibus Ecclesiis Imperatorem præesse, etiam Romanæ. Quod dogma Marsilius Patavinus eodem tempore in eo libro, cui titulus defensor Pacis, diligentissimè asseverat, neq; id Dantes affirmavit obiter paucis verbis, sed edito libro, cui titulum fecit Monarchia, cujus meminit Bartholus in L. Divi. §. præsides. ff. de requiren. reis, ubi addit, Dantem ipsum propter eum librum fuisse post mortẽ pro Hæretico condemnatum. Quin etiam Archiepiscopus Mediolanensis Arcimboldus ejusdemet libri in catalogo hæreticorum, quem nuper adornavit, meminit, & prohibet, ne quis eum legat: & satis imprudenter, cum liber ipse nondum sit impressus, & paucissimi sint, qui illum habeant. Imprimetur tamen brevi, ne dubita.

Sed ad Petrarcham. Is fuit Archidiaconus Parmæ, deinde etiam Canonicus Patavinus: Benedictus verò XII. voluit eum Cardinalem creare, si modò sororem suam elegentissima forma adolescentulam, quã ille Antichristus deperibat, pati voluisset ab ipso constuprari: à quo abhorruit bonus Petrarcha, dixitq; sibi non esse opus tam fœdo galero. Girardus tamen, ejus frater, avaritia & ambitione impulsus, sororem Benedicto stuprandam adduxit. Sed cum ex sceleratissimo lenocinio vidisset se non potuisse id consequi, quod speraverat: desperatione doctus, non quidem suspendit se, ut Judas, sed non longè abfuit à tali infamia, nam repentè factus est Monachus Cartusianus. Hoc enim genus & infame est apud omnes bonos viros (quemadmodum & reliqui monachi) & seipsos conficiunt, si non statim laqueo, tamen paulatim superstitiosa quadam & perpetua abstinentia carnium, solitudine & melancholia.

Nec

Lauretum est, erat ei scribendum: certum est, *Monachum quendam Dominicanum*, nempe Leandrum *Alcerti* Bononien: in eo libro, cui titulum fecit, descriptio Italiæ occasione hujus fluvii ingressum esse ad scribendum multa valde putida de tuo isto Idolo mendacia: nam id defendendum suscepit (si Deo placet) & Julius III. approbavit, nec puduit.

Verum de *Italico* quodam Boccatji libro loquamur, id est, de eo, quem Decameronem vel principem Galeotum appellat, in quo centum partim fabulas, partim historias narrat. *Certe* hic tanta est rerum varietas, ut nulla sit materia magna vel parva, sacra vel prophana, de qua non quiverit sibi commodissime nancisci occasionem de ea loquendi, quantum voluisset, præsertim vero cum fuerit eo ingenio, ut semper quæsierit occasionem, quo pacto irrideret & traduceret & ineptias & *Idolo*manias regni tui, *&* inveheretur in mores rasorum, unctorum, & totius Romanæ curiæ. Vide, qua dexteritate in prima ad eo fabula exagitet tuam confessionem auricularem, qua soles dicere homines salvari ex opere operato, deinde tuos istos, quos soles *Sanctos* appellare. Ostendit enim, eos esse meros hypocritas: postremo istos tuos tam anxios populorum concursus ad ipsa Hypocritarum cadavera & simul tabellas, cereos, vestos, quæ circum eorum sepulchra stulte affinguntur, quod ante duos ãños Venetjis contigit, cũ improbissimi & avarissimi illi ligni pedes incolẽtes lustra illa, quæ S. Francisci à Vinea vocant, propinassent adorandum popello cadaver cujuspiam superstitiosuli *&* plane stulti monachi Matthæi.

Deinde vide in fabula sancti *Arigonis* Taurvisini, quam caute & salse irrideat te, quin soles affirmare, campanas in morte alicujus ex his, quos tu vis pro sanctis haberi, nemine funes trahente, sua sponte sonare. Quin vide, ut illic patefaciat imposturam eorum, qui ducunt, se, cum essent omnibus membris debilitati, fuisse ab imaguncula aliqua vel contactu cadaveris alicujus hypocritæ sanatos. Vide præterea, quid de tuo purgatorio, ut aperte docet in fabula Ferondi, illud fuisse invectum imposturis, quibus monachi ludificarunt miseram plebeculam. De inquisitioribus vero tuis, proh bone Deus, quam turpia & flagitiosa narrat: rem acu tetigit, cum dicit, ipsos solere à febribus cupiditatis & avaritiæ, quibus torquentur, sanari abdomine & unctione sancti Joannis illius, cui cognomen est Os aureum.

Deniq; in totum tuum regnum hypocritarum, totamq; Rom. curiam in toto illo libro invehitur solidissimis verbis, ut nec Lutherus, nec Clvinus liberius invecti sint: & mirandum profecto est, te Buccatium illum adhuc vivum in ardentes rogos (ut soles eos, qui abs te dissentiunt, & qui te reprehendunt) non projecisse: sed audivimus, te ante paucos annos de eo libro vetando, in consistorio apud purpuratos Patres, accusante quodam monacho concionatore, egisse: hinc scilicet auspicandam putasti tuorum errorum emendationem. Et tu putas talem virum tam magno judicio atq; ita liberum & acrem in dicendo, potuisse se continere, quo minus te suo illo modo irrideret, si animadverte potuisset, populum eo tempore cœpisse accurrere, ut videret quosdam muros ab *Angelis* delatos, *&* te talem imposturam fovere & approbare? *Erras* vehementer, si ita credis.

Vide (obsecro) in fabula Lisetæ illius Venetæ, ex familia Quirinorum, quam dextre patefecerit, quales esse soleant Angeli illi, quos tu dicis & vulgus credit, humana forma nostra ætate circumvolare & vagari huc *&* illuc, modo huic, modo illi apparere. *Et* vide etiam in fabula *Cepolæ*, qua dexteritate derideat famosam illam imposturam de stigmatibus Francisci. *Cum* enim fama sit, *Angelum* ex ordine Seraphinorum humana forma Francisco apparuisse, *&* quinque stigmata semotis arbitris illi infixisse: Boccatius inquit, capillos illius Angeli fuisse servatos inter sacras reliquias. Quid vero putemus eum fuisse scripturum, si quid audivisset sua ætate narrari populo de quibusdam Angelis, qui ex Judæa usq; attulissent vel vexissent in Italiam ingentem nescio quam Cameram? p. 616.

Verum audi ô Papitus, nunc ego hoc tecum ago, an verisimile sit, *Dantem*, Petrarcham, Boccatium audivisse, quod eorum ætete omnia ea, quæ de negocio Lauretano tu affirmas, contigerint. Itaq; expiscare aliorum hac de re judicia, eorum inprimis, qui in illis tribus autoribus diutissime *&* magna diligentia sunt versati ita, ut in Italica lingua atq; eloquentia magnopere profecerint, & sunt nostra hac felici ætate (non tamen pro te felici) bene multi, Mula, Venerius, *Gabriel*, Badoerus, Canalis (hi Veneti sunt, & quidem ex patricio genere, & aliqui eorum in maxima existimatione, præsertim Mula, vir omni virtutum genere ornatissimus, qui nuper tanta cum laude Legatione apud Cæsarem functus est) Beazanus, Manutius, *Picolomeneus*, Varchus, Carus, *Castellus*, Brazetus, Danielus, Iesualdus, Citolinus, *Casa*, *Aleamanus*, Tolomæus, Donus, *Cesanus*, *Rusbellus*, & eius antigonista Dulcis, *Gel*lus, Iambularus, *Pigna*, Contilis, Petrus, Mutius, Moles, Dominici, *Bini*, Spina, Anguillara, Tassus, *Besalius*, Sansovinus, Coccins, Mozarellus, Paraboscus, Bentius, Capilupus, *Crivellus*, Constantius, *Amaltheus*, Opherus.

Hos, inquam, vel jube convenire, vel si mavis, seorsim interroga, in hunc fere modum: Quandoquidem scio, vos magna solicitudine versatos esse in illo triumviratu Dantis, Petrarchæ, & Boccatii & nosse eorum intimos sensus, imo aliquot vestrum fere eundem spiritum hausisse, aut in eorum personas esse (ut ita dixerim) transformatos: eho dicite mihi, putatisne, eos potuisse aut voluisse committere, quo minus ea de re aliquid vel ad laudem vel ad dedecus scripsissent: si tunc audivissent, Angelos per tam multa maritima & terrestria itinera integram Ecclesiam adduxisse? Deinde etiam hoc obiter ab illis quære: Nunc accusor, quod Lauretanum hoc negocium foveo & tueor: videte, quid adversum nobis scripserit quispiam, qui olim noster erat, & nunc transfuga est: & diligenter cogitate, possetisne vestra me eloquentia & Rhetorica defendere?

Sic (inquam) age cum illis, & videbis quid ad hæc sint responsuri: certe non debes dubitare, illos non syncere & amanter tecum acturos. Scimus enim, te nihil sinistri de his (uno atque altero exceptis) suspicari, ut de multis literatis soles, sed habere eos pro fidelissimis & iis, qui ad unguem obediant tuis doctrinis, ceremoniis, & moribus, atq; utinam tales non essent, sed cum tam multa præclara dona ingenii, doctrinæ atq; eloquentiæ à Deo Opt. Max. sint consecuti, ea converterent ad defensionem ejusmet & doctrinæ, quam ipse è sinu suo una cum Christo terris immisit, atq; ad eius laudem & gloriam amplificandam. Quod profecto facerent, & abs te, qui diversa & contraria in Ecclesias invexisti, & quotidie invehis, repente desciscerent, si unum hoc, quod nunc attingam, possent percipere.

Putant enim (nec male quidem, mea sententia) oportere eum, qui velit recte, proprie, & cum dignitate & laude Italica lingua uti, versari in illis tribus autoribus, & ab eorum imitatione non discere: missos autem facere alios, nescio quos, posteriores, qui aliam Orthographiam, aliam quandam Grammaticam, aliosq; modos dicendi barbaros & ineptos voluerunt docere. Itaq; eadem prorsus ratione deberent sibi persuadere, oportere eum, qui velit Christiane, pie & sancte vitam instituere, in ipsis fontibus Evangelii versari, & in ipsa Christi imitatione: missos autem facere posteriores quosdam vere barbaros & impuros tuos autores, qui novam & diversam ab ea, quam Christus tradidit, doctrinam, ceremonias & ritus somniarunt, & docuerunt.

Hic, hic est status celeberrimæ causæ, quæ hac ætate de religione controvertitur. Retinemus enim magna constantia in nostris Ecclesiis prorsus omnia vetera illa fundamenta, quæ Apostoli docuerunt, ea scilicet, quæ sunt in symbolis Apostolorum, Niceni Concilii, & Anathanasii comprehensa: te vero paparum hoc nomine reprehendimus, quod plurima dogmata & somnia aut deliria quædã invexisti, quæ ex diametro pugnant cum doctrina Prophetarum, Christi & Apostolorum, & Dei gloriam vehementissime obscurant. Et si quidem hoc tam magnum scelus & nefandum sacrilegium patrasses: nonne dignissimus esses, qui ab omnium hominum & nationum linguis & calamis exagitareris.

Si vero dixeris, non commisi hoc tantum crimen: cur ergo refugis liberum concilium? cur negasti audientiam legatis aliquorum principum Germaniæ, qui erant Tridentum missis? cur non pateris, rem ventilari, atq; tuos ritus & doctrinas ad normam Evangelii exigi? Cur prohibes tanta crudelitate, ne quis legat nostros libros, in quibus exactæ sunt tuæ doctrinæ ad illum veluti Lydium lapidem? Cur in carcerem conjicis? Cur in exilium mittis? Cur ad remos relegas? imo cur interficis & exuris eos, qui cupiunt tua dogmata ad normam illam sacrosanctam Evangelii exacta?

Quid enim aliud dicebat se optare & petere ille sanctus martyr Jesu Christi, Franciscus Gambus Brixiensis, quam tu vix ante mensem novo atque inaudito quodam crudelitatis genere mactasti Comicum perpetua eius civitatis (alioquin bonæ, & non mediocris nominis) infamia? Neq; n. satis putasti, si vel laqueo gulam fregisses, vel caput truncasses, aut exussisses, sed omnia simul hæc tria supplicia crudelissime in unum hominem cumulasti. Utinam omnia hæc, utinam isti tui, quos nominavi, ingenio, eloquentia, & eruditione insignes diligenter aliquando expenderent, neq; ita semper ex te penderent & in humanis atq; ethnicis autoribus versarentur, sed se ad divinos aliquando, id est, ad sacra Biblia converterent, & Spiritum sanctum loquentem vellent audire.

Sed ad institutum redeo. Quid ajebas paulo ante? nihil mirum, si Dantes, Petrarcha, & Boccatius de negocio Lauretano, quod eorum tempore contigit, nullam mentionem fecerunt ideo, quod non fuit illis oblata occasio, & minime tractarunt materias Ecclesiasticas, cum Theologi non fuerint, nonne ita dicebas? Sed quid, si ostendam: non multo post eorum tempora fuisse Theologum quendam, & quidem Monachum insignem, imo & Archiepiscopum, qui Chronicon summa diligentia scripserit, habueritq; occasiones plurimas, & tamen illorum Angelorum, illius Cameræ atq; idoli nunquam meminerit? Hoc faciam profecto, tu modo attente legas. p. 687

Anno Domini 1459. fuit in vivis illa tua tam fidelis & usq; adeo obnoxia tibi creatura Antonius Archiepiscop. Florentinus ex secta Dominicana, superstitiosissimus omni-

omnium, qui unquam fuerunt in illa superstitiosissima secta, aut quavis alia, sed itidem diligentissimus scriptor, hunc quidem non potes dicere Theologum non fuisse: inter alia vero scripsit historiam seu Chronicon laboriosissimum, in tres partes divisum, ab Adamo usq; ad nostra tempora: majore vero diligentia, quam reliqua omnia, videtur suscepisse describenda ea, quæ ad religionem pertinebant, & centum aut ducentis annis ante se contigerat. Itaque incipiens ab anno 1200. in titulo 23. & 24. & à suo Dominico, forsitan centum folijs monacho acciderunt, & simul miracula, quæ vivus & mortuus edidit, & eius etiam canonizationem.

Deinde aggreditur Thomam de Aquino, Vincentium, & Jordanum, monachos, quos item appellat sanctos, affirmatq;, eos etiam multa miracula, tum vivos, tum mortuos edidisse. Mox ingreditur ad explicandas res gestas Francisci Ascissiani, plenoq; ore buccinat de quinq; ejus stigmatis, & de subligaculis, quæ sæpe solerent fœdari eo sanguine, qui ex lateri profluebat, ita est, de sanctis illis subligaculis non pauca recitat, & sunt in tuo Breviario repetita. Postea annectit stigmata Catharinæ Senensis, vitam Antonii Hispani itidem monachi, quem de Padua vocant, illius, qui solitus erat piscibus (si Deo placet) prædicare, sicut Franciscus aviculis. Deinde vitam Bernardini Senensis & Claræ, & cujusdam Brigidæ, atq; ejus revelationes. In summa, bonus ille Antonin⁹ nihil prætermittit, quod non scripserit summa diligentia, ex his, quæ ipse potuit scire, centum illis aut ducentis annis ante se contigisse. Quare peto abs te, Papatus, an tu putes, cum in sua historia aut Chronicis non facturum fuisse mentionem de Angelis, qui Ecclesiam quandam ex Judæa in Illyricum usq; detulissent, deinde ex Illyrico in Picenum in quandam sylvam, & ex monte prope Recanatum sine ullis fundamentis tanta dexteritate illic collocasset, ubi nunc est, ut nihilominus pulchre posse consistere, si modo aliquid hujusmodi legere aut audire suo tempore potuisset? Responde: putasne, inquam, Antonium, qui de stigmatibus & subligaculis Francisci, & de nescio quib. mulierculis Catharina, Clara, & Brigida tam anxie locutus est, si qui audjisset de stupendissimo, & nunquam antea in ulla ætate audito miraculo, nempe quod Angeli detulerint per aëra quendam veluti montem lapidum, & si suo tempore vidisset, populos cœpisse jam ad illam Ecclesiam peregrinationes instituere? putasne, inquam (quod tam sæpe cogor petere) hoc illum in sua historia prætermissurum?

Sentisne (Papatus) vim mei argumenti? aut forsitan ita es stupidus & fascinatus, ut non percipias, me velle affirmare, si Antonius monachus superstitiosissimus, sed diligens tamen in tota sua historia nullum unquam verbum attigit de Angelis & de Camera illa, hoc esse certissimum argumentum, cum nullam unquam papyrum vidisse, in qua aliquid hujusmodi fuerit scriptum, ac ne audivisse quidem tanta de re ullum unquam verbum. Quamobrem adduxi tibi Theologum, adduxi Historiographum, adduxi hominem, qui miras occasiones habuit de illis Angelis scribendi, si quid scivisset, qui tamen nihil attigit. Sed hic aliud addam majoris adhuc ponderis.

Eodem tempore, quo Antonius scripsit, aut paulo post, vixit Vincentius monachus Hispanus, ex eadem secta, quem tu sanctum appellas ita, ut jam non sit integrum tibi eius autoritatem respuere. Is itaque cum scripserit aliquot sermones de sanctis, qui in Hispania, in Gallia & in Italia sunt impressi, & maguo in honore & precio habentur à tuis, in eo sermone, qui est de assumtione Virginis, ita scribit: Homines & mulieres peregrinando frangunt sibi collum, & efficiuntur pejores, quia aliquando vadunt castæ, & redeunt meretrices. Ideo spiritualiter fiat peregrinatio, sicut dicit Paulus: Spiritu vivimus, ambulemus. Hodie & quolibet die potestis ire in Nazareth ad Cameram, ubi filius Dei fuit incarnatus, & sic de aljis locis.

Percipisne, Papatus, quorsum hæc tibi adduco, an vis, ut clarius exprimam? Lubens faciam, ut etiam pueri me intelligant (ubi igitur de tuo honore & existimatione) cum tibi usq; adeo bene velim. Primum itaq; tuus Vincentius eos reprehendens, qui solent proficisci ad istas, quas tu tantopere laudas & meritorias appellas, pereprinationes, ait: viros mulieres cum in illis versantur, præcipitare se, & pejores evadere: mox subjungit, peregrinationes spiritu oportere fieri, ut docet Apostolus, qui ait: Spiritu vivimus, spiritu ambulemus.

Quis videtur nunc tibi tuus Vincentius? Nonne hoc, quod ille tam diserte affirmat, idem illud est, quod nos, qui abs te Lutherani & Heretici vocamur (sed magna injuria) solemus dicere de istis tuis peregrinationibus? Mirum itaque, te potuisse pati, Monachum tuum, & quidem ex tam chara secta, hoc literis mandasse. Quin peto abs te, quo pacto possis eum habere pro sancto, cum tuas peregrinationes tam aperte damnet & contemnat, & quidem omes: nam ubi mentionem fecit de Camera, in qua nat⁹ fuit filius Dei, statim subjungit: ET SIC DE ALIIS LOCIS?

Sed ponderemus reliqua verba, addit Vincentius iste tuus, quod suo tempore Camera illa, in qua filius Dei nostram carnem primum induit, erat Nazarethi. Audis hoc

p. 686. hoc verbum? non dicit Recanati, sed affirmat, adhuc fuisse Nazarethi illam Cameram, cum ipse illa scriberet, abhinc centum fere annis. Necesse est, me talia sæpe inculcare, quandoquidem rudis es nec libenter nec facile soles percipere ea, quæ tibi displicent. Itaq; moneo te, ut diligenter hæc consideres. Nam cum tu velis affirmare Cameram illam fuisse ab Angelis in Italiam ex Nazaretho delatam multo ante tempora Vincentii: Vicentius pernegat, & diserte dicit, suo tempore illam Cameram fuisse Nazarethi. Responde, & utrique simul responde, tuo Antonino, qui clarissime indicat, se ante centum annos nullum ea de re verbum audivisse, & tuo Vincentio, qui fere eodem tempore disertissime affirmat, eam Cameram tunc Nazarethi fuisse. Sed quid potes aliud respondere, nisi, istum tuum sacrificulum Lauretanum insigniter atq; impudentissime fuisse mentitum, & te sacrosanctum Paparum; qui te jactas non posse errare, una cum illo nebulone etiam mentiri; cum illum approbes?

Jam vides papatus, jam sentis, quibus vulneribus te tuosq; Achilles, quibus tantopere fidebat, confecerim: vides, te una cum illis prostratum, & omnibus armis; quin & omnibus vestimentis, quibus regebaris, exutum atq; nudatum. Quid jam facies, aut dices? Certe omnes nunc tua pudenda conspiciunt, & te suavissime derident. Scio, quid sis dicturus; novi ingenium, novi mores tuos. Nam cum excesserim quinquagesimum annum; per quadraginta duos tecum conjunctissime & amantissime vixi (quia eram cœcus) dices, me negare omnipotentiam Dei; cum nego potuisse contingere ea, quæ tu de Angelis Cameram bajulantibus affirmas, deinde addes, me esse hominem immodestum, & nunc famosum libellum contra te scribere nec decere in causa Christiana uti hujus modi asperitate atq; invectivis. Itaq; respondebo ad hæc duo, deinde finem faciam.

Primo quod ad omnipotentiam Dei attinet, absit, ut eam ullo modo velimus negare, ea est comprehensa in Symbolo, quod Apostolorum appellant, eos vero articulos omnes constantissime & reverenter recipimus & tuemur. Sed cum videamur, omnipotentem illum Deum & patrem nostrum clarissime patefecisse in Scripturis æternam eius doctrinam & voluntatem; huic inhæremus, hanc complectimur atq; exosculamur, conamurq; juxta hujus methodum aut regulam omnem vitam instituere: nullius vero hominis quantumvis magni autoritate aut vi, ac ne Angelorum quidem, sinimus nos inde avelli & abduci.

Cum deinde in ipsis Scripturis videamus planissime expressum, Iesum Christum Apostolis dixisse, euntes prædicate Evangelium omni creaturæ, id est, bona illa nuncia de redemtione electorum per sacrificium mei sanguinis & mortis meæ. Item dixisse, sicut pater misit me, ita ego mitto vos, id est, ad docendam spiritualem illam & internam doctrinam, quam à me audivistis. Præterea cum clare videam 9. ipsos Apostolos omnino eam ipsam, quam à Christo acceperant, docuisse, & veluti consignasse posteris (legantur eorum epistolæ, in quibus nihil carnale; sed spiritualia & interna omnia) cum; inquam, clarissime perspiciamus, hæc omnia ita se habere; non possumus nobis persuadere, Apostolos fuisse versatos in extruendis materialibus Ecclesiis, aut in illis consecrandis, neq; in affingendis imaginibus & statuis, & illis in templis collocandis, ac neq; in celebrandis divinis officiis (ut tu soles dicere; cum loqueris de tuis missis & breviariis) quæ quidem omnia neq; congruunt cum doctrina & sensu Christi (imo pugnant ex diametro) neq; cum humanis quidem Historiis, quippe quæ multis in locis indicant, multo post Apostolorum ætatem, cum jam fervor veræ pietatis cœpisset desinere, translatum fuisse ex Veteri Testamento ritum dedicandorum templorum, & invectum fuisse usum imaginum & statuarum, atq; celebrandarum Missarum.

Et si forsitan velles dicere, Papatus, quandoquidem Deus omnipotens est, saltem fieri potuit, quòd illa domus aut Camera non fuerit eversa, aut incensa etiam, si integri pagi, oppida atque urbes totius Judææ eversæ fuerunt, & fieri etiam potuit, quod Angeli illi eam toties huc atque illuc transtulerint: si, inquam, hoc velles dicere, tunc ego te ita interrogarem: Si ostendi tibi; nullo modo credendum esse, Apostolos manū admovisse illis superstitionibus & nugis, quas tu affirmas; quia egissent prorsꝰ cōtra doctrinā & voluntatē Dei & Christi, quorsum voluissent Angeli subire tantum laboris & totam illam machinam circumferre per Judæam, per Illyricum, & per Italiam, si eam Apostoli non consecrassent, neq; ullam imaginem à se factam in ea collocassent? Pulchre enim consequitur, si falsa sunt (ut proculdubio sunt) ista, quæ tuus Missator de Apostolis narrat, falsissimum esse oportet etiam illud nempe, quod muri illi fuerint ex Judæa in Italiam ab Angelis delati.

Scimus quidem, tuum hunc esse morem, ut multa tibi confingas, quæ omnino adversantur æternæ Dei voluntati; atq; ideo vera esse nullo modo possunt: tu tamen vis affirmare, esse vera, quia Deus sit omnipotens, & potuerit ea fecisse. At nos tibi dicimus, eam omnipotentiam oderari, ut ita dicam ab eius voluntate, quæ est in sacris literis comprehensa, aliter frustra ipse suo Spiritu impulisset Prophetas, Evangelistas atq; Apostolos, qui literis mandarent & docerent, quænam sit eius doctrina & voluntas

luntas, si in nostro arbitrio & potestate situm esse voluisset, ut quotidie res novas, atq; eas cum eius voluntate pugnantes nobis confingeremus, deinde vera esse contenderemus, quia Deus est omnipotens.

Sed venio ad id, quod dicebas, me famosum libellum nunc adversum te scribere. Famosi libelli hi appellantur, qui, suppresso nomine aut etiam palam addito, in vitam & in mores alicujus scribuntur, de quo alioquin omnes boni bene sentiant; præsertim vero si falsa crimina objiciantur & ille, qui objiciat, sit primus autor infamiæ. Nam si ego norim publicum latronem, parricidam atq; hostem patriæ exultantem, furentem, & a sceleribus non desistentem; atq; hunc latronem, parricidam, & hostem patriæ in meo aliquo scripto appellaverim, nemo jure dixerit, famosum libellum esse editum, propterea quod verissima scripserim, neq; ego infamiæ autor fuerim, sed ille se suis facinoribus infamem reddiderit. Quamobrem, cum hæc ita se habeant, nemo jam est, qui non videat, nec meos neq; alterius, qui in eodem genere versatur, libros, famosos posse appellari.

p. 689. Nam longe lateq; jam patet tua infamia non quidem falso, sed tuis scelestissimis factis excitata, deinde multorum piorum & doctorum virorum scriptis & autoritate exagitata atq; aucta. Quanquam me non puderet, si hoc Dominus Deus meus mihi dedisset, ut unus ex præcipuis autoribus tuæ istius infamiæ una cum Luthero atque aliis servis Jesu Christi esse potuissem. Sed obsecro, cum tu me atq; alios meos commilitones & fratres, qui adversus te pugnamus, immodestos, quia te reprehendimus, appellas! nonne te pudet?

Foves enim apertissimos errores in tuis synagogis (ita enim verius dixerim, quam Ecclesiis) defendis turpissimas Idolomanias, & conspurcas totam doctrinam & gloriam Dei & Domini nostri Jesu Christi, nullo non sæviens crudelitatis genere, carceribus, triremibus, exiliis, ferro, laqueis, rogis! & quia nos te hoc nomine a Deo inflammari reprehendimus, tu nos audes appellare immodestos, & vitæ nostræ struis insidias, scilicet nos erimus immodesti & mali viri, qui tuas imposturas tuamq; crudelitatem reprehendimus: tu vero modestus eris & bonus, qui imposturas doces, & crudelitatem exerces. Sed cum nos appellas immodestos, quia causæ, quæ est non humana, sed Jesu Christi, necessitas nos cogit, ut te aliquando durioribus verbis excipiamus: annon tibi venit in mentem, qua modestia & mansuetudine verborum nos omnes exceperis ante tres vel quatuor annos? Recognosce nunc ea, hic enim subjiciuntur aliquot.

Tuus Julius III. edita bulla aut brevi (ut appellant) disertissime approbavit, & summis laudibus commendavit librum Venetiis nuper impressum apud Gabrielem Jolitum, ub hæc habentur: Considera in illis (loqueris de omnibus Germanis, qui Evangelio nomen dederunt) contemtum matris Dei, Sanctorum, Templorum, Sacerdotii, sacramentorum, & rerum omnium sacrarum, rapinas bonorum Ecclesiarum, impudicitiam vitæ eorum actæ in hypocaustis, intra vinum, stupra, adulteria, & sacrilegia patrata in tot virginibus consecratis Deo, cornua Christo eorum sponsa affigentes. Tune ergo audes Papatus accusare nos immodestiæ? Sed quid potest ad tuam istam maledicam procacitatem, imo rabiem addi? Nec eo contentus fuisti.

Nam universam nationem, adque adeo ipsum Regem Romanorum, ipsos imperii electores voluisti falsissime & impudentissime accusare, & dilacerare, his nempe verbis: Barbara Germaniæ natio non satis sibi esse putavit, quod in præjudicium Italiæ usurpaverit sibi dignitatem Imperii, invida, quod vicariatus Christi apud nos sit, ut nos omni gloria atq; omni bono privet, ingressa est in hanc phrenesin atq; rebellionem. Proh quam putida probra & convitia hic evomuisti, sancte Papatus, qui vis alios accusare immodestiæ: numeremus ea, tu inclytam nationem Germaniæ nunc appellasti rebellem, phreneticam; invidam; usurpatricem Imperii, & barbaram, his scilicet armis pugnas contra absentes, contra præsentes vero igne, gladio, cruce. Vide igitur, quam sis modestus.

Dixerit hic mihi aliquis ex mediis quadam classe (ut ita dicam) qui sunt nostra ætate plurimi, id est, qui neq; omnino audent probare Papisticas idolomanias, neq; tamen veritatem Evangelii aperte volunt complecti: & propterea medios quosdam & neutrales appello, Scriptura tepidos vocat. Dixerit ergo aliquis ex his vel tepidis vel neutralibus vel mediis: Quicquid Papatus agat, deceret vos sedatius & moderatius hanc causam agere, & parcere aliquando durioribus quibusdam atq; odiosis verbis. His itaq; respondeo, nos procul dubio longe moderatius agere, quam Papatus agat. Neq; enim quis unquam legit in nostris libris talia convitia & probra, & tales verborum lanienas, & quidem sine sale, quales nunc ostendi Papatum evomere solere: & quod majus est, nemo videt, nos ferro, crucibus, & rogis grassari & debacchari in suos, ut Papatus facit in nostros.

Licet enim suis accedere ad ea loca, ubi sunt nostræ Ecclesiæ, versari tuò, mercaturam exercere, aut quicquid illis libitum est, loqui, quæ voluerint, circumferre, venales habere & legere, quos libros voluerint,

rint, neq; unquam aliquid molestiæ à nobis sentiunt, quin amice eos excipimus & tractamus, sinimusq; in eorum patrias redire. Quare certum est, nos moderate & Christiane agere, quod an papatus faciat, omnes jam norunt. Si vero interim, dum de hac causa scribimus, impulsi à zelo Dei, aliquando utimur aliquibus verbis paulo liberioribus, hoc profecto jure optimo facimus, neq; enim Papatus suis mendaciis falsisq; cultibus læsit tantum privatos & publicos homines, neq; hic agitur de honore & de opibus hujus mundi, quæ si amittuntur, haud multum interest, sed Papatus suis illis pessimis artibus afficit injuria Deum patrem, filium eius Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum sanctum. Itaque qui vere amat patrem illum, filium illum Spiritum illum sanctum, quia sentit eum in se operantem, non potest se continere, quin velit, quantum potest, eum ab injuria vindicare, & qui se continet, profecto non amat.

Deinde hoc æstimare hic est operæ precium, non enim nunc primum incipimus clamare, & Papatum accusare, non sunt niva, neq; ita parva vulnera illius, ut possimus ea vel dissimulare vel unguentis & unctionibus quibusdam leviculis paulatim delinire & curare. Iam præteriere duo integra secula, quibus aliquot filii Dei & membra Christi instituerunt easdem accusationes & querelas, sed Papatus loco emendationis, quotquot potuit comprehendere ex illis fratribus nostris, qui emendationem & curationem Ecclesiarum magna humilitate petebant, conjecit in ignē crudelissime & tyrannice: est enim passim nota hostoria de Joanne Husfio, & de Hieronymo Pragense (ut duos postremos nominem) qui fuerunt in concilio Constantiensi, & contra fidem datam summa tyrannide exusti & martyrio coronati.

Post quæ tempora cum Deus maiores faces Evangelij accendisset, majoremq; Spiritus mensuram multis fuisset elargitus, rursus easdem accusationes & querelas instituimus, & simul rogavimus, supplicavimus, adjuravimus Papatum ipsum, ut, rejectis doctrinis pugnantibus cum verbo Dei, vellet eas tandem aliquando complecti, quæ conformes sunt huic divino verbo. Sed quid profecimus? surdo scilicet fabulam. Continuit enim aures suas, ut olim veteres illi Pharisæi ad verba Apostolorum: sed eo tandem illum adegimus, ut aliquando disertissimis verbis fassus fuerit, nomen Christi esse oblitum, Ecclesiamq; suam gravissimis morbis ad desperationem fere salutis laborare.

Ita enim clarissima voce testati sunt novem illi viri delecti, inter quos fuit Card. Polus quem non pudet nunc tanta contentione & rabie, nempe libris editis, & legationibus, & curfitationibus velle ad huc tueri eam Ecclesiam, in qua fassus est Christum non adesse, sed traditum esse oblivioni. Sed quanquam ita plane Papatus confessus fuerit, extorquente eam confessionem Deo, ut cum tanto justius damnaret, & toti orbi deridendum propinaret, tantum tamen abest, ut curationem ullam voluerit unquam admittere, ut etiam majore furore ac insania cœperit in nostros grassari & debacchari. Nam ubicunq; illi in tota Europa per principes licuit, instituit crudelissimam illam inquisitionem & carnificinam, qua vix 50. annorum spacio, partim ense, partim laqueis, partim aquis, partim carceribus & inedia trucidavit & consumsit non pauciores, quam centum quinquaginta millia nostrum fratrum, neq; adhuc definitur, ut omittam eos, qui fuerunt in exilium electi, bonis omnibus spoliati, ad negandum Christum compulsi, & omni contumeliæ genere affecti ita, ut, si conferas crudelitatem & tyrannidem istorum Rom. Pharisæorum, ea major futura sit, quam ullius Neronis, Domitiani, aut Caligulæ: vix enim hi tantum Christiani sanguinis profunderut.

p. 690. Neq; contenti illa inquisitorum carnificina, qua nihil unquam vidit terrarum orbis truculentius, atq; ubi magis odium Diaboli adversus Christum exarserit, colligere suos exercitus voluerunt, & inflammare aliquorum Principum animos, ut suos itidem colligerent, itaq; aggressi Germaniam funderunt sanguinem filiorum Dei, incenderunt ædes, pagos, oppida, civitates, quotquot potuerunt, & provincias vastarunt & exterminarunt, quantum item potuerunt, omnia certe vastaturi & exterminaturi, si illis licuisset. Potestne hæc negare Papatus? Annon omnium oculi conspicere potuerunt exercitum eius, qui, Alexandro Farnesio Card. Octavio eius fratre duce Parmensi, ducibus, anno Domini 1546. ex Italia in Germaniam ingressus est, quo tempore jactabant Farnesius ille, se tantum sanguinis Germanorum fusurum, ut in eo possit eius equus natare.

Quin adhuc non desinunt (ut dixit) furere: nihil enim aliud agunt, nihil meditantur aliud, quam quibus artibus Cæsarem, & alios Principes ad arma contra Christianos sumenda queant iterum concitare, & eos delere, si modo possint. Huc spectant omnes eorum tam crebræ legationes, huc omnes practicæ, huc omnia consilia, hoc inprimis nunc agit viva voce in sua legatione Cardinalis Polus, qui idem egerat ante aliquot annos edito libro illo suo pro Antichristi defensione (quem nos nunc excudimus cum antidotis) Cæsarem enim ex bello contra Turcas suscepto tunc revocabat, ut semen Turcicum, adulterinum & pestiferum (ita enim in suo libro vera

verbum Dei appellat vir ille, qui vult interim pius haberi) ex Germania atq; Anglia evelleret, & gladio mulctaret eos, qui eo semine delectarentur.

Quòd si aliquando præclarus is Papatus cum suis pharisæis, qui ita perfrictæ frontis est, ut cum ipse sit totus furor & rabies, totusq; sanguis & totus ignis, tamen nos appellat immodestos, instituere aliquando Concilium voluit: certè ita hac in re se gessit, ut eo ipso non minorem injuriam atque ignominiam intulerit omnibus bonis & Deo, & Christo, & Spiritui sancto, quàm inquisitorum carnificinis & instructissimis suis copiis. Quod enim potuit unquã excogitari genus imposturæ, fraudis & insidiarum, quo ille non sit illic usus, ut suam posset autoritatem existimationemq; conservare & constabilire, Christi verò imminuere, imò extirpare?

Alibi explicavimus omnia ista, itaq; nõ sunt hîc iterum ingerenda. Sed dicam in summa, istos medios, neutrales, ac tepidos parum considerate nos monere, dum monent, ut tibi parcamus. Papatus cum usque adeò sis sanguinarius & pertinax, ut in tuis erroribus, inq; tua crudelitate & tyrannide omninò statueris velle sordescere. Ac non modò inconsideratè ita nos monent, qui monent, sed nefariè & impiè, & contra id, quod Spiritus sanctus jubet ita enim jubet, audiant hæc verba isti belli nostri monitores, & tu cum illis diligenter audi Papatus: nam ubi hæc recitavero, finẽ faciam: Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera ejus, in poculo, quo miscuit vobis, miscere ille duplum: quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentũ & luctũ.

Quid sibi volunt hæc postrema, date illi tormentum & luctum? Certè non puto, Spiritum sanctum velle hîc dicere, ne desistite clamare, monere Papatum, si fortè possitis illi persuadere, ut cogitet de se curando & corrigendo: non hoc, non hoc Spiritus sanctus, sed potiùs ita, reddite Papatui, sicut reddidit vobis: clamate, urgete, detis illi tormentum & luctum, ut se conficiat dolore, dum ego illum perdam & funditus extirpem: nam actum est de eo, nulla est spes, posse eum resipiscere & convalescere.

69. Idem. Patrum nostrorum memoria, Cardinalis quidam, Venetus, è Pisana familia, inter reliquas suas interiores & reconditas literas, duos libellos sepositos habuit: variis obscœnis picturis, & detestandis nefariarũ libidinum simulachris refertos. Extabant in eorum altero complures viri cum muliere concubitus formæ, omnis turpitudinis & fœditatis plenæ, atque à natura prorsus alienæ: in altero execrabilis illius Veneris, quam (quia Sodomitis familiarẽ fuisse constat) Sodomiticam appellant, dissimiles, summaq; varietate distincti modi expressi videbantur. Hic, quem dixi, Cardinalis, propter flagitia, & simultates, nescio quas, ab Urbinatum Duce confossus interiit.

Ibi tunc, post ejus obitum excussa libraria supellectile, quam domi suæ instructam habuerat, alter è duobus illis veneris libellis repertus, tempore Papæ Julii secundi Romæ typis in lucem evulgatus: denique Pontificatum gerente Adriano sexto, publicè divenditus distractusq; fuit. Eum Prieras Silvester, Monachus Dominicanus, & Pontificiæ aulæ Comes Palatinus, qui censor eo tempore in libellos Papæ adversarios animadvertere solebat, censoria notatione judicioq; approbavit: addita subscriptione, se palã testificari, Libellũ hunc, quia nihil habeat, quod S. Romanæ Ecclesiæ fidei, vel bonis moribus sit contrarium, aut aliquam hæresin redoleat, dignum esse, qui lucem videat.

Idem in Catalogi Hæreticorum Romæ conflati annotationibus, pag. 7. Paulus III anno virginei partus 1548. pridie Cal. Sept. tres in Germaniam Episcopos, qui novâ quadam legatione fungerentur, misit: hi fuerunt Fanensis, Veronensis, & Ferentinus, titulus legationis erat: Pro reductione multorum populorum Germanicæ nationis, qui ab unitate Ecclesiæ se separaverũt. Magnam ergò hi Germaniæ partem lustrantes, offerebant conditiones iis, qui reduci, & Papatui rursus inseri vellent. Conditiones erant paucæ quædam, eæq; perridiculæ.

Quòd scilicet gratis absoluturi essent à pœnis, quas gravissimas fuissent omnes commeriti: maximè illi, qui cum uncti fuissent, uxores tamen duxissent: quibus tamen ipsis veniam quoque essent daturi, dum verâ & non simulata pœnitentiã humiliter postulassent recipi ad orthodoxã fidem, rejectis & expulsis tamen priùs uxoribus, sic de facto sibi conjunctis & copulatis (sunt verba ex ipsa bullâ.) Quòd essent concessuri, ut Quadragesimalibus aliisq; anni temporibus & diebus, quibus esus ovorum & carnium aliâs esset prohibitus, butyro caseo, & aliis lacticiniis, insuper dictis ovis & carnibus (adhuc sunt verba bullæ) uti & vesci liceret. Quod essent numerum dierum Festorum aliquantulum diminuturi. Quòd permissuri, ut possent Cœnam Domini integram sumere, & postremò non exiguam liberalitatem (de alieno tamen) pollicebantur his, qui Ecclesiarum vel mobilia vel immobilia bono possiderent, transigendo scilicet cum illis & donando aliquam partem.

Hæ in summâ erant cõditiones. At cũ anxiè plurimis eas obtulissẽt, diuq; in Germaniã hæsissent: tandem qui reduci voluissent, inventus est nemo: imò cum risui & ludibrio

omnibus fuissent, Romam magnâ cum ignominiâ exibilati reverterunt.

Idem. *Qvum* scelestissimus nebulo, *Petrus Aloysius, Pauli* nothus, exercitus Romani primarium ducem agens, Fanum appulisset: ibiq; *Cosmum* Cherium, ejusdem urbis episcopum, qui tricesimum annum excesserat, summâ prudentiâ, summâ eruditione, summaq; pietate virum invenisset: illi per vim ferinâ quadam, imò diabolica rabie, stuprum intulit hoc modo: *Usus est* opera suorum, qui illum distinerēt, donec perpetraret hoc nefandissimum ac teterrimum post orbem conditum scelus. Quod quidem facinus misero illic sic doluisse ac displicuisse ferunt: ut præ mœrore & indignitate sit triduo pòst mortuus. Non desunt tamen, qui venenum ei datum ab illo fuisse putent, ne flagitium illud tam impetuosum ad Cæsarem deferret. Quoniam in acerbissimo suo dolore imprudenter effutiverat, se ad ipsum *Cæsarem* iturum, conquestum de tam atroci injuriâ. Cum sorore sua, & noverca Constancia (quoniam & pater ab illa non abstinebat) consuetudinem habuisse frequentē hic Petrus dicitur.

Ibidem pag. 25. Annón hanc quoq; adducit Antichristus causam, quamobrem nolit serenissimum Ferdinandum pro *Cæsare* agnoscere: quod scilicet, cum superiore anno Francfordiæ declararetur *Cæsar*, inter fuerint tres *Electores* Laici, quos ipse non censet ampliùs pro *Electoribus* habendos, cum Lutheranismum Ecclesiæ *Romanæ* præferant? Non est dubium, quin hoc jactet, ut neque dubium est, quin ista jactantia, impudentia, atque tyrannis corruitura sit propediem, impellente spiritu oris Dei.

Idem. Paulus 3. Alexander Farnesius antea dictus, Episcopus dum esse Hostiensis & *Cardinalis* cuperet, hac arte usus est: sororem habuit Juliam Farnesiam formosissimam: quam cum bellator ille Julius secundus *Pp.* vehementissime deperiret, neq; spes esset, parentibus eandem solicitè admodum observantibus, optatis amplexib9 frui posse: Paulum hunc ita expugnavit, ut facienti sororis copiam *Cardinalitium* galerum polliceretur: sicq; Paulus hic suam sororem Julio 2. tunc pontifici nefariè prostituit, & incestum lenocinium faciens *Cardinalis* creatus est.

Idem Vergerius in annotationibus ad Catalogum hæreticorum. Vix ulla fuit unquam crassior fabula, & nocentior Ecclesiæ Dei impostura, quàm quæ de stigmatibus Franciscanis *Papistæ*, ut adimerent Christo gloriam, confinxerunt: hanc ut magis exornarent commendarentq;, in quodam libello, qui *Italica* lingua per *Italiam* circumfertur, cui est titulus Flosculi sancti Francisci, affirmare blasphemi homines non sunt veriti, Franciscum fuisse alterum Christum, qui stigmatibus sibi ab *Angelo* quodam in quadam solitudine impressis, semotis arbitris (nemo enim fuit, qui ea unquam viderit: & tanta est Papistarum cæcitas, tantus furor, ut ea divinis honoribus colant) possit servare à morte æterna viros, qui vixerunt à tempore Franciscani usq; ad finem mundi. Ajunt enim, Christum illos duntaxat servare, qui fuissent usq; ad tempora Francisci: deinde addunt, Virgiginem filii Dei matrem, merito suæ virginitatis servasse mulieres, quæ vixeruntusq; ad tempora cujuspiam *Claræ* monialis, Francisci contemporaneæ, quam, quòd eā Papæ canonizarint (ut vocant) sanctam appellant: Claram vero ejusdem virginitatis merito, in suo ipsius corpore renovatæ (sic nugantur) eas servasse, quæ essent usque ad finem mundi adhuc futuræ.

Ibidem. Johannes Casa Archiepiscopus *Beneventanus*, in tota Venetorum ditione *Pauli III.* Papæ Legatus, conscripsit ejus mandato primum Catalogum eorum, qui à Papa pro hæreticis habentur. Is autem, cum esset non inelegans poëta, versus quoque *Italicos* quosdā ediderat, apud Trajanum Navium Typographum Venetiis impressos in quibus celebravit laudes (oro, boni cōsule pie lector: tametsi, quod aures tuas merito offendet, audies) celebravit inquam (invitus recito, iterum oro, ut ignoscas) laudes vitii pessimi illo tempore, æditis suo nomine carminibus, aut certè tunc primùm innotescere & conspici cœptis: in quibus homo sanctus semel atque iterum affirmare non exhorruit, id esse divinum opus & divinam artem, seque ea mirum in modum, imo ea sola delectari.

Hunc impurissimum sathanicumq; *Archiepiscopum* Paulus 4. victus importunitate mea & exprobratione, quod talia mōstra pro judicibus ecclesiis obtrudantur, tandem condemnavit. Verùm quid? inseruit hunc exsecrandissimi illius poëmatis autorem in eo ipso *Catalogo*, in quo doctrinæ filii Dei propugnatores recensentur. *Sicut* enim *Antichristus*, horribile illud atq; abominabile scelus eodem loco & numero habendum esse, quo cœlestis, quā profitemur, doctrina.

Ibidem. Locus absurdus & enormis in blasphemo hoc Catalogo est. *Paulus 3.* ex omni *Episcoporum* & Cardinalium numero novem delegit, quibus gravissimis verbis mandavit, ut Ecclesiæ morbos accuratè circumspicerent, & nulla aut ipsius Papæ, aut cujusquam alterius habita ratione, sibi demonstrarent: jurejurando eos obstringens, addita etiam excōmunicationis pœna, hac ut magno silentio rem agerent. *Quocirca* deliberatione habitò, libello cōprehen-

hendenunt morbos nonnullos, sed ex levioribus: neq; enim ad vivum, hoc est, ad corruptas speciatim doctrinas manus admoverunt, tametsi usi fuerint aliquando verbis paulò liberioribus. Scripserunt enim:

Ecclesiam Christi jam pridem collapsam esse apud eos,

Papas coacervare ad desidera sua magistros prurientes auribus: non scilicet ab illis ut discant, quod facere ipsos conveniat, sed ut illorum studio & calliditate ratio ineatur, quà breviter quodlibet liceat.

Per eosdem *Papas Cardinales* atq; *Episcopos* blasphemari nomen Christi inter gentes.

Indignissimè atq; impiissimè facere eos, qui prætextu potestatis clavium pecuniam emungeant, contra apertissimum Christi mandatum: Gratis accepistis, gratis date.

Ordinationes clericorum, Presbyterorum præsertim, fieri apud illos incredibili negligentia: atq; ordinari improbos rudesq; asinos.

Exerceri nundinationes Sacerdotiorum sive beneficiorum, omnino Simoniacas ac flagitiosissimas.

Cardinales æstuare ambitione atq; avaritiâ, ambire à regibus & *Principibus Episcopatus*, alere factiones, bella serere.

Episcopus creari nullâ neq; eruditione neque vitæ honestate commendabiles, ut qui, desertis atque contemtis Ecclesiis, ovibusque Christi sibi commissis, huc illuc otiose per luxum vagentur.

Poenitentiariam atque Datariam (sic enim vocant) sceleratissimum quenq; clericum, eundemq; nebulonem, pecuniâ præstitâ, absolvere, atque ordinarii juris dictione eximere.

In monasteriis tam virorum quàm mulierum horrenda fieri flagitia: quo in loco etiam de pueris (proh pudor) qui apud monachos degunt, fit mentio, quos Theatinus ex illis fornicibus summovendos ipse censuit.

Urbem Romam refertam esse mulieribus impudicis atq; scortis, quæ vestitu omniq; apparatu cætero nihil differant à matronis honestis, quæq;, dum per mediam urbem mulis vehuntur, sectatores habeant in luce mediâ primi nominis Cardinalium familiares atq; domesticos.

Vigere in urbe odia & factiones: Christi nomen jam è cordibus hominum, quàm operibus eorum abolitum esse.

Hunc ergò libellum ipsi delecti Cardinales atq; Episcopi Paulo 3. obtulerunt, qui in summâ nihil emendavit prorsus unquã, ut fuit revera omnis correctionis impatiens, si quis unquam Paparum fuit. Quid enim Ecclesiam emendaret homo Epicureus? Accidit, ut libellus, licet Pontifex totum illud negotium arcanum (ut dixi) esse voluisset, opera tamen Nicolai Archiepiscopi Capuani; postea Cardinalis facti, natione Bohemi, astutissimi monachi, qui illud consilium irridebat, in Germaniam emanârit, de quo statim Lutherus primùm deinde Joan. Sturmius scripsit, deinde ego quoque non semel, & alii etiam.

Cum ergò Paulus 3. sensisset, sibi ac suæ Romanæ synagogæ inflicta esse atq; infligi cotidie ex isto libello vulnera non levia, propter liberiores scilicet illas, quas recitavi, voces & confessiones; hunc quoq; libellum (si Deo placet) projecit nunc inter eos, quos velit à nemine deinceps legi, hoc est, inter hæreticos. Sed quod caput est, & pluris quàm omnia, ipsemet Paulus 3. fuit unus ex præcipuis, qui concinnârunt & dictârunt libellum. Quis non stomachetur? Quis non horrescat? cum tantam insolentiam, tantam tyrannidem audiat? haud dubiè putat, omnes nos caudices esse aut stipites, qui ista non fuissemus intellecturi & evulgaturi, fortassis etiam in omnem posteritatem, ad gloriam Dei, & ad perpetuam ipsius Antichristi infamiam. p. 693.

Sed quis possit satis mirari etiam confidentiam & impudentiam illam incomparabilem. Cum enim in suum Catalogum legationem, de quâ suprà dixi, retulerit, & centum gravamina, deinde etiam consilium delectorum Cardinalium; sibi constanter persvasit, fore, ut nemo deinceps ausurus esset legere, imò ut crederetur, omnia fuisse à nostratibus conficta, hoc speravit veterator. At legatio, & centum gravamina sunt in Archivis sacri Romani Imperii inserta, inde (si quis dubitaverit) cognoscere licebit, an sint à nostratibus conficta. Consilium verò de emendandâ Ecclesiâ; cum anno 1538. prodiisset, semper deinde in manibus omnium & in luce versatum est, multorum telis undiq; impetitum (ut dixi) & nemo interea unquam vel somniavit, esse à nostris confictum.

Quin cum Sturmius de eo scripsisset, & modo ad Sadoletum, modò ad Contarenũ Cardinalem, qui fuerunt ex autoribus, oratione conversã petiisset, quam ob causam non graviora Papæ petenti commonstrassent: cur non responderunt ipsi, aut quispiam alius ex tam multis propugnatoribus Papisticis: nescimus (Sturmi) quid dicas, nos nullum libellum Papæ dedimus in hoc genere, vide ne tibi finxeris?

Dicam ampliùs. D. Brentius in prolegomenis prudenter exprobrat Asoto astruenti, Romæ esse perpetuam successionem Apostolorum, ex eodem libello verba non pauca, & tamen tantum abest, ut Asotus (qui est rerum Papisticarum non imperitus: nam diu Romæ, diu apud Card. Dilingensem substitit) neget, eum libellum fuisse mandato Papæ ab his (quos dixi) conscriptum, ut etiam disertissimis verbis cõfirmet;

simet, reverâ scriptum fuisse, & ab illo testimonium petat, & audire quidem est operæ precium, quid de eo dicat. Hæc ergò sunt Asoti: delecti Cardinales à Paulo 3. ad consultandum de Rom. Curia & Ecclesiâ emendandâ, liberâ & sincerâ veritate, prout sibi injunctum fatentur, significant ei gravissimos morbos, quibus jam pridē Ecclesia, & præsertim Romana curia laborât.

Annon mendacii suum Papam convincit, qui audet negare, illum libellum Romæ, Paulo 3. mandante, à se atq; aliis quibusdam delectis Cardinalibus, & prælatis fuisse conscriptū & propterea condemnat? Nam cur alioqui condemnaret, & ne legeretur prohiberet? Sed quale testimonium Asotus ex eo petat, hoc quoq; videamus. Ait: Spiritum, qui in prophetis fuit, cum arguerent vitia populi & Sacerdotum, & dicerent: à plantâ pedis usq; ad verticem non est sanitas: eundem se in his Cardinalibus & prælatis agnoscere, quare lætandū esse, quòd Romæ sit verus sensus malorum, nec desint viri gementes & dolentes super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Hæc Asotus. Ad quæ primùm respondeo, me non negare, quin Romæ (ut etiam in totâ Italiâ) non sint nonnulli, qui & bene de nostrâ doctrinâ sentiant: & ingemiscant, quòd videant, Papas non desinere eam persequi: sed horum dolores & gemitus comprimuntur atq; devorantur, & nequaquam literis mandantur. Non enim audent.

Tales verò dolores & gemitus, quales in istis delectis Cardinalibus atque Episcopis legimus, qui scilicet conscribuntur, ajo esse simulatos atq; hypocriticos, quod ex eo apparet: quod nihil unquam emendant, imò in deterius proficiunt: licet aliquando fateantur, Domino cogente, & eas confessiones extorquente, in ipsorum infamiā atq; perniciē, opus esse emendatione. Sunt enim ex eo genere, de quo inquit filius Dei, dicunt & non faciunt. Quæro ab Asoto: si quis in adulterio, & in pessimo fœnoris genere exercendo vitam duceret, accusaret tamen se apud homines aliquando, quòd pessimè agat, quòd velit ex teterrimis illis peccatis atq; cœno emergere, nec emergeret tamen unquam, sed in eisdem pertinacissimè hæreret, an is habere verum sensum peccati, verum gemitum & dolorem dicendus esset? Nihil certè minùs. Nam qui verè gemit, & peccatum sentit, à peccato regnante discedit tamen aliquando. Quod si minimè discedat, simulatum atque hypocriticum illius dolorem & gemitum esse, quis non intelligat?

Deinde alio modo respondeo: Si Asotus lætabatur, apparere in illo libello aliquem sensum malorum, veros gemitus & dolores super abominationibus: desinat nunc lætari, necesse est, cum suum idolum, suus Papa pronunciârit, libellum esse à nobis confictum. Negat ergo, in se fuisse ullū unquam sensum peccati: negat ingemuisse & doluisse. Sed valeat Papa cum suâ negatione impudentissimâ: & Asotus cum suâ Sophisticâ, & cum suâ adulatione: quā nō puduit illum dicere, eundem esse spiritum Romæ in illis delectis Cardinalibus, qui in Prophetis fuit, scilicet, ô gravem exploratorem spirituum?

Ibidem, Johannes Boccatius, patria Florentinus, diem suum obivit anno 1313. Sepulta tunc jacuisse bonarum literarum studia, nemo ignorat: & nihilominùs tanta fuit Boccatiani ingenii vis atque præstantia, ut in eruditissimum summumq; virum evaserit. Is multa Latinè, multa Italicè scripsit, verùm non pari felicitate. Nam ut in solutâ oratione Italicâ palmam tulit, & eodem in precio habetur, quo apud Latinos Cicero, apud Græcos Demosthenes: ita in latinis parùm omnino felix fuit. Inter alia Italica scripsit librum, cui dedit titulum Decameron, quod decem diebus narrentur centum partim historiæ, partim parabolæ aut fabulæ. Hunc ergo Papa nunc primùm inter Lutheranos libros connumeravit, non sine magno (ut spero) renascentis per Italiam purioris doctrinæ fructu, Deo ita mentem Antichristi obcæcāte. p. 494

Cum enim tota Italica nunc sit plus, quàm dici possit, eloquentiæ suæ linguæ dedita, ut permulti magnam sibi gloriam inde comparârint: tota nunc adversus Papam accensa est. Cumq; non possit ferre, eripi sibi tam excellentem magistrum: plurimi sunt, qui noluerint è manibꝰ eum deponere: neq; illis suorum Principum, puta Venetorum, Ferrariensis, Florentini, Mantuani, Vrbinatis, & Parmensis Ducis tutela (quod ad Boccatium saltem attinet) atque patrocinium (ut audivimus) deest. At quod caput est, qui adhuc ignorant statum hujus causæ, & quænam ea sint, quæ nos in Romanâ Ecclesia reprehendamus, hac oblata occasione, id haud dubiè intellecturi sunt. Neque enim deesse puto, qui dextrè submoneant: cur Boccatius ex improviso sit à Papa proscriptus ceu hæreticus. Quare hæc futura est quædam veluti prædicatio, quâ nonnulli ad cognoscendam veritatem excitentur, mirabili Dei consilio. Hæc autem sunt, quæ Papa in Boccatio ferre non potest.

Statim in primâ fabulâ falsè ridet, & quidem summâ dexteritate, sanctos papisticos, qui scilicet per hypocrisin venantur sanctitatis opinionem: cum aliquando sint omnium mortalium nequissimi: tidet, quòd ad eorum sepulchra afferantur postea tabellæ, statuæ, & candelæ, pro acceptis beneficiis. Est enim reverâ merus paganismus, Antè omnia eorum apud Deū quā

quâ Papistæ tantòperè delectantur, intercessionem ridet, cum ait: nihil referre, fuerintné reverâ boni & sancti viri, an fortasse maximi nebulones hi, quorum opem atq; intercessionem apud Deum imploramus. Respicere enim Deum ad bonam intentionem, & nihil eum facere, si erramus in cognoscendâ ejus voluntate atq; doctrina. Ubi rursus taxat Papistas, quorum hæc est perpetua oratio: nihil scilicet referre, si ignoremus, quod filius Dei docuerit, licere verò nobis alios cultus fingere pro arbitrio.

Inducit Monachum, qui dicat: *Papas*, Cardinales & Episcopos non pervenire ad salutem per doctrinam istam, quam palàm videmus eos servare, sed aliam habere penes se, quam clanculum observent, neq; aliis facilè communicant. Quid potuit veriùs dici, eos per istam, quæ palàm illis est in usu, non posse servari? quam scilicet Boccatius quoque visus est novisse, eamq; non nisi fucum & umbram esse.

Alium inducit monachum, qui mirè exagitat reliquias, ut appellant: Ait enim, se attulisse ex *Oriente* nonnihil ex sono Campanarum, quæ erant in templo Salomonis. Deinde, ut ementita Francisci stigmata perstringeret: inducit eundem monachum, qui pro concione dicat: *Angelo Seraphino* excidisse capillos aliquot, cum Franciscano apparuisset stigmata impressurus, quare se illos capillos quoq; habere penes se inter alias reliquias. Quis non videt, quorsum componat sonum campanarum cum stigmatibus Francisci, & cum capillis Angeli? Nimirum quia, ut nullus fuit in templo *Salomonis* campanarum usus, qui admodum recens est: ita fabulosa quoq; sint, quæ de angelo *Seraphino*, quòd scilicet Francisco Christi vulnera impresserit, credit *Romanensis* Ecclesia.

Alibi narrat fabulam de Abbate: qui cum maritum rusticæ cujuspiam mulieris, cujus amore erat aptus, detinuisset aliquãdiu in obscurissimo carcere, cum tandem emitteret, persuaserat illi, quòd in purgatorio fuisset, ubi de Missis, de pane & vino, quod pro mortuis offertur, & de candelis, quæ ad missas accenduntur, falsissima quædam recitantur, ut qui fabulam illam attentè legat (si non sit ineptus) facilè videat, *Boccatium* voluisse declarare, quibus artibus monachi invexerint, confirmârintque opinionem de purgatorio.

Hæc & complura alia *Boccatius*, sed mistâ (ut dixi) dexteritate (aliud enim agere videtur) ita, ut nulla unquam fuerit vel levis de eo suspicio, quòd à Romana *Ecclesia* dissenserit, ut revera dissentit. Sed cum animadvertisset, hominum gustû, propter febrim & phrenesin (quâ laborant) præposterarum doctrinarum atq; falsarum, esse corruptum, atq; iccirco abhorrere eos à veritate imbibenda, utpote amara, ut quidem solet esse carnalibus: Boccatius addendum putavit mel fabularum, ut amarore nonnihil mitigato alliceret lectores ad bibendum, ut vetus ille poëta cecinit:

Ac veluti pueris, absynthia tetra medentes
Cum dare conantur priùs ora & pocula circũ
Aspirant dulci mellis flavoq; liquore.

Ibidem. *Dantes Aliger*, etiam Florentinus patria, ferè cõtemporaneus Joan. Boccatii, summus *Philosophus*, summusq; Theologus, Italicè multa, paucissima latinè scripsit, vix libellum de monarchia. Cum enim in ea tempora incidisset, quibus Ludovicus Bavarus Cæsar à nonnullis Papis per plurimos años durissimè vexabatur, quòd se & Romanum Imperium illis subjicere recusasset, arrepto calamo, liberè, quid de eo sentiret, testatum reliquit, quod etiam *Marsilius Patavinus* fecit eodem tempore, scripto libro, cui dedit titulum defensor pacis: quin & Petrarcha aliquid de eo, in quadam ad Nicolaum Laurentii *Epistola*, qui se Tribunum *Augustum* appellitavit: ac non modò Dantes, *Marsilius*, & Petrarcha: sed Guilhelmus Occam quoque (is Franciscanus fuit, sed acerrimus Scoti impugnator) scripsit contra hunc Joan. Papam, Ludovici hostem, vehementem librũ, in quo de paupertate Christi & Apostolorum agit. p. 695.

Jam Dantes articulos tres disputat: Nũ sit è re Christiani orbis, ut unus existat justus *Imperator* & Monarchia? Num officium atq; honor imperii & *Monarchiæ* de jure sit penes populum *Romanum*? Num Monarchia atq; Imperium pendeat à Papa atque ex Romana Ecclesia? Definit autem partim Philosophicis, partim ex sacris literis petitis argumentis, è re Christiani orbis esse, unum existere justum Imperatorẽ, officium Monarchiæ penes populum Rom. esse. Denique imperium immediatè à Deo, & nequaquam à *Papa* vel à *Romana* Ecclesia pendere. *Atque* hoc est, quod Papam pessimè habet. Nam imperium à se pendere, & sibi omninò subesse, affirmat, & propterea nunc cum Ferdinando *Cæsare* injustissimè litigat, ut nondum voluerit eum pro Cæsare agnoscere. Cum enim Carolus Quintus Cæsar in manibus amplissimorũ septem virorum aut *Electorum* Imperium resignavit: ait papa, debuisse eum in suis manibus resignare, quare addit: *Aut* Ferdinandus à me acceptam ferat dignitatem (non enim recuso dare) aut non sum illum pro Cæsare habiturus.

Hoc etiam in libello Dantes aliquoties Rom. *Pontificem* cum toto ipsius grege pro dignitate accipit. *Ait* enim, eum esse veræ Theologiæ rudem, ut decretalista, non Theologus dicendus sit: ait, ambitionem

nem & avaritiam extinxisse in illis rationis lumen ut nil sit ipsis impudentius: ait, quòd, cum sint iniquitatis & diaboli filii, jactent se ecclesiæ *Dei* filios: qui (ut commodiùs queant perficere, quæcunq; libido suggerit) opprimant matrem, ejiciant fratres, nec possint judicem pati. Quid potest de illis veriùs dici? quid magis opposité? Oppresserunt enim eam *Ecclesiam*, quam nobis filius *Dei* ceu matrem dedit, exturbant & projiciunt non modò in exilia, sed in ignes quoq; eos, qui veram matrem sublevatam, atque in pristinam dignitatem restitutam volunt. *Deniq;* ajunt, se velle, ut solis sibi liceat omnes Ecclesias, omnem religionem pro suâ libidine judicare: se autem minimè posse judicari à quopiam mortalium.

Quare nonnulla sanè præclara attigit Dantes, quanquam nonnulla etiam insunt in quibus apparet, illum nondum satis fuisse verâ fide & *Spiritu Dei* illustratum in omnibus articulis cognoscendis, utinam in nostra tempora, atq; in hanc divinæ doctrinæ lucem incidisset excellens illud ingenium. Hujus libelli mentionem facit *Barthol.* in L. Divi. §. præsides. ff. de requirendis reis: ubi inquit, eum ferè damnatum fuisse hæreseos post autoris mortem.

Hunc ante 60. annos in *Italicam* linguā convertit Marsilius Ficinus, magna eruditione atq; autoritate vir: cujus versionem habeo. Illud est certum, nunquam fuisse typis excusum, & apud paucissimas reperiri: ego non sine difficultate potui adipisci. Et nihilominùs usq; adeò metuunt sibi Papæ ab isto libello, qui nondum prodiit: ut eum in quatuor Catalogis semper condemnârint. Satis de Dante, quæ fortassis non erāt omnibus obvia, ut pauci intelligere potuissent, quid condemnârit Papa, cum illius Monarchiam condemnavit.

Ibidem. *Adrianus* Papa VI. Flandrus, Episcopo *Aprutino*, suo ad Noribergensia Comitia internuncio formulam actionis dederat, in quâ nonnulla fuerunt non inepta, neque impia: Ajebat enim, se scire, in illa *Rom.* sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, & omnia esse in perversum mutata (sunt verba ex ipsâ formulâ) deinde addebat, non mirum esse, si ægritudo à capite in membra, à summis pontificibus in alios inferiores prælatos descenderit: omnes prælatos Ecclesiasticos declinasse unumquemque in vias suas, nec fuisse unū qui faceret bonum. *Et* paulò pòst: se omné operam adhibiturum, ut primùm *Rom. Curia* (unde nimirum omne malum processisset) reformetur: ut, sicut inde corruptio in omnes inferiores emanârit: ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Hæc quoque sunt ex formulâ. Postremò etiam hæc: mirari neminem debere, si non statim omnia errata & abusus emendatos viderint. Nimium enim inveteratum esse morbum: nec simplicem, sed varium & multiplicem.

Internuncius ubi omnia hæc in frequentibus comitiis clarâ voce pronunciasset, ipsam actionis formulam protulit, deditq; Sacri Imperii principibus: ad quam illicò responderunt, se permagnâ lætitiâ affici: quòd tandem unum ex omnibus Papis audiant, qui voluerit fateri, plurimis annis graviter multisque modis peccatum esse Romæ, & inde à Pontificio culmine malorum omnium lucem ad inferiores omnes Ecclesiarum præfectos defluxisse: neminem esse, qui suum faciat munus; aberrasse omnes: & ne unum quidem ex omni numero culpâ vacare: & inprimis illud gratum erat, quòd polliceretur, se velle errores atq; vitia tollere.

Repetierunt (inquam) *Principes* ex instructione verba aliquot, non modò sensum, tam præclaram confessionem gratanter accipientes atq; exosculantes. Postea addiderunt, multa reverâ gravamina & incommoda nationi *Germanicæ* à Curiâ *Romanâ* illata fuisse (sunt ipsamet Principū verba) Ad hæc internuncius (ejus quoque verba recitare operæ pretium est) si in aliquibus Germani populi sunt à curiâ Romanâ gravati, illud declarent: nam semper *Apostolica* sedes, quæ est mater piissima omnium oppressorum, parata erit illos sublevare, ac pro viribus juvare & tueri. Quare *Principes* ab internuncio provocati atq; invitati, centum illa (quæ passim extant) gravamina protulerunt, petieruntque, ut ea *Romam* secum afferret. Contigit hoc anno Domini 1522.

Cum ergò *Pontifices*, qui *Adriano* successerunt, iniquissimo animo tulissent, quòd is in *Actionis* formulâ de Rom. Ecclesia ea, quæ suprà recitavimus, confessus fuerit: quòd per legatum petierit, ut proferrentur gravamina: cumq; nihil minùs cogitent, quàm errores atq; vitia emendare: nihil minùs, quàm oppressam tam indignis modis Germaniam & reliquas provincias sublevare: imò velint in pristinâ tyrannide exercendâ magis, quàm unquā antea perseverare: nunc rejecerunt cum omnem illam Adriani legationem, tum centum illa gravamina inter hæretica scripta: grave supplicium comminantes omnibus, qui illa legerint, aut domi habuerint.

I nunc, & spera emendationem ab istis *Antichristis*. Proh Deûm atq; hominum fidem, quid potuit ab illis fieri insolentius? quid magis tyrannicum? quodq; magis declaret, eos (si totus collabatur orbis) velle pedibus *Germaniam* & totum orbem proterere, atq; in idolomaniarum abominationumq; sentinâ, projectâ genuinâ Christi doctrinâ, continere!

Ibidem.

Ibidem. Fridericus ex amplissima Fregosiorum familia, patria Ianuensis, ex Archiepiscopo Salernitano Cardinalis creatus, & quidem invitus: cum magna moderatione animi, magna virtute fuerit: accessit proxime ad cognitionem nostræ doctrinæ,& initia quædam ita hausit: ut,cum Papæ cœpit eo nomine suspectus esse, frequens fama sit, fuisse veneno sublatum: ut Contarenum etiam, quod, cum Legatum Rom. Ecclesiæ in Comitiis Ratisbonensib. ageret, nimium nostræ causæ in articulo Justificationis favisse visus fuerit. Ambo hi fuerunt in numero eorum, qui una cum Cardinale Theatino, qui nunc Papa est, & cum Reginaldo Polo,etiamCardinale,concinnarunt consilium de emendanda Ecclesia: quod Antichristus nunc impudentissime nagat se concinnasse.

Scripsit Fridericus libellum de modo orandi, cum animadvertisset, errare in Papatu fere omnes in hoc genere quoq;, ut revera errant turpissime. Modo enim, ut conceptis verbis orent, necesse putant: modo ut certis horis, & certo loco, & certis etiam gesticulationibus: modo orationem Dominicam,aut salutationem Angelicam, aut psalmos recitent,in honorem alicujus sancti:aut etiam pro mortuis. Quare ut has ineptas impietates corrigerent: libellum, inquam,scripserat Fregosius. At statim, cum isti nequeant ferre ullam emendationem, neq; in crassis quidem & palpabilib. erroribus: inter hæreticos relatus est.

Idem de Julio III. Romano Pontifice, qua pompa & magnificentia coronatus sit. Summus illePontifex magno cum fastu & pompa sedet: potentissimi quinq; accedunt, & prostrati humi illum adorare, simul & ipsius deosculari pedes necesse habent. O summe Deus, ut quid superbiam istam à Deo execrabilem tam diu sustines? Filius tuus, cui potestas data est in cœlo& in terra, detracta ista veste vilissima,&linteo succinctus, ut solent qui famulaturi sunt, inclinat, ac sese demittit, ut sordidos Apostolorum pedes suis ipsius manibus abluat: & hic tantum non vermis, & fœtidum plane cadaver, qui Christi sese vicarium atq; imitatorem profitetur, Tyrannorum more, inter ornamenta illa, in media stipatorum caterva, inter bipennes, tubas, tympana, tormeuta bellica sedens, sese adorandum, & calceamenta hominibus deosculanda præbet.

Heu heu heu, quam hæc horrenda sunt! Et qui tandem Antichristi erunt, si isti non sunt? quorum studia ac mores tanto intervallo à Christi studiis ac moribus distant, O coecso principes! O stultos ac stupidos populos,qui istos nondum noveritis, vosq; tam crassis erroribus implicatos ab illis tam diu detineri non animadvertitis.

Peracto tandem tyrannicæ illius obedientiæ officio, in ædem Petri sese pontifex contulit, missam (ut vocant) ibi de more tum primum celebraturus. Adverte hic Petre, atq; expende diligentius missæ istius instructum & apparatum omnem. Inprimis locum ipsum miro depictum artificio, altare ablutum perunctumq;,& magna statuarum mole onustum, quas comitantur innumeræ cruces & candelabra. Item sparsum in eo thus, mortuorum ossa, varias schedas, crebra illa candelarum & funalium lumina,ipsius Missatoris ornatum,tum diaconi & subdiaconi. Considera astantium ibi Cardinalium atque Episcoporum pompam: audi harmoniam & concentum illum musicum. Contemplare varia illa ceremoniarum, ac gesticulationum genera: observa, quo hic ordine gerantur omnia,& quid Missarius ipse agere instituat, quamùe multi de illo panc edituri, deque illo calice bibituri sint.

Adverte, inquam, & considera, num coena ista, quam Julius III. hic celebrat eam ulla ex parte referat,quam tu cum reliquis Apostolis, ab ipsomet autore Christo didicisti, cum diceret: Hoc facite in mei recordationem. Et an illa panis fractio quam tum prædicando passimEvangelium solitus eras facere,cum hac commune quicquam habeat. Quin etiam Paule, qui, qualis postrema illa Christi coena fuerit, optime nosti, expende una cum Petro, an hæc, quæ Romæ hodie peragitur, sit illi necne similis? & num tales etiam illæ fuerint, quas tu olim cum discipulis tuis celebrabas? Ah. Deus, ah Christe, curtu sanctissimum illud sacramentum tuum ita pollui ac prophanari pateris? p. 697.

Verum si tibi hæc ad tempus tolerare visum est, fiat voluntas tua. Nos vero interim ingentes tibi gratias agimus,quod bonam Europæ partem luce veritatis illustrare dignatus sis. Quamvis miseri isti Romanistæ crassioribus adhuc tenebris circumfusi sint, quam unquam antea: atq; indies,etiamnum deploratiores evadant adeo, ut quoties radios advénantis gloriæ tuæ comparere vident,pene adigantur ad insaniam.

Sequitur deinde,quod, cum jam jam coronandus esset pontifex, mox in eius conspectum prodierint Romani aliquot patricii, & quidem præcipuæ nobilitatis, preciosissimis ornati vestibus, partim ex auro, partim ex serico occineo violaceove, aut nigro contextis: magna eius comitante famulorum caterva, qui & ipsi sericis vestibus, sed versicolorib. induti erant: quodque ibi Pontifex conscensa sella, his Romanis(inquam patriciis) præceperit, ut se in humeros sublatum ad Petri scalas (ita loco nomen est) deferrent.

Hac nempe pompa & magnificentia gestabatur,Christus, cui semel tantum in vita

Non gestari

gestari contigit. Bone Deus, quam magna est cæcitas hæc, beluam istam adorare, ac pro Christi Vicario agnoscere? Et quid alia cum Christo simile habet? Prodeant huc omnes pontificii adulatores, & (quæ illorum est impudentia) scribant, respondeant, defendant tyrannicam hanc magnificentiam, & pompam plane diabolicam, atque illas adeo horribiles blasphemias, quibus per summam contumeliam Deus ab istis sic illuditur.

Vehitur Christus asino, eoq; velissime ornato, ut vilissima istiusmodi jumenta alioqui solent. At noster hic Antichristus horum Romanorum, & quidem nobilissimorum, multoq; auro refulgentium, humeris gestandus imponitur. Annon id cum Christi paupertate simul atq; humilitate pugnat? & tamen hunc non pudet pro Christi vicario atq; imitatore sese venditare. O scelus, ô portentum, atq; ô ipsissimum adeo Satanam.

Describitur postea ipsius loci, in quo præclara illa coronationis pompa celebrata est, apparatus atq; ornatus. Principio theatrum erectum erat elegantissimum ac magnificentissimum. In eo ingentis altitudinis statuæ aliquot circumquaq; dispositæ erant, quarum nonnullæ in muliebrum figuram habitumq; formatæ, aliquot virtututum similitudinem exprimebant. Nonnullæ vero specie ac forma virili duo partim Italiæ flumina Arnum & Tyberim, partim duos illos insignes Apostolos Petrum & Paulum referebant. En permistionem egregiam. In ipsa statuarum basi descripta erant varia carmina, quibus plurimæ sententiæ, Ethnicæ plane atq; impiæ, comprehensæ erant, una tantum excepta, quæ sub pedibus ipsius Prudentiæ inscripta erat in hæc verba: *Super aspidem & basiliscum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem.* Quanquam nec ipsa, si rem ad Christi institutionem & doctrinam exigere velimus, recte usurpata est.

Neq; enim humana prudentia basilici atq; aspidis superantur venenati morsus, aut ea adversus carnis impetus, vel ad sustinendas afflictionum tempestates, quicquam valet: sed est ipsius fidei, ac Spiritus sancti opus: quæ quidem fides nobis pro scuto ac lorica data est. Hac excepta sententia, ut dixi, omnia prorsus Ethnicam impietatem redolebant omnia, Martem, Jovem, Genium ibi resonabant: ibi cuncti mortales spargere flores coronasque, ac Julii tertii celebrare laudes jubebantur, omnia Ethnicorũ more, nec injuria. Nã cũ Roma Christum, & una ipsius leges, & ritus expulerit, Gentilismum instauraverit nunc, ut Antichristum suum meritis prosequatur honoribus, quod exemplum, quos ritus, quæ verba usurpabit potius, quam Ethnicorum & Gentilium?

Atq; hic animum diligenter advertite. Nam quod paulo ante dixi, ne scintilla quidem religionis hactenus apparuit. Quanquam ipsius epistolæ autor eam magnificentia comitem facit. Nos hanc quidem ubiq; facile cernimus: at illa nusquam apparet, nisi forte duas illas Petri & Pauli statuas, quos ipsi, dum in terris agerent, tam acriter insectati sunt, ut nedum sibi, sed nec alii cuipiam mortalium sic fieri voluerint, religioni adscribere velimus. Inter reliquæ loci ornamenta recensentur etiam tabulæ quædam, in quibus nonnullæ historiæ summo artificio depictæ erant. Præterea columnæ quædam, quibus ingens subnixa trabs, una cum elegantissime extructa fronte, speciem referebat porticus.

Sed quid in ea depictum esset, autor ipse nihil commemorat. At mea quidem sententia nihil aptius, nihilve congruentius depingi in ea poterat, quam facta illustria Julii tertii Pontificis, sed ea præcipue, quæ in Tridentino concilio ab ipso gesta sunt. Vbi damnata vera Christi doctrina, superstitiones, vitia, idololatriam, atque impietatem omnem confirmavit comprobavitque. Propterea, ut eadem epistola habet, tam magnificos Romæ adeptus est titulos. Quippe illum Ecclesiæ libertatis, id est, (ut ego interpretor) tyrannidis assertorem appellant. Nec vero absurdum fuerat, in tabulis illis totam ipsius vitam expressam fuisse, quam etsi ipsiusmet aulici suis versibus, quos de illo tam multos Pasquillo effixerunt, decantare ac celebrare non erubuerint: pudor tamen obstant, quo minus ego tam fœda, tam obscœna ac turpia nominare ausim.

Subnectitur deinde, Pontificem in medio illo apparete consedisse, atq; ibi à Cardinale Cibo diadema (regnum ipsi vocant) ipsius capiti impositum fuisse. Erat autem is tum Decanus inter Cardinales, inque ea celebritate Diaconum agebat: qui paulo post vita functus, nunc jacet sepultus in inferno: quod detestandæ illius impietatis sese ministrum præbuerit. Hæc ubi peracta fuissent, tantus undiq; bellicarum machinarum auditus est fragor ac strepitus, mundum ut ruere dixisses.

Sed heus tu fili perdite, de quo sacra nobis oracula tam clare vaticinata sunt, quem nobis adeo etiam graphice depinxerunt, quemq; Deus ipse hoc tempore spiritu oris sui paulatim detegit bonficitque, adeo ne hæc tibi digna eo homine esse videntur, qui se in terris Christi vicarium profiteatur? non te pudet miser? Christus, cum intelligeret, à nonnullis se in regem expeti, clam sese subduxit. Christus affirmat, regnum gentium esse affectare principatus & imperia: à qua ambitione servos suos quam alienissimos esse cupit.

Christus denique per ludibrium spinea

corona

corona redimitus est. Et tu, qui te pro ipsius imitatore hominibus venditas, non vereris hoc tormentorum & machinarum ballicarum strepitu, his sumptibus, hoc splendore, & hoc apparatu plusquam regio, sustinere, ut corona tibi aurea imponatur: imo tres simul aureæ coronæ, magnis illæ & fulgentibus gemmis exornatæ tantæ equidem æstimationis, ut, neminem unquam regum vel tyrannorum (quantumvis potentes & ambitiosi illi fuerint) talibus usum fuisse, constet.

Verum ego impudentiam istam tuam atque impietatem non adeo demiror, ac quorundam principum cæcitatem simul, & gentium populorumq; amentiam: qui, cum hasce blasphemias tuas, & hosce deterrimos mores studiaq; impia non ignorent, adhuc tamen Christi te esse vicarium sibi persuaderi sinant. Sed bene habet, quod bona pars hominum pro eo jam te agnoscit qui tu revocares: nempe pro ipsissimo *Antichristo*, magno illius *Satanæ* Vicario: cujus unicũ hoc studium est, ut Christi doctrinam modis omnib. occulte & aboleat.

Subjungit epistola, monstrum illud ita adornatum supra centena hominum millia, qui ad illud spectaculum confluxerant, crucem consignasse: deinde in aulam delatum Cardinalibus universis magnificum ac splendissimum convivium instruxisse. Hic illud inprimis est observandum, existimare scilicet pontificem, inepta & ridicula illa ceremonia, & plenariam pœnæ & culpæ (ut ipsi loquuntur) indulgentiam, atq; adeo omnium peccatorum remissionem sese omnibus condonasse, O blasphemiam! intolerandam ô sacrilegam arrogantiam Et quid hoc aliud est, quam sese supra Deum ipsum extollere, & eo superiorem se facere?

Ipse enim solis credentibus, idq; propter dilecti ipsius filii mortem & sanguinem, peccata remisit. Hic contra: sine, inquit, me facere: volo ego pro mea libidine omnibus, in quos modo manum meam extendero, peccata remittere: nec refert, an illi credant, sive sint increduli. Nam signo quodam à me adhibito, omnes mox sine ullo discrimine remissionem peccatorum consecuturi sunt. Quantum nunc ad convivium illud attinet, audite quæso.

Sunt inter illos, qui ad octuaginta coronatorum millia in annuos redditus possideant, nonnulli ad quadraginta, quidam triginta, plurimi viginti, & hos tam splendidos, ac rebus omnibus affluentes epulones conviviis suis adhibet Pontifex: ut in hoc quoq; contra, ac Christus fecit docuitque, ipse faciat. Christus enim solos pauperes, excepisse convivio legitur. Atq; idem jubet, ut, quoties apparamus convivium, non divites & opulentos, sed pauperes, claudos ac cæcos invitemos.

Putas, dicet forte Papista aliquis, Pontificem eo die portionem suam pauperibꝰ non dedisse? Credo ego equidem, reliquias illas juris, & frustula illa panis, quæ mediastinis & mulionibus superfuerant, data illis fuisse. Hæ scilicet partes illæ sunt, quæ pauperibus in aulis Pontificum obvenire solent. Contra, magnificis istis epulonib. æquum erat, mensam conquisitissimis cibis, vinisq; omnium suavissimis extrui, inq; illorum gratiam maria omnia, lacus, flumina, sylvas, montes, vineas scrutarii, atque illis negocium facessere. Æquum erat deniq;, omnis generis delicatissimos fructus, & omnes semel delicias tota Europa atq; *Asia* conquirere, quibus convivium illud cumularetur. Nec vero eos pudet postea dicere, pauperibus se portionem suam dedisse.

Sed isti idem mihi prope facere videntur, quod prædones solent. Hi enim simul ac rustici alicujus domum ingressi fuerint, omnia expilant, ac diripiunt, & si quib forte esculenti vel poculenti illic invenerint, apponi jubent, & placide accubando absument abliguriuntq;: interdum autem ipsi patrifamilias, ceu cani, frustum aliquod panis objiciunt, cum quodam fastidio, atq; indignatione, tu illud vora, si vis, inquientes. Sic *Papa* & *Romanenses* isti opes illas, quæ alendis & sustentandis Christi pauperibus destinatæ fuerant, ipsi egregie expilant, convertunt in prophanos ipsorum usus, profundunt in omne genus voluptatum ac libidinum: dant vero misellis illis unum aliquem vilissimum panem, ac, en vobis vestram portionem, inquiunt: seq; eo nomine magnifice ostentant: & quasi sordido illo munusculo Deum sibi obstrinxerint, sua jactare merita non cessant, cum interim non secus, ac totidem prædones, reliqua omnia, quæ pauperum fuerant, ipsi inter se voraverint, absumserintque.

Absoluta jam historia de solenni illa Pontificis coronatione, autor mox, quibus ceremoniis porta illa, quam isti sanctam appellant, patefacta est, narrare incipit. Principio itaq; (ut rem in pauca conferam) ait, Pontificem, V. Calend. Maji, qui dies Divo Matthiæ dicatus erat, deferri se ad divi Petri porticum, jussisse: idque p. 699. suo more, ut per omnia *Antichristum* ageret. Quippe Christus, quæ erat demissio atque humilitas eius, ire ipse, non gestari solebat. *Subjicit* deinde, theatrum illi erectum fuisse, quo facilius à circumstantibus ipse, ac tota illa ceremonia conspici posset. Addit postea idem autor, fuisse ibi, qui cantarent, ac psallerent nonnulla quædam in Dei laudem, ei negocio admodum consona.

Hic animum advertite, nemo aderat qui juxta Christi institutionem concionaretur, nemo qui doceret, nec injuria sine

Nam quod ibi instituebatur, cum Christo plane pugnabat: merito itaq; occultari, non doceri debuit. Aderat vero ingens cantorum Epicureorum turbe ex aa hominum nota, qui Antichristi sumtibus totos dies helluantur, lurcones, comedones, & fruges consumere nati: hi nescio quid ineptum ac putidum cecinere; atq; illud est, quod isti pro Dei laudibus putant. O cæcos illos! ô miseros atq; infelices! Vbi isti canendi finem fecissent, Pontifex, sumto aureo malleo, portam illam sanctam aliquoties percussit, quæ illico dejecta ac patefacta est: per quam deinde ingressus, ad aram Petri maximam pervenit. Hæc ille. Quare inter Papisticas omnes ineptias nihil ineptius, nihil ve ridiculum magis fingi vel excogitari potest, præter id, quod tota est conficta atq; commentitia.

Sed audi quæso, frater charissime, ne rem omnem penitus intelligas, hactenus fortasse tibi minimè cognitam. Ipsa peccatorum remissio fide tantum in Jesum Christum comparatur: atq; ita ipsi Apostoli docuere, ita persuasi ac scriptis suis testati sunt, quotquot autores Evangelio constanter adhæserunt: nec totis jam inde à Christo mille & trecentis annis ulla inter Christianos Jubilæi vel portæ sanctæ mentio extitit. Sed Bonifacius Pontifex, homo & ipse impurissimus, primum omnium instituit, ut centesimo quoq; anno Romæ Jubilæus celebraretur: quod postea Clemens Pontifex emendans, quinquagesimo quoq; anno id fieri sanxit.

Successit deinde Sixtus, & Paulus II. qui rem ad vigesimum quintum quemque annum reduxerunt adeo, ut recens natum, & priscæ illi Ecclesiæ plane incognitum id esse institutum, videas. Jam vero ipsa ædes Petri licet portas complures habeat, non tamen omnes ideo patent: sed pars haud ita pridem cemento & calce obturatæ manent. Cum vero ementiti illius Jubilæi tempus adest: accedit Pontifex, & unam aliquam ex obstructis illis malleo aureo percutit, moxq; admotis ferreis vectibus murus ille dejicitur. Facto itaq; pervio loco, Antichristus ipse primus omnium ingreditur. Post quem quotquot deinde limen illud intraverint, muros ibi & statuas adoraturi, consalutatis præterea nonnullis aliis Divorum templis, ij, cœli ipsius januam sibi tunc patefactam esse, persuasum habent. Decurso deinde omni illius spacio, sancta illa porta denuo obstructa, ipsa quoque remissio peccatorum, ut ipsa cœli janua, occlusa rursus esse, ab insanis istis creditur.

Vide, quam innumeras artes cacodæmones isti machinati sint, ut miseros homines à Dei & Christi fiducia abducant, dum ejus in nos misericordiam, charitatem, beneficientiam, quantum in ipsis est, obscurare, delere, ac prorsus sepelire conantur. Quam multos (cheu) invenire est, qui cum hanc ceremoniarum pompam manibus ipsiusmet Pontificis tractari, spectante ac plaudente universo Cardinalium cœtu, in tanto Episcoporum conventu, illo vestium & reliquorum ornamentorum splendore conspiciunt, externa illa actione, & opinione quadã, quam de istorum sapientia ac sanctimonia (quod eos omnibus circumfluere copiis vident) conceperunt, tanto mentis atq; animi stupore corripiuntur, adeoq; perstringi sibi oculos sinunt, ut in his inanibus nugis & blasphemijs sitam esse peccatorum remissionem ac vitam æternam, putent. Atq; ita à Christo miseri deficiunt, & eius stigmata, sanguinem, cruciatum & mortem insigni contumelia afficiunt.

Verum enim, qui fieri potest, ut in tanto Cardinalium atq; Episcoporum numero, quorum nonnullos sacris literis operam dare, & aliquem etiamnum veritatis gustum habere, fama est, unus saltem aliquis non surgat, qui rem ipsam aperiat, & amentiam atq; impietatem istam coarguat. sed falso ullam veritatis cognitionem illis tribui existimo. Neq; enim, si id verum esset, adeo obmutescerent, etiamsi; de capite ac vita, nedum de galero vel mitra agi, intelligerent. Sed perpendite illud etiam quæso: Nisi pontifex malleo aureo portam prior feriret, ni prior per rupturam illam ingrederetur, & ni post illum etiam intraret multitudo, nulla hic peccatorum remissio foret.

Id vero unde habent? Apud quem Evangelistarum, vel in qua tandem canonicarum Epistolarum parte ista legerunt? Aut, quoniam in his standum esse Evangelio minime putant, age proferant mihi ex Patribus aliquem, qui hanc ludicram artem exercuerit unquam. Aut probent saltem, ex Concilii alicujus decreto ceremoniam hanc emanasse. Deniq;, quoniam adeo obstinate affirmant, esse traditiones quasdam in Ecclesia, quæ usu & moribus receptæ, scripto nullo comprehensæ sint, quasq; non minore religione, quam ipsum adeo Evangelium, observari oporteat: Age, ubi didicerunt, fuisse hanc in Ecclesia consuetudinem, ut malleo aureo feriatur porta, ut primus omnium Pontifex ingrediatur, deinde quicunq; frui Jubelæo, & veniam peccatorum consequi cupiunt.

Ego vero affirmo vobis, illos nunc nuper eam sibi somniasse: & ea ceremonia superiores Pontifices usos fuisse, nusquam, ne quidem in ipsorumet libris scriptum inveniri. Cæterum eius usum invehere nunc in Ecclesiam, & modis omnibus tueri ac defendere vestrates conantur, ut nugis istis ac detrimentis, quoad ipsi poterunt, involvant, & obscurent veritatem. Atqui dicat

forte aliquis, si cupis scire unde nos ceremoniam istam de porta sancta aperienda sumserimus, abi & lege Levit. 25. cap. Ibi enim reperies. Egregia scilicet responsio. Audite vero, audite (inquam) ipsius Iubilæi Iudaici fundamentum & originem.

Dominus, ut liberationem illam, quam Christus electis omnibus allaturus erat, figura quadam nobis adumbraret, dixit, ut quinquagesimo quoq; anno libertas & debitorum omnium condonatio clangore tubæ proclamaretur. Hæc figura tandem adimpleta fuit. Et Christus ideo se venisse ait, ut verum uobis Jubilæum impartiret. Quin etiam Paulus, tempus acceptabile illum nominat. At isti belli Pharisæi adimpleras jam olim figuras, atque adeo Iudaismum ipsum rursus instaurare cupiunt, eadem ratione & sacrificia taurorum & hircornm mox revocaturi. O infamiam, ó ignominiam singularem, quam isti his Evangelji & gratiæ temporibus inferunt.

Sed demus, quod fieri nullo modo potest, figuras Judaicas etiam hodie recte usurpari posse, nunquid Judæi unquam vel portam obstruxerunt, quam malleo aureo ferreoúe postea aperirent vel istiusmodi ceremonjis usi sunt? nequaquam sane. Merito itaque hæc omnia inventa vel deliramenta potius Antichristorum nostri seculi censenda sunt: non sane in alium finem excogitata, quam ut Christum prorsus ex hominum oculis tollant, & suo illum honoré spolient.

Ipse enim peccata semel omnia; præterita, præsentia, atque etiam futura, electis suis condonavit: cum semel malleo isto atrocissimo, & clavis illis amarissimis cruci affixus fuisset, latus & cor ipsum transverberandum obtulisset, sanguinem, quantus in illo fuerat, effudisset: deniq; nullo non ludibrii & contumeliæ genere affectus, horrores & cruciatus mortis omnes pertulisset. At filius iste perditus, instar tyranni sella inaurata sedendo gestari solitus, cum illo horribili tympanorum & tormentorum strepitu, vigesimo quinto quoq; anno semel tantum peccatorum concedi remissionem, vult: idq; effracta prius malleo aureo porta, quæ muro antea obstructa fuerat; dejectoq; ac dissipato in terram cæmento & calce omni.

Sed quoniam in mentionem calcis incidi, audito insignem improbitatem. Cum murus tartareæ illius portæ (neq; enim fas est aliter nominare, præsertim quibus jam veritas innotuit) dejectus fuisse: accurrens statim misera plebs, virorum (inquam) & mulierum confusa multitudo, fragmenta illa calcis & cæmentorum colligebat tanta anxietate & solicitudine, ut nihil supra, quæ Xylino pulchre involuta, velut rem sacram asservarent, colloq; appenderent, & ad plerasque ipsorum superstitiones abuterentur. Quid hic interim Pontifex? connivebat scilicet: imo cum errorem istorum & manifestam idololatriam cerneret gaudebat ipse in sinu, & una cum satrapis suis leniter arridebat.

Obsecro, nisi hic revera Antichristus esset, nunquid ad miseros illos ita clamasset? ut quid inepti calcem illam legitis? finite, finite, edico, nec spem ultra in his reponite. Sed non est è re istorum, ut homines à superstitionibus & falso cultu revocentur: quibus ceu fundamento aliquo ipsorum regnum nititur, fulcitur, ac sustinetur. Eant nunc, & Romam magistram atque exemplar reliquarum omnium Ecclesiarum vocitent: unde veræ religionis, doctrinæ, pietatis modestiæ, frugalitatis, charitatis, exempla peti debeant. Facile enim hic videtis, que doctrina, quæ pietatis & quæ virtus ex magnificentissimarum istiusmodi coronationum, pomparum, effusissimorum sumptuum; ceremoniæ illius in aperienda Jubilei porta, idololatriæ, & tot deniq; blasphemiarum contemplatione, ad nos redire possit.

Quid, quod autor Epistolæ affirmabat, ibi religionem magnificentiæ conjunctam fuisse? Ubinam est illa religio? Annon vobis recte prædixisse video, fore, ut eius ne scintilla quidem appareret? Concludamus igitur ex his ipsis rebus, quæ de Pontifice vulgo leguntur, quæq; ab illius aulicis, atque adeo ab ipsomet, literarum monumentis sunt prodita (non id quidem sine Dei opt. max. nutu, ac singulari providentia: ut suapte voce ipsi se traducant, & non minus doctrinam, quam suos ipsorum mores omnibus prodant) illam rem quandam pessimi exempli, ac Christo prorsus contrariam esse: nec certiore, vel proprio magis vocabulo exprimi posse, quamquo ego jam sæpius illum nominavi, nempe Antichristi.

At quoniam involucris simulationum & externo atq; specioso illo cultu adhuc tegitur, ut illum internoscere non sit mediocris ingenii: possetq; sua illa hypocrisi & vafricie aliquandiu adhuc excurrere; atq; ita incautos forte opprimere, nisi Dominus assidue præsidio nobis esse velit: ad ipsam orationem confugiendum est. Exorandus nobis est cœlestis ille pater, qui radiis Spiritus sui ac lumine Evangelii detegere, manifestare, ferireq; istum jam cœpit, ut plena manu, affatimq; Solem & lumen effundat suum: & feram illam atque immanem beluam miseris illis, quib. nondum est cognita, patefaciat, atq; indicet, & tandem conficiat exterminetq;, in laudem & gloriam nominis sui, per Christum Dominum nostrum, Amen.

p. 701. *Ex libro, cui titulus: Rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum ceremoniarum S. S. Romanæ Ecclesiæ lib. 3. atq; ex eo capite, quod est in primo libro, ubi agitur de coronatione Rom. Pont.*

Electus Pontifex paratus, cruce præcedente, progreditur ad S. Petrum, Diaconis Cardinalibus hinc & inde fimbrias pluvialis sustinentibus, caudam autem pluvialis portabit nobilior laicus, qui erit in Curia, etiamsi esset Imperator aut Rex. Supra eum octo nobiles seu oratores portant baldachinum, postea sedens in sede sibi parata, recipit omnes Cardinales & alios Prælatos cum suis cappis ad reverentiam, Cardinales ad manus sub auriphrygio, Prælatos ad pedis osculum.

Et paulo post: Ante Pontificem Minister ceremoniarum præcedit cum duabus arundinibus super alteram stuppam, super alteram candelam ardentem portans: & cum Pontifex capellam S. Gregorii exierit, Ceremoniarius ad eum conversus, ignem stuppæ immittit, & genu flexo dicit: Pater sancte, sic transit gloria mundi: quod tertio facit.

Et paulo post: Ungitur caput Pontificis, deinde manus, & tum imponitur ei annulus, & demum datur ei liber Evangeliorum & ducitur ante altare, & de manu prioris Diaconorum accipit pallium, de corpore & altero beati Petri sumtum, ut inferius dicemus.

Inferius vero, nempe in capite quinto ejusdem primi libri, hæc de pallio illo habentur: Cura conficiendorum palliorum ad Subdiaconos pertinet, qui ex lana munda & alba illa hoc pacto conficiunt. Moniales monasterii S. Agnetis offerunt quotannis agnos duos albos super altare illius Ecclesiæ in die festivitatis sanctæ Agnetis, dum cantatur Agnus Dei: qui agni recipiuntur à duobus canonicis Ecclesiæ Lateranensis, & ab eis consignantur Subdiaconis, qui agnos ipsos in pascua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipsos, ex his agnis lana tondetur, quæ mixta cum alia lana alba reducitur in filium, ex quo pallia hujusmodi contexuntur, postea ponuntur super cadavera Petri & Pauli, ubi sanctis de more vigiliis, illa per noctem demittunt.

Usus autem palii hujusmodi antiquissimus est, & à Lino Pontifice, Petri Apostoli immediate successore originem habuit. *Nec pudet eos mendaciorum & ineptiarum, & adhuc audent appellare hæreticos, imo exurere eos, qui illos superstitiosos appellant. Fac Domine, ut aperiantur oculi eorum.*

Idem in manusc. lib. de Actionibus cum principibus Imperii, à Clemente 7. Paulo 3. & Julio 3 de concilio institutis. Cœlestis pater disertissime vetuit fornicationes: quis non novit, scriptum esse in Exod. c. 20. Non mœchaberis? Dilectus filius etiam vetuit in novo instrumento, repetit. n. idem verbum, non mœchaberis Matth. 5. Deinde Apostolus Corinthijs inquit: Nolite errare, Scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei, Corint. 1. c. 6. & ad Ephes. 5. Fornicatio & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis. Deinde quis nescit, in Epistola ad Heb. c. 13. illum minitatum fuisse cum pœnas æternas, tum in hac vita, cum dixit: Fornicatores & adulteros judicabit Deus? Quare prohibitio fornicationis est sine ulla controversia de jure divino, nec potest aut negari, aut ulla glossa evitari.

Cum ergo pertineret ad eum, qui se vicarium Christi jactat, divinas institutiones & præcepta integre custodire aliisque præbere custodiendas: noster Papa eas aperte conculcat. Persuasit enim sibi, se posse in suo regno tolerare, quod apertissime jure divino vetitum & condemnatum est. Proh quanta hic arrogantia, ut, cum significantissimis verbis tota divinitas fornicationem prohibuerit: Papa audeat eam ferre inter suos. Annon est ipsissimus Antichristus? Fert enim, tanquam minime esset peccatum, publica lupanaria (salvo honore) ubicunq; dominatur, sed Romæ præsertim, quam hypocritæ ajunt esse magistram & caput totius Christianissimi. Hoc vero præclarum caput, & egregia magistra alit Romæ singulis annis XL. aut L. meretricum millia, quæ à Papis defenduntur. Exigunt enim annuum tributum ex earum abominabili labore, & scelere.

Quanto autem major est ipsarum numerus, tanto plus emolumenti redit ad suam sanctitatem (ô sanctitatem nec tributum tamen soluunt omnes æqualiter, sed pro modo negotiationis, & frequentiæ: quæ sunt trivialia & sordida scorta, binos duntaxat coronatos soluunt quotannis. Crediderim, hoc illud esse, quod scriptum est in Apocalypsi: quod reges eum defendendum fuissent suscepturi, ubi bibissent ex vino fornicationis Romanæ meretricis, hoc est, ubi participassent de eius quæstu & turpissima mercede sanguinis: Sophisticentur modo, quantum voluerint, Ranæ atque theologastri, qui nugantur, posse hoc tolerari a suo Papa, propter majus malum evitandum (sic enim ajunt) quæ est humanæ prudentiæ glossa, atq; carnis.

Revera enim, qui id tolerat, contra jus divinum apertissime facit: quasi vero ignorarit Pater cœlestis, ignorarit Filius, ignorarit Spiritus sanctus, cum fornicationem prohibuerit, quod majora mala essent subsecutura: si quis vero non potuerit continere, nubat. Hoc enim est incontinentiæ reme-

dium à Spiritu sancto traditum, qui inquit per os Pauli: Unusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem. Propterea tota illa Germaniæ pars, quæ sincerum Evangelium complexa est, exterminavit ex suis civitatibus hanc turpitudinem atque tolerantiam, cum priùs fuisset ubiq; grassata. In summâ verissimum est, quod suprà dixi, solenne & peculiare Paparum esse, ut sese efferant supra omnem divinitatem, quod etiam in Apocalypsi legitur.

p. 702. Ibidem. Legatus Gallicus idem egerat privatim cum Pontano, Melanchthone, Landgravio, & Jacobo Sturmio, de multis dogmatis, & quæ Regis esset de singulis opinio, quæ Theologorum sententia, per Galliam, Lutetiæ præsertim, explicabat, de primatu Pontificis, de cœna Domini, de Missa, de mortuorum invocatione, de statutis, de libero arbitrio, de purgatorio, de justificatione, de votis monasticis, de cœlibatu sacerdotum.

Dicebat, in plerisq; Regem nō esse alienum à libro Philippi, quo locos ille tractat communes theologicos: de pontifice verò placere dicebat regi, non esse primum neque præcipuum jure divino, sed humano, sicut Philippus affirmet: sed Angliæ regē utrumq; negaret & sanè pontificem sibi arrogare nimiam potestatē, dum reges atq; Cæsares in ordinem pro suo arbitratu redigit: quod quidem exemplum nunc etiam in Britanniæ regem statuere cogitet, quantumvis & rex & plerīq; Cardinales intercedant: theologos quidem affirmare, caput illum esse ecclesiæ, jure divino, sed tamen poscenti regi nō illud potuisse demonstrare: vulgatam quoq; de purgatorio igne opinionem ab eis defendi. Nam ex eo fonte manare missam, exequias, anniversarias, legata, & quicquid est nundinationis Missa verò sublata, rationem ipsis omnem auferri tuendæ potentiæ suæ, ac veluti nervos incidi sanguinis atq; vitæ: cumq; Rex illis aliquot esset largitus menses, intra quos de purgatorio sententiam scripturâ docerent, hoc demum respondisse: adversariis non esse porrigenda tela, quæ post retorqueant.

Ad vota monastica quod attinet, Regem putare, posse hoc à Pontifice impetrari, ne qui juvenes ante maturam ætatem illi vitæ generi devinciántur, utq; liceat illis, cum videbitur, ab eo discere, & contrahere matrimonium: ut autem ejusmodi collegia diruantur, Regi non videri consultum, sed educandam esse sibi potiùs juventutem ad literas atq; pietatem: theologos etiam urgere cœlibatum sacerdotum: sed regem hanc veluti mediam invenisse viam, ut, qui jam sunt in matrimonio, permaneant, reliquis autem non liceat uxorem ducere, vel si duxerint, abstineant ab Ecclesiæ ministerio. Nam ad illud, quod de Paphnutio solet adferri, qui patribus Concilii Niceni sacerdotum persvasit matrimonium, theologos ita respondere: probari non posse, ullo tempore sacerdotes cōtraxisse matrimonium, sed antequàm in ordinem sacerdotum allegerentur, uxores habuisse, non ipsos diffiteri.

De cœnâ Domini integra percipienda, vel quòd ajunt, sub utraq; specie, sermonē fuisse Regi cum Clemente VII. sperare etiā, ab hoc impetrari posse pontifice, ut facto decreto liberum permittat usum ejus rei pro cujusq; conscientiâ: Regem hoc propterea dicere, patrum memoriâ distributâ fuisse per Galliam quibuslibet integram cœnam, non quidem in medio templo, sed in facellis: hoc illum à nonnullis accepisse grandi ætate, qui ritum istum in Galliis confirment ante centum & viginti annos: deinde Galliæ regibus administrari totam: & cum inter disputandum, theologis hoc ipsum Rex objicit, illos respondere: unctos esse reges æquè ac sacerdotes, & scripturam loqui de sacerdotio regali: quod autem regibus liceat, non item esse permittendum aliis.

In precationibus etiam illis quotidianis & familiaribus ordinis sacerdotum, agnoscere regem multa posse resecari, quædam etiam esse prorsus tollenda: Clementem VII. quoq; ejus rei curam demandasse Cardinali Cruceio Hispano, cujus nunc extet liber, quem theologi Parienses, ut hæreticum, damnaverint. Nam esse genus hominum, quod non modo Germanos, ut impiōs & malè sentientes de religione, condēnēt, sed ipsos quoq; Cardinales atq; pontificē, si res ita ferat: cum verò negotium hoc omne sit cumprimis arduum: Regem in hoc esse totum, ut Ecclesiæ pax & concordia restituatur: se quoq; cum Bavariæ principib. eâ de re sermonem contulisse, qui sibi multò sint visi duriores Parisinis: tametsi quidam illorum consiliarius postea dixerit, factos esse mitiores, quod ipsum etiam Julius Pflugius de Georgiæ Saxoniæ principe, deq; Moguntino sibi confirmaverit.

Regem itaq; sic existimare, conferenda esse omninò consilia. Pergratum autem ei futurum, si, priùs quàm conveniatur, aliquot è præcipuis ipsorum theologis, pauci tamen, in Galliam mittantur, qui eum Lutetianis conferant: ad ejusmodi colloquiū Regem esse delecturū aliquot præfractos & acres, & his additurum esse quosdam non alienos à puriore doctrinâ, quò per hanc rationē veritas patefieri possit, & elici.

Ibidem. Vester Papa primo (quo est electus) anno deinde septimo quoq; solet cōsecrare (ut dicitis) quasdam formas cereas, quæ vulgo appellantur Agnus Dei: omittamus nunc inanissimas atq; blasphemas, quib. in hac re utitur, ceremonias. Jubet afferri ante se reliquias cerei Paschalis, dein-

de aliam ceram albam & mundam, atq; una commisceri, molliorem autẽ fieri injecto óleo sancto, & oleo Chrismatis, addito balsamo, ut magiam dixeris: ubi incipit orare, in hunc modum orat: Benedicas &. Benedictos sanctifices, quatenus ipsorum Agnus Dei veneratione & honore nobis famulis tuis crimina diluantur, abstergantur maculæ peccatorum, impetrentur veniæ, gratiæ conferantur.

Quale videtur hoc principium, domine Legate? Ergò vester Papa credit, ex veneratione & honore nescio cujus ceræ, posse dilui crimina, abstergi peccatorum maculas, impetrari veniam, gratiam conferri? Quænám erit blasphemia, si hæc non est? cur hoc non tollit? imò cur non projicit cũ stomacho? Sed dicam ampliùs, Pauló pòst in hunc modum pergit orare: Has cereas formas innocentissimi Agni imagine figuratas benedicere digneris, ut per ej9 tactum & Visum fideles invitentur ad laudes. Audit vestra dominatio, quod per tactum & visum cerearum formarum fideles commoveantur inviteturq; ad laudes? numné aniculæ præstigiatrices solent dicere, ut quis hoc vel illud portet in sinu, si velit à quibusdam periculis præservari? Papa autem, quem vos semideũ proclamatis, imò disertè adoratis pro Deo, anicularum magiam & stulticiam imitatur, cur hanc quoque non tollit? cur suo ore in cœtu Cardinalium pronunciat? Estné hæc sincera do-
p. 703. ctrina? sed audiamus tertium locum horribiliorem: pergit enim in eadem ceremonia orando, atq; inquit: Quemadmodum ille Agnus innocens tuâ voluntate immolatus in arâ crucis, Jesus Christus filius, nos de diabolicâ potestate eripuit: sic isti Agni immaculati virtutem illam accipiant. Jesu, Jesu, Jesu, quid potest excogitari enormius! quàm quòd vester Papa, quem tanti facitis, pronunciet ipsemet & oret, ut cera (nescio qua) uncta atq; incantata, eãdem accipiat virtutem, quam habuit sanguis filii Dei! quis non exhorreat cum hoc audit? Cur hoc non tollit, inquam, imò cur totum librum, in quo sunt scripta, non lacerat, & pedibus proterit? cur ait, se velle mores per Concilium emendare, & interim ista blasphemissima retinere? quid potestis hîc dicere, domine Lagate? defendite, defendite, si potestis: ursi autem hæc loca quàm potui maximè.

Legatus tacuit, atq; humeros contrahebat: tantùm petebat, unde hæc habuissem. Respondi: servari diligentissimè, tanquã thesaurum quendam à Sacristâ Papæ librum, qui hæc & alia horribilia continet, ab ipso diabolo dictata, quæ vir pius non possit legere sine maximo horrore. Impressum autem esse Venetiis & Coloniæ, atq; hunc esse, de quo dixi, cui titul9 S. Rom. Ecclesiæ sacrarum ceremoniarum, &c.

Idem de Flosculis Bibliorum. Extat & alius libellus ubiq; obvius in Papatu, cui titulus: Flosculi Bibliorum, ubi pro rebus, quæ continentur in ipsâ historiâ Biblicâ, obtruduntur credendæ & vorandæ misero popello, atq; in succum viresq; convertendæ aliquot fabellæ, descriptæ de verbo ad verbũ ex libro Metamorphoseos, atq; ubi etiam turpissima quædam atq; obscœnissima recitãtur omninò deditâ operâ, ut mores ipsius populi corrumpantur. Exempli gratiâ. Narratur illic, Cainum fuisse inventorẽ præposteræ Veneris, salvo honore, & rẽ habuisse cum filio. Cum enim odio haberet genus humanum filios noluisse ampliùs procreare, imò aliquid adhuc turpius (vide quid dicam) illic invenies quod animus abhorret referre.

Nicolaus Amsdorff. Vir nobilis.

Nicolaus Amsdorffius Naumburgensis, Ecclesiæ Thuringicæ antistes & episcopus, verusq; vir Dei, paucis ante hæc tempora mensibus, ex arcanâ & mysteriorum plenâ D. Joannis apocalypsi, locum decimi capitis admodum illustrem præclarè explicuit & tanquam cygneam cantionem, præcipuis orbis terrarum principibus, diligenter cogitandam, ipse, ut senio confectissimus, brevi ad sanctorum Dei concivium æternam consvetudinem ex hoc impio seculo abiturus, reliquit. Duas omninò (inquit) non solùm in hoc mundo ecclesias esse affirmamus, quarum una Cainica malignantium ac veri Dei contemtorum: altera verò pii & sancti Abelis, Christianorum videlicet Ecclesia appellari possit, eorum nimirùm, qui verum Deum fatentur, trinũ illum ac unum, quem patrem, filium ac Spiritum sanctum nominamus.

Sed in hoc ipso Christianorum ecclesiastico cœtu (qui sanctam & individuam Trinitatem ore profitetur, & æterno filio Dei, Domino nostro Jesu Christo nomẽ dedit) omnino duplicẽ etiã eccles. esse, ex hoc ipso suprà memorati Ioãnis loco ostẽden9. Habet autem is hæc mysteriis plena verba:

Et datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: surge & metire templũ Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem, quod est foris templum, ejice forás, & ne metiaris illud. Vaticinium id est, & memorabilis prophetia Angeli prædicentis, verè in Christianorum cœtu duas fore ecclesias, unam videlicet Templum DEI pulchrè dimensum, & ad perfectissimam elegantissimæ harmoniæ symmetriam decenter institutum: & interius quoddam atrium, quod foras ejiciendum sit.

TemplumDei elegantissimè dimensum seu mensuratum, est illa ecclesia, quæ externis ceremoniis, traditionib9, legib. & decretis mensurata, certos modos præscriptasq;

leges legendi, offerendi, comedendi, bibendi, & sese vestiendi habet. Hæc Romanorum Pontificum, Cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum, & breviter ipsius *Antichristi* ecclesia est, decretorum & legum chiliadibus ita in certum ordinem redacta & ita certo & firmiter fundata: ut necesse sit, has ceremonias externas omninò & irremissibiliter observare, facere & præstare: quemadmodum videmus strictissimè eas servari in monasteriis, & ad hoc ipsum fundatis canonicorum tot amplissimis, tamq; splendidè dolatis collegiis, quæ in hoc solum & unum condita sunt, ut Missam ornent, & ejusdem adeo multiplices & varias ceremonias celebrent atq; illustrent; tot nimirum campanarum & dolarum perpetua ferè agitatione, motu ac pulsu: tot Cymbalorum & canticorum tamq; diversarum lectionum crebra repetitione, organorumq; & fistularum concentu: tot Missarum & exequiarum pro vivis simul atque mortuis incessabili iteratione: vestium itē & ciborum alteratione ac vicissitudine: tam mirabili cucullorum varietate: Rasurâ item, & variarum insuper rerum (olei nimirum, salis, aquarum, candelarum, cereorum, ignis, petasonum, placentarum, ovorum, herbarum, olerum, & aromatum) in certos dies per totius anni tempora distributa benedictione & consecratione: quibus ex ceremoniis, ritib9 ac pompis omnibus (quales *Elementa* mundi Paulus ad *Galatas* 4. vocat) constat, in quibus consistit item vivit & floret, in quibus tota versatur, aliud nihil agens ac faciens *Rom. Ecclesia*, quàm quid, & quomodo canendum, legendum, comedendum, & quib. vel hic vel alibi, vel hoc vel alio tempore vestib. utendum sit: quæ omnia Papa in suis tra-
704. ditionib. decretis, constitutionibus, & legibus tam strenuè & severè, tamq; strictè præcepit observanda: ut gladio etiam & excommunicatione eorum prævaricatoribus interminatus sit gratissime: & prævaricatores, aut qui aliquid saltem adversus tot ordinationum plaustra mutire ausint, hæreticos illicò pronunciet & igne comburendos statuat: ob hanc videlicet solam & unam causam, quòd ejusmodi Junonium Antichristi fœtum, tot ceremonias, & ecclesiasticas pompas non curent, nec observent: quas ille verissimus perditionis fili9 contra apertissimum verbum, contra præceptum & mendatum Dei, in Ecclesiâ adeò superbe instituit: & observandas sanxit.

Christus enim luculentis verbis Luc. 17. inquit: Non venire regnum Dei, hoc est, ecclesiam Christi, cum observatione, id est externis ritibus: *Ecce enim*, Regnum Dei (inquit) intra vos est. *Et Paulus* Rom. 14. *Regnum* Dei non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto: Et iterum 1. Corint. 4. Non in sermone est regnum *DEI*, sed in virtute: id est, Christi ecclesia sive Christianismus non in canendo, legendo, bibendo, edendo aut vestiēdo se sic vel aliter, sed in verâ fide & verâ dilectione consistit. Quandoquidem autem pontificia Ecclesia talibus humano judicio excogitatis ceremoniis, sine verbo aut mãdato Dei, constituta, fundata & ita mensurata est: quàm diu nimirum, quoties, quomodo, & quando Missandum, legendum, comedendumq; & quibus vestibus, aut gestibus etiam vel hic vel alibi utendum sit: certum est, eam ipsam esse templum illud, mensuratum, de quo inquit textus hic, Metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

Hæc prima est ecclesia, de quâ Angelus loquitur, in quâ omnia oportet certis legibus, & ritibus esse mensurata & dimensa: templa videlicet, missas, altaria personas, vestes. Et horum quodq; habet certas suas, ac dimensas traditiones, leges & constitutiones externas, quo videlicet ritu unumquodq; horum sumendum, & tractandum sit. Itaq; hæc *Ecclesia* veræ ecclesiæ tantùm larua est, pulchris coloribus fucata, ornata & illustrata: cujus ceremoniæ in magna sunt hominum opinione & existimatione, & in quâ preciosis vestibus canuntur *Missæ*, & leguntur horæ cæteræ, quas dicunt idcirco etiam canonicas, id est, ad certam regulam factas, & certis legibus dimensas.

De hujus Ecclesiæ ministris luculenter Osæas Propheta vaticinatus est, ubi dicit capite septimo: Ipsi locuti sunt contra me mendacia. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus, id est, templis suis, in quibus quasi dormituri entes plorant veriùs, quàm canunt. Super triticum & vinum ruminabant, recesserunt à me, quod idem est, ac si diceret vir Dei: Missarum servi, canonici & sacrificuli pontificii chorum ingrediuntur, canunt & missas legunt, bini item ac bini habita inambulatione procedunt, & crucibus circumeunt, propter solum & unum sanctum denarium, irritantes magis insuper magisque iram Dei, ut is ad pœnam festinare & supplicium accelerare cogatur. Quæcunq; enim faciunt, ea avaritiæ causa faciunt, sine ullo verbo ac mandato Dei, tantùm ut hoc quasi fuco præsentem suum statum tueantur, & eas dignitates ac dominationes, quas habent, possint diutissimè salvas & incolumes conservare & retinere.

Altera Ecclesia, de qua hic *Angelus* vaticinatur, ubi inquit: *Atrium* autem, quod est foris templum, ejice foràs, & ne metiaris illud: vera est, & ipsissima Domini nostri JESU CHRISTI *Ecclesia*, quæ à mensu-

mensurantibus atque dimetientibus legumlatoribus, à pontifice &, ejus sacrificulis, omnique eorundem satellitio ejicitur. Eam inquam Ecclesiam (ait angelus ad Joannem) ne metiaris. Christi enim Ecclesia nullis humano ingenio excogitatis traditionibus, aut legibus mensurari, aut ordinari debet. Nam ab ipsomet dilectissimo Domino nostro JESU Christo ita mensurata, fundata, ac instituta est, qualis ad diem ultimi & universalis judicii usq; esse & manere debet.

Idcircò neq; homo neque angelus quispiam aliter, vel meliùs instituere debet, sed ut eam esse & manere sinamus necesse est, qualem Christus Dominus ac Salvator noster ordinavit, instituit ac fundavit. Præclarè enim est & sufficientissimè doctrina simul & ceremoniis, per ipsos Apostolos, juxta Christi præscriptum ordinata, & in eam harmoniam ac seriem redacta, quâ nec melior nec convenientior excogitari potest. Demosthenes enim, & Cicero, Jurisperiti & Rhetores longè inferiores sunt, quàm ut Christi fundationem & ordinationem, vel mutandi vel emendandi sibi potestatem sumere debeant, aut possint. Imò tacere hi debent, & alium divinitus missum audire: manum ori imponere debent, & cum Saulo humillimè dicere: Domine, quid vis ut faciam?

Hæc Ecclesia, Dei regnum est, aut regnum cœlorum, vera Ecclesia Christiana, quæ consistit in verâ fide, & non fucatâ dilectione. Ubi itaq; vera fides est, & vera dilectio Dei ac proximi: ibi regnum Dei est, & regnum cœlorum, & vera Christi Ecclesia. Veram autem fidem, veramque dilectionem nemo habere potest, nisi per verbum & prædicationem Evangelii: Id enim solum & unum, ac præterea nihil in terris veram fidem, veramque dilectionem docet. Utrumque enim, fides nimirum ac dilectio à Spiritu sancto per verbum in corda nostra infunditur.

p. 705. Ubi itaq; verbum Dei docetur & vox Evangelii sonat, ibi ferè etiam sunt fides & dilectio: Verbum Dei enim (ut Esaias inquit cap. 55.) non redibit ad Deum authorē vacuum. Ubi verò fides & dilectio sunt: ibi vera Dei Ecclesia vere est quæ à Papistis ejicitur: Ubi autem verbum Dei non docetur purè; ibi nec ecclesia, nec fides, nec dilectio ulla est: nam sine verbo Dei nō potest esse ulla fides: & quemadmodum fides verbum Dei; ita è converso verbum Dei fidem requirit. Quemadmodum enim fides sine verbo falsa est, & tantùm impostura: ita verbum sine fide hypocrisis est, & mera idololatria. Conjungi igitur hæc duo debent, quandoquidem alterutrum sine altero constare non potest.

Idcirco repudiata & ejecta hæc Ecclesia, ut suprà dictum est, humanarum traditionum legibus & ceremoniis non mensurari, comprehendi, aut ligari debet, ut Christus Dominus ac servator noster ipse inquit: Regnum cœlorum non venite cum observatione, id est, externis ritibus, sed intra vos est, inquit: hoc est, Ecclesia Christi in eo tantum consistit, & circa id solum versatur, quid in cordibus geramus, nempe ut recte fidamus, & recte diligamus. Nolas siquidem, & campanas, & cymbala pulsare, vespertinas preces canere, Missas legere, & funebres Nænias plorare, non sunt Christi Ecclesiæ sacrificia & opera: sed Deo fidere, & Deum diligere, hæc sunt vera sacrificia Christianæ Ecclesiæ. Sicut Christus Dominus noster Matth. 7. inquit: Non omnes qui dicent mihi, Domine Domine, intrabunt regnum cœlorum, sed qui fecerint voluntatē patris mei, qui in coelis est.

Patris autem voluntas non est. Missas dicere, mortuorum exequias celebrare, vesperas cantillare, circuitus & alias fastuosas inambulationes, & pueriles ceremonias servare: quæ omnia Deus nec mandavit nec præcepit: sed Deo fidere, Deo credere, Deum invocare & toto corde diligere: hæc enim diligenter & seriò Deus mandavit & præcepit. Nam & pii missas celebrare, & vespertinas preces murmurare possunt. Sed Deum diligere, & vere timere, nec ullus impius aut falsus Christianus ullus potest. [illegible] quin multa de ineptis & insulsissimis ceremoniis dicimus? quæ corda occupant & homines procul à verbo Dei abducunt, fidemq; totaliter extinguunt: cum & Paulus clarissimis verbis dicat; Regnum Dei non consistere in sermone, aut multitudine verborum, ut videlicet multa quis de Deo possit loqui: sed in virtute, hoc est, fide & dilectione.

De Deo enim, & verbo Dei multa dicere persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, & falsi & personati Christiani possunt, præsertim levissimum vulgus jurisperitorum, oratorum, & Rhetorum. Sed Deo & soli verbo ejus verè assentiri, credere, & plenissimam habere fidem, & Deum super omnia diligere, & proximū sicut semetipsum nemo facere potest, nisi Christianus. In his operibus, & virtutibus consistit Christiana ecclesia & totum regnum Dei, non in externis ceremoniis, & pompis, sic nimirum vel aliter psallendo, legendo, comedendo, loquendo & sese vestiendo, quæ omnia à superstitiosis Judæis orta sunt, & nunc denuo instituta sine verbo, & mandato, aut præcepto Dei.

Quapropter afflicta & misera, projecta & ejecta ecclesia nihil aliud facit aut facere præsumit, nisi ut verbum Dei sedulo doceat, & sacramenta à domino suo JESV Christo instituta, fideliter dispenset & fortiter tueatur ac defendat, nullasq; prætereà humanas ceremonias admittat, aut recipiat;

plat; sed solas eas, quas Dominus noster JESUS Christus instituit, & servãdas præcepit, Baptismum nimirum, & cœnam Domini, hoc est communionem populi: quib⁹ sine spectaculis sine Ecclesiasticis pompis Deum laudare, eiq; gratias agere, & ejus beneficia ac miracula celebrare & omnib: hominibus patefacere & annuciare debemus. Hæc Ecclesia ad suam Doctrinam & suas ceremonias nec urget, nec cogit quẽquam; sed concionando, sed hortando & monendo, ad accipiendam eam veram & salutarem doctrinam, invitat & allicit omnes: liberum interim cuiq; relinquens, acciperene eam velit, secusne.

Non interminatur cuiquam exilia, aut mortes. Qui recipere eam nõ vult, eum suis moribus & propriæ contumaciæ relinquit ac ab eo discedit, & pulverem de pedibus suis excutit, ut Christus dominus noster luculenter mandavit ac præcepit. Alios autem, qui doctrinam receperunt, & Christi nomen profitentur, Christianiq; esse, & haberi volunt, & nihilominus tamen peccant: (inquam) monet, hortatur, reprehendit & castigat, & ad conversionem vitæ, morumque emendationem invitat. Non obtemperantes excommunicat, ut pudefacti pœnitentiam agant. Quod verò quenquam in exilium pelleret aut occideret, id nec facit, nec ab exordio sui ad hæc usq; tempora fecit, nec ullo faciet tempore deinceps nunquam, quemadmodum non solùm Christi Domini ac salvatoris nostri verbum, & super eâ re datum responsum ac receptum; sed sanctorum etiam Apostolorum cum facta, tum exempla copiosè testantur, & apertissimè ostendunt.

Christianæ itaq; Ecclesiæ nec integrum nec liberum est, quenquam in exilium pellere, aut trucidare, sed ad mensuratam, personatamq; Romanam, & papisticam Antichristi Ecclesiam solum pertinet, ut talia faciat aut designet, quemadmodum & facit, & fecit hactenus, adversus apertissimum verbum, mandatum & præceptum domini nostri JESU Christi. Quẽadmodum enim Judæi, propter oblationes & ceremonias suas non ad ungvem cultas aut observatas, veros Christianos trucidãt, & tanquam catharmata mundi crudelissimè interficiunt ac mactant, quemadmodũ in Hussitis, & Lutheranis prolixè & cum summo ipsorum dedecore ostenderunt. Vera autem Ecclesia nec ex illo damnat, nec mactat nec trucidat propter doctrinã aut religionẽ quenquam. Quid enim ad Ecclesiã hi qui foris sunt, & in Ecclesiâ verâ esse non volunt?

Quod verò Angelus porrò inquit, Atriũ illud interius, hoc est, veram Christi Ecclesiam datam esse gentibus, idem est ac si diceret, veram Ecclesiam à Judæis pervenisse ad gentes. Synagoga enim & Judæi nõ amplius sunt populus Dei, ut fuerunt: sed gentes per fidem Dei populus & vera Ecclesia factæ sunt. Sic Romana Ecclesia non vera amplius Christi Ecclesia est, siquidem & ipsa à verbo & fide, sicut Judæi fecerunt, procul discessit, & facta est templum mensuratum ac dimensum, quod meris ceremoniis constat, & meris ex traditionibus consutum & consarcinatum est. Lutherani verò, qui verbum Dei, & fidem in Christũ, unicum mediatorem & liberatorem habẽt, vera Jesu Christi Ecclesia sunt, qui à mensuratâ & personatâ Ecclesiâ Romanâ ejecti, repudiati, & damnati sunt. Quod ipsum per Judæorum lapsum, & Gentium ad verã Dei cognitionem ingressum, ita præfiguratum & adumbratum fuit: siquidem omnia Judæorum acta (ut S. Paulus inquit) figuræ fuerunt & umbræ earum rerum, quæ in Ecclesiâ Christianâ futuræ erant.

Hæc vera, & genuina Angeli sententia est, ubi ad Joannem ait: Interius atrium templi ne metiaris, quoniam datum est gentibus. Christiana enim Ecclesia humano judicio nec mensurari, nec concludi debet. Eam enim Christus Dominus noster solus, ipse verbo, mãdato, ac præcepto suo mensuravit, & veris sufficientibus limitib⁹ circumscripsit. Sed Papæ personata Ecclesia, veræ Ecclesiæ expultrix & ejectrix, externis ceremoniis & pompis humano judicio excogitatis, quas à Judæis & gentibus mutuantur, circumscribi, mensurari; & ornari debet, juxta verbum Angeli dicentis: Surge & metire Templum Dei & altare: sed interius atrium ejice foras. Hoc totũ vaticinium Roma præclarè implevit: faxit omnipotens ac æternus Deus, pater Domini nostri Jesu Christi, ut reliqua etiam, quæ in hoc ipso textu sequuntur, omnia eodem modo fiant, & adimpleantur citò. Amen, Amen. Imp. Car. 5. Papa Paulo 4.

Prodigiosum scelus. 1556.

Anno 1556. stupenda hæc accidit historia. Prægnans quædã mulier prope Monasteriam urbem in pagum quendam confitendi & communicandi gratiâ ibat: inter eundum autem loculum pecuniâ plenum repetit: cum jam nunc sacramento; more Pontificio usa erat, sacerdoti tandem quoque, se loculum nummis plenum invenisse, indicat, & rogat, ut è suggesto proclamet, ut domino suo restituatur. Sacerdos respõdens ait, si Deus tibi quicquam largitus est, retine, & insume illud in usus puerperii, nõ est peccatum, quia reperisti. Mulier ita instructa, pecuniam retinuit, & domum reversa est.

Cum autem in lucum quendam, quâ via ducebat, venisset, partus doloribus obruitur, & loculo insidet. Vix dum hæc fiunt, Nobilis qui loculum amiserat, advenit, & eam, numquid loculum invenerit, quæritq;

quærit: illa autem Nobilem oravit, ut tanquam Christianos ocyùs ad proximum pagum equo tenderet, & mulieres sibi accerseret, pariendum enim sibi esse: de loculo non debere esse sollicitum, cum in promtu esse. Nobilis continuò avolat, & mulieres convocat: interea sacerdos dæmone obsessus mulierem hanc gravidam insecutus est, & in istis magnis doloribus offendit, & ex Sathanæ instinctu evaginato gladio in eam irruit, caput amputavit, idq; cum loculo sumens aufugit. Ut autem Nobilis cũ mulieribus advenit, mulierem ita miserabiliter mactatam inveniunt: & cum nix opportunè tunc cecidisset, vestigia homicidæ legebantur, & ubi Nobilis illum deprehendit, inclamat eum: Heus Nebulo, redde mihi meum loculum, vel te gladio confodiam.

Hoc clamore constitit sacerdos: & si loculum redderet, salvum se fore putat, sed Nobilis de equo descendit, nebulonem prosternit, manus ei loro cõstringit & caudæ equi alligat, in pagum ducit, & magistratui tradit, & cognito facinore ferventi oleo intrusus necatus est. Fincelius. *Imp.* Carolo 5. Papa Paulo.

Miseranda.

1557. Hoc eodem anno in *Britannia* propter confessionem Christi concremaverunt igni Papistæ Archiepiscopum Cantuariæ Thomam Crammerum, omnium in Ecclesia Sacerdotum facilè principem, & præ senio alto nimis imbecillem. Totum is trienniũ feliciter exegit in duris vinculis: & quoniam ipsum, se antè quosdam articulos à Põtificiis sibi oblatos publica subscriptione approbasse pœnitebat & tædebat, & palinodiam ideo brevi cecinerat, gehennæ cõdemnatus fuit. Cum verò flammæ cœpissent amburere ipsum, dextram solutam protulit, & alta voce clamavit: hæc manus, quòd traditionibus Papæ subscripsit, jure merito primùm igne absumatur. Testantur autem Angli passim, item *Edmundus* Thomæ hujus frater, hanc manum primùm in cinerem redactam esse, reliquo corpore adhuc integro & incolumi. Supplemẽtum Chron. *S. eid.* Imperat. & *Papa* ut sup.

Mirabilia Portenta.

p. 707. 1557. *Anno* hoc, die Lunæ post Galli, manè Joann Kyller Carrucarius Winterthuræ, & Zacharias Kauffman laterum coctor ibidẽ, bigis arenam advehere volebant in fluvio Thoss juxta monasterium Thossum, quòd à fl mine ita denominatur: & inter pergendum Carrucarius ita sitiebat, ut bigas & socium reliquerit & ad fluvium accurrerit, restinguendæ sitis gratià. Cum autem pronus ex fluvio bibere vellet, cõspicit in undis tres silices spithamam fortè inter se distantes.

In primo silice extabat pulchra rubra Burgundia crux, in altero clypeus, qui in tres partes dividebatur, nempe superiùs & inferiùs duæ albæ lineæ, & in medio rubra linea. In tertio rurbra scopa, & infra hanc sanguinei coloris crux, penes hanc gladius quoq; ruber expressissimè videbantur: hos silices accipit, ad socium properat, & quomodo has in aquis repererit, indicat.

Rursus in urbem venerunt, & multis, præsertim *Magistratui* eos ostenderunt. Magistratus Carrucarium accersi jussit, & juramento eum adegit, ut aperiret, num antea conscius fuerit horum silicum, necné? ille respondit: se, unde venerint, nescire, & juramento obtinuit, se horum antea prorsus ignarum fuisse, sed fortè fortunâ, cum ex ripâ bibere vellet, eos ibi unà invenisse. Post hæc Magistratus Winterthurensis suis superioribus Tigurinis hos tres silices trãsmiserunt: quoniam in eorum agro reperti fuerint: qui eos aliquandiu retinuerunt, & postea Winterthurensibus remiserunt, qui eos adhuc custodiunt.

Tentatum etiam est, num atterendo impressæ figuræ defricari queant, sed clariùs & expresſiùs magis magisq; eminebant. Magnitudo uniuscujusq; taleri aliquantulum excedebat, & pondo illorum est trium librarum. Lapides loqui & denunciare irã Dei oportet, ut hominibus, qui seriùs ad pœnitentiam incitantur, *Deus* testatum faciat, suas non defuisse & temporalium cladium, & æternarum pœnarum præmonitiones. Fincel. Imp. Carolo 5. Papa Paulo 4.

Sacerdos blasphemus atrociter punitus.

1558. *Anno* hoc, pridie ejus diei, quo Christus in cruce passus est, Forchemii, quæ civitas est in episcopatus Bambergensis diœcesi, Sacerdos quidam decrepitæ ætatis, qui baculis innitens difficulter se movebat, à duobus diaconis in suggestum deductus, verba D. Pauli ex prioris Epistolæ ad Corinth. 11. de *Cœnâ Domini* enarrabat, anxiéq; errores *Papisticos*, & *Missæ* idololatriam defendens, inter alia proclamabat: Paule, Paule, si tua doctrina veritati consentanea est, ususág; Sacramenti sub unâ specie impius, precor, ut arreptum me diabolus hinc auferat. Hinc ad populum conversus vociferabatur: Si Papæ doctrina vera non est, Sathanæ esse mancipium, meamq; ipsi animam oppignorare haud quaquam vereor. Has & plures ejus blasphemias non sine stupore & trepidatione auditores percepêre.

Nec mora, tantus in templo strepitus & fragor auditus est, ut omnia inter se collidi ruinamq; minari viderentur: tum vir proceræ staturæ, atro colore formidabilis, in templo apparuit, ante quem venti vehementis flamina per totum templum resonantis

Anno nantia ferebantur: is impium sacerdotem arreptum secum abstulit, nec ulli, quorsum ille abductus sit, in hodiernum usque diem constat. Eo abducto, denuo apparuit vir iste procerus, & recta in sacrarium pergens, Episcopi fratrem de Rungenstein, unum ex omnibus petit. Is quâ potuit vi, spectro se opposuit strictoqve gladio ejus incursum avertere conatus est: sed spectrum læsur° seipsum vulneravit. Tandem non sine magna difficultate è téplo se proripuit, ingésq; populi fugientis trepidatio exorta est.

Eadem horâ ingentes ante mœnia civitatis visæ sunt copiæ: eaq; rerum, erat facies ac si omnia ab hostibus occupata tenerentur: tum buccinatores à turribus hostium equitumqve præsentiam significantes, terrorem ingeminabant. Nec vel Episcopo vel aliis, ubi tuto delitescerent, in tota civitate ullus se offerebat angelus. Deinde in subsequenti die Dominica, terrore hoc omnium adhuc oculis animisqve obversáte cum sacrificuli in consecrandâ Baptismatis aquâ essent occupati, & inter alias ineptias Baptisteriú circüirent, tantus denuo fragor in templo extitat° eos terruit, ut relictis sacris trepidi omnes inde profugerint. Fincel. Imp. Car. 5. Pp. Paulo 4.

Petrus Canisius Jesuita.

1557. Jesuitarum præcipuus author, aut certè instaurator, & propagator est Canisius ille, de cujus sanctitate & castitate multæ præclaræ historiæ circumferuntur: inter quas non postremum locum obtinet illa, quæ Moguntiæ anno 1557. cum abbatissa cognomento catella accidit: à quâ cum lauto hospitio exceptus esset, postquam poculis exhilarati sunt, ex communi canis cognomine amicitia contracta, caninas nuptias celebrârunt. Ea fabula tunc in Wormatiensi colloquio fuit toto notissima cælo. Illyricus.

Ominosum.

§. 708.
1557. Cum Carolus quintus Cometam hoc hoc tempore videret, dixit: per hunc nuncium, certè scio, me avocari: ut etiam factum fuit. ut sup.

Horrenda.

1557. Anno eodem in pago quodam Abentheuer, prope Gentam urbem horrendum quid accidit. Nam rusticus in illo pago filiam habebat eleganti forma, hanc sacerdos Pontificius libenter in concubinam habuisset. Misit itaque identidem ad eam vetulas, ad persuadendum ei, & pollicitationibus alliciendam, ut ejus coquina fieret, demum post multos labores, opportunitatem eam ipsam alloquendi nactus est, petit ab eâ, ut se ei dederet, &c. Respódit puella, mi domine, in tali angore constituta nunquam fui, ac nunc. Me namq: aliquis sibi in uxorem petit, nescio quid respondeam: parentes mei hoc non ferrent, & metuo, Deum me in æternum, si tibi obsequerer, damnaturum.

Anno

Ad hæc ei sacerdos respondit: Non est, quod matrimonium respicias. Nam ibi miseria, inedia, calamitas & omne malum. Apud se autem ætatulam in deliciis acturam, omni affluentiâ abundaturam, pretiosas vestes se ei comparaturum, & omnis laboris expertem fore, nisi ut hospites & amicos hilares redderet, & secum in gaudio viveret. Præterea nec opus esse, ut de damnatione solicita esset. Nam a Papâ se potestatem super Sathanam & homines ac animas habere, se fidejussorem ipsius esse, salutisque ejus securitatem polliceri, denique Christianis omnia esse remissa.

His & similibus phaleratis verbis misera puella circumventa: statim ad eum interdiu sine verecundia & metu commeabat. Cum itaq; aliquandiu apud eum commoraretur, & ei in omni luxu obseqveretur: accidit, ut sacerdos convivas invitaret, & interea, dum convivium paratu: cum sacerdote sola in hypocausto est. Venit Diabolus ipsemet, januam impetuosus aperit, & concubinam comprehendit, & dicit: mea es, veni mecum: & in ictu oculi eam de domo per aëra secum abducit. illa ejulabatur miserabiliter, sacerdotem ut opem ferret, implorabat: qui cum diabolum incantando abigere, & coquinam eripere, sed frustra conaretur: tunc diabolus ad sacerdotem: & tu meus es, te brevi qvoqve auferam, vide sis paratus: & sic pellicem miseram evanescens avexit, ita Pontificiorum sacerdotum pellicatus à suo sic honoratur fundatore. Finc. Imper. Car. 5. PP. Paulo 4.

Joannes Balæus Nordovolgius Anglus, in catalogo scriptorum. 1557.

An. 1230. in die conversionis Pauli, dum Episcopus Londini ad altare staret, subitò obscuritas venit. Auditur fragor tonitruú. Fœtor intolerabilis templum interius oplet. Flamma per horæ dimidium columnas, & muros lambebat, tanquam velum vento agitatum. Imp. Carolo 5. PP. Paulo 4.

Idem. Paulus Samosatenus anno 261. in Ecclesia Christianorum prima, quæ erat Antiochiæ, cum Episcopalem sedem accepisset, in Christum Dei filium blasphemias statim evomuit, negans, eum verum atqve æternum esse Dei filium. Qvæ hæresis omnium pestilétissima, per Arrium, Mahumetem, & Antichristum Papam, in hodiernum fere diem est adaucta. Monachi etjam, qui quasi eodem Anno sub Eremita Paulo initium habuerunt, in variis vitæ generibus & doctrinis eadem hæresim, Sathanâ suggerente, fovebant, Antichristo in Dei templo regnante, vel publi-

co in Ecclesia docendi munere fungente quadraginta duobus mensibus, Apoc.11. vel dieb.1260.quod idem est. Qui dies, ut par est,pro annis accepti,addito priore numero 261. annorum,ad annum usq; à Christo nato 1521.pervenit.

Mysterium intellige. In eo enim anno planè revelatus est ille adversarius Dei magnus, qui sese extollebat super omne, quod dicitur Deus, aut colitur, 2. Thess.2. In eo, inqvam, error ille sub Antichristi tyrannide adversus Dei filium tot mortibus munitus, labefactari cœpit: manifestata veritate ac fidei justitia per spiritum Christi, piorum aliquot doctorum fideli ministerio. Anno nempe prædicto, scilicet 1521.quo & Papa Leo X.obiit,& coram ipso Romano Imperio VVormaciæ congregato, Lutherus vice omnium, veram de Christo doctrinam, quam negabant hæretici, in spiritu fortitudinis Dei intrepidè confessus est. Et ex vera illa confessione vera Christi Ecclesia revocari denuo cœpit & ejus regnum subinde majores accipere vires: Antichristi verò confici & ad interitum perduci.

pag.709. Idem. Tragœdiam hanc accipe,ut & ego ab amico quodam descriptam accepi. Anno Domini 1557. circa decimum Februarii diem, misit Cantabrigiam Cardinalis Polus suo nomine legatum, adjunctis illi tribus Episcopis, scilicet Thirlibæo Eliensi, Vuatsono Lincolinensi, & Chustofersono Cicestrensi: Martini Buceri atqve Pauli Fagii conflagrandorum corporũ gratia. Et ipso die, quo urbem ingressi sunt, solennitate magna,atqve insolitis obviam itionibus excipiebantur. Legatus templum ingressus, quo Bucerus publico bonorum luctu sepultus fuerat,missantem sacrificum sistere ac vestes statim exuere jussit,& Deum suum Mauzim seu siligineũ Christum cum suo ciborio inde secum exportare: ne mox fulminandi anathematis & ipse eorum Deus particeps esset. Quo facto,templum illud solenni ceremonia ab eis maledicebatur, & usq; ad inferni novissima damnabatur.

Et ut quam primum denuò expiaretur, atq; ad eorum usum in missis & aliis idololatriarum sacris habile fieret: Legati ipsius mandato,effosum est Buceri cadaver, & ad locum ei comburendo destinatum efferri jussum. Sed primum pro tribunali cum Caypha & Anna sedebant, statorem adesse jubebant atq; tandem ter peremtoriè mortuum citabant, ad interrogata respondere jubebant,& alia mirabilia magna faciebant. Et cum nihil respondi dedisset mortuus: maledictis, probris & contumeliis eum afficiebant: pertinacem esse, dicebant: hæreticum judicabant: ligna, fasces & ignem parari præcipiebant: in flammas projici,torreri,cremari atq; in cineres redigi,minaci ac torvo vultu imperabant. Simili modo tractabantur & ossa Pauli Fagii,viri etiam doctissimi,& Christianissimi sine omni humana ratione,ac unà cũ Buceri ossibus absumebantur.

Eruebatur qvoqve corpus uxoris Petri Martyris,& in sterqvilinium defodiebatur: causa verò, cur non, ut illi, adureretur, erat: quod hæreses nullas,ut vocant,publicitus docuisset,quodq; ejus nomine nihil extaret,quo homines abducerentur in errores,verum cùm maritum habuisset tot hæresium tam insignem patronum & defensorem: iniquissimum esse,ut ipsi inter Christianos sepulturæ locus concedatur.

Idem. Guilhelmus quidam aurifaber eò,quod Romam Babylonem, & Papam Antichristum esse dixerat, à Pontificiis, quorum Deus ignis consumens est, Vulcano incinerandus traditus est, Anno 1220.

Idem. Alexandri sexti tempore, Angelus apud Hadriani molem, in supremo loco positus, terrifico fulmine dejectus in terram fuit: quod Papatus casum præunciabat. Parisiisq; fiebat meretricum ordo per minoritam, Joannem Tisseranum, ac si Christiana religio meretricibus etiam indigeret.

Idem. Alexander 6. Gemen Bajazetis Turcarum regis fratem, Romæ captivum, pro ducentis aureorum millibus à Turcâ receptis, veneno interfecit. Hic ille est, qui suam tyrannidem tueri volens, eundem Turcarum monarcham adversus Gallorum regem adjutorium vocabat, & effecit, ut Neapolitanum regnum ac Roma ipsa pro suis luxuriis, Otthomanici imperii munimenta essent,qui Antonio Mancinello viro doctissimo utramq; manum ac linguã abscindi jussit quod in impios ejus mores, spurcissimam vitam atqve inaudita scelera elegantem orationem scripsisset. Qvis hæc sanctorum sanctissimi facta non detestetur? Sed dum parato convivio opulentos aliquot senatores ac Cardinales eodem veneni genere,quo Gemen interfici mandasset,contigit, ut incautè ab his,qui pocula porrigebant,mutatã lagenã, Alexãder & ipse hauserit venenum,sicq; unà cum illis senatoribus & Cardinalibus perierit.

Idem. A Sylvestro,qui magus diabolicus erat,usqve ad Gregorium septimum sceleratissimum nebulonem ac prestigiatorem iniquissimum (ut author est Benno in vita eiusdem) famosi fuerunt incantatores Romani pontifices omnes, Jamnem ac Iambrem Ægyptios magos maleficiis longè superantes. Ita ut verum sit, quod baptista Mantuanus ad Iulium scripserit:

Sicut enim tunc regna rapax laceraverit hostis
Improbitas; sic & sanctos Acherontigenarum

Larva-

Larvarum impietas, & pernitiosa libido
Corrupit mores, quibus illa antiqua parentum
Semideorum ætas totum condiverat orbem, &c.

Quicquid externo habitu pollicebantur religio eorum nihil aliud erat, quam fucus ac mirè simulata hypocrisis: Dei zelum, Ecclesiæ causam, & animarum curam prætendebant: cum non alio tamen, quam privati commodi studio tenerentur. Spirituum circa sepulchra apparitiones, qverelas, gemitus, ejulatus, lachrymas, formas igneas, speciesqve horribiles (quas mortuorum animas esse, simplex crediderat vulgus) & alias per exorcismos excitabant tragœdias. Per sacrificulos & monachos, adjurati illi Spiritus, demortuorum quorundam animas se esse, simulabant: dolores incredibiles, quos in purgatorii flamma sustinerent, exponentes. De pœnarum carnificinâ quæritantes, ab hæredibus opem flebiliter, per suffragia, preces meritorias, & missas mortuorum postulabant. Atqve horum omnium actor erat Diabolus.

Idem. Multas constitutiones Papa fecit quæ & frequentes in Papalibus decretis sunt. Statuit enim, ne Princeps ullus secularis, nec Imperator ipse (impudens latro) conciliis clericorum interesse auderet nisi de fide ageretur: ut quos sua sanctitas hæreticos esse judicaret, iste statim vel proscriberet, vel occideret. Sancivit qvoq; ne laici clericorum vitia judicent (mirum bestiæ artificium) nec super Pontificis potestate quicquā disputent. Nihil juris in præsulem, magistratus Christianos habere decrevit (ita se exaltabat Antichristus, divinā ordinationem cōculcans pedibus) eò qvod Pontifex, inquit, appelletur Deus.

710. Idem. Secreto quidam Monachus in D. Augustini cœnobio apud Cantuarienses, tam aculeatum & vehemens carmen contra monachorum sui temporis (hoc est circa annos 960.) avaritiam, luxuriam incredibilem & nefandas libidines edidit, ut stigmata vulnerum majora nulla vel aspides & serpentes quantumvis sibilantes reliquissent.

Idem in vita Constantini Papæ. Constantinus Papa, imagines non solum habendas, sed etiam summa veneratione colendas primus in Synodo decrevit. Hic etiam Constantinus primus fuit Papa, cui pedes osculari cœperunt.

Idem. Pugnabat non instrenuè Joannes Rokenzanus Bohemus contra crassiores Papistas, præsertim contra Capistranum Minoritam, pro communione sub utraqve specie, & pro tollendis ab Ecclesiis imaginibus. Et adversus illum denuò scripserunt idem Capistranus, & Joannes de Ragusio Dominicanus. Post mortem verò Joañis Huss. multi ejus dogmatis causa, variis in locis sunt exusti: videlicet, Henricus Grunfelder sacerdos Ratisbonæ, anno Domini 1420. & in eadem urbe Henricus Ratgeber, etiam sacerdos, anno Dom. 1423. Joannes Draëndorff, nobilis & sacerdos Misniensis Wormaciæ anno Dom. 1424. PetrusTo: aut Spiræ, anno Domini 14 6. Ricardus Hovenden lanarum consarcinator Londini in Anglia anno Dom. 1430. Thomas Bagle, sacerdos etiam, Londini anno Dom. 1431. Paulus Cravv natione Bohemus in Scotiâ, apud fanum Andreæ An. Dom. 1432. Mattheus Hager Berlini in Germania An. Dom. 1438. & alii alibi. Petrus verò Dresnensis, & Jacobus Misnensis, quia cum pontifice non sentiebant, patriâ pulsi, Pragam se contulerunt, ac de communione sub utraqve specie articulum docuerunt.

Idem. Anno Domini 1546 sacrificulus quidam Nicolaus Gerviis in Suthsexiâ, Angliæ comitatu, ut quondam novo miraculo, adhalati panis adorationem idololatricam, quasi ab inferis resuscitaret: acicula, dum missam faceret, è digito sanguinem duxit, & hostiam, ut vocant, eo tinxit. Sed in eo statim præstigio deprehensus Londinum perducitur: atque ad summam ejus infamiam, ut suum ibi profiteretur scelus, ab omni plebe conspiciendus exponitur.

Idem in Appendice testatur, quod Joannes Anglorum Rex, monachorum & clericorum imposturis, subsidio & auxilio suorum destitutus, Aqvitaniam, Turoniam, Pictaviam, Andeganiam, Britanniam, Normanniam, aliasqve terras in Galliis perdiderit.

Idem. Gualterus Mapes, Oxoniensis Archidiaconus, fastum Pontificis, Cardinalium, ac prælatorum Spiritualium, fictis nominibus lusit, ut Goliæ Pontificis, vel Joannis de Abbatia, vel Joannis de Corbo io, vel Gualteri de Hybernia & similibus. Habebatq; Oxonii scurram, seu bomolochum, doctum tamen, qui libenter, eo consultore jactitabat, se facetiarū ac rhythmorum suorum esse parentem. Nec poterat æqvo perferre animo injurias & calumnias, ab iniquo ejus temporis claro Joanni regi malitiose illatas, sed illum qvandoqve Iovem qvandoq; Leonem in satyris appellabat, Pontificem Plutonem atqve Asinum, Prælatos verò animalia bruta.

Idem. Tempore, quo Honorius III. præfuit, instructæ acies in aëre visæ sunt, atqve Romæ 3. diebus sanguine pluit.

Id. Dieterū Isembergiū Moguntinēsem archiepiscopum, Pius II. perseqvebatur, atq; episcopatu pepulit, non sine multo civium sangvine, qvod noluerit in qvędā onera Germaniæ à Papa imponenda, cōsentire.

Anno

Idem. Sub reformationis colore multi etiam in Angliam venerunt, & inter alios Frater Mansuetus Minorita, qui autoritatem habebat quoscunq; absolvendi, falsidicos, perjuros, votorum transgressores, adulteros, homicidas, proditores, veneficos Sodomitas & omnes: quod prudentibus fuit in sibilum & derisum.

Idem. In Alsatia quidam nobiles Innocentium III. impietatis damnabant, quod sacerdotibus uxores non permitteret: centumq; sunt per Episcopos uno die combusti. Nam carnium & matrimonii usum omni tempore licitum esse Christianis, docebant.

Ibidem. Anno Domini 1523. Bruxellæ sunt capti monachi duo Augustiniani, Ioannes & Henricus, qui à Iacobo Hochstrato Dominicano, hæreticorum magistro, atqve à Lovaniensibus Rabbinis, ad ignes sunt damnati: quod non crederent, Rom. Pontificis decreta & canones ejusdem esse autoritatis, aut majoris, cum utriusqve Testamenti Dei libris, & Apostolorum symbolo. Qui sua constantia, cum exusti essent Calendis Iulii, multos à Papismo diabolico ad sinceram Evangelii professionem convertebant.

Idem affirmat, ex vetustis quibusdam scriptoribus in Anglia, ante illum Augustinum, quem eo Gregorius primus Papa misit, fuisse longè puriorem Christianismũ: sed illum omnia in deterius, invehendo Papisticas ceremonias, commutasse. De quo quidem dubitari non potest. Nam Gregorius in tota occidẽtali Ecclesia Christianam pietatem suis novis ordinationibus & deformationibus longè fecit deteriorem. Verum illud quoqve simul memorabile est, quod ait, multos ei pios in Britannia, præsertim doctores, restitisse. Ac propterea Augustinum, Romanistarum more, volentem cædibus suam religionem promovere, incitatis quibusdam tyrannis, effecisse, ut mille ac ducenti ex illis suæ impietati resistentibus doctoribus semel trucidarẽtur. Quin & post eam tam atrocem tot sanctorum martyrum trucidationem, nihilominus longo tempore fuisse, qui Romanis illis Augustini ritibus & superstitionibus reclamarent, prædictus autor affirmat. Conjugium sacerdotum nihilominus usqve ad annum Domini 1100. retinuerunt. Circa quod tempus & Germanicis Ecclesiis est ademtum.

pag. 711.

Idem in vita Laurentii Angelici. In hujus vita facinus monachis admodum indignum narrat, uti etiam ex scriptis Wihelmi de S. Amore apparet. Composuisse nimirum illis temporibus monachos clam impium quendam librum, suæ videlicet impietati utilem, qvem voluerunt obtrudere orbi Christiano, sub titulo Æterni spiritualisq; Evangelii: sicq; verum ex sinu Patris cœlestis prolatum Evangelium Christi obliterare, & antiqvare. Sed in furtivo vel sacrilego potius & verius conatu deprehensi & à prædicto Guilhelmo, & aliis refutati & confusi sunt: cumqve igitur viderent scelus apertum fore, & se resistere non posse, rejecerunt culpam in quendam monachum, qui jam olim erat mortuus: eumq; librum exuri passi sunt, qvo simul exurerentur pia Gvilhelmi & aliorum contra monachos scripta. Ex his & aliis cognoscitur, ocium & cibus alienus monachorum quid possit.

Anno

Idẽ. Hildebrandus Archidiaconus Rom. Ecclesiæ, cum invadendi Pontificatus rationes nondum sibi plenè videret constare, effecit, ut Alexander II. cõstitueretur Pontifex, cujus simplicitate pro arbitrio se cõtra Imperatorem uti posse sperabat, cum esset planè militari, feroci, ac sangvinario animo præditus, qvem tamen ficta humilitatis specie callidè occultare poterat. Alexander conscientia motus, & multorum antecessorum vestigiis territus, publicè pro concione, quam habebat ad populũ, in hæc verba erupit: sese nolle esse Papam absq; Imperatoris consensu, seq; ea de re daturũ ad Imp. literas. Hildebrandus finitis sacris Alexandrum militari manu in sacrariũ peræ præceps abripit: nec dum ornamentis depositis colaphizat: exprobrans ei subinde quo Imperatorem de suę functionis confirmatione vellet solicitare: omnes Ecclesiæ Romanæ reditus invadit, sibiq; vendicat: Alexandro indies tantum qvinq; solidos Lucensium in alimenta præbet, in custodiã tradit, & tandem qvoq; venenũ ei propinat.

ANTITHESES.

DE PRAECLARIS CHRISTI ET INDIGNIS ANTICHRISTI Facinoribus.

hoc est:

DESCRIPTIO VERI PASTORIS CHRISTI, ET E CONTRA MERcenarii & lupi, Ier. 12. & 23. Ezech. 3. 33. 34. Abac. 1. c. Sophon. & Ioan. 10. Matt. 7. & Actor. 20.

À SIMONE ROSARIO CIRCA HOC tempus editus est hic libellus cum imaginibus seqventibus.

Invenias ex parte bonos, ex parte malignos
In quovis vitæ, Lector amice, Statu.
Sic SACER ORDO Lupos nutrit falsosq; Prophetas,
Qui Curios simulant, diripiuntque gregem,
Qui malus est, scriptis sese putet hisce notari:
Tangitur hic nemo, quem sua vita probat.
Qui bon' est, myst asq; malos defendit is una
Criminis ipsorum se facit esse reum.

CHRI-

Anno pag. 712. ✠

CHRISTVS.

Christus nascitur hic: canitque nobis
Pacis fœdera cœtus Angelorum.

ANTITHESIS I.

Cum fuit illæsa natus de virgine Christus,
Angelici pacem tum cecinere greges.
Nam prius impleraт totum discordia mundum
Et mortalis erat gens inimica Deo:
Christus at æternæ tum venit pacis origo,
Nosque patri voluit conciliare suo.
Eurus ut in Zephyrum & Boreas cum reflat in Austros,
Undique turbato fluctuat unda mari:
Hic nautæ exanimes tendunt ad sydera palmas,
Atropos exangves nil nisi dira manet:
at qvādo ora micans detexit lucida Phœb⁹,
Luctantes ventos cumq; fugavit aqvis:
Tum nautæ exiliunt, recinunt & carmina, gaudent,
Effugisse nigræ tela cruenta necis.
Sic Christi adventus totum tremefecit avernum,
Gorgoneos angves tartareasq; domos.
Nascitur at qvando, non illi regia sedes,
Non domus aula potens, sed casa parva fuit.
Rex erat, & regum Rex maximus, haud tamen illi
Purpura, nec Regi regia vestis erat.
Cœlitus attulerat gazarum millia mille,
Divitias nobis qvas dedit ille suas.
Non ea, qvæ didicit fallax dare munera mundus,
Tradidit: hæc bulla sunt leviora levi:
Ast ea, qvæ fures potuerunt carpere nulli;
Cœlitus hæc verò sunt data dona Deo.
Ejus & æqvalis cum sit natura parenti
Dia, tamen nobis ille creatus homo est.
Ille creatus homo, nobis mortalibus adfert
Auxilium, & duro liberat exitio, (pens.
Sed qvisnam injecit peccati semina? serLerna mali primos ludificatus avos,
Dissidium unde fuit mortales inter & illū,
Omnia qvi á celsa temperat arce, patrem.
Non leo, non tumidus cœlestes sustulit iras,
Satrapa, non miles, mitis at agnus erat.
Agnus eras, fateor, tu Rex, ô maxime regum, (vi.
Nasceris in stabulo tuq; monarcha breHoc qvid in immenso visum est summissius orbe?
Hæc pius in memori mente reponat, Amen.

Anno pag. 713. ✠

ANTICHRISTVS.

Cum primum sceleroſus est creatus,
Sanctis bella gerit cruenta, Pluto.

ANTITHESIS I.

Cum fuit infesto Cacodæmone Pluto creat⁹,
Heu, cacodæmonium quos cecinêre chori!
Corytique lacus, totusque exultat avernus;
Cerberus allatrans dat fera signa triceps.
Horridus attentas venit latratus ad aures
Pluti, qui audito clamat ad arma sono.
Induit arma amens, hunc cingit turba luporum: (oves.
Pugna fit: hic, miserum! dilaniantur
Sanguinolenta vigent immensum bella per orbem,
Tuque domum repetis, pax veneranda tuam. (bes.
Vt cum torquati gratum gemuêre palumQuorum delicias verbaq; murmur habet:
Improbus accipiter diverberat aera pennis,
Et rapit incautas insidiosus aves.
Sic pede præcipiti, scelus, horrida currit ad arma
Savior immiti Pluto leone ferus,
Ac tenerum ut frendens circumfremit ursus ovile,
Sic fremit in sanctum gens scelerata gregem.
Quaq; fruebatur tam sancta Ecclesia pace,
Sustulit adventus, perfide Pluto, tuus.
Vt cum protrusit jucundas vinea gemmas,
Omnibus arridet, lætitiamque parit:
At si forte gravis cum grandine depluit imber,
Palmite nudatur turpiter illa suo:
Sic quando parituras suos Ecclesia fructus
Sancta sinit, miseram dilaceravit aper.
Ille tamen speciem præbet pietatis, at ipsum
Si propius cernas, dæmone pejor adest.
Nam ferus ille minis immensum territat orbem
Impostor, varia ludit & arte pios.
Si quis at illius sævos cohibere furores
Rex velit; heu quanto clamat ad arma sono! (gerens
Cuilibet impostor contra hunc tum bella
Clamitat, atherias se reserare fores.
Non illi præsepe domus, non caula, sed aula,
Sordida caula tamen, si bene cernis, erit.
Porcorum, pecudumque genus depascitur illic:
Splendida tam fœdum non alit aula gregem.
Multa quid? est Christo contrarius: ergo fidelis
Effugiet casses, impie Pluto, tuas.

Anno pag. 714. *

CHRISTVS.

Adstat qui gelidis aquis, Jesus
Agnorum sitiens sitis salutem.

ANTITHESIS II.

Hunc quicunqve vides, putei qui innititur ore,
Filius est summo Rege parente satus,
Non sitit ille dapes dubias, non pocula Bacchi:
Nec petit ille tuos, fœda popina, bolos.
Non domibus lautis, putei sed margine gaudet:
Nec tamen est illic immemor officii.
Sed qvænam exhaurit gelidas hinc fœmina lymphas.
Fœmina felicem nacta repentè diem.
Hanc pius alloquio dignatur Christus & haustam
Quærit aqvam, veras ipse daturus aqvas.
Stulta recusat aquas mortales, ille neganti
Nil negat, æternas huicq; propinat aquas.
Queis ubi lavisti muliebria pectora, Christe,
Reddita sunt purâ candidiora nive,
Ut sese reficit, fessosq; refrigerat artus,
Dum reperit gelidas cervus anhelus aquas.
Fœmina sic hausit vivum sitibunda liqvorē
Quo sedata sitis tempus in omne fuit.
O Pastorem ovium, qui sordes abluit atras
Tincta quibus tandem deperiisset ovis.
O Pastorem ovium, quem nulla sitisve famesvé,
Quemq; à servandâ nil remoratur ove.
Cernis Apostolicam Christi post terga catervam?
Emtum Samariâ scito referre cibum.
Ast ille irriguas non jam desiderat undas,
Samaria allatas nec sitit ille dapes.
Ille quid ergò sitit, quæris? sitit ille salutem.
Agnorum, miseris qui periêre modis.
Hydria cernitur hìc lymphis quæ est apta ferundis,
Nulla pio Regi regia vasa vides.
At jacet, heu mirum, bibituro fictilis olla,
Huic aqua potus adest, nudaq; mensa lapis.
Non erit ergo Deus, Deus, & Deus ipse deorum?
Noñe gregis præstans ipse magister erit?
Ille venenatas gregib⁹ non porrigit herbas,
Mortua nec teneræ gramina tradit ovi
Hoc pascente, legūt agni de gramine flores
Quos nec turbo rapax, nec levis aura feret.
His cibus ambrosia est, his potus amabile nectar,
Quos regis infracto, maxime Christe, pedo.

Anno pag. 714. *

ANTICHRISTVS.

Vinum Pluto vorax sitit phalernum:
Fiat de grege quid, facit nec assis.

ANTITHESIS II.

Fœcundos inter calices epulatur abunde
Pluto vorax, stygii quem genuere lacus.
Impiger insipidos claro de fonte liquores
Non sitit, at largo proluit ora mero.
Hunc benedocta cohors, hunc non gens sobria cingit:
Ebrius usque sibi gaudet adesse pares.
Ebrietas huic fida comes, scelerataq; turba,
Pseudoprophetarum, nec parasitus abest.
Flecte sinistrorsum, Lector, tua lumina: cernes,
Personam pueri qui Ganymedis agit.
Cernito dextrorsum, quot fercula: cerne tubarum
Ductores, solitum qui melos arte cient.
Aspis ut horrēdus sine cōpare nō bene vivit:
Sic sine comparibus non bene Pluto suis.
Cerne dapes dubias, quibus est instructa voraci
Mensa, vide, plenos haurit ut ille scyphos.
O lepidū pastorē oviū qui epulatur abunde.
Dilaniat rapido dum lupus ore gregem.
Nō erit ergo lup⁹, lup⁹, & dux ipse luporum?
Heu quot lanigeras dilaceravit oves?
Sed quaso unde parat tāto cōvivia sumtu?
Vnde potest tantas ille parare dapes? (le,
Vnde parat, rogitas? num quaeso tondet ovi-
Qui tenero pellem diripit usque gregi?
Exteriora vide speciem pastoris habebit:
Invenies, cernens interiora, lupum.
Impius exhaurit viduarum turpiter ædes:
Sciteq; orbas dominis evacuare domos.
Adjuvat ille suas vulpinis fraudibus artes:
Optima quæque putas gramina, virus erit.
Heu quoties ovibus preciosum finxit amomum
Tradere, lethalis sæpe quod herba fuit.
Tum lacerat rapidis venientes dentibus agnos, (vis,
Proh dolor! & tenera viscera nudat o-
Ossibus ex imis nec non haurire medullas
Novit, & illa ferum comminuisse juvat.
Sic vafer imponit gregibus, sic allicit agnos,
Sic lupus incauta retia tendit ovi.
Talibus ille epulis vivit, ventremque saginat
Cunctaque sub ficta religione rapit.

CHRI-

Anno pag. 716.

CHRISTVS.

In celsis latuit locis Jesus,
Cum Regem hunc populus creare vellet.

ANTITHESIS III.

Qvid sibi vult hebræa cohors numerosa? qvid illic
Tanta super viridi turba qviescit humo?
In varias gens hæc turmas digesta recubit,
A Christo exhibitas accipit atq; dapes.
Sed qvæso unde parat tantæ cōvivia turbæ
Hic, ubi desertum, nec cibus ullus erat?
Panibus inventis (ô mirum!) hanc qvinqve cohortem,
Piscibus adjunctis atque duobus alit.
Nec satis est, referunt calathosque dapesque ministri,
Cum fuit appositis gens satiata cibis.
Ergo animis stupuêre omnes juvenesqve senesque,
Cum vel inauditum tale videtur opus.
Cogitat ergo cohors Christo de Rege creando,
Nescia gens Regis munera nosse sui.
Rex tamen, ut cernis, regales spernit honores:
Terrea cœlestem nulla corona juvat.
Montibus in celsis latitat Rex ille creādus:
Respuit & fastus regia pompa tuos.
Regales fugiens hic non secessit in aulas,
Nec secedenti regia scena fuit.
At veluti pastor montem conscendit in altum,
Has servaturus, qvas fugiebat, oves.
Ut cœlestis erat vel Rex per secla futurus,
Sic petit à summo tradita scepera Deo.
Turba ardens animis nunc huc, nunc cursitat illuc,
Et qverulo Regem qværitat ore suum.
Ut quando panthera suos effudit odores,
Qvodlibet huic animal cogitur esse comes:
Sic ubi deprompsit populo sua munera (Christus
Maximus, illum post undiq; turba ruit.
Turba petit Regē, qui ventri porrigat escas,
At qværēda animis pabula Christe doces.
Terrestres animi terrestria regna volutāt,
Proh dolor! ut sursum non grave tendit onus. (ab arce,
Christus at omnipotens, superâ qvi venit
Postulat ætherias ædificare domos.
Ut cœlestis erat, nihili terrestria pendit,
Et nihili mundi regna caduca facit.
Nos docet ut tanto summissius usque geramus,
Quantò majores terrea massa sumus.

Anno pag. 717.

ANTICHRISTVS.

Ut toto potiatur orbe, Pluto,
In quemcunqve capit tyrannus arma.

ANTITHESIS III.

Quid sibi vult armata cohors, cornutaque turba?
Horrida quid bombis machina? quid gladii?
Prælia molitur gens impia fraudis amatrix
Ambitiosa cohors, gens inimica piis.
Cernitur ante alios primus, sentina malorū
Perfricta facie, cui diadema triplex.
Non fugit in montes, non delitet abditus agro,
Ponatur capiti ne diadema suo.
Fraudibus instructus totum sibi vendicat orbem,
Atque repugnanti bella cruenta gerit.
Sed quid? rumor erat, veri pastoris abire
Munus, & occlusos hunc aperire polos.
Splendida sæpe ferit velox mēdacia rumor,
Quasque vides claves cœlitus esse nega.
Ecquis cedo, lupo claves committit ovilis:
Christusne: infestos nescit amare lupos.
Ergò à versuto sumsit cacodæmone claves
Pluto, quibus regnum tollit ad astra suum.
Maxima quid regum virtus? quid Cæsarū arma?
Heu, nihil ad fraudes sæve tyranne tuas,
E regione cohors tamē hic spectatur equestris,
Cornigeri haud leviter regna superba ferens.
Armati pergunt equites qui dura videtur,
O Polypheme vorax, bella ciere tibi.
Artibꝰ ut vincūt elephantos sæpe dracones
Sic superat reges fraudibus ille suis.
Hostibꝰ his fulmen primū exitiale minatur
Indice demōstrans tartara nigra manu.
Insuper arma armis, & bellis bella repellit,
Heu quid non audet sanguinolentꝰ homo?
En tibi quot gladios, quot tela, quot arma, quot enses,
Quodq; satellitium Pluto scelestus agit.
Nocte, dieq; vias, artesq; excogitat omnes,
Cæsareas possit queîs superare manus.
Ut vafer imperio solus potiatur & orbe,
Seu dolus, aut virtus, cunctaque dira juvant.
Ambitiosus enim sibi totum vendicat orbē,
Seq; (scelus) Christo clamitat esse parem.
Sic Pluto infelix superos usurpat honores,
Sic sibi Cæsareas subjicit ille manus.

Anno pag. 718. *

CHRISTVS.

Christi discipuli medentur agris,
Non auro loculos graves gerentes.

ANTITHESIS IIII.

Quisnam tam lacero jacet hic vestitus amictu?
Æger, qui tremulo quæritat ore cibum:
Qui fuerat molli genetricis ab ubere claudus,
Præ foribus templi quiq; jacebat inops.
Transit Joannes illac & Petrus, uterqve
Tum veneraturus supplice mente Deũ,
Quos ubi vidit inops, timido cum pectore fatur.
Exiguam stipem supplice voce petens.
Neuter at argentum circumfert, neuter & aurum,
Ære crumena gravis neutrius atq; sonat.
Terrenis opibus non quærit uterq; potiri,
Nec juvat hos celsas ædificare domos.
Vellera nulla pio pecori detraxit uterque,
Ut subitò fieret dives, & ære gravis,
Neuter pyramides celsas miratur & arces,
Noverat & magni pendere neuter opes.
Nec fitiebat opes alienas pauper uterqve,
Ut strueret celsas de gregis ære domos.
Neuter divitiis incedere quærit onustus,
Tendit ad ætherios mens utriusqve polos.
Non molem templi tantam miratur uterq;
Nec specie eximias cernit uterqve fores.
Nil aliud, qvam divitias miratur uterqve
Ejus, in excelsa qui sedet arce, Patris.
Ergò quid huic donant querula tum voce petenti?
Cœlitus acceptas scit dare Petrus opes.
Cum tamen intuitus nummos speraret habere,
Sumit ab his munus carius ære datum.
Ut cum vere novo ramosa repullulat arbor
Cui prius aruerant brachia frigoribus:
Omnia loripedis sic verbo membra levantur,
Cui prius omninò debile corpus erat.
Quiqve jacebat humi, mirabile, claudus & æger,
Protinus hic stabili cernitur ire pede.
Qua, qvæso, virtute, facit miracula Petrus?
Nunquid in humanis tale videre licet;
Heu tua non virtus, divina potentia, Petre,
Loripedem firmo præcipit ire gradu.
Petr' at hęc fecit miracula nomine Christi,
Inde studens sanctum multiplicare gregem.

ANTICHRISTVS.

Neglecto grege, conspicatur urbes
Cum turba simili sibi tyrannus.

ANTITHESIS IIII.

Quid sibi vult, quæso, sceleratus Pluto? quid illic
Pseudopropheta rũ grex malefidus agit?
Quid molitur ibi, quid flectit lumina sursũ
Haccine clara poli suspicit astra cohors?
Nunquid sancta patris meditantur verba supremi;
Nunquid ei fundunt supplice mente (preces?
Nunquid apostolico faciunt miracula more?
Aegra Deo fisa num prece mẽbra levãt?
Nunquid apud populum de sancta est concio lege,
Aut Evangelii dogmata sacra docent?
Nunquid ad æthereas extollunt lumina sedes?
Nunquid eos Christum concelebrare juvat!
Nunquid oves teneras hic sano gramine pascunt?
Qui volet, hæc facito, talia Pluto nequit.
Omnibus idem anim' celsas mirarier arces
Idem animus fluxis est inhiare bonis.
De grege quid fiat, nihili gens impia curãs,
Spectat magnificas ambitiosa domos.
Elysios horum nullus contendit ad agros,
Nil cœleste juvat, terrea sola placent.
En tibi strumosum Plutum, qui latas & arces,
Atq; sub urbe suos indice mõstrat agros.
Adstans & lateri cornutus Episcopus, ecce
Quam patulo humanum lumine cernit opus?
Ut quando compertit apis cellasq; favosq;
Cernit opus volitans undiq; fucus iners
Sæpius ignavum pecus in præsepe subintrat
Quaq; coëgit apis sedula, mella vorat:
Sic ignava cohors, alius quas cõdidit, urbes
Occupat, ut fuco mellificavit apis.
Gens terrena domos celsas miratur & arces.
Gens pia syderibus: terrea gaudet humo.
Nil aliud sceleratà potest præstare caterva
Cur? aliud monachi nil didicêre pigri.
Quæ natura suo ventri parentia finxit,
Deflectunt oculos omnia bruta suos.
Ventre graves monachi sic mundi rebus inhærent,
Nec miseri cupiunt inde referre gradum
Non sic impia gens, heu, non sic itur ad astra,
Vos trahit ad nigras hæc via lata domos.

CHRI-

CHRISTUS.

Refert externis parum lavari:
At lotis animis oportet esse.

ANTITHESIS V.

Sumit Apostolicus mirum, dum prandia cœtus,
Quæ Pharisæorū murmurat ecce cohors?
Turba dolosa nimis vulpinâ prædita fraude,
Prandère illotos asserit esse nefas.
Christus ad omnipotens, summi sapientia Patris,
Solvere scit nodos, impia turba, tuos.
Ergo reclamaret qvando tyronibus, illa
Turbaq; cum Christo cógrederetur, ait:
Væ tibi gens qvæ transgrederis mandata supremi
Sancta, tuis qveat ut ritibus esse locus.
Gens fucata graves novit glutire camelos,
Colare & culicé: qvod Deus odit, amat.
Abluis exteriꝰ nitidis tua pocula lymphis,
Et tua mortali vasa liquore pias.
Abluis at nunqvam cœlesti sordida rore
Pectora, qvo fierent candidiora nive.
An licet humanas propter dissolvere leges,
Qvas tulit excelsa summus ab arce Deus?
Ut speciosa suo meretrix videatur amanti,
Oblita tum fuco depygis ora gerit.
Exteriora tui sic corporis abluis unda,
Ast animi sordent interiora tui.
Non manibus scelus illotis accumbere mensæ:
Est scelus illota sumere mente cibum.
Ut cibus internas nullo de pectore sordes
Purgat, sic animum nec vitiare potest.
Ut Deus est verax, nihil & veracius illo:
Nil nisi sancta probat, nil nisi vera docet.
Tu vero, scelerata cohors, gens perfida, mendax,
Somnia qvā recreant, omnia falsa doces.
Deseris ambrosiam, nectar cœleste relinquis,
Atqve venenato gramine pascis oves.
Hoccine legistis facinus patrasse Prophetas?
O nimis audaci dogmata scripta manu?
Sermo Dei solus medicina est mentibus ægris,
Et morbos animi dogmata sana levant.
Sermo autem est Christus, tanti medicina doloris,
Ad qvem aditus rectos dat, modo viva fides.
Sic reprimit sancto Christus sermone furores,
Queis Pharisæorum grex agitatus erat.

ANTICHRISTUS.

Hic ritus vetitos precesqve tradit
Externas monachis gregi scelesto.

ANTITHESIS V.

Qvid sibi vult hominum grex tantus vertice raso?
Relligiosarum qvid petit ista cohors?
Cannabe qvid torta cincti: qvid mitra bicornis?
Quidvé cucullatus postulat ordo simul?
Poplite cur flexo tam attentis auribus adstant:
Hæccine turba colis supplice mente Deum?
Nulla cohors novit talis servire supremo:
Verba nec attenta percipit aure Dei.
Grex etenim totus dicentis pendet ab ore,
Dum pro suggestu talia Pluto serit:
O nimium felix, ô terque quaterque beata,
Tu mihi docta Deo religiosa cohors.
Elysiis tandem mecum florebis in agris,
Ingenio memori si mea dicta tenes.
Nil primo internis precibus corrumpere mentem
Atqve animum curis sollicitare juvat.
Vestrū quisq; preces moto demurmuret ore
Hic, ubi conveniet credula turba frequens.
Ostentare juvat vel nuda cadaveris ossa,
Simplicibus prosunt illa prophana licet.
Qvodlibet egregia decoretur imagine templum,
Depingat varius lucida vitra color,
Cymbala multa sonent, fundantur thura per aras.
Nocte dieqve sacer luceat igne locus.
Nec te conturbes, si qvid commiseris, euge:
Consecrata fugat quodlibet unde scelus.
Floribus & ramis verno simulacra tegātur
Tempore, & Autumno repleat uva manum.
Edite clamoros, resonent & templa boatu.
Et populus sacra sæpe madescat aqua.
Sacrificaturi varios vestite colores;
Triticeos flatu fingite mille deos.
Omne tamen cum judicio depromite carmen,
Festa petit gravius, lene profesta dies.
Signate humanas cruce ficta pulvere frontes
Tale susurrantes, quale susurrat apis.
Sic externa suis blasphemo prædicat ore
Pluto vafer, curans dogmata sancta nihil.
Ergo qui sapiet, vitabit pabula Pluti,
Qvi tam lethali gramine pascit oves.

CHRI-

Anno pag. 722. *

CHRISTUS.

Rex regum minimum facit seipsum
Christus, Cæsaribus didrachma solvens.

ANTITHESIS VI.

Squamigeri Petrus quid spectat piscis in ore?
Hoccine mentis inops, an bene sanus agit?
Exequitur quicunqve boni mandata magistri,
Dixeris orbatum he ratione virum?
Huic etenim, quando solvi didrachma petebat
Quæstor Cæsareo nomine, Christus ait:
Regia progenies non hisce est libera rebus?
Pendere vectigal gens aliena solet:
Turpia ne verò pariamus scandala genti,
Ad mare Petre cito tu modo perge gradu.
Ad mare cœruleum quando perveneris, hamus
Curvus in æqvoreas conjiciatur aqvas.
Sqvamigerum jactu primo piscabere piscé,
A te inventus erit cujus in ore stater.
Solvito tum pro me pro teqve didrachma, quod æris
Cæsareus Quæstor nunc solet exigere.
Dicta probat Petrus, celeri pede currit ad æquor:
Squamigerum piscem protinus hamus habet.
Tum redit exiliens, pisci diducit & ora,
Promitur ex patulo protinus ore stater.
Verba Petrus Christi solvit didrachma secutus,
Accipit extensa Quæstor at ille manu.
Principibus docet hinc persolvere jura licere,
Atque tributa suis pendere Cæsaribus.
Nunquid erat regum devinctus legibus ille?
Legibus im̃unis quis, nisi Christus, erat?
Cui tribuendus honos, revereri præcipis inde:
Et cui vectigal pendere, Christe jubes.
Omnis enim à celsa decernitur arce potestas,
Et venit à summo regius ordo Patre.
Quod populo præsunt, vectigal penditur illis,
Quodq; etiam servant non sine lege bonos.
Non temerè gladium dedit his gestare Supremus,
Nec gestare gravi regia sceptra manu.
Innocuos ut rex damno defendit ab omni,
Sic illi pœnas gens scelerata luit.
His etiam parere jubent mandata supremi,
Sic tamen ut Domini nõ violetur honos,
Is temerarius est ergò, quicunq; resistit
Principibus, voluit quos stabilire Deus.

ANTICHRISTUS.

pag. 7..

Pendit Principibus nihil tyrannus,
Ast hic subjicit ut monarcha reges.

ANTITHESIS VI.

Heu quid agit rerum triplici diademate tectus
Pluto, quibus mittit fulmina, quaso viris?
Impius horrendo sancit cum fulmine legem
Quam vel principibus non violare licet.
Auscultat malefida cohors, dum percit ira,
Ius superûm violans talia Pluto vomit:
O comites (neque enim ignari sumus ante malorum
Pessima qua nobis laica turba tulit)
Impia gens voluit, vectigal pẽdere nostros,
Nos quoq; subjectos Cæsaris Imperio:
Ergóne Cæsareis parendum legibus? ergon'
Vectigalis erit relligiosa cohors?
Nos qui Cæsareos scimus cohibere furores,
Et terimus presso regia colla pede.
Poplite quos flexo gens totius orbis adorat,
Legibus immunes non licet esse deos?
Per diadema triplex juro, per fulmina, terris
Qua manus hac vibrat, rem secus esse decet.
Frangatur potius regũ veneranda potestas
Quam numeret nummum gens mihi fida comes.
Ergò magistratus, quicunq; sit ille, cavete,
Si sapit, à nostris ulla tributa petat:
Sin secus, à nostro percussus fulmine pœnas
Is luet in stygio tempus in omne lacu.
Sic divina Patris solvit decreta supremi,
Legibus immunem seq; suosq; facit.
Regibus ut voluit vectigal solvere Christus,
Impius his verò pendere Pluto nihil,
Vt mediis ludunt in aquis immania cæte,
Et patulo pisces quoslibet ore vorant:
Sic tenet imperium mortales inter, & omnes
Diripit, illicita subdit & arte ducis.
Et tenues viduas, qua cultu paupere vivunt
Pendere vectigal, Pluto superbe, jubes.
Multaq; progenies, orbata utroq; parente,
Pendit inops regi magna tributa suo.
Quod facinus, quaso, visum est audacius unquam?
O nimis audaces & sine lege malos!
Omnibus insultans sic subjicit impius orbem,
Implicat atque suo regia colla jugo.

CHRI-

[A]nno
[pa]g. 714.
+

CHRISTVS.

Morborum generi medetur omni
Agnus Christus, opem ferens tenellis.

ANTITHESIS VII.

Quanta sit, hinc cernes Lector, clementia Christi,
Atq; laborantes qua pietate levet.
Quoqvo pergit iter, qvoqvo se proripit ille
Auxilium implorans obvia turba venit.
Ille autem à rebus nunquā feriatur agendis
Dic mihi, quæso, bonum quando refugit opus?
Qvercubus ut virides hederæ, sic Christus adhæret,
Ut ferat auxilium tempus in omne suis.
His modò sancta Dei facundo nunciat ore
Verba, laborātes hos modò morte levat
Tunc sinistrorsum fugientē dæmona cernis
Ille ex humano corpore pulsus abit.
Corpore dissolvens illū paralysis habebat,
Quē stabili Christus præcipit ire gradu,
Claudis restituit gressus, & lumina cæcis
Insuper & mutis verba sonare dedit.
Lepra quibus sanie tinctos infecerat artus,
Esse dedit medicā corpora sana manu.
Cœca chelidonio verum non lumina sanat,
Nec leprosa auri pulvere membra levat.
Exitiale fugat nulla plantagine virus,
Coralio nocuum nec cacodæmonium:
Non reprimit nocuas herbis vel jaspide febres,
Curandam ad saniem non habet ellebo(rum.
Non opus est gemmis Christo, non utitur herbis:
Imperat, & nutu quælibet ille facit.
Huic opus, huic labor est festis sanare diebus,
Horum quotqvot humi langvida mēbra (jacent.
Nec Pharisæorum metuit, nec murmura plebis,
Irrequietus adest tempus in omne suis.
Scinditur incertū studia in contraria vulg⁹,
Ille etenim damnat, quod probat alter, opus.
Ægros sanat, habens discrimina nulla die(rum,
Festa licet fuerit sive profesta dies.
Gratum opus est illi quemvis sanare, quibusvis
Auxilio celeri non gravat ire pede.
Pellere nec solū novit de corpore morbos,
Novit & ex læsa mente fugare scelus.
Nec miseris, nec pauperibus succurrere cessat,
Vel quocunq; nos dirigat ille pedes.

Anno
pag. 729.
+

ANTICHRISTVS.

Non visit miseros tyrannus ægros:
At contrà jocus est videre cædes.

ANTITHESIS VII.

Quāta sit, hinc cernes, miseri sævitia Pluti
Et quibus ingenium sit recreare jocis.
Si jocus est vero, cædes spectare cruentas,
Sanguinis & rivos unde madescit hum⁹
Ille parùm sancta statuit certamina lege.
Et pugnare suis præcipit ille viros.
Dicta probant omnes (quis contra audentior iret?
Quilibet hic (miserum) protinus arma (capit.
Signa tubis dantur, cæ um clan ore remugit
In stadio celeri cum pede currit equus.
Pugna fit, horrendū vero certamē, eque vi
Pugnat equester, equis congrediuntur equi.
Vt cum Zelotypi subeunt certamina tauri,
Concutiunt presso gramina læta pede.
Ore cient fumos, jungunt cum cornibus ora,
Sæpius ad mortem cæsus uterque cadit.
Sæpe fit indigno sic in certamine cædes,
Cum sessore simul dejiciuntur equi.
Hic contusa gravi cernuntur brachia casu,
Atque repugnantes cæde perire gravi.
Heu, quam rara ferunt secum certamina pacem?
Nulla salus, & ubi Martius horror (erit.
Non semel hasta virûm teneros hic confodit artus,
Sanguine & humano sæpe rubescit hum⁹.
Num spectare piget? dirimis num prælia Pluto,
Nū dirimit, quæso prælia cædis amans?
Sanguinolentus amas fusum spectare cruorem,
Et ruere exanimes cernere gaudes equos.
Nec soli arrident miseræ spectacula cædis,
Nec meretrix illinc, nec comis atq abest
Num solet ille gravi detētos visere morbo?
Vt viduas visat, num subit ille casas?
Heu, piget hunc parvosq; lares humilesque subire,
Dedecus obscuras huicq; subire domos.
Sanguineas, animi solamen, cernere cædes.
Hunc juvat, hunc hasta, missaque tela juvant.
Atque ubi congressus armorumq; ingruit (horror,
Pluto frequens illic, ut modo cernis, adest
Impius est igitur natus cacodæmone Pluto,
Turpibus & geniis est homicida satus.

Anno pag. 716. *

CHRISTVS.

Amissos humeris reportat agnos,
Casus non metuens subire Christus.

ANTITHESIS VIII.

Cernitur hic veri, lector, pastoris imago;
Qvi tenerum servat sedulitate gregem.
Sana gregi Christus non solùm gramina præbet,
Huncq; per irriguos non modo ducit a-(gros.
Non modo pascit oves, ubi fragrãs crescit amomum,
Aut ubi gramen adest, mollis & herba (viret.
Non modo pascit oves, ubi clarus defluit amnis,
Non modo de liqvido fonte propinat a-(qvas.
Nõ modo nõ ducit per devia sedul⁹ agnos,
Aut per gramen, ubi grex aconita legit.
Occursare feris primus venientibus audet,
Audet & effrænes ille fugare lupos.
Primus & impavide transit per amœna locorum,
Nil veritus sævi rostra cruenta lupi.
Si qua tenebrosis pec⁹ est in vallibus errãs,
Hanc ovium qværit pastor ubiq; bonus.
Intuitus dubio noscit vestigia gressu,
Impiger hæc seqvitur, nec gravat iste labor,
Per sylvas, per agros, tristis per opaca va-(gatur,
Mœstus ovẽ qverulo nominat ore suam.
Invenit, inventã non duro verbere tundit:
Impiger hanc humeris tollitat ille suis.
Sublatamq; suũ gaudens in ovile reportat,
Et reficit fessam gramine lætus ovem.
O pastorem ovium! licet hinc cognoscere, quantâ
Pascit oves Christus sedulitate suas.
Si qva vel agna lupos in sævos incidit, illam
Eripit impavidâ protinus ille manu.
Non metuit tristes ululatus ipse luporum,
Hunc neque crudelis tygridis ira fugat,
Non metuit mortẽ, nec mille pericla subire,
Effera sangvinei nec timet ora lupi.
Casibus innumeris audet se exponere primus,
Dæmonas & cõtra primus in arma ruit.
Sed manet intrepidus, casu qvoqve servat ab omni
Pastor oves Christus nocte dieq; vigil.
Talia discipulis, lector, præsentibus audet,
Præcipit exemplo qvæ facienda suo.
Dum pia Christus obit pastoris munia verb:
Discit Apostolicus pascere cœtus oves.

ANTICHRISTVS.

Agnos Pluto lupus rapax tenellos
Correptos lacerat feroce dente.

ANTITHESIS VIII.

Qvod genus hic hominis, qvæso, cum tempora circum
Est diadema triplex, ora lupina gerens?
Hiccine pastor erit, qui dentes promit acutos,
E cujus pendet plena crumena pedo?
Pseudopropheta, lupus, latro, dux atqve latronum,
Candide spectator, si bene cernis, erit.
Nec modo vitales ô vos qui carpitis auras,
Ast & enim cassos lumine dente voras.
Carnivorax tumidis ut gaudet hyæna sepulchris.
Sic instat putidis ille cadaveribus.
Hic miser ætheria nõ fungitur ampli⁹ aura,
Ast inhumandus ibi mortuus ecce jacet.
At scelus indignum, vafro numismata Diti
Sunt numeranda prius, quam sit opertus humo.
Nec procul hinc adsunt fallaces pseudoprophetæ,
Qvi, ut vultur rapidus, putre cadaver amant.
En, qvæso, ossa qvibus nõrunt imponere ple-(bi,
Hæc proclamãtes sancta, prophana licet.
Non missura prius carnẽ, quã plena cruoris,
Quando hæret teneræ mollis hirudo cuti.
Sic ignara dolis emungitur ære caterva:
Imbelles populi quid nisi præda manent?
Vt prædãtur eos monachi, prædatur & alter
Hos prædo, at nulli qvem latuére doli.
Qvid digito monstret, vis scire, qvid indice qværit,
Quæve cucullatis satrapa verba facit?
Nemo pias vestrũ fraudes exerceat, inquit,
A nobis nisi sit copia facta prius,
Nec liceat cuiquã peccata remittere, nulli
Hæc sine permissu sunt facienda meo.
Vnius est summi peccata remittere Ditis,
Qvi velut immenso regnat in orbe Deus.
Vt leo, dum spectat mõtis de vertice prædã,
Horrendos patulo promit ab ore sonos:
Tum fremit, & caudam decurrens ducit in orbem,
Et torvum intuitus circuit ille feras:
Tum tremuére feræ, tremulæ sistuntque paventque
Atqve manent regis jussa superba sui.
Sic Pluti ad nutus monachorum turba tremiscit,
Jussa sui metuens exeqviturq́; Dei.

CHRI-

Anno 721. pag. 729.

CHRISTVS.

Aspernatur opes, docetque Christus,
Sola tecta fide subire cœli,

ANTITHESIS IX.

Cernitur hic Christus cœlo demissus ab alto,
Cœlesti emissas qvi patre tradit opes.
Gens ignara viæ, qva celsas itur ad arces,
Adstat, & auscultans à duce qværit iter.
Christus at ignaræ gaudés succurrere gēti,
Qva patet accessus, mōstrat ad astra viā.
Prædia nulla sitit, fulvū non appetit aurum,
Nec qvæ ferre solet munera vilis humus.
Nec Pharisæorum mores imitatur iniqvos,
Qvi viduas fictâ sub pietate vorant.
Vultis, ait, fratres, cœlestia regna subire?
Terrenis opibus non inhiare decet.
Sunt terrena viro nihili facienda fideli,
Servandis animis sordida terra nocet.
Qvem nulla ærugo, nulli rosc e latrones,
Thesaurum in cœlis accumulato pius.
Non licet argento superas penetrare per arces,
Tecta superna poli non gravis ære subit.
Ut spirante noto navis, dum tendit in altū,
Naufragium patitur, qvam grave mergit onus.
Sic qvoqve cum loculis dum tendit ad æthera dives,
Ipsum Cocyti pondus ad ima trahit.
Qvilibet ære graves ergo deponito bursas,
Namq; piis onus hoc claudit ad astra viā.
Munere conseqvitur terrestri nemo salutē.
Tecta poli solâ sunt subeunda fide.
Qvisqvis enim cupiet cœli cōtingere sedes,
Sola fides aditus huic, modo viva, dabit.
A stygiis nullos argentum liberat undis,
Nec fragiles, novit qvas dare mundus, opes.
Muneribus ceteris qvis, qværo, conferet almum
Nectar & ambrosiam? qvis, nisi mentis (inops?
Nemo potest animo complecti, aut sensibus ullis,
Præparat electis qvæ Deus ipse suis.
Omnia posthabeat, vel charos ille parētes,
Patre Deo nato qvi volet esse comes.
Liberat effuso mortales sangvine Christus,
Atq; hominum nullo penditur ære salus.
Christus enim verax est solus janua cœli,
Qvo sine tecta poli scandere nemo potest.

ANTICHRISTVS.

Hil falso reserat fores supernas,
Et peccata pecuniâ remittit.

ANTITHESIS IX.

Cernitur à stygiis deductus Pluto lacunis,
Qui fragiles mundi nil nisi spirat opes.
Sydera nemo potest quot sunt numerare polorum,
Quot neque Vere novo gramina campus habet:
Sic quoq; nemo potest vafri ludibria Pluti,
Ejus & innumeros commemorare dolos.
Non scopus est pura venerari mente supremum
Ejus, & æternum concelebrare Deum.
Huic scopus immensum seducere fraudibus orbem,
Huic scopus humanum ludificare genus.
Versicolore vafer pergit vestitus amictu,
Et speciem vestes religionis habent.
Dextra crucem gestat, gestat quoque leva libellum,
Quo veniam scelerū se dare posse refert.
Cernitur ante alios juvenis, qui cymbala pulsat,
Quem sequitur monachum perniciosa cohors.
Proximus idolū gestat, qui vertice raso est,
Nescio quæ secum verba secundus habet.
Vtque volutabro letatur amica luto sus,
Et catulos illuc edocet ire suos:
Sic docet impostor monachos imponere plebi,
Et varia humanum fallere fraude genus.
Vos date subjectis, inquit, sal, thura, putrescat [illegible] *(aqua.*
Vtque cadaver, humum, instraque vilis
Cymbala cum meritis, cineres, benedictio, cantus,
Talia sunt certo distribuenda die.
Legibus his tamen ut frumentum, vina, liquores,
Et quicquid vobis eliciatur, erit.
Dicta probāt, faciūt docti mādata magistri
Et toto impia gens seminat ore dolos.
Spargitur ut liquidis crocodilo semita lymphis
Ad Nilum, ut lapsos ore vorace voret;
Sic inimica Deo ludit gens ritibus orbem,
Ingenio quos scit fingere Pluto suo.
Qualibet arripiunt: lucri bonus est odor ex re (juvat.
Qualibet: imponunt, hos scelus omne
Accipiūt quodvis. si nō sonat ære crumena:
Sive siligo adsit, sordida sive pecus.
Impia gens facit hæc, Pluto doctore, miselli
Qui sic [illegible] *opes evacuare gregis.*

pag. 730.

CHRISTVS.

Mansvetus venit insidens asello,
Et fastus nihili facit caducos.

ANTITHESIS X.

Qvisnam tardigrado vehitur tam mitis asello,
Nati cœlicolis os, habitumq; gerens?
Ille licet pergat tenui vestitus amictu,
Judicio tamen est regius ille meo.
Regius est, lector, ne te tua lumina fallant,
Regius est summo rege parente satus.
Cum en. advenit Judææ gentis in urbem,
Hoc nihil (ut cernis) mitius esse potest.
Non eqvus est huic fræna ferox spumantia mandens.
Huic modò sessori tardus asellus inest.
Sæpe Hebræa cohors maledictis proscidit illum,
Illius & graviter dogmata sæpe tulit.
Non tamen ille malum retulit pro talibus ausis:
Parqve referre pari noluit ille malo.
Futilibus licet hunc incesserat impia lingvis,
Hanc tamen innumeris afficit ille bonis.
Ut Thraso nō venit, sed mitior ille columbâ
Visit eam, voluit qvæ lapidare prius.
Hunc etiam populi reverentur pacis amantes:
Atqve hic officium fida caterva facit.
Ramosas alii defringunt arbore palmas,
Et gaudent alii sternere veste viam.
Afficit hunc recinens puerilis cœtus honore;
Atq; Osanna pium supplice voce canit.
Ut qvando circumvolitant examina regem,
Nescio quid secum læta susurrat apis:
Sic etiam Christum collaudat qvilibet odis,
Et regem gaudet concelebrare suum.
Fulget ut obscuras inter carbunculus umbras (micat:
Noctis, ut umbroso tempore gemma
Sic populos inter præstantior eminet ōnes
Ille, qvibus veniens undiq; cinctus erat.
Et Judæa cohors toties qvem ejecerat urbe,
Nunc recinens curvo poplite dicit, Ave,
Hinc licet incertæ cognoscere pectora plebis,
Qvæ sese versat ficut arundo levis.
Nam crucifixuri sunt, qvem reverentur, Jesum
Judæi, qvamvis mitis ut agna venit.
Ejus enim mortem sitierunt, ille salutem:
Venit & infestos inter ut agna lupos.

ANTICHRISTVS.

Fastosus venit insidens feroci
Spumantiqve fer. eqvo tyrannus.

ANTITHESIS X.

Hinc potes, ô lector, Pluti agnoscere fastus,
Hinc indigna hominis cernere facta licet.
Ingreditur quando miseræ Babylonis in urbes,
Cernitur hic plusquam regia pompa comes.
Huic equus est spumans ostroque insignis & auro,
Altisono cujus sub pede terra fremit.
Penula lascivviis tegit hunc ornata decoris.
Insignem & chalibem frenaque mordet equus.
Aulicus hunc sequitur, cornutus episcopus, abbas,
Ejusdem generis vel numerosa cohors.
Hac sine splendēti peragit nō veste caterva
Ornato phaleris non nisi pergit equo.
Ensibus accincti colones spicula gestant
Ex humeris, spectas qvos aperire viam.
Multa quid! immensū princeps non visus in orbe est,
Cui tanti fastus tantaque pompa fuit.
Pro calone potens tantū illi Cæsar habetur,
Audet quem lixis annumerare suis.
Non venit ut pastor, venit ut temerarius, audax,
Orbis ut immensi qui tenet imperium.
Huic diadema triplex, huic vestis lucida gemmis,
Hujus & asseclas purpura picta tegit.
Ut meretrix auro tortis speciosa capillis,
Cujus & ad collum pendula torquis inest,
Fucata facie procedens ludit amantes
Ulceris ignaros, quod lupa dira gerit:
Sic specie externa Pluti delusa, dolisque
Excipit hunc tanquā credula turba Deū.
Hunc urbes etenim, totus reveretur & orbis,
Et colit hunc flexo gens male docta genu.
Nec tantum male docta cohors, exultat avernus,
Et cacodemonium turba scelesta salit.
Scilicet ætherei durum patris ille flagellum est,
Ultio dia, malis exitioque satus.
Indice nescio quid signās demurmurat, atq;
Ut populo imponat, dulcia verba serit.
Exitio tradit, qvos hic servare videtur:
Ludere sic turbas ambitiosus amat.
Ut quocunq; meat, sordes testudo relinquit:
Sic immundiciem linquit ubique suam.

CHRI-

CHRISTVS.	ANTICHRISTVS.
Vendentes pepulit domo paterna,	Sacra Pluto suas in æde merces
Pollutam graviter ferens Iesus.	Vendit plebeis, & idiotis.
ANTITHESIS XI.	ANTITHESIS XI.
Qvanto ardore animi Christus genitoris honorem (habes.	*Si sedet in solio sceleratus Pluto supremo,*
Vindicet, exemplum, candide lector,	*Si sacras merces vendit in æde suas.*
Gens malè docta suas sancta Salomonis in æde	*Non est, quod mirum videatur, mitia nemo*
Vẽdebat merces, multus ut emtor erat.	*Vepribus ex duris carpere mala potest.*
Lanigerum pecus hic vendebat, & ille columbas:	*Nulla potest arbor mala suaves edere fructus:* (facit.
Expositas illic alter habebat opes.	*Egregium nec opus Pseudopropheta*
Christus ad interea sanctas pervenit in ædes	*Vt medicus fingit plantagine pellere virg*
Traderet ut sum̃i dogmata sancta Patris.	*Qui taxo ægrotos examinare solet;*
Intuitus merces in templo excanduit irâ,	*Sic vafer assimulat se tradere verba salutis*
Nec tulit, hos patriam sic violare domũ.	*Pluto, quibus magis est exitiale nihil.*
Multa quid? ille facit contorta cannabe flagrum	*Ille sibi, tanquam superis delapsus ab oris,*
Protinus, unde tulit verbera dura cohors.	*Vendicat, excelsi quod liquet esse Patris.*
Omnes qvotqvot erant duro fugat ille flagello:	*Nititur ut dæmon, superas penetrare per arces,*
Respiciunt timidi, semanimesq; ruunt.	*Vt cacodæmonium sive rebelle genus:*
Ut si fortè lupos in septro pastor ovili	*Simplicibus novit fallaces vendere bullas,*
Repperit, huic currit membra per ima furor: (tem,	*Pollicitus summi regna beata Dei:*
Corripit ille pedum, dextra levaq; peten-	*Sic parat insidias populis impostor, ut auceps*
Oreq; frendentem tum metuêre lupi.	*Subdolus incautæ retia tendit avi.*
Sic Christi virtute omnes fugiuntq; ruũtq;	*Heu viduata viro quoties emungitur ære,*
Et trepidat gelido tota caterva metu.	*Orphanus atq; dolis (impie Pluto) tuis?*
Eversis resonat dejecta pecunia mensis,	*Heu quoties olitor tentavit petroselinum*
Balat ovis, simplex atq; columba gemit.	*Carpere, quod nimium dira cicuta fuit?*
Illic auditur gemitus, clamorq; virorum,	*Carpsit sæpe legens flores ignara venenum*
Et quærulo fugiens murmurat ore cohors. (pressit	*Virgo, quod in viridi gramine sæpe latet;*
Alloquitur verò Christus, murmurqve re-	*Credula sic superas cœli contingere sedes*
Iudaicæ gentis, talia verba ferens:	*Turba putat scriptis, quæ dare Pluto solet.*
O scelerata cohors, annon domus ista colendo	*Sæpe reditq; domum pice longè nigrior atrâ*
Ædificata fuit supplice mente Deo?	*Candidior pura qui putat esse nive.*
O polluta cohors, quæ semper sancta prophanas.	*Semper & immiscet variè mendacia, mira*
Tène licet patriam sic violare domum?	*Arte suos vulpes, ut tegat illa dolos.*
Polluis has ædes sacras, loca sãcta, supremo	*Optima si verum tu condimenta veneno*
Hic ubi sincera mente colendus erat.	*Misceres, totum hoc exitiale foret.*
Quæ nusqvam fieri debent, hic istáne fient,	*Sic quoq; dum miscet sanas lethalibus herbas* (gregis?
Sunt ubi fundẽdæ supplice corde preces?	*Pluto, quid? in pestem non facit ille*
Haccine structa fuit vendendis mercibus ædes?	*Insperus allicitur miser à latrone viator,*
Non aliud (qvæso) postulat ista domus;	*Hic ubi cum vita sæpe relinquit opes:*
Illa tamen vobis facta est spelunca latronũ	*Sic vafer incautos sacras invitat in ædes,*
Proh scelus, an templũ sic temerare licet?	*Pollicitus certam Pluto salutis opem.*
Non tulit ergo, sacras scelerari turpiter ædes,	*Ast ibi non solum vel opes vel corpus ademtum est:*
Non violanda sciens tecta dicata Deo.	*Spiritus eripitur, nigraq; regna subit*

pag. 713.

Anno pag. 734 *

CHRISTVS.

Dat cœnam Dominus suis Iesus,
Largiturus opes suas in ævum.

ANTITHESIS XII.

Cum daret auricomus terris sua lumina vesper,
Proderet & vultus humida luna suos:
Plurima discipulos docuit moritur' Iesus,
Atque suas sancto gramine pavit oves.
Ast quæ illos docuit, nobis qvoq; dicta putentur,
Qui soboles Abrahæ progeniesq; sum9.
Ille reliquit opes, quas aurum vincere fulvum,
Gemmaqve quantumvis sit pretiosa (nequit.
Ille quid ergo suis pretiosi?se ipse reliquit,
Qui cibus est animis, ut foret inde salus,
Panis n. vivus descendit ab æthere Christ':
Quo sine quis quæso non moritur9 erat?
Et quia turba sum' natura incredula nostra
Nil nisi conspicuum credere quemque juvat?
Ipse suum posuit corpus, roseumq; amorẽ,
Sub pane, & liquido ritè fruenda mero.
Ut (quem gignit humus) pascuntur corpora pane,
Et vinum exhilarat tristia corda merum.
Queis sine deficiunt vires, & corporis art9,
Et fame præ nimia langvida membra jacent.
Sic sine cœlestis pretioso corpore Christi,
Heu quis in ęternũ non moreretur homo?
Lucidus ut quãdo fundit sol lumina terris,
Tristis in obscuras evolas umbra domos:
Sic nive candidior mens puro sanguine Christi
Redditur, innumeris sordibus atra pri'.
Nam dominabatur cacodæmõ impius orbi,
Mundus & hic fallax ater avernus erat,
Quos libet horrida mors præacutâ falce secabat,
In miseros linguas angue ferente suas.
Non tulit hanc speciem Christus, qui sanguine lavit
Peccatis hominum saucia corda suo.
Qui cacodæmonibus victis, & morte triumphans,
Ad dextram in celsâ nunc sedet arce Patris. (verè
Non tamen absentem nobis, sed corpore
Præsentem in cœnâ credimus esse suo.
Hoc Evangelii testantur dogmata sancti:
Testatur Domini sanctaq; cœna Dei.

pag. *

ANTICHRISTVS.

Fingit triticeum deum dolosus,
Pœna qvem populis docet colendum.

ANTITHESIS XII.

Quot sit opus famulis operosis conficiendo
Triticeo, labor est commemorare, Deo,
Cum colitur primum cũ vomere rura colon',
Tum seris, & semẽ, mollis ut herba, viret.
Dein, qua parva fuit, quando emmaturuit herba.
Sedula messorum falce caterva metit.
Insuper auriga vehitur duce in horrea bob',
Qui vectum terat hoc est ibi rursus op'.
Præterea molitor præstat malefidus opellã:
Atqve asinus qvando fertqve refertq; domum.
Tum puer, aut meretrix subigit scelerata farinam.
Forsan & hanc liquida diluit alter aqua.
Nec satis est, coquitur compressus duplice ferro,
Multa quid? est illic forcipe rursus opus:
Pyxide sacrifico tũ clausus fertur ad aras,
Qva tibi, lector, hara, si bene cernis, erunt.
Sacrificus variis ibi cingens vestibus art9,
Nescio quas secum murmurat ore preces.
Multa susurranti rogitat cum voce puellã,
Qui quoq; respondens tale susurrat idem.
Hic aliquantisper deflectit lumina somno,
Impiger accendit dum puer igne faces.
Ast ubi nescio quid cõprenso pane susurrat,
Ille (malam) panis creditur esse Deus.
Editur hic murmur, ceu flantis sibil' austri,
A tundente simul pectora plebe manu.
Quis, nisi mentis inops, ut sanctum tale probabit?
Haccine mens Christi? talia nulla docet.
Vt catus arrepto gaudet colludere muri,
Versat cum variis impiger ungue modis:
Nunc simulat somnum, nunc se discedere fingit,
Nunc redit, & murem corripit ore levem:
At varios lusus sequitur res seria: tandẽ,
Quem rapuit felis dente feroce, vorat:
Sic quoq; sacrificus cum volvit sæpius illum
Triticeum tumido devorat ore Deum.
Devorat hic aliis cernentib9 helluo totum,
Purpureo digitos lambit & ore suos.
Talia præceptis cum sint contraria Christi;
Dogmate Pluto tuo tu fugiendus eris.

CHRI-

Anno pag. 736. *

CHRISTVS.

Lavit discipulis pedes Iesus,
Laesis auxilium docens ferendum.

ANTITHESIS XIII.

Si sequeris Christum, lector, tutissimus ibis:
Splendida lux etenim totius orbis is est.
In tenebris nunqvam versabitur ille, fidelis,
Coeligenae Christo qui volet esse comes.
Filius est summo charissimus ille parenti,
Verba parens cujus percipienda jubet.
Lintea quę cingunt, en q[...]o, lector Iesum
En pelvim, nitidas unde prehēdit aqvas.
Discipulis lavet unde pedes Rex maximus unde
Tergat eos, mitis lintea Christus habet.
Petrus at ecce pedes Christo negat esse lavandos,
Atqve salutares ille recusat aquas.
Nil tibi (Christus ait) nobiscum Petre, futurum est,
Istos abluerit ni mea dextra pedes.
Tum Petrus: abluito, Divine, pedesqve manusqve,
quicquid & in nostro pectore sordis inest.
Sic nisi coelestis vitiosos laverit unda,
Aetherias nobis non licet ire domos.
Ergo tuo fas est renovari, Christe, lavacro,
Qui sceleris purus postulat esse sui.
Repperit at quando pecus errans fortè paludes,
Corruit in sordès, inficiturq; luto:
Impiger ereptā deducit pastor ad amnes,
Mergit aqvis, tergus lanigerumque lavat:
Sic qvoq; quando animos peccatum polluit atrum,
Hos aqua pollutos coelitus orta lavat.
Si Dominus, si Rex illotos laverit unda,
Non eadem nobis sunt facienda gregi?
Rege quid hoc potuit quaeso submissius esse,
A pedibus famulis quem juvat esse suis?
Mutua, si sapimus, nobis tradatur opella,
Et duce pauperib9 rege feramus opem.
Foelix ille animi, Christoq; simillimus ipsi,
Tutum ferre inopi quem juvat auxiliū.
Quisquis enim dextram fratri non tradit egeno,
Impius est, saevis deteriorqve feris.
At quicunq; suis gaudet succurrere sēper
Fratribus, hic foelix, atqve beatus erit.
Nā Deus omnipotens inprimis diligit illos
Queis erga fratres est pietatis amor.

Anno pag. 737. *

ANTICHRISTVS.

Hic vel Principibus dat osculandam
Impostor crepidam, velut monarcha.

ANTITHESIS XIII.

Ecce tibi, lector, vani ludibria Pluti,
A pedibus reges quem juvat esse suis,
Qui tribuendus erat Christo, praesumit honorem:
Iactitat & sancti se caput esse gregis.
Dic mihi quaeso, biceps fiet ne Ecclesia monstrum?
Impie, qua quaeso talia fronte refers?
Vah nequit esse biceps divina Ecclesia, Christus
Huic caput est unum: Pluto quid ergo (lupus.
Huic caput est Christus, sancti quoq; pastor ovilis,
Atq; suo teneras numine pascit oves.
Attamen ille suis immensum territat orbē
Legibus, & populi subjicit arte duces.
Hunc etenim flexo venerātur poplite reges,
Dan'q; (mirum) Pluto basia blanda pedi.
O caecos homines, ô regum pectora caeca?
Oscula concedit talia nónne nefas?
Sordida nam meretrix se rege beatior esset,
Si tali obsequio vitā beata foret?
Namq; ea, Pluto, tuo ridens os admovet ori:
Dat crepidis at Rex oscula blanda tuis.
O rationis inops ergo, qui, basia Pluti
Vt tradat crepidae flectit utrumq; genu.
Vt septena gerit denis cum cornibus ora
Bestia, quā tradunt esse dracone satam:
Monstrum horrendum, ingens, & frendens dentibus ira
Eructans saniem spargit ubique suam:
Plurima blasphemo (miserū) pronuntiat ore
Et violat summi nomina sancta Dei.
Hoc etiam coluit facile gens impia monstrū
Gaudet enim sēper gens scelerata malis.
Talia Pluto facit, leges imponit acerbas,
Percutit, occidit, quoslibet igne cremat:
Ille etenim toto sese jubet orbe colendum:
Cui nisi parueris crede, perire licet.
Si quis enim praecepta negat toleranda tyranni,
Corripitur, pius & dilaniatur homo.
Insatiabilis ut lupus agnos ore cruento
Corripit, & frendens dentib9 ille vorat.
Tergora diripiens sic monstrum devorat agnos:
Praedaq; sunt Pluto mitis ut agna lupi.

Anno pag. 738. *

CHRISTVS.

Spinosa tegitur pius coronâ,
Rideturque malis parens Iesus.

ANTITHESIS XIIII.

Quanta (vides) Christus nobis tormenta subivit,
Qvamq; gravē voluit sponte subire necē.
Impositū capiti non est diadema refulgens
Nec tam sancta gerit regia sceptra man⁹.
Cœlitus at nato pro dignâ rege corolla,
Spina caput pungens aut saliunca tegit.
Regia pro sceptro decoratur arundine dextra:
Flexilis & læsum tundit arundo caput.
Nunquid in orbe fuit (quæso) tractatus, ut ille,
Tam miseris seu fur, seu patricida, modis?
Hic illusus adest, & spinæ tempora circum,
Queîs ita comprimitur, sanguis ut inde fluat.
Hîc alii coram certant illudere capto,
Alter humi flexo poplite dicit, Ave.
Incutiunt alii colaphos, & lumina velant,
Irridens alius miles in ora spuit.
Omnibus autorem jocus est ridere salutis,
Ludus & innumeris hûc cruciare malis.
Ut multi accipitres gaudent laniare columbam,
Sic simul in Christū gens scelerata ruit.
Cujus in ore dolus non est invētus iniqvis
Nomine sed nostro, tunditur ille modis.
Pertulit at Christus patienter talia nobis,
Fabula qui miseræ plebis in ore fuit.
Pertulit hæc nobis, ut nos Acherontis ab undâ,
Erueret, cœli regnaq; sancta daret.
Nos etenim mortis mactârūt tela, tenebat
Compedibusq; suis pectora vincta Satan.
Christus at eripuit mortalia pectora curis,
Eruit â stygiis nos quoq; victor aquis.
Ergo qvis audebit Christo conferre tyrannum?
Nońe colendus erit, ducitur unde salus?
Quis stipulas granis (quæso) nisi stultus, adæquat
Lumina quis luci, ni rationis inops?
Unde salus pendet, nobis es Christe colendus,
Qui das in placidâ vivere mente dies.
Quisquilias verò quàm granum pluris & umbram,
Quam lucem veri gens inimica facit.
Posthabitis lucem tenebris pia, docta sequatur.
Vera etenim amplecti, linqvere falsa licet.

ANTICHRISTVS.

pag. 7… *

Impostor diadema Pluto gestat,
Gemmis fulgidulis micans & auro.

ANTITHESIS XIV.

Si mihi tot linguæ, bibulas quot littus arenas,
Mollia quot viridis gramina campus habet:
Si mihi ferrea vox, ô Plutô superbe, nequirem.
Eloquio fa[illegible] commemorare tuos.
Non redimita g[illegible]it spinosis mollia sertis
Tempora, nec cingit dura corolla caput:
Mollibus hoc gestamen obest, procul esto: tenellum
Bissina Sapphyro fulgida serta juvant.
Huic diadema triplex, ubi vel carbunculus auro
Cernitur intextus, nec fera mollis abest.
O quàm dissimilis Christo, qui tēpora circū
Militibus cæsus, spinea serta tulit.
Nec satis, huic opus est cornuta gente creando;
Magna nec implumi vertice turba deest.
Purpureo, crocinoq; micat vestitus amictu,
Ejus & est chlamydi lucida gēma decus.
Tympana multa sonant, reddit cava tibia cantus:
Nec chelys, aut cithara, nec lyra dulcis abest.
Insuper ignivomo belli ciet ore boatus
Machina, terribiles reddit & illa sonus.
Dic ubi tot fastus, ubi tantave pompa? quæ illis
Regum quæso suas æquiparabit opes?
Impius extollit vanum super æthera nomē,
Et cupit ignipotens ut Deus ipse, coli.
Exteriora gerit miris ornata lapillis,
Interius vero nil nisi virus habet.
Est igitur meretrix scorto lascivior omni,
Bestia quam rubro tincta colore vehit.
Purpurea cum veste gerit malè fida lapillos,
Cumq; deaurata pergit iniqua stola:
At latet inficiens tali sub veste venenum,
Turgida cum ficus atq; marisca subest.
Regibus illa tamen meretrix sua vina propinat
Exitialis, ubi dira venena latent.
Spumātes vino pateras hausēre monarchæ,
Proluit & tali quilibet ora scypho.
Sic fucata suo meretrix imponit amanti,
Proh dolor incautū quē manet interitus
Sic scelerata suum diffundit ubiq; venenū,
Quo sua quæ sequitur proluit ora cohors.

CHRI-

Anno pag. 740. *

CHRISTUS.

Quid summissius esse, quæso, regum
Summo Rege queat, videto lector?

ANTITHESIS XV.

Judæis coram mitis productus Iesus.
Hic à Romano præside Christus adest.
En tibi lector, homo quem spinea serta coronant,
Flexilis & cujus replet arundo manum.
En tibi, lector, homo qui pœnas sanguine pendit,
Quas mortalis erat turba datura Deo.
En tibi, lector, homo, qui non tamen est homo nudus,
Aut potius vermis, si bene cernis, erit.
Hunc rabiosa canum circundat turba, latratus,
Spumanti in tacitū quæ vomit ore feros
Ut ferus insectans prædā rugitq; tremitq;
Atq; aperit fauces, oraq; læva leo:
Sic maledicta vomit linguis vibrātibus ista
In Christum summo gens inimica Deo.
Aut velut effrænis subiens certamina taurus
Edit mugitus, & pede pulsat humum:
Sic fera turba caput ducitq; movetqve labellis
In Christum mortis frendet & ore ferox.
Cingitur utqve lupis balans frenuentibus agna:
Sic fremit in Christum gens malefida (ptum.
Cum tamen ille rei nullius conscius esset,
Hæc tacito tanquam conscius ore tulit.
Cumqve monarcha foret celsi dominator Olympi,
O paradoxa? tamen servus ut ille venit.
Qvi fuit egregia faciē speciosus, & inter
Mortales, illi non decor ullus inest.
Est Pharisæorum confusæ & fabula plebis:
Fabula, quæ nasum rhinocerotis habet.
Duris deliquitur pœnis, ut cera liquescens,
In teneram Phœbus lumina quādo refert.
Verberis apparet duri per membra character, (habet.
Purpureo & tinctum sanguine corpus
Aspersus sanie tanquam leprosus habetur,
Nam nihil illæsum præteriēre canes.
Contulit ista sibi: quid enim commiserat ille,
Qui sine peccato, qui sine labe fuit?
Pertulit impavidus tibi sævi tela Satanæ,
Et voluit stygios expoliare lacus,
Ergo tuum, lector, supplex reverēre parentem,
Addictus morti qui tibi cuncta tulit.

Anno pag. 741. *

ANTICHRISTUS.

Usurpat superos procax honores,
Cum fastuqve docet suos tyrannos.

ANTITHESIS XV.

Qvi sentina mali, lector, qui lerna malorum est,
In solio sese prædicat esse Deum.
Turgida cū fastu depromit verba tyrānus,
Qvæ patula demens percipit aure cohors.
Plaudito fida mihi comes, inquit turba: potestas
Tradita cælitus est omnis ubiq; mihi.
Quoslibet in celsas arces mea numina tollunt:
Et jubeo nigras quoslibet ire domos,
Nam mihi tum barathri est, tum celsi clavis olympi:
Possum tartareas & spoliare domos.
Nā mihi quādo lubet noto mandare Satanæ
Quævis est præsto, nostraq; jussa facit.
O quoties & quot manus hac acherontis ab unda
Humanas animas extrahit, are dato?
Traduxit nanto manes vaga cymba Charontis?
Magno traductos extraho pluris ego.
Hinc fuge pastor inops, procul o procul esto misselle, (meam.
Qvi methodum nescis, heu fuge stulte,
Nam malesvada fames tibi stringet corporis artus, (velis.
Mentem animumq; seqvi in mea jussa
Desine vera loqui, tibi falsū arrideat: auri,
Æris & argenti (me duce) dives eris.
Cernito naturas humanas ingeniumq;:
Displicet his verum, cunctaq; falsa juvant.
Unde mihi (quæso) triplex diadema paravi?
Unde crumena gravis, tantaq; pōpa mihi?
Unde mihi quæso magnos devincio reges?
Nō meditare, potēs unde monarcha vocor?
Omnia succedunt, mihi credito, falsa docēti:
Semper inops, si tu vera docebis, eris.
Omnia consiliis, astu, ratione, doloq;,
Posthabita fiunt relligione mihi.
Ergo voles istic dici quicunque beatus,
Quæ tibi præscribo, dogmata nostra cape,
Sin minus, erosus miseris à vermibus esto:
Excruciet pectus pauperiesqve tuum.
Sic docet incertum vulgus mendacia Pluto:
Sic tenerum novit dispoliare gregem.
Sic sibi conciliat mundi fastosus honores:
Sic inopum tenues depopulatur agros.

Anno pag. 742 *

CHRISTVS.

Pœnas mille dedit, crucemque tollit
Pro nobis miseris pius Redemtor.

ANTITHESIS XVI.

Tempore, qvo Christus lato versatus in orbe est
Maximus, ærumnas qvid nisi mille tulit?
Inde videre licet, qvas pendit amore suorū
Pœnas, expositus risibus atqve jocis.
Nam postqvam tam indigna tulit, laturus amare
Supplicium mortis, bajulat ecce crucem.
Ridet eum scelerata cohors, & verbere tundit:
Cujus erant durâ saucia membra viâ.
Nec mendax Pharisæus abest, nec scriba cruentus,
Qvi Christo illatum cernere vulnus amant.
O mala gens, scelerata, ferox, ô perfida, plagis
Cui jocus est regem dilaniare suum.
Cumq; mederetur nostris langoribus: illa
Credidit, hunc pœnas cōmeruisse graves.
Qvid miserabilius? qvid posset onusti° illo,
Qvi peccata hominum tam grave gessit onus?
Verbera mille tamen patiēs, ludibria mille
Judaicæ gentis, nil nisi mutus erat.
Mitis ut agna suo coram tondente nec hiscit,
Nec lanii cultro dilanianda gemit:
Sic qvoq; mutus erat, vel duro verbere cæsus.
Ductus ad horribilē gente feroce necē.
Qvod si cui nostrū subeundum tale fuisset:
Heu qvis non oneri succubuisset homo?
Pertulit ex humeris totius qvælibet orbis
Acta malis primo nata parente modis.
Et gen° humanū crudeli à morte redemit,
Qvod variâ fallax luserat arte Satan.
Ut sua Porphyrion fodit unco pectora rostro,
Exanimes pullos servet ut inde suos:
Terrea progenies sic dura à morte revixit
Fundere qvem libuit sangvine, Christe, tuo. (lutis,
Ergóne spernemus Christi documenta? sa-
Ergóne rejectus, qvi fuit author, erit?
Illéne, qvi nunqvam latum, tormenta vel ungvem
Pro nobis subiit, Pluto seqvendus erit?
Vah præstat rapidis exponere corpora flammis,
Et dare vel lento mēbra cremando rogo.
Ergo seqvamur eum, cujus vibice salutem
Conseqvimur, nobis unus & esto Deus.

ANTICHRISTVS.

pag. ... *

Pluto à quatuor elevatur, atque
Se præbet populo miser colendum.

ANTITHESIS XVI.

Ex humeris fertur fastosa Pluto cathedra,
Cui populus curvo poplite dicit, Ave.
Dedecus esset humū pedibus calcare puderet
Humanis tritas gressibus ire vias.
Non cruce, non alio quovis est pōdere press°
Vt Christus, nobis cum moriturus erat.
Attamen ille crucem, dices, gestare videtur: *(cruce!*
Nunquid cum Christi convenit illa
Noctis ut umbra nigra differt à luce diurna,
Humor ut à sicco, frigus ut à calidis,
A cruce sic Christi differt crux ficta tyranni,
Plebeium tali ludat ut arte gregem.
Christus enim patiens, ut nos à morte levaret,
Ex humeris tacito sustulit ore crucem.
Pluto crucē vero gestat malefidus, ut ōnes
Demittat rapidas in plegethontis aquas.
Non etenim tollēda piis crux aeris & auri est.
Aeternā ad vitā nulla metalla juvant.
Regia præ se fert pavo ut flabella superbus,
Sic sese ostentans ora superba gerit.
Tollitur ille suis populo venerāte, manuq;
Significat, celsas se reserare domos.
Quem tellus etiam, lector, si vera fateris,
Sufferat, indignus perniciosus erit.
Nam miser infecit turpi discrimine terrā,
Sordibus aerias polluit atque plagas.
Hunc malefida Deum cernentibus ora loquuntur: *(fides.*
At non est fronti (proh dolor) ulla
Nam velut illachrymans crocodilus decipit, ille,
Sic ficto fallax allicit ore gregem.
Talia quò spectant? quo tendunt omnia quæso?
Quo struit insidias Lerna, paluśq; mali?
His satis edoctus jam debes esse: magistro
Nil opus expertis, sed meminisse juvat.
Scilicet huc spectant, vacuentur ut ære crumena,
Tergoraq; ut tenere diripiantur ovi.
Lanigeras crudelis oves dum devorat, illi
Turgida ventosus pectora fastus agit.
Monstrum tale vorax absorbeat ergo barathrum:
Atque Deo pœnas tempus in omne luat.

Anno 744.

*

CHRISTUS.

Ascendis superas Redemtor arces,
Victis graviter hostibus triumphans.

ANTITHESIS XVII.

Postquam Rex hominum pœnarum millia mille
Pertulit, & diræ tela cruenta necis.
Tertia lux inerat, cum dirâ à morte revixit,
Et cum tartareas exuit ille domos.
At tandem ætherias ascẽdit victor in arces,
Hic laturus opem tempus in omne suis.
Purpureus vero victorẽ haud cingit amict⁹
Aureolos operit nec toga longa pedes.
Non albis huic currus equis, nullæq; quadrigæ,
Non his evehitur queîs homo gaudet equis.
Divinumq; caput non aurea palma coronat,
Quæ genuit tellus nullaq; serta gerit.
Non illi facies est ruso tincta colore,
Nullam aqvilam gestat, nullaq; sceptra manu.
Iste triumphus erat proprius mortalibus olim,
Qui poterant hostes exuperare suos.
Longe aliter verò tu maxime Christe triumphas:
Dissimilis longe téqve corona tegit.
Immortalis ei pro lauro gloria sertum
Immortale Deo rege parente datur.
Non homines ducit manibus post terga revinctos:
Sævior humanis viribus hostis erat.
Peccatum, horrida mors, cacodæmon, ater avernus,
Terribiles hostes, & caro vilis erat.
Attamen hos Christus celebri certamine vicit,
Infractis vinctos compedibusq; trahit.
Ætherias virtute sua penetrare per arces
Novit, & ad dextram ritè sedere Patris.
Nec satis, ascendens cœlesti veste refulget:
Oraq; divino lumine clara gerit.
Cingitur Angelicis superator cœtibus ore,
Qui resono laudes encomiumq; canunt.
Cœtus Apostolicus scandentẽ suspicit, atq;
Miratur nunqvam talia visa prius.
Multa quid? ad dextram summi sedet ille parentis,
Omnia servator maximus unde potest.
At tandem veniet, præsens ut judicet orbẽ:
Cernat quem fixit gens scelerata cruci.
Tunc inopinati descẽdet ab æthere mũdo:
Esto, qui sapiet, nocte dieque vigil.

Anno pag. 745.

*

ANTICHRISTUS.

Præceps in stygios lacus tyrannus
Fallax, & Babylon ruit superba.

ANTITHESIS XVII.

Quid monstri hic video? quis preceps corruit ille?
Heu quem præcipitant tot cacodæmonia?
Est satis ex triplici, lector, diademate notus,
Nunc ruit, in toto qui fuit orbe deus.
In rapidas acherontis aqvas, qui gloria mundi
Pluto fuit, lapsu corruit ecce gravi.
Illéne qvæso ruit Romanæ gloria gentis,
Lucifer ut fulgens, illéne qvæso ruit?
Ponere decreràt modo qui super æthera sedem,
Ut Deus altitonans, illéne qvæso ruit?
Illéne qvæso ruit, cui di aniare columbas
Ludus erat tenues, illéne qvæso ruit?
Illéne qvæso ruit, qui se jactabat habere
Imperium in cælis? illene qvæso ruit?
O paradoxa; ruit terraqve marisqve monarcha,
Qui mandata viris imperiosa dabat.
Corruit: ô lector, mirari desine, diris
Est cacodæmoniis præda, rapina, cibus.
Corruit, ut rapidum descendit ab æthere fulmen:
Corruit in stygios tempus in omne lacus.
Corruit & meretrix Babylonia, corruit omnis
Vana meretricis gloria, pompa, decus.
Cum meretrice ruunt pariter regesque ducesque,
Ex animo diram qui coluêre lupam.
Lamentatur eam male providus incola terræ,
Cum videt hanc, lapsu qvæ graviore ruit.
Sed quis eã quæso nigrũ demisit in antrũ,
Quâ virtute lupæ regna superba ruunt?
Namque videbatur nobis invicta, nec ullis
Illius everti mœnia posse modis.
Altitonans, lector, qui temperat omnia nutu,
Sustulit hanc prorsus, præcipitemque dedit,
Parcere subjectis & debellare superbos
Novit, & impune non sinit esse scelus.
Sic periit Babylon, periit sic Pluto scelestus;
Omnis sic pereat gens inimica Deo.
Ultio procedit, fateor, divina gradatim:
Nec quoties peccant, fulmina vibrat eis.
Supplicii vero justa gravitate rependit,
Turpia quæ longo tempore facta tulit.

CHRI-

Anno pag. 718. *

CHRISTVS.

Christi discipuli medentur ægris,
Non auro loculos graves gerentes.

ANTITHESIS IIII.

Quisnam tam lacero jacet hîc vestitus amictu?
Æger, qui tremulo quæritat ore cibum:
Qui fuerat molli genetricis ab ubere claudus,
Præ foribus templi quiq; jacebat inops.
Transit Joannes illac & Petrus, uterqve
Tum veneraturus supplice mente Deû,
Quos ubi vidit inops, timido cum pectore fatur.
Exiguam stipem supplice voce petens.
Neuter at argentum circumfert, neuter & aurum,
Ære crumena gravis neutrius atq; sonat.
Terrenis opibus non quærit uterq; potiri,
Nec juvat hos celsas ædificare domos.
Vellera nulla pio pecori detraxit uterque,
Ut subitò fieret dives, & ære gravis,
Neuter pyramides celsas miratur & arces,
Noverat & magni pendere neuter opes.
Nec sitiebat opes alienas pauper uterqve,
Ut strueret celsas de gregis ære domos.
Neuter divitiis incedere quærit onustus,
Tendit ad ætherios mens utriusqve polos.
Non molem templi tantam miratur uterq;
Nec specie eximias cernit uterqve fores.
Nil aliud, qvam divitias miratur uterqve
Ejus, in excelsa qui sedet arce, Patris.
Ergô quid huic donant querula tum voce petenti?
Cœlitus acceptas scit dare Petrus opes.
Cum tamen intuitus nummos speraret habere,
Sumit ab his munus carius ære datum.
Ut cum vere novo ramosa repullulat arbor
Cui prius aruerant brachia frigoribus:
Omnia loripedis sic verbo membra levantur,
Cui prius omninò debile corpus erat.
Quiqve jacebat humi, mirabile, claudus & æger,
Protinus hic stabili cernitur ire pede.
Qua, qvæso, virtute, facit miracula Petrus?
Nunquid in humanis tale videre licet;
Heu tua non virtus, divina potentia, Petre,
Loripedem firmo præcipit ire gradu.
Petr' at hęc fecit miracula nomine Christi,
Inde studens sanctum multiplicare gregem.

Anno pag. 719.

ANTICHRISTVS.

Neglecto grege, conspicatur urbes
Cum turba simili sibi tyrannus.

ANTITHESIS IIII.

Quid sibi vult, quæso, sceleratus Pluto? quid illic
Pseudoprophetarũ grex malefidus agit?
Quid molitur ibi, quid flectis lumina sursũ
Haccine clara poli suspicit astra cohors?
Nunquid sancta patris meditantur verba supremi;
Nunquid ei fundunt supplice mente preces?
Nunquid apostolico faciunt miracula more?
Aegra Dei fusa num prece mẽbra levãt?
Nunquid apud populum de sancta est concio lege,
Aut Evangelii dogmata sacra docent?
Nunquid ad æthereas extollunt lumina sedes?
Nunquid eos Christum concelebrare juvat!
Nunquid oves teneras hic sano gramine pascunt?
Qui volet, hæc facito, talia Pluto nequit.
Omnibus idem anim' celsas mirarier arces
Idem animus fluxis est inhiare bonis.
De grege quid fiat, nihili gens impia curãs,
Spectat magnificas ambitiosa domos.
Elysios horum nullus contendit ad agros,
Nil cœleste juvat, terrena sola placent.
En tibi strumosum Plutum, qui latus & arces,
Atq; sub urbe suos indice mõstrat agros.
Adstans & lateri cornutus Episcopus, ecce,
Quam patulo humanum lumine cernit opus?
Ut quando componit apis cellasq;, favosq;,
Cernit opus volitans undiq; fucus iners
Sæpius ignavum pecus in præsepe subintrat
Quæq; collegit apis sedula, mella vorat:
Sic ignava cohors, alius quas cõdidit, urbes
Occupat, ut fuco mellificavit apis.
Gens terrena domos celsas miratur & arces.
Gens pia syderibus: terrea gaudet humo:
Nil aliud sceleratũ potest præstare caterva
Cur? aliud monachi nil didicêre pigri.
Quæ natura suo ventri parentia finxit,
Deflectunt oculos omnia bruta suos.
Ventre graves monachi sic mundi rebus inhærent,
Nec miseri cupiunt inde referre gradum
Non sic impia gens, heu, non sic itur ad astra,
Vos trahit ad nigras hæc via lata domos.

Anno pag. 720.

Anno pag. 721.

CHRISTVS.	ANTICHRISTVS.
Refert externis parum lavari:	Hic ritus vetitos precesqve tradit
At lotis animis oportet esse.	Externas monachis gregi scelesto.

ANTITHESIS V.

Sumit Apostolicus mirum, dum prandia cœtus,
Qvæ Pharisæorũ murmurat ecce cohors?
Turba dolosa nimis vulpinâ prædita fraude,
Prandere illotos asserit esse nefas.
Christus ad omnipotens, summi sapientia Patris,
Solvere scit nodos, impia turba, tuos.
Ergo reclamaret qvando tyronibus, illa
Turbaq; cum Christo cõgrederetur, ait:
Væ tibi gens qvæ transgrederis mandata supremi
Sancta, tuis qveat ut ritibus esse locus.
Gens fucata graves novit glutire camelos,
Colare & culicẽ: qvod Deus odit, amat.
Abluis exteriꝰ nitidis tua pocula lymphis,
Et tua mortali vasa liquore pias.
Abluis at nunqvam cœlesti sordida rore
Pectora, qvo fierent candidiora nive.
An licet humanas propter dissolvere leges,
Qvas tulit excelsa summus ab arce Deus?
Ut speciosa suo meretrix videatur amanti,
Oblita tum fuco depygis ora gerit.
Exteriora tui sic corporis abluis unda,
Ast animi sordent interiora tui.
Non manibus scelus illotis accumbere mensæ:
Est scelus illota sumere mente cibum.
Ut cibus internas nullo de pectore sordes
Purgat, sic animum nec vitiare potest.
Ut Deus est verax, nihil & veracius illo:
Nil nisi sancta probat, nil nisi vera docet.
Tu vero, scelerata cohors, gens perfida, mendax,
Somnia qvã recreant, omnia falsa doces.
Deseris ambrosiam, nectar cœleste relinquis,
Atqve venenato gramine pascis oves.
Hoccine legistis facinus patrasse Prophetas?
O nimis audaci dogmata scripta manu?
Sermo Dei solus medicina est mentibus ægris,
Et morbos animi dogmata sana levant.
Sermo autem est Christus, tanti medicina doloris,
Ad qvem aditus rectos dat, modo viva, fides.
Sic reprimit sancto Christus sermone furores,
Queis Pharisæorum grex agitatus erat.

ANTITHESIS V.

Qvid sibi vult hominum grex tantus vertice raso?
Relligiosarum qvid petit ista cohors?
Cannabe qvid torta cinctis: qvid mitra bicornis?
Quidvé cucullatus postulat ordo simul?
Populte cui flexo tam attentis auribus adstant:
Hactine turba colit supplice mente Deum?
Nulla cohors novit talis servire supremo:
Verba nec attenta percipit aure Dei.
Grex etenim totus dicentis pendet ab ore,
Dum pro suggestu talia Pluto serit:
O nimium felix, ô terque quaterque beata,
Tu mihi docta Deo religiosa cohors.
Elysiis tandem mecum florebis in agris,
Ingenio memori si mea dicta tenes.
Nil primo internis precibus corrumpere mentem
Atqve animum curis sollicitare juvat.
Vestrũ quisq; preces moto demurmuret ore
Hic, ubi conveniet credula turba freqvens.
Ostentare juvat vel nuda cadaveris ossa,
Simplicibus prosunt illa prophana licet.
Qvodlibet egregia decoretur imagine templum,
Depingat varius lucida vitra color,
Cymbala multa sonent, fundantur thura per aras.
Nocte dieqve sacer luceat igne locus.
Nec te conturbes, si qvid commiseris, euge:
Consecrata fugat quodlibet unde scelus.
Floribus & ramis verno simulacra tegãtur
Tempore, & Autumno repleat uva manum.
Edite clamores, resonent & templa boatu,
Et populus sacra sæpe madescat aqua.
Sacrificaturi varios vestite colores:
Triticeos flatu fingite mille deos.
Omne tamen cum judicio depromite carmen,
Festa petit gravius, lene professa dies.
Signate humanas cruce ficta pulvere frontes
Tale susurrantes, quale susurrat apis.
Sic externa suis blasphemo prædicat ore
Pluto vafer, curans dogmata sancta nihil.
Ergo qui sapiet, vitabit pabula Pluti,
Qvi tam lethali gramine pascit oves.

CHRI-

Anno pag. 722. *

CHRISTUS.

Rex regum minimum facit seipsum
Christus, Caesaribus didrachma solvens.

ANTITHESIS VI.

Squamigeri Petrus quid spectat piscis in ore?
Hoccine mentis inops, an bene sanus agit?
Exequitur quicunqve boni mandata magistri,
Dixeris orbatum he ratione virum?
Huic etenim, quando solvi didrachma petebat
Quaestor Caesareo nomine, Christus ait:
Regia progenies non hisce est libera rebꝰ?
Pendere vectigal gens aliena solet:
Turpia ne verò pariamus scandala genti,
Ad mare Petre cito tu modo perge gradu.
Ad mare coeruleum quando perveneris, hamus
Curvus in aeqvoreas conjiciatur a vas.
Sqvamigerum jactu primo piscabere piscẽ,
A te inventus erit cujus in ore stater.
Solvito tum pro me pro teqve didrachma, quod aeris
Caesareus Quaestor nunc solet exigere.
Dicta probat Petrus, celeri pede currit ad aequor:
Squamigerum piscem protinus hamus habet.
Tum redit exiliens, pisci diducit & ora,
Promitur ex patulo protinus ore stater.
Verba Petrus Christi solvit didrachma secutus,
Accipit extensa Quaestor at ille manu.
Principibus docet hinc persolvere jura licere,
Atque tributa suis pendere Caesaribus.
Nunquid erat regum devinctus legibꝰ ille?
Legibus im̃unis quis, nisi Christus, erat?
Cui tribuendus honos, revereri praecipis inde:
Et cui vectigal pendere, Christe jubes.
Omnis enim à celsa decernitur arce potestas,
Et venit à summo regius ordo Patre.
Quod populo praesunt, vectigal penditur illis,
Quodq; etiam servant non sine lege bonos.
Non temerè gladium dedit his gestare Supremus,
Nec gestare gravi regia sceptra manu.
Innocuos ut rex damno defendit ab omni,
Sic illi poenas gens scelerata luit.
His etiam parere jubent mandata supremi,
Sic tamen ut Domini nõ violetur honos,
Is temerarius est ergò, quicunq; resistit
Principibus, voluit quos stabilire Deus.

ANTICHRISTUS.

pag. 7..

Pendit Principibus nihil tyrannus,
Ast hic subjicit ut monarcha reges.

ANTITHESIS VI.

Heu quid agit rerum triplici diademate tectus
Pluto, quibus mittit fulmina, quaeso viris?
Impius horrendo sancit cum fulmine legem
Quam vel principibꝰ non violare licet.
Auscultat malefida cohors, dum percitꝰ ira,
Ius superũm violans talia Pluto vomit.
O comites (neque enim ignari sumus ante malorum
Pessima quae nobis laica turba tulit)
Impia gens voluit, vectigal pẽdere nostros,
Nos quoq; subjectos Caesaris Imperio:
Ergòne Caesareis parendum legibus? ergon̄
Vectigalis erit relligiosa cohors?
Nos qui Caesareos scimus cohibere furores,
Et terimus presso regia colla pede.
Poplite quos flexo gens totius orbis adorat,
Legibus immunes non licet esse deos?
Per diadema triplex juro, per fulmina, terris
Quae manus haec vibrat, rem secus esse decet.
Frangatur potius regũ veneranda potestas
Quam numeret nummum gens mihi fida comes.
Ergò magistratus, quicunq; sit ille, caveto,
Si sapit, à nostris ulla tributa petat.
Sin secus, à nostro percussus fulmine poenas
Is luet in stygio tempus in omne lacu.
Sic divina Patris solvit decreta supremi,
Legibus immunem seq; suosq; facit.
Regibus at voluit vectigal solvere Christꝰ,
Impius his verò pendere Pluto nihil.
Ut mediis ludunt in aquis immania caete,
Et patulo pisces quoslibet ore vorant:
Sic tenet imperium mortales inter, & omnes
Diripit, illicita subdit & arte duces.
Et tenues viduas, quae cultu paupere vivũt
Pendere vectigal, Pluto superbe, jubes.
Multaq; progenies, orbata utroq; parente,
Pendit inops regi magna tributa suo.
Quod facinus, quaeso, visum est audacius unquam?
O nimis audaces & sine lege malos!
Omnibus insultans sic subjicit impius orbem,
Implicat atque suo regia colla jugo.

CHRI-

Anno p. 724. ✠

CHRISTVS.

Morborum generi medetur omni
Agnus Christus, opem ferens tenellis

ANTITHESIS VII.

Quanta sit, hinc cernes Lector, clementia Christi,
Atq; laborantes qua pietate levet.
Quoqvo pergit iter, qvoqvo se proripit ille
Auxilium implorans obvia turba venit.
Ille autem à rebus nunquã feriatur agendis
Dic mihi, quæso, bonum quando refugit opus?
Qvercubus ut virides hederæ, sic Christus adhæret,
Ut ferat auxilium, tempus in omne suis.
His modò sancta Dei facundo nunciat ore
Verba, laborãtes hos modò morte levat
Tunc sinistrorsum fugientẽ dæmona cernis
Ille ex humano corpore pulsus abit.
Corpore dissolvens illũ paralysis habebat,
Quẽ stabili Christus præcipit ire gradu,
Claudis restituit gressus, & lumina cæcis
Insuper & mutis verba sonare dedit.
Lepra quibus sanie tinctos infecerat artus.
Esse dedit medicâ corpora sana manu.
Cæca chelidonio verum non lumina sanat,
Nec leprosa auri pulvere membra levat.
Exitiale fugat nulla plantagine virus,
Coralio nocuum nec cacodæmonium:
Non reprimit nocuas herbis vel jaspide febres, (rum.
Curandam ad saniem non habet ellebo-
Non opus est gemmis Christo, non utitur herbis:
Imperat, & nutu quælibet ille facit.
Huic opus, huic labor est festis sanare diebus, (jacent.
Horum quotqvot humi langvida mẽbra
Nec Pharisæorum metuit, nec murmura plebis,
Irrequietus adest tempus in omne suis.
Scinditur incertũ studia in contraria vulg⁹.
Ille etenim damnat, quod probat alter, opus. (rum,
Ægros sanat, habens discrimina nulla die-
Festa licet fuerit sive profesta dies.
Gratum opus est illi quemvis sanare, quibusvis
Auxilio celeri non gravat ire pede.
Pellere nec solũ novit de corpore morbos,
Novit & ex læsa mente fugare scelus.
Nec miseris, nec pauperibus succurrere cessat,
Vel quocunq; hos dirigat ille pedes.

Anno pag. 725. ✠

ANTICHRISTVS.

Non visit miseros tyrannus ægros:
At contrà jocus est videre cædes.

ANTITHESIS VII.

Quãta sit, hinc cernes, miseri sævitia Pluti
Et quibus ingenium sit recreare jocis.
Si jocus est vero, cædes spectare cruentas,
Sanguinis & rivos unde madescit hum⁹
Ille parùm sancta statuit certamina lege.
Et pugnare viris præcipit ille viros.
Dicta probant omnes (quis contra audentior iret? (capit.
Quilibet hic (miserum) protinus arma
Signa tubis dantur, cæ um clan ore remugit
In stadio celeri tum pede currit equus.
Pugna fit horrendũ vero certamẽ, eque ri
Pugnat equester, equis congrediuntur equi.
Vt cum Zelotypi subeunt certamina tauri,
Concutiunt presso gramina lata pede.
Ore cient fumos, jungunt cum cornibu ora,
Sæpius ad mortem cæsus uterque cadit.
Sæpe fit indigno sic in certamine cædes,
Cum sessore simul dejiciuntur equi.
Hic contusa gravi cernuntur brachia casu,
Atque repugnantes cæde perire gravi.
Heu, quam rara ferunt secum certamina pacem? (erit.
Nulla salus, & ubi Martius horror
Non semel hasta virûm teneros hic confodit artus,
Sanguine & humano sæpe rubescit hum⁹.
Num spectare piget? dirimis num prælia Pluto,
Nũ dirimit, quæso prælia cædis amans?
Sanguinolentus amas fusum spectare cruorem,
Et ruere exanimes cernere gaudes equos.
Nec soli arrident miseræ spectacula cædis,
Nec meretrix illinc, nec comit atq abest
Num solet ille gravi detẽtos visere morbo?
Vt viduas visat, num subit ille casas?
Heu, piget hunc parvosq; lares humilesque subire,
Dedecus obscuras huicq; subire domos.
Sanguineas, animi solamen, cernere cædes.
Hunc juvas, hunc hasta, missaque tela juvant. (horror,
Atque ubi congressus armorumq; ingruit
Pluto frequens illic, ut modo cernis, adest
Impius est igitur natus cacodæmone Pluto,
Turpibus & geniis est homicida satus.

Anno pag. 726. *

CHRISTVS.

Amissos humeris reportat agnos,
Casus non metuens subire Christus.

ANTITHESIS VIII.

Cernitur hic veri, lector, pastoris imago;
Qvi tenerum servat sedulitate gregem.
Sana gregi Christus non solùm gramina præbet,
Huncq; per irriguos non modo ducit agros.
Non modo pascit oves, ubi fragrás crescit amomum,
Aut ubi gramen adest, mollis & herba viret.
Non modo pascit oves, ubi clarus defluit amnis,
Non modo de liqvido fonte propiuat aqvas.
Nō modo nō ducit per devia sedul⁹ agnos,
Aut per gramen, ubi grex aconita legit.
Occursare feris primus venientibus audet,
Audet & effrænes ille fugare lupos.
Primus & impavide transit per amœna locorum,
Nil veritus sævi rostra cruenta lupi.
Si qua tenebrosis pec⁹ est in vallibus errás,
Hanc ovium qværit pastor ubiq; bonus.
Intuitus dubio noscit vestigia gressu,
Impiger hæc seqvitur, nec gravat iste labor,
Per sylvas, per agros, tristis per opaca vagatur,
Mœstus ovē qverulo nominat ore suam.
Invenit, inventā non duro verbere tundit:
Impiger hanc humeris tollitat ille suis.
Sublatamq; suū gaudens in ovile reportat,
Et reficit fessam gramine lætus ovem.
O pastorem ovium! licet hinc cognoscere, qvantâ
Pascit oves Christus sedulitate suas.
Si qva vel agna lupos in sævos incidit, illam
Eripit impavidâ protinus ille manu.
Non metuit tristes ululatus ipse luporum,
Hunc neque crudelis tygridis ira fugat,
Non metuit mortē, nec mille pericla subire,
Effera sangvinei nec timet ora lupi.
Casibus innumeris audet se exponere primus,
Dæmonas & cōtra primus in arma ruit.
Sed manet intrepidus, casu qvoqve servat ab omni
Pastor oves Christus nocte dieq; vigil.
Talia discipulis, lector, præsentibus audet,
Præcipit exemplo qvæ facienda suo.
Dum pia Christus obit pastoris munia veri:
Discit Apostolicus pascere cœtus oves.

ANTICHRISTVS.

pag. 7

Agnos Pluto lupus rapax tenellos
Correptos lacerat feroce dente.

ANTITHESIS VIII.

Qvod genus hic hominis, quæso, cum tempora circum
Est diadema triplex, ora lupina gerens?
Hiccine pastor erit, qui dentes promit acutos,
E cujus pendet plena crumena pedo?
Pseudopropheta, lupus, latro, dux atque latronum,
Candide spectator, si bene cernis, erit.
Nec modo vitales ò vos qui carpitis auras,
Ast & enim cassos lumine dente vorat.
Carnivorax tumidis ut gaudet hyæna sepulchris.
Sic instat putidis ille cadaveribus.
Hic miser ætheria nō fungitur ampli⁹ aura,
Ast inhumandus ibi mortuus ecce jacet.
At scelus indignum, vafro numismata Diti
Sunt numeranda prius, quam sit opertus humo.
Nec procul hinc adsunt fallaces pseudopropheta,
Qvi, ut vultur rapidus, putre cadaver amant.
En, quæso, ossa quibus nôrunt imponere plebi,
Hæc proclamātes sancta, prophana licet.
Non missura prius carnē, quā plena cruoris,
Quando hæret teneræ mollis hirudo cuti.
Sic ignara dolis emungitur ære caterva:
Imbelles populi quid nisi præda manent?
Vt prædātur eos monachi, prædatur & alter
Hos prædo, at nulli quem latuêre doli.
Qvid digito monstret, vis scire, quid indice quærit,
Quæve cucullatis satrapa verba facit?
Nemo pias vestrū fraudes exerceat, inquit,
A nobis nisi sit copia facta prius,
Nec liceat cuiquā peccata remittere: nullā
Hæc sine permissu sunt facienda meo.
Vnius est summi peccata remittere Ditis,
Qvi velut immenso regnat in orbe Deus.
Vt leo, dum spectat mōtis de vertice prædā,
Horrendos patulo promit ab ore sonos:
Tum fremit, & caudam decurrens ducit in orbem,
Et torvum intuitus circuit ille feras:
Tum tremuêre feræ, tremulæ sistuntque paventque
Atque manent regis jussa superba sui.
Sic Pluti ad nutus monachorum turba tremiscit,
Jussa sui metuens exeqviturq́ Dei.

CHRI-

Anno 728.

CHRISTVS.

Aspernatur opes, docetque Christus,
Sola tecta fide subire cœli,

ANTITHESIS IX.

Cernitur hic Christus cœlo demissus ab alto,
Cœlesti emissas qui patre tradit opes.
Gens ignara viæ, quâ cellas itur ad arces,
Adstat, & auscultans à duce quærit iter.
Christus at ignaræ gaudēs succurrere gēti,
Quà patet accessus, mōstrat ad astra viā.
Prædia nulla sitit, fulvū non appetit aurum,
Nec quæ ferre solet munera vilis humus.
Nec Pharisæorum mores imitatur iniquos,
Qui viduas fictâ sub pietate vorant.
Vultis, ait, fratres, cœlestia regna subire?
Terrenis opibus non inhiare decet.
Sunt terrena viro nihili facienda fideli,
Servandis animis sordida terra nocet.
Quem nulla ærugo, nulli rosere latrones,
Thesaurum in cœlis accumulato prius.
Non licet argento superas penetrare per arces,
Tecta superna poli non gravis ære subit.
Ut spirante noto navis, dum tendit in altū,
Naufragium patitur, quam grave mergit onus.
Sic quoque cum loculis dum tendit ad æthera dives,
Ipsum Cocyti pondus ad ima trahit.
Quilibet ære graves ergo deponito bursas,
Namq; piis onus hoc claudit ad astra viā.
Munere consequitur terrestri nemo salutē,
Tecta poli solâ sunt subeunda fide.
Quisquis enim cupiet cœli cōtingere sedes,
Sola fides aditus huic, modo viva, dabit.
A stygiis nullos argentum liberat undis,
Nec fragiles movit quas dare mundus, opes.
Muneribus cereris quis, quæso, conferet almum (inops?
Nectar & ambrosiam? quis, nisi mentis
Nemo potest animo complecti, aut sensibus ullis,
Præparat electis quæ Deus ipse suis.
Omnia posthabeat, vel charos ille parētes,
Patre Deo nato qui volet esse comes.
Liberat effuso mortales sangvine Christus,
Atq; hominum nullo penditur ære salus.
Christus enim verax est solus janua cœli,
Quo sine tecta poli scandere nemo potest.

Anno pag. 729.

ANTICHRISTVS.

Hil falso reserat fores supernas,
Et peccata pecuniâ remittit.

ANTITHESIS IX.

Cernitur à stygiis deductus Pluto lacunis,
Qui fragiles mundi nil nisi spirat opes.
Sydera nemo potest quot sunt numerare polorum,
Quot neque Vere novo gramina campus habet:
Sic ipsoq; nemo potest vafri ludibria Pluti,
Ejus & innumeros commemorare dolos.
Non scopus est pura venerari mente supremum
Ejus, & æternum concelebrare Deum.
Hunc scopus immensum seducere fraudibus orbem,
Huic scopus humanum ludificare genus.
Versicolore vafer pergit vestitus amictu,
Et speciem vestes relligionis habent.
Dextra crucem gestat, gestat quoque læva libellum,
Quo veniam scelerū se dare posse refert.
Cernitur ante alios juvenis, qui cymbala pulsat,
Quem sequitur monachum perniciosa cohors.
Proximus idolū gestat, qui vertice raso est,
Nescio quæ secum verba secundus habet,
Utque volutabro lætatur amica luto sus,
Et catulos illuc edocet ire suos:
Sic docet impostor monachos imponere plebi,
Et varia humanum fallere fraude genus.
Vos date subjectis, inquit, sal, thura, putrescat [illegible] (aqua.
Utque cadaver, humum, lustraque vilis
Cymbala cum meritis, cineres, benedicto, cantus,
Talia sunt certo distribuenda die.
Legibus his tamen ut frumentum, vina, liquores,
Et quicquid vobis eliciatur, erit.
Dicta probāt, faciūt docti mādata magistri
Et toto impia gens seminat ore dolos.
Spargitur ut liquidis crocodilo semita lymphis
Ad Nilum, ut lapsos ore vorace vorer;
Sic inimica Deo ludit gens ritibus orbem,
Ingenio quos scit fingere Pluto suo.
Qualibet arripiunt: lucri bonus est odor ex re (juvat.
Qualibet: imponunt, hos scelus omne
Accipiūt quodvis, si nō sonat ære crumena:
Sive siligo adsit, sordida sive pecus.
Impia gens facit hæc, Pluto doctore, misellis
Qui sic [illegible] vis opes evacuare gregis.

pag. 732.

CHRISTVS.

Vendentes populit domo paterna,
Pollutam graviter ferens Iesus.

ANTITHESIS XI.

Qvanto ardore animi Christus genitoris honorem {habes.
Vindicet, exemplum, candide lector,
Gens malè docta suas sancta Salomonis in æde
Vēdebat merces, multus ut emtor erat.
Lanigerum pecus hic vendebat, & ille columbas:
Expositas illic alter habebat opes.
Christus ad interea sactas pervenit in ædes
Traderet ut sumi dogmata sancta Patris.
Intuitus merces in templo excanduit irâ,
Nec tulit, hos patriam sic violare domū.
Multa quid? ille facit contorta cannabe flagrum
Protinus, unde tulit verbera dura cohors.
Omnes qvotqvot erant duro fugat ille flagello:
Respiciunt timidi, semanimesq; ruunt.
Ut si fortè lupos in septro pástor ovili
Repperit, huic currit membra per ima furor: {tem,
Corripit ille pedum, dextra levaq; petenOreq; frendentem tum metuēre lupi.
Sic Christi virtute omnes fugiuntq; ruūtq;
Et trepidat gelido tota caterva metu.
Eversis resonat dejecta pecunia mensis,
Balat ovis, simplex atq; columba gemit.
Illic auditur gemitus, clamorq; virorum,
Et quærulo fugiens murmurat ore cohors. (pressit
Alloquitur verò Christus, murmurqve te-
Iudaicæ gentis, talia verba ferens:
O scelerata cohors, annon domus ista colendo
Ædificata fuit supplice mente Deo?
O polluta cohors, quæ semper sancta prophanas,
Tene licet patriam sic violare domum?
Polluis has ædes sacras, loca sācta, supremo
Hic ubi sincera mente colendus erat.
Quæ nusqvam fieri debent, hic istáne fient,
Sunt ubi fundēdæ supplice corde preces?
Hacceine structa fuit vendendis mercibus ædes?
Non aliud (qvæso) postulat ista domus;
Illa tamen vobis facta est spelunca latronū
Proh scelus, an templū sic temerare licet?
Non tulit ergo, sacras scelerari turpiter ædes,
Non violanda sciens tecta dicata Deo.

ANTICHRISTVS.

Sacra Pluto suas in æde merces
Vendit plebeis, & idiotis.

ANTITHESIS XI.

Si sedet in solio sceleratus Pluto supremo,
Si sacras merces vendit in æde suas.
Non est, quod mirum videatur, mitia nemo
Vepribus ex duris carpere mala potest.
Nulla potest arbor mala suaves edere fructus: [illegible] (facit.
Egregium nec opus Pseudopropheta
Vt medicus fingit plantagine pellere virus
Qui taxo ægrotos examinare solet;
Sic vafer assimulat se tradere verba salutis
Pluto, quibus magis est exitiale nihil.
Ille sibi, tanquam superis delapsus aboris,
Vendicat, excelsi quod liquet esse Patris.
Nititur ut dæmon, superas penetrare per arces,
Vt cacodæmonium sive rebelle genus:
Simplicibus novit fallaces vendere bullas,
Pollicitus summi regna beata Dei:
Sic parat insidias populis impostor, ut auceps
Subdolus incautæ retia tendit avi.
Heu viduata viro quoties emungitur ære,
Orphanus atq; dolis (impie Pluto) tuis?
Heu quoties olitor tentavit petroselinum
Carpere, quod nimium dira cicuta fuit?
Carpsit sæpe legens flores ignara venenum
Virgo, quod in viridi gramine sæpe latet;
Credula sic superas cæli contingere sedes
Turba putat scriptis, quæ dare Pluto solet
Sæpe reditq; domum pice longè nigrior atrâ
Candidior pura qui putat esse nive.
Semper & immiscet veris mendacia, mira
Arte suos vulpes, ut tegat illa dolos.
Optima si verum tu condimenta veneno
Misceres, totum hoc exitiale foret.
Sic quoq; dum miscet sanas lethalibus herbas (gregi?
Pluto, quid? in pestem non facit ille
Prospectus allicitur miser à latrone viator,
Hic ubi cum vita sæpe relinquit opes:
Sic vafer incautos sacras invitat in ædes,
Pollicitus certam Pluto salutis opem.
Ast ibi non solum vel opes vel corpus ademtum est:
Spiritus eripitur, nigraq; regna subit

Anno
pag. 734
*

CHRISTVS.

Dat cœnam Dominus suis Iesus,
Largiturus opes suas in ævum.

ANTITHESIS XII.

Cum daret auricomus terris sua lumina vesper,
Proderet & vultus humida luna suos:
Plurima discipulos docuit moritur⁹ Iesus,
Atque suas sancto gramine pavit oves.
Ast quæ illos docuit, nobis qvoq; dicta putentur,
Qui soboles Abrahæ progeniesq; sumꝰ.
Ille reliquit opes, quas aurum vincere fulvum,
Gemmaqve quantumvis sit pretiosa (nequit.
Ille quid ergo suis pretiosiꝰse ipse reliquit,
Qui cibus est animis, ut foret inde salus,
Panis n. vivus descendit ab æthere Christꝰ:
Quo sine quis quæso non morituꝛ erat?
Et quia turba sumꝰ natura incredula nostra
Nil nisi conspicuum credere quemque juvat?
Ipse suum posuit corpus, roseumq; amorē,
Sub pane, & liquido ritè fruenda mero.
Ut (quem gignit humus) pascuntur corpora pane,
Et vinum exhilarat tristia corda merum.
Queis sine deficiunt vires, & corporis artꝰ,
Et fame præ nimia langvida membra jacent.
Sic sine cœlestis pretioso corpore Christi,
Heu quis in ęternū non moreretur homo?
Lucidus ut quādo fundit sol lumina terris,
Tristis in obscuras evolas umbra domos:
Sic nive candidior mens puro sanguine Christi
Redditur, innumeris sordibus atra priꝰ.
Nam dominabatur cacodæmō impius orbi,
Mundus & hic fallax ater avernus erat,
Quos libet horrida mors præacutâ falce secabat,
In miseros linguas angue ferente suas.
Non tulit hanc speciem Christus, qui sanguine lavit
Peccatis hominum saucia corda suo.
Qui cacodæmonibus victis, & morte triumphans,
Ad dextram in celsâ nunc sedet arce Patris. (verè
Non tamen absentem nobis, sed corpore
Præsentem in cœnâ credimus esse suo.
Hoc Evangelii testantur dogmata sancti:
Testatur Domini sanctaq; cœna Dei,

ANTICHRISTVS.

pag.
*

Fingit triticeum deum dolosus,
Pœna qvem populis docet colendum.

ANTITHESIS XII.

Quot sit opus famulis operosis conficiendo
Triticeo, labor est commemorare, Deo,
Cum coluit primum cū vomere rura colonꝰ,
Tum serit, & semē, mollis ut herba, viret.
Dein, qua parva fuit, quando ematuruit herba.
Sedula messorum falce caterva metit.
Insuper auriga vehitur duce in horrea bobꝰ,
Qui vectum terat hoc est ibi rursus opꝰ.
Præterea molitor præstat malefidus opellā:
Atqve asinus qvando fertqve refertq; domum.
Tum puer, aut meretrix subigit scelerata farinam.
Forsan & hanc liquida diluit alter aqua.
Nec satis est, coquitur compressius duplice ferro,
Multa quid? est illic forcipe rursus opus;
Pyxide sacrifico tū clausus fertur ad aras,
Qva tibi, lector, hara, si bene cernis, erunt.
Sacrificus variis ibi cingens vestibus artꝰ,
Nescio quas secum murmurat ore preces,
Multa susurranti rogitat cum voce puellū,
Qui quoq, respondens, tale susurrat idem.
Hic aliquantisper deflectit lumina somno,
Impiger accendit dum puer igne faces.
Ast ubi nescio quid cōprenso pane susurrat,
Ille (malum) panis creditur esse Deus.
Editur hic murmur, ceu flantis sibilꝰ austri,
A tundente simul pectora plebe manu.
Quis, nisi mentis inops, ut sanctum tale probabit?
Haccine mens Christi? talia nulla docet.
Vt catus arrepto gaudet colludere muri,
Versat cum variis impiger ungue modis:
Nunc simulat somnum, nunc se discedere fingit,
Nunc redit, & murem corripit ore levem:
At varios lusus sequitur res seria; tandē,
Quem rapuit felis dente feroce, vorat:
Sic quoq, sacrificus cum volvit sapius illum
Triticeum tumido devorat ore Deum.
Devorat hic aliis cernentibꝰ helluo totum,
Purpureo digitos lambit & ore suos.
Talia præceptis cum sint contraria Christi;
Dogmate Pluto tuo tu fugiendus eris.

CHRI-

Anno pag. 736. *

CHRISTVS.

Lavit discipulis pedes Iesus,
Lassis auxilium docens ferendum.

ANTITHESIS XIII.

Si sequeris Christum, lector, tutissimus ibis:
Splendida lux etenim totius orbis is est.
In tenebris nunqvam versabitur ille, fidelis,
Cœligenæ Christo qui volet esse comes.
Filius est summo charissimus ille parenti,
Verba parens cujus percipienda jubet.
Lintea qué cingunt, en quo, lector Iesum
En pelvim, nitidas unde prehédit aqvas.
Discipulis lavet unde pedes Rex maximus unde
Tergat eos, mitis lintea Christus habet.
Petrus at ecce pedes Christo negat esse lavandos,
Atqve salutares ille recusat aquas.
Nil tibi (Christus ait) nobiscum Petre, futurum est,
Istos abluerit ni mea dextra pedes.
Tum Petrus: abluito, Divine, pedesqve manusqve,
Quicquid & in nostro pectore sordis inest.
Sic nisi cœlestis vitiosos laverit unda,
Æthereas nobis non licet ire domos.
Ergo tuo fas est renovari, Christe, lavacro,
Qui sceleris purus postulat esse sui.
Repperit at quando pecus errans fortè paludes,
Corruit in sordes, inficiturq; luto:
Impiger ereptā deducit pastor ad amnes,
Mergit aqvis, tergit lanigerumque lavat:
Sic qvoq; quando animos peccatum polluit atrum,
Hos aqua pollutos cœlitus orta lavat.
Si Dominus, si Rex illotos laverit unda,
Non eadem nobis sunt facienda gregi?
Rege quid hoc potuit quæso summissius esse,
A pedibus famulis quem juvat esse suis?
Mutua, si sapimus, nobis tradatur opella,
Et duce pauperibꝰ rege feramus opem.
Fœlix ille animi, Christoq; simillimus ipsi,
Tutum ferre inopi quem juvat auxiliū.
Quisquis enim dextram fratri non tradit egeno,
Impius est, sævis deteriorqve feris.
At quicunq; suis gaudet succurrere sēper
Fratribus, hic fœlix, atqve beatus erit.
Nā Deus omnipotens inprimis diligit illos
Queis erga fratres est pietatis amor.

Anno pag. 737. *

ANTICHRISTVS.

Hic vel Principibus dat osculandam
Impostor crepidam, velut monarcha.

ANTITHESIS XIII.

Ecce tibi, lector, vani ludibria Pluti,
A pedibus reges quem juvat esse suis,
Qui tribuendus erat Christo, præsumit honorem:
Iactitat & sancti se caput esse gregis.
Dic mihi quæso, biceps fiétne Ecclesia monstrum?
Impie, qua quæso talia fronte refers?
Vah nequit esse biceps divina Ecclesia, Christus
Huic caput est unum: Pluto quid ergo (rupus.
Huic caput est Christus, sancti quoq; pastor ovilis,
Atq; suo teneras numine pascit oves.
Attamen ille suo immensum territat orbē
Legibus, & populi subjicit arte duces.
Hunc etenim flexo venerātur poplite reges,
Dant q; (ma um) Pluti basia blanda pedi.
O cæcos homines, ô regum pectora cæca?
Oscula concedit talia nonne nefas?
Sordida nam meretrix te rege beatior esset,
Si tali obsequio vitā beata foret?
Namq; ea, Pluto, tuo ridens os admovet ori:
Dat crepidis at Rex oscula blanda tuis.
Orationis inops ergo, qui, basia Pluti
Vt tradat crepidæ, flectit utrumq; genu.
Vt septena gerit denis cum cornibus ora
Bestia, quā tradunt esse draconem satanæ
Monstrum horrendum, ingens, & frendens dentibus iram
Eructans saniem spargit ubique suam:
Plurima blasphemo (miserū) pronunciat ore
Et violat summi nomina sancta Dei.
Hoc etiam coluit facile gens impia monstrū
Gaudet enim sēper gens scelerata malis.
Talia Pluto facit, leges imponit acerbas,
Percutit, occidit, quoslibet igne cremat.
Ille etenim toto sese jubet orbe colendum:
Cui nisi parueris, crede, perire licet.
Si quis enim præcepta negat toleranda tyranni,
Corripitur, pius & dilaniatur homo.
Insatiabilis ut lupus agnos ore cruento
Corripit, & frendens dentibꝰ ille vorat.
Tergora diripiens sic monstrum devorat agnos:
Prædaq; sunt Pluto mitis ut agna lupi.

Anno
pag. 738.
*

CHRISTVS.

Spinosa tegitur pius coronâ,
Rideturque malis parens Iesus.

ANTITHESIS XIIII.

Quanta (vides) Christus nobis tormenta subivit,
Qvamq; gravē voluit sponte subire necē.
Impositū capiti non est diadema refulgens
Nec tam sancta gerit regia sceptra man⁹.
Cœlitus at nato pro dignâ rege corolla,
Spina caput pungens aut saliunca tegit.
Regia pro sceptro decoratur arundine dextra:
Flexilis & læsum tundit arundo caput.
Nunquid in orbe fuit (quæso) tractatus, ut ille,
Tam miseris seu fur, seu patricida, modis?
Hic illusus adest, & spinæ tempora circum,
Queîs ita comprimitur, sanguis ut inde fluat.
Hîc alii coram certant illudere capto,
Alter humi flexo poplite dicit, Ave.
Incutiunt alii colaphos, & lumina velant,
Irridens alius miles in ora spuit.
Omnibus autorem jocus est ridere salutis,
Ludus & innumeris hûc cruciare malis.
Ut multi accipitres gaudent laniare columbam,
Sic simul in Christū gens scelerata ruit.
Cujus in ore dolus non est invētus iniqvis
Nomine sed nostro, tunditur ille modis.
Pertulit at Christus patienter talia nobis,
Fabula qui miseræ plebis in ore fuit.
Pertulit hæc nobis, ut nos Acherontis ab undâ,
Erueret, cœli regnaq; sancta daret.
Nos etenim mortis mactârūt tela, tenebat
Compedibusq; suis pectora vincta Satan.
Christus at eripuit mortalia pectora curis,
Eruit à stygiis nos quoq; victor aquis.
Ergo qvis audebit Christo conferre tyrannum?
Nonnē colendus erit, ducitur unde salus?
Quis stipulas granis (quæso) nisi stultus, adæquat
Lumina quis luci, ni rationis inops?
Unde salus pendet, nobis es Christe colendus,
Qui das in placidâ vivere mente dies.
Quisquilias verò quàm granum pluris & umbram,
Quam lucem veri gens inimica facit.
Posthabitis lucem tenebris pia, docta sequatur.
Vera etenim amplecti, linqvere falsa licet.

pag. 7
+

ANTICHRISTVS.

Impostor diadema Pluto gestat,
Gemmis fulgidulis micans & auro.

ANTITHESIS XIV.

Si mihi tot linguæ, bibulas quot littus arenas,
Mollia quot viridis gramina campus habet:
Si mihi ferrea vox, ô Plutô superbe, nequirem.
Eloquio fastus commemorare tuos.
Non redimita gerit spinosis mollia sertis
Tempora, nec cingit dura corolla caput:
Mollibus hoc gestamen obest, procul esto: tenellum
Bissina Sapphyro fulgida serta juvant.
Huic diadema triplex, ubi vel carbunculus auro
Cernitur intextus, nec sera mollis abest.
O quàm dissimilis Christe, qui tēpora circū
Militibus cæsus, spinea serta tulit.
Nec satis, huic opus est cornuta gente creando;
Magna nec implumi vertice turba deest.
Purpureo, crocinoq; micat vestitus amictu,
Ejus & est chlamydi lucida gēma decus.
Tympana multa sonant, reddit cava tibia cantus:
Nec chelys, aut cithara, nec lyra dulcis abest.
Insuper ignivomo belli ciet ore boatus
Machina, terribiles reddit & illa sonus.
Dic ubi tot fastus, ubi tantave pompa? quæ illis
Regum quæso suas æquiparabit opes?
Impius extollit vanum super æthera nomē,
Et cupit ignipotens ut Deus ipse, coli.
Exteriora gerit miris ornata lapillis,
Interius vero nil nisi virus habet.
Est igitur meretrix scorto lascivior omni,
Bestia quam rubro tincta colore vehit.
Purpurea cum veste gerit malè fida lapillos,
Cumq; deaurata pergit iniqua stola:
At latet inficiens tali sub veste venenum,
Turgida cum ficis atq; marisca subest.
Regibus illa tamen meretrix sua vina propinat
Exitialis, ubi dira venena latent.
Spumātes vino pateras hausere monarchæ,
Proluit & tali quilibet ora scypho.
Sic fucata suo meretrix imponit amanti,
Proh dolor incautū quē manet interitus
Sic scelerata suum diffundit ubiq; venenū,
Quo sua quæ sequitur proluit ora cohors.

CHRI-

Anno pag. 740. ✠

CHRISTUS.

Quid summissius esse, quæso, regum
Summo Rege queat, videto lector?

ANTITHESIS XV.

Judæis coram mitis productus Iesus,
Hic à Romano præside Christus adest.
En tibi lector, homo quem spinea serta coronant,
Flexilis & cujus replet arundo manum.
En tibi, lector, homo qui pœnas sanguine pendit,
Quas mortalis erat turba datura Deo.
En tibi, lector, homo, qui non tamen est homo nudus,
Aut potius vermis, si bene cernis, erit.
Hunc rabiosa canum circundat turba, latratus,
Spumanti in tacitū quæ vomit ore feros
Ut ferus insectans prædā rugitq; tremitq;
Atq; aperit fauces, oraq; læva leo:
Sic maledicta vomit lingvis vibrātibus ista
In Christum summo gens inimica Deo.
At velut effrænis subiens certamina taurus
Edit mugitus, & pede pulsat humum:
Sic fera turba caput ducitq; movetqve labellis
In Christum motis frendet & ore ferox.
Cingitur utqve lupis balans frendentibus agna:
Sic fremit in Christum gens malefida pium.
Cum tamen ille rei nullius conscius esset,
Hæc tacito tanquam conscius ore tulit.
Cumqve monarcha foret celsi dominator Olympi,
O paradoxa? tamen servus ut ille venit.
Qvi fuit egregia facie speciosus, & inter
Mortales, illi non decor ullus inest.
Est Pharisæorum consusæ & fabula plebis:
Fabula, quæ nasum rhinocerotis habet.
Duris deliquitur pœnis, ut cera liquescens,
In teneram Phœbus lumina quādo refert,
Verberis apparet duri per membra character,
Purpureo & tinctum sanguine corpus habet.
Aspersus sanie tanquam leprosus habetur,
Nam nihil illæsum præteriêre canes.
Contulit ista sibi: quid enim commiserat ille,
Qui sine peccato, qui sine labe fuit?
Pertulit impavidus tibi sævi tela Satanæ,
Et voluit stygios expoliare lacus,
Ergo tuum, lector, supplex reverêre parentem,
Addictus morti qui tibi cuncta tulit.

Anno pag. 741. ✠

ANTICHRISTUS.

Usurpat superos procax honores,
Cum fastuqve docet suos tyrannos.

ANTITHESIS XV.

Qui sentina mali, lector, qui lerna malorum est,
In solio sese prædicat esse Deum.
Turgida cū fastu depromit verba tyrānus,
Quæ patula demens percipit aure cohors.
Plaudite o fida mihi comes, inquit turba: potestas
Tradita cælitus est omnis ubiq; mihi.
Quoslibet in celsas arces mea numina tollunt:
Et jubeo nigras quoslibet ire domos,
Nam mihi tum barathri est, tum cœli clavis olympi:
Possum tartareas & spoliare domos.
Nā mihi quādo lubet noto mandare Satanæ
Quævis est præsto, nostraq; jussa facit.
O quoties & quot manus hæc Acherontis ab unda
Humanas animas extrahit, are datô?
Traduxit nunquā manes vaga cymba Charontis?
Magno traductas extraho pluris ego.
Hinc fuge, pastor inops, procul o procul esto misselle,
Qui methodum nescis, heu fuge stulte, meam.
Nam malesvada fames tibi ringet corporis artus,
Mentem animumq; sequi in mea jussa velis.
Desine vera loqui, tibi falsū arrideat: auri,
Æris & argenti (me duce) dives eris.
Cernito naturas humanas ingeniumq;:
Displicet his verum, cunctaq; falsa juvant.
Unde mihi (quæso) triplex diadema paravi?
Unde crumena gravis, tantaq; pōpa mihi?
Unde mihi quæso magnos devincio reges?
Nō meditare, potēs unde monarcha vocor?
Omnia succedunt, mihi credito, falsa docētis:
Semper inops, si tu vera docebis, eris.
Omnia consiliis, astu, ratione, doloq;,
Posthabita fiunt relligione mihi.
Ergo voles istic dici quicunque beatus,
Quæ tibi præscribo, dogmata nostra cape,
Sin minus, erosus miseris à vermibus esto:
Excrucies pectus pauperiesque tuum.
Sic docet incertum vulgus mendacia Pluto:
Sic tenerum novit despoliare gregem.
Sic sibi conciliat mundi fastosus honores:
Sic inopum tenues depopulatur agros.

Anno pag. 742 *

CHRISTVS.

Pœnas mille dedit, crucemque tollit
Pro nobis miseris pius Redemtor.

ANTITHESIS XVI.

Tempore, qvo Christus lato versatus in orbe est
Maximus, ærumnas qvid nisi mille tulit?
Inde videre licet, qvas pendit amore suorũ
Pœnas, expositus risibus atqve jocis.
Nam postqvam tam indigna tulit, laturus amaræ
Supplicium mortis, bajulat ecce crucem.
Ridet eum scelerata cohors, & verbere tundit:
Cujus erant durâ saucia membra viâ.
Nec mendax Pharisæus abest, nec scriba cruentus,
Qvi Christo illatum cernere vulnus amant.
O mala gens, scelerata, ferox, ô perfida, plagis
Cui jocus est regem dilaniare suum.
Cumq; mederetur nostris langoribus: illa
Credidit, hunc pœnas cõmeruisse graves.
Qvid miserabilius? qvid posset onusti' illo,
Qvi peccata hominum tam grave gessit onus?
Verbera mille tamen patiẽs, ludibria mille
Judaicæ gentis, nil nisi mutus erat.
Mitis ut agna suo coram tondente nec hiscit,
Nec lanii cultro dilanianda gemit:
Sic qvoq; mutus erat, vel duro verbere cæsus.
Ductus ad horribilẽ gente feroce necẽ.
Qvod si cui nostrũ subeundum tale fuisset:
Heu qvis non oneri succubuisset homo?
Pertulit ex humeris totius qvælibet orbis
Acta malis primo nata parente modis.
Et gen' humanũ crudeli à morte redemit,
Qvod variâ fallax luserat arte Satan.
Ut sua Porphyrion fodit unco pectora rostro,
Exanimes pullos servet ut inde suos:
Terrea progenies sic dura à morte revixit
Fundere qvem libuit sangvine, Christe, tuo.
Ergóne spernemus Christi documenta? (lutis,
Ergóne rejectus, qvi fuit author, erit? sa-
Illéne, qvi nunqvam latum, tormenta vel ungvem
Pro nobis subiit, Pluto seqvendus erit?
Vah præstat rapidis exponere corpora flammis,
Et dare vel lento mẽbra cremando rogo.
Ergo seqvamur eum, cujus vibice salutem
Conseqvimur, nobis unus & esto Deus.

ANTICHRISTVS.

Pluto à quatuor elevatur, atque
Se præbet populo miser colendum.

ANTITHESIS XVI.

Ex humeris fertur fastosa Pluto cathedra,
Cui populus curvo poplite dicit, Ave.
Dedecus esset humũ pedibus calcare puderet
Humanis tritas gressibus ire vias.
Non cruce, non alio quovis est põdere press
Vt Christus, nobis cum moriturus erat,
Attamen ille crucem, dices, gestare videtur: (cruce!
Nunquid cum Christi convenit illa
Noctis ut umbra nigra differt à luce diurna,
Humor ut à sicco, frigus ut à calidis,
A cruce sic Christi differt crux ficta tyranni,
Plebeiam tali ludat ut arte gregem.
Christus enim patiens, ut nos à morte levaret,
Ex humeris tacitò sustulit ore crucem.
Pluto crucẽ vero gestat malefidus, ut õnes
Demittat rapidas in plegethontis aquas.
Non etenim tollẽda piis crux aeris & auri est.
Aeternã ad vitã nulla metalla juvant.
Regia præ se fert pavo ut flabella superbus,
Sic sese ostentans ora superba gerit.
Tollitur ille suis populo venerãte, manuq;
Significat, celsas se reserare domos.
Quem tellus etiam, lector, si vera fateris,
Sufferat, indignus perniciosus erit.
Nam miser infecit turpi discrimine terrã,
Sordibus aerias polluit atque plagas.
Hunc malefida Deum cernentibus ora loquuntur: (fides.
At non est fronti (proh dolor) ulla
Nam velut illachrymans crocodilus decipit, ille,
Sic ficto fallax allicit ore gregem.
Talia quò spectant? quo tendunt omnia quæso?
Quo struit insidias Lerna, palusq; mali?
His satis edoctus jam debes esse: magistro
Nil opus expertis, sed meminisse juvat.
Scilicet huc spectant, vacuentur ut are crumena,
Tergoraq; ut teneræ diripiantur ovi.
Lanigeras crudelis oves dum devorat, illi
Turgida ventosus pectora fastus agit.
Monstrum tale vorax absorbeat ergo barathrum:
Atque Deo pœnas tempus in omne luat.

CHRI-

Anno 744. *

Anno pag. 745. *

CHRISTVS.

Ascendit superas Redemtor arces,
Victis graviter hostibus triumphans.

ANTITHESIS XVII.

Postquam Rex hominum pœnarum millia mille
Pertulit, & diræ tela cruenta necis.
Tertia lux ierat, cum dirâ à morte revixit,
Et cum tartareas exuit ille domos.
At tandem ætherias ascẽdit victor in arces,
Hic laturus opem tempus in omne suis.
Purpureus vero victorẽ haud cingit amict*
Aureolos operit nec toga longa pedes.
Non albis huic currus equis, nullæq; quadrigæ,
Non his evehitur queîs homo gaudet equis.
Divinumq; caput non aurea palma coronat
Quæ genuit tellus nullaq; serta gerit.
Non illi facies est ruso tincta colore,
Nullam aqvilam gestat, nullaq; sceptra manu.
Iste triumphus erat proprius mortalibus olim,
Qui poterant hostes exuperare suos.
Longe aliter verò tu maxime Christe triumphas:
Dissimilis longe téqve corona tegit.
Immortalis ei pro lauro gloria, sertum
Immortale Deo rege parente datur.
Non homines ducit manibus post terga revinctos:
Sævior humanis viribus hostis erat.
Peccatum, horrida mors, cacodæmon, ater avernus,
Terribiles hostes, & caro vilis erat.
Attamen hos Christus celebri certamine vicit,
Infractis vinctos compedibusq; trahit.
Ætherias virtute sua penetrare per arces
Novit, & ad dextram ritè sedere Patris.
Nec satis, ascendens cœlesti veste refulget:
Oraq; divino lumine clara gerit.
Cingitur Angelicis superator cœtibus ore,
Qui resono laudes encomiumq; canunt.
Cœtus Apostolicus scandentẽ suspicit, atq;
Miratur nunqvam talia visa priùs.
Multa quid? ad dextram summi sedet ille parentis,
Omnia servator maximus unde potest.
At tandem veniet, præsens ut judicet orbẽ:
Cernet quem fixit gens scelerata cruci.
Tunc inopinâti descẽdet ab æthere mũdo:
Esto, qui sapiet, nocte dieque vigil.

ANTICHRISTVS.

Præceps in stygios lacus tyrannus
Fallax, & Babylon ruit superba.

ANTITHESIS XVII.

Quid monstri hic video? quis preceps corruit ille?
Heu quem præcipitant tot cacodæmonia?
Est satus ex triplici, lector, diademate notus,
Nunc ruit, in toto qvi fuit orbe deus.
In rapidas acherontis aqvas, qvi gloria mundi
Pluto fuit, lapsu corruit ecce gravi.
Illéne qvæso ruit Romanæ gloria gentis,
Lucifer ut fulgens, illéne qvæso ruit?
Ponere decrerat modo qui super æthera sedem,
Vt Deus altitonans, illéne qvæso ruit?
Illéne qvæso ruit, cui di[illegible]antare columbas
Ludus erat tenues, illéne qvæso ruit?
Illéne qvæso ruit, qui se jactabat habere
Imperium in cœlis? illene qvæso ruit?
O paradoxa; ruit terraqve marisqve monarcha,
Qui mandata viris imperiosa dabat.
Corruit: ô lector, mirari desine, diris
Est cacodæmoniis præda, rapina, cibus.
Corruit, ut rapidum descendit ab æthere fulmen:
Corruit in stygios tempus in omne lacus.
Corruit & meretrix Babylonia, corruit omnis
Vana meretricis gloria, pompa, decus.
Cum meretrice ruunt pariter regesque ducesque,
Ex animo diram qui coluère lupam.
Lamentatur eam male providus incola terra,
Cum videt hanc, lapsu qua graviore ruit.
Sed quis eã quæso nigrũ demisit in antrũ,
Quâ virtute lupæ regna superba ruunt?
Namque videbatur nobis invicta, nec ullis
Illius everti mœnia posse modis.
Altitonans, lector, qui temperat omnia nutu,
Sustulit hanc prorsus, præcipitemqve dedit,
Parcere subjectis & debellare superbos
Novit, & impune non sinit esse scelus.
Sic periit Babylon, periit sic Pluto scelestus:
Omnis sic pereat gens inimica Deo.
Vltio procedit, fateor, divina gradatim:
Nec qvoties peccant, fulmina vibrat eis.
Supplicii vero justa gravitate rependit,
Turpia qua longo tempore facta tulit.

CHRI-

Anno pag. 746.

CHRISTUS.	ANTICHRISTUS.
Moses excipit à Parente summo	Quas, lector, tulit impius Satanas
Leges, quas populis tulisse constat.	Leges, excipit hic miser tyrannus.

ANTITHESIS XVIII.

Excipit hic Moses, arrectis auribus adstans,
Magniloqvo Legem quam Deus ore tulit.
Ausculta, Israël, supremi verba parentis,
Atq; locuturi dogmata sancta Dei.
Sum Dominus, sum Rex, inquit, sum conditor orbis,
Et tuus, Israel, tempus in omne Deus.
Me sine servitio tibi nunquã exire licebat:
Unum me colito supplice mente Deum.
Quod referat speciem cœli, terræq; marisq;
Idolum caveas sculpseris inde tibi.
Nulla tibi genibus flexis idola coluntor,
Aut tu zelotypum noveris esse Deum.
Nam commissa luunt patrum pro tempore nati,
Sunt ausi leges qui temerare Dei.
Illius omnipotens Deus at miseretur in ævum,
Qui fuerit sanctæ legis, & ejus amans.
Non temerè Domini tam sanctum assumito nomen:
Hoc etenim impunè non violare licet.
Admolire manus operi sex rite diebus:
At tibi solemnis septimus esto dies.
Nam postquam terras fecit, pontumqve polumqve,
Septima lux feriis tota dicata fuit.
Ex animo charos semper venerare parẽtes
Tempora concedi si tibi longa velis:
Sin secus, in terris, quas de bonitate colendas (eris.
Omnipotentis habes, non diuturnus
Nec veneris nec tu cædis capiaris amore:
Nam venus & cædes sunt odiosa mihi.
Viscosis captato nihil manibus, nihil ore referto
Mendaci, testis falsus & esse cave.
Tu nunquam cupiens alienæ cõjugis esto:
Quæ tua non fuerint, illa sitire cave.
O Deus omnipotens, tua sanctæ dogmata legis
Quantumvis resono clarius ære sonant:
Cœlestius emissum nostris infunde liquorem
Mentibus, ut possint tam pia jussa sequi.

ANTITHESIS XVIII.

Excipit à nocuo leges cacodæmone Pluto,
Spargere quas vulgò pseudopropheta solet.
Cœlitus est, inquit, terraq; mariq; potestas
Tradita: sum (dicam quid tibi multa?) Deus.
Me sine perpetuis miser excruciabere curis
Me sine te rodent tædia, cura, dolor.
Me sine tu superas nunquam penetrabis ad arces:
Me sine non vives, me sine nullus eris.
Ergo tibi tanquã sum Iuppiter ipse colendus
Numina me coram non aliena cole.
Sculpito mille tibi sacras idola per ædes,
Sic volo, sic jubeo, pro ratione lubet.
Et quicunq; volet nostræ intercedere legi,
Tradã ejus lento mẽbra cremanda rogo.
Tu venerare meum semper venerabile nomen,
Nomine quo potuit sanctius esse nihil.
At tibi si libeat vel deierare Supremum,
Consecrata scelus tale fugabit aqua.
Observato dies, quos te docuere profestos
Biblia nescio quæ: mi secus esse placet.
Missamq; auscultans istis feriare diebus,
Esse observãdos quos mea scripta jubent.
Deserito charos pro religione parentes,
Quæ fuit ingenio rite reperta meo.
Esse mihi comites, deserto utroq; parente,
Prima cucullatis sunt rudimenta meis.
Si sis occisor, si fur, si turpis adulter,
Non te propterea discruciare licet.
Hæc tua nam celeres delicta ferentur in undas,
Si prius annumeres annumeranda mihi.
Si fueris sitiens alieni, talibus ausis
Protinus, ære dato, tu mihi purus eris.
O gratas leges? nihil est præstantius illis:
Mentibus ingenerant gaudia, triste nihil.
Quisquis enim memori leges has mente reponet:
Quale ego repperies tale salutis iter.

Anno 1548. *De præstantissimis Christi & indignissimis Antichristi Moribus, viri fidelis declaratio,*

Cum mecum unà cogitarem, candidissime lector, neminem fuisse veritatis cultorē qui honestum semper sequendum, turpe verò fugiendum non judicaverit: qvo magis appareret, quid discriminis esse potest inter hoc & illud, tibi duos inter se maximè dissidentes, Christum scilicet & Antichristum proponendas existimavi.

Quid enim esse potest Christo optimo Maximo honestius? quid melius? quid denīq; veracius? Contrà verò Antichristo pessimo, sceleratissimo turpius? quid deteri⁹? qvid deniq; mendacius? Sed ut id sit tibi intellectu facilius, de utriusq; moribus, lector, me pauca dicturum audito.

Qvis est hominum queso, candide lector qui nescit, Christum æterni sapientiā patris, omni virtutum genere præditum fuisse? Quis bonum à malo, quis verum à falso, quis lucem à tenebris scivit discernere, nisi Christus prudentissimis. Quid eorum quæ sunt in vitâ potiora, quæq; deteriora sunt nobis, non traditum reliqvit? Nonne verbo & opere usus est ubiq; prudenter? cui pariter non bene consuluit? nonne ea tradidit, qvibus ad felicitatem contendimus? Contra verò, quis quæso mortalium non novit, omni vitiorum generi Antichristum Satanæ organum esse turpiter addictū? qvando qvæso, ut bonum à malo discerneret, operā dedit? quando, quid sequendum, quidve fugiendum, mortales diligenter edocuit? qvando prudenter quicquam aut dixit aut fecit? cui hominum non malum consilium dedit? Si prudentiam ab eo requiris, lector, perinde facies, ac si aquam è pumice postules.

Deinde, quis commemorabit, quanta animi mansvetudine fuit Christus? quando præceps ad iram fuit? nonne opprobria & contumelias sibi toties illatas æquissimo animo tulit? quando ad vindictam propensus fuit? nunquid fuit moribus amaris? nunquid litis amans & contentiosus? nequaquam, imò verò fuit semper bene cō-posito, forti infractoq; animo. Contrà verò nemo est, qui posset mente complecti, nedum verbis commemorare, quanta animi debilitate laborat Antichristus: nam proclivis est maximè ad iram, neqve potuit unquam, neqve potest vel levem ferre injuriam: morosus, difficilis, ad ulciscendum paratissimus, ob rem nihili irâ percitus. Qvid multa? malè compositi, pusilli, abjectiq; est animi.

Præterea, satis liqvido constat Evangelicis literis, quanta animi fortitudine fuit Christus. Nam quoties se exposuit vel mortis periculo, ut Evangelium propagaret? nonne laboris patientissimus fuit, ut exequeretur ea, quæ ei à patre data erant in mandatis? nonne laborando perseveravit? nōne confidenter Evangelium (tanquam præco confidentissimus) populis annunciavit? nōne cùm Scribas, tum Pharisæos hypocritas intrepidè increpavit? nōne maluit honestè mori, quam turpiter servari? qvid hoc potest esse vel fortius vel præstantius? Contrà verò, ex literis sacris, & scriptis doctissimorum satis videre licet, quanta mollitie animi est Antichristus sceleratus. Nam quando quæso Evangelii gratia se vel latum unguem exposuit periculis? qvem non refugit laborem, quoties est sermo de tradendo populis Evangelio? nunquid simulatores increpat & facinorosos? mollis homo & effœminatus, amans sui, voluptatibus indulgens aliud postulat: nonne etenim, si totum judicabis, quale sit, mavult turpiter servari, quàm honestè mori? Quid plura dicam? anteponit animo corporis salutem.

Insuper, quando quæso admiratus est Christus corporis delicias? quando ad animi libidinem proclivis fuit? nōne perinde se gessit adversis in rebus atqve in secundis? nonne rebus in omnibus modestum temperatum, benè compositum, constantem, cordatum, observantem, & sobrium deniq; se præbuit semper? Hæc omnia Scripturis traduntur clarissimis. Nam nihil eorum neqve Prophetæ, neq; Apostoli, ut liquido constat, prætermiserunt. Contrà vero Antichristus corporis deliciis gaudet, summum bonum in voluptatibus collocat: cum prodigi animi vitio laborans, tum risus, & scommatum, & scurrilitatis amans. Quid pluribus? intemperatum, impudentem, immodestum, flagitiosum deniqve se præstat continenter.

Item præterea quid cōmemorem Christi temperantiam? quos animi affectus non tulit moderatè? nōne in stadio virtutum ita se continuit, ut in extrema inciderit nunquam? nōne res eas, quæ vulgò contingunt, sive famem, sive sitim, sive frigus, sive penuriam, sive aliud dixeris, cum summa animi æquitate passus est? Contra verò, qvid dicam de intemperantiâ Antichristi, qui nihil unquā eorum nisi graviter tulit? nonne semper in extremis vitiorum finibus sese continuit? nonne tanquam levis arundo ventis agitata, sive tanquam navis huc & illuc fluctuans, exagitatur? quid utile, quid honestum fecit unqnam? nonne socordem ita se præbuit, ut nihil unqvam nisi indigna facinora patrârit? ejus mores sunt satis rerum peritis comperti, imò etjam lippis & tonsoribus noti.

Item pariter, nonne Christus ea, qvibus præfectus est à Patre, prudenter examinavit, doctè dispensavit, sapienter administravit? nonne jus suum cuiq; reddidit? nonne legem

legem adimplevit? nonne erga DEUM Patrem, erga suos, erga Israelitas, erga universos deniq; homines piissimum sese exhibuit (nonne suis tam præclaris in facinoribus laboris amantem, sanctum, fidelem, & omninò veracem sese demonstravit? Contrà verò quid non temerè, quid non iniquè quid non inconsultè Antichristus molitur? Ad hæc etiam accedit, ut belua mentis impos nequeat animum ad res decernendas instituere: omnia confundit, omnia sparsum atq; deorsum miscet, nulli jus suum tribuit, neq; religionis, neq; parentum, neque patriæ studiosus est, pios interimit, impios defendit, quoad ejus potest fieri, contra jus pag. 749. sanctum atque inviolabile: infidelis, injurius, perjurus, nihil non in Deum & sanctas ejus leges confingit, eas pervertit, atque etjam evertit: Potestatum dicto non est audiens: quid pluribus opus est? Sycophanta, malis inveteratus moribus, astutus, versutus est.

Item demum, quis hominum Christi liberalitatem commemorabit? quibus quæso auxilium non tulit? quis ab eo tristis & mœstus (nisi impius) unquam discessit? nonne morbo laborantes, nonne malis affectos geniis, nonne leprosos liberaliter sanavit? Tempus me deficeret, si de doctrina, de miraculis, de beneficiis Christi, in homines collatis dicendum proponerem. Quibus quæso rebus adductus hæc fecit? nunquid habita ratione lucri? ne obolū quidē unquam ab aliquo exegit. Quid ergò? misericordem semper, cum boni tum honesti amantem, & humanæ salutis studiosum sese totus exhibuit. Contrà verò Antichristus turpiter lucri avidissimus fuit semper, in suos sectatores prodigus, in veri cultores tenacissimus, undequaq; lucrum quæritans, inhians prædæ, ut vultur cadaveri. Nihil non pollicetur lucri causa acerrimus in quoslibet vectigalium exactor, immisericors, cuilibet infestus, ab omni denique liberalitate alienus.

Cæterum Christus optimus maximus æquo animo semper & honores & ignominias tulit, neq; delicias neq; corporis cultus admiratus est unquam: simplex, generosus, magnanimus deniq; fuit. Contrà verò, Antichristus & honores & ignominias iniquè tulit semper, dans operam ventri & corporis deliciis, & pluris longè faciens hujus mundi vitam, quam æternam. Quid multa? duplex, ignobilis, & omninò deniq; pusilli est animi.

Hinc potes, candidissime lector, facile cognoscere, quam dissimilis, quam contrarius Christo est Antichristus. Quod si tu à me majora testimonia desideras, quid non mihi suppeditabunt Prophetæ? quid non Apostoli? quid non viri rerum & literarum periti?

Nonne Christus, cum esset Deus, formam servi & similitudinem accepit? Antichristus verò, tanquam Deus, ipse omnipotens non solū vult videri, sed etiam haberi.

Christus ex illibata virgine, interveniente numine divino, voluit nasci: Antichristus vero afflatus nomine diabolico, creatus est à perditissimo sceleratissimoque concilio.

Christus abjectus & summissus venit ea lege, ut esset aliis administer, non ut ei administraretur: Antichristus verò simulator veteranus sese, fateor, ministrū & servū servorum nominat, qui (proh dolor!) imperiose omnibus præcipit & leges præscribit.

Christus arguit eum modestè, à quo vocatus est bonus, neminem nisi Deum esse bonum asserens: Antichristus verò, etsi quam pessimus est, vult optimus & sanctissimus haberi.

Christus lavandos discipulorum pedes summissus curavit: Antichristus verò vel Reges ipsos & Monarchas crepidam deosculari suam jubet, non secutus Petrum, qui à Cornelio nullo modo voluit adorari.

Christus regiam coronam ab offerentibus respuit, qui spineam tamen non recusavit: Antichristus vero coronam spineam id est, tribulationem & angustias nullo modo desiderat: coronam autem hujus mundi ita ambit, ut non simplici, sed triplici diademate delectetur.

Christus, nisi afflatus numine divino, nihil unquam fecit: Antichristus astrologicus sequitur, nullâ habita ratione Dei.

Christus studuit semper & consuluit animarum saluti: Antichristus verò humanis impeditus negotiis, aliud agit, aliud curat.

Christus, ut Deum Patrem omnes reverentur, operam dedit: Antichristus verò gloriæ suæ cupidus, omnibus precibus Deum detestatur.

Christus tàm inops fuit, ut ne pulvinar quidem haberet, ubi caput admoveret: Antichristus verò abundat divitiis, nihilq; avaro sufficit.

Christus vendentes & ementes in templo intrepidè expulit: Antichristus verò merces suas illic divendens, facit illud speluncam latronum.

Christus sua bonitate paradisum pollicetur: Antichristus verò pecunia vitam æternam falsò promittit.

Christus, ut neminem offenderet, vectigal principibus pendit: Antichristus vero omnibus est offendiculo, omnibus existens oneri, nihil non extorquens.

Christus non habuit rationē cognatorū secundū carnē: Antic. verò dat operam, ut sui ad dignitates humanas evehantur.

Christus vetuit, ne disputationibus prorsus inutilibus contenderetur: Antichristus vero nihil aliud quam rixatur & contca-

Anno contendit: imò etiam ejusmodi contentiones alere videtur.

Christus paci studuit semper: Antichristus verò omnis est dissidii & belli Princeps. Nam ubi qvæso regni tot discordiæ, tot factiones, tot bella, tot homicidia, qvot in regno Antichristi fuerunt?

Christus conabatur dissidentes in concordiam redigere: Antichristus verò contentionum & bellorum, qvæ inter Principes inferuntur, est alumnus.

Christus simplices elegit, ut eum seqverentur: Antichristus verò astutorum, callidorum, & versutorum hominum habet delectus.

Christus mittit suos per universum orbem, ut Evangelium annuntient: Antichristus verò mittit suos, ut meras nugas populo persvadeant.

Christus neminem invitum Evangelio credere coëgit: Antichristos verò intermi natur eis, qvi ipsi non adhærent.

1550. Christus bellum gessit in Satanam, omni patientiâ & animi fortitudine armatus: Contrà verò Antichristus cum Satanâ fœdus init.

Christi gladius est verbum DEI: Antichristi verò traditiones Satanæ.

Christus vult, eleemosynam fieri egenis, Antichristus verò vult, Ecclesiæ census in usus impios consumi.

Christus vetat, esse dandum fœnori: Antichristus lucri gratia fœnorandum docet.

Christus pascit oves ambrosiâ cœlesti: Antichristus veneno eas interimit.

Christus à Lege mortales immunes reddidit: Antichristus verò innumerabilibus mandatis eos devincit.

Christus qvemlibet ad resipiscentiam invitat: Antichristus verò ad somnia & fabulas.

Christus condonat commissa resipiscentibus: Antichristus obstinato animo hominibus favet.

Christus animum advertebat semper ad ea, qvæ ad animarum salutem pertinent: Antichristus verò gulæ indulget.

Christus in cruce triumphavit: Antichristus in deliciis triumphat.

Christus mortem subiit, ut animas servaret: Antichristus verò vivit, ut eas detrudat in gehennam ignis.

Nam qvàm diu regnabit Antichristus (inqvit Paulus) attendet doctrinis dæmoniorum, nihil nisi mera somnia prædicabit, leges mutabit, addet Scripturæ, qvæ addenda nullo modo sunt, jactans, se posse damnare, absolvere: & ejusmodi sibi usurpabit honores, qvi soli Deo tribuendi sunt. Et (ut ait Esaias) florebit ejus Imperium, tyrannidem ejus nemo hominum metietur propterea, qvòd omni genere scelerum & lasciviâ abundavit. Qvid? Christus ipse optimus maximus (ut paucis dicam) eum nominat abominationem, & sterqvilinium: Paulus hominem perditissimum, imò ipsam perditionem. Anno

Tu verò non ignoras, totam massam à modico fermento corrumpi. Nam tanta vis ejus Antichristi est, ut totum orbem vitiârit, pollverit, labefactârit. Veritas enim in humum prosternitur, vitium pro virtute habetur, prophani habentur pro sanctis, lumen convertitur in tenebras: Satan in Angelum lucis mutatur, Sol verus Ecclesiæ obscuritatem patitur, decidût sydera, Charitas refrigescit, iniqvitas abundat. Atq; eò loci ventum est, ut nihil aut parum fidei supersit mundo. Et nisi DEUS misereretur eorum, qvos (anteqvam fundamenta mundi jacerentur) elegit, ne unus qvidem servaretur.

Inde satis licet cognoscere, qvalis est Antichristus, cùm in sanctis scripturis ejus sectatores vocentur leones, ursi, lupi, canes muti, dracones, leopardi, feræ, viperæ, genimina viperarum, Ægyptii, Sodomitæ, Pseudo-Prophetæ, Pseudo-Apostoli, infideles, hypocritæ, ignari rerum & scripturarum, semen Chanaam, congregatio impiorum, Satanæ concilium, prava generatio, gens adultera & à fide deficiens, facies meretricis, falsi doctores, asseclæ latronum, orphanorum oppressores, inimici crucis Christi, & pluribus ejusmodi nominibus.

Præterea diligenter considerandum est, regnum Antichristi esse dolis, fraudibus, vafritia, prudentiâ hujus mundi, eloqventiâ humanâ, perversâ deniqve interpretatione Scripturarum undiqve armatum. Antichristus enim ille decreta & leges constituit, qvibus simplices & credulos allicit, decipit & arripit. Nam persvadet plebi, se nullo modo posse incidere in errorem. Pompam verò suam pollicitis, muneribus, favoribus, promissis, confœderationibus sustinet astutè. Reges item & hujus mundi principes sunt ei auxilio ad agnum expugnandum. Furorem autem suum & rabiem satis prodit, qvando piis arma, ignem, & mortem deniqve minatur. Ille etiam magnificentissimis titulis nomen suum extollit: atqve etiam organis, tympanis, ceremoniis, monachorum, sacrificulorum, & hujusmodi Pseudo-Prophetarum simulatione sese potentissimum, qvantum ad res terrenas attinet, efficit.

Miraculis item confictis qvid non facit? nonné lucri gratiâ ossa præbet populo colenda? nonné marmor? nonné spinas? nonné lachrimas? nonné gladios? nonné fontes? nonné paludes? nonné aurum? nonné argentum? nonné qvodlibet metallum populo præbet colendum? Qvid non confingit? qvid non comminiscitur? qvid nô excogitat lucri gratiâ? Qvid? nonné cadavera coqvenda in clibano curat, ut à populo colantur, atq; inde lucrum eliciatur?

Anno Qvid non facit ad evacuandas simplicium crumenas? qvos argento non emungit suo verborum lenocinio? qvibus non detrahit ovibus pellem? Tantis, lector, sceleribus abundat Antichristus, ut cogitari neqveant, nedum explicari.

Qvid igitur futurum est? nunqvid Antichristum istum diutius feremus? Nonné, qvas dixerunt Prophetæ sententias de Antichristo, locum habebunt? nonné tradunt scripturæ, Antichristum esse prorsus evertendum? nonné Christi adventus eum funditus delebit? Qvid dicet? qvid faciet? qvid futurum est de illo, qvando Christus adveniens eum increpabit? Ubi terrarum abditus latebit? Qvo ore, qvâ fronte in Christi conspectum prodire audebit? Nonné Christus eum judicaturus est, atqve demissurus ad inferos, ubi perpetuis tormentis excruciabitur? Qvid dolus, qvid fraudes, qvid accusatio, qvid excusatio, qvid superstitio, qvid ejusmodi ludibria proderunt? Heu nimis serò sapiet, si tamen resipiscere ei divinitus concedatur. Nam cognitis ejus moribus, nemo non judicabit, eum prorsus obstinato, obfirmatoqve animo omni turpitudini esse addictum.

Qvibus diligenter consideratis, candidissime lector, judicabis facilè, utrum seqvi, utrum amplecti, utrum revereri debeas. Nam nemo est mortalium, nisi prorsus rationis inops, qvi veritati falsum, luci tenebras, humanas traditiones Evangelio anteponendas censeat. Ergo toto animi af-
p. 751. fectu lector, Christum amplectere, amplectendo cole, colendo suppliciter, si sapis, revere, atqve ejus mandatis totus adhære: Antichristum verò fuge, fugiendo detestare, detestando prædica & fatere, nihil esse perniciosius illo, qvi totum mundum labefactat, qviqve tanqvam leo sævissimus irrumpit in sanctum gregem: qvem Deus ab omni injuria prohibeat & defendat. Faxit Deus, ut Antichristus funditus evertatur, Christus verò in omne ævum regnet, floreat, & imperet, Amen.

Henricus Stephanus in Apologia pro Herodoto.

Scribit, librum 12. ante annos, qvàm suam hanc apologiam scripserat, prodiisse: in qvo commemoratum sit, Concionatorem qvendam, Franciscani Ordinis monachum in Sicilia publicè prædicasse: Franciscum eorum Patronum qvotannis in celebratione festi sui in infernum descendere, secumq; omnium eorum animas educere, qvi eo in anno vel pecuniam, vel aliud aliqvid eorum Ordini donârant & contribuerant. Et cùm hoc modo aliis locis multa prærepta & intercepta essent: tum vicissim Jacobitæ Mariæ virgini addicti insurgebant, & tradebant, Mariam virginem singulis hebdomadibus semel in die Sabbathi, qvi ei sacer & nuncupatus est, in infernum qvoq; se demittere, & eorum omnium animas secum eximere, qvi suo ordini qvicqvam impertiti fuerant. Non absimile his est illud monachi in Bordeaux, qvi in aperto concionabatur: qvòd, simul ac animæ in purgatorio clangorem seu tinnitum pecuniæ audiant, præ lætitiâ exclament, Ha, Ha, He! Anno

Idem in ea apologia ait: horrendum dictu esse, qvòd, cùm aliqvis in agone vitæ constitutus côfiteri velit, absolvi non qveat, nisi aut Franciscum, aut Dominicum, aut ipsum Confessionarium hæredem instituat: aut liberi, ad redimendas parentum animas, monasticam aliqvam religionem voveant: ut tali ratione hæredipetæ monachi defunctorum hæreditatem invadant: & qvamvis liberi defunctorum religionem non intrabant: attamen illi hæreditatem nihilominùs rapiebant, hæredibus dimissis vacuis. Item sacerdotes rudi populo persvadebant: qvòd si pecuniam darent, eorum parentes & majores æternâ damnatione eriperentur è vestigio: si nihil darent, in æternum condemnatos permanere. Ut Biturigibus Gallorum ad S. Stephanum lapidi incisus reperitur versus:

Hic des devotè cœlestibus associo te, &c.

qvos suprà posuimus.

Ibidem. Itali Sodomiam tam pro nihilo habent, ut crimen hoc detestandum vocent Peccatillo. Unde qvidam dixit:

Qvàm Romæ puero non licet esse mihi?

Ibidem. Cùm in concilio qvodam qvæstio esset: an sint Episcopi immediatè à Christo, an mediatè à Pontifice? qvidam Episcopus, veritus contra Papam loqvi, dixit: Parcat mihi Dominus Christus, non sum ab ipso: & alius qvidam dicebat, se non esse Theologum, sed Canonistam.

Ibid. Paulus 3. cùm in die corporis Christi in processu nimis tardè progrederentur, adeò ira commotus fuit, ut DEO in cœlis malè precatus fuerit, & eum abnegârit.

Scotus qvidam, ex Henrico Stephano.

Credibile est, Circen mutasse potentibus herbis
In monachosq; sues, inq; sues monachos.

Onuph. Panvinius Veronensis Monachus.

Pontifex Paulus 4. illaudatus cætera, hoc uno tamen laudem magnam promeruit, qvum tres simul fratris filios, Carolum Cardinalem, Johannem Palliani Ducem, & Antonium Montis belli Marchionem, multa graviter peccantes, dignitatibus & rerum omnium, qvam habebant, administratione exutos, cum ignominia urbe ejecit, acerrima oratione apud Senatum habita, qva præposteros illorum mores detestatus, severissimè eosdem accusavit.

Pius

Anno Pius IV. qvi Paulo successit, Carafarum res tam in patrui Pontificatu, qvàm aliis temporibus patratas, & præsertim bello Neapolitano, qvo universus terrarum orbis, atqve urbs imprimis vexata fuerat, Cardinalium aliqvot sententiæ subjecit. Unde cùm eorum nomina inter reos recepta essent, Carolus & Alphonsus Carafæ, Scipio Rebiba Cardinales, Johannes Comes Montorii, qvi Dux Palliani dicebatur, Leonardus Cardineus, & Comes Allifanus, cum aliqvot aliis Carafæ domus clientibus, partim in Hadriani mole, partim in publicum carcerem diverso tempore conjecti, qvæstionibus diligenter habitis, singulorumq; causis examinatis, ex Pontificis autoritate damnati sunt.

p.751. Ex his Carolus Cardinalis Carafa, nono carceris mense carnificis manu in mole Hadriani strangulatus est: Johannes Montorii Comes cum Allifano & Cardineo securi in publico carcere percussi, horrendum & maximè memorabile spectaculum, insolensq; instabilis fortunæ (sursum deorsum omnia agitantis) ludibrium, in publico expositi, attonito, & qvorsum isthæc tenderent admiranti populo Romano præbuerunt, qvum omnes passim confluerent ad eos spectandos, qvi modò miserabiliter extincti, paulò antè urbem Romam & Italiam omnem solo nomine perterruerant. Alfonsus verò, centum millibus aureorum persolutis, & cameræ Apostolicæ præfectura deposita: reliqvi, vadibus datis, præter unum Cardinalem Rebibam, dimissi sunt. Imper. Carolo 5. Papa Paulo 4.

Idem in vita Marcelli 2. ait, Marcellum fassum, se non videre, qvomodo, qvi locum illum Papatus altissimum tenent, servari possint. Tantam vidit in Ecclesiæ Romanæ fide & moribus labem.

Idem Panvinius & Garimbert. libro 4. Marcelli 2. Pontificis pater, Richardus Cervinus, animadverso stellarum cursu, qvi tum erat, cùm hic ipsi filius nasceretur, ex earum conjunctione, uti erat ejus artis peritus, summum sacrorum principatum ei prædixit. Qvi qvidem persvasioni suæ tantum indulsit, ut, cùm post multos inde demum annos à civibus suis Montefano, oppido agri Piceni, ad filii ætatis jam grandis nuptias incitaretur, constanter eas recusaverit, clarissimum vitæ statum, qvem illi astra portenderent, illis veluti vinculis impediri, asserens.

1557. *Monstrosa.*

HOc anno Christi Schlagis Pomeraniæ pluit sangvine, ubi frustra exæqvantia magnitudine pugnum mixtim decidebant, habentia vultus humanos. Et hic cruentus imber per qvinqve jugera agrorum se extendit. Hondorp. Ut sup.

1557. *Colloqvium VVormatiense.*

HOc Colloqvio à Papistis affirmatum fuit sacram scripturam esse materiam litis, non vocem Judicis. Imp. Car. V. Papa Julio 3. Anno

Ferellus, Carmelus, Budæus, & Beza, Theologi. 1557.

HI Legati Gallici Wormatiæ in colloqvio Lutheranis de cœna confessionem suam obtulerunt, præsentiam corporis & sangvinis Christi affirmantem: sed cùm à Zinglianis postea ea de re fuissent objurgati, responderunt: opus sibi fuisse bono dolo pro tempore, ad liberandos fratres. Schlisselburgius.

Iacobus Brocardus. 1558.

SCripsit libros duos: alterum ad Christianos de prophetia, qvæ nunc compleatur in his, qvæ sunt secundi Adventus Domini: alterum ad Hebræos, de primo & secundo ejusdem Adventu: qvibus multi loci sacræ Scripturæ, hactenus incogniti, elucescunt. Extat etiam ejusdem mystica, propheticaqve libri Levitici interpretatio. Imp. 118. Ferdinando. Papa 230. Paulo 4.

Iacobus Curio in Chronologicarum rerum libro secundo. 1558.

EXtat in Apocalypsi Johannis sacrum ænigma de bestia duo habente cornua agninis similia, cujus numerum, inqvit revelator, computet, qvi intellectum habet: addens, numerum hominis esse: nomenq; hujus absconditum esse his tribus numeralium literarum notis, χ ξ ς.

Etsi autem alii aliud eruerunt inde nomen, qvod numeris respondet anno sexcentesimo & sexagesimo sexto: ostendit tamen satis superqve eventus, unde numerationis capiendum sit exordium: & cujusmodi Draco fuerit, qvi tantum inflavit veneni Arabicis & Affricanis Ecclesiis: unde postea Asiaticæ & aliæ totius Orientis infectæ sunt, perqve armorum terrorem & barbariem paulatim deletæ. Ad qvem Diaboli furorem & nunqvam deploratam satis vastitatem, qvoniam Romana dominatio, tyrannide & odio (qvo adversus Asianos & alios laboravit) tantos proditur subdidisse stimulos, multi hoc à Johanne ænigma propositum interpretantur de bestiâ bicorni ea, qvæ Europam in tantum convertit stuporem, ut sperare nemo prorsus aliqvid vel apud superos, vel inferos audeat, qvi illius non habet characterem. p. 753.

Sexcentorum & sexaginta sex annorum computationem ordiuntur isti à Sexagesimo ante natum Christum anno, qvo Pompejus capta Hierosolyma sceptrum Judæis primùm eripuit, & tota Judæa tributaria facta est Romanis: atqve eam finiunt in morte divi Gregorii, qvæ incidit in sexcentesimum sextum annum. Qvod tamen an ad Apocalypseos sensum satis congruat, aut an visa bestia nunciaverit simul univer-

Anno sæ Ecclesiæ, sub qvadam differentia, servitutem & oppressionem, ex qvo Lunaticus Mahometus & Romana dominatio eodem qvasi tempore cœperint: judicium esto penes eos, qvi eventus Apocalypticis figuris istis accommodare noverint exqvisitiùs.

Revelator videtur computum hunc suum deducere ab anno 3902. mundi, qvo Judæa Romanis facta est tributaria, & natus qvoq; est Joachim, dictus alio nomine Eli, Mariæ virginis & matris Christi Pater. Est autem annus hic ante partum virginis sexagesimus, qvem (puto) Johannes collocavit auspicium appropinqvationis Christi ex virgine in carnem: qværi autem cœpit post annos 666. extra Christum pro peccatis satisfactio. Cœperunt & extrui divis sacella & aræ, & certa iis destinari sacrificia. Imp. Ferdinando. Papa Paulo 4.

Idem. Centesimus jam agitur annus, ex qvo Mogũtini artifices primũ typographiæ prælum, qvod extare vidimus, instituerunt. Machinarum inventio annis antecessit septuaginta, qvarum autor fuisse memoratur Bertoldus Niger, artis Chemicæ non imperitus, monachus ex genere illorum, qvi Franciscum, probum procul dubio hominem, titulo seqvuntur. Dixeris monachum hunc jure Germanicum Vulcanum, poëtico illi, qvi sua Jovi cudebat arma, parem, aut fortasse superiorem: qvanqvam tamen Nigro hic cognomine monachus, non potuit, qvæ posteritas in machinis his usu addidicit: & rudis admodum prima fuit ab ipso inventa origo: (nam istas colubrinas, & alias in magna varietate machinarum species, non vidit, multò minùs parare docuit) & ut artem usumq; illarum omnium maximè ipse monstrâsset, non videretur idcircò illius nomen mihi, ut qvidam volunt, è gentium memoria delendum esse: sed potiùs dixero, eos Spiritu Stygio esse afflatos, qvi pulcherrimo invento hoc, non rectè & ubi oportet, utuntur.

Idem. Narravit annos ante, puto, septuaginta, Sabellicus, Franciscum, pauperem & contemtum qvondam hominem, monasteria habere sexagies mille: qvibus interea multa accesserunt: qvod magnam profectò piis hominibus adferret consolationem, si in illa tanta multitudine vel qvisq; solummodò millesimus, cœlestis doctrinæ puritatem in orbe circumferret, veramqve Dei voluntatis agnitionem cursumqve infracto animo promoveret.

Nidificâsse feruntur nunc in noviter repertis qvoqve insulis, ubi si in admirationem ceremoniarum & sacrificiorum suorum rudes tantùm accendunt, nec ludere diaboli artes aliter possunt, qvàm apud nos, non iis aliam debebit Ecclesia gratiam, qvàm monachorum debet populo, qvi id qvod, dormitantibus Episcopis, de religionis cultibus, aliqvot jam seculis, in Europa docuit, magna parte è putribus ignorantiæ & errorum lacunis hausit. Qvod culpa accidit potissimùm tamen Episcoporum, qvi mundanis fatigati negotiis, mendicabula, qvæ docendi munus & molem in se receperunt, non gubernaverunt: neqve inqvisierunt, an qvod docerent, congrueret verbo DEI, & antiqvissimorum exemplis comprobari posset. Qvæ supinitas ansam illis dedit cogitandi de lautiore fortuna. Anno

Priùs de se documenta dabant alicujus in animo sublimitatis adversus blandientis mundi ludibria. At ubi animadverterunt, præter se neminem tam bella populo infigere posse somnia, & in obseqvio hominum cœtus retinere, cornua cœperunt sumere, efferreqve se & inflare, exercere item genium, & furere conviciis in eos, qvi non omnia ipsorum probant deliramenta. Peperit hanc autem eis libertatem Romana dominatio, qvæ videtur jus & habenas regendi conscientias monachorum phalangibus commendâsse: ut, qvia nusqvam non suas illæ habent aures, omnia scrutentur & exqvirant: & faces esse insuper possunt ad crudeliter necandos homines, qvi verum scripturæ DEI intellectum traditionibus, aliqva sapientiæ specie, errorum camarinam tegentibus, anteponunt.

Huc eruperunt res, hac fœditate conspurcaverunt Ecclesiam scholarum logomachiæ & monachorum sectæ, qvas præstaret nunqvam esse in mũdum natas. Nam sub his sepultæ sunt, qvæ fortè supererant, literæ: sepulta & tota illa est Apostolorum, & Martyrum sangvine obsignata Theologia, qvam qvi revocare & retinere in Ecclesiis volunt, multarum virtutum copulatione opus habent.

Idem. Varro in antiqvitatibus scribit, Vectium augurem conjectâsse, Romanum Imperium duraturum diutius non esse, qvam annos mille & ducentos. In qvo augurio vides, non admodum fuisse mendaces vultures. Computa ducentos & mille annos ab origine urbis, pervenies ad annum Christi qvadringentesimum vicesimum septimum. Circa qvæ tempora fuerunt Gothi, Vandali, Franci, Hunni, & gentes aliæ nostræ, in armis continuè contra Romanos, qvorum Imperium in infinitas etiam partes discerpserunt. p.754

Sed plus ponderis Sibyllæ habet vaticinium, qvod de Imperii excidio apud Lactantium extat: Roma, mulier illa dixit, interibit, & qvidem judicio Dei, qvòd nomen ejus habuerit invisum, & inimica justiciæ alumnum veritatis Populum trucidaverit.

Idem. Promissio postqvàm Adamo facta est de semine mulieris, innumera sunt edita vaticinia de regno Christi inter gentes per terrarum orbem constituendo, qvæ etiam ipso arcano naturæ spiritu excitatæ Sibyllæ, ne gentibus deessent veritatis testimo-

Anno monia, suis confirmaverunt oraculis. Tiburtina dixit Octavio Augusto multa de adventu & divinitate regni Christi.

Idem. Magister ordinis Franciscanorum pollicitus est aliqvando Pontifici maximo expeditionem in Turcas paranti, ex Seraphici Francisci sectâ triginta bellatorum millia se posse conficere, nihil interpellato sacrorum cultu.

Idem. Biceps aqvila unde, narrat hoc modo: Pacârat Occidentis fines Carolus, & cum Nicephoro Imperatore Græco societatem ita inivit: ut Orientem ille, Carolini verò Occidentem bicipitis Aqvilæ auspiciis gubernarent. Inde bicipitis Aqvilæ initium.

1558. *Monstrum.*

NAscitur X. Calend. Julii infans monstrosus, qvi in capite carnosos flexus habuit, ut nunc ingentes Spiræ mulierum solent esse, qvibus reticula & flammeola imponunt. Annales Misnenses, & Georg. Fab. Imp. & Papa ut sup.

1558. *Memorabile.*

ANno Domini 1556. mortuus est Imperator Carolus V. Is cùm paulò ante mortem suum Confessionarium interrogasset, qvænam vera esset religio & salvifica, sacerdos autem dubia, & non convenientia cum doctrina Pontificia Romana respondisset, eaq; de eo innotuissent, flammis addictus fuit. Georgius Nigrinus in Continuatione Chronici. M. Richteri.

1558. *Philippus Nicolai Theologus.*

INgens illa Christianorum multitudo per Turciam, Tartariam, Persiam, Arabiam, & Mauritaniam dispersa: adhæc ipsius Alcorani testimonia de Servatore Christo & sacris literis, perspicua, copiosa, & magnifica, plurimùm nobis Chistianæ religionis certitudinem confirmant, simulqve interitum Mahumetismo à Christianorum Deo præstitutum, & suo tempore indubitanter implendum denunciant. Non enim econtrà Christianorum Regna Mahumetis cultoribus referta videmus, hocqve non sine singulari mysterio. Imp. Ferdinando. Papa Paulo IV.

Idem movet qvæstionem: An qvis Sementem Romanisticarum traditionum, & Pontificiæ hierarchiæ (qvâ Hispaniarum gentes inexplebili avaritiâ, & Jesuitæ filio perditionis velificantur) pro incremento ducat Christianæ religionis: & doctrinam Æthiopum atqve Moscovitarum, non paucis conflictantem erroribus; Regnum Evangelii appellitare possit?

Idem. Memoratu dignum est, Hispaniolæ incolas, Idolorum suorum oraculo, multo antea tempore, qvàm Hispani de Americâ cogitarent, admonitos, fore, ut à barbaris ipsi & sua religione & antiqvâ libertate privarentur: qvod oraculum ipsorum Sacerdotes, rhythmis comprehensum, diebus tantùm tristibus occinebant, & eventus vera illud prædixisse docuit. Anno

Idem. Hispania non diu Papatui adhærebit, sive qvòd reditura sit sub jugum Mahometicum, indignante Deo ob carnificinam & tyrannidem Hispanicæ inqvisitionis, sive qvòd & ipsa tandem, ejurato Papatu, doctrinam Evangelii à corruptelis repurgatam admittet.

Idem. Meminerint lectores pii, Jesuitas in convertendis Arabibus, Indis Gentibus Insularum Deastricolis, eam primâ suâ cum istis conversatione colloqvioqve ingredi institutionis viam, qvam si in Europâ nostrâ strictè in scholis & Ecclesiis suis observarent & retinerent, haud dubiè apud Hispanos & Italos pro Lutheranis haberentur, & vix, imò ne vix qvidem ignis supplicium effugerent. Indis enim idololatris p.757.
Christianam religionem persvasuri, non ordiuntur ab authoritate Romanæ Ecclesiæ, non ab humanis traditionibus, non à Missis, purgatorio, operum meritis, & Romanensium indulgentiarum nundinationibus: sed istis primâ institutione prætervnavigatis, simpliciter sermocinantur de lapsu primorum Parentum, de meritaqve condemnatione, in universum genus humanum pertingente, nec non de gratuitâ nostri redemtione, per unicum Christum factâ, cui per fidem sit adhærescendum & hoc nomine percipiendum Baptisma. Qvod ne qvis confictum â me arbitretur, adscribam ipsa Jesuitæ cujusdam, Johannis Baptistæ Montii verba, anno Domini 1564. ex Bungo urbe Japoniæ ad Michaëlem Turrensem hoc tenore exarata:

Evangelium, inqvit, longè lateqve jam pervagatum est, & sanè probatur in vulgus, & ferè semper ad Baptismum Dei beneficio aliqvi perducuntur. Ratio autem nostra cum illis agendi est ejusmodi. Qværitur primùm, qvam sectam seqvantur, deinde non modò, qvam ipsi profitentur, sed etiam reliqvæ omnes Japonicæ sectæ multis rationibus ita confutantur, ut, earum ope ac præsidio æternâ salute se neqvaqvam posse potiri, intelligant. Id ubi perceperunt, docentur, esse unum rerum omnium opificem, qvi ex nihilo cuncta procreaverit, eaqve omnia fungi officio, præter Angelos desertores, & hominem, qvi è primo illo statu culpa sua exciderit, in qvo à Deo parente positus fuerat, qvodqve idem naturæ legibus, rectæqve rationi adversetur.

Discunt deinceps, Deum esse trinum & unum, cujus imperium primus ille homo neglexerit. Et qvoniam infinitæ majestati ac numini facta injuria, infinitam qvoqve satisfactionem exigeret, secundam Trinitatis personam, cùm genus humanum, aliáve omninò creata natura solvendo non

Anno esset, humanitatem nostram ultrò assumsisse atqve induisse, ut idem homo simul & Deus innocentissimus, pœnam nostris sceleribus debitam, precioso sangvine suo, acerbaqve morte persolveret, & nos in omnipotentis Dei gratiam restitueret.

Hæc illis omnia clarè & copiosè explicantur: tunc ad eorum qvæstiones probè respondetur, & omnis ex eorum animis, qvoad ejus fieri potest, dubitatio tollitur: atqve ut illis certæ precandi formulæ, præceptaqve Decalogi exposita sunt, promittunt, se barbaros ritus superstitionesqve deposituros. Deinde sacri baptismatis vis & mysteria iisdem explicantur, atq; ita Christo dant nomina, & baptizantur.

Hactenus Baptista Montius, cujus si vera fuerit narratio, non dubito, qvin, sicut olim Pharisæi & Scribæ, in Mosis cathedrâ, veram salutis viam, qvam ipsi non ingrediebantur, aliis retegere & explicare potuerunt: ita & Jesuitæ (qvamvis ipsi sint Papicolæ) tamen pro Episcopis & Ecclesiasticis doctoribus sese venditantes, in Orientalium paganorum conversione operam hucusqve non pœnitendam collocent, in qvantum scilicet doctrinam de Deo, de creatione rerum, de lapsu Angelorum & generis humani, de Filio Dei incarnato, de redemtione mundi per solum Christum factâ, & sufficientissimâ ejusdem satisfactione, apud rudem plebeculam simpliciter disserunt, primisqve alloqviis & congressibus à Pontificiarum traditionum mentione sibi temperant, & duntaxat præcipuis Christianæ religionis capitibus, Decalogo, Symbolo Apostolico, & oratione Dominicâ informatos baptizant: ubi haud dubiè complures ex Indis eodem modo, per Dei gratiam ad salutis portum veniunt, qvo superioribus seculis, in medio Papatu, multos, desperata operum suorum fiducia, per solum Christum, recordatione vulnerum & passionis ejus, servatos esse novimus.

Gallicus Vates.

TOmo tertio historiarum, qvæ sub Ferdinando Imperatore contigerunt, scribitur de Henrico II. Gallicum qvendam vatem occultè pronunciasse, fore, ut ad vitæ regiæ periculum illæ ludicræ decursiones spectarent, id qvod jam popularibus qvoqve sermunculis non obscurè jactabatur. Sed Rex neglecto consilio suorum, somnium qvoq; uxorium, & oracula contemnens, luctuoso omnia exitu comprobavit. Imperat. 118. Ferdinando. Papa 230. Paulo 4.

1559. ## *Papa & Papista.*

HI in suis terris alunt & Turcas Judæos, qvi Salvatorem Christum negant, & perseqvuntur: sed reformatæ religionis homines, & qvi in Christum ejusqve meritum credunt, non tantum ejiciunt, sed etiam igne, cruce, & Gladio enecant. Meteranus in annal. Belgicis. Ut sup. Anno

Iohan. Sleidanus lib. IV. p.756.

HOc præterea legati dicebant: Ecclesiasticos Argentoratenses magnâ sui parte turpiter vivere cum meretricibus, qvas domi foveant magnâ qvidem cum offensione populi, pessimoqve exemplo: [illegible] tamen summâ cum impunitate, nec eo nomine qvemqvam adhuc esse mulctatum ab Episcopo: si nunc ergò Senatus ei permittat in istos animadversionem, qvi Pontificiam modò legem non servârint, illis autem, qvi DEI præceptum violant, impunè scortari, & turpissima vitæ exempla passim edere liceat, qvis dubitet, qvanto sit hoc ipsorum periculo futurum?

Ille, qvæ sint inter ipsos pacta, nescire se, facinus autem ipsorum esse compertum, nec opus esse multâ disceptatione Juris: nam ipso facto esse jam proscriptos, & ab Ecclesiæ communione remotos: opem ergò ferendam Episcopo: qvòd autem alii scortentur, & inhonestè vivant, non ideò scelus istorum expurgari: non rectè facere, qvi sic vivant. Episcopum qvoqve negligere suum munus, qvi hoc illis concedat: scire se, Germaniæ Episcoporum hunc esse morem, ut acceptâ pecuniâ scortationem suis permittant: fore etiam, ut ejus facti rationem aliqvandò reddant: sed tamen idcirco non istis licere matrimonium contrahere, & qvòd sacerdotes fiant mariti, multò esse gravius peccatum, qvàm si plurimas domi meretrices alant: nam illos habere persvasum, qvasi rectè faciant: hos autem scire & peccatum agnoscere: nec enim omnes ea esse, qva fuit Baptista Johannes continentia: nusqvam reperiri, neqve documentum ullum extare, qvòd cœlibatum ipsis relinqvere liceat: ne Græcos qvidem, qvi ritus habeant à nobis diversos, hoc suis permittere: qvapropter iterum orare, ut Episcopo suam operam communicent.

Idem lib. 19. Anno 1547. bello Germanico, qvo tempore Cæsar Carolus V. prope Misenam accessit, Aprilis die 22. eo die, qvo flumine transmisso pugnavit, & Johan. Fridericum Saxoniæ Ducem cepit, solis aspectus valdè fuit tristis, obscurus, pallidus, & veluti caligine qvadam circumdatus, ita qvidem, ut pleriq; longissimè à Saxonia remoti, & ignari qvid ageretur, judicarent, magni aliqvid portendi. Nec enim in Germaniâ solùm, sed per Galliam etiam & Britanniam id fuit observatum.

Idem lib. 21. Johannes Islebius liberale donum à Cæsare simul & Ferdinando rege tulit, ob navatam operam, & librum scriptum contra Lutheranos: Michaël verò Sido-

Anno Sidonius Episcopatum Merseburgensem in Saxoniâ deinde est consecutus. Hinc jocus illorum, qvi chrisma dicebant ab eis & oleum pontificium inter alia defendi, velut rem sacram & saluti necessariam, ut ipsi nimirum discederent unctiores.

Idem. Sub hoc ipsum tempus Aloysio scribit Paulus tertius Pater, ut à decima septembr. die sibi caveat: Astra enim ei pronunciare cladem aliqvam insignem. Erat enim Paulus Pontifex non astrologiæ modò, sed & necromantiæ, sicuti pro certo confirmatur, admodum studiosus. Iis acceptis literis, Aloysius erat in metu & solicitudine: cumqve dies ille venisset, magno cum comitatu lecticâ deportatus arcem egreditur, ut urbis munitionem, qvam instituerat, videret: aderant etiam conjurati: sed cùm ibi non possent, qvod vellent, exeqvi, subsistunt: & qvum ille domum rediret, comitantur, & tanqvam officii caussâ præcedunt, numero XXXVI. & ubi jam in arcem cum lecticâ pervenisset, è vestigio pontem pensilem ad se reducunt, ne qvis præterea subseqvi posset: ibi continuò strictis mucronibus illum petunt, & acerbè tyrannum increpantes, in lectica confodiunt: & unà sacrificum qvendam & stabuli præfectum, & satellites qvinq; Germanos trucidant. Postea per arcem discurrunt, & omnia diripiunt, maximâ vi pecuniæ repertâ, qvam ille munitioni urbis designaverat.

Interea fit civium concursus ad arcem, & qvid rei sit, qværitur: cùm fremitus atqve clamor intus exaudiretur: illi de sublimi respondent, se occidisse Tyrannum, & civitati pristinam recuperasse libertatem. Cùm autem ejus rei vix ægrè fidem facerent, interpositâ cautione civium, & impunitione promissâ, corpus exanime catenâ religatum ex muro suspendunt, & agitatum aliqvandiu præcipitant in fossam. Accurrit populus, & pugionibus atqve pedibus illum petunt, tanta erat acerbitas odii. Pòst, re deliberatâ, per celeres eqvos Ferdinando Gonzagæ, qvid actum sit, enunciant, & Cæsaris clientelæ sese dedunt, & auxilia sibi qvamprimùm mitti postulant. Ille statim præsidium eò mittit, & occupatâ urbe, in Cæsaris fidem per jusjurandum illos adigit, pòst ad Cæsarem omnia perscribit, & qvid sit ipsius voluntatis, rogat. Parmenses etiam, ut Cæsari sese permitterent, solicitati fuerunt, sed hi missis ad Pontificem literis, in ejus fide velle permanere, neqve se recusare dicunt, qvò minùs interfecto parente, filium Octavium pro Principe agnoscerent.

Hæc est eorum summa, qvæ Cæsari nunciata fuisse dicebant ipsius familiares, & qvam spargebant inter ordines: alii verò longè secus commemorant, & consultò rem actam esse, & paucissimis horis à factâ cæde, Gonzagam ad portas urbis adfuisse cum præsidio, dicunt: sed affirmare nihil possum. Utcunqve sit, impium, & sceleratum imprimis hominem fuisse Petrum Aloysium, fatentur omnes: extant Italorum libelli, qvi nefarias illius libidines enumerant, in qvibus hoc est omnium imprimis memorabile, qvòd Cosmum Cherium Episcopum Fanensem per vim stuprasse dicitur, usus operâ suorum, qvi illum distinerent: qvod qvidem facinus misero illi sic doluisse ferunt, ut præ mœrore & indignitate rei postea sit extinctus: neqve desunt, qvi venenum ei datum ab illo fuisse putant, ne flagitium illud ad Cæsarem deferret. Paulus nihilò secius impensè filium amabat, & ad ipsius amplificationem omne studium convertit, & qvum de flagitiis nonnunqvam audiret, non admodum ægrè tulisse, & hoc solùm fertur consvevisse dicere: hæc illum vitia non se commonstratore didicisse. p. 757.

Idem. Qvomodo per arbitros fuerit transactum inter Episcopum Argentinensem atqve Senatum, suprà diximus. Decreverat qvidem Episcopus, rem inchoare in suis templis, ad Christi diem natalem, & rationem clero præscripserat, qvam seqverentur: sed qvia non satis erant instructi, distulit in Calendas usqve Februarii. Tunc in tribus illis templis, qvæ senatus ei per transactionem concesserat, sacrifici cantiones suas atqve preces vespertinas, & postridie missam rursus inchoant, totos jam XXI. annos intermissam. Ingens autem erat hominum concursus, maximè juventutis.

Nam his omnibus novum erat spectaculum & inauditum, &c.

Idem. Ille, qvem diximus, Archiepiscopus Beneventanus libellum conscripsit planè cinædum, & qvo nihil fœdius excogitari possit: nec enim puduit eum, scelus omnium longè turpissimum, sed per Italiam nimis notum atqve Græciam, celebrare laudibus.

Idem. Julius autem, qvo tempore Boloniæ fuerat legatus, in delitiis habuerat adolescentem qvendam, Innocentium: hunc tametsi reliqvi minùs probarent, imò reclamarent, in Cardinalium adoptavit collegium: & in domesticam consvetudinem rursus admisit, eiq; cognomen suum, & insignia qvoqve attribuit. Romæ fama erat, & libellis qvoqve perscriptum fuit, à Jove Ganymedem foveri, licet deformem. Sed nec ipse Pontifex hoc ad reliqvos Cardinales dissimulare & per jocum fertur aliqvando commemorare, qvàm sit lascivus adolescens & importunus. Dum in conclavi res agitur, interceptæ fuerunt literæ, qvas ex Cardinalis Mantuani familiaribus qvidam, Camillus Olivus, ad qvendam suum Annibalem Continum, Janua-

Anno

Februarii die 22. Julius inauguratur à Cardinale Cibone: biduo pòst auream, uti vocant, portam aperit, ad qvam infinita concurrerat hominum turba, conseqvendæ peccatorum remissionis causâ, sicut antè diximus. Malleolo pontifex aureo portam ferit: sic enim habet ceremonia, qvem deinde honoris causa largiri solet alicui: sunt enim, qvi se beatos hoc nomine putant: & hoc qvidem tempore Cardinalis Augustanus precibus eum obtinuit, & secum in Germaniam detulit. Dum portam pontifex malleo percutit, opifices illam vectibus effringunt: ibi populus, qvi certatim irrumpit, ejus ruinæ calcem atqve rudera studiosè colligit, & in rebus charissimis habet. In illud Augustani Cardinalis factum nonnulli, cum audissent, sic jocabantur, ut hoc malleo dicerent eum cogitare Lutheranis contundere capita. Venerunt deinde Romam salutandi & officii causa, Dux Urbinas, Ferrariæ Dux, legati Veneti, Sabaudiæ, Florentiæ Ducis, Genuates, Senenses, Scotiæ, Galliæ regis, pòst etiam Cæsaris. Farnesio Octavio Pontifex non modò Parmam restituit, sed summam etiam attribuit præfecturam, Confalonierum ipsi vocant: Ascanium qvoqve Columnam restituit, profligatum à Paulo. Novus Pontifex galerum suum Cardinalitium, cui vult, largitur, antiqva consvetudine.

Idem. Decimâ post die Novembris è vita decedit Paulus, tertius Pôtifex, cùm ageret annum LXXXII. Pridie, qvàm obiret mortem, abolevit vectigalia, qvæ salinis, & plerisqve aliis rebus imposuerat, non sine gemitu populi. Mensibus aliqvot antè sollicitaverat Cæsarem de restitutione Placentiæ: sed id frustra fuit: & si longior ei vita contigisset, omninò putatur in Galliæ regis partes fuisse transiturus. Nam inde à cæde filii Petri Aloysii vindictam animo creditur agitasse. Corpus in sacellum Sixti Pontificis delatum, in tertium usqve diem ibi permansit: populus eò freqvens accurrit, ejusqve pedes, qvi per cancellos ferreos expositi erant, uti fieri solet, deosculabantur. Priusqvàm decederet, libellus exiit Italicus, vehemens in illum atqve gravis, titulo qvidem Bernhardini Ochini, sed ab aliis, uti creditur, compositus, cum præfatione ad Ascanium Columnam, qvem ille profligârat.

Libellus hic inter alia multa, qvæ nimis longum esset recitare, sermonem ad eum convertit, & Antichristum appellans: Innocentio Pontifice, conjectus, inqvit, in vincula fuisti, præsul iniqvissime, propter homicidia duo, & commissum parricidium, matre nimirum, & nepote tuo qvodam veneno sublatis, ut omnis ad te conflueret hæreditas. Cumqve deinde liber factus, non dubitares ambire galerum purpureum, & ter esses à Collegio repudiatus, germana tua soror, Julia Farnesia, tandem pervicit. Cùm enim, copiam sui non se facturam esse deinceps ei, minaretur, Alexander Sextus Pontifex, offensionem veritus & iram illius, in Cardinalium te cœtum allegit. Alteram deinde sororem tuam, pro familiæ tuæ consvetudine, parùm pudicam interemisti qvoqve veneno.

Per Anconitanam provinciam cùm esses legatus, Julio secundo Pontifice, puellam ejus civitatis nefariè circumvenisti, qvando, dissimulans qvis esses, teq; pro nobili qvopiam gerens ex legati familiaribus, illam viciasti: qvod qvidem facinus puellæ patruus, Cardinalis Anconitanus, urbe captâ coram Clemente Pontifice captivo, tibi gravissimis verbis objecit. Nicolaus Qvercæus, cum Laurâ Farnesia, tuâ nepte, conjuge suâ te congredientem deprehendit, & pugione tibi vulnus incussit, cujus etiamnum cicatrix apparet.

De filiâ tuâ Constantiâ, qvî cum toties rem habuisti, qvid dicam? Etenim, ut eâ liberiùs potiri posses, maritum ejus Bosium Sfortiam sustulisti veneno: qvi cùm neqvitiam vestram animadvertisset, incredibilem animo dolorem concepit, nec unqvam postea visus est hilaris. Libidine profectò Commodum & Heliogabalum longè superas: idqve tot spuriis tuis doceri potest. Filias suas Loth vitiavit, ignarus & ebrius: tu verò sobrius, non modò cum nepte, sed etiam cum sorore congressus es atqve filia.

Jam illud, qvod in Fanensem Episcopum admisit sceleratus ille tuus filius, Petrus Aloysius, qvàm est dictu fœdum & horrendum facinus? Cùm in Adriani mole captivus detineretur Clemens Pontifex, teqve legaret ad Cæsarem, libertatis recuperandæ causâ; non priùs iter volebas ingredi, qvàm ille Parmensem Episcopatum, nepoti tuo Farnesio, tunc decem annorum adolescenti permitteret, eo facto ludificasti nihilominùs illum, & Genuam ubi pervenisses, morbo te detineri, simulabas.

Qvam verò nundinationem in sacris bonis non exercuisti Cardinalis? & postqvàm factus es Pontifex, Deum immortalem, qvàm turpiter Ecclesiæ Romanæ facultates dilapidasti? Non te pudet, summam præfecturam atqve munus contulisse nefario tuo filio, cum aureorum millibus annuis qvadraginta, totidemqve ferè nepoti Octavio? ne qvid interim dicam, qvæ, qvantaqve bona profuderis in tuæ familiæ fœminas omnes, & Sanflorianas neptes. Turcarum postea mentionem audes inferre, qvi miseræ jam incumbant Italiæ: qvod eò facis, ut explicandi populi causam aliqvam habeas & occasionem, qvi sub te domino gravissimum onus & intolerabile profectò sustinet. p.759.

Duci

Anno gatis (Johannis XII. Papæ) præstito, priusqvàm urbem intraret: cujus exemplar placuit subjicere:

Tibi Domino Johanni Papæ ego Rex Otto promittere & jurare facio, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per hoc lignum vivificæ crucis, & per has reliqvias sanctorum: qvòd, si (permittente Domino) Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectorem ejus, exaltabo secundum posse meum: & nunqvam vitam aut membra, aut ipsum honorem, qvem habes voluntate mea, aut meo consensu, aut consilio meo, aut exhortatione, perdes. Et in Româ nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, qvæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio. Et qvicqvid de terrâ S. Petri ad nostram potestatem venerit, tibi reddam. Et cuicunqve regnum Italicum commisero, illum jurare faciam, ut adjutor tui sit, ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse.

Hoc juramento dato, urbem ingreditur. Johannes Pontifex cum clero Ottonem honorificè excipit, inungit, & coronâ imperatoriâ ornat, Augustumqve appellat. Otto à coronatione Romæ aliqvandiu moram trahens, Pontificem familiariter admonet, ut sceleratam vitam, qvâ erat omnibus infamis, abjiceret, ederetqve Ecclesiæ sanctioris vitæ exempla. Cùm verò videret, se nihil promovere apud Pontificem salubri exhortatione, Româ discedit: Berengarium fugientem, nunc in monte Leonis obsessum expugnaturus. Interea temporis Ottone absente, Albertus Berengarii filius, qvi ad Ottonis adventum in Corsicam Insulam discesserat, Romam venit: Consilium cum Pontifice contra Ottonem init. Pontifex Ottoni iniqvus, fortassis qvòd ejus vitia improbaverat, addicit se partibus Berengarianis. Duo ex Cardinalibus hanc conjurationem scripto Ottoni indicant.

Otto, solutâ obsidione Berengarii, Romam cum exercitu properat: Pontifex cum qvibusdam Romanis proceribus ejus conjurationis reis, aufugit. Compertâ tamen re, qvòd duo Cardinales Ottoni sua consilia indicaverant, priusqvàm fugeret, capit eos: & uni nasum, alteri manum, qvâ dicebatur scripsisse literas, abscidit. Hoc perpetrato novo scelere, aufugit in Campaniam, ubi in sylvis egit inter feras. Otto Romam venit, Pontificem profugum revocat ter, jubens eum tutò ac securè redire Romam. Cùm verò pontifex redire nollet, Otto, rogante Romano clero, synodum cogit, Italiæ Episcopos vocat, sententiam de Pontifice cùm scelerato tum profugo rogat. Clerus populusqve petit, alium Pontificem sibi dari. Otto jubet, ut eligant ipsi eum, qvem nôrint ad Pontificiũ munus dignum, aitqve, se eam electionem ratam habiturum.

Eligitur ergo in Pontificem Leo Romanus civis, ejus nominis VIII. Ottone in Tusciam regresso, cognati & clientes Johannis Leonem sede Pontificiâ dejiciunt, & cum magnâ pompâ Johannem restituunt. Leo ad Ottonem se confert. Ne autem Otto schismate Ecclesiam proscinderet graviùs, permisit Johanni, vi restituto, pontificatum. Qvi tandem dignas pœnas dans vitæ malè actæ, deprehensus cum adulterâ, à viro adulteræ confoditur.

Idem. Nicolaus II. hanc legem tulit: Ut non apostolicus, sed apostaticus censeretur, qvi sedem Petri obtineret vel pecuniâ, vel favore, sine unanimi consensu, & canonicâ electione Cardinalium. Deditqve potestatem Cardinalibus, clericis & laicis, talem Pontificem anathemate ferire, & in qvovis loco, si non liceret Romæ, contra eum Concilium convocare, & qvovis humano auxilio eum Pontificiâ sede propellere. Et hanc legem tragica excommunicatione sancivit. Et ne non videres lector, qvo pacto funesta ista sedes Romani Pontificis fictis diris, ac mentita excommunicatione stabilita sit, & qvibus dolis totum orbem terruit: abominandæ excommunicationis immania verba, placentigeris non indigna, subjiciemus, qvibus Pontifex omnibus (arrogato sibi mendaciter titulo Apostolicæ auctoritatis) formidabilis fuit: cumanum asinum referens, qvi sumto Leonis exuvio, leoninæ sævitiei specie omnes reddidit attonitos. Verba execrationis sunt ista, Dist. 23. cap. In nomine Domini:

Qvòd si qvis hujus nostræ sanctæ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam suâ præsumtione confundere, & perturbare contra hoc statutum tentaverit: perpetuo anathemate atqve excommunicatione damnetur: & cum impiis, qvi non resurgent in judicio, reputetur: omnipotentis iram contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, qvorum Ecclesiam præsumit confundere, in hâc vitâ & in futurâ, furorem sentiat. Fiat habitatio ejus deserta, & in tabernaculis suis non sit, qvi inhabitet: fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Commotus commoveatur ipse, & filii ejus mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiam fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria. Et omnium sanctorum qviescentium merita illum confundant, & in hâc vitâ super eum apertam vindictam eorum ostendant.

Observatores autem hujus, nostri gratiâ, protegat, & auctoritas beatorum Apostolorum Petri & Pauli ab omnium peccatorum, &c. p. 761.

Mar-

Anno

Martyria.

ANno Christi 1559. 20. Maji triste hoc spectaculum habitum est in Hispania cum qvibusdam religionis Christi sinceris confessoribus cùm magni tum inferioris nominis hominibus. Ii namqve primùm 20. Maji capti,& Lutheranæ religionis convicti,& captivi Valladoletum abducti, ibiqve in judicium postulati fuerunt. Qvò verò atrocitas terrorem incuteret hominibus, clerici magna cum solennitate & fastu eò deferebantur. In foro autem theatra seu palatia ex asseribus construebantur:hic hæresiarchæ, & alii optimates residebant magno cum splendore & gloria.Econtrà aliud erat palatium extructum, in qvo soror Regis & filius, cum aliis terræ Magnatibus erant collocati.

Captivorum numero erant 30. utriusqve, masculini & fœminini,sexus personæ: singulæ suo ordine sedere jussæ: pòst qvælibet singulari sententia, secundum suffragia Pontificiorum, damnata fuit ad suum supplicium. Primò qvidam Monachus Dominicanus longam deblateravit orationem. Deinde à potentatibus Ecclesiasticis, Adolescente Rege, & aliis Principibus,Dominis & Dynastis juramentum exactum, qvòd vellent eniti pro viribus, ut tollantur hæreses, prohibeantur sectarii, & Ecclesiæ Romanæ mandatis & decretis obedientia præstetur,qva possit fieri,maxima industria: de hoc sacrum dederunt juramentum super qvodam signo crucifixi, & libro Evangeliorum.

Ex captivorum autem sedecim qvidam ad perpetuum carcerem sunt condemnati: qvidam jussi sunt,per aliqvot annos & tempora flavas tuniculas in rei turpitudinem publicam gestare.

Extra oppidum Valladoleti qvatuordecim columnæ fuerunt elevatæ, infossæ humi, ad has reliqvos qvatuordecim astrictos cremavit ignis. Eum autem in locum ex urbe deduxerunt miseros Christianos asini,ut majus esset dedecus & ludibrium: ibi columnis alligati primùm more Hispanico, nefando sanè, restibus suffocati, deinde funesta combusti flamma fuerunt. Fincelin. 3. lib.

Ludovicus Cavitellius Patricius
Cremonensis in suis Annalibus fol. 345.

JOhannes Angelus de Medicis Mediolanensis, presbyter, Cardinalis sancti Stephani, in Cœlio monte per Cardinales ingressos conclave, die qvintâ Septembris, electus Summ. Pont. nocte diei Natalis gloriosissimi Dominici,& Pius qvartus nominatus, ex mente, & cum interventu sacri collegii Cardinalium sanctæ Rom. Ecclesiæ, Francisco Turriano penes se pro Ferdinando Austriaco oratore, confirmavit eum Cæsarem nunqvam approbatum per ejus prædecessorem, prætendentem, devolutum fuisse ad sacram sedem Apostolicam jus Imperium conferendi, cuicunqve voluisset: & nec Carolum olim Imperatorem, cùm ipsum deposuisset, potuisse illud conferre fratri, & nec confirmari per ejus Electores, ac Principes Germanos, præter mentem & ordinem ipsius prædecessoris, ac sacri collegii CardinaliumRomanæ Ecclesiæ. Imper. 118. Ferdinando. Papa 230. Paulo 4.

Anno

Simon VVolderus Pomeranus,
Ubertus Folieta, & Angerius Busbeccius.

SCribit Wolderus, non postremam esse causam, qvòd DEUS nos punire soleat per Turcas, immensum scelus blasphemandi nominis divini,in qvod nemo hominum animadvertere velit. Verùm qvàm primùm aliqvid ore excidat, qvod detrahere videatur existimationi Cæsaris, Regis, aut Principis cujusqvam, statim reus agaris criminis læsæ Majestatis, & capitis damneris: qvi verò infinitas in DEUM contumelias & blaspemias evomuerit, & redemtori suo acerbissimam passionem, mortem, atqve vulnera (qvæ tamen in nostram cedunt salutem) iniqvissimè exprobraverit, ille laudem & commendationem strenui, & fortis viri summam mereatur.

Idem Wolderus qvoqve scripsit consilium & rationes, ad Cæs. Majest. & Ordines Imperii, qvibus modis citra magnum laborem & Reipublicæ dispendium, non modò milites,pecuniam,munitiones,commeatus & omnia necessaria ad bellum Turcicum in Germania facilimè acqvirere, sed etiam alios Reges atqve Magnates auxiliatores, & socios allicere, sibiqve adsciscere qveant.

Nec non & Ubertus Folieta edidit tractatum de causis amplitudinis Imperii Turcici, ac felicitatis ejus perpetuæ: itemqve Angerius Busbeccius de re militari adversus Turcas instituenda consilium.

Sed nullius consilio obtemperamus, & hac nostra pervicacia non priùs desistemus, qvàm Germania & hominibus, & nummis exhausta, penitus in miseriam & cineres redigatur. p.768.

Sed & de bello contra Turcam gerendo mentionem facit D. Herlicius in suo prognostico. At vereor, ne ipse & ego, si de his rebus disseramus,remittamur ex castris militaribus ad literaria.

Hoc tamen metuo, ne nostra resupina ignavia motus & illectus Turca, adhuc brevi tempore nobiscum (ut non ita pridem cum Moscoviæ civitate & maxima regni illius parte: & nonnunqvam qvoqve cum Persia & aliis finitimis locis) agat: atqve Austriam, Bavariam, Rhætiam, Sveviam,

Anno viam, Franconiam, Turingiam, Saxoniam, Poloniam & alias vicinas terras invadat: & nisi cuncta occupet, tamen percurrat, divaster, & penitus evertat: atq; miseros Christianos alios crudelissimè trucidet: alios verò in perpetuam servitutem abducat: sicq; vel tandem nobis oculos aperiat, & altum hunc veternum cum irreparabili nostro damno excutiat.

Historia prodigiosa, & nullo ævo audita, de Pseudo-Martino Gallo.

MEnse Januario, Anno 1559. Bertranda Roisia Artigatensis in diœcesi Regiensi, apud Prætorem Regiensem supplici porrecto libello qveribunda exponit, se, viginti aut circiter abhinc annos, cùm puella admodum esset: annos nata novem, aut decem, Martino Guerræ, ejusdem fermè ætatis nupsisse.

Ac cum eo novem aut decem annorum tempus transegisse: ut ex eo matrimonio natus sit filius nomine Sanxius, qvi etiamnum vivit. Ipsum porrò Martinum (qvoniam juvenili qvadam levitate triticum patri suffuratus fuisset) patria relicta, octo annos domo abfuisse, qvo interim tempore nihil de eo fama acceperit. Qvo tempore exacto, venisse ad se qvendam, qvi re qvidem vera esset Arnaldus Tillius, cognomento Panserta, patria Sagiasensis: sed Martinum Guerram se, maritum actricis, diceret. Qvem non dubium esset cum Martino contubernii familiaritatem in bello iniisse, & ita hujus consuetudinis occasione, multa domestica & privata, cùm de eo, tum de uxore expiscatum fuisse. Qvi qvidem eo fretus, qvòd vultus similitudine planè Martinum referret, omne jus amicitiæ violare, & novum fallendi genus usurpare in animum induxerit, ad qvatuor illius sorores, patruum, reliqvos consanguineos, ipsamq; adeò Roisiam, omnes deniqve Artigatenses accesserit. Qvibus adeò propria, & certe indicia, & tanto numero, exhibuerit, ut non modò iis, qvi à familia erant alieni, verùm etiam propinqvis omnibus, atqve eidem ipsi uxori visus sit is esse, qvem se dicebat. Ut mirandum minimè fuerit, si ipsa, cùm incredibili cupiditate videndi & recuperandi mariti duceretur; & Tillius multa singularia indicia proferret, de rebus & verbis, qvæ occulta inter conjuges intercedunt, qvæ aliis vix nota esse possunt, & qvidem eò usqve, ut locum, tempora, & articulos exprimeret, qvibus occultissima qvæqve ab eis fieri consueverunt (qvæqve facilius est intelligere, qvàm honestum referre) verba qvoqve rem ipsam vel antegressa, vel subsecuta commemoraret: ipsa etiam non minùs qvàm reliqvi, sibi persuasisset, ipsum revera Martinum Guerram esse.

Ita factum esse, ut Tillius ipsa actricis persona primum potitus, eam per triennium & eo amplius, pro uxore familiari convictu habuerit: deinde omnia Martini bona occupaverit, quæ cùm Artigati possederat, tum Andææ, in finibus Cantabrorum, unde Martinus ipse oriundus erat. Anno

Qvæ qvidem bona ipse multis emtoribus vendiderit.

Qvo in errore dicta Roisia supplicans triennio & eo amplius, versata fuerit.

Qvo qvidem tempore simul habitâsse, conjugatorum more, mensa, convictu, & lecto communi: ut ex ea consuetudine duo liberi prodierint, qvorum alter mortuus esset.

Se tamen certiorem factam, de prodigioso dolo & inaudita impostura, qva ille usus fuerat, sibi nomen & personam Martini Guerræ sumens.

In totam ergo rem diligentius inqvisiisse, idq; ex autoritate Prætoris Regiensis: ut causa demum tota complanata, concludendo contra dictum Tillium, postulaverit, geminam ei multam, cùm ignominiosam, tum pecuniariam irrogari. Ita ut capite aperto, discalceatus, & indusio tantùm indutus, tedam accensam manibus tenens, se in Deum, Regem, & ipsam Roisiam graviter peccâsse fateatur: qvam impia temeritate & proditione deceptam, & circumventam ludificatus sit. Martini Guerræ veri mariti nomen personamq; falsò ementitus: cujus se flagitii ex animo pœnitere publicè confiteatur, & veniam oret. Pecuniariam insuper multam bis millenarum librarum luat: deniq; victus victrici totius litis impensas & damna resarciat.

Tillius reus econtra graviter conqveri cœpit, si qvis unqvam à cognatis indignis calumniis vexatus sit, se profectò cum esse. Qvem cùm omnes satis intelligerent, esse reipsa Martinum Guerram Artigatensem, Petrum tamen Guerram patruum cum suis generis, novum crimen, & antea inauditum adversum se excogitare, & architectari in animum induxisse. Id verò pessimo consilio cum conari, ut nimirum se facultatibus & fortunis suis, qvas ad octo millium librarum pretium possideat, exueret; qvi cùm eas diu dum abesset, tenuerit, nunc doleret, qvod à se domum reverso ad reddendam administrationis rationem, & reliqva præstanda apud Prætorem Regiensem se conveniri videret, ad cujus tribunal diem illi jampridem dixerit. p. 763.

Itaqve objicere ausum, non esse ipsum Martinum Guerram, sed nomen falsò sumsisse: Roisiam deniqve ab eo impulsam, ut tantum crimen judicio perseqveretur.

Deinde rem totam fusius oratione perseqvens, narrare cœpit, qvemadmodum circiter annos octo regi militâsset, deinde postqvàm aliqvot menses in Hispania, regionis lustrandæ causa egisset, tandem cognatos,

Anno gnatos, patriam, filium, inprimis verò uxorem revisere cupiens, tertio abhinc anno Artigatum revertisset.

Ac tametsi temporis intervallum non modicam in vultu mutationem effecerat, maximè cùm domo proficiscens omninò imberbis esset, tamen reversus cùm à cæteris, tum maximè ab ipso patruo agnitus, & ab eo omni humanitate familiaritateq; susceptus est, donec tandem suis rebus animum intendere, earumq; rationem reposcere, ac fructus toto illius absentiæ tempore perceptos, repetere decrevisset. Hujus enim rei cùm illum amicè non semel commonefecisset: seqve verbis tantùm blandis duci intellexisset.

Tandem coactus fuerit litem ei intendere, & judicio fortunas suas perseqvi. Nam ad restituendos fructus, qvos perceperat, & ad reddendam administrationis rationem, nunqvam adduci potuit. Qvin potiùs ob eam rem indignatus ipse, generorum opera, omni ratione exitium ei comparare conati fuerant. Primum consilium fuit de eo necando: qvod ut perficerent, sæpe insidiati, sæpè aggressi postrema (tanta fuit vis avaritiæ) in oculis uxoris vecte cum propè ad necem percussum in terram dejecerant, miserè illic mactaturi, nisi uxor præsens ei ad excipiendos ictus incubuisset, qvando aliter servare non poterat.

Nunc postqvàm nefarius ille conatus non successisset, alia aggrediuntur via, ut flagitium illud horrendum & prodigiosum comminiscantur. Qvare qvoniam si verum esset, inusitato supplicii genere vindicandum videretur, lege talionis adversus calumniatores agere se profitebatur.

Illud insuper postulabat, ut cum uxor, tùm sorores suæ secū committerentur. Non dubitare se, qvin illæ omnes, utpote probæ & honestæ, ipsum pro fratre constanter agnoscant. Petit etiam, ut actrix, qvæ apud Petrū patruū erat, ex ejus domo abducta, apud viros integræ existimationis manere jubeatur, ne circumveniatur, aut subornetur. Deniq; se insontem absolvi postulat.

Hic verò Tillius dum apud judices loqvitur, longam narrationem, eamq; veram [qvod postea apparuit] cœpit instituere de Cantabrorum regione, Martini patria, de ejus parentibus, fratribus, sororibus, cæterisq; consanguineis, qvo anno, mense & die nuptias contraxerant, de socero & socru, de iis, qvi tum aderant, & matrimonium conciliârant, de vestium ornatu, qvas qvisq; eo die gesserat, de sacerdote, qvi nuptias celebraverat, de omnib9 iis sigillatim, qvæ cùm nuptiarum ipso die, tum antecedentibus & conseqventibus gesta fuerant, ita ut eos etiam designaret, qvi media nocte in geniali thoro se inviserant. Præterea de filio Sanxio, deq; illius die natali: de causa profectionis, de iis, qvos discedens obvios habuit, qvid cum iis locutus fuerat: de locis, in qvibus toto peregrinationis tempore, cùm in Gallia, tum in Hispania egerat, de iis, qvibus cum utrobiqve consuetudinem habuit. In qvibus singulis memorandis certas personas denotabat, ex qvibus postea qværeretur, num ita se haberent: ut ejus oratio tantò verisimilior redderetur. Qvod cùm fieret, compertum est, omnia ab eo verè dicta fuisse. Anno

Re in disceptationem & cognitionem vocata, statuitur, ut testes cum Tillio componantur, qvin & ipsa actrix in judicio sistatur, & ad postulata respondeat: præterea ut ex testibus nonnulli, qvos ipse, se Martinum professus, nominatim citaverat, tum alii, qvorum nomina eduntur, rogati respondeant de qvibusdam ex ipsa lite nascentibus. Ipsa actrix à judicibus rogata, omnia cōsentanea cum Tillii verbis respondet: nisi qvòd addit, paulò postqvàm Martino nupsisset, circiter octo vel novem annos se maleficio qvodam illigatos mansisse, ut congredi omninò non possent. Qvam ob causam proximos qvosq; consanguineos suasisse, ut matrimonium dirimi postularet. cui consilio se nunqvā parere voluisse.

Nono demum anno fascino illo liberatam, cujus rei causa se monitam fuisse, ut qvatuor missas celebrari præciperet. Sacerdotes, qvi missas fecerint, indicant: tum ab eorum uno, qvem & ipsum disertè nominat, se aliqvot hostias, qvas vocant, seu crustula comedenda accepisse, qvibus absumtis utrumq; melius habuisse, ut non multò pòst Sanxium filium conceperit.

Tillius verò de hoc maleficio, & fascinatione, sacerdotis nomine, & ceremoniis usurpatis rogatus, planè consentaneæ actricis orationi respondet, ut nihil neq; adderet neq; minueret. Cæterùm cùm inter se committendi essent, petit eam seqvestrari, & in libero loco constitui, ne qva subornatio compararetur.

Commissis inter se litigatoribus, Tillius refutationibus exhibitis petit, ut sibi permittatur literas monitorias publicandas curare, in ea capita, qvæ objiciebat, qvibus actricem subornatam esse contendebat. Edicto Prætoris admittitur ad probandas refutationes. Deinde rei gravitate perspecta, placuit monitorias publicari, qvò certius tota res patefiat. Instituitur igitur inqvisitio ex officio cùm multis in locis, tum Pini, Sagiassi & Artigati, ut de agnitione rei, qvi se Martinum Guerram affirmat, liqvidò constet: deinde ut in testium vitam & famam inqviratur. Editis in publicum monitoriis collectis in unum, qvæ judicata fuerant, inqvisitionibusq; ex officio peractis, qvod ad actricem spectat, constanter ab omnibus affirmatur, eam cùm toto vitæ tempore, tum absente viro Martino, honestam & probam vitam duxisse. p. 78

Ac

Anno

Ac pro reo ipso extant testes circiter centum qvinqvaginta, qvi testimonium dixerunt. Ex qvibus sunt 30. aut 40. numero, qvi eum revera Martinum Guerram esse affirmat, qvi cum magnam consuetudinem jam ab ineunte ætate habuerunt. Agnoscere se in eo certas notas & indicia, qvæ in Martino fuissent. Alii sunt, & qvidem plures, qvi Arnaldum Tillium esse contendunt, qvem sibi ab incunabulis notum fuisse prædicant.

Cæteri amplius sexaginta, tantam esse similitudinem, ut dubii de neutro asseverare audeant. Conferuntur insuper cum reo, Martini cùm filius Sanxius, tum Sorores. Unde duo valde dissimilia colliguntur. Sanxium cum isto reo nihil habere similitudinis, sorores contrà illi persimiles esse. Causa judicum sententiis permista, Tillius capitis supplicio addicitur, cadavere postea in qvatuor partes dissecto, & secundum actricem pronunciatur. Tillius ad curiam Tolosanam provocat. Patres pro sua prudentia, proq; rei gravitate, Petrum Guerram, patruum & actricem sisti in senatu jubent. Ibi inter se committuntur, & primo qvidem loco ipsa mulier. Ac tum Tillius vultu ita intrepido fuit, eamq; constantiam, multò qvidem qvàm ipsa actrix, majorem præ se tulit, ut pauci ex iis, qvi in judicio sedebant, essent, qvi non sibi persuaderent, reum verum esse maritum, mulierem verò & partruum dolo malo agere. Veruntamen qvoniam nondum de re tota liqvebat, placuit senatui inqvisitionem ex officio de aliis capitibus institui, aliosqve testes citari ab iis, qvos prior judex audierat. Qvid plura? His omnibus confectis, res etiam obscurior, qvàm antea evasit. Ex triginta circiter testibus, decem ferè, Martinum esse seriò affirmabant, octo Arnaldum Tillium: reliqvi pugnantibus circumstantiis dubii hærebant.

Unde facilè intelligi potest, judices non mediocri in difficultate hæsisse, cùm causæ gravitatem, periculum & ancipitem casum perpenderent, in qva tanta in utramq; partem momenta apparebant. Enim verò non esse Martinum Guerram, sed Arnaldum Tillium, aut insignem saltem qvendam impostorem, qvinqve aut sex rationes sive conjecturæ vehementer suadebant. Principiò extabant testes amplius qvadraginta qvinqve, qvi eum Arnaldum Tillium esse affirmabant: Martinum qvidem Guerram neqvaqvam esse asserebant.

Testimonii porrò rationem optimam reddebant, qvod utriusq; & Martini & Tillii cõsuetudine & familiaritate usi fuissent, sæpeq; ab ipsa usq; pueritia, convictu & mensa cum utroq; versati fuissent.

Qvo loco observandum est, aliqvot fuisse in testibus circumstantias notatu inprimis dignas. Erat enim ex eorum numero avunculus ipsius Tillii, nomine Carbo Barrautius, in qvem nulla suspicio posset cadere, qvòd nemini verisimile fieret; hominem sanguine conjunctum tam atrox mendacium confingere voluisse, ut nulla causa extante, nepotis mortis ignominiosam qværeret.

Id qvod satis Borrautius ille Carbo docuit, cùm illi produceretur reus, cùm apud Prætorem Regiensem, tum in ipso senatu. Eum enim vinctum & gravissimis compedibus impeditum videns, cum magno capitis periculo, statim lachrymari; & ejus miseram conditionem deflere cœpit. Altera circumstantia est, qvòd extant testes, qvi alias vel cum Tillio contraxerunt, aut contractibus ab eo factis, testes accersiri affuerunt. Tertio loco inter omnes ferè testes convenit, Martinum Guerram esse proceriorem, colore magis fusco, corpore & cruribus gracilioribus, scapulis incurvis, capite humeris appresso, mento bifido, & paulum repando, inferiori labello deorsum pendulo, dentibus exiguis, naso lato & resimo, ulcere in vultu, & cicatrice qvadam ad dextrum supercilium notatus: cùm interim reus esset humilis, compactus, corpore & cruribus crassis, cæteras illas notas humerorũ & nasi, itemq; cicatrices nullas gerens.

Qvartũ accedebat, qvod sutor, qvi Guerræ calceos suppeditare consueverat; testatur eum duodecim puncta (ut loquuntur) longos calceos induere solitum, cùm isti novem tantum sufficerent. Alius insuper asserebat Guerram peritissimum artis gladiatoriæ fuisse, cujus iste planè ignarus est. Qvinto loco tres extant testes, qvorum uni, qvem Joannem Hispanum dicunt (is diversorium Tolgis meritorium habet) Tillius in patriam reversus se patefecerat, remq; ut celaret, rogaverat: Guerram enim mortuum esse, qvi sibi omnia bona testamento reliqvisset. Alteri Valentino cuidam Rubio, qvi eum nomine compellabat, & Tillium esse agnoscebat, digito silentium indixit. Tertio Pelegrino Librossio idem fecit, eiq; insuper sudariola duo dono dedit, ea conditione, ut alterum Joanni Tillio fratri daret. Sexto accedunt duo testes, qvi affirmant, militem qvendam patria Rupefortanum, non multo abhinc tempore, cum Artigato iter faceret, miratum, qvòd Tilliũ videret se pro Guerra gerentẽ, apertè dixisse: veteratorẽ qvendam esse: Guerram in Flandria adhuc morari, altera tantum tibia incedentẽ, altera lignea supposita, pro ea, qvæ in expugnatione ad Sanqvintinum die S. Laurentii sphæra bombardica illi fuerat ablata. Secunda ratio, qva ostendi poterat non esse eum Guerram, erat ea ipsius collatio cũ Sanxio Guerræ filio, qva Prætor Regiensis deprehenderat, eos nihil inter se similitudinis habere, ut supra commemoravimus. Id verò multorum testimonio confirmabatur.

Anno

Anno

Tertia, qvòd Martinus ex Cantabria oriundus esset, cujus regionis lingua [ut omnibus est notissimum, multum a Gallica, & ab ipsa Vasconica discrepat, ut vix ac ne vix qvidem, nisi ab incolis intelligatur. At linguam hanc Tillius nisi pauculis qvibusdam dictionibus non callebat.

p. 765.

Qvarta afferebatur ratio, qvòd uno fermè omnium ore constanter ferebatur, Tillium ab ineunte ætate flagitiosæ vitæ assuevisse, omni generi furti & fraudum deditum, impia divini nominis execratione tertio qvoq; verbo inqvinatissimum.

Ut nihil mirandum sit, si novam hanc versutiam ac impudentem imposturam excogitaverit.

E diverso autem, ut reus ipse Guerra crederetur esse, efficiebant testes ad qvadraginta ferè numero, atqve in his qvatuor ejus sorores, qvæ hoc affirmabant: Ejusqve rei rationes tam graves & tam idoneas reddebant, ut nihil supra: illi, sibi cum eo à primis vitæ annis notitiam, consuetudinem & familiaritatem in ipso & cibo & potu intercessisse: hæ, qvòd ab incunabulis unà cum eo educatæ fuissent.

Ac in ipsis qvidem testibus tria, vel qvatuor præcipuè notatu digna sunt. Primò qvatuor sorores, de qvib9 jam diximꝰ, tam honestæ, ac integræ existimationis matronæ, qvàm qvævis aliæ in tota Vasconia: qvarum ea semper fuit oratio, ut istum dicerent fratrem suum esse Guerram, ipsius actricis maritum. Idem & pari constantia duo Martini sororii, qvi sorores in matrimonium duxerant, affirmabant.

Secundò, ex his testibus nonnulli interfuerunt nuptiis Martini & Rolsiæ, inprimis Catharina qvædam Boëria, qvæ jacentibus illis media ferè nocte comessationẽ [qvam ab excitandi vocabulo leresuveil appellant] attulit, qvæ qvidem certissima asseveratione eum esse contendit, qvi Rolsiam duxit uxorem, qvemq; cum ea jacentem offendit. Tertio loco testes isti magna ex parte proferunt notas qvasdam, qvæ refutari non posse videntur: gestasse scilicet Guerram in mandibula superiore duos subnatos dentes, in fronte cicatricem, unguem primi digiti depressum, tres in dextra manu verrucas, aliam in minimo digito, sanguineam guttam in oculo sinistro. Qvæ omnia signa in reo extare comperiebantur.

Accedit huc, qvòd ex testium numero multi patefaciunt Petri Guerræ consilium, qvi cum uxore & generis in rei necem & exitium conjuravit eò usq;, ut cum Joanne Lozæo consule Palesiensi pacisci voluerit, si ad ejus perniciem pecuniariam certam summam conferre vellet, se reliqva suppeditaturum. Illum autem respondisse, malle se ad ejus salutem bona sua expendere, qvem suum esse consanguineum, ab ipso Petro sæpe numerò affirmante didicisset. Addunt, famam esse apud Artigatenses, Petrum cum generis suis, in vita ipsa actrice, hanc perniciem misero homini machinari, & litem perseqvi. Deniq; aliqvot ex illis Petrum non semel audivisse, cùm hunc reum nepotem suum esse fateretur.

Anno

Qvartò, qvotqvot ferè auditi sunt testes, confirmant, hunc reum, cùm Artigatum venisset, nominatim omnes salutasse, qvi Guerræ noti fuerant, ut qvemq; primo occursu obvium habebat: qvi si in eo agnoscendo non nihil hæsitare videbantur, tum cum res præteritas in memoriam revocasse, ut singulos sic compellaret; Itáne verò non meministi, cùm ante decem, duodecim, qvindecim vel viginti annos tali in loco eramus, cum illa agebamus, cui cœtui is & ille intererat, atq; hujusmodi inter nos sermones habebantur? Qvin & cum ipsa actrice multa dixisse & repetiisse [ut antea dictum à nobis est] eorum, qvæ vir & uxor maxime occulta inter se habere solent. Disertè verò, cùm primùm advenisset, ita præcepisse: cedo huc femoralia illa alba, qvæ intrinsecus multitio albo munita sunt, qvæ, cùm hinc proficiscerer, in tali cista reliqvi. Id verò ipsa actrix verum esse fatebatur, & compertum est, femoralia illic fuisse. At ista sanè non potuit ab ullo monitore, vel nomenclatore discere. Fieri qvidem potest, ut certa qvædam verba memoriter narrentur, nonnulla indicia proferantur: sed tot variorum hominum notitiam proferre, qvos nunqvam nôris, ac ne videris qvidem, id verò humanis viribus majus, nec aliter qvàm Magia vel arte qvædam damnata perfici posse videtur. Sed de argumento ex testium dictis sumto hactenus. Secundo loco huc facit, qvod de similitudine rei cum sororibus Guerræ compertum est, qvæ qvidem multis affirmantibus [cùm Inqvisitio ea de re ex officio institueretur] tanta esse proditur, ut ovum ovo non magis esse qveat simile. Accedit ad hæc, qvòd cùm Rolsia, qvæ tam acriter reum persecuta est, cum eo conferret, ac ipse reus jusjurandum ei deferre non dubitaret, neqve recusaret, qvin atrocissima morte afficeretur, si se non esse Martinum Guerram dejeraret, nunqvam causa est jurare, sed hæsitabundæ instar negavit, se sacramentum exigere aut reddere velle. Qvo nihil apertius fieri potest, ut ipsa dolo & calumniæ affinis esse videatur.

Qvartò hoc qvoqve affertur, qvòd toto annorum circiter qvatuor spatio, qvo conjugum instar isti convixerunt, actrix nunqvã audita est conqveri. Imò qvoties qvispiam affirmavit, non esse eum verum maritum, illum non dubitabat duriori oratione mendacii insimulare, affirmans, ipsummet Martinum esse, aut omninò malum qvempiam genium ipsius exuvio tectum: à se enim indubitatò agnitum fuisse. Qvod si qvis idem deinceps dicere audeat, se effectu-

Anno effectūtam ut suo magno malo dicat. Insuper apud multos solebat illa conqveri, qvòd Petrus Guerra cum uxore, ipsius actricis matre, eò se volebant impellere & invitam cogere, ut reum in jus vocaret, suumq; non esse maritum contenderet, ut ne à minis qvidem abstinuerint, se illam, nisi morem gereret, domo exacturos esse.

p. 766. Qvinto & hoc suspicionē augebat, qvòd cum reus aliqvando alia de causa in carcerem conjectus fuisset ex authoritate Seneschalli Tolosani, instante qvidem & persequente Joanne qvodam Scornebovio minore natu, sed operam clanculum accommodante Petro Guerra, fuit tunc de hoc ementito mariti nomini nonnullus sermo injectus. Cujus rei causa non desinebat ipsa actrix de Petro Guerra & uxore conqveri, qvi se ad accusandum maritum impellere conabantur, qvòd eorum consilium esset, ut ille vel rei capitalis damnaretur, triremium pœnæ addiceretur. Ex hoc carcere cùm à Seneschallo causa judicata liberatus esset, reversus Artigatum officiosè ab ipsa actrice domi, velut maritus accipitur: qvæ ei, simulatq; venit, indusium recens suppeditavit, & in complexum ipsum admisit. Postero tamen die, summo manè, Petrus Guerra, procuratorio nomine tanqvam ab actrice constitutus, generis comitantibus armatis, rursus custodiæ mandatur: etiamsi nulla accusationis nova capita extarent, neqve dum actrix ipsum Petrum procuratorem ejus rei causa constituisset. Id enim vesperi demum eo ipso die factum est, ut ipse Petrus postea confessus est.

- Qvæ tamen omnia ipsius actricis voluntate neqvaqvam fieri, satis docent cùm alia, qvæ supra commemorata sunt, tum verò amica illa & omnium officiorum plena noctis superioris iterata consuetudo. Qvin & simulatqq; denuò comprehensus est, illi vestes & pecunias, qvibus sesustentaret, misit.

Qvæ cùm ita essent omnia, magnam causam Senatus habere videbatur, cur absolvendum reum censeret, præsertim cùm (præter omnia illa superiora) hæc sententia causæ matrimonii, prolis, & ipsius rei, faveret. Qvam sententiam, ut æqviorem, si seqvi liberet: conjecturæ & argumenta supra ex adverso objecta, parùm aut nihil habere virium viderentur.

Nam qvod ad numerum testium attinet, facilè respondetur, qvòd (ut jam dictum est) testibus, qvi pro reo loqvuntur, etiamsi pauciores sint numero, plus fidei habendum est, præsertim cùm verisimiliora dicant. Et in matrimonii, liberorum & ipsius rei favorem loqvantur & affirment.

Jam qvod ad Carbonem Barrautium, Tillii avunculum attinet, adjunctis aliis testibus, qvi multa singularia adversus reum proferunt, fuerunt omnes illi firmis rationibus refutati, qvæq; illis objecta fuêre, valere comperta. In militis oratione nullum est momentum, qvi non est ipse auditus, sed alii qvidam, qvi se ab eo audiisse affirmant. Anno

Nec obstant signa & notæ, qvæ à testibus proferuntur. Ad illa enim superioribus verbis satis responsum est, testes abundè refutatos esse. At verò pauca ab eis signa afferuntur, qvæ non in reo qvoqve extare appareat, si unum illud de proceritate & crassitudine corporis demas. Ad qvod etiam facile responderi potest. Nam (qvod ab aliis testibus idoneis affirmatur) licet reus, cum domo proficisceretur, ob gracilitatem videretur procerior & altior, postea tamen accedente ætate, potuit corporis & formorum crassiorem magisq; compactam molem acqvirere.

Nihilo rectiùs objicitur dissimilitudo, qvæ inter reum & Sanxium Guerram Martini filium cernitur. Nam præterqvàm qvòd inde petita indicia (qvod antea demonstravimus) parum firma sunt, extat contraria probatio ex similitudine qvæ inter reum & Martini sorores extare conspicitur. Qvæ sanè eo majorem vim habere debet, qvando plures personæ cum unâ conferuntur, & qvidem ejusdem propemodum ætatis sunt cum ea, cujus similitudo qværitur.

Qvod porrò objicitur, reum linguæ Boscorum ignarum esse, responsum ex rei gestæ veritate facilè potest colligi. Nam judices inqvirendo compererunt. Martinum è natali solo infantem, id est, bimum, aut eò paulo fortasse grandiorem, allatum fuisse.

Nec obstat etiam qvicqvam, qvod Tillius ab ipsa adolescentia sceleratæ & omnibus vitiis contaminatæ vitæ fuerat: cùm reum illum non esse, sed potius Martinum Guerram constet. At ex adverso, ipsi qvoq; actores non minùs consentanea, qvæ exciperent, habebant, & qvibus rationum momenta, qvas reus afferebat, elevarent. Nam qvod primo loco dicitur, plus fidei testibus affirmantibus habendum esse, qvales sunt, qvi à reo stant: id in istius causa locum non habet: cùm actoris testes non minus affirmantes sint, ut qvi reum esse Arnaldum Tilium affirmante oratione pronuncient. Accedit, qvod negativa oratio, qvam usurpant, dum istum esse Guerram pernegant, facilè probationis pondus habet, qvippè cùm adeò scitè & accommodatè ad loca, tempora & personas restringunt, ut tritæ illius regulæ cancellis jam minimè teneamur, qva docetur, duos testes affirmantes sexcentis inficiantibus potiores esse.

Alterum est, & qvidem in hac causa potissimi ponderis, qvòd testes, qvi tanta asseveratione reum esse Martinum Guerram dicebant, errorem postea agnoverunt, & in Senatu de sua sententia decesserunt, uti postea dicetur.

Anno

Nam qvod ad notas illas, cicatrices & signa attinet, qvæ in oculis, fronte, manibus & unguibus rei extare deprehenduntur, qvæ in Martino qvoqve extitisse feruntur, excipi poterit, earum rerum partem qvandam (nempe verrucas, sanguineam guttam & depressum unguem) sic ostendi, ut singulæ singulis testibus affirmentur: ut testes singulares esse appareat: qvi nihil probant, etiamsi sexcenti tales producerentur.

De reliqvis porrò notis, ut de subnatis dentibus & similibus, nihil novum est, duos inter se similes reperire, non solùm in vultus lineamentis, sed etiam certis qvibusdam corporis notis.

p. 767. Jam verò qvod affertur, rumorem esse Artigati, ipsam actricem à Petro & generis impelli, ut reum in judicio perseqveretur, responderi potest, probationem à famâ petitam non admitti, nisi in certis qvibusdam factis, qvæ huic causæ qvadrare non possunt.

Sed nec in eo qvidem multum momenti positum est, qvod dicebatur de notitia, qvam reus habere videbatur, eorum omnium, qvos primo occursu obvios habebat. Etenim præter magicam artem, cujus nomine vehementer suspectus erat, ipse postea, cùm supplicio afficiendus esset, confessus est, se à nonnullis adjutum fuisse, qvorum opera usus esset in congerendis & memoriæ mandandis qvibusdam rerum capitibus. Nihilo firmius est, qvod è sororum Martini cum reo similitudine non parva colligitur: propterea qvòd (ut jam aliqvoties dictum est) judicium ex similitudine valde incertum est. Cujus rei plurima possunt exempla proferri. Aeqvè facilis est exceptio ad id, qvod de actrice narratum est, qvæ cum reo commissa juramentum edere recusavit. Neq; enim totum illud ad rei veritatem mutandam qvicqvam valet.

Præsertim in causis capitalibus, in qvibus probatio ex jurejurando legitima non est. Qvibus addi potest, nonnullos ea superstitione laborare, ut illis religio sit vel in re clarissima & certissima jurare. Eadem opera respondetur ad id, qvòd toto illo triennio actrix cum eo non expostulavit, qvæ contra adversus qvosvis negantes summa pertinacia contendebat, eum esse verum Martinum: imò cùm eade re apud Seneschallum Tolosanum reus factus esset, sæpius eum invisebat, pecuniis aliisq; rebus juvabat: nempe qvia [ut facilè conjici potest] in eo adhuc errore versabatur.

Hæc fuit contrariarum rationum & conjecturarum pugna atq; discrepantia, cujus causa dubium non est, curiam maximè perplexam hæsisse in re tam obscura dijudicanda. Verùm optimus ille, & maximus Deus, ut ostenderet, se laboranti veritati subvenire velle, ne tam prodigiosum flagitium occultum, debitis pœnis eximeretur: cùm de rei summa pronunciandum esset, effecit non absq; miraculi specie, ut in ipso tempore verus Martinus adveniret.

Anno

Is igitur ex Hispania rediens, altera lignea tibia ingrediens [qvemadmodum ante annum miles qvidam, ut narravimus, nuntiaverat] supplicem libellum porrigit, qvo imposturam detegit, & sibi dicendi potestatem fieri postulat. Senatus postulata concedit, eiqve apud Basilicæ custodem Arrestum clausum tenet. Statuunt interim patres, ut cum Tillio, Petro Guerra, Rolsis, & sororibus committatur, nec non cum iis testibus, qvi tanta constantia affirmaverant, reum esse Martinum. Itaq; auditur, & super iisdē interrogatur, qvæ ex reo qvæsita fuerant: ad qvæ omnia respondet, ac indicia profert ille qvidem ad singula, qvæ rogantur, non tamen tam apta, certa, aut multa, qvàm ipse Tillius. Deniq; ambo inter se conferuntur. Ibi tum Tillius se multò qvàm unqvam antea proterviorem præbet: istum sycophantam, neqvissimum, impostorem vanissimum appellat, se non recusare, qvin turpi suspendio pereat, ni planum faciat, eum à Petro Guerra submissum, & precio numerato corruptum esse. Qvi tametsi callidè ab eo ad mentiendum institutus esset, non tamen se dubitare, qvin eum coarguere & suppositum deprehendere possit. Tum insistit multa narrare, ab eoq; de plurimis rebus domesticis sciscitari. Ad qvæ ipse Guerra non tam apposite neq; qromptè respondebat, qvàm reus visus antea fuerat, & tum qvoq; videbatur.

Hæc cùm viderent Judices, consilium capiunt, ut novum istum adventitium, remotis testibus, solum interrogent, & ab eo qvædam omnium occultissima qværant, qvæ à neutro adhuc qvæsierant, nec qvicqvam qvod accedere ad ea videretur. Rogatus, vera (ut postea constitit) respondet. Deinde eo remoto reum accersunt, eadem ad decem aut duodecim capita sciscitantur. Ille ad omnia planè eadem, qvæ alter, respondet. Qvæ res toti cœtui stuporem immisit, opinionemq; injecit, eum Magica impietate uti: ut publica etiam famâ hujus rei apud Artigatum, Pinum, Sagiassum, & loca finitima, notabatur.

Igitur patres, qvò certius judicium facerent, præcipuos ex eorum numero, qvi testati fuerant, reum esse Martinum Guerram, coràm adesse jubent, ipsas item Martini sorores cum maritis, simul etiam ipsius Tillii avunculum, fratres & certos consanguineos: ut ambo isti simul eorum oculis objicerentur, atq; alter tandem verè agnosceretur Martinus Guerra. Qvi omnes jussi adsunt, præter Tillii fratres, qvi nullis litteris, minis aut imperio adigi unqvam potuerunt, ut adversus fratrem testimonium dicerent. Adest ergo omnium prima soror natu maxima: qvæ paulisper istum nuper rever-

Anno reversum intuita, statim fratrem esse agnoscit, atq; flens in ejus amplexus ruit, Judices his verbis alloqvens: Hic verò demum est frater Martinus Guerra. Ultrò errorem fateor, in qvem perfidiosus iste proditor [tum autem Tillium præsentem designabat] me, sorores & cives omnes Artigatenses suppositis indiciis impulit, & diu detinuit. ad qvam ejus orationem ipse qvoqve, qvi recens venerat, collachrymari cœpit. Deinde reliqvæ etiam sorores cum agnoscunt, omnes deniq; cæteri testes idem faciunt, qvi tam pertinaciter antea Tilli causam suis verbis confirmabant.

Tandem ipsa Rolsia in medium adducitur, qvæ simulatq; in recentem istum oculos conjecit, obortis lachrymis, tota tremens instar folii vento agitati, vultu ma-
1563. dente cum amplexura accurrit, errati veniam petens, in qvod imprudentem se, Tillii versuitá, calliditate, atq; imposturá circumventam incidisse confitetur.

Culpam potissimum in ipsius Martini sorores rejiciens, qvæ nimia facilitate sibi persuaserant, & affirmârant, reum esse ipsum suum fratrem: cum alioqvi cupiditate incredibili teneretur recuperandi mariti. Itaq; hæc omnia concurisse, qvibus facile adductam se esse, ut eum admitteret, eò magis qvòd multa, eaq; maximè arcana & singularia indicia prodebat. Verùm cùm primùm fraudem deprehendere cœperit, mortem sexcenties optâsse, atq; adeò sibi eam illaturam fuisse, nisi Dei metus prohibuisset.

Qvocirca cùm se tam indignè delusam animadverterte, castitatis opinione excidisse, litem nefario proditori intendisse, tantaq; perseverantia persecutam esse, ut capite à Prætore Regiensi damnatus sit, ut mortui cadaver in qvatuor partes dissecaretur. Neq; in eo tamen se constitisse, sed postqvàm ille ad senatum Tolosanum provocavit, se à patribus supplicem petiisse, ut sibi eò venire [provocatione enim rei se antea impediri, ne loco exiret] & de injuria accepta conqveri, judicioq; hominem perseqvi liceret.

Hic vero operæ præcium est gestum hujus recentis Guerræ narrare. Is cùm ad sororum occursum, & agnitionem lacrymas continere neqvivisset, tamen ad uxoris ejulatus, suspiria & summos gemitus, nullum nnqvam commiserantis animi signum dedit. Imò vultu qvodam austero, & severo aspectu, tanqvam illam intueri vix dignaretur, mitte verò, inqvit, istas lacrymas, qvibus nec possum nec debeo commoveri.

Nec excusationem excipio, cùm sorores & patruum obtendis. Neq; enim pater, mater, patruus, sorores aut fratres notiorem habere debent filium, nepotem aut fratrem, qvàm uxor maritum. Itaq. domesticarum turbarum, & tragœdiæ totius nemo præter te culpam sustinere debet. Ibi Anno tum Judices ipsi Rolsiam homini purgare conantur, verum omnia frustrà: neq; enim primo illo congressu ejus animus mitelcere, aut ab insita austeritate deduci potuit. Ita Tillii dolus planè patefactus, & recens iste omnium consensu agnitus verus Martinus Guerra, admissus est: causa qvoq; suis omnibus numeris instructa & expedita, judicũ sententiam reqvirebat. Qvapropter curia, magna & gravi deliberatione omnibꝰ expensis, Arrestum in hæc verba edidit.

Arrestum Senatus Tolosani.

VISO processu, habito coram Prætore Regiensi contra Arnaldum Tillium, cognomento Panseram, se pro Martino Guerra gerentem, nunc in custodia Palatina detentum, ab ipso Prætore provocantem, sententia amplissimi senatus est, causæ totius acta omnia, unà cum ipsa rei provocatione annullanda esse.

Ad debitum porrò supplicium Tillio irrogandum, qvò expietur impostura, crimen falsi nominis & personæ suppositio, adulterium, raptus, sacrilegium, plagium, furtum, cæteraq; crimina ab ipso Tillio reo incarcerato commissa, qvæ omnia ex ipso processu resultant, Senatus hominem hac ignominiosa multa damnavit, atq; etiamnum damnat, ut ad fores Ecclesiæ Artigatensis, genibus flexis, indusio tectus, capite aperto, pedibus nudis, resti collo innexa, tedam ceream accensam in manibus tenens, veniam à Deo, Rege, Patribus, Martino Guerra, & Bertranda Rolsia conjugibus petat. Deinde carnifici in manus traditus, ab eo per plateas & compita Artigati circumductus, resti collo revinctus ante ipsius Martini ædes adducatur, ibiq; patibulo, qvod ejus rei gratia erectum illic fuerit, appensus strangulетur: postremò cadaver côburatur.

Censuit insuper senatus, certis causis ad id adductus, ut bona ipsius Tillii, filiæ [qvam ille ex Rolsiâ, impiè ad hunc modum per Martini Guerræ nomen & personam suppositam connubii pretextu decepta suscepit] edicto possidenda tradantur: sic tamen ut litis impensæ priùs detrahantur. Porrò Martinum, Rolsiam, & Petrum Martini Patruum curia, foro, & lite eximit. Tillium deniqve reum ad Prætorem Regiensem remittit, cui executionem rei judicatæ, forma & verborum ordine præscripto faciendam, mandat, ac committit. Imp. 118. Ferdinando. Pp. 230. Paulo. 4.

Franciscus Hottomannus in Bruto Fulmine.

DOnationis Constantini summa hæc est: Imperator Constantinus Christianorum hostis, lepræ morbo affectus, in somnis à Petro & Paulo Apostolis admonitus, ut se Sylvestro Papæ Romano purgandum tra-

Anno traderet, confestim ab illo baptizatus atq; sanatus: tanti beneficii remunerandi causâ, donavit eidem Sylvestro, ejusq; successoribus urbem Romam, totumq; Occidentis Imperium; simul coronam suam auream, & sceptrum, & reliqva Imperatoria insignia, ut majorem dignitatem Papa Rom. haberet, qvàm ipse Imperator. Simul imprecatur suis successoribus usq; ad finem mundi, concremationem in inferno inferiore, cum Diabolo & impiis: nisi eam donationem ratam habeant, & observent. Datum Romæ 3. Kal. April. Constantino A. qvater & Gallicano Coss.

p. 969. Hoc igitur instrumentum, qvo solo Paparum dominatus sustinetur, falsum, fictum, ementitum, atq; à Papa nescio qvo, perinde ut librum conformitatum subjectum fuisse, qvàm plurimis argumentis evincemus, qvorum illud primum est.

I. Qvòd, cùm tot extent historici, qvi res Constantini literis mandaverunt, nullus tamen autor locuples reperitur, qvi tam immensæ, tam effusæ, ac tam inofficiosæ prodigalitatis mentionem faciat. In his sunt Eusebius, qvi libros 5. de ipsius vita conscripsit, item Socrates, Theodoretus, Evagrius, Rufinus, Eutropius, Paulus Diaconus, Orosius, Beda, Zonaras, Nicephorus: qvos non est verisimile, si vera illa donatio fuisset, tantam rem tanto silentio prætermissuros fuisse. Qvin etiam Papæ ipsi Romani, qvi sæpè multumq; de suâ potentiâ & amplitudine cum aliis Episcopis contenderunt: tamen in suo jure perseqvendo, & instrumentorum suorum editione, nullum unqvam de illo instrumento fecisse verbum leguntur.

II. Qvòd complures Papalis dominatus patroni & defensores testificantur, totum illud caput ab antiqvis Gratianici Decreti codicibus abesse: in his est Antoninus Florent. Episcop. primæ partis historialis tit. 8. c. 1. & Volaterranus; ubi de constantino commemorat. Caput illud, [inqvit Antoninus] non habetur in antiqvis Decretis. Qvid ergò, & qvantum Constantinus donavit, non est benè certum. Nicolaus autem Cusanus libro de Concor. Cathol 3. absqve dubio, inqvit, si non fuisset illud dictamen apocryphum: Gratianus in veteribus codicibus, & canonum collectionibus invenisset: & qvia non invenit, non posuit. Qvin etiam Æneas Sylvius in dialogo qvodam, qvem adhuc Cardinalis scripserat, apertè instrumentum istud falsitatis arguit: & stolidos legistas appellat, qvi tantoperè sudaverint in disputando, an ea donatio valeat, qvæ nunqvam facta fuit.

III. Qvòd Eusebius lib. de vitâ Constant. 4. memoriæ prodidit, cum perexiguo ante obitum tempore hanc Imperii sui divisionem inter suos filios fecisse, ut natu maximo Occidentem, secundo Orientem, tertio interjectam regionem assignaret. Sed & Socrat. hist. Ecclesiast. 3. cap. ult. Cùm tres, inqvit, filios haberet, singulos eorum Imperii sui participes esse, constituit: primum qvidem filium sui nominis, Constantinum, Occidentalium partium. Secundum avi nomine, Constantium, in Oriente constituit. Juniorem verò Constantem in mediâ regione ordinavit. Item Sext. Aurel. Victor, ad tres, inqvit, orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, Constantium, & Constantem, filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt. Item Zozimus lib. hist. part. 2. inqvit: Ejus liberi successionem in Imperio nacti, nationes inter se partiti sunt: & Constantinus qvidem natu maximus cum minimo natu Constante omnia trans Alpes sita, & Italiam, & Illiricum sortitus est.

Nunc posteriorum temporum historiam consideremus. Nam ut inter omnes Chronographos constat, non tantum Italiæ, verum etiam Romæ urbis imperium penes Constantini successores per annos centum & qvadraginta permansit, usq; ad annum Christi CCCCI. qvo tempore Imperium illud Occidentis vexari cœptum à Gottis, Francis, Alanis, Burgundis, Vandalis: semper tamen in jure Imperat. Rom. mansit, usq; ad Imp. Augustulum, qvem Odo Gottorum rex Italiâ expulit, urbe Româ potitus an. 476. qvo tempore Rom. Imp. in Occidente defecit, Barbaris & Romæ & in Italiâ regnantibus. Nam regium Romanorum nomen penes Odoacri posteros ac successores per annos CCCXXV. permansit. Itaq; videre licet qvàm plurimas apud Cassiodorum Theodorici regis literas, partim ad senatum urbis Romæ, partim ad populum Romanum, regio nomine atq; auctoritate scriptas: ut nemini dubium esse possit, qvin & Italia & urbs ipsa Roma sub Gottorum regum ditione, non sub ullius Papæ dominatu permanserit: usq; dum, Gottis ab Imperat. Constantinopolitano Italiâ exactis, præsides in illam provinciam mitti cœperunt, Exarchorum nomine: qvi etsi Ravennæ domicilium habebant: tamen in Italiâ per annos complures dominati sunt.

Rursus Longobardi; qvorum regnum exortum est an. IͻLXVIII. universam Italiam, præter urbem Romam, per an. CCVI. hoc est, usq; ad annum IͻCCLIV. tenuerunt. qvæ omnia ex Procopii, Jornandis, Marcellini, Pauli Diaconi, & aliorum scriptis intelliguntur: ut perspicuum cuivis esse possit, falsum esse, qvod Papæ contendunt, majores suos vel in Italiâ, vel in urbe Româ dominatum ex Constantini donatione obtinuisse: cùm is dominatus anno demum Christi 800. initium habuerit, ex Pipini & Caroli Magni liberalitate, qvi exarchatum Longobardis ereptum, unà cum urbe Româ

Anno Romã Papæ Stephano secundo donaverunt: ut Platina, Volaterranus, & alii omnes testantur, sed præsertim Sabellicus Ennead. 8. lib. 8. ubi præter cæteros asscribit, Constantinum qvartum Orientis Imp. legatos ad Pipinum in Italiam misisse, qvi ab eo peterent, ut Ravennam & cætera Exarchatus loca suo Imperatori restituenda curaret: qvippe qvæ Imperii essent (sic loqvitur Sabellicus) non autem Pontificis. Neq; se Pipinũ Constantino, aut cuiqvam hominum, præterqvàm Ecclesiæ Romanæ militare, eoq; consilio se arma induisse, ut Apostolicam sedem ab omnium mortalium injuriâ vindicaret: utqve Ravennam, & qvicqvid Longobardi vi & armis subegissent, Romanæ subjiceret Ecclesiæ. Ita Græci, re infecta, Oratores domum redierunt. Hæc Sabellicus.

p. 770. Platina autem, Exarchatum Aistulpho Longobardo ereptum, & Papæ Stephano traditum, subjungit, anno DCCLVI. simulq; Imperatoris nomen Carolo Magno Pipini filio tribuisse, qvod Imperatores Orientis ægrè per ea tempora tuebantur, hoc est: anno IͻCCCI. qvâ de re Alb. Krantzius in Saxon. l. 2. cap. 1. sic scribit: Tribuunt nonnulli Constantino Magno donationem illam Italiæ, & Germaniæ, & nescio qvarum provinciarum Ecclesiæ Rom. factam: de qvâ ipsi viderint; Carolus erat, qvi ex victoria Longobardorum Romanam Ecclesiam ditavit, cùm pridem aliqvanta, & Gotti per sua tempora, & deinde Longobardi reges nonnulla contulissent.

IV. Qvòd Papæ ipsi inter se de hac donatione pugnantia loqvuntur, & valdè discrepantia. Nam cùm hoc loco (id est in d. c. Constantin. dist. 96.) regnum Romanum atqve Italiæ & Occidentis totius Constantino acceptum referant, & anno Christi 338. tamen alio loco sui hujus beneficii auctorem laudant Ludovicum pium, Caroli Magni filium, ex an. Christi 835. Cujus mendacii ac falsitatis impudentia qvò dilucidiùs appareat, bina hujus posterioris donationis instrumenta, qvæ Papæ & Canonistæ nobis ediderunt, inter se comparabimus. Nam Volaterranus l. Georg. 3. sic loqvitur: De pietate ipsius Ludovici Pii in Romanos pontifices multa Bibliothecarius refert, civitates, qvas eis dedit enumerans: ego qvoqve ex Antigrapho vetusti libri, qvod in bibliotheca Vaticana hodie continetur, ubi ejus enarratur donatio, Apographum excerpsi.

Instrumenti Volaterrana editio.

EGo Ludovicus Imp. concedo tibi Beato Petro, Principi Apostolorum, & per te vicario tuo domino Paschali summo pontifici, successoribusq; ejus in perpetuum, civitatem Romanam, cum sua jurisdictione, omnibus circa terris, civitatibus, portubus, ac maritimis locis Hætturiæ: in ea deniq; mediterraneam urbem veterem Balneoregium, Viterbium, Saonam, Populoniam, Rosellas, Perusium, Mathuranum, Sutrium, Nepe versus Campaniam. Ananiam, Signiam, Ferentinum, Alanum, Patricum, Frusinonum, cum omnibus circà oppidis & vicis: nec non Exarchatum Ravennæ integrum, sicut piæ recordationis Carolus pater, & item Pipinus avus noster (notet lector mirum de Constantino silentium) Beato Petro dudum concessêre: videlicet Ravennam, Bonicum, Amiliam, Forum populi, Forum Julii, Faventiam, Imosam, Romaniam, Ferrariam, Comadum, Adriam, Serviam, in Marchia Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Oximum, Numanam, Esium, Forum Sempronii, Feretrum, Urbinum, territorium Valnense, Callium, Lucceolos, Eugubium, in Campania Sorum, Aqvinum, Arpinum, Thranum, Capuam: patrimonia qvoq; ad nostram pertinentia ditionem, Beneventanum, Salernitanum: Calabriæ inferioris ac superioris, ac Neapolitanum ducatum: insuper Spoletinum, Tuderotreculum, Harviam, reliqvaq; ejus ditionis: Insulas qvoq; inferi maris, Corsicam, Sardiniam, Siciliam, qvæ omnia piæ memoriæ Pipinus avus, deinde Carolus Imperator, genitor noster, per Athenium & Mainardum Abbates, ad hoc sponte missos, B. Petro ejusq; successoribus scripto concesserunt, nos item probamus atqve concedimus.

Præterea summi Pontificis deligendi Romano consilio potestatem esse volumus, modò sine discordia fiat, ac post consecrationem legati ad nos successoresq; nostros Reges Francorum conciliandæ charitatis & amicitiæ causa, mittantur: sicut temporibus dom. Caroli atavi, & Pipini avi, & postremò Caroli genitoris nostri mos fuit. Hanc igitur voluntatem nostram scripto ac jurejurando firmamus, & per Legatum S. R. E. Theodorum domino Paschali misimus, manuq; propria me subscripsi, EGO LUDOVICUS. Subscripsêre qvoq; tres filii ejus, Episcopi decem, Abbates octo, Comites qvindecim, Bibliothecarius, Mansionarius, Ostiariusq; unus. Numerabatur annus ab incarnatione Domini D. CCC. XXXV.

Instrumenti Decretalis editio.

EGo Ludovicus Imperator Romanus August. statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, B. Petro principi Apostolorum, & per te vicario tuo, domino Paschali summo Pontifici, & successoribus ejus in perpetuum, sicut à predecessoribus nostris usq; nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis Romanam civitatem, cum ducatu suo, & suburbanis, atqve villicis omnibus, & territoriis ejus montanis, & maritimis littoribus

Anno & portubus, ceu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac villis in Toscaniæ partibus.

Item qvando divina vocatione hujus sacratissimæ sedis pontifex de hoc seculo migraverit: nullus ex regno nostro, aut Francus, aut Longobardus, de qvalibet parte homo, sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Roman. aut publicè aut privatim conveniendi, aut electionem faciendi, nullusqve in civitatibus aut territoriis, ad Ecclesiæ Beati Petri Apostoli potestatem pertinentibus, aliqvod malum præterea facere p. 771. præsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione, & sine qvalibet perturbatione honorificam suo pontifici exhibere sepulturam; & eum, qvem divinâ inspiratione & B. Petri intercessione, omnes Romani uno consilio atq; una concordia sine aliqva promissione, ad pontificatus ordinem elegerint, sine aliqva ambiguitate atqve contradictione, more canonico consecrare: & dum consecratus fuerit, legati ad nos, vel ad nostros successores Reges Francorum dirigantur, qvi inter nos & illum amicitiam, charitatem, & pacem concilient.

Ex hac comparatione perspicuum est, qvibus fraudibus, & qvàm malis artibus Papatus ad conseqvendum summum illum Italiæ dominatum sit usus. Nam, ut vetus Imperat. Constantinus apud Justinianum loqvitur: Scripturæ diversæ, & fidem sibi invicem derogantes, firmitatis nihil habere possunt. l. scripturæ, 14. c. de fid. Instrum. qvippe, cùm duæ orationes pugnantia continentes veræ non possint. l. si is qvi. 13. §. utrùm. D. de reb. dub. l. ubi pugnantia. 188. D. de reg. Jur: Itaqve qvoties plura ejusdem actus instrumenta conficiuntur, oportet ea inter se totidem verbis congruere: tametsi error in aliqva notula sit tolerabilis: veluti si L. pro C. scripta sit. l. Sempronius. 47. D. de leg. 2. Sed aliud est error in notà numeri, aliud diversitas in rebus ipsis: velut hoc loco, ubi in uno instrumento sola Romæ suburbana qvædam nominantur: in altero, præter maximam Italiæ partem, etiam Sicilia, Sardinia, & Corcyra. Qvo casu qvia diversæ donationes sunt, diversa instrumenta reqvirebantur. l. sancimus. 34. §. si qvis autem. C. de donat. l. qvingenta. 12. D. de probat.

Deniqve si Constantinus tanto antè Occidentis Imperium Papatui donârat: ecqvod jus novum adipisci Papa ex hac nova Ludovici donatione potuit? cùm, ut vulgò traditur, rei suæ acqvisitio nulla sit l. 4. C. contrah. emp.

V. Qvòd alio etiam loco Papæ pugnantia inter se de hac eadem donatione locuti sunt. Extat enim in eodem Gratiani decreto, 12. q. 1. c. futuram. Melchiadis Papæ testimonium, qvi ante Sylvestrum Papalem sedem obtinuit; ubi jam tum, ante Sylvestri [inqvam] Papatum, hujus donationis Anno à Constantino etiam ante suum Papatum factæ, mentionem his verbis facit: Donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis B. Petri instituit adeò, ut sedem Imperialem relinqveret, & B. Petro successoribusq; suis profuturam concederet. Nam si ante Melchiadis tempora Constantinus illam donationem fecit, qvid argumenti habere hæc Sylvestri fabula poterit, affirmantis, & baptizatum à se Constantinum, & se ab illo tanto imperio donatum fuisse.

VI. Sed jam propiùs ad ipsum donationis instrumentum, & historici verba veniendum est. Nam cui verisimile videbitur, somnium divinitus fuisse oblatum homini non tantùm Ethnico & idolorum cultori, verùm etiam acerrimo religionis Christianæ insectatori? aut si oblatum fuisset: qvis credat, Deum non id potiùs per angelum aliqvem, ex vetere [ut scriptura testatur] ac perpetua consuetudine, qvàm per Apostolos mortuos id facturum fuisse? deniqve temerarium est, qvicqvam de somniis, præter Scripturæ sacræ auctoritatem credere. Qvare dubium nemini esse debet, qvin hoc instrumentum ex eadem officina prodierit, unde alia ejusmodi innumerabilia Papatus commenta, figmenta, & mendacia nata sunt. Tale est illud apud Antoninum part. 3. tit. 24. §. 3. Cùm Dominicus esset Romæ, & in Basilica S. Petri orationem suam pro conservatione & dilatatione ordinis sui effunderet: factâ manu Domini super eum, gloriosos principes Petrum & Paulum ad se statim venientes aspexit: qvorum Petrus baculum, Paulus verò librum tradere videbatur: addebantqve dicentes: Vade, prædica: qvoniam à Deo ad hoc ministerium electus es.

Aut illud alterum Papæ Stephani secundi, apud Rheginonem in Chron. anni IↃCCLIII. ubi Stephanus Papa, cui Pipinus exarchatum Italiæ donavit, scribit se, cùm in monasterio S. Dionysii apud pagum Parisiacum [hæc illius verba sunt] subter companis dormiret, vidisse ante altare D. Petrum, & magistrum Gentium Paulum, qvos de illorum sicariis cognovit, B. Dionysium subtilem & longiorem: dixisseqve dominum Petrum: hic frater noster postulat sanitatem: & D. Paulum respondisse: modò sanabitur. & appropinqvantem misisse manum suam ad pectus domini Dionysii amicabiliter, & dixisse D. Petrum ad dominum Dionysium hilariter: Tua gratia est sanitas ejus. Et statim dom. Dionysium, thuribulum incensi & palmam in manu tenentem, presbytero & diacono dixisse, scilicet prælibato Stephano Papæ: Pax tecum frater: noli timere: surge sanus. Et mox [inqvit] factus sum sanus: & volebam implere, qvod mihi preceptum erat: & dice-

Anno dicebant, qvi ibi aderant: qvòd dementabam, & cætera.

Hæc adeò stolida atqve insulsa sunt, ut Papa Stephanus illo commento risum captasse videatur. Sed laudandus DEus, qvòd tantam improbitatem non nisi in homines stolidos incidere passus est. Qvin ne illud qvidem de visis in somnio Petro & Paulo apostolis prætermittendum est, qvod in libro Conformitatum legitur fol. 51. B. Franciscus Romam pergens, fuit à sanctis apostolis Petro & Paulo dulciter amplexatus. Ibidem Petrus & Paulus à Francisco rogati, impetrârunt à Christo regulæ minorum confirmationem.

772. VII. Qvòd verisimile non est, Constantinum Magnum illo lepræ morbo laborasse: qvandoqvidem neqve Eusebius, qvi vitam ejus accuratè qvinqve, ut dixi, libris complexus est; neqve Zosimus, qvi religionis odio Constantinum qvibus potest contumeliis exagitat: neqve Paulus Diaconus: neqve alius qvisqvam ullam illius morbi mentionem facit: ut omittam Baptistæ Mantuani argumentum ex libro de Patient. 1. cap. 30. ubi cùm ex Plinii libro 21. cap. 1. docuisset, genus illud morbi jam pridem in Italia restinctum fuisse, sic infert: Si ergò tempore Plinii, qvi sub Vespasiano floruit, erat jam restinctus hic morbus in Italia: verisimile non est, Constantinum eo laborasse, qvi post longum temp9 imperavit.

VIII. Qvòd etiam impium commentum illo loco subjicitur, & qvod Christianorum aures animiqve respuunt: Constantinum, dum in lavacro à Papa baptizabatur, vidisse manum Dei de cœlo in suum corpus demissam, qvæ illum lepra purgaverit. In sinu lavacri positus (ait) manum tangentem me à cœlo propriis oculis aspexi, sub qva mundatum me à lepra cognovi. Ecqvis non videt, figmentum hoc ejusdem esse generis, cujus illa sunt, qvæ passim in libro Conformitatum Franciscanarum, aut in vita Dominici leguntur.

IX. Qvòd neqve verisimile est, tam inconsultum Sylvestrum Papam & Diaconos ipsius fuisse, ut Constantino, Christianorum, ac præsertim Ecclesiæ Romanæ hosti infensissimo, tam repentè, post suum illis narratum somnium, Baptismum conferre vellent: ac non priùs ei Christianæ religionis mysteria, Catechumenorum instituto, traderent. Qvin etiam Zosimus Christianæ, ut dixi, religionis inimicus narrat, eum ab Hispano qvodam eam religionem edoctū, didicisse, qvanta vis illius esset in delendis hominū peccatis: ac tunc demum hariolos & flamines, cæterosq; Romanarum superstitionū sacerdotes ab aula sua removisse.

X. Qvòd summi auctores atqve historici testantur. Constantinum non nisi paulò ante mortem, & anno demum ætatis LXV. baptizatum fuisse, neqve id Romæ vel à Sylvestro Papa, qvi qvinqve propè ante annis vita excesserat: sed Nicomediæ, ab Eusebio Nicomediensi, magna Episcoporum freqventia. Hæc Eusebius in libro 4. de vit. Hieronym. in Chron. Rufinus lib. 1. cap. 11. Socrates lib. 1. cap. 39. Theodor. lib. 1. cap. 31. Ambrosius lib. de obitu Theodosii. Neqve enim Nicephoro fides habenda est, qvi lib. 7. cap 35. cùm Romæ illum baptizatum scribit, simul adjungit, se Romanam Ecclesiam in ea re auctorem seqvi: præsertim cùm Vincentius lib. hist. 24. non dubitaverit scribere, secundum S. Hieronym. Constantinum uxorem Faustam, & filium Crispum crudeliter occidisse, & in extremo vitæ ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatum fuisse. Anno

XI. Qvòd nec verisimile est, si constantinus calido puerorum infantium sanguine suum morbum curare instituisset, vel cum voluisse pueros illos palàm à Capitolii sacerdotib9 jugulari, vel tanta sanguinis copia opus fuisse, ut eo cisterna tota impleretur.

XII. Nihilo magis credibile est, Constantinum tam diu Christianam religionem oppugnasse, qvin aliqvid de Petro & Paulo, celeberrimis Christi Apostolis, auditione accepisset: neqve adeò rerum Christianarum imperitum fuisse, ut somno illo excitatus ex Sylvestro qværeret, qvinam essent illi Dii, qvi Petrus & Paulus appellabantur. Nam ut nihil omninò præter divinam visionem didicisset, tamen non est verisimile, Petrum & Paulum ei se pro diis venditasse.

XIII. Qvòd impium fuisset, beneficium recuperatæ valetudinis referre potiùs acceptum Apostolo Petro, Dei internuncio, qvàm ipsi Deo, à qvo Petrus ad eum missus fuerat. Deinde soli Petro potiùs, qvàm conjunctim Petro & Paulo. His enim verbis utitur: Et beneficentiis ipsius Petri, sanitatem corporis redeuntem integerrimè sensi.

XIV. Absurdius est etiam, qvod subjicitur, Constantinum, qvi qvinqve liberos habebat, tamen de sententia omnium satraparum suorum (qvod verbum in legibus & monumentis Impp. Romanorum planè novum, insolens, atqve inusitatum est) & universi senatus ac optimatum, & cuncti populi, qvi Romano Imperio subjacebat, dimidiam imperii sui partem pauperculo sacerdoti donasse: cùm inter omnes constet, senatum Romanum non illo tantùm tempore: verùm etiam usqve ad Valentiniani Imperium Gentiles suas superstitiones retinuisse; qvod vel ex Symmachi epistola intelligitur ad Impp. Valentin. Theodos. & Arcadium scripta. lib. 10. Epist. 14. ubi senatus Romani nomine ab illis petit, ut superstitio, & idolorum cultus in urbe Româ restituatur; cui B. Ambrosius, duabus epistolis ad eundem Imper. Valentin. scriptis, Aurel. autem Prudentius piis & elegantissimis versibus respondet.

XV. Ab-

Anno XV. Æqvè absurdum est, & Christiano Episcopo planè indignum, qvod subjicitur, Constantinum non tantùm parem Imperiali suæ potestatem Sylvestro Papæ tribuere, verùm etiam majorem potestatis principatum, qvàm nostra (inqvit) serenitas regia ab omnibus habere dignoscitur.

Et mox: Tradentes ipsi potestatem & gloriæ dignitatem, vigorem, & efficaciam, & honorificentiam Imperialem. Qva de re, ac Papatum ambitione operæ precium est Bernhardi Abbatis Clarævallensis judicium audire, scriptum Eugenio Papæ lib. de consider. 2.

p. 773. Disce, inqvit, exemplo prophetarum præsidere, non tam ad imperitandum, qvàm ad factitandum, qvod tempus reqvirit. Disce, sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias prophetæ. Item: esto, ut alia qvacunqve ratione tibi hæc vendices, sed non Apostolico jure. Nec tibi Petrus dare potuit, qvod non habuit: qvod habuit, hoc dedit, solicitudinem super Ecclesias. Nunqvid dominationem? audi ipsum: Non dominantes, inqvit, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum ex solâ humilitate putes, non etiam veritate: vox Domini est in Evangeilo: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergò tu: & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum: planè ab utroqve prohiberis. Si utrumqve simul habere voles, perdes utrunqve. Hæc Bernhardus.

XVI. Nihilo tolerabilius est, qvod subjicit, se Papæ Romano tribuere principatum super qvatuor præcipuas sedes, Antiochiæ, Alexandriæ, Constantinopolis, & Hierosolymorum. In qvo non modò manifesta, verùm etiam ridicula falsitas deprehenditur. Primùm, qvia ne Constantinopolis qvidem adhuc ulla extabat: qvippe qvæ anno demum Imperii Constantini decimo ædificari cœpta est, ut testatur Nicephorus libro 8. cap. 4. & cives pleriqve omnes idolorũ cultui per id tempus erant dediti. Tantum abest, ut ulla ibi vel Ecclesia vel Ecclesiarum metropolis aut prærogativa fuerit.

XVII. Minùs etiam ferri potest, qvòd subjicitur, Papam Romanum constitui super omnes in universo terrarum orbe ecclesias. Mitto enim, qvod alio loco demonstravimus, verissimam & certissimam hanc esse Antichristi notam, cùm sibi qvis principatum in omnes Ecclesias arrogat: sed insignis hoc loco Paparum amentia perspicitur, qvam etiam alio loco perstrinximus: cùm ex hoc instrumento contendant, se principatum illum ex Constantini beneficio habuisse, qvem tamen in aliis locis innumeris glorientur se immediatè ab ipso Christo accepisse. Nam ut inter omnes constat, qvod suum cujusqve est, id pluribus ex causis ejus esse non potest, qvandoqvidem dominium non ex pluribus causis, sed una tantùm contingit. l. 3. §. ex pluribus, D. de acq. poss.

XIIX. Ridiculum autem illud est, qvòd Constantinum inducunt hæc de se prædicantem: in ædificando Romano templo duodecim se terræ cophinos suis propriis humeris extulisse, æqvales, inqvit, numero XII. Apostolis. Nam cùm toties uni Petro plus honoris tribuat, qvàm conjunctim reliqvis XI. omnibus nunqvid proportionis ratio postulabat, ut plures in illius unius honorem terræ cophinos exportaret, qvàm in omnium reliqvorum?

XIX. Neqve verò minùs ridiculum est, qvod subjungit: se pro continuatione luminarium, qvæ in illo templo ardebant, non modò possessiones & agros contulisse, verùm etiam in Oriente, Occidente, Septentrionali & Meridionali climate, in Judæa videlicet, Asia, Thracia, Græcia, Africa, Italia, & in diversis Insulis suam illi libertatem, id est, jus ac potestatem concessisse: ut per manus Beatissimi ac sanctissimi patris Sylvestri, & omnium ejus successorum disponantur. Hæc Papa totidem verbis & syllabis. Ex qvibus intelligi potest, mirificam fuisse cereorum ac luminarium illorum caritatem: qvibus tuendis cùm universi terrarum orbis, tum speciatim qvatuor ipsius partium vectigalia & annuos proventus attribui oportuit. Neqve verò id solùm: sed qvia qvæstorum fides interdum in hoc genere suspecta est: Constantinus statuisse mortuo, ut illorum proventuum administratio ac dispensatio ipsis Papis committatur. Ut non facilè dijudicari posse videatur, utrùm major Paparum impudentia fuerit, conantium nobis istas aniles fabulas tradere, an eorum hominum stupiditas, si qvi unqvam adeò stolidæ atqve anili fabulæ fidem habuerunt.

XX. Æqvè porrò ridiculum atqve fabulosum est, qvod seqvitur de decem muneribus, qvibus Papa se à Constantino donatum scribit. 1. palatio Lateranensi. 2. diademate aureo. 3. mitra. 4. collari Imperatorio. 5. purpurea chlamyde. c. 6. occinea tunica. 7. indumentis imperatoriis. 8. pompa præcedentium. 9. Imperiali sceptro. 10. cunctis signis, bannis, & vexillis. Fuerit ergo Petrus Apostolus olim sqvalidus, obsoletus, sordida penula piscatoris modò amictus: nunc vicarius ipsius auratis vestibus, ornatu ac vestitu regio insignis, eqvitum peditumqve comitatu cinctus, agmine qvadrato, pompa & apparatu magnifico, triumphans per orbem terrarum vagabitur. Qvanto vicarii Principis Apostolorum, qvàm ipsius principis melior conditio est?

O summe Deus, qvanta tua est clementia, mansuetudo, patientia, qvi tam diu pro-

propudium ac prostibulum] istud tam impune Christo tuo illudere pateris! O miseri reges ac Principes, qvi tam diu sputca & fœda meretricis istius menstrua lambitis! O bone JESU, qvantum inter tuam illam speciem ac figuram, atqve inter istius tetri crudelisqve tyranni fastum ac superbiam interfuit! Nulla fuit, inqvit Esaias, in Christo forma, nullus decor. Ubi eum aspeximus, oculos aspectumqve nostrum avertimus: abjectus, & ab hominibus contemtus, doloribus confectus, continentibus morbis affectus, abscondens vultum à nobis. Adeò despectus, ut pro nihilo haberetur. Et qvisqvam mirabitur, Papam gloriari esse ausum, se à Constantino Deum esse appellatum? Nam in hac dist. 96. c. satis, ita scribens ait: Satis ostenditur, à seculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, qvem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum, cùm nec Deum posse ab hominibus judicari manifestum sit.

774. Sed operæpretium est, Doctoris Bernhardi de hoc toto pomparum genere judicium audire, qvi lib. de consid. 4. ad Papam Eugenium his scribit verbis: Petrus nescitur processisse aliqvando vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus eqvo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absqve his & credidit satis posse impleri salutare mandatum: Si amas me, pasce oves meas. Item alio loco: Consideres ante omnia, sanctam Ecclesiam Romanam, cui (Deo auctore) præes, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: te verò non Dominum Episcoporum, sed unum ex eis. Hæc Bernhardus.

Verùm qvid de subseqvente clausula dicemus, ubi Constantinus post illam regiam Papæ Sylvestri investituram subjungit, se frenum eqvi papalis manu tenuisse, pro reverentiâ Beati Petri, & statoris eis officium exhibuisse? Væ, væ meretrici veneficæ, cujus obscœna menstrua tanti Principes tam diu liguriunt! Nam hunc eundem honorem sibi Papa Stephanus II. à Pipino rege proxime Lutetiam Parisiorum tribui passus est. Eundem sibi Alexander tertius ab Imperatore Friderico haberi voluit: ut non immeritò B. Hieronymus in prolog. de Spiritu sancto nominatim Romam appellet Babylonem, & purpuratam illam Meretricem, qvæ in Apocalypsi describitur.

Sed hoc de genere toto iterum suprà dicti Bernhardi judicium audiamus, qvi in cant. sermon. 33. his verbis scribit: Honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is, qvem qvotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frænis, sellis & calcaribus, & plùs calcaria qvàm altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ, & cibi, & scyphi. Inde commessationes & ebrietates. Inde cythara, & lyra, & tibia. Inde redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria. Inde referta marsupia. Proh hujusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc cedunt negotio illi, qvod perambulat in tenebris. Et mox: Ipse enim est Antichristus. Et qvid unqvam vel Lutherus, vel alii Papatus insectatores planiùs aut vehementiùs adversus Papam Romanum, antichristianissimi crimine accusandum, protulerunt? Sed pergamus porro.

XXI. Neq; enim satis hoc purpuratæ meretrici visum est. Nam in seqventi versu Constantinum ita loqventem facit: Clericis Ecclesiæ Roman. servientibus eandem gloriam & potentiam, & præexcellentiam tribuimus, qvam amplissimus Senatus noster habet: & sicut Imperialem exercitum, sic & clerum Ecclesiæ Roman. adorari decernimus. Hâc igitur libertate freti Cardinales & cæteri clerici, deinceps loricis, galeis, scutis, gladiis, aliisqve telis instructi ac parati, vel ad prædicandum Evangelium, vel ad missificationes obeundas accedent. Tantumne? Imò, inqvit, qvemadmodum Imperialis potentia diversis officiis cubiculariorum, hostiariorum, & excubitorum decoratur: ita & S. Rom. Ecclesiam decorari volumus, & ut candidissimo colore decoratos eqvos eqvitent: & sicut Senatus noster calceamentis utitur cum udonibus, ita candidissimo linteamine illustrentur. Ecqvis est ex tanto Senatorum Galliæ Regis numero, qvi cùm humilitatem, & imodestiam Christi & ipsius Apostolorum recordetur, non istum Paparum fastum, ac superbiam precibus omnibus detestetur?

XXII. Qvinetiam illud subjungit, si Papa velit aliqvem è Constantini Senatoribus in clericorum ordinem asciscere, ne per superbiam illum honorem recusent. Qvæ, malùm, tyrannica ista barbaries est, ut alicui collegio clericorum liceat unum aliqvem è Senatorum ordine arbitrio suo deligere, qvem etiam invitum, clericum aut monachum fieri compellant?

XXIII. Pergit porrò: atqve ut Juris-Consulti meminerint, geminatæ orationis vim esse majorem, iterum pronunciat: se & suum palatium, & urbem Romam, & totius Italiæ, & Occidentalium regionum provincias, loca, civitates, Papis Romanis omnibus usqve ad mundi finem donare. Qvin etiam processionis & traditionis formulam adjungit, ut sese deinceps, relicto in Papæ possessione Occidentis Imperio, ad Orientales regiones transferat, & in provin-

Anno

Sed jam de falsitate, & impio Paparum de Constantini donatione commento satis videtur dictum: ut perspicuum omnibus esse possit, totum Papatum, qvi hoc solo fundamento nitebatur, subruto fundamento, stare diutius non posse. Imp. & Papa ut sup.

Idem. Neminem paulò humaniorum esse arbitramur, qvi nesciat, Romanorum qvondam hanc artem ad subigendas gentes exteras fuisse: ut, si qvam inter vicinos aut reges, aut populos contentionem exortam animadvertissent: eam studiosè alerent, partiqve alteri amicitiam ac societatem honorificentissimis Senatus Consultis deferrent: & simul ei auxilium adversus alterum pollicerentur. His artibus alterâ superatâ & subactâ parte, postea brevi tempore interjecto, perfacilem alterius opprimendæ occasionem reperiebant. Noster populus (ait M. Tullius in lib. de rep.) sociis defendendis terrarum jam omnium potius est.

Hanc eandem majorum suorum, hoc est, (ut Johannes Monachus Canonista nobilis interpretatur) prædonum ac latronum viam ac vestigia secuti Papæ, ut primùm, aliqvid inter vicinos Reges aut Principes discordiæ subortum esse, cognoverant: eam per emissarios qvosdam Cardinales augere atqve alere incipiebant: simul pactiones cū alterutro facere, ut si sua opera regno adversarii potiri possent, tum sedem Romanam tanti beneficii auctorem agnoscerent: eiq; de novo adepto regno fidem, dominium, ac proinde tributum annuum præstarent. Hac pactione & conjuratione factâ: illicò Princeps adversarius à Papa schismaticus & hæreticus pronunciabatur: Regnumqve ipsius primo occupanti adjudicabatur. Qvibus artibus dici non potest, qvot incendia Papæ, in omnibus Christiani orbis partibus qvadringentis hisce annis excitârint: qvàm multos sibi suæqve stercorariæ sedi reges ac Principes in vasallos, feudatarios, & stipendiarios redegerint.

Celichus.

HOc anno Ambsderdami in Hollandia plurimi homines facti sunt dæmoniaci & insani: qvod portendit, Hispanos brevi venturos, & occupaturos terram illam.

1776. Cùm igitur de similibus idem sit judicium: verendum est, ne idem & in Marchia eveniat: qvia diabolus ibidem hoc tempore nostro, scil. anno 1594. plurimos qvoqve occupavit. Herlicius.

Pius 4. Papa.

PIus qvartus Papa Cardinal. Caraffam, cum fratre Alphonso Duce Pallinornm, & aliis Cardinalibus necavit. De qvo Papistici scriptores nihil.

Cyriacus Spangenbergius in Chronico Mansfeldio.

Anno

LUtherus inqvit in literis ad Electorem: certè exploratum habeo, qvòd verbum meum & conatus isti, non ex me, sed ex DEO sint: ut hàc ratione nulla mors aut persecutio me umqvam adigere valeant, ut aliud loqvar, aut agam. Hoc sciat C. V. rem aliter in cœlo decretam esse, qvàm Noribergæ: videbunt illi proh dolor olim, qvòd, qvi eam imbibêre opinionem, ac si omnes Evangelii articulos excusserint, apertè secum deprehensuri sint, qvòd ne unum qvidem Benedicite eo, qvo decet, spiritu pronunciaverint. Ego hâc spe alor, qvòd confidam, eas adhuc esse vires DOMINI nostri JESU Christi, qvibus intactum me servare contra omnes hostium insultus utiqve, si velit, possit: sin verò nolit, fiat voluntas ejus. Imper. & Papa ut sup.

Idem. Francofurti, Mense Majo, congregatis Electoribus Imperii, in Cæsarem designatus est omnium virtutum nomine celebratissimus Fridericus, Dux Brunsvicensis, Magni Filius. Hic verò cùm non admodum arrideret Episcopo Moguntino Johanni de Nassavv, pessimè conjuratum est in ipsius necem ab Episcopo & aliis, qvi etiam comitem qvendam de Waldeck clandestinum habuit, cum qvo deliberavit, ut caperetur integerrimus ille Fridericus, & in via domum versus, ubi se ad solennem coronationem præparaturus erat, obrueretur, sibiqve adduceretur. Ergò nefandus ille comes cum furibus suis, juxta oppidum Fritzlar proficiscentem Cæsarem capere intendit armata manu, & fortiter resistentem consceleratissimè obtruncat, Duci Saxoniæ Rudolpho vulnus infligit, aliosqve comites neqvissimè dissipat.

Hos Episcopi parricidium in tota Germania diffusum, execrandis omnibus modis est habitum, de qvo etiam pii cujusdam hominis carmina leguntur hæc, qvæ recitata sunt jam suprà foliis 476. & 477. partis hujus secundæ.

Idem. In Prodigio qvodam, nocte viso Islebiæ, inter cætera, animadversum est, in parte qvadam cœli nubes inter se luteas in templi figuram coire, qva accuratè repræsentata, rutilæ aliæ nubeculæ in angulo templi scintillare, mox verò totum undiq; flagrare illis, & tamqvam in cruore consistere comparuit.

Anno etiam 1562. in attrita longo usu orbita inventum est hominis amputatum caput, planè solum, qvod undenám esset, indagari non potuit.

Idem. In Gloriam DEI, testimonium Electoris Johannis Friderici, & exemplum omnium Fidelium, Ecclesia Saxoniæ hoc posuit:

Anno *Iohannes Fridericus, DEI Gratia Electus Martyr JESU Christi, Dux Afflictorum, Princeps Confessorum Fidei, Comes Veritatis, Signifer Sanctæ Crucis, Exemplum Patientiæ Et Constantiæ, Heres Vitæ Æternæ: Obdormiscens In Christo, Migravit Ex Hac Miserrima Vita In Cœlestem Patriam, Vinariæ, Mense Martio, Anno M. D. LIIII.*

Idem. Lutherus dixit: Vos à pueris in hoc elaborate, ut efficiamini corbes messoriæ, & in sinum vestrum colligite & metite. Tempus erit, qvo votis assiduis una saltem pagina de verbo DEI optabitur, qvo jam plenæ sunt omnes bibliothecæ ad nauseam usqve.

Idem. Anno 848. in Germania tanta fuit annonæ caritas, eaqve rerum omnium acerbitas & perturbatio, ut emori famæ qvilibet suum proximum pateretur. Qvidam autem Thuringus in humana media aggressus, fame ventrem ejus excarnificante, in proximum lucum cum muliere & puerulo suo concedit, ibiqve teneram & innocentem animulam jugulaturus, & crudam carnem comesturus, dum ad immane facinus cultrum expolit: ecce post dumeta respiciens, animadvertit, lupos qvosdam visceribus ceruæ cujusdam super incumbere, qvam in proximo dilaniaverant. Hos ille, horribili clamore intenso, de præda dispulit, & ita cadavere cruento potitus est:

Haud equidem sine mente reor, sine numine Divûm.

Ergò se, agnito DEI auxilio, domum recipit, & ulteriùs sperando se solatur.

Idem. In Polonia Doctor qvidam medicinæ, pecuniis allectus ab ejus loci qvibusdam Episcopis, retia sua Wittebergæ vicinisqve locis, explicuit, ad capiendum Lutherum, sed irrito planè conatu: anno 1523. Et certum est, qvòd oportuerit ipsum multa venena concoqvere: & sæpè etiam numero illito suggestui toxico, manubrisqve infectis, innocentissimo viro insidiæ sunt positæ, qvæ DEO tamen aliter ordinante, in nihilum evanuêre. p. 777.

Idem. Seiffridus Archiepiscopus Moguntinus Abbati de Reinhardi-fonte, pro ea, sibi sit devinctus, obedientia, certam pecuniæ summam irrogavit: eidem verò Abbathi vicissim id seriò, pro jure, pro sibi subjectus sit, interdixit Conradus, provinciarum comes in Thuringia, utqve ne obolum qvidem penderet, in mandatis dedit. At Seiffridus hoc ipsum admodum molestè tulit, & qvidem, ut vindictam exerceret, Abbatem excommunicavit. Abbas hoc anathemathe liberari cupiens, pœna qvadam interveniente, voti sui compos factus est: ut nimirum nudatis humeris ultrò ad Cœnobium ternis diebus accederet, atqve virgis se cædi pateretur. Annuit Abbas.

Accidit autem, ut Conradus ille, in itinere, qvo fratrem Henricum visitare voluerat, Erphordiæ commoratus, cùm manè Missam audire proposuisset, à famulo qvodam de rebus Abbatis admoneretur, qvi se dicebat eum magna cum ignominia demisso indusio ad medium usqve, virgisqve ferentem vidisse. Casu eo graviter excandescens ille, cùm ad locum deductus esset, jamqve in Capitulo miser Abbas acerrimè ab Episcopo, ad genua provolutus cæderetur, arrepto impetu in clerum fertur, suaq; læva implicita ejus coma, dextra elato pugione confodere conatur medium. At vix à suis hâc nece prohibitus, institutum iter peragit indignabundus. Haud multa moratus, ubi injuriam Fratri recensuit, militum manipulo mox, illaturus Episcopo vindictam, suburbia oppidi Fritzlar eruta dissipavit, molas detruxit, pontesqve dejecit.

His satis ultioni datum esse ratus, receptui canit. Interea nefandæ mulieres in urbe super mœnia, in contemtum comitis, explicito podice, convitia jaciebant. Id demum camarinam movit, & camino oleum addidit. Nam collectis ille militibus de novo urbem violenter aggreditur, & fabricatis siphonibus ignem sulphureum & piceum immittit, unde factum, ut exardescente oppido, omnia in flammas corruerint, ædificia, pecora, homines, exceptis paucissimis à fune de muro delapsis, atqve circumfuso exercitu comprehensis, ineffabili dolore & ejulatu consumerentur. F. Anno 1232.

Idem. Portentum est certissimum, qvòd Islebii Patria Martini Lutheri in Comitatu Mansfeldensi, ex profundissima fodina facies qvædam, illaborato cupri metallo concreta, Papam ad ungvem repræsentans, est effossa. Qvæ sine dubio portēdebat, jam tempus esse, qvo Pontificum neqvitia, qvæ sub cœno meretricio latuerit hactenus, à qvodam ejus viciniæ cive in clara luce sit prostituenda. Viderunt autem huc monstri D. Mart. Lutherus, & ipsius frater Jacobus, Philippus Gluespiessius, Philippus Melanthon, D. Jonas, D. Cruciger, D. Basilius Monnerus, & Illustriss. Princeps Sax. Joh. Fridericus, Elector. Imperatore 118. Ferdinando. Papa 230. Paulo 4.

Idem in Chronico Mansfeldensi. Affirmabant aliqvi viri boni, se non absqve prodigio crucem in cœlo vidisse anno 1540. cui manus in summitate incubuerit, juxta verò utrinqve duo acinaces, qvos hodie Turcæ gerunt, minabundi constiterint.

Idem. Novi confecta jam ætate Priorem qvendam in Cœnobio, non procul à Northusia sito, qvi, percepta ex rumore populi morte Lutheri, dicebat illacrymans: Heu miselli nos monachi: jam modò de corio nostro ludetur.

Idem.

Anno Idem. Anno 1532. cùm Illustrissimus Johannes Elector Saxoniæ dubio sanè morbo decubuisset, serpente verò lue ad exteriora membra, pedesqve versus defluente, convaluisset utcunqve: colligendi se gratia in nemora concessit, & venationibus nonnihil tribuit. Sed fugêre feræ ex una sylva in aliam, qvod antea minùs solebant facere, ut in vanum planè laboraretur: tum ait Princeps: portendere aliqvid necesse esse, qvòd fugaciores solito sint bestiolæ.

Meritò omnium admirationi, & exemplo omnibus illius animosa constantia, fidesqve inconcussa proponenda est: qvòd tam illustris Homo, cui omnia in hoc mundo suppeterent, si Christianus non esset, haud ullius lucelli gratia, sed immò calamitatibus & ipsa morte objecta, tribus in comitiis, Augustæ Spiræqve habitis, sinceram religionem contra omnes Diabolos, & ipsum Papam fuerit confessus, eamqve Heroicè defenderit. Nam cùm ipsi aliqvando indicaretur, qvòd omnem Mundi, Papæ, Cæsarisqve gratiam esset effusurus, si pertinaciùs Lutheranæ sectæ inhæreret: respondisse fertur: in bivio versor: aut enim Deo, aut Mundo serviendum est: conjicite ergò, utrum mihi faciendum! Et cùm in comitiis prohiberetur à concionibus, qvas Lutheranus haberet: continuò iter inde arripere, & re ipsa testari fidem suam voluit: dum ibi agere, ubi Deo servire non liceat, nefas duxit.

Sed qvorsum hæc? nimirum ut videatis, tu Papa tuiqve ebrii fraterculi, qvàm turpiter, & diabolicè mentitus fuerit vester ex asse Johann. Nas, ut qvi non erubuerit, in putido suo & blasphemo libello centuriarum, de hoc constãtissimo Duce spargere, qva ratione, paulò ante obitum, te Papam tuasvve abominationes amplexus fuerit, suosqve à Christiana Lutheri religione, & doctrina, filios sit dehortatus. Sed mentimini ulteriùs, ô Papistæ, qvos Diabolus

1778. omnes mentiendi artes edocuit. Multis undiqvaqve ipsum periculis tentabant Pontificii: multis minis gravissimis voluerunt summo discrimine affligere. Sed nebulones illi confusi sunt. Unde hoc ejus Epitaphium est:

Fratre meo letho cœli super astra recepto,
Saxoniæ curam Dux ego fidus ago.
Tunc, ubi vicinas ausis ingentibus urbes
Agricolæ bellis perdomuêre suis.
Hæreticos odi, meq; illi odêre vicissim.
Religione suum projiciente jubar.
In medio Augustæ Regni Septemplicis orbe
Synceram adstruxi comminus ore Fidem.
Et Papæ, & qvicunqve sedent à cardine Papæ,
Me miserum multis prostituêre malis:
Sed tamen acceptâ (rumpantur ut ilia Papæ)
Nullâ clade meum eripui inde caput.
Cæsaris & qvamqvam Papistæ acuêre furores:
Ille mihi tandem Cæsar Amicus erat.
In patriâ, in lecto, lætis obdormio cœlis.
Dæmones invideant, invideant Homines.

Anno Idem. In comitiis Augustæ Vindelicorum anno 1518. qvia non tutò fidendum erat cruentis Romanistis, oportuit de nocte afflictissimum Lutherum fugam capessere, subornante veredum Johanne Staupitio, ostiolumqve reserante qvoddam Christophoro Langenmantelio: sic effugit ille sine ocreis, calcaribus, & ense Wittebergam, cùm forsan alioqvin à Cardinale Cajetano Leoni decimo pro munusculo & strena Romam currente, deductus fuisset. Haud longè pòst, cùm proscriberetur à Cæsare Lutherus, effectum est, non sine numine, & singulari prudentia Electoris, ut exciperetur in via à qvibusdam nobilibus, & deduceretur in arcem Wartbergam, qva in, tumultuante passim & rugiente Leone, delitesceret.

Idem. Anno labente 1520. defuncto Maximiliano, qvidam homo, qvi se Cancellarium mortui Cæsaris fuisse dicebat, Wittebergam venit. Hic ubi multa reverentia salutasset Lutherum, & secretum habuisset in musæo: En, inqvit, ego solus, & nemo tecum, si te jam interficerem! Respondit Lutherus, neminem id impunè laturum. Sed ille: qvanqvam occumbendum mihi esset, attamen à Papa referrer in catalogum martyrum & sanctorum. Hoc audito vocavit Doctor famulum suum: sicarius autem se ocyùs subduxit.

Chunmanni Flinspachii Tabernomontani Conjecturæ Extremorum temporum.

NE securis mentibus somnia aut nugæ Luciani videantur, qvæ in Ecclesiâ de fine mundi atqve de Judicio DEI extremò dicuntur: orationem meam adhæc duo vertam, qvæ in hac re præsenti maximi momenti sunt, & de qvibus sæpè cogitari utile est. Primò testimoniis sacræ Scripturæ confirmabo, ætatem hujus mundi sex annorum millia, tanqvam certam & immotam metam, qvam Deus mundo (sapienti & inscrutabili consilio) determinavit, non excursuram esse. Deinde, ultimum millenarium sextum, in qvo nunc vivimus, non completum iri. Deus enim propter atrocia scelera, & profundam securitatem hominum, cursum hujus vitæ citiùs abrumpet. Procul autem, ut in aliis articulis fidei, ita & in hac qvoqve parte, rejicienda sunt profanorum hominum deliria, qvi de Deo, de providentia, deqve mundo, opinionibus tantùm ludunt.

Anno Somniat Aristoteles, mundum ab æterno extitisse: qvia, Deum in illa infinita æternitate retrò non ociosum fuisse, disputat. Alii infinitos mundos fabulantur, atq; subinde alios oriri, aliosqve intercidere existimant. Plato Judæus in Athlantico fingit, ante novem millia annorum alias fuisse Athenas, & longè præstantiores cives, qvæ dicit ad deridendam suæ ætatis ignaviam. Herodotus non vult videri ludere, sed ait, ab Ægyptiis decem millia annorum & amplius recenseri: & observatum esse, in hoc tanto spacio annorum, bis mutata esse loca ortuum & occasuum Solis, ita ut Sol ortus sit bis, ubi nunc occidit, & bis descenderit, ubi nunc oritur. Hos errores humanæ mentis, luce divinâ destitutæ, toto pectore exsecremur, atqve doctrinam divinitus patefactam amplectamur, nec ab eâ avelli nos sinamus. Sed hoc animadvertendum est diligenter, cùm de ætate mundi, atqve conjecturis extremorum temporum disseritur: non inqvirenda esse momenta & articulos temporis, qvo hæc cœli & terræ mutatio futura est. Illa enim ab oculis nostris atqve intellectu abscondita sunt, ut multa scripturæ dicta testantur. Christus Mar. 13. inqvit: de die illo ac tempore nemo novit, ne angeli qvidem, qvi in cœlo sunt, nec ipse filius. Item, Act. 1. Non est vestrûm nosse tempora, & articulos tempornm, qvos pater in sua ipsius constituit potestate. Sic 1. Thess. 5. dicitur: Porrò de temporibus & articulis temporum (fratres) non est opus, ut vobis scribam. Ipsi enim planè scitis, qvòd dies ille Domini, ut fur in nocte, ita venturus sit. Cùm enim dixerint: pax, & tuta omnia: tunc repentinus eis imminet interitus: sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient, &c.

p.779. Idcircò coërcenda & frenanda est curiositas nostra, ne hîc in arcana DEI consilia temerè irrumpere conemur. Augustinus sciolo cuidam curiosè qværenti, qvid DEUS ante conditum genus humanum egisset, ita respondisse fertur: Fabricavit infernum hujusmodi qværentibus. Recta sanè & digna responsio erat, qva hujusmodi curiositatem humanam in rebus divinis retundere voluit. Cujus responsionis & hîc meminisse utile est. Nos hoc DEI beneficio contenti simus, qvòd temporum hujus mundi brevitatem, mirabili suo consilio constitutam, variè nobis in sacra Scriptura depinxerit atqve significaverit, ut eminus per transennam qvasi prospicere possimus, qvando Ecclesia ex tantis malis eluctatura sit, & victura cum DEO & Angelis sanctis vitam cœlestem & æternam. Faciliùs enim hujus vitæ miserias ferimus, cùm qvasi metam ob oculos propositam videmus.

Nunc (auxiliante DEO) ad rem accedam, atqve perspicuis conjecturis ostendam, hunc corruptibilem mundum ultra metam suam, scilicet 6000. annos, non duraturum, sed his ferè exactis, Filium DEI, DOMINUM nostrum JESUM Christum, Judicem vivorum & mortuorum, cum gloria Majestatis suæ adventurum esse, secundum scripturam. Adducam autem, qva fieri poterit brevitate, conjecturas decem, qvas partim ex scriptura sumsi, partim verò ex eruditorum hominum disputationibus observavi. Atqve in his singulis qvãtum robur ac vis insit, id tuæ industriæ, candide lector, judicandum permitto. Anno

Prima Conjectura extremorum temporum.

PRimam Conjecturam ex c. 2. & 7. Danielis sumemus. In illis enim capitibus qvatuor Monarchiæ mundi describuntur, ubi, & apud qvas gentes singulis temporibus, usqve ad resurrectionem mortuorum, futuræ sint: unde metæ temporum hujus mundi mediocriter animadverti possunt. Describit autem Monarchias duplici pictura, qva cùm potentiam tùm naturam eorum, qvi eas possessuri sunt, pulchrè exprimit. In secundo capite grandis & sublimis statua proponitur, cujus aureo capite prmam Monarchiam Chaldæorum & Assyriorum: cujus argenteo pectore secundam Medorum & Persarum: cujus æneo ventre tertiam Græcorum: ferreis tibiis qvartam Romanorum interpretatur Daniel significatam esse. Altera pictura in septimo capite continetur, in visione qvatuor bestiarum, qvam postea qvoqve de qvatuor Monarchiis interpretatur. Significat autem Leo Chaldæos & Assyrios: Ursus Persas: Pardus Græcos: qvarta terribilis & immanis bestia Romanos.

Hæ qvatuor Monarchiæ ut in genere humano regnarent ordine & successivè, atqve imperia mundi potentissima tenerent, DEI voluntas & ordinatio fuit: sive ut mundus disciplina, legibus, judiciis, pœnis meliùs regeretur: sive ut per eam occasionem faciliùs propagari & innotescere Evangelium posset: sicut in singulis Monarchiis Evangelium aliqvantisper apud gentes fulsit: qvemadmodum pulchrè ait Daniel, postqvam harum visionum interpretationem à DEO acceperat: sit nomen DEI benedictum à seculo & usqve in seculum, qvia sapientia & fortitudo ejus sunt, ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atqve constituit, &c. Ipse deponit potentes de sede sua, & axaltat humiles.

Sed his Monarchiis destructis, exoriturum ait Daniel ingens regnum, qvod potentius cæteris vicinis futurum sit: mutaturum religionem Christi: habiturum ingentes successus, & bellaturum cum sanctis. De qvo autem regno istud intelligendum sit, ipse eventus ostendit, nempe de Tur-

Anno Turcico Imperio. Nam collapſa Romana Monarchia, circa tempora Heraclii, Sarracenicum regnum conſtitutum eſt, & qvidem brevi tempore magnæ illi factæ ſunt acceſſiones. Hoc & Daniel qvaſi digito demonſtrat, cum omnes circumſtantias temporis & loci, item potentiam ejus atqve doctrinam in textu diligenter perſtringit. Ipſe potentior erit reliqvis, inqvit, & ſermones contra excelſum loqvetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & putabit, qvòd poſſit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus uſqve ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, &c. Ezechiel nominatim de hac barbarie, ventura ab Aqvilone in poſtrema mundi ſenecta, concionatur, & tribuit eis appellationes Gog & Magog, atqve latè vaſtaturos eſſe Eccleſias DEI prædicit.

Jam has viſiones diligenter perpende, & ad eventum hiſtoriarum omnium temporum conferas. Certum eſt, omnes has qvatuor Monarchias dudum jam præteriiſſe, atqve in ſummo faſtigio qvinti regni, exorti poſt deſtructionem qvartæ Monarchiæ, nos vivere. Nam hiſtoriæ hoc teſtantur, primam Monarchiam penes Chaldæos & Aſſyrios fuiſſe, à temporibus Abrahæ ſub Nino, usqve ad annos Oziæ regis Juda. Secundam fuiſſe penes Perſam, & Cyro usqve ad Alexandrum Magnum. Tertiam penes Græcos, ab Alexandro Magno usqve ad tempora Judæ Macchabæi. Poſtremam verò penes Romanos, qvæ inchoata eſt paulò ante Chriſtum natum & duravit usqve ad Heraclii Imperatoris tempora, qvæ in 600. fermè annum Chriſti incidunt. Tunc enim potentia Romanorum multùm diminuta eſt per Mahomet, qvi regnare cœperat: & Galliam jam Franci & Italiam Longobardi tenebant, atqve paulatim magis hæc ultima Monarchia magisqve concidit.

Qvia igitur vides, tanto tempore Mahometicum regnum jam ſtetiſſe, per annos ferè 940. atqve ad ſummum faſtigium perveniſſe (nam tota Africa, magna pars Aſiæ & Europæ ab iis tenetur, qvi Mahometi ſententiam defendunt) certum eſt, ſecundum vaticinium Danielis, id mox ruiturum eſſe, atqve brevi Filium DEI, DOMINUM noſtrum JESUM Chriſtum venturum, ad judicandum vivos & mortuos. Atqve ſic certò conſtat, ut ſuprà propoſitum erat, noviſſimum diem circa finem ſexti millenarii futurum eſſe. Nam ingens conſolatio addita eſt in textu. Inqvit Daniel, putabit, qvòd poſſit mutare tempora & leges: ſed judicium fiet, & auferetur potentia ejus, ac conteretur & diſperibit.

1580. Hæc verba clarè & perſpicuè oſtendunt, qvintam Monarchiam non futuram eſſe, ſed cùm venerit ad faſtigium Mahomet, & potiturum ſe Imperio totius Orbis ſperabit, atqve pollicebitur ſibi dominationem ſine fine, ſubitò aliqva inclinatio fiet, & mox illuceſcet lætiſſimus ille dies, qvo Filius DEI reſuſcitabit mortuos, & Eccleſiæ ſuæ vitam & gloriam æternam tribuet, ac impios abjiciet in æternos cruciatus.

Anno

Conjectura ſecunda.

Sit ſecunda conjectura noviſſimorum temporum, qvæ ex collatione capitum 13. & 17. Apocal. ſumitur ex verbis Angeli DEI ita dicentis: Beſtia, qvam vides, erat, & non eſt, & ad interitum vadit: & datum eſt ei os loqvens magna & blaſphemias, per menſes qvadraginta duos: hanc poſtea Agnus vincet, qvoniam DOMINUS Dominorum eſt, & Rex regum, &c. Hæc verba Angeli primo qvidem intuitu obſcura ſunt, ſed paulò pòſt ab ipſo Angelo explicatiùs proponuntur. Explicat autem hanc viſionem de meretrice Babylonicâ, hoc eſt, de Pontificiâ dignitate.

Hanc beſtiam primò fuiſſe dicit, id eſt, longo tempore floruiſſe, atqve in ſummâ potentiâ & autoritate vixiſſe, à temporibus primitivæ Eccleſiæ ferè ad finem mundi. Se enim οἰκουμενικὸν, id eſt, caput totius Orbis terrarum proclamavit, cui Imperatores & pleriqve reges, & Principes terræ parère oporteat: & ut Paulus loqvitur, 2. Theſſ. 2. qvi in templo DEI ſedebit, & ſeipſum DEUM oſtentabit. Sed non eſt ampliùs, id eſt, authoritatis ejus jam finis acceleravit, potentia ejus jam labefactata & fracta eſt per prædicationem veræ doctrinæ, qvâ revelatus eſt homo ille ſceleroſus, filius perditionis, & Antichriſtus declaratus, ut Paulus 2. Theſſ. 2. inqvit: qvem DOMINUS conficiet ſpiritu oris ſui & abolebit claritate adventus ſui. Hoc intelligi neceſſe eſt de voce Evangelii, noſtro tempore ſparſa per Lutherum, & alios veræ doctrinæ præcones, qvâ Babylon cecidit, & facta eſt habitatio dæmoniorum, ut in Apocal. Angelus per fortitudinem magnâ voce, verbis reiteratis exclamat. Nulla enim alia manifeſtior Antichriſti revelatio ante hæc tempora facta eſt.

Hic grato animo conſiderare debemus DEI immenſam bonitatem & miſericordiam: qvi hiſce poſtremis temporibus ſe ſuamqve voluntatem rurſus patefecit, ut ex genere humano aliqvos ad cognitionem verbi ſui pertraheret, ſuaqve æterna bona aliqvibus communicaret. Hoc DEI immenſum beneficium grato animo ſæpè meditandum eſt, atqve ardenter petendum, ut diu inter nos vocem ſui Evangelii incorruptam conſervet. Qvod ut fiat, toto eum pectore oro.

Sed datum eſt ei os loqvens magna & blaſphemias, adhuc 42. menſes, id eſt, tres annos & dimidium. Intellige autem hìc non communes ſeu politicos annos, ſed

Anno Mosaicos, qvos Jubilæos vocamus, ut usitatum est scripturæ, vocabula anni, mensis, ac dierum variis modis accipere. Faciunt autem qvadraginta duo menses, seu tres anni Jubilæi & dimidius, communes annos circiter 175. Tot annos, ait Angelus DEI in Apocalypsi, futuros esse inter declarationem Antichristi, futuram scilicet per vocem Evangelii postremis temporibus, & inter extremum Judicium. Hic qvidem nullam præcisionem, aut certum momentum temporis intelligi volo, qvòd præcisè hac aut illâ horâ, die, mense, aut anno Judicium DEI futurum sit: sed dico, communem aliqvam notitiam à DEO proponi, ut eminus qvasi per transennam, de brevitate temporum hujus seculi aliqvid perspiciamus.

Hæc conjectura temporis adeò mihi placet, tantùmqve momentum apud me habet, ut non sine singulari reverentia ista citata capita sæpius mediter. Qvò enim magis ea animo piè meditor, eò plus mysteriorum in ipsis involutum sentio.

Constat ergo & ex his verbis Johannis, ut ad propositionem nostram suprà positam omnia referamus, nos jam certiùs certo in decrepita ætate mundi versari, qvi qvotidie ad finem festinanter accelerat. Restare enim videmus exiguam tantùm portiunculam ejus temporis, qvod post revelatum Antichristum usqve ad Judicium extremum ex largissima DEI bonitate & gratia concessum est. Deinde & hoc vides, qvod suprà propositum est, ætatem mundi ultra sextum millenarium non excursuram esse. Si enim post revelatum Antichristum, mundus 42. menses, seu tres & medium Jubilæos annos stare debet, secundum revelationem Angeli, declarationem Angeli, declaratio autem Antichristi in 5500. annum circiter à condito mundo incidit, ut ex Chronicis veris constat: seqvitur, anteqvàm mundus 6000. annum agat, novissimum diem insperatò acceleratum esse.

Tertia Conjectura.

NEc aspernanda est conjectura, qvæ Genes. cap. 5. ex historiâ Enoch sumitur, qvi anno ætatis suæ 365. corporaliter in cœlum, sine sensu mortis hujus vitæ, translatus scribitur. Hæc enim historia cùm doctrinam amplissimam complectitur, qvòd post hanc caducam vitam alia æterna restet, in qva bonis benè, ac malis malè futurum sit: tum etiam cœlestis atqve æternæ vitæ initii typus est. Nam sicut mors corporalis in sex priores partes Ecclesiæ, scil. in Adam, in Seth, in Enos, in Kenan, in Mahalaliël & in Jared propter peccatum efficaciter dominata est: in septimum verò Henoch suam vim atqve potentiam exercere non potuit: ita qvoqve per sex millia annorum, qvibus mundus hic persistet, in omnes homines dominabitur, sed in septimo millenario, qvi initium æternæ ac cœlestis vitæ futurus est, amisso aculeo suo, prorsus abolebitur. Huc etiam Judas in sua Epistola respexisse videtur, qvi hunc Enoch septimum ab Adam, de Judicio extremo vaticinatum dicit. Idem qvoqve de Elia Propheta Judicium est, qvi aureo curru aureisqve eqvis per turbinem in cœlum sublatus, ejusdem rei typum gessit. Sicut autem Henoch ab Adamo septimus erat generatione: ita Elias Propheta ab Adamo septimus erat ætate. Nam Adam attigit Mathusalah, Mathusalah attigit Sem, Sem attigit Jacob, Jacob attigit Amram, Amram attigit Ahia, Ahia attigit Eliam Prophetam. Sicut igitur omnes sex priores ætates, qvæ præcesserunt Eliam Prophetam, morti obnoxiæ fuerunt, ipsi autem Elias, septimus ætate ab Adamo, mortem non gustavit: ita mors per sex millenarios in genus humanum grassabitur, atqve suum virus hostili animo exeret, in septimo verò millenario rapiemur in nubibus in occursum DOMINI, sicut Elias, atqve lætissimo animo unà cum Angelis, Prophetis, & Apostolis canemus: Absorpta est mors in victoriam, ubi tuus ô mors aculeus, ubi tua ô inferne victoria? Hanc historiam Enoch nudè qvidem à Mose traditam, non ociosè aut frigidè inspiciamus: sed cogitemus, eam magno consilio à Spiritu sancto propositam, atqve magnam doctrinam consolationemqve in ea involutam esse.

Anno

p. 7[illegible]

Qvarta Conjectura.

EST & magnum mysterium in eo, qvòd sex dies occupatus fuerit DEUS in condendis creaturis septimo autem qvieverit. Qvo significatum est procul dubio discrimen vitæ in hac naturâ ψυχικῆ, ut dicitur, & alterius vitæ, in qvâ verè sabbathum celebrabimus, cùm hæc natura sine cibo & potu, & generatione, vivet novo modo, coràm fruens aspectu DEI. Nam illa nova & illustris notitia & glorificatio DEI, erit vera sabbathi celebratio. Et consentaneum est, ex hoc numero dierum insigne hoc dictum Eliæ sumtum esse, qvod mox recitabimus in fine conjecturarum. Nam finitis sex millibus annorum, deinceps in septenario initium erit illius novæ & æternæ vitæ, in qvâ Ecclesia DEI in vitâ perpetuâ, verè sine caligine & peccato sanctificabit sabbathum, faciet sancta opera, coràm cernet DEUM, & ejus immensâ sapientiâ fruetur. Hanc esse principalem significationem sabbathi, omnes sentiunt, & Epistola ad Hebræos cap. 4. testatur, & Psalmo 90. dicitur: mille anni sicut dies unus. Ad hunc typum sabbathi & Davidem, & Paulum respexisse in his locis, non dubium est.

Qvin-

Anno

Quinta Conjectura.

Sumitur etiam concinna annorum conjectura à numero annorum ætatis Christi. Sicut Christus in hac mortali vitâ ab incarnatione sua usqve ad resurrectionem annos 33. & aliqvid suprà vixit, atqve postea in cœlum assumtus est: ita qvoqve idem DOMINUS noster JESUS Christus, post triginta tres & medium ferè annos Jubilæos, rediturus est cum gloriâ Majestatis suæ, ad judicandum vivos & mortuos, secundum scripturam. Hanc conjecturam libenter recipio, non tam qvia cum aliis conjecturis in numero annorum pulchrè convenit, qvàm qvòd video, totam seriem Historiæ Christi, per omnia fermè, Ecclesiæ seqventis usqve ad resurrectionem mortuorum typum fuisse. Qvod considerare valdè utile est & jucundum.

Sicut primo anno Christi nati, Herodes crudeliter in infantes sæviit, ut Christum, qvem regem Judæorum fore timebat, tolleret: ita primo anno Jubilæo Princeps mundi & satellites ejus, in primitivæ Ecclesiæ doctores maximam tyrannidem exercuerunt, ut Christi doctrina extingveretur, qvam exitium & pestem dignitati ipsorum fore verebantur.

Sicut post truculentam Herodis persecutionem, Christum ferè per 6. integros annos secedere oportuit, atqve in Ægypto usqve ad mortem Herodis delitescere: ita qvoqve per sex Jubileos, id est, fermè usqve ad 300 annum Christi, vera doctrina Christi, partim gubernatorum tyrannide, partim tetris & perniciosis hæreticorum opinionibus obscurata & oppressa fuit. Major enim pars Imperatorum tetræ & immanes bestiæ fuère, utpote Caligula, Nero, Domitianus, Trajanus, Bassianus Caracalla, Decius, Diocletianus, &c. qvorum immania scelera, & impietates cogitari, aut verbis describi non possunt. Hanc sævitiem & tyrannidem augebant furores tetrarum hæresium, utpote Valentinianorum, Martionitarum, Montanistarum, Novatianorum, Manichæorum, qvi sub his Imperatoribus in Ecclesiis multum negotii facessebant: donec tandem optimus Princeps Imperium obtinet, Constantinus Magnus, sub qvo Christiani antea dispersi & oppressi, respiraverunt, atqve doctrina Christi obscurata, per multos præstantes Ecclesiæ doctores, utpote Lactantium, Athanasium, Cyrillum, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, instaurari successivè cœpit.

Sicut 12. anno ætatis Christi amittitur Christus, & in templo reperitur inter Pharisæos & scribas: ita 12. anno Jubilæo, id est, circiter 600. annum Christi, vera doctrina rursus obscurari cœpta est per Arrianam sectam, qvæ tunc invaluerat: sed tamen conservata à paucis, & in Conciliis, qvæ tunc plurima celebrata sunt, aliqvantulum propagata est.

Sicut à duodecimo anno ætatis Christi, usq; ad 30. qvo ministerium suum aggressus est, nihil prorsus de Christo legitur, nisi qvod Evangelistæ dicunt, ipsum cum parentibus suis vixisse, ipsisqve subditum fuisse: ita qvoqve à 12. anno Jubilæo, id est, ab anno 600. Christi, usqve ad tempora Lutheri, ministerium publicum veræ doctrinæ & Sacramentorum, aut nullum, aut admodum obscurum fuit, atqve Ecclesiæ species exigua: & duram passa servitutem est Ecclesia sub homine iniqvitatis Antichristo. Eo enim tempore idololatria & impietas Pontificia, sub Imperatore Phocâ augeri & stabiliri cœpit, qvi Papam οἰκουμενικὸν, id est, Caput Ecclesiæ totius orbis terrarum confirmavit. Atqve postea in dies singulos per mille annos fermè magis magisqve aucta est, donec tandem hisce extremis temporibus acerrimè impugnata est, verâ voce doctrinæ Evangelii restaurata. Interim tamen certum est, fuisse semper aliqvas pias mentes, qvæ aliqvâ veræ doctrinæ luce ornatæ fuerunt, aliæ plùs, aliæ minùs: & manifestos crassosqve errores istos exsecratæ, verbum DEI audierunt, atqve Sacramentis Christi, etsi aliqvantum contaminatis, usi sunt. p. 782.

Sicut post tricesimum annum ætatis Christi, Johannes docere cœpit pœnitentiam & fidem in Christum, atqve ipse Christus baptizatus est, atqve suum ministerium aggressus: ita qvoqve anno 30 Jubilæo, id est, circiter 1500. annum Christi, vera doctrina Christi, taxatis erroribus, nostro seculo instaurata & restituta est. In his omnibus qvia vides, qvòd eventus optimè responderit annis vitæ Christi, credibile est, eundem qvoq; in hoc extremo exiguo tempore, qvod adhuc restat, usqve ad resurrectionem mortuorum, illis responsurum esse. Sicut scilicet Christus annos ferè tres & medium prædicavit, miracula edidit, & cursum suum perfecit: postea verò in crucem actus, mortuus, sepultus, resurrexit, & in cœlos ascendit: ita qvoqve post tres & medium circiter Jubilæos annós, de cœlô descendet, judicaturus vivos & mortuos secundum scripturam. Hæc conjectura pia est, & neqvaqam contemnenda, qvando non adeò scrupulosè aut præcisè sumitur: potissimùm autem, qvia cum cæteris optimè congruit.

Sexta Conjectura.

Huc qvoqve referri debet hominum eruditorum conjectura, qvi hanc extremam mundi particulam, in qvâ nunc vivimus, senectæ humani generis assimulant, qvòd videlicet ante qvatuor millia anno-

Anno annorum hominum natura præstantior fuerit, nunc autem multò imbecillior seqvuta sit. Initio dominabatur seculum ἡγεμονικὸν, id est, ratio gubernatrix, in qvâ primi parentes sapientia excellebant, temperanter, modestè & concorditer victitabant, ac plerasqve artes invenerunt. Deinde successit θυμοειδὴς id est, irascibilis motus cordis, seu ætas bellatrix, in qvâ Imperia armis constituta sunt, & qvatuor Monarchiæ inde usq; à Nino, coætaneo Abrahæ, ad Julium Cæsarem usqve ordinatæ. In hac θυμοειδεῖ ætate fuerunt viri heroici, gladiatores robustissimi, ut Samson & Hercules, David & Achilles, Cyrus, Alexander Magnus, Judas Maccabæus, Hannibal, Scipio, & similes multi, qvos DEUS singulariter excitavit, per qvos Imperia mundi constituerentur, & defenderentur. Seqvuta est deinde ætas postrema, in qvâ dominatur ἐπιθυμητικὸν, id est, ætas concupiscibilis. Natura enim hominum facta langvidior, nec sapientiæ studet, ut in prima mundi ætate, nec illos acerrimos labores militiæ suscipit, qvos sustinebant olim viri fortes, à temporibus Abrahæ usqve ad Julium Cæsarem, sed veluti enervata delicias & voluptates qværit.

Hæc partitio ex Physicâ huc translata est, & cum temporibus mundi utcunqve congruit. Ante diluvium homines longævi erant, qvi annos 900. & circiter vivebant. Post diluvium ad pauciores annos ætas hominum restringebatur, & vivebant homines communiter annos qvadringentos, trecentos, ducentos, &c. Nunc verò in decrepita ætate, paucissimi sunt, qvi vel ad octogesimum aut nonagesimum ad summum perveniunt: tantum vigor humanæ naturæ labefactatus, ferèqve exhaustus est. Qvid (qvæso) de aliarum rerum, qvàm plurium in naturâ decrementis dicemus, qvas indies decrescere atqve in deterius vergere manifestum est? Primis temporibus tanta fuit omnium proventuum ubertas, ut nunc rerum natura planè degenerasse videatur, Gen.cap. 26. dicitur, qvòd ager Isaac centuplum protulerit fructum, nunc verò optimi nostri agri vix decuplum proferunt.

Audivi ego à senibus, viris fide dignis, & agriculturæ peritis, fertilitatem vinearum, agrorum, hortorum, arborum, &c. seculo tantùm ipsorum aliqvid diminutam, observatum esse. Multis in locis, ubi aliqvando sylvæ maximæ fuerunt, jam lignorum magna penuria est. Pecuniæ & opes qvasi exhauriuntur. Nam ubi olim largissimæ venæ metallicæ hinc inde inventæ sunt, jam nullæ aut parcæ effodiuntur. Imperia qvoqve mundi magis magisq; asperiora fiunt, qvod & Daniel significare voluit, cùm Regnum Chaldaicum aureo capiti, Persicum argenteo pectori, Græcum æneo ventri, Romanum deniqve ferreis tibiis comparavit. Nulla deniqve unqvam olim tanta irreligio, tanta impietas, tanta scelerum, flagitiorum & libidinum immanitas, tanta securitas & levitas fuit, ut jam in majore parte hominum manifestè conspicimus. Anno

Annon igitur hæc tanta naturæ degeneratio & qvasi abortio, evidens testimonium est piis mentibus, insignem mutationem universi generis humani mox expectandam esse? Hæc sæpè considerent piæ mentes in suis qvotidianis precationibus, ac ingemiscant & deplorent miseriam & ruinam qvasi generis humani, atqve ardenter à DEO petant mitigationem. Harum autem maximarum rerum cogitatione se ad modestiam atqve animi pietatem exuscitent.

Septima Conjectura.

EVangelistæ novissimam horam vocant adventum Filii DEI alterum, hoc est tempus, qvod ad finem hujus mundi inde usqve à prædicatione Apostolorum restabat. Necesse est igitur, brevius esse, qvam fuit ætas, qvæ præcessit.

Octava Conjectura. p. 783.

INterrogat & Daniel cap. ult. de fine, inqviens: porrò qvod ad tempus attinet, qvo tollendum est perenne sacrificium, & qvo tempore in vastitatem reddent abominationem, dies erunt 1290. Beatus ille, qvi perseverabit, & perveniet ad diem 1335. Etsi autem numerus hic videtur de bellis Maccabeorum vaticinari, tamen haud dubiè aliqvid significat de fine hujus mundi. Ac facilis est accommodatio, si dies in annos commutaveris. Erunt autem anni 2625. Nec verò qværimus articulum ipsum seu momentum, qvo illucescet ultimus dies: qvod non est scrutandum. Sed qvia hic numerus aptissimè congruit cum cæteris conjecturis, arbitror, significari annos mundi à tempore Danielis reliqvos. Anni 600. sunt circiter à Daniele ad natum Christum. Reliqvi sunt duo millenarii, postrema hujus mundi ætas. Congruit & divisio. Ideo enim prior numerus à posteriore discernitur, ut significetur, mox post primum numerum ventura esse initia postremi regni impii, Mahometici, & Hypocritici. Nam Mahometus regnare cœpit post Christum natum anno 630. Seqvens numerus est curriculum regni impii, usq; ad finem mundi. Qvòd autem hoc vaticinium Danielis pertineat qvoqve ad ultimam mundi ætatem, ostendit postrema particula, qvam in textu adjicit: qviesces, inqvit, & stabis in sorte tuâ in fine dierum, id est, docebis & confirmabis etiam Ecclesiam ultimo tempore mundi.

Nona

Nona Conjectura.

ETsi semper apud plerosqve Theologos tertii & qvarti libri Esdræ dubia fides fuit: tamen cùm locus in 4. lib. 6. c. maximè huc ad propositum nostrum faciat, consentiatqve mediocriter cum conjecturis hactenus recitatis, non dubitavi etiam hunc locum ex Esdrâ adducere. Esdræ interroganti, an majus tempus eo, qvod futurum est, præterierit; an verò id, qvod futurum est, excedat tempus præteritum? respondet Angelus DOMINI duabus hisce similitudinibus. Primò ostendit ipsi fornacem ardentem, deinde nubem aqvosam. In his, ait, observa, utrum superet ignis fumum, & imber guttas, an verò secus? Cui Esdras: video, inqvit, DOMINE, flammam imprimis transire magnam, video etiam magno impetu imbrem factum, sed deinde flammam superare ignem, & imbrem guttas. Hinc ait Angelus, tu Esdra ratiocinare de ætate mundi. Sicut priùs flamma fumum, & imber guttas superabat: postea verò fumus flammam, & guttæ imbrem: sic qvoqve mensura temporis, qvæ jam transivit, excedit tempus, qvod adhuc reliqvum est, usq; ad resurrectionem mortuorum.

Qvia igitur hîc ab Angelo DEI affirmatur, tempus prius atqve posterius inter se in proportione magni ignis & exigui, item magnæ pluviæ & exiguæ habitura esse, atqve ex vera computatione constat, Esdram circiter 3500. annum vixisse, paulò post tempora Cyri, exinde verò jam supra 2000. annos elapsos esse: certum est, finem mundi jam haud procul abesse.

Decima Conjectura.

JAm coronidis vice subjiciemus egregium illud dictum Eliæ Prophetæ, qvod etsi in Bibliis nuspiam extat, tamen qvia reliqvarum omnium conjecturarum summa est, & qvasi explicatio, omnibus notissimum esse debet, & maximi faciendum est. Verba hæc sunt: Sex millia annorum mundi, & postea destructio: duo millia inane, duo millia lex, duo millia Christus: & si qvid ex his deerit, deerit propter peccata nostra, qvæ magna & innumera sunt.

In hoc dicto Elias pulchrè dividit mundum in tres ætates, & præcipuas qvasi vicissitudines mundi ostendit, præterea qvo tempore Christum oportebat venire, & qvàm diu durare hujus orbis status debeat. Bis mille annos stabit mundus sine aliqva politica gubernatione, & certis legibus DEI verbo expressè ordinatis. Sed his exactis, circumcisio & lex dabitur, atqve certa politia & cultus DEI ex verbo DEI instituetur. DEUS enim certam politiam & & certas Ceremonias huic suo populo tradere voluit usqve ad adventum filii sui, ut ipse filius Messias in eo nasceretur, & se patefaceret, concionaretur, fieret victima, & palàm inchoaret vitam æternam. Post hæc tempora, circiter finem qvarti millenarii Christus veniet, & prædicationem Evangelii inchoabit, qvæ similiter circiter duo millia annorum durabit, usqve ad extremum judicium. Et postea initium erit illius novæ & æternæ vitæ, in qva Ecclesia DEI ex morte resuscitata, in vita perpetua, verè sine caligine & peccato sanctificabit Sabbathum, coràm cernet DEUM, & ejus immensa sapientia fruetur. Impii verò & Diaboli abjicientur in æternos cruciatus.

Et qvia eventus declaravit, juxta hanc Prophetiam Eliæ, circumcisionem & promulgatam legem duo millia annorum præcessisse, similiter etiam à circumcisione usqve ad Christum duo millia transiisse: credibile est, & in posterioribus millenariis eventum responsurum esse. Sed desiderabuntur, inqvit Elias, aliqvot anni. Nam celeritate adventus sui DEUS propter peccata & scelera mundi antevertet, qvò minus sex millenariorum anni integrè compleantur.

Cùm autem propter multas alias causas & utilitates, hoc dictum Eliæ diligenter notari prodest, tum vel maximè propter stultam & cæcam insaniam Judæorum in Ecclesiâ retinendum est, qvi Christo JESU, repudiato, adhuc alium Messiam frustra expectant. Etsi enim multis manifestis sacræ Scripturæ testimoniis ipsorum blasphemia refutari potest: tamen qvia eò cæcitatis & pertinaciæ pervenerunt, ut videntes veritatem scripturæ non videant, nec audientes audiant: non incommodum etiam ex hoc ipsorum dicto argumentum contra eos sumitur, ut proprio suo qvasi ipsorum gladio jugulari possint. Sæpè enim hoc dictum à Rabinis, utpote in libro Apodazarâ cap. 1. item in libro Sanhedrim cap. ult. atqve aliis pluribus locis, ut vera traditio Eliæ, introducitur. p. 784

Caput ultimum. Sextum millenarium non completum iri, propter peccata mundi.

HÆ rationes omnes, aliæqve plures, ex sacrâ Scripturâ atqve ipsarum rerum naturâ sumtæ, perspicuè ostendunt brevitatem temporum hujus mundi. Simul autem & hoc considerandum est, qvòd dies novissimus ante sextum millenarium completum adventurus sit. Nam DEUS abrumpet flagitia hujus perversi seculi, & ad judicium suum festinanter accelerabit. Hoc temerè non asseritur, aut petulanter affingitur, sed divinis literis passim proditum est.

1. Matth. cap. 24. Christus ait: Et nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos abbreviabun-

Anno | Anno

Admonitio de Reliqviis.

Augustinus in eo libro, qvem inscripsit de labore Monachorum, conqverens de circumforaneis qvibusdam impostoribus, qvi jam suo tempore fœdam ac sordidam nundinationem exercebant, Martyrum reliqvias hac & illac circumferendo, subjungit: si modò sunt Martyrum reliqviæ. Qvo verbo significat, jam suo tempore invaluisse abusus & imposturas, qvibus plebs imperita decipiebatur: ut putaret, ossa hinc atqve illinc collecta Sanctorum esse. Cùm ergo adeò antiqva sit origo hujus imposturæ, minimè dubium est, qvin vehementer adaucta sit tam longo temporis spacio: cùm præsertim mundus deinceps mirum in modum corruptus, ac semper in deterius lapsus sit: donec ad extremum venit, in qvo nunc constitutum eum videmus.

Primum autem vitium, & veluti initium mali fuit, qvòd, cùm Christus in verbo suo, Sacramentis, & gratiis spiritualibus qværendus esset, mundus solito suo more subuculis, vestibus, fasciis inhæsit: sicqve omissa re præcipua, accessionem tantùm seqvutus: eundemqve & in Apostolis, Martyribus, aliisqve sanctis se præbuit. Nam cùm diligenter eorum vitam meditari, seqve ad eorum imitationem conferre debuisset: omne studium posuit in contemplandis, & veluti in thesauro reponendis eorum ossibus, subuculis, cingulis, pileis & nugis ejusmodi.

Eqvidem non ignoro, id qvandam pietatis & zeli speciem præ se ferre: cùm dicitur, reliqvias Christi servari ob honorem, qvi illi habetur: utqve ejus memoria tenacius inhæreat animis: tantundem qvoqve in Sanctis valere. Sed considerandum erat, qvod ait Paulus, qvemvis cultum DEI ingeniis hominum excogitatum, qvalemcunqve sapientiæ speciem præ se ferat, vanitatem & stultitiam meram esse: nisi melius fundamentum habeat, & certius nostra opinione. Præterea utilitas, qvæ inde oriri potest, cum periculo comparanda erat. Sic enim compertum fuisset, parùm utile, aut omninò supervacaneum esse & frivolum, habere ejusmodi reliqvias: ac contrà difficillimum esse, aut potiùs fieri nullo modo posse, qvin inde ad idololatriam homines paulatim declinent. Neqve enim eas intueri aut attrectare possunt sine veneratione: in qva nullus tenetur modus: qvin protinus honor Christo debitus ipsis tribuatur. Itaqve, ut paucis dicam, reliqviarum desiderium nunqvam superstitione caret: imò, qvod deterius est, mater est idololatriæ, qvæ ut plurimùm cum ipsa conjuncta est.

Omnes sine controversiâ fatentur, Dominum ideò Moysis corpus è conspectu hominum abstulisse, ne populus Judaicus eo adorando abuteretur. Qvod in uno factum est, ad omnes extendi oportet, cum cum in iis eadem valeat ratio. Verùm ut omittamus sanctos, videamus, qvid Paulus de ipso Christo dicat. Testatur enim, se post Christi resurrectionem ampliùs ipsum non agnoscere secundum carnem, admonens his verbis, qvicqvid in Christo carnale fuit, oblivioni tradendum, & missum faciendum, ut in eo secundum Spiritum qværendo & possidendo omnem operā studiumq; locemus. Nunc igitur causari, præclarum esse, habere aliqvod monumentum cum Christi, tum sanctorum ejus: qvid aliud est, qvàm inane tegumentum fucandæ stultæ nostræ cupiditatis causa, qvæ nullum in ratione fundamentum habet: qvòd si etiam hæc ratio sufficere videretur, cum tamen apertè repugnet sententiæ, qvam Spiritus S. per os Pauli pronunciavit, qvid plura reqvirimus.

Sed minimè necessarium est, longam in hac re disputationem texere: bonum sit, necnè habere reliqvias: tantùm ut repositæ asserventur, non ut adorentur. Nam sicuti diximus, experientia docet, nunqvam ferè alterum ab altero sejunctum esse.

Ambrosius qvidem de Helena, Constantini matre loqvens, qvæ magno labore & sumtu crucem DOMINI inqvisierat: ait, ipsam DOMINUM tantùm, qvi in ea pependerat, non lignum, adorasse. Sed rarissimum est, ut reliqviis ullis qvis sit deditus, qvin simul aliqva superstitione polluatur. Fateor, non primo impetu ad manifestam idololatriam erumpi: sed paulatim ab una fallacia ad alteram declivem esse lapsum, donec tandem homines in extrema præcipites ruant. Sanè populus, qvi se Christianum nominat, eò usqve progressus est, ut non minore idololatria, qvàm ulli olim Ethnici, insanierit. Prostravit enim seipsum ac genu flexit coram reliqviis, tanqvam coram DEO: accendit faces & candelas pro solenni adorationis ritu: fiduciam in iis locavit, ad eas confugit, ac si illic virtus & gloria DEI inclusa fuisset. Si idololatria nihil aliud est, qvàm honorem DEI aliò transferre, an id idololatriam esse negabimus?

Neqve verò id excusari potest, qvasi immoderato rudium ac imperitorum, vel anicularum zelo factum sit. Latiùs enim patuit hæc immoderatio, eaqve in universum laborârunt omnes: atqve adeò ii ipsi, qvi ad Ecclesiæ gubernacula sedebant, eam approbârunt. Qvin etiam mortuorum ossa, cæteræqve omnes reliqviæ supra altare primarium in altiore & eminentiore loco collocatæ sunt, ut majore reverentia adorarentur. En ut stulta, qvæ initio fuit in servandis reliqviis, atqve in thesaurum reponendis, curiositas huc tandem abominationis delapsa sit, ut non solùm à DEO aversi

Anno aversi sint homines, qvò rebus vanis & caducis adhærent: sed etiam exsecrabili sacrilegio res omni sensu carentes adorarent, loco DEI, qvi vivit, ac benedictus est in secula. Cæterùm sicuti mala trahuntur malis, alia etiam infelicitas secuta est, ut nescio qvæ sordes, omni ratione & specie carentes, pro reliqviis Christi & sanctorum reciperentur: adeoqve cæcus fuit mundus, ut qvaliscunqve titulus nugis oblatis imponeretur, absqve inqvisitione ulla aut delectu pro vero & legitimo duceret. Ita asinorum aut canum ossa, qvæ nugator
c.786. qvispiam proferre voluit, pro Martyrum ossibus sine ulla difficultate homines studiosè amplexi sunt. Idemqve in iis accidit, ut postea tractabimus. Eqvidem non dubito, qvin justa sit ultio DEI. Cùm enim mundus veluti rabie qvadam accensus, reliqvias concupiverit, ut perversa superstitione iis abuteretur; rationi consentaneum fuit, Deum sinere mendacium aliud ex alio seqvi. Sic enim dedecus nomini suo illatum ulcisci solet: cùm gloria, qvæ ad ipsum pertinet, aliò transfertur. Itaqve nihil aliud causæ est, qvòd ubiqve tot falsæ reliqviæ repertæ fuerint, qvàm qvod DEUS homines sese mendaciis oblectantes, in duplicem errorem abduci siverit.

Christianorum officium erat, Sanctorum corpora in sepulchris suis relinqvere, ut universali illi sententiæ parerent: qva dictum est, omnem hominem pulverem esse, atqve in pulverem reversurum: non erigere ipsa opere magnifico & sumtuoso, qvo præmaturam resurrectionem fabricarent. Hoc qvidem minimè intellectum fuit: sed è diverso contra decretum DEI fidelium corpora effossa sunt, ut magnificè extollerentur, cùm in sepulchro suo, velut lectulo, usqve ad extremum diem qviescere debuissent. Appetita fuerunt ipsa, in iis fiducia est locata, adorata qvoqve sunt, deniqve omnia reverentiæ signata iis exhibita. Qvid accidit? Diabolus ejusmodi socordiam cernens, non satis esse, putavit, qvòd uno modo homines fefellisset: verùm hac etiam impostura ipsos decepit, ut sanctarum reliqviarum titulum rebus omninò prophanis inscriberent. DEUS autem justa ultione mentē ac sensum omnem incredulis ademit, ut sine ulla inqvisitione, albumnē an nigrum esset, ac sine discrimine reciperent, qvicqvid oblatum foret. Nunc qvidem instituti mei non est tractare, qvantæ sit abominationis, reliqviis cùm Christi tùm Sanctorum abuti eo modo, qvo hactenus factum est, atqve etiam hodiè in majore orbis Christiani parte fieri solet. Esset enim liber in hanc materiam seorsim scribendus. Sed qvia perspicuum est, maximam reliqviarum, qvæ ostenduntur, partem falsam esse, ac productum à qvibusdam nugatoribus, qvi miseræ plebi imprudenter imposuerunt; mihi in mentem venit nonnulla referre, qvæ sanis hominibus cogitandi & observandi occasionem præbeant. Sæpè enim accidit, ut errore aut opinione præoccupati, multa inconsideratè probemus: neqve tempus adhibeamus ad rem examinandam, rectumq; judicium ferendum: sicqve incogitantia nostrâ fallimur. Sed cùm moniti cœpimus animum advertere, miramur ipsi, nos adeò leves fuisse, & faciles ad id credendum, qvod probabile nullo modo fuerat: id qvod omninò in hac re accidet. Homines enim minimè commoniti, sed præoccupati hac opinione, qvòd dicatur, en corpus illius sancti, en calcei, en caligæ, sibi facilè ita esse persvadent. Sed cùm fraudes ostēdero, qvæ in iis admittuntur, cui vel minimum erit prudentiæ, is oculos aperiet: & iis, qvæ nunqvam ipsi in mentem venerant, consideran-dis animum adhibebit. Tametsi hoc libello, qvod vel maximè cuperem, efficere non possim. Nam undiqvaq; Catalogos nanscisci opus foret, ut sciretur, qvæ in unoqvoqve loco esse dicuntur reliqviæ, ut singularum fieret inter se collatio. Tunc enim perspiceretur, unumqvemqve Apostolorum plus qvàm qvatuor corpora, Sanctorum verò duo aut tria habere. Idem cerneretur in cæteris. Deniqve coacto tali acervo, nemo non stuperet: cùm videret, rebus adeò ridiculis universum ferè orbem excæcatum fuisse. Mecum ipse cogitabam: cùm nulla sit cathedralis Ecclesia tam exigua, cui non sit ossium aliorumqve ejusmodi nugarum infinitas: qvid si coacervaretur multitudo omnis, qvæ in tribus aut qvatuor millibus diœcesibus condita est, viginti aut triginta millibus Abbatiis, ex qvadraginta millibus cœnobiorum, aut eo plus, ex tot parochiis, tot sacellis? Verùm adhuc præcipuum esset ipsas visitare non nominare tantùm: neqve enim omnes nomine cognoscuntur. In hac civitate habebatur, ut ferebant, brachium D. Antonii: cum theca inclusum erat, omnes ipsum exosculabantur ac adorabant; cum productum est in medium, cervi penem esse, compertum est. Ad majus altare aliqvid erat de cerebello D. Petri: qvàmdiu id inclusum fuit, nemo dubitabat (fuisset enim blasphemia titulo fidem non habere,) sed cùm excussus est nidus, & accuratius observatus, repertus est pumex. Possem multa ejusmodi exempla referre, sed ista sufficient, ut intelligant omnes, qvantæ detegerentur sordes, si aliqvando visitarentur sedulò omnes totius Europæ reliqviæ. Idqve cum prudentia, qvò melius discerni possent. Nonnulli enim reliqviarum aliqvod spectantes, superstitione claudunt oculos, ut cernendo nihil cernant: id est, non audent seriò inspicere, ut, qvid sit, diligenter considerent. Qvemadmodum multi, qvi jactant, se integrum D. Claudii

cor-

Anno corpus aut alterius cujusqvam vidisse, nunqvam oculos attollere ausi sunt, ut qvid esset, spectarent. Verùm is, cui secreti videndi esset libertas, eaqve uti auderet, longe aliter loqveretur.

Idem de capite Magdalenæ, qvod Massiliæ ostenditur, cum massæ aut ceræ frusto, qvod oculo affixum est, in thesauro servatur, ac si DEUS aliqvis è cælo delapsus esset: verum si examinaretur, facilè detegeretur fallacia. Optandum igitur esset, ut certiores essemus de nugis omnibus, qvæ hic atqve illic pro reliqviis habentur: aut saltem, qvò constaret, qvàm multæ falsæ sint, Catalogum earum & numerum tenere.

Sed cum id fieri non possit, saltem optârim, inventarium ex decem aut duodecim urbibus nancisci: veluti Lutetia, Tolosa, Rhemis, Pictavo, &c. His enim solis mirabilia veluti apum examina, vel saltem officinæ admodum confusæ perspicerentur. Idqve mihi sæpè numero in votis esse solet: ut tale inventarium nancisci possent. Qvia verò hoc qvoqve mihi nimium difficile esset, tandem cogitavi, præstabilius esse, omninò exiguam hanc monitionem præbere, qva somnolentos excitem, ut cogitent, qvid sit universis, cùm in paucis tanta impostura deprehendatur. Hoc intelligo, cum in iis reliqviariis, qvæ nomina vero, tanta deprehendetur impostura, qvæ tamen vix millesima est pars eorum, qvæ exhiberi solent, qvid de cæteris poterit æstimari? Præterea si constet, eas, qvæ pro certioribus habitæ fuerunt, falso esse suppositas, qvid de incertis vindicandum erit? Utinam verò Christiani Principes paulisper animum ad id adverterent: esset enim ex eorum officio, non sinere miseros homines sic seduci, non tantum falsa doctrina, sed etiam palam deludi, persvadendo qvòd vulgò dici solet: vesicas arietum laternas esse. Nam de sua dissimulatione rationem DEO sunt reddituri, qvòd ea cernentes taceant: gravissimamqve hanc esse culpam sentient, sivisse DEUM ludibrio haberi, cùm id prohiberi potuisse. Qvicqvid sit, spero, libellum nunc omnibus usui futurum, paturumqve occasionem singulis, id suo loco considerandi, qvod titulus ipse

1587. monet, nempè, si descriptæ essent omnes orbis Christiani reliqviæ, perspicuum fore, qvàm cæci ante hac fuerint omnes: qvantæ tenebræ per universum orbem sint effusæ, & qvanta stupiditate homines laborârint.

A Christo igitur initium faciamus, cujus cùm naturale corpus haberi non posse (nam miraculosi fabricandi facilè vias invenerunt, qvanto numero ac qvoties eis libitum foret) ejus loco sexcentas nugas collegerunt, qvibus ipsius absentiam compensarent. Qvanqvam nec totum Christi corpus elabi siverint, qvid aliqvod frustum retinerent. Nam præter dentes & capillos, Charrovienses Monachi, se præputium habere, id est pellem, qvæ ipsi in circumcisione amputata fuit, jactent.

Qvæso unde pellis hæc ad ipsos profecta est? Lucas Evangelista Dominum circumcisum fuisse refert, pellem verò servatã fuisse pro reliqviis, nusqvam fit mentio: veteres historiæ omnes sicut, ac qvingentorum annorum spatio nullus de ea in Ecclesia Christiana sermo habitus est. Ubi latuit tamdiu, ut tam subitò erumperet? Præterea qvomodo ad Charrovium usqve advolavit? Verùm, ut id probant, ajunt, aliqvot inde sangvinis guttas decidisse. Id qvidem dicunt, sed opus esset probatione. Proinde pater, merum esse ludibrium. Sed tametsi concedamus, pellem, qvæ Christo amputata fuit, servatam esse, ibiqve aut alibi esse posse, qvid dicemus de præputio, qvod Romæ ad Johannis Laterensis ostenditur? Certum est, unicum tantum fuisse, Romæ igitur & Charrovii simul esse non potest. Qvo fit, ut manifesta hic cernatur falsitas. Seqvitur deinde sangvis de qvo magnæ fuerunt contentiones. Permulti enim negârunt, Christi sangvinem reperiri, præterqvàm miraculosum: & tamen naturalis, plusqvàm centum in locis exhibetur. Alicubi paucæ guttæ, ut Ruppellæ Pictonum, qvas Nicodemus in Chirotheca sua, ut ajunt, collegit. Alibi plenæ Phialæ, ut Mantuæ, Billoni in Arverni ostenditur in vase crystallino liqvidus: in qvodam proximo vico, coagulatus, & aliis in locis: alibi plenis pateris effusus, ut Romæ & Eustathii. Neqve verò sat fuit purum habere sangvinem: sed etiam aqvæ admixtum habere oportuit, qvalis à latere ipsius fluxit, cùm in cruce transfixum est. Hæc merx Romæ ad Johannis Laterensis reperitur. Judicandum cuiq; relinqvo, qvia certi inde colligi possit: atqve adeò num mendacium perspicuum sit dicere, sangvinem Christi septingentis aut octingentis, post ipsius mortem, annis repertum fuisse, ut per orbem universum spargeretur: cùm in vetere Ecclesia nulla unqvam habita fuerit mentio.

Seqvuntur præterea, qvæ corpus DOMINI contigerunt: aut saltem, qvæcunqi potuerunt colligi, ut corporis loco, fierent in ejus memoriam reliqviæ. Primùm ostenditur Romæ ad Mariæ majoris, præsepe in qvo nascens positus fuit. Ibidem ad Pauli, exhibetur linteum, qvo fuit involutus, qvàqvam aliqvod ejus fragmentum ad Salvatoris in Hispania esse dicatur. Sunt etiam ibidem ejus cunæ, cum subucula, qvàm Maria Mater ejus ipsi contexuit. Item Romæ ad Jacobi ostenditur altare, cui impositus fuit, cum in templo offerretur. Qvasi vero tunc varia fuerint altaria, sicuti in Papatu: ubi constituuntur pro hominum libidine. Ita sine ullo colore hac in re men-

Anno tiuntur. Hæc sunt, qvæ habent de iis, qvæ Christum infantiæ tempore contigerunt. Neqve vero multum disputare necesse est, ubi sarcinæ istæ tanto spacio post mortem Christi repertæ fuerint. Nemo enim tam hebes est, qvi enim intueatur, qvalis sit hæc dementia. In historia Evangelica de iis rebus ne unum qvidem verbum: Apostolorum tempore nihil prorsus auditum est. Qvinqvaginta circiter annos, post Christi mortem Ierosolyma expilata ac eversa fuit. Tot veteres Doctores ab eo tempore scripserunt, eorumqve mentionem fecerunt: qvæ extabant suo tempore: præsertim de cruce & clavis qvæ Helena reperit: de exilibus verò nugis illis, nullum verbum. Qvin etiam Gregorii tempore nusqvam apparet, horum qvicqve Romæ extitisse: ut constat ex ejus scriptis. Post ejus mortem Româ sæpius capta, expilata, & penè funditus deleta fuit. Si hæc omnia accuratè cõsiderarentur, qvid aliud dici poterit, nisi omnia hæc excogitata fuisse, qvò imperitæ plebi imponeretur. Ac certè id fatentur falsæ religionis fautores, tum Sacerdotes, tum monachi, easqve vocant pias fraudes, qvasi iis populus ad pietatem incitetur.

Secundæ classis reliqviæ sunt, qvæ id tempus spectant, qvod inter infantiam & mortem Christi medium fuit. In qvibus est columna, cui Christus in templo disputans innitebatur, cum aliis undecim similibus ex templo Salomonis. Sed qvis ipsis revelavit, Christum disputando Columnæ innixum fuisse? Nam Evangelista, historiam hujusce disputationis referens, ne verbo qvidem perstringit. Nec verisimile est, ei concionatoris concessum fuisse locum, cùm nulla, ut perspicuum est, existimatione aut authoritate polleret. Præterea qværo, etiamsi columnæ innixus esset, qvi sciunt illam fuisse? Tertio, unde duodecim illas columnas nacti sunt? qvas ajunt prodiisse è templo Salomonis?

Sunt deinde Hydriæ, in qvibus Christus aqvam in vinum mutavit, cùm adesset Nuptiis in Cana Galilææ. Eqvidem scire vellem, qvis eorum custos fuit tam diu, ut eas postea distribueret. Hoc enim perpetuò notandum, octingentis solùm aut mille annis post editum illud miraculum repertas fuisse. Non satis teneo locos omnes, ubi illæ ostenduntur. Scio tamen ex iis Ravennæ, Pisis, Cluniaci, Andegavi, ad Salvatoris in Hispania haberi. Sed, ne longior sit oratio, solò aspectu eos mendacii convincere, facile est. Aliæ enim non sunt Congio capaciores, aut paulò plùs, aliæ minùs, aliæ octo amphoras continere possunt. Concilientur hæc inter se, si fieri possit: tunc eas suas hydrias habere sinam, absqve controversia. Sed neqve vasis contenti, poculentum etiam ipsum habere voluerunt. Nam aurelianenses jactant se ex eo vino habere, qvod Architriclini vocant. Hoc autem Sponsi nomen fuisse putant: & populum adhuc retinent in ea ignorantia. Singulis annis semel extremam exiguæ ligulæ partem tingendam præbent iis, qvi munus aliqvod offerre voluerint: dicentes, se vinum, qvod DOMINUS in convivio fecit, propinare. Nec unqvam minuitur ipsius qvantitas, modò subinde compleatur scyphus. Nescio, cujus magnitudinis sint calcei, qvi Romæ esse dicuntur in eo loco, qvem sancta sanctorum vocant: an puer, an vir factus sit? Sed neutrum alteri præstat. Nam satis superqve ostendi, qvantæ sit impudentiæ, nunc Christi calceos proferre, qvibus Apostoli suo tempore caruerunt.

Nunc ad ea veniamus, qvæ ad supremam cœnam pertinent, qvam Christus cum Apostolis celebravit. Mensa enim Romæ est ad Johannis Lateranensis. Aliqvid de pane ad Salvatoris in Hispania. Culter, qvo agnus Paschalis fuit dissectus, Treveris. Notemus, Christum in commodato loco cœnam celebrasse: illinc discedentem mensam reliqvisse: nec legimus ab Apostolis eam esse exportatam: atqve ad postea annis Ierosolyma destructa fuit, sicuti diximus. Qvalem verò speciem veritatis hoc præ se fert: mensam illam septingentis aut octingentis post annis repertam esse? Præterea mensarum forma tunc omnino diversa erat ab ea, qvæ nobis hodie in usu est. Nec enim sedere cœnando, sed accumbere solebant: qvod disertè Evangelio exprimitur. Perspicuum est igitur hoc mendacium. Qvid superest? Calix, in qvo Sacramentum sangvinis sui Apostolis bibendum dedit, ostenditur ad Mariæ Insulanæ prope Lugdunum: item apud Helvios in qvodam Augustinensium cœnobio. Cui fides habebitur? Verùm de disco, cui impositus est agnus Paschalis, res etiamnum pejùs habet. Est enim Romæ, item Genuæ & Arelatæ. Forsitan illius temporis consvetudo à nostrâ diversa fuit. Qvoties enim hodie variantur fercula, tunc unius ferculi causa, discum variari oportuit: si modo sanctis hisce reliqviis fides habetur. An magis perspicua reqviritur falsitas? Idem est de linteo, qvo Christus Apostolorum pedes abstersit, postqvam eos abluisset: unum est Romæ ad Johannis Laterensis: alterum Aqvis in Germania, ad Cornelii, cum impresso vestigio pedis Judæ. Alterutrum falsum esse, necesse est. Qvid ergo judicabimus? Sinamus eos inter se contendere, qvoad alteri causam suam probaverint. Interim censeamus meram esse imposturam: persvadere hominibus velle, linteum qvod Christus reliqvit in ea domo, in qva cœnam celebravit, qvingentis aut sexcentis post Ierosolymæ eversionem annis in Italiam aut Germaniam advolasse.

Pa-

Anno

Panem omiſeram, qvo per miraculum paſti ſint hominum qvinqve millia: cujus fruſtum Romæ oſtenditur, ad Mariæ Novæ: & fruſtulum ad Salvatoris in Hiſpania. Refert ſcriptura, portionem aliqvam Mannæ fuiſſe reſervatam, tanqvam monumentum magni illius miraculi, qvo DEUS populum Judaicum in deſerto pavit. Sed de qvinqve panum reliqviis, Evangeliſta non commemorat, qvidqvam fuiſſe hoc fine aſſervatum: neqve ulla veterum hiſtoria, ulluſvè antiqvorum Eccleſiæ Doctorum mentionem facit. Facile eſt igitur judicare, id poſtea pinſitum fuiſſe, qvod nunc monſtratur.

Idem judicandum de ramo; qvi eſt ad Salvatoris in Hiſpania. Ajunt enim eum eſſe, qvem Chriſtus geſtabat, cùm die Paſchatis, qvod floridum vocant, Ieroſolymam ingreſſus eſt. Verum, à Chriſto geſtatum fuiſſe ramum, nusqvam recitatur in Evangelio. Commentum igitur evidens eſt.

Deniqve in hunc ordinem redigendæ ſunt reliqviæ, qvæ ibidem exhibentur: nempe terra, qvæ ſub pedibus Chriſti jacebat, cùm Lazarum ſuſcitaret. Qvæſo, qvis tam diligenter notavit locum? ut poſt Ieroſolymæ everſionem, qva omnia in Judæa mutata ſunt, locus, in qvo Chriſtus ſemel pedem poſuit, certo potuerit deſignari.

Jam ad præcipuas DOMINI reliqvias veniendum, illas ſcilicet, qvæ ad mortem & paſſionem ejus pertinent: ac primùm de cruce, in qva pependit, agamus. Pro certo haberi ſcio, Helenam, Conſtantini Imperatoris Romani matrem ipſam repeiſſe: nec ignoro, qvid veteres nonnulli Doctores ſcripſerunt in ejus rei comprobationem: nempe ut certum ſit, eam ſine ulla dubitatione eſſe crucem, cui Chriſtus ſuffixus eſt. Horum omnium fides ſit penes rem ipſam. Utcunqvè ſit, vel ſtulta curioſitas, vel ineptus religionis zelus ipſam huc impulit. Sed fingamus, opus laude dignum fuiſſe, qvòd inveniendæ cruci tantum operæ poſuerit: atqve DOMINUM tunc miraculo declaraſſe, ſuam fuiſſe crucem: ſolùm temporis noſtris rationem habeamus.

Crucem illam, qvam Helena repetit, adhuc Ieroſolymis eſſe ferunt, atqve id nemini dubium eſt: qvanqvam Eccleſiaſtica hiſtoria apertè repugnet. Illic enim refertur, Helenam partem ejus Imperatori filio ſuo miſiſſe, à qvo ſupra columnam porphyream Conſtantinopoli fuerit collocata: alteram vero partem ab ea fuiſſe argentea theca incluſam, qvam Epiſcopo Ieroſolymitano ſervandam dederit. Itaq; aut mendacii coarguemus hiſtoriam, aut, qvæ hodie feruntur de cruce, vana omninò & frivola ſunt.

Rurſum animadvertamus, qvot de ea ſparſa ſint per univerſum orbem fragmenta. Anno
Si vel ea tantùm, qvæ teneo, recitare vellem, juſtum certè librum catalogus eorum implere poſſet. Nullum eſt tam exiguum oppidum, in qvo fruſtum aliqvod non habeatur. Neq; tantùm in Eccleſia primaria, verum etiam in nonnullis parochiis: nulla tam vilis Abbatia, in qva aliqvid non monſtretur. Atqve adeò nonnullis in locis craſſiores aſſulæ: ut Lutetiæ ad ſacri ſacelli: Pictavii: & Romæ, ubi crucifixus mediocris magnitudinis totus ex ea factus eſſe fertur. Deniqve ſi congeſta in acervum eſſent omia, qvæ reperiri poſſent, integrum navis onus efficerent: cùm tamen Evangelium teſtificetur, ab unico homine ferri potuiſſe. Qvantæ igitur audaciæ fuit, ligneis fruſtis ſic totum implere orbem, qvibus ferendis ne trecenti qvidem homines ſufficiant?

Atqvi excuſationem illam excogitârunt, qvantumcunqve inde abſcindatur, nunqvam tamen imminui. Sed commentum adeò ſtultum & abſurdum eſſe conſtat, ut ſuperſtitioſi ipſi facilè id intelligant. Cogitandum igitur omnibus relinqvo, qvid certi haberi poſſit de lignis omnibus, qvæ pro vera cruce hic & illic adorantur. Undè vero fragmenta qvædam allata ſint, & qva via aut ratione, dicere omitto. Veluti nonnulli aſſerunt, ad ſe ab Angelis delata eſſe: alii, è cœlo decidiſſe. Pictavienſes referunt, [illegible], qvod habent, à muliere qvadam Helenæ ancilla ſubreptum atqve allatum fuiſſe: qvæ cùm aufugeret, errabunda circa eam regionem appulit. Hoc etiam addunt fabulæ, eam fuiſſe claudam. En præclara fundamenta, qvibus miſeram plebem ad idololatriam impellunt. Nec enim eo contenti, qvòd imperitis ac rudibus impoſuiſſent, vulgare lignum pro ligno crucis oſtentando: ſed definierunt etiam, prorſus eſſe adorandum. Qvæ doctrina omninò diabolica eſt: eamq; nominatim Ambroſius, ut Ethnicam ſuperſtitionem, improbat.

Crucem proximè ſubſeqvitur titulus, p.789.
qvem Pilatus affigi juſſit: in qvo inſcripſit, JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Sed ſciendum eſſet, qvo loco, tempore, & modo repertus eſt. Dicit aliqvis, Socratem hiſtoricum Eccleſiaſticum ejus facere mentionem. Fateor. Sed qvid de eo factum ſit, reticet. Ita haud magni momenti erit hoc teſtimonium. Præterea ſcriptum illud properè atqve extempore exaratum fuit, cùm jam Chriſtus crucifixus eſſet: qvamobrem alieniſſimum à ratione eſt, tabulam curioſè & veluti oſtentandi cauſa depictam exhibere. Si igitur unicus tantum oſtenderetur & tamen pro falſo & ficto haberi poſſet: ſed cùm & Tholoſates id ſe habere jaciant, contradicant Romani, & oſtendant ad S. crucis, mendacii ſe invicem coarguunt

Anno guunt. Litigent ergò inter ſe qvantum volent: tandem utriqve convincentur mendacii, ſi ritè examinentur omnia.

Sed de clavis major adhuc controverſia eſt. Referam eos, de qvibus fui admonitus. Hinc vel minimus puer judicabit, diabolum nimis indignè mundo illuſiſſe, omni ratione ac ſenſu ei ademtis, ne ampliùs hac in re diſcrimen habere poſſet. Si vera narrant antiqvi ſcriptores, ac præſertim Theodoretus veteris Eccleſiæ hiſtoricus, Helena unum filii ſui galeæ inſeri, reliqvos duos eqvi fræno aptari juſſit: tametſi Ambroſius non omninò conſentiat. Unum enim Conſtantini coronæ impoſitum fuiſſe dicit: ex altero frænum eqvi factum: tertium ab Helena ſervatum. Id ergo jam ante mille annos & ducentos controverſum fuiſſe videmus, qvid de clavis factum eſſet. Qvid igitur nunc certi habere poſſumus?

At verò Mediolanenſes jactant, ſe illum habere, qvi eqvi fræno inſertus fuit. Intercedunt Carpentoractenſes, ſibiqve illum vendicāt. Atqvi Ambroſius haud qvaqvam eqvi fræno inſertum, ſed frænum ex eo factum fuiſſe refert. Qvod nullo modo convenire poteſt cum iis, qvæ cùm Mediolanenſes, tum Carpentoractenſes affirmant. Eſt etiam alius Romæ ad Divæ Helenæ: alius ibidem ad Sanctæ Crucis: alius Senis: alius Venetiis, in Germania duo: unus Coloniæ ad trium Mariarum: alter Treveris, in Gallia unus Lutetiæ ad S. Sacelli: alius apud Carmelitas, alius ad D. Dionyſii in Francia: alius apud Bituriges, alius in Abbatia, cui à Forficibus eſt nomen: alius Dragviniani. En numero qvatuordecim. Porrò unusqvisqve locus idoneis probationibus niti ſibi videtur. Unum certè concedam: ſingulis æqvum jus eſſe. Itaqve nihil expeditiùs, qvàm eandem de omnibus ferri ſententiam: nempe ut, qvicqvid jactant, pro mendacio ducamus: cùm id aliter expediri non poſſit.

Seqvitur mucro lanceæ, qvem unicum eſſe oportuit. Sed Alcumiſticæ cujusdam fornacis forſitan ignem expertus, ſic excrevit ac multiplicatus eſt. Qvatuor enim prodierunt: præter eos, qvi hìc illic habentur, meqve prætereunt. Unus eſt Romæ, alter Lutetiæ ad S. Sacelli, tertius apud Xantones in cœnobio, cui à Forficibus nomen eſt: qvartus Selvæ, prope Burdegalam. Qvis nunc eorum pro vero eligetur? Expeditius omninò erit omnes miſſos facere, & qvales ſunt ipſi, tales ſinere. Sed qvamvis unicus tantùm eſſet, tamen unde prodiiſſet ſcire vellem. Nec enim veteres hiſtoriæ, aut ulla aliorum ſcripta de eo mentionem faciunt. Recens igitur fabricatum fuiſſe neceſſe foret.

Qvod ad coronam ſpineam attinet, fragmenta ejus, qvo vireſcerent, plantata fuiſſe, dicendum eſt: alioqvi neſcio, qvomodo potuit in tantam magnitudinem excreſcere. Primùm tertia ejus pars eſt Lutetiæ ad S. Sacelli: deinde Romæ ad S. Crucis tres ſunt ſpinæ, ibidem ad Euſtathii aliqva portio. Senis neſcio qvot ſpinæ: Vincennæ una: Biturigibus qvinqve: Veſontione Johannis tres: totidem in monte Regio. Ad Salvatoris in Hiſpania aliqvot, qvarum numerum non teneo. Compoſtellæ ad D. Jacobi duæ: apud Helvios tres: Tholoſſæ, Matiſconæ, Charrovii Pictonum, Cleriaci, Sanfloridi, Sanmaximini in Provincia, item in cœnobio Sallæ, item Novioduni ad D. Martini. Singula hæc loca ſingulas habent ſpinas. Qvod ſi diligens inqviſitio fieret, plures qvadruplo poſſent nominari: deinde falſitatem & impoſturam evidentiſſimè patere neceſſe eſt. Qvid igitur certi de omnibus conſtabit? Adhæc notandum eſt, nunqvam in vetere Eccleſia ſcitum eſſe, qvid corona illa factum eſſet. Hinc facilè eſt concludere, primum virgultum multis poſt mortem Chriſti annis enatum fuiſſe.

Seqvitur veſtis purpurea, qva Pilatus Chriſtum induit, eum ludibrio habens, qvòd ſe regem nominaſſet. Erat autem pretioſa veſtis, haud ita temerè abjicienda. Nec exiſtimandum eſt, Pilatum aut ejus domeſticos ſic eam abjeciſſe, poſtqvam ſemel Chriſtum irriſiſſent. Eqvidem ſcire vellem, qvis mercator eam à Pilato emit, ut eam pro reliqviis aſſervaret. Ut autem aliqvid commento ſuo coloris adferant, qvibusdam guttis ſangvinis aſperſam oſtendunt, qvaſi vero nebulones illi voluiſſent regiam veſtem perdere, poſteaqvam per ludibrium eam humeris Chriſti impoſuerant.

Neſcio, an usqvam alibi qvæpiam aliæ ejusdem nominis reperiantur. Veſtis qvidem contexta à ſummo ad infimum, ſuturis carens, qvia ad incitandos ad pietatem rudes magis apta videbatur, plures alias peperit. Nam Argentolii, qvi pagus eſt in agro Pariſienſi, exhibetur una, altera Treveris. Qvod ſi verum dicit bulla, qvæ eſt ad Salvatoris Hiſpanienſis, Chriſtiani inconſiderato ſuo zelo graviùs deliqverunt, qvàm impii illi milites, qvi non auſi ſunt ipſam dividere. Chriſtiani verò, qvò eam adorarent, diſcerpere veriti non ſunt. Sed qvid reſpondebunt Turcæ, qvi eorum dementiam irridens, illam apud ſe eſſe dicit? Qvanqvam minimè neceſſarium eſt, eos cum Turca committere, ut cum ipſo litigent. Sufficit enim, ſi ſuam inter ſe dirimant litem. Interim juſta ratione excuſabimur, ſi nullis eorum fidem adhibeamus, ne absqve cauſæ cognitione alicui favere videamur: id enim ab æqvitate eſſet alienum. Qvin etiam ſi fidem ſibi haberi velint, primùm ipſos cùm Evangeliſtis convenire neceſſe fuerit.

Porrò ſic res habet: veſtem illam, cujus cauſa ſors jacta eſt, tunicam fuiſſe, qvam

Græ-

Anno Græci χιτῶνα, vocant. Velim nunc, homines diligenter animadvertere, cujus formæ sit ea, qvæ Argetolii aut Treveris ostenditur. Certè invenient, Argentoilienſem instar eſſe Muſariæ veſtis, qvam chaſulam vocant. Itaq; etſi hominum configerent oculos, perſpiceretur tamen eorum falſitas & qvaſi manibus atrectaretur. Anno

1590. Ut finem faciam huic articulo, qvæſtiunculam libens propoſuero. Nempe, Milites inter ſe veſtimenta Chriſti diviſerunt, ut Scriptura teſtatur. Hoc ab ipſis commodi ſui cauſa factum eſſe, certiſſimum eſt. Indicent mihi nunc, qvis Chriſtianorum redemit à militibus & tunicam, & alia veſtimenta, qvæ alibi, veluti Romæ & Euſtathii, & aliis in locis oſtendantur? Qvomodò Evangeliſtæ ejus obliti ſunt? Eſt enim abſurdum dicere, milites inter ſe veſtimenta partitos eſſe, niſi addatur, à qvibus redemta fuerint, ut tanqvam reliqviæ ſervari poſſent. Ad hæc, qvòd veteres ſcriptores adeò ingrati fuerunt, ut ne verbum qvidem ullum fecerint? Ad ſolvendas iſtas qvæſtiones diem illis præfigo, qvo omnes ſenſu, intelligentiáqve judicio carebunt.

Hoc melius, qvòd cum veſte talos etiam habere voluerunt, qvibus ſors à militibus jacta eſt. Qvorum unus eſt Treveris, alter ad Salvatoris in Hiſpania. In hoc autem genere inſcitiam ſuam prodiderunt. Jactas enim fuiſſe ſortes referunt Evangeliſtæ, qvæ tunc è pileo vel urna ſolebant educi, uti cum hodie fabis eligitur rex, vel Biancha, qvod vulgò ajunt, luditur. Deniqve nemini ignotum eſt, qvomodo ſortes jaci ſoleāt, cum prædia aut hæreditates dividuntur. Beſtiæ vero iſtæ imaginatæ ſunt, ſortes illas fuiſſe talorum ludum, qvi nondum in uſu erat, ſaltem qvalem noſtro tempore habemus. Nam punctorum loco, qvæ noſtris adfixæ ſunt, ſunt certa qvædam habebant ſigna, qvæ hominibus ſuis appellabant, veluti venerem aut canem. Nunc exoſculantur reliqvias ſub hominum tam ineptè mentientium & adeo ſtupidorum fide.

Jam de ſudario tractandum eſt, in qvo adhuc apertiùs cùm impudentiam, tùm ſtoliditatem ſuam prodiderunt. Nam præter ſudarium Veronicæ, qvod Romæ ad Petri oſtenditur; & peplum virginis Mariæ, pudendis Domini, ut ferunt, impoſitum, qvod ad Johannis Laterenſis monſtratur: qvod rurſum eſt Carcaſſonnæ apud Auguſtinienſes; item illud ſudarium, qvo obvolutum eſt caput ipſius in ſepulchro, qvod ibidem exhibetur: ſunt præterea ſex ad minimum urbes, qvæ jactant, ſe integrum ſepulturæ Domini ſudarium habere: veluti Nicea illud, qvod è Camberiaco translatū fuit. Item, Aqvæ in Germania. Item Trajectum. Item Veſontio. Item Cadonium Lemovicum. Item oppidum qvoddam Lotaringiæ Alſatiæ vicinum: præter fragmenta, qvæ hac & illac diſperſa ſunt, veluti ad Salvatoris in Hiſpania, atq; apud Auguſtinienſes Helviorum. Sudarium adhuc integrum prætermitto, qvod eſt Romæ in qvodam mulierum monaſterio: qvoniam Papa ſolenniter illud oſtendi vetuit.

Qværo, annónnvaldè inſanierunt homines, cùm in tam longinqvas regiones magno ſumtu, majore moleſtia excurrerunt, ut panniculum cernerent, de qvo nihil omninò poterant habere certi: ſed potius addubitare cogebantur? Qvisqvis enim ſudarium certo qvodam in loco eſſe putat, cæteros, qvi ſe id habere jactant, accuſat falſi: ut exempli gratia, qvi panniculum qvod fuit Camberiaci, verum eſſe ſudarium credit, Veſontinos, Aqvenſes, Cadonios, Trajectenſes, & Romanos mendacii condemnat, & ſceleris: qvod plebem ad idololatriam impellant, atqve ita ei imponant, ut credat, prophanum panniculum eſſe linteum, qvo redemtoris ſui corpus involutum fuit.

Nunc ad Evangelii teſtimonia veniamus. Parum enim eſſet, eos mutuò à ſe ipſis mendacii coargui, niſi Spiritus S. ipſis repugnans, omnes ſimul ad unum apertè convinceret. Primùm valdè mirum eſt, Evangeliſtas nullam Veronicæ mentionem facere, qvæ faciem Chriſti peplo obſterſit: cùm de mulieribus omnibus loqvantur, qvæ Chriſtum ad crucem comitatæ ſunt. Res qvidem præclara & memoratu digna fuit: faciem Chriſti linteo impreſſam ſtupendo miraculo fuiſſe. Contrà magni videtur eſſe ponderis, aliqvas mulieres Chriſtum ad crucem comitatas nec ullum interim ipſis exhibitum eſſe miraculum. Qvî fit, ut Evangeliſtæ leves iſtas res nec magni adeò momenti referant, præcipuas verò taceant? Eqvidem ſi tale editum eſſet miraculum, ut vulgo imponitur, accuſandus eſſet Spiritus ſanctus aut oblivionis, aut inconſiderantiæ, qvi prudenter eligere neqvivisſet ea, qvæ referri magis conducebant. Hoc habeant pro Veronica ſua: ut cognoſcant omnes, qvàm apertum ſit mendacium, qvod vulgo perſvadere volunt. Qvod attinet ad ſudarium, qvo involutum fuit corpus, ſimiliter eos rogatos velim: cùm Evangeliſtæ diligenter recenſeant miracula, qvæ in morte Chriſti contigerunt, nec qvicqvam prætermittant eorum, qvæ pertinent ad hiſtoriam: qvomodo hoc ita ipſis excidit, ut tam excellens miraculum ſilerent? Nempe effigiem corporis DOMINI linteo, qvo ſepultus fuit, inhæſiſſe. Id enim non minus qvàm alia multa meritò referendum fuit. Cùm etiam Johannes declaret, Petrum ingreſſum in ſepulchrum vidiſſe lintea, in qvibus humatus fuerat, ſeorſim disjecta. De effigie miraculoſa nulla mentio. Non eſt autem exiſtimandum, hoc præclarum

Anno rum DEI opus eum celaturum fuisse, si qvid tale fuisset.

Objicitur & alia dubitatio. Nempè ab Evangelistis nusqvam referri, lintea illa à discipulis aut piis mulieribus extra sepulchrum translata esse, sed potius ibi derelicta fuisse innuunt, licèt non exprimant. Sepulchrum autem à militibus custodiebatur, in qvorum potestate postea linteum fuit. An verisimile est, eos pio alicui dedisse, ut pro reliqviis haberetur? præsertim cùm Pharisæi eos ad perjurium illexissent pecunia, ut sic affirmarent, corpus à discipulis subreptum clàm fuisse.

Omitto, qvòd falsitas solo figurarum, qvas ostendunt, aspectu coargui ac convinci potest. Manu enim hominum depictas esse, facilè perspicitur. Nec possum satis mirari, primùm, qvomodo tam obtusi fuerunt ingenio, ut astutia ad fallendum aptiore caruerint: ac longè magis, qvomodo tam stolidi fuerunt homines, ut sibi oculos perstringi sinerent, ne rem adeò perspicuam intuerentur. Qvin etiam se ad manum pictores habere ostenderunt. Combusto enim uno sudario, aliud perindie in integrum compertum est, qvod id ipsum qvidem esse affirmabant, qvod priùs cernebatur: sed adeò recens erat pictura, ut mendacio non esset locus, si modò oculi ad cernendum fuissent.

Deniqve ut finem faciam, solidissima hac ratione prorsus eorum impudentia convincetur. Qvibuscunqve in locis sacrum se sudarium habere jactant, ibi linteum grande monstratur, qvo tegebatur

p. 791. totum corpus unà cum capite: atqve illic integri & continui corporis effigies conspicitur. Johannes autem Evangelista refert, Christum Judæorum more & ritu fuisse sepultum. Qvalis mos ille fuerit, non solùm percipi potest ex Judæis, qvi etiamnum ipsum observant: sed etiam ex eorum libris, qvibus antiqvus ille mos declaratur. Nempè corpus seorsim ad humeros usqve involvere solitos: deinde caput peplo, qvatuor angulis in nodum collectis, obligare. Qvod etiam exprimit Evangelista, cùm ait, Petrum lintea, qvibus involutum fuerat corpus, ex una parte vidisse: ex altera verò sudarium, qvod impositum fuerat capiti. Talis enim sudarii significatio, ut pro panniculo, qvo absterguntur sudores, aut pro peplo accipiatur: non pro grandi linteo, qvo totum corpus involvi solet: tametsi ego unà cum ipsis voce abusus sum.

Ut paucis concludam: aut Johannem Evangelistam mendacem esse, aut omnes, qvi sudarium habere jactant, falsitatis convinci, necesse est: ut apertè constet, eos nimia impudentia miseræ plebi imposuisse.

Nunqvam finem essem facturus, si omnia ludibria, qvibus utuntur, sigillatim persequi vellem. Romæ ad Johannis Laterensis ostenditur calamus, qvi loco sceptri in manum Christo datus est, cùm in domo Pilati per ludibrium cæderetur. Ibidem ad Crucis ostenditur spongia, qva fel cum myrrha ori ipsius oblatum est. Qvæso, ubi illa recuperata fuerunt? Impii ea habebant in manibus. An præbuerunt Apostolis, ut pro reliqviis asservarent? vel an ea ipsi incluserunt, ut possent in futurum conservari? Qvantum sacrilegium, nomine Christi ad fabulas adeò frigidas obtegendas abuti?

Eadem ratio est denariorum, qvos Judas, ut Dominum proderet, accepit. Refert Evangelista, redditos fuisse ab ipso in synagoga Pharisæorum: inde emtum fuisse agrum, in qvo peregrini sepelirentur. Qvis verò è venditoris manu denarios illos recepit? Si discipulos recepisse dicant, nimis ridiculi erunt. Alius igitur color paullò speciosior est qværendus. Si longo pòst tempore id factum fuisse respondeant, id longè minus coloris habiturum est: cùm per varias manus pervagari, aliisqve admisceri potuerint. Esset igitur ab ipsis commonstrandum, dominum agri ea ratione ipsum vendidisse, ut denarios illos recuperaret, qvos haberet pro reliqviis: aut ut iterum eos venderet fidelibus. De hoc autem nulla unqvam in Ecclesia veteri habita est mentio.

Simile commentum est de gradibus prætorii Pilati, qvæ sunt Romæ ad Johannis Laterensis: cum foraminibus, in qvæ guttas sangvinis à corpore DOMINI decidisse ferunt. Ibidem ad Praxedis ostenditur columna, cui alligatus fuit, cùm flagellis cæderetur: tres verò aliæ ad Crucis, per qvas moriturus circumductus est. Has omnes columnas nescio ubi somniârunt. Hoc certè non dubium, qvin ipsi cerebro suo eas imaginati sint. Nihil enim in tota Evangelii historia de iis legimus. Legitur qvidem cæsum flagellis Christum: alligatum verò fuisse columnæ, eorum commentum est. Perspicietur ergò, nihil aliud hos impostores, qvàm immensum qvoddam mendaciorum pelagus coacervare conatos esse: in qvo tantum sibi licentiæ tribuerunt, ut ex cauda asini, qvò DOMINUS gestatus est, reliqvias fingere non sint veriti: ea enim Genuæ monstratur. Sed eorum impudentia non magis commoveri nos deret, qvàm amentia & stupiditate hominum, qvi summa religione tale ludibrium amplexi sunt.

Hic objicere posset aliqvis, non esse verisimile, reliqvias, qvas jam nominavi, tanta pompa ostendi, qvin simul allegari possit, unde profectæ, & è cujus manu receptæ fuerint? Ad id unico verbo respondere liceat, tam perspicuis mendaciis nullam verisimilitudinem obtendi posse. Qvantumcunq; enim sese Constantini, aut regis Ludovi-

Anno dovici, aut alicujus Papæ nomine muniant: ea omnia nihil ipsos juvant, qvò probent, Christum qvatuordecim clavis affixum cruci: aut septem qvandam integram spineæ coronæ conficiendæ implexam: aut mucronem lanceæ tres alios peperisse: vel tunicam ipsius ita multiplicatam, ut tres productæ sint: vel immutasse formam, ut ex tunica fieret missaria vestis, qvæ nihil habet simile: vel ex unico sudario, tanqvam ex gallinæ pullatione, tantum numerum prodiisse: ac Christum aliter sepultum fuisse, qvàm Evangelistæ referunt.

Si plumbi massam ostendens dicerem: Aurum hoc mihi à tali Principe datum est, meritò demens esse censerer; neqve ob assertionem meam plumbi color aut natura immutaretur, ut aurum fieret. Sic cum dicitur: en qvod Godofredus Biliomius in has regiones misit, postqvàm Judæam subegisset, ratio autem apertè repugnat mendacio, an ita sinemus nobis verba dari, ut non intueamur ea, qvæ oculis nostris patent?

Enimverò ut sciant omnes, qvàm tutum sit fidem adhibere iis, qvæ pro reliqviarum approbatione adducunt: notandum est, præcipuas & maximè authenticas, qvæ Romæ visuntur, à Tito & Vespasiano, ut ajunt, allatas esse. Est autem commentum nihilominùs vafrum, qvàm si diceretur Turca Ierosolymam profectus, ut inde crucem DOMINI Constantinopolim adferret. Vespasianus, priusqvàm Imperator factus esset, partem Judææ subegit ac vastavit: postea cùm Imperium esset adeptus, Titus ejus filius, qvem in Judææ legatum suum reliqverat, Ierosolymam cepit. Erant autem Ethnici, qvibus non magis curæ erat Christus, qvàm qvi nunqvam natus esset. Itaqve judicari potest, annon perinde audacter ausi sint mentiri, cùm Godefredum Biliomium, aut Regem Ludovicum allegârunt, qvàm cùm Vespasianum authorem laudant.

Præterea, qvo judicio præditi fuerint, animadvertant, cùm Rex ille, qvem Ludovicum vocant, tum ejus similes. Erat qvidem in illis species religionis, & zelus qvalifcunqve propagandi nominis Christiani. Sed si caprarum stercora eis ostensa fuissent, ac simul dictum fuisset, coronas esse divæ Mariæ: ea sine contentione ulla adorassent, vel importassent suis navibus aliqvo in loco honorificè collocanda. Ac certè & opes, & corpora sua consumserunt, atqve etiam ditiones suas bona ex parte exhauserunt, ut acervum nescio qvem nugarum & minutiarum referrent, qvibus fascinatæ erant ipsorum mentes, qvod preciosissima monilia esse existimarent.

1728. Ut clariorem adhuc rei demonstrationem præbeam: notandum est, in universa Græcia, Asia minori, & Mauritania, qvæ vulgò Indorum regio vocatur, Antiqvaria, qvæcunqve miseri illi Idololatræ habere se putant, ostendi cum magna affirmatione; qvid de illis atqve iis judicandum est? Dicent nostrates, illinc reliqvias esse? Christiani, qvi adhuc illinc morantur, eas se habere affirmant, stultam nostram jactationem rident. Qvomodo lis ista dirimi poterit sine inqvisitione, qvæ fieri nullo modo potest, nec unqvam fiet? Qvamobrem unicum remedium est, spretis utrisqve, rem, ut est, in statu suo relinqvere.

Ultimæ reliqviæ, qvæ ad Christum pertinent, sunt, qvæ ipsius resurrectionem seqvuntur: veluti piscis assi frustum, qvod Petrus ei obtulit, cùm ad littus maris ipsi apparuisset. Verum mirabili condimento ipsum aspergi oportuit, ut tam diuturno temporis spacio servari posset. Sed, prætermissis jocis, an existimandum est, Apostolos ex eo reliqvias fecisse, qvod prandii causâ paraverant? Qvisqvis apertam hîc irrisionem DEI non perspiciet, eum ut belluam ampliore monitione indignam relinqvo. Est præterea miraculosus sangvis, qvi ex pluribus hostiis manavit: ut Lutetiæ ad Johannis Arenarii: item ad Johannis Angelici: item Divioni & plerisqve aliis in locis.

Atqve ut acervum majorem efficerent, sacrum cultellum addiderunt, qvo Lutetiæ à Judæo qvodam hostia transfixa fuit, qvem miseri Parisienses majori reverentia, qvàm hostiam ipsam proseqvuntur. Qvod Doctor à qvercu iniqvè ferens (nam cùm parochiam teneret D. Johannis Arenarii, donaria, qvæ hostiæ offerebantur, illi obveniebant: qvantum dabatur cultello, tantum ex ejus lucro minuebatur) Judæis clamitabat esse deteriores ipsos, qvod adorarent cultellum, qvi violando sacrosancto corpori Christi instrumentum fuerat. Hoc adduxi, qvoniam idem dici potest de lancea, clavis ac spinis: nempe omnes, qvi ea adorant, ex sententia Magistri nostri à qvercu, scelestiores esse Judæis, qvi Christum crucifixerunt.

Similiter ostenduntur pedum vestigia, qvæ solo impressit, cùm nonnullis post ascensionem appareret: veluti Romæ ad Laurentii in eo loco, ubi Petro factus est obvius: eiqve prædixit, ipsum passurum Romæ. Aliud Pictavii ad Radegondæ. Aliud apud Svessiones. Aliud Arelatæ. Non disputo, an Christus pedis sui vestigium lapidi imprimere potuit: sed de facto tantùm disputo: ac dico, cùm nulla adsit probatio legitima, totum id pro fabula habendum esse. Sed præstantissimum in hoc genere specimen est natium forma, qvæ Rhemis in lapide post majus altare visitur. Idqve evenisse Anno

nisse

Anno nisse ajunt eo tempore, qvo Dominus latomus factus est, ut atrium illius ædificaret. Blasphemia hæc adeò execrabilis est, ut de ea loqvi me pudeat.

Pergamus igitur, & dispiciamus, qvid de imaginibus ipsius dicatur: non de iis, qvæ vulgò à pictoribus fiunt, aut sculptoribus & fabris; earum enim est infinitus numerus: sed de iis qvæ præcipuam aliqvam dignitatem habent: singularesqve & preciosæ habentur, ceu reliqviæ. Harum a. 2. sunt genera. Nonnullæ enim per miraculum factæ sunt: ut qvæ Romæ ostenditur ad Mariæ, qvæ vocatur in portice. Item alia ad Johannis Laterensis. Alia, in qva effigies Domini, cùm duodecim annorum esset, depicta est. Item alia apud Lucenses, qvam ab Angelis effictam esse ajunt, & vocatur vultus sanctus.

Fabulæ sunt adeò futiles, ut operam lusurus sim, ac mihi nimiùm ridiculus & ineptus videar, si iis refutandis insistam. Qvamobrem obiter eas notasse sufficiet. Nemo enim ignorat, picturam ad Angelorum munus minimè pertinere: atqve Dominum longè aliter à nobis cognosci velle, atqve in memoriam nostram reduci, qvàm per mortuas imagines.

Eusebius refert in historia Ecclesiastica, eum regi Abagaro imaginem suam ad vivum depictam misisse. Verùm id haud plus certitudinis habet, qvàm aliqvod ex Chronicis Melusinæ commentum. Sed tametsi ita esset, qvomodo eam ab Abagaro rectè nacti sunt? Romæ enim eam se habere jactant. Non dicit Eusebius, illam ad sua usqve tempora integram mansisse: sed ex auditu tantum loqvitur, tanqvam de re longo jam antè tempore transacta. Credibile scilicet, eam sexcentis aut septingentis postea annis suscitatam, atqve è Persia Romam usqve venisse.

Eodem modo crucis imagines fabricati sunt ut corporis. Nam Brixiæ jactant eam se crucem habere, qvæ Constantino apparuit. De qva adversus eos mihi non est litigandum: sed eos mitto ad Curtonenses, qvi eam apud se esse constanter asseverant. Litigent ergò inter se. Qvi litem obtinuerint, tunc prodeant, eisqve respondebitur. Qvanqvam facilis sit responsio, qva dementiæ convinci possint. Nam qvod scriptores nonnulli dixerunt, Constantino crucem apparuisse, de cruce materiali intelligendum non est: sed de figura, qvæ per visionem ipsi in cœlo exhibita fuit. Qvamvis igitur id verum esset, tamen perspicitur, eos nimis stupidè aberrasse. Itaqve imposturas suas absq; fundamento extruxerunt.

Qvod attinet ad secundam speciem imaginum, qvæ pro reliqviis habentur ob qvædam miracula, qvæ ediderunt, in hoc numero sunt imagines crucifixorum, qvibus barba crescit: ut qvæ Burgnis in Hispania. Item ad Salvatoris & Aurendiæ. Si in hoc insistam, ut demonstrem, qvantæ sit dementiæ aut potiùs qvàm belluinæ stupiditatis, id credere, ridiculus ero. Est enim res adeò per se adsurda, ut in ea refutanda operam consumere minimè necesse sit. Tamen misera plebs adeò hebes est, ut major pars non minùs certum id esse putet, qvàm Evangelium. In hunc ordinem redigo crucifixorum imagines, qvæ locutæ sunt: qvorum magna est multitudo. Sed exempli causa unâ contenti simus: ea scilicet, qvæ est ad D. Dionysii in Francia. Locuta est, inqviunt, ut dicatam esse Ecclesiam testaretur. Anno p. 79...

An rei magnitudo id posceret, cogitandum relinqvo? Sed adhuc qværo: qvomodo crucifixi imago tunc in templo esse potuit, cùm in dedicatione omnes imagines soleant è templis erui? Qvomodo sese tunc subfurata est, ne cum cæteris transferretur? Videmus sanè, nihil eos negotii sibi esse putasse in fallendo mundo, cum pro nihilo duxerint, si apertè sibi ipsi repugnarent: sed illis satis fuit, mendacia pleno ore evomere: minimè præcaventes ea, qvæ objici poterant.

Deniq; sunt & lachrymæ: una Vindonici, alia Treveris, alia apud D. Maximum, alia Aureliæ ad Petri puellaris, præter eas, qvæ mihi sunt incognitæ. Aliæ, ut ajunt, sunt naturales: ut ea apud D. Maximum. Nam juxta eorum Chronicon decidit Domino, cùm Apostolorum pedes ablueret. Aliæ sunt miraculosæ, qvasi credendùm sit, ligneas crucifixi imagines adeò stomachosas esse, ut lachrymentur. Verùm eis hæc culpa ignoscenda est. Ipsos enim puduit, minora à suis, qvàm ab Ethnicorum statuis, effici. Fingebant autem Ethnici, Idola sua interdum lachrymari. Itaqve hæc illis jure adjungi, & in eundem ordinem redigi possunt.

Qvod ad Virginem Mariam spectat, qvia corpus ejus in terris esse negant, adempta est eis occasio jactandi, se ossa ipsius habere. Alioqvin eos nobis persvasuros fuisse arbitror, corpus ei tantæ fuisse magnitudinis, ut sacrophagum mille cadaverum implere posset. Etenim, qvod in toto corpore negabatur, id sibi vendicaverunt in capillis & lacte. Capilli aliqvi monstrantur Romæ ad Mariæ supra Minervam: ad Salvatoris in Hispania, Matisconæ, Cluniaci, Nuceriæ, ad Sanfloridi, ad Saniacqverii, ac plerisqve aliis in locis. Locos autem annumerare, ubi lac ostenditur, non necesse est. Nullus enim esset operi finis. Nec enim ullum est tam parvum oppidulum, nullum tam vile Cœnobium, sive Monachorum, sive monialium, ubi non aliqvid monstretur: plus in nonnullis, in aliis minus: non qvòd eos puduerit jactare, se plenas habere amphoras: sed qvia videbatur, tectius eorum

Anno rum fore mendacium, si tantulum haberent: qvantum in exigua pyxide aut vitrea aut crystallina posset contineri: ne res propiori aspectui pateret.

Verùm etsi sanctissimæ virgini mammæ ditentiores fuissent, qvàm vaccæ, ac toto vitæ suæ tempore nutrix fuisset, vim tamen tantum lactis reddere potuissent. Rursum libenter qværerem, qvomodo lac istud, qvod hodie monstratur ubiqve, colligi potuit, ut in tempus nostrum servaretur? neminem adeò curiosum fuisse, legimus. Legimus qvidem, Pastores adorasse Christum: Magos ei munera obtulisse: sed nusqvam legimus, eas lac abstulisse loco præmii. Refert Lucas id, qvod Simeon virgini prædixit: petiisse verò lac à virgine, non refert. Si tantum hoc spectetur, majore argumentatione opus non est: qvò patefiat, qvàm alienum sit ab omni ratione hoc delirium, atqve omni specie careat. Mirùm profectò, qvòd istis in mentem non venerit, ei amputare ungves, aliaqve ejusmodi, cum nihil aliud de ejus corpore nancisci possent: sed non omnium fortasse memores esse potuerunt.

Cætera, qvæ habere se jactant, de reliqviis virginis, sunt de ejus sarcinis aut supellectilibus. Primùm Carnutis est qvædam interula, qvæ idolum est satis celebre: alia etiam Aqvis, in Germania. Unde eas nacti fuerint, prætermitto. Nam certissimum est, Apostolos, cæterosqve pios homines, non tam stolidos fuisse, ut animum in rebus adeò frivolis occuparent. Verùm inspiciatur tantummodò forma: ac protinus cedam, nisi oculis ipsis eorum impudentia cernatur.

Cùm Aqvis in pompa circumfertur interula, qvam ibi esse diximus: appenditur perticæ æqvè longæ, ut alba sacerdotalis, qvam vocant. Atqvi licet Virgo Maria fuisset ex Gigantum progenie, vix tamen adeò grandem interulam gestasset. Ut autem reddatur illustrior, simul feruntur D. Josephi caligulæ, qvæ puero porsus aut nano aptæ forent. Vetere proverbio dicitur, mendacem memorem esse oportere, ne oblivione lapsus, in seipsum impingat. Malè profectò observata ab eis fuit hæc regula, cùm de proportione inter caligas viri & interulam uxoris constituenda non cogitaverint.

Nunc excurrant homines, cum summa religione exosculatum tales reliqvias, qvæ nullam omninò speciem veritatis habent.

Pepla duo tantum scio, unum Treveris ad D. Maximi, alterum Lisii in Italia. Sed animadverti vellem, cujus telæ sint: simulqve an eo tempore in Judæa talis formæ usus fuerit. Vellem etiam, ambo inter se conferri: ut, qvæ sit inter ea similitudo, cerneretur. Est autem Bononiæ qvoddam ejus pittacium.

Qværet ex me aliqvis, an id commentitium esse putem? Respondeo, me idem existimare qvod de eo cingulo, qvod Pratæ: item de eo, qvod est ad Mariæ Montis serrati: item de crepidis, qvæ est apud Saniacqverium: item de calceo, qvi apud Sanflo-ridum esse fertur. Qvod si nihil esset aliud nemo vel mediocri prudentia præditus ignorat, talem piorum morem non fuisse calceos & caligas colligendi, qvò ex iis reliqvias facerent: neqve ullam eorum plus qvàm qvingentis post virginis decessum annis, habitam esse mentionem. Qvid igitur majore disceptatione opus est? Ac si res esset dubia. Anno

Qvin etiam hoc sanctissimæ virgini imponere voluerunt: eam scilicet ornandi sui & comæ pectendæ valdè curiosam fuisse. Duos enim ostendunt ejus pectines: unum Romæ ad Martini: alterum Vesuntii ad Johannis: præter eos, qvi alibi etiam ostendi possunt. Nisi id sit virginem sacrosanctam ludibrio habere, qvid sit ludibrium, non intelligo. p.794.

Nec verò obliti sunt annulli sponsaliorum. Habetur enim Perusii. Qvia nunc cum morem servamus, ut vir in Sponsione facienda cum uxore eam donet annulo: talem etiam eo tempore fuisse, imaginati sunt, ac majore inqvisitione neglecta, pulchrum & pretiosum annulum in hunc usum statuerunt: nec considerârunt inopiam, in qva virgo Sanctissima vitam transegit.

De vestibus ejus nonnullæ Romæ habentur ad Johannis Laterensis, ad Barbaræ, ad Mariæ supra Minervam, ad Blasii: item ad Salvatoris in Hispania, saltem fragmenta qvædam sese habere jactant. Audivi etiam alia loca nominari: sed eorum minimè recordor. Tantùm materiam vestium inspici oporteret, qvò falsitas deprehendatur.

Ipsis enim visum est, tam facile esse virginem suo arbitrio vestire, qvàm Idola sua, qvibus subinde novos ornatus fingunt.

Superest, ut de imaginibus loqvar: non de vulgaribus, sed de iis, qvæ præter cæteras singulari aliqva dote commendantur. Imponunt autem Lucæ: ipsum qvatuor Romæ depinxisse in eo loco, ubi nunc templum est Mariæ, qvæ vocatur inviolata: qvarum una illic in sacrario monstratur: eamqve devotioni suæ, ut ajunt, aptavit cum annulo, qvo Joseph eam sibi desponderat. Altera ostenditur Romæ ad Mariæ Novæ, qvam etiam à Luca Troade effictam ferunt: ac postea illuc ab Angelo importatam. Tertia ad Mariæ, qvæ dicitur Ara cœli: ea forma, qva prope crucem erat. Verùm ad Augustini præcipuam omnium se habere jactant: nam si fides ipsis adhibeatur, ea est, qvam Lucas secum perpetuò gerebat: ita ut & eam in sepulchro suo defodi voluerit.

Obs-

Anno Obsecro, qvanta hæc blasphemia est, ex sacrosancto DEI Evangelista nefarium Idololatram effingere? Qvid verò habent coloris, qvo Lucam pictorem fuisse persvadeant? Paulus qvidem ipsum Medicum vocat. Pingendi verò artem undè isti affinxerint, prorsus ignoro. Qvòd si verum esset, hoc artificio usum esse: nihilo tamen verisimilius fuerit, ipsam virginem Mariam, qvàm Jovem, aut Venerem, aliudvé idolum pingere maluisse. Non fuit certè tunc in more Christianis idola habere: sed longo pòst tempore is usus invaluit, dum Ecclesia superstitionibus corrupta est, & tamen referti omnes orbis anguli imaginibus, qvas à Luca depictas esse ferunt: veluti Cammeraci ac plerisqve aliis in locis. Sed qvali specie? Tam honesta, ac si qvis impudicam fœminam depingeret.

Sic eos excæcavit DEUS, ut non major fuerit in ipsis, qvàm in bestiis mutis consideratio. Qvanqvam haud ita mirum mihi videatur, qvòd Lucæ virginis imagines attribuerint, cùm idem similiter Jeremiæ ausi sint imponere. Cujus impudentiæ testis est puteus Arvernorum. Jamjam, ut arbitror, miseros homines oculos recludere, ac rem tam perspicuam cernere, tempus fuerit.

De Josepho dicere omitto: cujus nonnulli crepidas, ut Treveris in cœnobio Simeonis, alii caligas, ut jam diximus: alii ossa habent. Sed exemplum qvod jam protuli, mihi sufficit, qvò tanta stoliditas detegatur.

Hìc D. Michaëlem subjungam, ut virginem Mariam comitetur. Ego verò jocari videbor, si de angeli reliqviis recitem. Comœdi enim & histriones ipsi hæc irriserunt. Sed non propterea desierunt impostores Monachi & sacrifici populum seriò fallere. Carcossonenses enim jactant, se ejus habere reliqvias: similiter & Turonenses ad Juliani: ad Magni verò Michaëlis, qvi peregrinorum confluxu adeò freqvens est, ostenditur ejus sica, pugioni puerili persimilis: atqve etiam clypeus ei valdè accommodatus. Est enim similis cucurbitulis æreis, qvæ frenis eqvorum affigi solent. Nemo profectò hominum aut etiam muliercularum tam habes, cui, qvàm ridicula hæc sint, non pateat. Sed qvia sub religionis velo tecta sunt hæc mendacia: DEUM & Angelos irridere, malum non videtur.

At objicient, scripturis testatum esse, Michaëlem pugnasse adversus diabolum; verùm si ense vincendus esset diabolus, validiore & acutiore opus foret, qvàm ille sit. Suntné adeò belluini, ut existiment, bellum, qvod cùm Angeli, cùm fideles gerunt adversus diabolos, carnale esse, atqve sicis & mucronibus confici? Verùm illud est, qvod ab initio dixi, mundum id egregie commeritum esse, ut belluina hac stupiditate seduceretur: cùm adeo perversa hac cupiditate flagraret, idola & imagunculas, DEI loco adorandas, undiqve coacervandi. Anno

Ut ordinem servemus, nunc de Johanne Baptista tractandum est, qvi juxta historiam Evangelii, id est, veritatem DEI, postqvàm capite plexus esset, à discipulis suis humatus est. Theodoretus refert, sepulchrum ejus, qvod erat Sebastæ, Syriæ oppido, aliqvanto postea tempore ab Ethnicis apertum, ossa fuisse exusta, & cineres in aërem sparsos: tametsi addit Eusebius, Ierosolymitanos qvosdam supervenisse, qvi clàm inde aliqvid subripuerunt, & tulerunt Antiochiam, qvod postea Athanasius intra murum inclusit: p.795. Caput verò Sozomenus scripsit à Theodosio Imperatore Constantinopolim delatum fuisse. Qvamobrem, ut veteres historiæ testantur, totum corpus, demto capite, exustum fuit, ac perierunt ossa & cineres omnes, præter exiguam qvandam portionem, qvæ clàm ab Ierosolymitanis subrepta est.

Nunc qvæ de eo extent, videndum: Ambiani se faciem habere gloriantur: & in larva, qvam ostendunt, vulnus apparet, qvod Herodiadem cultro inflixisse dicunt, [illegible] repugnant Johannis Angelici incolæ, atqve eandem partem ostendunt. Reliqvum verò capitis, nempe à fronte ad cervicem usqve erat qvondam in Rhodo, nunc verò ut arbitror Melitæ. Saltem ejus ordinis fratres simulaverunt, sibi à Turca fuisse redditum. Occiput est Nemorosi: cerebrum Novii Rantzoviensis. Sed nihilominùs ad Johannis Morienni pars capitis habetur. Est etiam ejus mandibula Vesontionæ ad Johannis Majoris. Altera pars est Lutetiæ, ad Johannis Laterensis, & extremum auriculæ ad Sanflorini in Arvernia. Frons verò & capilli, in Hispaniâ ad Salvatoris. Est etiam Novioduni frustum aliqvod, qvod magnifico apparatu ostendi solet. Qvædam etiam pars (qvalis ea sit, ignoro) Lucæ habetur.

Hæcciné ita sunt? Nunc eatur Romam: & in Sylvestri cœnobio integrum Johannis caput esse audietur. Fingunt Poëtæ, qvondam in Hispania regem, nomine Gerionem, fuisse tricipitem: si nostri reliqviarum fabricatores idem de Johanne Baptista dicere possent, id ipsis ad juvanda mendacia sua valdè commodum esset. Sed cum non sit huic fabulæ locus, qva excusatione utentur? Nolo autem ipsos adeò urgere, ut qværam, qvomodo sic minutatim concisum fuerit caput ipsius, ut in tot tamqve varios locos dividi posset. Hoc qvomodo ipsum nacti sint è Constantinopoli. Solùm dico, Johannem nostrum fuisse oportere, aut istos impostores esse impudentes, dum tot ejus capitis fragmenta ostendunt.

At

Anno At, qvod deterius est, Senenses se ejus brachium habere jactant: qvod veteribus historiis omnibus, ut jam diximus, repugnat. At nihilominus toleratur hæc impostura, imò etiam approbatur, ut in Antichristi regno nihil censetur malum, dummodo populum in superstitione retineat.

Aliam præterea fabulam excogitârunt: nempe, cùm ejus corpus exustum fuit, digitum, qvo Christum monstraverat, mansisse, nec ullo modo fuisse violatum. Hoc autem veteribus historiis non solùm consentaneum non est, verùm etiam ex ipsis facilè potest coargui. Eusebius enim & Theodoretus nominatim referunt, corpus ad ossa usq; consumtum fuisse, cùm Ethnici ipsum rapuerunt. Nec certè talis miraculi obliti essent, si accidisset. Nam alioqvin in referendis talibus nugis plus satis curiosi sunt. Sed tametsi hoc verum foret, ubi sit digitus iste, paulisper audiamo. Unus est Vesontionæ ad Joannis Magni: Tholosæ alius: alius Lugduni: alius Biturigibus: alius Florentiæ: alius ad Joannis fortuiti propè Matisconem.

Hic nihil aliud dico, qvàm qvòd lectores omnes rogatos velim, adversus monitionem adeò certam & perspicuam animum obdurent: ne in tam clara luce claudant oculos, qvo tanqvam in tenebris seduci se patiantur. Si præstigatores essent, à qvibus ita fascinarentur oculi nostri, ut digiti in una manu sex esse viderentur, tamen eò usqve essemus circumspecti, ut cautionem adhiberemus adversus imposturam: hic autem nullus est ingeniosus astus: tantùm hoc agitur, an credere velimus, D. Joan. digitum esse Florentiæ, & qvinqve aliis in locis (idem de Lugduno, & Biturigibus & reliqvis.) Vel ut paucioribus dicam, an velimus credere, sex digitos non nisi unum esse, aut unicum esse sex.

De iis tantùm, qvæ mihi cognita sunt, verba facio. Nec dubito, si inqvireretur diligentius, adhuc totidem alibi repertum iri. Capitis certè alia adhuc fragmenta reperirentur, qvæ taurini capitis magnitudinem superarent. Verùmne qvid prætermitterent, finxerunt etiam, se ejus habere cineres, qvorum partem Genuæ, alteram Romæ ad Joannis Laterensis esse ferunt. At legimus, eos per aëra sparsos fuisse: ac nihilominùs jactant, se bonam eorum partem habere, ac præsertim Genuenses.

Nunc restant ea, qvæ proximè ad corpus accedunt: veluti calceus, qvi Lutetiæ est apud Carthusianos, qvi duodecim aut tredecim annos subreptus fuerat: sed repentè prodiit recens alius. Et sanè qvàm diu supererunt calcearii, non deerunt tales reliqviæ. Romæ ad Joannis Laterensis jactant se ejus habere cilicium, de qvo in Evangelio nulla fit mentio: nisi qvòd refertur, eum pilis cameliorum indutum fuisse, vestem in cilicum convertere volunt. Ibidem ajunt se aram habere, super qva in deserto precabatur: ac si eo tempore altaria ex omni occasione, & qvovis in loco erigere soliti fuissent: mirum etiam, qvod nihil de missæ celebratione ei imponunt. Avinione est ensis, qvo ipsi caput amputatum fuit: Aqvis in Germania linteum, qvòd sub ipso extensum est, cùm decollatus fuit. Anno

Eqvidem unde tanta spiculatori comitas, libenter scire velim: qvi tam benignus ei fuit, ut solum carceris tapetis sterneret, cùm vellet eum tam ignominioso mortis genere afficere: Nonne absurdæ stoliditatis est id comminisci? Enimverò qvomodo ista ad eorum manus pervenerunt? Qvàm verisimile est, eum, à qva interemtus fuit, sive satelles esset sive spiculator, linteum dedisse & gladium suum, ut ex iis fierent reliqviæ? Cùm adeò absolutum omni ex parte reliqviarum acervum cogere vellent, graviter peccaverunt in eo, qvòd Herodiadis cultrum prætermiserunt, qvo vulnus oculo ejus inflixerat: præterea omnem sanguinem qvi effusus est, atqve adeò sepulchrum ipsum: verùm ego ipse falli possem. Nec enim scio, an alibi præclara ista monilia reperiantur. p. 796.

Nunc prodeant suo ordine Apostoli. Sed qvia multitudo confusionem parere posset, de Petro & Paulo primùm agemus separatim, deinde de cæteris. Romæ sunt eorum corpora: dimidia pars ad Petri, altera ad Pauli: atqve Silvestrem ea liberâsse ajunt, ut æqvales utrinqve partes distribueret. Utriusqve caput est etiam Romæ ad Joannis Laterensis: tametsi in eodem templo unus è dentibus Petri separatim habeatur.

Cùm hæc ita sint, non tamen eorum ossa ubiqve esse definunt: velutiPictavii mandibula Petri habetur cum barba: Treveris utriusq; ossa permulta: Argentonæ Biturigum Pauli humerus. Sed qvis unqvam finis erit? Ubicunqve enim templa extant iis dicata, ibi etiam sunt eorum reliqviæ. Si qvales sint qværatur, revocetur in memoriam, qvale fuit cerebellum D. Petri, de qvo priùs sum loqvutus, qvod erat ad majus altare hujus civitatis, qvemadmodum pumicem esse compertum est: sic permulta reperirentur aut eqvorum aut canum ossa, qvæ duobus hisce Apostolis tribuntur.

Corpora subseqvuntur eorum appendices. Ac Salvatoris in Hispania crepida habetur, de cujus forma & materia respondere neqveo: sed existimandum, hoc mercaturæ genus simile esse iis qvæ Pictavii habentur, qvæ ex serico rasò sunt, & auro segmentatæ. En ut splendidè ornatur post mortem: ut paupertas (in qva vitam egit) sarciatur! Qvoniam hujusce temporis Episcopi, dum pontificalem majestatem

 repræ-

Anno repræsentant, ita lautè vestiuntur: derogare sibi viderentur Apostolorum dignitati, nisi idem ipsis affingerent. Pictores qvidem imagunculas effingere possunt sub arbitratu, ipsas inaurando, variosq; à capite ad calcem adhibendo ornatus: deinde nomen Petri aut Pauli, aut qvale ipsis visum est, tribuendo: sed non ignoratur, qvo vestium genere in hoc mundo fuerint induti: haud alio scilicet, qvam inopes homines.

Est etiam Romæ Episcopalis Cathedra Petri cum veste sacerdotali ad Missam celebrandam. Qvasi verò eo tempore Episcopi thronos habuerint, in qvibus sederent. At eorum potius officium fuit docere, consolari, exhortari, & publicè & privatim, ac veræ humilitatis exemplum præbere gregi suo: non se populo adorandos ostentare, sicuti nostri temporis præsules facere solent. Qvod ad vestem Missariam attinet, non introductus erat mos ille, histrionum in morem se larvandi. Nec enim in Ecclesia, sicuti nunc, agebantur tabulæ. Itaqve ut, Petrum Missaria veste indutum fuisse, probent, priùs ipsum, sacerdotum Papisticorum more, cùm Deum colere vellet, histrionem egisse, commonstrandum fore, putabant. Missariam qvidem vestem ei tribuere potuerunt, cùm etiam altare ipsi assignaverint: sed neutrum eorum plus altero coloris habet.

Qvales tunc Missæ celebrabantur, ignotum non est. Nam Apostoli suo tempore cœnam Domini tantùm celebrabant, cui altare necessarium non fuit. Qvalis bellua esset Missa, omninò ignorabatur: nec multo pòst tempore scitum est. Hinc perspicuum, eos, dum reliqvias suas fabricati sunt, neminem sibi adversaturum, credidisse: cùm ita impudenter ac dissolutè ausi sint mentiri: qvanqvam nec de altari isto inter se conveniant. Romani enim id se habere affirmant. Pisani itidem ipsum monstrant in suburbio, qvod ad mare vergit. Ut autem undiqve lucrum colligerent, gladium, qvo auris Malcho abscissa est, minimè prætermiserunt: ac si lepidum aliqvod monile & reliqvario dignum foret. At verò pedum ejus omiseram, qvod Lutetiæ monstratur ad Stephani, cui à saxis nomen est: qvod tanti æstimandum est, qvanti aut altare, aut vestis Missarica: eadem enim est ratio. Ejus autem scipio plus aliqvanto speciei habet. Nam existimandum, tali ipsum baculo armatum fuisse, dum iter faciebat.

Sed disturbant omnia, dum ipsi inter se convenire non possunt. Colonienses enim apud se esse constanter asseverant: similiter & Treveri. Ita dum se invicem mendacii arguunt, magnam occasionem præbent, ut utrisqve fides derogetur. De cathena Petri, qva ligatus fuit, dicere omitto. Ea ostenditur Romæ in æde ipsius: item de columna, super qva capite truncatus est: qvæ monstratur ad Anastasii. Tantùm lectoribus cogitandum relinqvo, unde accepta est cathena illa, ut ex ipsa fierent reliqviæ? item, utrum eo tempore super columnis supplicia de hominibus sumerentur.

Nunc de cæteris Apostolis unà tractabimus, qvo citiùs absolvamus nos. Ac primùm recitabimus, ubi integra sint eorum corpora: ut, utriusq; facta inter se comparatione, qvid certi ex eorum dictis colligi possit, judicetur. Nemo ignorat, Tholosatos existimare, se ex iis habere sex: nempe Jacobi majoris, Andreæ, Jacobi minoris, Philippi, Simonis, & Judæ. Pitavii est corpus Matthiæ. Salernæ corpus Matthæi. Orthonnæ verò Thomæ. Neapoli, aut circa eam regionem, Bartholomæi. Nunc, qvi eorum duo aut tria corpora habuerint, animadvertamus. Andreas enim Melphis alterum habet corpus. Philippus & Jacobus minor uterqve alterum corpus Romæ ad S. Apostolos. Simon & Judas itidem ad Petri. Bartholomæus etiam Romæ in æde ipsi dicata. En igitur sex, qvibus bina singulis sunt corpora. Atq; etiam auctarii loco Pisis ostenditur pellis Bartholomæi.

Matthias tamen reliqvos omnes exsuperat: est enim ipsi Romæ corpus ad Mariæ majoris: est & tertium Treveris: præterea ipsi est aliud separatim caput, & brachium separatim, idq; etiam Romæ. Frusta verò, qvæ de Andrea hic atqve illic habentur, dimidia saltem ex parte id compensant. Romæ enim ad Petri est ei caput: ad Grisogoni est humerus: ad Eustachii costa: ad Spiritus brachium: ad Blasii pars qvædam alia: Aqvis sextiis pes unus: ex iis simul conjunctis fient duæ qvartanæ corporis partes, modò æqva proportione aptari inter se possint. Ut autem Pisis Bartholomæus reliqvit pellem, sic & alteram manum: Treveris nescio qvod aliud membrum: Frenis digitum: Romæ etiam ad Barbaræ qvædam aliæ extant ejus reliqviæ. Itaqve non adeo est inops, qvin abundet. Cæteris non sunt tantæ copiæ.

Singulis tamen adhuc aliqvod frustum abundat. Est enim Philippo pes vnus Romæ ad S. Apostolos: atqve etiam Barbaræ nescio qvid reliqiarum. Præterea etiam Treveris. In postremis duobus hisce templis Jacobum habet pro socio: cui similiter est caput ad Petri, & brachium unum ad Grisogoni: item alterum ad S. Apostolos. Matthæus & Thomas pauperiores cæteris restiterunt. Ille enim præter corpus nihil habet: nisi ossa qvædam Treveris, & brachium Romæ ad Marcelli, & caput ad Nicolai: nisi forte mihi aliqvid exciderit, qvod fieri potuit. Qvis enim in tanta abysso non obturbetur?

Qvia in Chronicis suis, corpus Joannis Evan-

Anno Evangelistæ evanuisse, comperiunt, simul atqve humi defossum fuerat: ejus ossa proferre minimè potuerunt: sed ut, qvod ea in parte deerat, supplerent alia ratione: irruerunt in ejus sarcinas. Ac primùm eis in mentem venit calix, in qvo venenum bibit, cum à Domitiano damnatus esset: sed qvia duæ civitates eum apud esse voluerunt: aut credendum omninò, qvod Alchumistæ ajunt de multiplicatione, aut isti cum calice suo mundum ludibrio habuerunt. Unus est Bononiæ: alter Romæ ad Joannis Laterensis. Postea tunicam commenti sunt, & cathenam, qva constrictus erat, dum vinctus duceretur ab Ephesо: una cum Oratorio, ubi, dum in vinculis esset, præcabatur.

Libenter scirem, an tunc fabros lignarios conduxerat, qvi oratoria ei construerent: item, qvid familiaritatis erat Christianis cum custodibus, ut ab eis cathenam nancisci, & in reliqviarum numerum collocare possent? Stolidia nimiùm sunt hæc ludibria: etiamsi ludendis pueris fabre facta essent.

Sed monile omnium lepidissimum est duodecim pectinum Apostolicorum, qvi ad Mariæ Insulanæ prope Lugdunum monstrantur. Puto qvidem, initiò illic fuisse collocatos, ut existimarentur ad duodecim pares Franciæ, pertinuisse: sed adaucta postea fuit eorum dignitas, & apostolici facti sunt.

Cætera paucis expedienda erunt. Nam alioqvi nunqvam hanc sylvam egredemur. Paucis igitur recitabimus, qvæ habeantur reliqviæ Sanctorum, qvi tempore Christi vixerunt, deinde veterum martyrum atq; etiam reliqvorum. Ex eo lectores, qvid censere debeant, judicabunt.

Anna, mater virginis Mariæ, unum è corporibus suis habet Aptæ, oppido Provinciæ: alterum ad Mariæ Insulanæ Lugduni. Præterea unum è capitibus Treveris: alterum Tureni apud Juliacenses, tertium in oppido Turingiæ, qvod ab ea nomen habet. Omitto fragmenta, qvæ habentur plus qvàm centum in locis. Inter cætera memini, me olim partem qvandam Ursicampi, qvod est cœnobium in agro Noviodunensi, exosculatum esse: atq; illic magna reverentia colitur. Deniqve alterum brachiorum ejus est Romæ ad Pauli. Constituatur hîc fundamentum aliqvod, si fieri potest.

Seqvitur deinde Lazarus, & Magdalena soror ejus. Is porrò tria tantum, qvod sciam, habet corpora. Unum Massiliæ: alterum Augustoduni, Avalonæ tertium. Magna qvidem inter Augustodunenses & Avalonenses controversia fuit. Sed magnis sumtibus ultrò citroqve factis, perinde utriq; qviescunt, atq; causa evicta, saltem in possessione tituli permansêre. Qvia verò Magdalena mulier erat, eam fratre inferiorem esse opportuit, ideoqve duo tantùm habuit corpora: Qvorum unum est Veseli prope Altissiodorum: alterum est majoris Pronominis apud Sanmaximinum oppidũ Anno Provinciæ: ubi caput separatum est, cum suo Noli me tangere: qvod frustum ceræ est: ac tantum existimatur nota esse Christi, qvam ei iratus impressit, qvòd ipsum vellet attingere. Non refero reliqvias tum ossium tum capillorum ejus, qvæ sparsæ sunt per universum orbem.

Qvi de his omnibus certi aliqvid habere vellet: primùm inqvireret, an Lazarus ac Marta & Magdalena ejus sorores unqvam venerint in Galliam, Evangelii prædicandi causa? Nam si legantur veteres historiæ, judiciumqve & ratio adhibeatur, perspicuè cernetur, stolidissimam omnium esse fabulam, qvæ nihilo plus habet speciei, qvàm si diceretur, Nubes vitulinas pelles esse: & tamen certissimæ sunt omnium reliqviæ. Verùm etsi ita foret, annon satis erat, uno corpore abuti ad idolatriam: nisi ex uno, qvod vulgò ajunt, diabolo duo aut tres crearentur.

Itidem collocaverunt in numero divorum eum, qvi latus Domini in cruce transfodit: eumq; Longinum vocârunt, puerili certè errore. Nam cùm nomen hoc Græcis lanceatium significet, tanqvam proprium unius hominis arripuerunt. Post talem Baptismum duo ei dederunt corpora: qvorum unum est Mantuæ, alterum ad Mariæ Insulanæ Lugduni. p. 798.

Idem fecerunt de Magis, qvi Christum, postqvàm natus fuit, adoratum venerunt: ac primùm definierunt eorum numerum, ac dixerunt, tres solùm fuisse. Qvot autem fuerint, nihil Evangelio exprimitur: & veterum doctorum nonnulli qvatuordecim fuisse affirmârunt: velut is, qvi commentarium imperfectum in Matthæum scripsit, qvi Chrysostomo tribui solet. Deinde cùm eos Evangelista Magos, id est, Philosophos nominet, isti repente regiam eis dignitatem, sine ulla ditione aut subditis, tribuerunt. Deniq; nomina ipsis dederunt: uni Balthasar, alteri Melchior, tertio Caspar. Porrò ut impunè per nos illis fabulari liceat: certissimum est, Philosophos illos in orientem rediisse. Id enim scriptura testatur. Nec aliud omninò dici potest, qvàm eos illic obiisse. Qvis autem eos illinc transtulit ab eo tempore? Qvis eos ita noverat, ut notare posset, qvò reliqvias faceret ex eorum corporibus?

Verum supersedeo. Facio enim stultè, cùm hæc adeò ridicula coarguo. Tantùm dico, Colonienses ac Mediolanenses litigare inter se debere, qvis ea sit habiturus: qvia utriq; apud se esse contendunt: qvod fieri neqvit. Cùm lis eorum finem ceperit, qvid agendum erit, dispiciemus.

Inter veteres Martyres Dionysius est per-

Anno celebris. Habetur enim pro discipulo Apostolorum, & primo Gallorum Evangelista. Ob hanc dignitatem plerisq; in locis habentur ejus reliqviæ. Corpus tantùm in locis duobus integrum mansit: Sandionysii Franciæ, & Ratisponæ. Qvia Franci id sibi vendicabant, Ratisponenses Romæ litem moverunt ante centum, aut circiter annos: qvibus corpus sententia definitiva adjudicatum fuit: cùm adesset Legatus Franciæ, ac perbellum diploma obtinuerunt: Qvi diceret, apud Sandionysium, qvod est in agro Parysino, corpus ejus non esse, lapidibus obrueretur: qvi verò negaret esse Ratisponæ, haberetur pro hæretico: qvia sedi apostolicæ rebellis esset. Itaq; consultius erit ab eorum controversiis abstinere. Confodiant, si velint, sibi invicem oculos: sicq; nihil proficiant, nisi ut detegant, omnia se in mendaciis posita habere.

Stephani verò corpus ita dissecuerunt, ut tamen si integrum Romæ in æde ipsi dicata, caput Arelatæ, ossa plus qvàm ducentis in locis. Atq; ut ostenderent, se iis consentire, qvi ipsum interfecerunt, consecrârunt etiam lapides, qvibus trucidatus fuit. Qværetur forsan, ubi reperiri potuerunt, qvomodo eos nacti sunt, qva via, è qvorum manibus? Respondeo breviter, stultam esse hanc qvæstionem. Ubiqve enim repériuntur silices (neqve magno constat vectura) Florentiæ, Arelatæ apud Augustinienses, Vigani in Aqvitania. Qvisqvis oculos claudere, aut omni se intelligentia privare volet, credet, eos ipsos esse lapides, qvibus Stephanus obrutus est. Qvi verò rem parumper expendet, risurus est. Ac certè Carmelitæ Pictavienses à qvatuordecim annis unum repererunt, cui id assignârunt muneris, ut parientibus adesse, easqve angoribus levare posset: Dominicani, qvibus costa Margaretæ destinata huic eidem usui subrepta fuerat, magnam adversus eos litem moverunt: & adversus talem imposturam vociferabantur. Sed illi tandem fortiter obsistendo superârunt.

De innocentibus (qvos vocant) silere propemodum statueram: qvia tametsi eorum velut exercitium colligerem, semper tamen objicerent, id cum historia non pugnare, qva eorum numerus præfinitus non est. De multitudine igitur dicere omittam. Tantùm observent, nullam esse ferè regionem in toto orbe, ubi non aliqvis extet. Nunc qværo: qvomodo tam longo postea temporis intervallo reperta fuerunt eorum sepulchra: cùm pro sanctis non haberentur, dum Herodes ipsos interfecit? Deinde qvando allati sunt? Nihil aliud possunt respondere, qvàm id qvingentis aut sexcentis post eorum mortem annis factum esse. Judicent imperitissimi omnium Idiotæ, qvid eveniet, si fides tam absurdis deliciis habeatur. Ad hæc tametsi fortè ab aliqvo reperti fuissent, qvi fieri posset, ut plura eorum corpora importarentur in Galliam, Germaniam, Italiam: ut inter urbes adeò inter se remotas distribuerentur? Hanc igitur falsitatem, tanqvam perspicuam & convictam, relinqvo. Anno

Qvoniam Laurentius in veterum Martyrum numero est, hic locum ipsi assignabimus. Haud eqvidem scio, corpus ipsius plus qvàm uno in loco esse; Romæ videlicet, in æde ei dicata: sed vas plenum carnis ejus seorsum habetur. Item ampullæ duæ: qvorum altera sanguinis ejus plena est, altera adipis. Item in æde, cui Palispernæ cognomen est, brachium & ossa: ad Sylvestri aliæ reliqviæ. Verùm si omnia ossa colligerentur, qvæ in Gallia solùm monstrantur, duo haud dubiè corpora suis partibus absoluta effici possent. Est præterea craticula, super qva assus fuit, tametsi Palisperna illa, de qva jam locuti sumus, fragmentum qvoddam ejus se habere, jactet. Qvod ad craticulam attinet, adhuc condonarem: sed sunt aliæ reliqviæ nimiùm notabiles, qvas mihi nefas esset reticere: veluti carbones, qvi ostenduntur ad Eustathii: item mappa, qva Angelus ei corpus abstersit.

Cùm itaq; isti ad excogitanda ejusmodi deliria ocio abusi sint, ut mundo imponerent: qvi hanc admonitionem viderint, ocium sibi sumant ad hæc consideranda, qvò sibi prospiciant ac caveant, ne sic inposterum irrideantur.

Ex eadem officina prodiit Dalmatica, qvæ etiam Romæ ad Barbaræ monstratur: qvia Laurentium Diaconum fuisse audiebant, existimârunt, eum iisdem indumentis ornatum fuisse, qvibus eorum Diaconi sese transformant, dum in missa personam suam agere volunt. Verùm longè aliud munus in Christiana Ecclesia fuit, qvàm sit hodie in Papatu: adqve gerendam pauperum curam distribuendasqve eleemosynas creabantur Diaconi, non ad histrionicos ludos agendos. Itaq; Dalmaticis aut similibus larvis, minimè opus habebant. p. 797.

Laurentio Gervasium & Protasium adjungemus, qvorum sepulchrum Mediolani repertum fuit Ambrosii tempore, ut ipse testatur. Similiter Hieronymus, Augustinus, & pleriq; alii. Ita Mediolanenses etiamnum sibi eorum corpora vendicant. Sunt nihilominùs Brisaci in Germania: ac Vesontione in parochia, qvæ D. Petro dicata est: præter infinita frusta, qvæ variis in templis sparsa sunt adeò, ut necessarium sit, qvatuor ad minimum singulis fuisse corpora: aut ossa abjicienda sunt, qvæ falsò & mendaciter eorum nomine inscribuntur.

Qvia Sebastiano curandæ pestis munus tribuerunt: eo factum est, ut majore in precio fuerit, omnesq; vehementius illum appetiverint. Effecit hæc existimatio, ut in qva-

Anno qvatuor corpora multiplicaretur: qvorum unum est Romæ ad Laurentii, alterum Suessione, tertium Piligni apud Armoricos, qvartum propè Narbonam in solo ejus natali. Habet præterea capita duo: unum Romæ ad Petri, alterum Tolossæ apud Dominicanos. Sed concava sunt, si Andeganensibus Franciscanis fides adhibetur: qvi cerebrum se habere jactant. Qvin etiam Dominicani Andeganenses brachium unum habent. Est etiam aliud Tholossæ ad Saturnini: aliud Casedei in Arvernia: aliud Monsbrisonnæ Forestanorum: præter minuta frusta, qvæ in variis templis habentur. Sed cum benè expensa fuerint omnia, divinetur, ubi sit corpus Sebastiani?

Verùm neq; his contenti, ex sagittis, qvibus transfixus fuit, reliqvias fecerunt: qvarum una monstratur Lambesci in Provincia, altera Pictavii apud Augustinienses: aliæ hic atq; illis sparsæ sunt. Hinc perspicitur, eos statuisse, nunqvam de suis imposturis rationem reddere.

Eadem ratio in Antonio valuit ad multiplicandas ejus reliqvias. Qvòd enim sit, ut fingunt, iracundus ac perniciosus ita, ut incendat eos qvibus indignatur: hac opinione se formidabilem reddit. Ex ea formidine nata est superstitio, qvæ desiderium corporis ejus habendi, commodi causa, exacuit. Ideo Arelatensis civitas multùm diuqve litigavit cum Antonianis Viennensibus: verum exitus omnino idem fuit, qvi in talibus controversiis esse solet: id est, omnia confusa mansêre. Nam si patefacienda esset veritas, neutros æqvum tueri constaret.

Ad duo ista corpora accedit & genu, qvod est apud Augustinienses Helvianos: varia item membra, qvæ Burgi, Matisconæ, Divione, Catalumni, Ouronii, Vesontione habentur: præter ea, qvæ passim ferunt impostores circumforanei, qvorum qvantitas haud exigua est. En qvid sit, damni inferendi famam collegisse. Nam alioqvi bonus ille Sanctus jaceret in sepulchro, aut neglectus in aliqvo angulo latuisset.

D. Petronillam omiseram, Petri filiam, cui corpus integrum est Romæ in æde patri suo dicata: item reliqviæ qvædam ad Barbaræ seorsim locatæ. At nihilominùs Cænomani aliud corpus habent in cœnobio Dominicanorum, qvod illic perceleбre habetur propterea, qvòd homines sanet à febribus.

Qvia variæ sanctæ fuerunt nomine Susannæ, haud satis scio, an eis propositum fuerit unius corpus duplicare. Corpus qvidem unum Susannæ Romæ habetur in æde ipsi dicata: aliud Tholossæ. Helenæ non tam prosperè successit. Nam præter corpus qvod habent Veneti, nihil aliud ex abundanti lucri fecit, qvam caput alterum, qvod est coloniæ ad Gerionis. D. Ursula in hoc eam superat: primum enim habet corpus ad Joann. Angelici: deinde caput unum Coloniæ: partem etiam qvandam apud Dominicanos Cænomanorum: item apud Dominicanos Turonenses: aliam etiam Pergerati. De ejus sociabus, qvas undecim millia virginum appellant, ubiqve haberi potest. Ac certè insigniter adjuti sunt eo commento, ut liberiùs mentiri auderent. Nam præter ossa qvæ Coloniæ sunt, qvæ onerandis qvadrigis centum sufficerent, nulla est ferè urbs in tota Europa, qvæ non aliqvo in templo, aut etiam pluribus iis ornata sit.

Si vulgarium Sanctorum lustrationem inciperem, sylvam ingrederer, unde mihi nullus pateret exitus. Qvamobrem exempla aliqvot adducere mihi sufficiet, ex qvibus poterit de reliqvis fieri judicium. Pictavii duæ sunt Ecclesiæ, qvæ de Hilarii corpore inter se contendunt, nempè Canonici ædis ipsi dicatæ, & Monachi Sellæ: Controversia adhuc unco appensa est, qvoad visitatio fiat. Interim idololatræ duo unius hominis corpora adorare coguntur: Fideles verò de corpore ejus minimè soliciti ipsum, ubicunqve fuerit, sinent qviescere. D. porrò Honorati corpus est Arelatæ: est etiam Insulii Lyrinorum, propè Antipolim.

Ægidius unum è corporibus suis habet Tholossæ: alterum in oppido Aqvitaniæ, qvod ab ejus nomine vocatur. Guillelmus verò in cœnobio Aqvitaniæ, cui nomen est Divi Guillelmi à deserto: item in oppido Holsatiæ, qvod vocatur Ecrichinum, ubi etiam caput seorsum habetur, qvanqvam ei sit & aliud caput in suburbio Thureni Juliacensium apud Guillelmitanos. Qvid dicam de Symphoriano, cujus tam variis in locis & corpus & ossa extant? p. 800. Similiter de Lupo, qvi est Altissiodori, Senis, Lugduni, eundemq; Genevæ esse fingebant? itidem de Ferreolo, cujus integrum corpus Uticæ in Aqvitania, & Briadæ Arvernorum.

Saltem transigerent inter se, ne tam aptè perderent mendacia sua: sicuti Canonici Treverenses cum Leodiensibus de capite Lamberti. Convenerunt enim de oblationibus pro certa pecuniæ summa, hac lege, ne interim ipsum publicè ostenderent, ne prodigii loco esset, si duabus in civitatibus adeò vicinis conspicerentur. Verum id ipsum est, qvod initiò dixi, nunqvam eos existimasse, ullum observatorem proditurum, qvi ad tantam impudentiam coarguendam vel hiscere auderet.

Posset autem rogare qvispiam, qvomodo isti reliqviarum structores res multas veteris testamenti, easqve notabiles, omiserint: cùm absqve ratione cumulaverint omnia, qvæ ipsis in mentem veniebant, & ve-

Anno

& veluti flando qvidqvid ipsis libebat, fabricaverint? Huic qvæstioni nihil aliud respondeo, qvam qvòd eas aspernati sunt, qvia, haud magnam ex ipsis utilitatem se habituros, sperabant: tametsi prorsus eas obliti non sint.

Romæ enim jactant se ossa habere Abrahæ, Isaac & Jacob, ad Mariæ supra Minervam. Ad Joannis etiam Laterensis jactant se arcam fœderis, cum virga Aaronis habere: & tamen eadem virga est Lutetiæ ad S. Sacelli: atq; etiam Salvatorenses in Hispania aliqvod fragmentum tenent: præterea Burdegalenses virgam D. Martialis, qvæ ad Severini monstratur, eam ipsam esse asserunt, qvæ Aaronis fuit. Videntur profectò (ad æmulationem Dei) miraculum novum edere voluisse. Nam cùm ejus virtute virga in serpentem conversa fuerit, ita nunc eam in tres virgas converterunt. Fieri qvidem potest, ut plerasqve alias ejus generis nugas habeant: sed verbum hoc attigisse sufficiat, qvò patefiat, eos tam fideles se in hac parte, qvam in cæteris præstitisse.

Nunc lectores rogatos velim, ut id meminerint, qvod initio dixi: nempè mihi inqvisitores non fuisse ad manum, qvi omnium regionum, qvarum hic mentionem feci, sacraria lustraverunt. Qvamobrem id, qvod de reliqviis dixi, ne sic accipiatur, qvasi integrum sit aut absolutum inventarium earum, qvæ reperiri possent. Germanicas urbes circiter sex plus minus solùm nominavi: Hispanicas tres, qvod sciam: Italicas circiter qvindecim: Gallicas triginta, vel qvadraginta: nec qvicqvid apud eas reliqviarum est, teneo. Conjecturam igitur secum unusqvisqve faciat, qvalis farrago foret, si reliqviarum multitudo, qvæ in orbe Christiano sunt, ordine describeretur: in iis duntaxat regionibus, qvæ nobis notæ sunt, & in qvibus versamur.

Hoc enim præcipuè notandum est, omnes reliqvias, qvæ in Europa de Christo & Prophetis monstrantur, etiam reperiri in Græcia, Asia, cæterisq; regionibus, ubi aliqvæ extant ecclesiæ Christianæ.

Nunc qværò, cùm Orientalis Ecclesiæ Christiani dicant, penes se haberi illa omnia, qvæ apud nos esse putamus, qvid in ea re statui aut definiri poterit? Si adversemur ipsis, excipientes, hoc corpus allatum fuisse à mercatoribus, illud à Monachis, aliud ab Episcopo: partem spineæ coronæ ab Imperatore Constantinopolitano missam ad regem Galliæ: alteram qvæsitam bello, sicq; de singulis: ridentes, qvatient caput. Qvomodo dirimentur hæ controversiæ? Est enim in ancipitibus causis ex conjecturis judicandum. Hac ratione semper obtinebunt. Qvæ enim sua ex parte proferunt, verisimiliora sunt iis, qvæ hinc poterunt qvomodocunqve obtendi. Hic certè nodus difficilis est ad solvendum apud eos, qvi reliqvias tueri volunt.

Anno

Ut finem faciam, lectores obtestor per nomen Dei, ut ad veritatem interim, dum apertè ipsis patefiat, animum advertant: atq; agnoscant, id singulari Dei providentia factum esse, ut qvi miseram plebem ita seducere voluerunt, adeò cæci fuerint, ut de obtegendis mendaciis suis nunqvam cogitaverint: sed, veluti Madeanitæ, oculis confixis secū ipsi pugnare cœperint, qvemadmodum videmus, istos inter se bellum gerere, ac mutuò sese arguere mendacii. Qvisqvis obstinatiore ad veritatem spontè impugnandam animo esse nollet, etiamsi nondum planè intelligat, execrabilem esse idololatriam, reliqvias ullas adorare, qvalescunq; sint, aut veræ aut falsæ: cùm tamen falsitas erit adeò conspicua, nunqvam ipsi cordi erit ullas osculari: & qvalicunq; antea religione ductus fuerit omnem earum gustum amittet.

Hoc qvidem præcipuum foret, sicuti ab initio dixi, ethnicam illam consecrandarum reliqviarum superstitionem inter nos aboleri, qvi Christi nomen profitemur: sive ipsæ Christi sint, sive sanctorum, qvo ex ipsis emergant idôla. Talem enim pollutionem ac spurcitiam nullo modo decere in ecclesia tolerari, id qvod antea rationibus & testimoniis scripturæ demonstravimus: si qvis eo contentus non sit veterum patrum morem & usus spectet, qvò sese conformet ad eorum exemplum.

Permulti Patriarchæ, Prophetæ, Reges, aliiq; fideles sub vetere testamento extiterunt: plures Ceremoniæ institutæ fuerunt à Deo, qvàm hodie à nobis deceat observari: qvin etiam sepultura ipsa majorem tunc, qvàm hodie, apparatum reqvirebat, qvò figuris suis repræsentaret resurrectionem gloriosam, qvæ nondum ita apertis verbis, ut hodie, revelata erat: at verò an legimus, Sanctos unqvam erutos fuisse è sepulchris, qvo ex iis puerilis puppe fierent? an Abraham omnium fidelium Pater, sic in sublime elatus fuit? Sarra etiam Princeps in Ecclesia Dei an è fossa educta est? nonnè cum aliis Sanctis in qviete relicti sunt? atqve adeò Moysis ipsius corpus Dei voluntate occultatum fuit ita, ut nunqvam potuerit reperiri. Nonnè Satan cum angelis, ut inqvit Judas, ob eam causam contendit? qvare Dominus ipsum removit à conspectu hominum, diabolus verò reducere conatus est? nimirum ut fatentur omnes, Deus populo Judaico Idololatriæ occasionem adimere: contrà, Diabolus eam stabilire voluit. n. 801

At populus ille, dicet qvispiam, ad superstitionem proclivis erat: nos verò qvales sumus? nonne major est Christianorum in hac parte, qvàm Judæorum perversitas?

Qvid

Anno Qvid in Ecclesia veteri actum fuerit, animadvertamus.

Fideles qvidem martyrum corpora eripere semper studuerunt, ne à feris & avibus laniarentur, eaqve honestè sepelierunt: sicuti de Stephano & Joanne Baptista legimus. Verùm id agebant, ut conderentur in terra, atqve illuc usqve ad resurrectionis diem qviescerent, non ut collocarentur in hominum conspectu, qvò omnes sese ad ea prosternerent. Nunqvam interim hæc consecrandi pompa, in ecclesiam introducta fuit, priusqvàm eversa & qvasi prophanata fuerint omnia, partim stupiditate præsulum ac pastorum, partim avaritia, partim qvòd consuetudini, qvæ jam invaluerat, neqvirent obsistere: qvòd etiam populus sponte decipi vellet, animum ad nugas pueriles potiùs, qvàm adveram Dei adorationem adjiciendo. Qvamobrem si qværatur stolida hujus corruptelæ emendatio, dirui atqve funditus everti necesse foret, qvod ab initio perperam, & adversus omnem rationem institutum fuit.

Qvòd si qvis ad intelligentiam istam primo gradu pervenire non possit, pedetentim saltem progressum faciat: ac primùm recludat oculos, atqve ad discernendas recludat oculos, atqve ad discernendas reliqvias, cùm offerentur, judicium adhibeat. Id porro haud difficile est ei, qvi attendere volet. Nam inter tot mendacia adeò perspicua, qvalia sunt ea qvæ protuli, ubi deligentur veræ reliqviæ, de qvibus certi aliqvid haberi possit? Præterea, qvæ attigi, præ iis qvæ restant pauca sunt. Qvin etiam, dum libellus hic excudebatur, de tertio præputio Domini sum admonitus, de qvo nullam mentionem feceram, qvod Hyldesheymi ostenditur. Est etiam aliorum similium qvædam infinitas. Deniqve visitatio longè plura detegeret, qvàm dici possit. Caveat ergò unusqvisqve, ne se instar bestiæ transversum rapi & in errorem adduci sinat, & nullam interim viam cernat aut semitam, qva tutò dirigatur.

Memini, qvæ me puero imagunculis parochiæ nostræ fieri solebant. Cùm Stephani festum appropinqvaret, ornabantur carnifices, qvi ipsum lapidibus obruebant, cùm sertis tùm monilibus, non minùs qvàm Stephanus ipse. Eos dum mulierculæ cernebant ita ornatos, Stephani socios esse, existimabant. Itaqve sua unicuiqve candela offerebatur. Qvin etiam idem fiebat de diabolo Michaëleqve. Idem accidit in reliqviis. Sic confusa ac permixta in iis sunt omnia, ut Martyris alicujus ossa haberi neqveant, qvin periculum sit, ne latronis, aut furis, vel etiam asini, aut eqvi, aut canis ossa adorentur. Annulus D. Mariæ, aut pecten, aut cingulum adorari non potest, qvin periculum sit, ne ex mundo scorti cujuspiam aliqvid adoretur. Qvamobrem caveat à periculo, qvi volet. Nemo enim post hac ignorantiæ excusationem poterit obtendere. Anno

Paul. 2. Thessal. 2.

Propterea immisit illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio: ut judicentur omnes, qvi non crediderunt veritati.

Franciscus Sansovinus. 1560. p. 802.

Hic historiam Italiæ, & libro octavo urbem Venetam descripsit: & de Barbarossa picturam seqventem in palatio cum adscriptis verbis reperiri, affirmat.

I. Adrianus Pont. Max. Fridericum Ahenobarbum Romani Imperii insignibus in D. Petri ædibus decoravit. M. C. L. V.

II. Romani familiam Imperatoris, à prato Neronis profecti ad molem Adriani, aggrediuntur, ad tentorium usq; Imp.

III. Alexandrum III. Pont. Max. ritè creatum, & Octavianum vitio factum Imper. Fridericus Ticinum evocavit. Alexander dicto ejus audiens non fuit. Itaq; Fridericus id ægrè ferens, Octavianum, qvi ad se sit, Pont. declaravit, ac veneratus est.

IV. Insolentes Friderici conatus Alexander Pontifex, anathemate & bello indicto, deprimit & propulsat. Fridericus Imp. ab iniqvo edicto subditos suos Alex. Pontif. alienat

V. Prætulit Rex inclytus Galliæ Ludovicus bellum qvieti; ut Pontificis dignitatem tueretur. Parantur utrinqve arma. Adsunt Friderico Boëmi, Daci, Getæ, Germani, & Itali. Regi Franciæ favent Angli, Britanni, Flandrenses, Burgundienses, & Vascones.

VI. Pontifex, ne tot Christianorum millia sua causa confligerent: celata personæ dignitate, è medio excessit: Venetiasq; liberam urbem se contulit, Gregorii sacerdotis habitu: fuitq; hic septuagesimus septimus, supra centesimum ac millesimum, eo, qvi fuit humanæ salutis.

VII. Prima nocte declinavit apud Canonicos S. Salvatoris. Qvi duxerunt eum ad Monasterium S. Mariæ Charitatis: ibiq; in forma .... serviebat.

VIII. Qvidam Peregrinus nuto Dei et voto venerat Venetias. Qvi cùm visitaret Ecclesiam suprà scriptam S. Mariæ de charitate, cognovit Papam. Notificat illustri domino Sebastiano Ziani, tunc inclyto Venetiarum Duci: qvaliter summus Pontifex est in tali Ecclesia.

IX. Dux, consiliarii, Nobiles, & tota Venetiarum civitas, similiter Patriarcha Gradiensis, & Episcopus Castellanus, cum toto

Anno toto clero perveniunt cum crucibus ad D. Papam, dubitantem de tanto concursu. Devotissimus Dux, genibus flexis, dedit oscula ad beatissimos pedes: præsentans chlamydem, mitram, & ornamenta pedum: & confortans eam, ut metu deposito, assumeret animum, & Pontificalia ornamenta: qvia esset in urbe tutissima, libera, & potente.

X. Dux, universo populo comitante, ad altare Ecclesiæ sancti Marci Papam cum cantibus & devotione perducit. Ubi personam, facultatem, magnitudinem civitatis, & totum dominium in protectionem suam & Ecclesiæ, contra qvoslibet offert, &c.

XI. Papa præstat Duci cereum album: qvo ipse, & ducantes post eum, perpetuo in suis processionibus uterentur.

XII. Pro pace tractanda, mittuntur ad Imperatorem, tum in Apulia residentem, solemnes Ambasciatores, cum literis Ducalibus: qvas Papa mandat per ducem muniri bulla plumbea cum figura S. Marci atq; Ducis. (Vult Sansovinus, Venetos sigillo plumbeo usos esse ab antiqvo: non modò ab Alexandro accepisse.)

XIII. Imperator primò ambasciatores lætanter recipit. Sed audito, qvòd venerant ad tractandam pacem: rigidè respondit, qvòd Papam fugitivum sibi tradant: & nolint suam facere guerram alienam: nec sustinere, qvem totus mundus perseqvitur. Alioqvin parati se ad bellum.

XIV. Legati referunt Papæ & duci rigidum responsum Imperatoris. Papa plurimùm expavit. Sed benignissimus Dux ipsum hortatur, dicens: ob reverentiam fidei Catholicæ, & sanctæ matris Ecclesiæ, viriliter defendetur.

XV. Hortatur Alexander Pont. Max. Principem & Venetos, ut cum 30. triremibus, publicè ad bellum instructis, pro pietate & religione fortiter in hostem moveant, datqve inclyto Duci & successorib. ensem, perpetuum justitiæ insigne habendum: cæteris ad bellum euntib. plenissimam dat veniam.

XVI. Postqvàm trepidè nunciatum est; qvinqve & septuaginta hostium triremes, Othonis Imperatoris filii ductu, ventare: tum Venetus Dux circa Salbloicum Historiæ promontorium, suos ad pugnam hortatus, edicit: ut, cùm ferrum à se in hostem vibratū viderint, suo exemplo dimicarent.

p. 803. XVII. Atrox utrinq; prælium committitur. Demum Dux fortissimus, divina ope, Venetaq; virtute nixus, Imperatoria classe disjecta, Othonem cum triremibus 60. capit. Reliqis, præter paucas, qvæ celeri fuga abierant, aut igne absumtis, aut alto mari depressis.

XVIII. Complectitur lætabundus Pontifex Venetum Ducem, inclytam victoriam reportantem: & pelagi dominum salutat. Tradit & annulum, qvo ille & reliqvi Anno principes, in veri perpetuiqve Imperii argumentum, qvotannis ipsum sibi mare desponsarent.

XIX. Otho Imperatoris filius, divina motus voluntate, fore se futuræ pacis cum Friderico patre arbitrum, Pontifici & Venetis pollicetur. Atqve ita fide ab eo accepta, custodia liberatur.

XX. Lætatur Imperator, viso filio. Cujus constantia, qvod alioqvin abhorruerat animus, tandem victus, ei tractandæ pacis tribuit potestatem.

XXI. Cujus picturæ argumentum ponitur à Sansovino. Pontifex ductus cum Imperatore in templum S. Marci, facta inter eos pace, adoratus ab ipso: gli metteva il piede sul collo, per segno di superiorita: ponebat pedem super collum ejus, in signum supereminentiæ. Imperator Othoqve filius, hic pridie festo, ille Christianæ ascensionis die, triremibus Venetias advecti: eodem die cum Rom. Pont. Venetoqve Duce, pacem firmaverunt.

XXII. Operatus sacris in divi Marci æde Alex. Pont. omnibus Dominicæ ascensionis diebus intra binas vesperas F.... adeuntibus plenam delictorum veniam perpetuò concessit: septima peccatorum parte per octavam freqventantibus remissa.

XXIII. Literæ evanuêre: picturæ argumentum est, qvòd umbellam (galeri genus) concessit Papa Duci & successoribus.

XXIV. Proficiscuntur hinc Romam, cum celeri eqvitatu, Alex. Pontif. Imperator, & Dux Venetus. Qvibus ita appropinqvantibus omnes supremi ordinis Antistites cum toto clero prodierunt obviam. Secuti primores civitatis ..... totaqve nobilitas. Postremò multitudo ingens, studio effusa, venientes cum multa lætitia & veneratione excipit.

XXV. Obtulit Romanus populus Alexandro ingresso, octo varii coloris vexilla, totidemq; argenteas tubas: qvæ dignitatis ornamenta ultrò Pontif. Veneto Duci detulit: qvibus ipse, & omnis Ducum posteritas, solemni pompa uterentur.

XXVI. Invisit Alexander Pontifex Lateranensem Basilicam, cum Imperatore & Veneto Duce. Hîc cùm fortè sella esset, una Pontifici, altera Friderico Imperatori, strata: tertiam Veneto Duci sterni jussit: deditqve tam illi ad curulis sellæ insigna, qvàm posteris Venetorum Ducibus, perpetuò habendam. Hæc hactenus. F. anno Dom. 1177. Imp. Friderico 1. Papa Alexandro 3.

Idem Sansovinus edidit libellum anno 1570. 26. Aprilis. in qvo vaticinia qvædam, & inter cætera de Turcico qvoqve Imperio, ad rem nostram maximè conducentia,

Anno centia, recenset. Qvòd nimirùm & Turcæ & Judæi, Mahometum magum fuisse, confiteantur, ipsiusqve leges non ultra mille annos duraturas, prædictum sit. Alterum vaticinium, Turcici Imperii dominum decimum qvintum ei finem impositurum esse, testatur.

Idem de Leone Sopho Cæsare Constantinopolitano scribit, cum præstantissimum fuisse Astrologum (qvod ipsum & Zonaras testatur) & in qvodam suo libro conseqventia verba reliqvisse: Verum familia flava cum competitoribus totum Ismaëlem in fugam conjiciet, septemqve colles possidentem cum ejus possessionibus capiet. Porrò in dicto Leonis libro columnæ cujusdam fit mentio Constantinopoli extantis, numerisqve circumscriptæ, qvos S. ibidem Patriarcha ita interpretatus est, ut omninò cum ipsius Leonis explicatione consentiat, dicens: Venetianos atqve Moscovitas Constantinopolim capturos: & post qvandam inter eos rixam & contentionem, Cæsarem Christianum unanimiter electuros atqve coronaturos.

1560.

D. Ludovicus Rabus.

ANno salutis 1530. die 11. Novemb. decesserunt Comitia, qvæ fuerant Augustæ celebrata: in quib. Evangelii doctrina, singulari gratia Dei, per Lutherum renascens universo mundo manifestata est syncere, & pub. proclamata. Loqvebar, inqvit David, de testimoniis tuis coram regib. &

p. 804. non pudebat me. Et ea qvidem confessio radices egit, pluresq; homines ad agnitionem veritatis, & salutem animæ suæ reduxit: qvæ ad hodiernum usqve diem contra diabolum, portas inferorum, æstus & concitationes hominum inconcussa mansit, & manebit: de cujus etiam effectu Lutherus hæc in prandio qvodam afferebat:

Tanta est, inquit, verbi Dei efficacia & virtus, ut qvò plus persecutionis habeat, eò plus floreat, & crescat. Considerate Comitia Augustana, qvæ verè sunt ultima tuba ante extremam diem: qvàm æstuabat totus mundus eum contra nostra doctrinam? O qvàm ibi orandum fuerat, ne de cœlo Christum Papistæ deturbarent! Tandem nostra doctrina & fides ita prodiit in lucem, per Confessionem nostram, ut brevissimo tempore, Mandato etiam Cæsaris, ad omnes Reges & Principes mitteretur, ibi multa præclarissimorum virorum ingenia in aulis fuerunt, qvi doctrinam hanc, uti fomes qvidam imbibebant. Ita nostra confessio, & apologia in summa gloria est edita; at illorum confutatio in tenebris fordescit. O qvàm optarim, ut ipsorum confutatio in lucem prodiret, qvàm probè centonem illum discutere vellemus, ut exoleti panniculi hinc inde volitarent!

Sed ipsi odêre lucem: nolunt prodire Anno pacem ipsis concordiam satis superq; obtulimus: sed ipsi superbissimè nolebant consentire: ideò oportet Papistas perire sine ulla misericordia: sicut & in Josua legitur, qvòd Josua omnibus civitatibus pacem obtulerit, & nullam præter Gabaon pacem suscepisse, cæteras omnes eam excussisse, & ideò sine misericordia periisse. Ideò nostra illa Comitia omni laude digna sunt. Qvod insumtum est ibi, hujus neminem pœniteat: qvia verbum Dei invulgatum est passim, contra omnium hominum, Papæ, & Epicureorum opinionem. Volebant doctrinam nostram vi opprimere, sed illa modò vires acqvirebat. Imp. Ferd. Papa Paul. 4.

Antonius Possevinus Jesuita.

IN epistola ad Regem Poloniæ affirmat: solius undecennii spatio supra qvingenta millia hominum (ecce Hispanicæ inqvisitionis fructus) fuisse in Gallia & Belgio interfecta.

Et paulò pòst. Certò concedere, qvalia fuerunt in comitiis illis anno 1530. nihil aliud fuit, qvàm Christum negare.

Et postea. Deinde qvæ sunt in Comitiis malè vel promissa, vel constituta, mutare studeat. Qvod enim parùm Cæsar consideratè promisit, æqvè se defensurum utriusq; religionis homines: est in eo gravius erratum, qvàm ut uno sermone satis explicari qveat. Sed est ingens Dei misericordia, qvi præclaram nunc dedit occasionem, per qvam invitare ipsum videtur, ut, qvæ tam turpiter & perniciosè promissa sunt, ea summa cùm honestate rescindat.

Et paulò pòst. Qvòd si res ad exitum non perducatur, seqventia cogitanda sunt, ut, si [tanqvam Josua] non possimus triginta Reges debellare, alios fortiores excitemus ad prælia Domini præliandum. Qvemadmodum Eremita ille sive peregrinus fecit, qvi ex Oriente veniens auctor fuit, ut Pontifex Maximus sacrum bellum indiceret.

Et alibi de sanctitate urbis Romæ mira referens, narrat inter alia: domicilia meretricibus [puta senescentibus] qvæ ad castitem resipiscunt, constituta; & Pontificis, Cardinalium & aliorum [gratitudinis ergò] eleemosynis sustentari. Sed in tanta continentina & castitate, qvam jactant, unde tot meretrices? Imp. Ferdinando. Papa Paulo 4.

Georgius VValther.

EX tomis & scriptis Lutheri multa ego vaticinia collegeram, & huic operi inserere animus fuerat: interea verò qvidam libellus hujus Georgii Waltheri typis excussus in manus meas pervenit, in qvo ipse multa de iis jam publicavit: ideoq; me proposito desistere compulit. Inter alia verò pluri-

Anno plurima, hoc præcipuè est notandum, qvòd dicit Lutherus: nobis cum Evangelio eventurum idem, qvod olim Israëlitis cum Manna: nos enim ex satietate ejus hausuros nauseam, & ex securitate & contemtu illud amissuros: ablatum namqve iri: & Deum sic nos plexurum, ut moriamur, adhuc habentes in ore cœleste manna.

Magnates, dominiqve seculi volent disponere & arbitri esse in ecclesiasticis, & in politica mutare spiritualia: Ecclesiastæ autem ad hæc connivebunt, & neminem reprehendent. Summa, verbum Dei negligent omnes: Ideoqve Deus Opt. Max. pœna in nos, ablato sanctissimo suo verbo, sempiterna: & temporali, misso super nos Turcæ truculentissimi hostis gladio gravissimè animadvertet. Hæc ille.

VVilbelmus Lindanus.

HIc pro sede Romanâ contra Lutheranos acriter scripsit, ac proinde Episcopatu Ruremundano remuneratus, tamen illo non contentus Cardinalitiam etiam dignitatem ambivit: & hanc ut assеqveretur, in gratiam suæ Thaidis Romanæ, majora aggressus, Mysticum Aqvilonem, seu declarationem vaticinii Jeremiæ Prophetæ, (ab Aqvilone pandetur omne malum) edidit: Item de vera Christi Ecclesiâ, ubinàm locorum nunc tempestatis certò juxtà ac infallibiliter invenienda, ad Georgium Majorem, cæterosqve Academiæ Wittebergicæ Theologos. Item speculum sacerdotalium orationum, & meditationum cœlestium: de fugiendis nostri seculi idolis, novisq; ad unum omnibus istorum Evangeliorum dogmatibus, nefariisq; irreligiosorum qvorundam moribus. Item concordia discors, sive qverimonia Catholicæ Christi Jesu Ecclesiæ ad Illustriss. S. Rom. Imperii principes, & alios ad unum omnes, nomine semichristianæ confessionis suæ Augustanæ temerè gloriantes, qvâ liqvido ipsis demonstrare conatur, simulatam, ac verè personatam ipsorum concordiam, anno Domini 1580. initam, non solùm viros facere Antichristianos, sed & minimè solidis, imò asystatis, adeoqve pugnantibus niti fundamentis. Imp. Ferd. Pp. Paulo 4.

p. 805.

Idem, non sufficit, inqvit, ad refutandas hæreses scriptura. Mutus enim est magister: ac muta semper manet: qvandoqvidem seipsam explicare non potest; sed unumqvemqve in suo sensu abundare patitur: cùm nec interrogare, nec respondere possit. Qvapropter non est inhærendum sacris literis; qvia inde nullam aut sanè incertam victoriam obtinere licet.

Idem, ad ducenta ampliùs millia Lutheri sica sublata, scribit falsò. Nam illos non gladio Lutheri, sed inqvisitione Hispanica certò interemtos constat. Sed his & aliis scriptis pro adepto Episcopatu gratus esse voluit: majora ambiens, Vide Meteranum in Annal. Belg. Anno

Idem in Panopl. lib. 4. c. 277. Ex aulicis perditissimis, & sanguinariis, qvosdam Ecclesiis præfici, dicit.

Historie de la Mappe monde Papistiq.

1560.

PRodiit hoc tempore liber cum amplâ tabulâ sive mappâ sub hoc titulo, integram Papatus descriptionem continens. Author fertur M. Frangidelphe Escorchemesses. Descripsit omnia interiora & exteriora Papatus: qvem vide. Imp. & Pp. V. S.

Ex libris Pasqvillorum, qvorum duo Toms extant.

1560.

OMnia ista, qvæ retulisti, ad Antichristum & ejus regnum spectant, qvæ clarè intelliges, ubi nomen, qvo sese orbi venditat scelestus ille, explicâro. Sed tu hoc age, & collige. M. Hic sum totus. P. Character ejus nominis est P A. numerus est P P A A. nomen verò, unaqvavis in medium transposita literas, conflatur. Numerus enim hominis [ut Pythagoreis placet] binarius est. Qvæ res indicat, haud dubiè in nomine binas tantùm literas contineri, ut in numero vidisti. Etsi enim utraq; litera bis formata est, non sunt tamen plures qvàm binæ literarum notæ, binæq; syllabæ. Imp. & Pp. ut suprà.

Ex Tomis Pasqvillorum de Moschis & Boemis.

1560.

MOscavienses cùm vellent ad Ecclesiam redire, atqve legatos suos misissent Romam, petentes, ut in Ecclesiæ gremium reciperentur: Romanus Pontifex pro inobedientiâ, qvod ipsum pro summo acmaximo non agnovissent, adorassentqve Pontificem, octies centum millia ducatorum petiit. Qvod cùm illi audirent, tanti, inqviunt, nolumus nos emere unionem. De Boëmis nescio qvid simile actum est. Qvorum principes adhuc conantur, ut ad verum redeant Christianismum: sed tantùm de bonis Ecclesiasticis adhuc agitur, & de Pontifice, qvem nolunt adorare pro Deo. Imp. & Pp. V. S.

Ibidem. Facile erit reformare Ecclesiam Dei, si humilientur, qvi sibi assumserunt cornua: si dejiciantur de officiis ventres gulosi, avari, indocti, superbi, falsè zelosi: & pro his sublimentur humiles, docti, pii, & qvi traditiones hominum contemnunt ac nihil faciunt. Sicut scriptum est: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Et iterum, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et iterum de Saul ait Dominus, cùm esses humilis in oculis tuis, ego te elegi in Regem.: qvando

qvando autem elevatum est cor tuum, ego te abjeci ab oculis meis. Viderint hæc ampullosi pastores.

Pasqvillus ad Romam.

Ingeme, collachryma, luge Saturnia tellus,
Perniciem intentant astra maligna tibi.
Diluvio mergeris aquæ, pelagoq; cruoris,
Ut infandorum manibus ut videas.
Excidium & clades & dira incendia Trojæ,
His collata tuis, pauca fuere, malis.
Ais à superis missum tibi Jonam; credo, superba,
Machaon apud scelerum Roma, velut Ninive.

Ex scripto qvodam in Martinum Lutherum.

Dicis, non posse è sacris literis colligi Purgatorium, vide qvid agas Martine, tu graviter multifariam peccas, & in sacerdotum & sanctiss. Papæ ventrem. O inconsideratum hominem, non vides, qvantum lucri decedet sacerdotum crumenæ? non poterit presbyter ancillas alere, non poterit scortari monachus. Papæ proventus non eruant tam uberes, maxime sustulisses infernum. Qvamqvam satis sua errata purgat, qvicunq; ecclesiastico alicui servit.

Ego, mea peccata qvotidie purgare me, puto, si æqvo animo tolero sacrificulos totos dies consumere cum scortis; si patior facilè, cùm video bonos opprimi, scelestos ad altiora evehi; si non iniqvè fero, sublatas esse leges invidia, magistratum super legem, non autem legem, ut æquum erat, super magistratum: si non ægrè fero, videre & audire concionantes rabulas, qvi Christum Jesum sepeliunt, postqvàm rursus cruci affixerunt: si non molestè fero videre in tot sectas divisum Christum; si possum pati Egidianam hypocrisim. Si patienter fero Senensis Cardinalis stoliditatem: si fero Camerlengi imperitiam: si fero placatè Genuensis Cardinalis ineptias: si placato animo Montii impudentiam: si minervæ fastidiosam illam Thomisticationem: si Cebotelli stupra fero: si denique tantam pæderastiam, qvantam video ab istis mittatis exerceri.

Nunc de clancularia Confessione ago, hanc si tollis, Luthere, Monachi & reliqvi confessores non poterunt in Laicis exercere tyrannidem, neq; mulierculis interminari, se illas Maritis accusatoros, vel publicè traducturos, nisi se illis rapacissimis prædonibus prostituant, mihi qvoq; magnum damnum inferes, qvi totius orbis Christiani & Mahometani scelera audio. Mulieres multa privas consolatione, multisq; commodis; sæpè enim Confessorum opera & industria utuntur, qvò possint amantium complexibus frui. Scio ego, qvid dicam. Imp, & Pp. V. S.

Evangelium Pasqvilli, olim Romani, jam peregrini. Dolus vobiscum. Et Comiti tuo. Freqventia falsi Evangelii, secundam arcam Auri & Argenti. Gloria tibi Auro & Argento.

IN illo tempore dixit Papa rapax cardinalibus suis: cùm venerit filius hominis ad sedem Majestatis nostræ, dicat hostiarius illi: amice, ad qvid venisti? Et si pertransierit, pulsans, nihil dans, ligatis manibus & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Cardinales verò dixerunt ei, Magister, qvid faciendo possidebimus pecuniam? Ille verò respondit, in lege scriptum est, diligite aurum & argentum ex toto corde vestro, & ex totâ animâ vestrâ, & pecuniam sicut vos metipsos: hoc facite, ut vivatis. Hoc enim mandatum do vobis, ut qvemadmodum ego facio, sic & vos faciatis.

Tunc venit ad curiam qvidam clericus valdè pauper, qvi oppressus ab Episcopo suo, verus Israëlita, in qvo dolus inventus non erat, non poterat intrare ad Papam, qvia pauperrimus erat. Tunc hostiarii percusserunt eum dicentes, vade retrò Satanas, qvoniam non sapis, qvia pauper es, non licet enim in conspectu dei nostri Papæ qvenqvam vacuum apparere. Pauper ille clamabat: miseremini mei, miseremini saltem vos hostiarii Papæ, qvia manus paupertatis tetigit me. At illi dixêre; Paupertas tua tecum sit in perditionem: non intrabis, donec solveris novissimum qvadrantem. Pauper autem ille abiit, & vendidit omnia qvæ habebat. Deinde rediens, pecuniam dedit hostiariis. At illi dixêre; qvid hæc inter tantos? & ejiciebant eum forâs.

Tunc venit paulò pòst ad curiam qvidam Episcopus Symoniacus, impinguatus, dilatatus, incrassatus, qvi per seditionem homicidium fecerat, & erat valdè dives. Cardinales autem clamaverunt, cùm viderunt eum, dicentes: Benedictus, qvi venit in nomine auri & argenti. Tunc episcopus ille, apertis thesauris suis, primò hostiariis secundò cardinalibus munera preciosa & vestes preciosas obtulit, & camerariis, & cancellariis, & arbitrati sunt, qvòd plus essent accepturi. At ille volens se justificare, dedit decem talenta. Audiens hoc Papa, qvi ad mortem infirmabatur, lætatus est valdè, & conversus ad cardinales, ait illis; Amen amen dico vobis, non memini tantam fidem in Israël & omni Judæâ. Transit primam & secundam custodiam, venit ad portam, qvæ ultrò aperta est ei, videns autem Episcopus, qvòd Papa infirmabatur ad mortem, ad lectum ejus aurum & argentum misit, & statim liberatus homo, & surgens dedit gloriam auro & argento, & osculatus est

Pontifici Max. vires, ut impensas (qvæ gravissimæ erunt) ipse sustineat solus. Pas. An ignoras, qvot qvantasq; ex universo orbe Julius secundus ad id omnium celeberrimũ templum construendum congestas reliqverit opes? Videris insanire, Cyre, cùm tibi omnium maximè constet, qvas qvantasq; ex universo orbe Christiano ad hoc opus construendum collegerit Pontifex Maxim. pecunias, adeò hercule, ut de eis (ut promiserat) jam non hanc, qvam cernis, sed tres, sed qvatuor omnium celeberrimas construxisset Ecclesias.

Cyr. Ut verum fatear, sæpius à mercatoribus ipse audivi, ingentem thesaurum exinde Pontificem habuisse. Sed cur sanctiss. dominus noster huic operi non manus applicuerit, non constat. Pas. Hoc est amice, qvod deploro, hoc me conturbat, qvòd pecunias illas immensas etiam pauperum sangvine undiq; terrarum angulis conqvisitas, in palatiis extruend[is], in nepotibus ditandis, noverim expensas. Dicam verum, qvo plebecula omnium simplicissima, ultramontana, vel fraude ipsa decipiatur. Sunt singulis diebus apud fores S. Petri lapidum excisores qvàm multi. Sed qvod interdiu construunt, noctu clanculò ad palatium Medices, non Petri deferunt. Sicq; lapides noctu migrant.

Et qvod certo certiùs constat, novi, millesimam partem necdum in ædificia fuisse expositam. Nam vide, qvid observantini illi minores contulerint, sive è suis marsupiis (ut universus credit orbis) sive ex indulgentiarum qvæstu (ut ipsi asserunt) pontifici octuaginta millia aureorum largiti sunt. Qvis non obstupescat? Qvis recto pectore hoc gestet? Discedam igitur, ô amice, ne has fraudes hi oculi deinceps videant. Nam crepo, cùm video sacellanum illum in Divi Petri æde, qvi tam vili precio animas vendit atqve emit, omnia mentiens, qvæ vel dicit vel promittit. Sed est stomachato animo. Cyr. Si altera subest causa, edicito. Pasq. Satis superqve jam diximus, at tertiam accipe.

Franciscus Urbinas, Urbinatum Dux, dum à Nepote pontificis Leonis X. impeteretur, suisq; esset è sedibus depellendus, obstitit qvoad potuit, eò maximè, qvod omnium sanè sentientium (ut dicunt) judicio, naturalis hæres ipse esset: nihilqve ad Florentinum illum Laurentium de principatu attineret. Ubi igitur Leo cum suis Florentinis longè, ac ipse speraverat, bellum vidisset protrahi, impensasq; indies augeri, jam penè exinanitus, hanc artem, qvæ nummos aggregaret, tandem excogitavit. Longa enim ac perpetua consultatione habita, tanqvam in hoc unico refugio Ecclesia Romana conservanda videretur, si 31. Cardinales uno eodemq; die crearentur. Jam enim creatio non Dei solis (ut olim) sed & Pontificis est opus. Creantur enim Cardinales, suntq; humiles Pontificis ipsius creaturæ. Tantam illinc assecutus pecuniarum est ingluviem, ut vix dicere ausim. Cy. Dic liberè, scis enim, harum rerum qvòd sim avidus, qvamq; mecum omnia tibi liceant. Nemo hic est, qvem revereamur. Inter nos hic sermo. Anno

Pas. Dicam, & qvidem verissimè. Ultra qvàm qvingenta millia ducatorum ex his creaturis suis est adeptus. Vide, qvàm bonæ creaturæ, qvæ creatori suo tam gratæ! At ubi inter illas creaturas jam major pars omnibus nummis spoliata, imò & creaturæ se delusas esse viderent (promiserat enim pontifex non nisi paucas creaturas, qvibus & abundè in beneficiis providere posset) vide, qvàm hilari vultu ipsi pecunias creatori promiserant. Intuentes autem sese illi ipsi 31. (tantus scilicet numerus, ut etiam Virgo gloriosa, puero Jesu timens, ne & ipsum raperent, ac in Cardinalem crearent, ad cœlos qvantocyus apud Mariam transpontinam remitteret, fulgure enim cœlos petiit, tantum inqvam) eorum numerum, ut penè his providere non posset: subitò excogitaverunt creator & creaturæ (nescio qvæ) nova de Sophi, de Turca, Christianæ fidei atrocissimis hostibus: jam Turcam nobis, imò Christianis omnibus imminere, cui nisi eatur obviam, actum esse de universa republ. Christiana.

Consultant igitur publicè cum omnium Christianorum principum oratoribus, ac longè aliter privatim, aliter publicè. Privatim enim subridentes putant, perbellè secum agi, cùm eorum egestati subveniant vel Barbari ipsi, publicè decimas, vigesimas, qvinqvagesimas, atqve cruciatam universo populo Christiano indicunt. Id sibi privatim pollicentes creaturæ, ut habitis barbarorum aureis nemo è creaturis futurus sit pauper. Nam qvis renuet tantam vim auri? Qvòd igitur optatis potiantur, mittunt ad Hispanos, ad Gallos, itemq; ad Germanos, legatos qvatuor. Et ut videant Principes Christiani, id non sacri auri amore fieri, interdicunt eis facultates omnes, etiam à jure concessas. Inceduntq; tam simplices, qvàm omnium simplicissimi: nihil præter Christum, & hunc crucifixum prætendentes: nihil præter Deum in ore, in corde verò nihil nisi Barbarorum argentum gestantes. Et nisi hæc sole clariora tibi essent (utputa qvoniam & eos, qvi missi sunt, in cute noveris) longiùs tecum agerem.

Et cùm hujusce sint homines, bone Deus, qvanta pompa, qvanta apparatu urbem exiêre, qvantoq; fastu patrias pontificias, aliasq; sibi destinatas transiêre? Nescio si Diocletianus qvispiam tanto superbisset! Cyr. Rumores sunt planè per universum jam Christianum populum Turcas adesse, nihilq; subesse figmenti: imò pontifici max.

Anno sanctiss. Patri, ac universo cœtui Cardinalium eum esse animum, ut in Turcas expeditio, & eqvidem validissima, paucis abhinc diebus fiat, atq; habeatur. Ob idqve Pasq. optime, non videntur adeò pontificis ac Cardinalium improbanda consilia, qvib. bellorum nervi (pecunias dico) aggregare qveant. Pas. Si Roma mihi patria non foret, si Roma me non educasset, si Romano aere non tanto vixissem tempore, si Romanorum ingenia mihi non adeò essent perspecta, jam tecum irem in gratiam, crederemq; pro certo, qvæ tu cum Romanis tuis affirmas. Sed novi mores vestros.

Qvanto jam tempore eum habuistis clamorem, Turcam imminere cervicibus Christianorum? Sed dic pro fide tua, qvis minus exposuit pro expeditione? Qvis plura accepit qvàm vos? qvi Romæ hactenus Christianorum suxistis sangvinem. Vobis bonus Turca est, qvi tot tantaq; aureorum millia vobis qvotannis dat, ac per banchos Christianos Romam mittit. Alexandri tempore sex centenaria, imò millenaria aureorum vobis contra Turcas data, ubi, ubi sunt? in qvem usum conversa? in eum qvidem, qvi nec nominari debet. Cyr. Præterita carpere possumus, at emendare neqvimus. Unde nihil de præteritis mecum agas. At te futuris spes longè amplior longeq; certior mea. Pas. Unde spes tibi hæc ingens? Cyr. Ex his, qvæ jam deforis videmus. Nam pontificem in universo clero Romano, qvàm devotus in processione publicè (ut dicunt) incesserit, ipse vidisti. Num gemitus, lachrymas, idq; generis multa contemplabaris mecū? Exinde conjicio, pontifici atq; reverendiss. Cardinalibus mentem inesse optimam, qvò hæc expeditio fiat.

p. 809. Pasq. Dic tibi aut tui similibus hæc somnia. Mihi verò frustra persuades. Dic, si Pontifici mens hæc de expeditione in Turcas, cur Cardinales Romæ degentes, tanto apparatu, tanta aurea argenteq; supellectili superabundant? Qvantus eqvorum mulorumq; acervus? ut vix Tyberis pons aliqvando sufferre possit. Cur non partes duplas jam eis abstulit dudum? Poterat enim, si hæc faceret (scis tu qvàm vera dicā) Turcam ex Asia atq; Thracia depulisse. Sed tantum abest, ut hæc vel pontifex capiat, vel ipsi tribuant, ut indies supellectilem illam adaugeant, ac longè reges ipsos in his exsuperent. Cy. Nescio qvid boni consulam, pergem. Ego hic Romæ manens, horum omnium expectabo finem. Dic, qvid legati reverendissimi expediant, qvidve sperandum de eis?

Pasq. Qvid apud Hispanos, qvidve apud Gallos agatur, satis sciunt omnes rumores, nescio autem, si crediturus sum unqvam, qvæ è Germania atq; Anglia huc ad nos devenerunt: qvòd scilicet Angli perhumanè suum exceperint Campejum: Cæsar ac Germani principes item Cajetanum suum tanto apparatu atq; lætitia, ut dici vix qveat. At ubi de bellorum nervo sermo habitus, gentes hæ (qvæ suapte natura sunt iræ omnium impotentissimæ) qvantum incanduerint, qvanto ludibrio hanc Florentinam industriam habuerint, non satis possit legatorum curialium literis exprimi. Scribunt, n. indies atq; omni die deteriora. Stolidos dicunt & Anglos & Germanos. Deplorant vices suas, qvòd tandem ultimo sapere cœperunt Barbari. Qvod etsi serò, nimis tempestivè tamen contra se actum putant. Videntur altera secula, videtur alter mundus eis, qvia aliter gentes eas invenerint.

Cy. Mi unice, si vera sunt, qvæ propalàm hìc Romæ circumferuntur: dubito autem, figmenta esse, qvæ hìc dicunt. Nosti enim qvàm hìc Romæ omnes sint de pontifice maximo & Reverendiss. Cardinalibus ad proferenda mala promtissimi: ob id vehementer dubito, vera non esse, qvæ circumferuntur. Pasq. Utcunq; si vera sunt, nihil mirabilius, nihil monstrosius dici potest, qvàm Anglos, qvàm Germanos aliqvando sapere cœpisse, ac aliorum nescio qvas prævidisse fraudes. Dii boni, ubi creaturæ stabunt? qvis nummos rependet? Impensas ingentes ac nimios fecerunt labores. Sitim, vigilias, ac famem nonnunqvam pertæsi ac vacu, redibunt. Qvis apparatus suos hos magnificos persolvet? Discedam ego nec horum particeps, tandem & ipse cogar decimam, vigesimam, atq; qvinqvagesimam de penu nostro dissolvere. Si enim barbari nolunt, nobis tandem imminebit periculum. Scis enim tu mi Scire, qvàm vehemens, qvaleq; sit Florentinorum, simulq; creaturarū in extorqvendis aureis ingenium. Non cessabunt, ita me dii adjuvent (nisi desuper veniat auxilium) qvoad usq; sua avaritia universalem destruant Ecclesiam.

Cy. Fortè hæc non ita se habent. Qvod si (qvemadmodum vehementer addubito) vera sint non ob tamen desperandum, qvasi jam de nobis sit actum. Emendabunt se in curia Rom. pontifex & suæ creaturæ, videntes, Barbaros ipsos jamjam etiam ingenia eorum novisse. Pas. Ah Cyre: jam non videris esse ipse, qvi esse solebas. Neq; tu nosti Curialium Romanorū mores. Tibine conscium Romanorum ingenium? Tibi spes est emergendi? Cy. Certò mihi persuadeo, cùm ipsi se sentient deprehensos in fraude sua, resipiscent ipsi tandē vel serò. Pas. Scis, qvàm ad cor conversi fuerint, ob ditissimi regni Bohemici ab Ecclesia defectum? Qvantum eis illud cordi fuerit? Num qvippiam eorum abusuum abrogârunt, ob qvos Bohemici desciverunt? minimò qvidem. Ita & deinceps mihi persuadeo fiet, maximè Florentinis Christianam remp. moderantibus.

Cy. Id mihi supra modum displicuit, mi Pasqville, ut cum ipsi ingentem acceperint

à Barbaris nostra contra Turcas pecuniā, nihil harū in commune prodeat, nec qvidpiam si præ oculis (ut dicunt) qvo in Turcas fiat expeditio. Pas. Qvosnam? Cy. Annatarū. Pas. Id qvarto mihi loco stomachum movet, qvò hinc discedam, ut vel D. Jacobo de his annatis qverar. Scio ego: tunc (ut es solers) jam vides, qvantum auri illinc sit haustum? Ad annos qvatuor Calixto ipsi assensêre principes. Jam ad annos qvos vides durant, perpetuò (ni principes resipiscant) duraturæ. Nec est in urbe qvispiam, qvi vel sciat, contra Turcas eas impendendas. Jam in officiis publicè divenduntur. Ac miseri Barbari ipsi (nimis a. Græcani, ac si mavis Italicani) hactenus magno ipsorū incommodo, jactura majore, uti bestię, ac omnium ignorantissimi, ab Italis refutati, census hos annuos, contra Deum, jus, eqvitatem impenderunt. Et nisi principes (ut paulò ante dixi) resipiscant, nec æs Barbaris sufficiet, qvo horum hominum avaritia expleatur. Ob id maximè hinc mihi abeundum, ne inferiùs terra me tandem obsorbeat. Ac tam diu sum ille moraturus, qvoad Deus Opt. Max. Divusq; Petrus rem in meliorem restituerint formam. Cyr. I ergo felix: ac si qvid Hispani parturierint salvi, nos qvantocyùs certos redde. Nihil n., præter Carolum potentiss. regem, nobis salvi est relictū. Pas. Vale frater.

Petrus Martyr in 2. Sam. c. 13.

IN verbo Papa ex summa angelica refert, Martinum S. dispensasse cum qvodam; qvi cognoverat sororem germanam. Genebrardus in Chron. conatur excusare Martinum: sed miserè. Imp. Ferd. Pp. Paulo 4.

Thomas Jordanus Moravus.

HIc Chronicon Dubravii in integrum restituit, & Genealogiis ac multis aliis necessariis auxit. Imp. 118. Ferd. Pp. 230. Paul. 4.

1560. ## Ex historiis Tragicis Francisci Belleforesti Galli.

1560. NUllius dabo qvicqvam auribus: sed veritatem ingenuè fatebor, tot hæresium & schismatum causam esse neminem, præter nostros rasos, unctos, clericos & Sacerdotes, sua turpissima, scelesta, & impia vita. Non ergò accusent alium qvenqvam nisi semetipsos, seq; solos castigandos & emendandos esse, noverint. Hæc ille, & qvæ seqvuntur. Imp. Ferd. 118. Pp. 230. Paulo 4.

1560. ## Gilbertus Cognatus l. 1. Narrat.

QVidam, speratâ morte cujusdam beneficiati, cum jam semimortuum videret, qvatuor horis qvinqvaginta millibus passuum peractis, ad Regem pervenit. A qvo cum precio & precibus sacerdotium peteret, affirmans, proculdubio eum mortuum esse, qvem ante qvatuor horas semmorientē reliqvisse dicebat: rex ad eum: Benè sanè cucurristi, sed qvo animo id feceris, perspicuū est: ideò cum tam benè curras, curre, & te non imperasse renuncia. Imp. Ferd. Pp. Pa. 4.

Idem lib. 6. Cum operaretur aliqvid Antonius eremita, assidentib. fratribus, intentè oculos in cœlum fixit suspirans: & cum valdè turbaretur, genib. flexis orare cœpit. Interrogatus à fratrib. semel atq; iterum, qvid rei esset, cur tantopere commoveretur? vix tandē cum ingenti mœrore & fletu respondit: Magno, ô fratres, turbine fides Christiana post nostra tempora subvertetur. Vidi n. altare Domini malorum circumdatū multitudine, qvi crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc causa est gemituum, qvos audistis. Significavit haud dubiè hac visione Deus in novissimis temporib. profanationē illā testaměti Dominici, qvādo omnia sacra humāis traditionib. polluta & dissipata erūt. Anno

Idem in annot. in 8. Dial. Pontani ex Charonte. Stoici negant, bonum virum esse, nisi qvi vacet animi morbis: morbos a. animi cupiditates sive affectus vocant. Multò igitur magis eorum est, qvi se Christi vicarios & Petri successores jactitant, ab his esse liberos, sed omniū maximè id decet Papas. Verùm ipsi, & Cardinales, reliqviq; papistæ libidine, luxu, violentiâ, superbiâ, fastu, divitiis, rapacitate, intemperantiâ superant universos principes. Mundanas ditiones ambiunt & admittunt, sordidis ac plebejis implicantur curis, & bellorum procellis involvūtur. Sumunt arma pro defendendâ suâ Synagogâ, & bellicis tumultib. sacra profanaq; miscēt. Pluris faciunt superstitionē, qvā verā religionē. Pro tuenda superstitione & idololatriā digladiantur. De cōservando Dei verbo, & morū integritate nemo illorū cogitat.

Joannes Calvinus instit. Christianæ l. 4. c. 4. & seq. 1560.

SCribit hic de Ecclesiā antiqvâ ante Papatum, de primatu Romanæ sedis, exordio & incremento Papatus, donec se in hanc altitudinem extulit, qvâ & Ecclesiæ libertas oppressa, & omnis moderatio subversa fuit: qvem vide. Imp. Ferd. Pp. Paulo 4.

Joannes Lasitius Polonus in lib. de Russ. & Moscovitar. religione. 1560.

PEtrus Scarga Jesuita Vilnensis, anno 1560 Lutheranos ita esse omnibus exosos debere, suos auditores Vilnæ docuit, ut & obvius conspuerent. Cujus rei cum ipsemet, obvius Concionatori Evangelico factus, exemplum ederet aliis imitandum (audita refero) contusum os, ex qvo sputum ejecerat, manu cujusdam id spectantis pii Nobilis, homo maledicus domū retulit. Imp. & P. V. S.

Ibidem. Certè anno, qvo Romam adii, 1560. duodeviginti scortorum millia in eā esse, dicebatur.

Et paulò pòst: Papa plus qvàm centum millia Christianorum (hujus enim instinctu omnia ubiq; geruntur) inde ab exortu Lutheri in Europā perdidit.

Ibidem. Per omnem Poloniam divulgatum jactatur, Moscorum Ducem anno, qvo

Anno hæc conscribo, 1561. Legato Pontificis Romani, mandata sedendo exponere volenti, callidè sedem subtrahi, ut penè caderet, jussisse: ac qvòd suus, qvem Romam miserat, orator pedem Papæ osculari coactus fuerit, indignissimè tulisse.

Ibidem. Nullâ re aliâ meliùs meriti de republica Christianâ Monachi, qvàm qvòd nobis Lutherum produxerunt, virum certè incomparabilem: qvicqvid contra dicant cæteri monachi, ranæ illæ Apocalypticæ, ex rictu bestiæ egressæ, falsis miraculis insignes, bellorum Evangelicis inferendorum faces, atq; novi Test. Pharisæi & Hypocritæ.

Gabriel Pratteolus Marcossius.

1560. CArolstadius, cùm videret, à Luthero se ingenio, doctrina, & eloqventia longè superari, qvò suum qvoq; nomen celebre ad posteros transmitteret, novum & alienum à
p. 811. Lutheri religione fingere sibi necessarium duxit dogma: ac proinde Berengarii sectam de Sacramento iterum à mortuis resuscitavit. Tractat hic (ut etiam Lindanus in dubit. dial. & alii) omnia sua conviciis & maledictis, & Zinglium apud inferos visum fuisse. De Luthero & aliis alia turpissima qvæqve mendaci stylo confingit.

Idem scripsit de vitis, sectis, & dogmatibus omnium hæreticorum, qvi ab orbe condito ad nostra usq; tempora, & veterum & recentium authorum monumentis proditi sunt, elenchum alphabeticum, cum eorundem hæreticorum origine, institutis & temporibus, qvibus præstigiis mundo imposuerunt. Imp. & Pp. V. S.

Margarinus de la Bigne Theologus, D Parisiensis, in præfatione Sacror. Bibliorum ad Gregor. 13.

1560. INter alia negat, Ecclesiam in moribus errare posse. Imp. Ferd. Pp. Paulo 4.

Nicolaus Machiavellus Florentinus de Repub.

1560.

Prodigia atqve signa semper mutationes portendere.

UT causam facilè confitebor me ignorare: ita rem ipsam cùm ex antiqvis, tum novis exemplis agnoscere oportet, & confiteri, omnes magnos motus, qvicunqve aut urbi alicui, aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqva, prodigiis, aut cœlestibus signis prædici ac prænunciari solere. Et ne procul petitis exemplis hoc demonstrare velle videat: domesticis utar. Novimus omnes, Florentiæ Caroli 8. Gallicæ regis adventum in Italiam ab Hieronymo Savanarola longè antè prædictum fuisse: & eundem per Hetruriam multis aliis signis præsagitum: & inter cætera, supra Aretium visos esse exercitus prælium committentes.

Idem in suæ historiæ principio dicit: circa 600. Domini annum consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cum miraculis novæ pugnare cœpisse. Nam spectrorum apparitiones, & alias Imposturas Satanæ miraculorum, veterem illam formam Religionis prorsus evertisse. Adscribam pauca ejus verba: Ma intra tante variationi non fu di minore momento il variare della Religione, per che conbattendo la consuetudine della antica fede, con i miraculi della nuova, si generavano tumulti, sed disordie gravissime intra gli huomini. Et se pure la Christiana Relig. fuisse stata unita. Imp. Ferd. P. P. 4.

Ibidem, ex ruinis Imperii primò enatum Pontificatum, & deinde armorum potentia crevisse, dicit.

Abr. Bucholzerus in Chronicis.

ANno 1559. Comitia sunt acta Augustæ à R. Ferdinando: in qvibus est sancita pax religionis: exeqviæq; facta Carolo V. & utriqve Reginæ Mariæ, Ungaricæ atq; Anglicæ. Ad qvas exeqvias non sunt ingressi Protestantium Legati: Præter Legatum Electoris Palatini: qvi tamen oblatam à Cardinale August. qvi Missam celebraverat, sacram patinam noluit osculari: & ideò ille iratus exclamavit: si non vis benedictionem, habeas tibi maledictionem in æternum. Imper. Ferd. Pp. Paulo 4. 1560.

Idem. Anno 1553. Januar. 9. in arce Perlinensi, cum ventus exortus vehementissimus esset, à statuâ Elect. Mauritii delectum caput est, cæterorum principum statuis illæsis. Sed Lycosthenes, nullâ vi adhibita decidisse, ait: ventum verò pridie prælii fuisse, qvo duo ejus tentoria conciderint.

M. Arnoldi de Palude vaticiniũ de superventura desolatione. 1560.

PRalia Magnatum cernes, & sanguinis undã,
Et terras populis vacuas, confusaq; regna.
Fama domusq; cadẽt, & erunt sine civib. urbes:
Inq; locis multis tellus inarata manebit.
Strages nobilium fiet, procerumq; ruinæ,
Fraus erit inter eos, confusio magna seqvetur.
Mẽbra caput spernent, & lævã dextra timebit,
Turbabit terras Aqvilo, qvia valdior Austro.
Mutabitq; fidem, Regem: cum sceptra tenebit
Rex novus, & gens, lex, mutabitur ordine miro.
Sic plebs, lex, clerus deinceps diversa seqventur.
Plurima per loca nascetur dissensio magna.
Nascentur sectæ multis in partibus orbis.
Teutonicusq; furor gladios fabricabit in illa,
Gaudebit proprias effundere sanguinis undas.

Imp. Ferd, Pp. Pio 4.

Joan. Michael Brutus Florentinus l. 7. hist. Flor. 1560.

XIstus IV. Pontifex Max. cum aperto bello Laurentium Medices, qvem insidiis opprimere non poterat, persеqveretur, qvò faciliùs populum Florentinum ab eo alienaret, igni atqve aqva civitati interdixit. At Florentini sive gratia sive metu adductu, Reipublicæ salutem illius fidei diligentiæq; permiserunt, & sacerdotes, reclusis templorum valuis, sacra administrare metu simplicii coegerunt.

Xistus

Xiſtus hic Pontifex ſupra ſacrarum literarum notitiam bonis malisq; artibus inſtructus Pontificiam dignitatem augere, imperium armis proferre, Hieronymumq; præſertim Riarium filium (qvem, tegendæ libidinis cauſa, nepotem ex ſorore vocabat) principatu urbium, ac ampliſſimi fortunis honeſtare cupiebat, qvando jam cæteros affines Petrum & Raphaelem Hieronymi fratrem, inſignibus ſacerdotiis ditatos, cardinei pilei honore decoraſſet.

Idem. Sæpe videmus accidere, ut, cum Pontificatus à vehementioris hominis ingenio adminiſtratur, omnibus ſemper ſit formidabilis: cum in faciendâ injuriâ impunitas & licentia; in declinanda religio tueatur: & ſic ingentia mala in Chriſtianam Rempublicam invehat. Imp. Ferd. Pp. Pio 4.

Pius Papa 4. inauguratus.

1560. Poſtqvàm ad paſtoralem dignitatem oviū Chriſti Romanam Joannes Angelus de familiâ Mediceâ, Cardinalis in Cœlio monte, fuit evectus: ut qvi jam à ſeipſo differret, oblitterato priore nomine, Pius appellari, qvartus à cæteris ſuis anteceſſorib. exiſtens, voluit. Neqve tn. piſcatorem ſe hominum, humanarumq; pecuniarum oblitus, hanc inaugurationem ſui feriis Epiphaniæ, Anno Domini 1560. Romæ celebravit. Primò omnium dictâ luce Pontifex, albo ſericeo talari, atq; aureâ, gemmis interpolatâ infulâ conſpicuus, à qvatuor auctoritate ſummâ pollentibus, & nobilitate præſtantibus viris in ſolio deaurato, purpureis aulæis, & imminente fictili. & radiante cœlo, velato, humeris in ſublimi ad S. Erhardi ſacellum geritur, ubi Cardinales ultra qvadraginta ſeptē, & ducentos Epiſcopos, in ordine ſtantes, & rubeis ſuis galeris, bifidisq; tiaris, tanqvam pro officio habendo, ornatos, debitis ſibi votis, & hæreditario juramento adſtrinxit.

Hæc ubi ſolemni de more ſunt acta, Cardinales inaugurandū Pontificem unxerunt, atqve in auſpicia ejus antiphonam cecinerunt, indeq; ſellæ impoſitum ad divum Petrum portavêre: & omne Cardinalitium examen, epiſcopi & cleri, immenſo numero, & pulcerrimo habitu emuncti, ſeqvebantur, ipſeq; Papa in egregium, omnium aſpectui patens, auro gemmisq; irradians conclave delatus eſt, & in proximo unionibus integro, atq; pretioſiſſimo obryzo compacto ſolio collocatus, triplicem coronam Pontificiam à qvatuor Cardinalibus ſummis, ampliſſimis, & ut putabatur, ſanctiſſimis, ceremoniis adhibitis accepit.

Interea, dum hæc fiebant, ſubornati ſunt, qvi pecunias in populum circumfuſum aſſiduè projicerent, qvo, undiq; ad prædam, & tamqvam ad auream pluviam adurgente, viginti duo ſunt oppreſſi. Plateas a. fora, & propugnacula lecti milites 8000. & qvingenti cataphracti eqvites occupârunt, ipſumq; Pontificem in atrio ducenti omnium cordatiſſimi Helvetii armatâ manu ſtipârunt. At ubi, & qvamprimùm renunciatus eſt Pontifex, & pater omnium Catholicorū factus, ingenti lætitiâ de caſtro Angeli mille tormenta bellica ſunt diploſa, unde omnia intremuêre, ipſumq; ſolum immugiit. Ingruente veſperâ, Romanis civibus omnibus & ſingulis injunctum fuit, funalia ſuſpendere, & lucernas papyraceas accendere. Cardinales & Epiſcopi omnes, ante ædes ſuas & palatia, ſinguli terna dolia pice & ſulphure adimpleta, terribilem in modum concremârunt. Atq; ita hujus Pii IV. ſolemnis inauguratio eſt celebrata. Imper. 118. Ferd. Pp. 231. Pio 4.

Ex Epiſtola, cujus titulus eſt de Julii 3. varia ratione, &c. ex Joannis Caſæ libro. 1560.

Joannes à Caſa, patriâ Florentinus, Archiepiſcopus Beneventanus, Decanus Cameræ Apoſtolicæ, ac in toto dominio Venetorū Nuncius, cum poteſtate legati à latere: ſcripſit poema rhythmis Italicis; qvibus primo qvidem aſpectu videtur laudes Furni celebrare: verum ubi paululum fueris ingreſſus, ſenties, cum laudes Sodomiæ (ſalvo honore) ſatis apertis verbis decantare, & diſertè dicere, ſe eâ valdè delactari, neq; aliam venerem agnoſcere. Qvin addit, Sodomiam ipſam eſſe opus divinum, & artem divinam, qvi qvidem rhythmi fuerunt impreſſi Venetiis apud Traianum Navum.

Ad hæc ex eo conclavi, in qvo creatus eſt P. 81. Julius 3. interceptæ fuerunt literæ alicuius ex conclaviſtis, id eſt, ex illis, qvi ſolent aſſidere Cardinalibus Papam electuris: qvibus qvidem literis non puto ulla memoria unqvam ſcriptas fuiſſe, ullas obſcœniores, ſceleratioresq;. Nudis n. nefandiſſimisq; verbis illic agitur (ſalvo honore) cum cinædo.

Poſtremo cum Julius 3. valdè malè audiat in hoc ipſo obſcœniſſimo genere, qvod nunc attigi: ita ut neq; à Cardinalibus abſtineat: tamen ego illi peperci hucusq;, qvod ad deterrimam illam libidinem attinet.

Verum cum omnes affirment, eum ſolere ſæpiſſimè illis blaſphemiis uti, qvib. impuriſſimi lenones, & reliqvi nebulones ſolent, videlicet, Al diſperto di Dio, i.e. in contemtum Dei: & Pota di Dio, i.e. ad vulvam Dei; qvum in qvibuſdam additionibus ad libellum de aqvâ benedictâ, & hanc ſuæ ſanctitatis laudem attigiſſem, ſcio, hæc etiam de re Curtiſanos me accuſare: qvum tn. deberent Papam eorum Idolum magis, qvam me &c.

Theodorus Zvvingerus in theatro vitæ humanæ, volum. 4. l. 1. & alii. 1560.

Prodigii loco eſſe potuit lapis ille Islebii (qvæ patria fuit Mart. Lutheri) ex puteo effoſus, patrum ætate, Pontificis imaginē, in throno ſedentis & gemmā in dextro pollice accuratè contemplantis, habens: de qvo etiam alibi in hoc opere. Imp. Ferd. Pp. Paul. 4.

Anno **Joannes Spinæus Gallus de tranqvillitate animi.**

1560. SI aliud malorum inde nascentium exemplum cupimus, videamus, qvid Ecclesiæ, negligentiâ & ocio pastorum, acciderit. Unde in hoc misella vinea vepres & spinæ creverunt? Unde fit, ut labruscas gignat? cur non putata, nec fossa circundata? cur depasta, deserta & demolita? cur deniq; omnes à Prophetis domui Israelis prædictæ & denunciatæ maledictiones, in eam sunt effusæ? nisi propter infidelitatem & negligentiam villicorum, qvibus illa commissa fuerat colenda? Unde tanta gregis miseria, ut aliæ scabiosæ, aliæ morbidæ, aliæ macilentæ & debiles, aliæ errantes, aliæ perditæ, aliæ sint abreptæ, & ablatæ? nisi propterea, qvòd traditæ sint mercenariis, qvi otium, ac desidiam sectantur, & qviescere malunt, qvàm officio fungi; & tolerare, Jacobi exemplo, ardorem solis, & frigus nocturnum, ad tutiorem ovium custodiam.

D. Matthæus cap. 9. commemorat, Jesum Christum, cû vidisset turbam, misericordia commotum esse super eis, qvòd essent dissipari & disjecti, qvasi oves non habentes pastorem: & tunc dixisse discipulis suis: Ipsa qvidem messis multa, operarii a. pauci. Rogate igitur dominum messis, ut emittat operarios in messem suam. Hinc patet, culpam turbatæ & destructæ domus Dei ab eo conferri in œconomos. Et certè si qvis dominus suos eqvos macilentos & malè curatos videat, soli hippocomo, cui commiserat, irascitur: ita pastores speciatim reddituri sunt rationem tantarum calamitatum, qvibus Ecclesia deformatur. Perniciosissimum est igitur cum privatim singulis, tum Reipublicæ in genere, otiosus tolerare.

1560. **Margareta Valesia Reginæ Navarræ.**

Editus est liber in lingva Gallica sub nomine hujus Reginæ, in qvo aliqvot Sacerdotum & Monachorum horrenda & turpissima recenseatur. Vide ibi. Imp. 118. Ferdinando. Pp. 230. Paulo 4.

Erasmus Schreckenfuchsius de

1560. **7. Calendariis.**

Anno 1453. cùm Turcarum Imperator Constantinopolin cepisset; Christi imaginem in urbe exigi jussit, & stercoribus projectis conspucari, Conjunx Cæsaris cum filialibus tractæ ad convivium, publicè stupratæ, & tandem frustulatim dissectæ sunt. V. S.

Joannes Acronius.

1560. HOc anno aliqvot prodigia in cœlo, utpote faces & ostenta ignea, tres soles, & alia visa fuerunt: de qvibus Acronius qvendam scripsis, & in publicum edidit, librum.

Joannes Garcæus in methodo Astrologiæ. p. 24.

MOrtuus est anno 1546. Lutherus: habes apud Garcæum ejus thema cœli, ut etiam aliorum qvoq; plurimorum virorum illustrium & doctorum. V. S. 1546.

Joannes Glandorpius in Onomastico.

ULpianus Trajanus Crinitus Imp. Præfecto Prætorii de more gladium tradens, dixit: Hunc adversus hostes meos utere, si rectè imperaverò; sin minùs, in me stringito. V. S. 1560.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia. Imp. 118. Ferdinando Pp. 231. Paulo 4.

Interea verò Carolo ad solitudinem vitæ in fano Justi degendam in Hispanias profecto: atq; Imperio ad Ferdinandum fratrem, multò ante regem Romanorum electum ac coronatum, publica Electorum ad principia Francofurti congregatorum approbatione translato: cum hic, pro sua erga sedem Romanam observantia, Saulum Pontificem de administratione Imperii suscepta, per Guzmannum, supremum Maj. suæ Camerarium, certiorem reddere statuisset, cum significatione voluntatis de diademate imperiali primo qvoq; tempore, cùm sese occasio daret, petendo, recipiendoq;: tam improba malevolentia elataq; protervia Cæsareæ observantiæ respondit, ut, se non vei Petri, cum cæteris Apostolis magistratum tanqvà ordinationem divinam debito honore cultuq; prosecuti, successorem, vel non hominem ad mutua benevolentiæ ac humanitatis officia propensum: sed ipsissimum Antichristum, qvem Sacræ Scripturæ autoritas supra omne id, qvod divinum est, se elaturum affirmat, esse, diciqve debere ostenderet.

Effera namq; bestia, qvæ Ferdinandum Imperatorem minimè agnoscere vellet, prætendens, à Carolo nemini nisi sedi pontificiæ imperium cedi potuisse: nec Ferdinando, citra consensum ejus, administrationem Imperii suscipere licuisse, legatum Cæsareum venientem minimè ad colloqvium admittere voluit: sed explorata causa adventus ipsius, Cardinalibus, Jurisq; peritis qvæstiones, non ex oraculis doctrinæ cœlestis vel promtuario Legum petitas: sed ex imis tartareis sedibus, ab omnis malitiæ superbiæ, mendaciiq; autore Lucifero prolatas, discutiendas proposuit: qvæ, ut postea per Romanistas disseminatæ sparsæq; fuere, hujusmodi extiterunt.

Annon Guzmannus, qvi missum se assereret à domino suo Ferdinando ad sanctissimum dominum Papam, legitimè docere deberet, qvid circa Imperii cessionem, fratri Ferdinando factâ, Car. V. fecerit: & econtra, qvid frater ipse admiserit & acceptaverit?

An

An iis sufficienter edoctis, illa omnia facta fuerint rite & legitimè, maximè non interveniente consensu sanctissimi domini Papæ, & sanctæ sedis Apostolicæ?

An remotis iis difficultatibus, nihil de præsenti personæ seren. domini Ferdinandi resisteret, qvò minùs Imperialis dignitatis capax sit: cujusm. sit mala educatio filii sui regis Bohemiæ, qvi ad manifestam hæresin inclinet: permisso, qvòd in ditionibus sibi subjectis passim hæreses impunè vigeant, Catholici opprimantur, Ecclesiæ viduentur, & monasteria despolientur, profitentes Augustanam Confessioné promiscuè cum Catholicis conversentur & habitent.

Concessisse Ferdinandum colloqvium Wormaciense sine consensu & licentia. S. sedis Apostolicæ, de rebus religionis inter Christianos & hæreticos. Juramento se adstrinxisse in conventu Francofurtensi, servaturum omnia, qvæ in comitiis præteritis statuta fuissent, inter qvæ plura hæretica & damnata reperirentur. Imperatoris nomen propria autoritate assumsisse. Decretum contra communicances sub utraq; specie publicatũ, suspendisse, hoc præsertim tempore, qvo maximè executioni mandari debuisset. Violasse juramentum, qvo in electione primâ, in regem Romanorum, ad Ecclesiæ & fidei Catholicæ defensionem, hæresium ac schismatum extirpationem, nec non hæreticorum aversationem, sed adstrinxerit. Alia qvoq; ejus generis qvàm plurima, contra juramentum & sacros canones ab ipso commissa.

Qvid itid. è personâ nonullorum Principum elector. dicendum sit, qvi notoria Eccl. Romanâ relictâ, huic cessioni consenserint: & qvomodo tandem cum Christianæ Reip. pace & tranqvillitate, hisce omnibus consuli ac prospici possit. Et hæc Cardinalibus tunc discutienda proposita fuêre.

Licet a. nunc ordo narrationis exigeret, ut, qvid ad ea Cardinales responderint, subjicerem: & neutiqvam mei muneris atq; officii esse videam, in propositas qvæstiones inqvirere: tn. vesana Romanistarum superbia omnes leges superans, ac rerũ propositarum indignitas, ab ordine proposito me removent, & ab instituta narratione præter historiæ legem nonnihil digredi compellũt. Id qvod dum facio, veniam mihi ab æqvo Lectore dari pero. Nam qvis, qvæso, hisce qvæstionib. perpensis autorem, à qvo propositæ fuêre, cõsiderans, etiam lege historiæ neglecta, vesanam dominandi libidinem, cũ horribili impietate ac impudentia conjunctam, in pontificibus Romanis non exsecretur? qvi non contenti servitute, qva Christi Ecclesiam multis annis tyrannicè pressêre; reges ac principes, in tanta veritatis luce, sub tyrannidis ac captivitatis Babylonicæ jugum rursus qvoq; redigere conantur.

Vult hæc bestia sese doceri, qvid circa Imperii cessionem Ferdinando factam Carolus fecerit, vel Ferdinandus acceptârit. Qvo jure id postulat? Annon Apostolor., eorumq; successorum potestas, hisce limitib. ac metis arctata atq; circumdata est, ut ipsi ministerium Evangelii docentes, non solùm Imperiis relictis, reges gentium dominari permittant, sed & ipsi sese eorum potestati ac jurisdictioni obediẽter subjiciant? Qvis itaqve abominabile non judicet, qvòd Papa, Christi mandato spreto, ipsum Imperatorẽ sibi subjicere, & de ejus electione ac autoritate judicandi potestatẽ usurpare nitatur?

Consensum suum in cessione ac acceptatione Imperii intervenire debuisse, asserit. At qvæ lex divina vel humana id præcipit? Annon Pontificum ambitione crescente, cũ hi autoritate sua electum Imper. approbari contenderent, jam multis abhinc annis luculenter & copiosè doctissimi qviq; demonstravêre, electum concordi principũ suffragio ad approbationem Pontifices petendã, vel recipiendam, minimè astringi? Dum itaq; hic Saulus contrarium exigit, an potius Germanos vel meretricis magnæ amore adhuc insanire, vel jurium suorum oblitos esse existimat?

Porrò Ferdinandi confirmationi malam filii Maximiliani tunc regis Bohemiæ, nunc Imperatoris laudatissimi, educationem objicit: in qvo non insignem, imò diabolicam Pontificis malitiam cernere licet. Qvæ enim bonæ ac laudabilis educationis pars est, qvæ omnibus ejus membris diligentissimè discussis, in principe Maximiliano desideretur? Siqvidem veræ ac incorruptæ religionis Christianæ cognitione à teneris annis, magno totius Ecclesiæ commodo imbutus, ad justitiæ omniumqve virtutum amorem assuefactus, literis bonis ac artibus honestis præ cæteris Europæ regibus atq; principib. liberalissimè eruditus, à vitiis teterrimis gubernatorum, libidine, rapacitate atq; ingluvie aversus: deniq; variarum peregrinarum cognitione, cum incredibili mansuetudine, humanitate, continentia, temperantia, & frugalitate instructus est, ut qvemadmodum in opalo gemma multarum gemmarum dotes eminere dicuntur, cunctæq; hæ pariter incredibili mixtura lucere: ita in Maximiliano multivaria ingenii atqve virtutum ornamenta effulgere, & qvæcunqve apud alios placere possunt, in illo inveniri conspiciuntur: ut nemo tam à judicio aversus, vel à virtute alienus sit, qvem pulcherrimis virtutum chorus in hoc principe, in admirationem ejus non convertat ac rapiat.

Verùm qvid bestiam istam septicipitem urat, minimè obscurum est. Potuêre superioris ætatis Pontifices Imperatorum, qvos odio haberet, filios, amore meretricis Babyl. dementatos, in parentes nefariè ac parricidialiter armare: ut exempla Turbani II. Pascha-

Paschalis, atq; Gregorii 9. superiùs commemorata in Henrico 4. & Ferdinando secundo, demonstrant. Hic Saulus ergò qvartus, cum Maximilianum melioris spectatiorisq; indolis, pietatis, & sanctimoniæ esse, deprehendit, qvàm ut optimum ad mala agenda impelli posse existimet, malè educatum esse vituperat. O Draconis verissimam sobolem, filiamq; Diaboli: qvæ bona mala dicere non erubescit.

Nam qvod ad ostendendam malã Maximiliani educationẽ allegat, permitti ab eo, ut confessionem August. profitentes, liberè cum his, qvos Catholicos nominant, conversentur: qvis ab asturtissimo Theatino hoc qværi non videt, ut Evangelicis ab aliorum consortio exclusis, nova genimina impietatis suæ, in ædes muliercularũ, ad captivãdas earum conscientias, teneramq; ætatem in captivitatem Babylonicem seducendã, liberè irrepere, soliq; qvasi hostibus profligatis in ditione Cæsareâ dominari qveant? Qvis etenim à pontifice Saulo, Catholicis Evangelicorum conversatione, metu corruptionis, interdici credat? Annon ista meretrix Babylonica nullam suorum contagionẽ vetita, ipsos cum pestilentissimis scortis, añuâ etiam pensione ab hisce accepta, liberè atq; securè non tantùm conversari, sed & fœdiora perpetrare concedit: Annon Turcos atqve Judæos in suâ ditione, maximè Anconæ, cum suis negociari, contrahere, conversari, comessariq; permittit?

Qva igitur fronte criminari audet, liberã conversationem his, qvi Evangelio nomen dedêre, cum alterius religionis sectatorib. concedi? Perditam hanc meretricem à facie suâ in abyssum repellat Dominus, qvæ Christi religionem piè ac sincerè amplectentes, deteriores Turcis atq; Judæis habere non erubuit. Ac ut hoc cum singulari impudentiæ ac iniqvitatis nota: sic qvòd Catholicos opprimi, monasteriaqve in regno spoliari prætendit, cum insigni vereq; papali mendaco conjunctum est. Ubi namq; locorum, & qvo tempore hoc factum fuisse probaret? At qvid velit, facile est conjicere. Inspectio namq; & cura, ne à Papæ gurgitibus opes Ecclesiæ vorentur, & per summam luxuriã neqviter dissipentur, Romanistis jampridem Catholicorum oppressio, ac monasteriorum spoliatio dicta est.

p. 116. Qvæ verò hæc perversa calumnia est? Annon Spiritus Sancti elogio rex sanctissimus Josias prædicatur, qvòd cùm oblationes à sacerdotib. ingurgitari videret, scribã suum exigendis rationibus præfecerit? Ejus ergò exemplo, si principes qvoq; Germaniæ ad vindicandum sacrilegium manus admoveant, qvid piaculi committere dicentur? O iniqvissime Saule, qvi cum Ascanio Columnio, nihil tale merenti, facultates suas paternas eripere, easq; tuo cognato Comiti Montariano assignare non reformidares: aliorum justas ac pias inspectiones, ne Ecclesiastici bonis Ecclesiæ malè utantur, improbè condemnas. Anno

Culpat deinde colloqvium Womaciense, à Ferdinando citra consensum Rom. Ecclesiæ inter hæreticos & Christianos permissũ. At qvare, ipse ea fidei magistra, libera de religione colloqvia non instituit? & cur à colloqviis de religionis dissidiis, vitiisq; Ecclesiæ tollendis, viros pios, ac veram Evangelii doctrinam amplectentes, tyrannicè excludit? An itaq; Ferdinandus in tanta Romanæ sedis, non negligentia, sed fraudulenta ac impia idolomaniæ, pessimorumq; abusuum tolerantia, conventu de dissidiis Religionis componendis permisso, rem vel à pietatis vel officii rationibus alienam fecisse putabitur? Annon veteres Christiani imperatores ac reges, inconsultis & invitis episcopis Romanis, consilia celebrasse leguntur? Qvis primùm Synodum Nicenam, qvis Ephesinam, qvis Constantinopolitanã, qvis Chalcedonensem coegit? & ne in enumerandis singulis prolixior sim, qvis totis qvingentis annis synodos universales, qvæ multæ habitæ fuerunt, inter id tempus congregavit, unum Cæsarem?

Qvid verò in hoc peccavit Ferdinandus, qvòd se ad observationem eorum, qvæ in præteritis comitiis decreta fuissent, juramento obstrinxerit? Annon bonum Imperatorem ac regem publicis regni statutis teneri, qvàm voluntate atq; libidine Pontificum ferri, satius est? Et an non dum hic delirus atqve vesanus pontifex ea, qvæ æqvè à Romanæ Ecclesiæ cultoribus, atqve à Lutheranis (ut eos vocat) decreta fuêre, condemnat, suæ religionis qvoqve ordines vel hæreseos vel defectionis imprudenter insimulat? Agnosce itaqve meretricis Babylonicæ cerebrum, qvæ in laqveum tortuosum delapsa, hic sua pudenda turpissimè denudat, atq; pudendorum, qvàm cerebri, se plus habere in hac causa ostendit.

Imperatoris nomen citra pontificis consensum à Ferdinando assumtum, qvoq; indignatur. Cùm verò jam olim legibus (vide de hoc constitutionem Ludovici IV. apud Albericum de Rosate. L. Benè à Zenone. C. de qvadrien. præscrip.) imperii sancitum & consuetudine receptum sit, electũ ab electoribus concorditer, vel majori parte eorundem, ex sola electionẽ verum Romanorum Imperatorem esse censendum, nec Papæ aut alicujus alterius approbatione vel consensu indigere: qvid novi qvæso hîc à Ferdinando commissum? vel qvæ pontifici indignandi debacchandiq; causa? nisi vel ambitio, vel dementia diabolica?

Damnat decretum, contra communicantes sub utraq; specie suspensum. Qvæ . . hic in magistro veritatis, atq; sacrarum literarũ interprete, scientia apparet? Annon Christus communione Cœnæ Dominicæ instituta, eam

eam sub utraq; specie observari jussit? Annon hanc ut Christi testamentum Paulus Apostolus mutari vetuit, hoc argumento: cum hominis testamentum rescindere non liceat, nec Christi rescindere licere? Annon Ecclesia primitiva, Christi in institutioni insistens, eandem sub utraq; retinuit, usqve qvo vix ducentis abhinc annis, Christi ordinatione per Pontifices scelerate mutata, Ecclesiæ altera species ademta est? Annon Paulus qvoqve III. & ipse Pontifex, edita bulla sua, Germaniæ Episcopis potestatem communicandi populi sub utraqve specie concessit, eaq; Imperator nonminùs qvàm qvivis illorum gaudere potuit?

Ferdinandus itaqve, suspenso mandato contra communicantes sub utraq; specie, remne institutioni Christi, atq; mandato ejus, bullæq; Pontificiæ dissonam, ac Christiano Imperatore indignam fecit? Annon, dum Saulus contrarii mexigit, se non Christi vicarium, sed verissimum Antichristum: non cultorem primitivæ Ecclesiæ, sed contemtorem: & antecessoris non sectatorem, sed hostem manifestum esse demonstrat?

Perjurii deniq; notam Imperatori (qvo juris jurandi, fidei datæ, atq; promissi nullus tenacior, vel cultor religiosior extitit) perfidiæ author Papa, aspergere conatur. At qva de causa alia, qvàm qvòd ad nutum & voluntatem sænæ istius meretricis, ebriæ de sangine sanctissimorum martyrum, sangvinem innocentium, qvos hæreticos impiè asserit, effundere, atq; Christi doctrinam amplectentes, triremibus, aqvis, laqveo, securi, igne, ferroq; perseqvi noluerit: ea semper consilia secutus, qvibus certamina in Ecclesiâ nata, moderatione magis, qvàm vi & armis componerentur? Et jurârit Ferdinandus, qvod Pontifex prætendit, se omnē hæresin atqve hæreticos exterminaturum: idqve non præstiterit: ob idne in perjurii notam incidisse dici poterit?

Annon, cum hi, qvi à pontifice hæreseos insimulantur, ejus minimè convicti & condemnati fuerint, qvod canones exigunt, justius à tæde eorum justissimus Imperator abstinuit, qvàm juramento adimpleto sangvinem innocentem effudit: ipsis Pontificū decretis statuentibus, juramentum iniqvitatis vinculum minimè esse, sed tres comites (veritatem, judicium atq; justitiam) habere debere: ac si qvid fortè nos incautiùs jurare contigerit, qvod observatum in pejorem vergat exitum, illud liberè salubriori consilio mutandum, ac magis instante ne-

A.17. cessitate pejerandum, qvàm pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum? Præterea, an ingens scandali atq; periculi imminentis necessitas, qvæ aliis ex sententia præstantissimorum Jurisperitorum in simili facti specie prodesse visa est, nil Imperatori ad excusationē prodesset, qvòd ad voluntatem pontificis id, qvod promiserat, necessitate compulsus, non servârit?

In electorum qvoq; vota inqvirit. At qvid illi juris in ea tributum? A pontificene, an à proceribus Germaniæ, ea ipsis collata fuêre? Ac sint electorum qvidam hæresi aspersi, ob idne vota eorum infirmabuntur? Sanè si gesta ab hæreticis irrita sunt, qvæ decreta Romani episcopi valida firmaq; erūt? Ipse namq; non solum hæreticus est, sed hæresiarcha, adeoq; omnium hæreseon & impietatum impurissima lerna atq; latrina. Anno

Ad extremum, omnia ita examinari postulat, ut qvieti & tranqvillitati publicæ consulatur. At qvæ furia unqvam ex stygè tartarea paci ac tranqvillitati infestior, qvàm volucris illa invisa atqve immunda Romana exorta est?

Hæc namq; cum inter principes Christianos discordias atq; bella serere & fovere omni studio, pollicitationibus, largitionibus, proditionibus, variisq; dolis contendat, in causa est, cùm ut Christiani principes inter se dissidentes, adversos, Turcam per Ecclesias Christi in Europa ferro, ac miserrimo Mahometici dogmatis jugo debachantem, nunqvā convenire possint: tum ut ipsi inter se bellis civilib. atq; domesticis conflictētur: ipsa interim tyrannidem suam, tanq. divinū qvoddam numen conservante, hac cū specie, ut rerum imperiti existiment, adversus ipsam inferorū portas non posse prævalere?

Sed qvò oratio delabitur? Revocetur ad qvæstiones à pontifice propositas, unde digressa est.

Cardinales, qvæstionib. hisce propositis, etsi ob novitatem facti eas tanti ponderis esse faterentur, ut non solùm personarum, de qvibus ageretur, sed & temporum perturbatissimorum ratione habita, maturiore sapientum consilio examinandas esse censerent, maxime cum & potentia infidelium imperio vicinorum extimescenda esset: tamen vel cupiditate pontificiæ autoritatis conservandæ, vel metu beluæ istius, sine discrimine in qvemlibet debachantis, adducti, ea respondêre, qvæ, ipsos libidini pontificæ qvàm veritati malle servire, testarentur.

Nimirum necesse esse, publicis documentis probari, qvomodo imperium per cessionem Caroli V. aut alia ratione vacârit: & dispiciendum, qvomodo Ferdinandus se successisse prætenderet: oratore interim ad obedientiam præstandam, vel ad actum aliqvem publicum tractandum, neutiqvā admisso. Omnia qvæ Francofurti circa Ferdinandi electionem acta & gesta essent, nullius valoris, momenti, vel ponderis esse: cùm authoritas sedis Apostolicæ, cui primitus claves cœlestis & terreni imperii datæ sint, defecerit: iis personis intervenientib. qvæ hæretica pravitate laborantes, omnē gratiā & facultatem, olim ipsis circa electionē Imp. concessam, amiserint. Qvæ in tertio capite Ferdin. opponeretur, maximi ponderis esse.

Opus illi itaqve esse pœnitentia: qvæ acta,

Anno acta, in illum paterna clementia procedi posse. Qvocirca ab ipso Procuratorem ad renunciandum omnibus actis & gestis Francofurti constitui: eaq; renunciatione facta, ac stante imperii vacatione, novum mandatum ad confirmationem petendam confici posse: cum constet vigore electionis, ac Clementis VII. confirmationis, Ferdinandum in Imperio succedere debere. Cum v. impedimentum aliqva sua culpa contractum ei obstet, examini subjiciendum, ut absolutione impetrata, ad obedientiam exhibendā, & consvetum juramentum fidelitatis admissus, sedis apostolicæ confirmatione potiatur: cujus illud groprium ac peculiare sit, extensa brachia tenere, ut qvemcunq; pœnitentia ductum, & viva fide ad eam confugientem, amanter & obviis (qvod ajunt) ulnis complectatur.

Hic verò ex vobis (ô Romanistæ) qvis denuò non scire desideraret, an qvispiā vestrûm se Imperatore Ferdinando sanctiorē vel justiorem dicere ausit? Qvodnam ipse delictum patrârit, dignum pœnitentia tanta? Qvalis pœnitentia, qvam postulas esse debuerit? Qvid deniq; ei de vestro animo sperandum fuerit? Væ vobis, qvi verbis religiosi sanctiq; videmini, & in cordibus vestris ne micam qvidem pietatis vel sanctitatis habetis? Væ vobis, qvi pœnitentibus obvias ulnas offertis, & venientes ungulis ursinis crudeliter protritos deglubitis! Væ vobis hypocritæ, qvi aliis pœnitentiam injungitis, & ipsi eam non agitis? Qvando etenim horribili vestra ethnica idolomania relicta, veram Christi Apostolorumqve doctrinam amplectemini? qvando piorum atq; innocentium, qvos falsô hæreticos dicitis, sangvine satiabimini? Qvando Sodomitica spurcitie abjecta, dignam ordine sacerdotali vitam instituetis? Qvando tandem immensis Christiani orbis expilationibus expleti, inexhaustæ repacitati vestræ modum finemq; statuetis? Qvando à fraudibus excudendis, dissensionibus alendis, bellisq; conflandis, & orbe terrarum turbando desistetis? Qvando infinitorum aliorum scelerum, qvæ pellis Madian, vel tota Ilias non contineret, pœnitentia vos capiet? O generatio prava, qvæ aliis regnum cœlorum claudis, & ipsa non intras, nec intrabis illud!

Interea verò, dum hæc in collegio Cardinalium, vexamine magis, qvàm examine diligenti discutiuntur, Guzmannus legatus Cæsaræus, cognitis his, qvæ Papæ machinatione tractarentur, se indies à pōtifice audiri postulat. Ac tandem post trium mensium spacium, seriasq; ac graves expostulationes, Imperatoris jussu severiore accepto, ut aut admissus mandata injūncta exeqveretur: aut nulla interposita mora, Roma dis-

1561. cederet: rem eò deducit, ut in præsentia septem Cardinalium auditus, hanc responsionem referret: qvandoqvidē postulata ipsius maturam, ac diligentem Cardinalium Jurisq; peritorum deliberationem reqvireret, sibi, prout à domino jussus esset, recedere licere: interea Sanctissimum rem totam ad accuratiorem deliberationē revocaturū.

Qvæ per Deum immortalem hæc deliberatio, nisi deliberata ac frustratoria elusio fuit? Nam re antè satis deliberata ac frustratoria elusio fuit? Nam re antè satis deliberata, Sauli istius arte, confirmatio Imperatoris ita protelata est, ut dum splendidissimis Cæsaris titulis officere conaretur, ipse vitalia lumina linqvens, cum memoriæ suæ condemnatione, tartara obscura, jam diu iis dignissimus, subierit: Imperatore Ferdinando aliqvot pòst annis qvoq; ex hoc terrestri regno ad cœleste evocato, ut confirmationē, qvam Saulus controversam reddere statuisset, à Pio IV. ejus successore oblatam, animo excelso vereqve regio respuerit: legitima principū Germaniæ electone, exemplo Rudolphi Habspurgici progenitoris, aviq; Maximiliani, contentus. Schardius ex Leopoldo de Babenberg de juribus Regni, Dante, Alberico de Rosate, tomis conciliorū, & aliis.

Horrenda.

Anno Christi 1561, die Jul. 11. horribilis hæc historia accidit cum Christianis hominibus 88. qvi Montali propter confessionem Evangelii in Regno Neapoleos miserè fuerunt trucidati. Primùm omnes captivi compacti sunt in unam domum, & ibi damnati mortis supplicio: qvam secutus ex mandatis sententiam Carnifex singulos unum post alterum eduxit ad lanienam.

Primùm verò omnibus oculos obligavit fascia, deinde in qvandam plateam ampliorem supplicio destinatam sic occæcatos abstraxit, ibi eos in genua cadere jussit, & singulis cultro jugulum abscidit veluti caponibus, & sic miserè emori fecit: si qvem humi foderat & jugulaverat, fasciam & ferrum cruenta in os recepit, & alium produxit ad macellum, sicq; singulos tractavit, donec uno cruentato cultro octoginta & octo hominibus ademit vitam. Qvi erant grandiores natu, alacriores erant ad martyrium qvàm imbecillioris ætatis juvenes.

Deinde in qvaterna singulos dissecuit frusta, & ibidem ea in cuspidibus suspensa in qvasdam series collocavit in viam versus Calabriam ducentem. Brevi post hæc centum mulieres ibidem loci martyrio sancto coronatæ sunt instar priorum. Nec non & septem Ecclesiastæ, qvi etiam igni addicti, sublati sunt ex mundo. Christianorum autē captivorum, qvos hæreticos vocitabant improbi, erant tunc in Calabria decies sexies centum, excepto numero vulgariū & rusticorum plebis non exiguo, qvorum tamen multi iterum desciverunt, & metu pœnæ ad gremium meretricis Pontificiæ se contulerunt. Job. Finc. l. 3. Imp. Ferd. Papa 231. Pio 4.

Christia-

Christianus Vurstisius Mathematicus Basiliensis.

Carolus V. Imperator cùm adversus Protestantes bellum movere vellet, priùs non solùm pacem & fœdera cum Turcis & Gallis sanxit: sed etiam Helvetios unà cum Papa rogavit, ne se interponerent. Non n. arma sumi contrà religionem, sed Protestantium inobedientium rebellionem: religioni autem mansuram fore pacem salvam & incolumem. Verùm in fine deprehensum fuit consilium & animus. Imp. & Papa ut sup.

Gilles Corrozetus in Chronico.

HIc scripsit Antiqvitates, Singularitates & Chronicon urbis Parisiensis, cum sepulchris, Epitaphiis Regum, Principum, aliorumqve clarorum virorum. Inter alia autem scribit memorabile, qvòd, cùm Petrus Remy, Administrator Regni tempore Philippi Valesii, Anno 1328. ædificâsset patibulum illud celebre prope urbem Parisiensem, appellatum Mont faucon: qvidam miro præsagio insculpserit lapidi illius patibuli seqventem rhythmum:

Ence gibbet icy em my
Serapendu Pierre Remy.

Et hæc prophetia pòst suum sortita est eventum: Petro illo propter furta in medium patibuli, ut esset aliis in exemplum, suspenso.

1561. ## Aloysius Luisinnus Utinensis.

EDidit hic hoc tempore librum doctissi-
p. 119. mum & utilissimum de compescendis
animi affectibus, qvem si ii, qvi Ecclesias &
[illegible] aulas regere volunt, meliùs (qvàm fit) observarent, certè aureo frueremur seculo. Imp. 118. Ferdinando. Papa 231. Pio 4.

1561. ## Ordo Militum S. Stephani.

COsmus Florentiæ Dux anno 1561. instituit hunc ordinem, ad Melitensis militiæ exemplum. Sed in eo differt, qvòd pro candida rubram crucem gestant auro circumscriptam: & mariti esse possunt, qvod Joannitis non licet. Ilva Ligustici maris Insula eorum sedes est. Nomen à qvo habeant, authores variant. Panvinus, Stephano Papa: alii, à Florentinæ civitatis Stephano Pontifice: alii aliter scribunt. Imperatore Ferdinando. Papa Pio 4.

[illegible] ## Menot Concionat. Gallus f. 70. Col. 1.

O Domini Ecclesiastici, qvi roditis ossa mortuorum, & bibitis sangvinem crucifixi, audite.

Et fol. 5. col. 3. Non est cauda prælatorũ, qvi hodie post se ducunt canes, & mangones in dutos ad modum armigerorum, sicut Svytenses: qvi nullo modo curant de grege sibi credito.

Et postea. Qvid dicitis domini Ecclesiastici & Prælati, qvi comeditis bona hujus pauperis, qvi pendet in cruce, ducendo vestras vanitates?

Item fol. 132. Col. 1. O si non viderentur magni luxus, magni bragettæ, simoniæ, magnæ usuræ patentes, notoriæ luxuriæ, qvæ sunt in Ecclesia: populus non esset scandalizatus, nec vos imitaretur. O qvalis rumor: dico secundum puram veritatem: Mille prælati sunt causa, qvod pauper & simplex populus peccat, & qværit infernũ. Ad omnes diabolus! Nunc si aliqvem eorum vis laudare, hoc modo laudes: Est bonus paterfamiliâs: benè aliter facit, qvàm suos prædecessor. Ad omnes diabolos tale menagium! Menagium pro animabus est magis necessarium & principale. Anno

Et fol. 9. Col. 1. Videmus, qvòd hodie intrant Ecclesiam, ut boves stabulum, cornibus elevatis: ut multi, qvi intrant non per Spiritum Sanctum, sed vi armorum, & strepitu armigerorum, & militum.

Item fol. 120. Col. 1. Sed unde provenit hoc? qvia certè Spiritus Sanctus est hodie expulsus de concilio, synagoga, & capitulis episcoporum, & electionibus prælatorum. Qvia, ut videtur, hodie puero decem annorum datur parochia, in qva sunt qvingenti ignes: & pro custodia assignatur qvandoqve unus nobilis curiæ: qvi post Deum nihil odit, nisi Ecclesiam. Heu Deus scit, qvomodo hodie dantur beneficia Ecclesiastica. Si qværitis, qvomodo puer iste habuit beneficium: sciunt responsionem: Mater sua erat familiaris episcopo, dedit ei. Nam hodie verificatur & conpletur Prophetia Esaiæ 3. Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eorum. Videmus hodie super multos habentes duas abbatias, duos episcopatus, & adhuc non sunt contenti.

Item fol. 111. Col. 2. Qvòd hodie non dantur beneficia, non, non: sed venduntur. Non est meum dare vobis. Antiqvitus dicebantur præbendæ, à præbeo, præbes: sed hodie dici debent Emendæ, ab emo, emis: qvòd non est meum dare vobis.

Et fol. 100. Col. 4. Secundò erit prior, abbas, commendatarius, & potiùs comedatarius, qvi omnia comedit.

Et fol. 94. Col. 1. Nonne reputatis simoniam, qvando pro episcopatu valente novem millia facitis fasciculum plurium beneficiorum ascendentium usqve ad summam novem millium, & datis hoc pro recompensa? Ad omnes diabolos talis recompensa?

Et fol. 8. Col. 3. Sic isti protonotarii, qvi p. 82.
habent illas dispensas ad tria, imò ad qvindecim beneficia, & sunt simoniaci & sacrilegi: & non cessant arripere incompatibilia: idem est eis. Si vacet episcopatus, pro eo habendo dabitur unus grossus fasciculus aliorum beneficiorum. Primò accumulabuntur archidiaconatus, abbatiæ, duo prioratus, qvatuor aut qvinqꝫ præbendæ, & dabuntur hæc omnia pro recompensatione.

Et fol. 100. Col. 2. Dic de abusibus, qvi fiunt.

Anno fiunt, qvando isti, qvi habent beneficia, dant illa fratri uxoris, ut illa portionem hæreditatum fratris habeat. Imperatore Ferdinando. Papa Pio 4.

Idem. Sed nunc qvid in Cameris Sacerdotū reperietis? an expositionem epistolarum, postillam super Evangelia? Non. Faceret eis malum in capite magister Nicolaus de Lyra. Qvid ergo? Unum arcum, vel balistam, spatham, aut aliud genus armorum, aut scortorum.

Maillard prædicator Gallus folio 25. colum. 3.

Estis hîc domini bullatores & portatores reliqviarum?

Fol. 35. col. 3. Dixi hodie manè de lingva fraudulatoria: & credo, qvòd portatores reliqviarum, caphardi, & mensuratores vultum imaginum sæpè comedunt de isto pastillo.

Folio 37. col. 3. Estis hic portatores bullarum? nunqvid linitis auditores vestros ad capiendas bursas eorum?

Fol. 45. col. 1. Et vos portatores reliqviarum & indulgentiarum, nunqvid jactatis vos de malis, qvæ facitis in villagiis? An creditis, qvòd unus magnus usurarius, plenus vitiis, qvi habebit mille millia peccata, dando sex albos trunco, habeat remissionem omnium peccatorum suorum? Certè durum est mihi credere, & durius prædicare. Adulteri enim de malo concubitu recipiunt prolem: ita & vos pecuniam.

Et folio 331. col. 1. Videre magistri reverendi, habuistis bonum qvadragesimale: lucrati estis centum francos: congregastis multum: vos reddetis computum Imperatore Ferdinando. Papa Pio 4.

Idem. Crux suadetur Matth. 16. Si qvis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & seqvatur me. Sed utinam de religiosis moderni temporis non verificaretur illud Matth. 26. oves, relicto eo, fugerunt. O Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt sanctum templum tuum.

Andreas Duditius Sbardellatus Episcopus Tininiensis.

Hic Prælatorum & Clericorum in Ungaria nomine, in Concilio Tridentino vehementi oratione calicis usum (ut etiam Bavari petierunt) postulavit, adeò, ut etiam à patribus in hac qvæstione justissima nihil definitum, sed in Papam ea rejecta fuerit. Imp. & Papa ut sup.

Matthias Flaccius Illyricus.

Noribergæ in Comitiis anni 1523. à Statibus Imperii postulabatur, sed sedulò urgebatur, ut in Germania Christianum liberumq; concilium institueretur, & (qvò liberiùs de articulis religionis, rebusqve necessariis omnibus ageretur, judicareturq;) ut omnis Episcopi ac Prælati juramenti obstrictione à Papa liberarentur, qvo ei alioqvi prorsus serviliter obstricti essent, & vice versa, contrario juramento promovendæ veritatis, publiciq; boni, circa ullius respectum, severissimè obligarentur. Qvod justissimum totius Imperii postulatum Pontificius legatus ægerrimè tulit, prorsusqve recusavit, dicens: id nihil aliud esse, qvàm colligare manus Pontifici.

Idem. Scribit Papa Pius secundus, ut in Paralipomenis Urspergensis habetur, qvòd, si Episcopus Papæ contradicat, etiam vera loqvendo, nihilominùs contra juramentum Papæ præstitum à se peccet.

Idem. Sacrilegum dogma Catharini Archiepiscopi Minoriensis, non ita dudum editis Romæ scriptis assertum est, qvòd videlicet passio Christi satisfecerit tantùm pro originali peccato, & actualibus baptismum antecedentibus: at Missa satisfaciat pro peccatis baptismum & primam justificationem seqventibus.

Idem. Est pictor & sculptor in Italia nostra ætate egregius, Michael Angelus nomine, qvi admirabilis est in exprimendo nuda hominum corpora, & pudenda. Commendo artem in facto: at factum ipsum vehementer vitupero, ac detestor. Nam hæc membrorum nuditas indecentissimè in aris & præcipuis Dei sacellis ubiqve conspicitur. Verùm annumeretur & hic cum cæteris multis, & magnis Abusibus, qvibus fœdatur ECCLESIA DEI, SPONSA CHRISTI. Qvod verò omnium est teterrimum, hac tempestate in excelsis templis ac sacellis offendes picturas tantæ lasciviæ, ut, qvicqvid natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat contemplari, ad excitandam non devotionem, sed cujusvis demortuæ carnis libidinem: qvod tantum fieri nostra, id est, prælatorum culpa contingere, qvi & hæc nedum patiuntur turpissima spectacula, sed eorum nonnunqvam etiam autores sunt, nemo potest inficiari. Hæc Archiepiscopus Compsanus.

Idem. In oratione Synodica Tridenti 4. Septembris, anno 1562. in sessione 4. coram illis sacris Patribus, nomine regis Galliæ recitata sunt inter alia duo valdè memorabilia puncta, aut dicta: qvorum prius qvidem testatur, multa jam olim in Ecclesiam & religionem Christianam, non tantùm per incuriam, sed etiam per hypocrisin, ac superstitionem prælatorum irrepsisse, qvæ omninò abroganda, & antiqvanda sint primo qvoqve tempore. Posterius verò dictum clarè fatetur, concilia nostri, & etiam prioris temporis parùm fuisse libera. Adscribam primùm prius dictum: deinde posterius. Inqvit igitur Antonius Sebastianus Uxentinus Episcopus:

Eqvidem humana imbecillitate fortassis, & aliqva PRÆFECTORUM Ecclesiæ incu-

incuria, vel etiam (ne qvid GRAVIUS dicam) PRÆPOSTERA PIETATE irrepsisse in Ecclesiam RES nonnullas, ANTIQVATIONE, ABROGATIONE, vel moderatione dignas: FATEAMUR, NECESSE EST.

Et aliqvantò pòst: Sic contrà à nobis peccari fortasse potest, dum OMNIA, qvæ seculis muniuntur, & LONGA VETUSTATE MORDICUS retinenda esse putamus: neq; satis spectamus, qvid inclinatio rerum, qvid momenta temporũ, qvid publica qvies postulet. Nonnulla, atqve haud scio, an veriùs dixerim MULTA, communi concordiæ permittenda sunt.

Observa, Christiane Lector, hunc amplissimum Regem fateri, multa irrepsisse in Ecclesiam ac religionẽ, non tantùm imbecillitate prælatorum, sed & incuria, atq; adeò etiam PRÆPOSTERA religione. Nec esse omnia in eorum religione mordicus retinendã, qvæ seculis, aut longa vetustate muniantur: multò ergò minùs innumera nova portenta. Verùm illud triste est, qvòd post tam infinitam lanienam piorum hominum, & verè Christi martyrum, nunc demum moderationem in sua parte reqvirunt, qvam multò priùs, ante effusum infinitum innocentem sangvinem, adhibuisse debebant.

Porrò de servitute, aut partialitate, & factiositate concilii, ita in eadem oratione, nomine ejusdem Regis pronunciatur:

NOSTRA, patrumq; nostrorum, & avorum memoria Synodus indictas fuisse, Episcopos convenisse, maximos in Germania, atq; in Italia conventus peractos esse, scimus. Vix tamen ullus, aut perexiguus inde fructus Christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inqvirere: nolo rumores ventosq; colligere. Hoc prætermittere certè non possum, qvòd vereor, ne nimis ad rem pertineat, qvòd minùs LEGITIMA, minusve LIBERA fuisse dicuntur illa CONCILIA. Qvi aderant, AD voluntatem ALTERIUS semper LOQVEBANTUR, aut potiùs ANNUEBANT. Qva re nulla in judiciis perniciosior, nullave capitalior esse potest pestis.

Idem. Extat prophetica pictura Lutheri: qva ostendit, Tridentinum concilium nihil aliud fore, qvàm fœtidum stercus Papæ: & tamen idipsum stultos qvosdam, vel impios potiùs homines, maximo cũ desiderio ac veneratione arrepturos, & devoraturos.

1562. Portenta.

Hoc anno acies militaris, imago Christi cruore undiqvaq; conspersa, acinaces, bipennes, hastæ, vexilla, atq; cruces sangvineæ in cœlo conspectæ sunt. Imper. & Papa ut sup.

1562. De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

Imperatore 118. Ferdinando. & 119. Maximiliano 2. Papa 231. Pio 4.

Nunc deniqve, post longa bonorum desideria, Imperii gubernatione Maximiliano, omni virtutum decore præstantissimo principi delata, etsi Pius IV. dum vixit, ita se erga eum gesserit, ut consveta pontificum in Imperatores improbitate apertè vitata, labem perfidiæ atqve malitiæ ab antecessoribus contrectam, eluisse videri possit: tamen cùm Paulus IV. jam antè malevolentiæ in Imperat. conceptæ, documentum insigne ediderit, nec vitia (ex Senecæ sententia) unqvam bona fide mansuescant, sed repressa aliqvantisper, tamen erumpant: lupusq; pilum qvidem, non animum, juxta proverbium, mutare dicatur: minimè dubitandum erit, qvin Pio jam extincto, alii post eum pestilentiæ cathedram conscensuri, animo ad inveteratam pontificum malitiam converso, Majestatem Imperialem omni arte doloq; sint impetituri.

Nunqvam etenim septiceps ista bestia, qvæ se falso Ecclesiæ titulo venditat, qvietura putetur, donec civitates, arces atqve castella possideat: & commentitia donatio, ei à Constantino facta, per aliqvem probum & potentem Imperatorem non sit revocata, cum non concordet psalterium cum cithara: nec datum sit à Christo, nec à beato Petro, qvòd possidere debeat talia: sed qvod est Cæsaris, reddatur Cæsari: & qvod est p. 811. Dei, Deo. Faxit itaq; Deus, ut Imperatores ac Principes fraudibus atqve injuriis, qvas sustinuerunt hi, qvi se servos Ecclesiæ isti fecêre, ad animum revocatis atq; perpensis, necessarias ac pias cogitationes de reprimenda tyrannide ipsius suscipiant, ac tandem Apocalypticum mandatum exeqvantur, Deo rem gratam, Reipublicæ atq; Ecclesiæ salutarem hoc ipso facturi. Schardius ex Ferrariense & aliis.

Concilium Tridentinum. 1562.

Hoc tempore fuit Concilium Tridentinum, sed altera parte inaudita celebratum: qvare cùm liberum non esset, sed totum Papisticum, Protestantes ab eo abstinuerunt: facta tamen solenni protestatione, qvæ extat, Athanasii exemplo, qvi videns furorem adversariorum ad infestum eorum Concilium, Cæsaream, etiam ab Imperatore vocatus, venire noluit: exemplo qvoqve Chrysostomi, ut habetur apud Theodor. lib. 1. c. 28. & Tripartit. hist. lib. 10. cap. 9.

Dubia salus Concilii Tridentini.

De salute æterna & redemtore suo dubitandum esse Christianis, huc usqve docuerunt Papistæ: immemores statuti, qvòd dubius sit habendus pro infideli: & hanc doctrinam suam eos non puduit tam verbis, qvàm publicis scriptis & picturis passim exprimere: ut in exemplum hujus reperitur in qvadam primaria ad Neccarum urbs, figura cum rhythmis seqventibus, in

Anno templo Franciſcanorum ad ſuprema laqvearia depicta. Sed hujus blaſphemi in Salvatorem, & qvod à qvibuſdam etiam Jeſuitis improbatur, commenti cauſas mox audiemus.

De hac re extant verba Concilii Tridentini in ſeſſione 6. Canone 13. alia.

SI qvis dixerit, omni homini, ad remiſſionem peccatorum aſſeqvendam, neceſſarium eſſe, ut credat certò, & absqve ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & diſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, Anathema ſit. De qvo ſic Chemnicius:

Nec ſanè nullæ ſunt cauſæ, qvare tam acriter Pontificii de retinenda dubitatione digladiantur: intelligunt enim, totam negociationem Pontificiæ nundinationis hoc fundamento niti. Conſcientia enim qværens certam aliqvam & firmam conſolationem, qvando audit, ipſam fidem, etiam qvando in promiſſione Chriſtum mediatorem apprehendit, debere dubitare de remiſſione peccatorum, cogitat, ſe velle cumulare tam multa, & tam varia opera, ut juxta poetam, ſi non proſint ſingula, plura juvent.

Hinc ultra opera divinitus mandata, electitii cultus ſine fine & modo excogitati fuerunt. Hinc vota, peregrinationes & invocationes ſanctorum, fraternitates, o-
123. pera indebita, opera ſupererogationis, nundinatio miſſarum, negociatio indulgentiarum, & breviter tota illa lerna ſuperſtitionum Pontificiarum. Cumqve in agone conſcientia in illis omnibus non inveniret certam & firmam conſolationem: excogitatum tandem eſt purgatorium, & propoſitæ redemtiones ſuffragiorum poſt mortem. His regni ſui vectigalibus timent publicani Pontificii. Vident enim, fore, ut minuantur & intercidant, ſi homines ex verbo Dei doceantur, fidem eſſe fiduciam, qvæ in promiſſione Evangelii inveniat, accipiat, & poſſideat certam ac firmam conſolationem, de reconciliatione cum Deo. Hinc illæ lachrymæ. Hinc tentationes pro ſtabilienda dubitatione.

Hæc Chemnizius in Examine Concil. Trid. Sed de his ſatis. Si plura Lector de hac re ſcire volet, Theologos reqvirat; Thomam 12. qvæſt. 112. art. 5. Bonaventuram, Scotum, Durandum, 1. ſent. diſt. 17. Joan. Rofredum contra art. 10. & 11. Lutheri. Alphonſum à Caſtro lib. 7. adverſus hæreſes, ſuper verbum Gratia. Dominicum à Soto libro 3. de natura & gratia. c. 10. & ſeq. Ruardum Tapper in explic. art. 9. Lovanienſium, Joannem à Lovanio in libro de fide ſpeciali: Andream Vogam libr. 9. in Concil. Trident. N. Sanderium, & Thomam Stapletonum lib. de juſtificatione, Lovanienſem Academiam in art. adverſus Luther. Ambroſium Catharinum: Enchiridion Colonienſe, Andradium, Bellarminum, Rabinos cap. 4. pag. 211. 6.

Hic animadvertendum, prædictorum autorum nonnullos in hoc & aliis fidei articulis qvibuſdam ferè conſentire Luthero, adeoqve ad veritatem acceſſiſſe propè, ut ſi Lutheri temporibus vel ante ſcripſiſſet, qvis aut docuiſſet ea, qvæ jam ab illis palam traduntur, hæreſeos & anathematis damnatus fuiſſet. Certum igitur eſt, qvòd meliora ſciant, videant, & ſentiant de his negotiis, qvàm ob Metum Judæorum fateri auſint. In promtu cauſa eſt: Divitiarum & potentiæ nondum ſatis habent.

Verùm conſeqvantur claves, qvas adhuc qværunt & affectant, certò in viam redibunt, & veritatem obviis amplectentur ulnis: non enim doctrina, ſed candor reqviritur in eis. Imper. 118. Ferd. Papa 231. Pio 4.

De eodem.

Scribit Vincentius libro 30. cap. [illegible] anno Domin. 1210. Pariſiis doctrina & pietate clariſſimum vixiſſe virum, Americum Gallum, qvi docuerit publicè, qvemlibet Chriſtianum debere firmiter & indubitatò credere: ſe eſſe membrum ex corpore Jeſu Chriſti: & hoc eſſe articulum Chriſtianæ fidei, ſine qvo ſalutem nemo poſſit acqvirere. Verùm Pontifex Romanus hanc ejus doctrinam acerrimè impugnavit, & publicè tanqvam hæreſim damnavit, eumq; ferro & flamma revocare hanc ſententiam adegit. Qvi præ dolore animi brevi post diem ſuum obiit, certam tamen ſpem & fidem ſuam in Chriſtum retinens.

Ejuſdem, de qva hactenus, impiæ dubitationis documentum extat & Paduæ in Italia, qvoqve in templo monaſterii Franciſcanorum: cum pictura & verſibus, ut ſeqvitur, hujuſmodi.

Stanislaus Hoſius, de exp. verb. Dei, Tomo 1. p. [illegible]

LAicis lectionem ſcripturarum permittere, eſt ſanctum dare canibus, & margaritas ante porcos Projicere. Imp. 118. Ferd. 1564.
Papa 231. Pio 4.

Idem de expreſſo verbo DEI inqvit: Si qvis habeat interpretationem Romanæ Eccleſiæ, etiamſi non videat, qvomodo cum textu vel conveniat, vel pugnet, habet tamen ipſiſſimum verbum Dei.

Idem, certiores Traditiones eſſe ſacris literis, dixit.

Idem nec non & ſacra biblia comparavit herbæ Rhododaphnæ, qvæ eſt ſatis atqve magis uſui, hominibusq; & pecudibus præſentiſſimum affert lethum. Ita nempe Hoſius ſacras literas pro venenatis habuit.

In Dialogis de Oſio. 156[illegible]

Ferdinandus Cæſar non mediocribus ſumtibus excudi fecit teſtamentum characteribus

ꝺeribus & lingva Syriaca, qvod Episcopo Ephesino dono misit, ut suis diœcesianis & vicinis Episcopis communicaret. Qvod ejus factum iniqvissimo animo tulisse Papam, & corruptorem qvendam Lucretium nomine subornasse, affirmant. Imper. & Papa ut sup.

P. Scalichius.

1564. HIc, qvi Paulus de la Scala, & comes Hunnorum esse voluit ex ficta Genealogia, contra Papam varia scripsit: de chorea Monachorum, seu cœtu Antichristi: de labyrintho Romani Antichristi, contra missam, & Centurias Joan. Nass. Sed tandem ejectus à reformatis ex Marchia, ad Papatum confugit, & contra conscientiam pro ventre & & Papatu strenuè scripsit. De qvo vide plura suprà in hist. Abbatis Joachimi, in parte Operis hujus prima.

Petrus Asilius in Tyrannide Antichristi.

1564. QVòd Papa sibi soli sumit Pastoris nomen: ideò fit, ut impleatur Prophetia Zachariæ de pastore stulto, qvem B. Hieronymus Antichristum in extremis diebus comparentem, & Christi gladio succumbentem vel succubiturum, interpretatur.

Et alibi in eodem libro ait: Haud dubiè Lutherus tertius est Helias, de qvo Malachias loqvitur ajens: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, anteqvàm veniat dies Domini magnus & horribilis. Imp. Ferd. Papa Pio 4. ut sup.

Idem. Qvi divina sapit, & Christum docet, Petri successor est: sed qvi carnalia sapit, & offendicula gignit, Satanas est. Deinde nec locus, etiam sanctus sit, nec ordo, nec successio, sed solum verbum & fides Christi, Christianos, sanctos & verè sacerdotes facit.

Et alibi cap. 5. Primatus initium & fundamentum est omnis tyrannidis Pontificiæ.

Idem. Qvi vitas pontificum apud sinceriores scriptores vel etiam apud qvosvis perlegerit, videbit, eos tanta in Deum, in magistratus, & omne genus hominum, atqꝫ in ipsam naturam commisisse scelera, ut, potius cacodæmones qvam homines esse eos, crediderit.

Theodorus Zvvinger.

1564. IN gravissima illa lue, qvæ anno Christi 1564. per totum Rheni tractum grassata est, Basileæ plurimorum extremæ voces præsagii loco fuerunt. Nam cum qvis morti proximus esset, qvamvis delirans, aliqvem vel fratrum, vel amicorum, vel notum vocabat. Ille non multo pòst decumbens, eodem modo tertium vocabat: tertius qvartum. Constat certè, plurimos eodem ordine mortuos, qvo vocati fuerant. Imp. & Papa ut sup.

Idem. D. Bernardus Spiram venerat, & in statua D. Virgini consecrata legebat hæc inscripta: O clemens, ò dulcis, ò pia mater Maria. Tum vocem è statua editam fuerunt. Salve Bernarde. At ille præstigias dæmonis suspicatus: Mulierem in Ecclesia loqvi Paulus vetat, respondit. Hanc statuam adhuc hodie post valuas templi Spiræ extare, ajunt. Anno

Horrendum Monstrum Diabolicum. p. 115.

1565. ANno Domini 1565. 26. die Maji diabolicus iste partus in qvodam pago (cui Schmirtz nomen erat) ditionis Vratislai, generosi domini de Bernstein, à qvadam muliere est editus: ad qvam Satanas venit larva indutus mariti ejus, cumqꝫ ea venerea habita re, hoc ipsam impraegnavit monstro. Infans nullum habebat caput: sed in humero sinistro os, in dextro autem humero aurem, manus pedesqꝫ pro digitis habebant uncinos instar ranarum. Corpus erat coloris fusci instar, & tremebat subinde, ut folia auri: erat mera carnis gleba, nihil habens ossei. Obstetrix cum vellet diram levare illuviem, ingentem edidit clamorem. Multi id viderunt monstrum: & in sacrum sepultum fuit cœmiterium.

Multis autem precib. obsecrabat mater, iterum effodi hunc diabolicum fœtum, & igne cremari, qvò diabolo suum restituatur. Et factum est hoc: monstrumqve ex mandato magnificè dicti domini extra vicum combustum est flammis à carnifice, multis ad ejus combustionem reqvisitis lignis, & pyrio pulvere: oportuit enim post multos labores tandem in minutissimas partes id concidere carnificem, ut ita meliùs & citiùs igne absumeretur totum.

Mulierem ex eo ingens qvidam horror corripuit atqꝫ timor. Illa enim nocte Diabolus magnum impetum & strepitum, ejulando, vociferando, icendo terram & parietes, scalpendo & mordendo, instar canum & catorum inter se pugnantium, illi movit. Tandem verò ad preces confugiens pacem consecuta fuit, divinæ gratiæ adminiculo. Historiam hanc Senatus civitatis Vlmicensis describi, & publicis mandati typis curavit. Hondorp. Ut sup. Imperatore 119. Max. 2. Papa 231. Pio 4.

Taxa Curiæ Romanæ.

HIc liber clarè ostendit, nullum adulterium, nullum incestum, non homicidiū, non usuram, non furtum, non Simoniam, non rapinam, nec crimen adeò sceleratum committi posse, à qvo Pontifex Romanus flagitiosissimos (accepto ære) non absolvat, divendita illis remissione peccatorum. Qvo nomine sicut & aliarum complurium fraudum retibus piscatus est thesauros mundi, ut jam pridem sub medio Papatu conqvesti sunt scriptores multi, qvi extant.

Anno 1564.

Taxa ſacræ pœnitentiariæ: ex libro, qvi inſcribitur Gravamina, oppoſita adverſus Synodi Tridentinæ reſtitutionem.

De cauſis matrimonialibus.

IN cauſis matrimonialibus, pro contractu qvarti gradus, taxa eſt turonen. ſeptem, ducatus unus, Karlini ſex.

Si qvi gradus hujus impedimentum ſcientes carnaliter commixti ſunt, taxantur turon. 16. duc. 4.

Pro legitimatione prolis ſuſcipiendæ in dicto gradu, ſpecialis taxa eſt tur. 9. duc. 1. Karlini 10.

Qvi ignorantes hoc impedimentum carnaliter copulati ſunt, ſolvunt tur. 9. duc. 1. Karlinos 10.

Qvi ignoranter contraxerunt, & ſcienter cqnſummaverunt, pendunt turon. 7. duc. 1. Karlinos 6.

Qvi ſcienter contraxerunt, & non conſummaverunt, taxantnr turon. 9. ducat. 1. Karl. 10. Verùm qvando matrimonium ſcienter contractum & conſummatum eſt, tunc componendum eſt cum datario.

Si per ordinariam authoritatem divortiati prolis ante divortium ſuſceptæ legitimationem petierint, dabunt tur. 9. ducat. 1. Karl. 10.

De contracto Matrimonio in tertio conſangvinitatis vel affinitatis gradu, taxa eſt tur. 14. duc. 3. Karl. 4. Et præterea componendum ſuper eſt cum Datario.

In ſecundo conſangvinitatis vel affinitatis gradu diſpenſatur tantùm per Signoriam Papæ, aut, ſede vacante, per ſummum Pœnitentiarium: & taxa eſt tur. 50. ducat. 12. Karl. 6.

p. 326. In primo gradu affinitatis diſpenſatur in foro conſcientiæ tantùm, & taxa eſt tur. 30. duc. 7. Karl. 6.

Divortium ſimplex taxatur tur. 7. duc. 1. Karl. 6.

Qvi contraxerunt in cognatione ſpirituali, taxantur tur. 17. duc. 3. Karl. 9.

Si cognatio hujuſmodi fuerit triplex, taxa eſt tur. 30. duc. 7. Karl. 2.

In Compaternitate diſpenſatur tantùm per Signoriam Papæ, vel ſede vacante per Signoriam ſummi Pœnitentiarii: & taxa eſt tur. 50. duc. 12. Karl. 3.

Qvando adulter, vel is, qvi fidem de contrahendo dedit, vel de facto contraxit, machinatus fuerit mortem alterius conjugi cum effectu, nunqvam cum illo diſpenſatur, ut cum altero contrahat, ſed in jam contracto tantùm diſpenſatur (dummodò negotium ſit penitus occultum) in foro conſcientiæ tantùm: & taxa eſt turon. 36. ducat. 9.

Si qvis mortem conjugi ſuæ machinatus eſt, effectu non ſecuto, nec fide alteri data, diſpenſatur, ut mortua ſua conjuge, cum altera contrahat, & taxatur turon. 9. duc. 2. Karl. 9.

Si qvis in matrimonio conſtitutus, vivente adhuc uxore ſua, contraxerit cū altera, ignorante, ipſum eſſe conjugatum, poſt obitum uxoris ſuæ tenetur iſtam habere conjugem, novo tn. conſenſu interveniente, nec poteſt fieri divortium, niſi ad inſtantiam alterius ignorantis: & taxa eſt turon. 9. duc. 2. Karl. 9.

Si qvis, conjugem ſuam plures annos abſentem obiiſſe credens, aliam duxerit, in eo matrimonio maneat, & durante hac credulitate debitum conjugale exactus reddat, non autem exigat. Si prior conjux redierit, ſecunda relicta, priori adhærebit: & taxa eſt tur. 9. duc. 2. Karl. 9.

Cum eo, qvi perpetuam vovit caſtitatem, diſpenſatur in foro conſcientiæ tantùm, & taxa eſt tur. 16. duc. 3. Karl. 6.

Cum eo, qvi vovit, qvòd religionem intrare velit, non tamen ſolenniter, diſpenſatur, ut contrahat matrimonium, in foro conſcientiæ tantùm: & taxa eſt tur. 15. du[illegible]

Si clauſula acceſſerit, qvòd mortua conjuge, votum ſuum omninò adimplere teneatur, diſpenſatur tamen, & taxa eſt tur. 7. duc. 2. Karl. 3.

Si qvis in ſacris Ordinibus conſtitutus (modò id ſit occultum) uxorem duxerit, diſpenſatur cum illo, ut poſſit in conjugio manere, donec uxor vixerit, poſtea abſtineat à matrimonio, & in illo conſtitutus, officium beatæ Mariæ Virginis ſaltem diebus feſtis dicat, per modum ſatisfactionis, & taxatur tur. 15. duc. 4.

De Ebræis.

UT Ebræus poſſit habere Synagogam in domo propria, taxatur tur. 30. d: 7. K. 6.

Pro licentia erigendi de novo publicam Synagogam, taxa eſt tur. 60. duc. 15.

Pro licentia medendi cum aſſiſtentia, taxatur Ebræus tur. 60.

De promotis & promovendis ſuper defectu ætatis.

IN ſexto anno, vel cùm primùm ſextum attigerit, pro prima tonſura tenetur ſolvere tur. 9. duc. 2. Karl. 6.

In decimo ſexto, vel cùm primùm decimum ſextum attigerit, ad Subdiaconatum taxatur tur. 12. duc. 3. Karl. 8.

In decimo ſeptimo taxatur tur. 6. duc. 2.

In decimo octavo ad Diaconatum, tu. 12.

In decimo nono, tur. 6.

In vigeſimo ſecundo ad Presbyteratum, tur. 12. duc. 2. Karl. 10.

In vigeſimo qvarto, tur. 6.

Licentia ſuſcipiendi Ordines.

QVi ſuſcipit primam tonſuram, & qvatuor minores ordines non ab Ordinario ſuo, taxatur turonenſ. 4. ducat. 2. Karlin. 9.

A qvo-

A qvocunq; accipiantur, ad omnes sacros Ordines, vel duos, vel unum tantum, tur. 12. duc. 2. Karl. 10.

Extra tempora ad omnes sacros ordines, vel ad duos, vel ad unum tantum, tur. 10. ducat. 2.

A qvocunq; recipiente munus benedictionis pro Abbate, tur. 24. duc. 6. & pro Episcopo, tur. 24.

De corpore vitiatis.

Super defectu alicujus membri, dispensatio ad Clericalem characterem, & qvatuor minores ordines, taxatur tur. 6. duc. 2.

Super defecta alicujus membri, dispensatio ad Ordines, vel ad execqvutivum Ordinem, tur. 16. duc. 4.

Super defectu digitorum, ad qvæcunqve simplicia beneficia. tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Super defectu visus oculi dextri, taxatur tur. 16. duc. 4.

Super defectu oculi sinistri, dummodò chartam teneat in medio altaris, & non sit magna deformitas, taxatur tur. 30. duc. 7. Karl. 6.

Super defectu utriusqve, vel alterius genitalium, tur. 6. duc. 2.

Pro illo, qvi sibi ipsi membrum virile abscidit, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

De malè promotis.

QVi minorennis promotus est, turon. 7. duc. 2. Karl. 3.

Sine dimissorialibus literis pro irregularitate, tur. 7. duc. 2. Karl. 3.

Si cum retentione beneficii, tur. 13. ducat. 3. Karl. 8.

Qvi extra tempora promotus est, tur. 7. duc. 2. Karl. 3.

Et pro retentione beneficii, tur. 13. ducat. 3. Karl. 8.

Qvi ficto titulo promotus est in veteri forma, hoc est, qvi non juravit, nec testes induxit, tur. 7. duc. 2. Karl. 3.

Qvi prætermissis qvatuor ordinibus per saltum promotus est, tur. 6. duc. 2. Karl. 2.

Si prætermisso Subdiaconatu, vel diaconatu de expresso, tur. 12. duc. 3. Karl. 7.

Si prætermissis ambobus, tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Qvi eodem die ad duos vel plures Ordines promotus est, tur. 6. duc. 2.

De his, qvi ministrant non promoti.

SI in Subdiaconatus vel diaconatus ordine hoc fecerint, taxa est turon. 12. ducat. 3. Karl. 6.

Si cum retentione beneficii, tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Si ministerium altaris exercuerint, & sacramenta administraverint, cum presbyteri non sint, taxa est tur. 36. duc. 9.

De Illegitimis. Anno

IN prima forma, hoc est, ad omnes Ordines & unum beneficium etiam curatum, tur. 5. duc. 1. Karl. 7.

Et cum clausula permutandi, si petatur, semel tantùm, tur. 7. duc. 1. Karl. 3.

Si illegitimus tacito defectu hujusmodi se fecerit ad aliqvos Ordines promoveri, taxatur tur. 7. duc. 7. Karl. 3.

Ut legitimus possit unum beneficium permutare, tur. 6. duc. 2.

Ut duo, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Ut tria, tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Ut possit deservire beneficio patris, illo præsente vel absente, tur. 6. duc. 2.

Pro exposito, tur. 6. duc. 2.

De regularibus illegitimis. p. [illegible]

PRo religiosis medicantis, taxa est tur. 6. duc. 1. Karl. 8.

Cum iisdem mendicantibus ad ministrum provincialem, ad prioratum, vel ad alias qvascunqve dignitates, & cum non mendicantibus ad Abbatialem dignitatem dispensatur, tur. 15. duc. 4.

De conjugatis cum Unica & Virgine.

UT illi possint post obitum uxoris promoveri ad ordines, taxa est tur. 6. duc. 2.

Si volunt gaudere privilegiis, taxantur tur. 9. duc. 2. Karl. 9.

De bigamis.

UT gaudeant clericali charactere, & qvatuor minoribus Ordinibus antea ritè susceptis, taxantur turon. 12. ducat. 3. Karlin. 4.

Si verò addatur clausula, si contingat cum alia contrahere, taxa est tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Si addatur dispensatio ad beneficia simplicia pro bigamo non habente uxorem, adduntur turones 12, & taxa est turon. 24. ducat. 6.

Qvi tacita bigamia, cùm esse conjunx, fecit se clericali charactere insigniri, taxatur tur. 21. duc. 4. Karl. 6.

Pro milite bigamo contra statuta sacræ militiæ vel ordinis dispensatur, ut gaudeat privilegiis militiæ, & maneat in matrimonio, tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Pro bigamo non habente uxorem, ut possit ad qvatuor ordines minores promoveri, taxa est tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Pro bigamo, qvi eo tacito suscepit Ordinem, dispensatur ad altaris ministerium, in foro conscientiæ tantùm, & cum clausula, Nullis &c. tur. 35. duc. 6.

Pro bigamo, cum qvo fuit dispensatum per Papam ad ordines sacros, & Canonicatum, dispensatur ad duo beneficia simplicia compatibilia, turonen. 24. ducat. 6.

Anno

De Absolutionibus, & dispensationibus.

PRo eo, qvi interfuit bellis, neminem tamen occidit, & mutilavit, neqve ad id auxilium contulit, tur. 36. duc. 9.

Qvi judicaverunt, vel scripserunt in causa criminalibus, taxantur pro qvolibet tur. 37. duc. 9.

Qvi violentam manum jecit in Clericum, vel Presbyterum, taxatur turonen. 6. ducat. 2.

Qvi in Abbatem, vel Prælatum generalem alicujus Ordinis, turon. 12. ducat. 3. Karl. 6.

Qvi in Episcopum, vel superiorem Prælatum, tur. 24. duc. 6.

De mutilatione.

PRo Clero cum suis limitationibus consuetis, tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Si petatur simplex absolutio absqve dispensatione aliqva, tur. 6. duc. 2.

Si qvis mulitavit Abbatem, vel generalem, adduntur tur. 12.

Si Episcopum, adduntur tur. 12.

Si Laicus Laicum, datur in foro conscientiæ, & taxatur tur. 6. duc. 2.

De homicidio voluntario.

CUm homicida voluntario in minoribus Ordinibus constituto, dispensatur ad unum beneficium simplex, si id non suffecerit, ad secundum: si nec secundum qvidem, ad tertium, & unà cum absolutione taxatur tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

p.839. Et ut gaudeat privilegiis Clericalibus, tur. 18. duc. 4. Karl. 6.

Et cum inhibitione taxatur, turon. 30. duc. 7. Karl. 6.

Et ad tria beneficia, si petat, turon. 18. duc. 4. Karl. 9.

Si petatur usq; ad congruam sustentationem. tur. 24. duc. 6.

Et cum inhibitione, tur. 36. duc. 9.

Si defunctus non est mortuus vulnere, sed alio qvodam casu, nec percutiens animum habuit occidendi, dispensatur etiam ad altaris ministerium, & qvæcunq; beneficia Ecclesiastica, tur. 36. duc. 9.

Absolutio ab homicidio pro Episcopo, vel Abbate, vel generali alicujus Ordinis, vel militiæ Sancti Joannis, tax. tur. 50. ducat. 12. Karl. 6.

Pro priore monasterii, vel protonotario Apostolico, tur. 40. duc. 10.

Cum homicida voluntaria occulto constituto in sacris, dispensatur ad altaris ministerium, & qvæcunq; beneficia Ecclesiastica, in foro conscientiæ tantùm, & cum clausula, Nullis, tur. 36. duc. 9.

Si plures in eodem homicidio convenerint, pro duobus taxatur turon. 50. duc. 12. Karl. 6.

Si unus in pluribus homicidiis intervenerit, eodem tempore, & eodem conflictu, taxatur tur. 36. duc. 9.

Si verò diversis conflictibus, pro duobus taxatur tur. 50. duc. 12. Karl. 6.

Si petatur absolutio ab homicidio pro communitate aliqva, taxa est arbitraria, pro ratione loci, prout dominis, correctori, & officialibus pro tempore visum fuerit.

De homicidio casuali.

PRo clerico taxatur tur. 6. duc. 2.

Si datur assistentia, fit de speciali, & taxatur tur. 12. duc. 4.

Si petitur absolutio ad cautelam, taxatur tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Et si addatur assistentia, tur. 30. duc. 7. Karl. 6.

Si qvi occidit, diligentiam, qvam debuit, non adhibuit, taxatur, tur. 24. duc. 6.

Et si addatur assistentiam, taxatur turon. 36. duc. 9.

Et si dabat, operam rei illicitæ, utpotè venando, vel ludendo, & baculum vel lapidem jaciendo, & similibus, taxatur turon. 36. duc. 9.

De homicidio necessario.

SI clericus hoc amisit, sese necessariò defendendo, tur. 6. duc. 2.

Si addatur assistentia, tur. 12. duc. 4.

Si petierit absolutionem ad cautelam, tur. 21. duc. 5. Karl. 6.

Si cum inhibitione, tur. 36. duc. 9.

Pro homicidio, pro defensione alterius admisso, qvi aliàs evadere non potuit, dispensatur ad alterius ministerium; tur. 30. duc. 7. Karl. 6.

Pro Episcopo, vel Abbate, &c. absolutio ab homicidio, sive voluntario, sive casuali, sive necessario, taxatur tur. 50. duc. 12. K. 6.

Pro priore monasterii, &c. tur. 4. duc. 10.

De Presbytericidio.

PRo laico, cum forma, in pœnitentia publica, pro una persona tantùm, taxatur tur. 6. duc. 2.

Pro Clerico simplici, vel Presbytero in sacris constituto, executione suorum ordinum sibi penitus interdicta, turonen. 6. duc. 2.

Si plures fuerint, dummodò in uno & eodem negocio, pro primo taxatur integraliter, & de qvolibet aliorum pro medietate.

Si unus plura presbytericidia commisit eodem tempore, & in eodem conflictu, non taxatur ultra 6.

Si verò diversis temporibus, pro primo taxatur integraliter, & pro qvolibet aliorum pro medietate tantùm.

Si presbytericida petierit commutationem pœnitentiæ publicæ in occultam simul cum absolutione, tur. 18. duc. 4. Karl. 9.

Si hoc petatis, qvi plura admisit Presbytericidia, tur. 18.

Qvi

Qvi Episcopum vel alium superiorem prælatum occidit, tur. 36. duc. 9.

Qvi Abbatem, vel alium Prælatum generalem, tur. 24.

Dispensatio pro Presbytericida, ut possit obtinere beneficia Ecclesiastica, tur. 2. ducat. 2.

De Laicidio.

LAicidium in forma pro uno Laico tantùm, tur. 3. duc. 1. Karl. 4.

Si unus plures in uno conflictu occidit, taxatur pro uno tantùm.

De Parricidio.

PArricidium, matricidium, fratricidium, sororicidium, taxatur pro uno tantùm, tur. 4. duc. 1. Karl. 8.

De Uxoricidio.

TAxatur hoc perinde atqve parricidium.

Si occisor petierit licentiam contrahendi cum alia, tur. 8. duc. 2. Karl. 9.

Et pro aliis, qvi marito in eo negocio auxilium præstiterunt, augetur taxa duobus turonensibus, pro qvolibet.

De Infanticidio.

PRo uno tantùm, tur. 4. duc. 1. Karl. si pater, vel mater, aut consangvineus infantem oppresserit; sic verò extraneus, taxatur tanqvam de Laicidio.

Pro viro & uxore simul, tur. 4. duc. 2.

De Abortu.

PRo muliere, qvæ cepit potum ad necandum fœtum, vel patre, qvi dedit potum matri, tur. 4. duc. 1. Karl. 8.

Pro extraneo, qvi procuravit abortum alterius, tur. 4. duc. 1. Karl. 5.

De Veneficiis & Incantationibus.

PRo muliere venefica vel incantatrice, postqvàm superstitiones abjuravit, in qvolibet suprà dictorum casuum taxatur tur. 6. duc. 2.

De Hæreticis.

ABsolutio ab hæresi, priusqvàm abjuravit, cum rehabilitate, in ampla forma, & cum inhibitione, datur pro turon. 36. ducat. 9.

Pro Laico cum absolutione infamiæ, turon. 12. duc. 3. Karl. 6.

Et cum inhibitione, adduntur turones duodecim, tur. 24. duc. 6.

De Sacrilegio, furto, incendio, rapina, perjurio, & similibus.

ABsolutio cum rehabilitate, in ampla forma, cum inhibitione, in qvolibet dictorum criminum, tur. 36. duc. 9.

De Simonia.

Anno

ABsolutio simplex pro Simoniaco, seu mediatore Laico, vel Clerico, turon. 36. ducat. 9.

Et cum dispensatione super irregularitate, qvoad ordines sacros, & illorum exercitium, tur. 6. duc. 2. P.III.

Si cum dispensatione ad obtinenda alia beneficia, præter illud, supra qvo fuit facta Simonia, materia erit componenda cum Datario Papæ.

Si petatur absolutio, tantùm in foro conscientiæ datur, etiam cum retentione beneficii, super qvo facta fuit Simonia, sive ex eo fructus perceperit, sive non, cum clausula, nullus &c. Et tunc non est componendũ cum Datario, sed taxatur turon. 30. duc. 7. Karl. 6.

De lapsu carnis.

ABsolutio à lapsu carnis, super qvocunqve actu libidinoso commisso per Clericum, cum Monialibus intra & extra septa monasterii, aut cum consangvineis vel affinibus, aut filia spirituali, aut qvibusvis aliis, sive ab unoqvoqve de per se, sive simul ab omnibus absolutio petatur, cum dispensatione ab ordines, & beneficia, cum inhibitione, tur. 36. duc. 3.

De bestialitate.

SI verò cum illis petatur absolutio, etiam à crimine commisso contra naturam, vel cum brutis, cum dispensatione, ut suprà, & cum inhibitione, tur. 90. duc. 12. Karl. 6.

Si verò petatur tantùm absolutio, à crimine contra naturam, vel cum brutis, cum dispensatione, & cum inhibitione, tur. 36. duc. 9.

Absolutio pro Moniali, qvæ se permisit pluries cognosci intra & extra septa monasterii, cum rehabilitate ad dignitates illius ordinis, etiam Abbatialem, tur. 36. duc. 9.

Absolutio pro Concubinario, cum dispensatione ad ordines, & beneficia, tur. 21. duc. 5. Karl. 6.

Et cum inhibitione, tur. 36. duc. 9.

Pro Laico à lapsu carnis super qvocunqve actu libidinoso, in foro conscientiæ, turon. 6. duc. 2.

Ab incestu pro Laico, in foro conscientiæ tantùm, tur. 4.

Si petatur pro utroqve, videlicet pro viro & muliere, in utroqve foro, tur. 18. ducat. 4. Karlin. 9.

Si cum inhibitione, pro uno tantùm turon. 24. duc. 6.

Si pro utroqve cum inhibitione, tur. 36. ducat. 9.

Absolutio ab adulterio pro Laico in foro conscientiæ, tur. 4.

Ab adulterio cum incesta pro una persona tantùm, tur. 6.

Pro adultero & adultera simul, turon. 6. ducat. 2.

De

Anno

De variis excessibus.

ABsolutio pro eo, qvi corpora excommunicatorum Ecclesiasticæ tradidit sepulturæ, tur. 6. duc. 2.

Si cum dispensatione super irregularitate, & ad beneficia obtinenda, tur. 9. duc. 2. Karl. 9.

Si etiam cum retentione obtentorum, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Absolutio pro illo, qvi celavit cadaver defuncti, ut beneficia impetraret, turon. 6. ducat. 2.

Si cum dispensatione super irregularitate ad obtinenda beneficia, tur. 9. ducat. 2. Karlin. 9.

Si etiam cum retentione beneficii obtenti, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Absolutio pro Presbytero, qvi celebravit in loco interdicto ignoranter, turon. 6. ducat. 2.

Si verò scienter, non tamen in contemtum clavium, si interdictum erat authoritate ordinaria positum: absolutio simplex tur. 6. duc. 2.

Si verò à Papa, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Absolutio pro Presbytero, qvi conjuges in secundo matrimonio benedixit, qvi jam in primo benedicti fuerant, tur. 6. duc. 2.

Si cum dispensatione super irregularitate, tur. 9. duc. 2. Karl. 9.

Si cum retentione beneficii obtenti, turon. 12. duc. 3. Karl. 6.

p. 832. Si Presbyter aliqvos clandestinè matrimonio copulavit, & missam coram eis celebravit, absolutio pro ipsis conjugibus tur. 6. dur. 2. Karl. 3. Et pro Laicis, qvi interfuerunt, augetur taxa tur. 3. pro qvolibet.

Absolutio pro illo, qvi obstitit, ne literæ Apostolicæ executioni demandarentur, si Clericus est, cum dispens. ad obtentum, & ad obtinendum, & absolutione infamiæ & assistentia, tur. 36. duc. 9.

Pro Clerico absolutio simplex, turon. 12. duc. 3. Karl. 6.

Absolutio pro Mercatore, qvi transportavit hastas ad partes infidelium, & lucrum nullum reportavit, tur. 12. duc. 3. Karl 6.

Si lucrum reportavit, taxatur similiter, & componendum est cum Datario Papæ.

Absolutio pro eo, qvi bona defuncti pro mercede servitiorum defuncto impensorũ retinet, & admonitus non restituit. dummodò non excedant debitam mercedem, in foro conscientiæ tantùm, tur. 6. duc. 2.

Absolutio pro Episcopo, qvi certis annis & terminis præfixis juravit limina Apostolorum visitare, & adhuc non visitavit, cum injunctione, qvòd de cætero promissionem hanc servare velit, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Absolutio à spirituali excommunicationis sententia, authoritate ordinaria lata, tur. 6. duc. 2.

Si verò authoritate Apostolica, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

De irregularitate.

ABsolutio & dispensatio generalis ac irregularitate, tur. 50. duc. 13.

Si verò etiam cum absolutione generali à qvibuscunq; dictis, tur. 80. duc. 20.

Si super irregularitate incursa ab eo, qvi judicavit in criminalibus vel in similibus sine absolutione, pro præterito, etiam cum absolutione infamiæ, & cum inhibitione, vel secus, tur. 30. duc. 7. Karl. 6.

Et cum absolutione pro præterito, qvando ea indiget, tur. 36. duc. 9.

Si verò petatur simul cum dispensatione de præterito, etiam qvòd in futurum possit judicare, vel advocare, tur. 45.

Si verò petatur cum utroq; dispensatio scilicet de præterito & futuro, etiam absolutio de præterito, qvando non indiget, tur. 50. duc. 12. Karl. 6.

Pro eo, qvi medendo incurrit irregularitatem, tur. 36. duc. 9.

Si verò petatur etiam licentia in futurum, tur. 50. duc. 12. Karl. 6.

De sepulturis.

ABsolutio ad instantiam cognatorum defuncti excommunicati, sive violenter mortui, ut ejus cadaver in terra benedicta sepeliatur, tur. 6. duc. 2.

Pro Abbate vel Episcopo, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Absolutio pro altero conjugum vivente, altero defuncto, qvi clandestinè contraxerant, tur. 4. duc. 2. Karl. 9.

De commutationibus, seu relaxationibus pœnarum.

RElaxatio exilii sive carceris perpetui simplex, tur. 40. duc. 10.

Si verò petatur dispensatio super irregularitate, etiam cum retentione beneficii obtenti, & absolutione à delicto, turon. 60. ducat. 15.

Relaxatio exilii sive carceris à 10. annis usq; ad 15. tur. 36. duc. 9.

Cum dispensatione super irregularitate, & in retentione beneficiorum, tur. 50. ducat. 12. Karl. 6.

Relaxatio exilii sive carceris à 5. usqve ad 10. annos simplex, & cum absolutione simplici à delicto sine dispensatione taxatur tur. 23. & ducat. 6. Et pro assistentia adduntur tur. 6.

Ad qvinqvennium relaxatio simplex, &c. tur. 12. duc. 3. Karl 6.

Relaxatio suspensionis pro Presbytero, qvi morbo caduco laboravit, & propterea per ordinarium suspensus fuit, & jam per biennium eo morbo non laboravit, tur. 6. duc. 2. Et mandatur Episcopo, ut eum celebrare permittat, alio Presbytero assistente.

De

De Relaxatione Juramenti.

RElaxatio juramenti ad effectum agendi, pro una persona in uno contractu, tur. 7. duc. 2. Karl. 3.

Et cum inhibitione & absolutione infamiæ, dur. 36. duc. 9.

Si sint plures in eodem negocio, pro qvolibet adduntur tur. 3.

Si sint diversi contractus in eodem negocio inter easdem personas, pro qvolibet contractu ultro primum augentur tur. 3.

Relaxatio juramenti pro illo, qvi juravit in una Universitate sumere gradum, qvem possit sumere in alia, tur. 6. duc. 2.

Relaxatio juramenti, qvod absq; salutis æternæ interitu servari non potest, puta in malis promissis, vel turpi toto, tur. 6. duc. 2.

Et aliter taxatur Episcopus, aliter Abbas, vel Prælatus generalis.

De commutatione voti.

COmmutatio voti Religionis non solennis, in foro conscientiæ tantum, tur. 15. duc. 4.

Consimiliter commutatio voti castitatis non solennis, in foro conscientiæ tantum, tur. 15. duc. 4.

Absolutio à transgressione dicti voti Religionis, ut valeat remanere in matrimonio, cum adjecta clausula: qvòd si conjugi supervixerit, votum omnino adimplere teneatur, similiter in foro conscientiæ tantùm, dur. 15. duc. 4.

Consimilis est absolutio, & taxa voti castitatis.

Prorogatio voti sepulchri Dominici, vel sancti Jacobi in Compostella, aut liminum Apostoli Petri & Pauli, propter aliqvas legitimas causas, tur. 9. duc. 2. Karl. 9.

Si verò ad biennium tantùm, tur. 4.

Commutatio voti sepulchri dominici, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Et componitur cum Dadario Papæ.

Commutatio voti Sancti Jacobi in Compostella, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Et componitur cum datario Papæ.

Commutatio voti Sancti Petri & Pauli de urbe, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Et componitur cum Datario Papæ.

Commutatio voti alterius cujusqve, tur. 6. duc. 2.

Commutatio jejuniorum, & aliarum abstinentiarum, vel alicujus habitus, tur. 6. duc. 2.

Si petatur pluribus personis, habentibus connexionem inter se, taxatur pro primo integrè, & pro aliis pro medietate pro qvolibet. Si verò sunt personæ penitus diversæ, taxatur pro unoqvoq; integrè. Si verò petatur pro capitulo, vel conventu, aut collegio insigni, tax. ad turonenses centum, si commutatio sit perpetua.

De commutatione orationum.

COmmutatio orationum pro militibus religionum, tur. 10. duc. 3. Karl. 6. Anno

Commutatio, sive reductio divini officii pro patiente defectum visus, vel propter aliud impedimentum, tur. 12.

Si verò mutatur de ritu unius Ecclesiæ ad ritum alterum, tur. 9. duc. 2. Karl. 9.

Commutatio officii pro conventu, vel capitulo, tur. 60. duc. 15.

Et si cum facultate anteponendi, vel postponendi, tur. 100. duc. 25.

De commutatione ultimæ voluntatis.

TAxatur tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Si petatur potestas transferendi ossa, vel missas, vel Ecclesiam, & similia, ultrà adduntur tur. 6.

De Reductione Missarum.

REductio Missarum propter tenuitatem fructuum, tur. 12. duc. 12. Karl. 6.

Et cum assistentia, tur. 18. duc. 5. P. 834

Si ad petitonem Rectoris pro se, & successoribus cum assistentia, turon. 30. duc. 7. Karl. 6.

Si petatur à collegio, vel capitulo, aut universitate, tur. 40. duc. 10.

Si cum commutatione ultimæ voluntatis testatoris, taxæ reductionis adduntur turon. 6.

De confirmatione.

COnfirmatio concordiæ pro privatis personis, licitæ tamen, & juxta Canicas sanctiones factæ, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Si pro confraternitate, vel universitate, vel monasterio, tur. 24. duc. 6.

Confirmatio concordiæ super rebus Ecclesiasticis, si fiat in forma, si in evidentem, tavatur juxta valorem, &c.

Si verò non fiat in forma, si in evidentem, tur. 12. duc. 3. Karl. 6.

Confirmatio alienationis rerum Ecclesiasticarum taxatur juxta formam, si in evidentem.

Confirmatio statutorum super certo numero beneficiorum seu beneficiatorum, cum, vel sine assistentia, tur. 30. duc. 10.

Confirmatio statutorum pro Ecclesiâ Cathedrali, tur. 80. duc. 20.

Si verò pro collegiata, tur. 60. duc. 15.

Si petatur confirmatio unius statuti tantùm expressi, si sit alicujus momenti, & Ecclesiæ Cathedralis, tur. 40. duc. 10.

Si verò non videtur magni momenti, taxatur ex arbitrio officialium.

Confirmationes erectionum, vel reservationum juris patronatus, taxantur prout ipse erectiones, vel reservationes. Et sic de similibus.

Confirmatio unionis perpetuæ factæ per ordinarium ex causa, in qva à jure permittitur, tur. 50.

De

Anno

De beneficiis pro pauperibus.

ALternativum beneficium, vel cessionis bonorum, vel termini qvinqvennalis ad electionem majoris part. tur. 5. duc. 1. Karl. 6.

Si cum derogatione statuti innuentis certam formam reddendi, tur. 8. 2. 5.

Capitulum Odoardus, pro Clerico, turon. 5. 1. 6.

Si cum absolutione à ten. tur. 6. 1. 9.

Si cum dispensatione ab irregularitate, tur. 9. 2. 9.

Capitulum pervenit, pro Clerico, & beneficiato, tur. 6. 1. 9.

Si pro Episcopo, duplicatur taxa.

De Declaratoriis.

DE declaratoria juris, sive Religionis, sive homicidii, sive alterius cujusq; taxatur tur. 6. 21.

Exceptis matrimonialibus, qvæ taxantur tur. 7. 2. 1.

Perinde valere.

PRo eo, qvi perdidit literas testimoniales aliqvorum ordinum, tur. 6. 2.

Pro eo, qvi omisit in literis aliqvid narrare, qvòd si narrasset illas, nihilominùs obtinuisset, nec aliqvid in taxa alterasset, turon. 6. 2.

Si verò id, qvod est omissum, non tam facilè fuisset concessum, non tamen alterasset taxam, taxatur tur. 6. 2.

Si autem alterasset taxam, si qvidem in minus qvàm sex, tur. 6.

Si in plus, taxabitur ultra 6. ad totum illud plus, in qvo prior taxa alterata fuisset.

De Licentiis, & Indultis.

LIcentia transferendi parochialem Ecclesiam, vel collegiatam cum omnibus suis juribus in monasterium, tur. 24. 6.

PAUL. Et si cum prophanatione prioris loci, tur. 40. duc. 10.

Licentia erigendi fontes Baptismales, tur. 24. 6.

Licentia erigendi collegiatam, vel commutandi parochialem Ecclesiam, tur. 100.

Licentia erigendi parochialem Ecclesiam, vel monasterium, tur. 24.

Licentia erigendi, seu transferendi cœmiterium, vel oratorium, vel capellam, turon. 12. 3. 6.

Cum prophanatione prioris loci, tur. 24. 6.

Et si petatur ad instantiam universitatis, duplicatur taxa.

Licentia transferendi reliqvias de loco ad locum, de consensu qvorum interest, non tamen ab urbe, tur. 9. 2. 9.

Licentia pro annexa filiali dependente à parochiali Ecclesia, ut in illa Missæ & alia divina officia celebrari possint in perpetuum, & corpora defunctorum sepeliri, & Sacramentum Euchar. administrari, demto festo Paschali, tur. 40. 10.

Si verò ut & fontes Bapt. inibi erigantur, tur. 50. 12. 6.

Licentia celebrandi in capella non consecrata, tur. 12. 3. 6.

Etiam cum licentia transferendi vel erigendi unam capellam, tur. 18. 4. 6.

Reservatio juris patronatus pro se & hæredibus, tur. 40. 10.

Licentia erigendi Apothecas in porticu Ecclesiæ, tur. 12. 3. 6.

Licentia erigendi confraternitatem cum confessionali pro utriusq; sexus confratribus; altari portatili, & Licentia in locis interdictis sepeliendi, & Euchar. Sacramentū recipiendi, festo Paschali excepto, tur. 120. duc. 30.

Mutatio dedicationis, seu invocationis Sancti, &c. tur. 12. 3. 6.

Licentia celebrandi ubiq; tur. 9.

Licentia celebrandi bis in die, ad vitam unius tantùm, tur. 12. 3. 6.

Si ad petitionem collegii, vel capituli, aut universitatis, sine congregationis Presbyterorum secularium, tur. 100. 25.

Licentia pro consulibus unius oppidi, tempore interdicti, qvòd possint in eorum capella facere celebrari d. officia, & inibi sepeliri, cum clausulis consuetis, tur. 100.

Altare portatile, tur. 8. 2. 6.

Si pro viro & uxore, tur. 9. 2. 9.

Si etiam pro liberis, pro qvalibet persona augetur taxa tur. 4.

Licentia celebrandi ante diem, tur. 12. 3. 6.

Licentia publicandi indulgentias Cardinalium absq; ordinarii licentia, tur. 6. 2.

Licentia recitandi horas canonicas secundum ritum alterius diœcesis, qvàm suæ, tur. 6. 2.

Secundum usum Romanæ Ecclesiæ, turon. 6. 2.

Eadem licentia pro regulari, tur. 9. 2. 9.

Licentia anteponendi & postponendi horas canonicas, tur. 9. 2. 9.

Et si petatur simul etiam secundum usum Romanæ Ecclesiæ vel alteris, turon. 12. 3. 6.

Et si licentia anteponendi & postponendi tantùm, petatur pro conventu vel capitulo, tur. 60. 15.

Licentia testandi & disponendi de bonis, pro clerico seculari, tur. 13. 3. 6.

Pro regulari, dummodò non de acqvisitis ex bonis monasterii, tur. 24. 6.

Pro Episcopo titulari, tur. 36. 9.

Pro alio Episcopo, tur. 50. 12.

Pro Abbate vel commen. totidem.

Pro Priore, tur. 36. 9.

Pro Protonotario Apostolico, tur. 18. 5.

Licentia eligendi confessorem in forma, pro una persona tantùm, tur. 6. 2.

Pro viro, & uxore, tur. 7. 2. 3.

Pro libris & aliis conjunctis, pro qvalibet persona

persona augetur taxa turon. 1. Si non exprimitur illorum numerus, augetur turon. 4.

Pro confraternitate, capitulo, vel universitate, in perpetuum, taxa est arbitraria, & habenda est ratio qvalitatis illorum.

Pro regulari de licentia sui superioris, tur. 6. 2.

Sine licentia superioris, tur. 12. 3. 6.

Ut possit stare extra, turon. 6.

Licentia utendi lacticiniis temporibus prohibitis, pro una persona tantùm, tur. 62.

Pro tota familia, tur. 12. 3. 6.

Pro pluribus conjunctis, tur. 12. 3. 6.

Pro capitulo, collegio, congregatione, vel universitate, in perpetuum taxa est arbitraria.

Pro oppido, & illius districtu, etiam pro Clericis, fratribus, & Monialibus cujuscunqve ordinis, tur. 200. 50. Habenda tamen est ratio oppidorum.

1516 Si pro communitate ratione loci frigidi, & ob penuriam piscium, & olei olivarum, qvæ qvidem communitas talibus lacticiniis uti consuevit à juvenili tempore, turon. 100. 25.

Licentia percipiendi fructus in absentia, residendo in altero beneficiorum, vel in Romana curia, vel studendo in loco, ubi studium viget generale, tur. 9. 2. 9.

Licentia transferendi ossa unius cadaveris, tur. 6. 2.

Si verò plurimorum cadaverum ejusd. familiæ, pro qvolibet taxatur integrè.

Licentia visitandi per alium in Archidiaconatu, tur. 36. 9.

Derogatio fundationis alicujus beneficii, in qva cavetur, qvòd nullus possit obtinere beneficium, nisi sit actu Presbyter, vel qvòd illud obtinens non possit obtinere aliud, tur. 12. 3. 6.

Licentia deferendi corpus Christi si semel tantùm in anno. tur. 12. 3. 6.

Si bis, tur. 20. 5. 3. Si ter, turon. 30. 7. 6. Si qvater, turon. 40. 11. Si qvinqvies, tur. 50. 12. 6. Si sexies, tur. 60. 15.

Et sic ulterius, pro qvalibet vice addendo decem.

Licentia deferendi merces semel, vel pluries ad partes infidelium, vel aliàs exercendi mercaturam etiam, locorum ordinariorum, & qvorumcunq; dominorum temporalium, etiam Regum, Imperatoris, seu qvorumvis aliorum licentia minimè reqvisita, cum derogationibus amplissimis, tur. 24. 6.

Licentia portandi frumentum ad partes infidelium, videlicet per totam Barbariam, usq; ad tria millia grossarum salviarum, juxta tenorem privilegii, & literarum Apostolicarum, tur. 50. 12. 6.

Licentia pro vicario, qvòd in absentia Episcopi possit qvæcunq; ornamenta Ecclesiastica, citra tamen corporale, calices, & patenas, benedicere, tur. 50. 12. 6.

Pro Abbate, pro usu tamen sui monasterii ad ejus vitam, tur. 40. 10. Anno

In perpetum verò, taxatur tur. 200. 50.

Licentia medendi tam pro Clerico seculari, qvàm regulari, turon. 30. 7. 6.

Si cum absolutione de præterito, tur. 36. 9.

Si pro Episcopo, tur. 50. 12. 6.

Licentia pro Bresbytero, qvòd possit studere medicinæ, & mederi cum absolutione de præterito, si artem hujusmodi exercendo in aliqvo excessit, tur. 40. 10.

Licentia audiendi leges pro Clerico seculari, tur. 9. 2. 9.

Pro regulari in conventu, tur. 12. 3. 6.

Extra conventum, tur. 12. 3. 6.

Si sine licentia superioris, extra conventum ad septennium, tur. 18. 4. 9.

Si cum facultate deserviendi beneficio Ecclesiastico, & prædicandi, tur. 21. 66.

Licentia procurandi seu advocandi pro Clerico seculari, tur. 30. 7. 6.

Si cum absolutione de præterito, tu. 36. 9.

Licentia exercendi officium notariatus, tur. 12. 3. 6.

Licentia exercendi officium judicis secularis in civilibus tantùm, tur. 24. 6.

Si verò etiam in criminalibus, cum limitationibus consuetis, tur. 37.

Licentia mutandi nomen proprium, turon. 9. 2. 9.

Licentia mutandi cognomen vel signũ, tur. 6. 2.

Licentia reconciliandi Ecclesiam, seu cœmiterium, tur. 12. 3. 6.

Licentia obtinendi Canonicatum in Cathedrali, pro constituto in duodecimo suæ ætatis anno, non obstantibus regulis in contrarium editis, tur. 12. 3. 6. Pro constituto in tredecimo, tur. 6. 2.

Licentia celebrandi inter Græcos græcè, & Latinos latinè, tur. 9. 2. 9.

Licentia visitandi sepulchrum Dominicum, tur. 4. 1. 6.

Pro Episcopo de non promovendo, nec suspiciendo munus consecrationis ad annum, tur. 30. 7. 6.

De non promovendo ad septennium, tur. 9. 2. 9.

Licentia celebrandi capite cooperto, tur. 12. 3. 6.

Si pro Episcopo vel Abbate, tur. 24. 6.

Licentia de non residendo pro Episcopo titulari, tur. 18. 4. 9.

Licentia obtinendi duo beneficia dissimilia sub uno & eodem tecto, tur. 12. 3. 9.

Licentia, qvòd Episcopus titularis non teneatur visitare limina Apostolorum Petri & Pauli, propter locorum distantiam, & non perpetuò, tur. 24. 6.

Si perpetuò, tur. 50. 12. 6.

Licentia pro spurio, qvòd possit recipere à patre Laico vel clerico seculari, usq; ad summam ducentorum ducatorum ex legato vel donatione, tur. 12. 3. 6.

Idem

Idem à patre regulari, habente aliàs facultatem disponendi: à patre verò regulari non habente disponendi facultatem. tur. 24. duc. 6.

p. 837. Licentia piscandi Dominicis vel aliis festis diebus, pro redemtione captivorum ad qvinqvennium, tur. 12. 3. 6.

Si pro conventu, confraternitate, vel communitate, tur. 50. 10. 6.

Licentia pro capitulo cathedralis Ecclesiæ, qvòd possit aliqvas pecunias pro reparatione & manutentione civitatis contribuere, tur. 24. 6.

Licentia adoptandi, ut possit in omnibus bonis succedere, sine tamen præjudicio cognatorum. turon. 12. 3. 6.

Licentia vescendi carnibus à Saracenis interfectis; pro qvodam domino temporali, & sua familia, tur. 30. 7. 6.

Licentia pro muliere honesta cum tribus vel qvatuor matronis ingredi monasterium Monialium qvater in anno, insolita forma, tur. 12. 3. 6.

Licentia, qvòd pater possit familiam introducere in monasterium, ut bonis imbuatur moribus, turon. 12. 3. 6.

Licentia recipiendi habitum militiæ S. Jacobi de Spata, à qvocunqve Prælato. turon. 60. 15.

Licentia recipiendi habitum militiæ Jesu Christi, vel alterius, tur. 30. 7. 6.

Et pro muliere, etiam S. Jacobi, turon. 40. 10.

Licentia recipiendi habitum tertii ordinis S. Francisci de pœnitentia nuncupati, à qvocunqve antistite, seu persona in dignitate Ecclesiastica constituta, pro conjugato, tur. 12. 3. 6.

Indultum, qvòd miles S. Jacobi possit matrimonium contrahere cum vidua, qvod per statuta militiæ est prohibitum, turon. 12. 3. 6.

Licentia pro religioso, ut possit esse confessor monialium, etiam alterius ordinis, turon. 15. 42.

Licentia prædicandi pro prædicatore egregio, tur. 36. 9.

Et ut concioni ejus interessentes certos dies indulgentiarum conseqvantur, turon. 40. 10.

Licentia doctorandi pro Clerico seculari, vel regulari, tur. 12. 3. 6. si cum licentia superioris ipsius: sin minùs, tur. 18. 4. 9.

Licentia pro Abbatissa visitandi domos & terras Monasterii sui, unà cum tribus aut qvatuor monialibus. tur. 24. 6.

Licentia pro fratre ordinis Minorum de observantia, qvòd possit habere procuratorem, qvi pecunias, qvas ipse suâ industriâ acqvisivit, exigere, & recipere, ac in unius ipsius fratris filium convertere possit, tur. 12. 3. 6.

Licentia utendi camisiis lineis, & dormiendi in linteaminib. pro regulari, tur. 12. 3. 6.

Licentia pro Moniali, qvòd non possit reduci ad strictiorem ordinem, qvam professa fuit, tur. 12. 3. 6. Ann

Licentia pro toto Monasterio petente reduci ad strictiorem observantiam, qvam professi fuerint, non mutando superiorem, tur. 40. 10.

Licentia transferendi de ordine ad ordinem paren, turon. 15. 4. Si ad arctiorem, turon. 12. 3. 6.

Si totum Monasterium petit transferri ad alium ordinem, tur. 50. 12. 6.

Si de ordine ad ordinē longiorē, tur. 24. 6.

De monasterio ad monasterium ejusdē ord. professionis, habitus & observantiæ regularis ejusdem provinciæ, tur. 4. 1. 3.

Si alterius provinciæ, tur. 12. 3. 6.

Si cum usufructu, dote, & supellectilibus adduntur tur. 6.

Licentia ducendi vitam heremiticam, tur. 12. 3. 6.

Absolutio ab Apostasia pro vagabundo volente redire ad ovile, tur. 12. 3. 6.

Licentia deferendi habitum subtus, turon. 12. 3. 6.

De Marrania.

Marrania in amplissima formâ componitur, pro Clerico, turon. 60. 15. Pro laico tur. 40. 10. Et in utroq; casu componendum est cum Datario Papæ, nisi sedes vacet, tunc datur pro Clerico tur. 8. & pro Laico, tur. 60.

Verùm, qvando non datur in ampla forma, sed ad exercendum aliqvod officium, unde vivat, cujus ipse peritiam habet, vel pro Presbytero ad effectum celebrandi, turon. 12. 3. 6.

Nisi sit ad affectum advocandi, vel medendi, tunc taxatur tur. 24.

Theodorus Graminæus, & ante hunc multi alii. p. 838.

SCire debes, qvòd ex effusione sangvinis Christi, & multis meritis martyrum & aliorum sanctorum, constitutus est thesaurus Ecclesiæ, cujus potestatem habet vicarius Christi, & claudit & aperit cui vult & qvando vult. Nam qvia una guttula fuisset sufficiens ad liberandum totum mundum: item & martyres fuerunt puniti ultrà, qvàm eorum delicta meruerunt: certè omnia illa merita, qvæ superabundant, sunt in manu Ecclesiæ. Imp. Max. 2. Pp. Pio 4.

Idem in Mystico Aqvilone suo. Qvòd Thaddæus ait, me septentrionis matrem Saxoniam facere, filias Magdeburgum, Brandeburgum, &c. malitiosè ac fraudulenter mecum agit, non ut virum bonum decebat, in qvo juvenilis ardor nocendi cupiditate flagrans, jam extinctus esse debebat. Verba enim non mea, sed Abbatis Joachim sunt, qvi super Esaiam parte prima de oneribus sexti temporis expressè inqvit (ut in meo libr. fol. 99. v. 7. & in

margine

margine ad verbum latinè citaveram.:)

Futurum est, ut Ecclesiam Romanam in partibus Occiduis constitutam, Teutonicorum potentia conculcet. Nam sicut peccati radix Antiochus, finem Judaicis dedit Historiis: sic imperio perditionis filius prælijs Germanorum. Nullus enim populorum legitur ad tantam amaritudinem perduxisse Romanam Ecclesiam, sicut domesticus Alemannus. Ab Aqvilone Germaniæ illa pandetur hæresis, & afflictio, qvæ non solùm involvet reprobos, sed & electos afficiet temporibus præfinitis. Hujus Aqvilonis mater est Saxonia: filiæ verò Magdeburgum, Brandeburgum, Misnia, Mechelburgum, ISLEBIUM, levantes contra Dominum Spiritum pestilentem.

Hæc prophetia cum circa annum Domini millesimum, ducentesimum ab ipso Abbate scripta sit, impudenter & temerariè mihi à Thaddæo imputatur.

Et in margine Graminæus porrò inqvit: nota patriam Lutheri, ante 350. & amplius annos prædictam.

Ad dirimendam hanc litem, propria & ipsammet verba Abbatis Joachimi super Esaiam, qvæ longè aliter (ut seqvitur) sonant, recitanda sunt.

In gl. b. Nam sicut, inqvit, peccati radix Antiochus, 1. Mach. 1. finem Judaicis dedit historiis: sic & in novo perditionis filius prælijs Germanorum. Unde & legitur Es. 18. Deferetur munus Domino à populo dilacerato & terribili: post qvem non est alius, cujus diripuerunt terram Juda. Nullus enim populorum legitur ad tantam amaritudinem perduxisse Romanam Ecclesiam sicut domesticis Alemannus.

In gl. a. Etsi à Petri navicula toleratur pro tempore Spiritus tempestatis: illud magis torqvet Ecclesiam, qvo inter viros prælaticos & potentes Livonica puritas hæretica fœditate fordescet.

Totum tempus posteritatis aqvilæ decedentis usqve ad filii perditionis originem: qvi erit universalis iniqvitas, nomen præfinitionis includit.

Super habitatores Ecclesiasticos versos in arcum pravum, Psalm. 77. ab Aqvilone Germaniæ illa pandetur afflictio: qvæ non solùm involvet reprobos, sed & electos afficiet temporibus præfinitis.

In gl. b. Omnes hi novæ filii Babylonis, Apoc. 18. levantes contra Dominum Spiritum pestilentem. Hæc sunt ipsissima verba Abbatis.

Conferens igitur Lector æqvus Graminæi relata ex Abbatis Joachimi libello, cum ipso autentico, videbit, qvàm longè à veritate recesserit ille Graminæus. Hæc enim seqventia omnia: (Hujus Aqvilonis mater est Saxonia, filiæ verò Mechelburgum, Islebium) & patriam Lutheri ante 350. annos prædictam fuisse; omninò in Abbate non non reperiuntur, sed falsò illi affinguntur. Anno Abbas namqve tantùm Magdeburgensium, Bragbeburgensium, Misnensium, Berfebergensium, & Vzeldiensium civitatibus glossam hanc seqventem, & nullam aliam adscripsit (omnes hi novæ filii Babylonis, Apoc. 18.) Id autem, qvod in illo capite 18. agitur de Antichristo suo Romano, seu nova & magna Babylone, omninò nihil pro Graminæo facit, sed impugnat ipsum potiùs. Indigna autem tali viro est temeritas, qvòd falsò assuit Abbati verba; Hæresis, Mechelburgum; & præsertim Islebium, qvorum nec unum ibi reperitur. Et ex Abbate refert qvidem: ab Aqvilone pandetur afflictio: causam autem, qvare, & in qvos superventurum sit id mali, silentio præterit. Nam Abbas expressis verbis, Ecclesiasticos in arcum pravum (secundum illud Psalmi 77.) versos, & proinde ut malefactores iram Dei meritos, asserit.

Qvid verò sentiat idem Abbas de urbe Roma, Curia & sede Pontificis Romani, deqve toto clericatu, & cohorte papali, & qvod propter horrenda flagitia, & abominanda delicta Deus ipsos penitus sit reprobaturus & perditurus; & qvòd non Magdeburgum, sed Roma; Roma, inqvam, sit Magna illa nova Babylon; lector superiùs legendo perlustrare poterit sub nomine Abbatis Joachimi in libro super Hieremiam, Jesaiam, Danielem, Evangelium Joannis, Apocalipsim, de septem sigillis, concordiæ, in Cyrillum de magnis tribulationibus & statu Ecclesiæ: de futuris temporibus; de flore: item apud Hieronymum, Augustinum, Ansbertum, Petrarcham, Bocatium, & alios in hoc opere in plurimos; qvi, Romam esse ipsam Babylonem, satis abundè demonstrant.

Habes (Lector) apud Gregorium super illud Job. 30. (ad dextram orientis) seqventia: Hi ad persecutionem, inqvit, Ecclesiæ prosilient, qvi electa membra redemtoris credebantur: hîc nihil de Aqvilone, sed de illis ipsis, ut Schola Parisiensis de periculis Ecclesiæ interpretatur, qvi perfecta membra Christi reputantur, ut sunt hodie Jesuitæ, qvi certè (utpote viri prudentes & doctissimi) totius Papatus fundamenta nulla esse, satis noverunt: sed cum, à qvo conducti sunt, & qvi illos ad summas dignitates (intrant enim ut vulpes) evehere potest, offendere hactenus noluerunt: veruntamen ut de illis idem Joachimus super Jeremiam vaticinatur, illi ipsi sunt, qvi contra Romanam sedem conspirabunt: atqve eos, detracta larva, propediem hoc facturos, speramus. Hactenus enim (verba Joach. sup. Jer.) prohibiti fuerunt ex lege, revelare, & denudare ignominiam matris suæ Ecclesiæ, sed nunc cogentur prodere ejus iniqvitates. p. 839.

Itaq; æqvus Lector judicabit facilè, qvòd

Anno ex his infideliter allegatis Joachimi dictis Graminæus nihil possit contra nos astruere, & qvòd vana sit insolens ipsius vaticinii sui efficta ostentatio.

Testimonia ex triginta maximæ authoritatis scriptoribus, qvi Romam Babylonem, ejusq; Episcopum Antichristùm certò statuerunt: à Simone Schardio J. C. Imperialis Cameræ assessore, in unum collecta & edita.

1. INitio, urbem Romam Babylonem esse, ipse Angelus Dei affirmat, exponens Apocal. 17. Joanni Evangelistæ visionem bestiæ, habentis septem capita, & gestantis turpissimam adulteram seu meretricē, atq; dicens: septem capita esse septem montes, in qvibus mulier, qvæ tenet imperium in reges, sedet: videlicet rerū pulcherrima Romā:

Septem qvæ una sibi muro circumdedit arces,

sive montes: ut Palatinum, Capitolium, Aventinum, Celium, Esqvilinum, Viminalem, & Qvirinalem.

2. Post Joannis Evangelistæ testimonium meritò secundus tribuitur Areziæ, vel Aretiæ, excellentissimæ in omni virtutum genere fœminæ, qvæ sanctissimi patriarchæ Noachi uxor fuit, Deum valdè timens, sapientissima & religiosissima, ac prophetiæ spiritu mirabiliter illustrata. Hæc omnium Sibyllarum antiqvissima, Chaldæa vel prophetissa à priscis autoribus, à qvibusdam etiam Sambetha sive cœlestis dicta, 24. libris (qvos vaticinos edidit) omnium gentium ac populorum momenti præcipui res descripsit: Dominiq; Christi negocia principalia, ejusq; æmulum nefarium & pseudochristum suis depinxit coloribus.

Nam eum vocat mendaciorum prophetam, peritissimum artium magicarum, veneficiorum amatorem, magnificè gloriantem tyrannum, regem teterrimum; Gog vel immanem hostem populi Dei, atq; impostorem: & Ecclesiam ejus regnum nefarium ac jactabundum (qvòd justum populum persequeretur) appellat, pellicem impudicam, Babylonem: & (ne qvis aliam existimet qvàm Romam) impuram civitatem Latinæ terræ, veneficiorum operatricem, ac puerorum (proh nefas) mixtionem nefaviam admittentem. Alio item loco vaticinans, Romam expressè Babylonem hisce verbis nominat:

Veniet (inqvit) *cœlo stella magna in mare vastum,*
Et inflammabit mare profundum; ipsamq́ Babylonem,
Italiæ terram, cujus gratia multa perierunt,
Ebræorum sancti, fideles, & templum verum.

Et de ultimo certamine militantis Ecclesiæ sub finem mundi, sic cecinit: novissimæ ætatis viri malefici erunt, pravi & stolidi, qvando in terra erunt prædicantes mendaces, seductores loco prophetarum. Et Beliar veniet (sic Antichristum vocat, notans, eum autorem universi mali esse) & signa multa edet hominibus. Tunc verò sanctorum virorum dejectio erit, & profligatio electorum atq; fidelium.

3. Hanc Angeli & Sibyllæ interpretationem vetustas qvoq; ferè omnis secuta est. Siqvidem Irenæus Episcopus Lugdunensis, qvi vicinis Apostolorum, Polycarpum Jo. Evangelistæ discipulum vidit, lib. 5. adversus hæreses Valentini & similium, explicans numerum hominis bestiæ 666. annorum, inter cætera, Latinum seu Romanum fore Antichristum, indicat ex nomine λατεῖνος, cujus literæ numerum 666. præcisè continent, ac de nomine ita scribit: hunc numerum nominis ostendit, ut vaveamus illum venientem, scientes qvis est. Et valdè verisimile esse dicit, nomen ejus esse λατεῖνος. Novissimum enim regnum hoc habet vocabulū: Latini enim sunt, qvi nunc regnant. Porrò literarum numerus hic est: λ 30. α 1. τ 300. ε 5. ι 10. ν 50. ο 70. ς 200.

Summa horum fit 666. cui etiam congruit Ebrææ dictionis numerus, qvæ significant suis literis regnum Romanum. p. 140

4. Irenæo meritò succedit Q. Septimius Florens Tertullianus, qvo ex veteribus novi rem Christianam adversus Ethnicos tutandam susceperunt (teste Lactantio omni genere literarum millibus peritior fuit. is verò inter alia libro 3. adversus Marcionem, sic de Roma scribit: nec n. hoc novum est Creatori, figuratè uti translatione nominum, ex translatione criminum. Nam & ἄρχοντας Sodomorum appellat ἄρχοντας Judæorum: & populum ipsam populum Gomorrhæ vocat. Sic & Ægyptus nonunqvam totus orbis intelligitur apud ipsum, superstitionis & maledictionis & eulogio. Sic & Babylon etiam ap. Joannem nostrum, Romanæ urbis figura est, proinde magno regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis. Hactenus Tertull.

Ideò verò Roma Babylon figuratè dicitur, qvia inter utramq; insignis est collatio. Babylon prima fuit monarchia, Roma est ultima. Babylon graviter afflixit Dei populum: ita graviter exercet Roma Ecclesiam Dei. Babylon gravi captivitate attrivit Israelem: ita Roma vexat plusqvàm diuturna captivitate Ecclesiam. Babylon vicit populum Dei, inflammataq; urbe Hierosolymorum, & exciso templo, captivum abduxit Israelem: ita & Roma, vastata urbe Hierosolymorum, & templo exciso, triumphavit de Israele. Babylon idololatriam, superstitionem & omnem abominationem plantavit, provexit, defendit & obtrusit omnibus: tandem vero cum minimè putasset, liberato derepentè Dei populo, ipsa funditus interiit: ita & Roma genitrix est, & nutrix, & vegetatrix omnium in Ecclesia postremi seculi abomina-

ominationum, in qvibus peribit tandem, liberatis omnib. verè in Christum credentib.

5. Qvàm verò ut cæteros Orthodoxos dotibus ingenii ac eloqventiæ, sic qvoq; eosdem judicii de Babylonica Roma, intrepida libertate Hieronymus Stridoniensis superat, dum ad Marcellum scribit, ut Bethlehem commigretur: Et hic puto (inq.) locus sanctior est Tarpeia rupe, qvæ de cœlo sæpius fulminata ostendit, qvòd Domino displiceret. Lege Apocalypsim Joannis: & qvid de muliere purpurata, & scripta in ejus fronte blasphemia, septem montibus, aqvis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuère: exite, inqvit Dominus, de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis: fugite de medio Babylonis, & salvate unusqvisqve animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmonum, & custodia spiritus immundi.

Est qvidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides: & à gentilitate calcata, in sublime se qvotidie erigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere, vel audire vel proloqvi, à proposito monachorum & qviete aliena sunt.

Qvòd si hæc Hieronymus circiter annum à Christi nativitate 360. qvo tempore omnia adhuc Romæ castiora & incorruptiora erant, scripsit, qvid eum hoc tempore scripturum fuisse existimas, qvo omnis impietatis, omniumq; vitiorum sentina illic inundavit? Similes loci complures apud eundem inveniuntur: ut Tomo tertio Epistolarum, ubi Algasiæ undecim qvæstiones edisserit, maximè qvo sensu accipienda sint, qvæ Paulus scribit 2. Thess. 2. Nisi discessio venerit primùm, & revelatus fuerit homo peccati. Itidem in præfatione Dydimi, de Spiritu Sancto, ad Paulinianum. Item in fine secundi libri contra Jovinianum. Sed unum adhuc ex Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum subjungam, ubi de Marco discipulo & interprete Petri scribit: & Papias (inqvit) Hierapolitanus episcopus meminit hujus Marci, & Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: salutat vos Ecclesia, qvæ in Babylone, vobis cum electa, & Marcus filius meus.

6. Nec aliud Augustini judicium de Roma fuisse, apparet ex lib. 18. de Civ. Dei, ubi scribit: condita est Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis, per qvā Deo placuit orbem debellare terrarum.

7. Gregorius Magnus, qvi anno Domini 604. confessor obiit, omnium pontificum Romanorum doctrina & vita præstantissimus, qvem Antichristum fore putaverit, scriptis suis abundè testatus est, cum in ipso Papatus initi limine adversus papistici regni primatum pugnans, lib. 6. capite 194. ad Mauritium conqverens scribit: nunqvid non, cum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolum valdè erit, sed tamen nimis perniciosum? Si qvantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ: si verò pondus iniqvitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico: qvia qvisqvis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: qvia superbiendo se cæteris præponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur. Anno

Et lib. 4. Epistolarum, capite 82. scribens ad Joannem Jejunatorem, patriarcham Constantinopolitanum, qvi œcumenicus & universalis episcopus haberi voluit, comparat cum Lucifero, qvi Esaiæ 14. dicit: in cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aqvilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Qvid enim frates tui omnes universalis Ecclesiæ episcopi, nisi astra cœli, sunt? qvorum vitæ simul inter peccata erroresq; hominum, qvasi inter noctis tenebras lucent. Qvibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, qvid aliud dicis, nisi; in cœlum conscendam: vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, qvid aliud dicit, nisi hoc, qvod ab antiqvo hoste dicitur: Ascendam super altitudinem nubium? Qvæ cuncta ergò cum flens respicio, &c. p. [illegible]

Et ad eundem Constantinopolitanum præsulem, epistola 38. parte qvinta Registri, hæc rursus: Secundum qvod veritas prædixit, pestilentia & gladius per mundum sævit: gentes in gentes insurgunt, terræ concutitur orbis cum habitatoribus suis: terræ dehiscentes solvuntur: omnia, qvæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est, & (qvod dici nefas est) sacerdotum ei præparatur exercitus: qvia cervici militant elationis, qvi positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis.

Dum ergò Bonifacius tertius civis Romanus, contra tam graves & verè Apostolicas antecessoris sui cohortationes à Phoca crudelissimo Cæsaricida impetrat, ut Roma sit caput omnium Ecclesiarum, & Episcopus Romanus superior Constantinopolitano habeatur, & œcumenicus vocetur; annon ex sententia antecessoris Gregorii, viri verè Magni, Antichristi nomen meretur, vel ejus præcursor dicendus est, cum omnibus successoribus suis, idem nomen diabolico fastu non tantùm usurpantibus, sed & horribili tyrannide, ac piorum persecutione defendentibus, ut Satan à facie Domini egressus videatur ad percutiendum Jobum ulcere pessimo? Etsi enim titulum Servi Servorum, qvem Gregorius ab omni ambitione ac dominandi libidine alienissimus

Anno introduxit, universalis Episcopi nomine penitus abrogato, retineant: id tamen faciunt more Chanaan, atqve filiorum ejus, Gen. 9. qvi mundi imperium ad se rapuerunt, ac tyrannicè fideles fratres oppresserunt, tanqv. totius terrarum orbis domini.

8. Inter Papistarum advocatas sanctissimas, nulla à scriptoribus eorum superstitiosis magis celebrata est, qvàm Brigitta, ob mirabilia multa, qvæ cum aqva lustrali fecisse fertur. Ea librum suarum revelationum unum composuit, ac edidit (ut Geraldus Cambiensis ait) angelo dictante. Brigitta orante, & scriptore notante: tantæ apud Papistas authoritatis, ut in scholis Oxoniensibus magni doctores magistraliter eum exposuerint. In eo qvæ continentur, si papistis probentur, qvomodo negabunt, Papam verissimam Antichristum esse? Etsi enim aliàs in verbis ipsis sit tanta obscuritas, ut ad ea enucleanda Delio natatore opus videatur: tamen, ubi de sede Romana conqveritur, ita perspicuis ac claris verbis utitur, ut etiam à puero intelligi qveant. Sic enim libro 1. Revelationum, capite 41. de Romano Episcopo scribit:

Nunc ergo conqveror super te, caput Ecclesiæ meæ, qvi sedes in sede mea, qvam Petro & successoribus ejus tradidi, ad sedendum in ea triplici dignitate & authoritate: primò, ut potestatem haberent ligandi animas, & solvendi à peccato: secundò, ut aperirent cœlum pœnitentibus: tertiò, ut clauderent cœlum maledictis & condemnatis. Sed tu, qvi deberes solvere animas, & ad me præsentare: verè es animarum interfector. Ego enim institui Petrum pastorem ovium mearum: tu autem es dispersor & lacerator earum. Tu autem peior es Lucifero. Ipse enim habebat ad me invidiam, & nullum concupivit occidere, nisi me, ut pro me dominaretur: tu autem tanto deterior es, qvòd non solùm occidis me, removendo me à te per mala opera tua: sed & animas occidis, per malum exemplum tuum.

Ego redemi animas sangvine meo, & cõmisi eas tibi tanqvam amico fideli: tu autẽ tradis eas iteratò inimico, à qvo redemi eas. Tu es injustior Pilato, qvi nullum judicabat ad mortem, nisi me: tu autem non solùm judicas me, qvasi nullius dominatorẽ, & nullius boni dignum, imò & animas innocentes condemnas, & nocentes dimittis. Tu es immitior Juda, qvi me solum vendidit: tu autem non solum vendis me, sed & animas electorum meorum, pro turpi lucro tuo & vano nomine. Tu es abominabilior Judæis: ipsi crucifixerunt corpus meum solum: tu autem crucifigis & pungis animas electorum meorum, qvibus malitia tua & transgressio amarior est omni gladio. Et ideo qvia tu similis es Lucifero, injustior Pilato, immitior Juda, abominabilior Judæis, ideò meritò conqveror super te. Obiit autem Brigitta anno 518.

9. Oecumenius in fine epistolæ prioris Petri, & ipse per Babylonem Romam intelligit, Babylonem a. inqviens, hic Romã vocat, ob excellentiam imperii, & claritatem: id qvod olim Roma multo tempore obtinuit.

10. Porrò ut orthodoxi patres, sic qvoq; alii, qvi eos subsecuti fuêre, Ecclesiastici scriptores ac pii viri, Romam pro Babylone acceperunt. Nam Episcopi Belgici circa annum Domini 860. cum Nicolao primo Papa contentionem qvandam de qvodam matrimonio habentes, epistolam ad ipsum satis acrẽ scripsêre, in qva inter alia Romam Babyloniam vocant, his verbis: Spiritus (inqviunt) sanctus autor est omniũ Eccl. qva lõgissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur, Civitas Dei nostri, cujus municipes sumus, ad universos cœli cardines pertinet: major est urbe, qvæ Babylonia à sacris vatibus appellatur, ut qvæ divinitatem usurpet, cœlo se æqvet, se æternam fore jactitet, perinde ac si esset Deus, immortalisq; sapientia: & nec unqvam errasse, neqve errare posse mendaciter gloriatur. Extat epistola apud Aventinum libro 4to Annalium Bojorum, f. 4[illegible].

11. Legimus qvoq; Arnulphum Aurelianensem episcopum, ante annos amplius qvingentos & qvinqvaginta, in concilio Remensi liberè & acriter adversus Romani episcopi gravem dominatum publicè hæc verba pronunciasse: Qvid hunc in sublimi solio residentem, qvid hunc (inqvam) esse censetis? nimirum si charitate destituitur, solaq; scientia inflatur & extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens, & sese ostentans, qvasi Deus sit. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur: in templo Dei tanqvam idolum est. Tantum ille: qvi videtur hisce verbis suis allusisse ad loca sanctæ Scripturæ, Ap. 19. 2. Thess. 4. P. 842.

12. Extat epistola Leodiensis Ecclesiæ contra Paschalem II. pontificem, qvi eam Ecclesiam & provinciam Roberto Comiti Flandrensi, igne ferroq; vastandam concesserat, qvòd Henrico IV. obediret. In ea epistola vocant Romam Babylonem, dicuntq; eam à Petro sic prophetico spiritu vocatam esse, qvòd Romanis turbinibus & procellis Ecclesia esset perturbanda. Scripta est circa annum Christi 1100. & invenitur in tertio tomo Conciliorum, qvæ Coloniæ sunt edita.

13. Eodem qvoq; ferè tempore plerìq; alii cum privatim tum publicè pro concione Gregorio maledixêre, ac Hildebrando malè precati fuêre: ipsum odio atq; libidine dominandi præcipitem agi, vociferantes, Antichristum esse, prædicantes. Pietatis sub specie (inqviebant) debacchatur, honestis nominib. bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi cogitat: in Babylonia, in templo Dei sedet: super omne id, qvod colitur, extollitur: qvasi Deus sit, se errare non posse, gloriatur. Hæc & alia Aventinus lib. 5. f. 573. Annalium Bojorum.

14. Pe-

14. Petrus Blesensis, qvi (teste Tritemino) sub Friderico Imperatore primo claruit, scripsit multa, in qvibus gravissimè vitupe at vitam moresq; spiritualium. In qvadam verò epistola ad qvendam Officialem (ut vocant) episcopi, monet eum, ut qvàm primùm ex illa Babylone exeat, his verbis: Qvia te affectuosissimè diligo in visceribus Jesu Christi, proposui te salutaribus monitionibus adhortari, ut de Vr Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestivè exeas, ut ministerium damnatissimæ villicationis omittas. Clerum alioqvi sæpè nominat Syriam, vitulos Bethel, pingves Samariæ, sacerdotes Baal, judices, qvi condunt leges iniqvas: Cantantur (inqvit) eorum turpitudines in tentoriis Geth, & in compitis Ascalonis. Sic factus est Princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.

15. Valdenses qvoq; inter alios suæ doctrinæ articulos, qvos circiter annum Domini 1160. hinc inde docuêre, & hunc asseruerunt: Romanam Ecclesiam esse Babylonem, de qva in Apocalypsi: & papam esse omnium errorum fontem, & verum Antichristum.

16. Fridericus etiam secundus Imperator, cum præter meritum à Gregorio nono exagitaretur, cum alia adversus ipsum, tum verò & hoc scripsit, captum ipsum imperii consuetudine, ut solus regnet, omnia perturbare atq; commiscere: cuncta tumultu complere, ut sursum deorsum universa ferantur. Jampridem eos, qvi Babyloniæ, h. e. Romæ templo Dei incubent, divinitatem affectare, & astutè id dissimulare. Aventinus lib. 7. Annalium Bojorum, fol. 679.

Et paulò pòst: Paulus armarium philosophiæ divinæ præcipit, Subjecti invicem in timore Christi estote. Hoc interesse inter Christianorum & prophanorum principes, cœlestis doctor & præceptor noster, summusq; atqve immortalis pontifex docet, qvòd hi dominantur subditis, illi serviunt. Formam servi suprema majestas suscepit, ut discipulis suis serviret, eorumq; pedes lavaret: Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt: non desistant, donec omnia pedibus suis conculcaverint, atq; in templo Dei sedeant, extollanturq; supra omne id, qvod colitur: fames opum, sitis honorum inexplebilis est.

17. Adeò porrò multi in Germania, Italia, Francia & Anglia, Friderici hujus tempore, crediderunt, Romam Babylonē & meretricem illam magnam esse, ut impostores qvidam Apocalypsin Joannis abolere conati fuerint: maximè qvidem Cyrillus Carmelita Græcus, qvi tam Moysis qvàm Joannis exemplo, novam Apocalypsin è cœlis, circa annum à Christi nativitate 1192. Dei ipsius digito in argenteis tabulis græcè scriptam, super futuro Ecclesiæ statu se accepisse, gloriatus est: de qvo Balæus lib. 5. de actis Romanorum pontificum, sub vita Gregorii noni. Anno

18. Salisburgensis Archiepiscopus Eberhartus, imperante hoc Friderico, in concilio freqventi principum & episcoporum, Papam Romanum pronunciavit ipsissimum Antichristum esse, à Daniele & aliis vatibus prædictum. Theodorus Bibliander in Chronologia sua, Tabula decima.

19. Abbas Joachim Calaber, homo eruditionis & etiam sanctitatis vitæ nomine celebris, qvæ de Romana Ecclesia senserit, in suis scriptis satis ostendit. Nam super Hieremiam sic scribit: Est & alia ficus, qvæ maledictione prævaricationis jam aruit, Latina Ecclesia, sive navicula S. Petri: cujus folia temporalia, de qvibus conficiuntur perizomata, ad excusandas excusationes in peccatis, qvibus in honestatem vitæ suæ tam Adam summi pontificis, qvàm Eva Ecclesiæ subjectorum operiant, & in ligno Ecclesiasticæ gloriæ sese miserabiliter abscondant. Sed qvia patrimonium Jesu, qvod ipsi pontifices à principibus Christianis qvasi boni & mali scientiæ lignum sumunt: boni qvoad sustentationem vitæ: mali, qvoad dissipationem & libidinem vitæ & abusum: cupientes gigantes fieri super terram Reipub. famoliq; viri per totam latitudinem imperii Christiani, non contenti stipendiis, &c.

Et aliqvantò pòst: Nam secundum sententiam sanctæ Brigittæ, potens est Deus & Francos suscitare adversus Ecclesiam. Cum enim Ecclesia Romana deficiet qvoad obedientiam, & pontifices ex Alemannis thesaurum extrahentes, filios & filias ad culmen dignitatis secularis promoverint, volante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Christianus: tum finis, clamor & ululatus universæ carnis, veniet ad Dominum astrorum, &c. p. 843.

Idem in commentario super Hieremiam, tempus, æstimat, esse periculosum futurum ab anno Domini 1200. usq; ad ultimos dies: in qvibus apparebit (inqvit) Lex libertatis. Evangelium regni Christi tunc prædicabitur, & Ecclesia purgabitur, ut à palea & zizaniis triticum.

Verùm historia, qvam ex Rogerio Hovedeno de eo refert Foxus Anglus in commentariis rerum in Ecclesia gestarum, præcipuè notanda esse videtur. Richardus (inq.) Angliæ rex, in expeditione Hierosolymitana, accepta fama Joachimi Calabriensis abbatis de Curacon, qvi spiritu prophetico ventura prædicebat, qvo tempore Siciliæ ageret, eum ad se accersiit, auditurus, qvid de Antichristo inter cætera denunciare posset? Hic ergò explicans mysterium septem regum in Apocalypsi, qvorum qvinq; ceciderint, &c. Reges septem, inqvit, sunt septem persecutores, Herodes, Nero, Constantius, Mahumet, Melsemutus, Saladinus, Antichristus. De Antichristo sic ajebat, qvòd is jam in urbe

Anno Roma prognatus esset, & in sede Apostolica sublimabitur, de qvo Apostolus: Extollitur & adversatur super omne, qvod dicitur Deus. Hæc Hovedenus. Annus verò hujus Abbatis erat 1200.

20. Anno Domini 1345. qvidam Minorita nomine Hayabalus, propterea, qvòd solitus est publicè concionari & affirmare, se divinitus jussum concionari, Ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, & Papam ac Cardinales esse meros Antichristos: Avinione à Clemente, coram qvo id constanter & intrepidè affirmârat, miserum in modum vexatus est: ut refert Henricus de Ephordia, chronographus, in opere historiarum de factis memorabilibus.

21. Volqvini cujusdam homilia super Evangelium de interseminata zizania, ante tempora Lutheri extat, Basileæ anno 1555. impressa, in qva autor: proh dolor & proh dolor hodiè meretrix (inqvit) antiqva, qvæ habet poculum aureum in manu sua, plenū abominatione, fornicatione & immunditia, qva mirabiliter inebriat sacerdotes & clericos? De qva in Apocalypsi: Vidi mulierem ebriam de sangvine virorum, & de sangvine martyrum Christi. Mulierem mollem vicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de sangvine suorum scortorum sive scortatorum. Hæc est illa sangvisuga, qvæ sugit sangvinem ministrorum Dei, & martyrum Dei, qvi martyres Christi esse debuerant, & fiunt martyres Diaboli, in honorem ejus & obseqvium, carnem & sangvinem consumentes. Cum vidissem, inqvit, homines, miratus sum. Qvis non miretur & horreat & obstupescat sacerdotem Domini, ministrum Dei, calice epotato sitibundum, & potare feces de calice Babylonis?

22. Dantes Florentinus, qvòd & ipse Papam meretricem Babylonicam esse senserit, non obscurè ostendit in concione 32. Purgatorii: dum ejus ministris, id est, Episcopis, tribuit bicornia capita, qvatuor verò qvibusdam, qvibusdam unum cornu, qvi & sunt Patriarchæ: ipsi verò meretrici, instar cujusdam arcis. Floruit sub Ludovico Bavaro, sub qvo etiam inter cætera composuit librum de Monarchia: in qvo probat, imperiū nullam dependentiam habere à Papa, sed à solo Deo: ut refert Nauclerus generat. 45.

23. Ejusdem Ludovici Secretarius fuit qvidam Vlricus de Augusta, qvi in regiis literis summum pontificem vocavit bestiam ortam è mari, eoq; discordiæ causam inter Joan. 22. Papam & Imper. præbuisse fertur: ut Paralypomena Urspergensis testantur.

24. At qvi hosce paucos post annos subsecutus est, Franciscus Petrarcha, omnium artium instaurator eruditissimus, Romam multò acerbiùs est insectatus. Appellat n. Epistola vigesima, Papæ curiam Babyloné, & meretricem Babyloniam super aqvas sedentem, matrem omnium idololatriarum & scortationum, cum qva scortati sunt principes & reges terræ: asylum hæresium & errorum, de qva in Apocalypsi S. Sanctus prophetârit. In Italicis etiam rhythmis scribit inter alia de Roma: Schola di errori, & templo de hæresia: i. e. Schola errorum & templū hæreseos. Sic & sæpè aliàs in eodem poemate eam vocat impiam Babyloniam: item matrem errorum: item nidum proditionū, in qvo totius terrarum orbis venenum fovetur, crapulis & ebrietatibus obstrictum, meretricem execrabilem, in qva luxuria undeqvaqve vagatur & viget, hæresium errorumq; asylum, carcerem, ubi bonum extingvitur, & qvodvis malum scelestumq; alitur: Christo, ejusq; Apostolis rebelle, ut Venerem Bacchumq; deos colat,

Item dicit, eam crescere ex alienis calamitatibus. Ait qvoq;, eam se extollere contra suos fundatores: id est, Imperatores, qvi ipsi multa antea largiti sunt. Sed ejus verba ex aliâ qvadam epistola adscribamus: Roma non jam civitas, sed larvarum & lemurū domus est: & (ut breviter dicam) scelerum ac dedecorum omnium sentina, atqve ille viventium infernus, tanto antè Davidico ore notatus, qvàm funditatus aut cognitus. Qvid eventurum censes, ubi extincta prorsus & sepulta virtus est? & ubi nulla fides habitat? ubi tumor, livor, luxus; avaritia, cum artib. suis regnant? ubi pessimus qvisq; provehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, justus pauper opprimitur? ubi simplicitas amentiæ, malitia sapientiæ nomen habet? ubi Deus spernitur, adoratur mundus, calcantur leges, irridentur boni?

Novi expertus, qvòd nulla ibi sit pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reve- p. 844
rentia, nullus timor, nihil sancti, nihil justi, nihil æqvi, nihil pensi, nihil deniq; vel humani: amor, pudor, decor, candor inde exulant. De veritate eqvidem sileo. Nam qvis usqvam vero locus, ubi mendaciis omnia plena sunt? aer, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorū laqvearia, murorū rimulæ, diversoria ædium, penetralia templorum, judicum subsellia, Pontificum sedes? ad postremum, ora hominum, nutus, gestus, voces, frontes, animi? Qvid ais? An mentior? an v. de mendaciis verum loqvor? In illa nefaria scelerū scena, omnia sunt virtute vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena fucis, plena blanditiis, plena pessimis artibus ambitionis, avaritiæ, superbiæ, livoris.

Corrupti n. sunt, & abominabiles facti in studiis suis. Non est qvi faciat bonum, non est usq; ad unum. Visa loqvor, non audita, fato meo pessimo in eas terras evectus, &c. Ecce jam oculis vides, jam manibus palpas, qvalis est Babylon illa novissima, fervens, æstuans, obscœna, terribilis. Nilum & Euphratem Roma vincit, imò tartarea flumina vincit; Cocytum vincit & Acherontem.

Qvis-

Qvicqvid uſpiam perfidiæ ac doli, qvicqvid inclementiæ & ſuperbiæ, qvicqvid impudicitiæ effrenatæq; libidinis, qvicqvid deniq; impietatis & morum peſſimorum ſparſim habet & habuit mundus, id totũ cumulatim occupat, acervatimq; tenet. Hact. Petrarcha.

25. Anno 1528. Commentaria qvædam in Apocalypſin à Luthero, ſine autoris nomine ſunt edita: qvæ ſibi aliunde ex finibus Livonicis & Polonicis, ut teſtatur, transmiſſa fuêre. Compertum a. eſt poſtea, & Joannis Wiclevii eſſe, per Joannem Purvæum Anglũ ex prælectionibus magiſtri collecta. In eo opere idem Joannis apertiſſimis verbis Ecclesiam Romanam Babylonicam meretricẽ, & Papam Antichriſtum eſſe probat eo, qvòd neglecto Dei verbo, ſuas traditiunculas ac nugas doceat, Evangelium piosq; doctores opprimat. Item, qvia qvæſtus gratia indulgentias excogitaverit, potentiam & ſplendorem regni ſub falſo donationis Conſtantini nomine ad ſe traxerit. Enumerat & alia plura flagitia, moresqve Papæ & Prælatorum: præcipuè verò, qvòd ex mandatis Chriſti conſilia faciant. Hortatur etiam omnes, ut fugiant ex illa Babylone.

Idem Purvæus, Romam in Dei Spiritu Diaboli proſtibulum eſſe dicebat: & Eccleſiam ejus magnam affirmavit eſſe ex fœda ſuperſtitionum colluvie, meretricem illam magnam in Apocalypſi deſcriptam, qvæ ſedens ſuper aqvas multas, incredibili tyrannide & hypocriſi Chriſtiana regna omnia ſeduxit: Apocalypſis 17. Balæus de ſcriptoribus Anglicis, Centuria ſeptima.

26. Anno Domini 1408. durante ſchiſmate inter Gregorium XII. & Benedictum IX. Manfredus Vercellenſis, ordinis Prædicatorum Theologus, præſentem ſentiebat adeſſe Antichriſtum. At contra eundem Manfredum ſtatim prædicabat Bernhardinus Senenſis, Franciſcani ordinis monachus. Matthias Pariſienſis, ſed patria Bohemus, parùm antea ſcripſit de Antichriſto librum valdè prolixum, in qvo Papæ ac ſui cleri turpitudines inſectatur. Locuſtas in Apolalypſi deſcriptas dicit eſſe hypocritas in Eccleſia regnantes. Jacobus Miſnenſis etiam compoſuit de adventu ipſius Antichriſti librum, in qvo mentionem facit cujuſdam docti viri, nomine Miltizii Bohemi, qvem famoſum ac venerabilem prædicatorem appellat: qvi anno Chriſti 1366. docuit, Antichriſtum adeſſe, ac nullam in Papa, Cardinalib. Epiſcopis, prælatis, ſacerdotibus atq; aliis religioſis veritatem inveniri: ac propterea à Joh. Pragenſi archiepiſcopo fuiſſe incarceratũ. Hæc Balæus Centuria 7. de ſcriptoribus Britanniæ, in appendice de Thoma Corby.

27. Petrus Joannes Minorita cum alia multa contra Papam docuit, tũ etiam, qvòd Papa ſit Antichriſtus, & Synagoga Romana ſit magna Babylon, ante annos 260. Unde cum vivum neqviviſſet exurere Papa, longè poſt mortem oſſa ejus effoſa exuſſit. Balæus in Laurentio Anglico, in catalogo Britannicorum ſcriptorum. Anno

28. Michael Ceſennas generalis Minoritarum, floruit unà cum aliis, qvi tyrannidem pontificiam tempore Ludovici Bavari oppugnârunt, & accuſavit Romanam Eccleſiam tanqvam Babyloniam meretricem, piorum ſangvine ebriam: dicens, duas eſſe Eccleſias, alteram impiorum florentem, alteram afflictam piorum. Atq; ob eam cauſam à Papa ſua dignitate privatus eſt. Veruntamen nihilominùs in ſententia permanſit. Catalogus teſtium veritatis.

29. Wolffgangus Aitinger, clericus Auguſtanus, qvi prophetias Methodii cõmentariis illuſtravit, contendit, Antichriſtum non in corporea, ſed myſtica Babylone naſciturum. Ea verò, teſte Petro, Roma eſt.

Hiſce alia qvoq; ſimilia teſtimonia qvàm plurima adduci poſſent: ſed his ipſis contenti, omnium, qvi unqvam fuerunt, fraterculorum doctiſſimi, ac vitæ ſeveritate, morumq; ſanctitate clariſſimi vatis, Bapt. Mantuani carmina aliqvot ſubjiciemus, in qvib. Babylonicæ illius meretricis impuritates atqve tyrannidem, ſicut & alii pii ante ſua tempora, ad liqvidum deteſtatus eſt.

Fr. Mantuan. in libro 3. Calamitatum.

p. 44

Interea noſtras odiis flagrantibus urbes
Exercent furiæ, per rura, per oppida ſævit
Martis opus: Petriq; domus polluta fluenti
Marceſſit luxu. Nulla hic arcana revelo,
Non ignota loqvor, liceat vulgata referre,
Sic verbis populiq; ferunt: ea fama per omnem
Jam vetus Europam, mores extirpat honeſtos.
Sanctus ager ſcurris, venerabilis ara cinædis
Servit, honoranda divûm Ganymedibus ædes.
Quid miramur, opes, recidivaq; ſurgere tecta?
Thuris odorati globulos, & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii veſtes, & muricis imbrem:
Indus ebur, croceum Cilices, & Tmolus odorem:
Mel Siculi, ferrum Chalybes, tenuiſſima Seres
Vellera, Cretenſes molliſſima vina. Tanager
Pernices mercatur eqvos: venalia nobis
Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ:
Ignes, thura, preces: cœlum eſt venale, Deusq;
Hi qvoq;, qvi nomen de relligione ſuperbum
Uſurpant, qvanqvam ſanctis à patribus ortos
Se jactent, ovium molli ſub vellere fraudes
Mente Lycaonias ſervant, & crimine ſordent.
Quod ſpeciem virtutis habent, ſcelus omne colorat:
Inviſi ſuperis, fœdaq; libidine olentes, (tris
Heu fruſtra inceſtis iterant ſacra orgia dex-
Polluti, circum qvoties altaria vultus
Convertũt, celebrãtq; choros, & carmine mixto
Sancta Deûm vanis penetralia vocibus implẽt
Irritant, iraſq; movent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus eſt; nil adjutoribus iſtis

Auxilii

Anno *Auxilii sperate, novis date templa ministris.*
Sacrilegum genus ex adytis, templisq; deorum
Pellite, ne longos scelera hac vertantur in usus.
Tempora Martigena qvid inania perditis?
Ite,
Ite lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & pontificalia tecta,
Colluviem scelerum, &c.

Joannes Hentenius.

1566. Hic libros Esdræ, qvos major pars doctorum virorũ inter apocrypha numerat, Bibliis suis addidit, ut & Hieronymus eos qvoq; non præterit: sed tamen non nimium tertio & qvarto tribuendum esse, dicit. Qvod mirari qvis possit, cùm à patribus seriò citentur: Cypriano in epistola ad Pompejanum, & Ambrosio de bono mortis adversus Ethnicos. Adscribendum igitur hîc locum ex lib. 4. c. 14. consideratione dignum duxi: ubi legitur: Seculum perdidit juventutem suam, & tempora appropinqvant senescere: duodecim enim partibus divisum est seculum, & transierunt ejus decima, & dimidiũ decimæ partis: supersunt autem ejus post medium decimæ partis. Nunc ergo dispone domum tuam, & corripe populum tuum, & consolare humiles eorum, & renuncia jam corruptelæ, & dimitte abs te mortales cogitationes, & projice abs te pondera humana, & festina transmigrare à temporibus his: qvæ enim vidisti nunc contigisse mala, iterum horum deteriora facient, qvantum enim invalidum fiet seculum à senectute, tantum multiplicabuntur super inhabitantes mala: prolongavit se veritas, & appropinqvavit mendacium.

Baldinus de Luca.

1566. Anno 1566. sub hujus nomine inter alia, seqventia verba typis prodierunt: Turcæ propter suam vim atq; potestatem insignem nimis fient elati, & Vandaliæ maxima incommoda inferent: magnoq; classiũ numero Apuliam & alia Italiæ mariq; propinqva loca affectabunt: qvod Turcici Imperii deinde interitus, propter sui ipsius discordiam, inseqvetur. Imper. Max. 2. Papa Pio 4.

p. 846.

Joan. Bodinus in Methodo cap. 4.

1566. Bessario Cardinalis cum inter Divos Romæ qvàm plurimos referri videret, qvorum vitam improbârat, se valdè dubitare dixit: utrum vera essent, qvæ ab antiqvis prodita fuerunt: de qvo Bessarione Jovius in elogiis doctorum virorum cap. 24. In Bessarione, inqvit, nemo Christiana probitate spectatior, nemo admirabilior doctrina. Imp. Max. 2. Papa Pio 4.

Idem Bodinus. Dæmoniaci inveniuntur qvàm plurimi in Hispania, Italia, & Germania maximè, qvi decem aut viginti annos sic à Dæmonibus possidentur, ut arceri neqveant. Sic Amsterodami pueri Dæmoniaci triginta, anno 1556. comperti sunt, à qvibus nullo exorcismo Dæmones potuêre propulsari: id autem sordibus & maleficiis contigisse indicium fuit, qvia ferramenta, vitrea fragmenta, capillos, acus, pannos, & similia excernebant, qvæ solent ex sortilegiis homines affecti ejecere. Puellas Dæmoniacas & mulieres 80. scribunt Romæ à Benedictino Monacho, qvem Cardinalis Gondius Parisiensis Episcopus eò adduxerat, exorcizatas fuisse an. 1554. sed nihil opera illius totis sex mensibus fuisse confectũ.

Huic percontanti à Statua, cur miseras istas puellas occupâsset? respondit: se fuisse à Judæis missum, indignè ferentibus, qvod istæ, qvarum pars maxima ad judæam gentem pertinebat, fuerint baptizatæ: qvod à Satana credebatur dici, qvia Theatinum Papam cogitabat procuraturum Judæorum necem, qvibus erat infensissimus.

Idem. Audivi ex Insulano Abbate Novalliorum domino, qvi jam legatione Constantinopoli à Rege fungitur, & ex nobili Polono, cui nomen est Pruinski, Legato in Galliam, unum ex maximis Christiani orbis Regibus, avidum sui exitus cognoscendi, Jacobitam Necromantem ad se accersivisse: qvi, confecta Missa & sacrata hostia, primogenitum qvendam decennem puerum, ad hoc comparatum, truncari jussit capite: eo hostiæ imposito, certas voces pronunciâsse, characteras, qvos scire non attinet, adhibuisse, ac tum roganti qvid vellet? caput duobus verbis respondisse: vim patior. Illicò furibundum Regem indesinenter clamavisse, tollite caput istud: & in eo furore expirâsse. Hæc Historia in toto Regno, ubi gesta est, pro certa & indubitata habetur, etsi qvinq; homines solùm negotio interfuêre.

Idem. Ex Constantino, qvi inter peritissimos Pyrotechniæ & artis metallicæ in Gallia numeratur, estqve in toto Regno celeberrimus, audivi, socios ipsius, cum perditis flantibus nulla spes speciesve boni ostenderetur, consilium à Diabolo petivisse, rectène facerent, & an rem optatam confecturi essent? Illum verò unico verbo respondisse, travaillez, laborate: hoc exhilaratos flatores perrexisse, & flavisse adeò strenuè, ut omnia in nihilum multiplicaverint, etiamq; porrò flaturos fuisse, nisi Constantinus dixisset ipsis, hunc esse morem Satanæ, ut ambigua responsa edat. Illud autem verbum Laborate innuere, bajiciendam esse Alchymiam, & in laborem aliqvem, ac honestam artem utilis ad vitam scientiæ incumbendum: hominis purè dementis esse, si qvis cogitaverit tam brevi temporis spacio aurum effingere, in qvo efficiendo natura annos amplius mille, solet consumere.

Initium Inqvisitionis Hispanicæ in Belgio.

1566. Anno 1566. qvo divulgata fuit in Belgio Inqvisitio Hispanica, ibidem cudebantur

tur monetæ insignitæ armis Burgundiorum, cum inscriptione: FLAMMA FERROQVE. Nigrinus in cont. Richteri.

Ominosum.

1566. HOc anno visi sunt in cœlo duo cometæ: & manus gladiam vibrans igneum, portendensq; magnam cladem mundo superventuram.

Joan. Basil. Heroldus.

1566. QVanta fuerit acerbitas, & calumniandi amor in Papa Gregorio 9. ex iis, qvæ Heroldus in continuata belli Sacri historia scribit, æstimari potest. Qvia pontificis (pede ad osculandum Romæ antehac exhibito) Cæsar Fridericus 2. genua, velut errore, leviter osculatus fuerat: Sanctissimus ejus rei non immemor, cum proclamabat desertorem, perjurum, libidinosum, patricidam: qvi in Asiam non trajecisset: cujus absentia Damiata esset amissa, qvi copias in Asiam permissas, cunctatione sua meticulosa (simulato morbo) prodidisset: Jolæ uxoris nobilem pedissequam violasset, illamq; patri conqverentem, verberibus affectam, in carcere necasset. Credebant hæc multi. Sed ipse literis, ad Germanos aliosq; missis, se purgabat. Imp. Max. 2. Papa Pio 4.

Adrianus Turnebus.

1566. INter alia plurima etiam, conscripsit librum de defectu oraculorum. Imper. 119. Maximiliano 2. Papa 231. Pio 4.

F. Bernhardus Comensis.

1566. HIc fuit hæreticæ pravitatis inqvisitor, & scripsit de hoc negotio librum, qvem intitulavit Lucernam inqvisitorum hæreticæ pravitatis. Ut sup.

Franciscus Stancarus Italus.

1567. VIxit in Polonia, & varia scripsit: inter alia, de Reformatione Ecclesiæ Italicæ, & Mysterio de locustis: item de fictitio missæ sacrificio. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Petrus Galatinus, & Franciscus Stancarus.

1567. ILle in Hebraicis, Chaldaicis, Græcis, & Latinis literis absolutè doctus, promissiones patribus factas de Christo, nempe Adæ, Noæ, Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysi, Prophetis, Davidi, & aliis, non solum ex sacris literis, sed & Rabinis Judaicis doctissimè descripsit: Franciscus Stancarus, Hebraicæ literaturæ callentissimus, diligenter emendavit, adeò, ut qvicqvid de Christo dictum sit unqvam, hic reperias, una cum interpretatione eruditissima. Et non immeritò possis mirari, qvòd licet Hebræorum Rabini, qvi de Messia nascituro scripserunt, ipsum pro redemtore generis humani habendum esse, prædixerint uno qvasi ore: tamen jam natum paucissimi pro mundi Salvatore agnoscere voluerunt.

Mirum.

HOc anno Forti ditionis Spangenbergicæ adolescens qvidam mortuus revixit, & miranda narrare cœpit: præsertim verò omnes seriò agere pœnitentiam, & ad Deum se convertere homines jussit. Rebuvicius. imp. & Papa ut sup. Anno 1567.

Dominicus Soto in sermone qvodam.

1567. ALmericum (inqvit) virum eruditum pro hæretico Innocentius Tertius damnavit, atqve ejus ossa Parisiis cum suis sectatoribus cremari præcepit. Et hoc fecit, qvòd, ex templis ejiciendas esse imagines, docuisset. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Idem art. 4. Non absq; mysterio singulari, ait, Petrum qvæsivisse, qvoties peccanti remissionem indulgeret, eiq; peculiariter responsum fuisse: septuagies septies: nempe per hoc plenissimam potestatem remittendi peccata in ipsum transfusam fuisse.

Idem asserit qvoqve, sacras literas non semper extitisse, qvapropter non esse necessarium illis credere.

Papæ Pius Qvartus & Qvintus.

ALter non modò Breviarium, sed etiam Missale castigandum, censuit: alter castigavit: qvin etiam officium beatæ Virginis, qvod appellant, refertum fuisse ait superstitionibus, priusqvam repurgandum ipse curasset. Præf. Pii 5. in Breviar. & Missal. restit. super recit. off. B. Mar. Et in Concil. Trident. sess. 22. decr. de obs. in celeb. Missæ, patres Tridentini jubent eas omnia in Missa prohiberi, atq; è medio tolli, qvæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio induxit. Cum igitur ipsimet fateantur, sua superstitionibus scatere, & avaritia Missam esse infectam, qva fronte gloriari audent, omnia apud eos esse incorrupta? Nam certè si adimantur omnia Missæ, qvæ avaritia adjecit, nihil reliqvum esset, qvàm Dominica Oratio: qva Petrus celebravit, de qvo sæpius in hoc opere, Imperatore Maximiliano 2. p. 848

Idem Papa Pius Qvintus rectè dixit, Romam adhuc magis gentilizare, qvàm Christianizare.

Epitaphium ejusdem Pii V.

PApa Pius Qvintus moritur: res mira, tot inter
Pontifices tantùm qvinqve fuisse pios.

Privilegia Belgarum.

HAbent Belgicæ provinciæ privilegia, ut Princeps non qvod vult, sed qvod privilegia & leges patriæ, qvas ante inaugurationem juramento confirmare tenetur, statuunt, facere & implere teneatur, adeo, ut si contra illas præscriptas conditiones, leges & privilegia

Anno privilegia peccet aut delinqvat, eo ipso subditos ab omni fide & obedientia absolvat & liberos faciat: illis verò alium pro libitu eligere fas sit, ut ex privilegiis typo impressis manifestò liqvet. Qvibus non obstantibus, Papa tamen tantam sibi tribuit potentiam, ut se talem sibi contranitentem Principem à juramento absolvere posse putet. De qvibus vide Meteranum in Annal. Belg. Imperatore Maximiliano 2. Papa Pio 5.

Portentum.

1567. HOc anno diri prodigii loco habitus fuit conflictus duorum exercituum militarium, conspectorum in cœlo: & Angelus qvoqve visus est, evaginato gladio alteram cohortem ita fundens, ut statim ex oculis hominum sublata evanuerit.

Stephanus Hubener.

1567. Anno millesimo, qvingentesimo, sexagesimo septimo, in Bohemiæ civitate Travvtenavv, Stephanus Hubener, in cumulandis divitiis, ædificiisqve splendidè extruendis, tantis fortunæ successibus usus est, ut omnibus magnæ esset admirationi. Tandem in morbum incidens moritur, & honorificè admodum sepelitur. Cæterùm brevi post ejus mortem & sepulturam, corpus ejus (vel qvod verisimilius, Satanas, qvi pro diabolica sua potentia corpus circumvexit) plurimos hominum arctis adeò complexibus compressit, ut multi morerentur, multi etiam ex morbo revalescerent, qvi omnes uno ore confessi sunt, se ab opulento isto viro, eo corporis habitu, qvo vivum ipsum vidissent, compressos esse.

Magistratus itaqve loci illius, ut Satanicum illud spectrum amoliretur, corpus viri istius (effracto sepulchro) effodi jubet, qvod licet jam viginti hebdomadas terræ defossum jacuisset, putrefactione tamen nulla adhuc corruptum, ea erat pingvedine, qva recentia & benè nutrita solent esse corpora. Carnifex corpus sibi traditum, ad locum, ubi de sontibus sumitur supplicium, avehit, securi caput resecat, hinc dissecto corpori cor exemtum discindit, nec aliter cruor è corpore emanavit, qvàm si vivus instar malefici sustineret pœnas. Itaq; Carnifex corpus flammis injectum, capite intra pedes reposito, cremavit, astante magna hominum turba. Imp. Max. 2. Papa 232, Pio 5.

Ecclesiastica Historia Magdeburgica.

1567. ETsi appellatio Antichristi in Evangelistis non extet: tamen rem ipsam exprimunt, imò appellationes similes habent, ut falsi prophetæ, Matt. 7. Pseudochristi, Pseudoprophetæ, Matth. 24. Fures, Latrones, Joannis 10. Est autem Antichristus regnum falsorum doctorum, Christi doctrinam obscurantium ac perseqventium, & mundanum regnum arripientium, sicut ex notis Antichristi perspicuum fiet.

Qvòd Antichristus, hoc est, ejusmodi regnum falsæ Ecclesiæ esset exoriturum, Christus disertè prædixit, Matt. 24. Marc. 13. Cum videritis abominationem desolationis, qvæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (Marcus ubi non debet) qvi legit intelligat. Ipse igitur Daniel qvoq; vaticinatus est, Antichristum grassaturum esse in Ecclesia: & Christus prophetiam exponit, atq; accommodat ad tempora se secutura. Præterea Matthæus & Marcus concionem Christi de excidio Hierosolymorum, & de fine mundi, non separatim, sed conjunctim & mixtim singulari consilio recensent, proculdubio Christi rationem seqventes: ut nō obscurè indicetur, eadē signa cladē Judaicā & mundi exitū portendere. Nō igitur tantū de idolo Caji abominatio illa desolans accipienda est: verū etiā de regno pestifero, post Christū in Eccl. horribiliter dominaturo.

Latiùs a. & expressius ista paulò post à Christo exponuntur. Dicent, inqvit, Ecce hìc Christus, aut illic. Item, Ecce in deserto, Ecce in penetralibus. Item: Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna ac prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Et præcedit hæc vox Christi: Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. In medio igitur harum sententiarū prophetia de abominatione desolante collocata, lucē inde accipit. Multos præterea ej9 abominationis ministros esse, significat.

Pertinet etiam huc præmonitio Christi Matth. 7. de falsis prophetis, & Jo. 10. de furibus & latronib. ovile Christi vastantib. Sunt n. ministri status Antichristi. In loco sancto, inq. Matthæus: ubi non debet, inq. Marcus, stabit. Itaq; in Ecclesia Christi prædicitur tale qvoddam portentum futurum esse.

Notæ huic abominationi seu Antichristo tribuuntur. Primùm falsa doctrina, & qvidē tali forma, ut affirmet, se esse Christum: mōstret diversa loca, Ecce hic, ecce illic. Imò & tali ratione, ut doceat, Ecce in deserto est Christus, ecce in penetralibus, aut cameris, aut cellulis est, h.e. qvòd articulum de justificatione sit corrupturus: qvòd variis operibus humano arbitrio inventis justitiam coram Deo adscripturus, eaq; omnia sub eo prætextu, qvòd Christus qværatur, & salus, si qvis in deserto solus degat, & ibi sanctè vivat: aut abdat se in cameras: ibiq; duris exercitiis sanctimoniam præstet. Joannis: Ante me, inqvit Christus, venerunt: hoc est, non me monstrârunt propitiatorem & mediatorem. Item ait, alienos vocem, qvam non cognoscunt oves, afferre solere.

Secundò idololatria, Matt. 4. Si procidens adoraveris me, hæc omnia tibi dabo. Non dubium est, qvin hic Antichristi status ad vivum depingatur, qvòd in eo sit idololatria, seu adoratio & cultus creaturarum qvarundam futura: qvæ qvidem nihil aliud est, qvā

adoratio

adoratio humilis & denota ipsissimi diaboli, contra hoc divinum præceptum, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, Matth. 4. & Deut. 6.

Tertiò transformatio regni Antichristi spiritualis in corporale Matth. 4. Luc. 4. Diabolus ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum (Lucas potestatem dicit) & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Hisce verbis Antichristi status describitur qvòd regnum Christi diabolus sit mutaturus in regnum mundi, & gloriam mundanam, & suis cultoribus ea omnia largiturus. Nec temerè scriptum est, qvòd diabolus tunc dixerit: Mihi tradita sunt, & cui volo, do illa, Luc. 4. Subindicatur n. permissione Dei hæc ita geri. Non enim frustra fit, qvòd Christus toties Apostolis inculcat: Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic, ut suprà de regno Christi est commemoratum.

Qvartò signa & prodigia falsa, qvæ tamen magna coram hominibus apparent, Matth. 24. Dabunt, inqvit, signa magna & prodigia. Docet igitur, Antichristi regnum multis signis falsis suas res confirmaturum, & homines fascinaturum esse.

Qvintò persecutio, Marc. 13. Tradent vos in consilia, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides & Reges stabitis propter me, in testimonium illis. Item, Eritis odio omnibus propter nomen meum: Jaan. 10. Fur non veniet nisi ut furetur, & mactet: & perdat. Nec abs re vocatur abominatio desolans. Est enim impia doctrina, idololatria, regni Christi immutatio, & persecutio piorum. abominatio horrenda coram Deo. Desolans autem est, qvòd spiritualiter corpora & animas perdit, ac simul temporaliter pios jugulat, sibiq; ipsi deniq; exitiū accersit.

Qvòd multos sit seducturus, verbis Christi clarè indicatur, Matt. 24. Marc. 13. Multos, inqvit, seducent. Additur etiam, qvo modo? nempe qvòd in nomine Christi venient, & dicent: Ego sum Christus. Item: Ecce hic Christus, ecce illic. Hæc omnia speciosissimam faciem repræsentant, nempe jactationem vocationis ordinariæ, veræ doctrinæ, &c. Item: Dabunt signa & prodigia magna ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, Matth. 7. Venient ad vos in vestitu ovium, intus autem sint lupi rapaces.

Esse a. eam abominationem, regnum Antichristi, & deceptiones multiplices fugiendas, severè & clarè præcepit Christus Matth. 24. Marc. 13. Tunc qvi in Judæa sunt, fugiant ad montes. Item: Tunc si qvis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Item: Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis, Ecce in diserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut n. vulgar exit ab oriente, & apparet usq; ad occidentem: ita erit & adventus filii hominis. Ubicunq; a. fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aqvilæ: Luc. 17. Dicent vobis, Ecce hic, & ecce illic: nolite ire, neq; sectemini. Joan. 10. Alienum non seqvuntur oves meæ, sed effugiunt ab eo, qvia non noverunt vocem alienorum. Imp. Max. 2. Papa Pio 5. Anno

Ibidem. Nomen Antichristus Joannes usurpat 1. ep. 2. ac 4. 2. Joannis. Cæteri eam appellationem non habent: sed aliis utuntur, qvales sunt falsi doctores, 2. Pet. 2. illusores, 2. Pet. 3. Spiritus erroris, 1. Jo. 4. Filii diaboli. 1. Jo. 3. seductores, 2. Jo. Sodoma & Ægypius, Ap. 11. Bestia, Ap. 11. 13. & 14. Babylon, Ap. 14. 16. 17. & 18. Pseudopropheta, Ap. 16. & 21. Mulier sedens super bestiam, habentē 7. capita & cornua 10. It. Babylon magna, mater scortationis & abominationum terræ. It. meretrix, Ap. 17. Lupi graves, & viri perversa loqventes, Act. 20. Pseudoapostoli, operarii dolosi, ministri diaboli, assumentes personā Apostolorum & ministrorum justitiæ, 2. Cor. 11. Mali operarii, canes, inimici crucis Christi, Phil. 3. Philosophi & deceptores, indecentes per humilitatem & superstitionem Angelorum, tradentes doctrinas hominum, Col. 2. Homo peccati, filius perditionis, adversarius Dei & cultuum Dei, mysterium iniqvitatis, iniqvus, 2. Th. 2. Spir. impostores tradentes doctrinas dæmoniorum. 1. Tim. 4. Homines mali & impostores, 2. Tim. 3. p. 850.

Qvòd Antichristus in Ecclesia N. T. hoc est, in eo cœtu hominum, qvi profiteantur Christianismum, sit futurus, iisdem locis jam allegatis Apostoli testantur. Eam rem etiam experientia testatam esse, Paulus de suo tempore affirmat, 2. Thess. 2. ubi inqvit, Mysterium iniqvitatis nunc agit: & Joañes in Apocalypsi inqvit, eà sibi revelata esse, qvæ oporteat fieri citò, Ap. 1. & Angelus ad Joan. Ap. 22. dicit, ne signaveris verba Prophetiæ libri hujus: tempus enim propè est.

Docent autem, Antichristum non fore unam aliqvam tantùm personam, sed integrum regnum, per falsos doctores, in templo Dei, hoc est, in Ecclesia Dei, præsidentes sensim, nemine ferè admodū apertè animadvertente aut existimante, in urbe magna, qvæ habet regnum super Reges terræ, h. e. in Romana civitate, & imperio Romano, opera diaboli, & fraude ac deceptione comparatum: ita qvidem, ut constet doctrinā Christum qvidem profitente, sed tn. ejus meritum ac officium abnegante, & leges dæmoniorum ferente, uti de prohibitione conjugii & ciborum; & cultu ac ceremoniis institutis à Christo depravatis, mutilatis, & in alios fines detortis: & gerat utrumq; gladium, politicum scilicet & ecclesiasticum, cujus summus administrator ostenter se pro Deo, ut qvi sit vicarius Christi, & caput Eccl. & habeat potestatē super magistratū & Eccl. & omnia consilia: & in cujus pectoris scrinio sint repositæ omnes divinæ & humanæ leges & possit figere atq; refigere artic. fidei, & habeat facultatē imperandi etiam Angelis

Anno Dei: cui ſubeſſe & parère in re qvalibet ſit de neceſſitate ſalutis: & qvi à nemine, licet innumerabiles ſeducat animas, debeat judicari, aut interrogari, cur id faciat? Hanc deſcriptionem ſeqventia declarabunt.

Cauſam efficientem regni Antichriſti principalem docent eſſe Diabolum; nam Paulus 2. Theſſ. 2. inqvit: cujus adventus eſt ſecundum operationem Sathanæ: & 1. Tim. 4. dicit. Spiritus impoſtores doctrinam dæmoniorum aſſerturos: & Joannes membra Antichriſti filios Diaboli vocat, utpote qvi ab eo gubernentur, 1. Joan. 3. & Apoc. 13. Draco autor integri ſtatus Antichriſti in Romanum imperium infuſi dicitur: & Apoc. 18. Babylon ſeu Antichriſtus appellatur habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.

Organa Diaboli monent eſſe falſos doctores, nihilominùs tamen in templo Dei, hoc eſt, in Eccleſia ſedentes, eamq; gubernantes, & miris artibus ſanam doctrinam corrumpentes, & primatum in Eccleſia, & dominium externum, qvorum utrumqve à Chriſti eccleſiaſticis perſonis eſt prohibitū, affectantes. Actor. 20. 2. Pet. 2. introducent ſectas pernicioſas. Item dominationem, hoc eſt, magiſtratum contemnent. 1. Ep. Joh. 2. E nobis profecti ſunt, ſed non erant de nobis: & poſtea: Hic eſt Antichriſtus, qvi negat patrem & filium. Et 1. Joan. 4. oſtendit, Antichriſtum negaturum, Chriſtum in carne veniſſe: hoc eſt, Chriſtum in ſua carne integrè non redemiſſe & ſalvaſſe: ſed propter noſtra bona opera etiam aliqvid ad ſalutem noſtram conferre: & Paulus 1. Tim. 4. & 6. & Tit. 1. item 2. Theſſ. 2. monet, organa diaboli & membra Antichriſti fore falſos doctores.

Adjutores verò & promotores, & defenſores, & patronos falſorum doctorum, regnum antichriſti ædificantium, fore Reges & principes terræ: maximè verò beſtiam, hoc eſt, Romanum Imperium, & mercatores, & omnes, qvorúm nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, Joanni in Apoc. revelatum eſt. Apoc. 13. 17. 18. 19.

Deum autem permiſſurum diabolo & impiis, ut tam horrendum & blaſphemum antichriſti regnum inſtituant, propter ſuū juſtum judicium, qvò puniat contemtum & neglectū veritatis, Paulus docet 2. Theſſ. 2. pro eo, qvòd dilectionem veritatis non receperunt in hoc, ut ſaluti fierent, propterea mittet illis Deus efficacaim illuſionis, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qvi non crediderunt veritati, ſed approbaverunt injuſtitiam. Idem. Tim. 4. homines defecturos à fide: & 2. Tim. 4. ſanam doctrinam non retenturos, ſed juxta concupiſcentias ſuas ſibi doctores coacervaturos, & à veritate aures averſuros ad fabulas, dicit.

In hunc autem ferè modum regnum antichriſti paulatim ædificatum iri, oſtendunt. Primùm illi, qvi ſunt in urbe, qvæ tenet imperium in Reges terræ. Apoc. 14. & in templo Dei ſedent: hoc eſt, epiſcopi Romani, qvos omnes pro ſinceris doctoribus & ſucceſſoribus Apoſtolorum habebunt, inſtinctu diaboli, 2. Theſſ. 2. deficient à fide, ſeu ſana doctrina Evangelii, & introducent ſectas pernicioſas, & abnegabunt Dominum, qvi ipſos mercatus eſt, 2. Pet. 2. & Jeſ. Chriſtū in carne veniſſe, h. e. ſolum Jeſu Chriſti ſangvinem emundare nos ab omni peccato, 1. Joh. 4. & non manebunt in doctrina Chriſti, 2. Joan. Deum ſe ſcire, profitebuntur, Tit. 1.

Efferentur adverſus prædicatum Deum, h. e. corrumpent ſanam de Deo doctrinam, maximè verò articulum de juſtificatione, qvòd non ſola fide in Chriſtum juſtificemur, ſed qvòd noſtra bona opera etiam aliqvid conferant ad ſalutem coram Deo. Et de invocatione: qvòd non in ſolo nomine Jeſu Chriſti, ſed etiam in nomine ſanctæ matris Chriſti Virginis Mariæ, beatorum Apoſtolorum & martyrum, Deus ſit invocandus: atq; ita adorabunt draconem, ſtatuas & imagines, Apoc. 13. Et blaſphemabunt meritum Chriſti, 2. Pet. 2. Ap. 13. & horrendam exercebunt idololatriam, Apoc. 18. Alligabunt conſcientias ad traditiones & decreta hominum, Col. 2. Prohibebunt nuptias clericis & ſacrificis, & ſic replebunt orbem terræ ſuis ſodomiticis fornicationibus, 2. Tim. 4. Ap. 21. & 18. facient diſcrimen ciborum & dierum, 2. Tim. 4.

Deinde efferent etiam ſeſe adverſus cultus, hoc eſt, ſacramenta à Chriſto inſtituta, & ea partim mutilabunt, ſcil. in Cœna Domini tantùm unam partem porrigendo laicis: partim deformabunt, affigendo vanas & ſuperſtitioſas ceremonias, adminiſtrando ea in lingva plebi ignota, & extenuando vim eorum, partim ad alios fines præter eos, ad qvos à Chriſto inſtituta ſunt, transferent, qvales ſunt: Cœnam ut incruentum ſacrificium offerre Deo pro vivis & mortuis, atq; ita crucifigere denuò Dom. noſt. Jeſ. Chriſt. oſtiam incluſam circumgeſtare, & adorare: baptiſare non homines tantùm, ſed etiā ligna, & lapides, & campanas &c. 2. Theſſ. 2.

Tertio efferent etiam ſeſe ſupra Eccleſiā Dei ita, ut in ea ſeſe oſtentent, qvaſi ſint Deus: qvod fieri neceſſe eſt hoc modo, ut ſe caput Eccleſiæ eſſe dicant, & vicarios Chriſti, & divinos homines, in qvorum ſcrinio & pectore habitet Spiritus Sanctus, qvi ſoli habeant poteſtatem exponendi ſcripturam, figendi & refigendi articulos fidei: qvi errare neqveant, qvi ſint ſupra omnia concilia, qvi à nemine niſi à ſolo Deo judicari poſſint, nec debeant: qvi habeant jus imperandi Angelis, 2. Theſſ. 2.

Ut a. his fidem faciant, edent miracula virtute diaboli, nihilominùs ſub nomine Chriſti: verùm illa erunt ſigna & prodigia mendacia, ad decipiendum homines, ut approbent

bent sua falsa dogmata. Hujusmodi miracula erunt apparitiones animarum, fabulantium de purgatorio, petentium pro se missas celebrari: sanationes morborum, qvæ accident colentibus statuas, & voventibus sanctis, & similes, 2.Thess.2.

Ad fidem etiam suis deceptionibus faciendam, à diabolo transfigurabuntur in Angelos lucis. 2.Cor.11. Incedent in humilitate & superstitione Angelorum, per humilitatem animi, & læsionem corporis, Col.2.

Cum doctrinam synceram corruperint, & hominibus persuaserint, qvòd bonis operibus salus sit comparanda: & qvòd merita bonorum operum alienorum pecunia rediml, & animæ ex purgatorio per missas & indulgentiarum literas liberari qveant, paulatim iis accrescent plurima bona, 2.ep.Pet. 2. Fictitiis sermonibus de vobis negotiabuntur. Iis verò aucti, incipient contemnere dominationem, h.e. magistratum politicum à Deo ordinatum, 2. Pet. 2. & ad se trahent dominium urbis Romanæ: & tandem propter adorationem draconis & doctrinam dæmoniorum, accipient præmii loco regna mundi. Nam Apoc.17. dicitur, bestiam, qvæ habet septem capita, & decem cornua, h.e. Rom. imperium, portaturam meretricem Babylonicam, h.e. Antichristum: eumq; sessurum super aqvas multas, i.e. regnaturum super populos, & turbas, & gentes, & lingvas.

Imagines seu typi regni Antichristi à Joanne visi, proponuntur in Apocalypsi: nam Ap. 10. spiritualis ejus status describitur in Angelo specioso, ejusq; libro, qvi in ore dulcis est, sed amarus in ventre. Eo n. significatur, Antichristi doctrinam rationi plausibilem qvidem futuram, sed tamen conscientiis fore carnificinam, & mortem allaturam.

Externus verò ejus status Ap. 13. in duabus bestiis: & Ap. 7. in meretrice Babylonica, sedente super bestiam coccineam, & aqvas multas, gestantem poculum aureum, plenum abominationibus & immundicia libidinis suæ, scortante cum Regibus terræ, describitur. Iis enim significatur, Antichristum transformaturum regnum Christi in externum, & gestaturum gladium politicũ: & imperium Romanum vulneratum & districtum nonnihil, recollecturum, seq; in id immixturum: & deinde æqvo jure unà aliqvandiu regnaturum: postea vero super id adeò ascensurum, ut supremum qvasi teneat dominum, & in eo eqvitet.

Membra & cives Regni Antichristi fore docent pseudodoctores, 2.Pet. 2. 1. Joan. 2. Reges & Principes terræ, Ap. 13. & 14. Mercatores, & alios, qvi fruuntur bonis Antichristi, Apoc.14. & omnes, qvorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, Apoc.13. & 16.

Mores verò civium regni Antichristi describuntur 2.Pet.2.1.Tim.4.2.Tim.3.& alibi passim. Ubi hoc præ cæteris notandũ, qvòd, mancipia Antichristi impurissimum & sodomiticum genus hominum fore, ostenditur 2. Pet. 2. carnem seqventes in concupiscentia pollutionis ambulant, &c. pro voluptate ducentes, si in diem delitiis fruantur, labes ac maculæ, convivantes in erroribus suis, insultant nobis, oculos habentes plenos adulterii, & qvi à peccando cessare nesciant, cor habentes exercitatum rapinis. Anno

Officia verò civium Antichristi hæc notantur: credere mendacio, & approbare injustitiam, 2. Thessal. 2. Negare, Jesum esse Christum, 1.Jo.2. Negare, Jesum Christum in carne venisse, 1.Joann. 4. Transgredi, & non manere in doctrina Christi, 2.Jo. Attendere spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nuptias & cibos, 1.Tim. 4. Adorare dæmonia, & simulachra aurea ac argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, Ap.9. Adorare draconem, Ap.13. Adorare bestiam, Ap. 13. Adorare imaginem bestiæ, Ap. 13. Accipere characterem bestiæ in manu sua dextera, aut in frontibus, ob commoda corporalia, Ap.13. Loqvi blasphemias, & convitiari Deo, & convitiis afficere nomen Dei & templum ejus, & eos, qvi in cœlis sunt: hoc est, sanctis attribuere honorẽ redemtionis, intercessionis & exauditionis, qvi soli Christo debetur, Ap.13. Gerere bellũ cõtra Eccles. Dei, eosq; in captivitatem ducere, & gladio occidere, Ap.13. Inebriari sangvine sanctorum & martyrum Jesu, Ap. 17. & 19. scortari cum meretrice Babylonica, & bibere de vino prostitutionis ejus: hoc est, p.852. ejus horrendam idololatriam, & Sodomiticas turpitudines approbare, ob commoda sua, Apoc. 17. & 18.

Sedem Regni Antichristi urbem, qvæ imperium tenet super Reges terræ, hoc est, urbem Romanam, Joan. Ap. 17. qvasi digito monstrat, eumq; in imperio Romano longè lateq; regnaturum, idem Apoc.13.&17. monet, dum bestiam meretricem portare, eamqve super aqvis sedere dicit: & id de populis, gentibus, turbis, & lingvis exponit.

Qvòd tempore Pauli & Apostolorũ mysterium iniqvitatis agere cœperit, ipse indicat 2. Thess. 2. Et Joannes, citò fieri oportere ea, qvæ vidit, significat Apooc.1.

Tempus durationis spiritualis statu Antichristi, qvo atrium templi ejectum foràs dandum sit gentibus, & civitas sancta conculcanda, Joann. Ap.11. facit mensium qvadraginta duorum, qvi faciunt dies mille ducentos sexaginta: qvos qvidem pro annis accipiunt. Tempus v. qvo durare debeat externus Antichristi status, qvia gerit utrunq; gladium, expressum videtur in n.666. Ap.13.

Etsi verò ante revelationem ostendant, Antichristum admodum arcanum fore eò, qvòd mysterium iniqvitatis appellatur 2. Thess.2. & Ap.17. in fronte ejus nomen scriptum mysterium: item, dicam tibi mysteriũ mulieris: tamen omnibus temporibus semper aliqvos, licet paucos, fore, qvi Antichri-

 sto,

Anno sto, ejusq; idololatriæ, & ejus corruptelis sese opponant & contradicant, contra qvos repugnaturus sit, Joanni in Apocalypsi passim revelatur. Nam Apoc. 12. indicatur, Deum semper duos aut plures habiturum testes, qvi sese opponant, licet illi interficiantur: & Apoc. 12. remansuros aliqvos, ostendit, de semine mulieris: hoc est, qvi sint membra Ecclesiæ, qvi custodiant mandata Dei, & retineant testimonium Jesu: & Apoc. 17. ebria fuisse dicitur meretrix sangvine sanctorum & martyrum.

Tandem verò sub finem mundi Regnum Antichristi, qvod sese sub titulo Ecclesiæ occultavit, singulari Dei beneficio revelandū esse spiritu oris Domini, hoc est, doctrina Evangelii in lucem reducta, Paulus indicat 2. Thess. 2. Tunc patefiet iniqvus ille, qvem conficiet Dominus spiritu oris sui. Idem aliqvantò clariùs revelatur Joanni Ap. 14. 17. 18. Nam Apoc. 14. 3. Angeli, hoc est, 3. doctores ad revelationem Antichristi destinātur, qvibus accedunt & alii duo, Apoc. 18. Primus adfert æternum Evangelium, qvo accenditur lux de invocando Deo, in nomine Jesu Christi, & non in nomine sanctorū. Secundus denunciat casum Babylonis, hoc est, ostendit, in Babylone seu Romana Ecclesia sedere Antichristum. Tertius hortatur, ut qvisq; sibi caveat adorare bestiam & imaginem ejus, & accipere characterem in fronte sua, aut in manu sua, Apoc. 14.

Revelatum regnum Antichristi mansurum usq; ad adventum Christi, Paulus 2. Thess. 2. monet, cum dicit: iniqvum glorioso Christi adventu abolendum esse. Joannes etiam docet, cum revelato Antichristo scortaturos esse Reges terræ, eosq; ægrè laturos ejus revelationem & casum, Apoc. 18.

Idem etiam ostendit, bestiam seu Imperium Romanum, & Reges ac Principes pro Antichristi idololatria instauranda bellum, sed non satis feliciter, gesturos, Ap. 16.

Idem qvoq; monet, multos ex Regibus & Principibus & mercatoribus varias tentaturos Christi & Antichristi reconciliationes: qvas etiam propter bestiam, hoc est, decreta senatus Romani Imperii, ut possint emere ac vendere, & negotiari sine impedimento, plurimi in fronte & manibus suis accepturi sint, reclamantibus subinde aliqvibus doctoribus, Apoc. 13. 14. & 18.

Præterea etiam illud monet Joannes, plerosqve Principes & status Romani Imperii defecturos ab Antichristo, & osuros meretricem, eamq; punituros, & concrematuros, & regnum suum bestiæ trädituros, Ap. 17.

Revelatum Antichristum ad statum pristinum res suas reducturum, angelus negat, Apoc. 18. qvi misso lapide molari in mare, inqvit: Hoc impetu mittetur Babylon civitas magna, & ultrà jam non invenietur.

Sedem etiam Antichristi, urbem Romanam deletum iri, haud obscurè indicat, Apoc. 18.

Et bestiam, & Reges terræ, & Pseudoprophetam, & omnes eos, qvi seducti sunt, & susceperunt characterem bestiæ, & adoraverunt imaginem ejus, bibituros de calice iræ Dei, & æternas recepturos pœnas, Ap. 14. & 19. indicatur.

Esse autem è regno Antichristi exeundum, & idololatriam ejus agnoscendam, exsecrandam, damnandam, & fugiendam, passim Apostoli monent, 2. Pet. 2. & 3. 1. Joh. 2. 4. 2. Joannis: Ne recipiatis eum, nec ave ei dixeritis. Ap. 14. & 18. Audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum ejus ne accipiatis: qvoniam pervenerunt peccata ejus usq; ad cœlum, & recordatus est Deus iniqvitatum ejus. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia, secundum opera ejus. In poculo qvo miscuit, miscete illi duplum. Qvantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: qvia in corde suo dicit: Sedeo Regina & vidua non sum, & luctum non videbo: ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames: & igne comburetur: qvia fortis est Dominus Deus, qvi judicabit illam. Et Paulus Rom. 15. Declinate ab illis, Galat. 1. si qvis aliud, &c. anathema sit. Phil. 3. 2. Thess. 3. 1. Timoth. 6. 2. Tim. 3.

Prohibent etiam omnes cum Antichristo in religione conciliationes, Apoc. 14. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si qvis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, qvod mixtum est mero de calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu sanctorum Angelorum, & ante conspectum agni. Et fumus tormenti eorum ascendet in secula seculorum. Nec habent reqviem die ac nocte, qvi adorant bestiam & imaginem ejus, & si qvis accepit characterem nominis ejus. 1. Cor. 10. Qvæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.

Nolim autem, vos consortes esse dæmoniorum. Non potestis poculum Domini bibere & dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Generalis qvidem hæc est sententia: sed tamen commodè huc etiam applicatur. Nam mancipia Antichristi non Deum, sed Draconem & Diabolum adorant, Apoc. 13. & habent doctrinam dæmoniorū, 1. Tim. 4. Et totus Antichristi status est habitatio dæmoniorum, Apoc. 18. Qvæ ergo cum illis bonâ conscientiâ fiat reconciliatio in religione? Idem 2. Cor. 6. Ne ducatis jugum cum incredulis. Qvod enim consortium justitiæ cum injustitia? aut qvæ communio luci cum tenebris? aut qvæ concordia Christo cum Belial? aut qvæ pars fideli cum infideli? aut qvid convenit templo Dei cum

simula-

simulachris? Nam vos templum Dei estis viventis, qvemadmodum dixit Deus; inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorũ Deus: & ipsi erunt mihi populus. Qvapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam vos: & ero vobis in loco patris, & vos eritis mihi vice filiorũ ac filiarum, dicit Dominus omnipotens.

Cognationem cum Antichristo habent, seu membra ejus sunt & alii hæretici, qvos Joannes 1. ep. 2. 4. & ep. 2. Spiritum Antichristi habere dicit. Est n. Antichristus ex colluvione omnium hæresium compactus: unde Babylon magna, mater scortationum, & abominationum terræ appellatur, Ap. 17.

Affinis etiam Antichristo, intus sub nomine Christi Ecclesiam turbanti, est Gog & Magog: id est, regnum Mahometanum & Turc: qvod foris, h. e. extra Christianismũ constitutum, oppugnat & lacerat Ecclesiam.

Postremò Christum suo glorioso adventu utrumq;, scilicet Antichristum Romanum, atq; Gog & Magog, Antichristum Saracenum seu Mahometanum, & deleturum & condemnaturum ad æternas pœnas, cum omnibus eorum sociis & mancipiis, & fautoribus ac patronis, Joanni revelatum est Apocalyps. 10. & 20. & cæt.

Ibidem. Romam Apostolum Petrum venisse, & qvoto tempore, & qvàm diu ibi perseveraverit, non satis liqvidò demonstrari potest eò, qvòd in sacris literis ferè etiam conjecturæ his de rebus nullæ haberi possint. Irenæus tamen lib. 3. cap. 1. & 3. clarè affirmat, Petrum & Paulum Romæ Evangelizasse, eamq; Ecclesiam fundasse & constituisse eo tempore, qvo Matthæus scripturam edidit Evangelii. Constat autem ex Chronicis Eusebii, 3. Caji, Christi verò 41. Evangelium Dei editum esse: qvo tempore Petrus adhuc Hierosolymis fuit, & Paulus cum Barnaba ad gentes prædicatum primum abiit. Verum Romam ea profectione non venit, Act. 13. & 14.

Origenes tertio tomo in Genesin inqvit: Petrus in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia, dispersis Judæis prædicasse videtur: qvi & circa vitæ finem Romæ constitutus, capite demisso cruci est affixus eò, qvòd ipse hunc passionis modum expetiisset. Idem & Eusebius pluribus in locis astruit, Cajum qvendam Ecclesiasticum virum, & Dionysium Corinthium affirmare, Petrum Romæ fuisse: lib. 2. cap. 25.

Sub Claudio Romam Petrum esse profectum, pleriq; autumant, idq; alii secundo ejus Imperatoris anno, alii tertio, alii qvarto factum esse putant: atq; adeò 25. annos ibi resedisse, ac docuisse. Hæc si ita se habent, cur Lucas non facit ejus rei mentionem? Deinde constat, sexto Claudii, Christi verò qvadragesimo octavo, synodum Hierosolymis celebratum esse, cui interfuit Petrus; neq; fit ibi mentio, Petrum Roma Hierosolymam advenisse: id qvod Lucas haud dubiè, si ita factum fuisset, non intermisisset. Tribuendi præterea Petro aliqvot anni sunt necessariò, qvibus in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, atq; Asia tota docuerit: idqve non ante, sed post synodum Hierosolymitanam factam esse, patet. Qvidam tradunt, qvinq; annorum spacio hoc esse confectum. Antiochiæ septem cum fuisse annis, sunt qvi affirment. Anno

Utut res sese habeat, si saltem à synodo Hierosolymitana computaveris annos usq; ad Neronis interitum: manifestum fit, Petrum ultra Neronem vixisse aliqvot annos: & qvomodo potuit ab eo trucidari? Si addideris a. plures ejus peregrinationis annos, sicut omninò rei ratio postulat: magis elucescet, Petrum vel non fuisse Romæ, vel alio tempore fuisse, ac breviùs. Accedit & hoc, qvòd Paulo, venienti Romam, nullus Apostolus, nedum Petrus, obviam venit. In concione sua ad Judæos Romæ degentes, ne syllaba qvidem una meminit Petri, qvi priùs ibi fidei fundamenta jecisset. Et scribens Romam Paulus circiter 13. Claudii annum, Christi verò 55. qvo sanè oportuisset Petrum Romæ esse, multos mediocres Christianos expresso nomine salutat: de Petro autem, qvem aliàs columnam Ecclesiæ unà cum aliis qvibusdam nominavit, verbum prorsus nullum facit.

Damasus scribit, Petrum Romæ ordinasse tales, qvi ibi ministerio Evangelii assiduè fungerentur: ipsum verò populos, ut habet manuscriptum exemplar, erudiisse: hoc est, p. 852. non diu Romæ fuisse, sed subinde alios atq; alios populos adiisse, sicut id functio apostolica postulabat. Præterea ait hic autor Petrum sub Nerone Romam venisse: & nihilominùs ei assignat 25. annos, menses duos, & dies septem, qvibus in eo loco resederit. Hæc qvomodo cum Historia conveniant: lector expendat. Apparet certè ex Damasi narratione, nimiùm confusa & perturbata, multa à sartoribus qvibusdem esse inserta, ut qvi libenter Petro nimium adscripsissent: qvæ si autor jam cerneret, pro suis non agnosceret. Longam narrationem de rebus, qvas Romæ Petrus gessit, & qvo mortis genere tandem vitam amiserit, Egesippus lib. 2. cap. 2. excidii Judaici recenset.

Ibidem. Cum Constantinus Junior, ut & pater qvoq; suus egregiè antè fecerat, imagines ex templis passim amovere niteretur: Irene mater ejus, Augusta Constantinopolitana, in hanc veritatem à Leone tertio Pontifice est concitata, ut abolitâ excussaq; naturali in sobolem propensione, filium à Cæsareâ dignitate dejectum, luminibus suis immaniter privaret, fœdissimumq; in carcerem compingeret. Unde sol ipse tum temporis horridâ caligine obriguit, suosq; à tam nefario facinore radios avertit. Vetunta-

Anno runtamen Papa; qvasi re bene gesta, huic crudeli bestiæ præmium posuit, tentavitq; eam turpissimo lenocinio qvodam Carolo Magno uxorem jungere: qvod ipsum suo fine nunqvam caruisset: nisi detectis fraudibus invasisset Imperium Nicephorus, Irenemq; ad Cœnobium destinasset.

Ibidem. Marchio qvidam Bernardus à Gerone, qvòd in urbem Magdeburgensem impetu facto, eqvitem auratum cepisset, anathemate percussus: nudis pedibus accedēs, ciliciòq; indutus, sese liberari petiit; adeò abjectus, ut etiam canes ab eo excommunicato panem recipere detrectarent.

1568. Reformatio.

HEnricus Dux Brusvicensis 79. annorum, antè strenuus Papista, moriens mandat Julio filio reformationem Ecclesiarum. Rebuuitius.

1568. Adamus Ursinus.

DEscripsit hic signa, qvæ anno 1568. & duobus seqventibus in cœlo multis passim locis apparuerunt, cum admonitione, causis, & significatione eorundem. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

1568. Israel Achatius.

SCripsit librum de Ecclesiæ & Reipublicæ reformatione: & alia. Imp. & Pp. V. S.

1568. Jodocus Ravensteyn Theologus Lovaniensis.

SCripsit contra Carolum Molinæum: & inter alia qvoq; portum tutum (ut putat) & fidum statuit, in qvo acqviescere possint pii homines, & esse de suâ salute in miserabili præsentis Ecclesiæ dissidio securi. Imp. & Pp. V. S.

1569. Cornelius Gemma.

CUm nova stella in Belgico fuisset visa: Dux Albanus huic Cornelio mandatum dedit, ut, qvid de illâ judicaret, scriptis ostenderet: qvæ extant. Max. 2. Pp. Pio 5.

1569. Crato Cæs. Maximiliani Consiliarius & Medicus, Jacotius, & Wierus, Medici.

HI in Imperatoris Maximiliani 2. corde secto affirmant inventos tres lapillos, qvantitate pisorum, unum interim majorem altero, colore rubigineo. Et pectoris hydrope, cum cordis palpitatione ad viginti annos eum infestante, obiisse testantur. Max. 2. Pp. Pio 5.

1554. Adamus Schubertus.

HOc tempore prodiit liber hujus de his, qvi subitaneâ morte pereunt: item de his, qvi sibi ipsis manus violentas inferunt. Imp. & Pp. V. S.

1569. Franciscus Sarmentus.

SCripsit librum de reditibus Ecclesiasticis: & in qvos usus Clerici ea, qvæ supersunt, erogare & collocare debeant: item qvaliter contra leges justitiæ, misericordiæ, & charitatis peccent. Imper. & Papa V. S.

Franciscus Turianus Cremonensis. 156[illegible]

HIc fuit insignis Astronomus, & Carolo qvinto Imperatori octavum cœli motū ostendit per instrumenta. Cum qvo prius collocutus, statim ad Saxonicum bellum est profectus, in qvo Saxo fuit captus: idq; qvasi futuræ victoriæ præscius fecisse putatur. Imperat. & Pp. ut suprà.

Idem lib. 1. de Eccles. c. 3. Non decebat, ut Christus regnaret per se in terrâ, sed per alium, qvi personam suam gerat, ac suam ferat imaginem.

Ibidem. Si solam scripturam Christus nobis reliqvisset, qvid aliud haberemus qvàm gladium Delphicum, qvem fabri fecerunt ob inopiam.

Daniel Bodenberg.

HUjus extat scriptum abominationum maximarum, & prophanationes impiissimarum religionum. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Ricardus Argentinus de præstigiis dæmonum cap. 16.

CEremonia, qvâ cerea sigilla vexilliferi agni figurâ expressa, tanqvam symbola baptismatis, amuletaq; sacra, baptizati accipere consveverant, qvæ agnos Dei vocabant, ante Constantini Magni imperium usitata fuit; teste Joanne Alberto Widmastadio in præfatione suâ in Testamentum Syriacum. Imp. & Pp. V. S.

Idem. Seqventes versus latronibus tollunt nocendi cupiditatem, ut pecunia sit peregrinorum loculis sit secura.

Imparibus meritis pendent tria corpora ramis:
Dismas & Gesmas, medio divina potestas;
Alta petit Dismas, infelix infima Gesmas:
Nos & res nostras conservet summa potestas.
Hos versus dicas, ne tu furto tua perdas.

Joannes Bunderius. 1569.

FUit inqvisitor hæreticæ pravitatis, & scripsit librum, cui titulum fecit Scutum fidei Orthodoxæ, contra Anastasium Galvanum. In eo inter alia multa statuit Papæ in omnibus obediendum, & tegenda ipsius vitia: allegans ad hoc illud Exodi cap. 21. & 22. & Genes. 9. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. Qvi maledixerit patri suo, morte moriatur. Maledictum fuisse Cham, qvi non texit verenda patris sui: super qvo qvidam qværunt: Cum igitur adeò tegenda sunt verenda Papæ, cur qvæso in electione Papæ supremus Diaconus sanctissimi patris testiculos, qvos eodem honore, qvo sanctorum idolorum suorum reliqvias venerari decebat, publico tactu dehonestat? Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Joann. Goropius in Advaticis.

PEperit quæstus apud Papistas res auditu abominandas. Ut enim miseros mortales emungerent, finxerût, Romæ in Ecclesiâ Joannis Lateranensis reservari præputium Christi. Idem (ut & his pars prædæ contingeret) fecerunt alii alio qvoq; loco, Monachi Carrovienses: ut locorum diversitas mendacium coarguat. Hoc autem qvaliter ab Ethnicis initium sumserit, pudet referre: sed videat lector ipsum auctorem lib. 1. fol. 26. & 102. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Frater Joann. Naas.

p.855. SCribit fol. 141. Centuriâ qvintâ: indulgentias, hoc est, cum pecuniâ qvis peccatorum remissionem conseqvitur à Papa: esse unum de duodecim articulis fidei, Credo remissionem peccatorum. Imp. & Papa V. S.

Salus humani generis qvando futura, ex eodem.

CUm ergò signa octavæ sphæræ, & signa immobilia sibi respondent, fateri oportet, insignes tum vires ipsorum esse, præsertim post principiorum conjunctionem ad sex gradus, qvod contigit eo tempore, qvo Christus nasci voluit ita, ut optima cœli constitutio perfectioni humanæ absolutæ conveniret, atq; tum illud fieret conjugium perfectum, qvod Deus cum sponsa sua contraxit; perinde atq; octava sphæra cum nonæ sexto gradu congruebat, senario numero conjugiorum proprio, contrà qvà video qvibusdam placuisse, hoc indicante. Qvod si altiùs hæc expendas, videbis, antiqvissimos illos horum nominum auctores, divina qvædam vaticinia hic nominibus occultasse, & qvodammodo dixisse, tum salutem generis humani futuram, cum sidera sic posita erunt, ut nomina sua optimè mereantur.

Nunqvam autem meliùs merentur, qvàm tum, cùm Cancer octavæ sphæræ cum Cancro sphæræ immobilis (ita uti dico) qvadrabat. Est enim in tardis motionibus eorum, qvæ eas conseqvuntur, tardus eventus: & qvemadmodum in ipso meridie minus caloris est qvàm post meridiem hora prima & secunda; ita de conjunctione qvoqve sphærarum, & ejus eventis, analogia & proportione qvadam cogitandum. Habet enim Christi epoche qvinq; gradus & dimidiatum in motu octavi globi ita, ut à conjunctione signorum tantum temporis, qvàntum his gradibus debetur, fuerit elapsum. Sed hæc contemplatio ingens sibi volumen postularet, si pro dignitate & merito esset explicanda.

Wilhelmus Bidembach Theologus in libro, cui titulus est Papatus abnegatus.

QVid de se existiment, qvantumqve sibi tribuant Papistæ, & qvid discriminis inter ordinem suum Ecclesiasticum & secularem faciant: id præsenti hac figurâ in cœnobio in Schonbuch in Ducatu Wirtembergico demonstrârunt. Pinxerunt enim triremem magnam, incedentem super fluctibus maris: nomen erat S. Ecclesia Christiana: in prora residebant tantummodò Papa, Cardinales & Episcopi, cum erecto Spiritus Sancti simulachro: sacerdotes autem & Monachi sedebant ad latera seu transtra, tenentes remos, dirigentes cursum ad cœlum. Laici autem hinc inde per procellas & fluctus circumnatabant navim miseri: omnesq;, qvibus illi non ferebat opem (scilicet ut vel manibus, vel ejectis funibus illos in navem attraherent) peribant in aqvis. Pauci enim arreptis funibus, qvos ejiciebant ipsi sancti patres (qvasi ex bonitate, & bonorum operum suorum communicatione) adjuti navim conscendebant: & sic nullo alio qvàm illorum medio meritoqve, in cœlum magna cum difficultate pervenire poterant.

Anno p.856.

Notandum autem hic est, seculares tantummodò natare in aqvis, nullum verò ex grege clericorum; ut sciatur, laicos solummodò degere vitam, qvæ Deo displiceat, & cujus causâ damnatio sit eis subeunda, nisi Missificum bonis operibus mediantibus cœlum intrent.

Hanc picturam ipsemet ego (inqvit Bidembach) vidi in Monasterio ad glaucum cucullum Monachalem, sito in sylvâ, qvæ vocatur Schonbuch prope Tubingam: idq; testabuntur multi honesti, & probatæ fidei viri, qvi eandem picturam etiam viderunt. Imper. & Papa V. S.

Miraculum. 1569.

ANno Domini 1569. hæc typis in lucem cum imagine prodiit historia. In primaria & augusta qvadam Imperii urbe, domino cuidam Prædiviti, Pontificiæ religioni cum tota sua familia addicto, ancilla qvædam, Lutheri religionis doctrinâ imbuta famulabatur. Unicæ igitur illius ancillæ dissentionem herus modestè ferens: eam ad fidei suæ defectionem sollicitare cœpit: grande, inqviendo, peccatum esse, deserta Ecclesia Catholica, hæreses nuperrimè exortas amplecti, & asserens, nisi convertatur, Ecclesiamq; Rom. cum reliqva familia colat, iram Dei graviter incursuram, & à Diabolo pessimè coangustatum iri, certò ei persuasurus. Cum verò ancilla in sententiâ sua mordicus persistens, nullum heri admonitionibus locum daret: fortè Jesuita qvidam ad herum devenit, qvi, hac re ex domino illo intellecta, non minori industria, & qvibuscunq; potuit argumentis, dictam ancillam ab à parentibus edocta religione avocare, & ad suam pertrahere satagebat. Verum cum & hic laterem se lavare sentiret, minis rem tentavit, dæmonem eâ, nisi

Anno nisi ab hæresi desistat, miseris modis vexaturum, verberibusq; atq; omnigeno supplicio excruciaturum esse, affirmans. Sed illa animum magis magisq; obfirmans, neq; Jesuitæ, neq; heri, tũ humanas admonitiones, cum minas atroces ullius pensi habebat.

Tandem igitur multo pòst tempore, opera & labore magno in convertenda ancilla inaniter ab illis insumto: hoc capiunt consilium; ut Jesuita larvas duas dispares, terribiles, & vestes Diaboli speciem referentes, cõparet, ac periculum faciat, num vel larva hac Diabolica commoveri & converti qveat. Huic Jesuita obsecutus, vestes acqvirit, induit, habituq; illo diabolico nocte intempesta in cubiculum ancillæ irrumpit, tumultuans, rugiens, rictum diducens, lectum approperans, ac se non secus, qvàm si verus esset diabolus, exhibens. Eo horrendo & terribili spectro (ut illi videbatur) adeò perterretur ancilla, ut totam propemodum exanimem & semimortuam reputares.

Qvamvis a. nulli ex domesticis id aperire diu ausa fuit, utpote, qvi eam, ob religionis alienæ diversitatem, ut plerumq; fit, odio habebant: uni tantùm servo, eam amanti & ambienti, rem omnẽ tandẽ enarravit, & de terriculamẽtis illis dæmoniacis conqvesta fuit: cui servus, alia vice opem & auxilium se laturum, modò ad se redeunte diabolo clamorem ederet, pollicetur, & Satanam illum exploraturum se promittit. Seqventi igitur nocte, Lunæ per fenestras & valvas penetrãte lumine, Jesuita altera Satanica larva, & vestimentis magis horrendis amictus, adeoq; diabolũ verum repræsentans, cubiculũ ancillæ rursus impetit, ostium ejus leniter reserat, gressibus dirum strepentib. incedit, in lectum immaniter irruit; tunc ancilla, trepida qvidẽ & obstupefacta, servi memor, protinus clamavit ac ejulavit. Ei servꝰ exauditæ extemplò, clavã & gladium arripiens, accurrit, animiq; vires colligens cubiculũ ingreditur, ibiq; diabolum ante lectũ aspectu perqvàm torvo ferocientem conspicit. Ubi eundem ad se qvoq; appropinqvantẽ videt, primo qvidem fugam meditari occipit: sed postmodum excusso metu, dæmonem per Deum omnipotentem adjurat: qvo facto,
p.857. cum non evanesceret, sed propiùs ad ipsum accederet, ille continuò, non verum diabolũ, sed aliqvem alium esse, conjecit. Igitur ipsũ arrepta clava percutit, vehementerq; vulnerat: qvia v. ne tunc qvidem disparebat: deniq; vagina gladium eripiens, hunc Jesuitã sic diabolico more vestitum transfixit, ex qvo & statim corruit, animamq; efflavit. Hoc modo igitur ancilla à diabolo liberata fuit. Imp. & Pp. Pio 5.

1569. Andreas Masius.

EDidit hoc tempore commentarium de paradyso, conversum ex Syriaca lingva, scriptum ante años 700. à Mose Barn-cepha Syro, Episcopo in Beth-Raman, ac curatore rerum sacrarũ in Mozah. Allegantur in eo libro autores celebres, Jacobus in Orrohaita præceptor Ephræm Syri, Philoxenus Mabugensis, Diodorꝰ, Episc. Tarsensis, de qvo etiã Suidas, Numysius, Jacobus Saragenus, Jacobus de Badnan, & Julianus Halicarnassæus.

Simon Schardius J. C. Camera Imp. Assessor, in Chronico de rebus in orbe gestis sub Max. 2. Imp. 15[illegible]

WOlffgangus Comes Palatin. Rheni, Dux Bavariæ &c. in Galliam cum pedestrib. & eqvestrib. copiis profectus, 11. die mensis Junii, anno 1566. ad fines Nessunii pie moritur, & cadaver ejus primùm Engolthymium transvehitur, & deinde usq; ad anni 15[illegible] 3. Sept. diem Cognaci detinetur. Qvo tempore filii Joannem Wolfium J. C. qvo consiliario in expeditione parens usus fuerat, ad Regem Galliæ atq; Reginam Navarræ ob corporis paterni eductionem ablegârunt. Is cum iter neq; per Galliam ob bellicos motus, neq; per mare satis tutò perfici posse videret, cautè nautas sub specie mercimonii eludit, & feliciter conficit: etsi primò in adversam incidens tempestatem, ut ventorum variis modis circum actus, ad Hispaniæ & Portugaliæ littora propulsus fuerit.

Sed ut constet de itinere, qvo corpus circumductum fuit, distat Cognatum à Rupella 12. milliaribus, Rupella à [illegible] ab Anglia 100. transitus secus Angliam & Galliam habet milliaria 80. ab inde ad sinum Norvagiæ 82. ab hoc ad Schag[illegible] inde ad locum dictum Sund in Dania [illegible] ad Lubecam 30. ab hac ad locum sepulturæ [illegible] milliaria si recta & brevissima via proficiscaris.

Michael Neander ex Lud. Guicciardino in Descriptione Belgici. 15[illegible]

MEchlinia habet octo collegiatas Ecclesias (seu ut vocant, reiche Thumstiffte) qvarum una, qvæ S. Lamberto sacra est, aurea D. Georgii sic satis magna statua est, è puro conflata auro, donata à Carolo Burgundiæ principe, ut hac donatione condonationem omnis culpæ à Deo impetraret. Imp. & Pp. V. S.

Henricus Blissemius in def. assert. de Eccles. 15[illegible]

SCripsit, scripturam sacram esse ambiguã, qvæ in varios sensus trahatur: & idem Basilium, & alios Patres rectè sensisse. Imper. & Pp. V. S.

Idem scribit præterea de expresso Dei verbo Tom. 1. Qvòd si qvis verba Christi (Bibite ex hoc omnes) ita intelligat, ut etiam laici adstringantur ad percipiendam Eucharistiam sub utraq; specie; non esse expressum Dei verbum, sed diaboli proferre. Imp. Pp. & V. S.

Leon-

Anno

Leonhardus Krentzheim.

1569. Extant hujus conjecturæ de impendentib. in Ecclesiâ & imperiis, & horum temporum mutationibus & calamitatibus, sumtæ ex collatione annorum atq; eventuum veteris ac Novi Testamenti primæ & ultimæ Monarchiæ: numerorum in Daniele, & Apocalypsi.

Simon Pauli Theologus.

1569. Habent Eclypses causam in natura, inqvit, sed tamen simul sunt signa pœnar. &, qvia nunc crebriores fiunt, commonefactiones novissimi diei & calamitatum, qvæ præcedent. Idem scribit, non ampliùs esse eam solis qvalitatem, splendorem, vim, & excellentiam, qvæ prioribus seculus fuit, & sæpius, ubi horrenda & multiplicia scelera nostra intueatur, qvasi illa perhorrescentè, inter nubila se condere. Cum Luthero qvoqve ait, similes in Germania & vicinis regnis futuras esse cædes, & vastationes regnorum & urbium, & alias calamitates, qvales in Judæa & Jerosolymis fuerant: propter summum Verbi Dei contemtum, horrendam securitatem, & infinita scelera.

Antonius Paganus Venetus.

p.858. Hujus extat liber de Ecclesiasticorum gradibus, jure, dignitate, potestate: & de necessaria eorum præsentia & fide pastorali. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Bundivica Angla.

1570. Heroici Spiritus fœmina, scripsit ad ordines Angliæ, pro excutiendo Romanorum jugo, epistolas doctissimas. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Joannes Pollius VVestphalus.

1570. Scripsit hic de tribus monstris Ecclesiam vastantibus, avaritiâ, ambitione & superstitione, pulcherrimum poema, qvod vide. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Georgius Buchananus Poeta.

1570. *Et tunicam fluxam nodosa cannabe cingis:*
Cum melius fauces stringeret illa tuas.

Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Idem in Paulum Pontificem.

Paulus ab Hebræo scis qvantum distet Juda?
Hic cœli dominum vendidit, ille domum.

D. Mylius.

1570. Mahometes Turcarum primus Imperator moriturus, jamq; animam exhalaturus, ut mysterium de duratione Imperii à se inchoati, qvod sibi reservaverat hactenus unicum, proderet, cum jam lingva officium facere ampliùs non posset; decem digitos suos extendit, decem annorum duraturi regni sui centenarios fore, demonstrans. Imper. & Papa V. S.

Idem D. Mylius pro concione qvadam, qvam contra Turcam habuit: qvodam, inq. tempore Diabolo in mentem venit, ut uxorem duceret, idq; dum animo volueret, incredibili amore proseqvutus est impietatem adeò, ut ipsam, haud diutius ambiendo sibi devinxerit: ex qvâ etiam, fœcundo existente matrimonio, septem puellas progenuit. Posteaqvàm autem maturæ videbantur, & nubiles esse: cogitavit pater eas elocare hominibus: qvia volebat hoc pacto illorum amicitiam sibi conciliare.

Proinde natu maximam Arrogantiam, potentibus in mundo, divitiisq; affluentib, & qvi nobilitate generis, aut illustri qvodā munere, vel auctoritate reliqvis antecellerent, copulavit. Juniorem a. Avaritiam mercatoribus, atq; circa rerum solemniores cōmutationes occupatis, adjunxit. Tertiam inde Fallaciam plebejis, passimq; diffusis in principum ditionibus rusticis, operariis, & mercenariis adjudicavit. Qvartam verò Invidiam opificibus, & gregarias artes exercentibus exposuit. Qvintam, omnium optimè moratam, Hypocrisin, & egregiè insinuantem sese meretriculam, sacerdotibus, & qvi sanctitatis nomine vulgo conspicui essent, elocavit. Sextamq; Superbiam appellatam muliebri sexui addicavit.

De septima a. qvæ Scortatio dicebatur, hoc consilium cepit: velle se ipsam, nulli qvidem propriam, omnibus v. communem, in familiâ suâ retinere: ut si qvando cuidam libeat illam convenire, cogatur eam apud se qværere: qvâ ratione consultum esse putabat, qvàm plurimos amicitiam istam haudqvaqvam repudiaturos esse: sed imò incredibilem accessum novorum sodalium fore. Et certè non caruit eventu Diaboli institutum. utq; experientiâ liqvet, maxima pars hominum ejusmodi conjugiis irretita ad inferos descendit. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Georgius Nigrinus lib. 5. cap. 6. de Sergio cap. 2. qvi dicebatur antea Os porci. 1570.

Sed hoc profectò charactêre cauteriata Bestia Romana notabilis est, & se palàm toti mundo prostituit Antichristus: qvòd (illo planè deposito nomine, qvo se priùs in Christi Baptismo Catholicæ Ecclesiæ testabatur addictissimum) in inani gloriola pontificia, & sede Babylonicâ, cujusdam aspersione chrismatis, & aqvæ, vult alium se appellari deinceps, atq; ita majoris pensi fabulas suas, humanasq; traditiones, ac ipsius Dei Sacramenta judicari. Imp. & Pp. V. S.

Idem in libro de Antichristi revelatione affirmat, Papam verum esse Antichristum: idq; 58. argumētis solidissimis probat; ut ibi p.859.

Joach. Curcus in Annalib. Siles.

Matthias Huniades, Hungariæ & Bohem. magnus Rex, Ecclesiæ nomē valdè semper est veneratus, sed avaritiam & improbitatem sacerdotum maximè oderat. In colloqvio qvodam aulico vitia Episcoporum festivissimâ ironiâ taxasse scribitur. 1570.

Alebat

Anno Alebat Hungaria, cum floreret, duodecim Episcopos, opibus & dignitate maximis Principibus pares. Convenerant verò in aulâ qvidam ex Regis familiaribus: & deplorabant inter se, religionem Christianam in pompam esse conversam, reditusq; Ecclesiarum ab hominibus improbis immani cum luxu profundi.

Intervenit commodum sermoni isti Rex: & cum audivisset colloqvium amicorum: ego verò, inqvit, non arbitror, nominandos esse illos malos, qvi maximo studio inferos fugiunt: qvod profectò nostri Episcopi solùm faciunt. Superbiam qvidē non fugiunt. Nam ea si periisset ex memoriâ hominum, cultus & incessus Episcoporum eam restitueret. Iram adeò non vitant, ut nusqvam locorum horribiliora crudelitatis exempla edantur, qvàm apud ipsos: sicut credo, hisce diebus vos audivisse, Episcopum familiarē qvendam suum, magni nominis virum, ob culpam levissimam flagris cæsum occidisse. Avaritia ipsis est carissima. Nam divina vendunt, sacra verò & profana spoliant, ut opes corradant. Luxus nominatur magnificentia: cum ostendunt tot periti coci, tot structuræ popinarum maximè sumtuosarū, deniq; tanti greges lenonum & scortorum, qvorum appellatio etiam inhonesta est. Dominatur ibi invidia, calumniæ, qvibus maximè crescunt, ocium, ignavia insidiæ, & alia scelera. Verùm unum est, qvod maximè oderunt, detestantur, & fugiunt: illudqve hoc est, qvod sedem suam apud inferos habere dicitur. Omnibus avidè sciscitantibus, qvodnam hoc esset, subjecit Rex: Egestas. Ea enim, teste Poeta, inferni est alumna, & inter maxima monstra eam collocat. Ita enim inqvit:

Malesuada fames & turpis egestas.

Ostendit illa oratio Regis, qvæ fuit vehementer salsa, non solum morbos Episcoporum: sed etiam nominavit scelera illa, qvæ Pannoniæ fatalem ruinam attraxerunt. Proximo etiam anno ante mortem voluit, ex veris fontibus sibi ostendi, an usitati reditus, emti cum pacto de revendendo, sine usuræ, illisq; modum cœpit constituere: itaq; in eam rem incubuit, ut ordinem Ecclesiasticum, qvi ipsi repugnabat, graviter fuisset afflicturus, nisi interitus ipsius ea interrupisset. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5. V.S.

Sixtus ab Hemminga, Astrol.

1570. Sixtus ab Hemminga qvanqvam edidit refutationem Astrologiæ; tamen in genitura Joannis Austriaci fatetur, qvod deduxerit septem annis ante mortem Austriaci pro vitæ longitudine Lunam ad oppositum Saturni, & Horoscopum ad corpus Saturni, & qvòd pervenerit Lunæ directio ad Saturni oppositum in annis 31. mensibus 7. dieb. 6. qvo ipse tempore ætatis suæ, & anno, & mense, & die Austriacus concessit fatis peste, scilicet anno 1578. 2. Octobris, hora 2. pomeridiana extinctus, & addit: si in omnibus nativitatibus, vel etiam plerisqve hoc pacto convenirent eventus cum directionibus, solam se Astrologiam magnifacere velle, eamqve præ cæteris scientiis unicè amplecti, & tanqvam divinam colere. Qvanqvam autem Sixtus ab Hemminga aliqvot diversa exempla allegat, in qvibus ipsi eventus minimè respondere videntur directionibus: tamen alii Astrologi diversa ediderunt de his judicia, diversasqve protulerunt directiones, & tempora nativitatum, qvæ cum rebus ipsis convenire affirmant. Imper. 119. Max. 2. Papa 232. Pio 5.

Miraculum infaustum.

Publico scripto constat, Mystem qvendam hoc tempore in celebri civitate, ut aliqvo miraculo sese suumq; ordinem, & universam Romanā Curiam vulgo hominum cōmendaret, hoc consiliū cepisse. Erat par conjugū obscurum ex infima plebe, & summæ egestatis. Mysta conjuges illos adit, sperans, prece & precio qvidvis illis persuadi posse. Itaq; qvid fieri velit, edisserit: & si res ex animi sententia procedant, aureos montes pollicetur.

Qvid fit? Tædium egestatis facilè ab illis conjugibus impetrat, ut tam sancto viro, qvidvis pro emolumento S. Rom. Ecclesiæ ausuro, pareant. Proinde conditionem accipiunt: & postqvā de tempore, de loco, de modo peragendæ fabulæ inter illos convenit, Mysta bonæ spei plenus se subducit, & ad suos tacitus revertitur: qvibus sui consilii mysterium utrum detexerit, an apud illos etiam peculiaris cujusdam sanctimoniæ laude, & θαυματοεργικῆς gloriolam obtinere voluerit, incertum: neq; etiam interest. Interea verò qvæ ad primum fabulæ actum necessaria, & ex pacto procuranda erant, adornantur.

Simulat maritus morbū; decumbit: mortis articulū imminere fingit, & ita ingeniosè exspirat. Exinde freqventes mulieris gemitus, & lugubres ex composita fraude ejulatus sub noctem, mariti defuncti fallaces indices omnium animos non obscura commiseratione permoverunt. Hic primus actus. Posterâ ergò die ad exeqvias cohonestandas vicinia confluit: viri morte compertâ, mulierculæ misertum est, usq; adeo vultū in manibus habebat. Dein effertur funus: qvi ad illud convenère, prodeunt: sola vidua omnium oculos animumq; in se conversos habebat: misera & flebilis totius corporis species erat: & jam corporis habitū animus induerat. Prodit etiam in scenam Monachus obstipo capite, & defixo terræ vultu, qvi suas in extremo actu & catastrophe, præcipuas esse partes non ignorabat. Muliercula fletū auget, & totius fabulæ Actori fit obviam.

Lapidès mehercle omnes flere, ac lamentari videbātur: percontatur Monachus tanti luctus causam: audit, efferri Maritū: superstites esse parvos liberos, satis multos: neq; qvicqvam fortunar. relictū, qvo ali, & sustineri possint:

suam

ſuam implorari miſericordiam: ſolum hoc relictum ſolitudini & inopiæ præſidium.

Qvid multis opus? Bonus iſte, & miſericors Anti Jeſus, ut ſe Naimitani miraculi velut imitatorem Jeſu comprobet, blandis verbis Mulierem bono animo eſſe jubet: vivere Maritum: vitâ nondum exceſſiſſe. Illa renuere: dicto fidem non habere. Itaq; Monachus facto verbis fidem additurus, veſpillonibus imperat, ut feretrum deponant, & operimentum amoveant. Qvod cum illi ſedulò feciſſent, mortuũ nominatim aliqvoties Anti Jeſus hic noſter inclamat: reviviſceret, ſurgeret, à capulo in lucem prodiret. At nullus hic erat Lazarus, qvi ad vocantis clamorem animam reciperet: ſurda erant omnia: fruſtra Monachus prono ad feretrũ vultu mortui nomen perſonabat: ad ravim vociferari licuiſſet.

Qvamvis erat impudens hiſtrio ille, tn. clam trepidare cœpit in tantâ ſpectatorum multitudine: maluit a. extrema potiùs experiri, qvàm cœptâ fabulam turpiter deſerere eamq; qvam ſibi perſonam impoſuerat, nõ pro virili tueri. Qvare perſtat in impudentiâ negans, hominem obiiſſe: profundiori tantùm ſomno correptum, ait: jubet corpus linteis involutum exſolvi, & vinculis liberari. Veſpillones haud ſegniter imperata faciunt, corpus undiq; pertentant, anhelitum captant: præter exanime cadaver, & frigore torpentia membra nihil reperiunt.

Illicò jam non ampliùs falsò credita, ſed vera vidua, excuſſa ſimulatione, veros ploratus edit, & miſerabili fletu acerbiſſimum animi dolore profundit: ſpectantium coronæ omnes Myſtæ technas commemorat: ut amplis promiſſis unà cum Marito ſeducta fuerit, ad hanc fabulã agendam: ut Maritus adverſam valetudinẽ, & mortem ſimulârit, & ſe vivum in feretrum poni, atq; pro mortuo efferri paſſus ſit: ut Monachus de induſtria obviam factus, novi cujuſdã prodigii fucum hominum multitudini objicere voluerit. Secuta eſt vulgi illum Monachum execrãtis admurmuratio: & jam Tragœdiæ auctorẽ ad ſupplicia depoſcebât. At is multò ante, ſimul ac fabulam in extremo actu corruere videbat, è media hominum turba ſe ſubduxerat, & urbe profugerat.

Ita Myſtæ ἀναβίωσις in fumos abiit, ſive, ut veriùs dicam, θανάτωσιν: neq; fabulæ finis à populo clarũ plauſum promereri potuit. Auctor eſt Greg. Turon. Cyrolam qvendam Epiſcopum Arrianum, cuidam, qvi ſe cæcum ſimulaverat, lumen reſtituere conatum, prodigio in contrarium verſo, miſerum hominem lumine orbaſſe: noſtro Myſtæ ſimile qviddam, multò tamen gravius & atrocius evenit: mortem ſimulanti vitam ſe reſtituere poſſe, fingens, eo ipſo vitam illi eripuit, tantò majore ſupplicio dignus, qvàm gravior eſt vitæ jactura viſus amiſſione, & qvantò præſtantius lumen vitæ lumine oculorum. Hactenus publicum ſcriptum.

Egregium ſcilicet hìc habent exemplum miraculorum ſuorum Pontificii: ſic poſſunt reſuſcitare mortuos: ſic confirmanda eſt veritas humanarum traditionum Papæ: ſic concilianda gratia & autoritas eſt doctrinæ in Eccleſia. Et tamen exprobrant hi falſatores Lutheranis, eos tam inopes eſſe virtutis miraculorum, ut nec claudicantem canem ſanare qveant. Si reqvirunt miracula, vertant oculos ad illud unius Lutheri miraculum longè omnium maximum, qvod edidit in Comitiis Auguſtanis coram Regibus & Principibus terræ, cum ſua confeſſione. Ubi ſanè canem Papatui (ſeu pedibus Papæ) injecit, qvi hujusmodi vulnus ei inflixit, ut ex eo perpetuò ſit turpiter claudicaturus, nec ullius M[illegible]ſſificis (qvoqvò ſe vertat, qvicqvid cœptet & auſit) præſtigiis vel artibus integritati reſtitui qveat. Indefeſſis enim canis iſte morſibus eum vellere & rodere nunqvam deſinet, donec vel prorſus ſit abſumtus, vel mendaciorum & vanitatis operibus relictis, redeat in viam, & ad veritatem Evangelicam concedat. Imp. & Pp. V. S.

Anno

M. Leo de Caſtro, Salmanticenſis, in commentariis ſuper Eſaiam cap. 49. 1570

IN vetuſtiſſimo codice ordinis D. Benedicti legimus: olim Reges Hiſpaniæ, cum adirent Epiſcoporum ſynodum, procumbere ſolitos toto corpore terrâ ante ipſos Epiſcopos, & terram oſculari. Neqve prius ſe attollere humo, qvàm hi ſuis ſedibus ſurgerent, & reges eorum pedibus circumfuſos brachiis attollerent, & in ſella regia pro dignitate collocarent. Imp. & Pp. V. S.

Laur. Surius rerum in orbe geſtarum, & Bruyerinus lib. 3. cap. 5. de re cibariâ. 1[illegible]

ANno 1511. Maximilianus Cæſar comitia indixit apud Auguſtam; ubi illi oblatus eſt vir qvidam prodigioſæ vaſtitatis & craſſitudinis, atqve incredibilis ingluviei, ita ut integrum vitulum crudum, vel ovem incoctam una vice devoraret: & tamen nec dum famem expletam diceret. Imper. & Papa V. S.

Martinus Bellaius commentariorum lib. 3.

PApa tamen ſive à qvibuſdam deceptus, ſive rei magnitudine perculſus, ſuis rebus non ante proſpicere voluit, qvàm hoſtem ad portas urbis conſpiceret. His rebus effectum eſt, ut pugnæ genus non aliud iniecit, qvàm qvòd in caſtrum Angelicum cum aliqvot Cardinalibus & principum oratoribus, relictâ abſq; cuſtodibus urbe, ſe reciperet. Hac rerum perturbatione Rentius &

Langius

Anno Langæus conspectâ, repentè ad duo millia hominum cogunt, qvib. utcunq; hostem arcerent, dum Salussius cū exercitu adveniret.

Ibi mirificus casus intervenit. Signifer qvidam, cui ruina muri ad compitum Petrinum commissa erat, cum Borboniū aliqvot militibus comitatum vinetum perumpentem ad explorandum locum vidisset, tanto metum perterritus est, ut cum in urbē profugere cogitaret, ipsâ ruinâ signo elato egressus ad hostes contenderet. Borbonius hominē ad se venire conspicatus, alios subseqvi, & eruptionem in se fieri arbitratus, gradum subito sistit, eo consilio, ut suis collectis impetum sustineret, dum reliqvus exercitus appropinqvaret, qvi cōfestim omnis in armis est. Signifer extra urbem ab passus ferè recentos progressus, audito ad arma capienda in castris Borbonianis clamore, ad se rediit, & instar ejus, qvi è somno excitatus animū colligit, è vestigio urbē versus se proripit, eademq; ruinâ, qvâ exierat, ingreditur. Borbonius hominis gestū admiratur, locoq; animadverso, signum oppugnationis statim dari jubet; ipse primus scalis arreptis ad murum accedit. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Idem scribit de Leone Papa, qvòd audito nuncio, Gallos ex Mediolano pulsos esse, tantam lætitiam acceperit, ut exinde mortuus fuerit. Et addit: bene sanè cum illo actum fuisse, ut qvi præ gaudio obierit.

Idem lib. 4. Accedebant novæ & immodicæ exactiones, qvas Romæ fieri in diplomatibus conficiendis, Ecclesiam Gallicanā apud se conqvestam esse dicebat: ex qvibus hæc mala conseqvi: regnum Gallicum pecuniâ, qvæ efferebatur, exhauriri: cleri opes extenuari: sacra ædificia non instaurari: deniqve mendicos, ut æqvum esset, non ali.

Qvæ omnia ut vera esse constaret: afferri à clero, qvòd caducaria sacerdotiorum jura, in qvib. nullus servatur modus, summo jure exigantur, qvòd multitudo nova ministrorū præter morem introducta sit, qvibus satisfieri, cum diplomata conficiuntur, præter id, qvod antea persolvi consuesset, oporteat: qvòd qvi in demortuorum locum allegandi sunt, id pecuniâ, qvæ ad papæ fiscum redeat, emere soleant: qvòd hostiariis, cubiculariis, protonotariis, eorumq; pueris, cursoribus, & famulis non levis pretii munera danda sint, qvòd ad apostolicas basilicas instaurādas ingentes pecuniæ cogantur, qvæ ferè tamen ad bellum cum Rege gerendum profunduntur: qvòd diplomatum multitudo imperetur, ubi unico opus est, multa etiam alia per fraudem fiant, qvæ nulla ratio, nullum jus fieri postulat: ut nihil aliud, qvàm pecuniæ aucupium & nundinatio videatur.

Qvòd, cum antea caducarium illud jus in iis tantùm locum haberet, qvi in demortuorum vicem sufficiebantur: nunc in iis etiam sacerdotiis exigatur, qvæ qvis dispensatione (qvam vocant) conseqvitur: qvòd cum in re aliqvâ, qvæ jure prohibita sint, legis gratiâ vel relaxatio fit; ibi arbitrariæ compositiones immodicæ sint, & exitiosæ: qvòd deniq; semestris illa prorogatio sacerdotii incundi, qvæ iis decernitur, qvi in locū alicujus abdicantis alleguntur, causa sit, cur plurima per falsimonium & adulterationem fiant, ut vera esse eventus comprobat.

Ad hæc vitia emendanda multos sæpenumero à se contendisse, ut Ecclesiæ Gallicanæ concilium indiceretur: se tamen adhuc cunctatum fuisse, qvòd expectandū sibi intelligebat, dum Papa ipse huic malo prospiceret. Verùm cum ducatus Britoniæ ordines convocasset, sibi à totius hujus regionis clero gravissimas qverelas fuisse exhibitas, in qvibus multa essent adeò fœda & turpia, adeò offendendis piorum animis obnoxia, adeò ab eâ charitate, qvâ Ecclesiam florere decet, aliena, ut nihil suprà: ut sibi neqvaqvam credibile sit, ista Papæ nunciata esse.

Ad extremum se privatim qvoq; gravissimas expostulandi causas habere: qvòd cum Papam non lateret, qvàm propensum animum & paratam operam ad e defendendum orbem Christianum ostendisset: se tamen sciret, illo sinente & connivente, per calumniam accusatū esse, neq; ullam interim ab eo significationem datam fuisse, qvâ se immeritò fuisse incusatum constare velle videretur: cum tamen summā semper diligentiam adhibuisset, ut qvoties falsis criminationib. impetebatur, Papæ purgatus esset.

Laurentius Capella lib. 1.

Fuit Arragoniæ Rex Ferrandus. Is qvamqvam incredibili amore Mariam de Foix illustrem virginem proseqvebatur: non audebat tamen, inhibente conjugium propiore sangvinis communione, qvod in votis habebat, agere. Dominum ergò de Wick p. 162. ambassatorem suum, Papam adire jussit, qvi tum Julius II. erat, ut ille discerneret, atqve dispensaret. Sed proh Deum, Romanus ille Euclio qvinqvaginta millia ducatorum pro veniâ nubendi dandâ postulavit! Verum enimverò considerans auri vim Rex, atq; eā in multò potiora conferri posse judicans: egregiè sibi cōsuluit pariter, atq; Jul. induxit.

Curavit supplicationem fieri: sanctissime Pater, Ferrandus de Arragoniâ & Maria de Foix, nimium sibi affines sunt: proinde petunt dispensationem, qvâ jure matrimonium inire possint, &c. Illicò subscripsit Papa, decemq; numerari ducatos postulavit. Dati sunt illi confestim. Rex nuptias celebravit: tantiq; eas emi potuisse à tam mitè sordido pontifice, non mediocriter sibi, atq; ærario suo est gratulatus.

Innotuit autem Julio, qvòd Arragoniæ Rex cum agnatâ suâ thalamum iniisset: nondumq; illi, ac minimè annuisse sese, animum induxit. Vocavitq; ad se dominum de Wick: & iratus, Heus tu, inqvit, qvænā tuus

dominum

dominum tuũ Regem in illicitum hoc matrimonium conjecere? cui ille: tua id venia, Pater, est factum: protulitqve literas summam dispensationis continentes: qvas alicui privato pauperi, ac minimè Regi tam diviti, pro decem tantummodò ducatis exposuisse se Papa existimabat. Intelligens ergo fraudem: rectè, inqvit, nobiscum actum est. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

1570. Joannes Stumpfius in Chronico Helvetico.

Certum est, Gallicana Monasteria multis in locis qvotidiano labori incubuisse, sed successu temporis exolevit. Nam cum Galliæ reges sensim in tyrannidem prolaberentur, scortarentur, & multos spurios procrearent, item invicem sese interimerent, & crudeliter multum sangvinis effunderent, ob hæc delicta reprehendebantur à piis episcopis & abbatibus ex verbo Dei; & cum pœnitentia ducti, ut pro se supplicarent, pios patres solicitasset, qvod cum illi fecissent, & initio qvidem gratis, paulatim freti principes & reges suffragiis patrum, ad consueta redierunt, & ut sedulius oraretur, pecunia & donis patres instigârunt, & sic cœpit suffragiorum coemtio; prolapsi itaq; reges, principes, & opulenti in qvodcunq; scelus, eam opinionem induerunt, si saltem monachorũ preces pro se fundendas auro compararent, ipsi a. interim nihil non sceleris committerent, omnia in vado esse; & eò tandem res rediit, ut nullus vel rex, vel princeps, comes, aut alius decesserit, qvi non evitandam iram, & peccatorum veniam comparandã, monasterium vel plura fundârit, aut saltem fundata opibus ditârit. Sic creverunt monasteria divitiis, potentiaq;, labor autem manuum prorsus evanuit.

Suffragiis itaq; tam largiter pecuniam lucrantibus, cœpit etiam Meritum eorum, ut jejunia, & exercitatio qvæq; religiosa, venũ exponi: ita evenit, ut pietatem, merita, & promotiones ad cœlum, nemo non magno sumtu à monachis mercari anhelaverit, ut sibi interea graviter peccandi esset licentia; meritum illud fratrum, & eorum opera prostituta sic, proh qvas peperêre divitias! Reges, principes & opulenti qviq; gazam suam erogabant monachis, ut suffragiorum & meritorum eorum participes fierent; testimonio sunt literæ indulgentiales, & ejusmodi: qvarum aliqvæ, ut ipsemet vidi, tale exordiũ habent: In Dei nomine: Perpendendum est unicuiq; hominũ, qvàm velociter tempora caduca prætereunt, & futura approperant: ideo penset unusqvisq; apud semetipsum, si habeat, unde aliqvid de facultatibus suis tribuere valeat ad venerabilia loca, pro remedio animæ suæ, ut in sempiterna reqvie cum beato Petro & Andrea paradysum mereatur possidere. Qvia illi datis rebus suis mercati sunt regnum cœlorum. Regnum Dei tantum valet, qvantum habes. Qvid vilius cum emitur, vel qvid charius cum possidetur? In hac itaq; promissione ego N. valde compunctus trado, &c. Anno

Et duabus pagellis pòst ait: in Gallia non procul à Cabilona Burgundiæ in Monasterio Molismon viri eruditi erant, qvi ex præsentium temporum consideratione animadvertebant, possessionibus virtutibusqve diuturnam non posse esse societatem: de his Sigebertus circa annum 1098. V. S.

Id. Anno 941. in cœnobio Sangalli Abbas erat Thieto, qvi habebat fratrem Cralochũ, ibi Decanum, qvi secundus dignitate ab Abbate est. Erat ibidem juvenis qvidã monachus, doctus & alacris, ex Comitibus generosis Rhætiæ vel Curvvaliæ ortus, nomine Victor: Cralochus vero minùs doctus: & nimium in adolescentes monachos severus. Itaq; Victor, de qvodam delicto accusandus ab ipso apud Abbatem, è Monasterio profugit: qvòd utriq; se odio esse videbat.

Anno aut. 942. Abbatiam consecutus est Cralochꝰ: Victore, qvi hoc decus spe conceperat, eiiso. Cæsar Otho rogatus, ut Cralocho dignitatẽ confirmaret: volebat id facere, si ille Victorẽ in gratiã reciperet. Si ergò factũ est. Cralochus deinde oratus à propinqvis Victoris, ut huic Abbatiã Pfœveriensem, cõcederet, noluit. Illi cũ indignatione abierũt.

An. dein 953. & pòst, magnæ extitêre qverelæ: qvàm tyrannicè se gereret Cralochus; qvi etiam Entzelinum, Pfœvetæ probatum, Victori cognatione junctũ, graviter propter exiguum delictum ceciderat, Abbatiaq; privaverat. Anno exinde 956. veniente Sveviæ Duce Luitholfo (inter proficiscendum in Italiam) Sangallum, profugit idem (superiori tempore minis ejus territꝰ) in Franconiã ad Regem Othonẽ. Otho, etsi nec ipse Cralocho æqvus erat, tn. rogatu Augustani Episc. Ulrici, eum recepit. Sed is tenui victu cũ suis acceptus fuit à curatorib. culinæ Cæsareæ: qvoniã Entzelino & Victori propinqvitate conjuncti. Dux Luitholfus, biduum ibi manens, Cralocho dignitatem abrogavit: consentientibusq; Monachis fratrem ejus Annonem, virum bon. & eruditũ, Abbatem fecit. p. 869

Qvi Ungarorum metu munivit totum Monasterium: & cæteras omnes ei adhærentes domos: mœnibus, turribus tredecim, & amplis fossis circumdans: qvæ fuerunt initia Sangellensis oppidi: cum autem qvinqvennium præfuisset muneri: diem suum anno 958. obiit. Tunc intercedente S. Ulrico, qvi in Aulâ degebat: Cralochus Abbatiæ Sangallicæ ab Othone restitutus est (Monachis eum invitè recipientibus) sed eã conditione, ut Fabariæ sive Pfœveræ regimen deponeret: qvod Entzelino, qvamvis invito Cralocho, commendatum fuit: cum qvidem Ulricus ei Cralochum reconciliasset, aliter profugituro.

Sed qvalis fuit illa reconciliatio gratiæ? luporũ & ovium amicitia. Brevi n. pòst, Abbas

Anno bas Victori oculos effodit. *Tantane animus cœlestibus iræ?* Cæsar Abbatem pœnâ affecturus erat: nisi is huic se antè moriendo eripuisset. Petiverat, cum moreretur: ut Eccardus, nobilis & doctus vir, Jonschuvil ibi Decanus, sibi in Abbatiæ gubernatione succederet. Qvod & factum esset: nisi is malo qvodam fato, ex lapsu eqvi crure fracto, claudus evasisset. Superbi autem Monachi nolebant Vulcanum claudicantem habere Abbatem. Substitutus igitur est 959. Ulrici Lintzoviensis Comit. & Wendelgards F. Burchardus: Regi Othoni, ut genere propinqvus, charus. Hæc de Monastico hoc bello: ut videamus, ne illos qvidem, qvi, se mundo excessisse, videri volunt, carnis concupiscentiis solutos esse.

Idem. Parochus qvidam Clavennæ circa annum Domini 1533. Romanæ Ecclesiæ defensor acerrimus, filiam civis formâ elegantissimam ad stupri commercium sæpe frustra sôlicitatam, simplicitate ejus perspectâ, novo astu circumvenit. Virginis Deiparæ simulachro vestem detraxit cœruleam, aureis insignem stellis, eaq; brachia, pedesq; velans faciem linteo subtili tegens, ad patris caulam more suo statâ horâ proficiscentem puellam exspectat. Cui cum de improviso apparuisset, blandis primùm verbis alloqvi, Lutheranæ religionis errores detestari, & ob innovandæ religionis studium multa mala urbi impendentia prædicere cœpit, eaq; ut civibus suis ordine recenseret, seriò monere.

Epilogi loco, & ut ex præteritorum cognitione futurorum certitudinem colligeret, hoc addidit: eam viro sancto & catholico hactenus non fuisse obsecutam: obseqveretur porrò, divinæ misericordiæ & salutis propriæ conseqvendæ ergò: clàm tamen & occultè, neq; enim margaritas porcis Lutheranis objiciendas & communicandas esse. Stulta puella revelationem Mariæ virg. urbi denúciat. Cives triduano jejunio pacẽ divûm impetrare student. Interea puella Parocho neqvissimo morem gessit, falsæ religionis specie decepta. Cæterum eo scelere detecto, Parochus capite primùm plexus, mox igni absumtus est.

Idem. Joannes Hussus Bohemus Constantiæ in Concilio vivus exustus est, anno Christi 1416. Sigismundi Imper. 6. Cœperat autem prædicare anno 1407. Vaticinatus est in mediis flammis: post centum annos cygnum meum, ex hoc ansere natum (Huss n. lingvâ Bohemicâ anserem significat) non assabitis. Verus fuit vates. Nam post 100. annos, anno Christi 1517. sub initia Imperii Caroli V. Martinus Lutherus contra Pontificem scribere cœpit.

Item Hieronymus de Pragâ, Hussi discipulus, qvadragesimo die post præceptorem, Constantiæ eodem genere mortis periit, cum magnâ voce professus esset; post centum annos mihi respondebitis. Ejus constantiam mirificè commendat Poggius in Epistolâ ad Leonem Aretinum.

Idem. Ad cataractas Rheni sita est arx vetusta, Lauffen dicta, Tigurinæ nunc ditionis; è cujus arcis regione castellum sive arx munita in Rheno super rupe posita est: eam Abbas qvidam Scaphusianus, ad custodiendam concubinam vel meretricem qvandam, ædificavit. Oriunda enim erat ex celebri qvadam familiâ urbis Scaphusiæ: sed qvoniam fornicationem in urbe tam turpem tolerare noluerunt: sibi ipsi tam egregium erexit lupanar.

Idem. Parochus qvidam Bernæ stans in suggesto, exorcisavit genus vermium, qvod sata & gramen sub terra corrumpit: consilio ad id faciendum usus Lausannatis Episcopi. Nisi desistitis improbissimi vermes (inqvit) ego vos cito Wiflisburgum ad officialem Episcopi. F. Anno 1478.

Idem. Anno 1140. Arnoldus Brixiensis episcopus ex Lombardia Papam Romanum, sacerdotes, & Monachos vanitatis coarguit, eisq; in doctrinâ adversatus est. Idcircò Innocentius Papa sacris ei interdixit Romæ in Concilio, & acriter persecutus est. Sed Arnoldus in Helvetiam aufugit, seq; Tiguri sustentavit, donec Innocentius diem obiit. Tigurinos qvoq; in suam sententiam pertraxit. Platina & Ligurinus eum osorem & persecutorẽ clericatus increpant, sed qvid in rei veritate docuerit, omittunt: ita improperant ei, qvòd fuerit hostis monachorum: & nó erubuerit episcopos & Papas redarguere.

Docuit autem, Ecclesiasticorum non esse, divitias & temporalia bona possidere, sed dominia secularibus principibus competere. p.14. Decimas non in luxum, sed in corporis necessitatem accipi debere; crapulam, voluptates, ebrietates, scortationes, lusus, superbiam, & alia scelera spiritualium strenuè taxabat, & damnabat. Imò tantum sua concione profecit, ut populus Clericatum & Papam floccipendere inciperet, & despectui ac derisui omnibus tunc Ecclesiastici essent. Tigurini prorsus Arnoldi doctrinam imbiberant, & longo post tempore retinuerunt: qvod Ligurinus poeta, & palpo Papæ hoc versiculo qveritur:

Servat adhuc uvæ gustum gens illa paternæ.

Qvo sustinuit, suo tum qvoq; tempore, anno 1190. Tigurinos adhuc Arnoldi uvas oluisse. Arnoldus qvinqvẽnio Tiguri exacto & docendo consumto, post obitum Innocentii sui excommunicatoris, anno 1154. iterum per Alpes ex Helvetia in Italiam rediit, papatum tenente Eugenio: ubi omnem populum ad se convertit, & sua doctrina ita commovit, ut Papæ primatum & omnem clericatum instar Cumani asini haberent: frigescebat erga illos populi devotio, rarescebat reverentia, arescebat autoritas Ecclesiæ Romanæ. Qvicqvid autem populus Rom. delinqvebat, vel delirabat, id omne

Arnoldo

Arnoldo imputabatur à Romanis Ecclesiasticis: sed Arnoldus à populo defendebatur.

Anno 1154. defuncto Eugenio, Adrianus in Papam assumebatur. Hic non consecrari se passus est, nec sedem occupare volebat, nisi priùs Arnoldus hæreticus (ut illum calumniabatur) è medio tolleretur: his conantibus populo Rom. qvantum potuit, restitit: propterea ab Adriano teterrimis execrationibus damnabatur. Inqvietus ille Arnoldum tolerare omnino diutius noluit. Simul ac enim Cæsarem Fridericum in Italiam venisse, & Viterbiam petiturum, comperit: ei in occursum it, lætus ejus adventu, conqveritur vehementer de contemtu sui: qvo eum populus Romanus onerabat, propter dogma Arnoldi Brixiensis: qvi sit hæreticus, & à superioribus Papis excommunicatus: nihilominùs eum Roma urbs alat & protegat. Papa gnaviter os Imperâtoris oblinibat, & palpum obtrudebat, qvoad Arnoldum in crucem ageret. Imperator Romæ commorans, Arnoldum in vincula conjici & comburi jussit: cineres in Tyberim dissipabantur, ne à populo colligerentur, & pro re sacra colerentur.

Idem. Burcardus abbas S. Galli, Comes de Lintzgou vel Monfort, eligebatur anno 959. cùm semel eqvum sternacem ascendisset, & latus portæ improvidus allisisset, claudicare & baculo incedere cogebatur: ejus qvoqve Decanus Eckardus loripes erat: & cum aliqvando Kebo abbas Lorcheimensis à Cæsare, ad Monasterium S. Galli visitatum, & vitas fratrum exploratum, mitteretur: videretqve, & Abbatem & Decanum claudicare: dicebat; melius est, claudicare reges, qvàm regna.

Idem. Lampertus Trajectensis episcopus Pipinum Galliæ ducem sedulò instituit, fide propria coram Deo justum victurum, & si non ipsemet pietatem coleret, fidemq; erga Dei præcepta obedientiâ declararet, tum frustra esse monasteriorum fundationes, eiq; suffragia aliorum hominum ne tantillum qvidem profutura.

Idem. Papa Italiam, Pipino eam ab Imperio abalienante, nactus est, & Pipinus Regnum Galliæ: cujus cum tantùm esset à Childerico præfectus ordinatus, à Pontifice percontatus est; utrum is, qvi regni negocia administraret, an is potius, qvi regis nomen haberat, & nec qvicqvam in regno ageret, rex verus esset? Zacharias respondit: illum, qvi regnum administrat, merito regem esse. Hâc igitur Papæ sententia fretus, regnum invasit Pipinus, sicq; invicem Papa & Pipinus alter alterum ad suum fastigium nulla æqvitate evexit.

Ecclesia tum primùm dominatum acqvisivit, & in terrenum regnum abiens degeneravit à Christo rege suo: qvi ita pauper erat, ut, qvò caput declinaret, non haberet. Tunc Ecclesia non erat de hoc mundo, nec gloria ejus inter filios hujus seculi. Nunc autem, cum in mundanis deliciis & divitiis sese implicavit, tota regna sibi mancipavit: nihil aliud fecit, qvam qvòd regnū suum abnegavit, ejusq; & humilitatem & paupertatem pedibus calcavit.

Idem. Ludovicus Pius donavisse fertur Papæ Paschali, vel S. Petro (valdè feliciter piscato) urbem Romam, ac ducatum Spoleti. Præterea insulas Sardiniam, Corsicam, Siciliam: seqvens avi Pipini, & patris Caroli sententiam. Id si verum est: nihil fuerit donatio Constantini: sed hæc Regum Franciæ.

Idem. Anno Dom. 914. Conradus Rex Rom. festum Nativitatis Christi Constantiæ celebrabat apud Salomonem Episcopum ibidem. Mane cum episcopo Arbonam, & deinceps ad Monasterium S. Galli navigabant, die S. Stephani: Salomon etiam ad S. Gallum abbas erat, festum puerorum ibi celebrabant. Conradus fratribus Conventualibus monasterii adscribi adscisciq; petiit, qvod ei libenter concessum erat, ideoq; unumqvemq; fratrem conventualem libra argenti puri donabat.

Idem. Papa Gregorius 9. Romæ ipse contra Imperatorem Fridericum secundum concionabatur, & populum flens admonebat contra atrocem hostem D. Petri: appellabat eum filium diaboli, pollicebatur omnibus contra illum arma sumentibus, remissionem peccatorum, & vitam æternam, ut Romani Cæsarem bello adorirentur: sed in urbem repellebantur, multi cædebantur, & capiebantur, inter qvos multi prælati Friderico sistebantur, qvibus cruces in capite ad cranium usqve penetrantes scindi jussit: Beneventum exussit, & omnibus episcopis & prælatis, qvi ab eo propter anathema desciverant, cuncta bona sua abstulit. Romam rursus properabat, diripiebat, & vastabat monasterium opulentum in monte Cassino: omne aurum & argentum templorum in monetam cudebat, ad solvenda militibus stipendia, Ravennamqve oppugnabat.

Idem. Anno Christi 1325. Basilienses proscripti a Pontifice, qvòd Ludovici Bavari Imp. partes seqverentur, legatum pontificium diratum præconem ex Mariano luco in Rhenum præcipitem dedêre, & eundem natatu evadere conantem, in portu trucidâvêre. Mortuo Ludovico, Carolum 4. in Imp. receperunt; nullis tamen Pontificis minis, ut Ludovicum hæreticum faterentur, adduci potuêre. Sacerdotes cessantes ad sacra peragenda exilii pœna coëgêre.

Idem. Berchtoldus Abbas S. Galli, castris qvàm Cœnobio aptior, monachum ab Eberhardo Episcopo Constantiense in jus vocatum, qvòd scortum palàm in conducticiis ædibus aleret, armis defendere voluit: missoq; fœciali bellum episcopo indixit:

Anno p. 866.

Anno dixit: quod viæ intercessione clariss. virorum sopiri potuit, circa annum Dom. 1246.

Idem. Circa annum 1277. Frater Heimbartus Monachus movit qvædam in religione: sed hoc, qvia contra Papam sine dubio fuit, à Chronographis occultatur.

Idem. Anno Domini 1347. cum Carolus Rex Bohemiæ post obitum Ludovici in Imperatorem electus, Basileam anno seqventi proficisceretur, à civibus Juramentum exacturus, unâ cum episcopo Pabenbergensi, qvi legatus Papæ cives, ubi supplices veniã petierint, ab excommunicatione (qvam propterea, qvòd Imp. Ludovico obedientes adhæserant, incurrerunt) solvendi potestatem habebat. Basilienses ei obviam urbis proceres extra portam salutatum mittunt, significatumq; se hactenus Ludovico obseqventes fuisse, & in posterum facturos erga legitimos Impp. sed hac vice se non intromissuros imperatorem in urbem, priusqvam à Papa absolverentur, & restituerentur ritus, & ceremoniæ Ecclesiæ, &c. Basilienses, hoc modo absolutionem parvo comparaturos se, sperabant.

Legatus Papæ bullam expediens, civibus indicat, reqviri ab ipsis, ut hæresim, qvòd Ludovico faverint, abjiciant, & in gremium Ecclesiæ revertantur, peccata fateantur, etiam jurent, servaturos se Ecclesiæ fidem: item ut credant, Cæsaris non esse Papam exautorare: & qvòd id conari hæreticum sit: nec Cæsari nisi à Papa confirmato obediant: Ludovici viduæ & liberis, usq; dum reconcilientur Ecclesiæ, ne faveant, &c. Cives hac bulla acri percepta, unanimiter responderunt: nolle se intro mittere Cæsarem, nisi priùs absolvantur, absolutionem qvoq; non se petere velle, nedum aliqvam fateri hæresin: qvòd Cæsari fideles fuerint, laudi id sibi ducere potius, & istoc in fidem nihil deliqvisse. Idcircò Papæ mandatum neqvaqvam (inqviunt) capessere volumus.

Ecclesiastici Basilienses civium constantiam audientes, clam illis in proposito perseverando calcar addebant. Tum urbis primores Cæsarem accesserunt, ei gratulabantur, & Conradus à Berenfels Consul ad Legatum, Episcopum Bambergensem accessit inqviens: domine Bambergensis, scito-tote, nos nec credituros, nec fassuros, Cæsarem Ludovicum hæreticum fuisse: & qvē electores, vel potiores eorum nobis Cæsarem nominaverint, illum agnoscemus, licet nunqvam à Papa confirmaretur: contra Imperii jura & leges nihil tentabimus, &c. Sic Basiliensibus constantibus absolutio gratis sine ulla qvoqve confessione & voto communicabatur: Carolus regali pompa exceptus constantiam civium maximoperè cum commendabat.

Idem. Grave certamen inter Franciscanos & Dominicanos multis annis viguit, de conceptu B. Virginis Mariæ, his ex D. Thomæ sententia, cum peccato originali, illis sine peccato conceptam affirmantibus. Vigandus Dominicanus, libello ea de re evulgato, Romam evocatus fuerat. Dominicani miraculis falsis suam opinionem tueri, synodo Vimpinæ habita decrevere. Berna Helvetiorem urbs deligitur, in qva populus simplex facilè decipi, persuasus semel etiam armis, si ita res ferret, conceptam hæresin defendere posset. Ergò qvatuor monachi Prædicatores, qvos Observantes dicunt, negotium suscipiunt, Joannes Vetterus Prior, Franciscus Ullchius Subprior, Doctor Stephanus Bolzorstius Lector, & Henricus Steineccerus.

Franciscus magicis artibus dæmonem evocat, auxilium implorat, se sociosq; illi devovet, sangvine proprio chirographum obsignari a sociis curat. Pacto initio, occasione tantùm facinoris exseqvendi destituebantur. Commodùm adest Joannes Hetzerus Cerciacensis, arte sutor, ætate adolescens, ingenio simplex, religione initiari cupiens: & qvia non vacuis venerat manibus, suscipitur. Hunc noctu terriculamentis qvibusdam ad δεισιδαιμονίαν inducunt: inductum Franciscus sub mortui specie ad liberandum flagellationibus, jejuniis, missis hortatur: disertè verò, ut per octiduum in D. Joannis sacello cruentus sacro interesset, scilicet ad inescandam plebeculam. Manè Hetzerus qvadrumviris nocturnam visionem indicat. Stephanus protinus de pulpito Dominicanorum pietatem extollere, qvorum intercessiones, spretis Franciscanis, manes implorarent.

Octiduo exacto, spiritus, uti convenerat, redit, longam historiam ante actæ vitæ recenset, gratias pro officio agit, se qvippe porrò inter Angelos receptum (ut qvi Parisiensis Sorbonæ Theologus olim fuisset) pro ipso spectante curia cœlesti missam celebraturum, promisit, obnixè interim obsecrans, ut qvod deesset suæ liberationi adderet: reversurum se paulò pòst, & χαριστηρίων loco admiranda revelaturum. Hetzerus gaudens qvadrumviris hæc denunciat. Illi codicillum exhibent qvæstionum, qvas spiritui proponeret, inter qvas & hæ fuere, qvid de anima Alexandri VI. Papæ, qvi Hieronymum Ferrariensem Dominicanum Ferrariæ exurendum curârat, ageretur? Maria Virgo an in peccato originali concepta esset? qvis Dominicæ sectæ Generalis paulò pòst futurus esset? interea stata nocte D. Barbara personata comparet, spiritum Theologi Parisiensis cœlos petiisse, asserit, se vicariam substitutam ei in omnibus affuturam, spondet.

Exhibet ille codicillum cruce signatum, p. 369. qvem Barbara D. Virgini se oblaturam promisit, & loco sacrosancto mirabiliter signatum reposituram. Inventus demum in loculo Eucharistiæ, qvem vocant, qvinq; guttis

tis sanguineis respersus, quos ex latere Christi effluxisse dicebant. Sub matutinas in choro sponte sua cerei lumen concepere, arte Subprioris, & larvata Maria comparens, linteum sangvine filii infectum tradidit, & in pixide similiter cruoris divini particulam, Julio II. Papæ mittendam, qvem ut Ecclesiæ defensorem, sic religionis veræ protectorem contra impietatem Franciscanorum futurum dicebat, & æqvale præmium tandem cum D. Thoma in regno cœlesti accepturum. Abiens dextram miselli acuto clavo transfixit, hoc se stigma illi veræ suæ apparitionis relinqvere, professa.

IVViri potione narcotica sopito reliqva stigmata cauteriis inusserunt, ut & ipsi suum haberent Franciscũ. Magnus interea populi concursus, ut hunc stigmatistam viderent. Monachi certis pharmacis ei modò stuporẽ sic, ut in ecstasi positus videretur, modò furorem immittebant, ut horrendis torsionib. Christi agonem repræsentaret. Stigmata arte qvadam sic sanârant, ut vestigia tantùm rubro tincta colore superessent. Jam cum porrò nocturnis illusionibus miserum dementare pergerent, accidit, ut Prioris vocẽ, Mariam se esse mentientis, agnosceret, & arrepto cultello femur ejus vulneraret. Detecto fuco, Hezerum adeunt monachi, præsentem mortem intentant, in silentio rem totam tegat, eumq; in partes suas amplissimis trahunt promissis: simularet, apparitiones veras fuisse, stigmatũ impressiones divinitus factas, bearet ordinem Dominicanũ Franciscanos Hæreticos damnaret: ita præclarè de religione Christiana meriturum.

Paruit ille aliqvandiu. Ast ubi noctu illos cum scortis potantes deprehendit, & nihil minùs qvàm religionem illis curę esse, vidit, de relinqvendo cœnobio cogitare cœpit, sed ut simplex erat, consiliũ celare non potuit. Illi veneno eum è medio tollere sæpius conati, cum spe frustrati essent, tandem hostiã venenatã per vim ori intrusêre, qvæ vomitu rejecta sangvine manare cœpit. Scabello, cui adhæserat, in ignem projecto, tantus in cœnobio strepitus exortus est, ut de interitu omnes metuerent. Profugit tandem Hezerus, & perfidiam IVvirorum passim detexit. Cõjiciuntur in vincula. Bernenses à Julio II. delegatos judices obtinent episc. Lausanensem, & Cardinalem Sedunensem. Tormentis veritatem edere coacti monachi, horrenda qvædam sunt fassi, & tandẽ ultima die Maii, anno Sal. 1509. publicè exusti, Judicum delegatorum & Octovirorum ad hoc ipsum à magistratu delectorum unanimi sententia.

Iren. Popelin de tribus mundis, & Joan. Lerius Burgundus in hist. Americæ.

JOannes Sebastianus à Cano Hispanus, Dracus Anglus, & Veneti, vel à Gvetaria, ex urbe Cantabr. primi fuerunt, qvi totum circumnavigârunt orbem. Qvod tamẽ Dracus sibi soli tribuit, picto orbis circulo adscriptis verbis: Primus me circumdedisti. Anno

Cassiodorus Renius V. O. & D. in acromatis. 1570.

MAgdalena Crucia, sive de la Cruz, Hispana, Cordubæ primaria Bœticæ urbe, in prima pueritia à parentibus obscuris: incertum, pietatis an paupertatis caussa: in cœnobium D. Claræ detrusa (qvod illa post ex collata stipe de fundamento novum extruxit) dæmonis cujusdam sub Æthiopis specie sese offerentis, miris blanditiis, qvibus ea ætas potissimum capitur, inescata, familiariter illo uti cœpit: severa tamen interminatione interposita, ne qvis mortalium hoc rescisceret. Illa interim, cum dæmonem in colloqvium singulis penè diebus admitteret, supra ætatem sapere, & indolis causa omnibus admirationi cœpit esse, incredibili sanctitatis opinione, qvam morum elegantia vitæq; austeritas effingebant.

Vix dum duodecimum ætatis añum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in solidum possidendæ ansam captans, phaleratis verbis coniugii mentionem iniicit, facileq; adeò ex eius, qvam iam degustaverat, sanctimoniæ successu, simplici & ambitiosæ puellæ persuasit. Dantur manus, fiunt sponsalia, concumbitur deniqve. Dotis loco Magdalena sui corporis usumfructũ, colloqvendo, conversando, concumbendo pollicetur. Æthiops vicissim contrà dotẽ splendidissimã offert: effecturum se, ut Magdalena per 30. & ampliùs años ea sanctimoniæ autoritate per universam Hispaniã frueretur, qva omnes, qvi eo laudis genere unqvã fuêre celebres, vel ęqvaret, vel etiã superaret.

Neq; v. mendax ille spiritus hac in parte falsus videri voluit, ut universæ scilicet Hispaniæ per hanc suam sponsam imponeret. Qvandocunq; furtivis voluptatibus fruerentur, sponsi famulus (nã maiestatis causa famulum qvoq; veterator ille Æthiops sibi adiunxerat) tanqvam Sosia qvidam suppositius, foris in templo & cœnobio Magdalenæ larva assumta, illius vultum, gestus, incessum, cantando, orando, comedendo exactè imitabatur. Si qvando v. secessus illius voluptarii pertæsa hera in publicum prodiret, ne qvid interea temporis ociosè periret, per orbem terrarum vagando, qvæcunq; digna memoratu acciderent, Magdalenæ renunciabat. Sic de Francisci I. Gallorum regis captivitate: sic de Romanæ urbis direptione certior facta, divinitus hæc sibi ab angelo revelata, dictitans, in principum virorum dignationem summã pervenit, & Abbatissæ dignitatem, ultrò cedentib. tantæ sanctimoniæ reliqvis monialibus, maxima totius ordinis Seraphici cum lætitia, qvi, ad se qvoq; (tanqvam ad præceptores & institutores) partem gloriæ huius pertinere, putabant. p. 868.

Anno Miraculis interea clarebat plurimis, sed inanibus atq; ludicris. In solenni pompa festorum dierum ad tres, & amplius cubitos in sublime efferebatur: sæpe etiam imaginē Jesu recens nati manibus gestans, imbre lachrymarum profuso, comam ad talos usq; repente enatam producebat, qvæ sensim evanesceret. Qvotiescunq; monachæ statis diebus communione sacra uterentur, sacrificulo ex dinumeratis priùs diligenter mystici panis orbiculis unus semper deerat, qvem Magdalena (ministerio angelorum acceptum) se in ore habere, palàm ostendebat. Hinc tanta sanctitatis fama ei accrevit: ut Pontifices, Imperatores, reges per literas ejus sese precibus commendarent: atq; adeò Caroli V. uxor Philippum filium iis fasciis, qvas Magdalena suis precibus consecrasset, primùm excipi curavit, & involvi.

Exactis annis ad minus 30. in hoc diabolico conjugio, tandem sub annum Sal. 1546. Dei opt. max. benignitate, nullo suo merito ad se ipsam Magdalena redire, & dæmonem detestari cœpit. Ægerrimè autem ferente Æthiope hanc apostasiam, & multis modis illam vexante, visitatorib. ordinis, qvos vocant, præter omnem expectationem scelus ingenuè aperit, peccatum fatetur, auxilium implorat, carcere includitur. Neq; tamen interea dæmon loco excedere; sed matutinis precibus cum summo monacharum stupore & terrore, sub larva Magdalenæ interesse, sæpè etiam alia obire munia. Monachæ larvatam Abbatissam (qvam per 12. annos pertulerant) abhorrentes, multis vix tandem precibus impetraverunt, ut cognita ex integro causa, Magdalena cœnobio excluderetur, ut sic demum præstigiæ cessarent. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Henricus Efferhen, Theologus.

1570. SCripsit historiam de Gog & Magog, & de origine ac processu regni Mahometici, & qvòd missum sit à Deo in perniciem populi Dei tanqvam flagellum, & non interiturū, nisi cum populus Dei fuerit in ejus manus propter securitatem & scelera sua traditus: venturum autem Turcam cum Persis, Tartaris & aliis circumjacentibus, vaticinatur: & vastaturum Christianorum terras. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Andreas Musculus Theologus.

SCripsit librum de Mesech, Kadar, Gog & Magog: & de magna calamitate ante finē mundi. Item prophetiam Domini nostri Jesu Christi de imminente Germaniæ infortunio. Item considerationes appropinqvantis ultimi judicii, de qvo etiam Andreas Osiander qvædam in lucem emisit. Imp. & Papa ut sup.

Lud. Lavaterus de præsagitionibus mutationes Imperiorum præcedentibus.

HAbet Lavaterus præsagitiones notabiles: sed brevitatis studio tantùm seqventes recensere placuit.

Carnifices referunt, se plerumq; scire nū aliqvis ipsis tradendus sit, qvem supplicio afficiant: gladium n. ipsorum moveri. Sunt qvi dicant, se præscire ipsum genus supplicii, qvo captivi è medio tollendi sunt.

Idem. Fuit mihi notus Parochus qvidam, vir honestus & pius, qvi grassante peste præscivit, si qvis in parochia sua moriturus esset ex peste. Noctu enim supra suum lectum sonitum audivit, ac si qvis saccum frumento plenum ex humeris super tabulatum deponeret: hæc audiens dicebat: Iterum qvidam mihi valedicit. Postqvàm illuxit, interrogavit, qvinam illa nocte obiissent, aut peste correpti essent, ut eos consolaretur & erigeret, prout bonum pastorem decet.

Jonas Philognesais. 157

SCripsit Practicam practicarum, hoc est, certam prædictionem, in multos futuros annos. Ut suprà.

Figuræ antiqvæ mysticæ.

WOrmatiæ, in templo, qvod cathedrale vocant, reperiuntur inter alia magnifica monumenta etiam hæ qvatuor figuræ (qvæ admirandis procul dubio mysteriis non carent) incisæ in lapide: qvas placuit hîc apponere.

Joannes Herburtus de Fulstin. 157

HIc Regni Polonici Senator scribit: veteri Pontificum constituto, novem integris septimanis incolas Poloniæ jejunium servasse: sed ut qvintam partem omnium bonorum Ecclesiasticorum aliqvot annis persolverent, aliqvid de eo remisisse. Imper. & Papa ut sup.

Joannes Wigandus, Corvinus, & Holthuter in Eccl. Historiæ.

INnocentius cōjugium sacerdotibus interdixit: qvod ipsum certissimum argumentum est, ministrum diaboli fuisse, ipsius etiam Pauli Apostoli testimonio. Cumq; in Alsatia qvidam nobiles id impiè factum dicerent, centum eorum per suas creaturas, sangvinarios Episcopos igne combussit. Imp. & Papa ut sup.

Didascus Scravas, Samuel Budina, & alii de rebus Turcicis. 157

AT verò Famagustam, dum nulla affulgeret subsidiorum spes, & hostes urbi vehementer imminerent, extrema necessitate compulsi, tandem his conditionibus se dedunt: ut Venetis salva sit vita, arma, facultates, concedanturq; eis qvinq; machinæ bellicæ, terni pulcherrimi eqvi, & in Cretam usqve tutum iter: Græcis autem liceat manere domi suæ, rebus suis frui, & Christianam colere religionem. Hæc verò omnia se servaturum, confirmavit Mustapha propriæ manus subscriptione. Statim igitur cœperunt militem navibus imponere, &

re, & jam duces qvoq; abire volebant, cum ecce postridie Nonas Augusti Bragadinus scribit Mustaphæ, secum clavibus ad ipsum venturum, & petit ab eo, ne qvicqvam interim molestia afficiatur. Assentit Mustapha, laudat Bragadini virtutem, jubet sine ullo metu eum, qvandocunqve velit, ad se accedere.

Nihil igitur formidans Bragadinus, sub vesperam cum multis nobilibus, & qvinqvaginta gregariis militibus venit ad tentoriam Mustaphæ. Ibi primùm ab illo comiter accipiuntur, & cum eos assidere jussisset, loqvitur cum eis familiariter. Deinde verò objicit Bragadino, sed falsò tamen, qvòd durantibus induciis captivos qvosdã supplicio affecerit: moxq; exiliens stomachabundus, jubet omnibus vinculã injici, atqve ita extra tentorium productos, ipso inspectante, in frusta discindi. Bragadino autem tertiò mandat, ut caput præcidendum porrigat: illiq; constanter porrigenti, aures abscindit: mox in terram eum procumbere jubet, atqve os impurum homo impius & crudelis jactandis in Salvatorem nostrum conviciis & blasphemiis laxat, &, ubinam est, inqvit, modò Christus tuus, ut opem tibi ferat?

Bragadinus tacet ad omnia. Nec enim dignus erat homo perfidus & cruentus carnifex, cui vir tantus vel verbum responderet. Erant tum in hostium castris etiam alii milites, & Christiani plus minus trecenti, nihil sibi à tanta perfidia metuentes. Ii omnes subitò qvoq; necati sunt. Qvi jam naves conscenderant, detenti & spoliati sunt. Incidit hæc horrenda Christianorum cædes in septimum Augusti diem. In arce relictus erat à Bragadino Tiepolus, Eum Mustapha suspendi jussit. Nestor Martinengus Comes, cùm ad paucos dies hinc inde in Græcorum ædibus latuisset, tandem captivum se tradidit Turcæ cuidam, in ejus castris mansit, cum ei pollicitus esset aureos nummos qvingentos.

Decimoseptimo Augusti, qvi Veneris dies erat, & spurcis illis hominibus festus, producunt Bragadinum, præsente semper Mustapha, ad singula loca urbis diruta, cogunt in singulis locis binas ascendendo & descendendo terræ mensuras ferre, deinde cum transiret Mustapham, humum exosculari: mox ad mare eum adducunt, & sedi impositum usq; ad antennas supra malum pertrahunt, ut a Christianis omnibus, qvi adhuc in portu erant, conspiceretur. Inde in forum eum reducunt, & vinctum illic vivũq; non sine immenso cruciatu excoriãt. At ille tantam crudelitatem fert animo invicto, & inter ipsos cruciatus objicit tyranno perfidiam: Deumq; rogat, ut sui misereatur, seq; illi commendat. Ad extremum pellem ejus à corpore detractam carnifices paleis & fœnine farciunt: atq; ad antennas suspensam, per maritima Syriæ loca ludibrii causa circumducunt, omnibusq; ostentant. Anno

Admoneat nos hæc barbarica tyrannis, ut non solùm preces contra eam assiduis gemitibus in vera Christi agnitione, ac pœnitentia nostrórum peccatorum ad Deum fundere discamus, sed & perfidissimæ ac maledictæ sectæ Mahometanæ promissis minimè fidem adhibeamus, tunc fallere conantis, cum credulos invenit, ut præter hoc exemplum, & Julæ in Hungaria, anno 1566. simili fraude doloq; captæ, abundè testatur. Non est autem, cur admodùm mirum nobis videatur, potuisse Turcas, Christiani nominis hostes infestissimos, Cyprum expugnare, cum in Famagustæ obsidione fuerint stipendiis conducti ad 80000. Janicerorum 14000. & sua sponte militantium 60000. simul omnis gens hominũ 200000. Obsessa est Famagusta dieb. sexaginta qvinqve, intra qvos centum & qvadraginta ferrearum pilarum millia in urbem conjecta sunt ex bombardis. Ex tanto verò exercitu ultra 80000. ad Famagustam perierunt. Ad Cypri defensionem relicti sunt à Mustapha peditum 200. eqvitum 2000. Non est dubium, qvin more suo ita communituri sint eam insulam, ut ejus recuperandæ nulla spes relicta videatur.

Ordo Minorum Jesu Mariæ, seu Tertiariorum. p. 875 1571

FRanciscus de Paula Siculus tres Regulas, fratrum sc. & sororum, ac utriusq; sexus fidelium, Tertiariorum nuncupatorum, instituit anno 1571. Et ut fratres ac sorores sui ordinis humilitatem colerent, Minimos & Minimas nominavit. A multis confirmationem acceperunt Pontificibus: ut est apud Surium, Genebrardum & Panvinium. Decem præcepta & verbum Dei author Ordinis fratribus ac sororibus cumprimis laudabiliter commendavit: rara avis. A carnibus & coctis prorsus abstinuerunt. Polyd. Vestitus erat ex crasso lino. Aperto capite, ac pedibus nudis incedebant.

Polydorus exclamat de tot Ordinibus loqvens his verbis: hinc cognoscere licet, inqvit, qvàm conducibile esset, hasce hominum fæces, tanqvam membra Christianæ religionis agnata, conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus divini cultus nitorem, & munditiam diutius conspurcarent. Qvia ergo Polydorus in suo gradu Catholicus fuit, artifici certè in sua arte credendum est. Imper. Max. 2. Papa Pio 5.

Catalogus reliqvorum Ordinum Monasticorũm, de qvibus certò sciri non potest, vel à qvo, aut qvando sint instituti, vel qvo habitu & vestitus genere utantur, ex Hosp.

Anno PRæter hos, qvos huc usqve commemoravimus, Monachorum Ordines, sunt adhuc alii nonnulli, de qvibus tamen certò non constat, vel qvo auctore & tempore sint instituti, vel qvo adeò habitu, seu vestitus genere utantur: propterea vero eos non omittendos, sed hoc loco juxta ordinem alphabeticum enumerandos putavi. Sunt autem hi ferè.

Ambrosiani.

HI super tunicis albis rubeas chlamydes superinduunt: alii à superioribus.

Antoniani.

UTuntur nigro habitu cum Tau cœrulei coloris ante pectus. Antonium illum Ægyptium se imitari, jactitant. Mendicitate sua importuna, contra Antonii exemplum, hominibus sunt molestissimi: ignem Antonii continuò non contribuentibus aliqvid minantur: qvo fit, ut superstitiosi homines singuli singulis annis porcellum, qvi vulgò eis in picturis adpingitur, bene saginatum dent, ut hoc pacto gratiam eorum & preces ad Deum promereantur, tutiq; sint ab illorum diris. Vid. Seb. Franck in Chron. fol. 468.

De Armenia fratres, qvorum meminit Balæus Centuria 4. de Script. Britan. cap. 26. in Appen. in Angliam eos primò venisse ibi indicat Anno Christi 1258.

De Avis Ordo Eqvestris.

Batutini monachi, qvorum mentio fit in Bruto fulmine.

Bonæ voluntatis, seu de Communi vita fratres.

Bursfeldenses sunt de reformatis ordinis Benedictini.

Canonici regulares alii à superioribus, qvi præter scapulare album, tegumen totum colore pro arbitrio utuntur.

p.872. ## Capellanorum Ordo.

UTitur vestitu partim atro, partim cœruleo, partim pullo: cucullionem gestat, qvalem rusticis usui esse in Germania videmus. Franciscus Modius sic de iis canit:

Ordo Capellanus pullumqve atrumqve colorem
Cæruleo miscens, membra tegenda tegat.
Qvo sibi qvid sacra turba velit, si nosse laboras:
Vilis (ait) color est, vilia membra sumus.
Conveniens ergo est habitus spernentibus omnem
Ornatum, blandis aptaq; deliciis, &c.

Asserunt aliqvi, exortum hunc Ordinem anno 1283. Vide Sebast. Franck fol. 480.

Cellarii.

VOcantur ita à cellulis, in qvibus ægris operam dant. Dicuntur etiam Visitationis, seu Charitatis, sive etiam Misericordiæ fratres vel sodales, qvòd morbis affectos visere, mortuosqve efferre soleant. Interiùs linteam vestem atri coloris, exteriùs fuligineam gestant. Hos originem suam falsò ad Apostolica referentes tempora, sæpe ad nihilum propè redactos, alii subinde atqve alii restaurârunt: Franc. Modio auctore, qvi etiam hunc in modum de iis canit:

Cepimus in cellis nomen, qvia semper, in illis
Nostra ægris gnave cura, laborq; vacant.
Qvos adeò haud timidè nostri est accedere amoris,
Ut neqve mors telis nos fuget ipsa suis.
Illa licet regnet per rura, per oppida victrix,
Sternat & infami corpora cuncta lue:
Nos tamen intrepidè morientum claudimus ipsa
Lumina, & hic facili contumulamus humo.

Chalomeriani.

IN horum palliis albis crux item alba signata est.

Clavigeri.

HI originem suam referunt ad D. Petrum: gerunt in nigro cucullione geminas claves, qva tessera significare volunt, se potestatem habere claudendi & aperiendi regnum cœlorum. Seb. Franck in Chron. fol. 480. Incertum est, qvando & à qvo institutus sit hic Ordo, nihil enim de eo, qvod eqvidem sciam, in Sigisberto, Volaterrano, Sabellico, Polydoro Virgilio, aliisq; historiarum auctoribus reperitur. p.873.

Constantinopolitani Milites.

SIc dicti à loco, in qvo Ordo eorum originem sumsit: utuntur veste viridi, & rubra chlamyde, gestantqve in pectore duarum crucium imagines, qvarum una alteri implicita est, qvasqve flavi alii, alii cærulei coloris prædicant. Eadem incertitudo de habitu illorum est: sunt enim, qvi contra qvam modò diximus, chlamydem hanc familiam viridem, interiorem vestitum rubricolorem habuisse, asserant: ut Franciscus Modius testatur.

Cruciferi.

DIscrepant hi à superioribus: incedunt incurvi, aperto ac demisso capite, nudis pedibus, induti chlamyde alba fune accincta, & gestant in manibus parvam ligneam crucem: nunqvam aut raro loqvuntur. Sebast. Franck in Chronic. fol. 479. 6. Franciscus Modius ita de iis canit:

Linea tota pedes vestis nos cingit ad imos,
Quam vili mediam stringere reste juvat.
Terra torus nobis semper, nec nota voluptas
Est plumæ, molles efficit illa viros.
Sed neque, quàm lectum, cura potiore culinam
Instruimus: nimiam fons levat usque sitim.
Deliciis alii media fectentur in aula:
Nobis rura inter sobria vita placet.

Crucis fratres. Nigrò amiciuntur pallio sine cucullo, & crucem ante pectus gestant.

Crucis stellatores. Hi nigra toga & cucullo concolore utuntur, cui est assuta crux stellata. Cruce significant, se carnem suam crucifixisse: stella verò, se cum Christo sepultos esse. Franck lib. 4. Chronici.

Forficenses seu Forficiferi Schärbrüder.

Utuntur pallio & cucullo albo: & pallio qvidem forfex affixa est: qvo insigni videntur indicare velle, se tentationes & affectus pravos carnis qvasi forfice resecasse. Sartores, qvi forfice utuntur, maximè, hunc Ordinem instituisse videntur. Seb. Franck lib. 4. Chron.

Genettæ Ordo Eqvestris institutus à Carolo Martello: Pontus Heuterus lib. 4. Burgundicarum rerum.

S. Gertrudis moniales, qvæ utuntur vestitu atro, & carbaso concolore.

Helenæ fratres.

Hi gloriantur, se ab Helena Constantini M. matre post inventionem Dominicæ crucis institutos sub Sylvestro 1. Rom. Pontifice. donatiq; sunt veste alba, & in ea cruce crocei coloris. Sebast. Franck libr. 4. Chron.

De Hispania fratres cucullam habent omnibus ferè Monachis dissimilem.

Histricis Ordo Eqvestris, sic dictus ab insigni, qvo ornabantur ejus eqvites, institutus à Ludovico Duce Aurelianensi, fratre Regis Galliæ, Carol. 6.

Hospitalarii.

Hi dicunt, se ab Higino Pontifice institutos, qvi primus certis ceremoniis hospitia hinc inde, sive ægris, sive peregrinis. sive deniqve utrisq; extructa, dedicari voluit, præfecto cuiqve uno, qvi ejus Herus seu Magister diceretur, & habitu nigro amiciretur. Franc. Modius. Seb. Franck fol. 481.

D. Jacobi fratres.

Pullo vel grisco vestitu utuntur, cum appensa cochlea. Franck lib. 4. fol. 478. indicat, in Anglia ad Divum Jacobum hunc Ordinem incepisse.

Ignorantiæ Ordo: & hic est omnium vetustissimus, maximusqve.

Joannitæ de civitate.

Anno *

Hi rubeo vestitu per totum utuntur, & in eo ante pectus calicem habent pictum. Seb. Franck f. 479.

Josaphati vallis Ordo à moniali qvadam institutus est: sed incertum, qvando. Utitur veste rubea, nisi qvòd cucullionem Benedictino simillimum gerit. Hic Ordo Judices constituit in causis matrimonialibus, ad qvos confugere solent illæ, qvas pudicitiæ ipsarum expugnatores uxores ducere recusant: Francisco Modio teste, qvi etiam de iis ita canit:

Purpureo qvaqvà membra induccuntur amictu
Qui solis nobis penè tributus honor.
Cumque aliis Monachis vetitum sit vestibus uti,
Commendat rubeus quas ignitive color:
Quod vetitum est aliis Monachis, nobis licet uti:
Gratia que tanti signa favoris habet?
Solis etiam erepto ut dicamus jura pudori,
Luget & nostro fœmina læsa fore.

Josephi Ordo in honorem Josephi putativi patris Christi institutus est. Utitur vestitu cinericio, & cucullione candido: sed qvando cœperit, non magis habeo dicere, qvàm qvo authore cœperit. Sebast. Franck lib. 4. Chron. & Franc. Modius.

De Labanda Milites.

Lazari seu Magdalenæ Ordo.

Qvo anno aut institutore cœperit, ignoratur: illud tamen palàm est, duo in genera eum dividi, qvorum alii vocentur Contemplativi, incedantq; interiùs atri, exteriùs candidi, & utantur communi cibo. Alii Activi, betico colore gaudentes, & solis bulbis, oleribus, aliisqve terrestribus & inemtis victitantes. Franciscus Modius. Stumpfius in Chronicis testatur, insigne Ordinis hujus esse viridem crucem in atro pallio, cum cucullione seu velo capitis, pauca sunt hujus Ordinis monasteria. Felix Schmid in suo Itinerario Hierosolymitano testatur, se in itinere illo longissimo unicum tantùm monasterium hujus Ordinis invenisse. Fuit etiam aliud non procul ab urbe Tigurina, qvod vocârunt das Gfänn.

Livonchlenii, de qvibus præter nomen nihil aliud invenire potui.

S. Mariæ monialium Ordo de decem virtutibus, exortus est nostra memoria, & mira colorum varietate insanit. Habent enim velum nigrum, tunicam albam, scapulare rubeum, cinericiam chlamydem, capelletum, qvod vocant, decies tantummodò repetitæ salutationis angelicæ.

Anno

S. Mariæ novus Ordo.

HUjus asseclæ tunicam gestant albam, & pallium atri coloris, instar Carmelitæ, instituitur anno 1304. Vide Francum fol. 479. Chron.

Mariæ Conceptionis Ordo.

Martyrum fratres. Hi tertio anno administrationis Petri Teukesbury, Minoritarum in Anglia Provincialis Ministri, in Angliam venerunt. Author eorum fuit Martinus qvidam, qvi Parisiis qvasi fatuus nobilium Germanorum fuit, ibi literis operam navantium. Refert ex Thoma Ecklestono Balæus in Append. 2. Centuræ 4. cap. 82. Script. Britan.

Maturini, qvorum fit mentio in Bruto fulmine.

Mensæ orbicularis versatilisqve, seu de Rotunda tabula, eqvestris Ordo, institutus est ab Arthusio Britanno. Pont. Heurerus lib. 4. Burgundicarum rerum.

Pauperes Voluntarii.

DE his vide Franckum fol. 479. b. De illorum institutis ac genere vitæ Franciscus Modius ita canit:

Non ulli studio scelerata pecunia tanto
Qværitur, & census divitiæris opes:
Quanto omnes gazas, irritamenta malorum,
Nostra (nec immeritò) provida cura fugit.
Ingens thesaurus nimirum ultronea nobis
Paupertas, & opes maximæ habere nihil.
De reliqvo magna est nudo pervrura voluptas
Ire pede, & sanctæ huic oscula ferre cruci.

S. Petri de Corbulo Ordo.

S. Petri in Schunbach prope Tubingam Ordo: de qvo Seb. Franck in Chron. fol. 480. & Wil. Bidenbach sub anno 1569.

Purgatorialium Ordo.

NOn ita vetus dicitur, sed nuper adeò exortus, gestatqve in pectorali crucem rubeam. De iis idem Franc. Modius in hunc modum canit:

Candida sint aliis, sint pullave pallia: nobis,
Qvi medius color est inter utrumq;, placet.
Intertexta cui clamat crux rubra colori: (mei.
Este, homines, memores tempus in omne
Hecq́, adeò causa ipsa fuit, purgantibus ultrò
A flammis qvod nos nomen habere juvat.
Purgati ritè hîc, ut non subeamus in ævum
Tartareo ardentes sulphure & igne lacus.

Ordo Rebattinorum Militum.

p. 877. HI ex reliqviis veterum expeditionum in Africa remanserunt, & ob virtutem in honore habiti, uxores duxerunt, & nihil intereunte sobole & disciplina, extra meridianam portam in oppidulo Rebatto, à qvo ipsi Rebattini dicti, templa & domos & familias habent; Jovio authore lib. 33. Historiarum.

Reclusorum sive Inclusorum Ordo, sic dictus, qvòd ejus asseclæ, tam viri qvam mulieres, sese in angustissimas cellulas includant, nec inde per totam reliqvam vitam egrediantur, sic pœnitentiam de peccatis commissis agentes.

S. Ruffi Ordo institutus per Galliam, Germaniam, & Italiam, anno 1100. à qvodam Ruffo: hujus fratres, ut Canonici Regulares, lineo indusio scapulare superinduunt: & cucullionem atri coloris.

Monacha vel Sacerdos libera.

VIvit hæc suo de sumtu, habetq; potestatem nubendi, si velit.

Scalæ Dei Ordo: scripsit ad hos ante annos 300. Arnoldus de Nova villa de mysterio Cymbalorum Ecclesiæ.

Sclavoniani.

DE horum Ordine Franciscus Modius sic cecinit:

Nos qvoqve (qvod paucis fas est) vestimur amictu
Sangvineo, & rubri purpureiq; sumus.
Sclavorum & nomen nobis aptavimus, ipsi
Pandere qvod Christi cœpimus ore fidem.

Ex Scotia fratres.

VIridi amictu per totum utuntur; cujus habitus Franciscus Modius rationem reddens ita canit:

Si viridem in nobis qvis demirare colorem?
Hic, reputa, gratus qvam sit ubiq; color.
Gramine vestiri campos viridante, videmus,
Arboribus virides vere redire comas.
Ergo nos etiam memores, nos graminis instar
Florere, & parva posse perire mora:
Excidat ut nunqvam nobis hoc forte, viorem
In vestitu ipso semper habere juvat.

S. Sophiæ sive Gratiæ Ordo.

HIc albatus magna cruce rubea signat pectus.

Ordo Specularriorum.

SIc à speculo, qvod gestare solenne habet, dictus: interiore vestitu ater est, exteriore candidus; cruce item, sed nigra, pectus muniens; qvo tempore & à qvo inventus, incertum est. Franciscus Modius de habitu illorum sic canit:

A speculis trahimus nomen, gerimusq; per urbes
Pallia, quæ sunt qvam lilia pura magis.
Nupera nec res nos, ut se multi esse fatentur,
Sed potius priscis annumeranda sumus.
Signat crux stomachum nigra, & nos protegit omnes
Adversus Stygii Principis insidias:

Credas

Circulus ejusdem nos admonet usq; coloris,
In se sic longâ cuncta redire die.

Exorti sunt hi Monachi primùm in Italia. Vid. Seb Franck in Chron. fol. 481.

p.879. Ordo Stellatorum.

Duplex hic est: alii enim habent togam nigram cum cucullione concolere: alii pallio (sine cucullione) vel atro vel rubeo indifferentes utuntur: utriqve tamen suis vestibus stellas affixas gestant. Vide Franckum fol. 478. a. & b.

S. Thomæ milites.

Ordo Vespillonum.

Tunica linea utitur, cucullione & pallio atri coloris; mortuos effert.

De viridi valle fratres: eorum meminit Balæus in Appendice Centuriæ 4. cap. 26. ubi dicit, eos primò in Angliam venisse anno Domini 1258.

Valetudinario-servientium Ordo.

Fœmineus est, & atro vestitu utitur.

p.880. Ungaricus eqves.

De hoc Franciscus Mottius ita canit:

Sangvineo tunica est, rubro chlamys inde colore:
Qvas gerere Ungaricæ ex Ordine gaudet eqves.
Insigne est viridis, qvam malunt candidam & atram,
Crux, alii, in lævæ ut parte videre potes.

Ordo Wenceslaitarum.

Hic qvando & à qvo initium habuerit, ab historicis in incerto relinqvitur: illudq; de illis solummodò reperitur, albo eos vestitu incedere: & cucullione ferè ad eam formam, qva sunt tegumenta capitis, qvibus Franciscis mulieribus nobilibus uti mos, Francisco Modio teste.

Zambonitæ, qui & Boni fratres, exoriuntur anno Domini 1190. Vide Seb. Franck in Chron. fol. 471.

Zupfonnæ in Concilio generali Lugdunensi anno 1273. habito abrogantur. Fuit genus sacratarum fœminarum. Inde fortassis nomen hoc habuerunt, qvòd non, ut reliqvæ moniales, comam seu capillos und die Zupffen detonderent, sed juxta morem aliarum mulierum retinerent. Meminit earum Aventinus lib. 7. Annalium.

Hisce sic Ordinibus finem faciemus. Ne autem videamur Fraternitatum, qvæ (juxta Hospinianum) monstrum sunt ex Monachis & laicis, nullam omninò mentionem fecisse; sciat Lector, illas ex eo initium cepisse, qvòd, cum multi devoti seculares habitum & regulam per omnia religionum seu Ordinum Monachorum assumere sæpe non valerent, & tamen participationem & communionem precum, orationum, & meritorum Ordinis alicujus habere summoperè expectarent; tum Societates & Fraternitates instituerint. Extant harum fraternitatū literæ plurimæ. Vidi inter multas unam, qvam Doctiss. Theologus D. Heerbrandus edidit, plenam impietatis & idolomaniæ, ut mirum sit, qvòd nec dum in tanta Evangelii luce illos suarum ineptiarum pudeat. Papistæ originem ad Apostolos rejiciunt, Polydorus ad Romanorum sodalitia: unde Sodales Augustinales ap. Tranqvillum: & Antoniani sodales apud Julium Capitolinum dicuntur. Et olim Arvalium fuisse collegium à Romulo (sic ferè semper Papistæ redolent gentilia) constitutum, illumqve duodecimum fratrem, ex Plinio constat. Anno

Enumerantur ab historicis Fraternitates & S. Annæ, S. Sebastiani, S. Rochi, S. Hubreti, S. Coronæ, S. Bovis. Vestitu utuntur qvidam nigro, qvidam albo. Est & Senis fraternitas Disciplinatorum B. Mariæ Virginis. Surius & Hosp. & alii.

Turca inimicus simul & amicus.

Anno supra sesqvimillesimum septuagesimo primo Turca occupavit Famagustam urbem, & Insulam Cypri: & tamen mansit amicus & confœderatus Venetorū, qvorum imperio Cyprius parebat. V.S. 1572.

Tilemannus Heshusius. p.881.

Hic librum edidit hoc tempore seqventi titulo: sexcenti errores pleni blasphemiis in Deum, qvos Romana Pontificia Ecclesia contra Dei verbum furenter defendit: ut apud eum. 1572.

De Martino Luthero narrat, eum, cum anno 37. ex conventu Schmalcaldico discederet, amicis his verbis valedixisse, impleat vos Deus benedictione sua, & odio Papæ: & D. Pontano Cancellario per ministrum nunciari jussit, se precari ei omnia felicia: & inprimis, ut disceret nosse Papam. Mirantur autem homines, inqvit deinde Heshusius, Politici novum & inusitatum genus salutationis, ac suspicantur, illud ex qvadam animi intemperie, & privato erga Papam odio profectum esse. Sed revera magnus ille vir Lutherus gravissimas habuit voti sui causas: ut magna luce spiritus sancti & singulari zelo pietatis præditus fuit, ita propiùs ille qvàm alii vel Theologi vel Politici adspexit abominanda idola, nefandos errores, & immanem blasphemiarum molem, qvam Papatus circumfert & obtrudit mundo: attentiùs vir ille expendit ineffabilem iram Dei, qvæ permisit Antichristo, tanta vi mendaciorum, tantaq; carnificina conscientiarum grassari in mundo, ut hoc modo contemtus Evangelii puniatur. Hæc ille.

Joannes

Anno 1572.

Joannes Wigandus Theologus in libro de Sacramentariismo, & Joach. Mœrlin. D. de summo mendacio.

AB initio in omnibus Carolstadius cum Luthero sensit, sed cum Lutherus in arce Wartburg occultaretur, propter Imp. & Pontificis proscriptionem, Carolstadius ex ambitione putans, se clarum nomen præ Luthero, de Papatu dejectu atq; destructo adipisci posse, plebe concitata Witebergæ, in imagines impetum facit, & illas ex Ecclesia ejicit & confringit. Sed & Missam ac Jus Civile; dicens, juxta legem Mosaicam in foro apud Christianos jus dicendum, abolet.

Propter hanc causam Lutherus, ne suæ Ecclesiæ deesset, Witebergam rediens, Carolstadium de turbata Ecclesia graviter reprehendit. Statuas primùm ex corde esse removendas, populumq; docendum, sola fide nos placere Deo, statuis nihil profici, hoc modo rectè informatis animis, nullum subesse periculum ampliùs ne qvid noceant: si verò tollendæ sint, id ad Magistratum, non privatos pertinere.

Carolstadius iratus, ne idem qvod Lutherus, sed plus etiam sapere videretur, ut alia via illustre nomen præ Luthero acqvireret, primus litem de Cœna Domini movet, & se conjungit Anabaptistis, & illis, qvi divinas revelationes jactabant, & reformationem Ecclesiæ non solùm verbis, sed etiam armis aggrediendam dicebant. Hac de causa Sax. Princeps illum de finibus suis ejecit. Interim cum Svvenckfeldio etiam clanculũ cõsusurrat, missis literis, qvæ sunt impressæ.

Cœpit ergò solus Lutherus in Saxonia Papæ resistere anno 1517. & totius orbis (sunt verba Sleidani in præfatione) odium ac impetum unus tantùm homo sustinuit. Glacie perfracta à Luthero Zinglius (qvod tamen non nisi toto biennio pòst demum factum fuit, anno 1519.) in Helvetia, lectis libris Lutheri, idem tentavit.

Carolstadius tandem, cum in Saxonia locum nullum haberet, Ministris Anabaptisticis Rotenburgi ad Tuberim se conjungit. Hi cum capitis supplicio afficerentur, & civibus seditiosis oculi eruerentur; eadẽ pœna dignus, ex muro demissus evadit; & ad Helvetios Tigurum profectus est, ubi initiũ faciens, Zinglium & Oecolampadium secũ produxit in aciem. Nam & hi, ne discipuli Lutheri, & omnia à Luthero hausisse viderentur, mera ambitione ducti, omnes tres, ut olim Core, Dathan & Abiron, insurrexerunt contra Moysem servum fidelem Domini, Luthero obstiterunt. Nihil enim Zinglius de cœna ante adventum Carolstadii tentat, sed circa annum 1524. primùm incipit: ut ex Epistola ejus ad Matthæum Albertum Reutlingensem Ecclesiasten scripta apparet. Carolstadius postremò Basileam profectus, ibidem mortuus est.

De obitu ipsius Basilienses ministri scribunt, apparuisse concionanti Carolstadio virum grandẽ, qvi ingressus templum, juxta Consulem steterit, rursumq; egressum, domum Carolstadii intrasse, ubi filium solum domi remanentem, manibus in altum levarit, qvasi in terram illisurus: Sed cum nihil ei damni inferret, saltem hoc jusserit suo parenti renunciare; se post triduum rediturum, & ipsum ablaturum. A concione Carlstadius interrogat Consulem, qvisnam ille grandis vir fuerit, qvi in templo prope ipsum constitisset? At is respondet, se neminem vidisse. Domum itaq; veniens, accepto nuncio, qvod spectrum sibi renunciari jusserat, maximis terroribus correptus, post triduum expirat. Idem & Schlisselburgius, atq; alii plures. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Idem Wigandus de sede Antichristi sub Lutheranismo. Nihil jam disseremus de iis, qvi ut semper habuerunt Antichristi characteres, ita indesinenter eos qvoq; retinent & augent: neq; de illis, qvi palàm & apertè ad Antichristum se rursus contulerunt, abnegata veritate, qvam cognoverant: tantum verò cum gemitu & dolore inspiciamus eos, qvi simul in verâ Dei Ecclesiâ, ab Antichristi sordibus liberatâ, versantur, ac simul homini peccati & filio perditionis non parvam locârunt, vel etiamnum locant operam.

Primùm enim plurimi vigiles, seu doctores in Ecclesiâ Christi, doctrinam de Antichristo ab obitu Lutheri alto silentio sepelierunt, imò penitus obliti sunt. Nam in concionibus, in libris editis Antichristi nullam jam diu fecerunt ampliùs mentionem. p. [illegible] Nõ auditæ sunt illæ voces; exite, fugite, execramini. Sed ô vos dormitantes vigiles, qvi incendio publico patimini omnia absumi! ô negligentes! ô infideles! ô crudeles pastores! ô canes muti! qvi lupo intra oville grassante, pacem & tranqvillitatem somniatis, & ovibus qvoq; vestris Pacem securitatemqve pollicemini! Hac enim oblivione, torpore, & malitiâ vestrâ, Antichristus robur ingens rursum sumsit, viresq; antea prostratas recuperavit, & plurimas oviculas Christi, vestræ fidei commissas, nihil metuentes incautasq; devoravit.

Alii non tantùm obliti sunt revelationis Antichristi, sed insuper etiã in eum rursus pingere, ac cõmendare sunt conati. Hinc illæ voces: utile esse, ut unus aliqvis toti Ecclesiæ dominetur, ad prohibenda schismata & hæreses. Non oppugnandũ esse primatũ Papæ, relinqvendam eminentiã ac dignitatem Episcopis, notis Antichristi Romani insignitis, eiq; diris execrationibus adstrictis: ac optandum esse, ut eis maneat inviolata autoritas. Qvò propiùs Papæ, eò melius. Veram esse doctrinam, bona opera esse ad salutem necessaria. Vocem Sola in propositione; sola fide justificamur: posse omitti in

in ipſa confeſſione. Licitum eſſe, imò rationem veræ pietatis exigere, ut larvas ceremoniarum Antichriſti, non habita ratione, qvòd juſtis de cauſis abrogatæ priùs ſint, recipiant Eccleſiæ Chriſti, etiam ſub pœnâ expulſionis, captivitatis, & aliorum ſuppliciorum. qvi detrectant. Scilicet nihil referre etiamſi ſponſa Chriſti ſit ornata ornamentis Babylonica meretricis. Ratio eſt: qvia hoc pacto redimi poſſit à perſecutoribus pax & ſecuritas: imò, qvia etiam amplæ divitiæ, dignitates, & ſimilia præmia iſto qvaſi aucupio accipiantur.

Inſuper hiſce proximis aliqvot annis plus qvàm Cainico & diabolico odio perſecuti ſunt plurimi doctores Eccleſiæ miſeros illos homines, qvi duriſſimis & periculoſiſſimis temporibus INTERIM vociferati ſunt, exeundum eſſe ab Antichriſto; non ingrediendum aut redeundum ad eum; abjiciendas eſſe ejus notas, non recipiendas: virginitatem ſponſæ Chriſti retinendam, non proſtituendam; Confeſſionē Auguſtanæ exhibitam Imperio Romano conſervandam, non abjiciendam. Hinc adhuc qvidam pro catharmatis ac peſtibus orbis terrarum eos inſectantur, conſpurcant, damnant, & omnium hominum animos atqve gladios adverſus ipſos excitant: qvi docent, peccata cum Antichriſto turpiter commiſſa, agnoſcenda & deprecanda, iramq; Dei & pœnas tantis ſceleribus debitam expiandam, & publicum ſcandalum publicâ pœnitentiâ ſanandum & avertendum eſſe. Alii penitus in omnia qvaſi oculis capti abiverunt, imò etiam excusârunt, defenderunt, propagârunt.

Deinde & multi politici homines variè poſt Lutheri obitum Antichriſti partes egerunt. Nam alii ſimul cum Doctoribus Eccleſiarum in hoc incubuerunt ſummo ſtudio, ut ceſſione in dogmatibus ac ceremoniis aliqva conciliatio iniretur cum Antichriſto, hoc eſt, grege Papiſtico, ne premerentur cruce Chriſti, neve corporalia bona in diſcrimen aliqvod venirent. Ideò qvidam INTERIM craſsè & apertè, qvidam verò aliqvas ejus partes moliti ſunt inſtituere. Exempla non ſunt ignota.

Alii verò Adiaphorici pallii latitudine, altitudine, profunditate freti, etiam auſi ſunt coram ipſâ Beſtiâ Babilonica genu flectere, ei jurare, qvòd Cœna Domini non ſint uſi in utraq; (ut vocatur) ſpecie, ſeu Lutheranorum more; tantùm ut regna hujus mundi & gloriam ejus, ut Matth. 4. extat conſeqverentur: nec pudet dicere, nihilominus veræ ſe doctrinæ Evangelicæ addictiſſimos eſſe. Imò ſi pallia, ſi aliæ dignitates ab Antichriſto ingenti argenti vel auri pondere emtæ ſunt: conſuetudine aliorum ſeſe excuſare, ac peccatum tam tetrum prædicare non verentur. Si ſub alicujus patrocinio Miſſis horrendum in modum crucifigatur Chriſtus; invocentur ſancti; porci Antichriſti ſodomitica ſcelera patrent; & non tantùm domos, ſed civitates, ſed regiones ejuſmodi ſceleribus contaminentur & impleantur, id verò nolunt pro vitio haberi, propter qvod Deus iraſcitur, & puniturus eſt id æternis cruciatibus in inferno, niſi matura ac ſeria agatur pœnitentia. Nec deſunt talibus ſui eruditi paraſiti, qvi omnia excuſent ac tueantur. Anno

Poſt hæc addit hic autor qvædã de Adiaphorici pallii fructibus, de qvibus ap. eum:

Alii Antichriſto portas portulasq; aperiunt, areas purgant & muniũt, ut intra ſuas regiones, intra civitates & mœnia, Monachi, Canonici, ſacrifici, ſua regna cum ſeptem pejoribus cacodæmonibus redeuntes recuperent: boatibus plusqvàm Baaliticis nomine Dei abutantur: ſanctos invocent: Chriſtũ qvi nos pretioſo ſangvine redemit Miſſis & aliis blaſphemiis horribiliter crucifigant: tot inſtituant lupanaria, qvot domos incolunt: polluant Eccleſiam Dei: oves Chriſti mactent: matronas & puellas innumeris artibus circumventas contaminent, & ad mores ſuos etiam vicinos conforment: irã Dei, pœnas & interitum etiam in propinqvo habitantibus accerſant & accumulent, idq; tali opinione, qvòd Antichriſto in ſuo nido libertas ſua ſit reliqvenda: non eſſe tantũ ab ipſo incommodi, ut ſtoici qvidam miniſtri verbi Dei odioſè vociferantur: imò pacem, tranqvillitatẽ, occaſionẽ diteſcendi ex ipſis Antichriſti miniſtris offerri; qvia vino & frumento, ut inq. Pſalmus, abundant. Deum etiã diſpenſaturũ cum illis, qvi bono ſtudio Antichriſti membra fovent, & ad ſcelera eorũ atrociſſima connivent. Eſſe ipſos etiam Baalitas & Sodomitas dominos; nec turbandos, etiamſi oves Chriſti trucident. Reliqvus verò populus ſuorum ducum exempla imitatur, ut nimirum verè dicitur: Scilicet in vulgus manant exempla regentum. Gaudet enim vulgus hominum, ſibi occaſionem contemnendi veram religionem liberè fruendi voluptatibus cum ſponſis illis penelopes, & deniq; emendi ac vendendi opportunitatẽ datam eſſe. Nam uberiores fructus ex grege illo Papiſtico, ignavo, ocioſo, luxu perdito, & omnis generis opibus affluente, ſperant & accipiunt, qvàm ex aliis piis, frugaliter & honeſtè viventibus. Eamq; ob cauſam Antichriſti mancipiis blandiuntur, beneficia expetunt, obſeqvia promittunt, & deniqve contra fratres ſuos, imò & contra Eccleſiæ miniſtros, ac deniq; contra propriam patriam & publicum bonum militant.

Hæc tam ſunt manifeſta, ut nefas ſit negare. p. 883.
Qvid a. omnia portendant: omnes pii facilè agnoſcunt, nempe infinitã apoſtandi & cum Antichriſto ſcortãdi licentiã, ac deniq; ejuſmodi religionũ ac ſententiarũ confuſionẽ, de qva Chriſtus prædixit; ſi filius hominis venerit, putas, cũ fidẽ in terra reperturũ eſſe?

Hiero-

Anno

Hieronymus Connestagius in historia Gallica, & Meteranus in Annal. Belgicis.

DEscribit ille vitam, mores, res gestas, virtutes & vitia Albani Ducis: Hic autem, qvaliter turbato Belgico in Hispaniam redire cupiens, regale trophæum priùs sibi erexerit. Abitum verò parans, inqvit Meteranus, ad perpetuam rei memoriam, in medio castri, qvod Antvverpiæ exædificârat, trophæum, statuam scilicet æneam supra stylobatam lapidis cœrulei, adscensu duorum aut trium graduum, sibi erigi curat: hæc autem artificiosissimè facta, conflataq; fuit à Jongelingho, ex æneis aliqvot tormentis, Ludovico Comiti, prælio Jeminghensi in Frisia ereptis: longitudine & forma Albano persimilis.

Stabat hic fusilis Dux prorsus armatus ac cataphractus, capite nudo, brachio dextro versus urbem Antvverpiam extenso, tanqvā reconciliator, ostendens innuensq;, se omnia superasse ac devicisse. Statuæ duæ æneæ sub pedibus prostratæ designabant (Aria Montano interprete) Belgii duos Ordines, Nobilitatem videlicet & populum, sive civitates, Ecclesiasticis integris servatis: habebant duæ hæ statuæ brachia plurima, tenebantq; manibus supplices libellos, crumenas, malleos, fractas secures, & faces, qvibus omnia, qvæ demoliti fuerant, designabantur: pendebant ab auriculis scutellæ geusiorum sive mendicorum, & à collo pera, unde serpentes & colubri prorepebant: aderant & larvæ, qvibus falsitas, malitia, avaritia & mendicitas notabantur. Anteriori stylobatæ lapideæ parti insculptum fuit: *Ferdinando Alvarez à Toledo, Albæ Duci, Philippi 2. Hispaniarum apud Belgas Præfecto; quod extincta seditione, Rebellibus pulsis, Religione procurata, Justitia culta, provinciis pacem firmârit, Regis optimi ministro fidelissimo positum.*

A dextro stylobatæ latere opilio placidè cum ovibus ad pascua tendit, lupi & leones fugiunt, bubones vespertilionesq; avolant, aurora surgente, malaq; suo fulgore discutient: cum inscriptione; ἀλεξίκακος ἠώς, Aurora averruncans mala: huic autem Auroræ Albanus seipsum comparabat: à sinistro ara & thymiama hac inscriptione: *Deo Patrum nostrorum*: inferiùs *Pietas*: his addita trophæa, victoriæ signa, arma instrumentaq; bellica.

Erant autem hujusmodi simulacra duo: qvorum alterum, qvod in Hispaniam mittere statuerat Albanus, tertio aut qvarto post anno, Commendatore majore Belgium gubernante, amotum fuit.

Horrenda gloria ejusdem Albani.

AD aucupandam Papistarum gratiam, Albanus sæpe gloriabatur in conviviis, maxima se pro Papatu, & optimè gessisse. Nam intra sexennium hoc imperii sui, in Belgio interemtos esse ad 18000, tantùm carnificis manu, exceptis iis, qvos acies bellica devorasset: item, plus qvàm octo donnas auri per ipsum rediisse in ærarium Regis ex confiscatione fortunarum Lutheranorum: & sic crevisse Regis redditus. Item, se, cum vidisset, Belgas nimis esse divites, & potentia valdè auctos, ab eis exegisse decimum qvenq; de bonis suis nummum: vicesimumq; devenditis mobilibus: centesimum autem de immobilibus: & de universa summa tantùm centesimum nummum, annuatim fecisse ad 1200000. i. auri donnas. Idem oppidanos & alios, qvibus interdum vitæ salutem pollicebatur, qvò se dederent, perire sinebat fame, dicens; *se vitam, non victum debere eis.* Item Infantes Reformatorum rebaptizari jussit. Meteranus Imper. 119. Max. itidem. 2. Pp. 233, Pio 5.

DISCURSUS DE FUTURA & sperata victoria contra Turcam sacris Prophetis, aliisq; vaticiniis, prodigiis, & prognosticis depromtus, ac noviter in lucem datus per Johannem Baptistam Nazarum Brixiensem, lingva Italica, typis Venetianis Sigismundi Bordognæ; Latinè redditus per Theosophiæ studiosum qvendam virum.

p. 884 1572.

Unio conspirat sancta, incursura colubrum.

Ad Magnificam & Inclytam urbem Brixiam NUNCUPATORIA.

FEliciorem constellationem & influxum cœlestem nec habere potuisti, nec etiam desiderare (honorata & magnifica urbs, patria mea dilecta) qvàm illum, qvi, merito bonitatis divinæ, nunc tibi favet, teqve regit: concessis tibi uno eodemq; tempore, vigilantiâ tam pii & clementissimi pastoris, patrisqve spiritualis, Reverendissimi Episcopi Dominici Bolani: & recta sapientissimaqve gubernatione duorum Illustrissimorum Clarissimorumqve Rectorum, Antonii Bragadini Prætoris, Danielis Foscarini Capitanei; qvi, ut Patroni & domini humanissimi, imò potiùs ut boni benevoliqve patres, semper tibi faciles ac supra modum benigni fuerunt; qvemadmodum & integritate sapientiaqve prudentissimorum deputatorum Syndicorum, & Consiliariorum, ad nominis tui

Anno tui celebritatem illustrandam extollendamqve promtissimorum: nec non Dn. Carolo Duce, militum præfecto, similiter à te electo, viro religionis & Christiani zeli, cum magnanimitate ac fortitudine copulati, pleno, unà cum exercitatis Centurionibus, militibus, civibus ac popularibus tuis: ut cum majore securitate ac confidentia te in debito Illustrissimis nostris dominis servitio eò alacriorem gereres: idqve cum æterna fidelitatis tuæ laude, famaqve nominis illorum immortali.

Unde & ego me, qvoad licet, fidelem benevolumq; civem exhibiturus, præsentem collegi discursum, ac sub tuo felici nomine imprimi curavi: qvò, destinata contra perfidum Tyrannum victoria qvasi præmonstrata, unusqvisq; animo ac spe certæ indubitatæq; victoriæ erigi posset, viribusq; invicem ac fortitudine cum magnanimitate conjunctis, magno cum totius Christianitatis triumpho honorificus victoriosusq; seqveretur effectus. Primo die Maji, anno 1570.

Fidelissimus tuus Civis

Johannes Baptista Nazarus.

Cur ad tantam majestatem pervenerit Turca, secundum sacros Prophetas, Esaiam, Michæam, Habacuc, & alios, &c.

TAntum creverat iniqvitas inter majores nostros, imò tantus erat eorum fastus, superbia, iniqvitas, & impietas, ut ad divinam perveniens majestatem, eam ad iram commoverit: unde volens (ut æqvum erat) punire dicta peccata iniqvitatis patrum in filiis, in tertiam & qvartam generationem, dixit per os Oseæ prophetæ cap. 4. Audite, filii Israël, vocem Domini, qvòd judicium est Domino cum habitantibus terram. Proinde eventus docuit, qvòd cœtus Christianus jam olim, ferè 838. annis primum flagello Saracenorum, deinde Mahumetica persecutione iram Domini passus est.

Qvamobrem dici potest illud apud Michæam cap. 6. Audite montes, ac fortia terræ fundamenta, judicium Domini, qvia judicium est Domino cum populo suo: qvandoqvidem Mahumetici in hunc usqve diem, ac Selim Sultan, ultimus (ut ego spero) Turcarum Imperator, manibus Christianorum eripuerunt Bithyniam, Cappadociam, Lyciam, Armeniam majorem & minorem, Cariam, Lydiam, Paphlagoniam, Phrygiam, Pontum, Pamphiliam, Galatiam, & in summa minorem Asiam universam [Turciam dictam] & cum Babylonia Æthiopiam. Adhæc perfidus iste Tyrannus, transmisso mari, Europam ingressus, adeoqve Achajâ, Atticâ, totâ Thraciâ cum imperio Constantinopolitano, Beotia, Ætolia, Peloponneso, Morea, Epiro, Macedonia, Albania potitus, superatoqve Bulgariæ, Bosniæ, Serviæ, Russiæ, Rhodi, Nigropontis, Belgradi, totiusqve ferè Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Poloniæ, Ungariæ, & Syriæ regnis; nec dum imperii satur, cuperet insuper Germaniam, Italiam, Galliam, & Hispaniam invadere.

Et in hunc modum perfidus iste eò devenit potentiæ, ut; reliqvis Christianis insolenter minitando, se faciat appellari Imperatorem Imperatorum, Regem Regum, dominum dominorum, & dominum Paradysi terrestris, atqve Hierosolymæ, Principem principum, & subjugatorem Tartariæ, Persiæ, Indiarum, & magni Cairi: ut insignis profectò fuerit ira Domini adversus miseros nos Christianos, qvi permisit, ut Turca tot Episcopatus, totqve Ecclesias è manibus Christianorum extorserit, &, qvod majoris est momenti, ipsam qvoqve Terram sanctam, ubi Christus sacrosanctum suum effudit sanguinem. Et hoc qvidem aliunde non potest proficisci, qvàm qvòd Christiani non timuêre Deum, ut Samuel dicit 1. Regum 10. Et vos hodie contemsistis Deum vestrum, qvi vos liberat ab omnibus malis. Et paulò pòst; contemsêre, inqvit, eum, neqve afferunt ei donaria. David in 7. Psal. Si vos non converteritis, neq; observaveritis ejus præcepta, jam evaginavit gladium, & intendit arcum, &c. p. 115.

Qvo significatur, qvod propter enormia Christianorum peccata missus sit Turca, qvem assimilare, imò nuncupare possumus Assur, de qvo dixit Dominus per Esaiam cap. 10. O Assur, virga furoris mei, & illa ipsa virga, &c. Pergit Dominus per Hierem. cap. 5. Ecce ego adducam supra vos gentem longinqvam, gentem robustam, gentem antiqvam, &c. Et iterum pergit Dominus, dicendo per Habacuc cap. 1. Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, &c.

Nec absurdum est, dicere; qvòd per Satanæ à catenis liberationem, post mille annos ab Angelo factam, intelligi possit Ottomannorum Mahometicorum adventus. Unde Johannes 20. Apoc. dicit: qvòd Angelus ligaverit Satanam ad mille annus, ne fideles perturbaret, & hoc factum est sub Constantino (ut multi periti ac docti viri opinantur) circa trecentesimum scilicet & vigesimum annum, qvi majorem seditiosorum populorum perversarumqve gentium partem in statum satis tolerabilem redegit: unde

Anno unde exacto pòst millenario, ecce per Angelum, hoc est, voluntatem divinam, aliqvo temporis spacio revinctus sit Satanas, & hoc contigit circa 1300. cum eruptione familiæ Ottomannicæ, nimirum ab Ottomanno Tartaro: qvod qvidem per exiguum tempus durabit, & postea Satanas denuò profligabitur. Unde beati illi prædicandi, qvi patienter hactenus tulére Mahometicam istam ac Ottomannicam persecutionem, cùm dicat sacra scriptura: Beati, qvi persecutionem patiuntur.

De Ottomannica hac Fidelium persecutione, ejusq; præfixo qvasi termino vaticinatus est Daniel cap. 12. dicendo (juxta genuinam hebraïcam expositionem) Beatus, qvi expectat, & pervenit usq; ad dies mille, trecentos, triginta qvinqve. Qvòd autem hic dierum numerus de tempore adventus Ottomannorum intelligi debeat, resolutio (meo qvidem judicio) hunc in modum fiet.

Sermonem habens hoc loco Daniel de eorum beatitudine, qvi ad dies pervenient 1335. stante eo, qvòd tum affligentur Christiani, tria circa hoc dictum veniunt consideranda; primò dierum numerus, secundò eorum qvalitas, tertiò eorum principium. Ad primum propositum dico, antiqvos interpretes diem pro anno accipere consuevisse, atqve etiam pro mille annis: adeò ut per dies 1335. totidem annos intelligere oporteat. Ad secundùm, loqvendo de dierum ejusmodi, aut annorum per dies istos intellectorum qvalitate, utrùm solares intelligendi sint, vel lunares anni: dico [cùm Propheta hoc in loco de eorum, qvi ad tempus illorum dierum sunt perventuri, beatitudine agat] intelligendos esse solares: qvandoqvidem anni bonis eventibus præfixi solares erant, lunares autem infaustis.

Unde videmus (secundum intrepretationem è primo geneseōs depromtam) diluvium fieri debuisse in fine ætatis secundæ, nimirùm anno mundi 1714. solari: qvòd tamen contigit anno 1658. Unde conjecturam capio, Deum annos malorum ac sceleratorum illorum lunaribus dimensum. Anni autem solares conspiciuntur in data lege, cujus promulgatio in vigesima generatione promissa erat, sicqve anno solari 2448. in vigesima generatione lata fuit: utpote cùm boni augmentum subesset.

Tertiò, qvoad dierum illorum, annorum vé principium, dici potest, inchoandam esse numerationem ab annis Filii Dei. Siqvidem in annum 1300. perfidi illius Draconis Ottomanni incidit adventus: & postea anno 1336. Amurathes familiæ Ottomannicæ dutum illud flagellum incepit, ac indies incrementum suscepit adeò, ut statuere hinc liceat, non procul abesse Ottomannicorum finem, & adimplenda, ut infrà dicam, vaticinia. Et tantum est, qvod apud sacros reperi Prophetas: nunc ad alias prophetias & vaticinia accedamus. Anno

De Potentia Turcarum, eorumq; adventu, secundum alias Prophetias & vaticinia.

QVemadmodum Johannes Echio Turcarum adventum comparavit Assur: sic illi etiam filiis Ismaël comparati leguntur. Proinde in prophetica qvadam ex Hebræo in latinum à Bemechobo Paterensi Episcopo facta translatione scribitur: exiêre primitus filii Ismaël de eremo ad confligendum, & intravêre (Domino sic volente) in Regna ac provincias, eratqve exercitus eorum numerosissimus; & cœperunt expugnare terram Orientalem, ac vastare Meridionalem, structisqve ibi navibus, ad occidentem usqve prope Romam pervenerunt, dominatiqve sunt provinciis, factis ex semetipsis qvatuor principibus, videlicet Oreb, Zeb, Zibee, & Salmana. Postea verò, cùm Ismaëlitici isti filios invasissent Israël, percussit eos Dominus, deditqve in manus Gedeonis Hebræi, filii Johar; qvi, ingenti eorum numero occiso, Ismaëlitas usqve in patriam eorum ferro & igne persecutus est. Fieri etiam potest, ut denuò id fiat, destruaturqve Terra, & filii Ismaël eam ab Orientali plaga ad Occidentalem usqve, & à meridionali ad usqve septentrionalem possideant; sitqve jugum eorum grave super collo gentium; neqve gens ulla regnumvé fiet, qvod obstare iis valeat, usqve ad certum qvendam terminum, tuncqve à Christianis superabuntur. Proinde denuò (inqvit Bemechobus) ex eremo suscitabatur filii Ismaël, & hoc fiet in sexto Mundi millenario, & adventus eorum citra modum misericordiamqvé omnem erit acerbus, dabitqve Deus in manus eorum omnia regna gentium, propter peccata, qvæ contra divina committuntur præcepta.

Qvamobrem tradet nos Deus in manus Barbarorum, & Saracenorum; & Persia cum Cappadocia ad captivitatem ac internecionem, Syria in solitudinem, ejusqve populus in servitutem redigetur; Cilicia gladio peribit; Græcia cum Africa perimetur; Ægyptii, Orientales, & Asiatici grave tributum pendent; Hispania, Gallai, Germania & Apothania crebris bellis qvasi devorabuntur; Romani occidentur, & vertentur in fugam; adeòqve filii Ismaël cum *introitu suo* Septentrionem, Ortum, Meridiem,

&c Oc-

Anno & Occasum obtinebunt; omnes gentes sub jugo & tributo erunt; omnibus divitum, sacrorumqve templorum ornamentis, auro & argento potientur. Tunc ingens vigebit tribulatio, & transitus Saracenorum erit ab uno mari usqve ad alterum; eruntqve regiones impervix, & via illorum via nominabitur angoris, &c.

Sanè statui potest, qvòd, qvantum in hoc continetur vaticinio, sit adimpletum: siqvidem non dicat, Italiam ab Ismaëlitis, hoc est, Turcis fore subjugatam; sed Romani, inqvit, occidentur, & in fugam vertentur universi: qvod qvidem, meo judicio, dici potest accidisse, in tot ac tantis direptionibus superiori tempore in iis ac circumvicinis locis à dictis Canibus, magna cum animarum jactura perpetratis. Cùm itaqve nil aliud restet, qvàm Italia, qvæ non est in potestate Turcarum, fueritqve Hispania novis seditionibus, Gallia pravis Hæreticorum sectarumqve diabolicarum tumultibus, & Germania per Ungariam aliasqve discordias afflicta; finem Turcarum ajo esse vicinum, nisi tamen Deus adhuc vehementiùs Germanos per Agarenos affligere velit, qvi creduntur sanguinis esse Turcici, nimirum de Agar matre Ismaëlis.

Unde in hanc sententiam Reynhardus Lolhardus in sua revelatione dixit: hæres veniet de Doglioso (qvid vocabulum hoc Doglioso sibi velit, obscurum est, nisi dolorificum aut dolore plenum significet, atqve ita de truculento Tyranno intelligatur. Nam doglia idem est Italis, qvod dolor Latinis) qvi de stirpe sacra se generatum gloriantur, sed originem habet ab Agar, & successores ejus nominati sunt Agareni; hi vivendo de rapto, rabidarum bestiarum instar, Christianos septentrionales & occidentales invadent.

Et proinde inqvit sanctus Methodius: eveniet etiam, ut aliqvando Agareni in Germaniæ parte congregati egrediantur è deserto, & in parte Terræ Lunæ omnem obtinebunt terram, & via eorum nuncupabitur Agarena. Qvandoqvidem urbes & regna subvertent, & sacerdotes in templis occident, & cum mulieribus in illis dormient, & ex sacris vasis bibent, & eqvos suos divinis Sanctorum sepulchris alligabunt: id qvod Christianorum tum temporis faciet iniqvitas. Postea Agareni isti ad aureum pomum Agrippinæ hoc est, Coloniæ ferro compellentur, nullo Christianorum principum illis resistente, excepto Hispaniarum Rege, qvi solus successorem di Doglioso occidet.

Qvare dicendum est, (ut sentit Claromontanus cap. 26.) qvòd nisi septentrionales Christiani principes cum magna concordabunt Aqvila, sed bella, odia & intestinas inter se discordias accendent, hæres di Doglioso XV. Turcarum ramus veniet, subvertetqve Poloniam, Misniam, Thuringiam, Pruthenam, ingredieturqve Picardiam, Barbantiam, & Flandriam, perimeturqve ad Pomum, ut Juvenis Anglicus scribit, aureum. Qva de causa jamdudum Christiani principes concitatas inter se tantas rixas deponere, unanimiterqve in sacrum foedus coire, non minus ac reliqva omnis Christianorm turba, debebant, relicta sua illa peccatis implicita vita, bonam & honestam vitæ rationem amplectentes. Anno

Repurgatis hunc in modum à sinistris suis (si qvi tales habent) animis Principum cordibus, perversisqve subditorum vitiis, certus sum de suprà dicto Agarenorum adventu per Dominum abrumpendo, qvi nobis interim ferventes preces, syncæram confessionem, ac commissorum delictorum pænitentiam præstantibus, nos exaudiet adeò, ut, sumtis contra immanem Draconem (qvi Cyprum, Italiam, omnesqve Christianitatis reliqvias se absorpturum, minatur) armis, deprædicatam tanto jam olim tempore concessurus sit victoriam: qvam sane mox benignus ille Deus, ut infrà dicam, (dummodò nobis ipsi non desimus) vult concedere.

De futura & sperata contra Turcam victoria, secundum sacras Hieremiæ, Danielis, Ezechielis, aliorumq; Prophetias. p. 11.

POsteaqvàm superiùs causam ostendi, ob qvam Turca ad tantam pervenit potentiam, operæ precium nunc videtur, è sacro Prophetarum textu (qvantum qvidem per ingenii vires licebit) demonstrare, qvòd brevi tempore magna perfido huic Tyranno immineat calamitas adeò, ut ira Dei, qvæ tanto tempore in nos sæviebat, nunc ad in iniqvum illum serpentem sit convertenda. Qva de causa ardentissimis orationibus omnium fidelium coetus Deo partim gratias agere, partim preces fundere debet, ut ille nobis suam largiri gratiam dignetur, qvò peccatores à sceleribus suis abstineant, infirmi fortes evadant, ac pusilla nimes resumant animum.

Et hoc qvidem, ut sacer adimpleri textus incipiat, cujus tractationem nunc inchoaturus dico; qvòd, adversario nostro, virulenti serpentis, iracundi ursi, animosi apri, velocis pardi, crudelis crocodili, & voracis lupi speciem gerente, &, dum illi arma, eqvi, milites, pecunia, victualia & Instrumenta bellica non desunt, animum tantis trophæis, spoliis & succes-

Anno dixit: qvod vix intercessione clariss. virorum sopiri potuit, circa annum Dom. 1246.

Idem. Circa annum. 1277. Frater Heimbartus Monachus movit qvædam in religione: sed hoc, qvia contra Papam sine dubio fuit, à Chronographis occultatur.

Idem. Anno Domini 1347. cum Carolus Rex Bohemiæ post obitum Ludovici in Imperatorem electus, Basileam anno seqventi proficisceretur, à civibus Juramentum exacturus, unà cum episcopo Pabenbergensi, qvi legatus Papæ cives, ubi supplices veniã petierint, ab excommunicatione (qvam propterea, qvòd Imp. Ludovico obedientes adhæserant, incurrerunt) solvendi potestatem habebat. Basilienses ei obviam urbis proceres extra portam salutatum mittunt, significatumq; se hactenus Ludovico obseqventes fuisse, & in posterum facturos erga legitimos Impp. sed hac vice se non intromissuros imperatorem in urbem, priusqvam à Papa absolverentur, & restituerentur ritus, & ceremoniæ Ecclesiæ, &c. Basilienses, hoc modo absolutionem parvo comparaturos se, sperabant.

Legatus Papæ bullam expediens, civibus indicat, reqviri ab ipsis, ut hæresim, qvòd Ludovico faverint, abjiciant, & in gremium Ecclesiæ revertantur, peccata fateantur, etiam jurent, servaturos se Ecclesiæ fidem: item ut credant, Cæsaris non esse Papam exautorate: & qvòd id conari hæreticum sit: nec Cæsari nisi à Papa confirmato obediant: Ludovici viduæ & liberis, usq; dum reconcilientur Ecclesiæ, ne faveant, &c. Cives hac bulla acri percepta, unanimiter responderunt: nolle se intro mittere Cæsarem, nisi priùs absolvantur, absolutionem qvoq; non se petere velle, nedum aliqvam fateri hæresin: qvòd Cæsari fideles fuerint, laudi id sibi ducere potius, & istoc in fidem nihil deliqvisse. Idcircò Papæ mandatum neqvaqvam (inqviunt) capessere volumus.

Ecclesiastici Basilienses civium constantiam audientes, clam illis in proposito perseverando calcar addebant. Tum urbis primores Cæsarem accesserunt, ei gratulabantur, & Conradus à Berenfels Consul ad Legatum, Episcopum Bambergensem accessit inqviens: domine Bambergensis, scito certe, nos nec credituros, nec fassuros, Cæsarem Ludovicum hæreticum fuisse: & qvẽ electores, vel potiores eorum nobis Cæsarem nominaverint, illum agnoscemus, licet nunqvam à Papa confirmaretur: contra Imperii jura & leges nihil tentabimus, &c. Sic Basiliensibus constantibus absolutio gratis sine ulla qvoqve confessione & voto communicabatur: Carolus regali pompa exceptus constantiam civium maximoperè cum commendabat.

Idem. Grave certamen inter Franciscanos & Dominicanos multis annis viguit, de conceptu B. Virginis Mariæ, his ex D. Thomæ sententia, cum peccato originali, illis sine peccato conceptam affirmantibus. Vigandus Dominicanus libello ea de re evulgato, Romam evocatus fuerat. Dominicani miraculis falsis suam opinionem tueri, synodo Vimpæ habita decreverε. Berna Helvetiorem urbs deligitur, in qva populus simplex facilè decipi, persuasus semel etiam armis, si ita res ferret, conceptam hæresin defendere posset. Ergo qvatuor monachi Prædicatores, qvos Observantes dicunt, negotium suscipiunt, Joannes Vetterus Prior, Franciscus Ulschius Subprior, Doctor Stephanus Bolzorffius Lector, & Henricus Steineccerus.

Franciscus magicis artibus dæmonem evocat, auxilium implorat, se sociosq; illi devovet, sangvine proprio chirographum obsignari à sociis curat. Pacto initio, occasione tantùm facinoris exseqvendi destituebantur. Commodum adest Joannes Hetzerus Cerciacensis, arte sutor, ætate adolescens, ingenio simplex, religione imbui cupiens: & qvia non vacuis venerat manibus, suscipitur. Hunc noctu terricusamentis qvibusdam ad δαιμονομανίαν inducunt: inductum Franciscus sub mortui specie ad specie ad liberandum flagellationibus, jejuniis, missis hortatur: disertè verò, ut per octiduum in D. Joannis sacello cruentus sacro interesset, scilicet ad inescandam plebeculam. Manè Hetzerus qvadrumviris nocturnam visionem indicat. Stephanus protinus de pulpito Dominicanorum pietatem extollere, qvorum intercessiones, spretis Franciscanis, manes implorarent.

Octiduo exacto, spiritus, uti convenerat, redit, longam historiam ante actæ vitæ recenset, gratias pro officio agit, se qvoqve porrò inter Angelos receptum (ut qvi Parisiensis Sorbonæ Theologus olim fuisset) pro ipso spectante curia cœlesti missam celebraturum, promisit: obnixè interim obsecrans, ut qvod deesset suæ liberationi, adderet: reversurum se paulò pòst, & [illegible] loco admiranda revelaturum. Hetzerus gaudens qvadrumviris hæc denunciat. Illi codicillum exhibent qvæstionum, qvas spiritui proponeret, inter qvas & hæ fuere, qvid de anima Alexandri VI. Papæ, qvi Hieronymum Ferrariensem Dominicanum Ferrariæ exurendum curárat, ageretur? Maria Virgo an in peccato originali concepta esset? qvis Dominicæ sectæ Generalis paulò pòst futurus esset? interea stata nocte D. Barbara personata comparet, spiritum Theologi Parisiensis cœlos petiisse, asserit, se vicariam substitutam ei in omnibus affuturam, spondet.

Exhibet ille codicillum cruce signatum, p. 947. qvem Barbara D. Virgini se oblaturam promisit, & loco sacrosancto mirabiliter signatum reposituram. Inventus demum in loculo Eucharistiæ, qvem vocant, qvinq; gut-

tis

tis sangvineis respersus, qvos ex latere Christi effluxisse dicebant. Sub matutinas in choro sponte sua cerei lumen concepere, arte Subprioris, & larvata Maria comparens, linteum sangvine filii infectum tradidit, & in pixide similiter cruoris divini particulam, Julio II. Papæ mittendam, qvem ut Ecclesiæ defensorem, sic religionis veræ protectorem contra impietatem Franciscanorum futurum dicebat, & æqvale præmium tandem cum D. Thoma in regno cœlesti accepturum. Abiens dextram miselli acuto clavo transfixit, hoc se stigma illi veræ suæ apparitionis relinqvere, professa.

IV Viri potione narcotica sopito reliqva stigmata cauteriis inusserunt, ut & ipsi suum haberent Franciscū. Magnus interea populi concursus, ut hunc stigmatistam viderent. Monachi certis pharmacis ei modò stuporē sic, ut in ecstasi positus videretur, modò furorem immittebant, ut horrendis torsionib. Christi agonem repræsentaret. Stigmata arte qvadam sic sanârant, ut vestigia tantùm rubro tincta colore superessent. Jam cum porrò nocturnis illusionibus miserum dementare pergerent, accidit, ut Prioris vocē, Mariam se esse mentientis, agnosceret, & arrepto cultello femur ejus vulneraret. Detecto fuco, Hezerum adeunt monachi, præsentem mortem intentant, in silentio rem totam tegat, eumq; in partes suas amplissimis trahunt promissis: simularet, apparitiones veras fuisse, stigmatū impressiones divinitus factas, bearet ordinem Dominicanū Franciscanos Hæreticos damnaret: ita præclarè de religione Christiana meriturum.

Paruit ille aliqvandiu. Ast ubi noctu illos cum scortis potantes deprehendit, & nihil minùs qvàm religionem illis curę esse, vidit, de relinqvendo cœnobio cogitare cœpit, sed uti simplex erat, consiliū celare non potuit. Illi veneno eum è medio tollere sæpius conati, cum spe frustrati essent, tandem hostiā venenatā per vim ori intrusêre, qvæ vomitu rejecta sangvine manare cœpit, Scabello, cui adhæserat, in ignem projecto, tantus in cœnobio strepitus exortus est, ut de interitu omnes metuerent. Profugit tandem Hezerus, & perfidiam IV virorum passim detexit. Cōjiciuntur in vincula. Bernenses à Julio II. delegatos judices obtinent episc. Lausanensem, & Cardinalem Sedunensem. Tormentis veritatem edere coacti monachi, horrenda qvædam sunt fassi, & tandē ultima die Maii, anno Sal. 1509. publicè exusti, Judicum delegatorum & Octovirorum ad hoc ipsum à magistratu delectorum unanimi sententia.

Iren. Popelin de tribus mundis, & Joan. Lerius Burgundus in hist. Americæ.

JOannes Sebastianus à Cano Hispanus, Dracus Anglus, & Veneti, vel à Gvetaria, urbe Cantabr. primi fuerunt, qvi totum circumnavigârunt orbem. Qvod tamē Dracus sibi soli tribuit, picto orbis circulo adscriptis verbis: Primus me circumdedisti. Anno

Cassiodorus Renius V. O. & D. in acromatis. 1570.

MAgdalena Crucia, sive de la Cruz, Hispana, Cordubæ primaria Bœticæ urbe, in prima pueritia à parentibus obscuris: incertum, pietatis an paupertatis caussa: in cœnobium D. Claræ detrusa (qvod illa post ex collata stipe de fundamento novum extruxit) dæmonis cujusdam sub Æthiopis specie sese offerentis, miris blanditiis, qvibus ea ætas potissimum capitur, inescata, familiariter illo uti cœpit: severa tamen interminatione interposita, ne qvis mortalium hoc resciscεret. Illa interim, cum dæmonem in colloqvium singulis penè diebus admitteret, supra ætatem sapere, & indolis causa omnibus admirationi cœpit esse, incredibili sanctitatis opinione, qvam morum elegantia vitæq; austeritas effingebant.

Vix dum duodecimum ætatis añum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in solidum possidendæ ansam captans, phaleratis verbis coniugii mentionem iniicit, facileq; adeò ex eius, qvam iam degustaverat, sanctimoniæ successu, simplici & ambitiosæ puellæ persuasit. Dantur manus, fiunt sponsalia, concumbitur deniqve. Dotis loco Magdalena sui corporis usumfructū, colloqvendo, conversando, concumbendo pollicetur. Æthiops vicissim contrà dotē splendidissimā offert: effecturum se, ut Magdalena per 30. & ampliùs años ea sanctimoniæ autoritate per universam Hispaniā frueretur, qva omnes, qvi eo laudis genere unqvā fuêre celebres, vel ęqvaret, vel etiā superaret

Neq; v. mendax ille spiritus hac in parte falsus videri voluit, ut universæ scilicet Hispaniæ per hanc suam sponsam imponeret. Qvandocunq; furtivis voluptatibus fruerentur, sponsi famulus (nā maiestatis causa famulum qvoq; veterator ille Æthiops sibi adiunxerat) tanqvam Sosia qvidam suppositítius, foris in templo & cœnobio Magdalenæ larva assumta, illius vultum, gestus, incessum, cantando, orando, comedendo exactè imitabatur. Si qvando v. secessus illius voluptarii pertæsa hera in publicum prodiret, ne qvid interea temporis ociosè periret, per orbem terrarum vagando, qvæcunq; digna memoratu acciderent, Magdalenæ renunciabat. Sic de Francisci I. Gallorum regis captivitate: sic de Romanæ urbis direptione p. 868. certior facta, divinitus hæc sibi ab angelo revelata, dictitans, in principum virorum dignationem summā pervenit, & Abbatissæ dignitatem, ultrò cedentib. tantæ sanctimoniæ reliqvis monialibus, maxima totius ordinis Seraphici cum lætitia, qvi, ad seqvoq; (tanqvam ad præceptores & institutores) partem gloriæ huius pertinere, putabant.

Miraculis interea clarebat plurimis, sed
Anno inanibus atq; ludicris. In solenni pompa festorum dierum ad tres, & amplius cubitos in sublime efferebatur: sæpe etiam imaginē Jesu recens nati manibus gestans, imbre lachrymarum profuso, comam ad talos usq; repente enatam producebat, qvæ sensim evanesceret. Qvotiescunq; monachæ statis diebus communione sacra uterentur, sacrificulo ex dinumeratis priùs diligenter mystici panis orbiculis unus semper deerat, qvem Magdalena (ministerio angelorum acceptum) se in ore habere, palàm ostendebat. Hinc tanta sanctitatis fama ei accrevit: ut Pontifices, Imperatores, reges per literas ejus sese precibus commendarent: atq; adeò Caroli V. uxor Philippum filium iis fasciis, qvas Magdalena suis precibus consecrasset, primùm excipi curavit, & involvi.

Exactis annis ad minus 30. in hoc diabolico conjugio, tandem sub annum Sal. 1546. Dei opt. max. benignitate, nullo suo merito ad se ipsam Magdalena redire, & dæmonem detestari cœpit. Ægerrimè autem ferente Æthiope hanc apostasiam, & multis modis illam vexante, visitatorib. ordinis, qvos vocant, præter omnem expectationem scelus ingenuè aperit, peccatum fatetur, auxilium implorat, carcere includitur. Neq; tamen interea dæmon loco excedere; sed matutinis precibus cum summo monacharum stupore & terrore, sub larva Magdalenæ interesse, sæpè etiam alia obire munia. Monachæ larvatam Abbatissam (qvam per 12. annos pertulerant) abhorrentes, multis vix tandem precibus impetraverunt, ut cognita ex integro causa, Magdalena cœnobio excluderetur, ut sic demum præstigiæ cessarent. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

HenricusEfferhen, Theologus.

1570. SCripsit historiam de Gog & Magog, & de origine ac processu regni Mahometici, & qvòd missum sit à Deo in perniciem populi Dei tanqvam flagellum, & non interiturū, nisi cum populus Dei fuerit in ejus manus propter securitatem & scelera sua traditus: venturum autem Turcam cum Persis, Tartaris & aliis circumjacentibus, vaticinatur: & vastaturum Christianorum terras. Imp. Max. 2. Papa Pio 5.

Andreas Musculus Theologus.

SCripsit librum de Mesech, Kadar, Gog & Magog: & de magna calamitate ante finē mundi. Item prophetiam Domini nostri Jesu Christi de imminente Germaniæ infortunio. Item considerationes appropinqvantis ultimi judicii, de qvo etiam Andreas Osiander qvædam in lucem emisit. Imp. & Papa ut sup.

Lud. Lavaterus de præsagitionibus mutationes Imperiorum præcedentibus.

HAbet Lavaterus præsagitiones notabiles: sed brevitatis studio tantùm seqventes recensere placuit.

Carnifices referunt, se plerumq; scire nū aliqvis ipsis tradendus sit, qvem supplicio afficiant: gladium n. ipsorum moveri. Sunt qvi dicant, se præscire ipsum genus supplicii, qvo captivi è medio tollendi sunt.

Idem. Fuit mihi notus Parochus qvidam, vir honestus & pius, qvi grassante peste præscivit, si qvis in parochia sua moriturus esset ex peste. Noctu enim supra suum lectum sonitum audivit, ac si qvis saccum frumento plenum ex humeris super tabulatum deponeret: hæc audiens dicebat: Iterum qvidam mihi valedicit. Postqvàm illuxit, interrogavit, qvinam illa nocte obiissent, aut peste correpti essent, ut eos consolaretur & erigeret, prout bonum pastorem decet.

Jonas Philognesais. 1570.

SCripsit Practicam practicarum, hoc est, certam prædictionem in multos futuros annos. Ut suprà.

Figuræ antiqvæ mystreæ.

WOrmatiæ, in templo, qvod cathedrale vocant, reperiuntur inter alia magnifica monumenta etiam hæ qvatuor figuræ (qvæ admirandis procul dubio mysteriis non carent) incisæ in lapide: qvas placuit hìc apponere.

Joannes Herburtus de Fulstin. 1571.

HIc Regni Polonici Senator scribit: veteri Pontificum constituto, novem integris septimanis incolas Poloniæ jejunium servâsse: sed ut qvintam partem omnium bonorum Ecclesiasticorum aliqvot annis persolverent, aliqvid de eo remisisse. Imper. & Papa ut sup.

Joannes Wigandus, Corvinus, & Holthuter in Eccl. Historiæ.

INnocentius cōjugium sacerdotibus interdixit: qvod ipsum certissimum argumentum est, ministrum diaboli fuisse, ipsius etiam Pauli Apostoli testimonio. Cumq; in Alsatia qvidam nobiles id impiè factum dicerent, centum eorum per suas creaturas, sangvinarios Episcopos igne combussit. Imp. & Papa ut sup.

Didascus Scravas, Samuel Budina, & alii de rebus Turcicis. 1572.

AT verò Famagustam, dum nulla affulgeret subsidiorum spes, & hostes urbi vehementer imminerent, extrema necessitate compulsi, tandem his conditionibus sese dedunt: ut Venetis salva sit vita, arma, facultates, concedanturq; eis qvinq; machinæ bellicæ, terni pulcherrimi eqvi, & in Cretam usqve tutum iter: Græcis autem liceat manere domi suæ, rebus suis frui, & Christianam colere religionem. Hæc verò omnia se servaturum, confirmavit Mustapha propriæ manus subscriptione. Statim igitur cœperunt militem navibus imponere, &

re, & jam duces qvoq; abire volebant, cum ecce postridie Nonas Augusti Bragadinus scribit Mustaphæ, secum clavibus ad ipsum venturum, & petit ab eo, ne qvicqvam interim molestia afficiatur. Assentit Mustapha, laudat Bragadini virtutem, jubet sine ullo metu eum, qvandocunqve velit, ad se accedere.

Nihil igitur formidans Bragadinus, sub vesperam cum multis nobilibus, & qvinqvaginta gregariis militibus venit ad tentorium Mustaphæ. Ibi primum ab illo comiter accipiuntur, & cum eos assidere jussisset, loqvitur cum eis familiariter. Deinde vero objicit Bragadino, sed falsò tamen, qvòd durantibus induciis captivos qvosdā supplicio affecerit: moxq; exiliens stomachabundus, jubet omnibus vincula injici, atqve ita extra tentorium productos, ipso inspectante, in frusta discindi. Bragadino autem tertiò mandat, ut caput præcidendum porrigat: illiq; constanter porrigenti, aures abscindit: mox in terram eum procumbere jubet, atqve os impurum homo impius & crudelis jactandis in Salvatorem nostrum conviciis & blasphemiis laxat, &, ubinam est, inqvit, modò Christus tuus, ut opem tibi ferat?

Bragadinus tacet ad omnia. Nec enim dignus erat homo perfidus & cruentus carnifex, cui vir tantus vel verbum responderet. Erant tum in hostium castris etiam alii milites, & Christiani plus minus trecenti, nihil sibi à tanta perfidia metuentes. Ii omnes subitò qvoq; necati sunt. Qvi jam naves conscenderant, detenti & spoliati sunt. Incidit hæc horrenda Christianorum cædes in septimum Augusti diem. In arce relictus erat à Bragadino Tiepolus. Eum Mustapha suspendi jussit. Nestor Martinengus Comes, cum ad paucos dies hinc inde in Græcorum ædibus latuisset, tandem captivum se tradidit Turcæ cuidam, in ejus castris mansit, cum ei pollicitus esset aureos nummos qvingentos.

Decimoseptimo Augusti, qvi Veneris dies erat, & spurcis illis hominibus festus, producunt Bragadinum, præsente semper Mustapha, ad singula loca urbis diruta, cogunt in singulis locis binas ascendendo & descendendo terræ mensuras ferre, deinde cum transiret Mustapham, humum exosculari: mox ad mare eum adducunt, & sedi impositum usq; ad antennas supra malum pertrahunt, ut à Christianis omnibus, qvi adhuc in portu erant, conspiceretur. Inde in forum eum reducunt, & vinctum illic vivũq; non sine immenso cruciatu excoriāt. At ille tantam crudelitatem fert animo invicto, & inter ipsos cruciatus objicit tyranno perfidiam: Deumq; rogat, ut sui misereatur, seq; illi commendat. Ad extremum pellem ejus à corpore detractam carnifices paleis & fœmine farciunt: atq; ad antennas suspensam, per maritima Syriæ loca ludibrii causa circumducunt, omnibusq; ostentant. Anno

Admoneat nos hæc barbarica tyrannis, ut non solùm preces contra eam assiduis gemitibus in vera Christi agnitione, ac pœnitentia nostrórum peccatorum ad Deum fundere discamus, sed & perfidissimæ ac maledictæ sectæ Mahometanæ promissis minimè fidem adhibeamus, tunc fallere conantis, cum credulos invenit, ut præter hoc exemplum, & Julæ in Hungaria, anno 1566. simili fraude doloq; captæ, abundè testatur. Non est autem, cur admodum mirum nobis videatur, potuisse Turcas, Christiani nominis hostes infestissimos, Cyprum expugnare, cum in Famagustæ obsidione fuerint stipendiis conducti ad 80000. Janicerorum 14000. & sua sponte militantium 60000. simul omne gen9 hominũ 200000. Obsessa est Famagusta dieb. sexaginta qvinqve, intra qvos centum & qvadraginta ferrearum pilarum millia in urbem conjecta sunt ex bombardis. Ex tanto vero exercitu ultra 80000. ad Famagustam perierunt. Ad Cypri defensionem relicti sunt à Mustapha peditum 200. eqvitum 2000. Non est dubium, qvin more suo ita communituri sint eam insulam, ut ejus recuperandæ nulla spes relicta videatur.

Ordo Minorum Jesu Mariæ, seu Tertiariorum. p. 879. 1571.

FRanciscus de Paula Siculus tres Regulas, fratrum sc. & sororum, ac utriusq; sexus fidelium, Tertiariorum nuncupatorum, instituit anno 1571. Et ut fratres ac sorores sui ordinis humilitatem colerent, Minimos & Minimas nominavit. A multis confirmationem acceperunt Pontificibus: ut est apud Surium, Genebrardum & Panvinium. Decem præcepta & verbum Dei author Ordinis fratribus ac sororibus cumprimis laudabiliter commendavit: rara avis. A carnibus & coctis prorsus abstinuerunt. Polyd. Vestitus erat ex crasso lino. Aperto capite, ac pedibus nudis incedebant.

Polydorus exclamat de tot Ordinibus loqvens his verbis: hinc cognoscere licet, inqvit, qvàm conducibile esset, hasce hominum feces, tanqvam membra Christianæ religionis agnata, conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus divini cultus nitorem, & munditiam diutius conspurcarent. Qvia ergo Polydorus in suo gradu Catholicus fuit, artifici certè in sua arte credendum est. Imper. Max. 2. Papa Pio 5.

Catalogus reliqvorum Ordinum Monasticorum, de qvibus certò sciri non potest, vel à qvo, aut qvando sint instituti, vel qvo habitu & vestitus genere utantur, ex Hosp.

Anno PRæter hos, qvos huc usqve commemoravimus, Monachorum Ordines, sunt adhuc alii nonnulli, de qvibus tamen certò non constat, vel qvo auctore & tempore sint instituti, vel qvo adeò habitu, seu vestitus genere utantur: propterea verò eos non omittendos, sed hoc loco juxta ordinem alphabeticum enumerandos putavi. Sunt autem hi ferè.

Ambrosiani.

HI super tunicis albis rubeas chlamydes superinduunt: alii à superioribus.

Antoniani.

UTuntur nigro habitu cum Tau cœrulei coloris ante pectus. Antonium illum Ægyptium se imitari, jactitant. Mendicitate sua importuna, contra Antonii exemplum, hominibus sunt molestissimi: ignem Antonii continuò non contribuentibus aliqvid minantur: qvo fit, ut superstitiosi homines singuli singulis annis porcellum, qvi vulgò eis in picturis adpingitur, bene saginatum dent, ut hoc pacto gratiam eorum & preces ad Deum promereantur, tutiq; sint ab illorum diris. Vid. Seb. Franck in Chron. fol. 468.

De Armenia fratres, qvorum meminit Balæus Centuria 4. de Script. Britan. cap. 26. in Appen. & in Angliam eos primò venisse ibi indicat Anno Christi 1258.

De Avis Ordo Eqvestris.

Batutini monachi, qvorum mentio fit in Bruto fulmine.

Bonæ voluntatis, seu de Communi vita fratres.

Bursfeldenses sunt de reformatis ordinis Benedictini.

Canonici regulares alii à superioribus, qvi præter scapulare album, tegumen totum colore pro arbitrio utuntur.

p. 872.

Capellanorum Ordo.

UTitur vestitu partim atro, partim cœruleo, partim pullo: cucullionem gestat, qvalem rusticis usui esse in Germania videmus. Franciscus Modius sic de iis canit:

Ordo Capellanus pullumqve atrumqve colorem
Ceruleo miscens, membra tegenda tegat.
Qvo sibi qvid sacra turba velit, si nosse laboras:
Vilis (ait) color est, vilia membra sumus.
Conveniens ergo est habitus spernentibus omnem
Ornatum, blandis aptaq; deliciis, &c.

Asserunt aliqvi, exortum hunc Ordinem anno 1283. Vide Sebast. Franck fol. 480.

Cellarii.

VOcantur ita à celiulis, in qvibus ægris operam dant. Dicuntur etiam Visitationis, seu Charitatis, sic etiam Misericordiæ fratres vel sodales, qvòd morbis affectos visere, mortuosqve efferre soleant. Interiùs linteam vestem atri coloris, exteriùs fuligineam gestant. Hi originem suam falsò ad Apostolica referentes tempora, sæpe ad nihilum propè redactos, alii subinde atqve alii restaurarunt: Franc. Modio auctore, qvi etiam hunc in modum de iis canit:

Cepimus in cellis nomen, qvia semper in illis
Nostra egris gnave cura, laborq; vacat.
Qvos adeò haud-timidè nostri est accedere amoris,
Ut neqve mors telis nos fuget ipsa suis,
Illa licet regnet per rura, per oppida victrix,
Sternat & infami corpora cuncta lue:
Nos tamen intrepidi morientum claudimus ipsa
Lumina, & hîc facili contumulamus humo.

Chalomeriani.

IN horum palliis albis crux item alba signata est.

Clavigeri.

HI originem suam referunt ad D. Petrum: gerunt in nigro cucullione geminas claves, qva tessera significare volunt, se potestatem habere claudendi & aperiendi regnum cœlorum. Seb. Franck in Chron. fol. 480. Incertum est, qvando & à qvo institutus sit hic Ordo, nihil enim de eo, qvod eqvidem sciam, in Sigisberto, Volaterrano, Sabellico, Polydoro Virgilio, aliisq; historiarum auctoribus reperitur. p. 873.

Constantinopolitani Milites.

SIc dicti à loco, in qvo Ordo eorum originem sumsit: utuntur veste viridi, & rubra chlamyde, gestantqve in pectore duarum crucium imagines, qvarum una alteri implicita est, qvasqve flavi alii, alii cærulei coloris prædicant. Eadem incertitudo de habitu illorum est: sunt enim, qvi, contra qvam modò diximus, chlamydem hanc familiam viridem, interiorem vestitum rubricolorem habuisse asserant: ut Franciscus Modius testatur.

Cruciferi.

DIscrepant hi à superioribus: incedunt incurvi, aperto ac demisso capite, nudis pedibus, induti chlamyde alba fune accincta, & gestant in manibus parvam ligneam crucem: nunqvam aut rarò loqvuntur. Sebast. Franck in Chronic. fol. 479. 6. Franciscus Modius ita de iis canit:

Lutea

Linea tota pedes vestis nos cingit ad imos,
Quam vili medios stringere veste juvat.
Terra torus nobis semper, nec nota voluptas
Est plumæ, molles efficit illa viros.
Sed neque, quàm lectum, cura potiore culinam
Instruimus: nimiam fons levat usque sitim.
Deliciis alii media sectentur in aula:
Nobis rura inter sobria vita placet.

Crucis fratres. Nigrô amiciuntur pallio sine cucullo, & crucem ante pectus gestant.

Crucis stellatores. Hi nigra toga & cucullo concolore utuntur, cui est assuta crux stellata. Cruce significant, se carnem suam crucifixisse: stella verò, se cum Christo sepultos esse. Franck lib. 4. Chronici.

Forficenses seu Forficiferi Schärbrüder.

Utuntur pallio & cucullo albo: & pallio qvidem forfex affixa est: qvo insigni videntur indicare velle, se tentationes & affectus pravos carnis qvasi forfice resecasse. Sartores, qvi forfice utuntur, maximè, hunc Ordinem instituisse videntur. Seb. Franck lib. 4. Chron.

Genettæ Ordo Eqvestris institutus à Carolo Martello: Pontus Heuterus lib. 4. Burgundicarum rerum.

S. Gertrudis moniales, qvæ utuntur vestitu atro, & carbaso concolore.

Helenæ fratres.

Hi gloriantur, se ab Helena Constantini M. matre post inventionem Dominicæ crucis institutos sub Sylvestro 1. Rom. Pontifice. donatiq; sunt veste alba, & in ea cruce crocei coloris. Sebast. Franck libr. 4. Chron.

De Hispania fratres cucullam habent omnibus ferè Monachis dissimilem.

Histricis Ordo Eqvestris, sic dictus ab insigni, qvo ornabantur ejus eqvites, instituitur à Ludovico Duce Aurelianensi, fratre Regis Galliæ, Carol. 6.

Hospitalarii.

Hi dicunt, se ab Higino Pontifice institutos, qvi primus certis ceremoniis hospitia hinc inde, sive ægris, sive peregrinis, sive deniqve utrisq; extructa, dedicari voluit, præfecto cuiqve uno, qvi ejus Herus seu Magister diceretur, & habitu nigro amiciretur. Franc. Modius. Seb. Franck fol. 481.

D. Jacobi fratres.

Pullo vel grisco vestitu utuntur, cum appensa cochlea. Franck lib. 4. fol. 478. indicat, in Anglia ad Divum Jacobum hunc Ordinem incepisse.

Ignorantiæ Ordo: & hic est omnium vetustissimus, maximusqve.

Joannitæ de civitate. Anno

Hi rubeo vestitu per totum utuntur, & in eo ante pectus calicem habent pictum. Seb. Franck f. 479.

Josaphati vallis Ordo à moniali qvadam institutus est: sed incertum, qvando. Utitur veste rubea, nisi qvòd cucullionem Benedictino simillimum gerit. Hic Ordo Judices constituit in causis matrimonialibus, ad qvos confugere solent illæ, qvas pudicitiæ ipsarum expugnatores uxores ducere recusant: Francisco Modio teste, qvi etiam de iis ita canit:

Purpureo qvaqvà membra induncuntur amictu:
Qvi solis nobis penè tributus honor.
Cumqve aliis Monachis vetitum sit vestibus usus,
Commendat rubeus qvas tyriusve color:
Qvod vetitum est aliis Monachis, nobis licet unis:
Gratia qvæ tanti signa favoris habet?
Soli etiam erepto ut dicamus jura pudori,
Lugeat & nostro fœmina læsa foro.

Josephi Ordo in honorem Josephi putativi patris Christi institutus est. Utitur vestitu cinericio, & cucullione candido: sed qvando cœperit, non magis habeo dicere, qvàm qvo authore cœperit. Sebast. Franck lib. 4. Chron. & Franc. Modius.

De Labanda Milites.

Lazari seu Magdalenæ Ordo.

Qvo anno aut institutore cœperit, ignoratur: illud tamen palàm est, duo in genera eum dividi, qvorum alii vocentur Contemplativi, incedantq; interiùs atri, exteriùs candidi, & utantur communi cibo. Alii Activi, betico colore gaudentes, & solis bulbis, oleribus, aliisqve terrestribus & inemtis victitantes. Franciscus Modius. Stumpfius in Chronicis testatur, insigne Ordinis hujus esse viridem crucem in atro pallio, cum cucullione seu velo capitis, pauca sunt hujus Ordinis monasteria. Felix Schmid in suo Itinerario Hierosolymitano testatur, se in itinere illo longissimo unicum tantùm monasterium hujus Ordinis invenisse. Fuit etiam aliud non procul ab urbe Tigurina, qvod vocârunt das Gfänn.

Livonchlenii, de qvibus præter nomen nihil aliud invenire potui.

S. Mariæ monialium Ordo de decem virtutibus, exortus est nostra memoria, & mira colorum varietate insanit. Habent enim velum nigrum, tunicam albam, scapulare rubeum, cinericiam chlamydem, capellietum, qvod vocant, decies tantummodò repetitæ salutationis angelicæ.

Circulus ejusdem nos admonet usq; coloris,
In se sic longa cuncta redire die.

Exorti sunt hi Monachi primùm in Italia. Vid. Seb Franck in Chron. fol. 481.

p.879. Ordo Stellatorum.

Duplex hic est: alii enim habent togam nigram cum cucullione concolore: alii pallio (sine cucullione) vel atro vel rubeo indifferentes utuntur: utriqve tamen suis vestibus stellas affixas gestant. Vide Franckum fol. 478. a. & b.

S. Thomæ milites.

Ordo Vespillonum.

Tunica linea utitur, cucullione & pallio atri coloris; mortuos effert.

De viridi valle fratres: eorum meminit Balæus in Appendice Centuriæ 4. cap. 26. ubi dicit, eos primò in Angliam venisse anno Domini 1258.

Valetudinario-servientium Ordo.

Fœmineus est, & atro vestitu utitur.

p.880. Ungaricus eqves.

De hoc Franciscus Mottius ita canit:

Sangvineo tunica est, rubro chlamys inde colore:
Qvas gerere Ungarico ex Ordine gaudet eqves.
Insigne est viridis, qvam malunt candidam & atram,
Crux, alsi, in leva ut parte videre potes.

Ordo Wenceslaitarum.

Hic qvando & à qvo initium habuerit, ab historicis in incerto relinqvitur. illudq; de illis sólummodò reperitur, albo eos vestitu incedere: & cucullione ferè ad eam formam, qva sunt tegumenta capitis, qvibus Franciscis mulieribus nobilibus uti mos, Francisco Modio teste.

Zambonitæ, qvi & Boni fratres, exoriuntur anno Domini 1190. Vide Seb. Franck in Chron. fol. 471.

Zupfonnæ in Concilio generali Lugdunensi anno 1273. habito abrogantur. Fuit genus sacratarum fœminarum. Inde fortassis nomen hoc habuerunt, qvòd non, ut reliqvæ moniales, comam seu capillos umb die Zupffen detonderent, sed juxta morem aliarum mulierum retinerent. Meminit earum Aventinus lib. 7. Annalium.

Hisce sic Ordinibus finem facimus. Ne autem videamur Fraternitatum, qvæ (juxta Hospinianum) monstrum sunt ex Monachis & laicis, nullam omninò mentionem fecisse; sciat Lector, illas ex eo initium cepisse, qvòd, cum multi devoti seculares habitum & regulam per omnia religionum seu Ordinum Monachorum assumere sæpe non valerent, & tamen participationem & communionem precum, orationum, & meritorum Ordinis alicujus habere summoperè expectarent; tum Societates & Fraternitates instituerint. Extant harum fraternitatū literæ plurimæ. Vidi inter multas unam, qvam Doctiss. Theologus D. Heerbrandus edidit, plenam impietatis & idolomaniæ, ut mirum sit, qvòd nec dum in tanta Evangelii luce illos suarum ineptiarum pudeat. Papistæ originem ad Apostolos rejiciunt, Polydorus ad Romanorum sodalitia: unde Sodales Augustinales ap. Tranqvillum: & Antoniani sodales apud Julium Capitolinum dicuntur. Et olim Arvalium fuisse collegium à Romulo (sic ferè semper Papistæ redolent gentilia) constitutum, illumqve duodecimum fratrem, ex Plinio constat.

Enumerantur ab historicis Fraternitates & S. Annæ, S. Sebastiani, S. Rochi, S. Hubreti, S. Coronæ, S. Bovis. Vestitu utuntur qvidam nigro, qvidam albo. Est & Senis fraternitas Disciplinatorum B. Mariæ Virginis. Surius & Hosp. & alii.

Turca inimicus simul & amicus. 1571.

Anno supra sesqvimillesimum septuagesimo primo Turca occupavit Famagustam urbem, & Insulam Cypri: & tamen mansit amicus & confœderatus Venetorū, qvorum imperio Cyprius parebat. V.S.

Tilemannus Heshusius. p.881. 1572.

Hic librum edidit hoc tempore seqventi titulo: sexcenti errores pleni blasphemiis in Deum, qvos Romana Pontificia Ecclesia contra Dei verbum furenter defendit: ut apud eum.

De Martino Luthero narrat, eum, cum anno 37. ex conventu Schmalcaldico discederet, amicis his verbis valedixisse, impleat vos Deus benedictione sua, & odio Papæ: & D. Pontano Cancellario per ministrum nunciari jussit, se precari ei omnia felicia. & inprimis, ut disceret nosse Papam. Mirantur autem homines, inqvit deinde Heshusius, Politici novum & inusitatum genus salutationis, ac suspicantur, illud ex qvadam animi intemperie, & privato erga Papam odio profectum esse. Sed reyera magnus ille vir Lutherus gravissimas habuit voti sui causas: ut magna luce spiritus sancti & singulari zelo pietatis præditus fuit, ita propiùs ille qvam alii vel Theologi vel Politici adspexit abominanda idola, nefandos errores, & immanem blasphemiarum molem, qvam Papatus circumfert & obtrudit mundo: attentiùs vir ille expendit ineffabilem iram Dei, qvæ permisit Antichristo, tanta vi mendaciorum, tantaq; carnificina conscientiarum grassari in mundo, ut hoc modo contemtus Evangelii puniatur. Hæc ille.

Joannes

Anno 1572.

Joannes Wigandus Theologus in libro de Sacramentariismo, & Joach. Mœrlin. D. de summo mendacio.

AB initio in omnibus Carolstadius cum Luthero sensit, sed cum Lutherus in arce Wartburg occultaretur, propter Imp. & Pontificis proscriptionem, Carolstadius ex ambitione putans, se clarum nomen præ Luthero, de Papatu dejectu atq; destructo adipisci posse, plebe concitata Witebergæ, in imagines impetum facit, & illas ex Ecclesia ejicit & confringit. Sed & Missam ac Jus Civile; dicens, juxta legem Mosaicam in foro apud Christianos jus dicendum, abolet.

Propter hanc causam Lutherus, ne suæ Ecclesiæ deesset, Witebergam rediens, Carolstadium de turbata Ecclesia graviter reprehendit. Statuas primùm ex corde esse removendas, populumq; docendum, sola fide nos placere Deo, statuis nihil profici, hoc modo rectè informatis animis, nullum subesse periculum ampliùs ne qvid noceant: si verò tollendæ sint, id ad Magistratum, non privatos pertinere.

Carolstadius iratus, ne idem qvod Lutherus, sed plus etiam sapere videretur, ut alia via illustre nomen præ Luthero acqvireret, primus litem de Cœna Domini movet, & se conjungit Anabaptistis, & illis, qvi divinas revelationes jactabant, & reformationem Ecclesiæ non solùm verbis, sed etiam armis aggrediendam dicebant. Hac de causa Sax. Princeps illum de finibus suis ejecit. Interim cum Svvenckfeldio etiam clanculũ cõsusurrat, missis literis, qvæ sunt impressæ.

Cœpit ergò solus Lutherus in Saxonia Papæ resistere anno 1517. & totius orbis (sunt verba Sleidani in præfatione) odium ac impetum unus tantùm homo sustinuit. Glacie perfracta à Luthero Zinglius (qvod tamen non nisi toto biennio pòst demum factum fuit, anno 1519.) in Helvetia, lectis libris Lutheri, idem tentavit.

Carolstadius tandem, cum in Saxonia locum nullum haberet, Ministris Anabaptisticis Rotenburgi ad Tuberim se conjungit. Hi cum capitis supplicio afficerentur, & civibus seditiosis oculi eruerentur; eadẽ pœna dignus, ex muro demissus evadit; & ad Helvetios Tigurum profectus est, ubi initiũ faciens, Zinglium & Oecolampadium secũ produxit in aciem. Nam & hi, ne discipuli Lutheri, & omnia à Luthero hausisse viderentur, mera ambitione ducti, omnes tres, ut olim Core, Dathan & Abiron, insurrexerunt contra Moysem servum fidelem Domini, Luthero obstiterunt. Nihil enim Zinglius de cœna ante adventum Carolstadii tentat, sed circa annum 1524. primùm incipit: ut ex Epistola ejus ad Matthæum Albertum Reutlingensem Ecclesiasten scripta apparet. Carolstadius postremò Basileam profectus, ibidem mortuus est.

De obitu ipsius Basilienses ministri scribunt, apparuisse concionanti Carolstadio virum grandẽ, qvi ingressus templum, juxta Consulem steterit, rursumq; egressum, domum Carolstadii intrâsse, ubi filium solum domi remanentem, manibus in altum levarit, qvasi in terram illisurus: Sed cum nihil ei damni inferret, saltem hoc jusserit suo parenti renunciare; se post triduum rediturum, & ipsum ablaturum. A concione Carlstadius interrogat Consulem, qvisnam ille grandis vir fuerit, qvi in templo prope ipsum constitisset? At is respondet, se neminem vidisse. Domum itaq; veniens, accepto nuncio, qvod spectrum sibi renunciari jusserat, maximis terroribus correptus, post triduum expirat. Idem & Schlisselburgius, atq; alii plures. Imp. Max. 2. Pp. Pio 5.

Idem Wigandus de sede Antichristi sub Lutheranismo. Nihil jam disseremus de iis, qvi ut semper habuerunt Antichristi characteres, ita indesinenter eos qvoq; retinent & augent: neq; de illis, qvi palàm & apertè ad Antichristum se rursus contulerunt, abnegata veritate, qvam cognoverant: tantùm verò cum gemitu & dolore inspiciamus eos, qvi simul in verâ Dei Ecclesiâ, ab Antichristi sordibus liberatâ, versantur, ac simul homini peccati & filio perditionis non parvam locârunt, vel etiamnum locant operam.

Primùm enim plurimi vigiles, seu doctores in Ecclesiâ Christi, doctrinam de Antichristo ab obitu Lutheri alto silentio sepelierunt, imò penitus obliti sunt. Nam in concionibus, in libris editis Antichristi nullam jam diu fecerunt ampliùs mentionem. p. [illegible]
Nõ auditæ sunt illæ voces; exite, fugite, exsecramini. Sed ô vos dormitantes vigiles, qvi incendio publico patimini omnia absumi! ô negligentes! ô infideles! ô crudeles pastores! ô canes muti! qvi lupo intra ovile grassante, pacem & tranqvillitatem somniatis, & ovibus qvoq; vestris Pacem securitatemqve pollicemini! Hac enim oblivione, torpore, & malitiâ vestrâ, Antichristus robur ingens rursum sumsit, viresq; antea prostratas recuperavit, & plurimas oviculas Christi, vestræ fidei commissas, nihil metuentes incautasq; devoravit.

Alii non tantùm obliti sunt revelationis Antichristi, sed insuper etiã in eum rursus pingere, ac cõmendare sunt conati. Hinc illæ voces: utile esse, ut unus aliqvis toti Ecclesiæ dominetur, ad prohibenda schismata & hæreses. Non oppugnandũ esse primatũ Papæ, relinqvendam eminentiã ac dignitatem Episcopis, notis Antichristi Romani insignitis, eiq; diris execrationibus addictis: ac optandum esse, ut eis maneat inviolata autoritas. Qvò propiùs Papæ, eò melius. Veram esse doctrinam, bona opera esse ad salutem necessaria. Vocem Sola in propositione; sola fide justificamur: posse omitti in

in ipsa confessione. Licitum esse, imò rationem veræ pietatis exigere, ut larvas ceremoniarum Antichristi, non habita ratione, qvòd justis de causis abrogatæ priùs sint, recipiant Ecclesiæ Christi, etiam sub pœnâ expulsionis, captivitatis, & aliorum suppliciorum, qvi detrectant. Scilicet nihil referre; etiamsi sponsa Christi sit ornata ornamentis Babylonica meretricis. Ratio est: qvia hoc pacto redimi possit à persecutoribus pax & securitas: imò, qvia etiam amplæ divitiæ, dignitates, & similia præmia isto qvasi aucupio accipiantur.

Insuper hisce proximis aliqvot annis plus qvàm Cainico & diabolico odio persecuti sunt plurimi doctores Ecclesiæ miseros illos homines, qvi durissimis & periculosissimis temporibus INTERIM vociferati sunt: exeundum esse ab Antichristo; non ingrediendum aut redeundum ad eum; abjiciendas esse ejus notas, non recipiendas: virginitatem sponsæ Christi retinendam, non prostituendam; Confessionê Augustanæ exhibitam Imperio Romano conservandam, non abjiciendam. Hinc adhuc qvidam pro catharmatis ac pestibus orbis terrarum eos insectantur, conspurcant, damnant, & omnium hominum animos atqve gladios adversus ipsos excitant: qvi docent, peccata cum Antichristo turpiter commissa, ignoscenda & deprecanda, itamq; Dei & pœnas tantis sceleribus debitam expianda, & publicum scandalum publicâ pœnitentiâ sanandum & avertendum esse. Alii penitus in omnia qvasi oculis capti abiverunt, imò etiam excusârunt, defenderunt, propagârunt.

Deinde & multi politici homines variè post Lutheri obitum Antichristi partes egerunt. Nam alii simul cum Doctoribus Ecclesiarum in hoc incubuerunt summo studio, ut cessione in dogmatibus ac ceremoniis aliqva conciliatio iniretur cum Antichristo, hoc est, grege Papistico, ne premerentur cruce Christi, neve corporalia bona in discrimen aliqvod venirent. Ideò qvidam INTERIM crassè & apertè, qvidam verò aliqvas ejus partes moliti sunt instituere. Exempla non sunt ignota.

Alii verò Adiaphorici pallii latitudine, altitudine, profunditate freti, etiam ausi sunt coram ipsa Bestiâ Babilonica genu flectere, ei jurare, qvòd Cœna Domini non sint usi in utraq; (ut vocatur) specie, seu Lutheranorum more; tantùm ut regna hujus mundi & gloriam ejus, ut Matth. 4. extat conseqverentur: nec pudet dicere, nihilominus veræ se doctrinæ Evangelicæ addictissimos esse. Imò si pallia, si aliæ dignitates ab Antichristo ingenti argenti vel auri pondere emtæ sunt: consvetudine aliorum sese excusare, ac peccatum tam tetrum prædicare non verentur. Si sub alicujus patrocinio Missis horrendum in modum crucifigatur Christus; invocentur sancti; porci Antichristi sodomitica scelera patrent; & non tantùm domos, sed civitates, sed regiones ejusmodi sceleribus contaminentur & impleantur, id verò nolunt pro vitio haberi, propter qvod Deus irascitur, & puniturus est id æternis cruciatibus in inferno, nisi matura ac seria agatur pœnitentia. Nec desunt talibus sui eruditi parasiti, qvi omnia excusent ac tueantur. Anno

Post hæc addit hic autor qvædã de Adiaphorici pallii fructibus, de qvibus ap. eum:

Alii Antichristo portas portulasq; aperiunt, areas purgant & muniũt, ut intra suas regiones, intra civitates & mœnia, Monachi, Canonici, sacrifici, sua regna cum septem pejoribus cacodæmonibus redeuntes recuperent: boatibus plusqvàm Baaliticis nomine Dei abutantur: sanctos invocent: Christũ qvi nos pretioso sangvine redemit Missis & aliis blasphemiis horribiliter crucifigant: tot instituant lupanaria, qvot domos incolunt: polluant Ecclesiam Dei: oves Christi mactent: matronas & puellas innumeris artibus circumventas contaminent, & ad mores suos etiam vicinos conforment: irã Dei, pœnas & interitum etiam in propinqvo habitantibus accersant & accumulent, idq; tali opinione, qvòd Antichristo in suo nido libertas sua sit relinqvenda: non esse tantũ ab ipso incommodi, ut stoici qvidam ministri verbi Dei odiosè vociferantur: imò pacem, tranqvillitatẽ, occasionẽ ditescendi ex ipsis Antichristi ministris offerri; qvia vino & frumento, ut inq. Psalmo, abundant. Deum etiã dispensaturũ cum illis, qvi bono studio Antichristi membra fovent, & ad scelera eorũ atrocissima connivent. Esse ipsos etiam Baalitas & Sodomitas dominos; nec turbandos, etiamsi oves Christi trucident. Reliqvus vero popusus suorum ducum exempla imitatur, ut nimirum verè dicitur: Scilicet in vulgus manant exempla regentum. Gaudet enim vulgus hominum, sibi occasionem contemnendi veram religionem liberè fruendi voluptatibus cum sponsis illis penelopes, & deniq; emendi ac vendendi opportunitatẽ datam esse. Nam uberiores fructus ex grege illo Papistico, ignavo, ocioso, luxu perdito, & omnis generis opibus affluente, sperant & accipiunt, qvàm ex aliis piis, frugaliter & honestè viventibus. Eamq; ob causam Antichristi mancipiis blandiuntur, beneficia expetunt, obseqvia promittunt, & deniqve contra fratres suos, imò & contra Ecclesiæ ministros, ac deniq; contra propriam patriam & publicum bonum militant.

Hæc tam sunt manifesta, ut nefas sit negare. p. 88[illegible]
Qvid a. omnia portendant: omnes pii facilè agnoscunt: nempe infinitã apostandi & cum Antichristo scortãdi licentiã, ac deniq; ejusmodi religionũ ac sententiarũ confusionẽ, de qva Christus prædixit; si filius hominis venerit, putas, cũ fidẽ in terra repert urũ esse?

Hiero-

Anno

Hieronymus Connestagius in historia Gallica, & Meteranus in Annal. Belgicis.

DEscribit ille vitam, mores, res gestas, virtutes & vitia Albani Ducis: Hic autem, qvaliter turbato Belgico in Hispaniam redire cupiens, regale trophæum priùs sibi erexerit. Abitum verò parans, inqvit Meteranus, ad perpetuam rei memoriam, in medio castri, qvod Antvverpiæ exædificârat, trophæum, statuam scilicet æneam supra stylobatam lapidis cœrulei, adscensu duorum aut trium graduum, sibi erigi curat: hæc autem artificiosissimè facta, conflataq; fuit à Jongelingho, ex æneis aliqvot tormentis, Ludovico Comiti, prælio Jeminghensi in Frisia ereptis: longitudine & forma Albano persimilis.

Stabat hic fusilis Dux prorsus armatus ac cataphractus, capite nudo, brachio dextro versus urbem Antvverpiam extenso, tanqvā reconciliator, ostendens innuensq; , se omnia superasse ac devicisse. Statuæ duæ æneæ sub pedibus prostratæ designabant (Aria Montano interprete) Belgii duos Ordines, Nobilitatem videlicet & populum, sive civitates, Ecclesiasticis integris servatis: habebant duæ hæ statuæ brachia plurima, tenebantq; manibus supplices libellos, crumenas, malleos, fractas secures, & faces, qvibus omnia, qvæ demoliti fuerant, designabantur: pendebant ab auriculis scutellæ geusiorum sive mendicorum, & à collo pera, unde serpentes & colubri prorepebant: aderant & larvæ, qvibus falsitas, malitia, avaritia & mendicitas notabantur. Anteriori stylobatæ lapideæ parti insculptum fuit: *Ferdinando Alvarez à Toledo, Albæ Duci, Philippi 2. Hispaniarum apud Belgas Præfecto; qvod, extincta seditione, Rebellibus pulsis, Religione procurata, Justitia culta, provinciis pacem firmârit, Regis optimi ministro fidelissimo positum.*

A dextro stylobatæ latere opilio placidè cum ovibus ad pascua tendit, lupi & leones fugiunt, bubones vespertilionesq; avolant, aurora surgente, malaq; suo fulgore discutient: cum inscriptione; ἀλεξίκακος ἠώς: Aurora averruncans mala: huic autem Auroræ Albanus seipsum comparabat: à sinistro ara & thymiama hac inscriptione: *Deo Patrum nostrorum*: inferiùs *Pietas*: his addita trophæa, victoriæ signa, arma instrumentaq; bellica.

Erant autem hujusmodi simulacra duo: qvorum alterum, qvod in Hispaniam mittere statuerat Albanus, tertio aut qvarto post anno, Commendatore majore Belgium gubernante, amotum fuit.

Horrenda gloria ejusdem Albani.

AD aucupandam Papistarum gratiam, Albanus sæpe gloriabatur in conviviis, maxima se pro Papatu, & optimè gessisse. Nam intra sexennium hoc imperii sui, in Belgio interemtos esse ad 18000, tantum carnificis manu, exceptis iis, qvos acies bellica devorasset: item, plus qvàm octo donnas auri per ipsum rediisse in ærarium Regis ex confiscatione fortunarum Lutheranorum: & sic crevisse Regis redditus. Item, se, cum vidisset, Belgas nimis esse divites, & potentia valdè auctos, ab eis exegisse decimum qvenq; de bonis suis nummum: vicesimumq; devenditis mobilibus: centesimum autem de immobilibus: & de universa summa tantùm centesimum nummum, annuatim fecisse ad 1200000. 12. i. auri donnas. Idem oppidanos & alios, qvibus interdum vitæ salutem pollicebatur, qvò se dederent, perire sinebat fame, dicens; se vitam, non victum debere eis. Item Infantes Reformatorum rebaptizari jussit. Meteranus Imper. 119. Max. itidem. 2. Pp. 234. Pio 5.

DISCURSUS DE FUTURA & sperata victoria contra Turcam, è sacris Prophetis, aliisq; vaticiniis, prodigiis, & prognosticis depromtus, ac noviter in lucem datus per Johannem Baptistam Nazarum Brixiensem; lingva Italica, typis Venetianis Sigismundi Bordognæ; Latinè redditus per Theosophiæ studiosum qvendam virum.

1572.

Unio conspirat sancta, incursura colubrum.

Ad Magnificam & Inclytam urbem Brixiam NUNCUPATORIA.

FEliciorem constellationem & influxum cœlestem nec habere potuisti, nec etiam desiderare (honorata & magnifica urbs, patria mea dilecta) qvàm illum, qvi, merito bonitatis divinæ, nunc tibi favet, teqve regit: concessis tibi uno eodemq; tempore, vigilantiâ tam pii & clementissimi pastoris, patrisqve spiritualis, Reverendissimi Episcopi Dominici Bolani: & recta sapientissimaqve gubernatione duorum Illustrissimorum Clarissimorumqve Rectorum, Antonii Bragadini Prætoris, Danielis Foscarini Capitanei; qvi, ut Patroni & domini humanissimi, imò potiùs ut boni benevoliqve patres, semper tibi faciles ac supra modum benigni fuerunt; qvemadmodum & integritate sapientissimorum deputatorum Syndicorum, & Consiliariorum, ad nominis tui

Anno tui celebritatem illustrandam extollendamqve promtissimorum: nec non Dn. Carolo Duco, militum præfecto, similiter à te electo, viro religionis & Christiani zeli, cum magnanimitate ac fortitudine copulati, pleno, unà cum exercitatis Centurionibus, militibus, civibus ac popularibus tuis: ut cum majore securitate ac confidentia te in debito illustrissimis nostris dominis servitio eò alacriorem gereres: idqve cum æterna fidelitatis tuæ laude, famaqve nominis illorum immortali.

Unde & ego me, qvoad licet, fidelem benevolumq; civem exhibiturus, præsentem collegi discursum, ac sub tuo felici nomine imprimi curavi: qvò, destinata contra perfidum Tyrannum victoria qvasi præmonstrata, unusqvisq; animo ac spe certæ indubitatæq; victoriæ erigi posset, viribusq; invicem ac fortitudine cum magnanimitate conjunctis, magno cum totius Christianitatis triumpho honorificus victoriosusq; seqveretur effectus. Primo die Maji, anno 1570.

Fidelissimus tuus Civis

Johannes Baptista Nazarus.

Cur ad tantam majestatem pervenerit Turca, secundum sacros Prophetas, Esaiam, Micheam, Habacuc, & alios, &c.

TAntum creverat iniqvitas inter majores nostros, imò tantus erat eorum fastus, superbia, iniqvitas, & impietas, ut ad divinam perveniens majestatem, eam ad iram commoverit: unde volens (ut æqvum erat) punire dicta peccata iniqvitatis patrum in filiis, in tertiam & qvartam generationem, dixit per os Oseæ prophetæ cap. 4. Audite, filii Israël, vocem Domini, qvòd judicium est Domino cum habitantibus terram. Proinde eventus docuit, qvòd cœtus Christianus jam olim, ferè 838. annis primum flagello Saracenorum, deinde Mahumetica persecutione iram Domini passus est.

Qvamobrem dici potest illud apud Micheam cap. 6. Audite montes, ac fortia terræ fundamenta, judicium Domini, qvia judicium est Domino cum populo suo: qvandoqvidem Mahumetici in hunc usqve diem, ac Selim Sultan, ultimus (ut ego spero) Turcarum Imperator, manibus Christianorum eripuerunt Bithyniam, Cappadociam, Lyciam, Armeniam majorem & minorem, Cariam, Lydiam, Paphlagoniam, Phrygiam, Pontum, Pamphiliam, Galatiam, & in summa minorem Asiam universam [Turciam dictam] & cum Babylonia Æthiopiam. Adhæc perfidus iste Tyrannus, transmisso mari, Europam ingressus, adeoqve Achajâ, Atticâ, totâ Thraciâ cum imperio Constantinopolitano, Beotia, Ætolia, Peloponneso, Morea, Epiro, Macedonia, Albania potitus, superatoqve Bulgariæ, Bosniæ, Serviæ, Russiæ, Rhodi, Nigropontis, Belgradi, totiusqve ferè Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Poloniæ, Ungariæ, & Syriæ regnis; necdum imperii satur, cuperet insuper Germaniam, Italiam, Galliam, & Hispaniam invadere.

Et in hunc modum perfidus iste eò devenit potentiæ, ut; reliqvis Christianis insolenter minitando, se faciat appellari Imperatorem Imperatorum, Regem Regum, dominum dominorum, & dominum Paradysi terrestris, atqve Hierosolymæ, Principem principum, & subjugatorem Tartariæ, Persiæ, Indiarum, & magni Cairi: ut insignis profectò fuerit ira Domini adversus miseros nos Christianos, qvi permisit, ut Turca tot Episcopatus, totqve Ecclesias è manibus Christianorum extorserit, &, qvod majoris est momenti, ipsam qvoqve Terram sanctam, ubi Christus sacrosanctum suum effudit sanguinem. Et hoc qvidem aliunde non potest proficisci, qvàm qvòd Christiani non timuêre Deum, ut Samuel dicit 1. Regum 10. Et vos hodie contemsistis Deum vestrum, qvi vos liberat ab omnibus malis. Et paulò pòst; contemsêre, inqvit, eum, neqve afferunt ei donaria. David in 7. Psal. Si vos non converteritis, neq; observaveritis ejus præcepta, jam evaginavit gladium, & intendit arcum, &c. p. 885.

Qvo significatur, qvod propter enormia Christianorum peccata missus sit Turca, qvem assimilare, imò nuncupare possumus Assur, de qvo dixit Dominus per Esaiam cap. 10. O Assur, virga furoris mei, & illa ipsa virga, &c. Pergit Dominus per Hierem. cap. 5. Ecce ego adducam supra vos gentem longinqvam, gentem robustam, gentem antiqvam, &c. Et iterum pergit Dominus, dicendo per Habacuc cap. 1. Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, &c.

Nec absurdum est, dicere; qvòd per Satanæ à catenis liberationem, post mille annos ab Angelo factam, intelligi possit Ottomannorum Mahometicorum adventus. Unde Johannes 20. Apoc. dicit: qvòd Angelus ligaverit Satanam ad mille annos, ne fideles perturbaret, & hoc factum est sub Constantino (ut multi periti ac docti viri opinantur) circa trecentesimum scilicet & vigesimum annum, qvi majorem seditiosorum populorum perversarumqve gentium partem in statum satis tolerabilem redegit:

Anno unde exacto pòst millenario, ecce per Angelum, hoc eſt, voluntatem divinam, aliqvo temporis ſpacio revinctus ſit Satanas, & hoc contigit circa 1300. cum eruptione familiæ Ottomannicæ, nimirum ab Ottomanno Tartaro: qvod qvidem per exiguum tempus durabit, & poſtea Satanas denuò profligabitur. Unde beati illi prædicandi, qvi patienter hactenus tulère Mahometicam iſtam ac Ottomannicam perſecutionem, cùm dicat ſacra ſcriptura: Beati, qvi perſecutionem
148 patiuntur.

De Ottomannica hac Fidelium perſecutione, ejusq; præfixo qvaſi termino vaticinatus eſt Daniel cap. 12. dicendo (juxta genuinam hebraïcam expoſitionem) Beatus, qvi expectat, & pervenit uſq; ad dies mille, trecentos, triginta qvinqve. Qvòd autem hic dierum numerus de tempore adventus Ottomannorum intelligi debeat, reſolutio (meo qvidem judicio) hunc in modum fiet.

Sermonem habens hoc loco Daniel de eorum beatitudine, qvi ad dies pervenient 1335. ſtante eo, qvòd tum affligentur Chriſtiani, tria circa hoc dictum veniunt conſideranda; primò dierum numerus, ſecundò eorum qvalitas, tertiò eorum principium. Ad primum propoſitum dico, antiqvos interpretes diem pro anno accipere conſueviſſe, atqve etiam pro mille annis: adeò ut per dies 1335. totidem annos intelligere oporteat. Ad ſecundum, loqvendo de dierum ejusmodi, aut annorum per dies iſtos intellectorum qvalitate, utrùm ſolares intelligendi ſint, vel lunares anni: dico (cùm Propheta hoc in loco de eorum, qvi ad tempus illorum dierum ſunt perventuri, beatitudine agat) intelligendos eſſe ſolares: qvandoqvidem anni bonis eventibus præfixi ſolares erant, lunares autem infauſtis.

Unde videmus (ſecundum intrepretationem è primo geneſeōs depromtam) diluvium fieri debuiſſe in fine ætatis ſecundæ, nimirùm anno mundi 1714. ſolari; qvòd tamen contigit anno 1658. Unde conjecturam capio, Deum annos malorum ac ſceleratorum illorum lunaribus dimenſum. Anni autem ſolares conſpiciuntur in data lege, cujus promulgatio in vigeſima generatione promiſſa erat, ſicqve anno ſolari 2448. in vigeſima generatione lata fuit: utpote cùm boni augmentum ſubeſſet.

Tertiò, qvoad dierum illorum, annorum vé principium, dici poteſt, inchoandam eſſe numerationem ab annis filii Dei. Siqvidem in annum 1300. perfidi illius Draconis Ottomanni incidit adventus: & poſtea anno 1336. Amurathes familiæ Ottomannicæ dutum illud flagellum incepit, ac indies incrementum ſuſcepit adeò, ut ſtatuere hinc liceat, non procul abeſſe Ottomannicorum finem, & adimplenda, ut infrà dicam, vaticinia. Et tantum eſt, qvod apud ſacros reperi Prophetas: nunc ad alias prophetias & vaticinia accedamus. Anno

De Potentia Turcarum, eorumq; adventu, ſecundum alias Prophetias & vaticinia.

QVemadmodum Johannes Echio Turcarum adventum comparavit Aſſur: ſic illi etiam filiis Iſmaël comparati loguntur. Proinde in prophetica qvadam ex Hebræo in latinum à Bemechobo Paterenſi Epiſcopo facta translatione ſcribitur: exière primitus filii Iſmaël de eremo ad confligendum, & intravère (Domino ſic volente) in Regna ac provincias, eratqve exercitus eorum numeroſiſſimus, & cœperunt expugnare terram Orientalem, ac vaſtare Meridionalem, ſtructisqve ibi navibus, ad occidentem uſqve prope Romam pervenerunt, dominatiqve ſunt provinciis, factis ex ſemetipſis qvatuor principibus, videlicet Oreb, Zeb, Zibee, & Salmana. Poſtea verò, cùm Iſmaëlitici iſti filios invaſiſſent Iſraël, percuſſit eos Dominus, deditqve in manus Gedeonis Hebræi, filii Johar; qvi, ingenti eorum numero occiſo, Iſmaëlitas uſqve in patriam eorum ferro & igne perſecutus eſt. Fieri etiam poteſt, ut denuò id fiat, deſtruaturqve Terra, & filii Iſmaël eam ab Orientali plaga ad Occidentalem uſqve, & à meridionali ad uſqve ſeptentrionalem poſſideant; ſitqve jugum eorum grave ſuper collo gentium; neqve gens ulla regnumvé ſiet, qvod obſtare iis valeat, uſqve ad certum qvendam terminum, tuncqve à Chriſtianis ſuperabuntur. Proinde denuò (inqvit Bemechobus) ex eremo ſuſcitabatur filii Iſmaël, & hoc fiet in ſexto Mundi millenario, & adventus eorum citra modum miſericordiamqvé omnem erit acerbus, dabitqve Deus in manus eorum omnia regna gentium, propter peccata, qvæ contra divina committuntur præcepta. 6. 96.

Non se- [illegible] ſerpens, alias jam fur- git ad u- ſum.

Qvamobrem tradet nos Deus in manus Barbarorum, & Saracenorum; & Perſia cum Cappadocia ad captivitatem ac internecionem, Syria in ſolitudinem, ejusqve populus in ſervitutem redigetur; Cilicia gladio peribit; Græcia cum Africa perimetur; Ægyptii, Orientales, & Aſiatici grave tributum pendent; Hiſpania, Gallai, Germania & Apothania, crebris bellis qvaſi devorabûntur; Romani occidentur, & vertentur in fugam; adeòqve filii Iſmaël cum introitu ſuo Septentrionem, Ortum, Meridiem, & Oc-

Anno & Occasum obtinebunt; omnes gentes sub jugo & tributo erunt; omnibus divitum, sacrorumqve templorum ornamentis, auro & argento potientur. Tunc ingens vigebit tribulatio, & transitus Saracenorum erit ab uno mari usqve ad alterum; eruntqve regiones impervix, & via illorum via nominabitur angoris, &c.

Sane statui potest, qvòd, qvantum in hoc continetur vaticinio, sit adimpletum: siqvidem non dicat, Italiam ab Ismaelitis, hoc est, Turcis fore subjugatam; sed Romani, inqvit, occidentur, & in fugam vertentur universi: qvod qvidem, meo judicio, dici potest accidisse, in tot ac tantis direptionibus superiori tempore in iis ac circumvicinis locis à dictis Canibus, magna cum animarum jactura perpetratis. Cùm itaqve nil aliud restet, qvàm Italia, qvæ non est in potestate Turcarum, fueritqve Hispania novis seditionibus, Gallia pravis Hæreticorum sectarumqve diabolicarum tumultibus, & Germania per Ungariam aliasqve discordias afflicta; finem Turcarum ajo esse vicinum, nisi tamen Deus adhuc vehementiùs Germanos per Agarenos affligere velit, qvi creduntur sanguinis esse Turcici, nimirum de Agar matre Ismaelis.

Unde in hanc sententiam Reynhardus Lolbardus in sua revelatione dixit: hæres veniet de Dogliofo [qvid vocabulum hoc Dogliofo sibi velit, obscurum est, nisi dolorificum aut dolore plenum significet, atqve ita de truculento Tyranno intelligatur. Nam doglia idem est Italis, qvod dolor Latinis] qvi de stirpe sacra se generatum gloriantur, sed originem habet ab Agar, & successores ejus nominati sunt Agareni; hi vivendo de rapto, rabidarum bestiarum instar, Christianos septentrionales & occidentales invadent.

Et proinde inqvit sanctus Methodius: eveniet etiam, ut aliqvando Agareni in Germaniæ parte congregati egrediantur è deserto, & in parte Terræ Lunæ omnem obtinebunt terram, & via eorum nuncupabitur Agarena. Qvandoqvidem urbes & regna subvertent, & sacerdotes in templis occident, & cum mulieribus in illis dormient, & ex sacris vasis bibent, & eqvos suos divinis Sanctorum sepulchris alligabunt: id qvod Christianorum tum temporis faciet iniqvitas. Postea Agareni illi ad aureum pomum Agrippinæ hoc est Coloniæ ferro compellentur, nullo Christianorum principum illis resistente, excepto Hispaniarum Rege, qvi solus successorem di Dogliofo occidet.

Qvare dicendum est, (ut sentit Claromontanus cap. 26.) qvòd nisi septentrionales Christiani principes cum magna concordabunt Aqvila, sed bella, odia & intestinas inter se discordias accendent, hæres di Dogliofo XV. Turcarum ramus veniet, subvertetqve Poloniam, Misniam, Thuringiam, Pruthenium, ingredieturqve Picardiam, Barbantiam, & Flandriam, perimeturqve ad Pomum, ut Juvenis Anglicus scribit, aureum. Qva de causa jamdudum Christiani principes concitatas inter se tantas rixas deponere, unanimiterqve in sacrum fœdus coire, non minus ac reliqva omnis Christianorm turba, debebant, relicta sua illa peccatis implicita vita, bonam & honestam vitæ rationem amplectentes. Anno

Repurgatis hunc in modum à sinistris suis (si qvi tales habent) animis Principum cordibus, perversisqve subditorum vitiis, certus sum de supra dicto Agarenorum adventu per Dominum abrumpendo, qvi nobis interim ferventes preces, syncerам confessionem, ac commissorum delictorum pœnitentiam præstantibus, nos exaudiet adeò, ut, sumtis contra immanem Draconem (qvi, Cyprum, Italiam, omnesqve Christianitatis reliqvias se absorpturum, minatur) armis, deprædicatam tanto jam olim tempore concessurus sit victoriam: qvam sane mox benignus ille Deus, ut infrà dicam, (dummodò nobis ipsi non desimus) vult concedere.

De futura & sperata contra Turcam victoria, secundum sacras Hieremiæ, Danielis, Ezechielis, aliorumq́; Prophetias. p. 11?.

POsteaqvàm superiùs causam ostendi, ob qvam Turca ad tantam pervenit potentiam, operæ precium nunc videtur, è sacro Prophetarum textu (qvantum qvidem per ingenii vires licebit) demonstrare, qvòd brevi tempore magna perfido huic Tyranno immineat calamitas adeò, ut ira Dei, qvæ tanto tempore in nos sæviebat, nunc ad in iniqvum illum serpentem sit convertenda. Qva de causa ardentissimis orationibus omnium fidelium cœtus Deo partim gratias agere, partim preces fundere debet, ut ille nobis suam largiri gratiam dignetur, qvò peccatores à sceleribus suis abstineant, infirmi fortes evadant, ac pusilla nimes resumant animum.

Et hoc qvidem, ut sacer adimpleri textus incipiat, cujus tractationem nunc inchoaturus dico; qvòd, adversario nostro, virulenti serpentis, iracundi ursi, animosi apri, velocis pardi, crudelis crocodili, & voracis lupi speciem gerente, &, dum illi arma, eqvi, milites, pecunia, victualia & Instrumenta bellica non desunt, animum tantis trophæis, spoliis & succes-

Anno sibus tumidum habente, Fideles, posteaqvàm illos inspiratio vocat cœlestis, omnem suam in Deo collocare spem debeant; qvandoqvidem ipse sine gladio aut hasta liberare potest, veluti David ad Goliam, & Jonathas ad servum dixit: ut videre est 1. Reg. cap. 14. Veni, inqviens, & eamus ad præfectum illorum incircumcisorum, fortè Dominus salus nostra erit, qvando salutare per multos aut paucos apud Deum perinde facile est.

Ea verba Judæ verbis etiam confirmantur 1. Maccab. 3. qvi inqvit: Facilis est res, multos servari per paucos; neqve differentia est apud Deum, per multos aut paucos liberare, qvoniam haud in multitudine exercitus belli sita est victoria, sed de cœlo pendet fortitudo. Ipsi contumaces & superbi ad perdendum nos, uxores, & filios nostros, deprædandumqve, cum multitudine veniunt, nos autem pro animabus nostris, & lege dimicabimus, ac Dominus ipsos ante faciem nostram dissipabit. Unde manifestum est, perfidum Tyrannum fidelibus haud formidandum esse: qvandoqvidem victoriâ & fortitudine cœlitus profectis nihil mirum sit, Abrahamum 4. Reges, Davidem Goliam immanem illum gigantem percussisse, ac Josuam, Gedeonem, Jephtem, Samsonem, Delboram, Josaphat & alios tam insignem de suis hostibus reportasse victoriam.

Unde, si ex dictis jam sententiis sperare licet victoriam, huc etiam facit, qvod suprà dictum fuit de virga Assur, stante eo, qvòd virga Assur ira sit divina, qvæ post longum usum in ignem conjicietur. Id qvod Esaias cap. 10. affirmat, dicens: qvando Dominus omnia sua opera in monte Sione & Hycrosolymis compleverit, tunc super fructum elationis Assur (hoc est, Turcarum) & super gloriam fastus ejus inqviret: propterea dixit Dominus: ego in fortitudine manus meæ, & in sapientia mea feci: nam intellexi, populorumqve terminos ac thesauros eorum auferri curavi, deprædatus sum, &c. qvibus verbis conspicuum sit, Dominum, ira sua à Christianis reflexa, visitaturum Assur, qvemadmodum ipse Dominus per Esaiam in capite suprà dicto inqvit:

Ne timeas populus meus, habitator Sionis, Assur iste virgâ te percutiet, & baculum suum supra te tollet in via Ægypti; idqve exiguo temporis spacio, & postea remittetur ira, & furor meus ad interitum illorum convertetur, suscitabitqve supra ipsum Dominus flagellum de exercitus secundum plagam Madian, & suscitabit virgam suam, extendetqve eam supra illum, & in illo die sublatum erit onus ab humeris tuis, & jugum à collo tuo.

Proinde dubitandum non est, qvin Mahometicum jugum Christianis nunc sit demendum: dicente Esaia cap. 30. Voce Domini comminuetur Assur, & percutietur virgâ. Et hoc omne evidentius à Deo promissum fuit per Esaiam cap. 13. Visitabo malum supra mundum, & supra impios impietatem illorum, & cessare faciam superborum superbiam, & fastum potentium humiliari. Unusqvisqve ad populum terramq; suam revertetur. Qvantumcunq; ergo per tot Regnorum ac provinciarum accrementa superbiat Turca, qvilibet tamen id novisse debet. Anno

Suffocetur itaqve perfidus iste Tyrannus, qvemadmodum evenit Pharaoni fidelem populum persequenti: perimatur instar Goliæ, exercitum Dei infestantis: eveniat illi, sicut Holoferni, Sennacherib, Adonisech, Agag, Nabuchodonosor, Antiocho, & sicut 5. Regibus Amorrhæorum cum Josua pugnantibus; pluant supra illum de cœlo lapides, ut dicit Dominus. Hæc dicta confirmantur per Lucam Evangelistam, cap. 21. Magna erit afflictio super terram, & ira in hoc populo, perqve aciem gladii cadent, & captivi ducentur in omnes gentes, & Hierosolyma conculcabitur à gentibus, usqve dum completa sint gentium tempora.

Unde conspicuum evadit, gentem Mahumeticam Hierosolymas non semper possessuram; sed tantisper duntaxat, dum completa sint gentium tempora: qvibus ita completis, Hyerosolyma Christianorum manibus est reddenda. Non hic refert commemorare, qvoties Hierosolyma fuerit capta: nec qvenqvam latet, 6.
qvòd in Judæorum potestatem non amplius sit ventura: qvandoqvidem Dominus per Amos Prophetam cap. 2. dixit: in tribus Israëlis transgessionibus indulgebo, qvatuor non indulgebo qvartæ; siqvidem argento justum, & pauperem pari Calceorum vendiderunt. Et postrema vice Hierosolyma Christianorum manibus fuit erepta anno Domini 1187. die 2. Julii. Itaqve jam elapsi sunt anni 382. ex qvo Saraceni & Turcæ loco isto potiuntur.

Unde cognoscimus, dictum tempus esse adimpletum, dum Turcæ prædones, homicidæ, & fidelium verorum Christi membrorum persecutores, iram Domini, qva qva versum illa sese extenderat, sunt executi: & qvemadmodum Dominus causam exposuit Abrahamo, cur terram Canaan semini ejus non esset daturus: sic ad præsens tempus dictum illud Esaiæ cap. 21. de interitu Babylonis accommodari potest: ubi inqvit Dominus: vade constitue speculatorem qvi referat, qvod viderit, & vide currum, & duos eqvites: currum Asini, & currum cameli. Qvare Rom.

Impe-

Anno imperator notatur, qvi tardus & piger [ut Echio scribit] ad defendendos contra Turcam Christianos, magno cum furore camelii instar exurget, ac vindictam à Turcis sumet: qvæ destructio ab Ezechiele cap. 35. aperte fuit prædicta.

Dixit Dominus: qvemadmodum lætatus es supra hæreditatem domus Israël, qvòd illa sit desolata: sic ego & tibi faciam. Qvasi diceret Dominus: qvando, o Turca, sanguinem Christianorum omnium maximè persequêris, tum ipse te perseqvetur. Sicuti per vaticinium Danielis cap. 12. (qvod est: Beatus qvi expectat, & pervenit usqve ad dies 1335. Tu autem vade ad finem, & qviesces, & stabis in sorte tua in finem dierum) qvasi præfixum Ottomannicæ familiæ teempus fuit demonstratum: sic per eandem Prophetiam qvasi destinatus Ottomannorum finis ostenditur. Proinde in jam dicta sententia, Tu autem vade, inqvit Daniel, ad finem, & qviesces; qvod est: dura patienter ad finem hujus Draconis, tunc enim incipientem invenies reqviem.

Unde tempus hujus sermonis descriptumus (vade usqve ad finem, & qviesces: id est: perdura ad finem, & universalem invenies qvietem) dico, qvòd Hebræi literas duorum istorum Danielis versuum numerales considerando, de verbo adverbum in lingua sua Hebræa certum illarum numerum accipiunt, ex qvo tempus hoc modo resultat:

Asre	511. Beatus,
Hamchachéch	78. qvi expectat,
Veraghitha	99. & pervenit
Leiamim	130. usq; ad dies
Elef	111. mille,
Scelós Meôth	1077. trecentos,
Scelocim Vachamisâh	1039. triginta qvinq;
Veatáh	412. Tu autem
Lech	50. vade
Lachéz	220. ad finem,
Vethanuach	470. & qviesces,
Vethahamód	520. & stabis
Legoralchách	283. in sorte tua
Lechez	220. in finem
Hagiamin	115. dierum.

Omnes illi numeri simul sumti conficiunt 5335. & hi sunt anni, qvi secundum Hebræorum consvetudinem numerandi sunt à principio mundi. Unde hi anni, utpote solares, in annum Salvatoris 1575. inciderent: qvo tempore secundum Hebræos magna qvies & pax erunt. Qvamobrem dici poterit, tranqvillitatem hanc non aliunde profecturam, qvàm per interitum Mahumetani & Ottomannici sceptri: id qvod universalem afferet qvietem.

Ulterius per calculationem supra dictam nil aliud intelligi posse, arbitror, qvàm finem pestiferi serpentis. Qvapropter David 2. Psalmo jam dictam Danielis sententiam qvasi confirmans, dicit de anno 1572. debere Deum iram & furorem deponere, & concedere qvietem; hisce verbis: osculamini filium, ne irascatur, & pereatis à via. Et paulò pòst: brevi exardescet furor ejus; beati omnes, qvi sperant in eum. E textu Hebræo tempus hujus vaticinii secundum ordinem suprà dictum eruitur hoc modo: Anno

Nasceeu	456. Osculamini
Bar	202. filium;
Pen	130. ne
Jeenáph.	141. irascatur,
Vethoudu	419. & pereatis
Dérech	224. à via.

Hi numeri computati producunt 1572. Et hi solares sunt anni, ab annis Jesu Christi filii Dei inchoandi, per vocem: Osculamini filium, Congratulamini vobis de Christo, ne vobis irascatur. Nam brevi, inqvit Propheta, exardescet furor ejus. Qvasi diceret: tolerate paulisper; mox enim prætéribit furor divinus, & Beati omnes illi, qvi sperant in eum. Itaqve Dominus anno 72. dilectorum suorum recordabitur, qvo tempore divinum suum deponens furorem, deprimere Mahumeticam & Ottomannicam incipiet feritatem: unde postea, juxta memoratum Danielis vaticinium, anno Domini 1572. universalis erit reqvies: qvam qvidem à Domino precamur.

Aliâ qvoqve de causâ futura nobis contra Turcam speranda est victoria. Sciendum, sub imperio Turcico in aliqvot regnis ac provinciis, ut Bulgaria, Servia, Bosnia, Romania, & aliis in locis magnum adhuc esse Christianorum numerum, qvi patienter Turcicum sustinentes flagellum, magno cum angore suam redemtionem expectant. Hi, inqvam, variis modis sunt oppressi, non tantùm tributis, exactionibus & injuriis: sed etiam levem qvamlibet ob causam vita privantur. p. 889. Miseri hi Christiani, qvantò pejus cum ipsis agitur, tantò ferventiùs DEUM precantur, cum Davide Psal. 119. dicentes: Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi, &c.

Ad horum preces omninò sperandum est inclinari aures Domini, qvandoqvidem sine intermissione vivas spargunt lacrymas, cum Davide Psal. 19. clamantes: Exaudi nos Domine in die, in qva invocaremus, &c. Libera nos, sicut Danielem è captivitate Babylonica, Josaphat è multiplicibus insidiis, Judith ab Holopherne, & Judam Machabæum ab ingenti Lysiæ exercitu, & à Nicanore liberasti. Unde

Anno Dominus exaudiendis precibus facilis, per Hieremiam cap. 29. dixit: Ego novi cogitationes, qvas supra vos cogito: cogitationes pacis, non autem afflictionis: ut finem vobis concedam & patientiam: invocabitis me, & ibitis: orabitis, & ego vos exaudiam: qværetis me, & invenietis: inveniar à vobis, & reducam captivitatem vestam, &c.

In captivitate Babylonica, qvoniam ibi pii qvidam Dei ministri, ut Daniel, Tobias, Esdra, & alii erant, qvantumvis inter eos qvàm plurimi improbi & perversi reperirentur, nihilominus tamen Deus suam illis misericordiam non subtraxit, sed anno septuagesimo eos liberavit. Cur itaqve non etiam de Salvatore nostro JESU CHRISTO speremus, qvòd infelices illos Christianos, qvi sub maligno Tyranno inviolatam servant Catholicam S. Ecclesiæ fidem, à crudelissima servitute sit liberaturus? Hi, inqvam, fervidi Christiani cum Davide integrum 73. psalmum ad Deum fundunt: ut qvid Deus repulisti in finem? &c. Comprehensum in hoc psalmo auxilium Dominus afflictis suis per Ezechielem cap. 34. his verbis promisit: Ecce, ego reqviram oves meas, & visitabo eas, sicut Pastor suum visitat gregem, in die, qvando medius consistit inter oves suas dispersas: ita ego visitabo oves meas, easqve liberabo ex omnibus iis locis, in qvibus erunt dispersæ.

Sperare nobis etiam licet victoriam ob assiduas beatorum Sanctorum preces, qvi ad cœlestem evecti gloriam continenter hanc Deum orant victoriam. Unde si Dominus Lothum, Abrahamo, & Judam, Davide intercedente, liberavit; ad hæc, si Deus protexit Hierosolymas, & in gratiam Davidis non dissipavit Judæam: qvid nos per Apostolos & discipulos Salvatoris nostri nobis non pollicebimur? Et qvam ob rem precari debent Patriarchæ & Episcopi? non precaturos, putabimus, pro suis Provinciis, ut Catholicorum manibus restituantur? Imò certè Joannes pro Epheso, Andreas pro Achaja, Paulus pro Corinthiis, Dionysius pro Atheniensibus, Lucas pro Antiochenis, Gregorius pro Beritinis, Chrysostomus pro Constantinopolitanis, sicqve alii pro aliis locis Deum orabunt non secus, atqve David fecit pro Hierosolymis. Et hunc in modum gloriosa procul dubio Christianorum succedet victoria.

Anno *De suprà dicta Victoria, juxta varias S. Brigidæ, aliorumq; prophetias.*

Qvamvis dignam gloriam, palmam, & sancta trophæa, per Fideles illis annis cum futura contra Turcam victoria reportanda, è sacris prophetis abundè monstraverim: tamen, ne qvicqvam desideraretur, ostendendum etiam duxi per dicta qvorundam sanctorum Virorum & Mulierum, aliorumqve hominum visiones, inspirationes, aut, divinos quasi discursus, horum temporum, inprimis autem futuræ contra Turcam victoriæ statum. Itaqve dico, sciendum, propinqvissimam esse Mahumeticorum destructionem.

Qvocirca canunt prophetiæ, qvòd inter Antichristum mixtum [in Italico habetur misto nec, satis constat, qvid per Antichristum mixtum sibi velit: unde fortassis mysticum substituere liceat?] per Roboan figuram, & inter verum, per Nabuchodonosor designatum, secta Mahomitica in universum abolenda & dissipanda sit: id qvod Methodius, magnus ille Abbas, & alii sentiunt. Et ad demonstrandum, utrùm Antichristus mixtus jam advenerit, necnè, dico: qvòd S. Augustinus & Lactantius, & Gregorius illum post annos 200. exspectârunt: & S. Eduardus de revolutione 7. dormientium dicit, tormenta sua 70. annis post 1100. circiter annos fore.

Sic multi Sanctorum, venisse jam illum, de suo tempore prædicârunt: alii nasciturum de Monacha, eqve Germania, Italiæ à Septentrione confini oriundum. Insuper dictum fuit, mittum hunc Antichristum unum è tribus falsis Pontificibus futurum, vi & dolo à certò qvodam imperatore creandum, qvi Papa hunc Imperatorem sit coronaturus, Christianismum, per Italiam præcipuè, extincturum. Secundum falsum pontificem, Græcum: tertium autem fore Italum.

De tribus his falsis Pontificibus Sibylla scribit Erythræa: veniet alia Aqvila, qvæ ignem gremio, sponsæ imponet, & erunt [Locus hic subobscurus, apud ipsam Sibyllam videndus] cum ipsa Aqvila tres adulteri, sed alius sponsus legitimus illos devorabit. De his tribus adulteris Joannes in 16. Apocalyps. scribit: Et vidi ex ore Draconis egredientes ranarum instar, tres immundos spiritus, qvi à Regibus terræ ibant, congregatum illos ad prælium, in die Domini. Tribus his adulteris Abbas certos assignat titulos. Et scribit Frater Rusticianus, abbreviator prophetiarum, discordes qvidem inter se fore tres istos Antipapas, sed in hoc concordes, qvòd nimirùm ituri essent contra verum sponsum, ad exterminandum illum: sed hunc (ut verè contigit) exterminaturum illos.

Ad intelligendum hæc, & qvæ similia sunt his, mysteria, necessum est, ea non humano, sed divini Spiritûs modo dicta

Anno accipere, qvi res in genere considerat, & eas postea pro suo finit arbitrio. Itaqve dico, unumqvemqve ex tribus hisce adulteris suo extitisse tempore. Græcus hoc modo fuit: qvòd videlicet veri Pontificatus destructio profecta est à tribus factionibus contra Ecclesiam excitatis: adeò, ut primi Antipapæ, constantis animi, fuerint Patriarchæ Constantinopolitani, seu Græci, à perfidis Imperatoribus concitati: unde omnis ruina Arriana contra Romam per Aqvilonem à Gothis, Lombardis, eorumqve asseclis processit. Et hic fuit Antipapa Græcus.

Inde ab illustrissimis Venetis per bonos Imperatores Orientales, ac demùm à Carolo Magno, rebus in debitum ordinem redactis, pòst in Italia propter Papatum continua extitit dimicatio: qvia imperium à Gallis sanctæ Ecclesiæ Protectoribus fuit translatum, adeò ut per il soporto (in qvo sensu hoc Italis dicatur, haud memini) Germenorum imperatorum in centum annis, & ducentis pòst Carolum Magnum, primum Mundi verum Imperatorem, reperta sint (qvemadmodum est in sacro ceremoniali) multa schismata. Ita se habuit per tot scismata, intrusiones & expulsiones Antipapa Italicus.

Græcus Antipapa per Turcam totus est absumtus: Italicus jam dudum evasit debilissimus: ut omne periculum in Antipapa Germanico omnium deterrimo consisteret, ob confœderationem cum Turcis, Saracenis, Scythis, Tartaris seu Barbaris habendam: id qvod factum est. Antipapa hic Germanicus, seu mixtus Antichristus, omnium pessimus, olim à Sybilla Symea fuit prædictus, ita dicente:

Cùm fuerint anni transacti mille ducenti
Et decies bini post partum virginis almæ,
Tunc Antichristus nascitur Dæmone plenus.

Qvando igitur circa annum 1190. à multis Antichristus brevi futurus fuit prædictus, evênit illud à mundo non animadversum, & qvidem qvòd oriundus esset à Moniali. Hic alius nemo fuit, qvàm perfidus ille Tyrannus (qvi inter cæteras urbes Brixiam & Mediolanum admodum afflixit) Fridericus Imperator, cujus impietatis occasione illustrissimus Senatus Venetus, mandato Pontificis Romani, imperio maris fuit potitus.

Hic Fridericus filius erat Constantiæ, Roggieri Filiæ, qvi filius fuit Roggieri 3. Ciliciæ Regis, qvæ in Monasterium S. Mariæ de Panormo (qvanqvam unica hæres) conclusa, ruina (secundùm magnum Abbatem) illius Regni esse debuit. Hæc Constantia in Monasterio ad senectutem usqve morata, & Abbatissa illius loci munus gerens, ex eo educta, Henrico Imperatori, Patri hujus Friderici, Anno 1191. matrimonio juncta fuit, & anno 1194. Fridericum istum peperit: idqve [res stupenda & admiratione digna] anno ætatis suæ 55. Anno

Ita filius ille Diaboli, Antichristus personalis & mistus, de factione sua Idolum seu Antichristum constituit mixtum, qvo omnibus sibi subjectis populis interdixit, qvòd, qvisqvis idolo suo nollet obedire, & aliqva in re Pontificem Rom. qvi se Christi diceret vicarium, adjuvaret, perditus atqve proscriptus esset. Hoc, ut semel dicam, Christianitatis fuit incendium. Qvamobrem non in Occidente solùm, sed etiam in Oriente, disturbando la santa cruciata, (id est, sanctæ cruciatæ ordinem) qvæ est Hierosolymis, nocebat.

Nam [juxta Pandolphum Collenutium in compendio de Neapoli] Romam usqve perveniens, magnum ibi damnum & internecionem dedit: exercendo, inqvam, contra eos, qvi ordinis sunt sanctæ Cruciatæ, sævitiam adeò, ut eorum nonnullis vulnera infligi in modum crucis, aliisqve multis caput eodem modo findi, Sacerdotibus la cogida della chiericà (qvid codiga Italis significet, me latet: sed, partem esse vestis sacerdotalis, ex hoc loco colligitur) in crucem discindi, multaqve alia diabolica damna afferi curaret.

His ita comparatis, dici potest, fuisse illum non Lombardiæ solùm & Italiæ, sed ipsius etiam Germaniæ ruinam: si qvidem Fridericus Barbarossa Patre & Avo non minor fuerit. Unde multa Germaniæ loca fuerunt infecta, ut ibi templa, Monasteria, & Religiosi malè tractarentur: qvæ res postea qvasi in causa fuit, cur Turcæ in Forum Julium & alia loca (qvamvis cum suo damno) toties excurrerent.

Cùm itaqve demonstraverim, venisse jam Antichristum mixtum: verè potest affirmari, secuturam hisce annis Christianorum contra perfidum illum serpentem victoriam. Priusqvàm autem Unionem (uniendorum imagines posuit autor tres, Leonem; agnum infulatum, & gestantem pedum Episcopale, stantemqve super monte; atqve coronatum gallum; hoc addito versu: *Unio conspirat sancta, incursura colubrum.*) Ostendam Fidelium non prætéribo alia qvædam de hac ipsa unione vaticinia.

Primum ergò in prophetia typis excusa cum prognostico qvodam Joannis Anshelmi Nostradami [si modo fidem meretur] instantib9 nunc annis adimplendo, reperio qvod sic habet: Regnorum occidentalium discordia Magno cuidam Orientali Principi

 spon

Anno p. 891. spem faciet illorum potiendi, qvi magnis viribus, Fidelium extirpandorum causa, venturus, horrorem omnibus ac formidinem incutiet. Tunc Aqvila & Gallus reconciliabuntur, coibuntqve ad resistendum Principi illi Orientali, Leone tamen Maris illos adjuvante, & Christi ministris pariter ad sui defensionem, tantiqve incendii extinctionem concurrentibus.

Insuper, cùm celebris admodum vir, sanctam Fidelium unionem suscitaturus, esse debeat, imitatione Theolesphori Cusentini prophetiarum compilatoris, dico: Instantibus his tribulationibus, Pontificem fore spiritu plenissimum, qvi cum sancta unione initium abruptionis tribulationum, ad immanis bestiæ adventum usqve faciet. Pergitqve idem Abbas, dicens in suo libro de Conc. Circa prædicti Beatissimi Papæ tempus idem erit munus, qvod sub tempus nativitatis nostri Salvatoris fuit: siqvidem alter qvidam Zacharias erit, & alter Joannes Baptista.

Jam autem, qvòd prænominatus ille sanctissimus Pastor sit præsens Pater noster, sanctissimus Pius Qvintus, ex dicto di Rabano (de hoc autore dictisqve his vide in parte prima hujus operis fol. 468.) probatur, dicentis: Ite, fidelis mei [inqvit Dominus] celeres, & invenietis virum religiosum, Amicum meum, carcere conclusum, non in domo regia, calvum, nigrum gerentem cucullum, & in prospiciendis magni momenti rebus acutissimum: sed sciatis, moriturum eum in hisce afflictionibus. Et pergit Abbas hunc in modum: Hicqve ob plurimas suas virtutes nominabitur angelicus, hicqve Pastor fidelium.

Sic contigit nostro Pio Qvinto: cùm in novi post Pium Qvartum Pontificis creatione, divinus Spiritus cogitationes sancti Cardinalium Consistorii ad Pii qvinti electionem deflexit, qvi [ut Ordinis erat Prædicatorum] nigram gestans cucullam, atqve humanarum cogitationum veluti carcere clausus (qvando nemo, vel saltem paucissimi de eo cogitabant) in auspicato illo die summus Christi vicarius fuit electus: ut meritò inter Fideles cantari potuerit: Benedictus, qvi venit in nomine Domini.

Jam super illam sententiam di Rabano, qvòd moriendum sit Pastori, pendente adhuc perfidi Tyranni tribulatione: scriptum reperitur in Abbatis prophetia, de Martini qvinti pontificis successoribus tradita, qvòd de Pio qvinto, seu de Pii qvarti successore loqvens motus ille propheticus, ait: Morietur in bello, qvi præparabit volatum in perniciem impiorum: ubi aliqvi sentiunt, dicturum eum fuisse: Munietur in bello, ac præparabit, &c. Præterea, Pastorem hunc Angelicum eum esse futurum, qvi hominum pectora ad vitam honestam & spiritualem sit suscitaturus, & vitiis positurus obicem, hoc est, è cordibus hominum ea exemturus: unde pax propemodum universalis seqvi debeat: id ego statim ab ejus electione prædixi, & hoc meum præsagium figuris notatum hieroglyphicis ad ejus sanctitatem transmisi.

Transiturus jam ad speratam victoriam, affirmo, eam esse propinqvam: qvandoqvidem Dominus cum Christo, filio suo unigentio (ut ex revelatione S. Brigidæ libro 3. cap. 33. patet) loqvens, Profectò, inqvit, cùm te non sine sponsa degere, eamqve non, nisi qvam castissimam habere, deceat, ideò ego amicos meos, hoc est, Christianos cum vicario meo ablegabo, qvi tibi novam sumesit sponsam, aspectu venustam, honestam moribus, & desiderabilem, eamqve in cubiculum tuum [hoc est Ecclesiam] adducent. Hi mei amici celeres erunt, instar avium, qvia meus propemodum ipse spiritus eos transferet, qvi fortes erunt, eorum instar, ante qvorum manus mœnia concident: magnanimi eorum instar, qvi non formidantes mortem, suam reliqvere vitam prompti sunt. Hi novam tibi sponsam (sectam scil. Mahometicam) adducent, sibiq; magno cum honore, ornamento, devotione & caritate acqvirent; idqve cum labore insigni (depugnando scilicet) & perseverantia. Ego, qvi jam loqvor, is sum qvi in Jordane & monte clamavi: Hic est filius meus dilectus. Sermones mei mox erunt completi.

Hæc nova sponsa nil aliud est, qvam S. Hierosolyma, & secta Mahometica ad Christum, hoc est S. Ecclesiam, Fidelium Matrem, reducenda. Porrò ad pleniorem temporis speratæ victoriæ, & destructionis Turcarum nunc instantis demonstrationem, videndum propheticum S. Ilemechobi [cujus suprà meminimus] Episcopi dictum, qvi demonstrata per suam prophetiam [à S. Methodio confirmatam] Filiorum Ismaël origine, de eorundem interitu postea loqvens ait,

Et post dierum tribulationem, ab Ismaëlitis, totum penè orbem vastantibus, perfectam, illi ornamentis ex auro, argento, purpura, & preciosissimis decorati vestimentis, ceu sponsi dicent: Neqvaqvam è manibus nostris elabentur Christiani: deqve suis gloriabuntur triumphis, dicentes: Ecce vidimus terram per potentiam nostram, & omnes eam inhabitantes. Tunc Deus fidelium suorum secundum suam misericordiam recordabitur, eosqve è manibus Saracenorum eripiet,

Itaqve

Itaqve è Gallia gens Christiana cum Rege prodibit, qvi cum illis confliget, occisisqve illis uxores eorum ducet captivas, interimetqve eorum filios. Atqve ita filii Ismaël per gladium & tribulationem ibunt, retribuenturqve illis à Domino, qvæcunqve aliis intulêre mala, ac Dominus insuper mala illis superingeret septies deteriora, qvàm ipsi conciliaverunt aliis. Dabitqve Deus illos in manus Christianorum, & regnum Christianorum super omnia regna extolletur, & Christiani jugum illis imponent grave, qvi servi erunt perpetui, qvotqvot illorum remanserint. Tumqve universus pacabitur orbis, antè ab illis destructus, &c.

p. 192.

Hæc Ismaëlitarum pessundatio affirmata fuit à Sibylla Tyburtina, sic loqvente: Prodibit vir, qvi de Christianorum regno contra filios Ismaël sumet vindictam, illos abolebit, Regnoqve Christiano molestissimum Saracenorum jugum excutiet. In diebus illis post Græcos & Saracenos nemo regnare poterit, eritqve pax in regno Christianorum, usqve ad tempus Antichristi magni, & illo pacis tempore terra tam uberem producet fructum, ut una frumenti, vini, oleivé mensura non plus uno denario sit valitura. Et Rex ille ante oculos scriptum geret: Rex Francorum, Græcorum, & Romanorum, & ipse vastabit omnes insulas, cum urbe pagnorum, perqve universum terrarum orbem omnia idololatrarum templa & synagogas diruet, omnemqve infidelium cœtum ad beatissimum Papam convocabit, sanctaqve Salvatoris Crux per omnia templa elevabitur.

Sanctus Bonaventura in qvadam sua, qvam circa annum 1512. edidit, prophetia de hoc Turcarum interitu loqvens, proximum esse tempus, dixit, qvo Turca vehementer infestabit Italiam, sanctamqve Ecclesiam cum universis Christianis mirifice affliget, reportabitqve inde leves aliqvot victorias, sed tandem boni Christiani, ex suo erga Deum sanctamqve Ecclesiam zelo, in exiguo numero cum illo congredientur, eum devincent, atqve ad sanctissimum Pastorem CHRISTUM adducent, sicqve ille sacrum Baptismum percipiet.

De hac contra perfidum illum Draconem victoria scribit S. Severus: Et fiet transitus à Rege qvodam, turmisqve, qvas secum habebit, eqvestribus, & tunc qvasi universalis per magnum Leonem, dictumqve illum Regem, fiet ad Christi fidem conversio, & ipsi, Rex nimirùm ac Leo continuè gaudebunt: qvia perpetui erunt amici. Rex iste Aper est dictus, ut inqvit Cataldus Fineus cap. 11. Surge spinose porce, & assume leones pro sociis & cum dispersis parvis serpentibus, ibi comprehendes immanem Draconem, hoc est, sylvestrem Leonem, ad prædam exurgentem.

Et paulò antè inqvit: Ah, ah infelix Babylonia, [secta scilicet Mahometica] barathrum sacerdotum, mox supervenient tibi dies afflictionum, ut matura segula [Segula falcem alioqvi significat Italis] in tuis iniqvitatibus, patieris gravem triturationem, Reges ab omni latere te cingent, sanctosqve Dei homines (hoc est, Fideles) congregabunt, ne sint in judicio. Et antè illa scribens, locum designat, unde hæc emanabit afflictio: Italiæ sagitta ad ortum usqve solis, (hoc est, in Orientem) penetrans, omnem immunditiem inde expurgabit, ibiqve Salvatori plantabit vineam, eritqve ibi floridus princeps, cujus nomen novum est, & cui omnes se populi submittent, eritqve illi Orientalis corona data in custodiam.

Cùm itaqve perfidi Turcæ, tanqvam filii Ismaël, cum suo furore, maximè verò sacrificii sanctæ Missæ in omnibus à se occupatis locis abrogatione, honoris Sacerdotum abjectione, templorum crematione, bonorum & thesaurorum ecclesiasticorum abusu, omniumqve sacrorum locorum prophanatione, prædicta compleverint vaticinia, finem illorum imminere, statuendum est idqve brevi futurum: stante eo verisimili, qvod S. Methodius affirmat, Filios illos Ismaël, videlicet Turcas, Germaniam, ac multò minùs Italiam, non subjugaturos. Cùm itaqve Turca omnem Europæ partem Orientalem, ac ferè & meridionalem, & Africæ partem qvoqve occupaverit, jamqve Germaniæ per Ungariam, & Italiæ ejusqve Provinciis minetur, manifestum evadit, non longè furoris illius abesse finem.

Jam certè tamen erit, caput efferæ comprimet bidfa.

De Rege Christiano supra dicto, qvi unà cum Leonibus seu peritis nautis Turcæ obviam fit iturus, variæ sunt considerationes. Sunt qvi dicant, fore invictissimum Imperatorem, alii Regem Christianissimum, alii Regem Catholicum, & alii Regem Angliæ: qvæ res si superficietenus consideretur, dubia planè redditur: qvandoqvidem Cataldus Fineus de Gallo & Hispano loqvitur: Juvenis autem Anglicus Anglum forte statuit. Veruntamen aliqvis forsan est futurus, qvi erit hæc omnia. Fortè etiam continget, qvòd peritus Nauta prodibit, eritqve primus in certamine, qvi se Turcis opponet.

Qvapropter Juvenis Anglicus 2. suæ prophetiæ lib. c. 1. Illa gens, inqvit, qvæ habitabit supra littus (cujus antecessores ex iis erunt, qvi persecutionem fugerunt Attilæ) cujus dominus caput argento involutum gestabit, alterum brachium longũ, & alterum habebit

Anno habebit curtum, id qvod supra mare illi crescet, & hoc illi dabit Gubernator seu Dux illius temporis. Propterea hæc gens plurimùm præ cæteris omnibus totius mundi gentibus in se bonitatis habebit. Gens hæc initio vili pendetur, qvando eorum exiguus erit numerus, sed postea per omnia loca aqvis pervia erit formidabilis. Et hi bonam in se proprietatem habebunt, multùm illis apud Deum & homines profuturam, qvòd nimirùm nulla re communitatem suam fraudabunt: hæcqve illorum proprietas apud illos durabit, donec curtum brachium Græciam versus illis crescat: qvo qvidem tempore multi improbi suam illis fortunam invidebunt adeò, ut facinorosorum nautarum nomen (qvamvis mendaciter) sint gestaturi. Et hoc nomen tam magno Serpentinis [Turcis] constabit, ut non, nisi cum eorum venia, mare ampliùs ingredi sint ausuri.

p. 893. Et seqvitur in ejusdem libro cap. 2. Et illa Naturam provincia nomen habet V. (hoc est Venetiæ) & principalis ejus locus vocabitur R. hoc est, Rilato, id est, rivus altus. Inchoato itaqve per peritum Nautam certamine, seqvetur Aqvila Septentrionalis, sed cum exiguo volatu, ob pennarum inopiam. Unde postea, si concordare volumus vaticinia, mortuo forsitan Imperatore, pendenteqve inter Electores lite, pluribus in locis, qvàm ut credi possit, magni enascentur rumores. Ac proinde prophetica Martiniana Chronica sic habet:

Et omnis hominum malitia contra sponsam erit directa, nec per 25. menses qvenqvam habebit defensorem, qvia nec imperator in Septentrione, nec Papa Romæ, (qvòd tum fortè ibi non sit futurus, qvemadmodum aliqvando cum Venetiis reperiri contigit) neqve Rex Galliarum iis erit temporibus.

Qvare, qvantum ego qvidem conjicio, post Italiam, Hispaniam, Galliam, & Germaniam, in meliorem statum unionemqve reductas, summus Romæ vicarius Pastor confirmabitur universalis, eritqe unus tantummodò dominus, hoc est, Imperator, sub qvibus unicum duntaxat regnum erit, unicus fidelium grex, ac fides unica. Unde statuendum est, qvod Rex iste in vaticiniis prædictus, omnium Christianorum Imperator creatus, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ atqve etiam Germaniæ Rex erit. Et ita demum adimplebuntur vaticinia.

Jam, qvòd hic Rex debeat esse Rex Galliæ, Hispaniæ, & Angliæ, Cataldus Fineus de insigni Turcarum invasione loqvens, ait: Exurget Rex Lilii, qvi frontem habebit longam, elata supercilia, oculos longos, nasum aqvilinum: hic ingentem colliget exercitum, omnes regni sui Tyrannos exterminabit, & sub eo erunt Angli, Hispani, Arragonenses, Itali, cunctiqve Reges Christiani, & coronam obtinebit geminam. Posthæc transmisso pelago, magno cum exercitu Græciam intrabit, omnesqve Turcas & Barbaros sibi subjiciet, ac qvotqvot Christum adorare crucifixum detrectabunt, ad mortem condemnabit: qvo facto, pax inter Christianos florebit. Anno

Et pariter: qvòd Rex Angliæ, & qvidem Leoni junctus esse debeat; illo tempore, inqvit Juvenis Anglicus lib. 4. cap. 16. Rex Angliæ, numerosæ Gentins dominus, Ecclesiæ mandato, defuncto magno campiono [fortè capitaneo] in S. Ecclesiæ gratiam mare cum peritis Nautis transmittet.

Jam, qvi sint periti illi Nautæ, ostendit ipse Anglicus libro 2. cap. 2. Præfectus tanti navalis exercitus erit Venetus. Et ulteriùs libro 3. cap. 45. Priùs, inqvit, qvàm veniat Filius perditionis, hoc est, verus Antichristus, tantum Hierosolymis suscitabitur bellum, ut totus Orbis illud sit experturus, & tum Hierosolyma Saracenorum manibus eripietur. Sed victoria dicti regis erit, ut bonorum Nautarum, hoc est, Venetorum, qvorum successus esse debet, qvalem ponit prædictus F. Rusticianus, ita scribens: Reliqvum est, ut abolito magno Campione (Duce, Gladiatore, seu Capitaneo) contumaci, hoc est, utroqve Antichristo, utriusqve littoris, hoc est, Parisiorum & Venetiarum, Reginæ in æterna vivant concordia, hæc qvidem ad dispensandum, illa verò ad imperandum in charitate Orbi universo.

Imminens hæc sperataqve victoria ab ipsismet Turcis etiam proclamata est, qvi certam qvandã in Turcica sua lingua prophetiam adducunt, ex qva certò sibi persuadent, brevi futurum suum finem: eaqve talis est: Parissah omoz gehelur, &c. qvod Italicè sic sonat:

Venirà l' Imperadore &c. hoc est, latinè: *Veniet Imperator noster, eripiet Principi cuidam infideli suum regnum, auferet etiam rubrum pomum, & in suam id potestatem rediget adeò, ut ad septimum usq; annum Christiani gladium non sint capturi. Erit illorum dominium usqve ad annum duodecimum, ædificabit domos, plantabit vineas, circumsepiet hortos, progenerabit Filios, & post duodecimum annum a rubeo pomo in suam potestatem redacto, gladius apparebit Christianorum, qui Turcas in fugam vertet, &c.*

Hoc vaticinium aliqvi sic sunt interpretati, qvòd per principem infidelem princeps intelligatur Christianus, qvia Christiani Turcis vocentur Ethnici. Per rubeum pomum aliqvi amplissimam qvandam civitatem imperialem, alii Constantinopolim intellexerunt: nam duplex est lectio, vide-

Anno videlicet, Kenzul Almai, qvod significat pomum rubrum: ut urum papai, qvod idem est, ac Sacerdos Græcus, aut Patriarcha. Ædificabit domos, hoc est Moschæas seu templa Mahometica. Plantabit vineas, hoc est, novas colonias, & populorum transitus. Instruet hortos, hoc est, muniet occupatas à se provincias. Filios habebit, hoc est, secta Mahumetica incrementum sumet.

Post annum duodecimum: Turcæ duobus hæc modis interpretantur: primùm, qvòd post duodecimum eorum Imperatorem, dominium suum ad finem sit perventurum. Tunc enim apparebit gladius Christianorum, hoc est, Exurget sancta fidelium unio, qvæ in fugam vertet, hoc est, in exterminium, Turcas, hoc est, sectam Mahometicam. Alii dicunt, qvòd singuli hi 12. anni decem annos significent, ut futuri sint in universum anni 120. & hi qvidem in annum 1573. casuri. Cùm itaq; præsens Turcarum Imperator sit decimustertius, & nos annum 1573. ferè attigerimus, ideò unusqvisq; fidelium accingatur gladio propterea, qvod ab illis reportatus sit victoriam.

1594. *De futuro & sperata victoria, secundùm varia prodigia ad Caffam observata.*

MOnstratis hactenus iis, qvæ prophetiæ de sperata contra Turcam victoria produnt, ostendendum qvoqve id ratus sum, qvod olim in meorum discursuum aliqvo de miraculosis istis ad Caffam, urbem Turcis subditam, anno 1567. visis portentis judicavi. Proinde dico, qvòd die 26. Januarii, cœlo sereno, per totam urbem tres conspecti fuêre Soles, inter duos arcus, qvorum superior candidus, inferior variè coloratus erat. Hi per tres horas durârunt. Postea arcus mutati sunt, & evanuerunt, atqve superior Sol montem, alter Orientem, ac tertius Occidentem versus est progressus.

Hujus interpretatio talis erit: qvòd Sol sit luminare majus, qvodqve ab eo cæteræ stellæ suum mutuentur lumen. Qvare S. Theologi illum sapientissimè unico omnipotenti Deo assimilârunt, qvi, ut universi conditor, rebus omnibus lumen impertitur. Unde affirmare licet, qvòd superior Sol cum reliqvis duobus, qvi omnes sub candido arcu locati eum continebant, visus, sacrosanctam denotet Trinitatem, qvæ tria in uno complectitur. Ita tres illi conspecti soles, qvoniam arcu continebantur candido uno, divinitatem significârunt.

Qvantum deinde ad interpretationem attinet hieroglyphicam, apud antiqvos Ægyptios (ut sentit Pierius Valerianus) per solem unitas, summa imperii majestas, dominium, aut provincia Græca, & specialim Christus JEsus fuit significatus: qvapropter sacra Scriptura dixit: In Sole posuit tabernaculum, &c. Hinc affirmare licet, qvòd, ut Sol unitatem significat, visiqve sunt tres Soles, denotetur, Sectam Mahumeticam in tres aut plures partes divisam iri, & qvod inter perfidos illos oritura sit discordia, sive religionis, sive præeminentiæ, rixarum, odiorumqve inter illos excitandorum causa. Hincqve si è præteritis futura conjectare volumus, firmum confici potest argumentum, ita fore.

Nam anno 1077. tres in Italia Soles apparuerunt, inqve novi Pontificis electione schisma fuit exortum ita, ut Henricus Imperator, congregatis 24. Episcopis, Pontificem suo arbitratu creaverit. Præterea anno 1107. tres conspecti fuerunt Soles [illegible] Oriente, cum arcu versicolore, ac inde Turci contra Damascum arma sumsere. Adhæc anno 1157. tres in Italia Soles ac tres Lunæ, qvarum media crucem ante se habebat, visi fuerunt, fuitqve insecuta illas discordia, & schisma in electione Pontificis. Anno 1469. Romæ apparuerunt tres Soles, fuitqve Roma à Turcis infestata. In Polonia visis anno 1492. tribus solibus, subsecuta fuit inter Ungaros & Maximilianum Imperatorem discordia.

Cùm itaqve prodigia hæc oculis nostris sint obvia, statui poterit, Turcas in Græcia & Turcia, ob discordiam in illis partibus enatam, insignem aliqvam cladem passuros, ac insuper fidelibus, qvanqvam suo cum ipsorum damno, aliqvid facturos negocii.

Transeamus ad secundum prodigium. Dico, die ejusdem prædicti mensis 28. circa horam noctis qvartam, cœlo etiam sereno, visam in urbe Caffa splendidam crucem, supra qvam fulgidissima lucebat stel[illegible], & sub cruce Luna cum suis cornibus sursum spectantibus stabat: circa cujus interpretationem dico, felicem id Christianis successum portendere: siqvidem Luna apud Hieroglyphicos unitatem piorum significat, adeò, ut asseverandum veniat, Christum JEsum supra fideles suos constitutum, effecturum, ut Turcica rabies (qvæ contra Christianos gliscere creditur) in seipsam vertatur: fiatq; deinceps pia fidelium congregatio.

Exemplo huic rei Luna esse potest, qvæ interdiu an. 1156. in Italia cum cruce fuit conspecta, qvam etiam in Italia, per Fridericum Barbarossam orta, excepit afflictio. Anno 1120. Leodii, visa cruce, bellum civile fuit excitatum. Idem observatum est in Anglia anno 1190. secutæqve sunt in ea regione contentiones. Præterea, cùm Luna Hieroglyphicis Ægyptum & Persiam denotet, ideò, & illas partem tumultum Turcicorum experturas, Anno

arbi-

Anno arbitror, qvod qvidem sectæ Mahometicæ insigni erit detrimento: stante eo, qvòd Luna crucem tenebat.

Porrò ad alias progrediendo expositiones, dici poterit, qvòd tres illi observati Soles, deflexo in diversas partes suo cursu, portendant, Turcus ad Occidentem, Ortum, & Aqvilonem vires suas conversuros; sed postea, Deo sic volente, per intestinas occultè inter ipsos excitatas discordias, intemperies illorum (beneficio divino) in proprium eorum damnum, & extremam ferè internecionem cessuras, illosqve ex omni parte victoriam amissuros. Vel asseverari poterit: Turcam aut regnum illius in tres pluresvè partes scissum iri, singulis partibus ad proprios suos & antiqvos possessores redituris.

Qvamobrem illa in Oriente [ut dictum est] animadversa prodigia, Turcas furiosè contra Christianos insurgentes, suam ipsorummet ruinam paraturos, prænunciant: qvandoqvidem ita feret divina voluntas, ut tandem tam sordida in fidelium colluvies, excusso dæmone, sub suave jugum S. Ecclesiæ sese recipiat. Qvod uti sic fiat, unusqvisqve Deum orare debet: sin minùs, fiat voluntas Domini.

p. 895. *De prædicta futura sperataq; victoria, secundùm varia vaticinia & prognostica.*

QVamvis futuram & speratam contra Turcas victoriam primùm juxta sacros Prophetas, deinde secundùm alia vaticinia, observataqve præsagia satis superqve demonstrârim: non tamen alienum fuerit ab instituto, Astrologicè etiam, qvantùm videlicet sydera ad exspectatam præsentibus hisce annis victoriam inclinent, ostendere, ac, ut aliqvi sentiunt, qvinqve, aut pauciorum, secundum alios, annorum spacio. Ac fortassis hoc 1570. [qvod Deus faxit] hujus rei illustre qvoddam fiet principium, cùm de sancta Fidelium unione, tum de tumultibus Turcicis, eorumqve damnis intelligendo.

Proinde rem aggressurus dico, qvòd in prognostico, (sotto brevità) anni 67, 68. & 69. à me facto scripserim, in fine anni 1569. hoc est, sub veris anni 1570. principium, tractatum iri de unione fidelium, idqve hisce verbis: Medici qvidam potentes Mithridatium qvoddam seu Theriacam præparabunt, qvæ venenum rabidi serpentis propemodum extinguet: qvam ob causam oraculum Mechæ penè fatuum reddetur.

Hoc à Joanne Anshelmo Nostradamo confirmatur, sic dicente: Nova qvædam navalis expeditio fiet, facietqve omnes eos profundè reculare, (hoc qvidem verbum in Italico sermone nec audire me unqvam, nec etiam legere memini) qvi ingressuri fuerunt Europam humilem, & novas ibi sedes fixuri: nam conatus eorum erunt frustranei. Et alio qvodam loco inqvit: O calamitosum, per conflictum qvendam, Regis illius finem! ô formidabilem novi Tyranni exitum, qvi magnis Regibus occasionem præbebit cogitandi de eo, qvod faciendum, &c. Et in præcedentibus inqvit: Qvidam ex propria voluntate & sumtibus in militiam ibunt, & major Italiæ pars inde erit immunis. Et in seqventibus: priùs fortè, qvàm Augustus prætereat, propter Saturni & Martis conjunctionem, utilis qvidam apparatus & principum Christianorum unio sperari potest, unde aliqvis [Turca videlicet] depressus ægrè rem feret.

Ad hanc unionem, suscipiendaqve adversus malignum istum Tyrannum arma, qvod attinet, Joannes Lichtenberger seu de Claromonte in suo de anno 1484. ad imminentes hosce annos producto vaticinio, multis retrò annis multa de Catholico contra Turcas bello præsagiens, ac de Illustriss. Senatu Veneto cap. 24. loqvens, Princeps, ait, illustrissime, qvi Leonem gestas coronatum, ab omni impedimento liberum, attende clementer, ut principem decet: qvandoqvidem ex sententia Ptolomæi, Sapiens dominabitur astris; cælestes influxus tibi tuisqve multiplicem prænunciant fortunam. Qvamobrem tibi tuisvè Leoncini montesi [id est, magnis, vel Leunculis fortè] ingentes conferentur honores, aut vel tu ipse, aut aliqvis ex tua familia [hoc est, Civis aut nobilis] exercitus erit sive eqvestris, sive pedestris capitaneus, aut navale geret imperium, aut potestatem habebit vitæ & mortis, & urbes cum castellis ob tuum adventum contremiscent, ac si sapienter circumspexeris, magna tibi tuisq; continget felicitas, &c.

Et hæc unio armamentorumqve provisio, qvæ fieri debebat, non in alium finem suscepta fuit, qvàm ob Tyranni alicujus, hoc est, Turcæ adventum: de qvo ego meum præterito septembre, qvoad statum anni 1570. ferens prognosticum, ejus adventum his verbis prædixi: qvod syderum influxus minantur, à perfido proficiscetur Tyranno, qvi non exiguum afferet damnum: ingentem iis qvos attigerit, eorumqve vicinis terrorem incussurus.

Hoc Annibal Raymundus Veronensis, peritissimus affirmat Astrologus, qvi de successibus anni 1570. sermonem habens, inqvit: Princeps qvidam tantæ astutiæ, tamqve immanis erit animi, ut dominandi actus cupiditate, maxima cum celeritate res

Anno res visu admirabiles sit gesturus, qvæqve insignem apud certos qvosdam homines, vitæ pacatæ avidos, concitabunt formidinem. Jam, qvod fat futurum sit hoc anno negocii, idem ille Raymundus prædixit, inqviens: Et qvoniam Mars grandis in hac revolutione, Orbis divisor erit, utraq; constellatio expeditionis cum navalis tum terrestris poterit esse occasio.

Porrò qvi rerum hujusmodi bellicarum futuri sint participes, à multis ostensum est. Ac primùm ego in meo supra 1570. annum prognostico ita scripsi: Saturni cum Marte conjunctio contentionem inter Arabes & Græcos, sive in Græcia & Arabia minatur. Et ulteriùs dixi: illæ gentes, qvæ Eclipsin hujus anni in decima domo habebunt, (hoc est Constantinopolitani) cum suis ad mare usqve Adriaticum vicinis haud lætabuntur, sed præ cæteris tristes erunt, &c.

Qvò usqve autem bellici isti tumultus debeant extendi, sic effatur jam dictus Anshelmus: Viennam & Austriam versus novi tumultus erunt, sed in Turcia varii conflictus & apparatus fient bellici, non sine illius imperii, ut astra qvidem promittunt, periculo.

Antonius etiam Arqvatus (non ille typis excusus, qvi corruptus est, nec manuscripto respondet) in qvodam suo, de Turcarum adventu, manuscripto judicio sub finem inqvit: Vexabit Apuliam, affligetqve navali suo exercitu Galliæ, Hispaniæ &

1596. Italiæ littora, maximumqve Christianis terrorem incutiet: sed Christus tantam ejus stragem haud feret, suscitabitqve contra illos furorem Germanicum, Hispanamqve & Italicam militiam: atqve ita demum Turca dissipabitur.

Turcarum adventu, variisqve ea de re rumoribus hactenus ostensis, exponendum nunc videtur, qvod omnium maximum contra prædictum serpentem robur sit futurum. Discursum itaqve meum continuaturus, id afferam, qvod certum qvoddam Pamphilo Riccio [si modo fidem id meretur] adscriptum habet prognosticum, cujus judicium ad annum usqve 1583. protenditur. Leo [inqvit] robustus anno 1570. exertis dentibus eos, qvi caudam illi sunt evulsuri, mordebit, suisq; tremendus erit adversariis. Inde ætas redibit aurea, cantabiturqve hymnus iste, qvi sonat: Benedictus, qvi venit in nomine Domini, &c.

Jam duo nobis adhuc demonstranda restat, qvorum unum est ingens Turcarum ruina: alterum Victoria Fidelium. Qvocirca de insignibus damnis, detrimentis, ac mutationibus Turcarum acturus, id omne multis ac variis prædictum fuisse prognosticis, aio.

Et primùm Arqvatus, antè dictus, Familia, inqvit, Ottomannica decimum tertium aut decimum qvintum ramum (multò minùs autem 1575. aut alium circiter annum) haud excedet. Tunc obitus Imperatoris Turcici occasione horrendus eveniet casus adeò, ut magna inter illos Turcas, Magnates, & Ottomannos exoritura sit contentio, eruntqve ab extraneis occisi: & omnis Græcia ruinis externisqve bellis perturbabitur, eodemqve tempore fame simul ac peste affligetur: nec Græcis Mahometicisqve vel minima respirandi facultas indulgebitur, usqve dum penitùs è medio sint sublati. Tunc Christiani coibunt unanimes, tantoqve impetu ac hominum multitudine pontum transmittent, ut eò convolasse magis, qvàm navibus appulisse videri qveant.

Pergitqve sic dicendo: Africa sanguinolentis bellis, ruinis, immaniqve peste tentabitur, atqve à Rege catholico maximis involvetur calamitatibus adeò, ut nolens volens ei sese sit submissura: eaqve occasione superba Africa in Christianorum manus perveniet. Nec priùs ab instituto suo recedent Hispani, qvàm ad extremos usqve Indos omnem partem meridionalem subjugaverint. *Surget Oliva. Pœnas jam nunc meritas solvit.*

Pamphilus Riccius suprà dictus, inqvit: Fastuosa Turcarum insolentia, deprimi incipiet, qvi se obedientes sub umbram & vexillum S. Crucis recipient.

Prædictus etiam Joan. Anshelmus scribit: Magna erit ab anno 1570. ad 1575. usqve annum desolatio, cunctiqve è principali Thraciæ urbe, Byzantio, Rhodo, Constantinopoli trement, auferetur qve ab ipsis sceptrum, ac præ timore, qvo tenebuntur, transferetur ad alios. Et ulteriùs dicendo pergit: Orientales versus, qvi sunt 39. usqve ad 49. latitudinis graduum, Principem qvendam, potentissimumqve Monarcham, defuturum, ostensum est: id qvod de nullo alio, qvàm maligno illo Dracone intelligendum venit, qvi dominus est eo loci maximus.

Adhæc aliorum persequens Astrologorum sententias, in certo qvodam prognostico, eoqve veteri reperio, qvòd anno hoc 1570. retundendus sit Furor Turcicus. Idqve his verbis: Turcæ ob amplissimum suum imperium, ingentesqve divitias plùs solito arrogantes facti, contra Christianos arma capient, typos qvarundam urbium conficient, sclavis ingens damnum afferent, navibus suis Apuliam, aliaqve maritima Italiæ loca invadent, atqve extra hanc magnum inter

Anno

inter Christianos terrorem concitabunt: sed Christus contra illos excitabit Italos, Hispanos, Germanos & Ungaros, devictisqve illis dominus Ottomannicæ familiæ omnium maximus capietur, aut vitam cum morte commutabit, ac imperium Turcicum priùs ibit pessum, qvàm 1570. annus prætereat. Itaqve horrendo qvodam causa finiet, ortis nimirùm tantis inter ipsosmet Turcarum Magnates rixis ac dissensionibus, ut non alienis duntaxat, sed mutuis etiam vulneribus sint interituri.

Ac in seqventibus, illi, inqvit, qvi sub Leonis habitant signo, generaliter sunt Itali, Bohemi, Gallorum pars, Mesopotamii, ac multi Asiæ, Turciæ jam dictæ, populi. Unde Albumasar duorum infortuniorum in Leone conjunctionem, bellum Turcis & Arabibus, magno cum gentium pavore, ob prodigia in cœlo & in terris apparentia, portendi affirmat, fietqve ingens arborum animaliumqve pernicies.

Et in hanc de Turcica calamitate sententiam, Gentes Orienti viciniores, inqvit Avogadrus Vercellensis, qvibus Saturnum anni dominum esse contingit, postcaqvàm is apud illos in ascendente fuerit retrogradus, tanta capientur siti (hoc est, dominandi libidine) qvæ fortè in illorum famen est evasura. Scribitqve ulteriùs: Turca, lupus rapax, ob Solem in meridiano Thracio, & Saturnum anni eo in loco moderatorem, & qvidem retrogradum, repertos, fortè non habebit, cur aliorum incommodis sine suimet ipsius infortunii deploratione lætetur: qvandoqvidem in Orientalibus illis partibus anxietas, mortes, litigia, rebelliones, atqve interneciones vigebunt: cujus rei fortè Junius aut September nuncium nobis sunt allaturi.

p. 197. Inclinant etiam, inqvit idem, ad futuros insignes cruenti navalis prælii conflictus: id qvod Raymundus suprà dictus in suo judicio confirmat, inqviens: Constellationes promittunt, futura qvædam bella cum gentibus Tartarorum naturam æmulantibus, idqve non sine magno Nobilium Principumqve suorum damno. Et in seqventibus, Stellæ, inqvit, maximam in Oriente ac Meridie mutationem, sed tamen in Oriente damnum minantur multò maximum: minitanturqve vitæ Regis in Oriente maximi: aut qvòd saltem ingens qvædam clades illum sit excepturа.

Addit autor: Multi ex ipsismet [Turcis] domini sui jugum excutientes, contra eum ipsum qvibusdam in locis insurgent, nec pauci captivitatem præverientes, relictis suis regionibus, in fugam sese conjicient. Et conjunctio, inqvit, Saturni ac Martis bella, contentiones ac mortes occidentalibus prænunciat: sed qvia hæc conjunctio in libra est, & qvidem in detrimento suo, cadenteqve angulo: ideo, ut Bethen sentit, qvotiescunqve Planeta cadens in suo reperitur detrimento, mortuus reputari potest. Saturnus itaqve, Regiæ honorum domus præses, in exaltatione sua constitutus, data ab hinc post exactum Decembrem confligendi impugnandiqve occasione, populos Occidentales [hoc est, Christianos] prudentia & astutia sua victores evaluros, pollicetur.

Claromontanus capite 25. ruinam Turcarum prospiciens, inqvit: Daniel de sua visione ad Regem dixit: qvemadmodum sanè pedum, qvas vidisti, unam qvidem luto, alteram verò ferro constantem portiones, lutum cum ferro neqvaqvam uniri posse, ostendunt: ita planè sub imperio Romano discordiæ inter Catholicos & Turcas erunt comparatæ: sed altera pars interibit, qvæ sub imperio Constantinopolitanô est consolidata, altera verò, hoc est, Imperium [de Trabisonda] dispersum, redigetur in nihilum. Tunc enim Deus Regnum suscitabit Cœlorum, qvod in æternum perdurabit.

Mahometicam hanc ruinam idem ille Claromontanus cap. 26. hisce verbis confirmavit: syderum influxus, Turcicam majestatem succubituram, prænunciant, Regnaqve & Principatus ad Ecclesiam devolventur, profligataqve erit (Saturnia & Teucrina, hoc est,) Judæorum atqve Turcarum malitia. Et Turcas sub hoc tempus in fugam vertendos, purumqve & illustrem sub Monarcha qvodam M. A. aut aliqvo ex Carlingis primogenito, statum fore, affirmo: adeò, ut stellæ maxima promittant gaudia, ea ratione, qvòd, deleta extirpataqve Turcarum malitia, homines inde à mari muscarum instar advolantes, templumqve S. Sophiæ pristinum suum robur recuperare conspicietur. Et tunc prosperum illucescet tempus, vastusqve ac sylvestris ille Leo ad S. Fidelium Matrem serico funiculo adducetur, factaqve nova qvadam reformatione, omnis Turcici Imperatoris fama extinguetur.

Pergit insuper Claromontanus in fine sui prognostici de tribulatione Mahumetana sic loqvens: posthæc ingens adveniet Tribulatio: veruntamen Orientales magna patientur incommoda, omnisqve discordiæ sceptrum illos invadet: & iis temporibus Pragensem & Constantinopolitanam Ecclesias ad sanctam Fidelium Matrem reductas iri, persuasum habeo. Qvare multi contra Orientales & Meridiona-

Anno

Anno dinales, Leones, Aves, bestiasqve illæ insurgent, & à Septentrione pariter ac terra virginali: eritqve nova qvædam restauratio, &c.

In causa verò Turcicorum incommodorum novæ poterunt esse discordiæ. Unde Raymundus id prævidens, Stellæ, inqvit, legum, morumqve mutationes, rerumqve sacrarum impedimenta insinuant: sed Turcarum templis ac synagogis majora portendunt incommoda, per mortes scilicet, ignes, ruinas & excidia. Eruntqve (subdit) calamitatibus istis diversi ex Æthiopibus, Hebræis, Turcis & similibus populi subjecti. Et ulteriùs inqvit: Conjecturam etiam præbent stellæ, magnam sectæ Arabicæ ac Mahometanæ partem in controversias suæ religionis incursuram, eo planè modo, qvo Hugonottis, Lutheranis, aliisqve similibus in sua religione discordibus fieri contigit. Sic secta illa ad diversorum idolorum adorationem sese recipiet.

Hanc legum sectarumqve mutationem in meo supra instantem 1570mum annum prognostico sic prædixi: Stellæ, legibus, statutis, sanctionibus & sectis mutationem portendunt. Et in judicio anni 1567. de temporibus istis locutus, oraculum Mechæ lenium amissurum, dixi.

Jam ad demonstrandam futuram victoriam ut accedam, prædicta hæc fuit ab Avogadro illo suprà nominato, qvi sic ait: Lunarium significatorum, principis autem nentium, situs in eorum dignitate repertus, fortes eos atqve ab externis gentibus securos reddit. Anshelmus prædictus inqvit: Sufficit, qvòd ante Octobris exitum res miræ, stupendæ, ac S. Ecclesiæ gaudium allaturæ audientur.

Raymundus Veronensis futuram asseverans victoriam, deqve illustrissimo Senatu Veneto speciatim loqvens, sic habet: revolutio illustrissimæ Reipublicæ Venetæ insinuat, dominos illos in qvodam magni momenti negocio tardos esse, impedimentis rerum antiqvarum, multisqve ac magnificis sumtibus, populorum, censuum, hominumqve militarium causa, implicari, qvodqve Saturnus in Libra, signo tertio, religionis & itinerum domo, religiosorum, ob longinqvas peregrinationes, ac principem qvendam, disturbationes
1598. nes minetur: sed qvia ambæ revolutionis hujus fortunæ in domo facultatum reperiuntur, ac præterea orientales visuntur, partim honorificas sumtuum impensas: partim, qvoad honores, authoritatem, & facultates, magnam accessionem promittunt: & hujus illorum revolutionis influxus, promtos eos ad res laudabiles, & in Salvatoris nostri Deiqve omnipotentis honorem cessuras, fore, prænunciant.

Lucas Gauricus in qvodam suo prognostico de anno 1556. de 5. planetarum in decima domo sub signo Arietis consistentium situ loqvens, ait, qvòd, qvemadmodum similis 5. planetarum in decima domo collocatorum figura anno 1410. fuit, indeqve magni ac prolixi rumores secuti, sic etiam per totum annum 1586. multæ leges, statuta, & decreta in meliorem statum commutari debeant: qvodqve milites Christiani cum Illustrissimo Senatu Veneto, pro defendenda sua religione, ac pro impiorum reformatione, fideles contra prophanos arma capturi sint. Anno

Cùm hunc usqve satis (ut arbitror) superqve futuram speratamqve contra Turcas victoriam ostenderim, ad imponendum huic rei finem, nil mihi videtur reliqvum, qvam qvòd unusqvisqve fidelis Christianus Deum assiduis solicitare precibus debeat, ut ad comparandam universalem qvandam cunctis Fidelibus pacem, sectam illam Mahumeticam, atqve unà qvoscunqve abusus, hæreses, operationesqve diabolicas tandem è medio tollere dignetur.

De nuptiis seu vesperis Parisiensibus Theodori Bezæ præsagium in Epistola 68. 1572.

AMisimus Navarrenam, qvanti pretii fœminam? & qvidem eo tempore, qvo maximè juvare nos & potuit & voluit. Apparantur nuptiæ, mihi planè suspectæ, in Salomonis ipsius sapientissimi exemplum intuenti. Ut sup.

Vespera Gallicana. 1572.

SIcilienis olim similes Vesperas habuit Gallia in die Bartholomæi anno 1572. Papa instigatore: unde eum qvidam Phalaridi similem faciunt. Cùm enim Carolus Rex Galliarum plurimos annos contra Protestantes bella gereret, nec tamen expugnare aut opprimere illos posset, Pontifex Romanus hoc ei consilium dedit, stultum esse diu belligerari cum illis, qvi nullo negocio subitò qveant interimi. Jubet igitur eum simulare studium pacis, qvodqve liberam cuiqve velit relinqvere religionem: & tanqvam in fœderis perpetui confirmationem desponsare sororem suam Regi Navarræ, atqve ad nuptias invitare omnes Evangelicos: qvod si verò compareant, celebrare cum illis vesperas Bojarianas & Sicilienas: de qvibus suprà anno 834. & 1287. Obtemperavit igitur Papæ Rex, & ejusmodi laniena decoratæ sunt ab eo his nuptiæ, ut illa nocte & subseqventibus aliqvot diebus, Parisiis & per totam Galliam, multò plures qvàm centena millia hominum, utriusqve sexus cum liberis, horribili crudelitate fuerint interfecti.

Anno 1572.

Antonius Senensis Dominicanus in Chron. ffr. Prædicatorum.

ANno Domini 1260. aut circiter, celebratum fuit Ord. Prædicatorum capitulum 40. in ferie Barchinonæ: in qvo ejusdem conventus Prior, pœna absolutionis ab officio tam ipse, qvàm etiam omnes, qvi ad id consilium dederant vel favorem, puniti fuerunt per tredecim dies in pane & aqva; qvia dormitorium conventus erat tunc recens constructum, & aliqvantò altius, qvàm religionis nostræ erat conveniens paupertati. Et in capitulo generali 43. facto Parisiis, fuit ordinatum, ut nulla vestis daretur fratribus, nisi priùs pannus, ex qvo illa esset paranda, per examinatores judicatus fuisset conveniens nostri ordinis paupertati.

O Deus bone, qvanta erat illorum primorum nostri ordinis patrum vigilantia: ut in nobis nihil inveniretur, qvod sanctæ paupertatis nostræ statui derogaret! Qvantum discrimen inter illorum & posterorum facta decreta! Illi enim totos nervos intendebant, ut primævus religionis decor perduraret: si qvippiam illius collabebatur, summo studio restaurabant. Erat apud illos novarum legum raritas, multiplicitas verò operum. Pauca tunc temporis ordinabantur: servabantur autem illa, & pleraqve alia; & prævaricatores ad aliorum exemplum mox debita seqvebatur pœna. Illi tanqvam legis novæ filii & cultores, spiritu divino concepto & nutrito, spiritus opera magis ac magis parturiebant: posteriores verò foliis forsan magis, qvàm fructibus, verbis, qvàm factis abundamus, & ordinationum novarum multitudine, qvàm illarum exeqvutione & observantia: &

K 109. tanqvam servi, timoris spiritu agimur, & attendimus semper ad nova præcepta multiplicandum magis, qvàm ad observandum antiqva. Imp. Max. 2. Papa Greg. 13.

Idem. Anno Domini 1255, aut circiter, in capitulo generali 34. facto Mediolani fuit ordinatum: qvod priores, qvi non possent ad capitulum provinciale ire peditando, remanerent ab illo. Tanta erat eorum patrum religio, tantus & regularis observantiæ zelus: qvòd, ne constitutio illa de non eqvitando infringeretur, minoris faciebant, ut priores ad capitulum non comparerent. Qvid rogo dixissent vel ordinassent patres isti religiosissimi, si tempora prævidissent, in qvibus vix qvenqvam reperias, etiamsi juvenis sit, & corpore validus, qvi est iter facturus, qvi in Hispania & in Italia talem observet constitutionem de non eqvitando, nisi cùm pecuniæ desunt, qvibus eqvi comparentur vel locentur? qvid rogo dixissent, si eò infelicitatis ordinem D. Dominici venturum prævidissent, & ut priores, & interdum subditi aliqvi mulas pingues, & eqvos crassos habeant in qvodvis obseqvium eorum: nec solùm discursibus gaudentes assiduis tempus & bona conventuum conterant; sed etiam pro statu mulas & servos etiam ad minima in promtu habere debeant? Respiciat Dominus super nos, & collapsa restauret!

Nausea Indulgentiarum.

1572. ANno 1572. Gregorius 13. Papa indulgentias Romæ publicè proclamari jussit: dispensari, & accipi gratis: sed qvare? qvia earum vanitate cognita, nemo ipsas ampliùs ne teruncio qvidem redimere volebat. Ut sup.

Grio Malvii eqves in Epist. ad Papam.

1572. SAnctissime Pater, hoc 1572. anno, 5. Martii fui Constantinopoli: eo tempore ingens & inauditus terræmotus fuit, conjunctus cum fulgeris, fulminibus, grandine, & procellis, tantisqve tempestatum & ventorum turbinibus, ut omnes exhorruerint homines, & penitus crediderint, imminere ultimum mundi diem, & omnia qvæ sunt in orbe, jam funditus interitura. Lapides grandinosi de cœlo lapsi magni ponderis fuerunt, & plerique bilibres, qvorum ictibus & impetu tecta palatiorum & ædium plurimarum numero funditus fuere vastata & contrita: imò qvædam domus radicitus periere. Præterea qvoddam augustum antiqvum templum Divæ Margarethæ sacrum funditus interiit, & ima summis commutavit, qvæ tempestas duabus horis longius perduravit interdiu.

Undiqvaqve strati jacebant multi homines saucii, qvosdam omninò cecidit grando ad mortem: ita ut ruri & urbi intra 4. milliarium spacium, plus qvàm 3000. homines mortui fuerint reperti. Paulò post finem tempestatis ex dicto deperdito templo flamma qvædam, similis vento urenti, cum magno fragore & concussione audita est & visa, qvæ non tantum reliqvuum fundamentum ex imis subvertit, & dissipavit; sed & ingenti vi multa saxa, qvæ postmodum inventa fuerunt, ultra 3. milliarium spacium hinc ab urbe ejecit & prostravit undiqvaqve.

Inter rudera illa, & in musco qvidam marmoreus extitit lapis, in qvo sculpta fuit effigies Imperatoris Turcarum, (cujus hic vestræ Sanctitati misi speciem) cum scriptura hebraica, cujus interpretatio ferè est talis: Adest tempus, qvo non plures, qvàm unus erit pastor, unum ovile, & una com-

Anno communio, per Baptismum & regenerationem: Tibi mando, & impero, ut assumas Baptismum: hoc enim est æternæ voluntatis decretum.

Hæ picturæ & scripturæ verè sic exhibitæ sunt & visæ: ex qvibus non malè colligitur, doctrinam Christi per universum orbem, imò gentilibus & tenebrarum filiis manifestatum, & nunciatum, unumq; pastorem & Salvatorem totius mundi Jesum agnitum iri: Item, truculenti Turcæ & homicidæ regnum, & Mahometicam Idolatriam everti & tolli, tempus adesse, ita ut vera & salvifica fides in Deum patrem, Filium, & Spiritum sanctum doceatur, crescat & amplificetur, & sanctissimum Dei verbum: qvod faxit clementer Deus Optimus Maximus omni mundo, Amen. Imp. 119. Max. 2. Papa 233. Gregorio 13.

Vincentius Sturmius, & Andreas Hondorff.

COadjutor Hondorffii fuit Sturmius in colligendo Calendorio historico: in qvo qvidem opere laborem præstiterunt haud contemnendum, sed hac ex parte malè fecerunt, qvod falsa plurima à Papistis qvæstus & lucri causa conficta, mirabilia, veris commiscuerunt, hocqve modo publicè qvasi approbârunt: in qvo, si ejusmodi immixtis fabulis & commentis addidi ssent, ea pro veris non esse habenda, excusabiles reputari possent. De miraculis a. habes etiam supra anno 1290. & 1314. & 1550. Imp. 119. Max. 2. Papa 233. Greg. 13.

Thomas Beccetus.

p. 900. IN Epist. ad Arch. Moguntinum scribit, Romam factam esse meretricem, & prostitutam pro mercede. Imp. Max. 2. ut sup. Papa Greg. 13.

Christophorus Ireneus, & Magnus Mesue Rhodensis.

SCribunt hi, anno 1532. in Calassia Regni Babylonici natum infantem, de qvo mira narrant. Visum etiam Drachonem & Ursum in aëre, cum verbis: Hora nativitatis venit, ac instat finis mundi. Imp. Max. 2. Papa Greg. 13.

Tilemannus Breuleus Miles.

SCribit & tractat qvæstionem: An miles Christianus in his bellis, qvæ Papa contra reformatas Ecclesias gerit, salva conscientia stipendia accipere, & militare possit? Imperatore Maximo. 2. Pp. Greg. 13.

Carolus Sigonius.

OMnes excitabantur à Papa Honorio 3. contra Imp. Frid. 2. ad bellum sacrum. Dicebat enim: Nos omnibus, qvi ad hoc bellum prodierint, omnia pro delictis suis piacula relaxamus, eosq; sub Ecclesiæ tutelam, & B. B. Petri ac Pauli clientelam, tanqvam veræ obedientiæ filios suscipimus, & ab omnibus vexationibus corporum fortunarumq; tutos esse, statuimus. Anno

Signum fuit omnibus crux è rubro panno, vestibus super dextram scapulam affigenda. Hinc tales milites cruce signari dicti, & ipsa expeditio cruciata nominata. Imp. & Papa ut sup.

Idem de regno Italiæ lib. 1. Terrorem anno 568. hominibus maximum incusserunt dira cœlestia oculis objecta prodigia, nimirum hastæ atqve acies igneæ, assiduè à Septentrionis partibus apparentes, qvæ, ut D. Prodit Gregorius, ingentem instare mortalium stragem, & fœdam sanguinis effusionem ab ea parte haud obscurè denunciabant.

Idem refert lib. 20. inter alia, verba seqventia: cùm aliqvando (ait) Camisinæ civitatis antistes, cum S. Benedicto abbate, de Totila Rege sermonem ingressus, dixisset, fore, ut per eum urbs ita dirueretur, ut in posterum neqvaqvam incoleretur, respondit S. Benedictus: imò verò Roma ab hominibus non exscindetur, sed à tempestatibus, fulguribus, turbinibus, & terræ motu fatigata, exardescet & collabescet in semetipsa.

Idem. Papa, ipso annitente Henrico (qvod assiduis jam diu piorum omnium votis exposcebatur) insignem, ac memorandam inprimis labentis Ecclesiæ reformationem aggressus est: qvia nulla aut opportunior unqvam, aut majoribus difficultatibus [si non tantum mores Ecclesiasticorum, sed etiam doctrina fuisset emendanda] impeditior fuit: qvippè Ecclesia Dei graviter jam propè per ducentos annos ægrotans, & multa, & ea valida remedia reqvisivit usqve adeò, ut ad extremum, ne ignem qvidem & ferrum, qvæ ultima insanabilium morborum sunt medicamenta repudiârit: cùm cæteris sanatis morbis, caput ipsum, nempè imperator, salutaria omnia consiliorum decreta [at verbum Dei est supra consilia: hoc convertendi sunt homines, non traditionibus humanis, non gladiis & hastis] respueri: nec, qvasi mentis impos, egregiè consulenti medico obtemperârit.

Igitur ad rem tantam instituendam, concilium Episcoporum Clemens in Lateranum vocavit. Cui interfuerunt Herebertus Archiepiscopus Mediolanensis, Eberardus Aqvileiensis, & Humfridus Ravennas, paulò ante ab Henrico ex Italiæ Cancellario Vidgero subrogatus. Inde contentio orta de præsessione Archiepiscoporum, Humfridus literis ea de re prolatis, illam diremit. Reliqvis diebus causa Simoniacorum agitata: omnis sacrorum ordinum nundinatio improbata.

Anno Idem lib. 20. Tertio inde Nonas Januarias anno 1117. Italia inaudito ante multa secula terræmotu concussa est: quippe ejus impetu mœnia, templa, urbesqve passim cum ingenti mortalium strage procubuerunt, fontes turbati: templorum lampades, nullo impellente ventorum flatu, per aërem latæ: præcipuè Parmæ nova basilica. Veronæ ædificiorum pars maxima corruit. Hiatus item terræ in illis partibus ingentes apparuerunt, & arbores radicitus evulsæ sunt; infans locutus, tristia ac portentosa qvæpiam enunciavit.

p. 901. Qvin etiam III. Kalend. Februarias tremenda tonitrua ac fulgura, qvæ nulla hominum meminerat ætas, creberrimâ immissa grandine, mortalium auribus oculisq; objecta. rem in eam religionem adduxerunt, ut diræ aliqvid calamitatis impendere, homines suspensis mentibus pertimescerent qvodqve pavorem majorem animis incutiebat, eadem prodigia ac multò tristiora ex Germania nunciabantur.

Idem lib. 16. Anno 366. sub horam diei cujusdam tertiam, Pistorii, spectantibus multis, asinus non sine omine excelsum tribunal ascendit, atqve ibi ruditum usqve adeò compositum edidit, ut populum accurrentem alloqvi, & qvædam velle dicere videretur.

Idem. Postremò in hunc modum ipsum Regem Henricum Pp. Gregor. 7. abdicavit, ac dirarum religionibus obligavit, & Rodulphum confirmavit. Qvippe beatos Apostolos, Petrum & Paulum, ut ante, contestatus, injurias omnes sibi ab Henrico atqve Ecclesiæ factas commemoravit; & qvàm sæpè admonitus præcepta sua sprevisset, & se ipsum in ordinem coëgisset, demonstravit. Qvas ob causas, inqvit, ego auctoritate Apostolicâ mihi delatâ à Deo, Henricum, Henrici Imperatoris filium, regio Germaniæ titulo iterum spolio, & Christianorum obedientiâ privo, atqve omnes religione jurisjurandi, qvo se illi obstrinxerunt, absolvo: contrà verò, ut Rodulfus, à proceribus Germaniæ in Henrici locum declaratus, regnum administret ac tueatur, nomine vestro omnibus, qvi fidem ei præstiterunt, omnium peccatorum remissionem, veniamq; in hac in futurâ vitâ concedo: & ut Henricum ob suam superbiam regiâ dignitate depello; sic Rodulfum propter suam humilitatem atq; obedientiam in potestate repono.

Idem. Hisqve de rebus Romani veteres Henrico honores instaurârunt: decreto facto, ut Patricius Romanus esset, atqve ut pro suo judicio Romanam Ecclesiam ordinaret, neqve posthac sine ipsius autoritate Romanus Pontifex crearetur: qvæ, qvi his temporibus aut æqvales aut vicini fuerunt, Petrus Damiani, & Leo Marsicanus, uterqve Ostiensis Episcopus, memoriæ prodiderunt. Anno

Idem. His actis, Archiepiscopus se projecit in terram, atqve piaculum sibi injungi jussit: qvia, qvamvis ea ipse in Ecclesiam probra non invexisset; tamen, cùm posset, ex ea non sustulisset. Legatus centum annorum piaculum imposuit, idq; redimi posse certâ in singulos annos solutâ pecuniâ, voluit.

Ex libro Melchioris Cavi Hispani locis Theologicis lib. 12. 1574.

QVin injurius es tu, si cogas sacerdotem, ut solùm pro te illi hostiam præbeat, nisi tu illi præbeas cibum. Uno in tempore & loco non satis erit argenteus nummus, alio forsan plus nimio erit.

Scribit præterea, traditionis majorem vim, qvàm scripturam habere: & traditiones non aliter verba divina esse, affirmat, ac illa, qvæ in sacris libris scripta sunt. Imp. Max. 2. Pp. Greg. 13.

Simon Goulartius Gallus. 1574.

SCripsit admonitionem ad eos, qvi post lanienam Pariensem à vera Religione discesserunt, & simul plurima exempla iræ Dei tam in persecutores, qvàm in apostatas ostendit. Imp. Max. 2. Pp. Greg. 13.

Iacobus Ledesima Iesuita de divinis Scripturis. 1574.

SAcrilegus est, qvi, sacras literas vulgari linguâ vertendas, & omnibus sine discrimine communicandas, putat. Imperat. Max. 2. Pp. Greg. 13.

Regnum Tunetanum. 1574.

TUnetum est urbs extructa eo loco, ubi olim Carthago sita fuerat, & Hispano à Selymo Turcico Imperatore cum Tunetano regno erepta, anno Domini 1574. Imp. Max. 2. Pp. Greg. 13.

Ioannes Hüetuuol. 1574.

PUblico scripto memoriæ prodidit, apparuisse hoc anno 3. Soles: & in urbe Creuzenach visos esse exercitus militares dimicantes: item ingentia tormenta bellica displosa, horrendum personantia boatum, fumoqve & flammis terribilibus obfuscantia aërem. Erant autem ejusmodi positu directæ illæ machinæ, ut omnes suos ignes & globos evomerent, & collimarent tanqvam ad scopum, adversus illum cometam, qvi eo anno multis in cœlo diebus fuerat conspectus. Imp. Max. 2. Pp. Greg. 13. p. 902.

D. Stephanus Gerlachius Theologus in AntiDanæo.

Anno

Multi proh dolor in Germania, Ungaria, Polonia & Transsylvania, ex Calvinismo ad Arrianismum, & nonnulli etiam ad Mahumetismum progressum faciunt: estq; inter alia famosum exemplum Joannis Sylvani & Adami Neuseri, Pastorum Heydelbergensium; qvorum prior capitis pœnas ibi luit: hic autem cùm Constantinopoli servitii causa Generosum meum convenisset, à prandio per familiare colloqvium qvæsivi, qvomodo Constantinopolim pervenerit, & qva ratione factum sit, ut deserta religione Christiana, Mahumetismum amplexus sit? Respondit: Qvandoqvidem extra teli jactum nunc sit, se velle mihi rem totam bona fide narrare.

Dogma Lutheri de substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, sibi, ut etiam nunc, absurdissimum visum fuisse: ideoqve se Calvini opinionem, qvæ minus absurditatis habeat, acceptasse. Deinde cùm disputaretur de persona Christi, se nullo modo probare potuisse doctrinam Lutheri & Brentii de reali communicatione Idiomatum divinorum. Et hujus disputationis ansâ se cœpisse animo volvere, qvòd Filius Mariæ non possit esse verus Deus, qvandoqvidem nulla realis communio ipsi cum Deo sit. Cogitasse enim se de illo principio: Finitum non est capax infiniti: item; inter finitum & infinitum nulla est proportio.

Hæc & alia se sibi & familiaribus opposuisse: cumqve nemo esset, qvi animo suo satisfaceret, firmum & ratum sibi fuisse, qvòd Christus tantùm Homo, & excellens Doctor fuerit, qvi virtute & gratia antecedentes omnes superaverit. Inde progressum se dixit ad Disputationem de Trinitate: cumqve Transsylvanorum qvoddam scriptum legisset, & postea veteris ac novi Testamenti dicta examinâsset, se non nisi unum verum & æternum Deum agnovisse, cui nec Christus, nec Spiritus sanctus consubstantialis & coæternus sit. Hinc se per duos annos (qvod an verè dixerit ignoro, sed de eo chartam manu ipsius scriptam habeo) non in nomine Trinitatis baptizâsse infantes, nec etiam obscurè doctrinam illam ex decem præceptis & symbolo Apostolico tradidisse, qvòd solus Pater Deus verus sit. Item ex cœna Dominica se sumsisse hoc axioma: nullam creaturam posse esse creatorem, etiam communicatione Idiomatum.

Hoc, inqvit, cùm in comitiis Spirensibus de me & Sylvano Imperatori Maximiliano, & per eum meo Principi innotuisset; fuga mihi consului; sed sponte in Palatinatum reversus, ad Electorem pertractus sum, cui in faciem respondi (verba illius refero) *nisi Calvinianus factus essem, eò non devenissem.* E custodia autem, in qva tus eram, providentia Dei liberatus, in Poloniam veni, ubi multos fratres offendi, qvi idem de Christo & Trinitate, qvod ego, sentiebant. Sed qvia per insidias mei Principis ibi tutò consistere non poteram, in Transsylvaniam ad Franciscum Davidis abii, tutiorem receptum propter Turciam viciniam sperans.

Dum ibi hæreo, inter Fratres Poloniæ & Transsylvaniæ disputatur de articulo Justificationis: & res eò deducitur, qvòd Christus sua morte & passione genus humanum non redemerit, nec illud suo sanguine justificare & salvare possit, siqvidem nudus homo sit: & reqviri à nobis impletionem legis [de qva ipse qvoq; Heydelbergæ publicè egerit] & hujus Disputationis, nec non aliorum qvorundam occasione, motam fuisse qvæstionem de authoritate Bibliorum in qvibus cum multæ contradictiones occurrant, dubium esse, an sint in corruptum verbum Dei.

Hæc, inqvit, cùm agitarentur, & ego qvædam de uno vero Deo contra Trinitatem publicare constituerem, ejusq; gratia in vicum qvendam nobilem Turciæ patrocinio gaudentem, ad Typographum ibi commorantem profectus essem, Bassæ Themesuvarensi proditus fui, qvi me Constantinopolim misit nihil reluctantem, sed potiùs de cogratulantem mihi ipsi: qvod Alcoranum à veritate non alienum esse, & in omnibus capitibus Religionis mecum sentire, cognovissem (sicut qvoqve in literis ad Imperatorem Turcicum Selimum 2. Heydelbergæ ab ipso scriptis fatetur, *se credere, omnia esse vera, qvæ in Alcorano habentur.*)

Qvæ porrò Franciscus Stancarus de Calvini Arrianismo, & Valentino Gentili, qvi Tigurina capitali supplicio affectus fuit, scribit, & qvòd multi, derelicta doctrina Tigurina & Genevensi, in Poloniam, & deinde Turciam profecti, & Alcoranum amplexi sunt, vide Sebastianum Castalionem, Reginaldum in Calvino Turcismo, Prateolum in Elencho Alph. M. Launoyum Syl. Czecanommum de corruptis moribus utriusqve partis pontificiorum & Evangelicorum, Claudium Xantesium, & alios.

Idem Gerlach. Exhibuit etiam mihi Neuserus tunc qvoq; literas; eodem anno 2. Julii, ad se ex Polonia, à primario qvodam Antitrinitariæ hæresis propugnatore datas [qvas bona fide transscripsi] cujus inter cætera, hæc qvoq; verba sunt, qvæso mi Adame, diligenter interroga, an Alcoranus iste qvem Bibliander Tiguri edidit, sit authenticus, & veritati Arabicæ conveniat? Nam isto libro nos valdè delectamur, & divinum esse asserimus. Deinde peto etiam nomine fratrum, ut omnes vetustos Græcos libros inspicias, & si disputatio- p. 903. nem

Anno

nem aliqvam de uno Deo invenies, tecum apportato. Si veneris ad nos, nullo modo impediemus, qvin ad tuos redeas, sed summoperè curabimus, ut tutus discedere Constantinopolim possis. Nam talem virum, sicut tu es, optamus Constantinopoli habitare, ut, qvoad libros istos prædictos, utilitas qvædam Ecclesiæ accedat.

Afferto etiam tecum, si potes invenire, libellum Prophyrii de authoritate S. Scripturæ, contra qvem Cyrillus Alexandrinus scripsit: nam nos ex tuis literis, qvas scripsisti, intelligimus, multas esse contradictiones in sacris literis, igitur de multis locis dubitamus, & te magnâ cum aviditate expectamus, te amplectimur, & ex ore tuo verba divina audire petimus. Noli ergò propter Deum tuos fratres in hac causâ deserere, &c.

His literis addita qvædam erat scheda, manu propriâ Adami Neuseri his verbis scripta: Nullus nostro tempore (mihi notus) factus est Arrianus, qvi non antea fuerit Calvinista, Servetus, Blandrata, Alciatus, Franciscus Davidis, Gentilis, Gribaldus, Sylvanus, & alii. Igitur qvi timet sibi, ne incidat in Arrianismum, caveat Calvinismum. Hoc ipsum αὐτόγραφον Neuseri memoriæ causâ retineo.

Michaël Bapst.

SCribit, Turcis esse qvendam librum antiqvum, in qvo certissimis oraculis declaratum ipsis fuerit, qvid de ultimis temporibus esset futurum: & jam prælapsos esse annos, qvibus oracula finem imposuissent. Imp. & Pp. V. S.

Maximilianus 2. Imp.

MAjus peccatum committi non posse dixit, qvàm si mortalium conscientiæ gravarentur. Ac proinde cum Henricus Rex Poloniæ profugus transeundo Imp. visitaret, pacem illi multis modis suasit, inqviens: illos, qvi conscientiarum carnificina cœlum asseqvi pertentarent, sæpè & cœlum & terram amittere. Meteranus.

Joannes Basilius Heroldus.

IN qvodam panegyrico ad Cæsarem Maximilianum 2. pertractavit vaticinium Sibyllæ Erythrææ de Rudolpho, sub qvo sit in toto orbe futura tranqvillitas, & abundantia pacis: id qvispiam haud incommodè latino carmine comprehendit, qvod huc apponere libet.

S. R. I.

MAximus Imperii decoratus honore Rudolphus,
Austria quem genuit, alter in orbe viget.
Qui, quod habet, nomen virtute fideq́ tuetur,
At suis populis otia tuta parat.
Pacatos hostes Germania laeta videbit,
Et per victrices fœdera juncta manus.
Prosperitate sua Belgis reddentur amissa,
Et pœnas illi Turcica capta dabit.
Donec Tarpejas conscendat victor ad arces,
Emerita & summo cum Jove signa locet.
Sic tranquillus erit tam re quàm nomine Cæsar,
Sydera dum cœlum, dum feret unda rates.

Joannes Pomarius in libro Germanico, quem vocat Das Ehren-kräntzlein.

PEtrus Kessaler, Ecclesiastes Basiliensis, ardentibus votis subinde rogabat Deum, ut daret sibi conjugem bonam & piam: & voto facto pollicetur Deo, se jam proditurum, & qvæcunqve primùm sit obviam occursura, illam se ducturum. Egressus igitur incidit in qvandam mendicantem: gavisus ergo & sperans, se habiturum ipsam conjugem ex animi sententia, alloqvitur eam, & ducit: sed ut juxta vulgare proverbium, *Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum*; ita & ipsa in pessimam bestiam abiit. At hic non erat legitimus & bonus modus ducendi uxorem. Imperat. & Pp. ut suprà. p. 904.

Idem. Joannes Tezelius Misnius Pyrnensis, Francofordiæ ad Viadrum crucem in templo erexit, cum Papæ insignibus: qvam ejusdem efficaciæ & dignitatis esse cum Christi cruce, affirmavit. Imp. Rud. 2. Pp. Greg. 13.

Columbanus Urancx S. T. Licentiatus.

SCripsit librum, cui titulum fecit Malleus Calvinistarum: in qvo cladis Belgicæ & calamitatis, ut putat, meritoria item Missæ, & causas ejus enumerat: ut ibi. Imp. & Pp. V. S.

Portentum.

HOc anno minacissimus in cœlo apparuit cometa in forma acinacis.

Josephus Stephanus Valentinus, Italus, Theologus.

ISTE Stephanus cùm videret, se justis & Christiano dignis rationibus aspirare ad altiora, & se tollere humo non posse; execrandum & diabolicum qvoddam cœpetavit opus.

Scripsit, fas esse, adeoqve divinum, Papam ab omnibus adorari, humeris gestari, & infigere fœtidis suis calceis imaginem sacræ crucis. O facinus nefandum, memoriam Sanctæ crucis, in qva Christus pro nobis crucifixus est, alio honore non dignari. O Vicarium Christi non pudere, in fœdum hunc abjicere: conculcare pedibus, & tam sordidè tractare crucem. Hoc nimirum est Antichristi officium, & ipsum Salvatorem nostrum Chri-

[illegible] sanctissima ejus merita, quæ tanto conn[illegible]unt, risui & despectui exponere [illegible] elevare.

Et ad diras quidem has blasphemias probandas, pessimus adulator & insanus ille homo, assumsit sacrarum literarum dicta, miserè corrupta & depravata. In remunerationem autem à Papa Greg. 13. ornatus fuit præfectura Ecclesiæ Segobricensis. Imp. 120. Rud. 2. Pp. 233. Greg. 13.

Idem. Constat, inter nostros & veteris legis Sacerdotes latissimum esse discrimen: cùm illi [teste Philone lib. 3. de vita Moysi, & libro de profugis] Regibus Israël paruerint: nostri omni potestati temporali præscribant.

Idem. Ergo ut ad nostrum institutum proximè accedamus, nónne Christi exemplo Romanus Pontifex omnes suis pedibus circumfusos ad oscula pedum excipiet, atque etiam sandaliis oscula imprimere permittet? cùm Christi loco in terris præpositus sit, ejus personam sustineat, potestas summa remittendi peccata ei fuerit commissa, & tandem moderandi ac regendi universalem Ecclesiam quasi quædam habenæ traditæ, quibus jus dicere, sententiam ferre, ligare, solvere in terra, & in cœlis possit?

Idem. Hinc ut nostram complectamur sententiam, ex Petro in Romanos Episcopos permanavit authoritas: qua & imperio permulti abire jussi, coactiq; sunt, & aliis regium diadema ac potestas concessa. Regia enim insignia, quæ βασιλικὰ σύμβολα, sive [illegible] appellantur, purpura, sceptrum, diadema, & alii regii honores, qui, more majorum, Imperatoribus competunt, ab ipsis summis Sacerdotibus decernuntur hac conditione, ut ex eorum suffragiis, dentur vel detrahantur imperia, removeantur jura, si ad quasdam pactiones reges non accedant, vel ad eas servandas adduci non possint. Ita enim imperium deponere, insignia abdicare compelluntur.

Philippus Lonicerus in hist. Turcica:

MOrtis Ladislai Regis Ung. in prælio Varnensi, signa præcesserunt, dum armaretur: delapsa manu armigeri galea, & equi, cùm inscensuro admovebatur, fera insolitaque obluctatio: prætereà instructis jam aciebus, inter expectandum hostis adventum, sereno tranquilloq; cœlo, atrox subita ventorum vis aborta, pleraq; vexilla, Regiumq; inprimis dilaceravit. Paulò etiam post dimissum conventum, quo secunda in Turcos decreta fuit expeditio, ingens terræ motus non solùm privatorum ædificiorum partes, sed tota etiam oppida dejecit, & fluviorum quorundam cursus alveosque commutavit. Imp. Rud. 2. Pp. Greg. 13.

Idem. In urbium expugnatione vexillum, quod manu Scanderbegus gestabat, primum semper in hostili aggere vel muro apparuit. In Græcia, Ungaria viciniisq; regnis virtus ejus inprimis fuit conspicua, semper in eam curam incubuit, quomodo cum minimo Christiani sanguinis detrimento bellum conficeretur.

Pugnam ingredienti e labris, æstuantis animi vehementia, sanguinem erupisse ajunt. Narrant etiam, nunquam eum pugnam detrectasse, nunquam terga vertisse, nunquam vulneratum esse, nisi levi sagitta in pede, nec hostibus plus quàm sena equitum terna peditum millia opposuisse, & sua manu supra duo hominum millia, Barbarorum præsertim, jugulasse, tanto ictuum impetu, ut multos per medium dissecuerit transversim ad umbilicum usque.

Idem. Sacerdos eo die, ubi è loco sublimi, variis usus ceremoniis, nonnulla de Mahumetis vita è libro legit, precesq; absolvit, lanceam & acinacem ostentans, populum hortatur, ut altera manu lanceam, altera gladium adversus Mahumetanæ legis osores semper in promtu habeant. Quid nos Christiani?

Idem. Abdalæ patri Mahometis magna intercedebat familiaritas cum Judæo quodam Astrologo; qui se ex astris cognovisse, affirmabat, infantem natum fore magnum imperio, & legis scientia. Sed utinam ea prædictio falsa fuisset, sine dubio minùs jam laboraremus.

Idem. Abominabile scelus judicant Mahometistæ Impudicitiam. Lege etiam singulis mandatur, ut legitimam uxorem ducant, ad vitandam omnem impudicitiæ & scortationis occasionem. Verùm prorsus inter ipsos lex hæc sopita est, nec ullo vitio æquè contaminati sunt, ac fœdissimarum libidinum sordibus. Nec enim contenti sunt, mulieribus ad satiandam libidinem abuti, sed & Sodomitico scelere ita fervent, ut verbis id consequi difficile sit, adeoque dictu horrendum. Cumque inter, omnes, cujuscunque sint conditionis, supra modum nefarium hoc scelus grassetur, nulla in eo puniendo vel coërcendo legis habetur ratio, nec eos movet, quod in libro Curaam scriptum est, pollutos hoc crimine tam in hoc, quàm in futuro seculo, & corpore & animo atrocissimè puniri.

Scriptum etiam legitur in libro quodam Mahumetanos eo ipsâ edoctos [illegible] esse, quæ div[illegible] sævitia in impudicos homines grassetur. Nam cùm, vivente Mahomete, quidam adolescentis cujusdam pudicitiam impugnaret, jamq; vim in illum repugnantem, [illegible] con[illegible] tem faceret; adolescens, cum subsequentis à tergo [illegible] evitare haud posset,

[illegible]

Anno strictum pugionem in impudici hominis ilia contorsit, lethaliq; vulnere ei inflicto, ab ejus injuriâ se vindicavit. Nec mora, ab interfecti fratribus adolescens ille in vincula conjectus, homicidiiq; reus actus est, & , ut capitis in ipsum animadverteretur supplicio, flagitatum.

Adolescens suam etiam in vinculis causam dicere jussus, qvâ injuriâ ad cædem illam compulsus sit, edisserit: Mahometes auditâ adolescentis purgatione, sententiam ipse tulit, qvâ, adolescentem insontem esse, pronunciavit, alterum verò jure cæsum esse, cum tali impudicitiâ polluti homines & corpore & animâ damnati sint. Verùm adversarii, neutiqvam eam homicidii causam fuisse, adstruentes, instabant, legibus in homicidam vindicandum esse. Mahometes itaqve jussit, ut fratrem occisum sepulturæ mandarent, sepulchrumq; accurata custodiâ munirent, se postridie ex præscripto legum, de homicidâ judicium facturum.

His peractis, postridie coram Mahomete accusatores denuò apparent, causam suam persecuturi: ad qvos conversus Mahometes, qvâ ergò morte, inqvit, petitis adolescentem affici? Eadem, inqviunt illi, qvâ & nostrum ille fratrem affecit. Jubet itaqve Mahometes, ut abeuntes, qvot fratri ipsorum occiso, jamqve sepulto, inflicta sint vulnera explorent; & tunc totidem vulneribus homicidam confici, sese curaturum. Illi verò ubi sepulchrum apervêre, cadaver ibi nullum offendunt, sepulchrum verò atrâ fuligine defœdatum, tetroqve fœtore immundum, non sine stupore animadverterunt, Mahometiqve, qvæ viderint non sine horrore, renuncians. Ille, anum accuratè singulos sepulchri angulos perscrutati sint, interrogat? illisqve affirmantibus, facilè; infert Mahometes, inde vobis conjicere licet, à Sathanâ & corpus & animam impuri hominis simul ablata, omniq; culpâ immunem adolescentem dimittendum esse.

Hoc exemplo Mahometem testatum fuisse, asserunt, divinam haud dubiè irrogari pœnam omnibus iis, qvi aliqvâ se impudicitiâ contaminant, & qvia divinæ eum vindictæ nefarium illud scelus & ipse Mahometes commisit, hodiernam etiam in diem nullam ei pœnam irrogant Turcæ, ad divinum illud tribunal rejicientes.

Idem. Fuerat Camsonis Ægypti exercitus à Selymo oppressus, sed, ipsum de hac clade sua tristi somnio præmonitum fuisse, ferunt. Nam copiis suis, iisq; instructissimis collectis, de belli ratione cum Ducibus & præfectis consultaturus, admirando luxu convivium in viridariis non procul à castris instituerat. qvo agitato, cum ad somnum capiendum pro more suo secessisset, relictis Ducibus rei militaris peritissimis, ut de bello administrando consultarent, ipse interim in soporem delatus gravi terretur somnio. Qvo vehementer turbatus, duces de bello deliberantes accedit, eosq; mæsto vultu allocutus, se abominabili somnio de infelici hujus belli casu præmonitum esse, ait. Sibi castra sua igne tota collucere visa esse, Turcosq; immani impetu impressione factâ, omnia diripuisse, se verò inter fugiendum eqvo dejectum, suorum eqvis conculcatum.

Qvod somnium licet ominosum multis videretur, pleriq; tamen, somnio terreri potentissimum principem & Monarcham, dedecorosum esse, ajebant, adeoq; omnium nationum & Regum hostem esse Selimum, qvi parricida sit impius, regnorum omnium vastator immanissimus; ideoqve pacem cum eo piè coli haud posse, & illustriorem eâ gloriam esse, qvam concilicet victoria de tali hoste, qvi omnium regnorum moliatur ruinam, omniumq; principum & regum sanguinem sitiat. Acqviescens illi consilio Camson, eo qvo diximus eventu cum Selimo pugnavit.

Annorum fuit Camson sex & septuaginta: & annis & ramice gravis, ad fugam minus expeditus, comis & humanus, animo magno, & ad credendum qvidvis proclivi, cibi potusq; temperans: si qvando ira exardesceret, in qvosvis citra discrimen temerè grassari: ira ubi deferbuit, mox gravi dolore suam ipse violentiam detestari solitus. Victoria hæc aditum patefecit Selymo in universam Syriam. p. 906.

Idem. Certatum est in pugna Varnensi totos dies noctesq; tres, diu fortunâ ancipiti, sed tanto animorum ardore utrinq; tantoq; impetu, ut cæsorum sanguine campi stagnarint. Victoria tandem ad Christianos inclinare visa est, ob primos Turcorum ordines disturbatos atq; in fugam dispersos confuseq; palantes, & Imperatorem ipsum trepidantem, ac desperabundo similem. tunc antistites, qvos in templis & scholis, qvàm in acie conspici latius fuerat ac decentius, ex statione sua hostem fugientem inconsulto persecuti, aditu ad nudatos ordines patefacto, victoriam & vitam Regis, totiusqve exercitus ac regni Pannonici, imò Europæ salutem hostibus prodierunt. Dimicatum autem fuit anno 1444. 10. Novembris.

Jesuitæ locum mutant. 1578.

HOC anno Jesuitæ ex Antverpia ejiciuntur, ubi ex raptis pecuniis nidificaverant: qvo etiam tempore Brugis Flandriæ oppido, & alibi qvoqve Monachi aliqvot in Sodomitico scelere comprehensi, combusti fuerunt, Meteranus in Annal. Belgicis.

Alexan-

Anno 1578.

Alexander Guagninus in Sarmatia.

DE qvibusdam populis in Lucomoria habitantibus portentosum & dictu incredibile qviddam referunt, qvòd qvotannis 27. Mensis Novembris die, velut hirundines & ranæ, præ intenso frigore brumali moriantur: postea redeunte vere 24. Aprilis die denuò revivifcant.

Idem. In Tachim fluvio pisces nasci dicuntur, qvi capite, oculis, naso, ore, manibus, pedibusq; hominem referunt: & alia mirabilia multa: de qvibus prolixiùs in Compendio orbis.

Idem in Sarmatia. Juxta Cracoviam aliqvando mulier qvædam puerum cum collo leporino & auribus peperit. Non multùm pòst, mulier etiam cum puero serpentem peperit, qvi serpens puerum ad intestina usqve corroserat.

Idem. Martinus Bielski Polonus, qvi annales Polonorum vulgari lingua conscripsit: facit mentionem, in principio imperii Sigismundi primi, Nobilem qvendam Jacobum Melstinski, prætorem de Brezinii civitate, ex levitate qvadam animi, seu potiùs desperatione, nomen authoritatemq; Christi sibi asciviſſe, Petrumq; Zatorski civem Cracoviensem, cæterosq; sibi similes latrones duodecim, secundum numerum Apostolorum, elegiſſe: singulisq; nomina Apostolorum, imposuiſſe: se verò Jesum Christum appellaſſe. Qvi per villas ubiqve ambulantes: prodigia, morionum & præstigiatorum more, exercebant: sycophantasqve alios & latrones, velut mortuos subornantes suscitabant: pisces in paludes lutosas primò impositos ubi nunqvam eos nasci poſſibile erat, in nomine Christi sui manibus capiebant: panes in fornaces imponebant: in nomine Christi, cùm illis antè non essent, depromebant: cum ingenti simplicis vulgi admiratione.

Qvodam tempore ad Cestochoviam, Monasterium divæ Virginis imagine celebre, prædictus Christus cum suis Apostolis, ubi adhuc ignotus erat, venit: cumq; illic aliqvot diebus morarentur, unum ex suis qvasi obseſſum à dæmone subornaverunt: cujus opera victum acqvirebant, cùm sua coqvina carerent: ille enim qvasi dæmophoretus per hospitia, diversoriaq; ambulans, carnes de coqvinis rapiebat, in suosqve projiciebat, qvi cruce illas munientes carnes comedebant. Illic autem ingens erat confluxus populi tunc temporis ad divæ Virginis imaginem, qvæ ibi perinde, ut apud nos in Loretto miraculis celebris est.

Prædicti itaqve Sycophantæ, illum obseſſum suum ad altare divæ Virginis dicunt duplici veste ad id studio præparata indutum, in cujus intercapedinem neceſſaria imponere poſſit: lapillos verò intra indusium à corpore ei imposuerunt, cumq; ad altera deduceretur, ille è manibus ducentium furibundus sese proripiens, in altare oblationibus pecuniariis onustum irruit, pecuniasq; de altari rapiens, in vestis duplicatæ intercapedinem eas imponebat: Monachus vero ab altari, divino officio intermiſſo, aufugit: cæteri Monachi stupidi accurentes, cingulum illius resolvunt, putantes, cum pecuniam intra indusium posuiſſe: sed lapilli duntaxat, qvos antè studiò imposuerat, in terram exciderunt: pecunia verò in veste duplicata remansit.

Monachi igitur mœsti, pecuniam arte dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorcismos, orationesqve supra lapillos sine intermiſſione fundunt: ut deinde in pristinam formam transformarentur: sed cùm lapilli immutati in sua forma perseverarent; Monachus librum Agendam (ut dicitur) indignabundus in terram projecit, dicens: adhuc talem dæmonem nunqvam experti sumus: abite cum eo ad omnes dæmones. Hoc latrocinio prædicti Sychophantæ perpetrato, cum illa pecunia rectà in Silesiam vicinam Poloniæ perrexerunt, simplicem vulgum suis præstigationibus seducentes, ubi ad qvandam matronam nobilem, in qvodam pago divertentes, dicunt ad illam: Christus te cum suis Apostolis visitat, ô mulier, ideò te offer illi, & salvabitur anima tua.

Illa verò, virum domi non adeſſe, in cujus absentia id sibi non licere, respondit. Cui Apostoli dixerunt: Habesné mappas vel telam ad sacrificandum; mulier verò ligaturam telæ illis obtulit. Qvi dixerunt, hanc nobiscum accipiemus, Christusqve tibi benedicet, ut tibi linum abundantiùs crescat, ostende aliam, si habes telam: qvam cùm similiter accipere vellent, mulier dixit: non dabo vobis hanc: maritum enim timeo. Illi autem frustulum somitis cum igne in telam involventes, mulieri reddiderunt: qvam illa nihil suspicans in cistam reposuit. Itaq; cista à tela, à cista verò domus accensa in flammam abiit. Vir igitur illius uxoris reversus, domum conflagrantem inveniens: causam sciscitatur, cui uxor, se malè Christum cum suis Apostolis tractaſſe, respondit: ideò hanc plagam haud injustè se permisiſſe.

Vir autem ità excandescens, latro hic, inqvit, neqviſſimus, & non Christus fuit. Ideò cum vicinis malefactores perseqvitur, qvos in qvadam villa insecuti sunt. Ille itaq; Pseudochristus, re animadversa, ad illum, qvi vocabatur Petrus, dixit: Petre jam mea paſſio calixq;, qvem bibiturus sum, appropinqvat. Cui Petrus: & mihi, ut video, Domine, imminet. Christus verò dixit: Petre,

Petre, ego aliter non possum nisi per fenestram hinc evadere. Ad qvem Petrus: & ego te, qvoad vivam, non derelinqvam, Domine; sed qvocunqve tu fugies, seqvar te. Sicqve ille Christus per fenestram, Petro seqvente, aufugit: cæteri qvoqve Apostoli, qvâ potuerunt, evaserunt: qvos villani, unà cum suo Christo insecuti undiqve circumventos, baculis fustibusqve præustis ceciderunt. Imp. Rod. 2. Pp. Greg. 13.

1578. *Henricus Petrejus Herdesianus.*

COllegit hic varios, qvi de aulica vita scripserunt, ut apud eum. Apponam ego hic unicum aulicæ fortunæ vetus exemplum, ex Luciano Samosatensi Græco. Pingatur, inqvit, vestibulum sublime atqve inauratum, neqve id humi situm in solo, verùm procul à terra in ædito collis fastigio: præterea inaccessum fermè & & abruptum, lubricoqve aditu ita, ut plerumqve, qvi, se jam ad summum usqve verticem penetrasse, sperant, lapso pede præcipitati cervicem frangant. Intus autem opulentia sedeat, tota (sicuti videtur) aurea, majorem in modum formosa atqve amabilis. Porrò amator, ubi vix tandem conscendit, jamqve ad fores accesserit, obstupescat, oculis in aurum defixus: deinde Spes, qvæ & ipsa specioso vultu est, ac versicoloribus amicta, manu prehensum introducat, mirè jam ipso ingressu attonitum. Atqve ab eo qvidem tempore spes usqve illum antecedat, ducatqve; tum aliæ mulieres illum excipientes, puta Fallacia, Servitusqve tradant Labori: at is miserum penitus defatigatum tandem Senectæ tradat jam morbidum, coloreq; commutato: postremo Contumelia arreptum illum ad Desperationem pertrahat.

Ex hoc qvidem tempore Spes avolans evanescat. Tum ille non per aureum illud atrium, per qvod ingressus fuerat, sed per posticum qvoddam & occultum exitum extrudatur nudus, ventricosus, pallidus, senex, læva qvidem pudorem occultans, dextra verò seipsum strangulans. Occurrat autem exeunti Pœnitudo frustra lachrymans, & miserum bis etiam conficiens. Atqve hic qvidem esto picturæ finis.

1579. *Ruardus Tapperus Art. 1. & 6. de satisfact.*

CHristi inqvit, satisfactio & placatio, sufficiens qvidem satisfactio & placatio est: sed non ut efficax qvædam & operosa. Nec meritò sanè satisfactionis ac redemtionis nomine appellari debet sola. At nostra opera sunt illa satisfactio, & vim efficiæ qvandam habent; eaqve demum Christi placationem informant, & ad effectum plenariæ redemtionis nostræ perducunt. Et tu Diabole, qvidnam à te atrocius hac Tapperi sententiâ dici poterat? qvi ausus est meriti Christi vires atqve nervos abominando sacrilegio tollere, hominibusq; peccatorib. (qvi nihil boni ex se cogitare, nedum facere, teste Apostolo, possunt) vim omnem redemtionis ascribere! Imp. Rud. 2. Pp. Greg. 13. Anno

Idem scripsit rationes & modos Germaniæ pacandæ in causa religionis: item aureum corollarium de veris calamitatibus Belgi, causis, atq; remediis. p. 908.

Halepo Astronomus ex Thessalonia. 1579.

HOC tempore Constantinopoli visus est cometa, cujus similem Halepo Astronomus non apparuisse mundo dixit ullo unqvam tempore antea, præterqvàm tunc, cùm Sodoma & Gomorrha exurerentur cœlitus: & Pharao tyrannus Ægypti in mari rubro suffocaretur.

Nicolaus Basel. 1579.

ANNO, ut suprà, in cœlis exercitus bellicos Deus Italiæ ostendit, significaturus, se bella cum iis gesturum, propter summam inobedientiam & contemtum verbi divini.

Jacobus Heerbrandus in Refutatione Defensionis Assertionum Jesuiticarum. 1579.

TRidenti cùm essemus in Concilio anno 1552. ex Argentinensis Episcopi D. Erasmi, Magistro eqvitum, qvi tum unà cum suo Episcopo Roma redierat, audivimus, bonâ fide nobis recitante, qvod Romæ essent ultra 24. millia scortorum publicorum, qvæ proportione mercedis meretriciæ, menstruum solverent Romano Pontifici censum: qvi qvæstus esset uberrimus. Annè hic potiùs Sodomorum præfectus, qvàm Catholicæ Ecclesiæ universalis Pastor dicendus? Prætereà delecti ipsi Cardinales, in suo Consilio de emendanda Ecclesiâ dicunt; In hac etiam urbe Meretrices ut Matronæ incedunt, seu mulâ vehuntur, qvas consectantur de media die Nobiles familiares Cardinalium, Clericiqve. Ita ut non sit, qvòd hac in parte nos accusetis, qvi non probamus talia, sed arguimus severissimè. Nec pudet nos, æqvo Indice, Judicium vobiscum subire, ut cognoscatur de bonis operibus, & vitiis utriusqve partis. Imp. Carolo 5. Pp. V. S.

Idem. Non defuerunt olim qvoqve, qvi, Pontificios doctores cavendos esse tanqvam impostores, lupos, vulpes, sues, & asinos, monuerunt; cujus rei tibi Jesuita, tuiqve similibus historiam unam aut alteram ex antiqvitatibus recitabo.

Cùm

Anno Cùm ante annos viginti & amplius, vocatus essem Pfortzheimium civitatem non ignobilem, ubi Marchiones Badenses & Hochbergenses tunc, more majorum, aulam habebant, ut abrogatâ Idololatriâ, & expurgatis sordibus Pontificiis, sincera instauraretur Religio: ingressus templum collegiatum, quod arci vicinum D. Michaëli est dedicatum, pulvinar quoddam vidi è regione summi altaris ad parietem, in sede, quâ Præpositus sacra sua interdum festivitatibus solennioribus faciens, defatigatus, pro more quiescere solitus erat, valdè artificiosè contextum, & pictum variegatis filiis, atque imaginibus.

Erat autem pictura hæc intertexta. Lupus indutus cucullâ monasticâ (in cujus capitio ab humeris dependente, anser prominebat) in suggesto stabat, prioribus quasi manibus, librum tenens, ex quo recitare videbatur, nescio quæ. Infra cathedrâ vulpecula aderat quasi in insidiis, E regione anseres complures, singuli rostris suis, Patres nostros vocant, tenentes, & lupo concionanti auscultantes. Adstabat & juxta anseres, quasi custos, fatuus in suo habitu. Circa lupum in eodem pulvinari, ad marginem adscripti erant eodem texturæ artificio, rhythmi hi Germanici:

Ich wil euch wol viel Fabeln sagen/
Biß ich fulle allu meinen Kragen.

p. 909 Hoc pulvinar, quia magnam referebat vetustatem, ego tum ad rei memoriam, ab iis, quibus hæc procuratio data erat, emi. En, inquiam, Jesuita, ut habeas calumniandi materiam: cùm apud vestros omnia sint venalia, Episcopatus, cœlum ipsum Deusq;, ut ex Mantuano constat. Quid sapiens vetustas voluerit, facilè intelligunt omnes. Ita ut optimè pictura hæc in tuum (Jesuita) quadret postulatum, quo lupi rapaces, & vulpeculæ astutæ miseris insidiamini hominibus, quosq; cæcos habere cupitis auditores, ut eos tanquam anseres, fabulis vestris, quocunq; visum fuerit, ducere, circumvenire, devorare possitis. Cavere itaq; vos omnes qui cunq; audire possunt & volunt, monemus. Dicam & alterum.

Anno 1551. Argentinæ cùm essem, urbisq; antiquitates videre cuperem, deductus sum in templum summum, in quo mihi in circuitu superiori, è regione suggesti, in columnâ lapideâ ingenti, mirabilis monstrabatur sculptura, sive exequiarum, vel depositionis funebris, sive Reliquiarum sanctarum (non enim omnia calleo mysteria ista: utrumcunq; sit, non magnoperè curo, aut laboro) non tam artificiosè, quàm ingeniosè in saxo excisa, in hunc modum: Sus & hircus gestant sive funus, ut dixi, sive reliquias vulpem scilicet dormientem. Partes eas, quæ sub caudâ sunt suis, attrectat cani fœmina. Anno

Præcedit pompam istam à fronte ursus, aquam consecratam urceo portans, quem sequitur lupus crucem ferens, hunc porrò lepus proximè antecedens, cereum ardentem. Sequitur bajulos illius, quod dixi, feretri, asinus ad altare missam celebrans. Post hunc alius stat asinus, prælongis auriculis, librum tenens prioribus pedibus, ore intentus in librum, labiis tamen carens. Librum porro istum cattus tenet. Hæc figura est, quæ illic dicto loco prostat, & omnibus, qui petunt, visenda monstratur? Nec nova est, aut recens excisa; verùm unà, quod facilè apparet, cum ipso templo fabrefacta.

Jacta autem sunt templi hujus fundamenta anno à Christo nato 1015. Cujus absoluta est structura (exceptâ turri altissimâ) anno Domini 1275. unde constat, effigiem hanc antè trecentos annos factam; quâ sapiens antiquitas, & pii tunc Christiani, qui metu tyrannidis publicè & palàm profiteri ea, quæ sentiebant, non ausi fuere, (Lapides autem locuti sunt) significare voluerunt, Papatum nempe, qui magnâ ex parte Missis & exequiis defunctorum constat, plenum esse vulpinarum astutiarum, quæ tamen non mox aut facilè, ut in vulpeculâ dormiente, animadverti præsertim à simplicioribus potuerunt. Qui verò fumos, aut nugas istas venditant, sui & hirco assimulantur, idq; non temerè. Sunt enim Epicuri de grege porci, fruges consumere nati, quorum Deus venter.

Canis impudens est animal, quod in publico & plateis passim congreditur, unde Cynici impudentes. Mimores sunt scortatorum sacrificum, fructusq; cœlibatus impurissimi, publici fornicarii, & impudentes homines, qui libidines istas vagas & impudicas, honesto & divinitùs instituto præferunt conjugio, palàm affirmantes, minùs peccare scortatorē sacerdotem conjugato. Et cum talibus impudicis canibus abliguriunt quæstum, quem ex funeribus, & exequiis, atque indulgentiis comparant. Iidem etiam per hircos fœtidos designantur, qui permolunt alienas conjuges, & filias honestorum sæpe hominum, Ecclesiamq; Dei fœtore suo replent ac polluunt. p. 910

Ursus præcedens, portans aquam benedictam, designat potestates & Magnates, brachium nempe seculare, quo traditiones humanas Pontificias vi externa, gladio, & armis confirmare & defendere conantur, siquidem verbo Dei, & scripturæ testimoniis id facere nequeant. Lupus crucē præferens innuit eos, qui in Papatu tanquam fideles pastores, Christum crucifi-

 xum

Anno [illegible] eum auditoribus inculcare debuissent, lupos rapaces fuisse, gregi non parcentes.

Lepus sacculum portat, ut insinuetur, etsi sub Papatu quidam docti fuerint, qui tantum lucis habuerint, ut errores Papatus absurdos, fraudes & imposturas intelligerent: metu tamen eos periculorum, profiteri & redarguere non ausos fuisse, sed cuticulæ suæ metuêt, [illegible] & præbendis [illegible], cōtra cōscientiā tacuisse, suoq; silentio superstitionem confirmasse.

Quod Asinus missam legit, ostensū est, in Papatu plerunq; indoctos asinos ad eas celebrandas adhibitos, qui sacerdotes fuere ordinati ad tria [illegible] vulgò dicitur: quibus repletus fuit passim totus orbis Christianus. Alter subsequens asinus cum libro, sed labris carens, significat eos, qui in Papatu tum Evangelium Christi docere debuissent publicè in Ecclesia, alinos esse, & fuisse indoctos, qui donis idoneis non sint instructi ad docendum, & rerum sacrarum cognitione etiam destituantur.

Cattus librum tenens, Pontificios adulatores, qui mirabiliter se insinuare blandis verbis possunt; Pontificios doctores, quibus cathedra magnâ ex parte fuit commissa in Scholis & templis, sed se ad latus navis felicius inclinaverunt, ut olim monachi; & jam, illis de suo loco delectis, novos monachos, Jesuitas designat.

Non fabulas narro, sed historias veras recito, quæ dictis locis omnibus videre cupientibus monstrari possunt. Ex quibus intelligitur, cujus modi fuerint oculi, hi, e. doctores: & superioribus seculis, in densissimis Papatus tenebris, nō defuisse cordatos homines, pios & ingeniosos, qui Papatus erroribus non consenserunt, sed turpi Ecclesiasticorum vitâ vehementer offensi qui ingemuerunt doluerunt q; super cunctis abominationibus in Papatu factis: cumq; Papa & sui tum, quemadmodum & nunc, sua reprehendi, ferre noluerint, concionibus publicis illi, cum, tacentibus aliis, lapides loqui necesse fuerit, errores Papatus, Idolomaniam multiplicem, imposturas, tyrannidem, inscitiam, libidines vagas, & vitam Epicuream quocunq; potuerunt modo, reprehenderunt & damnaverut.

Patrum scripta.

p. 911. 1579. Glossa in decretum c. noli meis. dist. 9. statuit, patrum scripta esse authentica, & tenenda omnia usq; ad ultimum Jotā: quod Jesuitæ hodie negant. Canus de locis Theologicis lib. 7. cap. 3. Villavincentius de ratione studii Theologiæ libro 4. capite 6. observ. 2. contra Hiperium: non modo Tertullianum, Irenæum, Lactantium, Cyprianum, Origenem, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, & alios variorum errorum arguit speciatim, sed generatim etiam de cunctis ibid. obser. 1. pronunciat, palam esse: patres omnes, quantumlibet insignes vitæ innocentia, atq; eruditione, subinde verbo scripto[illegible] offendisse.

Possevinus de Sixto quoq; Senensi Bibliothecæ [illegible] lib. 12. cap. 2. [illegible], inquit, censuit, passim locâ. In quibus a scopo aberrassent, ostendere. & Baronius in annalibus Ecclesiasticis affirmat, in divinis tantùm scripturis nullum reperiri posse errorem atq; mendacium. [illegible] quarto sub A. D. 389. Cæterum, inquit, cum divinæ tantum scripturæ sit, nihil habere erroris, quod corrigatur, [illegible] Hilarius nævis caruit. Quem [illegible] Baronium Bellarminus de bonis operibus lib. 2. cap. 24. quia virum optimum & verum nominat. Ioannes [illegible] in lib. de Romanæ Ecclesiæ idololatria [illegible] minum alloquitur, ex ore tuo, inquit, te judico, serve nequam, Lucæ 19.

Baronius omnes, omnium hæreticorum fraudes & corruptelas profligans, affirmat, omnium Patrum scripta [illegible] nævos & errores. Cur ergò tu [illegible] burgensibus hanc ipsam sententiam, tanquam horribilium in cœlites blasphemiarum plenam, vitio vertis? Addit [illegible] Villavincentius prioribus de rat. stud. Theolog. lib. 4. cap. 6. observat. [illegible] non propterea damnandos esse patres, quod erraverint aliquando, quia Deus laboris in domo sua operantibus [illegible] indulget, etiamsi non semper aurum vel gemmas, sed interdum quoq; fœnum atq; stipulas superstruant. Imp. Rud. 2. Pp. Greg. 13. V. S.

Andreas Krevchius. 1579.

Extat hujus Krevchii homilia de sigillo Lutheri, quod est, cor rubrum, & crux nigra in alba rosa. Imp. Rud. 2. Pp. Greg. 13.

Auctor libelli de periculis regis Henrici 4. 1579.

Risi, nuper, inquit, cum legerem Catholicum Regem [illegible] Romanæ Ecclesiæ [illegible], & [illegible] anno 1579 repudiasse Gregorium Papam, qui se de regno Lusitaniæ judicem offerebat. Imp. Rudolpho 2. Pp. Greg. 13.

Ordo Equitum S. Spiritus. 1579.

Ordo Equitum Spiritus sancti institutus fuit anno 1579. ab Henrico 3. Rege Galliæ: ad perpetuam Catholicæ religionis defensionem. Caput Ordinis ipse Rex fuit: sectatores vero Equites ab ipso creati.

D. Ja-

Anno 1579.

D. Jacobus Coterus.

HIC in suo libello typis excuso refert, quòd conspecta fuit ab inhabitatoribus agri Mansfeldici in cœlo urbs apprimè magnifica & pulchra, muris atq; turribus egregiis cincta: sed brevi collapsa. Secundò rheda, quam trahebant quatuor equi: eiq; insidebat vir longissima insignis barba: qui & ipse paulò post evanuit. Tertiò duo viri armati acriter dimicantes. Quartò ingens Elephantus. Quintò sylua, ex qua prodibant milites multi: eosq; sequebantur non pauci amicti vestibus pullatis, magnam calamitatem & luctum ploratibus testantes. Imp. Rud. Pp. Gr. 13.

Alombrates.

Anno 1578. HI novæ cujusdam factionis sectarii, in Hispania hoc anno sunt damnati eò, quòd dicerent, sibi integrum esse & licere coire cum fœminis maritatis: de quo singularis extat liber V. S.

Desperati in Frisia.

1579. HOc tempore convenerunt in Frisia quidam, nominantes se Desperatos: pro insignib. in vexillis suis ostentantes gladium cum testa ovi dimidia, ovi vitello effuso adjacente. Sic enim dicebant: hactenus ob ipsum ovum noluimus: nunc autem pro testa debemus depugnare. Meteranus.

Jacobus Majer in Chronico Flandriæ.

GErtrudis, filia Pipini Curti Regis Galliarum, & Abbatissa cujusdam cœnobij, anno 760. tantâ clarebat sanctitate, ut invocaretur, si quis glires, mures, & sorices domo volebat propulsare. Imp. Rudol. 2. Pp. Greg. 13.

Idem. Rosala uxor Principis, multa bona assignavit cœnobio Blandinensi, pro salute animæ filiæ suæ: quod si non filiæ profuit, certò tamen in salutem ventribus Monachorum cessit.

Idem. Phthiriasi consumitur Fulcherus Episcopus Noviomagensis, anno 955. cujus exanime corpus, quando non cessarent ex illo scaturire pediculi; cervino insutum est tergori, atque ita sepultum. Magnum exemplum puniti ambitus ac Simoniæ, si nos posteri timeremus Deum.

Idem. Templa plerisq; in locis, sacerdotesq; de cœlo tacti, prodigia fœda ac horrenda facta. anno 956.

Idem. Venit quidam magni nominis Anachorita (anno 1388.) ad Carolum regem, dixitq; divinitus se missum de vectigalibus miseriisq; populi levandis, alioqui brevi tempore iram Dei in Regem sævituram esse. Verùm iste concionator ab avaris Principibus Biturige & Burguudo, qui & regem & regnum gubernabant, tanquam homo delirus rejectus est, sæviitq; ira Dei in Regem intra annos plus minus quatuor. Anno

Idem. Complures (proh dolor) stultos concionatores ea (Scholasticorum) ætas habuit, qui in arcana Dei nimis curiosè inquirebant nulla interim solida doctrina populum imbuentes. Præclarè in tales Solon ille Philosophus: de Deo (inquit) credendum, non inquirendum.

Idem. Asserebant pleriq;, ortam esse tunc (de hoc tempore alibi suprà) pestem à Judæorum maleficiis, qui fontes aquarum & puteos veneno infecerant. Eam ob rem undiq; ferè terrarum sævitum in Judæos, præterquàm Avenione, ubi eos Papa protexit.

Idem de Christiano Archiep. Moguntino. Teutonicus Thuringus lingua latina, Græca, Italica & Brabantina utebatur: Imperatoris vicarius, bellator: de quo dicebatur, quòd asini & meretrices in ejus exercitu majoribus uterentur sumtibus, quàm tota Imperatoris familia, quæ tunc opulentissima videbatur.

Nullus unquam Imperator Gallus ex eodem.

AD Romani Imperii apicem nescio quo pacto nemo unquam Gallus, etsi multi contenderint, pertingere potuit. Nam Carolus Magnus, ejusque progenies Galli non fuerunt, sed Germani.

Idem. Inter hæc (anno 1407) tanta mala quid de rebus sanctæ matris Ecclesiæ? Horret animus, stupet calamus illas attingere. Induci non potuit Antipapa ille Petrus Luna, ut, sua relicta perversitate, pacem redderet Ecclesiæ. Discessio publicè ab eo facta: destitutus à rege, à principibus, & à tota ferè Gallia: nisi quòd quidam Episcopi, turpis lucri gratia, mendacium adhuc præferrent veritati. Sed vindictam parare audet: Mittit diploma ad Regem: removetque piorum cœtu omnes per Galliam sibi non obedientes. Necesse enim erat impleri vaticinia de illusoribus novissimorum temporum, cauteriatas habentibus conscientias. p. 9..

Idem. Ob hæc non solùm Regi, sed toti etiam regno sacrificiis Pontifex (anno 1301.) interdixit, seque non minùs in profanis quàm sacris dominum esse; prædicavit. Proceres tamen regni una cum Principibus sacerdotum convocati, soli regi profitebantur se esse devinctos, nullum sibi dominum præter eum agnoscentes. Egit illis gratias Rex, seque illos defensurum pollicebatur.

Idem. Robertus Ariensis duos regebat Episcopatus, Atrebatensem & Toracensem

Anno

sem. Filius erat cujusdam fabri rustici, familiari dæmone utebatur, quo mediante, ad tantos pervenit honores. Postea ab eodem patrono suo deceptus, procurante quodam nobili milite, occisus est à Ribaldis, anno 1174. De eo etiam Vincentius.

Idem in curia Parisiensi judicatum est anno 1287 per arestam contra Petrum Archiepiscopum Remorum, sacerdotes ac cæteros sacri ordinis homines, in negotiis suis temporariis non esse liberos à tributis ac collocationibus Principibus solvendis.

Idem. Dum anno 1299. paciscerentur induciæ, Eduardus rex per sanctè juravit, nunquam se pacem cum Philippo Pulchro rege facturum, nisi tota Guidoni Flandria restitueretur, quod tamen jura mentum malè seruavit: sed absolutus fuisse dicitur per Bonifacium octavum, qui Pontifex nihil sibi non licere putabat.

Idem. Magna religione sacris anno 1092. ubique operatum, ad procuranda quæ fiebant prodigia, placandamque Dei iram Nam alii instar carbonum nigrescentes, alii exesis morbo visceribus tabescentes, pars truncati miserabiliter membris; incredibile est dictu, quàm multi mortales sacro igni sunt absumti.

Idem. Ludovicus XI. Gallus, cùm veneno fratrem Aquitanum tollere vellet, monachi usus fuit opera, anno 1 4 7 1. qui propter hoc scelus fulgure ac tonitru de cœlo tactus, manè jacens medio cubiculo instar carbonis niger, & lingua exerta semipedis longitudine repertus est.

Idem. Pestes illæ duæ, avaritia & ambitio, à malis maximè Principibus ortæ, anno 1070. Ecclesiam graviter affligere cœperant.

Idem, Anno 1076. mulier quædam fatidica Coloniæ Agrippinæ cecinit: Frisii progeniem usque ad tempora Antichristi in Flandria regnaturam: quibus dictis statim evanuit, nec unquam postea illic visa est.

Idem. Anno 1109. Tornaci nascitur agnus duobus capitibus, quatuor auriculis, quatuor oculis, & octo pedibus, sed uno tantùm corporis trunco.

Idem. Inde simul (anno 1389.) omnes Avenionem profecti Antipapam invisunt. Horum omnium propinquis & familiaribus per exspectativas suas omnia pinguia toto regno sacerdotia accumulavit, ut ita regem & satrapas inescaret, atque in gratia & amicitia contineret. Hinc maximæ querelæ proborum virorum, qui literarum studiis navantes operam, ad nullos honores potuere contingere. Omnia erant venalia: omnia nobiles obtinebant: eaque Pseudopapæ simonia statim per totum terrarum orbem sparsa, adeò in immensem crevit, ut inter Ecclesiæ ministros ni hil quietum, nihil honestum, nihil justum, nihil sanctum relinqueretur.

Anno

Idem. Anno 1402. in mari Hollandico, tum admodum procelloso & alto, capta mulier marina, nuda & muta, portata in oppidum Edam, & inde Harlem: vestita est, didicitque edere panem & lactaria, & vixit annos multos semper muta. Didicit item nere, & honorem exhibuit sanctæ cruci, quamvis muta.

Idem. Anno 1406. fama erat, promisisse Gregorium Pontificem, se pacis gratia cessurum Papatui, si idem fecisset Luna, quem Benedictum vocabant: sed mansit is in sua pervicatia. Tales omnes illusores & pseudoprophetas, si sapuissent Principes, domumque Dei amassent, in vincula & carceres conjecissent, & creassent Ecclesiis veros Sacerdotes, quales præscribit Paulus Apostolus ad Timotheum & ad Titum.

Idem. Anno 1408. schola Parisiaca per Johannem Theologum, cognomento Cortohosam, natione Normannum, exponit, & declarat Petrum Lunam non modò obstinatum esse schismaticum, verum etiam hæreticum, turbatoremque pacis & unionis Ecclesiæ. Non nominandum esse Benedictum: non illi obediendum, tanquam pastori Ecclesiæ. Bullam ejus seu diploma per Gallias missum, plenum esse fraudis & perturbationis. Neminem posse ejus obedire literis, nisi fautor esse velit schismaticis. In vincula coniiciendum, aut vi pellendum regno. Igitur ab omni ordine mortalium secessio ab illo facta: quod ubi cognovisset, plenus timore, cum quatuor Cardinalibus suis per flumen Rhodanum fugit in Aragoniam, unde erat oriundus.

Idem. Erant anno 1437. duo Oecumenica Concilia, Basiliense & Florentinum, quæ adeò nihil habebant concordiæ, ut utrumque alterum schismaticum, synagogamque Satanæ nominaret Unde hæc tam effrenata Sacerdotii licentia? nempe quòd orbis Christianus acephalus nullum haberet supremum Principem, qui tantis valeret mederi malis. Toto autem affectu orandus Deus, ut quemadmodum jam per Carolum Quintum invictissimum Augustum cœptum est, Respubl. Christiana non nomine tantùm sed etiam re, pium potentissimumque semper habeat caput, totaque Ecclesia ad reformationem piosque mores tandem redeat. Nam si Imperium non resurgat, quonam modo Ecclesia resurgere possit? Si Christianus orbis pium monarcham ferre nolit, certum est, ab impurissimo tyranno, magno Turca occupatum iri.

Idem

Anno Idem, Pietate non minùs quàm viribus contra Turcas opus est: hac si caremus, haud mirum est, si in illorum deveniamus ludibria. Si Turcas velimus vincere, reformemus Ecclesiam, tollatur ab ea radix omnium malorum avaritia, reformentur omnium mortalium ordines. Tunc nobiscum pugnabit Deus, omnemque Barbarorum colluviem procul à nostris removebit finibus. Turcas vincere; est depravatissimos prius nostros vincere mores: Quòd si sapuissent anno Domini 1444 Ungari, Legatum Eugenii ad gladium Spiritus remisissent, quod est verbum Dei.

Rarò res bellica cedit feliciter, cùm se illis intermiscent Episcopi, qui non jubentur bella gerere, sed prædicare verbum Dei, populumque docere meram Christi doctrinam. Interfectus enim & ille Iulianus Legatus, justo Dei judicio pœnas luisse videtur: qui, ut priùs autor schismatis; ita postea autore Eugenio, hujus publicæ inventor erat calamitatis. Volebat (ut mihi videtur) Deus Opt. Max. ostendere, fidem ac jusjurandum nunquam esse violanda, longeque majoris esse ponderis, quàm nostri credere curant homines.

Idem. Anno 1348 Hymbertus Delphinus, Imperii beneficiarius, malè doctus, & pravo (nisi fallor) usus consilio, principatum suum Gallis, Imperio nunquam non rebellibus, vendidit, & monachus factus est Lugduni in conventu prædicatorio. Hoc autem fecisse traditur, ut hæredes suos, quos ob offensam (nescio quam) oderat, fraudaret. O mira hominis religio! Volebat religiosus & vir bonus haberi sine charitate. Hanc autem rem ita fabricari passa est Caroli Imperat. tarditas, pacta conditione, ut duntaxat Regum Gallicorum filii Delphinatum possideant, idque in fide ac clientela Imperii, illumque ab imperio nunquam alienent. Erat enim Delphinatus una ex septem provinciis regni Arelatensis Imperio subiecti: ejus metropolis Vienna est urbs nobilis. Accepit autem à Philippo rege Hymbertus præ manu quadraginta millia coronatorum aureorum, & decem millia florenorum annuatim, dum viveret, factusque est postea presbyter Caridinalis. Primus Delphinus seu Delphinatus dux abhinc est ex Galliis factus Carolus, Philippi regis filius. Hæc quidam tribuunt anno sequenti.

Idem Anno 1340 Pontifex Benedictus, qui sedebat Avenione, toti Flandriæ sacris interdixit. Episcopi Turnacensis, Morinensis, & Cameracensis sententiam exequuntur, adeoque sacerdotes universos restringunt, ut nemo per totam Flandriam sacro ministerio suo ausus sit uti. Cessat cœna Dominica, silent campanæ, negatur Baptismus, sepulturaque defunctorum, & nuptiarum benedictiones: nec ægrotantibus Sacramenta administrantur. Ingens cooritur turbatio. Hæc omnia ob metum Episcoporum negantibus domesticis, conducuntur externi sacerdotes undelibet venientes; illique sacra omnia populo communicant, jactante Eduardo, se sacerdotes missurum, qui, vel invitis omnibus Gallorum Episcopis, missas quoque canant in Flandris.

Idem. Anno 1378. schisma Ecclesiæ per annos triginta novem. Causa tam longi ac perniciosi in Ecclesia schismatis timor erat reformationis morum, ac reditus Pontificis ad propriam sedem ex Galliis. Imperabat Urbanus 6. Cardinalibus, ut pompam, fastum, superbiam, & ambitionem suam minuerent, supervacaneam domesticorum turbam, equorumque strepitum decurtarent: Simoniæ non proferrent, sed coarctarent pomaria. Vindicem se futurum in quoscunque Simoniacos. Bonam partem pecuniæ, quam per luxum & superbiam turpiter profundebant, velle se pauperibus & templis collabentibus attribuere. Romæ, quæ summæ sedi natalis esset locus, se permansurum. Nemini se obtemperaturum ex iis, qui discessum suaderent.

At Cardinales Galli, qui pontificatum ad quæstum duntaxat & ambitionem petebant suam, graviter his rebus permoti fremere, capita conferre; Urbanum calumniari, non liberè esse creatum, non esse verum Pontificem sed solium vacare: cumque nec adducere Urbanum in Gallias possent, nec ullo pacto reformare detestabiles suos mores vellent, freti favore Johannæ Neapolitanæ Reginæ, Ananiam & Fundos clanculum petunt (erant numero octo) factaque (conniventibus quoque Galliarum Potestatibus) turpissima secessione, alium sibi ex suo corpore summum (ut dicebant) Sacerdotem creaverunt. Is erat Robertus Cardinalis Gebennensis, Comitis Gebennæ filius.

Hunc mense Septembri electum, tandem Calendis Novembribus coronaverunt, Clementem septimum appellaverunt. totumq; orbem Christianum in grandem perturbationem, magnamq; pietatis jacturam conjecerunt. Erat tum Christiana Respub. instar domus, quæ patremfamilias non habet. Quòd si Carolus Imp. vir fuisset, non extra suam Italiam, seu exulasset, Ecclesiam (quod munus illi erat præcipuum) defendisset, illusores illos facilè compescuisset, Gallorumque insanis cupiditatibus frenum injecisset.

Anno Idem. Tria potissimùm sunt (ut mihi videtur) propter quæ à Turca tanquam flagello Dei flagellamur; vitiorum impunitas, Principum discordiæ, & sacerdotum Simonia. Homicidia levia jam & quotidiana vitia sunt: parva admodum pecunia redimuntur. Adulterium ludus est penè omnium, sed maxime magnatum sacerdotumque. Pro nihilo ducunt matrimonii leges à Christo sancitas: hinc tot nothis, tot spurii suas replent familias. Unicum nobis Deo præscribitur remedium turpitudinis, nempe matrimonium: quod dum per Satanam contemnitur, videmus, quò devenimus ignominiæ. Pupilli à fraudibus tutorum, viduæque ab oppressoribus pauperum non vindicantur. Leges non vigilant, sed altùm dormiunt. Mercatura in usuras fœdissimas transit. Album factum est nigrum, & nigrum album: dulce amarum, & amarum dulce.

Bellum esse majorum omnium sentinam, à sapientibus definitum est, magis tamen est tolerabile, quam domesticæ factiones, quibus nostri Principes totam Christianam Rempubl. commiscent & & atterunt, nec ullum norunt terminum suæ insaniæ. Certo tamen certius est, nisi pacem tandem firment, Monarchamque sibi constituant, brevi Monarcham passuros esse fœdissimam & immanissimam illam belluam, id est, Turcam, qui propter immania vitia nostra, flagellum Dei esse putatur. O utinam in hisce rebus fallum me vatem nominare, ridereque valeat posteritas?

Idem. Certis quibusdam prodigiis tantam Francorum cladem, anno 1303. factam, præmonstratam, lego. Nam in tanta equorum multitudine vix unus aut alter inventus est, qui toto ante pugnam triduo hinnitum emiserit: & lupus, quem mansuefactum Attebas habuit, ad feritatem rediit, atque equi hesrilis phaleras, instante prælii die, laceravit. Corvus item Iacobum ejus fratrem ponè tergum usque ab Atrebatibus Curtacum secutus est: unde scriptus versiculus:

Corvus eum sequitur, qui mortis dicitur alest.

Sed & equus Atrebatis non, nisi invitus ac vi protrusus, in Flandros dominum tulisse dicitur, tenicem quidem illum, si non minus quàm ipsa bellua mentis habuisset. Aer insuper sub prælii initium, cum tanta calcatione equorum surgente pulvere, tum per se ipsum usque eò nebulosus est factus, ut non satis se mutuò exercitus intueri quirent: quò nimirum non sit tanta strage cecidisse Gallos, quorum in exitium cœlum, terra diesque consensisse videbantur. Clamor denique hominum ac fremitus equorum tantus fuit, ut vocem nullius sui Imperatoris Francus exaudire posset, præsertim tam magno interim, tamque terribili furore illo Cymbrico furentibus Flamingis.

Idem. Anno 1300. Papa Regem cruce signare jubet: quibus tantum absuit, ùt Pontifici Bonifacio 8. Gallus pareret, ut Apamensem Episcopum, ejus rei gratia missum, ideo, quod liberius loqueretur, in custodiam duci imperârit: vocatos Romam ad concilium Episcopos, patresq; Galliam excedere regno vetaverit, vacantiumque sacratarum ædium bona fisco intulerit: unde Pontifex indignatione permotus, publicè & nominatim eum execratus est, hostemq; Ecclesiæ judicavit. Misit præterea archidiaconum Narbonensem cum diplomate, quo nobilitatem Gallicam ab ejus fide solvit, regi jus illi abrogavit, idque Alberto Cæsari attribuit: sacramque huic tiaram imposuit in hoc præcipuè, ut bello Gallum quateret: quod quidem diploma cum Archidiaconus apud Lutetiam recitaret, raptum ab ejus manibus Robertus Atrebas, in ignem abjecit.

Idem Anno 1471. sexto Calend. Augusti Paulus Papa Romanus apoplexia percussus, solus in cubiculo obiit subitanea & improvisa morte. Tantus hostis (inquit Platina) bonarum fuerat literarum, ut omnes illarum studiosos appellaret hæreticos. Venetus erat natione, sed Venetos tamen minimè dilexit. Lego apud quendam, Venetias vendere voluisse Turcis, sed fides penes autorem sit.

Idem. Ludovicus Rex Siculus Italiam petit contra competitorem suum regni Siciliæ Ladislaum, Caroli Dyrrachii filium, Ladislaus autem Romam concedit. Eum Gregorius Papa se pollicetur creaturum Imperatorem, si vicissim illi operam dare velit, ut Pontificatus ipsi stabiliatur.

Zacharias Rivander.

1510. Theologiæ Doctor Lipsiæ habuit somnium. Vidit venientem ad se quendam senem, monstrantem librum, in quo scriptum erat: Duo Trisyllaba, mas & fœmina, Mahomet & Maria, maturabunt interitum nostrarum Ecclesiarum. Imp. Rudol. 2. Papa Greg. 13.

Wiguleius Hundt in Metropo-

1580. li Salisburg. de Episcop. Ratisbonen.

Interfuit synodo Tridentinæ Iohannes Jacobus Metropolitanus Salisburgensis, anno 1565. mense januario: unde modum administrandi calicis Laico populo, ex permissione summi pontificis (in

Anno 1556. (in cujus arbitrium sacrum Tridentinum Concilium hoc posuerat) secum Ratisbonam attulit, moxque suis convocatis Parochis, eo modo Sacramentum Eucharistiæ petentibus dispensandum per suam diœcesim permisit: nempe, prævia confessione, ac sub missa, à catholico sacerdote juxta ritum Rom. Ecclesiæ celebrata, & cum certa fide, communionem quoque illam usitatam sub unica specie, sanctam esse, & divino mandato haud repugnantem, &c. Quod in aliquibus locis ita cœptum quidem; postea autem gravibus de causis rursum per totam Bavariam ordinaria potestate abrogatum, ac vetus Catholicæ Ecclesiæ consuetudo unius speciei rursum sibi asserta ac confirmata: ita ut, pro conservanda concordia, & vitandis pluribus inconvenientibus, in toto Ducatu Bavariæ unus atque æqualis esset Sacramenti hujus, sicut & aliorum, usus, &c. Imperatore Rudolpho 2. Papa Greg. 13.

Idem. Dominus Henricus Rahtgebo de Gotha, Sacerdos Moguntinensis diœcesis, propter hæresin Hussitarum, quam defenderat, degradatur, & comburitur anno 1423.

Idem. Zacharias Pontifex Episcopo Laureacensi pallium, quod honorantias non solveret, iterum ademit.

Idem. Anno 1256. fuerunt bella, & maximæ discordiæ inter duos Archiepiscopos, Philippum & Ulricum, per integros sex annos; ut etiam per aliquod tempus à sacris abstineretur. Et puer in Rastat duobus cornibus natus, ejusque ploratus 14. diebus antè auditus fuit, quàm nasceretur.

Idem. Episcopus Ratisbonensis Iohannes, sacerdotem quendam pertinaciter defendentem articulos Wiclefi, omni sacerdotali dignitate exuit: anno 1412.

1580. Valentinus Rudolphus Butstadiensis in Annotationibus temporum.

Istuc ætatis Bretteburgi mulier gravida, desiderio sui mariti capta & accensa edendi, eum noctu jugulavit, & mortui sic brachium & latus sinistrum cingulotenus devoravit: reliqua sale condita reposuit, volens, & illa comedere. Interea verò tres peperit filios, & perpetuo clauditur carcere. Imp. Rud. 2 Papa Gr. 13.

Idem. Vinariæ in fossa quadam, quæ nullas habebat scaturigines, magna vi scaturigines sanguineæ prodiêre. Posterioribus diebus quædam fuit Eclipsis, & dicta scaturigo defecit, at postmodum quatuor oribus denuò se terrâ profudit. Verùm enimverò ante novennium, præcedens carcerem captivi senioris ducis Electoris, etiam per triduum rubicundâ lympha fluebat: Sol etiam quasi sanguine tinctus conspiciebatur. Anno

Idem. Aliquando tres ludebant, eorum autem alter, qui damnum fecerat lusus, dicebat: si hanc, quam ludam jam, perdidero aleam: Deum pugione confodiam. Quid fit? perdidit, ut metuit: eripit vagina pugionem, & sursum ad cœlos projicit: pugio evanuit, & 5. guttæ sanguineæ desuper cadunt in locum, quo ludebant illi: & Sathanas horrendo impetu hominem blasphemum invadit, & totum cum corpore & anima secum ocyus abripit: ingentes tollentem ad æthera clamores & mugitus, auditos omnibus in urbe: duo reliqui capiuntur, & in vincula coguntur: alter collapsus, & plenus atque scatens pediculis moritur miserè: tertius decollatur.

Idem. Hoc anno duo artificii manuarii Juvenes de Deo impiè, at sic jocaturi, locuti sunt, illorumque alter accepto poculo Deo propinavit haustum. Evacuatum autem illud ad cœlos elevavit, Deum compellans & jubens respondere. Ibi corpus ejus regere & immutabile ac immobile esse & manere cœpit, nec ampliùs vel hiscere videri. Socius ejus suspendio sublatus: domus hospitii tentata succendi, sed nulla potuit flamma accendi.

Iacobus Schopperus in sua Chorographia. 1580.

Cardinalis Campegius ad quendam dixit: Ominabar ego, & sæpius cogitavi; tam immensam monachorum multitudinem tandem magnum Ecclesiæ malum daturam. Imp. Rud. 2 Papa Greg. 13.

Idem. Bartholomæus Müller Biberacensis pastor, cùm monachos mendicantes & prædicantes in urbe videret, publicè de suggestu eos taxabat & increpabat, monachatumque damnabat ita, ut monachi non facilè ulteriùs ibi comparerent.

Idem. Sigismundus Imperator cum animadverteret, Reformationem Concilii Constantiensis in fumum abituram; valdè animo dolebat: & cùm aliquando Possenii in Ungaria quietem caperet, apparuit ei in somnis vir honestæ speciei in habitu sacerdotali, qui ei significabat, Papæ & Sacerdotum errores futuro tempore per doctus homines revelatum iri, qui auxilio quorundam principum Ecclesiam juxta Dei verbum reformaturi essent.

Idem. Cùm legatus Papæ D. Martino Luthero nihil renunciari fecisset, D. Martinus ad Legatum misit D. Wenceslaum, & Legatum rogavit, ut rem paterne componeret; ibi tum Legatus sese iterum humanum exhibuit, & inter alia dixit: Se Doctorem Martinum non ampliùs

Anno ùs pro hæretico habere, neque hac vice illum excommunicaturum, nisi ejus mandatum acciperet Roma: responsum enim D. Martini transmisisse se Papæ per veredarium proprium. Item si D. Martinus articulum saltem de Indulgentiis revocaret, tunc rem in vado esse; alter n. articulus ad fidem in sacramento attinens, facilè interpretationem & glossam admitteret: ex quibus apparet, Romam attentam esse ad pecuniam solummodò, non autem ad fidem & salutem. Hoc cùm D. Staupizius audisset, dixit: equidem magni æstimandum esset, si D. Wenceslaus Notarium & testes ad manus habuisset, cùm illa de fide periculosa verba proferrentur, nam certè Romanensibus non exiguum allaturà essent detrimentum, si divulgaretur eorum propositum.

pag.917.

Idem. Cum à Carolo 5. Cæsare Lutherus vocaretur Wormaciam anno. 1521. obediens comparuit, publica fide cò deductus: verum multi cum adversariorum tum aliorum, adventum illius exspectare non ausi fuissent. Licet enim à Cæsare per Caduceatorem salvò conductu vocaretur, veruntamen, quia paucis diebus antè, ac ipse venerat, libri ejus publico affixo mandato damnabantur, eam opinionem nemo induere præsumebat, quòd se, velut qui eo præjudicio iam damnatus esset, sistere sit ausurus. Et cùm Oppenhemii, ubi id primùm resciverat, à multis suis amicis suasum ipsi esset, ne se ipsum periculis objectaret, quoniam videret, quòd initium hujus rei contra datam fidem publicam, tam malè se haberet; magna illis alacritate hoc responsi dedit: Agedum, quoniam vocatus citatusque sum, in animo meo mihi ipsi firmiter proposui, eò proficiscendi in nomine Domini Jesu Christi, licet certo certiùs scirem, tot ibi diabolos esse, quot in tectis tegulæ.

M. Cyriacus Schlichtenberger.

1580.

REfert in quodam libello publicis typis excuso, mortuam esse hoc anno quandam adolescentulam annorum quatuordecim: & exanimem jacuisse usque in diem alterum: & tunc quasi è somno ex pergefactam revixisse: & miranda loqui cœpisse: præsertim verò homines pœnitentiam agere, pietatem colere, & revereri Deum seriò admonuisse: pòst die ab hinc quinto animam denuò efflavisse, nunquam deinceps in vitam reversam. Schlichtenbergius iste est Superintendens Ecclesiæ Meluvicensis. Ut sup.

Hieronymus Franck libro 3. Unionis Lusit. & Castellæ.

Anno 1580.

AD exempla vetera hoc novum, agnoscere sedem Apostolicam judicem Regnorum. Imper. Rudolpho 2. Papa Gregorio 13.

Hieronymus Turlerus I. C.

1580.

SCripsit librum doctissimum de ruina Romani Imperii, & migrationibus populorum. Imp. & Papa ut sup.

Henricus Pantaleon libro 2. rerum in Eccles. gestarum.

1580.

IOhannes Clericus Meldensis frater fuit natu major Petri Clerici ejus, qui cum quatuordecim postea supplicio affectus est. Is Iohannes in urbe Meldensi captus est, anno 1623. quòd schedulam affixerat valuis summi templi, contra indulgentias à Papa missas: in qua scripserat, eum esse Antichristum. Quamobrem eo quidem tempore fuit condemnatus, ut tribus diebus certo spacio intermissis, verberibus cæderetur, atque impressa in fronte nota ignominiose afficeretur. Ejus autem mater, mulier verè Christiana, tametsi maritus resisteret; cum videret, filium virgis verberari, atque ea nota deformari, animum ei addidit, & in hanc vocem exclamavit: vivat Christus, ejusque insignia. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Idem de Francisco Sanct-Romano, Burgis in Hispania exusto anno 1542. His dictis, cucullati sciscitati sunt, an crederet, Pontificem Romanum vicarium esse Christi, caput Ecclesiæ in terra, qui omnes Ecclesiæ thesauros in potestate sua habeat, penes quem sit arbitrium ligandi & solvendi, quicquid libitum fuerit: cui etiam novos articulos facere, & eos, quos nunc habemus, abolere fas sit. Ad quæ Franciscus respondit: se nihil eorum credere, sed contrà affirmare, Papam Antichristum esse, latum patre Diabolo: quippe qui sit inimicus Iesu Christi, sibi vendicans divinum cui tum, quique œstro patris Satanæ percitus sursum deorsum omnia versat, & sacra prophanis miscet, ut fallacias suas tueatur, quibus, velut lupus rabie agitatus, gregem Christi dissipat, ipsas denique oves Domini dilaniat & devorat.

Idem. An. Dom. 1391. Bonifacius nonus primi anni redditus omnium beneficiorum Ecclesiasticorum (qui annatæ dicuntur) sibi suisq; successoribus decreto suo assignavit, & sic se orbis dominum constituit. Huic tamen decreto soli Angli restiterunt, iniquum id esse, affirmantes.

Idem lib. 8. Solet Deus sæpissimè piorum persecutores horribili pœna confundere

p. [illegible]

Anno dere, ut reliquis sint exemplo: id quod uno aut altero exemplo ostendemus.

Hoffmannus, ille Papisticæ religionis acerrimus propugnator, iturus ad conventum Ratisbonensem, ut Evangelicis resisteret, non procul ab Ulma in horribilibus mugitibus est mortuus.

Latomus etiam, Theologus Lovaniensis, moriturus mugiit instar bovis, & vociferatus est de suo dolore & peccato, quòd fuisset persecutus sanctos, & adjuvisset consilia necis contra conscientiam.

Dominicaster. monachus Monasterii, in ipsa concione percutiebatur fulmine, cùm clamaret contra Evangelicam doctrinam, & ita est mortuus.

Quidam etiam alius magni nominis homo, cùm audivisset cantilenam, **Ein feste Burg ist unser Gott** dixit: **Ich will helffen die Burg zerschiessen/ oder will nicht leben**: pòst triduum est mortuus sine confessione, & sine agnitione Dei.

Idem de ord. Iohannitarum rebus gestis lib. 6. recitat ex Jovio. Adrianum pontificem, etsi posset, & militum manum cum classe paratam haberet, Rhodum tamen eripere liberareque noluisse.

Idem de viris ILl. Germ. part. a. Berchtoldus Niger Teuto genere, religione Franciscanus, professione philosophus, Magiæ & metallariæ artium fallaci simarum studiosus & Chymista clarissimus, circa annum Domini 1354. cognasci cœptus est. Cùm enim Physica studio diu operam dedisset, ac didicisset, duo corpora in eodem loco esse non posse, nec vacuum in rerum natura admitti, præterea, quòd ignis levius elementem majus sibi spacium vendicaret, quàm terra, & quod omnia ex elementis mixta corpora in ignem redigantur, hæc omnia ab Aristotele, & aliis naturæ scrutatoribus proposita ipse, experimento facto, clariùs percipere voluit. Itaque ureæ ollæ, undique circumseptæ & obstructæ, sulphur & nitri pulverem adjecit, ignemque imposuit. Quo facto cùm materia ignem accepisset, naturali ratione olla frangitur, atque ignis & fumus ingenti sonitu instar tonitrui in aërem spargitur, tanquam in locum apertum & patentem, inditium futuri bellici instrumenti exhibens.

Eo viso, insignis ille philosophus plurimùm delectatus est, atque pulverem bombardicum pari ratione conficere cœpit. Sciebat autem, contraria contrariis expelli, & frigidum atque calidum in extremis summè esse contraria. Itaque ex nitro & sulphure benè contritis pulverem confecit, & carbones nigredinis ergò adjecit. Hoc pulvere arborum truncos disjecit atque lapides & globos miræ magnitudinis ex concavis & obstructis machinis, instar fulminis, ejecit. Anno

Hac ratione invenitis inventa addens, primò machinas ligneas, deinde autem ferreas atque æneas confecit, easque à terribili & hactenus inaudito sonitu Bombardas vocavit, ex quibus globos lapideos, ferreos, & plumbeos ejaculatus, ostendit pernicioso ingenio, quomodo homines, muri, arces, urbes, & fortissima munimenta, tanquam fulmine prosterneruntur. Supervenère postea indies alii atque alii artifices, qui id inventum sua industria auxerunt.

Hac ratione detestandus Monachus effecit, ut nullus amplius virtuti & fortitudini locus relinqueretur, dum bombardis indifferenter strenui & ignavi prout quisque proximo loco constitit, detestabili modo tollerentur. Habuerunt & veteres Romani ac Græci sua instrumenta & arietes, quibus tamquam fundis hostes peterent, & muros concuterent; verùm nova illa pulveris vehementia omnibus reliquis perniciosior multò existit. Itaque Dani bombardas primò contra hostes duxerunt, deinde etiam Veneti, ex quorum auditu homines primò obstupuerunt, incruentam victoriam facilè hostibus relinquentes. Nostro autem tempore virtute neglecta, is ferè principum potentior habetur, qui plures tormentarios, eosque harum rerum peritos, pedites & equites in aciem producere, aut in præsidiis collocare potest. De hoc & suprà apud Polydorum Virgilium, Anno 1530.

Idem. Mense Iunio anni 1540. ductus Stephanus Brunus Reorteriensis Ebrodi ad judices, ut ei sententia capitis pronunciaretur: sic eos intrepidè est allocutus: Quid agetis miseri? mortisnè me damnabitis, qua mihi ex hac vita demigrandum sit? mors sanè mihi terribilis non est, cùm ex miseriis ad beatam immortalitatem transiturus sim. P. 119.

Ad locum supplicii Planuol appellatum cùm duceretur: plebem ab pietatis studium hortatus est: ibi vi, & impetu venti flammam huc illuc abripientis, ac deprimentis, intactus ferè unius horæ spacio ad palum ligatus stetit: adeò, ut nova sarmenta, & vasa olei plena, consumtis lignis, afferri necesse esset, quibus ignis adjuvari posset: nec tamen ita rectè comburi potuit, quin salvus adhuc evadere posse videretur, Quo viso, carnifex fustem in hominis caput totis viribus impegit. Cui etiamnùm vivens dixit Stephanus: Cùm igni adjudicatus sim, ecquid me vis baculis enecare velut canem? Tunc carnifex præpilato baculo viscera Bruni trajecit què prostratum in cineres redegit: atque eos postea in rupe collocatos ventis tradidit. Magistratus autem per præconem vetuit.

Anno tuit, ne quis mentionem ullā mortis illius faceret, nisi hæreticus haberi vellet, eundemque casum & exitium experiri.

Paulus Seidelius in sua historia.

1510. IOhannes Tetzelius, monachus ordinis Dominicanorum, ex oppido Piern in Misnia, ad Albim sito, oriundus, cùm ad mercaturam veheret Indulgentias, hoc pacto pecunias hominum in nassam attracturus fertur, eum miles quidam egregiè induxisse. Accidit enim, ut Tetzelius in quadam civitate diverteret, & suarum Indulgentiarum scruta aperiret: hoc ubi miles exploratum habuit, ad illum se actutum recepit: indicans inimicum sibi esse quodam in loco, quem demulcere paulùm perquàm cuperet: rogare igitur, ut peccati hujus se liberum faciat, absolvat, & literas Papæ, vicarii Christi, tribuat: offerebat etiam miles, se, pro facultate, pecunia id soluturum, & quod æquum esset, repensurum esse.

Tetzelius has conditiones promtissimè, manibus pedibusque, ut dicitur, arripiebat: immunitatem pollicetur, indulgentias communicat, & veniam literis sigillo pontificio roboratis impertitur. Miles ejusmodi peccandi licentia lætus, omnes captabat occasiones, ut pecuniam pro indulgentiis expositam, quam ipse pro elocata habebat, unà cum fœnore reciperet.

Intereà verò Tetzelius, Romanensis scrutarius & æruscator, merces suas extrudebat, obtrudebat, & tantoperè deprædicabat, ut si quis eò nequitiæ fuisset prolapsus, ut B. Virgini Mariæ vitium (horresco referens) intulisset, emtis tamen his suis indulgentiis, illo immani scelere absolveretur. Atque ubi jam homines argento suo affatim emunxerat, convasata pecunia, cœpit aliò locorum tendere.

Hic verò Miles sodalitio suo stipatus, opportunè hominem præstolatur: cumque jam aduentantem conjunctis invadunt viribus, oppetiunt plagis, acriter cædunt, & universam mercimonio Indulgentiarum acquisitam pecuniam, magni sine dubio æstimandam, eripiunt, & insigni fœnore potiuntur. At Tetzelius, quia militi nullo modo resistere, nec se ab illata vi redimere poterat, exclamavit: O tu bipedum nequissime! quomodo peccatum hoc maximum expiabis, quod in Sanctissimo Patre, Papa Romano, & in me, Legato ejus nefariè patras.

Eia, inquit Frater ille, perbellè id diluam & excusabo. Habeo enim literas tuas, Papæ sigillo obfirmatas, in quibus non modò à præsentibus, sed etiam à futuris peccatis, immò ab hoc ipso, quo te jam miris modis excipio, Apostolica potestate, me penitus absolvisti: si volueris, id poteris in memoriam revocare: siquidem & precium tibi pro isthac tua absolutione obtuli. Ideò mihi non metuo, ut cui ipsemet in te potestatem dederis, & plenam absolutionem ab hoc reatu concesseris: sed te universa pecunia spolio, idque pro piaculo non habeo, verùm insuper ago tibi gratias, & valedico: Agedum benè vale Tetzeli lepide.

Ita in seipsum Tetzelius peccandi licentiam indulsit: & scelus, ut ajunt, in artificem rediit.

Episcopus Venator. Ex Ioan. Wilhel. Kirchofii farragine.

1580 PUblico scripto & picturâ anno Domini 1537. divulgata est sequentis non Episcopi, sed crudelissimi, & immanissimi Tyranni historia. Michaël enim Episcopus Salisburgensis cùm in proximo luco ad insaniam usque venaretur, cervus autem quidam ictus extra saltum curreret, & in pauperis cujusdam segetem deveniret, ibidemque veniente morte concideret: eum verò conspicatus inops ille (cui domi soboles esset plurima, vix tamen interim panem haberet, quem ederet) tanquam divinitùs oblatum sibi domum deferret, excoriaret, ederet, seque ita suosq; sustentaret: at Episcopus id tandem exploratum haberet, hunc miserum hominem in carcerem acerbissimè detrusit, ereptumque inde judici suo, qui illi vitam adimeret, tradidit. Qui ubi tam indignam sententiam ferre recusavit: ipse tribunal ascendit, hominemque ad mortem longè deterrimam damnavit, illumque corio devorati cervi insui, cambusque suis interimendum dari mandavit: hac tamen pœnæ mitigatione, vel potiùs nequissima illusione, ut, si quando evaderet, quemadmodum illa bestia, planè liber esset.

Ita impactum cervina pelle virum in foro venatus est, & ipse coràm, animi sui declarandi gratiâ, quàm id sibi arrideret, cornu in manus sumsit, eoque inflato, canes, & molossos atrocissimos in hunc, qui jam animam suam Deo commendabat, causamque iniquissimam ipsius judicio deferebat, incitavit, qui eum undique aggressi, miserrimè in morem feræ dilaniaverunt. Acclamante in cœlum innocente sanguine, Deus haud impunem illum nefarium Episcopum habuit, quem venationi postera die indulgentem ab equo repentino morbo præcipitavit, & justissimè interemit. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Hoc crudele & impium factum Fridericus Staphylus, Paparum conductitius, con-

Anno tra Illyricum scribens, ita excusat, quasi Illyrico, ut homini privato & infimæ fecis, tantum Archiepiscopum & Principem Imperii accusare minimè liceat.

Idem. Anno Domini 1534. sedem Apostolicam occupavit Alexander Farnesius, admodum senex: & qui ante fuerat Episcopus Ostiæ, gratioso Cardinalium suffragio amplissimum in Romana Ecclesia culmen est adeptus. At quibus artibus & phaleris hanc Spartam ornaverit ille, magno cum gemitu paulò post experti sunt Christiani. Voluit autem Paulus iste Tertius (ita namque jam Papa se dicebat) insigne quoddam, ab initio statim, successionis à Petro suæ ædere spectaculum.

Ideo cum Nicææ in Italiâ Sanctissimum Patrem exspectarent Imperator, & Rex Franciæ: ut quis esset, homines intelligerent, haud minore apparatu putavit sibi eo loci ingrediendum esse. Ergo uti maximum suum splendorem, & majestatem ab initio ordiretur in via ducentos, quibus inequitabant Itali, mulos, egregiè suis ornamentis accinctos præmisit: quos insequuti sexaginta buccinatores in aulolo serico, attalico syndone, & purpura conspicui, Papam advenire haud obscuro murmure, ut credere fas est, prædicabant: deinde vero incedebant satellites, quadraginta, ni fallor, omnes amicti manicatis tuniculis, & redimiculis: omnes flavo colore vestium irradiabant, in capite nigri serici galeri, candidis struthionum pennis, & cristis evincti supereminebant. Inde Magister Romanæ Curiæ, ad latus efflulto regimento, singulari gravitate torvum quiddam prospiciens, quadrupedante sonipede tercoatus, insigni habitus ambitione renitgens.

Jam vero Catholicorum fucorum examen, cerosi, rasi, & nigris exesi chelydris Sacrificuli, mitris, auro, gemmis & serico Sanctorum reliquiis obvelatis exornati, in alto ferentes sexaginta flammantes in clara luce cereos albos, usque Papæ prælucentes eunt: quem in aureo atque eburno emblemate vermiculato solio, subter extento fictili pretioso coelo, resupinum effulgentem, coronaque triplici micantem multi humeris suis; & ipsi magnum & Romanum quiddam spirantes, enixè gestabant. Ibat paulò ante, qui Sacramentum coenæ in aureo sacello portans, illud circumfusæ plebi monstrabat. Pontificem autem à tergo centum fortissimi milites sclopetis & verutis armati observavant.

Ita procedebatur in urbe, omnibus attentis, & majestatem rei stupescentibus, usque ad Palatium Papæ marmoreum; ubi consedêre Patres, & cuticulam curavere suam. Non potuit autem diutius latere Pontifex, quin Imperator etiam ultro veniret, & patris sui pedes osculo quodam exciperet, quem vicissim medium amplexus Papa, osculatus est in summo capitis illius vertice, ut vel invitus intelligeret Cæsar, à quo reciperet hoc osculum, nimirum à domino suo. Hoc modo Paulus iste III. & pastor ovium Jesu Christi, vicarius Apostoli Petri, Nicææ in Italia venit. Anno

At de hoc quia nemo tantopere laborat: audiamus porrò Pauli hujus avidam cruoris sitim, & tyrannidem. Anno enim 1540. cum alio modo Christianis in Germania principibus in causa Lutheranæ religionis repagulum injicere non valeret, emisit ex Italia quadringentos, eosque bipedum nequissimos homines, non sine salario quodam subornatos, ut ignes clanculum in Lutheranorum civitatibus alerent, atque hinc inde pestem molirentur.

At Deus clementer inhibuit eventum, ita, ut de his nihil effectum acceperimus, quàm quod urbs Inbeck audacia horum nebulonum flammis corruerit, sine tamen ullo Christianæ nostræ religionis detrimento.

Sed ne hoc quidem facinore crudelitas illius est satiata. quin anno salutis 1546. Cæsarem ad arma capienda, & innoxio sanguine se polluendum incitaret, unde grave illud bellum subitò in Germania, omnium atrocissimum exarsit.

Eodem anno, dum plena tumultibus & opertis omnia bellis intumescerent, ut putaret, hac ratione latrociniis suis patere viam: plurimos ad intoxicandas aquas, & venenis habitacula hominum Lutheranorum inficienda, hinc inde passim inaudito flagitio, ablegavit. Quemadmodum in Thuringia quidam Italus in scelere deprehensus, in quæstione fassus est, à Papa se, suique similes pecuniis fuisse inductos, ut operam illi in hac re sedulam, aut quocumque modo præstantissimos quosque viros interimere ferret occasio, præstarent.

Atque hic videte, vos ô Christiani, inflatorum horum Sodomitarum audaciam, & scelus! uti miserum ovium Christi gregem, diabolicis suis larvis decipiant, inducant, fallant, divexent, & interimant: ecquidnam aliud illi, in templo Dei sedentes, sibi volunt, quàm mundi hujus opes, auctoritatem, & potentiam? P. [illegible]

Idem. Referunt de Leone X. quòd, cùm sæpenumerò magna reverentia gestaretur in lectica, nonnunquam autem bajulos ex-

Anno tuit, ne quis mentionem ullã mortis illius faceret, nisi hæreticus haberi vellet, eundemque casum & exitium experiri.

Paulus Seidelius in sua historia.

1580. JOhannes Tetzelius, monachus ordinis Dominicanorum, ex oppido Piern in Misnia, ad Albim sito, oriundus, cùm ad mercaturam veheret Indulgentias, hoc pacto pecunias hominum in nassam attracturus: fertur, eum miles quidam egregiè induxisse. Accidit enim, ut Tetzelius in quadam civitate diverteret, & suarum Indulgentiarum scruta aperiret: hoc ubi miles exploratum habuit, ad illum se actutum recepit: indicans inimicum sibi esse quodam in loco, quem demulcere paulùm perquàm cuperet: rogare igitur, ut peccati hujus se liberum faciat, absolvat, & literas Papæ, vicarii Christi, tribuat: offerebat etiam miles, se, pro facultate, pecunia id soluturum, & quod æquum esset, repensurum esse.

Tetzelius has conditiones promtissimè, manibus pedibusque, ut dicitur, arripiebat: immunitatem pollicetur, indulgentias communicat, & veniam literis sigillo pontificio roboratis impertitur. Miles ejusmodi peccandi licentia lætus, omnes captabat occasiones, ut pecuniam pro indulgentiis expositam, quam ipse pro elocata habebat, unà cum fœnore reciperet.

Intereà verò Tetzelius, Romanensis scrutarius & æruscator, merces suas extrudebat, obtrudebat, & tantoperè deprædicabat, ut si quis eò nequitiæ fuisset prolapsus, ut B. Virgini Mariæ vitium (horresco referens) intulisset, emtis tamen his suis indulgentiis, illo immani scelere absolveretur. Atque ubi jam homines argento suo affatim emunxerat, convasata pecunia, cœpit aliò locorum tendere.

Hic verò Miles sodalitio suo stipatus, opportunè hominem præstolatur: cumque jam aduentantem conjunctis invadunt viribus, oppetiunt plagis, acriter cædunt, & universam mercimonio Indulgentiarum acquisitam pecuniam, magni sine dubio æstimandam, eripiunt, & insigni fœnore potiuntur. At Tetzelius, quia militi nullo modo resistere, nec se ab illata vi redimere poterat, exclamavit: O tu bipedum nequissime! quomodo peccatum hoc maximum expiabis, quod in Sanctissimo Patre, Papa Romano, & in me, Legato ejus nefariè patras.

Eia, inquit Frater ille, perbellè id diluam & excusabo. Habeo enim literas tuas, Papæ sigillo obfirmatas, in quibus non modò à præsentibus, sed etiam à futuris peccatis, immò ab hoc ipso, quo te jam miris modis excipio, Apostolica potestate, me penitus absolvisti: si volueris, id poteris in memoriam revocare: siquidem & precium tibi pro isthac tua absolutione obtuli. Ideò mihi non metuo, ut cui ipsemet in te potestatem dederis, & plenam absolutionem ab hoc reatu concesseris: sed te universa pecunia spolio, idque pro piaculo non habeo, verùm insuper ago tibi gratias, & valedico: Agedum benè vale Tetzeli lepide. Anno

Ita in seipsum Tetzelius peccandi licentiam indulsit: & scelus, ut ajunt, in artificem rediit.

Episcopus Venator. Ex Ioan Wilhel. Kirchofii farragine.

1580 PUblico scripto & picta anno Domini 1537. divulgata est sequentis non Episcopi, sed crudelissimi, & immanissimi Tyranni historia. Michaël enim Episcopus Salisburgensis cùm in proximo luco ad insaniam usque venaretur, cervus autem quidam ictus extra saltum curreret, & in pauperis cujusdam segetem deveniret, ibidemque veniente morte concideret: cum verò conspicatus inops ille (cui domi soboles esset plurima, vix tamen interim panem haberet, quem ederet) tanquam divinitùs oblatum sibi domum deferret, excoriaret, ederet, seq; ita suosq; sustentaret: at Episcopus id tandem exploratum haberet hunc miserum hominem in carcerem acerbissimè detrusit, ereptumque inde judici suo, qui illi vitam adimeret, tradidit. Qui ubi tam indignam sententiam ferre recusavit: ipse tribunal ascendit, hominemque ad mortem longè deterrimam damnavit, illumque corio devorati cervi insui, cambusque suis interimendum dari mandavit: hac tamen pœnæ mitigatione, vel potiùs nequissima illusione, ut, si quando evaderet, quemadmodum illa bestia, planè liber esset.

Ita impactum cervina pelle virum in foro venatus est, & ipse coràm, animi sui declarandi gratiâ, quàm id sibi arrideret, cornu in manus sumsit, eoque inflato, canes, & molossos atrocissimos in hunc, qui jam animam suam Deo commendabat, causamque iniquissimam ipsius judicio deferebat, incitavit, qui eum undique aggressi, miserrimè in morem feræ dilaniaverunt. Acclamante in cœlum innocente sanguine, Deus haud impunem illum nefarium Episcopum habuit, quem venationi postera die indulgentem ab equo repentino morbo præcipitavit, & justissimè interemit. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Hoc crudele & impium factum Fridericus Staphylus, Paparum conductitius, con-

Anno tra Illyricum scribens, ita excusat, quasi Illyrico, ut homini privato & infimæ fecis, tantum Archiepiscopum & Principem Imperii accusare minimè liceat.

Idem. Anno Domini 1534. sedem Apostolicam occupavit Alexander Farnesius, admodum senex: & qui antè fuerat Episcopus Ostiæ, gratioso Cardinalium suffragio amplissimum in Romana Ecclesia culmen est adeptus. At quibus tribus & phaleris hanc Spartam ornaverit ille, magno cum gemitu paulo post experti sunt Christiani. Voluit autem Paulus iste Tertius (ita namque jam Papa se dicebat) insigne quoddam, ab initio statim successionis a Petro suæ ædere spectaculum.

Ideo cum Nicææ in Italia Sanctissimum Patrem exspectarent Imperator, & Rex Franciæ: ut quis videt, homines intelligerent, haud minore apparatu putavit sibi eo loci ingrediendum esse. Ergo uti maximum suum splendorem, & majestatem ab initiis ordiretur in via ducentos, quibus inequitabant Itali, mulos, egregiè suis ornamentis accinctos præmisit: quos insequuti sexaginta buccinatores in villoso serico, attalico syndóne, & purpura conspicui, Papam adventare haud obscuro murmure, ut credere fas est, prædicabant: deinde vero incedebant satellites, quadraginta, ni fallor, omnes amicti manicatis tuniculis, & redimiculis: omnes flavo colore vestium irradiabant, in capite nigri serici galeri, candidis struthionum pennis, & cristis eminenti supereminebant. Inde Magister Romanæ Curiæ, ad latus effulto regimento, singulari gravitate torvum quiddam prospiciens, quadrupedante sonipede vehebatur, insigni habitus ambitione refulgens.

Jam vero Catholicorum fucorum examen, cariosi, rasi, & nigris excisi chelydris Sacrificuli, multis, auro, gemmis & serico Sanctorum reliquiis obvelatis exornati, in alto ferentes sexaginta flammantes in clara luce cereos albos, iisque Papæ prælucentes eunt: quem in aureo atque eburno emblemate vermiculato folio, subter extento fictili protiolo cœlo, resupinum effulgentem, coronaque triplici micantem multi humeris suis, & ipsi magnum & Romanum quiddam spirantes, enixè gestabant. Ibat paulò antè, qui Sacramentum cœnæ in aureo sacello portans, illud circum fusæ plebi monstrabat. Pontificem autem à tergo centum fortissimi milites, sclopetis & verutis armati observavant.

Ita procedebatur in urbe, omnibus attentis, & majestatem rei stupescentibus, usque ad Palatium Papæ marmoreum, ubi consedêre Patres, & cuticulam curavêre suam. Non potuit autem diutius latere Pontifex, quin Imperator etiam Anno ultro veniret, & patris sui pedes osculo quodam exciperet, quem vicissim medium amplexus Papa, osculatus est in summo capitis illius vertice, ut vel invitus intelligeret Cæsar, à quo reciperet hoc osculum, nimirum à domino suo. Hoc modo Paulus iste III. & pastor ovium Jesu Christi, vicarius Apostoli Petri, Nicæam in Italia venit.

At de hoc quia nemo tantoperè laborat: audiamus porrò Pauli hujus avidam cruoris sitim, & tyrannidem. Anno enim 1540. cum alio modo Christianis in Germania principibus in causa Lutheranæ religionis repagulum injicere non valeret, emisit ex Italia quadringentos, eosque bipedum nequissimos homines, non sine salario quodam subornatos, ut ignes clanculum in Lutheranorum civitatibus alerent, atque hinc indè pestem molirentur.

At Deus clementer inhibuit eventum ita, ut de his nihil effectum acceperimus, quàm quod urbs Inbeck audacia horum nebulonum flammis corruerit, sine tamen ullo Christianæ nostræ religionis detrimento.

Sed ne hoc quidem facinore crudelitas illius est satiata, quin anno salutis 1546. Cæsarem ad arma capienda, & innoxio sanguine se polluendum incitaret, unde grave illud bellum subitò in Germania, omnium atrocissimum exarsit.

Eodem anno, dum plena tumultibus, & opertis omnia bellis intumescerent, ut putaret, hac ratione latrocinius suis patere viam: plurimos ad intoxicandas aquas, & venenis habitacula hominum Lutheranorum inficienda hinc inde passim inaudito flagitio, ablegavit. Quemadmodum in Thuringia quidam lectus in scelere deprehensus, in quæstione fassus est, à Papa se, suique similes pecuniis fuisse inductos, ut operam illi in hac re sedulam, aut quocumque modo præstantissimos quosque viros interimere ferret occasio, præstarent.

Atque hic videte, vos ô Christiani, P. 988 infatorum horum Sodomitarum audaciam, & scelus! uti miserum ovium Christi gregem diabolicis suis larvis decipiant, inducant, fallant, divexent, & interimant. ecquidnam aliud illi, in templo Dei sedentes, sibi volunt, quàm mundi hujus opes, auctoritatem, & potentiam?

Idem. Referunt de Leone X. quod, cùm sæpenumerò magna reverentia gestaretur in lectica, nonnunquam autem bajulos ex-

Anno exorbitare, vel ad oppositum lapidem offendere contingeret: ille, qui supereminebat, Papa protinus ad illud presso molari infremuerit, edito suis in morem grunnitu, & proximum quemque dominum, ut à manu fuerat, qui humeros suos oneri bajulando subjiciebat, pastorali suo pedo iuxta tempora semel atque iterum percusserit.

Fuit etiam dictus Papa eâ humilitate præditus, ut, qui eum rogaturi supplices advolverentur pedibus, illos sæpius ad duas & tres usque horas, antequam aures petitioni daret, in luto & squalore jacere fuerit passus.

Idem. Iter faciebant quodam tempore Cardinalis quidam, & Abbas Fuldensis, Ulmam versus, ambo triginta equitibus, & ipsi quidem armis accincti, stipati. Cardinalis ergò in hoc ausam arripiens, ita dictis Abbatem incessit: Venerabilis Domine, annè existimas S. Benedictum, ordinis tui auctorem, tot equitibus ingressum fuisse? Indignius id tulit Abbas, & ut vicissim morderet, eundem in modum interrogat Cardinalem: Dignissime Pater, ubi tu scriptum legis, eodem apparatu & satellitio, ut tu, D. Petrum, qui & ipse vester antecessor, ut dicitis, erat, incessisse? Ita alter alteri sudem in oculis, etiam sine præmio, monstravit.

Idem. Donabatur Augustæ Vindelicorum Maximiliani Imp. filio Ferdinando, cum adolescenti, quidam visus. Eum aliquando nobiles currui ad trahenda ligna applicabant; atqui, nescio quo modo, factum est, ut dum eum duriusculè tractarent, ille omnia perrumperet, indeque liber hinc inde, quocunque ferret impetus, excurreret. Accidit autem, ut, cùm alibi nihil mali molitus esset in quemquam, non sine fato in templum quoddam, ubi missa legebatur, impingeret. Ergò immanior solito ad altare concitato cursu invehitur, inque officio stantem protinus prosternit sacerdotem, indeque cæteros auditores eodem modo prosternit, neminemque in toto delubro, quem intactum relinqueret, præterit. Omnem præterea ornatum pontificium dilacerat, dissipat, & in tenues partes comminuit. Ita hoc examine habito mansuescere cœpit, & in aulam rediit. Putant docti, factum hoc typicum deinceps, cùm Passavii Ferdinandus reformatæ religioni, contra Papistarum furores, pacem statuisset, & eorum rabiem ceu ursus quispiam fortis dissipasset, effectui datum fuisse.

Vetustissima figura Mystica.

1530 TUbingæ in aula Cœnobii, quod nunc illustrissimus Princeps Wirtebergensis studiosis alendis consecravit, vetustiss extat pictura, ponè ipsas fores, totum Monachismum accuratissimè ob oculos proponens. Monstrum est cucullatum per gradus veluti sese præcipitans, altero pede cervino: ut, veloces esse illius pedes ad malè agendum, intelligas. Alterius pedis vicem gerit inversa lucerna, ut, Monachismi ortum & progressum mera doctrinæ lucis eversione niti, scirent spectatores. Anno

Manus habet aduncas, & rapaces quarum una impositum humeris saccum retinet, orphanorum nimirum & viduarum facultates: altera circulum gestat ex precatoriis illis globulis mirabiliter consertum; siquidem pro minoribus illis, quos Ave Maria vocant, sunt abaci tabellæ orbiculatæ: & pro grandiusculis illis majoribus, quos Pater noster appellant boni isti patres, singuli sunt taxilli, pulchrè cum tabellis illis cohærentes.

Sinum habet oppletum lusoriis chartarum foliis: cucullam à tergo, plenam illis novem metis pyramidalibus, una cum globo, quo ad illas dejiciendas vulgò utuntur; ut, quam in re vitam illi consumere solerent, longarum precum prætextu domos etiam regum exhaurientes, nullus ignoraret. Collum est oblongum & asininum, ut, bestiarum more ventri deditos esse ipsos, nemo nesciat. Menti vicem præbet quædam cyathi forma satis conveniens. Nasum facit canis caudam attollentis species, cujus caput latranti simile præstat etiam ipsi Monacho capitis vicem, optimè sanè monachorum latratus simul & ingluviem inexplebilem referens. P. 912.

Denique à tergo desinit dorsi spina in contortum lituum, ex quo cum fumo quodam extrusus alius monachus, rapacibus pedum & manuum unguibus, ad mensam quandam assidens, numerata pecunia indulgentias una manu, altera verò κιβώριον, quod barbarè Cyborium appellant, in quo illorum fatale cuiusdam continetur, porrigit. Recitat Beza in Epistolis.

Alia antiqua pictura Mystica.

IN Genevensi civitate pictura inerat, in ipso penè Augustinianorum vestibulo, palàm omnibus apparens, addito etiã Iaphredi cujusdam Faucinensis pictoris nomine, hydram septicipitem suspenso in aëre throno insidentem referens, substracta nudi Papæ Romani & triplici diademate exornati specie, ex pube infulas, peda Episcopalia, bullas, Pontifices deniq; ipsos, fœdissima sanè stercora, quib. jam plus satis exsaturatum esse mundum oportuit, egerentem, subjecta fornace, quæ utrinq; à dæmonibus, eundem illum thronum circumstantibus accensa, miseros illos decidentes excipiebat.

Hi tum erant igitur Dei Opt. Max. hominum perfidiam justis pœnis ulciscentis con-

Anno concionatores, donec nostra memoria idem pro incredibili sua bonitate, post præmissos aliquos, qui mundi veternum utcunque excuterent, magnos illos heroas, Spiritu sancto circundatos, prodire juberet. Hæc itidem Beza in epistolis.

Memorabilia.

1580. HOc tempore prodiit alter tomus operum Iohannis Goropii Becani, in quo inter alia talia repetiuntur. Anubis canis caput habet, ut moneat, neminem nisi sagacem iter ad custodiam posse monstrare; & rectè docere, nisi ipse priùs noverit, quod docet: præterea, eum qui docet, animosum esse debere, & audacter latrare contra ignorantes. Canem autem symbolum doctoris esse, non de vetusto tantum nomine, sed etiam ex Esaia discas; apud quem dicit Dominus. Speculatores ejus cæci omnes nescierunt, universi canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia, & canes impudentissimi, nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.

Hic videmus, populi sive pastores, sive doctores, sive Episcopos, canes vocari: quoniam ipsorum sit tum scire & videre, quid in omnibus fieri oporteat; tum alta voce & magno animo docere veritatem, & lupos omnes à grege, quem custodiendum acceperunt, arcere. Accusat ergo eos Deus, quòd non solum non doceant, & latrent contra ignorantes: sed ne ipsi quidem videant & sciant veritatem. Tum etiam tantum abesse, ut gregem pascentem contra lupos custodiant; ut ipsimet perpetuò prædis inhient, avaritia nunquam satianda. Non habere itaq; eos quæ in bono cane laudanda sunt; sed ea, quæ in hoc animali sunt vituperanda, voracitatem sc. & impudentiam, & pro vigilia altum soporem.

Et alibi. Petasus Mercurii. Cardinalibus & Episcopis impositus, monet, cerebrum iis & mentem esse debere ab omnibus perturbationibus tutam, nec ulla re externa sic percelli, ut à sanis consiliis dimoveantur. Quid dico, mentem iis securam, & munitam adversus omnes superbiæ, libidinis, avaritiæ invidiæ, iræ, cæterarumq; id genus pestium impetus, esse debere? Id potiùs dicendum fuit, ipsos petaso suo moneri, ut alliis hominibus omnibus se præstent Mercurios, nec petaso dignos esse, nisi revera Mercurii dotes in omni vita præ se ferant. Quid verò facit Mercurius? Interpres est voluntatis divinæ, & eorum, quæ Jupiter imperat, celerrimus & fidissimus nuncius Pacem caduceo suo

p. 983. & præfert & denunciat, ceu diceret: Pax vobis; quæ nisi sit, voluntatem divinam exsequi nequitis, nec quicquam omninò sani consilii vobis ipsi, nedum aliis, dare potestis. Pax autem prima est, quæ nobis à Deo datur, omnes perturbationes, omnia interna bella procul excludens; quæ cui non fuerit, is nec Mercurii imitatorem, nec voluntatis divinæ, nec verbi paterni interpretem se poterit præbere. Videte ergò Episcopi, videte Cardinales, quid petasus admoneat. Videte, ne pedum sine caduceum vestrum aliud nobis, quàm pacem, denunciet atque demonstret. Videte, ne mens vestra alas perdat. Videte, ne gressus vestri sint terreni, sed semper ad sublimia subvoletis. Videte denique, ut semper & ubique sitis Mercurii, id est, & opere & verbo fidi interpretes divinæ voluntatis. Anno

Hic idem autor pulchrè (quod apud alium neminem vidi) totius religionis nostræ symbola in syderibus cœli repetiri, monstrat, ut apud eum.

Matth. Dresserus in libro de Pontificum insidiis per Germaniam. 1550.

CRudele est, quod Uladislao Ungariæ regi accidit, cui mortem Iulianus Cardinalis & Eugenius pontifex scientes volentes attulerunt, cladeque omnibus posteris lugenda Christianos affecerunt: dum optimum regem ad bellum Turcis inferendum, crebris & importunis clamoribus, contra fidem, jurisjurandi religione ab utraque parte firmatam, impulerunt. Est enim hoc velut Symbolum pontificis Romani, quod in animo & ore habet perpetuò: nullam esse fidem hæreticis servandam, nec ullum fœdus cum hostibus religionis suæ, inconsultò se factus, esse ratum. Ex hoc igitur sacro augustoq; juris pontificii principio, rumpi etiam & violari decennii inducias cum Turcis tunc oportuit. Etsi enim jurisjurandi servantissimus esset rex Uladislaus: plus tamen valuit pontificia autoritas, quæ à jurejurando eum absolvit, & Turcos invadere coëgit. Ac si res ulla est, quæ movere Cæsaris Majestatem, aliosque imperii proceres potest, ut animis totis tales pontificum instigationes execrandas & fugiendas censeant: hæc est, quæ exitum tam tristem & lamentabilem sonita est. 1444.

Cùm enim ad arma utrinque esset ventum, & ferocibus animis pugnaretur: inclinari, & in fugam verti acies Turcica cœpit. Hoc tum pene fractus desperatione Amurathes conspicatus esset, in Christianorum exercitu imaginem crucifixi Iesu, alta voce inclamavit: Crucifixe, si *Deus*, vindica perfidiam istam populi tui, qui jusjurandum nomine tuo datum, tam sceleratè violat. Mox commutata fortuna, exercitus

Anno Christianorum cæsus est, Rex ipse in pugna dejectus equo, obtruncatus, & Julianus à latrunculis in fuga necatus est. Ut documentum statueretur omnibus posteris memorabile, quod velut è sublimi concionans, contra pontificium canonem testaretur, omnibus regibus & principibus, non domesticis solùm fidei, sed hostibus etiam fidem esse servandam. Quorsum igitur detestandum illud pontificium evadet elogium; quod hæreticis fidem omnem datam abnegat?

Sic Imperatori Sigismundo Papa hortator & impulsor fuit cum tot Cardinalibus, episcopis, monachis, ut innocentem Hussum cum socio Hieronymo ad ignis supplicium contra fidem datam damnari pateretur. Passus est, ne schisma, quod tunc in ore erat cunctis, fieret. Crematus est uterque: sed ita, ut pontificia quidem tyrannis stabiliretur, horrenda verò distractio, tumultus, & clades ingentes passim consequerentur. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

1580. Inauditum.

HOc anno prodiit in lucem scriptum de quodam latrone insigni, qui homicidia 964. patraverat: ut ibi est videre. Monachii autem in palatio, ubi varia nobilium artificum reservantur opera, monstratur simulachrum cujusdam latronis, qui etiam trecentis plures commisit cædes. Ut sup.

1580.

Franciscus de Rosieres Arch. Tullensis.

HIc in Stem. Lotharing. multa & varia vetustissima diplomata recitat, in quibus sequentia verba reperiuntur.

Ut Rectores N. Ecclesiæ cum toto Clero, tam pro nobis, quàm prædecessoribus nostris semper Deum exorent. Ut Abbas & Clerus N. pro nobis, & liberis nostris, tam viventibus quàm mortuis orent: damus N. Villam cum pertinentiis, in honorem Dei, & reverentiam beati Mauritii. Item: damus etiam N. Castrum cum pertinentiis, ob reverentiam & amorem beati Martyris Mauritii, cujus auxilio misericordiam divinam consequi speramus. Item: Ne forsan detrimentum animæ nostræ faceremus: dedimus castrum cum villis.

Item. Pro satisfactione peccatorum nostrorum, damus villam nostram. Do villam nostram Abbati, & conventui, ut, qui sine intermissione coram Domino astant, orent pro me, & defunctis, N. N.
p. 924

Item: Venit præpositus N. cum Canonicis, supplicantes, ut, pro salute mea, uxoris, & liberorum, ac parentum meorum defunctorum, vellem eis impertiri omnes decimas, quas habemus N. N. loco, tam in blado, quàm vino, &c. Ob prædictas causas consensimus, &c. Anno

Item: Desiderantes pro peccatis nostris satisfacere, dedimus N. N. ut tenerentur orare pro animabus N. N.

Item: Pro satisfactione malorum commissorum, do Ecclesiæ N. N. quartam partem comitatus mei N. Item: Quia cupio adire terram sanctam, do N. terram N. ut quotidie missam celebrent, item: Fratribus N. quorum orationum meritis Deus eripuit à multis malis, do comitatum M.

Talium & similium emunctionum plena sunt multa testamenta & cœnobiorum diplomata, atq; fundationes: quibus sacerdotes & Monachi dominis ac principibus persuaserunt, ut Ecclesiis & cœnobiis multa relinquerent, & devoverent fortunarum secularium, & redituum: tunc velle se missis & meritoriis, ac precibus suis ipsis salutis æternæ certam facere copiam, quantumvis magnis se contaminent peccatis: per quod sanè horrendis & diris iniquitatibus, ac flagitiis occasionem præbuerunt, & aperuerunt fenestram: quisquis enim improbus sibi certò promittebat vitam æternam, quantisquantis etiam peccatis erat obnoxius: namque sibi mercenarios rebatur esse, qui pro se orent: & hac ratione magnarum terrarum illi, & gentium dominio sunt potiti. Idem multis sunt polliciti salutem, & redemtionem ex purgatorio, precibus & meritoriis suis, cujus accepto pòst beneficio, ne recordati quidem ampliùs fuerunt: ita ut tales, quantum ad precarias illorum intercessiones, sanè adhuc in purgatorio hæreant. Quàm graviter verò de hac iniquitate rationem sint reddituri quondam justo judici, non sine æternæ salutis dispendio comperient.

Item, qui ante supremum diem suum Ecclesiasticis nihil reliquit testamento, vel alia via, de eo confictum fuit & divulgatum, animam ipsius esse in purgatorio, & hîc nocturnis obambulare temporibus, miseram plorare, & ferales ingeminare clamores: illi esse ferendas suppetias pecuniis, & auri largitionibus, ut ab hoc cruciatu redimatur, & liberetur.

Ita Lector vides, aliquibus sectam illam ferè nihil aliud esse, quàm spoliarium quoddam, quo fictis Sacramentis quos inungunt; simul pecuniis emungunt. Et ubi non viventium solùm bonis inhiant, sed etiam corvorum instar, præ nimia voracitate, ad cadavera etiam nondum putrefacta advolant.

Au-

Anno 1580.

Augustinus Lercheimerus.

CUm D. Lutherus anno 1521. reversus à Comitiis Wormatiensibus, patriam suam repeteret, & ex mandato Clementiss. Illustrissimi sui Principis, Ducis Saxoniæ Iohannis Friderici, in sylva prope Isenacum caperetur, & in arcem Wartburgum abduceretur, quò tutus ibi foret à proscriptione & persecutione Imperatoris, id quod tantum octo rescisccbant personæ, & fideli custodiebant apud se silentio: ecce nullus ariolus, augur, Magus, necromanticus, aut aruspex, quorum plurum per universam Italiam & Germaniam quærebantur à Pontificiis, divinare aut indicare potuit, ubinam locorum iste Monachus lateret. Quare autem diabolus plurima nequeat prodere hominibus, quemadmodum nec infantem Christum prodere potuit Herodi Regi, habes rationes apud Rupertum Tuitiensem libro 12. cap 3. de victoria verbi Dei. Imperatore 120. Rudolfo 2. Papa 233. Gregorio 13.

Idem Præsul Ecclesiæ N. cui spiritus suus thesaurum monstraverat in quadam lapicidina antiqua, conspexit ibi quandam cistam, super qua recumbebat canis ater: accedit igitur, tunc statim corruit saxifodina, ipsumque oppressum enecavit. Hic aliquid esse credebat, quod nihil erat: erat tantum spectrum seu larva diabolica, vel oculorum fascinatio: qualis & alii cuidam accidit clerico, qui gestans secum aliquando suum breviarium seu libellum precationem, prateribat locum, in quo sedebat quidam necromanticus cum suo collega, qui dixit: En Hypocritam istum, qui vult videri religiosus, & secum gestare suum breviarium: cùm tamen sint tantummodo chartæ lusoriæ. Intuens ergò suum librum sacerdos, deprehendit, esse tantùm folia lusoria, indignatus igitur abjicit. Alii accedebant & tollebant, & illis non erant ejusmodi chartæ, sed verus Liber. Hic etiam pro alia re habebatur id, quod reverà sic non erat.

Idem. Cornelius Agrippa Magus, diabolum circumduxit subinde secum, sub specie canis, qui ei revelabat & perficiebat quælibet, & quæcunque diabolus præstare poterat. Et quidam ejus famulus narravit mihi, se aliquando voluisse ipsum relinquere, & valedicere ejus famulitio: cumque herus abesset, ipse interim, collectis suis supellectilibus, paravit iter, Agrippa autem reversus, canem suum, recumbentem illic super lectulo, demulcebat manibus, & conversus ad famulum quærebat, quare vellet abire?

Hic Agrippa jactabat, se & illum abbatem nôsse artem, qua omnia possint facta & res resciscì 24. horarum spatio, quantocunq; etiam absint locorum intervallo, & hoc quidem mediis naturalibus. Anno

Verùm hæc esse naturalia, purum putum est mendacium: quis enim tantæ sit vecordiæ, ut album nigrum, & Spiritum iniquum esse angelum bonum credat. p.925.

Cùm tempus præterlapsum fuisset, quod illi Diabolus indulserat; & horam mortis suæ jam imminere sentiret Agrippa; solvit fasciam collarem cani, notatam prodigiosis characterib. & literis, dicens: abi exsecranda bestia, tu in perpetuum me deturbasti exitium. Igitur excurrens canis, insiluit in profluentem Lugduni (ubi hoc factum, & Agrippa mortuus est) Rhodanum, & in aqua remansit, ut nemini pòst ampliùs visus fuerit. Hic Magus decoratus ab Imperatore fuit insignibus equitis aurati: & se nominavit consiliarium Cæsareum.

Idem. Doctissimus atq; celeberrimus Albertus Lavinganus, propter ingenii & judicii exquisitissimi excellentiam, nomen Magni meritus, nolebat esse contentus egregiis donis, quibus cum Deus opt Max. per aliis largiter dotaverat & ornârat; sed animum insuper adjecit etiam artibus magicis & diabolicis, & necromantiam exercuit, ut ita majorem sibi acquireret laudem: Magnatibus verò & dominis ac Principibus esset commodo & delectamento. Ideoq; Episcopatu Ratisbonensi se abdicans, factus est Coloniæ Monachus, ordinis prædicatorum.

Eò devenit Aquis post coronationem Cæsaream Imp. Wilhelmus comes Hollandiæ, cum comitatu multorum Principum, dominorum, & optimatum, quibus ibidem tempore festi natalitiorum Domini Iesu Christi, in hyeme splendidum & opiparum exhibebat convivium. Huic interesse debebat etiam iste facetus, & præstigiator Monachus Albertus: ille suis artibus, in honorem, & animi gratia, dominis & Magnatibus effecit, ut videretur tota aula florescere, & ferre flosculos, plantas, arbores, fructus, herbas, frondes & gramina speciosissima & lectissima: ibi cuculi, alaudæ, corydali, luscinia & fringillæ cantabant suavissimè, non secus ac si medius viveretur tempore vernò Majus.

His spectaculis & delitiis adeò capiebatur & gaudebat Imperator, ut fratribus Ordinis Alberti Utrechti donaverit egregium quendam agrum feudatarium, & execrandum hoc & detestandum peccatum, tanquam virtutem, & laudabile opus seu beneficium, tam splendidè remuneràverit; procul dubio hac ratione motus, non esse peccatum hoc, cùm à Mo-

Anno Monachos, tam sancto patre, præsentibus, volentibus, approbantibus & applaudentibus tot Prælatorum & optimatum Spiritualium, sit perpetratum.

Idem. Parentum nostrorum ætate, ante annos septuaginta vixit Iohannes de Tritenheim, vir eruditione & sapientia aliàs laudatissimus: verùm in hoc parùm sapiens, quòd erat familiaris & addictus Diabolo: quanquam hoc minimè fateri volebat, sed ajebat, omnia naturaliter sic fieri; quod tamen nunquam ullus mentis suæ compos homo Christianus facilè crediderit, qui acta ejus leget, vel audiet. Fuit autem Abbas Spanhemii in Hundsruck (ibi, juxta proverbium, Diabolus fuit factus præsul) ibiq; bibliothecam construxit lectissimam.

Ex eo verò loco fuit ejectus & propulsatus à Principe, nescio quibus ex causis; & à suis fratribus Monachis, odio & invidia persequentibus & detestantibus ipsum, propter ingenii & sapientiæ laudem, & quòd præ ipsis celebre esset nomen ejus in omnibus locis, & volitaret per ora virorum ubiq; laudatissimorum, Regum, Principum, & Dynastarum: & quòd in monasterio severius observaret disciplinam, quàm ipsis placebat. Dicebat tamen, præter spem hoc sibi non accidisse, Spiritum enim suum sibi aliquot ante annos indicâsse, quòd non esset moriturus Abbas Spanheimensis. Hoc verò, quod jam de ipso referam, sæpissimè audivi à viris autoritate & fide grauissimis.

Imperator Maximilianus I. laudatissimus ille, habuit uxorem Mariam, Caroli Burgundionis filiam, quam diligebat amore ardentissimo, cujusq; mortem dolebat maximoperè. Et hoc cognitum habuit isthic Abbas, & illi significari curat, se ipsi iterum oblaturum illam, quò oculos suos pascere & serenare ex illius vultu possit.

Persuasus igitur speq; metuq; Imperator consentit in periculosissimam vecordiam. Eunt igitur in quoddam conclave ipsi unâ, adjuncto & alio quodam, ut tres fuerint; & prohibet eis Necromanticus per omnes diras, ne quisquam verbulum proferat, quàm diu actus cum spectro duraret.

Igitur Maria accersita ad eos ingreditur, ut quondam Propheta Samuel ad Regem Saul, & coram ipsis obambulat valde specioso vultu, & egregiè compositis gestibus & gressibus, & tam apprimè referens vivæ Mariæ formam, ut discriminis nihil deprehendi, & ne minimum quidem desiderari potuerit; adeò: in observatione, contemplatione, & admiratione similitudinis ejus recordabatur Imperator, ipsam quandam maculam nigram habuisse in occipite: in hanc igitur animaduertit, & quoq; eandem adesse vidit, cùm secundò iterum coram eo transiret. Adeò probè novit Diabolus, quomodò se quivis habeat, tantaq; valet memoria, tantusq; est artifex in repræsentandis imaginibus & contrafacturis. Anno

Tunc horror invasit Imperatorem, & nutu mandavit Abbati, ut dimitteret spectrum: ad quem deinde dixit tremens & iratus: monache, ne post⟨h⟩ac cum sic ludas ampliùs; & addidit: quàm difficulter potuerit se continere, ne quid ad eam loqueretur: quod sanè si factum esset, ipsum Diabolus interemisset illicò: id quod quærebat hac arte. Deus tamen Clementiss. prohibuit injuriam à pio Imp. ut, posteà has diabolicas technas & præstigias esse fugiendas, admoneretur.

Huic Abbati adeò studiosè deserviebat suus Spiritus, ut habuerit eum omnibus temporibus & locis promptissimum: & si quando peregrinabatur, & divertendum erat in locis, ubi deerant victualia, Spiritus ei apportavit aliunde cibum & potum. Quodam tempore iter fecit in Franconiam, & cum aliis comitibus habuit secum quendam magni nominis virum, consiliarium Cæs. Majest. & civitatis N. qui hæc narravit. Hi alicubi succedentes diversorio, nihil offenderunt ibi vel edulii, vel poculenti. Tunc Abbas tantummodò pulsavit fenestram, & dixit: ADFER. Brevi pòst patina cum cocto lupo pisce ipsi per fenestram porrigebatur, cum lagena plena veteris Bacchi. De his Abbas edit & bibit: reliqui abhorrebant & renuebant: id quod & ego sanè fecissem. p. 936.

Maluissem quippe famè perire, quàm à Diabolo victum petere vel accipere. Hoc enim docuit suo exemplo nos Dominus Jesus Christus, cùm Satan ei consuleret, ut ex lapidibus faceret panes: ipseque respondit: hominem non ex solo vivere pane, &c. Verùm unde Diabolo suppetiit vinum & pisces? nunquid creavit ea? nequaquam, non enim potest, sed suffuratus est alicubi ex cujusdam divitis domini culina & cella. Coqua cùm exponeret piscem, quò deferretur ad mensam heri, ille abreptus est, ipsa nesciente, quo; & procul dubio hujus causâ male audiit ab hero suo, & in suspicionem furti venit. Vinum facilè potuit acquirere, cùm claves habeat omnium cellarum.

Adrianus Rheinmannus.

1580. RECitat Jacobus Ratz in libello de inferno, hujusmodi historiam. Novi

quen-

Anno quendam virum Ingelheimii, is aliquando per tres continuos dies jacebat ex animus: & quia adhuc arteriæ sinistræ exiguum habebant calorem, & motum imbecillem, quanquam corpus totum frigore emortuum erat, in feretro relinquebatur, nec humi mandabatur. Die verò tertio rediit ad se, & jusculum sibi afferri petiit, & abhinc quotidie majores acquisivit vires & incrementa sanitatis. Postmodùm incepit narrare horribiles visiones, quas omnes stupebant auditores, & ille ipsemet horrebat dicta totsq; tremebat, gelidusq; per membra diriguit sanguis: inter alia autem narrabat etiam, se in infernum introspexisse, & referebat nomina quorundam magnatum, quos magnis agitari cruciatibus perhibebat: addebat etiam, inferni solum esse stratum plattis monachorum & sacrificulorum, vice lapidum. adeò multos ex illo grege esse in inferno.

Tunc interrogavit eum quidam vir nobilis: quem honoris gratia nolo nominare, annon vidisti quodpiam solium, destinatum & paratum mihi? Respondit ille, non, domine nobilis: non habetis ullum in inferno sedile: sed podicem tuum cogêris nudum collocare super carbones, nisi resipueris, & vitam emendaveris. Cumq; hæc, & alia visa referret hominibus; Ecclesiastici Moguntini eum ad se vocabant, & serò injungebant ei altum & perpetuum silentium, aliàs enim se illi indignis modis os obturaturos esse. Nunquam verò iste deinceps poterat exhilarare, nec indulgere genio, seu gaudiis mundi volebat; aliquot tamen adhuc vixit annos. Imp. 120 Rud 2, Pp. 233. Greg. 13.

1580. Stephanus Tzegedinus, Carolus Molinæus, Fulmen Brutum, Georgius Nigrinus, Regis-curia, Sutlivius, & alii complures.

GRaviter differunt de quæstione judicis in causa religionis, & statuunt, se Pontifices gravissimis ex rationibus non posse pro judicibus agnoscere. Iampridem enim ajunt eos non ab uno, decem, vel viginti accusatoribus, sed à maxima parte Christianitatis, videlicet Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Belgio, maxima Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, Ungariæ, Transsylvaniæ parte, imò etiam ab aliis Ecclesiis, quæ in Africa, Ægypto, Syria, Asia, Græcia, Oriente, & reliquis mundi plagis nomen suum ad Christianas Ecclesias profitentur, non modò multorum gravissimorum criminum fuisse accusatos, sed etiam propriis plurimorum suorum Catholicorum scriptis historiis, exemplis, testimoniis, præjudiciis & confessione convictos: & ideo tanquam incompetentes, meritò rejiciendos esse. Anno

Sunt autem maximi ponderis crimina, quorum eos agunt reos, ultra triginta, singula speciatim non tantùm nominata, verùm etiam gravissimis argumentis apprimè deducta, & luculentis rationibus comprobata: quæ animus referre horrescit: & reticere propter bonos charitas jubet: lector horum avidus ad ipsos authores recurrat.

Michael Eizingerus. 1580.

REfert, Philippum Melanchthonem, cùm Guilhelmus Nassovius, Auraici pater, filiorum genituras ei protulisset, & de singulis judicium ipsius exquireret, eam, quæ est Auraici, pervestigasset, dixisse: multa quidem eum moliturum ac magna, sed mortem fore violentam. Natus autem est anno Domini 1533. die Aprilis 13. hora 14. minut. 12. eique Aquarii gradus ascendit, quemadmodum etiam Carolo quinto Cæsari, atque Carolo Burbonio Idem etiam ipsi Cornelium Gemmam & alios Astrologos prædixisse, Eizingerus refert. Omnibus autem notum est, aliquoties eum fuisse in magno periculo mortis violentæ, cui adhuc est expositus. Imp. 120. Rud. 2, Pp. 233. Greg. 13.

David Chytræus in Chronico. p. 937. 1580.

QUia paucis notum fœdus Smalcaldicum, & quibus pactis ac conditionibus initum fuit: adscribenda duxi ex Chron. Chytræi sequentia.

Fœdus Smalcaldicum, ait, quod inter Ducem Saxoniæ electorem & cæteros principes, qui confessionem Augustæ unà exhibentes, sententiâ Cæsaris damnati erant; primò inchoatum, & sex annos sancitum erat; juxta decretum proximo mense Decembri Smalcaldiæ factum in annos decem prorogatum est.

Formulæ fœderis, quod me puero, in toto imperio, in omnium ore erat, & multis formidabile videbatur: Iohannes Fridericus, & Iohannes Ernestus frater, Duces Saxoniæ: Philippus, Ernestus, & Franciscus, Duces Brunsvvicenses, & Lunæburgensis: Philippus Landgrafius Hassiæ: Barnimus & Philippus duces Pomeraniæ: Anhaldini, Gebhardus & Albertus, comites Mansfeldenses: & civitates superioris Germaniæ, Saxoniæ, & maritimæ. Argentina, Augusta, Francofordia ad Mœnum, Constantia, Ulma, Eslingen, Reutlingen, Memmingen Campidunum, Lindavia, Biberacum, Isena, Magdeburgum, Brema, Brunsviga, Goslaria, Hannovera, Gottinga, Einbecca, Hamburgum, Lubeca (quæ tamen

Anno men paulò pòst se iterum exemit) & Minda subscripserunt: & se ad mutuam benevolentiam, fidem & defensionem: si quis præsenti aut futuro tempore, eos, eorumvè subditos, ad agnitâ veritate verbi divini, vi armatâ depellere, & ad pristinos abusus iterum adigere conaretur, sanctissimè obligârunt: ac ne quis moto bello, absq; alterius consensu & voluntate, cum hoste pacisci, aut, si exeunte hoc decennio, nondum finitum esset, ne quis ex fœdere, nisi eo finito, discedere possit, & alia, pacti sunt.

Anno Nec adversus Cæs. M. vel ullum Imperii statum, sed tantùm ad conservationem Christianæ veritatis & pacis, & propulsationem injustæ violentiæ, in casu necessariæ defensionis, sancitum esse, testantur.

Altero deinde prolixiore scripto, cætera ad fœdus & defensionem pertinentia, constituuntur: duo capitanei, Saxo & Hessus, qui per vices singulis semestribus præsint: Tredecim consiliarii bellici: deliberatio & conclusio, an sit suscipiendum defensionis causâ bellum, penes omnes ordines sit. Quòd si singulorum sententiis auditis non conveniet, tredecim suffragia, secundum pluralitatem votorum decident: ex quibus duo elector Saxoniæ & frater, unum duces Brunsuicensis, Lunæburg. Anhaltini & Mansfeldici, duo Hessus: unum dux Wirtebergensis: unum Pomerani: tria nomine civitatum superioris Germaniæ, Argentina, Ulma, Augusta; totidem nomine Saxonicarum, Magdeburg, Brema, & Hamburga habebunt.

Pecuniam ad conducendos duces & milites necessariam, principes Torgæ & Casselæ civitates Saxonicæ, Brunsuigæ; Suevicæ, Ulmæ deponent. Principes (exceptis Pomeranis & Wirtenb. qui recens in fœdus accesserunt, ideoq; nondum taxati sunt) 70000. civitates (exceptis Augusta, Francoford. Campiduno, Hannovera, Hamburga & Minda) itidem 70000. ex quibus 52000. ad bis mille equitum: 18000. ad decem millium peditum stipendia in duos menses convertantur. Postea Ulricus Wirtenbergensis decem millia ad stipendium menstruum Stutgardiæ: Augusta pro duobus mensibus, decem millia: Francofortii 6000. Campidunum 18000. Hamburgum 8000. Hannovera 134. se collaturos promiserunt. Pomerani eo anno nondum de taxâ convenerant. Quod si necessitas bellum gerere coget: eadem ratione, pro tertio, quarto, quinto, sexto mense ordines contribuent. Belli tempore summi duces, si ipsi unà ibunt, singulis mensibus, mille ducentos: si alium substituent, quadringentos flor. pro suâ mensâ à ministris: singuli consiliarii bellici centum; ex communi fœderis ærario accipient. Explorationibus septem vel octo millia destinata sunt, & singuli fœderis status, consiliarii & alii, quidquid ἀξιόλογον cognoscent, ad summos duces statim referre jubentur. Anno

Multa etiam alia, de modò defensionis: de salvo passu per aliorum urbes, de controversiis à summo duce & consiliariis belli dirimendis: de lucro, si quod ex bello redundet, juxta proportionem contributionum dividendo, & si quis ex confœderatis captus fuerit, vel oppida & arces amiserit, nulla pax fiat, priusquàm in integrum restitutus sit, &c. sancita, sed suscepto post decennium bello, pauca servata sunt. Optimum autem & firmissimum fœdus est, justè agere. Imp. Rud. 2. Pp. Greg. 13.

Idem. Carolo Imperatore intestinis Hispanorum seditionibus, & bello Navarrensi in Hispaniam revocato, & postea continuis novem annorum bellis Italicis implicito: etsi tristissimis calamitatibus magna pars Italiæ horribiliter vexata est: tamen, ut nihil mali permittit Deus, unde non aliquid boni efficiat, ita consentaneum est, illis ipsis bellis, Deo ita gubernante, Carolum occupatum fuisse hanc quoq; ob causam, ut absente Cæsare executio edicti Wormatiensis impediretur, & doctrina Evangelii tutiùs & latiùs propagari in Germania, & cæteris nationibus posset.

Idem Non procul ab Oeniponte conspecta sunt hæc φαινόμενα in cœlo. Camelus progrediens extra duos montes, & respectans circum illos montes, & circa camelum undique flamma erat. Deinde prodibat lupus extra duos montes & respectans & vomens, sed non erat circa montes flamma. Tertio loco erat leo progrediens, & stabat in ipso aditu cataphractus vir, Leonem blandè contrectans unâ manu, alterâ leo ei pedem porrigebat, quasi ipse quoque blandiens. Quarto loco stabat aquila in suo collo pedem unum habens, altero pede videbatur petere viri collum, nec attingere. Anno 1590.

Idem. Eadem die, quâ PP. Urbanus 7. eligebatur, terræmotus horribilis Viennam Austriæ, & multa Moraviæ & Bohemiæ loca concussit. Viennæ ædes quam plurimæ labefactatæ: Turris D. Stephani ita conquassata, ut ruina illius metueretur: & de fastigio destruendo consilium capi necesse fuerit. Templum cœnobii Scotorum, & Hospitium ad solem aureum, patrona & familia illius diversorii, & hospitibus aliquot oppressis, concidit. Castellum Canisianum in finibus Hungaricis, media ex parte, magna militum strage facta, corruit. Praga p. 998.

quoq;

Anno quoq; haud parùm contremuisse fertur. Haud procul à Viennâ Austriæ, agri Mephitim exhalârunt: & solum pluribus locis locustis atris constratum fuit, quæ sub pedibus calcatæ, teterrimum odorem efflârunt F. Anno, 1590. mense Septemb.

Quia celebris illa religionis transactio Passaviæ facta paucis nota est: adscripsi & illam ex Chronico Chytræi,

Nos Ferdinandus, &c. fatemur, cùm bellicos motus istos in Germaniâ, ex Philippi Landgravii Hassiæ custodiâ, præcipuam originem & causam habuisse, intelligeremus: adducti amore & cura salutis, & pacis Imperii publicæ, fratrem nostrum Carolum Imp. amanter rogavimus, ut de liberatione Landgravii, & cohærentibus negotiis, quæ causam bello præbuissent, amicam tractationem nobis instituere liceret. Quod cùm à Cæsare impetrassemus, nos & filius Maximilianus Rex Boiemiæ, cum Mauricio Saxoniæ, & Alberto Bavariæ duce, præteritis paschæ diebus Lyncii convenimus, & post varias deliberationes, utile ac necessarium iudicavimus, alterum conventum, ad 26. Maij in hac urbe Passavio instituere, & electores ac principes Imperii adscriptos, velut intercessores, simul adhibere.

Itaq; nos & dictus elector Saxoniæ, & reliquorum quinq; legati, nomine Moguntini, Daniel Brendel: Coloniensis, Henricus Saltzburg: Treverici, Philippus à Winnenberg; Palatini Friderici, Ludovicus comes in Königstein: Joachimi Brandeburg, Adamus Trode: deinde Ernestus Archiepiscop. Saltzburgensis, Mauricius Dryopolitanus. Wolffgangus Passaviensis, & Albertus Bavariæ dux in persona: nomine verò Iohannis Brandeburgici, Bercholdus Mandeslo, & Andreas Zoch: Wuilhelmi Juliacensis, Guilhelmus Keteler: Philippi Pomerani, Iacobus Zitzevvitz: Christophori Wirtebergensis, Thodoricus à Plieningen comparuerunt, cum quibus causam tractare cœpimus: ac primùm electoris Saxoniæ, & confœderatorum principum postulata & gravamina duobus scriptis exposita, accepimus & expendimus: & re accuratè sequentes articulos & media pacis proposuimus.

Elector Saxoniæ & fœderati principes, ante 12. Augusti, ab armis discedent, & Cæsareæ Majestati ac Imperio, obedientes erunt, copias sine ullius detrimento dimittent, vel Regi Ferdinando militare sinent, urbes Imperii & alios status, quos armis sibi adjunxerunt, patentibus literis ab obligatione liberent. Philippus Langgravius Hassiæ, conditiones in Salinis Saxonicis ipsi præscriptas, denuò ratas habebit, & perficiet, nec custodiam suam ulcisci conabitur, sed ut obedientem principem decet, deinceps se erga Cæsaream Majestatem, nos, & Imperium geret. Ambo etiam electores, Saxo & Brandeburgicus, & Palatinus Wolffgangus, obligationem antea datam renovabunt, & Reginæ Mariæ vel ipsius præsidenti Machlinensi ad 6. Augusti diem tradi curabunt. His factis, Landgravius custodiâ liberabitur, & ad 11. vel 12: Augusti in arce suâ Reinfels, sistetur. Cæsar etiam militum copias adversus Saxonem, Hassum & socios jam conductas, adversus eos, qui pacificationem hanc accipient, non convertet, nec in eorum ditiones collocabit.

Permittit etiam Cæsarea majestas, ut Landgravius inchoatam urbis Cassellæ munitionem perficiat, executionem quoq; sententiarum in controversia Nassaënsi planè inhibebit, donec liberato Landgravio amica compositio inter partes institui possit, vel per utrinq; delectos electores & principes arbitros, causa recognoscatur, & intra biennium decidatur. Administrator orbinis Teutonici, & Henricus Brunsuicensis, actiones, occasione præteriti belli Smalcaldici adversus Landgravium institutas vel instituendas, inhibebunt: donec gravamina, ad Imperii Rempublicam pertinentia, per Mauricium & Hessum in hoc conventu proposita tollantur,

Quod ad religionem, pacem, & justitiæ administrationem in Imperio attinet: pax religioni usq; ad proxima comitia dabitur, in quibus de ratione hoc dissidium amicè componendi, vel per concilium generale aut nationale, vel colloquium, vel communem Imperii conventum, deliberabitur.

Hunc de religione articulum Rex Ferdinandus, ac electorum & principum legati, in eodem conventu Passaviensi, scripto peculiari ita declarârunt, ut constans & perpetua pax in causâ religionis, sive componatur amicis rationibus: sive non componatur, inter Cæsaream & Regiam Majestatem, electores, principes & status Imperii; servetur, & ex consensu Iudicii Cameræ conjuncti Augustanæ confessioni deinceps non excludantur.

Articuli ad libertatem Germanici Imperii pertinentes, à Mauricio exhibiti, in comitiis expedientur. Ad consilium verò Cæsaris aulicum, quod Imperii negotia tractabit, consiliarios Germanos Cæsar adhibebit, & Germanica negotia non nisi per Germanos tractari sinet, libertatem verò Germaniæ patriæ suæ non imminuet: sed omnibus

Anno viribus conservare, & augere studebit: ac ne Mauricius, & fœderati hos articulos neglectum iri metuant; Ferdinandus & Maximilianus spondent, se unà cum electoribus & principibus, primo loco in comitiis hæc negotia Cæsari proposituros, ac ut ad exitum deducantur, adjuturos esse.

P.939. Ad Galliæ Regem quod attinet, ex legati illius oratione apparet, quædam ad communem Imperii pacem, quædam ad ipsum privatim spectantia ab eo postulari. Cùm autem publicæ pacis in Germanico Imperio cura ad Cæsaream Majestatem, electores & principes pertineat; de privatis suis negotiis per electorum Saxoniæ ad nos referre poterit, ut Cæsari postulata ipsius à nobis exhibeantur.

Qui ob Smalcaldicum bellum à Cæsareâ Majestate bonis exuti, vel proscripti sunt, Palatinus Otto Henricus: Wolffgangus princeps in Anhald: Albertus comes Mansfeldicus, cum filiis Iohanne Volrado, & Carolo: Philippus comes ad Rhenum: Christophorus comes Aldeburgicus: Iohannes Baro in Heidecc: Fridericus à Reiffenberg: Georgius à Reckenroth: Sebastianus Scherthle, & cæteri in gratiam Cæsareæ Majestatis recipient, & in possessiones ac bona sua restituentur, modò deinceps Cæsari & Imperio obedientes sint, & qui in Galliâ militant, intra sextam hebdomadam se declarent, & post trimestre in Germaniam redeant. Quibus damnum hoc bello datum est, nullam eo nomine litem fœderatis movebunt. Omnibus, qui hoc in bello adversus se militârunt, Cæsar ignoscet: etiam Alberto Brandeburgico, si ab armis discedet, & copias ante diem dictum dimittet.

Inter Henricum ducem Brunsvicensem, & nobiles bonis & domibus suis ab eo exutos, Saxo & Brandeburgicus electores, & Iohannes Brandeburgicus, & Philippus Pomeranus, velut commissarii Cæsaris, intra trimestre amicè transigent, & nobiles salvis actionibus cæteris restituent. Idem commissarii controversias ducis Henrici Brunsvicensis cum urbibus Brunsvvigâ, & Goslariâ diriment; (sed cum Goslariensibus à se obsessis dux Henricus paulò ante pro suo arbitrio transegerat.) Hæc Cæsar pro se & successoribus, & confœderati principes, Mauricius elector Saxoniæ, Otto Henricus Palatinus, Iohannes Albertus Dux Megapolitanus, & Guilhelmus Landgravius Hassiæ, pro se & hæredibus, & omnibus, qui hoc bello ipsis militârunt, & Ferdinandus ac Maximilianus Reges, electores, principes ecclesiastici & politici, pro se & suis rata habent, & perpetuò fideliter servaturos & defensuros, promittunt. Anno P.935.

Exempla verò hujus recessus tria, Regis Ferdinandi, & electorum Moguntini ac Palatini, Archiepiscopi Saltzburgensis, Alberti ducis Bavariæ, & Mauricii Saxonis, ac Guilhelmi Hessi manu propria subscripta, & appensis sigillis confirmata sunt, quorum unum Cæsareæ Majestati, alterum ordinibus Imperii, tertium electori Saxoniæ & sociis tradita sunt. Actum Passavii 2. Augusti, anno Christi millesimo, quingentesimo, quinquagesimo secundo, cæterorum vicesimo sexto. Hæc celebris illa, & toti Imperio salutaris pacificatio Passaviensis, quæ fundamentum & firmamentum publicæ salutis & tranquillitatis Germaniæ eo tempore fuit, ac, quod ad religionis pacem attinet, deinceps ad omnem posteritatem, Deo juvante, futura est, habita est anno Domini 1552.

Idem Ferdinandus Imp. Car. 5. edictum contra Ecclesias nostras asperius in conventu (Augustano) edidit; tamen cùm Moguntiæ paulò post Albertus Archiepiscopus Moguntinus, & Palatinus Ludovicus de Germaniæ pace cum eo colloquerentur: & Heldus vicecancellarius, Cæsaris astantis nomine, duriùs respondisset: Cæsareum, qui alia etiam Regna haberet, decretum adversus hæreticos in comitiis factum, etiamsi vastanda esset Germania, exequi decrevisse; Cæsar hunc interpellans dixisse scribitur: Hæc non jussi te dicere. Nolo enim vastari Germaniam, quia & patria est, & summum ab ea imperii decus accepi. Et Imperator saluti orbis terrarum, quantum potest, Deo juvante, consulere debet. Datâ igitur Moguntino & Palatino, de pace cum protestantibus agendi potestate, confectam tandem Ratisbonæ confirmavit anno 1531.

Idem Christianus Holsatiæ dux, metropoli Daniæ, Hafnia, superiore anno vi potitus, Rex Daniæ coronatur die suo natali, quam festivitatem Albertus I. Borussiæ Dux, cum conjuge Dorothea, Christiani sorore, cohonestavit. Preces ac ritus sacros adhibuit D. Iohannes Bugenhagius, pastor Wittebergensis, quem ad doctrinæ religionis, & rituum ecclesiasticorum, & scholarum constitutionem piam, in regnum Daniæ Christianus evocârat. Optârim autem, ordinationem illam ecclesiasticam regni Daniæ, brevi libello latino, tunc à Bugenhagio comprehensam, pluribus notam esse, ut, qualem Ecclesiarum & totius administrationis ecclesiasticæ formam, Lutherus

&

Anno & collegæ ipsius maximè probârint, in aliis etiam gentibus plures cognoscerent.

Paucis ante coronationem diebus, Rex, extructo in frequentissimâ urbis parte tabulato ædio insidens, omnibus, qui ex toto regno convenerant, nobilibus ac ignobilibus, regni civibus, prælegi ex scripto linguâ Danicâ, Episcoporum adversus se & regnum, & puriorem Evangelii doctrinam, initas molitiones & practicas, durante in tertiam usq; horam recitatione, curavit. Inter cætera, quod, mortuo Rege Friderico, nec Iohannem jam electum, nec alium quemquam Regem habere: sed ipsi Reges esse, & suo arbitrio regnum administrare instituissent. Eaq; de re literæ ab ipsis confectæ, quas signis suis & aliorum Regni senatorum, quos in sententiam suam pertraxerant, (Dominicâ post Festum S. Canuti) munierant: publicè tum propositæ sunt.

Recitata etiam edicta, sanguine scripta, & proscriptiones vitæ ac bonorum omnium, non modò adversus Evangelii doctrinæ ministros, verùm etiam adversus omnes alios, cujuscunq; ordinis & status homines, qui doctrinam illorum approbarent. Quæ edicta ab Episcopis, regiam sibi potestatem vendicantibus, sub nomine senatus regni edita, causam primam tristissimorum motuum & calamitatum, quæ hoc biennio Regnum afflixissent, fuisse constaret.

p. 930. De Rodscildensi nominatim commemorabatur, cum effigiem suam Mariæ Belgici Gubernatrici, tum recens factæ, misisse, ac conjugium illius ambivisse, ut resignato episcopatu Rex Daniæ crearetur. Propter hæc & alia plurima Episcoporum facinora, & machinationes malitiosas, se custodiæ episcopos mandâsse, Rex indicari universo cœtui jussit, & interrogari, an cupiant, ejusmodi episcopos diutius Reip. regni præesse, & hos captos in pristinam dignitatem & potentiam restitui? Acclamante autem, præeuntibus certis præconibus, populo: decretum de his removendis, & politicâ episcoporum potestate deinceps abolendâ, executioni integrè datum est.

Sic episcopos (annis circiter 350. postquam à S. Canuto primùm consiliis regni publicis adhiberi cœperant) Christianus in his regni comitiis, ex senatu removit, & reditus eorum ac prædia omnia in regium fiscum redegit: collegiis tamen canonicorum conservatis, hac conditione, ut Rex beneficia & canonicatus, suo arbitratu, ministris aulicis & aliis benè meritis conferat. & canonici in suis templis doctrinam Evangelii, aliasq; cantiones & ceremonias, verbo Dei congruentes, abjectis omnibus idolis & superstitionibus pontificiis, servent. Anno

In locum verò septem Episcoporum regni Daniæ, Superintendentes septem, qui Episcoporum officium deinceps obirent, & totius ordinationis ecclesiasticæ custodes & executores essent: à Johanne Bugenhagio, præsente Rege & senatu regni, in summo templo Hafniensi, decimoquarto post Regis coronationem die, Hafniæ ordinati sunt, Anno 1537.

Idem. Venerant Naoburgum Pontificis Pii IV. legati, Zacharias Delphinus, & Johannes Franciscus Commendunus, episcopi: eademq; die urbem ingressi erant, Cæsaris Ferdinandi nomine, Otto comes in Eberstein, Felix Bogislaus baro in Hassenstein, & Christophorus Mecla Regni Bojemiæ vicecancellarius, qui postridie in senatu principum auditi, nomine Imperatoris hortati sunt principes, ut ad synodum Tridenti indictam & legitimè celebrandam veniant, ut huic pernicioso religionis dissidio, & consecutis inde calamitatibus Germaniæ, finis salutaris tandem imponatur. Quibus post aliquot dierum deliberationes respondent principes: se invictissimo Cæsari pro piâ solicitudine, & amore erga Rempublicam & ipsos reverenter gratias agere. Quod autem ad concilium à Pontifice indictum attinet, se non recusare liberum, Christianum, & Universale concilium, in quo non Papa, sed verbum Dei judex sit, & episcopis juramenta remittantur, & ordinibus Augustanæ Confessionis voces decisivæ cõcedantur.

Sed animaduertere se, pontificem Romanum indixisse concilium Tridenti continuandum, & suis tantùm juratis episcopis potestatem dicendæ sententiæ concedere: quod ipsi semper antea inconventibus Imperii iniquissimum esse protestati sint. Hac de re reverenter se Imperatorem monere voluisse: sed integrè respondere hoc tempore nõ posse: quia hæc causa nõ ad principes tantum, qui Naoburgi cõvenissent, sed ad plurimus alios ordines Augustanæ confessioni adjunctos pertineret: & absentium Principum legati nulla, de mittendis ad concilium legatis, specialia mandata haberent. Orare igitur se, ut Cæsar in hoc responso clementer adquiescat, & Passaviensem Recessum, & pacem Religioni datam constanter tueatur.

Cùm Cæsariis legatis responsum de Concilio jam traditum esset: Pontificii etiam nuncii auditi sunt, qui de summi Pontificis Pii IV. laudibus & pia solicitudine pro Ecclesiâ Christi præfati, narrabant, cum ad extirpandas hæreses & sectas, ex quibus tot ferè religiones, quot homines: tot Evangelia, quot doctores extitissent, Concilium Tridenti

Anno denti indixisse, in quo omnia fraternæ charitatis plena fore, omnes benignè ac plenè auditum iri, & liberrimas sententias & suffragia pollicebantur. Itaq; invitabant Principes, ut ad concilium Tridenti indictum, suos cum plenis mandatis mitterent. & restitutionem concordiæ in religione & pacis publicæ juvarent. Exhibuerunt etiam legati pontificii singulis Principibus Brevia Pontificis, cum hac inscriptione: dilecto filio, Nobili viro N. Duci N. quæ omnia non resignata in hospitium pontificiorum remissa sunt. Responsum principum ad hæc postulata mox sequitur.

Idem. Ioachimus à Neuhausen, Boëmiæ Cancellarius, hostis Ecclesiarum, quæ à Pontifice Romano sejunctæ, puriorem doctrinam profitebantur, acerrimus; dum Danubii pontem Viennæ transit, rupto pontis jugo, cum cisio & equis delapsus, in Danubio submersus est, anno 1565.

Idem. In Stiriæ ducatu, Carolus Archidux Austriæ, à Legato Pontificio Malaspinâ, & Iesuitis, & conjuge Bavaricâ incitatus, nobilitati Stirianæ, quæ jam à Ferdinandi Imperatoris temporibus, publicum templum & scholam, in quo Augustanæ confessionis doctrina sonabat, Graiziæ habuerat, decreto edito mandavit: ut religionis emendatæ exercitium in provincialium templo & schola deinceps penitus intermittatur. Provinciales verò subjectissimè, & constantissime deprecantes, magno labore & contentione tandem obtinuerunt, ut decretum prius retractaretur, & omnia in priore statu relinquerentur. F. Anno 1581.

Idem. Cogitemus etiam, Deum, arcano consilio, bellis Italicis, toto ferè novennio Carolum occupari, hac etiam de causâ voluisse, ut tutiùs, & latiùs in Germaniâ & gentibus vicinis spargi, & propagari lux veræ Evangelii doctrinæ, & Ecclesiæ teneræ conservari. & crescere, ac confirmari possent. Hæc Dei consilia eventus deinceps ostendit anno 1558.

Idem. Postrema conventus die, Pontificis etiam legatis manè responsum est, Electores & Principes nullam Papæ jurisdictionem agnoscere, neq; opus esse, ut de suâ voluntate in adeundo concilio, cujus dirigendi aut indicendi potestatem non habeat, Papæ respondeant: sed clementissimo domino suo Ferdinando Imperatori reverenter se sententiam suam exposuisse. Deferre autem se ipsis

P. 93b. Legatis, ut viris nobilibus & doctis, sua officia: ac nisi Papæ Legati essent, plura benvolentiæ officia Principes ipsis exhibituros fuisse.

Sic dimissi à Principibus Naeburgo, legati Pontificii, Zacharias Delphinus, & Franciscus Commendunus, cùm interprete Casparo à Schöneich, cujus pater nobilis Silesius, multos annos Ducum Megapolitanorum Henrici & Alberti Cancellarius fuerat, per Saxoniam progressi, Lubecam venerunt: ubi apud Canonicos sumto hospitio, ad Fridericum Daniæ Regem mittunt, liberam & securam in Daniæ regnum accedendi, & mandata, quæ à Romano Pontifice ad regiam ipsius majestatem haberent, exponendi facultatem flagitantes. Cum autem Rex, nihil patri suo Regi Christiano, aut sibi cum Papâ Romano negotii unquam fuisse, nec se mandata, quæ haberent cognoscendi cupidum esse: ideoq; nec salvi conductus literas mittere, respondisset; re infectâ ad Papam redierunt. Anno

Idem. In Belgico, status generales, ex confœderatis provinciis Brabantia, Flandria, Geldria, Ultraiecto, Transisalana, Frisia, Hollandia, & Selandia, Hagæ in comitiis collecti, scripto ædito, causas publicè exponunt cur Philippo Hispaniæ Regi, omnem deinceps obedientiam & subjectionem renunicient: & Franciscum Alenconium, ducem Andegavensem, Galliæ Regis fratrem, Gubernatorem, & dominum Belgici elegerint.

Pictura etiam Belgiæ, velut sponsæ, pubetenus nudatæ, ædita est: quæ Hispaniæ Regi, unà cum Cardinale suo, & duce Albano, ad vivum expresso: & dextera manu oleæ ramum, cui pacis Coloniensis nomen adscriptum, prætendenti: sinistrâ muscipulam gerenti; tergum obvertit, facie vero ad Franciscum ducem Andegavensem juvenem directâ, astante sacerdote, manu dextrâ sub pileo (cui cassis & gladius, & ramus lauri impositus erat) illius dextræ jungit & copulat. Andegavensem equitum peditumq; armatæ acies: Hispanum præterea cruces, rotæ, rogi ardentes comitantur. Adscripti rhythmi de officio boni principis, & hispani tyrannide conqueruntur.

Principi bono, fideli in rebus omnibus Deus stabilit regnum in perpetuum: illi nimirum, qui miserorum querelis aures præbet: qui pauperum controversias cum æquitate dijudicat. Hæc est doctrina seniorum, & consilium prudentium. Si populo huic hodie officium præstas, audiendo clementer, juvando ex ærumnis: subiicient se tibi ad honorem tuum. Ubi est Roboam, qui sapientum consilium contemsit? Premere etiamnum vis duriter subditos? Satis affecerunt nos virgarum plagæ (Quæris ne scorpiones, ad plagas infligendas acerbiores? An Imperatoris patris tui mandatum, & vir-

Anno virga innocentibus lenior fuit? An etiam scorpionem inquisitionis in Belgiam meditaris inducere? tibi contingit, quod Roboamo: qui delectaris bello, & pace fallace.

Istane est merces (ô Rex) laborum meorum, quos contra tuos hostes sustinui plurimos, opibus meis, sanguine, & vitâ semper paratâ ad serviendum tibi: unde nominis tui fama celebrata est in terras universas: nominis tui eram decus. & coronæ tuæ ornatus. Pro beneficióne maleficium accipio mercedis loco? Atô Leo rugiens, & ut seviolentissime, qui tot annis bella contra me gessisti cum Hispanicâ fece, & in prædam tradidisti tyrannis peregrinis: ventos hæreditatis nomine accipies: qui sic propriam domum contristas, mercedem latrocinii & animi inconstantis. Ne mireris, Rex pessime, & vir profligate, me tibi tergum vertere, & recipere alium principem pro meo domino?

Decreti statuum, quo, Hispaniæ Regem omni possessione & dominio provinciarum Belgici excidisse, declarant, & deinceps ipsius sigillo & titulo in publicis negotiis uti prohibent, typis Gallicâ & Belgicâ linguâ expressi, summa hæc fuit. Principes quarumcunq; regionum ideò à Deo præfici subditis, ut eosdem tueantur & defendant ab omni injuriâ, & vi publicâ: non aliter, quàm pastor ad defensionem suarum ovium constituitur. Nec subditos creatos esse propter principem, ut illius libidini serviant, & mandatis subscribant piis simul & impiis, justis pariter ac injustis: sed multò magis Principem subditorum causâ creatum esse, sine quibus ipse Princeps esse non possit, nec principis officio fungi, nisi eosdem æquis legibus, & rationibus regat, eosdemq; diligat, non aliter, quàm pater liberos, & pastor suas oves, qui cum vitæ etiam discrimine easdem defendit, & tuetur.

Cùm autem vice versâ, loco defensionis, & dilectionis, operam dat Princeps; ut subditos suos premat, & evertat, immunitates, libertates, & privilegia vetera eripiat, ipsisq; ut servis abutatur: non jam Principis, sed Tyranni nomine appellandum esse; qui meritò (interveniente præcipuè communi deliberatione statuum totius regionis) deseriâ subditis, in ejusq; locum alius, ad regionis & subditorum defensionem subrogari possit: idq; tunc maximè, cùm subditi nullâ ratione, precibusq; nullis, talem Principem emollire, & à tyrannico proposito deducere queunt. sicq; nullam habuerint rationem reliquam; quâ primùm vitam suam, conjugum & liberorum; deinde totius posteritatis libertatem (pro quâ conservandâ, lege naturæ, vitam & opes suas in discrimen vocare debeant) conservare & tueri possint: sicut id in diversis regionibus ex similibus rationibus factum legatur, & exempla sufficientia in promtu sint. Anno

Hanc verò rationem, si usquam locum habere potuit, meritò in Belgicis regionibus valere debuisse, quæ omni tempore administratæ sint, administrariq; debeant juxta juramentum, quod Princeps, antequàm à subditis recipitur, jurejurando confirmare tenetur, prout privilegia antiquæq; consuetudines id evidentissimè comprobant: quin etiam suum principem illas regiones certis conditionibus & pactis recipere, quorum violatione, meritò princeps dominio possessioneque excidat.

Nunc autem Regem Hispaniarum, à morte felicis memoriæ Caroli quinti, cui in gubernatione Belgici provinciarum successit: neglectis omnibus beneficiis, quibus tam Carolus quintus quàm ipse, ab his regionibus affectus sit: quibus præcipuè Hispaniæ Rex, tot victorias inclitas, contra hostes suos consecutus sit, ut nomen p. 932. ipsius toti orbi terrarum inclaruerit, & hostibus terrori fuerit; posthabitis etiam fidelissimis admonitionibus patris sui Caroli quinti, multoties in contrarium adhibitis consiliis Hispanorum (quibus legibus interdictum sit, ne ad ullam gubernationem in Belgicis regionibus admittantur, sicut in regno Neapolitano, Siciliæ, Indiarum, & ducatu Mediolanensi admitti soleant; ideoque Belgarum odio ardeant) obtemperâsse.

Colnusuerant autem Hispani non semel, ex dignitate & majestate regiâ magis esse, si de novo illas regiones sibi subjiciat & vincat, quò plenissimam dominatus, & imperii absolutam potentiam consequeretur, quàm tam strictis conditionibus & legibus (quas jurejurando confirmare coactus sit, antequàm ad gubernationem admitteretur,) provinciis illis imperare. Hoc consilium dum sequitur, multo tempore omnem movisse lapidem, viasq; tentasse plurimas, quibus regiones illas omni libertate suâ spoliatas, impotenti dominatuii seu tyrannid. Hispanorum subjiceret.

Et primò quidem sub prætextu religionis, Episcopos in præcipuis potentioribusq; civitatibus novos, dotatos opulentioribus abbatiis, ibidem introduci voluisse. Horum singulis adjunxisse no-

Anno se novem consiliarios canonicos, & inter hos, tres hæreticæ pravitatis, ut ipsi vocant, inquisitores. Hos Episcopos, qui regia institutione tam poterant esse peregrini, quàm indigenæ, voluisse Regem, primam habere vocem, & sententiam in omnibus deliberationibus statúum generalium: ita ut per hos, quæcunq; vellet, tandem rata faceret, ac etiam per canonicos inquisitores, Hispanicam inquisitionem, quæ his populis tam odiosa & terribilis ac intolerabilis, quàm extrema servitus est. (vel ut cuivis id notum) introduceret.

Voluisse quidem Corolum V. multò antè aliquoties eandem inquisitionem Hispanicam Belgico obtrudere: sed cum argumentis pluribus doceretur, eam inquisitionem extremam afferre regionibus illis pernicium; amore singulari patriæ suæ intermisisse. Philippum autem Hispaniarum Regem, documentis talibus posthabitis, reiectis precibus civitatum & provinciarum particularium; intercessione etiam & legatione principum Baronis Montygni & comitis Egmontani, qui consensu Ducissæ Parmensis, ex decreto statuum, omnium illarum provinciarum, aliquoties in Hispaniam eo nomine ablegati sint, neglectâ (licet corám spem fecerit non exiguam) minaces paulò pòst ex Hispaniâ literas dedisse, quibus severè mandârit sub pœnâ indignationis suæ, Episcopos recipi, eosq; abbatiis donari, inquisitionem in opus, & effectum deduci, statuta etiam conciliiTridentini (quæ multis modis cum privilegiis harum regionum pugnabant) suscipi.

Quod cùm populis illis innotuisset. non immeritò ansam occasionemq; dedisse ingentis perturbationis, ab alienatséque non parùm animos subditorum, cum præsertim intelligerent, Hispani Regis gubernatores, non modò in corpora & opes suas, tyrannidem exercere, sed etiam conscientiis suis, quas Deo deberent, dominari decrevisse.

Hinc factum esse, ut præcipua nobilitas illarum provinciarum, supplicem libellum Regiæ majestatis consilio obtulerit, hoc præcipuè consilio, ut motus plebis compesceret, & inhiberet. Petivisse autem nobilitatem, ut Regia majestas capita quædam mandatorum, præcipuè verò quô rigorosam inquisitionem Hispaniam leniret, istoq; facto declararet amorem & affectum paternum, quo bonus princeps erga suos subditos meritò affectus esse debet.

Quò autem hæc propiùs & majori cum autoritate, Regi Hispaniarum proponerentur, utq; declararetur, quàm necessariò istæ innovationes, ad salutem patriæ conservandam, mitigari, non prorsus aboleri deberent: ad petitionem Ducissæ Parmensis gubernatricis, & ex consilio statuum generalium, missos esse legatos in Hispaniam, Marggravium Bergensem, & Montignium Baronem: qui cùm prolixa oratione & argumentis evidentibus, Regiæ Majestati legationis suæ rationem exposuissent; tantum abfuisse, ut voti & petitionis suæ, pro regionibus illis susceptæ, compotes facti sint: aut ulla extremæ necessitatis ratio, qua motibus jam gliscentibus subueniri posset, habita fuerit; ut etiam ex consilio Hispanorum, legati, mandatis (quæ habebant) humillimè propositis, declarati sint rebelles, & læsæ majestatis crimini obnoxii, ideoq; puniendi re, & corpore. Quin etiam hos dominos legatos, jure gentium inviolabiles, (cùm Hispani, potentiâ Albani has omnes pronuncias subactas sperarent) custodiæ carceriq; mandatos, tandem morte mulctatos, & bona eorum fisco adjudicata esse. Anno 1571.

Idem. Pax inter Stephanum Poloniæ Regem & Iohannem Moschorum tyrannum, intercessione legati Pontificii, ad Zapolciam, exclusis Suecis, confecta est: quâ universam Livoniam Moschus Polona cessit: Vielicolucum verò, & alias aliquot arces à Polono occupatas, recepit. Deductis igitur ex totâ Livoniâ Moschorum præsidiis, Poloniæ Rex, Rigam Livoniæ metropolin ingreditur, & cognito universæ provinciæ, & Nobilium & civitatum statu: negocia pleraq; ad comitia, Warsonniæ futurâ hyeme celebranda, rejicit. Die verò septimâ Aprilis Iesuitas in templum D. Jacobi, & cœnobium vicinum, Rigæ collocat: sicut Derbati etiam, Wendæ, Kakenhusii, & aliis celebrioribus oppidis, templa eis attribuit.

Etsi autem Rigensibus, non solum generali privilegiorum, & libertatem confirmatione, verum etiam peculiari cautione, de Religione in urbe non mutandâ, prospectum esse existimabatur: tamen, cùm in priore legatione, Regii templum pro pontificiis in urbe petentes. Iohannis Tastii Rein. legati & oratoris, animum explorassent: eaq; de re ut Archiepiscopi bonis & munitionibus urbis, resolutionem in adventum suum Rex distulisset: Zamoiscius Cancellarius hoc tempore in ædibus Tastii divertens, cum Tastio, & syndico Gochardo Wellingo, I. V. D. nomine Regis, P. 935.

de

Anno templo Regi tradendo egit: eaque in re, si diligentiam & fidem suam Regi probarent, singulari clementiâ, & munificentiâ regia operam eorum vicissim compensatum iri; ostendit: ac ut instructiores ad causam in senatu urbis agendam, & obtinendam essent: Regem, cui archiepiscopus olim omnia sua in urbe jura cessisset, templum archiepiscopi cum cæteris ad arch. in urbe & territorio vicino spectantibus bonis, à senatu flagitare ait.

Tastius & Syndicus magnô studio, & curâ provinciam susceptam agunt: & priusquàm negotium in senatu proponant, cum duobus præcipuæ autoritatis consulibus ad partem communicant, & horum consensu impetrato, petitionem Regis in senatu strenuè urgent. Senatus pars maxima prorsùs ab ea religionis mutatione abhorrens, & privilegia ac cautionem de religione à Rege datam allegans, inquiri jubet in archivo documenta de jure, quod senatus in templo cathedrali habebat. Nam triginta annis antè, & priusquàm Poloniæ Regi se civitas primùm subjecisset, archiepiscopus Guilhelmus, acceptis à senatu aliquot millibus aureorum, summi templi usum, usq; ad concilium generale, senatui, datis solennibus literis, cesserat.

Eas literas, Syndicus & Tastius, semotas, apud se occultabant. Interea in senatu Syndicus se cæcum ferè perlustrandis literis, nullum jota de jure senatus in archiepiscopi templo in archivis invenire, ait.

Quòd si sponte senatus Regi, totam civitatem cum exercitu in potestate suâ habenti, templo aliquo concesso, gratificetur: gratiam eos apud Regem inituros esse: sin recusent; nihilominùs id à Rege occupatum iri.

Posse autem nunc agi cum Rege, ut summum templum senatui relinquat, & alio, arci viciniore, ad D. Jacobum contentus sit.

Ministerii consensum, per Georgium Neuuerum practicantes illi impetrârunt. Communitas civium, re ad eos in domo collegii delatâ, simpliciter recusavit: & jam supplex Regi, cum conjugibus & liberis, simul etiam deprecante Curlandiæ duce, futura erat: sed Syndicus, traditâ Jesuitis (en mysterium, & artificium Jesuitarum) templi clave ac possessione, antevertit. Nihilominus Rex in declaratione posteà civitati datâ, sibi, senatus & civium libero consensu, templum illud traditum, dicoque vicissim à se cathedrale templum civitati relictum esse, scripsit.

De munitionibus etiam & aggeribus inter urbem & arcem tempore belli Möschici excitatis, de quibus, ut nunc essent, conservandis, quemadmodum civitas petierat: nullam Rex in confirmatione privilegiorum mentionem facere: sed omnia sibi integra, donec ipse coràm munitiones inspexisset, manere voluerat: nunc tandem respondet: aggerem civitatis mœnibus conjunctum conservari debere. Anno

Verùm se, ejusdem altitudinis aggerem ad arcem propinquam excitare velle, & portam urbis, versus arcem, sibi ac suis gubernatoribus ingredi civitatem volentibus, etiam noctu, si ita res ferat, aperiri debere, vel novam portam, è regione portæ arcis, quæ cum illa ponte jungatur, in vallo patefaciendam esse. Syndico à Rege, ob fidelem operam sibi & Jesuitis navatam; salarium annuum ex regio portorio: Tastio aliquot rusticorum familiæ donatæ sunt: Anno Domini 1582.

Idem. Sed lætissima hæc novi principis initia, primùm sævæ & horrendæ ventorum procellæ fœdare cœperunt, quibus navigia in Scaldi & mari plurima depressa: aggeres in Hollandiâ & Selandia rupti: Antvverpiæ ac Scaldis ripam, cellas ac fornices mercatorum aqua complet, merces corruptæ sunt.

Insignia Andegavensis imposita Philippi Regis insignibus, in contemtum Hispani, ad portam VVerfæ, ventus in flumen abripuit, flumen absorpsit. Idem ventus & turriculam palatii S. Michaëlis, in quo degit Andegavensis, ædificiorem dejecit: ruinâ subjectum cubiculum, in quo dormiebat, impetiit, & mediâ nocte, magnâ vi lapides impulit. Andegavensi non semel exclamante ad stipatores, ô commilitones, prodimur!

Deinde hoc tanto metu urbi incusso, casus multò tristior secutus est. Die enim 18. Martii, qui Andegavensis natalis erat: Guilhelmus princeps Uraniæ, ex cujus autoritate, prudentiâ, consilio, fide, & industriâ, Belgici res perturbatæ potissimùm pendebant, ab Johanne Jauregio Cantabro, octodecim annorum adolescente, ictu sclopeti, per utramque maxillam trajectus fuit.

Cumq; videret latro, principem non statim concidere, intrepidus pugione arrepto cor principis petens, à satellite quodam cæsus, ac in eo tumultu vicies aut tricies transfossus est. Facinore ad cives delato, subitò multa armatorum millia; cùm ad hospitium principis, ubi Andegavensis erat: tum ad D. Michaëlis mona- p. 943

Anno nasterium, ubi bona pars satellitum Andeg. manserat, convolant: exaudiuntur magno fremitu sonantes voces minaces: oh vesperas siculas proh nuptias Parisianas: ne musca Gallorum subterfugiet.

Andegavensis cum suis trepidare, lachrymari, & sacra prophanaq; detestari, atq; inauspicatum suum in Belgiam adventum execrari: Princeps, qui mentis adhuc erat compos, per suos familiares toto conatu sese opponens, cives mulcens, culpamq; ab Andegavense avertens, ægrè tandem cives placavit. Cadaver latronis in forum elatum statim est à multis agnitum, & palàm jactatum, mercatoris illius Hispani esse ministrum, atq; etiam alium ejusdem domesticum in civitate esse, qui eidem à racionibus sit. Ille è vestigio comprehensus, totam insidiarum originem, ac seriem in quæstionibus aperiebat.

Mercator natione Cantaber, seu Bischajensis, Hispanus, Casparus Anaster, Antvverpiæ ante annos aliquot bonis cesserat, cùm 30000. librarum Francicarum creditores fraudisset: postea, fide apud mercatores utcunq; recuperatâ, rursus in eorum conventu ferebatur donec iterum animam debens, eâdem prorsus excideret. Is in Hispaniam revolans, cum Regis commissariis de principe interimendo sic pacitur, uti pro laniena omne ejus debitum Rex sovat addatq; dein, facinore quocunq; modo possit perpetrato, ducatorum millia 81. Ille in Belgicum duobus famulis comitatis quantis itineribus potest profectus, cum quodam sacrifico Hispano, qui Antvverpiæ multo subsiteeat annos, ita rem agit, ut multa millia istis duobus famulis polliceatur, si facinus perpetrassent.

Sacrificus frigidam suffundere, jus fasq; mò meritum summum dicere, ejusmodi hæreticum & Republicæ perturbatorem è vita tollere. Imò se interfectorem indulgentiis, sanctorum reliquiis & benedictionibus munitorum, ut invisibilis incedere possit. Et si casus aliquis acciderit, ut eum occumbere contingeret: sese pontificio diplomate obsignato effecturû, ut absq; pœnâ purgatorii rectà in cœlum subvolet. Uterq; famulus, stultitiâ pontificiâ occæcatissimus conditionem accipientes, inter sese sortiuntur, & ille, cui provincia obtigit, pontifici omore, sacrâ synaxi sumta, post confessionem, rem ipsam, ut suprà exposui, patravit. Sacrificus unà cum altero, quem sors exemerat, illius Hispani familiari, Antonio Veneto, quadrifariam dissectus est. Autor verò consilii, captorum indiciis, Grevelingam, à domino Lemotta Malocontento ante aliquot annos occupatam, profectus dicebatur.

Pectus sicarii confossi obtectum bullâ pontificia, indulgentiarum largissimâ fuit, adjuncto Evangelio Johannis, cum particulâ linei indusii D. Virginis Mariæ, capitis D. Johannis, & nescio quibus aliis. Uranius à vulnere accepto, indies magis cõvalescere cœperat, spesq; planè erat perditurum in hominũ lucem: donec undecimâ die Aprilis ex ruptâ venâ sub linguâ, sanguis aliquot dies effluxit: cujus cùm semunciæ multæ jam profusæ essent, sisti tandem cœpit. Interim quâ fuit autoritate apud populum, perfecit, ut provinciæ fœderatæ, per delectos, Andegavensi juramentum tanquam suo principi, præstarent. Anno

Parmensis, occasione hujus vulneris, urbibus ordinum fœderatis, Uranium extinctum esse, scripsit: proinde redirent in Regis potestatem, qui eas clementer in gratiam recepturus, omniquę clementiæ genere prosequuturus esset. Sed Uranius hoc prævidens, se vivere, & intra paucos dies restitutum iri pristinæ valetudini, omnes præmonuerat: frustra itaq; defectionem Parmensis tentavit. Princeps Uranius, restitutâ valetudine, in publicum rediit. Anno 1582.

Idem. Cùm de Belgico, in Galliæ Regis patrocinium & tutelam recepto, fama Constantinopolin emanâsset; Antvverpiam Turcici legati, de mutuis commerciis inter Turcas & reliquas Europæ gentes Antvverpiæ instituendis, acturi appulerunt. Qui, octodecim mercatoribus Turcicis sedem in urbe Antvverpiensi præberi, petierunt, ad quos merces Turcicæ ex Asiâ & Græciâ per mare mediterraneum, Massyliam in Galliâ: hinc terresti itinere Burdegalam ad Garumnam: inde per mare Gallicum & Britannicum Antvverpiam advehendæ essent: atque huic instituto faciles successus promittebant, quòd Belgicæ provinciæ Gallorum Regi, Turcis amicissimo, jam fœderatæ, & fratri ipsius subditæ essent. F. Anno 1582.

Idem. Albertus Dux Borussiæ, mente & corpore infirmus, ad perniciem Ducatus sui Borussiæ, ingeniosi cujusdam & vafri, at vanissimi hominis, Pauli Scalichii consiliis auscultaverat, cui prædia & possessiones amplissimas donârat. Hic nobilissimos quosq; veteres & bonos apud principem perfidiæ detulit & removit, & suæ farinæ homines novos evexit. Quos turpia multa perpetrantes, inprimis autem Scalichium Poloniæ Rex, tanquam dominus feudi, proscri psit, & donationes prædiorum & possessiones illi factas abolevit.

Idem Cum Calendarium Gregorianũ, exeuntibus comitiis, ad Rodolphum

per

Anno per Cardinalem Madrucium episcop. Tridentinum, perlatum esset: Imp. se cum electoribus & principibus, qui jam pleriq; discessissent, maturè deliberaturum, ostendit. Cumq; Augusti etiam Saxoniæ electoris consilium inter cæteros exquisivisset: is prolixè admonet, non solum difficultates & confusiones, in judiciis, in historiis, in literis contractuum, aliarumq; obligationem, in nundinis, navigationibus, solutione censuum, agricultura, in omnibus negotiis civilibus, & celebratione festorum Ecclesiasticâ, ex dissimilitudine Calendarii secuturas: sed imprimis Cæs. M. & sacri Imperii autoritatem, reputationem & superioritatem, à pontifice non imminuendam, considerari in hoc negotio, debere.

Nam præsentem anni formam à Cæsare Julio primùm institutam fuisse. Deinde Carolum Magnum, Imperii Germanici conditorem, & Calendarium ipsum, & nomina mensium Germanica, Teutonicis populis dedisse. Canonem etiam concilii Nicæni de festo Paschæ, non Romani pontificis, qui eâ autoritate & potentiâ, quam nunc possidet, nondum eo tempore fuit; sed communi Cæsaris Constantini & patrum consilio conditum esse, Concilia verò ipsa, non à pontifice, sed Romanis Imperatoribus indicta esse, sicut Constantiense adhuc Concilium Cæsar Sigismundus collegerit, & jus constituendi non tantum episcopos in Germaniâ, sed etiam Pontificem Romanum, penes Impp. ante & post Caroli-magni tempora, usq; ad Othonem I. & deinceps usq; ad Gregorii VII. Papatum fuisse.

Cavendum igitur, ne novam & inusitatam jurisdictionem, & potestatem mandandi Cæsari & Imperio, hac Calendarii emendati à pontifice præscripti receptione, Pontifici ordines Imperii tribuant: præsertim cùm Imperii consilio & consensu non requisito, res capta à P. P. suscepta sit. Placere igitur, sibi, ut deputatis totius Imperii ordinibus, brevi conventuris, res deliberanda proponatur, priusquàm Cæsarea mandata, de illius observatione in Imperio publicentur. Cùm autem nemo ex principibus aut civitatibus, Augustanam confessionem amplexis, in Saxoniâ, & reliqua Germaniâ, novum Calendarium eo anno reciperet: Imperator etiam, in Cameræ judicio, veterem & usitatam Calendarii formam retineri, eo tempore voluit. Anno 1582.

Idem. Imperator sedulò de his rebus admonitus, conventum trium Electorum, Moguntinensis, Treviri, & Palatini, Bilsæ indixit, ut compositionem inter Gebhardum Electorem, ac Capitulum Coloniense tentarent. Sed ubi Legati Palatini præfixo die comparverunt, personasq; ad illum actum legitimare voluerunt; Moguntini mandata recipere recusârunt, prætendentes, nullâ compositione deinceps opus esse, quòd Pontifex Gebhardum Truchsesium, jam Episcopatu, & Electoris dignitate privârit, capituloq; petente diem præfixerit, intra quem alium eligere debeat; ideoq; nec Imperatori neq; sibi licere, contra voluntatem Pontificis in causa illâ quidquam amplius agere. Sic à Pontificiis delusi legati, infectâ re, Heidelbergam remissi sunt. Coloniæ, Gebhardus cum quatuor Canonicis, uti anteà quoq; Romæ factum erat, per duos Episcopos Italicos, ut hæretici privati, eorumq; imagines à pueris per civitatem tractæ, in Rhenum provolutæ sunt. F. Anno 1583.

Idem. Belgicæ interea confusiones, Guilhelmi principis Uraniæ, & Philippi Adelgundis, quem Antverpiæ consulem fecerat (qui, Franciscum Andegavensem, Galliæ Regis fratrem denuò revocandum esse, censebant) consiliis adhuc sustinebantur. Cumq; indies à Brabantis hic (Andegavensis) liberator denuò expectaretur, in gravissimum morbum incidit, aliquot diebus sanguine uberrim ex naribus, ore & oculis effluente: ex quo cum, exeunte Majo, ita convaluisset: ut & pilâ palmariâ luderet: & summâ quadam hilaritate sese musicâ, & variis instrumentorum generibus oblectaret: proximo die pharmacum sumsit, ut firmiùs revalesceret. Cæterum hoc ei prorsus lethale ac mortiferum fuit. Siquidem in sequenti die, ultimâ Maji, circa meridiem extinctus est.

Pridie, aliquot horis post sumtum pharmacum, cùm, sibi extremum diem instare, non levibus signis, atq; argumentis animadverteret: supremam voluntatem testamento declaravit, atq; ostendit, se nullâ re aliâ magis dolere, quàm quòd pravissimorum hominem iniqua & nefaria consilia secutus, res Belgicas minùs decorè, ac sicuti debebat & promiserat, administrâsset: quodq; sibi præreptam occasionem videret, qua præteritos errores, sicuti omninò se facturum decrevisset, emenderet, atq; corrigeret. Postremò & scriptis, & per suos intimos consiliarios Regem orare atq; obtestari, ut eandē causam defendendā susciperet, omnibusq; studiis & rationibus tueretur.

Mortuus est, ut ajunt, admodum piè & Christianè, exactam vitam prorsus detestans, & totam spem atq; fiduciam in solum Deum per Christum mediatorē collocans, & reponens. Pontificias ceremonias, sacri, ut appellant, olei unctio-

Anno nem penitus rejecit ac repudiavit. Quin & suum confessorem ad se intromitti omninò vetuit, cùm diceret, se veniam peccatorum suorum à solo Deo per eandem mediatorem expectare, ac certo certiùs polliceri ibi. Hic fuit vitæ exitus. Post mortem in castro, cui nomen est Chasteau Thieri, arx Theodorici, itinere unius diei cum dimidio Parisiis distanti, Anno Domini 1584.

Idem. Guilhelmus Uraniæ princeps, cujus prudentiâ, autoritate, industriâ & fide unitæ Brabantis provinciæ in Belgio potissimùm nitebantur, Delphis in hospitio suo, monasterio D. Agathæ, globo sclopeti per sicarium conscio Parmensi summissum, trajectus, die 30. Iunii. seu 10. Iulii Gregoriani, fato suo non infelici, mediocriter, si non florentibus, utcunq; tamen consistentibus adhuc suis partibus, maturè tristioribus ærumnis præreptus est. Sicarium percussorem principis, Burgundum fuisse, constat, natum sex ad Vesontionem milliaribus in oppidulo Villesano, Balthasarum Gerardum, qui antè aliquot menses, in principis famulitium se, singularem industriam & ingenii dexteritatem præ se ferens, insinuarat; & à principe, legatis ad Franciscum Andeg. Galliæ Regis fratrem, quem Belgici Gubernatorem ac hæredem denuò Belgici status expetebant, comes adjunctus erat.

Mortuo autem, præsentibus Uranii legatis, Andegavense, Balthasarum hunc principi notum, & aliquot menses in ejus aulâ versatum, legati ad Uranium cum litteris remittunt, quibus obitum Andegavi Uranio significant: & an Rex Galliæ vel alius ad protectionem Belgici requirendus sit, sciscitantur? Hic proditor, cùm humaniter à principe acceptus, & auditus perbenignè fuisset: tandem ultimâ Iunii die, absoluto prandio, circa primam pomeridianam, accubitu surgentem principem insecutus, & denuò se cum eo loqui & secreta referre velle simulans: tormento manuario medium trajecit ita, ut statim moriens concideret.

p. 936.

Percussor vivus comprehensus, &, non à Gallio vel Hispanis se conductum, sed proprio consilio egregium ac præclarum κατόρθωμα, & cultum Deo gratum se præstitisse, profitens, summo cruciatu, ac supplicio proditori debito, necatus est: quem nihilominus velut martyrem, Coloniensis quidam scriptor celebrat. Intellexi autem ex duobus principis Uranii domesticis, Balthasarum in quæstionibus confessum esse, se consilium principi Parmensi scripto, ac jussu illius consiliarium Assonlevillam cum eo egisse, cumq; in proposito confirmasse, & de mercede non tantùm in tabulis proscriptionis expressa, verum etiam multò ampliore ei cavisse. Anno 1584. Anno

Idem. Talem ad modum Tartari, qui hactenus liberi & indomiti fuerunt, ex sociis & fratribus Ottomannorum, ipsi sunt facti servi, quem amicitia Ottomannica finem plerumq; habere solet.

Cùm autem Tauricæ Chersonesi, in provinciæ formam à Turcis redactæ, historiam recitaverim: cæterarum etiam omnium imperii Turcici provinciarum, quas per Bassas seu vicereges suos administrat, catalogum obiter adjungam.

In Asia 1. Natali, h. e. Asiæ minoris Beglerbegus, seu viceréx residet in Chiutaiâ. 2. Caraman Ciliciæ præest. 3. Sevas Syriæ superiori, residet in Sebastiâ. 4. Haleb Alepi, parti Syriæ. 5. Scham Damasci, quæ Scham Turcis & Arabibus dicitur, Syriæ, Cælesiriæ, Palestinæ. 6. Tarablos sive Traplos, Tripolitano regno præest ad montem Libanum. 7. Maras Arabiæ desertæ confinis. 8. Diarbechie Mesopotamiæ. 9. Bagdat, Babyloniæ & Chaldææ. 10. Fas Mengrellios, Colchidis habitatores, sub se habet, forsitan à Phasi fl. ita nominant. 11. Ezrum parti Assiriæ & Armeniæ, 12 Ballara ad sinum Persicum, Persidis & Chaldææ partem habet. 13. Labsa Garamanniæ, quæ Ornum versus. 14. Iemen Adin Arabiæ. 15. Hebesch ad sinum Arabicum dominatur, oibectus presbytero Iohanni. 16. Messier Ægypti residet in Cairo, quam Messier vocant Turcæ cum Ægypto. Iudæ Misraim ex literis sacris adhuc vocant. 17. Cypro Cypro præest, residet Nicosiæ, sive Niconiæ, potiùs 18. Van in confinibus Persiæ. 19. Scherésul etiam in confinibus Persiæ, sed tamen Asiyriæ magnam partem sub se habet. 20. Cars in Armeniæ & Mediæ finibus. 21. Tiflis in Georgianorum R. 22. Tchilldirin confinibus Mediæ. 23. Schum ibidem. 24. Temircapi Ferreæ portæ.

Hi Bassæ nuperrimè constituti sunt contra Persam: sed reliquis, propter incertum belli eventum, & propter provinciarum parvitatem, nequaquam comparandi sunt.

In Europâ 1. Rumuli Thraliæ & Græciæ totius. Turci enim Græciam Rumuli vocant, corrupto Romaniæ nomine: alii post Constantinum magnum, vocant Thraciam. Sophiæ sedem habet, sed plerunq; Constantinopoli degit. 2. Caffa Tauricæ Chersonesi, olim Theodosia dictæ. 3. Temesuar Hungariæ versus Wallachiam,

Anno am. 4. Buda Hungariæ superioris, residet Budæ. 5 Bosna Dalmatiæ, Illyridi, & Croatiæ parti, præsidet Bossinæ.

In Africa 1. Giul. Gesare Algeriæ præest, quam Turcæ ab antiquo nomine, sed corrupto, Iulia Cæsarea, nominant. 2. Tunis Tunetarum habet regnum, & residet Tuneti. 3. Tripoli Leptis est antiquis, & Tripoli Aphricæ residet. 4. Capitan Bassa his adjungitur. Is mari præest, ac inter Beglerbegos numeratur: & fermè omnes Ægei maris insulas sub se habet. Residet tamen plerumq; Constantinopoli & Callipoli. Singuli Beglerbergi sub se habent suos Begos, sive Sangiacbegos, quorum quisque fermè principatum aut Ducatum obtinet, & vice Beglerbegi sunt, seu vicedomini. Servitiorum quisq; plerumq; 500. sæpè 1000. equitibus Horum in universum sunt plus minus 300. Hi sub se habent Spahileros, quos rectè vocamus vasallos sive benoficiaries: nam equites merent, & beneficia pro stipendio habent ad tempus.

Conradus Dantzinger I. C.

1580. Retulit vir fide dignissimus, Conradus Dantzinger I. C. qui legatus ad Russos fuit missus: quòd Episcopi Russiæ, ex privilegio Papæ Epistolam hanc inferiùs annotatam, unicuiq; , sed pecuniis illam redemturo, communicare soleant: quam deinde, veluti commeatum quemdam, in sepulchrum mortuo apponant, ut, si quando defunctus ante portas cœlorum veniat, Petrus eo commeatu viso, protinus sine morâ illum intromittere cogatur.

Makaria, Dei gratiâ, Archiepiscopus Kiosæ, & Halitz, & in totâ Russiâ, domino, & amico nostro S. Petro, Dei omnipotentis Portitori, &c. Nos significamus & mandamus tibi, ut, postquam hoc vel illo tempore ex hac vitâ decessit Princeps, vel N. N. minister Dei, tu in hoc ipso momento, visis literis, abjectâ omni cunctatione, nullâ factâ morâ, rectâ in regnum Dei ipsum intromittas. Nam nos eum ab omnibus suis peccatis absolvimus, & propterea ei hoc nostrum Christianum testimonium absolutionis plenæ, & remissionis exactæ concessimus, ut ea exequi tu, nec transgredi scites. Datum in nostro maximo cœno-

p. 937. bio Kiosâ, anno &c.

Papa Bonifacius IX prius vendiderat illis civitatem Rigensem cum pertinentiis, pro pretio 15. millium florenorum auri: author est Theodorus à Niem libro 2. de schis. cap. 16. Mirum ergò videri non debet, illum prò recuperandis suis hoc artificium in Russia reliquisse.

Iacobus Procardus.

Hic hoc tempore edidit librum de prophetia: in quo inter alia multa monstrat, in omnibus sacris libris inesse prophetiam usque ad postrema tempora cujus eventa non sint adhuc perfecta; easque probat ex propheticis, & Apostolicis scriptis: sed & varia exactionum genera, quibus hodie magistratus quidam expoliant populum, pro domo, pro camino, pro capite, pro vino, pro frumento, pro farina, pro latrinis (ut Imperator ille) pro prædio, pro jugere, & pro aliis innumeris. Ut nihil edas, nihil bibas, nihil habeas, nihil possideas, quin singulis momentis propria & prius tua emas & redimas à Tyranno. Cui si addas Ecclesiastici quoque ordinis horrendas expilationes, apud quos pro quovis etiam maximo scelere, si pecuniam solvas, liber es: imo etiam confideres, pro eadem gratiam Dei & regnum cœlorum, quæ Christus solo merito suo paravit, emercari posse: miserius homine sub sole nihil esse, fateberis. Referunt enim Taxæ Cancellariæ Apostolicæ de quibus suprà, sub rubrica de causis matrimonialibus, non esse dispensandum cum pauperibus eò, quòd non habeant unde solvant. Sed justus es Domine. De his alibi uberius.

Anno 1581.

Decretum Belgicum,

1581. Hoc tempore promulgant Ordines Belgii in Haga Comitis decretum quoddam, die 26. Iulii, eo declarantes: Principem omnem esse propter subditos, non hos propter illum: ideoque justis debere principem regere subditos Imperiis, & eosdem amare tanquam pater liberos: & per nomen Domini jurare se & hoc facturum, & subditos cum suis privilegiis & consuetudinibus atque libertatibus incolumes conservaturum: aliter verò, & extra hanc conditionem, stabile ipsi Regnum & Principatum consistere non posse, & meritò, justisque de causis dominio exui: & non mereri nomen Magistratus, sed crudelis & perfidi Tyranni, cum promissa & jurata non præstiterit. Et ex hac causa liberos pronunciant omnes subditos, Vasallos & Officiarios, à juramentis Regi datis: prohibent usum sigilli & numismatis Regii: & conversi ad Ordines Belgicos, suam fidem juramento eis contra Regem adstringunt. Hoc edictum sanè omnibus difficilimum videbatur præstitu, adeò ut, cùm quidam Senatorii Ordinis in Frisia super eo juramentum præstare deberet, protinus ecstasi correptus animam expirârit. Meteranus in annal. Bel.

Anno 1581. Portugallicæ & Hispanicæ historiæ.

CUm Philippus Hispaniarum Rex, Portugalliæ regnum, defuncto rege Henrico, ad se jure hæreditario pertinere, contenderet; & Papa ultrò, & non rogatus judex esse vellet: Rex expetivit super ea re ab universitate Alcalana consilium. Doctores, repensiculatè deliberata, responderunt: Papam & Apostolicam sedem nequaquam in hac causa vel posse vel debere judicialiter cognoscere, quia secularis & mundana omninò esset: spiritualibus illum potius (omissis his) ut incumbat, decere. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

1581. Albertus Fürst in historia Hispaniæ, Portugaliæ, & Africæ.

IN ipso zodiaco, & signo libræ, juxta Martis stellam, anno 1577. Cometes apparuit, ea magnitudine & irradiatione, qua similis antè actæ ætatis memoria nullus uspiam est visus. Illum quidem non mediocriter exhorruère homines, ut qui experientia ratum haberent, ejusmodi astra non sine casibus & infortuniis propediem eventuris, ardere. Et sanè eo tempore irrubuit, quo Lusitaniæ Rex Sebastianus adornata classe in Africam trajecit, ibidemque miserabili morte occubuit, eodem anno 1577. die nona Novembris. Imp. Rudolpho 2. Papa Greg. 13.

1581. Johannes Olearius D. Theolg.

SCripsit librum, an tempore necessitatis cœnam vel à Pontificio, vel à Calviniano pastore quis bona conscientia possit accipere? Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Explicationem picturæ Papæ insidentis equo, & Ecclesiâ dereiictâ in miseriis & deplorandis afflictionibus vidua, abeuntis hinc post voluptates & ludicra pegrè, vide suprà part. 1. fol. 447. 471. 472. & 485. Declarationem typi Bileamici in parte hac 2. fol. 3 & 4.

Sex notarum & verborum hieroglyphicorum, conditiones vitæ, sortis, mortisque humanæ denotantium, interpretationem habet exordium præfationis in parte 1. Astreæ virginis, quæ Iusticiæ administratrix & patrona est veteribus, initium præfationis partis hujus 2.

Cur summæ Christianis dignæ virtutes iniquè detineantur in carceribus captivæ, illarum interim dormiente ignavo grege famulorum, illudentium quasi petulanter & dolosè ipsis dominabus, seu nollent observare eas, aut novisse vel discere, quid sui esset officii: quibusq; iterum modis possint & debeant liberari, vigilanter nimirùm, sedulò, seriò & piè obeundo operas officii monstrante copiosam reaccensæ lucis fulgore occasionem: omnes penè paginæ Operis docent.

Cæterorum in hac pictura Mysteriorum interpretatio habet, ut sequitur.

Claudius Minois Gallus I.C. in commentario super versibus Andreæ Alciati I. C. Emblem 80. p. 939. 1581.

DEsident in medio Essæus, speculatur & apta,
Subrui & accensam conterit igne facem.
Segnities specie velli velata cucullo,
Non si non alios utilitate juvat.

Quanquam id. inquit Claudius, non incommodè torqueri posset in eos, qui concreditam sibi eruditionis & ingenii dotem aliquam excellentem misere negligunt, atq; non referunt ad usum, cujus potissimùm gratia nôrunt sibi esse demandatam & commissam à summo, & præpotenti bonorum omnium auctore Deo; tamen, nisi me fallit animus, videtur, hoc revera tortum esse in desides quosdam cœnobitas, qui θεωρίας imaginem aliquam professi, ignaviæ situ ætatem terunt, literas aspernantur, aut certè non magni faciunt, quanquam alioqui valeant ingenio, & non parva naturæ dexteritate: iners omninò genus, & fruges consumere natum, & ex tertio illo hominum genere, quod assignat Hesiodus, meritò dixerim, cùm nec sibi, nec aliis commodum aliquod referant. Quod ipsum tamen velim æquis auribus accipi, non enim is sum, qui ausim, aut etiam velim carpere instituta illa vetera, primùm quidem à sapientissimis inducta patribus, nostræ pietatis Christianæ antesignanis & vindicibus, quorum tanta est apud nos auctoritas, ut inverecundum esset, ne dicam impium, eorum vitam, pietatem, doctrinam, fidem non probare, non colere, non amplexari.

Ut ergò apertè dicam, quod sentio ea de re, hîc ab Alciato, à me, ab aliis etiam, quibus simplex minimeque fucatus est animus, nullo modo reprehenditur monachorum institutum & regula, sed multorum ex iis otium, ignavia, imperitia notatur, quippe qui eo nomine pessimè de se, deque aliis mereantur. Jactent ij quantumvis sui ordinis, suarumque legum antiquam dignitatem & sanctimoniam, nisi se similes iis præstiterint, qui laboribus, vigiliis, studiis, jejuniis, omni denique patientiæ laude Christianum nomen auxerunt, & amplificarunt, non video, qua ratione digni habeantur eo, quod fuit honorificum apud priscos, monachi nomine, quod illi sua vecordia & inertia, ne quid dicam gravius, contemtum reddunt. Utinam verò, ut continuò so-

Anno solent insolescere ob veterum illorum patrum admirabilem toti posteritati religionem, ita eorundem vitæ institutum æmularentur: non enim misero & infelici otio se ita dederent, ut δίϛδια πασᾶμ abessent ab iis, quos ad piæ vitæ religiosæque institutionem se imitari dictitant.

Sed ne abeam longiùs, quid laboriosius excogitari, quid sanctius, quid divinius in terris fingi aut audiri potuit, quàm fuit illa verè ac merito laudata priorum monachorum vitæ ratio? quod purius aut uberius olim Ecclesia seminarium clarorum virorum habuit, quàm quod à cœnobiis, mandris illis & eremis ductum fuit? Nunc verò (Deus optime) quàm absumus à prima illa canaque religione, cùm, qui severioribus institutis sese obligent, non tam pietatem, quàm otium; non tam solitudinem, meditandique de rebus divinis opportunitatem quàm desidiosam vitam sibi proponant! At id quidem certè pluribus exaggerare, videtur non esse modò supervacaneum, sed & intempestivum, quandoquidem notius sit, quàm ut confirmare habeam, ne videar iniquiùs in eos debacchari, quos ad meliorum frugem revocare laboris esset infiniti, & penè ἀδύνατον: admonere intempestivum, & quidem importunum: reprehendere, prorsus odiosum, & perinde non omnibus gratum.

Hac enim tempestate sic omnia sunt exulcerata, sic lubrica & pervicacia, ut quoque te vertas, vel etiam nolens, experiaris, te per ignes incedere suppositos cineri doloso; & quicquid in ejusmodi quorundam hominum negotio velis attingere, ulcus & vomicam citissimè deprehendas, adeò sub omni lapide dormit scorpius. Itaque satius esse duco, malum benè conditum non movere, & hujus ordinis viros bonos (quos tametsi paucos & colendos & exosculandos esse puto) à malorum fece semper abstrahendos, & eximendos unicè volo, ne errore quodam populari pro vitio virtus crimina sæpe ferat.

Ecce igitur tibi, quid ipsi Catholici de Catholicis suis sentiant. Appicta verò est ab Alciato imago Essæi, qui ardentem facem gestat, cœlum & stellas spectans. Quæ quid significent, judicet lector. Intellexit autem Alciatus sub nomine Essæorum hodiernos monachos, & alios papistarum ordines ociosos: de quib. tamen multò modestius loquitur quam ante eum Crates, Hesychius, Varro, Festus, Pompeius, Origenes, Horus, & Pierius. Hi enim sub porci rosas conculcantis hieroglyphico eos notârunt, qui quidem scientiam divinorum habere volunt: sed suibus similes, eam incongruis vitæ turpitudinibus & facinoribus polluunt ac fœdant. Quorum malorum omnium originem causamq; ventrem esse dicunt, & ideò Ægyptios mortuis corporibus ventres eximere, & in sole discindere, ut, qui scelerum omnium causa sunt, ita vel expiarent, vel uti de impulsoribus pœnas sumerent. Anno

Pythagoricum verò illud est, super modium sive chœnicem non sedere; h. e. rationis portionem eam, qua anima ipsa metitur, explorat, atq; examinat omnia, non esse ociosa desidia remittendam, habendamq; negligenter: verùm omni exercitatione, modoq; & regulâ dirigendam, assiduéq; per cogitationis spacia agitatandam: quod Divus Hieronymus paulò aliter interpretatur, sed meliùs Cyrillus, ut apud eos.

Per sedentes autem significabant veteres & notabant otiosos & desides, ut Cicero in Verritris. Quid sedes, Verres? & in Pisonem: an potest ulla excusatio esse sedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reipublicæ (multò magis Ecclesiæ) motu? Idem in eodem intellectu hades apud Demosthenem 2. Olymp. & Hesiodum. In divinis verò literis modius sive Chœnix est Hieroglyhicon dogmatis atq; doctrinæ, quam Iudæ profitebantur, veritatis lumen sub eo recondentes: quod Christus Matt 5. vituperat, dicens: nemo accendit lucernam, & eam ponit sub modio: sed luceat lux vestra coram hominibus. Vide Hilarium super hoc textu, & quoq; Chrysostomum, & illud Lactantii 2. c. 3. si animus ignis est, in cœlum debet inniti, sicut ignis; ne extinguatur, h. e. ad immortalitatem quæ in cœlo est. p. 940.

Ampliùs Claudius Minois hîc addit: Contegunt, inquit, cœnobitæ facem sub pallio, nullis artibus aut studiis honestis animum applicantes, nulla sua industria aut diligentia notiones animi exercentes. Dubium tamen non est, ambos viros Catholicos Alciatum Italum, & Claudium Gallum, per solem & stellas splendentes, & facem ardentem innuisse, quòd, etsi hodie Evangelium è latebris ereptum rursus mundo fulgeat, tamen, ut Essæorum tempore, lumen accensum sub modio iterum occultetur, & mundus traditionibus, ut prius, captivus teneatur.

PErdix, ut Ier. c. 17. legitur, fovet, quæ non peperit, & in dimidio dierum suorum derelinquit eas Hieronymus, Ambrosius, & alii pii viri longè ante hæc tempora vaticinati sunt, aberrantes ab Apostolorum doctrina, & falsa ductos opinione, certò in viam tandem reversuros esse. Et pro infallibli confirmatione hujus, hieroglyphicon statuerunt per-

Anno

perdices duas, ovis incubantes, & tertiam sponte erumpentem. Si enim eveniat, ut perdix ova sua fracta repererit, tanto incubationis studio afficitur, ut aliena surripiat, nidoque foveat suo: verum contingit, ut cum pullos illos alienos eduxerit, illos iterum amittat: sed illi, audita matris suæ voce, naturæ stimulo perculsi, deserta noverca, ad nativam recurrunt. Sic quoque futurum, affirmant, ut illi, qui seducti à vera via deflexerunt, ad primam naturalem & legitimam matrem, Apostolorum Ecclesiam, simul ac vocem ejus sanctioris quippe institutionis, (quod hunc, reformatione Dei clementia insecura, factum est) audierint, de serta falsa, sint accessuri, & moræ veluti impatientes, divino stimulo impulsi, sponte, ut tertia perdix ex ovo, sint erupturi, cibumque cœlestem quæsituri. De quo etiam Adamantius.

IXion homo mortalis & peccator, in cœlum à Iove recipitur, & à Secretis constituitur. Pro quo summo beneficio maleficium reddit, & Iovis uxori Iunoni stuprum inferre sentat: ob quod scelus execrandum, ingratus è cœlo ad inferos dejectus, rotæ ferreæ fuit alligatus, circa quā angues complures convolvebantur, perpetuoque rotæ circumvolutæ motu agitabatur, ut nunquam posset quiescere. Vergilius, Prindarus, Palæphatus, & Zizes. Quo Hieroglyphico significare volunt veteres pii, sacris initiatos, & illos, quibus Deus secreta cœli & mysteria sua concredidit, quia frons meretricis facti erubescere nolunt (Ierem. 3.) & lenociniis, adulteriisque magno cum scandalo vacans, & sponsam Dei Ecclesiam turpissimè scelerib. fœdant; idcircò removendos, & ad inferos detrudendos, tantoque graviori pœna affligendos, quanto majora beneficia à Deo acceperunt. Ubi enim, ut Arnobius lib. 6. loquitur, magis à sacerdotibus, quàm inter aras & delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Denique in æditorum domibus magis, quàm in ipsis lupanaribus flagrans libido exercetur. Hæc Arnobius.

Explicationem Historiæ Bileami eodem folio primo positæ habes sup. pag. 2. folio 3. reliqua (ut dictum) suo loco.

Expositio nova figurarum & literarum quarūdam Rotæ Ioachimicæ, ex quibus Lector & cæterarum intellectum facilè deprehendet.

Luna notat veteris tenebrosa oracula pacti:
Sol facit ipse novo manifesta volumine Christi.
Sic duo sunt libri, qui cœlica dogmata tradunt;
Quorum cura Papæ Romano incūbit: at ille
Avertit faciem, contemnens lumina vitæ:
Vexilloque inhians, cupiens regnare: Senatus
Quod Populusque fuit Romani, Dira flagella
(Quæ pendet pennis) Aquila protiòcre laborans
Hunc, & ad officium sanctum revocare: sed audax
Progreditur, verbumque Dei pervertit, & omne
Ad nutum torquet sceleratum. Id littera signat
Quæ crucis effigiem gestat. Nam dogmata Christi
In cruce pendentis, cruce confirmantur: at ima
Parte quòd hæc curvoque sinu laceratur; eo ipso
Doctrina exprimitur sanctæ corruptio. Taurus
Corniger hanc cumulat, complens mugitibus auras,
Insulsis. Nam sacrifici, monachique, boatum
Indoctum ore vomunt tumido. Sapientia) serpens
Quam signat) pedibus calcatur. Inertia nunquam
Doctrinam tolerat. Quòd taurus cornibus altis
Conjugii florem torquet: Rosa denotat, illum
Conjugium prohibere, ac stupro vivere turpi.
Hæc dum sacrifici tractant: mox libera ab omne
Esse volunt onere & vacui, rerumque potiri.
Interea Imperium affligunt, technisque nefandis
Pontifices minuunt: Aquila hinc, quæ complicat alas,
Ore crucem gerit, & curvatam in cornua lunam,
Sed tamen in regno magna virtute leones,
Atque Heroes erunt: quorum moderamine quædam
Extremum circa mundi bene tuta manebunt,
Non sine lugubri gemitu. Quia duplice Fato
Turca tribus telis de nobis sumet acerbas
Pœnas: nec penitus delebit, & ensis honestos
Tantùm clunculas feret, caudamque leonis
F. geminum signat gemini crudelia fati
Damna: quibus multùm propter scelera prememur.
Isthæc dum fient: Stygia de sede jubatus
Horrendusque Draco subitò prorumpit, & ensem
Districtum ore feret, stellas in pectore tenens.
Stellæ demonstrant errorum dogmata vana,
Quæ specie pietatis habent lethale venenum
V. Siquidem librum, & blasphemos denotat astus. T. Bellum portare.

p. 924.

T. Hoc mysterii per conversionē literarū plus innotescit. Quia VAT est Imperātis, & capiturpro arrip. Et hoc intellectu omnes hærrantur: ut crucem arripiāt, eaque se servent, & illa ceu hunc firmissimo sese in salutis

Anno

fingant atque figant Angelus Cathinus Anglariensis, Antonius Chevallærius, Abrahamus de Balmis, & Goropius Becanus.

Anno

Bellum portendit gladius. Quibus omnibus agre
Christicolis faciet. Sed quod pedibus caret: illud
Significat vanã sine fulcro & viribus iram
Unde calix Christo supereminet. Inde rosarum
Erumpit chorus [illegible] serpens; Phœbumq; tuentur,

Tanquam justitiæ fontem. Rosa namq; Lutheri
Symbolon est [illegible] Philippo:
Quæ [illegible], quæ tu Romane sacerdos
Jam dudum [illegible] sub ipsa
Sunt Aquila Imperii: Christi quoq; dogmata spargunt: Anno
Atq; docent nostræ quæ sit via certa salutis

Vaticinium antiquum, cujus hoc est schema synasterismi cœlestis prodigiosi, additum & insertum (ne intercideret) his figuris, Ioachimicæq; Rotæ circumpositum, (quod constare vides lector portentosis cometis duobus, nocua luminarium oppositione, damnosisq; fortunatarum atq; infortunatarum tum ex fixis, tum Erraticis Stellarum, tam erga se invicem quam utrumque luminare, irradiationibus) sequentibus descriptum extat versibus.

M. M. S. P. W.

ALiger æthereis utinam descendat ab astris
Nuncius, & meliores fatorum conscius isthæc
Quæ surgat facies nobis tristissima cœli.
Decolor obscuros tollet cur Cynthia vultus,
Aureaq; polo cedet vis inclyta fratris?
Cur se demittens sub terrã Iuppiter æquus,
Tristia sceptra premit, faciem condiiq; serenam?
Cur simul hiq; Senis, sacra dominantis in æde.
Cristatos angues, falcemq; crucem exprimuntur.
Aelecis Martis, sine Religione-frementis;
Hermetis edocti, fraudis furumq; Magistro
Attoniti & tristes, armis bacchantur iniquis.
Quos furtiva venus sibi sola reservat amicos;
Heu quid sanguinei flagranti crine cometæ
Portendunt? Mala quæ mundo, quæ dira minantur?
p. 942. *FALLOR? An accedit sacrati carminis ætas*
Ultima, seclorũq; novus jam nascitur ordo;
Aurea quo tandem, cunctum laudata per Orbem,
Desinet, ac toto surget gens ferrea Mundo!
Luna tibi languens sit sancta Ecclesia Christi;
[illegible] Sol [illegible] faciem [illegible] imago:
[illegible] Christo rigidum fingeesse Saturnum;
[illegible], Iovem sic Reges esse Ducesq;,
Sanguinolenta notet deinceps Mars efferus arma,
Queis firmare suum multo conamine Regnum
Tartareus Flamen nititur, & artibus ipsũ
Cyrceaq; dolis [illegible], consiliisq; juvabunt
Occultis, vafre signentur Pleiade natæ.
At variis generis Babylon meretricis amorum
Temaneat Cytherea venus, tum plurima secli
Venturi haud dubiè prudens mysteria cer- (net
Quid rosea? at totâ regat omnia Barbarus Urbe

Cum fastu furor, heu cuncta in transversa ferentur.
Felices nimium (O) sunt qui jam morte sopiros,
Quorum non cernent tristes hos lumina casus
Mundo obventuros, iterumq; iterumq; beatos p. 940.
O bone Christe [illegible] tuere, gubernã
In utraq; fide feliciter ultima vitæ
Claudere fata sinas, superasq; evadere in arces.

Iohannes Basilii Magnus Dux Moscoviæ. 1581.

IMperatori vel Duci Moscoviæ magnæ, cùm Possevinus Iesuita persuadere vellet, ut abjecta Græcorum fide, Pontifices Romanos coleret, (ipso Possevino in Moscovia sua referente) Moscus in maximo procerum consessu respondit: se non in Græcos sed Christum credere. Omnes Apostolos Evangelium prædicasse, sed nullum ex illis alio fuisse majorum: Petrum & alios Pontifices sanctos, se agnoscere: at verò, qui eos secuti sunt, quia improbe vixerunt, quò nam modo Petro succedere, aut eadem cum auctoritate in Petri sede residere potuerint, non videre. Ad hæc cùm Possevinus duriùs aliquanto respondisset: Moscus iratus: sciat, dixit Romanæ fidei septuaginta fides inesse: Pontificem verò Romanum pastorem non esse: utpote qui barbam radit: crucem Christi, pedibus apponit: in sella gestari, & tanquam Deum adorari sinit.

Et cum hæc quoq; Possevinus, licet perquàm frigidè (melius enim abominanda hæc defendi nequeunt) liberiùs tamen, ac pertinaciter defenderet: Moscus excandescens; num fuere, inquit: in foro rustici, qui te docuerunt, ut mecum æquè, ac cum rustico loquereris! Unde totus consessus non dubitavit, quin, nisi constituendæ pacis causa inter Poloniæ Regem & Moscum, ablegatus Possevinus fuisset, Moscus ipsum pedo suo, cum cuspide ferrea, quo utitur æquè ac nuper filium proprium & alios, trucidasset. Imp. Rud. 2. Papa Gr. 13.

Franciscus de Billebeg. 1582.

Hic

Anno

Hic in Epistola Constantinopoli scripta de Hispano ita ait: Est tamē deplorandum, quòd iste Rex, cùm sit potentissimus, possetque Turcarum optimè resistere viribus: tamen, ut in suos eò tutius grassari possit, Orbis Christiani unico & vero hosti per tot annos supplicandum esse, putavit. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Nicolaus Hemmingius.

1582. Hic in Catechismo suo ritum Missæ in Ægypto apud Christianos usitatæ describens, ait, ex Thessalonicensis cujusdam Demetrii relatu templa Christianorum Alcai multa reperiri, insignita luna falcata, quæ idola nesciant, nisi quòd imagines historicas ex veteri & novo Testamento, in parietibus templorum habeant depictas: præmitti in Liturgiis preces, & cantilenas ad sanctam Trinitatem, quibus primùm lectio ex scriptis Apostolicis Græco-Arabica: deinde alia Evangelii subjungatur. posteà concione absoluta (quæ horæ spacium non excedat) Cœnam Dominicam tam laicis, quàm sacerdotibus sub utraq; specie communicari. & gratiarum actione finiri, Imp. Rud. Pp. Greg. 13.

Jacobus Gretzer in hist. Ord. Jesuit.

1582. P. 943. Verissimè scripsit Costerus noster: sacerdos si fornicetur, &c. Quia, etiamsi sacerdos nuptias celebret; nuptiæ tamen nullæ sunt: neq; uxor illa, legitima sit uxor, sed scortum manet; cum sacerdos ad matrimonium contrahendum sit inhabilis. Quare nihil cum nuptiis illis efficit nisi quod jam inverecundius & obstinatius scortatur cum ea, quam pro sua uxore habere cupit. Imp. Rud. 2. Papa Gregorio 13.

Idem. Hoc tempore cùm Dux Alançoniæ ab Ordinibus in Ducem eligeretur Brabantiæ: & petitum illi daret juramentum & pileo insigniretur ducali, ceremoniis solitis; nec non & palia amiciretur regia, ait ad ipsum princeps Uraniensis, dum togæ bullam fibulariam anteriorem accommodat: hanc firmissimè nectendam & claudendam, ne quis togam iterum detrahat. Et pòst, omnibus ceremoniis solemnibus ritè peractis, proclamatum fuit clara voce passim: Vive le Duc de Braband: & sparsa promiscuè in vulgus numismata aurea & argentea, novi Ducis effigie signata, cum inscriptione Ducis Brabantiæ ab una parte, ab altera autem erat Ducis symbolum, solis nempe effigies nebulas discutientis. & terram foventis, cum his verbis: Fovet & Discutit.

Lupus Excoriatus Zachariæ Rivandri.

1582. Editus est hoc anno liber sub hoc titulo: qui complectitur naturas & proprietates luporum Calvini starum, & ovium, adjunctis aliis pluribus. a Zacharia hoc Rivandro, Imp. Rud. Papa Greg. 13.

Daniel Schaller.

1582. Augustæ affixa fuit scheda publicè hisce cum versibus, à Jesuita quodam:

Qua ratione queat Germania salva teneri?
Suscipe consilium, lector amice, meum.
Utere jure tuo Cæsar, servosq; Lutheri
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

Imperat. Rudolpho 2. Papa Greg. 13.

Fr. Costerus in Enchir. tit. de coelibat. Sacer.

1582. Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinam foveat; tametsi gravi sacrilegio se obstringit, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Henricus Buntingus.

1582. Fuit Othonis III. Imp. uxor Maria Arragoniæ regina, insignis quidem specie, sed enormiter impudens, & libidinosa. Hæc cùm amore ergà equitem auratum æstuaret, neq; tamen ejus pudicitiam expugnare valeret, aggressa est maritum Cæsarem, atq; nobilem, tanquam sibi vim inferre conatus esset, accusavit. Iratus Imperator, neq; satis in ira prudens, equitem securi percuti mandavit. Quod cum fieret sangvis ejus miraculosè lacteo colore fulsit, atque innocentiam hominis testatus est. Verùm nemo aderat, qui id Imperatori nunciare auderet. Quodam tempore dicundi juris ergo sedit in solio Cæsar, ad quem vidua interempti viri gerens in manibus exsangue caput, ac flebiliter ingemiscens accedit. atque heus, inquit, tu es Cæsar: qui indicta causa maritum meum innocentem occidisti, projecitque ante pedes ejus sanie & tabe fluens caput, ac arripuit candens ferrum, idque manibus teneris intrepidè gestavit, inquiens; hoc testor ego innocentiam viri mei, flevitq; acerbissimè.

Cæsar non tam ejulatu, quàm facto, quod impunè foemina gereret, motus, cùm accepisset insuper de fulgore sanguinis occisi equitis; tandè collegit, quàm iniquè hominem truncârit, vocavitq; ad se impudentem conjugem, acriter eam de admisso & conficto scelere incessens, qua id planè fatente, adjudicavit eam igni, flammisque ad pulverem exussit. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Idem de Greg. 13 Papa 233. Hoc 82. an. Pont. Max. Romanus, Greg. 13. sua sponte, propriis consiliis & arbitrio, solus, nulla habita ratione Magistratus ordinarii divini, turbavit Ecclesiam immutatione temporum, in emendatis & reformatis calendariis: quo facto tanquam Eridos pomum conjecit inter Papistas & Lutheranos,

Anno ranos, ad excitandas simultates, homicidia, bella, Christianiq; sanguinis profusiones, id quod multis in locis factum fuisset, ni singularis Dei clementia avertisset malum.

P.944. Rejicit autem hanc incorrectam correctionem vir hic doctissimus, Henricus Buntingus in Chronologia, ex causis 17. gravissimis, ubi in duodecima inquit: Si Papa, relicto Calendario, in quo nulla salus hominum consistit, Ecclesiæ & aulæ Romanæ abusus, hæreses, Idololatrias, Sodomias, adulteria, & scortationes correxisset, utiliora, & magis necessaria egisset. Sed impleri oportuit illud Dan. 7. de Antichristo: mutabit leges & tempora.

Plura de Calendario Gregoriano ex aliis. Calendarium hoc novum multi impugnârunt scriptis suis, videlicet Lambertus Floridus Plieningensis, vel Elisæus Röslin (alio nomine) Anno 1583. Michaël Moestlinus Professor Tubing. 1583. Hermannus Widekindus, 1553. Tobias Möller, 1583. & 1585. Georgius Cœsius, Martinus Chemnicius 1584. D. Georgius Muller, Ecclesiastes Augustanus, 84. Ludovicus Hemboldus, 84. Jacobus Heerbrandus, & Martinus Curbinus Schorndorffensis. 84. Josephus Scaliger, Johannes Scheyelin Craitzheimensis, 1584. Caspar Fugger, 1584 Marcus Volmarius, 1583. Lucas Osiander, 1585.

Defensionem verò ejus ediderunt non pauciores: Christophorus Clavius: Hugolinus Marellus, Episcopus Glandatensis, 1582. Theodorus Gramineus, 1583. Johannes Busæus, 1585. Johannes Rassius, 1582. Frater Johannes Naff: Leonhardus Straub. 1585. Leonhardus Thurneisser in libro, Alchimia magna: & Antonius Maginus Patavinus Astronomus; Petrus Roest, 85. Jacobus Hornstein Ingolstad. 96. Adam Suinarski Wirtzburgi: Bartholomæus Scultetus: Jacobus Cuno: Michaël Eichler Uesellis. Cyriacus item Spangenbergius de eo disputat tanquam de opere politico, in utramque partem. Imp Rud, 2. Papa ut sup.

1582. Henricus Wolphius in Chronolog. de tempore.

GRegorius Romanus Pontifex Calendarii correctionem cœpit. Et quia ex Daniele constat: Antichristum temporis & legum mutationem sibi arrogaturum esse; inde colligi potest: Antichristum fieri, quisquis temporis mutationem seu correctionem humanam tenat: & Antichristi characterem recipere, qui tempus sic correctum & emendatum usurpat. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

1582. Exemplar scripti, Constantinopoli à D. eremia & S. Syndo, Armeniis & omnibus piis Christianis dati, Martino Crusio, Tubingensis Academiæ Professore, interprete. Anno

QUoniam denuò Ecclesia veteris Romæ ut quæ novationibus gaudet, suis Astronomis inconsideratè assensa, transposuit rationem paschatis celebrandi, laudabiliter hactenus à Christianis observatam: illa mutans, quæ jam inde a tempore primi sancti, œcumenicique, trecentorum, decem & octo sancti Spiritus plenorum Patrum, Concilii decreta fuerunt: à cæterisq; Conciliis rata habita: approbata denique ab ubivis terrarum habitantibus Christianis, & eo, quo illi definiverant, celebrata modo; quoniam etiam offensiones & turbatio ex illa novitate existunt: atq; idcirco in conspectum mediocritatis nostræ Armenii, ea de re consilium à nobis petentes, venerunt: se quoq; ista nova recipere cogi, dicentes: ut Roma ista ipsos sibi subjectos prætendente: ideoq; ex nobis cognoscere voluerunt, quæ sit Sanctorum Patrum super hac re sententia: his de causis mediocritas nostra, deliberatione suscepta, de sententia quoq; sanctissimi Alexandrini Patriarchæ, per SpiritumS. sic statuit, proferendis & declarandis illis, quæ à S. patribus, de his memoriæ literisq; mandata fuerunt.

Ac primùm in Actis primæ universalis Synodi hæc subscriptio inter alias extat: Leontius. Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Gallo Græciæ. & minoris majorisque Armeniæ, subscripsi.

Hic Leontius S. Martyrem Gregorium (sicut in hujus vitæ descriptione reperitur) impositione manus Archiepiscopum majoris Armeniæ fecit: cùm quidem per legatos & literas, hunc ad Leontium misisset Armeniorum Rex Teridates, jam Christianus factus: qui Cusaro patre natus, frater erat Artabani: ortum trahens à quodam Arsacide. illorum postero: qui olim Persicum imperium everterant, in suamq; potestatem, qui numero quatuor fratres erant, redegerant. Armeniã item, & IndosMassagetasq; inter se partiti fuerant.

Cùm igitur magnus hic Gregorius rediisset; honorificeq; à Teridate exceptus fuisset: partim, quòd de voluntate ipsius hic pontificatum suscepisset. partim, quòd cũ ipso cognatione cõjunctus esset (magnus n. hic pater, filius Anactis erat: fratrem qui habuit Cusarõ, Teridatæ patrem.) baptismate ab illo mundati fuerũt subditi universi, in flumine Euphrate, unà cum ipso Rege Teridate. Et ut fama est, omnes illi, qui fidẽ Christi susceperũt (Armenii, persæ, Assirii, Indi, Medi, & alii) fuerũt amplius quadragies cẽtena milla. Hos cùm universos in tenebris ignorantiæ jacẽtis, sacro fõte doctrinaq; hic ceu novus quidãSol illũinasset: secessit deinde propria quadam animi

Anno HIc in Epistola Constantinopoli scripta de Hispano ita ait: Est tamê deplorandum, quòd iste Rex, cùm sit potentissimus, possetque Turcarum optimè resistere viribus tamen, ut in suos tutius grassari possit, Orbis Christiani unico & vero hosti per tot annos supplicandum esse, putavit. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Nicolaus Hemmingius.

1582. HIc in Catechismo suo ritum Missæ in Ægypto apud Christianos usitatæ describens, ait, ex Thessalonicensis cujusdam Demetrii relatu templa Christianorum Alcai multa reperiri, insignita luna falcata, quæ idola nesciant, nisi quòd imagines historicas ex veteri & novo Testamento, in parietibus templorum habeant depictas: præmitti in Liturgiis preces, & cantilenas ad sanctam Trinitatem, quibus primùm lectio ex scriptis Apostolicis Græco-Arabica: deinde alia Evangelii subjungatur. posteà concione absoluta (quæ horæ spacium non excedat) Cœnam Dominicam tam laicis, quàm sacerdotibus sub utraq; specie communicari, & gratiarum actione finiri, Imp Rud. Pp. Greg. 13.

Iacobus Gretzer in hist. Ord. Jesuit.

1582. p. 943. VErissimè scripsit Costerus noster: sacerdos si fornicetur, &c. Quia, etiamsi sacerdos nuptias celebret; nuptiæ tamen nullæ sunt: neq; uxor illa, legitima fit uxor, sed scortum manet; cum sacerdos ad matrimonium contrahendum sit inhabilis. Quare nihil cum nuptiis illis efficit nisi quòd jam inverecundiùs & obstinatius scortatur cum ea, quam pro sua uxore habere cupit. Imp. Rud. 2. Papa Gregorio 13.

Idem. Hoc tempore cùm Dux Alanconiæ ab Ordinibus in Ducem eligeretur Brabantiæ: & petitum illi daret juramentum & pileo ornaretur ducali ceremoniis solitis; nec non & palia amiciretur regia, ait ad ipsum princeps Uraniensis, dum togæ bullam fibulariam anteriorem accommodat, hanc firmissimè nectendam & claudendam, ne quis togam iterum detrahat. Et pòst, omnibus ceremoniis solemnibus ritè peractis, proclamatum fuit clara voce passim: Vive le Duc de Braband: & sparsa promiscuè in vulgus numismata aurea & argentea novi Ducis effigie signata, cum inscriptione Ducis Brabantiæ ab una parte, ab altera autem erat Ducis symbolum, solis nempe effigies nebulas discutientis, & terram foventis, cum his verbis: Fovet & Discutit.

Lupus Excoriatus Zachariæ Rivandri. &c.

1582. EDitus est hoc annô liber sub hoc titulo, qui complectitur naturas & proprietates luporum Calvini starum, & ovium, adjunctis aliis pluribus, à Zacharia hoc Rivandro. Imp. Rud. Papa Greg. 13. Anno

Daniel Schaller.

AUgustæ affixa fuit scheda publicè hæc cum versibus, à Jesuita quodam: 1582.

Qua ratione queat Germania salva teneri?
Suscipe consilium, lector amice, meum.
Utere jure tuo Cæsar, servosq; Lutheri
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

Imperat. Rudolpho 2. Papa Greg. 13.

Fr. Costerus in Enchir. tit. de coelibat. Sacerd. &c.

SAcerdos si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringit; gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13. 1582.

Henricus Buntingus.

FUit Othonis III. Imp. uxor Maria Arragoniæ regina, insignis quidem specie, sed enormiter impudens, & libidinosa. Hæc cum amore erga equitem auratum æstuaret, neq; tamen ejus pudicitiam expugnare valeret, aggressa est maritum Cæsarem, atq; nobilem, tanquam stuprum sibi vim inferre conatus esset, accusavit. Iratus Imperator, neq; satis in ira prudens, equitem securi perculi mandavit. Quod cum fieret sangvis ejus miraculosè lacteo colore fulsit, atque innocentiam hominis testatus est. Verùm nemo aderat, qui id Imperatori nunciare auderet. Quodam tempore dicundi juris ergo sedit in solio Cæsar, ad quem vidua interempti viri, gerens in manibus exsangue caput, ac flebiliter ingemiscens accessit, atque heus, inquit, tu es Cæsar, qui indictâ causâ maritum meum innocentem occidisti, projecitque ante pedes ejus sanie & tabe fluens caput, & arripiens candens ferrum, idque manibus teneris intrepidè gestavit, inquiens: hoc sum testor ego innocentiam viri mei, lievit acerbissimè. 1582.

Cæsar non tam ejulatu, quàm ferro, quod impunè fœmina gerebat, motus, cum accepisset insuper de fulgore sanguinis occisi equitis; facilè collegit inde, quàm iniquè hominem truncasset, tota vitâq; ad se impudentem conjugem, acriter eam de admisso & conficto scelere incessens, quia id planè fatente, adjudicavit eam igni, flammisque ad pulverem exussit. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Idem de Greg. 13 Papa 233. Hoc 82. an. Pont. Max. Romanus, Greg. 13, sua sponte, propriis consiliis & arbitrio solus, nulla habita ratione Magistratus ordinarii divini, turbavit Ecclesiam immutatione temporum, in emendatis, & reformatis calendariis, quo facto tanquam Eridos pomum conjecit inter Papistas & Lutheranos.

Anno ranos, ad excitandas simultates, homicidia, bella, Christianiq; sanguinis profusiones, id quod multis in locis factum fuisset, ni singularis Dei clementia avertisset malum.

P.944. Rejicit autem hanc incorrectam correctionem vir hic doctissimus, Henricus Buntingus in Chronologia, ex causis 17. gravissimis, ubi in duodecima inquit: Si Papa, relicto Calendario, in quo nulla salus hominum consistit, Ecclesiæ & aulæ Romanæ abusus, hæreses, Idololatrias, Sodomias, adulteria, & scortationes correxisset, utiliora, & magis necessaria egisset. Sed impleri oportuit illud Dan. 7. de Antichristo: mutabit leges & tempora.

Plura de Calendario Gregoriano ex aliis. Calendarium hoc novum multi impugnârunt scriptis suis, videlicet Lambertus Floridus Plieningensis, vel Elisæus Röslin (alio nomine) Anno 1583. Michaël Moestlinus Professor Tubing. 1583. Hermannus Widekindus, 1553. Tobias Möller, 1583. & 1585. Georgius Cœsius, Martinus Chemnicius 1584. D. Georgius Muller, Ecclesiastes Augustanus, 84. Ludovicus Hemboldus, 84. Jacobus Heerbrandus, & Martinus Curbinus Schorndorffensis, 84. Josephus Scaliger, Johannes Scheyelin Craitzheimensis, 1584. Caspar Fugger, 1584. Marcus Volmarius, 1583. Lucas Osiander, 1585.

Defensionem verò ejus ediderunt non pauciores: Christophorus Clavius: Hugolinus Marellus, Episcopus Glandatensis, 1582. Theodorus Graminæus, 1583. Johannes Busæus, 1585. Johannes Rassius, 1582. Frater Johannes Nass: Leonhardus Straub. 1585. Leonhardus Thurneisser in libro, Alchimia magna: & Antonius Maginus Patavinus Astronomus; Petrus Roest, 85. Jacobus Hornstein Ingolstad. 96. Adam Suinarski Wirtzburgi: Barthölomæus Scultetus: Jacobus Cuno: Michaël Eichler Ursellis. Cyriacus item Spangenbergius de eo disputat tanquam de opere politico, in utramque partem. Imp Rud. 2. Papa ut sup.

1582. Henricus Wolphius in Chronolog. de tempore.

GRegorius Romanus Pontifex Calendarii correctionem cœpit. Et quia ex Daniele constat: Antichristum temporis & legum mutationem sibi arrogaturum esse; inde colligi potest: Antichristum fieri, quisquis temporis mutationem seu correctionem humanam tentat: & Antichristi characterem recipere, qui tempus sic correctum & emendatum usurpat. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

1582. Exemplar scripti, Constantinopoli à D. eremia & S. Syndo. Armeniis & omnibus piis Christianis dati, Martino Crusio, Tubingensis Academiæ Professore, interprete. Anno

QUoniam denuò Ecclesia veteris Romæ ut quæ novationibus gaudet, suis Astronomis inconsideratè assensa, transposuit rationem paschatis celebrandi, laudabiliter hactenus à Christianis observatam: illa mutans, quæ jam inde a tempore primi sancti, œcumenicique, trecentorum, decem & octo sancti Spiritus plenorum Patrum, Concilii decreta fuerunt: à cæterisq; Conciliis rata habita; approbata denique ab ubivis terrarum habitantibus. Christianis, & eo, quo illi definiverant, celebrata modo; quoniam etiam offensiones & turbatio ex illa novitate existunt: atq; idcircò in conspectum mediocritatis nostræ Armenii, ea de re consilium à nobis petentes, venerunt: se quoq; ista nova recipere cogi, dicentes: ut Roma ista ipsos sibi subjectos prætendente: ideoq; ex nobis cognoscere voluerunt, quæ sit Sanctorum Patrum super hac re sententia: his de causis mediocritas nostra, deliberatione suscepta, de sententia quoq; sanctissimi Alexandrini Patriarchæ, per SpiritumS. sic statuit, proferendis & declarandis illis, quæ à S. patribus, de his memoriæ literisq; mandata fuerunt.

Ac primùm in Actis primæ universalis Synodi hæc subscriptio inter alias extat: Leontius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Gallo Græciæ. & minoris majorisque Armeniæ. subscripsi.

Hic Leontius S. Martyrem Gregorium (sicut in hujus vitæ descriptione reperitur) impositione manus Archiepiscopum majoris Armeniæ fecit: cùm quidem per legatos & literas, hunc ad Leontium misisset Armeniorum Rex Teridates, jam Christianus factus. qui Cusaro patre natus, frater erat Artabani: ortum trahens à quodam Arsacide, illorum postero: qui olim Persicum imperium everterant, in suamq; potestatem, qui numero quatuor fratres erant, redegerant: Armeniã item, & Indos Massagetasq; inter se partiti fuerant.

Cùm igitur magnus hic Gregorius rediisset; honorificeq; à Teridate exceptus fuisset: partim, quòd de voluntate ipsius hic pontificatum suscepisset: partim, quòd cũ ipso cognatione cõjunctus esset (magnus n. hic pater, filius Anactis erat: fratrem qui habuit Cusarõ, Teridatæ patrem) baptismate ab illo mundati fuerũt subditi universi, in flumine Euphrate, unà cum ipso Rege Teridate. Et ut fama est, omnes illi, qui fidẽ Christi susceperũt (Armenii, persæ, Assirii, Indi, Medi, & alii) fuerũt amplius quadragies cẽtena milla. Hos cùm universos in tenebris ignorantiæ jacẽtis, sacro fõte doctrinaq; hic ceu novus quidã Sol illũinasset: secessit deinde propria quadam animi

Anno animi inductione, in celsos Armeniæ montes, vitæ quietè agendæ gratia; Albino pro se in Ecclesia relicto, & Episcopis, Euthalio, Basso, aliisq; plus decem, per loca Armeniæ, cum judicio delectuq; constitutis. Ac fertur in omnibus hisce, cæterisq; gentibus, quadringentos ordinasse Episcopos.

Posteaquàm clarissimum hoc lumen, S. Gregorius, de medio recessisset: ideoq; Teridates in tristitia erat: cognovit tamen, duos esse genuinos huic Gregorio filios, ipso natos. Otthanem, actuosæ vitæ Monasticæ deditum: & Arostânem, Dei sacerdotem. Hunc itaq; principe viro misso, ad se traduxit: ac precibus apud patrem Gregorium obtinuit: ut è solitudine descenderet. Reperit hic Arostanem officio idoneum: ac proinde hunc etiam, ut oportebat, pontificem creavit.

p. 945. Sub eadem tempora, Regum etiam clarissimus & commemorandus. Constantinus Magnus, primum concilium congregavit. CCCXVIII. sanctorum patrum, in urbe Nicæa: quò & Teridates pacificè venit; ut qui incredibili studiò pietatis flagrabat: exceptusq; à digno inter Apostolos reponi Imp. Constantino; amplè & prolixè fuit. Cùm a. Catholicum quoq; Armeniæ Archiepiscopum Arostanem ad eandem Synodum accivisset: veni tis, & una pars quædam sacri ordinis. Tunc accepta concilii sententia, in Armeniam rediit: crescente per veri Dei Christi gratiam, pietatis studio.

Constat jam ex his, quæ narravimus, clarè; Armenios & tunc Archiepiscopum habuisse Catholicum, & nunc etiam perpetua successione habere. Ita Archiepiscopatum à Cappadociæ Antistite, de quo diximus, Leontio acceperunt. Fines his tunc erant Novæ Romæ, & hodie etiam beneficio Dei sunt: nullo modò autem, Papæ veteris Romæ: qui, sicut canonibus conciliorum definitur, ad occidentem incolentib. imperare ex more habent. Antiquis autem institutis standum, iidem canones præscribunt. Quòd si vim facit; limites transit, & præter doctrinam Christi facit: Abite, inquit hic, docete: non dicit, vim facite. Item, Quisquis voluerit post me sequi: & si qua in S. Evangeliis consentanea hisce sunt alia. Oportebat verò illos, qui ad occasum sub ipso vivunt, non afferre nova præcepta, offensionum & dissensionum materiam: sed Christi doctrinam, & sanctorum Apostolorum, sacrarumque Synodorum: ea denique, quæ Spiritum divinum sapiunt.

Secundo loco, significamus omni Christiano, qui rectam fidem sequi vult; paschatis tempus, quod apud nos observatur, non sibi malè constare: sed, ut decretis S. patrum consentiens, rectum manere: & in perpetuum stabile permansurum: quàm diu retineat eum ordinem, quem optimè à divinis patribus institutum accepit, immotum: quibus nemo eorum, qui nunc vivunt, neq; scientia (ne Astronomiæ quidem, illis, qui inter eos peritissimi fuerunt) neq; sanctitate, comparandus est: nisi sicubi videatur longè à veritate abesse. Nam cùm 4. sint determinationes paschatis: prima earum præcipit; post æquinoctium vernum, pascha agendum esse. Altera, post Judaici paschatis celebrationem. Tertia non simpliciter post Æquinoctium vernum; sed post primum statim ab æquinoctio plenilunium. Quarta, post plenilunium prima etiam statim Dominica celebrandum esse. Unde nemo prorsus existimet: latuisse illos omni laude præstantissimos Patres speciem hanc erroris: ut jam ab hujus seculi Astronomis corrigendus sit. Beneficio n. Christi, à primo concilio ad præsens usque tempus, semper Christianum pascha. post Judaicum pascha secutum est, & quidem die Dominico. Nec hic confusio errorve ullus, apud nos incidit: ut ad aliquam correctionem accedere debeamus. Benè namq; à S. Patribus expressum & constitutum est tempus paschatis: in æternumque errore carebit.

Malè autem factum est, quòd hodierni priscæ Romæ Astronomi, decem dies ex octobri mense exemerunt. Nam præter alia incommoda, confusionem quoq; in se continet, & eversionem veritatis, nova ista horarum ratio, diligentiùs considerata. Si n. è centenis tricenis quaternis annis, unum diem naturalem supputant: patet, cùm à prima Synodo, mille, ducenti, sexaginta quinq; hucusque anni præterierint: sicut antè à Christo nato, trecenti, decem & octo, usq; ad primam Synodum: tantùm novem dies, & horas decem, uno minuto minùs, confici: quod minus est, quàm decem dies. Sin ex centenis vicenis annis unus dies naturalis supputatur: erunt decem dies, & totidem horæ: quod nimium erit. Hæc autem utraque quàm errore implicita sint, apparet.

Quin etiam illorum ratione, qui scientia considerationis astrorum illustres fuerunt, magni Ptolomæi, aliorumq;, in his erratum esse, deprehenditur. Intra trecentos. n. annos & paululum quid, unum diem naturalem colligi, sentiunt: & id à Solis motu; quòd æquabilem Sol, & sine exorbitatione motum faciat. Sic enumeratione justa dierum anni, horum etiam judicio, dies quatuor, horæ quinque, & minuta duodecim, à Nicæno concilio hoc usque fiunt.

His

Anno His jam ad hunc modum supputatis, sapientium qvoqve Græcorum, qvi extra Ecclesiam fuerunt, ratione demonstratur: extra omnem rationem ex octobri decem illos dies, à Romanis Astronomis exemtos esse: tantùm ob vanæ gloriæ ostentationem, qvantum colligere licet; ut aliqvid melius in medium afferre videantur. At licuisset profectò eis, illo novitatis, talesqve mutationes faciendi studio supersedere: nec turbationis haud mediocris ansam Ecclesiis Christi præbere: aut saltem à conatu talia vi obtrudendi abstinere. Hoc enim iis, qvi facere audent, rationi laudiqve non datur: sicut è contrario alteris qvi, sanctorum Patrum recta instituta sibi tenenda, existimant, id non solùm rationabile, sed divinum etiam, existimatur.

Hæc sunt, qvæ nos, ratione ad veritatem revocata, ad utrumqve ab Adversario allatum caput respondenda ducimus. Anno cIɔ. Iɔ. LXXXII. die Novembris xx. indict. x. ab Orbe conditio septies millesimo nonagesimo. Subscripserunt Hieremias, misericordia DEI, Archiepiscopus Constantinopolis, novæ Romæ: & œcomenicus Patriarcha. Sylvester, misericordia DEI, Papa & Patriarcha magnæ urbis Alexandriæ, & orbis terræ judex. Joachimus misericordia DEI, patriarcha magnæ urbis Antiocheæ, & totius Orientis. Gabriel, misericordia DEI, Archiepiscopus primæ Justinianæ Achridarum, & totius Bulgariæ, Serviæ, Albaniæ, Macedoniæ, Moldo Blachiæ, Ungarovalachiæ, &c.

Idem Martinus Crusius in Annalibus Svevicis. Anno 1221. rursus in Allemannia crux prædicabatur, expeditionis in terram sanctam suscipiendæ. Tunc à qvodam Argentinensis civitatis prædicatore (ut faciliùs induceret ipse, & alii, toties ultra marinæ millitiæ pœnas dantem populum) ita laxæ indulgentiæ proficiscentibus promittebantur: ut homines inde moti, gravissima priùs scelera perpetrarent. Statim enim eos cruciculæ assuta puros reddebat. Interfectus est à cognatis suis postea Coloniensis Archiepiscopus Engelbertus: Imperatori charus, eoqve absente, habenas Imperii cis Alpeis laudabiliter moderans. Interfecti sunt multi Sacerdotes. Dicebant enim malè feriati qvidam: Faciam scelera: qvia per susceptionem crucis innocens fiam. Imper. 120. Rud. 1. Papæ 233. Greg. 13.

p. 946 Idem. Anno 1076. grata fuit Gregorio 7. Papæ Saxonica accusatio; eamqve, potentiæ suæ augendæ, Cæsarum verò minuendæ, idoneam judicans; occasionis capillos avidè apprehendit: & Saxonibus, sibi rem curæ fore, respondit. Nitebatur viribus Nortmannorum, à Cæsare suis rebus metuentium: & dominæ Mathildis, qvam sibi familiarem fecerat. Legatos deinde Cæsaris, crimina ei à Saxonibus objecta purgaturos, in vincula conjicit: nuditate, frigore, fame, siti excruciat: per urbem cum ludibrio circumductos, Româ pellit: id qvod plerisqve Mystis, S. P. Q. R. displicuit; & ipse Rex Henricus in Epistola ad Coloniensem Archiepiscopum Annonem graviter conqveritur.

Anno Idem. Anno 923. Henricus Cæsar Ulricum Hugobaldi, Comitis Kyburgensis Dillingensisqve filium, ex canonico Augustano Episcopum Augustanæ Ecclesiæ fecit: cui fideliter is & piè præfuit, ad 50. annos. Habuerat Ulricus visionem illo tempore: qvo Bavarus se Arnulfus Henrico, Regi electo, opposuit: in qva vidit, Arnulfum, armatum qvidem, sed gladio ejus deesse capulum. Ipsum ergò ad publicam pacem est adhortatus: ut qvi non gesturus esset gladium, hoc est, Imperialem dignitatem.

Idem refert, in eo sacello, ubi humatus est Conradinus, ultimus Dux Sveviæ, ex sepulchro ejus anno adhuc 1580. humorem qvendam manasse, nec arceri potuisse. Captum enim Conradinum post prælium, multos magnos viros, dimittendum, & nullo modo interficiendum, existimasse: sed Papam, interimendum, clamasse.

Idem. Mense Augusto Itzlingæ ad Zechtam, repertum est aliqvid ad spicam accretum, qvod triduum vixit, habens faciem planè humanam: & corollam in capite, circumvolutam lineo panniculo albo utrinqve dependente. Vertit cervicem, & os identidem aperuit atqve clausit. Colore aurum referente fuit: & in ventre, instar lumbrici magni: in tergo autem, ceu hordeacea spica. Ostensum Nœrdlingensibus est; ut ait Willhelmus Kratzer, ipsorum portarius. Anno 1575.

Idem. Augustæ Coriarius qvidam, civis, nefariæ vitæ à Præfecto urbis (Stadtvogt) condemnatus est, & crematus. Fuerant libidinis socii tres sacrificuli: Ulricus Frei, Præmissarius ad S. Johannem: Jacobus Ryss, ad S. Crucem parochus: Ulricus, Parochus Gersthofensis: Georgius deniqve, Wattenlechus, monachus Dominicaster. Qvos, qvia uncti & rasi erant, Magistratus punire non audens: Episcopi sententiam definitivam non semel implorabat, Eberharpi Kirchbergii: aut qvid illis hominibus facere deberent. Responditis ridiculè, aut potiùs superbè: ponerent eos in caveas, sive aviario, ut ibi canerent. Existimavit videlicet, sibi rei curam soli permittendam esse: neqve seculares homines debere se admiscere. 1390

Tunc Senatus non tam irritatus, qvàm modum condocefactus, caveam ligneam curavit faciendam: & à parte boreali Berlachiæ turris, in summa specula suspendi jussit: in qva cavea illi qvatuor, manibus pedibusqve decussatim vinctis, inclusi erant

HHHH nudi

Anno nudi. Ibi fame mortui sunt: cùm à die Sabbathi, usqve ad 5. & 6. ferias proximas, animam ægram traxissent. Qvorum corpora per carnificem in colle supplicii capitalis humata sunt. Primo biduo canebant aliqvot horas canonicas: vesperi, Salve Regina. Dominicanorum autem prior, à platea aliqvoties clamans: concione aliqva sacra illas consolabatur.

1582. *Gilbertus Genebrardus.*

RAbi Simeon Ben Johai author est libri Zoar, qvo posuit fundamenta stultæ & vanæ artis Cabalisticæ. Tale erat negocium, vel potiùs ocium & Marini ac Colorbasii, discipulorum Valentini: qvi cuncta sua religionis mysteria è literis Alphabeti Græcorum probare conati sunt; Iren. lib. 1. cap. 9. & 10. Factum ante Christum natum annis 87.

Idem. Reuchlinum & Picum Mirandulanum in suis libris constituisse harum nugarum gustum, & patronum se præbuisse, planè miror.

Similem & Rabi Costa Ben Lucæ, qvoqve librum Cabalisticum, qvi ligaturis & nefariis magiæ nugis scatet, conscripsit.

Idem in Chronographia. Johannes Austriacus diem clausit extremum, invictus Hæreticorum & Turcarum victor, ut proinde appositè in suis signis militaribus crucem cum tessera gereret: in hoc signo vici Turcos, in hoc signo vincam Hæreticos. Ut suprà.

Idem. Magno odio persecutus est Formosi nomen ejus successor, cujus ordinationes omnes rescidit, & damnavit. Jam enim tum incipiebat Pontificum virtus & integritas deficere, propter Arnulphum, & seqq. Germaniæ Imperatores, sibi Ecclesiæ jura rapientes, & libera Ecclesiæ suffragia in eligendis Pontificibus tollentes. Hæc Ecclesiæ captivitas duravit an. ferè 140. in qva apparuit, pessimam electionem præstare optimæ Principum nominationi, qvod proinde seculum ab Historicis infelix inscribitur.

Hic Genebrardus etiam alicubi Turcam Antichristum dicit, sed errat. Antichristus enim in templo DEI sedebit, qvod ille non facit, sed Papa. 2. Thess. 2.

1582. *F. Petrus à S. Audomaro.*

HIc edidit librum sub titulo Illustrationes Religionis Monasticæ: in qvo inter multa absurda, absurdissimum ponit, leges seu constitutiones Monachorum divinas potiùs, qvàm humanas esse dicendas: reliqva referre pudet.

P 947 Ibidem qvoqve monachos præ laicis in statu perfectionis constituit, & hoc ex monachorum scriptis probare nititur.

Lambertus Danaus in Tract. de Antichristo. Anno 1582.

TOta Græcia adhuc huic potestati & tyrannidi Romani Pontificis apertè repugnat: semperqve eam abnegavit, adeò qvidem ut, cum Johannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus, & Josephus ejusdem urbis Patriarcha, atqve alii aliqvot Græci Episcopi (inter qvos erat & Bessario) in concilio Florentino anno 1439. hanc Episcopi Romani in omnes Ecclesias potestatem approbassent: à reliqvis Græciæ & Orientis Ecclesiis excommunicati, atqve improbati fuerint. Qvin etiam Papa ipse per singulos annos aureum ex pacto donat singulis Græcorum Episcopis, qvi eum δεχιερέα in Missarum celebratione appellant. Imp. Rud. 2. Papa Greg. 13.

Idem edidit librum de Ecclesia: ubi, qvibus gradibus illa in Papisticam tyrannidem inciderit, ostenditur multis argumentis. Et de Antichristi regni loco, tempore, forma, fulcimentis, progressionibus, & interitu qvoqve, alio libro sufficienter demonstrat.

Albertus Hartungus. 1582.

HIc Theologus, & Procancellarius Ingolstadiensis Academiæ, in publico orationem habuit de homologia, sive consensu Theologiæ Lutheri cum Philosophia Epicuri. Sed extat alia oratio contraria, in Academia Lipsiensi recitata eodem anno. Imp. & Papa ut suprà.

Petrus Mersæus. 1583.

HAnno, mortuo Henrico III. filium ejus Henricum IV. qvem Coloniæ de voluntate Procerum educaverat, in Regem Rom. unxit: cujus etiam tutor & vicarius per Imperium factus fuit. Scabinis sex, qvi injustam sententiam de paupercula vidua tulerant, oculos eruit: septimo, cujus filium baptismo sustulerat, unum tantum effodiens, ut cæteros domum reduceret. Fastigiis domorum, in qvibus illi habitabant, lapideum caput imponi jussit, oculis carens: ut sic ab iniqvis judiciis posteros deterreret. Sepultus fuit in cœnobio Sigebergensi, à se fundato: qvò antè corpus S. Ignigni, Martyris ac Sacerdotis, ex Svevia advexerat. Translatio verò corporis Annonis, ampliùs centum annis post mortem ejus facta est, per qvendam Cardinalem, & D. Petrum, Lunensem Episcopum. Baculo ejus ligneo incisum erat Carmen:

Tityre, coge pecus: cæcos ne ducito cæcus.
Mordus esto, gravis: Rector fore disce suavis.
Astu serpentis volucris tege simpla gementis.

Imp. Rud. Papa Greg. 13.

Marcus Rullus Lignicensis. 1583.

HOc anno prodiit in publicum ab hoc Rullo liber, cujus titulus est: Conjectu-

Anno jecturæ Ecclesiastici & Politici status, Nicolai Cusani, & Leonhardi Crentzheymii: in quo scitu dignissima, & admiranda multa proponuntur. Imp. Rud. 2. Papa. Greg. 13.

1583. Laurentius Hunfridus de Roma.

Roma superba licet sis judex vindexq; piorum,
At Christi DOMINI discito judicium.
Dura licet, ferrum si sis, mollescito verbis:
Si lapis & saxum, frangere Roma tamen.
Audi Sodoma Princeps, Gomorrhaq; tota,
Quisquis Romano de grege, quisquis eris.
Audi surda, & cæca tuas spectato ruinas,
Hoc lege quòd perens: aut sæpe, ne pereas.
Roma ruis, quondam veræ pietatis asylum,
Musarum portus perfugiumq; choro.
Roma vetus, quondam multorū vecta per ora,
Quam celebri Paulus prædicat elogio;
p.948 *Nunc scelerum sedes, & nunc errorū es antrū,*
Decantata ab nimium Roma nefanda ruis.
Roma ruis, virgo quondam, purissima virgo,
Cujus casta fides integra religio,
Intemerata thoro, thalamis non cognita mœchis,
Uni sed sponso sponsa dicata DEO:
Impia nunc Christo Domino divortia scribens,
Ac effrons meretrix, perfida Roma ruis.
Roma ruis, mundi lux olim, stellaq; terræ:
Nunc tenebræ, ac alto stella caduca polo.
Cujus ad astra decus quondā sublime volabat,
Corruit, ac terra est Tartarus Italia.
Roma caput mundi, jam toto vertice calva,
Capta tuis membris Roma misella ruis.
Ille cruore perit, qui fundit Roma cruorem:
Sanguine qui gaudet, sanguinolentus obit.
Ut lupus agnellum sequitur, Cainus Abelum,
Ut Jacobum Esau, legitimosq; nothi,
Sāguine tu fundata, pio nunc sanguine crescis:
Ergo concludam, Roma cruenta ruis.
Roma ruis, quoniam victrici turgida lauro,
Antiquis spoliis fœta, feraxq; tuis:
Inq; deauratis circumgestata quadrigis,
Et satrapis mundi Principibusq; prœes.
Calcandus fastus, frangenda superbia: cedrus
Alta ruit, sic tu Roma superba ruis.
Roma ruis, mercesq; tuæ, thesaurus & ingens:
Gemmas & coccum, thuraq; nullus emet.
Et peris, & perdes, occidis & occidis ipsa,
Idq; malo merito vipera sæva tuo.
Roma ruis, regnumq; tuum: vanescet & aurū,
Nomen, apex, sceptrum, fulmina, mitra, thronus.
Et cur Roma ruis? prudensq; vidensq; peribis:
Ergò volens tibimet in pœnis exitium.
Dum fallis, falsa est tua jam fallacia retecta est,
Occulti coitus, fraudq; Veneriq; patent.
Ergo tuas labes, & fœdas aspice sordes:
Vitaq; nota aliis, sit quoque nota tibi.
Plurima Lutherus patefecit, Platina multa:
Quædam Vergerius, cuncta Baleus habet,
Ille tuam movit Camerinam, motaq; fœtet,
Pandoræ Latiæ pyxis aperta voluit.
Ille tuos cæcos vidit, proditq; recessus:
Furtivos memorat, Roma petulca thoros.
Ille lustravit, rimas perspexit & omnes,
Ingreditur lectos, concubitusq; tuos:
Secretum nihil est, tenebrosa cubilia pandit;
Nox nihil involvet, nulla latebra teget.
Huc ergò venias, speculum videasq; malorum,
Hic & avos, proavos, hic atavosq; vide.
Nunc vocat & revocat pansis Deus optimus alis,
Sanctam flens urbem, te cupit esse suam.
Roma quidē ā......dicta est, sed nomine verso,
Dici Roma potest improbitatis Amor.
Ah pigeat, pudeat: mores cum nomine muta,
Roma; veni, ad Dominum vertere, Roma veni.
Si nil frontis habet meretrix, si stercora nolis
Scire sciens: cogor dicere, Roma ruis.

In minotaurum Romanum Carmen, authore Christ. Soth. p.949

Credere quis posset (dictu est quoq; turpe) Priapos
Romæ pontifices esse, fuisse diu?
Non soror hoc habitat Phœbi, nec vesta, sacello
Amplius. Unde probas? stupra nefanda probant.
Quæ, mirum, quanta doctus gravitate Balæus
Depingit, nasum Rhinocerotis habet.
Quicunque ergò feris sublimi vertice sidus:
Nunc cave ne titubes, Marti i turba sapit.
Nulla tibi tunica est parti obtendenda tegendæ;
Scorta impura magis non operire potes.
Erumpet vox vera mihi, tibi faucibus hæret:
Non magis est sancti Romæ cathedra Petri.
Sed sedet hic, fateor, quis? Paulus; pergo, quis tum?
Lampsacides veneris digna deæ soboles.
Qui cum Lampsaciā pulsus procul urbe fuisset,
Cives cornutos quod dedit arte suos,
Dicitur in Latio summus Christi esse Sacerdos
Factus at heu sicttæ religionis ope.
Nomina nuda tenet, Christi vestigia nulla,
Turpia sub pulchro nomina monstra latent:
Conclamant omnes, Papistas esse cinædos:
Pædico Papa est. Cætera conticeo.
Hoc tamen adjiciam, liceat modò; jamq; licebit
Pro pa si scribas po, tibi Papa popa est.
Paphia dicta venus, veneris proles quoq; Papa est.
Ἰδὼν τοῦτο κακὸν πῦσε κακοῦ κόρακος.
Parcite sed fœdis, fertis quicunque pudicas
Aures, carminibus parcite quæso meis.
Crassa decet crassos, fœdis fœdissima quadrant,
Conveniunt rebus nomina quæq; suis.
Quod credo, dico: nec enim dixisse nocebit;
Pa nota fœtoris, si geminetur, erit.
Scito tuq; DEUM ni flectas usq; potentem,
Quod tua te pessum nomina Papa dabunt.
Imp. Rud. 2. Papa. Greg. 13.

Vaticinium de Romano Imperio, repertum in quodam Monasterio N.

Imperium, fasces, C. Fastus, sceptra, Triumphus,
Quæ fuerant, penitus, C. veniente, cadent.

Anno QVod sub Carolo Magno exortum est, illud idem sub Carolo N. denuò ruere incipiet. Id est, Germanici Occidentis Imperii species, cùm in Ecclesiastico, tum in politico statu, sub Carolo Magno germinans, sub C. N. ruinam auspicabitur: id quod jam ex parte impletum est, ubi Episcopatus ad mundana deflectere cœperunt: & tota insuper regna à Pontifice Romano secessionem fecerunt, unà cum Principatibus. Reliqva autem omnia magis magisqve continuabuntur: ita, ut nunc excreta, jam decrescant, & omninò intereant: ac ipse tandem novissimus dies adhæc mox seqvatur.

Ut enim vetus Imperium Romanum sub Imperatore Augusto originem sumsit: ita etiam sub hoc nomine interitum acqvisivit, sub Augustulo videlicet, primo Italico Cæsare. Tres eqvidem illud magnas habuit ruinas, donec omninò interiit: unam sub Augustulo, alteram sub Honorio Cæsare, tertiam autem & ultimam, post Augustulum, à Totila factam, sub Imperato-
1597. re Justiniano. Ita cùm novum Imperium Romanum triplex sit, Græcum videlicet Imperium, sub Constantino Imperatore Constantinopolitano, qvi ideo urbem illam novæ Romæ nomine insignivit: ruinam id edidit primùm sub Constantinopolitano Cæsare, etiam hujus nominis sub Constantino videlicet ultimo.

Ita cùm Germanicum Imperium sub Carolo Magno exortum sit; idem sub Carolo N. etiam hujus nominis occidit: id qvod altera est ruina, qvando Romani Papatus gravis factus casus: ut ita nil, nisi tertia & postrema mutatio restet. Sub cujus autem Imperatoris nomine hæc sit eventura, & qvod Cæsaris illius nomen futurum sit; eo modo colligere potes, si nimirum memoria repetas, qva ratione ante annum trecentesimum & vicesimum, interregnum illud, Imperio turbato, sub Rudolpho primo, Comite Habspurgensi, denuò qvietem, atqve sic etiam incrementum ceperit.

Et mirabilis hic reperitur harmonia atqve similitudo in annis: qvòd videlicet Constantinus Magnus Imperium tenere cœpit anno Christi 306. & novam extruxit Romam anno 327. Carolus Magnus autem Imperator electus est anno Christi 801. Rudolphus Cæsar creatus est anno Christi 1273.

Qvot igitur anni ab anno Domini 327. qvo novam Romam Constantinus ædificavit, usqve ad Carolum Magnum elapsi sunt, nempe 473. totidem etiam anni à Carolo Magno, usqve ad Rudolphum Comitem Habspurgensem numerati sunt: & postea etiam anni 303. à Rudolpho primo, usqve ad hunc nostrum dominantem Imperatorem Rudolphum secundum, anno Domini 1577. qvot etiam anni salutis humanæ, usqve ad Constantinum Magnum circiter intervenerunt. Anno

His annis, initio videlicet Imperii Rudolphi II. annis Imperii Constantini Magni additis, nempe 30, elucescit tertia & ultima ruina Imperii Romani, circa annum Christi circiter 1607. eventura: qvæ supputatio cum illo tempore prorsus consentit: qvod etiam Capistranus scribit.

Similis harmonia nominum & annorum etiam in Romanis Pontificibus reperitur: & ex iis qvoqve primùm qvodammodo anni tertiæ & ultimæ ruinæ eventuræ patent, qvemadmodum suprà in Imperatoribus. 2. non plures tribus Pontifices Romanos post hunc, ad numeri complementum, futuros. 3. etiam perspicuum fit nomen tertii post hunc, sub qvo postrema accidet ruina. Ut autem Rudolphi nomen ex Harmonia invenitur: ita tertius & ultimus post hunc Papa, nomini suo G. insertum habebit. Reliqva ad suum reserventur tempus.

Præter hanc supputationem, idem etiam ex natura, & cœli motu perspicitur. Cùm enim à condito Mundo experientia innotuerit, maximas mutationes Monarchiarum & Regnorum mundi, in permutatione aqvosi Trigoni in igneum accidisse: hoc est, superioribus Planetis sua conversione ex aqvosis signis cœli, in ignea transpositis: Id qvod annis circiter 800. evenit: Germanicum Imperium Ortum versus situm, sub Carolo Magno ante 800. annos simili constellatione exortum est.

Revolutio igitur superiorum Planetarum expleta cùm sit: & cùm ab anno Christi 1583. usqve ad annum 1603. permutatio denuò accidat aqvosi Trigoni in igneum; certè maximas in regnis mundi permutationes jam jam præ foribus esse, seqvitur: præcipuè etiam cum Germanico Occidentali Imperio. Et ultima Planetarum conjunctio in aqvoso Trigono accidit anno 1583. & prima in igneo Trigono eveniet anno 1603. inter has omnia finiri necessum est. Confestim etiam Liga sancta exorta est, qvæ hisce omnibus initium fecit.

Qvod autem qvidam Astrologi objiciunt, igneum Trigonum anno Domini 1584. inchoatum esse; notandum, tantùm in inferioribus Planetis id accidisse: & qvidem in punctis Cardinalibus cœli, in æqvinoctio verno: sed nondum in superioribus Planetis, Saturno & Jove: verum anno Domini 1603. demum illa superiorum etiam Planetarum in igneo Trigono accidet conjunctio: non tamen in Capricorni signo, neqve in punctis Cardinalibus, sed in altero igneo signo Sagittarii: perfectè tamen in igneo Trigono illam jam inchoari, & seqventibus annis maxi-

mas

Anno mas mutationes eventuras. Intermedii autem anni nihil aliud sunt, qvàm maximarum mutationum anni, ut qvidem jam omnia ad eas inclinant.

Sed post annos 60. ab anno Domini 1583. i. e. anno Domini 1643. accidet etiam conjunctio superiorum Planetarum, Saturni & Jovis, unà cum duobus luminaribus, Sole atqve Luna, in Punctis Cardinalibus cœli. Qvod indicium est, totam naturam suum absolvisse cursum, nihilqve aliud, nisi diem novissimum expectandum esse.

Atqve eò etiam magna spectat stella, qvæ anno Domini 1572. in cœlo apparuit, & per totum est visa annum, ex adverso horum Cardinalium punctorum cœli, in Coluro Æqvinoctiorum. Eaqve significationem suam in actum usumqve deducere
p. 951. cœpit anno 1584. ubi Mars Saturno conjunctus est, in his Cardinalibus punctis, cum inferioribus Planetis: & hanc suam significationem stella hæc ultra 60. annos extendet, ut ita maximum ante diem novissimum miraculum sit, & hujus qvasi qvidam præcursor & prodromus. Qvod hic obiter solummodò allego: alio autem loco copiosè explicavi: ut verum magnarum mutationum fundamentum percipiatur, & qvomodo ipsa qvoqve natura concordet, & ex ea hoc confirmetur.

Seqvitur in vaticinio.

Postea Germanis durissima bella movebit:
Capsitiam pacis ducet & ipse patram,
Qui fuerat sacræ confessor Relligionis;
Liber erit: N. præmia digna feret.
C. tandem Imperium durâ cum morte relinqvet:
Nemo sciet, cujus Relligionis erat.
Succedet tunc N. tranqvilla pace gubernans
Imperium, castè finiet ille diem.
Et mare per totum consurgent horrida bella.
Qualia Charthago, Roma nec ipsa dedit;
Multaq; victores victorum præda seqvetur;
Non erit a captis turba perempta minor.
Ensiferi inter se multâ vi brachia tollent;
Amplius officium O. faciet ipsa [illegible].
Ista tamen longo non stabunt tempore. Namq;
P. sanctum veniens, tempora sancta dabit.
P. superat, tacet (al. jacet) A. moritur qvoqve callida N.
Penes Germanos Imperiumq; manet.
Sed prius hæc nostro tantus fundetur in orbe
Sangvinis diluvium quod neque Troja dedit;
Inde revertentur, fuerant quæ, pristina secla.
Dicetur, valeat, qui valet atque potest.

Concluſionis loco etiam tria particularia prognostica adjiciam: qvæ nuper mihi allata sunt, & tantum ad jam grassans Gallicum malum attinent.

Ex antiqvissimo libro Prognosticum primum.

1. Cùm Rex Henricus regnabit origine natus:
2. Hic Rex bis factus, tam re, qvàm nomine gratus. Anno
3. Lilia vir fortis sociis avellet ab hortis.
4. Rex cadet, & vulgus, militia Francica, clerus.
5. Ferro, Peste, fame, flammaqve sitiqve peribunt.

Seqvens Gallicum Prognosticum Nostradamo adscribitur.

1. Qvand une fourche sustenu de deux paulx.
2. Sujuant cinq corns, & neuf ciseaux ouvers.
3. Lors on voira, Pheritiers M. de crapaulx. CCCCC.
4. Ruer les troys coronnes à l' en vers. XXXXXXXXX.

Tertium particulare Prognosticum.

1. Anno Domini 1590. N. auferetur N.
2. Desinet Major.
3. Non ampliùs consistet N.
4. Regnum obtineqit A. T. F. A.
5. Soli piè credetur Deo.
6. Una sancta vivetur fide.
7. Æterna feliciqve pace fruentur Occidentalium partium reges.

Pharisaismus vetus & novus.

ADditus est libro responsionum Gvilielmi Witakeri contra Edmundum Campianum & Johannem Duræum, tractatus, cui titulus est Pharisaismus vetus & novus, sive de fermento Pharisæorum & Je- p. 952.
suitarum: cui adjuncti sunt centum Characteres Jesuitarum, id est, notæ ex Prophetarum, Apostolorum & Apostolicorum virorum scriptis per centurias collectæ, qvibus nova illius societatis, sibi nomen JESU falsò tribuentis, facies & artes ad vivum depictæ repræsentantur.

Iterum intentatur mors Auraico Principi. 1584.

HOc tempore iterum latronem qvendam ad homicidium Principis Uraniani qvidam Jesuita incitavit, cum hac promissione: se DEUM pro illo precaturum: ipsum verò vitam æternam certò consecuturum, & in album Martyrum sanctorum relatum iri. Igitur incautum necavit Principem: captus autem & suum confessus homicidium, meritas luit pœnas. Meteranus in Annal. Belg.

Obitus Alenconii. 1584.

HOc anno Alenconius Regis Galliæ filius, Dux novus Brabantiæ moritur, mentis optimè compos: admittere ad se nec Monachum, nec Confessionarium, qvenqvam volens: sed omni spe salutis collocata in solo merito JESU Christi, placidè obdormit, Materanus in Annal. Belg.

Anno

Sixtus Quintus.

1584. HIc constituit ærarium novum qvinqve millionum auri, certis qvibusdam legibus; de qvibus scribit M. Jansonius.

1585. *Petrus Ærodius verum ab omni antiqvitate vendicatarum.*

COnsuluerant oraculum Sybaritæ, perpetuóne eâ abundanti & beatâ victuri essent vita, qva fruebantur? respondit illud; tam diu fruituros, qvàm diu non pluris hominem qvàm DEUM æstimassent. Imp. Rud. 2. Papâ. Sixto 5.

1585. *Eutychii Myronis vertumnus Papisticus.*

HOc tempore prodiit liber hoc titulo, in qvo tractatur, qvid sit Papatus, & qvaliter vir Christianus erga illum affectus esse debeat. Ut suprà.

1585. *Nestorius Olevanus Animo Brunsfeldio S. P. D.*

LEcto scripto Domiditis, à qvovis mediocriter etiam docto & intelligente viro animadverti potest, inepte illos agere & minimè prudenter, minimeqve esse Catholicos, qvi hoc nomen profitentur, & sibi arrogant. Post Augustana Comitia, qvæ celebrata fuerunt anno 30. Evangelicum nomen cæpit obscurari. Et Pontificii Evangelicos protestantes cognominabant: sese autem obedientes: & privatim inter se dissentientes, his duobus nominibus divisi sunt atqve distincti à se invicem. Sed protestantes nomen Evangelicum præclarum judicantes, illud retinere satagerunt. Qvod animadvertentes Pontificii, Evangelii nomen illustrius esse, qvàm obedientiæ, arripuerunt nomen Catholicum, & sese Catholicos vocaverunt, qvod nomen illis minimè concedendum est. Eoqve magis mihi placet Domiditis libellus, qvòd Catholicum vocabulum Romanis eripit, & alicui loco peculiariter datum negat: Doctrinæ enim Catholicæ & universali verbum illud ponderandum esse, sentio. Ex te audire cupio, qvæ veræ sint notæ, qvæve certa indicia Catholicorum, idqve breviter, si qvid habes præter ea, qvæ à Domidite sunt enumerata. Vale.

Animus Brunsfeldius Nestorio suo Olevano S. D.

QVod Domidis vocat universale, id cujusmodi sit, ex partitione Aristotelis oportet intelligere, qvæ est tripartita: qvi ἔνδοξα, hoc est, probabilia dicit esse, qvæ vel omnibus placent atqve approbantur: vel majori parti: vel meliori atqve doctiori: qvod genus probabilium est præstantissimum; atqve idcirco negat Domidis, Romanam Ecclesiam esse Catholicam atqve universalem, qvoniam ab hoc tertio genere, hoc est, à melioribus & doctoribus oppugnata, vituperata, refutata semper est. Anno p. 953.
Hac dictione retenta, facilè Domidis noster consistit. Multi enim statim post beneficium Phocæ usq; ad nostram memoriam, ad nostram hanc ætatem usqve contra falsam hanc authoritatem & arrogantiam Romanorum scriptitârunt. Vale mi Nestori, 17. Augusti.

Nestorius Olevanus Animo Brunsfeldio S. D.

NEqve opus erat, mi Anime, remittere mihi scriptum Domiditis: habeo enim illud descriptum: descripseram enim ipse mihi, anteqvàm ad te mitterem. Sed vehementer aveo videre editum & expressum à typographo. Peto autem abs te, ut aliqvid, si tu habes, qvod ad eandem qvæstionem pertineat & apertum sit, & sit, ut Dialectici vocant, ἄλυτον, id etiam ad me mittas, anteqvàm divulgetur. Brevi aliqva epistola id facias, qvam Comitem esse patieris istorum, qvæ divulgabuntur. Vale. 19. Augusti.

Animus Brunsfeldius Nestorio suo Olevano S. D.

ETsi opus non est, ut aliqvid addam ad ea, qvæ Domidis scripsit, tamen ne videar voluntati tuæ deesse, paucis sententiam meam brevem tibi communicabo. Non potest esse Catholicus: non Catholica Ecclesia, qvæ à Catholica fide defecit. Defecit autem Ecclesia Romana à fide Catholica: hoc est, à Vera Doctrina de Persona JESU Christi, ergo non est Catholica. Vera & Catholica fides cognoscitur ex scriptis Prophetarum & Apostolorum, & ex commentariis atqve scriptis Patrum primæ Ecclesiæ, cùm latinorum, tum inprimis Græcorum: apud qvos, fateor, Doctrinam de Persona JESU Christi diligenter custoditam & defensam fuisse: sed posterioribus temporibus statim depravatam & vitiatam à Romanis Episcopis, ut Domidis noster commemorât. Petiisti rem unam, rationemqve & argumentum unum: en habes. Sed confirma te libello Domiditis nostri; qvanqvam confirmatione non habes opus. Vale mi Nestori. 28. Augusti, Anno 84.

Domiditis Menapii Catalogus qvorundam testium veritatis, indicans, Romanæ Ecclesiæ fastum à primatu potissimum tempore, semper reclamatum, eamq; nunqvam Universalem fuisse; & de Christi adventu.

ROmanum Pontificem totius Ecclesiæ primatum semper habuisse, Pontificii gloriantur. Qvibus paucis responderi posset: primatum illum aut divinitus constitutum, aut ab hominibus introductum esse.

Anno esse. Si divinitus (vel ex Gamalielis sententia) nusqvam & nunqvam aboleri poterit. Sin ab hominibus, alicubi aliqvando concidet: qvod illi usuvenisse constat. Ab hominibus, igitur, non divinitus constitutus. Omnis enim plantatio, qvam cœlestis Pater non plantavit, extirpabitur. Enimverò constat, Gregorii primi tempore Romanam Ecclesiam talem authoritatem sibi nondum vendicasse, qvalem paulò post usurpare cœpit. Et qvamvis Phocas illam primùm extulerit, ejus tamen autoritas per Pipinum, Carolum, Ludovicum multum auctam & confirmatam, novimus: qvibus potissimùm primatum illum, omnemqve illius tyrannidem acceptam ferimus: neqve tamen unqvam ubiqve universalis fuisse.

A primatus igitur per Phocam instituti tempore (nam priores plerumq; modestiores fuerunt) multos doctos piosqve viros olim & semper corruptelis Romanæ Ecclesiæ contravenisse, omnibus in historiis versatis abundè constat: eamqve Ecclesiam nunqvam, prorsus universalem fuisse, sed tantum particularem inter cæteras primarias: Antiochenam dico, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, Alexandrinam, aut illarum similem. Enimverò neqve Syri, Armeni, Georgiani, aliiqve in Oriente Christiani (ut de Græcis nihil dicam) huic sedi sese unqvam submiserunt. Neqve ad hodiernum diem Abyssinorum latè regnantes populi, à Reginæ Candacis Eunucho (qvem Philippus docuerat) jam olim Christiani facti: qvemadmodum nec Rutheni, nec Moscovitæ aliiqve alibi, nobis vel cogniti, vel incogniti, Christiani Romano Pontifici obediunt; ut varias præteream nationes, qvæ vel in ipso Romano Imperio, vel extra Imperium illius tyrannidis jugum repulerunt.

Unde igitur Romana gloriatur, se universalem seu Catholicam Ecclesiam esse? à Phoca scilicet sic declaratam. Dignum certè patella operculum. Cùm enim antea Constantinopolitana, se omnium Ecclesiarum primam, scribebat, inqvit Paulus Diaconus, Phocas, extincto Mauritio, ejusqve filiis, Romanum regnum invadit. Hic, rogante Papa Bonifacio, statuit sedem Romanæ Ecclesiæ, ut caput esset omnium Ecclesiarum. Hic fons, hic hujus primatus origo. Eodem idem tempore surrexit Ismaëlita, hujus ambitionis Vindex. At Pontificum fastus mox gradatim auctus, ad tantam devenit insolentiam, ut de eorum intolerabili ambitione & avaritia, omnes ubiqve Reges, Principes, nationes conqvesti sint: ut abundè testantur omni-

954 um populorum annales & historiæ: adeò, ut eò usqve cristas erexerint, ut nihil non ausi sint sibi arrogare, perpetrare, committere: Imperatorum cervices conculcare, utrunqve gladium usurpare, imperatorio sese habitu ostentare, regna, Imperiaqve tractare; qvoslibet pro libitu deponere, aliosqve subrogare, cœlum deniqve terra miscere: mundum universum insidiis, proditionibus, seditionibus replere. Anno

Hinc Gallorum pragmaticæ sanctiones: hinc Germanicæ nationis tot tantaqve gravamina: hinc varia in Romanam Ecclesiam onerosa vaticinia: hinc multorum procerum, Academiarum, Parlamentorum in sedem illam assiduæ qverimoniæ. Qvid multis? Constat, qvid de Gregorio septimo, Bonifacio octavo, Alexandro sexto, aliisqve illorum similibus doctorum Virorum libri passim dicant: qvi & qvot illorum fuerint scortatores, qvot adulteri, qvot Sodomitæ, incesti, magi, athei, illorumqve similes: pleriqve autem simoniaci, tyranni, sangvinarii: ut in rerum gestarum monimentis hinc inde videre licet. Neqve prolixa historiarum testimonia adducere duxi: sed brevissimum tantum catalogum recensere qvorundam, non omnium, qvi tantæ insolentiæ semper obstiterint: qvi de tanta arrogantia semper conqvesti sint, ut intelligatur, DOMINUM exercituum semper semen reliqvisse, ne planè ut Sodoma fierent, seu Gomorræ similes.

Enimverò Victoris Romani Episcopi insolentiam Ireneus jam tum reprehendebat. Firmilianus Capadociæ Episcopus Stephanum Papam, Cypriano insultantem, in sua perfidia Judæ comparat. Paulinus Nolanus Episcopus de clericorum Romanæ Ecclesiæ invidia & odio, ac Ursini Papæ superbia graviter conqveritur. Hieronymus, Tertullianum, invidia & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsum: suumqve de Virginitate libellum Romæ lapidatum fuisse, scribit. Legantur, qvæ Bernardus Eugenio consideranda proponit.

En Gregorius ipse admodum acerbè in primatum invehitur: universalis Episcopi nomen temerarium, prophanum, stultum vocabulum vocans. Videantur ejus ad Mauritium Imperatorem epistolæ: item, ad Johannem Constantinopolitanum, & Eulogium Alexandrinum. Tantumqve abest, ut Gregorius ipse, ex monacho Papa factus (qvos adulatores passim optimos, maximos, sanctissimos vocant) non modò ulla se sanctimonia auctum, dicat, sed in ea dignitate constitutus, & in papali sede sedens, omnis pietatis jacturam se fecisse, & sub Episcopatus colore ad seculum redactum, causarum fluctibus qvassum, & tumultuosæ vitæ tempestatibus demersum, scribit: ut videre licet in principio sui registri, epistola qvinta & seqventibus.

Profectò omni tempore, omnibus seculis pii doctiqve extiterunt, qvi huic corruptelæ obstiterunt, licet non omnium no-

Anno minis recensere potero. Laurentius Vallensis, Nicolaus Cusanus Cardinalis, Antoninus Florentinus Episcopus, Raphaël Volaterranus, Hieronymus Catalanus, aliiqve recentiores, fictam, falsam, insulsam illam Constantini donationem gravissimè refutarunt. Lauretani Idoli impudentissimum figmentum Vergerius revelavit. Confictam Petri viginti qvinqve annorum in papali sede sessionem, multi multis argumentis falsam esse demonstrârunt.

Alii alios insignes abusus & corruptelas passim impugnaverunt, ut Wallafredus Abbas Augiæ divitis, in elegantissimo suo libello de comparatione mundanarum & Ecclesiasticarum dignitatum, anno 700. sub Ludovico Pio, qvo tempore Papalem potestatem potissimùm auctam docet, &c. Bodinus, libro de republ. 1. Similia fuerunt Johannes Scotus Bedæ auditor, multiqve alii, eodem ferè tempore. Item Methodius, anno 860. Arnulphus Aurelianus Episcopus, anno 1034. Areta Cæsariensis Episcopus, anno 1051. Huentinus præsul, circa annum 1101. Arnulphus Anglus, anno 1126. Bernhardus Abbas Claravallensis, anno 1140. Petrus Abillardus, anno 1180. Almericus Carnotensis, anno 1198. Abbas Joachim, anno 1200. Petrus de Vinetis, anno 1230. Johannes de Rupe scissa, anno 1240. Nicolaus Gallus, anno 1245. Eberhardus Episcopus Salisburgensis eodem ferè tempore. Arnoldus de Villa nova, anno 1303. Marsilius Patavinus, anno 1324. Mihaël Cesenas minoritarum generalis, eodem seculo. Petrus de Ubaldis, anno 1344. Gerhardus Sagarellus Italus, anno 1360 Arnulphus Eremita circa idem tempus. Franciscus Petrarcha, anno 1374. Petrus de Aliaco, anno 1415. Nicolaus Clemanglius, anno 1417.

Præterea Johannem Huss & Hieronymum Pragensem, aliosqve qvàm plurimos, qvales fuerunt Georgius Heimburgius, aliiqve eodem tempore. Johannes Gerson, anno 1419. Thomas Rhedonius Carmelita Gallus, circa annum 1430. Matthias Palmerius, anno 1440. Renaldus Perocus, anno 1455. Anthonius Rosellus, anno 1469. Baptista Platina, anno 1476. Johannes de Wesalia, anno 1479. Polydorus Virgilius, anno 1499.

Hi omnes & singuli (ut plurimos præteream, qvales fuerunt Hieronymus Savanorola, Reuchlinus, Wimphelingus, Beatus Rhenanus, Erasmus Roterodamus, Johannes Aventinus, Franciscus Gvicciardinus Florentinus patricius, Marcellus Palingenius, Valentinus Crataoldus, Rubertus à Moshan, Guilhelmus Postellus, Georgius Vicelius, Georgius Cassander, Adamus Reissnerus, Johannes Heidenius, Johannes Langus, aliiqve pii doctiqve Viri) hi, inqvam, omnes & singuli hujus sedis corruptelis scriptis & verbis passim obstiterunt, qvemadmodum & multi alii non nominati (neqve enim omnes recensere possem) veluti Bertramus, Petrus Waldo, Baliardus, Gvilhelmus de sancto amore, Robertus Capito, Militius Bohemus, & ipse Æneas Sylvius, antequàm Pontifex factus, ut recentiores omittam: qvi omnes, licet in nonnullis discrepantes, concorditer tamen (qvemadmodum Paulus, ab aliis aliter Christum prædicatum, refert) omnes Antichristianis abusibus qvoqvo modo adversati sunt.

Neqve obest, illorum nonnullos à Pontificiis in hæreticorum albo connumeratos esse, qvi boni fuerint orthodoxi. Nam & Augustinum dicere solitum accepimus, multos in terris pro sanctis venerari, qvorum animæ apud inferos essent. Sed gratia DEO, qvòd pro sua misericordia, reliqvias semper fecerit, ne omnes Gomorræ similes fierent.

Ex prædictis constat, Romanam Ecclesiam nunqvam universalem unqvam fuisse, qvantumvis se Catholicam jactet, cùm particularis tantùm inter cæteras & olim fuerint, itidemqve postqvàm per Phocam elata, meliori semper parte contradicente. Talis enim est universalis, qvale Tridentinum Concilium fuit œcumenicum; ubi ferè nullus ex Germania, Bohemia, Polonia, aut tota Septentrionali parte Europæ comparuit: pauci ex Italia, Hispania, Galliaqve. Hocné est habere secum Æthiopas, Armenos, Georgianos, Græcos, Moscovitas, Slavos, Gotos, & si qvid nationum sub coelo est? Orbis, inqvit Hieronymus, major est urbe.

Et qvamvis particularis illa, ut qvondam Israëlitica ab Annis, Caiphis, Alexandris, & illorum similibus, Pharisæis & Sadduceis. Jam diu fuerit administrata, tamen ut ibi, sic etiam hic semper extiterunt Zachariæ, Josephi, Nathanaëles, Simones, illorumqve similes, Israëlitarum consolationem expectantes. Qvapropter qvemadmodum nunc neqve Pharisæatus, neqve Sadducæatus fuerat Ecclesia, Ecclesiam tamen inter illos fuisse non negaverim, sic etiamsi vel Papatus, vel Cæsareatus non sit Ecclesia, in iis tamen Ecclesiam esse, non dubitaverim. Ædificatores enim jam tum qvidem, ut ferè semper, improbârunt lapidem, qvi tamen adhibitus est ad caput anguli.

Qvòd autem Romanenses de Petri prærogativa gloriantur, utpote cui claves promissæ, oves commissæ, qvi Cephas vocatus, aliaqve adeptus fuerit, qvalia nemo de Petro negaverit: verùm qvid illa ad Romanenses? Fuerit qvidem Petrus Romæ, Romæ docuerit, Romæ supplicio affectus sit, an ideo vel gentium vel Romanensium designatus Apostolus? vel ea, qvæ Petro commissa fue-

Anno fuerunt, Romanensibus conveniant? Enimverò, Petrum circumcisionis, Paulum gentium Apostolum fuisse, constat.

Petro qvidem Christus dixit: Pasce oves meas. Qvas autem oves? nempe perditas Israëliticæ domus: qvibus necesse erat primùm proponi divinam doctrinam. Cùm autem illi eam rejecerunt, conversi sunt ad gentes. Habuit enim Christus etiam alias, non Judaici ovilis, adducendas oves, qvas cùm per cæteros Apostolos, tum potissimùm per Paulum, destinatum gentium Apostolum, adducere constituit: utpote vas electionis, selectumqve instrumentum, ad portandum Christi nomen coram gentibus & regibus, & inprimis Romanis. Qvare & divina destinatione Romam venit, ibiqve totum biennium in conducto privatim manens, omnes admittebat, qvi eum adibant, divinum regnum Romæ prædicans; unde & multas epistolas scripsisse constat.

Petrum autem non Romæ, sed Babylone, sparsim peregrinantibus judæis (qvorum Apostolus erat) scripsisse. Cur igitur posthabito gentium proprio, & potissimùm Romanorum Apostolo, de Petro (inter tot, qvos Paulus Romæ salutat, ne qvidem nominato) tantoperè gloriantur? Ut scilicet ipsorum fucata dementia tandem tantò magis fiat perspicua. Petrus qvidem, patefaciente cœlesti Patre, JESUM Christum, hominis & DEI viventis Filium professus est. Viderint Romanenses qvaliter hanc firmam Petri fidem seqvantur, & qvales in ea sint Petri successores!

Qvòd autem de suorum Pontificum successione Christiqve Vicariatu gloriantur, inanis est gloriatio, cùm illorum successio seu Vicariatus, non ex DEO, sed ex humanorum præceptorum decretis sit. Nam si primatus ille talis tantusqve, ut nunc proclamatur, jam olim & semper fuit, mirum, Lucam in Apostolorum actis, Eusebium, Nicephorum in historia, Augustinum in sua civitate Dei, aliosq; priscos Ecclesiasticos Scriptores, rem tantam præterisse. Certè Christus est Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, nullum relinqvens Vicarium successorem, qvàm sacrum suum Spiritum, suis perpetuò adfuturum. Qvare in Melchisedechico novi testamenti sacerdotio (ut olim factitatum est in veteri Aaronico ad Messiam usqve) successionem pontificalem nullam novimus.

Romanorum autem Pontificum successionem per varia schismata, & freqventes antipapas, multifariam fœdè interruptam, & truculenter contaminatam item novimus: invidiosissimus simul & atrocissimis censuris invicem sævientes. Qvo igitur spiritu ducantur, facta comprobant, historiæ testantur, Poëtæ canunt, bibliothecæ loqvuntur, pii doctiqve conqveruntur. Anno

Bernhardus Eugenio: qvid de populo loqvar? inqvit. Populus Romanus est, nec breviùs potui, nec expressiùs aperire, de tuis parœcianis qvod sentio. Qvid tam notum seculo qvàm protervia & fastus Romanorum? Gens insveta paci, tumultui assveta: gens immitis & intractabilis, usqve adhuc subdi nescia, nisi cùm non valet resistere.

Idem Bernhardus: Væ, inqvit, generationi huic à fermento Pharisæorum, qvod est hypocrisis, si tamen hypocrisis dici debet, qvod jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non qværit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & qvò latiùs, eò desperatiùs: eoqve periculosiùs, qvò interiùs. Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarii, & omnes adversarii: omnes proximi, & omnes qvæ sua sunt qværunt: Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace, amaritudo mea, amarissima. Amara priùs in nece martyrum: amarior pòst in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ: & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Talia & graviora Bernhardus, aliiqve non pauci.

Et Paulus: cùm dicent homines, pax & securitas (res enim eò relabi videtur, ut barbaries & superstitio rursus invalescant) tunc repentè ut dolor uterum ferenti, sic eis instabit interitus, qvem non effugient. Nam ut accidit temporibus Noë, sic erit adventus Filii hominis. Atqve sic tandem erit finis superstitionis: qvam qvidem DOMINUS Spiritu oris sui jam pridem conficit, & tandem penitus abolebit, adventus sui claritate. Veni DOMINE JESU, inqviunt pii: veniat regnum tuum, rogant. Etiam brevi veniam, dicit, qvi fidelis est. Clamaverunt justi, inqvit Psalmista, & DOMINUS exaudivit eos. Tantò autem maturios aderit, qvantò cupidiores sunt pii. Rursusqve tanto festinantior veniet, qvantò plures sunt impii. Impietas enim plagas attrahit, ut Cæcias nubes.

Cùm igitur isti trahant, & contrà pii idem summè contendant, duplum properabit DOMINUS, juxta illud Luc. 18. Amen dico vobis, vindicabit DOMINUS electos suos de inimicis ipsorum, idqve BREVI. Egregium Verbum, maximeqve finem orantibus consolatorium. Malus autem servus, cum animo suo cogitans, herum suum diu adventum differre, conservos pulsat, manducat & bibit cum ebriosis, bellum infert iis, qvi DEI Præceptis obediunt, & JESU Christi testimonium habent, tempora legemqve mutat, novos condit cyclos, qvos

Anno qvos in multa protendit secula. Veniet tamen DOMINUS in die qva non sperat, ignotaqve hora, & dissecabit eum, partemqve ejus ponet cum hypocritis, ubi ploratus erit, stridorqve dentium. Non tardat DOMINUS promissum, ut qvidam tarditatem interpretantur: verum lentus qvidem est erga nos DOMINUS, nolens qvenqvam perire, sed omnes ad sanitatem redire. Veniet (inqvam) DOMINI dies, ut fur noctu, & sicut accidit tempore Noë. Etiam, Veni DOMINE JESU: cujus gratia adsit omnibus ejus adventum piè desiderantibus, Amen.

Ex Marsilio Patavino, tres Veritatis hostes.

VIolenta Romanorum Episcoporum potestas, consvetudo simplicium audiendi falsa, Livor etiam qvorundam Veritatem agnoscentium. Hisce Cathalogi finis.

1585. *Paulus Oderbornius.*

BAsilius Moschorum Magnus Dux, Sacerdotem magnæ authoritatis, & qvem cathenis aureis donabat, in purpura concionantem apertè dicentem audivit, Lutheri dogma veritati vicinum omninò videri, illudqve tolerari etiam posse, nisi abjecta cuculla uxorem sacram virginem duxisset. Hæc Oderbornius in Basilii vita.

1585. *Petrus Pomponatius Mantuanus.*

CUm statuæ sudant, & lachrymas ac guttas sangvinum emittunt: si non fit hominum & Sacerdotum deceptionibus: alias habet caussas. Frigescunt enim omnia & desinunt miracula, nisi conficta & simulata. Nam propinqvus videtur esse finis.

Idem. Videmus, fortunam & cœlum dominari apud multos: præcipuè tamen hâc tempestate in Romanâ Curiâ. Ubi viri, qvorum parentes & patria ignoratur: & neqve scientiam, neqve conscientiam aliqvam habentes, omnium virtutum expertes; & deniqve nullius pretii, ad summum tamen statum perveniunt: & postqvàm eò pervenerunt, cæteris sunt deteriores.

Idem. DEUS curam gerens humani generis, non solùm oraculis & prodigiis genus humanum admonet; verùm & auguriis, & aliis præmonitionibus. Multa enim sunt, qvæ ex industriâ humanâ sciri non possunt. Qvare DEUS & natura non deficientes, in necessariis, qvæ per causas & ingenia humana perscrutari non possunt, vel vix possunt, per signa diversa & instrumenta homines admonent, & ea multiplicant, ad majorem certitudinem. Unde in nativitate Augusti, Alexandri, & aliorum, qvot vaticinia, qvot prodigia in elementis? Cur corvus malum & turtur aut grus bonum, pica, tacens garrula aliud significat? Imp. Anno Rudolpho 2. Papa Greg. 13.

Qvirinus Reutter, 1585.

PRodiit hoc tempore liber de Cœna DOMINI, sub nomine hujus Qvirini concionatoris, qvi tamen revera Casparô Peuceri Medici esse dicitur. In eo inter alia, etiam Lutherum insimulare contendit inconstantiæ in sua de Cœna DOMINI sententia: sed refutatus est tum à Merlino D. Theol. cum deinceps à Facultate Theologica Wittembergensium, anno 1598. In qvo (Theol. Wittemb.) libro inter alia & hoc notandum est: Peucerum deprehensum, qvòd clàm vellet alium præter Lutheri Cathecismum introducere in scholas, hoc ab Augusto Electore accepisse mandatum: sciam esse S. C. voluntatem & sententiam; ut suam Peucerus tractet medicinam, & vitrum urinarium inspectet: atq; p. 957. missas faciat causas Theologicas. Facturum igitur se hoc in reliqvum, submissè Peucerus promisit: & rogavit, ut S. C. clementissimus ipsi Dominus esse vellet. Imp. & Papa ut suprà.

De Prophetissa qvadam Moniali. 1585.

Antonius Cerda.

SCripsit Antonius Cerda, qvandam sanctimonialem Spiritu Prophetico præditam, non infeliciter hoc anno prædixisse de Papa Sixtô 5. eum contra Evangelicæ veritatis renatam doctrinam multa tentaturum: & ingentibus ausis conaturum, ut Romana Ecclesia amplificetur, & super omne qvod colitur, evehatur. Nam iste Pontifex Regem Navarræ, & Principem qvendam Condanum diro anathemate exautoravit, regnisqve exuit: & subditos ab eis deficere (abjurata fidelitate) compulit: regibus autem, & magnatibus reliqvis mandavit, ut illorum terras occuparent, & priores Reges tanqvam hæreticos perseqverentur & interimerent. Publica qvoqve scripta testantur, eum voluisse tres Principes Imperiales Electores excommunicare, eosqve dignitate Electorali privare, & substituere alios, Pontificios: consiliis tamen prudentium virorum admonitus, nec non & morte præventus, audaciam cohibere didicit.

In Bulla Sixti V. Papæ in Regem Navarræum Henricum, & Principem Condæum, inter alia dicitur. 1585.

PRonunciamus, illos esse hæreticos, in hæreses relapsos, impænitentes, hæreticorum duces & fautores, & læsæ Majestatis divinæ reos, & fidei Christianæ hostes: & privamus Navarræ regno hunc, & utrumqve: eorumqve posteros omnibus principatibus, ducatibus, dominiis, & feudis,

Anno dis, honoribus, & officiis regiis; fuiſſe, & eſſe inhabiles, & incapaces ad illa retinenda. Pag. 4. Ac pariter privatos, incapaces & inhabiles ad ſuccedendum in ducatibus, principatibus, ac regnis, & ſpecialiter in regno Franciæ: & ex abundanti nos illos illorumqve poſteros privamus in perpetuum, & inhabilitamus ad ſucceſſionem in ducatibus, principatibus, dominiis, & regnis, & ſignanter in Franciæ regno. Proceres, feudatarios, vaſallos, & cæteros omnes, qvi illis qvomodocunqve juraverint, ab ejusmodi juramento & fidelitatis & obſeqvii debito abſolvimus & liberamus: & interdicimus, ne illis audeant obedire. Imp. 120. Rud. 2. Papa. 234. ut ſuprà.

1585. *Impreſſa eſt ſeqvens Principis N. Legati funeſta & cruenta oratio ad Sixtum Papam, ſeorſim; & deinceps qvoqve cum actis belli, nuper inter Epiſcopum & civitatem Argentoratenſem geſti. Acerba tamen, & indecentia Papiſtarum convitia in ſanctiſſimum Imperatorem, meritò omiſimus.*

QVoniam hoc poſtremo ſeculo, DEO optimo Maximo viſum eſt, animum V. B. inflammare zelo, Eccleſiam ſuam non ſolùm ab omni impiarum hæreſeon ſcelere, ſed etiam ab hypocriſi, ipſarum certiſſima procreatrice, vindicandi: & jam felici rerum in Gallia & Sabaudia ſucceſſu, cœleſtem ſententiam pronunciatum iri, ſperandum eſt: in favorem ſanctiſſimorum & laudatiſſimorum conſiliorum ejus, cum confirmatione auctoritatis, qvæ pridem V. B. tributa eſt in omnes orbis Imperatores, Reges, ac Principes, qvantumlibet invitis eorum adulatoribus aulicis, putavit Sereniſſ. Dux N. Dominus meus Clementiſſ. Officii ſui eſſe, V. B. nonnulla remedia edocere, qvibus (diſſimulatione omni, & contumelia è medio ſublatis) ſumma tandem, qvæ in Germanico Imperio viget, impietas evellatur: præterea ſacratiſſimis ejus pedibus dedicare & offerre, qvicqvid ſereniſſimæ ſuæ familiæ ſuæ N. obtigit, aut obtingere unqvam poterit, virtutis, facultatum, aut virium, in piiſſimis Veſt. Beat. votis, mandatisqve exeqvendis, ad propoſitam Germaniæ repurgationem, in qvam paternus S. Pontificis amor, aſſiduaqve ſolicitudo non minùs, qvàm in Galliam extendi debet.

Itaqve me ad veſtram B. ablegavit, rogatum, conſiderare vellet, uti, poſtqvàm jam inde à N. ſub ejus Imperio Lutheri ſemen in terram projectum fuit, nefaria hæreſis eò progreſſa ſit, ut omnis impietatis atqve Atheiſmi fines ſuperaverit, cultumqve DEI univerſum, ac veram penitus charitatem inter Chriſtianos extinxerit. Unde non jam ampliùs ſacrum, ſed profaniſſimum Imperium appellari debeat, in qvo (religionis nomine) alantur & exerceantur centum genera horribilium blaſphemiarum, per ambitionem, negligentiam, flagitioſamqve conſcientiam Imperatorum N. N. inductarum. Anno

Qvorum alter interitum illum, qvem per Syncopen INTERIM vocant, imprudentiſſimè conceſſit: alter pluribus beneficiis confirmavit, qvæ in hæreticos ſuperioris & inferioris Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Ungariæ, Bohemiæ, Sileſiæ, Moraviæ, Luſatiæ, omnis abominationis ſentinam, contulit: p. 958. cujus qvoqve veſtigiis plena ſimulationum poſteritas deinde inſiſtere non eſt verita.

Nam cùm N. ſe in patris conſpectu, pro hæretico notorio aliqvandiu geſſiſſet, & his probroſiſſimis artibus proteſtantium Electorum gratiam adeptus, eorum ſtudio atqve operâ regnum Romanorum ſibi comparaſſet: ita Imperium rexit, ut, licet uxoris Imperatricis magis, qvàm DEI cauſa, recatholicatum ſe fingeret, tamen hypocriſis ſua mirum in modum hæreticis profuerit. Teſtis eſt hominum innumerabilis multitudo, Lutheranis illis concionibus ſeductorum, qvas in provincialibus ædibus Viennæ & Linzii, qvæ ſunt Auſtriæ urbes præcipuæ, haberi & fieri permiſit. Teſtes qvoqve ſunt tot Bohemi, aliiqve, falſa illa fratrum vel Picardorum doctrina infecti; qvibus exercitia ejus præter deteſtabilem Huſſitarum hæreſin conceſſit. Qvas omnes iniqvitates damnabili etiam morte ſua corroboravit, & tanqvam ſigillo munivit. Cuncta enim ægrotus & moribundus Sacramenta non modò neglexit, ſed apertè qvoqve ſaluberrimam confeſſionem, extremam unctionem, atqve adeò ſanctiſſimam Euchariſtiam rejecit, devotiſſimis Principiſſis, & matronis fruſtra inſtantibus.

Nec verò à patris, aut avi ingenio N. Imperii ſucceſſor, ullatenus degenerat. Nam eum magis uſu qvodam, qvàm conſilio Chriſtianum eſſe, nemo non agnoſcit, qvi videt, qvanto religionis contemtu patrem Spiritualem, ſive confeſſorium, qvinqvaginta milliaribus à ſe diſtantem alat, qvem vix ſemel in anno accerſat.

Qvod ad Hæreticos attinet, non minùs iis favet, eosqve fovet, qvàm pater favit fovitqve. Horum plena ſunt cuncta ejus oppida, cunctæqve provinciæ, tam Imperiales qvàm hæreditariæ, ne dicam, eam ipſam urbem, qvam inhabitat, adeò omni hæreſeωs genere conſpurcatam eſſe, ut è centum templis, qvæ ibi ædificata ſunt, vix decem Catholicam religionem admittant: reliqva hæreticorum uſibus applicantur. Neqve etiam per talem Imperatorem ſtetit, qvò minùs Trucſeſſius Apoſtata, poſſeſſionem Colonienſis Archiepiſcopatus retineret, & inceſtum unà cum hæreſi illuc inveheret, non ſine magno Imperii detrimento.

Etenim

Anno Etenim R. Illustrissimum, & Reverendissimum Electorem Coloniensem, nec milite, nec aliis rebus (qvibus facilè potuisset) juvare unqvam voluit, sed potiùs inhibuit, qvò minùs ei Dux Parmensis opem ferret, & jam succurrentem exercitum ab Imperio revocari mandavit. De Canonicis verò Argentinensibus excommunicatis & anathemisatis, palàm est, qvale supplicium sumserit, cùm eos adhuc bonis, ad religiosissimum capitulum spectantibus, liberè potiri sinat, nec ab ejusmodi inde repellere cogitet, nunc hoc, nunc alio modo negotium differens, & nescio qvibus (hypocrisi qvoqve sua laborantibus) commissariis subinde committens. Ita ut V. S. hinc cognoscere qveat, qvàm Dominus isti domui N. benedixerit, sub cujus Imperio Reipublicæ & Religionis status planè eversus est, qvem nemo deinceps instauret, aut erigat, nisi qvi caput omninò mutaverit, & in locum Hæreticorum fautoris N. alium bonæ stirpis virum, strenuum, devotum, pium, castum, hostem & flagellum hæreticorum suffecerit.

Ad id sanctum opus, & verè summo Pontifice dignum, serenissimus Dux, Dominus meus clementissimus, seipsum totum animo paratissimo consecrat, atqve etiam offert N. filium, in bellica & civili disciplina versatũ, agnatos Duces, N. N. N. fortissimos viros, eosqve maximo Imperio dignos, & ex Caroli Magni, fundatoris & protectoris Ecclesiæ, prosapia editos. Aut si V. B. malit aliqvem ex verè Catholicis N. Ducibus, suis affinibus, qvorum nullus est, qvi necessariis animi & corporis dotibus egregiè ornatus, pro Cathol. Archiepiscopalis Romanæ Ecclesiæ salute atqve incremento vitam & sangvinem liberaliter profundere non valdè expetat.

Porrò ad dirigendum tam arduum, tamqve sanctum institutum, oportet primò S. V. per suos secretos nuncios agere cum Principibus & Prælatis Germaniæ Catholicis, ut se simul fœdere devinciant, ad hypocrytas & Hæreticorum fautores exterminandos: permittereqve illis temporalium aliqvot ad beneficia spectantium bonorum deditionem, & pecuniæ qvæ nervus belli est, accumulationem.

Deinde Imperatori mandare, ut collectis copiis Canonicos Argentinenses ad obedientiam cogat. Qvòd si, facultatem ad tantum facinus sibi deesse, responderit, suumqve militem adversus Tucas ingruentes instruendum, ut prætexere solet, tum ad electionem novi Regis Romanorum procedendum erit, qvi hoc ipsum aggrediatur, & in ejus vices in repurgando Imperio suppleatur. Interea poterit eum V. S. monere, omnes hæreticos à suis ditionibus abligat, nec deinceps ampliùs cum illis consvetudinem habeat, sub pœna excommunicationis.

His peractis, ad creationem novorum Electorum facilè transibit S. V. in locum trium hæreticorum: nimirum ut pro Palatino Rheni, Sereniss. Bavariæ Dux Wilhelmus, vel ejus frater Ferdinandus assumatur: pro Electore Saxoniæ, Otho Henricus Brunsvvicensis, Princeps Catholicus, & ex antiqvis Saxonibus prognatus: pro Brandeburgensi Marchione, Ducis Clivensis filius: vel si qvos, magis aptos ac idóneos S. V. istis alios competitores opposuerit: certò sibi persvadeat fore, illos non modo nihil de sua hæresi atqve impuritate detrahant, aut minuant, sed potiùs in ea magis ac magis perseverent, & paulatim vetera, qvæ adhuc supersunt, bona Catholicis ob religionis libertatem intervertant. p. 959.

Qva verò ratione, sanctissime Dn. Pater, V. S. eam vim auri, qvam maximis acervis, tanta cura, tantaqve diligentia colligit & recondit, meliùs exponat? qvem deniqve præstantiorem thesaurum posteritati relinqvere possit, tanti præclari operis memorabili gloria? Dignetur ergò S. V. prudenter hæc omnia considerare, manumqve tam necessariæ repurgationi maturè admovere, dum V. B. vigor adhuc integer est; ac speret, DEUM suis actionibus benedicturum, viresqve aucturum, qvibus hoc illustre facinus ad felicem exitum perducatur.

Idem Serenissimus Dux, Dominus meus Clementissimus toto corde, totoqve pectore vehementer optat, inqve laturus, ut qvicqvam, qvod suarum partium, aut in se situm esse putabitur, meritò desiderari possit. Interea V. S. obsecrat, æqvi boniqve consulere velit id, qvalecunqve est consilii: qvod tam à multis seculis meditatum neqvaqvam antea manifestare visum est: dum enim S. V. expectaret, malos per se emendatum iri, non opus fore putabatur ejusmodi molestia crearetur. Dixi. Imp. & Papa, ut suprà.

Ordines Belgici. 1586.

AB Ordinibus Belgarum, cùm eis esset Gubernator Anglicus hoc tempore, cudebantur numismata, qvibus inscripta erat ex altera parte imago Simiæ, qvæ catulos suos ex immenso amoris affectu occiderat, cum hac inscriptione: LIBERTAS NE ITA CHARA, UT SIMIÆ CATULI. In altera parte sculptus erat vir, assistens igni, qvi effugere fumum cupiens, in ignem concidit; cum hac inscriptione: FUGIENS FUMUM INCIDIT IN IGNEM.

Notandum hîc est, hujus imaginis auctorem per eam significare voluisse id, qvod Horus Niliacus, & post eum Pierius Valerianus in Hieroglyphicis per Simias duas expresserunt. Nam cùm magnas opes (ut sunt hodiernæ Ecclesiæ) in ingratos & invisos conferri, sacraqve à Simiis nonnun-

qvam

Anno qvàm peragi, indicare voluissent; duas Simias pinxerunt se amplexantes; ut ibi. Qvid enim per Simiam veteres ostendere voluerint, ex Demosthene patet pro Ctesiphonte: ubi Æschinem tragicam Simiam dicit, qvòd personatus qvodammodo verborum gravitate bonus videretur, cùm alioqvin pessimus atqve iniqvissimus civis esset: & apud Dionem, Ciceronem ac Plautum, &c. Imp. 120. Rud. 2. Pp. 234. Sixto 5.

1587. *Castitas & continentia cujusdam Episcopi.*

ANte hoc tempus cùm Episcopo primario Medicus qvidam excellens, ad evacuandam omnem libidinem, remedium obtulisset: ille hoc aversatus ait, potiùs remedia & medicamina venerem incitantia ministra, qvæ vires ad plurimum usqve coitum protendant. Nam venereis actibus carere, integrum mihi non est.

Hic Episcopus etiam, cùm aliqvando Principem qvendam hospitio excepisset, meretrices suas mensæ adhibere non erubuit. Posset hic Episcopus nominari, si non nomini & familiæ parceretur.

p. 960 1587. *Leges veterum castitatis, pietatis, & paupertatis.*

QVondam juris Pontificii legis verba erant: ad divos adeunto castè, pietatem adhibento: opes amovento: qvi secus faxit, DEUS ipse Judex erit. Sed hæ leges jam dudum exoleverunt. Veteres ad reprimendam venerem, foliis vitilium cubilia substernebant: nonnulli garo ex piscibus, qvi sqvamam non haberit, qvòd incendia libidinum comprimeret, & irritos conatus faceret, in sacris usi sunt. Olim etiam si qvis ad Pontificatum evectus fuerat, ut castissimè sacrum faceret, cicutæ sorbitione se castrabat. Homines sordidi & polluti omninò arcebantur. Alexand. ab Alexandro.

1587. *Ananias Ieraucurius.*

EDidit hoc tempore Ananias Ieraucurius Latinam, eamqve accuratam catagraphen characterum ac notarum, qvæ binis haleculis impressæ fuerunt, qvarum major in Dania, minor in Norvvegia eodem die captæ sunt, nec ullæ præterea usqvam aliæ eo die in tota illa vastissima Oceani Germanici parte capi potuerunt, cùm tamen statâ illâ & solenni piscatione alias multa simul millia capi sint solita. Ambæ autem evidenter, & ad vivam penè carnem usq; profundè impressis characteribus atris ad latera insignitæ: qvoqve minùs prodigium oblivione sepeliretur, non sine DEI nutu ad Potentissimum & Orthodoxum Daniæ & Norvvegiæ Regem Fridericum, Christiani F. utraqve halecularum transmissæ. Unde occasionem nactus Ananias, lucubrationem ea de re suam illam Regi dedicavit, hoc inscriptam & evulgatam titulo: explicatio characterum, qvi inventi fuerunt in lateribus duorum halecum, auctore Anania Ieraucurio, ad Serenissimum Regem Daniæ. Inciderunt hæc in annum Christi 1587. diem Novembris 21.

Verùm de toto hoc negotio præstat ipsiusmet Ananiæ verba adscribere. Misit ad me, inqvit, amicus & familiaris meus figuram duorum halecum, qvæ capta fuerunt à piscatoribus, unum in Dania majusculum, alterum in Norvvegia. 21. Novembris, 1587. qvo mense solent ipsi Danica expiscari, multaq; millia capere. Verùm eo die capta fuerunt tantùm duo in duobus diversis locis. Et ea erant certis characteribus nigris, ad carnem usqve profundè adhærentibus insignita, fuerantq; ad Regem Daniæ missa. Et is, qvi ad me miserat, postulabat, ut hos characteres ostenderem viris doctis, & peterem eorum super hac re judicium, simulqve meam ad ipsum mitterem sententiam, uti sciret, qvid mihi de his characteribus videretur. Hæc ille in libello suo.

In Præfatione verò ad Regem, ipsum non potest, inqvit, carere prodigio, qvòd pisces characteribus, veluti DEI digito insculptis, insigniti capti fuerint, duo in duobus locis, uno eodemqve die; & nulli alii capi potuerint eo die, qvo ii capti sunt: cùm alioqvi multa millia capi soleant. Cætera, & qvid portendant, vide apud authorem ipsum: sunt enim nimis prolixa.

Laurentius Faustus in Anatomia statuæ Danielis. 1587.

HIc cum aliis affirmat, historiam Johannis 8. fœminæ & Papissæ veram esse, & recitat antiqvum carmen de ejus puerperio:

Papa pater patriæ, peperit Papissa papellum.

Singulari qvoqve mysterio factum, idem asserit: cùm Electoratus Saxoniæ sertam rutaceam pro insignibus habeat: & ejus naturæ ac virtutis ruta sit, teste Plinio & aliis, ut, ubicunq; locorum ea nascatur, nullum animantis venenosum genus ibi degere possit: eodem modo, cùm Evangelium virus nullum ferre qveat, & non nisi mundos amet locos, illic potissimùm doctrinam Papisticam cum Lutherana diutius neutiqvam constare potuisse, sed ut emarceret necesse habuisse. Imperat. 120. Rudolph. 2. Pp. 234. Sixto 5.

Andreas Langius. 1587.

AUctor iste in libro de Beatitate hos seqventes articulos contra Ecclesiam Romanam scripturæ rationibus edito libro defendit.

Anno 1. Qvòd Papa sit Antichristus.

2. Qvod, qvi re ipsâ vereqve sunt Papistæ, sint plane Antichristiani.

3. Qvod Papistæ non ex animo ac sincerè in Christum credant.

4. Qvòd doctrinam de fide in Christum calumnientur.

5. Qvòd eandem doctrinam extremè & tyrannicè perseqvantur.

6. Qvòd falsam è contrario religionem atqve traditiones pertinaciter propugnent.

7. Qvòd non, ut Christiani debiles, in peccati præventi à carne ruant: sed qvòd immanissima qvæqve scelera, & teterrimas impietates asserere aggrediantur. Imp. Rud. 2. Papa Sixto. 5.

1561. 1587. *Sigismundus Svevus in speculo vitæ Humanæ.*

Sub finem anni 1314. qvo Cometa cœlo visus fuerat, dira fames & summa annonæ charitas extitit per triennium durans, maximè verò anno 3. ingravescens: qvod innuit antiqvus ille versiculus:

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CU-CULLUM.

Hoc est, ne qvenqvam latere possit tempus venturæ famis & caritatis, qvilibet probè perpendat voculam CUCULLUM, lugubrem vittam hic significantem: literæqve ejusdem vocabuli numerales omnes apprimè monstrant annum 1315. Maximè fuit hic annus difficilis, qvi cucullos & alias vestes lugubres gestandi, omnibus sufficiens causa esse potuit. Imperatore Rudolpho 2. Papa Sixto 5.

1587. *Cornelius Callidius Chrysopolitanus, Johannes Lensæus, Cunerus Episcopus Leonardinensis.*

Hi docent: maximam & indubitatam servari regulam hanc; Regem neutiqvam teneri promissa subditis rebellibus præstare: cùm veri legitimiqve hostes non reputentur, verùm rebelles, seditiosi, & ut ipsi affirmant, proditores: imò in naturæ legem peccari, cùm eis fides servatur. De qvibus plura apud Meteranum.

1587. *Richardus Dinonthus in Chronico.*

Landtgravius Hassiæ Legato Regis Galliæ ejusmodi responsum dedit: Se qvàm maximas Regi gratias agere, qvòd amicitiam, qvæ perpetuò fuit Franciæ Regibus cum Landtgraviorum Hassiæ familia in memoria habeat: se, in ea amicitia confirmanda & conservanda, suo officio non defuturum. Qvòd autem per Legatum suum declaret, postulantibus trium ordinum delegatis, in Comitiis Blesii congregatis, ne ullius religionis præterqvàm Catholicæ Romanæ exercitium permitteret in suo regno, reformatæ Religionis exercitium non ampliùs patiens; existimare, nihil optabilius Christianis videri, qvàm, ut DEUS permitteret per suam clementiam & benignitatem, hanc Religionem Romanam talem esse, qvalis à principio fuit annunciata, & plantata Romæ per Apostolorum Paulum, sicuti videre licet in epistola ad Romanos, & non tantùm in Gallia altas radices egisset, sed in omnibus terræ partibus purè conservaretur.

Sed manifestum esse, religionem Romæ (post tempora Apostolorum, & tunc maximè, cùm Pontificis Romani authoritas adeò crevit, ut superare voluerit Imperatorum Regumqve potentiam, eosqve suæ censuræ subjicere) multis corruptelis, erroribus, & idololatriis adulteratam fuisse: de ea corruptione multos bonos viros non solùm his, sed priscis etiam temporibus graviter conqvestos fuisse, & summopere exoptasse, utilem, & seriam Ecclesiæ reformationem fieri, sed inutiles atqve irritas ipsorum qverelas, & vota inania extitisse, qvemadmodum multorum seculorum historiæ testantur, Pontificibus judicium omne atqve censuram fugientibus.

Hac de causa coactos fuisse patrum nostrorum ætate pios viros apud multas Europæ gentes, ut paci conscientiarum consulerent, & divino Præcepto de fugienda idololatria obedirent, ab obseqvio & observantia Romanæ sedis se subtrahere, & Ecclesiæ reformationem talem instituere, qvæ esset conformis & consona Propheticis, ac Apostolicis scriptis, cùm eam à Prælatis non potuissent impetrare: ratione cum Scriptura sacra dictante, æqvum esse, magis obedire DEO, qvàm hominibus. Imperatore Rudolpho 2. Papa Sixto 5.

Idem ex Cromero lib. 6. Matthæus Cracoviensis Episcopus, gulæ ventriqve deditus, Boleslai Crispi nuncium, subsidium adsumtus belli postulantem, ad latrinam duxit: & spurcè ac inverecundè, ibi facultates suas reconditas esse, dictitavit.

Idem de varia stulticia: Angelotus Cardinalis, cùm ejus advecti vini portorium Florentinæ ex more exigeretur à publicanis: rejectis precibus (qvia sacrati viri immunes erant, & deprecari tantum tenebantur) cados omnes extra portam per humum effundi jussit, hoc pacto à tributo & servitio precario se liberans.

Rudolphus Hospinianus. 1587.

Scripsit hic librum de Origine, progressu, usu & abusu Templorum, ac rerum omnium ad Templa pertinentium; in qvo inter alia ait: Duo præterea observanda veniunt. Primum, qvòd post ultimum excidium

Anno cidium urbis & templi Hierosolymitani, illud nemo amplius instaurare, aut rursus extruere potuerit: juxta Servatoris nostri vaticinium: Non relinqvetur hic lapis super lapidem. Cùm enim sub Ælio Adriano Imperatore, circa annos nati Christi 134. Duce Barchochaba, patrium solum occupare, & instaurare conarentur Judæi, ad Betheram vicinum veteri Hierosolymæ oppidum, miserabiliter cæsi, & omnes simul è patrio solo migrare coacti sunt.

p.962.

Inde verò Betheram Adrianus muro cinxit, urbemqve a seipso Æliam nominavit, & portæ, qvâ Bethleem itur, suam marmoream imposuit, in Judaicæ gentis, & religionis contemtum. Et hæc illa Hierosolyma est, qvam hodie stulti & superstitiosi homines per longa terrarum & marium itinera invisunt: cum tamen, veterem illam ab aliqvo instauratam esse, nuspiam legatur: & proinde, qvæ de Hierosolymæ sacris locis dicuntur, nihil qvàm putidissima Monachorum, & hominum superstitiosorum commenta sunt.

Deinde cum Constantino regnante apud Diocæsaream iterum rebellarent, à Gallo Cæsare horribili clade deleti, unà cum urbe sua perierunt, circa annos salutis 358.

Cum primis tamen memorabile est, qvod mox vix novem annis ab eo tempore evolutis, accidit, qvando Juliano Apostata, in Christi contumeliam ipsos excitante, & sumtus conferente, templum magno conatu reparare ausi, ultricem DEI manum agnoverunt ex portentosis & horrendis prodigiis, qvæ acciderunt, qvæqve Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. 3. cap. 33. commemorat.

Primò enim terræ motus veterum fundamentorum lapides, qvi ab excidii tempore in terra adhuc reliqvi fuerant, ejecit, adeòqve, ut Gregorius Nazianzenus in oratione prima infamatrice in Julianum loqvitur, evomuit, & non sine vicinarum ædium detrimento dissipavit. Deinde ignis cœlo delapsus opificum instrumenta exussit & multos Christi divinitatem invitos fateri coëgit. Tertiò tellus, qvam interdiu hominum aliqvot millia effodiebant, noctu vel succrevit iterum, vel in pristinum locum reversa est. Qvartò gypsi & calcis modios, ad futuri ædificii structuram ingenti multitudine congestos, subitò exorti venti validissimi dijecerunt. Qvintò, illis nihilominùs pergentibus, ignis ex fundamentis erumpens fossores aliqvos adussit, reliqvos verò dissipavit. Sextò porticus operi vicina, noctu ab ipso fastigio corruens, multos sub ea dormientes oppressit. Septimò, lapides aliqvot conjungi conglutinariqve non potuerunt.

Et ne ignorare possent, qvo authore, & qvibus de causis ista omnia fierent, eadem nocte & seqventi die crucis signum rutilo splendore coruscans in cœlo apparuit: Judæorum autem vestibus cruces luridæ, vel nigræ aspersæ sunt: ut nimirùm, Christum sibi infestum esse, scirent, qvi nostræ salutis ergò à Judæis in cruce morte affectus fuit: refert etiam Nicephor. lib. 10. cap. 1.

Anno

Alterum, qvod hoc loco observandum dixi, est, qvod eodem tempore in alia Orbis terrarum parte, Delphicum templum, qvod Ethnicis præcipuum fuit, non hominum manibus: sed divinitus terræmotu & fulmine deletum est, cùm Julianus legatos eò misisset, de Persici belli eventu rogatum: ut indicant Theodoretus lib. 3. cap. 11. Sozomenus lib. 5. cap. 19. 20. & 21. Sæpè antea direptum & aliqvoties deletum est Delphicum hoc templum, sed rursus extructum & ornatum, sicut & Hierosolymitanum. Primi narrantur Phlegyæ, qvi fuerunt in Thessalia Lapitæ, combussisse illud. Deinde partes aliqvas Xerxis milites. Postea Phocenses ipsi, & iterum Brenu exercitus incendit. Toties & restaurationes factæ sunt. At post hanc eversionem factam divinitus, Juliani tempore, nunqvam deinde instauratum fuit, sicut indicat Melanchthon in Chronol. lib. 3. in Juliano.

His duobus illustribus miraculis eodem tempore editis, DEUS testari voluit suam iram adversus Judæos & Ethnicos; & simul significare, tempus adesse, qvo Judaismus & Ethnicismus perire: filii autem sui regnum surgere & crescere debeat. Et sanè constat, ab hoc tempore confusam illam Deorum multitudinem attenuatam, & ceu phthisi qvadam, qvod futurum esse Sophonias cap. 2. prædixerat, paulatim consumtam fuisse adeò, ut ex triginta millibus Deorum (qvos inter gentes cultos fuisse, ex Varrone D. Augustinus annotavit) vix paucorum qvorundam nomina reliqva manserint. Constat præterea, ab hoc tempore cessavisse etiam Oracula, qvæ Ethnicæ religionis præcipua fulcra fuerunt eò, qvòd his Deorum fictitiorum potestas, & eorundem nefarii cultus confirmarentur apud rudes & imperitos homines, qvi veri DEI cognitione destituti, imposturas Satanicas non poterant agnoscere. Testantur certè sanctorum Patrum libri Apologetici, Christianis inter alia crimina hoc ceu præcipuum ab hostibus objectum fuisse, qvòd neqve Dii suam virtutem, ut prius exerant, neqve per Oracula respondeant, ex qvo Christus prædicari cœperit. Imperatore Rudolpho secundo. Papa Sixto qvinto.

Idem. Astutiores me herculè sunt Jesuitæ in hoc qvoqve, qvàm reliqvi Monachi,

 qvòd

Anno qvòd de multis miraculis, abs se suisqve editis, gloriati sunt inter eos, qvibuscum habitârunt atqve vixerunt, à qvibus tamen facilè fraus & impostura deprehendi non potuit: cùm nescirent illi, aut unqvam simile accidisse, aut fraude aliqva & dolo ea perpetrata fuisse. Jesuitæ igitur apud nos in Europa commorantes, multa spargunt de suorum miraculis, apud Indos & Antipodas editis, ne falsitas cognosci possit. Qvis enim, ad hæc cognoscenda explorandaqve, eò usqve excurreret, aut penetraret? Tam larga autem hic Ordo incrementa brevi temporis spatio, hypocrisi aliisqve artibus, sumsit, ut glorientur Jesuitæ, se hoc tempore habere per orbem terrarum 156. Collegia.

p. 963. Idem. Flere & loqvi interdum putantur imagines seu statuæ, cum oleum à sacrificis infusum statuæ ad exteriora penetret, & pro lachrymis habeatur, aut iidem per arundines imaginibus admotas qvæ volunt loqvantur. Sæpè etiam creditum fuit, animas ex purgatorio rediisse, & in cœmiteriis oberrasse: cùm, rei veritate deprehensa, impostura alicujus Sacerdotis fuerit, ad emungendum argento homines nefariè excogitata: ut non injuria Nicolaus Lyra in 14. cap. Danielis hac de re conqveratur dicens: in Ecclesia DEI populus sæpè à Sacerdotibus decipitur fictis miraculis, lucri causa. Cujus generis plurima apud Gentes qvoqve accidisse legimus.

Cùm enim sub Constantino & Theodosio statuæ everterentur, repererunt aut mortuorum corporum ossa, atqve arida crania, incantatorum perversitate imposita: aut panniculos, fœda abominatione sordidos: aut fœni & stipularum fasciculos, ut testatur Eusebius libro 3. de vita Constantini. Per statuas etiam incantatores suas exercuisse fraudes, idem indicat libro 9. histor. Ecclesiast. capite 3. ubi de Theotechno refert, qvòd incantationibus suis effecerit, ut statua qvædam Jovis mirabilia edere visa sit. Ex adytis qvoqve per cuniculos in statuas prorepsisse, indeqve responsa dedisse, author est Theodoretus libro 5. cap. 22.

Hìc nec illud prætereundum videtur, qvòd multa miracula à Monachis etiam, inertissimo superstitiosissimoq; hominum genere, conficta sint, ut qvæstum inde uberiorem facere qveant: cùm tamen nihil unqvam simile acciderit. Ea verò res in causa fuit, ut authores posterioribus seculis, ejusmodi rumores & fabulas, ab aliis excogitatas & confictas, ex Monachorum libris aliisqve apocryphis hauserint, & historiis superiorum temporum sine omni judicio inseruerint. Hujus generis miraculosas narrationes apud Zonaram, Nicephorum, Paulum Diaconum, & Vincentium inprimis, aliosqve posteriores historicos plurimas reperias, qvibus haud facilè sine suspicione falsitatis fidem adhibeas.

Idem. Et qvid hodie Jesuitæ non audent? qvi cum videant multa, cum ex partibus tum ex historiis, aliorumqve scriptis; suis decretis, placitis, scriptis, dictis & factis repugnantia & oppugnantia: terras mariaqve peragrantes, & bibliothecas omnes perlustrantes, id sibi juris ubiqve sumere non erubescunt, ut Patrum & historicorum, cum veterum tum recentiorum, scripta interpolent; voces, sententias, qvin integras paginas addant, assuant, detrahant, mutent, mutilentqve pro arbitratu, seu libidine sua, qvod ipsi, honesto scilicet nomine, libros repurgare vocant. Hæc autem non à me ficta, sed verissima esse, lector intelliget ex Indice repurgatorio librorum, à Jesuitis compilato: ubi qvodlibet suo calculo mutant, suaqve sufficiunt. Expergiscimini igitur Ecclesiarum Pastores, & Sholarum Doctores, huncqve conatum, hocqve facinus Jesuitarum diligenter attendite, & oculis notate, ne qvid Ecclesiæ & Scholæ, vestræ curæ commissæ, detrimenti inde accipiant.

Idem. Abbatis-cellæ (pagus est decimo tertio Helvetici fœderis) qvidam supremum Magistratum gerens, qvem Landammanum vocant, commatrem suam uxorem duxerat. Qvia verò talia matrimonia in Pontificiorum legibus prohibita sunt: Sacerdos ejus loci hoc qvoqve publica benedictione confirmare noluit. Ammanus igitur Romam ad Pontificem proficiscitur, & qvod leges prohibent, id ipse (interveniente auro) facilè à Pontifice impetrat. Reversus domum, ostenso privilegio, sine mora matrimonium ejus benedicitur & confirmatur. Mox verò à Magistratu toti genti indicitur concilium, in qvo unanimi omnium consensu decretum fuit, ut, qvod Landammanus pecunia impetrârit, sibi qvoqve impunè, non exspectata Romani Pontificis authoritate liceat.

Idem de statu eorum temporum, qvibus Mendicantes Monachi exorti sunt. Hæc, qvæ huc usq; commemoravimus, cùm ita sint, ut inficiari non possunt: mirum certè videri nemini debet, adventum Mendicantium Monachorum horrendis prodigiis significatum fuisse à DEO hominibus. Nam circa annum Domini 1150. qvando Augustinenses exorti sunt, fames maxima universam Europam afflixit, cujus etiam Platina in vita Anastasii IV. meminit. Eclipses etiam fuerunt tàm Solis, qvàm Lunæ, Masseo teste, qvas secuta sunt fulgura, tonitrua, & pluviæ, tempestasqve horrida cœlum commovit & undas. Balæo auctore Gent. 12.

de

Anno de script. Brit. cap. 64. in Append. de Romanis Pontificibus.

Significare autem solet DEUS duorum illorum mundi luminum, Solis & Lunæ, defectu nostra delicta, qvibus DEUM ejusqve legem & verbum derelinqvimus, qvibusqve à DEO ad Satanam, à luce ad tenebras, à vero ejus cultu ad superstitiones & varias idolomanias deficimus, gloriam divinam obscuramus, & sangvinem JESU CHRISTI pedibus conculcamus.

Et sanè Funccius in Chronolog. refert, anno Christi 1154. Cal. Octobris Solem per integrum diem obscuratum fuisse. Terra qvoqve iisdem temporibus sæpius contremuit. Anno 1156. Calend. Junii grandinis vehementia & tempestatis vis adeò invaluit, ut non modò segetes perderet, arboresq; dejiceret, sed ædificia qvoqve & munitiones plurimas humi sterneret, & campanas aliqvot turribus deturbatas confringeret, ut Urspergensis indicat. Signum etiam crucis in Luna apparuit: Vincentio & Ranulpho lib. 7. cap. 22. in Polychronico testibus: qvod absqve dubio crucem, afflictiones, & pericula, Ecclesiæ à Mendicantibus Monachis imminentia, significavit.

1964 Anno 1197. Non. Septembris ut Erdfordiensis habet, cœlo serenissimo tres soles, & paucis pòst diebus totidem Lunæ conspectæ sunt, & in Luna medium locum occupante crux maximi candoris apparuit. Astrologi vaticiniati sunt hinc discordiam inter Cardinales de creando Pontif. Max. ac inter Electores in Imperatore eligendo. Sed dubio procul portendit etiam semina discordiarum, qvæ Monachi isti in Ecclesia longè lateqve sparserunt.

Anno 1162. qvando Carmelitæ in Europa increbrescere cœperunt, tanta maris exundatio oborta est, qvanta à diebus antiqvis non est audita, in qva multa millia hominum & jumentorum perierunt: Helmodo auctore lib. 2. cap 1. de Sclavis. Nec multò pòst Oceanus limites suos egressus per duodecima milliaria, multa hominum millia utriusqve sexus, & diversæ ætatis, maximè verò circa Visurgim, absorpsit, ut Trithemius in Chronic. Hirsaugiens. testatur. Lupi qvoqve incredibili ferocia parvulos ab uberibus maternis raptos, crudeliter devorârunt: Vincentius lib. 29. cap. 16.

Anno reparatæ salutis 1204. qvo nati sunt primùm Dominicani, sangvinolentum Monachorum genus, & Albigensium, vitiorum Cleri insectatorum hostes acerrimi, Calend. Aprilis tantus rubor in cœlo apparuit, ut ignis ab omnibus crederetur: Balæo teste Cent. 3. cap. 57. in Appendice ex Mattheo Parisio. Eodem anno Lutetiæ, qvò non diu pòst Prædicatores penetrave-runt, turbo repentè exorsus est, ut mundi machinam corruituram, existimarent: Sebastianus Franck authore libro 3. de hæreticis. Anno

Anno 1207. qvando Franciscus sub Evangelii fuco Minoritas generavit, ventus repentinus domos, & arbores prostravit, ut prodidit Johannes Everisdenus Monachus. Seqventi anno cœlum in Anglia igne rubescente micans, horis sex continuis visum est: Polydorus libro 5. Flumina etiam passim majorem in modum exundaverunt: Epitome mundi. Eodem anno tanta aqvarum inundatio fuit in Galliis, ut id seculum majorem non viderit. Anno 1209. tonitrua horrenda, imbres impetuosi extiterunt: hyems asperrima & diuturna seqvuta est: hinc fames & rerum necessariarum penuria inaudita: Chr. Hirsaug. & Nauclerus Generat. 41. Anno 1213. pestilentissima lues majorem in modum sæviit Romæ, ut decimus qvisqve vix remaneret superstes: Chr. Ful.

Anno 1224. qvo Dominicani fratres ex Italia in Angliam primò venerunt, multæ pluviæ & tonitrua fuerunt, & grandines ceciderunt instar lapidum qvadrangularium, ad ovorum qvantitatem, qvibus arbores, vineæ & segetes sunt destructæ, atqve homines contriti. Aves etiam per aëra volitantes, carbones ignitos rostris deferre, & domos incendere videbantur: Balæus Cent. 3. capite 84. in Appendice ex Londinensi Chronico. Idem ibidem ex Matthæo Parisiensi hæc refert: Mirabiles in Anglia fuère tempestates, & horrenda tonitrua, ventus furibundus, & segetum suffocatio, qvæ ædificia diruerunt, Ecclesias & arbores prostraverunt, & naves submerserunt.

Idem capite 91. ejusdem Centuriæ in Appendice inqvit: Anno Domini 1226. qvo Franciscani fratres ex Italia in Angliam venerunt; supervenit ventus à septentrione, qvatiens domos & pomæria, hos Minores sine dubio prænotans: ex Londinensi Chronico. Anno 1227. in montibus Salviis terra usqve adeò commota est, ut ex ædificiorum ruinis ad hominum qvinqve millia perierint. Ex montium lateribus magnæ moles avulsæ, in subjectas valles non sine cùm hominum tum pecudum detrimento provolutæ sunt: Platina in vita Honorii III. Sabellicus Enneades 9. lib. 6.

Anno 1228. tantæ tenebræ ex solis deliqvio obortæ sunt 6. Junii, ut noctem esse crederent, & stellæ in cœlo apparerent: Schædelius ætate 6. Ea hyeme cœlum flammis coruscavit, turres & templa fulmine tacta fuerunt: Polydorus libro 16. Anno 1230. in die Conversionis Pauli, dum Episcopus Londini ad altare staret, subitò obscuritas venit. Auditur fragor tonitrus. Fe-

Anno tor intolerabilis [illegible] mplum interiùs replet. Flamma per horæ dimidium columnas & muros lambebat, tanqvam velum vento agitatum: Balæus Cent. 3. cap. 93. ex Matth. Parisiensi. Anno 1234. fames in Gallia, maximè in Aqvitania, tanta extitit, ut homines herbis, boum instar, vescerentur: Vincent. libro 30. cap 137. Anno 1236. variæ hominum formæ in aëre visæ sunt: Polydorus libro 16. Anno 1238. stella immensæ magnitudinis apparuit per aliqvot dies ante solis ortum, qvæ per longum cœli tractum veloci crebroqve cursu ferebatur, modo ignem præ se ferens; modò fumum post se relinqvens: ibidem.

Anno 1240. qvo Carmelitæ fratres in Angliam primò venerunt: hominum & animalium lues, ac totis mensibus tribus siccitas, reliqvis seqventibus densi & continui imbres extiterunt, qvos summa rerum omnium penuria subsecuta est. Belluæ marinæ in littore Anglico inter se visæ sunt pugnare: Balæus Cent. 4. cap. 1. in Appendice, ex Parisiensi. Anno 1241. tanta solis eclipsis facta est pridie Non. Oct. ut ipso die stellæ in cœlo conspicerentur, juxta Flores temporum. Anno 1242. stellæ magno numero de cœlo cadere visæ sunt: Balæus Cent. 4. cap. 3. in Append. ex Matth. Vuestmonasterio.

Sed tempus me deficeret, si omnia ostenta, prodigia, miracula, bella, famem, & similia, qvæ circa exortum & propagationem Mendicantium Monachorum acciderunt, commemorare vellem. Impletum est ergò id, qvod futurum prædixit Dominus in Johannis Apocalypsi capite 6. si abjecto & conculcato verbo suo, fabulis hominum credere mundus voluerit: vide locum [illegible].

p. 965. Observarunt tristissima hæc tempora istis qvoqve diebus multi boni & pii viri. Unde qvidam laicus Jordanem, generalem Prædicatorii Ordinis Magistrum primum post Dominicum, interrogavit, qvid causæ sit, qvòd post adventum Prædicatorum & Minorum, nulla ampliùs fuerit bona tempestas, nec terra produxerit fructus tanta copia, ut antea? Sed ei respondit Magister: Hoc justo DEI judicio fit. Postqvàm enim nos venimus in mundum, docuimus mundum fugere peccata, & cognoscere, qvæ antea non cognoscebant: sed ab illis nolunt cavere: unde sunt illis graviora, qvòd peccatum, scienter commissum, gravius est. Propter peccata verò hominum DEUS immittit sterilitatem, juxta Prophetam: Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. Et dico vobis, nisi corrigatis vos, ex qvo scitis, qvid facere debeatis, graviùs puniet vos: ille enim, qvi non mentitur, dicit in Evangelio; Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis: ut Antoninus refert tit. 23. cap. 9. §. 5.

Argutè qvidem hic: verùm cur idem Anno responsum non hodie à nobis qvoqve recipiunt, qvi subinde nobis intonant bella, cædes, lites, discordias, famem, caritatem, tempestates, & similia, qvibus DEUS, post Evangelii sui revelationem, ingratum mundum, & verbum ejus recipere nolentem, sed igne & ferro id persequentem, justissimo suo judicio gravissimè punit?

Thevet in Cosmographia, lib. 6. cap. 5.

IN Mecha Arabiæ urbe, nostrorum hominum peregrinationibus nobili, confluentes ex Persia, Ethiopia, Asia, Africa, Græcia, singulis annis, innumeri Mahumetani, postqvàm DEUM supplices oraverunt, ut ipsorum misereatur, & peccata eis condonet, tum per ministros ad hoc opus destinatos aqva toti perfunduntur: tres enim lagenæ plenæ in singulos exhauriuntur, qvo facto, nemo est, qvin certissimè credat, plenam sibi factam esse omnium criminum remissionem. Idem scribit Ludovicus Romanus in suis navigationibus libro 1. cap. 17. & de hoc plura in compendio meo orbis, si DEUS vitam annuere nobis dignetur.

Albertus, Abbas Stadensis, in Chronico. 1587.

AGathon I. natione Siculus, sedis annis II. Mens. V. Die IV. Obtinuit apud Constantinum, & Heraclium, & Tiberium, ut remitteretur qvantitas, qvæ dabatur pro Romani Pontificis electione facienda. Imp. 120. Rud. Papa 234. Sixto 5.

Idem fol. 188. Ecce habes (ô Firri) topographiam transmarinæ regionis & fortè ibis aliqvando sepulchrum Domini visitare. Tunc cogita, qvod dicitur:

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vix aliqvos vidi, imò nunqvam, qvi redierint meliores, vel de transmarinis partibus, vel de sanctorum liminibus: unde autem est hoc, propter DEUM? Puta ex eo, qvòd debita devotione nec exeunt, nec redeunt. Deberent enim tali cognitione proficisci, qvali essent de seculo migraturi.

Idem. Anno Domini M. LXXVII. surrexit qvidam Straceburgensis Episcopus, amicissimus regis Henrici, & velociter vadens Romam, diu qvæsitum Regem invenit inter memorias Martyrum diversantem. De cujus adventu Rex lætior effectus, cœpit percunctari de statu regni, aut si omnia in pace consisterent? Cui ille indicavit, novum Principem electum, factuqve opus esse, ut qvanto citiùs Teutonicam terram reviseret, ad confortandos amicorum animos, & conatus hostium comprimendos. Cúmqve Rex prætenderet, neqvaqvam sibi sine licentia sedis Apostolicæ abeundum, ille

Anno ille respondit: Noveris certè, hoc omne conspirationis malum de fonte Romanæ perfidiæ manasse, imò si captionem evadere voles, de urbe tibi clanculò exeundum est. Egressus igitur ex urbe Rex, noctu
p. 966 exiit Italiam, firmatisqve pro tempore rebus in Longobardia, venit in Teutoniam. Lætati sunt de insperato adventu Principis omnes civitates Rheni, & universi, qvi favebant parti ejus. Ab initio autem res gesta est, ut seqvitur.

Idem. Anno Domini M. LXXVI. Colloqvium maximum apud Oppenheim factum est, ubi penè totius regni Principes, sed maximè Saxonum & Alemannorum, subjectioni Regis renunciabant, causam prætendentes, qvòd à duobus Apostolicis vocatus ad satisfactionem non venisset, & pro hoc contemtu sententiam excommunicationis in Romana Synodo accepissent: cùm ipse tamen inauditus & absens fuisset. Hac commotione coactus Rex, humiliter Romam, utpote veniam ab Apostolico postulaturus, inimicis non sperantibus, tetendit, inventoqve Papa in oppido Canusino, ibi per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu, discalceatus & lanis indutus, perstitit, nec priùs cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, qvàm omnium, qvi ibi aderant, precibus & lachrymis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesiæ receptus est, acceptis ab eo in futurum vitæ suæ correctionis securitatibus multis. Accepit igitur Rex in mandatis, ut anno integro Roma non discederet, eqvum non ascenderet, sed in veste humili circuiret limina Ecclesiarum, orationibus & jejuniis reddens dignum pœnitentiæ fructum. Qvod Rex humiliter adimplere satagebat.

Idem. Anno Domini M. LXXX. Bellum inter Heinricum & Rodulfum juxta fluvium Ellestram gestum est, in qvo Rodulfus vulneratus in manu dextra, fugit Merseburg, mortiqve jam proximus dixit ad familiares suos: videtis dextram meam de vulnere sauciam: Ecce hæc est manus, qvâ Domino meo Henrico fidem firmavi Sacramento, sed jussio Apostolica, Pontificumqve petitio, me ad id deduxit, ut juramenti transgressor, honorem mihi indebitum usurpaverim. Qvis igitur finis nos exceperit, videtis, qvia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergò hi, qvi nos ad hoc instigaverunt, qvaliter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitia damnationis æternæ. Et hæc dicens, diem clausit extremum.

Anno Idem. Anno Domini 1122. Calistus Papa revocavit in communionem Ecclesiæ Henricum Imperatorem, ab antecessoribus suis Paschale & Gelasio excommunicatum. Canonica autem authoritate sancitum erat, ne ampliùs sibi imperialis potestas usurparet copiam investiendi spiritualia, sed libera electio fieret à clero & à populo, & sic insigniretur regalibus per sceptrum: qvod Papa & Imperator confirmârunt: sicqve facta est pax & concordia in Ecclesia, & inter ipsos. Anno

Idem. In Concilio Lateranensi erant à Papa consecrati Episcopi duo Anglici, & duo Scoti: Unus solo eqvo venerat, alter pedes cum solo pedite. Erat ibi Episcopus Hybernicus, qvi Henrico, Scholastico Bremensi, retulit: se non habere alios reditus, præter tres vaccas lactantes, qvas in defectu lactis parochiani sui per alias innovarent.

Idem. Anno Domini M. C. VI. ab urbe verò condita DCCC. LVII. ab origine autem mundi, ut qvidam dicunt V. millesi. LVIII. Heinricus hujus nominis qvintus, LXXXIII. ab Augusto, XI. patris sui anno regnare cœpit, adhuc vivente patre. Mediante igitur Heinrico juniore, tantus apud Moguntiam factus est in natali Dominico totius regni Teutonici conventus, qvantus per multa annorum curricula nusqvam est visus. Referebant enim, qvi aderant, LII. optimates ibi tunc vel eo ampliùs, laicos affuisse, adeò, ut solus Dux Saxoniæ Magnus, qvem jam gravior ætas impediebat, defuisset. Ibi supervenientes Apostolicæ sedis legati, Episcopus scilicet Albanus cum Constantiensi, sententiam anathemathis in Heinricum seniorem, dictum Imperatorem, à tot sibi succedentibus Apostolicis sæpiùs promulgatam, scriptis simul & dictis testificantes, universam multitudinem, imò totam toto orbe diffusam Ecclesiam, ab ejus communione, Christi & beati Petri auctoritate, multis jam annis seqvestratam, confirmabant, & eò usqve sententia invaluit, ut Heinr[ic]o diadema tollendum, & ad filium decernerent transferendum.

Venerunt ergò Principes ad eum Hingelesheim, scilicet Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis, & Imperialia ab ipso exegerunt. Qvo reqvirente, qvare? objecerunt ei in conferendis Abbatiis & Episcopatibus Simoniam. Qvibus Imperator: Dic Moguntine, dic Coloniensis, per nomen æterni DEI, qvid à vobis receperimus? At illi dixerunt, nihil. Et Imperator: Gloria in excelsis DEO, qvia vel in hac parte inventi sumus fideles. Certè hæ maximè dignitates potuissent magnum qvæstum nostræ Cameræ impendisse. Dominus Wormatiensis novit, & nos novimus, utrùm qvæstu vel gratia ipsum receperimus. Nolite temerare fidem vestram: Ecce jam senio laboramus, sustinete modicum, & nolite in confusione nostram glo- p. 967

Anno riam terminare. Generalem curiam expetimus, si cedendum est, propriis manibus coronam filio resignabimus.

Illis renitentibus, habito parumper consilio, Imperialibus se vestivit, hæc dicens: hæc Imperialis honoris sunt insignia, hæc mihi præstitit æterni regis pietas, & Principum concors electio. Potens est DOMINUS, nos in his conservare, & manus vestras à cœpto opere cohibere, qvamvis simus armis & militia destituti. Securi enim de tali violentia nobis non præcavimus, sed terror DEI vos coërceat, qvos pietas non revocat. Qvòd si neutrum reveremini, ecce præsentes sumus, non possumus refragari. Hæsitant Pontifices: sed instinctu Moguntini accepto conamine, Regem adeunt, coronam de capite rapiunt, & de sede detractum cum omnibus Imperialibus exuunt. Imperator confusus sic ad eos loqvitur. DEUS ultionum DOMINUS videat, & vindicet, qvam facitis iniqvitatem. Ignominiam sustineo antea inauditam, sed delicta juventutis meæ luo à justo judice: sed vos immunes non eritis, qvia jusjurandum prævaricati estis. Non prosperetur honor vester, sit portio vestra cum eo, qvi tradidit Christum. Illi obturantes aures suas, recedunt: filio Imperialia deferunt. Et filius patrem expulit à regno.

Venit Imperator in Ducatum Limborch. in venit invenatione qvendam Principem, qvem eodem Ducatu privaverat. Hic ut audivit rem gestam, misertus est ejus. Collegit ergò 800. loricatos, & perduxit eum Coloniam. Colonienses receperunt eum, statimqve filius obsedit Coloniam. Crescente autem obsidione, Cæsar noctu elapsus fugit Leodium, & qvia ad eum plurimi convenerunt, statuit dimicare. Qvem cùm filius perseqveretur, statuit occursum ejus ad aqvas Masanas. Rogavit autem, ut, si victor existeret, filio parceretur. Commissum est prælium, & pater prævalens, fugavit filium trans pontem, & multi occisi sunt gladio, & aqvis plurimi suffocati. Denuò prælium instauratur, pater vincitur, & comprehenditur. Qvanta vir ille magnificus pertulerit opprobria, indignum est relatu. Petivit tandem ab Episcopo Spirensi, qvi amicissimus suus fuerat, ut præbendulam in Spira sibi conferret, ubi ipse gloriosum monasterium sanctæ Virginis construxerat. Sed Episcopo renuente, Cæsar suspirans cum lachrymis exclamavit: Miseremini mei saltem vos amici mei: qvia manus DOMINI me tetigit. Mortuus est autem Leodii, stetitqve in deserta capella inhumatus 5. annis. Tandem apud Spiram sepelitur.

Idem. Anno Domini M. CXI. Heinricus Rex juvenis, transcensis Alpibus, perrexit Romam cum ingenti armatorum multitudine. Paschalis verò Papa, audito introitu ejus, fecit accersiri numerosum Clerum, suscepitqve eum cum magno plebis tripudio. Ubi autem ventum est ad consecrationem, exegit ab eo Papa juramenta, qvatenus in Catholicæ fidei observantia integer, in Apostolicæ sedis reverentia promptus, in Ecclesiarum defensione sollicitus existeret. Sed Rex jurare noluit, dicens, Imperatorem nemini debere jurare, cui juramentorum sacramenta ab omnibus sunt exhibenda. Facta est contentio inter Papam & Regem, interceptum est opus consecrationis. Statim armatus Regis exercitus injecit manus in Clerum, exuentesqve eos vestibus sacris spoliaverunt. Romani videntes, injuriari Clerum, prorumpunt ad obsistendum, ortumqve est in Ecclesia beati Petri bellum tale, qvale non est auditum ab annis antiqvis.

Prævaluit autem exercitus Regis, attriveruntqve Romanos interfectione magna nimis. Et repleta est domus sanctificationis cadaveribus, profluxeruntqve de acervis mortuorum rivi sangvinis adeò, ut Tiberina fluenta mutarentur in colorem sangvinis. Papa verò & cæteri, qvi occisioni superfuerant, in captivitatem ducti sunt, Cardinales, funibus in colla missis, junctisqve post terga manibus, & de civibus immensæ catenatorum catervæ nudi deducti sunt.

Postqvam igitur profecti de Roma venerunt ad primæ mansionis locum, accesserunt qvidam Episcopi ad Papam, dicentes: Magnus dolor est cordi nostro, sanctissime Pontifex, de tanto facinore, qvod commissum est circa te, & clerum tuum, & cives urbis tuæ. Sed mala hæc, exigentibus nostris peccatis, improvisa magis, qvàm deliberata fuerunt. Consenti itaqve nobis, & complacare Domino nostro Regi, & perfice in eo opus benedictionis tuæ, ut & ipse complaceretur tibi.

Qvibus ipse respondit: qvid dicitis fratres? Virum hunc iniqvum, virum sangvinum & dolosum, à nobis dicitis consecrandum? Benè expiavit manus suas ad percipiendam consecrationem, qvi aras DEI perfudit cruore Sacerdotum, & domum sanctificationis replevit cadaveribus interfectorum. Absit à me verbum hoc. Cumqve illi dicerent, cautum esse saluti suæ, & eorum, qvi erant capti, respondit libera voce: Non timeo Dominum vestrum Regem, occidat corpus, si vult, ampliùs non habet, qvod faciat. Multum qvidem prosperatus est in cæde civium, & Cleri: sed dico vobis in veritate, qvia de cætero non asseqvetur victoriam, nec videbit pacem in diebus suis, sed nec filium generabit, qvi sedeat in throno ejus.

Cumqve hæc renunciata fuissent Regi, p.968. iratus est valdè, jussitqve omnes captivos decollari in facie Papæ. Ipse verò instanter hor-

Anno hortabatur eos pro justitia mori, promittens eis vitæ æternæ præmia. At illi unanimiter provoluti pedibus ejus, orabant dilationem vitæ.

Tunc Pontifex, largiter fusis lachrymis, contestatus est cordium conspectorem, se malle mori, qvàm cedere, si non præpediret ovibus Christi jure impendenda compassio. Fecit igitur, qvod necessitas imperavit, promisitqve, se Regem consecraturum, ut captivitas relaxaretur. Reversiqve in urbem Papa & Cardinales, fecerunt Regi secundum voluntatem ejus, extorto qvidem obseqvio, dederuntqve ei privilegium super omnibus, qvæ desideravit.

Idem. Veniente Rege Friderico prope Romam, miserunt Romani legatos suos ad Regem in castra, qvi dicerent, paratum esse Senatum, & universos cives urbis, ad eum excipiendum cum triumphalibus pompis, siqvidem Imperatorio more sese exhibuisset. Qvo percontante modum, qvo sese exhibere deberet, illi ajebant: Regem propter ad piscendum imperiale fastigium Romam venientem, decere venire more suo, hoc est, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curru suo Tyrannos bello subactos, & divitias gentium. Præterea oportere eum honorare urbem, qvæ caput est orbis, & mater imperii, & dare senatui, qvæ edictis præfixa sunt, videlicet xx. millia librarum argenti, ut per hoc suscitentur animi Senatus ad benevolentiam, & exhibeant ei honorem triumphalem, & qvem electio Principum regni creavit Regem, authoritas Senatus perficiat Cæsarem.

Tunc Rex subridens: Grata, inqvit, promissio, sed cara & dura emtio. Magna reqviritis, ò Viri Romani, de exinanita camera nostra. Puto autem, qvia occasionem qværitis adversum nos, imponendo non imponenda. Consultiùs vero agetis, si his omissis, amicitiæ potius, qvàm armorum ceperitis experimentum. At illi pertinaciùs instabant, jura civitatis nullatenus irritanda, alioqvin urbis introitum obserandum. Rex autem reverenter vocavit Dominum Adrianum Papam in castra, propter participationem consilii. Siqvidem Romani Papam in multis offenderant. Veniente ergò eo in castra, Rex festinus ei occurrit, & descendenti de eqvo tenuit strepam, duxitqve per manum in tentorium, factoq; silentio, locutus est Dominus Bauenbergensis Episcopus verbum ex ore Regis & Principum, dicens:

Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam, Apostolice Pontifex, sicut dudum sitienter desideravimus, ita nunc lætanter suscipimus, gratias agentes omnium bonorum largitori Deo, qvi nos deduxit, & adduxit in hunc locum, & sacratissima visitatione tua dignos fecit. Notum igitur tibi esse volumus, reverende Pater, qvia omnis Ecclesia, de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerit Principem suum ad tuam beatitudinem, provehendum ad culmen Imperii: siqvidem est nobilis, prudens, victoriosus, Deum timens, pacificus, catholicæ cultor fidei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerator. Ecce te venientem excepit intrepidus, sanctissimis tuis vestigiis humiliter inclinatus. Ergò venerande pater, tu circa ipsum peragas, ut qvæ ei desunt de plenitudine imperialis culminis, per tuæ benedictionis munificentiam suppleantur.

Frater, ait Papa, verba sunt, qvæ loqveris. Princeps tuus debitam beato Petro hac vice non exhibuit reverentiam: nam sinistram (Grande nefas scilicet, dignumqve Papali zelo.) nobis strepam tenuit, cùm dexteram debuerit tenuisse. Rex se excusat, asserens, se in tenendis strepis minimùm studuisse, & hunc defectum non ex indevotione, sed ex inscientia provenisse. Tu, inqvit, sancte pater primus es, qvem tali sumus obseqvio venerati. At Papa, Rex vester per ignorantiam minima negligit, qvomodo maxima expediet? Rex aliqvantulum motus ait: vellem instrui, mos iste verùm ex benevolentia sit, an ex debito? Si ex benevolentia, causari non potero super eo, qvod feci non de jure, sed de arbitrio. Si ex debito, qvid refert inter strepam dextram & sinistram, dummodò servetur humilitas, & Princeps ad pedes summi Pontificis incurvetur. Inter hæc & talia sine osculo recesserunt.

Rex iterum hortatu Principum Papam revocat, & reverenter suscipiens redeuntem, strepam dextram Papæ tenuit, & sedetunt. Omnibus super hoc exhilaratis, iterum Papa: Princeps, ait, vester reqvirat beato Petro Apuliam, qvam Wilhelmus Siculus per vim possidet, & sic ad nos redeat coronandus. Ad hæc Principes: Sancte Pater, supra vires nostras est, qvod postulas, attriti sumus laboribus & expensis, qvaliter nunc Apuliam reqviremus? Opus consecrationis impleas, ut sic ad patriam redeamus, & respiremus paululum de labore, postmodùm ad agenda, qvæ debemus, redibimus expediti. Papa consentit, consilium fit de introitu urbis, & cavendis insidiis Romanorum. p.969.

Dux autem Heinricus accessit ad Papam, supplicans, consecrari suum electum Geroldum. Renuit Papa, solicitatus per literas Archiepiscopi Hartuvici. Manè facto, præcedente Papa cum Cardinalibus, Rex venit cum omni exercitu suo, & Papa suscepit eum ad gradus, intrantesqve domum Petri, aggressi sunt opus consecrationis. Miles armatus vallabat templum, contra insolentiam Romanorum. Post consecrationem Imperator urbe egreditur, & mili-

Anno militia reficitur. Inter prandendum Romani irrumpunt in castra Ducis, proxima muris. Sed Duce cum suis fortiter resistente, victoriam obtinuit gloriosè. Papa ergò cum muneribus ei mandavit: Cras consecrabo electum tuum & factum est ita. F. Anno Domini 1155. Imper. Friderico 1. Papa Adriano 4.

Idem. Christianus Moguntinus & Philippus Coloniensis, per manum Hyacinthi Cardinalis receperunt nova pallia, refutantes omnem hæresin, & schisma, præcipuè Octaviani, Uvidonis, & Johannis, sic dicente qvolibet:

Ego, N. anathematizo & refuto omnem hæresin, extollentem se adversus sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam, præcipuè verò schisma Octaviani, Widonis & Johannis, & ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico, ac, & modò & in antea me obediturum, juro, promittoqve fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo Alexandro, & Successoribus ejus justè intrantibus, ipsiqve serviam absqve omni malo ingenio contra omnem hominem, secundum ordinem meum. (Ecce tibi mysteria Romanensia.) Consilia ejus, qvæ mihi scripto certo mandaverit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis aut membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam & reducam, & juvabo expensis. Sic me DEUS adjuvet, & sancta hæc Evangelia.

His verbis dabantur pallia: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & in honore DEI genitricis Mariæ, & sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli, & sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Domini Alexandri Papæ, tradimus tibi Pallium, sumtum de beatissimo corpore Petri Apostoli, ut eo utaris in confectione Sacramentorum, & Corporis & Sangvinis DOMINI, & consecratione Ecclesiarum & chrismatis, & ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum, secundùm Ecclesiæ consvetudinem, Amen. F. Anno 1070. Imp. Henr. 3. Papa Alexandro 2.

Idem. Papa in Concilio Lugdunensi scilicet die Jacobi, contra Imperatorem excommunicationis sententiam renovavit, & eum ab Imperiali culmine authoritate propria deposuit, & hanc depositionem per totam Ecclesiam promulgavit, præcipiens sub interminatione excommunicationis, ut nullus eum Imperatorem de cætero nominaret. Qva sententia per Mundum volante, qvidam Principum cum multis aliis reclamabant, dicentes, ad Papam non pertinere, Imperatorem vel instituere, vel destituere, sed electum à Principibus coronare. Interea Papa solicitari fecit Principes, qvos ad Imperium regendum credidit idoneos, ut aliqvis eorum onus Imperii sumeret & laborem, promittens ei, qvicunqve Imperium assumeret, consilium & auxilium pariter & favorem. Tandem Heinricus Landtgravius, cognomento Raspe, multis evictus precibus Imperium accepit. F. Imper. Friderico 1. Papa Alexandro 3.

Anno Idem. Papa Gregorius 7. insolentias Imperatoris Henrici 4. contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius solicitavit, sed nihil profecit, qvia qvidam Principum ei rescripserunt:

Non esse sui Juris, Imperatorem substituere, sed tantum, electum à Principibus coronare.

Idem. Johannes 22. ætatis suæ anno 90. Avinione moritur, relinqvens in thesauris suis ingentem vim auri atqve argenti: cujus recta computatio fuit aurearum drachmarum 105. millia: hoc est, millies 15. millia: qvod scripsisse arduum qvippe videtur, nec legitur aliis temporibus Ecclesia Romana fuisse locupletior. F. Anno 1134.

Idem. Anno Domini M. CC. XLVIII. cœperunt in Ecclesia DEI mirabiles & miserabiles hæredici pullulare, qvi pulsatis campanis, & convocatis Baronibus & Dominis terræ, in Hallis Svevorum sic prædicaverunt in publica statione:

Primò, qvòd Papa esset hæreticus, omnes Episcopi & Prælati Simoniaci & hæretici, inferiores qvoqve Prælaticum Sacerdotibus, qvia in vitiis & peccatis mortalibus hærerent, non haberent auctoritatem ligandi & solvendi, & omnes isti seducerent, & subduxissent homines. Item, qvòd Sacerdotes in peccatis mortalibus constituti, non possent conficere Sacramentum Altaris. Item, qvòd nullus vivens, nec Papa, nec Episcopi, nec aliqvi alii possint interdicere divina, & qvi prohiberent, essent hæretici & seductores, & licentiaverunt in civitatibus interdictis, ut Missas audirent super animas ipsorum, & Sacramenta Ecclesiastica libera perciperent, qvia ipsis perceptis, mundificarentur à peccatis. Item, qvòd Prædicatores & Fratres Minores perverterent Ecclesiam falsis prædicationibus, & qvòd omnes Prædicatores, & Fratres Minores, Cistercienses qvoqve, & omnes alii pravam vitam ducerent & injustam. Item, qvòd nullus esset, qvi veritatem diceret, & qvi fidem justam opere servaret, nisi ipsi & eorum socii, & si ipsi non venissent, anteqvam DEUS in periculo dimisisset suam Ecclesiam, priùs ipsos de lapidibus suscitasse, vel alios, qvi Ecclesiam DEI vera doctrina illuminassent. p. 970

Prædicaverunt etiam: Hucusqve vestri Prædicatores sepelierunt veritatem, & prædicarunt falsitatem, nos sepelimus falsitatem, & prædicamus veritatem. Et in fine: Indulgentiam, qvam damus vobis, non damus fictam vel compositam ab Apostolico,

Anno lico, vel Episcopis, sed de solo DEO & ordine nostro. Et sic: Non audemus habere memoriam Papæ, qvia ita perversæ vitæ est, & tam mali exempli homo, qvòd eum tacere oportet. Et blasphemando adjecit idem perfidus prædicator: Orate, inqvit, pro Domino Friderico Imperatore, & Conrado, filio ejus, qvi perfecti & justi sunt. Item dixit, qvòd Papa non haberet auctoritatem ligandi, nec absolvendi, qvia non haberet vitam Apostolicam, & hoc probare vellet per qvandam glossulam. Istos hæreticos fovit & defendit Conradus filius Friderici, Imperatoris qvondam, & patrem suum se per talia venena credidit defensare.

Petrus Berexasius, Varadinensis Ecclesiæ Theologus, & Gratianus causa 30. quæst. 5. Non debet Schol. can. si quis. dist. 81. can. presbyter. dist. 23.

Episcopum aut Presbyterum, ajunt, de stupro aut adulterio perpetrato cum iis mulieribus, qvæ ei sua fuerint peccata confessæ, accusatum atqve convictum, tum deniqve esse deponendum, cùm astu solertiaqve cavere non potuerit, ne in conscientiam populi deveniret: si verò fallere notitiam populi valuerit, minimè esse puniendum.

Qvis hic non videat, Papisticum canonem ab hoc Scelestino ad veterum potiùs gentilium præscriptum & rationem, qvàm ad DEI mandatorum instituta, confirmatum? Tradunt enim historiæ & Plutarchus Græcus in vita Lycurgi, licuisse Spartæ pueris ac adolescentibus furari, legibus Laconicis: sic tamen, ut deprehensi flagris cæderentur. Qvod Lacedæmonii sanxerunt olim de puerorum furtis, idem decrevit Pontifex Romanus de suorum Rasorum adulteriis. Et qvemadmodùm pœna illa deprehensorum in furtis puerorum non ad coercenda furta, sed ad excitandam eorundem furantium neqvitiam, ut callidè ingenioseqve furarentur, pertinebat: sic Pontificius canon in eos solùm Sacerdotes, qvorum adulteria publicè innotuerint, pœnam statuens, non tam mœchari Clericos prohibet, qvàm eosdem in mœchando cautè provideq; versari præcipit; juxta illud vetus: si non castè tamen cautè: & Cicero adulterum tardum ideo appellat, qvòd non aufugerit, anteqvàm deprehendatur. Hactenus canon & glossa, nunc Berexasius.

Nec verò temerè abstinet à cogendo ad castitatem Ecclesia Catholica, qvæ ipsa casta non est, sed fornicationibus spiritualibus & corporalibus contaminatissima. Novit optimè mundus (ut de sola externa fornicatione in præsentiarum à nobis agatur) fœditates, qvæ non in Anglia solùm compertæ sunt (ubi circiter annum Christi 1537. visitatione per diœceses, Henrici 8. Regis jussu facta, ingens numerus Monachorum adulterorum, scortatorum, pæderastarum, in monasteriis et juventus, qvorum etiam nomina in libro Breviatii compertorum, qvi publicè extat, recensentur) nec solum in Germania, ipsaqve Italia, & in aliis circumjacentibus regnis deprehendi solent, verùm etiam inter rudera parietinasqve macerias claustrorum & cœnobiorum dirutorum, in nostra Ungaria ad hodiernum diem, non sine horrore visuntur. Anno

Vix ulla certè fuerunt monasteria, iis ex monasteriis, qvorum à fundamentis justo DEI judicio eversorum infausta cadavera in hac patria hodie cernimus, qvin habuerint qvædam aut subterranea, aut alioqvi secreta & tenebricosa inter ipsos parietes loca, ubi ossa mortuorum infantium reconderentur, ex effræni ociosorum ac delicatorum Monachorum (cœlibum tamen omnium & castorum) fornicandi licentia progenitorum. Imper. Rudolpho secundo, Papa Sixto qvinto.

Idem Berexasius & Bembus libro 6. Epist. 35. Clement. lib. 5. de Hæret. tit. 3. can. Ad nostrum: & Bernhardus Lugenburgensis, lib. 2. Potes in Bembi Epistolas aliqvid legere de Cicestrinensium contra Ambrosianos furore & tragœdiis: itemqve in volumine Clementinarum de Begnardis Monachis & Beguinis, qvibus ordinibus (ipso recensente Pontifice Romano) octo hæreses flagitiosissimæ & sacrilegiorum plenæ objiciuntur, ut Papistæ desinant tandem dissensiones nostrorum aqvilinis, aut viperinis potiùs notare oculis, ad proprias talpæ.

Idem Berexasius. Pontifices Rom. progressi, aut lecticis in publicum portati, præconio clamari faciunt, Abasso, Abasso, id est, procidito ad genua: secus verò facere deprehensi, mox fustes satellitum Papæ sentiunt. Deinde triplicem auream coronam neqve monarchæ, neqve Christus unqvàm gestavit: nisi qvòd Indi Calecutini, teste Munstero Cosmographo, similem coronam capiti Cacodæmonis, qvem adorant, appingunt, &c.

Magna est sanè hæc Paparum seu temeritas, seu fatuitas, qvòd se vocant servos omnium servorum; & opinantur, neminem esse, qvi intelligat hunc ipsorum fucum: verè enim futilis est protestatio, ut Jurisconsulti loqvuntur, & planè contraria facto. Qvis enim non liqvidò videat, qvàm sit inconveniens absurdum, appellare se servum servorum, & interim velle omnibus imperare, jus dicere, nullius judicio subesse: calcare pedibus Imperatores, regna & principatus distribuere, & humeris gestari servorum?

Ordi-

p. 971.

1588.

Ordines Belgici.

HOc anno cudebant Ordines Belgici numismata, qvibus inscripta erat imago Leonis, ligati sunt ad columnam, in qva erecta ducis Albani consistebat statua cum superscritione: Dux Albanus. In collari autem fasciæ Leonis inscriptum erat: Inqvisitio. Hanc musculus qvidam abrodendo consecit & dissolvit, cum inscriptione: Leonem Loris Rosis Mus Liberat: hoc est, *Rodendo stricti solvit mus vincla leonis.* In altera facie nummi stabat Papa & Rex Hispaniæ, leonem annuendo & incitando ad se vocantes, & ostendebatur ei lorum collare, ut illud iterum sibi sineret circundari: Leo autem renuit, avolatqve, his inscriptis verbis: Vinciri Leo pernegat. Imper. Rudolpho 2. Papa Sixto 5.

1588.

Adamus Nachenmoser.

TUrca, qvando ultimam expeditionem suscipiet contra Christianos, in omnem attentissimus erit occasionem, præsertim verò probè observabit dissidia & discordias Christianorum. Turci enim semper, omnibus diebus festis, qvando conveniunt in templis suis solenniter, ad faciendas preces, sub finem elevant supplices ad DEUM manus, & uno corde, ore, ac voce DEUM poscunt, vindicem contra Christianos stringere dextram velit, dicentes: Omnipotens DEUS, obnixè te rogamus & obsecramus, ne unitatem largiaris Christianis. Ipsimet namqve perhibent Turcæ, Christianis inter se mutuò convenientibus, pacemqve colentibus, semper victoria se cadere, & devinci. Igitur qvando Turca animadverterit, intestinis sese lacessere Christianos bellis, iisqve maximis eorum optimos cecidisse milites: Principes autem belligerandi labore fessos, & militiæ pertæsos: tunc Christianos nullo negocio, tanqvam urbem orbam mœniis suis & portis, expugnabit, capiet, & exscindet.

Idem. Huc qvadrat Prophetia qvædam Turcarum, qvæ magna trepidatione colitur ab ipsis.

Patissa homotz ghelur, Giaferum memleketi alur, Keuzul almaialur, Kapzeler, jedi yla degh Givaur Keleci cikmasse, on iki yladegh on laron begligh eder, Cui iapar, baghi diker, bahesai baghlar, ogli kezi olur: onichi, ylde nissora, Hissianon Keleci eficharol Thurchi gheresine Tuskure.

Id est: *Imperator noster veniet, Ethnici Principis Regnum capiet, Rubrum qvoq; Pomum in potestatem suam rediget. Qvod si in septimum usque annum Christianorum gladius non insurrexerit, usque ad duodecimum eis dominabitur: domos ædificabit, vineas plantabit, hortos sepibus muniet, liberos procreabit, & post duodecimum annum, (ex qvo Rubrum Pomum captum fuerit) apparebit Christianorum gladius, qvi Turcum qvoqva versum in fugam aget.*

De hoc vaticinio explicando contendunt ipsi Turcæ: qvidam de Orientali Græco, qvidam de Occidentali Romano id accipiunt. At qvod priorum opinio locum habere neqveat, eo adducor, qvòd jam pridem anni 7. illi & 12. effluxerint. Ergò posterioribus rectè visum est, imprimis, qvia ipsi Turcæ per Urum Pompai Romam intelligunt, qvod etiam in voce Urum, per apocopen, liqvere potest.

Idem. Inter alias occasiones, qvas in perniciem nostram Turca solet captare, insignis hæc est: qvòd, in Occidente Christianis se mutuis bellis conficientibus, ipse aciem struit, ut ascendat qvasi tempestas, & qvasi nubes, ut operiat terram ipse, & omnia agmina ejus, & populi multi cum eo. Dicit enim: Hi omnes habitant fine muro, vectes & portæ non sunt eis. Qvemadmodum etiam domi, peracto cultu Mahometis, in delubris, omnes Turcæ magna voce vota faciunt, ut eorum DEUS in Christianorum ditionibus bella serere, tumultusqve ciere dignetur: ut hoc pacto à se supprimi faciliùs, & eradicari possint. p. 972.

Idem. Huc etiam haud parùm faciunt pii cujusdam hominis carmina, superioribus seculis ab ipso de Roma composita:

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Concidet, & Mundi desinet esse caput.
Ecclesia Censura, Fides, Dissensio Romæ,
Regnaq; de medio sunt removenda prius.
Qui latet Error, erit Publicus, Connubia fœda
Fient, tolletur hinc Pudor, inde Timor.
Post homo peccati veniet, quem Spiritus oris
Christi perdet, erit postq; Suprema dies.

Et sanè magna animorum perturbatione & suspiriis, in Ecclesia, anno Domini 327. percrebuit, atqve reipsa postmodùm, anno labente 617. confirmatum fuit; in promtu jam esse Hominem peccati, Papam, & Antichristum: qvi se nullo jure, neqve divino nec humano, sed mera vi & dominandi libidine, Caput in hoc orbe passim, & in ipsa Ecclesia, haberi velit. Eo enim tempore de medio remota fuere Regna Cæsaris & Ecclesiæ, Romanæqve subjugata Bestiæ sqvaluere. Eo tempore latuit Error horrendæ Idololatriæ, meretriciusqve Papatus uni saltem & alteri vere fuit cognitus: atqvi, Luthero cum sacra Scriptura veniente, patuere doli, abjurataqve rapinæ: errorq; plane publicus in toto mundo factus est.

De hac prostitutione Papæ Joachimus Abbas Siculus, haud infeliciter, ante annos 250. suam sententiam, tamqvam præsagium qvoddam, reliqvit: cùm dixit, fore, ut, Inperante Friderico III. notabili clade Papatus sit afficiendus, & paulo pòst omni-

Anno omninò corruiturus. Ut & ipse Lactantius Sibyllarum, qvorundam Prophetarum, ac Indi Regis Hydaspis Astrologi vaticinia producit, qvibus ait, ante Supremam diem Asiæ Regnum Orientale in flore futurum, at Occidentis Imperium collapsurum esse.

Idem. Singulare qvoddam prodigium recensent in catalogo suo Jobus Fintzelius, & qvidam Goldwurm: qvòd in Transsylvania, Anno 1556. cœlo sudo, comparuerit, hujusmodi litteris & verbis: J. N. R. J. M. D. LVI. JAHR, EIN ENDE DIESES REICHS. Hoc ita se habente, qværi potest, de qvo Regno, duobus existentibus, id sit intelligendum? Respondeo ego, qvòd de utrisqve, Spirituali & Politico:& hoc ipsum astruo duabus rationibus aut conjecturis. 1. Qvia prioribus 4. litteris significatur titulus Crucifixi, cui hoc universum jure hæreditario debetur. 2. Qvia eodem tempore is ipse & Fryburgi in Misnia visus est Iridi insidere, tanqvam pro tribunali, ut disceptaret cum gentibus de regno suo spirituali. Deinde verò per se manifestum est, his signis anni tempus notari: videlicet, M. D. LVI.

Sed qvid de fine? Puto, & eum, collatione qvadam temporum Noæ & hujus nostri seculi, indagari posse. Nam qvemadmodum indicta pœna Diluvii, DEUS ad pœnitentiam agendam peccatoribus annos 120. dedit: ita haud præter rationem erit, si dixerimus, hoc prodigio diem novissimum prænunciari, & ideò etiam 120. superesse annos, qvibus sit pœnitendum hominibus. Qvemadmodum autem seculo Noæ, sed 100. solummodò annos, pœnam DEUS distulit: ita conjicio, tempus ultimum similiter annis tantùm 20. abbreviatum fore; ut hac ratione non absurdum sit, si Finem Mundi constituamus in anno DOMINI 1656.

Qvid, qvòd etiam signa conveniunt utriusqve seculi! Nam qvemadmodum hujus universi inundationem, tempore Noæ, haud sine causa, mirabilis & insolita qvædam Stella præcessit: ita hujus universi deflagrationem, nostro seculo, non sine ratione, tot horribiles cometas, Anno 72. & 77. &c. præcipuè verò Stellam qvandam novam præcedere judicamus. Conjiciant autem homines de eo, qvicqvid & qvàm diu velint: certè diem atqve horam ignoramus: & tamen accuratè imminere scimus.

Idem. Hoc exigit à veris & dignis Christianis D. Petrus; scilicet vitam sobriam, & vigilantem. Satis enim esse dicit, qvòd indignè peracta huc usqve vita nostra sit, secundum abominationem mundanam & gentilitiam; cùm versaremur in luxurie, libidinibus, voluptatibus, fraudibus, ebrietate, crapula, intemperantia, & detestanda idolomania.

Sed qvid istius Vicarius Pontifex Romanus? dicit, longè adhuc abesse tempus, qvo redeundem sit ad hanc vitæ parcitatem, & ludibrio excipit monita Petri, Apostoli Christi. Nam suis aulicis, Cardinalibus, Prælatis, Episcopis, Sacerdotibus, Clericis, Monachis, & Nonnis copiam facit omnium hujus mundi deliciarum ita, ut qvidvis agant pro lubitu, unico excepto, ne pietati dent operam: Romana enim *exeat ex aula, qui cupit esse pius* Igitur placet illi hoc suum symbolum: Edite, bibite, ludite, scortamini, modò non sitis Lutherani, aut cantetis; DEUS misereatur nostri.

Idem. Cùm apud Chamum Tartarorum Cæsarem 4. aliqvando Monachi legatione fungerentur, & ibidem qvoqve Turcarum Imperator suos haberet Sacerdotes, qvorum illi, Christi; hi verò, Mahometis amplectendam esse religionem, persvadere Tartaro vellent, homo gentilis, optione datâ, cùm offenderetur intolerabili neqvitia Papæ, & Sodomitica Babylonicæ meretricis abominatione, potius Alcorano Mahometico, qvàm Papæ concedere voluit: ut hac ratione (præterqvàm, qvòd intra & extra Ecclesiam aliàs, innumerabiles animas, poculo suo meretricio potas, secum diabolo mancipat) Alcorano frigidam suffuderit Papa. p. 972.

Idem. Qvidam Nicolaus (de qvo suprà etiam) in Helvetiâ, visione sibi revelatâ, Pontificium caput vidit, coronatum gladiis. Animadvertit autem, tres è facie prodeuntes in Diadema coire enses, & tres alios in ipsam faciem Papæ & os impingi: prioribus qvidem coronæ gladiis, haud absqve mysterio, videtur illius in Ecclesiâ Tyrannis innui: posterioribus verò pœna. Et qvantum ego colligo, primus è prioribus ensibus Idololatriam Papæ notat: secundus dominium in Ecclesiam, & tertius in politiam significat. E posterioribus autem primus confusionem ejus spiritualem prodit, qvæ facta fuit à Luthero ore: secundus suppressionem ejus temporalem portendit, qvæ fiet à Turcâ, armis: tertius eradicationem ejus æternam innuit, qvæ fiet ab ipso Filio DEI, sulphure & igne. Qvo enim qvis peccat, eo punitur.

Idem. Qvemadmodum horribili casu, irato DEO, corruit urbs Hierosolyma, Templum concidit, & Sacerdotium excisum fuit; reliqviæ verò Judæorum, atqve immitis Vespasiani, ad hunc usqve diem, ignaræ, qvò fata ferant, hinc inde, ludibrio mundi propositæ, vagantur: ita utiqve eadem fortuna manet Romam, eadem miseria Lateranense Fanum, eadem pestis & calamitas universum Papatum, idem deniqve exsilium, excidiumqve omnes Idololatras Pontificios, qvi cum Judæis unâ voce clamârunt hactenus ad ravim usqve: Templum DOMINI, Templum DOMINI: nos

Anno Catholici, nostra antiqva fides. Ego enim, dominus Papa, in corde meo dico: sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Sed in una die, venient plagæ tuæ, mors & luctus, & fames, & igne comburê-ris; qvia fortis est DEUS, qvi judicabit te, Apoc. c. 18. v. 7. 8.

Idem. In hoc estis mihi reprehendendi vos, ô Lutherani; qvòd, cùm summo studio contagiosa Papatus tabernacula vitare deberetis, insuper eum in vestra recipitis: & tamen interim hoc facientes, haberi vultis Christiani. Sed ejusmodi homines sunt arundines illæ, qvæ hinc inde turbantur à ventis in deserto: calidum & frigidum ex uno ore spirant: dicuntur etiam Neutrales, qvia ventris alendi gratiâ, cum Papâ Papistæ, cum Luthero & Christo Christiani, aut Lutherani cupiunt esse. Neqve verò eo excusantur, qvod ajunt: se cum Lupis ululare discere. Viderint olim Hypocritæ, qvid sit offendere simplices Christianos: qvid sit currere cum illis, & scortari.

Idem. Vos qvidem, ô domini mei Cardinales, (dicebat olim Monachus ille, Johannes de rupescissâ) mementote, cùm magno supercilio possideatis aliena bona Romanorum, Græcorum, & Germanorum Cæsarum, eaqve abliguriatis: omnia repetitum iri ab insatiabili vestrâ gulâ, & cruentis manibus.

Idem. Signum indubitatum ultimæ ruinæ Gogi ponit Ezech. cap. 38. v. 14. Cùm habitaverit populus meus Israël confidenter: qvando nimirum satietas Evangelii ceperit ingratum populum, ut jam inde nauseare incipiat; tum demum virgam suam DEUS expediet, eamqve deinceps in fornacem conjiciet. Et jam ecce venit, & factum est, ait DOMINUS DEUS, &c.

Idem. Haud injuria qvoqve Romam attinere videntur hi rhythmi, ut & penè universum mundum:

Recesserunt omnia; Lex à Sacerdotibus, justitia à Principibus, consilium à senioribus, fides à populo, timor à servis, reverentia à subditis, charitas à prælatis, disciplina à literatis, studium à scholaribus, honestas à juvenibus, religio à Monachis, devotio à monialibus, fidelitas à militibus, concordia à civibus, communitas à rusticis, veritas à mercatoribus, largitas à divitibus, castitas à virginibus, mœror à viduis, pudicitia à conjugatis, obedientia à liberis.

Idem. Maximilianus 1. cùm tempore qvodam cogitabundus, altiùs Imperii rebus intenderet, ad consiliarios suos inqvit: qvi mihi temporem à risu, DEO tam mirabiliter omnia gubernante? qvòd utrumqve regnum, Ecclesiasticum & politicum, partim per vecordem & insanum sacrificulum (Julium Papam) partim verò per audaculum damarum venatorem (Maximilianum Cæsarem) mirificè regit. At o DEUS, nisi tu meliùs de summâ rei prospicias, actum est de nostrâ gubernatiunculâ.

Petrus Lindebergius. 1588

VAchii qvove moritur 21. Julii Illustrissima D. Sophia, nata & ipsa ex stirpe Wirtembergensi, Friderici Wilhelmi, Saxoniæ Ducis, uxor: debilitata sub ipsâ eclipsi dolore abortivi partus, anno ætatis 26. & moritur qvidem valdè piè. Nam S. literarum lectioni & meditationi, ab ineunte ætate erat dedita. Itaqve sensibus adhuc integris, maritum ad constantiam veræ religionis adhortata est. Præcessit obitum ejus prodigium hoc: qvòd cervinum cornu, Insigne Wirtembergensis gentis, ante annos circiter XX. à cervo abjectum, ac parieti de more affixum, die 19. & 20. Septembris sangvinem copiosissimè emisit, anno Domini 1588. Imp. Rud. 2. Pp. Sixto 5.

Vaticinium Catharinæ p. 974 1589

Medicææ.

MOriens vatidico spiritu admonuit filium, jam pro religione esse pugnatum satis, finem belli prædicens; ubi religionis libertas esset concessa, qva ratione regnum suum assereret. Imp. Rudolph. 2. Pp. Sixto 5.

Bartholomæus Reischacher 1589

Astronomus.

HIc in Prognostico suo perhibet, Turcam ne latum qvidem pedem occupaturum in Germania: sed paulatim deficientibus tyrannidis suæ viribus, & regni partibus, ut citò crevit, ita ad tenuitatem & humilitatem antiqvam redactum iri. Utinam igitur præsagio huic, cùm Astrologi aliàs longissimè verè ad veritatem pertingant suis vaticiniis tantùm hac vice eventus respondeat? Imp. & Pp. V. S.

D. Sigefridus Ribisch. 1589

HIc vir Nobilis collegit monimenta & vetera & nova per Italiam, Galliam, Germaniam, & alia regna: primùm à Tobia Fendt, cive Vratil. & deinde alibi etiam edita. Habet inter alia etiam Epitaph. Hutteni, qvod tale est:

Hic eqves Auratus jacet, oratorq; disertus,
Huttenus vates, carmine & ense potens;
Sepultus in Insula lacus Tigurin.

Georgius Steinhart, & 1589

Rutnerus.

MOguntinensis qvidam Episcopus nunqvam legebat aliam epistolam, vel audiebat Missam, aut accedere volebat templum, nisi priùs ad jentaculum, vorato pingvi capone, aliqvot simul mensuras vini exhausisset.

Thea-

Theatrum mundi minus, liber a Laur. Cupræo Carmelitâ editus.

SI eos, qvi de Pontificum viris scripserunt historias, percurras, complures invenias vitæ tam probrosæ, ut lupos potiùs qvàm pastores eos dicere possis. Qvare etiam D. Bernhardum fortem Eugenii Papæ doluisse constat, cum tamen minùs qvàm hodie, tunc depravata Roma fuerit. At bone DEUS, qvantum nunc lamentandi campum (si, qvæ nunc illic regnant, petulantiam & confusionem vidisset) habiturus erat? Cæterum relicto capite, descendamus ad membra, & altiùs materiem hanc repetamus (eodem enim in lecto qvo caput, ægra membra jacent,) ac primum videamus, cujusmodi Ethnicorum olim flamines seu Sacerdotes fuerint, eosqve comparemus nostris, ut, qvi collustrati sunt lumine Evangelico, & in meliori scholâ instituti, pudore suffusi erubescant, & ab eis reformandæ vitæ suæ exemplum capiant.

Atqve hoc imprimis extra omnem controversiam est, sacrificos Ethnicos & Gentiles electos fuisse eos, qvi & doctissimi, & moribus incorruptissimi erant: veluti Sacerdotes Ægyptii, qvi ex publico viventes, nullâ erant aliâ re occupati, post sacrorum ritum completum, qvàm studio Philosophiæ, miracula & arcana naturæ perpetuò indagantes. Et ex honesto hoc exercitio commodum extitit maximum, nempe, ut attestatur Aristoteles, facti sunt Mathematices inventores, qvorum erat vita tam composita, eorumqve doctrina tam omnibus admirationi fuit, ut Lycurgus, Pythagoras, Plato, Democritus, & maxima celebrium Philosophorum pars totius Græciæ, patriam, Provincias & Academias deseruerint, ut philosophaturi Sacerdotes Ægyptios adirent: qviqve fuerant in suâ patriâ Philosophorum Principes, Ægyptiorum illi minum discipuli fierent.

Babylonii etiam sic affecti fuere qvondam erga suos sacrificos, qvos Chaldæos nominabant; nam & ipsi (ut Diodorus Siculus scribit) posteaqvàm orationibus & cultui Deorum satisfecerant, qvod [illegible] temporis, Philosophiæ & [illegible] naturæ rebus contemplandis dare non [illegible] usqve adeo, ut compluriúm [illegible] mysteriorum explanationem [illegible] debeamus, qvippe qvæ [illegible] & [illegible] eorundem nobis est explicata.

[illegible] similiter suos habuêre sacrificos (quos [illegible] Magos), qvod tantundem [illegible], qvi tam qvod essent [illegible] ingenio & eruditione, [illegible] pietate vitæ, in tanto apud eos erant honore, ut [illegible] necessitate, ad ipsos non secus atqve Deos confugerent.

Indi qvoqve suos habuêre flamines (qvos Gymnosophistas vocabant) tam exqvisitæ doctrinæ viros, & moribus tam compositos, ut hi soli omnium omninò hominum grandem illum tyrannum Alexandrum eloqventiâ suâ pudore suffuderint; qvi qvamvis certò apud se statuisset, eorum depopulari regionem & patriam, postqvàm tamen (ut scriptum reliqvit Plutarchus) eos verba facientes audisset, ita animum ejus fregerunt, ut non solùm nullam apud eum inirent malam gratiam, sed admiratus ipse eorum prudentiam, suas eis libertates & privilegia sarcta tecta reliqverit, & magnâ infinitate thesaurorum, atq; congiariorum magnificentiâ eosdem adauxerit.

Imò & Franci veteres, qvi nullum adhuc Christi Evangelium audierant (ut est in commentariis Julii Cæsaris) sacrificos suos (qvos Druydes nuncupabant) habuerunt, tam austeræ vitæ, magnæqve doctrinæ viros, ut eos non aliter qvam Deos suspicerent, qvi, postqvàm pensum ceremoniarum & sacrificiorum suorum persolvissent, instituebant juventutem, disputabant de animorum immortalitate, de motu orbium cœlestium, de mundi magnitudine, aliisqve rebus naturalibus, atqve ita vitam ducebant in rebus honestis, neq; ullum tempus effluere abs fructu publico, permittebant.

Ecce status, ecce vita, ecce mores & exercitationes Sacerdotum atheorum, exlegum, infidelium, desperantium de vitâ alterâ, nec DEI veri punitionem timentium. Jam comparemus cum his doctrinam, vitam, actiones, mores, qvos major Sacerdotum nostrorum pars præ se ferre videtur, & comperiemus, eosdem in die judicii justioris, imò & accusatores & carnifices sceleratæ horum vitæ futuros esse. De malis loqvor, vitiaqve, non personas impeto; neqve enim sum id nescius, ingentem esse numerum Pastorum bonorum & Doctorum, per varias Christianorum provincias, qvi vigilant, qvi gregem suum procurant, eiqve administrant pabulum verbi DEI: novi etiam, plurimos esse excellenti eruditione Doctores in hac Lutetianâ & aliis Academiis, qvorum scientia & sapientia, Europa omnis hac tempestate collustratur.

Verùm enimverò, qvot existimas, esse è contrario alios per mundum sacrificos, tam indoctos, qvi ægrè missarum sacra faciant, & intra dentes murmurent, ne plane loqventium [illegible] prodatur? tantum abest, ut [illegible], virtutem, & vim Sacramenti (qvod tractant) assequantur. [illegible] sunt hoc seculo plures sacrificuli & Pastores, qvi palatiorum fumos frequentare, aliisq; ce te vanitatibus mentem dedere

Anno nôrunt, qvàm qvi de prædestinatione, de libero arbitrio, alisqve, qvæ in sacris literis sunt, qvæstiones explicare nodosqve dissolvere possent.

Hi sunt, contra qvos Ezechiel clamat, qvod nulli sint usui, qvàm ut semetipsos pascant: & loco pastionis vellera deglubunt, lac emulgent, occidunt qvod crassum est, carnem comedunt, ossa confringunt: suntqve canes muti speculatores cæci, dormientes & amantes somnia, nihil scientes, non valentes latrare: solliciti satis de eqvisonibus, qvi caballos eorum curent; de aucupibus, qvi falcones regant: de coqvis, qvi ingluviem exaturent: sed ut Pastores mercenarii, de ovibus JESU CHRISTI alendis, animi non se cruciant, de qvo tamen neglectu ovium, qvæ culpâ eorum perierunt, aliqvando reddenda erit ratio, cùm è manu eorum reqvirentur.

Breviter hi veræ sunt hirudines, qvæ nihil qvàm exugunt cruorem & fortunas miserarum ovium, & Ecclesiæ bona in fastum, luxum, magnificum apparatum insumunt, qvibus fovendi erant egeni, & adolescentuli in liberalibus artibus instituendi, alisqve disciplinis humanis & divinis perdocendi. Cæterùm DEUS noster, qvi in Judicio suo justus est, ejusmodi malæ fidei possessores aliqvando ad rerum suarum malè expensarum rationem compellet.

Hoc enim in confesso est, esse Pastores aliqvot, qvi viginti totis annis Sacerdotiorum suorum fructus & reditus acceperunt, qvi tamen interea ne ter qvidem gregem ovium suarum visitârunt, sed eas rudibus committunt sub Pastoribus: iisqve plerumqve, qvos qvàm minimo conducere possunt: illi ergo, qvi DEUM non per se, sed per Sponsorem atqve Procuratorem colunt (nisi eorum misereatur DOMINUS) non in aliâ, sed in suâ personâ damnabuntur. Eâ re diligenter observata, pius ille Doctor Bernhardus asperrimè stomachatur in eos, deplorans pompas eorum supervacaneas, ubi & vivis suis coloribus eos depingit, sed penicillo longè longè alio, qvàm humano, ut seqvitur:

Serpit, inqvit, hodiè putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & qvò latiùs, eò desperatiùs; eoqve periculosiùs qvò interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foràs, & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsan ab eo. Nunc verò qvem ejiciet, aut à qvo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; omnes domestici, nulli pacifici, omnes proximi, & omnes, qvæ sua sunt, qværunt. Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis DOMINI, qvi DOMINO non deferunt honorem. Inde is (qvem vides) meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria qvàm altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ in cibis & scyphis, inde commessationes & ebrietates, inde cythara, & lyra, & tibia: inde redundantia torcularia & promtuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse, & sunt Ecclesiarum præpositi Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi! Anno

Rursum idem Bernhardus, ira qvadam divinâ succensus, non tantum dixit, sed exclamavit plenis buccis: hoc non est ornare Sponsam JESU CHRISTI, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed deprædari; non instituere, sed prostituere; non consecrare, sed prophanare, non pascere gregem Christi, sed perdere & devorare. p.976.

En tibi objurgationes, qvas contra Prælatos & alia Ecclesiæ membra, qvæ illâ tempestate minus qvàm nostra corrupta erant, beatus Bernhardus debacchatus est. Qvid putas igitur Petrus & Johannes Apostoli dicerent, qvibus argentum & aurum nullum erat, unde eleemosynam darent claudo pauperi, qvi petebat ab eis ad portam templi; si modò Dominos aulicos curiæ Ecclesiasticæ viderent (qvi se jactitant illorum Successores esse, non imitatores) holosericatos, moschum spirantes & balsamum, phalerati non aliter, qvàm eqves S. Georgii, superba atqve magnifica (qvalia Regum) palatia inhabitantes, cum divi Apostoli qvondam ut plurimum vinculis & carceribus tyrannorum mancipati fuerint. Et qvid isti sperent aliud, nisi qvod DOMINUS aliqvando venturus sit, flagelloqve emtores & venditores beneficiorum templo exacturus suo. Imp. Rud. 2. Ep. proxto 5.

Idem. Pyrrhus Epirota, qvodam die iter faciens cum exercitu suo, forte fortuna canem reperit, qvi mortui heri sui cadaver in amplâ & publicâ viâ asservabat. Cùmqve aliqvamdiu hoc miserabile spectaculum esset contemplatus, submonitus est à rusticis, jam triduum esse, qvòd miserum hoc animal loco illo non demigraret: & licet cibo potuqve carens, tamen cadaver non deseruerat: qvâ ex causâ Rex corpus illud humari fecit & sepeliri, canisqve ob fidelitatem suam enutritus & conservatus est. Qvodam verò postmodùm die Rex de cæde inqviri fecit, sed nihil certi de scelere invenire potuit. Accidit autem qvodam posteà die, ut recenserentur lustrarenturqve ejus copiæ, juberetqve Rex, ut singuli præter ejus oculos irent, ut turmas eqvitum recognoscere posset.

Canis

Anno Canis autem, cujus meminimus, qvotidie Regem, sed tristis & mutus, pone seqvebatur, donec illi, qvi herum ejus trucidarant, transirent. Mox impetu & furiis admirandis incurrere cœpit in eos, lacerare dilacerareqve eosdem meditans, magnoqve cum ululatu modò huc modò illuc se convertens, & jam Pyrrhum, jam latrones intentissimè aspectans, videbatur ab eo judicium postulare: qvæ & causa fuit, cur Pyrrhus & omnes circumstantes meritò suspicarentur, per eosdem hoc homicidium perpetratum esse, ita ut hisce conjecturis damnarentur ad examen & cruciamen; & in qvæstionem dati convincerentur, puniren turqve delicti. Res erat indubiè miraculosa, qvâ DEUS noster, qvàm sit in judicio justus, demonstrat; qvodqve summè exsecretur eos latrones & homicidas, qvi sangvinem profundunt humanum, usqve adeò, ut bruta qvoqve animantia capitis eos accusare, imò & supplicium de iis sumere permittat.

Idem. Radix omnium malorum cupiditas. Et nihilominùs est hoc scelus tam familiare hominum generi, ut vix aliqvod institutum vitæ invenias, qvod non hoc idem oleat atqve resipiat, imo & ipsa gens Ecclesiastica. Judas enim Scarioth ac Simon Magus hunc palmitem in ea sic plantarunt, ut optimè succreverit, & in plures alios adoleverit. Qvando pauper erat Ecclesia; calamitosa & afflicta, oppressa tyrannis & infidelibus, & qvando administrata per pauperes piscatores, alebat pauperes, neqve tolerabat, ut indignatus qvisqvam abiret; nunc vero, cùm in summo est divitiarum gradu, & à maximis gubernata prælatis, membra Christi de cætero non curat: ita ut hodie vicos & Xenodochia, tanqvam tapetibus, ab omni parte egenis cincta videas; qvi ex carnificatis contusi & macerati sunt pauperie, cum magnâ etiam turba mulierum patria bello profligatarum, qvæ de collo vagientes aliqvot gestent infantulos.

At ludunt interea tales Ecclesiastici proceres de bonis crucifixi; & ambabus, qvod ajunt, manibus, voluptatiqve & deliciis indulgent suis. Contra alii sic asservant, & congregant ea tanto studio; ut ea DEUM suum faciant, imò & præ foribus suis mendicum emori mallent, qvàm eundem vitro aqvæ frigidæ reficere: adeò, ut pudor mihi sit dicere atqve referre narratiunculam monstri similem, de avaritiâ Italici cujusdam prælati, qvem Angelorum vocabant purpurati & Cardinalitii ordinis.

Hic ita erat hoc infelici rabiosæ veneno avaritiæ commaculatus, ut (cùm ejus eqvisones sub noctem dederant eqvis avenam), ipse per occultum ostiolum solus & absqve lumine in eqvile descenderet, & propriis suis avenam subduxerit eqvis: & furtivum hunc ingressum tot noctibus continuavit, ut ipse eqviso, videns eqvos suos tam strigosos & macilentos, in ipso stabulo furem observaturus recubare tandem coactus fuerit: unde in ipso facinore dominum deprehendens, pro compensatione sordidæ & ardentis avaritiæ, furca sic ipsum contulit, ut fractus verberibus in cameram referri debuerit.

Hoc ridiculum & fabulosum videri posset, nisi Philelphus, Jovianus Pontanus de liberalitate, & plures alii auctores recentiores hoc commemorarent. Ecce fructum, ecce emolumentum, en tibi proventus, qvi ex valle divitiarum infelicium tot spinis & pœnis colliguntur, tot amaritudinibus & angustiis conservantur, tandemqve tot suspiriis & lachrymis derelinqvuntur!

Stephanus Herrnvvurst in concionibus de cruce, & Schopperus in Chronologia. 158

Hildegradis, uxor Caroli Regis Franciæ, à Talando fratre ex vitrico, in absentia Caroli mariti, ad stuprum sollicitata, tanqvam fœmina pia & casta, scelus ei negavit. Talandus igitur indignatus, apud maritum reversum accusat ipsam illicò, & adulterii insimulat. Ut igitur justas daret pœnas, acta fuit in exilium. Consilii autem dubia, tandem Romam ire cogitavit ignoto habitu: ibiqve precationibus, pietate, & sanctitatis studio vitam peractura, medicinæ (ut esset, unde viveret) operam dedit. DEO autem innocentiæ patrono secundante illius negocia feliciter, ubiqve celebris facta est brevi.

Interea mira DEI dispositione (maturantis vindictam improbitatis) in gravissimum incidit morbum Talandus: sed famâ illius medicatricis motus, qvoqve Romam cum Carolo concedit: & ab illa ignota sanitatis restitutionem obnixè petit. Hildegardis autem non nescia, qvantæ improbitatis esset vir, & qvòd divinitus id mali contigisset illi; primùm monet, ut DEUM supplex veniam poscat: & oret, velit, ipsi valetudinem reddere: deinde sanavit eum, DEO adjuvante felicissimè. Igitur demirati industriam fœminæ Carolus & Papa, ad se vocant ipsam. Ibi Rex agnovit uxorem suam: & docetur, qvomodo in veritate omnia essent comparata. A DEO igitur hoc factum esse, sic perspiciens, clementissimè & amantissimè conjugem recepit, & reductam domum majori dignitate & observantia coluit: fratrem verò scelestissimum in exilium ejecit. Spectatum sanè patientiæ & veritatis exemplum.

Anno 1589.

Cebetis tabula.

HOc tempore iterum prodiit Lugduni impressus libellus, inscriptus Cebetis Thebani tabula, cui adjuncti sunt Theophrasti characteres. Fuit autem ille auditor Socratis, & ejus pictura extat, in qva totius vitæ humanæ prudenter instituendæ via, modus & ratio continetur: cum commentariis Johannis Camerti & Justi Velsii, utilissima multa complectentibus. Qvæ huic operi inserere animus qvidem erat, sed prolixitatem veritus, appendici vel Hieroglyphicis reservanda duxi, DEUS secundet vitam.

1589. *Monacha qvædam Lusitana.*

HÆc toto orbe celebris admodum, continuis à Christo precibus se impetrasse, comminiscebatur & credebatur, ut vulneribus ipsius in cruce acceptis insigniretur, & hac impostura singularis sanctimoniæ opinione sibi conciliata, omnium animos, ipsum etiam Philippum Regem, ut ex ejus ad eam scriptis literis patuit, in sui venerationem rapuerit, qvæ deinde, propter detecta scelera Olyssiponæ in carceres conjecta, nuper condemnata, & morti adjudicata fuit. Ex Epistola Romana ad Smidlinum Svevum.

1589. *Exsecrabile homicidium, seu parricidium, à Monacho in Henricum III. Regem Galliæ perpetratum.*

HIs temporibus horrendum homicidium, in suo præposito Magistratu, Henrico III. Rege Galliarum perpetratum, à Parisiensibus seqvente modo enarratum & typis divulgatum est. Nimirùm Jacobus Clemens, ordinis Prædicat. Monachus, qvi jam tunc sacris initiatus erat, annos natus viginti tres, ad hoc facinus divinâ dispositione destinatus, nocte qvapiam, cùm in lecto recumberet, Angelum, magnâ claritate circumfulgente, nudatum, strictumq; gladium vibrantem vidit apparere sibi, & dicere: Frater Jacobe, Angelus ego sum amandatus à DEO omnipotente, ut hoc tibi nuncium afferam, qvòd per te Rex Galliarum interficiendus sit; icirco rerum tuarum satage, & operi huic te accinge: namqve sic sancto martyrio coronaberis. Continuò Angelus, ubi hæc effarebat, disparuit, & Fratrem anxiè rem perpendentem reliqvit.

1589. Manè alterius diei visio hæc Fratri admodum cordi erat: ideoqve aliqvibus Clericis, viris insigniter doctis rem aperit communicatqve, sciscitans, an, illud ipsum DEO gratum acceptumqve opus fore, arbitrarentur? Illi, ut omnem dubitationem ex animo ejiciant, respondent: hac enim ratione futurum, ut Judithæ Holofernem occidenti, & Johanni de Monte Politiano à Senis in Italiâ, etiam ordinis Prædicatorum Monacho, qvi Cæsarem Tyrannicum Henricum 7. Bonoomentæ, anno 1308. ex instinctu & jussu Papæ, in sacrâ Synaxi, hostiâ qvadam veneratâ interfecerat, similis existeret: propterqve zelum divinum, qvo & hi perciti & impulsi, ab omnibus procul dubio felix & beatus prædicaretur.

Has adhortationes & instigationes Frater lætus excipiebat: & ut animi omninò certus erat, aliqvot dies jejunavit, oravit, communicavit, seseqve ad animam à statim offerendam & litandam DEO suo, præparabat: & cùm ad eorum consilia rem totam accommodasset, eo, qvo seqvitur, modo aggressus est negotium.

Ante omnia ad DEUM pro felici propositi sui successu vota solvit, auxiliumqve precatur: postmodum ad Regis Satellitium, in Episcopi Parisiensis palatium, ad sanctum Clou, ubi Rex tunc temporis degebat, viâ affectus, rogat; ut indicent Regi Prædicatorii ordinis Monachum qvendam adesse, qvi cum ejus regia Majestate de necessariis, secretis, qvantivis momenti & ponderis rebus, qvarum Regiæ ejus Majestati multum intersit, colloqvi, & revelare qvædam eidem cupiat; & præterea literas ejus Regiæ Majestati, qvas per nullam alius manum, qvàm suam ipsius tradi oporteat: siqvidem à fidelissimo qvodam Regiæ ejus Majestatis ministro eæ proficiscantur, & per se, ac per personam fide dignam, offerendas habeat.

Satellitii præfectus, ut suo fideliter, prout decet, perfungatur officio, è vestigio abit, & Prædicatorii ordinis Monachi petitionem Regi defert, qvam ut percepit, Rex, approbat, & continuò Fratrem intromittendi potestatem facit, secretò eum, ut cupiebat audire volens. Propediem itaqve Frater Jacobus ad Regium conclave accersitus intromittitur, Rex jam modò manè illo cubitu surgebat, & thoracem ægrè vix induebat, super qvam loricam, ut semper, inducere solebat.

Monachus autem statim ut intromissus est, qvàm humilimè ante Regem; literas in manu gestans, procidit, exponens, Regiæ ejus Majestati à fidelissimo & arcano qvodam ministro eas mitti, ut ex manu seu litera videre liceat, & qvòd nulli alii qvàm Regiæ ejus Majestati tradi voluerit. Simul ac autem Frater propius accessit, literasqve de manu in manum tradidit, cultrum veneno oblitum Regi in ventrem contorsit, ut continuò intestina per vulnus erumpentia propenderint. Rex qvidem, ut vidit, manum ictui, sed serius, objecit, & interimqve de obtinendo cultro luctatus est.

Ad hæc protinus satellites & milites irruerunt, & Monachum inconsideratò per furorem occiderunt (multò satius fuisset, si vivum eum detinuissent, ut ii, qvi ad hoc homi-

Anno homicidium ei authores & adjutores fuerunt, deprehendi potuissent) super hæc omnia Monachum detractis vestibus nudabant, & in arcam reponebant, num vel è qvopiam fortassis prætereuntium agnosceretur: uti tunc autores & sceleris inventores tradebant; Adversarios fortè militem stipendiarium veste monachali subornasse, ad inurendam tantam hanc Monachatui maculam.

Interea dum hæc geruntur, Rex in lectum deportatur, vulnus obligatur, omniaqve qvæ poterant medicamenta adhibentur ita, ut in castris eo die pro certo affirmarint, vitam Regiæ ejus Majestatis extra omne periculum & discrimen esse: posterâ verò die febris ut accesserat, Rex animadvertens, nullam superesse vitæ diuturnioris spem, optimis suis & intimis amicis valedixit, putâ Domino ab Espernon, & Regi Navarræ, qvem etiam hæredem & successorem Regni constituit & reliqvit.

Anno 1593. liber editus est hoc titulo: satyre Menippée de la vertu du Catholicon d'Espagne; in qvo describitur Monachus hic, qvalis fuerit.

1590. *Sigfridus Saccus.*

QVoniam non tutum erat in Papatu, qvicqvam in propatulo, qvod verum esset, de eo dicere; ideò qvidam Fuldæ animi sui sensa ad parietem penicillo retulit: pingens Lupum, qvi ex tiarâ monasticâ prospiciens, concionaretur ovibus, hac adscriptâ sententiâ: Testis est mihi DEUS, qvòd omnes vos cupiam in visceribus meis. Apposuit idem Auctor, qvòd nimirum Lupus iste Monachum significaret, cucullus autem pellem ovinam, de qva olim monuerit Salvator noster: cavete à Pseudoprophetis, qvi in habitu ovium ad vos veniunt, &c. Conspiciebatur etiam felis, nescio qvid de benevolentiâ suâ muribus annuncians. Idem ferè habes suprà apud Heerbrandum. Imper. 110. Rud. 2. Pp. 235. Urb. 7.

1590. *Iohannes Northusius.*

CIrca hæc tempora optimus iste vir, & Ecclesiastes Bonnensis, cùm à Pontificiis caperetur oppidum; colligatis manibus & pedibus, in Rhenum à Tyrannis victoribus est projectus. Sed DEO Opt. Max. per Angelum suum opem ferente pio Martyri, mirabiliter mortis periculum evasit: de qvo extat libellus alibi. Imper. & Pp. ut suprà.

1590. *Robert. Bellarm. lib. 5. de Pontif. sum. cap. 7.*

NOn licet Christianis tolerare Regem infidelem vel hæreticum: si ille conetur pertrahere subditos in suam hæresin vel infidelitatem. At judicare, an Rex pertrahat ad hæresin, necne? pertinet ad Pontificem. Ergo Pontificis est judicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum. Qvòd si Christiani olim non deposuerunt Neronem, & Diocletianum, & Julianum Apostatam, ac Valentem Arrianum, & similes: id fuit, qvia deerant vires temporales Christianis. Nam qvòd alioqvi jure potuissent id facere, patet ex Apostolo, 1. Cor. 6. ubi jubet constitui novos judices à Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram judice Christi persecutore. Sicut enim novi judices constitui potuerunt: ita & novi Principes & Reges, propter eandem causam, si vires adfuissent. Imper. Rud. & Pp. Urb. 7.

Idem de Ecclesia. Non reqviritur interna virtus, ut qvis sit membrum Ecclesiæ, sed sufficit externa professio fidei, Sacramentorum communio, & subjectio ad Pontificem Romanum.

Idem. Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.

Idem de Papa lib. 1. cap. 9. Summa, ait, potestas Ecclesiastica non solùm data est Petro, sed etiam Apostolis aliis, & unusqvisqve eorum ita totius Ecclesiæ curam gerebat, ac si ad se solum ea cura pertineret.

Idem lib. 2. de concil. c. 17. Omnia nomina, qvæ in scriptis tribuuntur Christo, unde constat, eum esse supra Ecclesiam; & Pontifici Romano, ad primatum ejus asserendum, tribuuntur.

Plura ex hoc autore sunt in promtu, in gratiam Papatus ab illo scripta, qvæ tamen brevitatis studium omittere cogit.

Nicolai Clenardi Itinerarium. 1590.

HIc è patria Belgico longissimam & periculosissimam peregrinationem in Africam suscepit, & in civitate Fessæ diu moratus est: in qvo loco sunt qvingentæ Moscheæ, & in earum plerisqve (ad erudiendam juventutem) scholæ, inter qvas una excellit Mosqvea pulcherrima, continens ambitu suo sesqvimilliare. Sic item una excellit schola vel collegium, in qvo extruendo & ornando, Rex Fessæ ducatorum qvinqvaginta (alii qvingenta dicunt) millia consumsit, qvò deinceps in Mahumetistis ab infidelitate sua ad fidem Christi convertendis, ibi magis utilis & fructuosa opera impenderetur. Ut suprà.

Leonhardus Thurneysser de Magia Adepta, & Paracelsum Magum non fuisse. 1590.

CAbalam, inqvit, Steganographiam (non tamen Tritheymii) & Magiam naturalem, qvibus Moyses & Salomon usi

Anno sunt, & de qvibus Tertullianus in libro de Trinitate loqvitur; non rejicio, sed Zoroastis, Artehpii, & Jarchæ libros damno. Paracelsi pleraqve manuscripta habeo, in qvibus prohibita nulla, sed tantùm Magiam, qvam Adeptam Plato & alii nominant, reperio: cui etiam alios viros doctos, ut est Apollonius, Caron, Dardanus, Thesbio, Trismegistus, Nazabarub, Evanthes, & qvoqve Origenes teste Eusebio lib. 4. c. 21. incubuisse, non est dubium. Imp. Rud. 2. Pp. Urb. 7.

1590. *Christianus Urstisius.*

BAsileæ, instituendæ reformationis, & extirpandæ Pontificiæ religionis ac consvetudinis, causa inter plurimas alias gravissimas non minima dicebatur hæc: qvòd hinc inde Monachi uxores civium abripuerunt ad se in monasteria, ut, plurimas sæpè omninò periisse, per aliqvot septimanas putatum: liberisqve, & maritis diu eis carendum fuerit. Item qvòd subinde multa edicta & privilegia, subreptitia & conficta, reipublicæ perniciosa, impetrabant, ubiqve vendicabant. Imp. & Pp. V. S.

1590. *Iohannes Stadius, & Iohann. Lerius.*

SCripserunt itineraria, & peregrinationes suas in Brasiliam, Americam, & novas alias Insulas: in qvibus inter alia etiam Mulieres vatidicas recensent: vide apud illos, & de his prolixius in compendio nostro orbis, DEO dante. Imper. Rud. 2. Pp. 235. Urb. 7.

1590. *David Schramus Theologus.*

HIc Vir doctissimus & amicus singularis mihi, in edito, sub nomine Christophori Agricolæ Rhæti, Anti-Pistorio suo, inter alia multa, egregiè etiam argumenta Papistica, qvæ de successione adferunt, refutat, ubi inqvit: cùm clamor vester est, Patres, Patres; Templum, Tem-
1590 plum; Ecclesia. Ecclesia; miror profectò, qvòd patres audeas (Pistorium compellat) appellare, cùm tu non sis eorum filius: aut si es, certè es degener. Atqvi non mirum est: faciunt hoc tuæ religionis Antistites: reqvirunt Patres, cùm re ipsa illis gratiores sint matres: qvod ignorare non potes. Indueris vel Petri caligas, non eris Petrus; qvia ejus doctrinam, qvæ sola te ejus successorem efficere potest, non seqveris: & qvæ seqvuntur. Imper. Rud. 2. Pp. Urbano 7.

Idem. Hoc nimirum est, qvod Johannes dicit: fronti Mulieris scortatricis inscribendum esse nomen τὸ μυστήριον: qvod etiam olim fuit inscriptum thiaræ summi Pontificis; at resectum tamen deinceps, loci Jochannei conscientiâ. Scribe mihi: μυστήριον ἐπὶ χαίρης: & habebis denuo hunc numerum, qvem habituram Bestiam illam Anno Johannes prædixit.

Idem. D. Paulus ad Christum convertebatur, Petrus erat in Jehudeâ: accedit hoc, qvòd anno Christi 35. ut familiaritatem contraheret cum Petro, ascendit Hierosolymam; Petrus erat in Jehudæâ: anno Christi 38. rediit Hierosolymam, causa qvæstionis de observatione legis Mosaicæ; Petrus erat in Jehudeâ: anno Christi 51. restitit Petro, idqve Antiochiæ; Petrus nondum erat Romæ: anno Christi 54. in Jehudææ Metropoli est captus: Petrus nondum erat Romæ: anno Christi [illegible] Romam deportatur ad Cæsarem: ubi & à fidelibus excipitur: ubi Petrus? non Romæ: anno 60. manet ibi in proprio conducto; ubi Petrus? non Romæ: anno 63. causam dixit ad Neronem; ab omnibus derelictus, anno Christi 64. vel circiter: certè nec tunc ibi Petrus. Cùm autem Paulo tum immineret vitæ terminus, & Petrus cum eo dicitur sublatus; certè Petrus aut non fuit Romæ Episcopus, aut post mortem fuit. Id audiant illi nugatores, qvi ajunt; Petrum Apostolum venisse Romam anno Christi 44. & imperasse Ecclesiæ ibidem per annos 25.

Georgius Gotthart Canonicus Pataviensis in Apolog. pag. 114. 1590.

PLerosqve Pontifices turpem atqve flagitiosam vitam traduxisse, luce clarius est. Imp. Rud. 2. Pp. Urbano [illegible]

Gregorius de Valentia Iesuita. 1590.

TU es Petrus: hoc est, tu es Papa, tu es αὐτεξούσιος καὶ [illegible], tu DEUS & homo es: qvia omnia DEI iura in Scrinio pectoris tui geris, & pro libertate tua potestate, tibi à Petro Apostolorum Principe concessâ, leges figere & refigere potes. Imp. Rud. 2. Pp. Urbano 7.

Idem de conjugio Sacerdotum scripsit: Sacerdotem uxorem ducentem gravius peccare, qvàm scortantem aut adulterantem. Esse enim non conjugium, sed sacrilegium id facinus Sacerdotum: nec ignorari à qvoqvam, sacrilegium gravius esse peccatum qvavis scortatione, aut adulterio.

Idem. Soli Petro claves, qvibus omnibus modis aperire posset regnum cœlorum, traditæ sunt: cæteris autem Apostolis clavium tantùm usus.

Idem lib. 7. cap. 12. Soli sunt Catholici, qvi Romani Pontificis seqvuntur doctrinam; & hæretici, qvi illam rejiciunt.

Iohannes Rasch Viennensis, Astrologus. 1590

PRincipes Lutherani (inqvit) præscribunt ritus & ceremonias, qvas sui Ecclesiastæ observare tenentur. Certè sub Sole nulla gens est, qvæ minus honoris, famæ,

exi-

Anno existimationis, & ordinis, qvam hæ venenatæ bestiæ habeant. Adulteria enim & alia scelera adeò fovent, & illis patrocinantur, ut multò tutius & excusabilius sit, Turcam esse, qvàm Lutheranum.

Vides; hausisse Raschium hanc calumniandi pestem ex Astrologia & Philosophia, illa vana & mendaci, qvam non ab homine, sed (Pico de Mirandula, & Firmiano testibus) à malo dæmone excogitatam dicunt: ob qvam jam pridem non tantum à sanctis Patribus: Moyse, Isaia, Jobo, Jeremia, Augustino, Hieronymo, Basilio, Cypriano, Chrysostomo, Eusebio, Lactantio, Gregorio, & Soveriano, tales ipsi similes Astrologos & Philosophos, à Christiana religione separatos, reprobatos: sed etiam ab Imperatoribus Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constantino, Gratiano, Valentiniano, & Theodosio, urbe ejectos & exclusos fuisse, constat. Persolvat igitur prius blacennomium vectigal illud, qvod Astrologis olim ob mendacia persolvendum erat Alexandriæ: de qvo Suidas & Cœlius Rhodiginus cap. 11. Antiq. lect. & tandem cum mendaciis suis qvoqve exulet Raschius.

Sciat autem, à Lutheranis minimè gentium approbati adulteria, sed severissimè etiam capitis pœna puniri. Apud Papistas autem, eorum taxa cancellariæ ita disponente, qvemlibet non tantum ab adulterio, sed & Sodomiâ, homicidio, & ab aliis qvibusvis maximis sceleribus se pecuniâ redimere, & licitum & laudabile esse. Qvod vero calumniosè Turcas Lutheranis præfert, papistico gladio se jugulat. Prodiit enim anno 97. Constantiæ libellus Catholicus, anno 31. ante qvoqve excusus; super qvem Johannes Hofmeister Catholicus censuram qvandam scripsit, in qva asserit; confessionem seu religionem Lutheranam, non esse ex omni parte damnandam, sed qvodammodo posse probari & acceptari.

p. 98. Et alius qvidam libellus nuper editus est à Caspàro Northausen, insigni Pontificiæ religionis defensore, Coloniæ Agrippinæ, cum titulo; de Lutheranorum cum Papistis Concordia, ubi dicitur; Lutheranos à Pontificiis dissidere in 21. articulis: & illorum qvidem tredecim esse Evangelicos, & Apostolicos: cum reliqvis verò ita comparatum, ut facilè uniri possint atqve coadunari. Modum autem, qvo conciliari qveant, optimum descripsit reverendus & doctissimus Vir, Dominus Philippus Hailbrunner, edito libello, cui titulum fecit: de Augustana confessione, & contrario judicio, censuraqve Papistarum de eadem.

Si igitur doctrina Luthera in 13. articulis cum Pontificiâ concordat, & reliqui octo qvoqve conciliari possunt; certè ex eo inferri potest, Raschium vel propriam suam religionem expugnare & abnegare: vel Mahometismum fidei Christianorum longè præferre. Imp. 120. Rud. 2. Pp. 235. Urban. 7. De hoc plura infrà in Calvino-Turcismo anno 97. Anno

Non solum autem Astrologi & Philosophi hoc venenum, qvod etiam gentes olim detestabantur, imbiberunt, sed proh dolor in ipsam qvoqve DEI Ecclesiam hodiè irrepsit. De qvo Chrysostomus super Matth. Magna etiam, ait, Ecclesia & in clerico, multoqve major qvàm in laicis, est invidia. Et Hieronymus Wolfius in Zonaram, Thelogi, inqvit, de justo DEI judicio, de præmiis piorum, de suppliciis impiorum concionantur: cùm tamen ipsi acutis exacerbatæ lingvæ pugionibus se confodiant, ut haud injuria dubitari qveat, an Theologi sint nominandi? Nemo enim non aliena vitia perspicit & exagitat, sua verò seriò & constanter emendat ferè nemo. Johann. Wilhelmus Stuckius, de qvo etiam infrà, scribit, Thelogos, licet in fide & religione semper ferè dissentiant, tamen in eo, qvæ plutonis sunt, sæpè concordissimos esse.

Et videmus sanè, qvosdam doctos, & de Ecclesia aliàs non malè meritos, cujuscunqve sectæ & conditionis Theologos, dum alter alterum pio zelo, & fraternâ Christianaqve charitate, mediante DEI verbo, ut vacillantem Petrum S. Paulus olim admonuit, docere, hortari, & corrigere debebat; ipsos interim ad Calumnias confugere, adeoqve se invicem convitiis, & maledictionibus proscindere, & affectibus humanis ita indulgere, ut etiam blasphemias in DEUM simul evomant, & scommatis, ac sycophanticis morsibus non raro totam orationem contexant.

Præsertim verò Jesuitis hodie hoc admodum est in scriptis solenne, ut ex verbo DEI convicti, solideq; refutàti, convitiando rem aggrediantur. In qvo sanè non Theologi, sed Cynici (de qvibus August. de civ. DEI lib. 14. cap. 20. sunt, qvorum erant mores, omnibus convitiari & allatrare: non fratres JESU, sed Esau: JESUS enim mansveto, placido, ac humili animo esse jussit: non pro criminibus crimina referre docuit: sed benedicere maledicentibus, & ex sacro codice instituere ac erudire adversarios, non dente eos petere Theonino.

Et ut ex plurimis saltem pauca delibemus, D. Ficklerus affirmat; eum, qvi non per omnia cum Papa sentit, non pro viro bono, sed inhonesto nebulone habendum, & tollendum esse.

Petrus Muschisch exclamat, ô juste judex Moyses revivisce hodie, & tolle pestiferos & venenatos istos bufones W. & simul alios omnes Lutheranos Concionatores. Aperiatur terra, &, ut olim Core Dathan, & Abiron, consumat eos. O coeli coelorum

Anno rum, mittite ad nos Josiam & Jehu, qvi hos Baalitas, W. asinos, & hæreticos ex inferno prognatos interimant.

Sed talia aliqvo modo ferri possent, modo ab horribilibus blasphemiis in DEUM abstineretur.

In qvo etiam doctissimos (proh dolor) labi videmus. Calvinus enim contra Westphalum asserit, qvòd cœna Lutherana sit crassum delirium, Laniena, crassa ingluvies, ingurgitatio carnis Christi in ventrem, commentum à Diabolo suggestum, & qvòd ii, qvi cum Luthero credunt, Diaboli incantatione sint excæcati. Et contra Heshusium, mancipia Satanæ, anthropomorphitas, canes, nebulones, & impuros scurras vocat. Beza Epist. 70. Summa verò, inqvit, Christianitas est, eos detrudere ad inferos, & in eos cum vivos tum mortuos debacchari, qvi corpus Christi realiter in pane, & ejusdem sangvinem in canthàro includere recusàrunt. Et hæc hominum monstra diutius feret Germania? Nam hæc qvidem una istis nunc deliciis fruitur, adeò etiam avidè, ut pro Papistici Cleri tyrannide. qvi tamen aliqvam saltem antiqvitatis & dignitatis speciem habuit, istorum indignissimorum hominum jugum ultrò subire non recuset: qvorum dogma tam sanè est absurdum, ineptum, [illegible] ut *verè possim illud vocare Satanæ excrementum*, qvi ipsis etiam juratissimis suis hominibus, atqve adeò sibimetipsi qvodammodo illudat.

Et idem Beza in Creophagiâ, cœnam cœnum, & stercus in laterna, qvod Cardinalis Lutheranus in colloqvio Possiaco illi objecit; impanationem, companationem, subpanationem, invinationem, convinationem, subvinationem, furfuraceum DEUM: Papistas gulosiores, Lutheranos autem paulò lautiores dixit. Et contra Westphalum inqvit, si Apostoli Christi corpus in cœnâ DOMINI comedissent, tum non magis habuissent Judæi, qvod crucifigerent, qvàm haberet qvispiam qvod ederet, qvi, omni absumto cibo, ultimus accubuisset. Idem contra Selneccerum: Lutheranos rabidos canes potiùs, qvàm Ecclesiarum Pastores esse: & eos Satanæ ministros, pseudoprophetas, pseudoapostolos, qvi ex verbis Christi idolum faciunt, & iis abutuntur ad artolatriam, & qvodvis aliud errorum genus, nuncupavit.

Idem Beza fatetur, candidæ amasiæ suæ (qvam olim Epigrammatis decantavit) cunnum, imò partem diversam adhuc magis pudendam, mundiorem esse, qvàm illorum hominum ora, qvi simpliciter verbis Christi inhærentes, credant: se præsens Christi corpus ore suo accipere.

Idem itidem contra Selneccerum, doctrinam Lutheri de cœna commentum esse, perhibet: cujus etiam vel ipsum Satanam pudeat: & ejus sententiam de communione indignorum, esse duos pilos caudæ eqvinæ.

Johannes Major Theologopoëtaster, ut etiam qvodam in loco Beza, Lutheri cœnam, Thyestis & Cyclopis esum nominat, sic enim Thyestem filium à fratre Atreo ad epulandum appositum, & Polyphemum Ulyssis socios devorasse. p. [illegible]

Beumlerus ingestionem in fœdissima canum & porcorum ora: Nathanaël Nesecius delirium, Phil. Mel artolatriam vocat. Et in libro, cui titulus est Palingenius, nominantur Lutherani homines contentiosi, qvibus crura sint frangenda: ibidem consecratio panis & vini comparatur pharmace utriæ & sagæ.

Simlerus in vitâ P. Martyris appellat hoc dogma portentosum, & planè novum, nec esse magni momenti. Et Martyrem [illegible] ante mortem ad Bullingerum & alios dixisse, refert: se non velle esse in cœlo Brentii, qvod nusqvam sit.

Boqvinus & alii, Christum in cœna pistum, coctum, impanatum, paniceum, in horto crescentem DEUM esse, ajunt.

Ab aliis templa Lupanaria, Missa Latrina, & panis consecratus sive hostia, nocturnus Cacodæmon, & Johannes albus nominantur. De qvo lege [illegible]ogum, qvi extat de statu turbulento Ecclesiæ hujus seculi.

Noverit tamen lector, de controverso articulo cœnæ dominicæ hoc loco qvæstionem non esse, sed tantum de calumniosis scriptis, qvæ certè pios viros, graves, & Theologos minimè decent; & qvidem ipsimet Zinglii, Calvini, & Bezæ discipuli, blasphemum & turpe hoc genus, de hoc maximè suspiciendo mysterio loqvendi, exsecrantur, & damnant. Prævidit autem vates Joachimus Abbas, qvi vixit circa annum Domini 1100. hoc funestum dissidium, ac proinde calicem suæ [illegible] rotæ appinxit: sed addito flagello. hoc qvid significet, qvilibet facilè deprehendere potest. Tres Rosas qvidam ternam Ecclesiam interpretantur, ex Papistis, Lutheranis & Zinglianis. Esaiæ cap. 19. Sed qvare per illas occultetur serpentis volitantis caput, de hoc mysterio postea dicetur: & qvid calix in Hussitarum vexillo portenderit, habes supra in historia Hussitarum.

Hic autem addi potest illud S[illegible]burgii, cum dicit si sunt ejusmodi homines Lutherani, qvales eos nuncupant illi, [illegible] qvibus hactenus; qvænam causa est, qvod Zvvinglius Marpurgi, Beza Mompelgardi, aliiqve aliis in locis nos homines, Lutheranos videlicet precibus lachrymisqve etiam atqve etiam adeò obnixè rogârunt & exsecrârunt, ut se in fratres & amicos reciperent? Hæc ille. Et perhibent multi, qvòd Cinglius Marpurgi forsan doctrinam Lutheri fuisset amplexus, nisi eum pertinacio-

Anno naciorem pro fratre agnoscere renuisset, & eum qvoqve hoc facere non prohibuisset metus exilii, qvod interminabantur ei Helvetii, jam abeunti ad colloqvium, si reversus in dogma Lutheri concessisset.

Qvia igitur convitia, ut dictum est, & mordacia dicta longè indigna sunt homine Ecclesiastico: ac secundum D. Paulum, ejusmodi calumniatores regnum DEI non possidebunt, 1. Cor. 6. & Levit. 19. non facies calumniam proximo tuo: non eris calumniator: dilige proximum tuum sicut teipsum; sibi autem nemo maledicit: Ideò simus verbo DEI audientes: caveamus inutilia verba: & ut idem gentium Doctor, 2. Tim. 2. piè monet, non contendamus verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium: qvia servum Domini non oportet litigare, sed mansvetum esse cum modestia. Imitemur sanctos Patres, & præsertim Augustinum, cujus inter alios laudabile est comitatis & lenitudinis exemplum. Etsi enim is ab adversariis, & hostibus suis pessimè lacessitus fuerit maximis criminationibus, non tamen exarsit in iram vicissim, nec affectibus suis qvicqvam concessit stomachando, sed injurias illatas pertulit facili animo, & ad DEI verbum se convertit, amoremqve proximi, qvem unum de maximis præceptis esse Christus docuit, majoris facere didicit.

Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in epist. ad Antioch. & Alex. Epp. act. 3. Nicæn, inqvit: abiit contentio & seditio longissimè à vobis. Qvemadmodum enim uno Baptismo tincti sumus, unam fidem habemus, ita qvoqve in omnibus Ecclesiasticis negociis unum animum studeamus habere.

Seqvamur qvoqve hac in re vel prudentiores Philosophos. Plato enim in Timæo asserit: viro bono nunqvam ulla in re nasci invidiam. Nec calumniatus est, cum Platonem reprehenderet vel Socratem, Aristoteles: & Architas Tarentinus, sapientiæ Pythagoreæ discipulus, lacessenti se cuipiam adversario, injuriis commotus respondit: nisi iratus essem, pœnas de te sumerem.

Henricus Bebelius dicit, se eum, qvi maledicentia pugnat, comprobare non posse: id enim proprium esse meretricum, scurrarum & nebulonum, in lupanariis & tabernis: fidem nullam adhibendam esse, cùm contra inimicum scriptum sint.

Sed ut Hieronymus scribit, hæreticorum ultimum remedium & præsidium est, cum conspiciunt, causas suas damnatum iri, ut incipiant virus suum serpentis lingva diffundere, & cùm se victos conspiciant, ad contentiores prosilire: & Zanchus inqvit in Miscell. proprium est rusticorum & imperitorum, cùm desunt rationes, & argumenta, ut recurrant ad convitia.

Probè igitur fecerunt olim, maledicos ejiciendo ex urbibus & ditionibus suis, cùm Græci, Rex Lysimachus, atqve Athenienses: tum Romani; ut eorundem testantur historiæ: & Athanæus Dipnosophist. lib. 5. cap. 14. & lib 11. c. 12. & lib. 13. cap. 33. Anno

Sed & Blasphemi judicem habent: de qvo Lev. 24. Col. 3. Rom. 6. 12. Eph. 4. & aliis multis in locis.

Sed studium hoc calumniandi significarunt isto tempore multa passim monstra, caninis capitibus nata, ut judicio essent monstrosi status hujus, ubi homines qvasi canes latrando omnia implent, cujus egregium hic Raschius præbet exemplum.

De Calumnia Mendacio, & Maledicis Criminationibus pulchram edidit olim Apelles, & mystico sensu plenam hanc picturam. p. 983.

IN solio residet vir benè auritus, dominum cujusdam terræ designans. Hic porrigit manum dominæ Calumniæ: assistentibus ad utrumqve latus ei dominabus Ignorantis, & Suspicione. Calumnia ardentes habet oculos, & facem flammantem tenet in læva, dextra manu Innocentiam, h. e. virum Innocentem qvendam cum crinibus trahit ad dominum: Invidia seqvitur: & pedes viri insidiosis protrudit manibus. Calumniam comitantur Mendacium & Fraudulentia. Demum à longè procul advenit qvoqve domina Veritas, adjunctam habens comitem dominam Pœnitentiam. In secessu postremi anguli residet pictor, qvi historiæ actum describit in tabula.

Commentatoria in hanc picturam Apellis, & elegans extat Elegia Eobani Hessi ad Philippum Melanchonem.

COni apud regem falsò accusatus Apelles,
Indignum tabulâ vindice pinxit opus.
Considet in solio veluti Rex auribus amplis,
Videris, auritum dixeris esse Midam.
Hic est ille Midas, qvem falsa Calumnia verbis,
Aversum vero, credere falsa facit.
Huic geminæ adsistunt dextrâ levâq; puellæ.
Consonâ qvæ propriis nomina rebus habent;
Prima loco motam tenet Ignorantia mentem,
Altera Suspitio credere falsa docet.
Tum velut Alectûs armata Calumnia flammis,
Insontem tacita circuit arte virum:
Circuit, & captum rapit ad regale tribunal:
Et sontem falsi criminis esse facit.
Hanc ternæ comites à tergo ponè seqvuntur:
His sua pro rebus nomina conveniunt.
Invidiâ siqvidem compulsa Calumnia Fraudem.
Advocat, hæc tacitas excitat Insidias:

Hæ

Anno Hæc sunt arma, quibus miseros mala perdit Erinnys,
Quâ furiosa nihil tartara pejus habent.
Post Metanœa sequens tristi circundata palla,
Quòd citò crediderit, pœnituisse docet,
Namque ubi de tenebris emerserit Alethea,
Omnia, ceu tenebras, discutit, orta dies.
Hactenus expressa est depictæ causa tabellæ,
Si capere immensum parva tabella potest.
P.684. Nam quis inexplicitæ queat omnia nomina pestis
Edere? quis varias explicuisse vices?
Quæ tot imaginibus, tot deformata figuris,
Totius immensas obsidet orbis opes:
Quot nec Apelleam poterit manus ulla per artem,
Dædala nec Rhodii pingere cura senis.
Nam quos non aditus, quæ non subit atria regum;
Quæ fora, quæ non hæc limina pestis adit?
Repit, & occulto subit in penetralia lapsu,
Et nisi principibus non amat esse comes,
Rarò etenim vulgi plebejas occupat aures,
Et minus hic rabies ista nocere solet.
Summa petit, semperq; alta, quos prendit, ab arce,
Non secus ac rapidi fulminis igne, ferit.
Hoc pejor, quòd aperta nocet minus, omnia turbat
Improba sed quadam sub pietate latens.
Frivola commodiore modo Fortuna ferenda est,
Opprimit illa latens, hæc manifesta nocet.
Noxia nulla magis miseris illuserit Ate,
Dejicit illa bonos, sed ferit ista malos.
Non hac Blanditiæ, non Assentatio demens,
Quamvis sint sociæ, plus nocuisse queant.
Invidia infelix minor hac si sola fuisset,
Et minor insonti pœna futura fuit.
Deniq; quæcunq; est aliquem metuenda per orbem,
Huic benè conferri pestis acerba nequit.
Omnibus involitat furiosa Calumnia terris,
Et vacuum de se non sinit esse locum.
Non habet hæc pensi quicquam, quo nomine, quâve,
Dum premat, insontes opprimat arte viros.
Atq; ut facta volens velut hæc generalia mittam,
Res est in species ista secanda suas.
Prima loco sanctâ sub relligione moratur,
Atq; ista sedem legit in arce sibi.
Inde quot obruerit sacratæ fulmine dextræ,
Idem est & stellas enumerare labor:
Inde quot assiduè scelerata per arma trucidet,
Tam facile est dici, quàm sine voce loqui.
Aspice Pontifices Petrina in sede tyrannos,
Et quotuplex ista fulmen ab arce cadat!
Non aliam dices habitare Calumnia sedem,
Non alia potuit lætior esse domo.
Quisquis enim non ista, Dei ceu numen, adorat
Plumbea Romani fulmina Pontificis:
Hunc rapit ardentes succensa Calumnia vultus,
Sistit & auritum protinus ante Midam.
Proximus hic vicio, quantumvis purus, & insons,
Occidit, & pœnam pro pietate luit.
Nunquam illo Metanœa loco se ostendere visa est,
Usq; adeò nihil hic pœnituisse potest.
Sint scelerata licet, sint deformissima dicta,
Quæ fiunt illic, ut pia facta probant.
Namq; nec Alethea illic scelus ulla revelat,
Usq; adeò falsum gens facit ista nihil.
Decipit incautas nulla Ignorantia mentes;
Hæc alibi, non hæc servat in arce locum.
Tam faciunt quicquid faciunt prudenter, ut ipsum,
Si liceat, possint fallere fraude Deum.
Quattuor at reliquis Dea sæva instructa ministris, p.685
Omnia pro solita conditione gerit.
Suspicio siquidem, quæ non sunt, credere cogit,
Invidia officio non sinit esse locum.
Ducit in insidias fraus semper avara nocendi,
In facinus causas fingere docta suas.
Præcipitant demum insidiæ, si fortè potestas
Sit data; si non sit, qualibet arte nocent.
His armis aggressa pium furia ista Lutherum,
Conata est avida perdere sæpe manu.
Gratia servavit, ne perderet, obvia Christi,
Solus hic infamis non timet arma Deæ.
Ecquid enim sacram turbare tyrannida Papæ
Audet ab Arctoa turbidus iste plaga?
Ecquid, ut ad redeat priscos Ecclesia ritus,
Hic nova perversa dogmata mente serit?
Hic nihil in totam concita calumnia [illegible]
Sæviat? hic placida nomina [illegible]?
Non ita, nam caræ generosa palatia Romæ,
Plena dolis linquens, inferiora petit.
Atque ita pontificum sedes aggressa minores,
Nulla non miserum carpit arte gregem.
Hic agit innumeros regina calumnia motus,
In sibi contemtæ vilia membra domus.
Hinc sunt arma, sacræ ceu relligionis in hostes,
Non hæc natis suæ gentis in arma manus.
Hinc ita sævit atrox, ita degrassatur in insontes,
Quos premit, ut paci non sinat esse locum.
Hinc tormenta, cruces, laqueos, incendia, flammas
Aptat, & innocuo vulnera mille [illegible]:
Sicut nostra novo viderunt secula ritu
Pontifices avidas cædis habere manus.
Quando alios sævis hausêre incendia flammis,
Hinc alii mediis obruerentur aquis.
Innumeri laqueis & gladiis periêre nocentis,
Quando etiam Reges ista tyrannis agit;
Limina quando ducum, quando alta palatia Regum,
Tam sine fine nocens ista Megæra colit.
Non tamen omnigenûm, nam sunt, qui fortiter istis
Laudibus heroës nomina prima tenent.
A quibus ista premi scelerata calumnia prostat,
Et quibus est vera cura salutis opus: (stat,

Sub-

Anno *Subrepit tamen illa nocens & frivola pestis*
Undiq; & insidias hic, & ubiqve struit.
Nec qvisqvam, nisi fortè latens, & nomina cassus,
Effugere hanc furiam qualibet arte potest.
Omnia pervolitat, perrumpit, & omnia furtim
Rimatur, nullo se tenet illa loco.
Præcipuè tamen in sacri pia dogmata verbi
Sævit, & hæc totis viribus acta furit;
Usq; adeò, ut rari, qvos nulla calumnia turbet,
De populo fidei Christidos arma ferant.
Ut nulli possint veræ pietatis honorem
Adserere, in qvos non sæviat ista lues.
Sic premit insontes, sic evehit illa nocentes,
Ut vis fassa dolum non sit iniqva magis.
Hoc periere modo tot millia tempore nostro,
Qvi, nisi qvòd saperent, non habuère nefas.
1516. *Nec tamen exemplis libet hic mordaciùs uti,*
Livor ab exemplis sæpe venire solet.
Notior est pestis, vulgatior ista in annis,
Qvàm sit in exemplis invenienda fides.
Si tamen ulla fuit tempestas dura per orbem,
Hac nostra nunqvam durior ulla fuit;
Qvam tot iniqva modis tot & artibus afflixisset:
Pestis, Tartareo nomen ab hoste trahens:
Qvam tibi dum brevibus numeris describere conor,
Crescit in immodici cura laboris opus.
Tam latè, tam regnat ubiq;, & sævit in omnes
Hoc, paradisiaco sævius angue malum.
Nec vinces ratione alia, non arte levabis,
Qvàm pestem hanc animo si patiente feras.
Sola potest tantam patientia vincere cladem,
Non nisi de superis sedibus illa venit:
Hæc istam curare luem medicina potens est,
Cui comes insuperos est generosa fides.
Verus amor, spes fixa DEO, syncera voluntas,
Miscent hæc medica pharmaca certa manu.
Istius antidoti vires objeceris hosti:
Per mala tot, Christo Principe, victor eris.
Sic non ulla suis nocuisse calumnia telis,
Nec poterit qvicqvam fraudis obesse tibi.
Hactenus hæc brevibus tibi scripta Philippe camœnis,
Qvam mea consvesti, dexteritate feret.

Hanc figuram laudatissimus ille super omnes in orbe universo pingendi artifices, Apelles, (cùm apud Regem Ptolomæum Ægypti à sycophantis falsò delatus, conjiceretur in carcerem: sed tandem, ubi veritas & innocentia illius innotuisset, dimitteretur iterum) finxit, & qvàm pulcherrimè depictam obtulit Regi; significaturus: indignari, & graviter in insontes & fideles ministros animadvertere qvosdam dominos adeò, ut locum dantes suspitionibus, calumniis, mendatiis, & pestilentibus adulatorum & neqvam hominum morsibus atqve detractionibus, sæpius in furore fidelissimos ministros temere & injustè ejiciant, & interdum qvoq; interficiant: sed veritate & pœnitentia insequente, contingere eis idem, qvod Alexandro Magno, qvi fidelissimum sibi cùm interfecisset Clytum, hastam ex corpore jacentis evulsam retorsit in seipsum: & cùm (ut ait Q. Curtius de rebus gestis Alexandri Magni) jam admoverat pectori, advolant domestici, & repugnanti è manibus extorqvent. Ille humi prostraverat corpus: gemitu ejulatuqve miserabili tota personans Regia: laniare deinceps os ungvibus, & circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur. Rex triduum jacuit sine cibo inclusus: ad moriendum obstinatus. Hæc Curtius. Talia comitantur præmia Tyrannos.

De hoc diabolo mendacii & calumniæ scribunt qvoq; Henr. Knaust, I. C. Thomas Guntherus, & Conradus Porta.

Sed ut reditus fiat ad Apellem nostrum, digna scitu est historia, qvo mirabili fortunio is in Ægyptum delatus, & notus Regi ejus Insulæ sit factus.

Navigaturus igitur in Ægyptum ex Græcia, fecit naufragium: sed arrepta tabula, in qva sedebat, evasit tandem incolumis, & ad littus appulit; ibi autem incidit in piratas, qvi ademtis ipsius preciosis vestibus, & datis vicissim suis pannosis & laceratis, ipsum dimiserunt. Miser ergò denuò Apelles, ut mendicus incedebat; & tandem pervenit in urbem Ægypti, in qva habebatur aula regia, & in hospitio passim ab omnibus tanqvam mendicus erat contemtus. Non enim indicabat, qvis esset, aut qvam fortunam passus esset: sed in angulo se abdens, comedebat, qvæ passim mendicando collegerat. Interea fortè venit eò satrapa qvidam Regis, ornatus catenis aureis, & indutus holoserico, qvi videns hunc miserum hominem, derisit eum (sicut qvidam insolentiores solent facere) tandemq; etiam per illusionem dixit: Heus tu homuncio, Rex te hodie ad convivium vocat. Miser Apelles dicit: Ita, veniam. Aulicus constituit ei certum cœnandi tempus. Apelles respondet: Certò veniam.

Abiit Regis cubicularius, nec putat, illum venturum: & sibi gratulatur, qvòd miserum ita derisisset. Verùm cùm jam tempus cœnandi instaret, Apelles pannosus ascendit aulam regiam. Ibi cùm interrogaretur ab aulicis, qvid sibi vellet mendicus? respondit, regem ipsum vocasse ad cœnam. Irrident aulici hanc vocem: o miser, cur Rex te invitaret? Ita fortassis illusus es. Non, inqvit Apelles: fuit apud me hodie qvidam aulicus, qvi me nomine Regis invitavit. Qværunt igitur, qvod nomen esset illi, qvi eum invitaverat? Respondit Apelles: nomen se ignorare, sed benè posse se illum pingere: & statim jussit sibi adferri instrumenta, & ita pinxit istam imaginem cubicularii, qvàm mente conceperat, ut ab omnibus dignosceretur, qvis esset. Videbant enim imaginem pictam omninò con-

Anno convenire cum forma aulici, qvi erat unus ex cubiculariis Regis. Deferunt igitur imaginem pictam ad Regem.

p.987. Rex statim agnovit, qvòd esset imago sui cubicularii: ac jubet adduci hominem, qvi istam imaginem pinxerat. Accessit miser Apelles in suis pannosis, & sqvalore obductis vestibus. Rex collocavit eum juxta suam mensam, ut cœnaret cum eo: & inter cœnandum qvæsivit: cujâs esset? Respondit, se esse hominem Græcum, & fecisse naufragium, & tamen evasisse incolumem: sed incidisse in piratas, qvi ipsum suis vestibus exuissent, & pro illis has pannosas sibi induissent. Postea Rex longo tempore Apellem apud se retinuit, & usus est ipsius opera in pingendo. Tandem dimisit illum donatis multis millibus aureorum. Ita sua arte est servatus, cùm alioqvi per totam vitam, mendicum & erronem manere ipsum oportuisset: sed ars ei naufragio non fuit ademta.

De hoc Apelle pictore plura habes apud Plinium libro 35. & inter alia illud memorabile. Cum Alexander Magnus (qvi ab alio qvàm illo, pingi se vetuit edicto) dilectam sibi ex pellicibus suis præcipuè, nomine Campaspen, nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle jussisset, cumq; tum pari captum amore sensisset, dono dedit ipsi eam. Magnus animo, major Imperio sui, nec minor hoc facto, qvàm victoria aliqva. Qvippe se vicit, nec thorum tantùm suum, sed etiam affectum donavit artifici: ne dilectæ qvidem respectu motus, ut qvæ modo Regis fuisset, modò pictoris esset. Hæc Plinius.

Laudabilis autem fuit illius seculi, tum in liberè loqvendò ingenuitas, tum altioris & generosioris ingenii hominum comitas. Nam cùm hic Alexander, Ephesi suam ipsius imaginem, qvam ex ipsius edicto Apelles pinxerat, contemplatus, non laudaret, pro dignitate picturæ: in evidentiam verò probati operis introductus eqvus adhinniret eqvo, itidem ab Apelle picto, perinde ac vero & nativo: ô Rex, inqvit Apelles, hic eqvus in discernendis picturis longè te meliore judicio præditus esse videtur.

Vaticinium de Politico Antichristo

1590. Qvidam Dominus nobilis hoc tempore Concionatorem suum publicè pro concione reprehendit, & eum mentiri dixit: qvæ est vaticinii Lutheri sufficiens impletio? qvi, politicum qvendam Antichristum mox fore, ex Apocal. 17. prædixit: ut, qvemadmodum Papa Ecclesiæ prætextu politicum arripuit gladium: sic ille Politiæ respectu Ecclesiasticum sit capessurus: & Politicam Ecclesiam, sicuti & Papa, facturus. Ac de eo id vaticinium in concione ipsius Dominica XXIII. Trinitatis Wittebergæ anno 1537. habita, ita sonat: Anno

Es wird nun i.i einander gemenget werden: Im ersten seynd die Bischöffe abtrinnig worden: Soll nun die Welt länger stehen/so wirds darzu kommen/daß die/so Fürsten und Herren seynd/ werden wöllen geistlich seyn: Da wird und soll denn der Schultheiß auff dem Dorffe / die Bürger-Meister in den Städten/der Edelmañ auff dem Lande / die Pfarr-Herren und Prediger reformiren/ und meistern / ja lehren wöllen: Also soll man predigen. Es ist ihnen aber noch nicht angangen: Doch sicht und arbeitet es der Teuffel schon dahin. Jehne seynd aus Bischoffs-Hüren Fürsten worden: Diese werden weltlicher Fürsten Kleider tragen: und dannoch Bischöffe werden wöllen: das werden die rechten letzten Bischöffe seyn / am Ende des Jüngsten Tages. Dann GOTT ist erzürnet über die Welt / daß sie so undanckbar ist / und Christum / und den lieben Schatz seines Worts nicht annehmen wil. Wann du dann nicht wilt Gottsfürchtige Leute hören: So werden dañ Bischöffe kommen/ als weltliche Fürsten. Hæc Lutherus.

Iohannes Schenck à Grafenberg in *libro observationum admirabilium.* 1590.

Ex Duce Baruch Vendale uxor concepit, & biennio prægnans fuit, & parturivit in fantem gradientem & loqventem. Et alibi fœmina biennio uterum ferens, infantem loqventem enixa est. Idem referunt Alb. Crantius, & Aventinus lib. 5. An. Bojorum.

Idem lib. 4. Anno Christi 1584. posteaqvàm vir nobilis, D. Ludovicus ab Hirshorn (cujus sedes fuit in Palatinatu, tribus ab Heidelberga milliaribus: in oppidulo, qvod ejusdem nobilis viri nomen sibi vendicat) rebus humanis exemtus esset, neqve ullum post se hæredem reliqvisset: vidua interim ipsius ferente: statim ipsius defuncti agnati, & feudorum successores (ut qvi vehementer dubitarent, ferretne masculum gravida vidua, an potiùs fœmellam?) non sólùm omne jus successionis feudorum, in omnem eventum, à feudorum dominis obtinuerant: verum etiam qvia libenter plenam & fundamentalem noticiam omnium feudorum & redituum habuissent: ideo statim à morte prædicti nobilis, superstitem ipsius viduam, adhuc immaturam defuncti mariti mortem lugentem, sua in domo operuerunt: eiqve claves ad cryptas & cellas è lumbis non sine vi & vehementia detraxerunt. Qvæ res adeò miseram & tristem viduam affecit, ut conjectis in verticem suum manibus, vociferari & ejulare magis cœperit: ut qvæ graviter molesteqve hujusmodi sævitiam & agendi modum ferret. Qvin etiam paucis inter-

Anno

interjectis diebus, tantem peperit, & qvidem egregium puellum, sed mortuum, & calvaria carentem.

Cæterùm cum agnati & hæredes defuncti Nobilis, ea de re certiores facti essent, persvaserunt sibi, suam ipsorum spem jam expletam, & ipsos sui compotes voti factos fuisse. Qvare jus suum in utenda-fruenda hæreditate feudorum persecuti sunt. Sed DEUS Opt. Max. velut è saxo alium partum masculum, & paternorum bonorum hæredem viduæ illi mœstæ & desolatæ suscitavit, atqve donavit. Etsi enim non ita pridem puellum enixa esset, tamen subtumida à partu remansit, nihil aliud suspicata, qvàm vel tumorem præter naturam, vel aliqvem morbum in suo residere corpore; id qvod etiam aliqvibus Medicis (qvorum consilium separatim reqvisitum & auditum est) visum fuit. Causam enim morbi qvidvis aliud existimârunt, qvàm qvòd, ipsam gravidam adhuc esse, suspicarentur. Qvare consilium ei dederunt, ut ad Thermas fontis acidi ad Rhenum (bey Elsal am Rhein) sese conferret. At qvas illa Thermas, secuta ea in re Medicorum consilium, ut vidua mœsta & orba, unica ancilla comitata, profecta est.

Verùm enimverò ut tandem mense Julio, anno 1584. eò loci venit, ob Thermas: accidit, ut ibi inveniret Electorem Saxoniæ Augustum (qvi paulò pòst in fata concessit) cum conjuge; nec non alios, aliasqve Principes: qvi ita loca præoccupârant, ut ipsamet in diversorio locum manendi non inveniret: præsertim cùm nemini notum esset, qvæ qvalisvé matrona foret, qvæ unica tantùm ancilla comitata venisset. Porrò tandem ejus loci Præfecto, qvænam esset, significans: & suum ei casum, qvi non ita pridem acciderat, commemorans: ægrè ab ipso hospitium ad seqventem noctem obtinuit.

At verò ea ipsa in noctè, cùm jam decima ageretur hebdomada à priori & proximo partu, DEUS Opt. Max. ipsam & mœstam atqve afflictam, & apud peregrinos, pulcherrima prole mascula, eaqve viva, ditavit. Id qvod statim fando pervenit ad aures illustrissimorum Principum. Et qvidem ei Elector Moguntinus lautum ac nobile puerperium instituit: Elector verò Augustus eidem mille Thaleros dono dedit. Qvin etiam omne jus hæreditariæ successionis & feudorum ab aliis repetitum, & huic ipsius filiolo, hæredi videlicet legitimo, restitutum est, qvi adhuc ad præsens est in vivis. Imp. Rud. 2. Papa Urb. 7.

1590. *Iohannes Rosinus.*

Hic in lib. antiq. Romanorum, cum Zozymo Pontificium collegium usq; ad Theod. Senioris Imper. tempora Romæ fuisse, asserit; qvi ultrà superstitionem illorum ferre nolens, edicto eorum reditus fisco applicavit. Cum igitur hic *Theodosius senior Cæsar Romanus*, per literas numerales 1612. numerum faciat, & omnes Catholicorum vates, Methodius, Abbas Joachimus, Catharina Senensis, Brigita, Telesphorus, Elisabetha, Hildegardis, liber vaticiniorum, Cusentia, Catali, Lichtenberg, Frater Nicolaus Helveticus, Vincentius, Rupescissa, Gruntbeck, Johann. Huss, Fr. Robertus, Onus Ecclesiæ, & alii plures uno ore omnes mutationem aliqvam tunc prænuncient, ob electos autem dies decurtentur, certè præ foribus finem mundi instare, credendum est.

Anno

Idem. Unus omnium Pontificum supremus erat, qvi maximus dicebatur, à Numa institutus: qvòd, ut Dionysius tradit, maximarum rerum, qvæ ad sacra & religionem pertinent, judex esset, & vindex contumaciæ privatorum & magistratus. De ejus creatione lib. 1. sic scribit Livius:

Minoribus Pontificibus creatis, Numa Pontificem deinde maximum, Numam Marcium, M. F. ex patribus legit, eiqve sacra omnia, exscripta exsignataqve attribuit: qvibus hostiis, qvibus diebus, ad qvæ templa sacra fierent, atqve unde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cætera qvoq; omnia publica privataqve sacra Pontificis scitis subjecit, ut esset, qvo consultum plebs veniret, ne qvid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinosqve adsciscendo, turbaretur. Nec cœlestes modò ceremonias, sed justa qvoq; funebria, placandosq; manes ut idem Pontifex edoceret, qvæqve prodigia, fulminibus, aliòve qvovis viso missa, susciperentur, atqve curarentur. Hactenus Livius.

Festus etiam ait, Pontificem maximum atq; arbitrum rerum divinarum, atqve humanarum esse. Cæterùm Pontifex maximus ex collegio Pontificum creabatur: non qvidam collegarum cooptatione, ut in cæteris Sacerdotiis mos erat: sed populi tributis Comitiis, ut ex omni Livii historia facilè intelligi potest. Multò etiam tempore non nisi ex patribus creabatur: donec postremo omnibus honoribus plebi communicatis, Pontifex qvoqve maximus ex plebe primus creatus est T. Coruncanus: post qvem multi tam Patricii, qvam plebeji Pontifices maximi creati fuerunt, usq; ad C. Julium Cæsarem. Qvo mortuo, in ejus locum pontificatum maximum per vim invasit Lepidus. Post cujus mortem id Sacerdotium suscepit Augustus, qvod Lepido vivo nunqvam, qvanqvam oblatum, recipere sustinuerat, ut Tranqvillus tradit.

Decens autem visum est, eum, qvi totius Imperii possessionem adeptus esset, ipsam qvoqve supremam divinarum rerum auctoritatem, qvæ hoc Sacerdotio comprehendebatur, habere. Qvare post Augustum

Anno omnes Romani Pontifices, qvi sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt, pontificatum maximum vel susceperunt, vel se Pontifices maximos appellari passi sunt: ut Constantinus, Constantius, Valentianus, Valens, & Gratianus Augustus: qvi Christianæ religioni addicti, qvanqvam à Pontificis maximi munere abhorrerent: id tamen elogiis suis adscriptum non aspernati sunt, vel rejecerunt.

p.989. Primus omnium Gratianus Imperator, edicto proposito (ut Zosimus docet) se Pontificem maximum appellari vetuit: atqve ita ea Sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit. Seriem Pontificum Maximorum à Numa Marcio, usqve ad Titum Flavium Vespasianum Imperatorem Augustum, collegit Onuphrius. Imp. Rud. 2. Papa Urbano 7.

1590. *D. Othonis Gualtperi, pro defensione Lutheri, Lutheranorumq́, doctrina, Oratio, de qva paulò supra fol. 947.*

SApiens est illa atqve consideratione dignissima commonitio, qvæ extat in Pythagoræ Samii Poëmatio, qvod nomine χρυσῶν ἐπῶν inscribitur; & ut carmine id exposuit Latino Gerhardus Mathisius, ita sonat:

Mollibus inducas oculis non antè soporem,
Cuncta ter exacti qvam volveris acta diei:
Qvò sum transgressus? qvid feci? qvid boni omissum est?
A primo incipiens sic ordine cuncta revolve,
Deq́, mala doleas, de re læteris honesta:
Hæc age & exerce vigil, hæc adamare decet te,
Hæc te virtutis dia ad vestigia ducent.

Enimverò, qvemadmodum aliàs in omnibus vitæ partibus verissimum esse deprehendimus, qvòd scilicet tum demum actionum nostratum optatos conseqvamur fines, qvando subinde officii injuncti memores, debita cum pietate sobrietateqve ad animum revocamus, qvid primò, qvid secundò, qvid tertiò, qvid ultimò præstandum faciendumqve nobis sit: ita inprimis in re literaria vel maximè necessarium hoc potest videri. Est enim hic cum artium varietate conjuncta difficultas haud levis, ita, ut nunc obstet obscuritas, nunc impediat subtilitas, nunc mentis & ingenii remoretur tarditas, & qvod omnium gravissimum est, infinita illa pulcherrimarum doctrinarum multitudo memoriam nostram sic videatur obruere, ut eas aut rectè complecti, aut satis retinere firmiter, vix ac ne vix qvidem valeat.

Qvare prudenter cùm Præceptores illi faciunt, qvi discipulis suis cum Pythagora freqventer inculcant, ut scholam ingressi repetant versiculum Pythagoricæ diligentiæ exactorem: Qvò sum transgressus? qvid feci? qvid boni omissum est? tum qvoqve discipuli rectè studiis suis consulunt, qvando cum sene gravissimo Catone, Pythagoreorum more, exercendæ memoriæ causa, qvid qvoqve die dixerint, audiverint, egerint, vesperi commemorant. Anno

Cæterùm, ut materiem aliqvam utilem & salutarem pertractem; constitui, de Philosophia qvidem, & Philosophorum placitis aliqvid disserere; at item de Theologia & Theologis, qvòd talis dissertatio studiorum rationibus maximè consentanea accommodataqve esse existimetur. Verùm enimverò, ut instituti mei causam atqve occasionem paulò pleniùs intelligatis, nolite putare, me temeraria qvadam incogitantia Philosophiam cum Theologia, & contrà, velle confundere, qvasi facultatem illam utramq; certis qvibusdam limitibus & metis haud judicarem distinctam: verùm occasionem, ut facerem, præbuit insignis ille & nobilis Lutheri, aliorumq; protestantium Theologorum calumniator, Albertus Hungerus, Theologiæ in Academia Ingolstadiensis Professor ordinarius, ejusdemq; Procancellarius, cui annis abhinc paucis, in consimili palæstra, eadem planè ratione Philosophia & Theologia disserere placuit.

Philosophum enim proponit sibi Epicurum, ejusdem Philosophiam & placita: Theologum Lutherum, hujusqve doctrinam & dogmata. Atqve inter hos duos decem integris pagellis conatur ostendere, tantam esse homologiam, analogiam, consensum, concentumqve, doctrinam utriusqve tam consentaneam, tam cognatam, tam consimilem, ut vix ovum, qvod dicitur, ovo sit similius, adeò ut, qvemadmodum Epicurus ex diversis Philosophorum placitis circulum coëgerit, & de obsoletis Cyrenaicis aliisqve philosophastris floruerit: ita Lutherus ex variis jam pridem damnatis & anathematizatis hæresibus, Manetis, Arii, Eunomii, Vigilantii, Joviniani, Wiclefi, aliarumqve pestium venenis pestiferam suam sectam condiderit: tandem ut, sententia & judicio Hungeri, Epicureismus nihil videatur esse aliud, qvàm imperfectus Lutheranismus verò haud aliud, qvàm perfectus Epicureismus.

Hæc impudentissima impudentissimi Suitæ vox, cùm non modò in solenni & freqventi absqve dubio studiosorum panegyri, magno hiatu & verbis sesqvipedalibus fuerit prolata, verùm etiam, post censuram perinde religiosi Socii Gregorii de Valentia, in orbem Christianorum publicis typis emissa: operæ me facturum pretium existimavi, si in gratiam studiosæ juventutis, cujusqve bona pars fortassis has strophas vidit & legit, contrà demonstrem, argumentum, qvod pontificius hic Monachus adversum nos de Philosophia & Theologia sumsit, non nisi in ipsos Pontifi-

cios.

Anno cios eorundemq; philosophicam Theologiam optimo jure qvadrare: ac proinde, non Lutherum, sed Clerum Antichristi Romani ab Hungero fuisse delineatum.

Cæterùm, ut solidam ejus rei vobis fidem faciam, non seqvar vestigia Hungeri, ut, sine omni discrimine, universam Pontificiorum Theologiam ex Ethnicismo constare, dicam: hac enim ratione vel in ipso limine, non minùs ac Monachus hic, soricis instar me proderem (& totam orationem
1590 redderem suspectam) verùm in eo versabitur hujus dissertationis meæ cardo, ut liqvidò evincam: omnem Pontificiorum Theologiam (qvatenus à nostra, hoc est, Lutherana & Augustanam Confessionem professa, recedit) vel ex variis Philosophorum, non Epicuri tantummodò, sed aliorum qvoqve plurimorum placitis esse conflatam: vel κακοζηλίᾳ qvadam legum Mosaicarum introductam: vel deniq; proprio arbitrio & authoritate humana, κατ' ἐθελοθρησκείαν Romanorum Pontificum, præter & contra DEI verbum, in Christi Ecclesiam esse invectam, stabilitamqve.

Qvocirca primò de Paganismo, secundò de Pseudojudaismo, tertiò de Pseudochristianismo Pontificiorum, ex ipsarum rerum & cultus æstimatione aliqvid deinceps pro temporis ratione in mediū sum allaturus, ita tamen ut maxima orationis pars in primo absolvatur membro, qvòd istud ad institutum nostrum potissimùm sit accommodatum. Paganismum itaqve Pontificiorum, ut propter antiqvitatem primo collocatum loco, principio aggrediar.

Obscurum vobis neqvaqvam esse potest, qvàm religiosè & sanctè persvasum velint omnibus, se de primo illo & summo Religionis Christianæ capite, de sacrosanctæ (inqvam) TRINITATIS mysterio haud aliud statuere, qvàm id, qvod omnibus ætatibus Catholica ex DEI verbo statuit Ecclesia. At interim qvid faciunt? qvàm verùm dicunt? cùm ne & hic qvidem a Paganismo sibi caveant, sed si usqvam alibi, vel hic imprimis in eum impingant.

Enimverò qvemadmodum Ethnici non unum eum DEI Ecclesia JEHOVAM agnoscunt, sed πολυθεΐαν, seu multitudinem Deorum vanissimè comminiscuntur, ut unum qvidem summum DEUM constituant, cui tamen infinita alia numina inferiora subjiciant, ob id, qvod stultissimè opinentur, vel supremam illam summi numinis ac DEI majestatem sublimiorem esse, qvàm ut res mortalium singulas curare, iisqve providentia sua vacare dignetur: vel saltem si maximè curæ sint illi res humanæ, indignum tamen esse, ut à tam miseris atqve infelicibus homunculis indesinenter tot precibus atqve supplicationibus fatigetur: inferiores autem Deos ceu numero plures aditu faciliores esse, qvi, ut apud summum DEUM majore valeant authoritate, ita petita qvoqve hominum celeriùs conficiant & impetrent.

Qvid enim qvæso aliud opinati sunt Platonici? qvid Apulejus? qvid Porphyrius? qvæ alia gentilium θεοσοφία? Sic enim referente Eusebio & Augustino, Platonici eodem prorsus modo inter DEUM summum & homines, cùm animas defunctorum, tum dæmonas mediatores constituebant. Verba Augustini ex lib. 8. de civitate DEI cap. 20. 21. 25. 26. de Æsculapio & Hermete Trismegisto nominatim adducerem, ni tempori & actui inserviendum mihi intelligerem. Pari prorsus ratione Pontificii, qvanqvam, se summum qvendam & unicum JEHOVAM nobiscum colere confiteriqve, dicant; eidem tamen infinitam sanctorum hominum turbam, ceu διαδόχους in locum gentilitiorum Deorum substituunt: ad qvos etiam precationes suas dirigunt, ut ipsi ceu intermedii in DEUM & homines, supplicationibus audiendis, non sine permagna unici Mediatoris Christi contumelia, destinati credantur.

Conferat enim aliqvis Pontificiorum de veneratione sanctorum doctrinam: intueatur ipsius Ecclesiæ Romanæ praxin, & liqvidò animadvertet, omnia ea, qvæ de mediationibus, suffragiis, patrociniis, meritis, ope, auxilioqve sanctorum tradunt, defendunt, exercent; omnia, inqvam, re & facto, mutatis tantummodò nominibus, ne latum qvidem ungvem, à vana illa & stolida Platonicorum philosophica Theologia discrepare. Substitue in locum Æsculapii Cosmam & Damianum, & habes Platonicam Pontificiorum orationem: ô medici piissimi, qvi meritis clarissimi in cœlis refulgetis, à peste, clade corporum præservetis, ut operum moribus ne langveamus, aut moriamur Spiritu, sed animæ ab obitu velociter fugamus, & vivamus in gratia, sacra cæli palatia donec ingrediamur.

Substituatur in locum Trismegisti beatissima virgo Maria, & erunt ex Rosario ipsius preces ejusmodi: ô virtutum vasculum, Regina cœlorum, Christi receptaculum, salus anxiorum, tutum propugnaculum, salvatrix langvidorum, audi conqverentium preces famulorum, & pro nobis miseris DEUM deprecare. Nam qvicqvid petieris, vales impetrare. Summa nos necessitas te cogit rogare, qvos in fluctu positos sævum pulsat mare. Qvid? qvod totum Psalterium, non sine atroci unius omnipotentis DEI blasphemia, horrendæqve idolomaniæ crimine, ad ejusdem Virginis Mariæ invocationem sit transformatum.

Porrò, qvemadmodum Pagani pro multiplici Deorum varietate alios cœlestes,

Anno alios aërios, alios terrestres, alios marinos, alios sylvestres faciebant, qvemadmodum hac in parte post Ægyptios inprimis Græcorum maxima vanitas ac superstitio fuit notata, qvi mari Neptunum, Plutonem intimis terræ visceribus & cavernis, Jovem cœlo incluserunt; & rursum his singulis alios infinito numero adjunxerunt: Jovi Saturnum, Mercurium, Apollinem, Martem, Venerem, Dianam: Neptuno Nereum, qvem ἁλιυαίαν & Portum seu Portunum nominant, innumeram item Nympharum cohortem, qvales fuêre Nereides, Potamides, Crenetides, dryades, hamadryades, & nescio qvæ aliæ.

Apud Romanos verò erant Dii majorum & minorum gentium, erant penates, Dii communes, Dii geniales, indigetes, patrii, tutelares, ac reliqvum genus Faunorum, Sylvanorum, Satyrorum, Lemurum, adeò, ut doctiss. Varro ultra 3000. commentitiorum numinum suo tempore notaverit: atqve inter hos omnes provincias, regiones, civitates, familias, domos, elementa, fruges, semina, morbos, artes, opificia, & nescio qvæ alia distribuebant, de qvibus omnium ferè poëtarum libri pleni atqve referti sunt: privatim etiam populi singuli gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes (ut lacteum illud eloqventiæ flumen, Lactantius loqvitur) seu fœminæ castitate mirabiles fuissent, summa veneratione colebant, ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Calyrum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Qvirinum, Athenæ Minervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.

p.991.

Ita planè consimili ratione, Pontificios superioribus temporibus, regionibus penè singulis, civitatibus, familiis, domibus, hominibus, statibus, artibus, morbis, peculiarem aliqvem sanctum, patronum tutelarem atqve auxiliatorem præfecisse, notius est ex publicis ipsorum scriptis, qvàm ut longa probatione indigeat. Germaniam tuebantur Martinus & Georgius Cataphractus: Romanorum territorium Petrus & Paulus: Hispanos Jacobus: Gallos Michaël & Dionysius: Helvetios Maria ad nigricantem Eremitarum sylvam: Ungaros Ludovicus, & altera Maria, qvæ apud Aqvisgranenses moratur: Polonos Stanislaus: Moscovitas Nicolaus: Brussos Albertus. Ex civitatibus Mediolanum defendebat Ambrosius: Coloniam Aggrippinam tres Magi ex Oriente, si Diis placet, hucusqve satis tardè adventantes: Augustam Huldericus: Solodurum Helvetiorum Ursus: & qvis alios innumeros Qvintinos, Qvirinos, Oswaldos, Gangolffos, similesqve Sanctos posset enumerare?

Studiosi amabant Gregorium & Catharinam: Pictores colebant Lucam: Juris-Consulti venerabantur Junonem: Medici Cosmam & Damianum: Eqvites Georgium: Sartores Guotmannum: Sutores Crispinum: Fabri Eulogium: Figuli Gotarum: Nautæ Nicolaum & Christophorum: Venatores Eustathium. Ad avertendam grandinem invocabantur Johannes & Paulus: contra incendia Agatha & Florianus: contra rubiginem Jodocus: contra pestem Sebastianus & Rochus: contra febrim Petronella: contra venenum Johannes Evangelista & Benedictus: adversus dentium dolores Apollonia: contra oculorum vitia Otilia: contra calculum Liberius: contra ignem sacrum Antonius: Contracti implorabant Wolfgangum: Dæmoniaci Romanum: Epileptici Valentinum: Captivi Leonhardum: Puerperæ Margaretham: Meretrices (ut ne hæ qvoq; curiæ Romanorũ Pontificum deessent) Afram & Magdalenam, qvemadmodum Romani olim Leænam, Faulam, Floram.

Taceo innumera alia Deorum monstra, qvæ vix per integrum anni circuitum a miseris illis Pontificiis recenseri potuerunt. Sic enim Wernerus Westphalus, historiæ illius author, qvæ nomine Fasciculi temporum inscribitur, Usuardum qvendam Monachum, jussu Caroli Magni, omnes legendas & actus sanctorum in unum volumen collegisse, commemorat, & [illegible]tum esse, ut in singulos dies ultra trecenta festa sanctorum, concurrerint. Qvod si verum est, annon infinito intervallo Pontificii gentiles relinqvunt, cùm hi vix ultra 30000. Deorum, ille vel qvadruplo majorem numerum recensere potuerint?

Præterea, qvemadmodum vetustas Ethnica per ἀποθέωσιν Poëticam in Divorum numerum referebat Semideos, Heroas & Cæsares, qvi virtute & nominis gloria famam aliorum viderentur superare: ita Pontifices qvoqve Romani, pro immensa sua, qvam fingunt sibi, potestate in album Sanctorum retulêre, qvoscunqve Canone dignos ipsi pro arbitrio suo judicavissent. Testatum hoc faciunt narrationes de sancto Ludovico Franciæ Rege, qvem Papa Bonifacius ejus nominis octavus canonizabat, ipse interim minimè sanctus existens, de qvo dicebatur publicè, qvòd ad Papatum intrasset ut vulpes, vixisset ut Leo, mortuus fuisset ut canis. Testantur historiæ de sancto Henrico, Imperatore & Bavariæ Duce: de sancto Bernhardo, Marchione Badensi: de sancto Leopoldo Austriæ Duce, de sancta Brigitta Svetiæ Regina, ut nunc prætercam maximum illum Paparum, Prælatorum, Cardinalium, Episcoporum, aliorumqve Monachorum numerum, qvem rhythmis expressum Fasciculi temporum author sub Papa Johan. ejus nominis 22. percenset.

Adhæ-

Adhæc quemadmodum vetustas Ethnica non solùm majorum (qvos vocabant) gentium Deos colebant, sed eos etiam, qvos in gradu longè inferiore collocandos arbitrabantur, qvosqve nusqvam existentes ex eventis tantùm sibi fingere didicerant, adeò, ut ne Deam Cloacinam qvidem, Venerem calvam, venerem armatam, Deam mutam, Cacam, Leænam, Faulam, Floram, Cunninam, imò Sterculium & Terminum præterirent: ita haud secus Pontificii, tanqvam minorum gentium adeò inglorios ignotosqve divos divasqve, Gregorium, Christophorum, Jodocum, Catharinam, Otiliam invocare, singulisqve sua tribuere encomia consveverunt, ut post natos homines unqvam istos vixisse, ne dicam præclari qvicqvam gessisse, cultores eorum proprii solidè probare non possint.

Erant nimirum obscuri Monachi, fratres ad ocium, papyrum & tempus perdendum nati, qvi ex trivio arripientes occasionem, nescio qva singulari imbuti devotione, vel rapti Enthusiasmo, secundum qvietem ejusmodi fabulas impudentissimas, & manibus penè palpabiles somniabant, post, ceu ab ipso DEO cœlitus delapsas, superstitiosissimo populo, pro auro videlicet carbones obtrudebant. Qvod si vel ipsi Pontificii negare aut dissimulare voluerint, obstat Gratiani authoritas, qvi distinct. 15. disertè notat, fuisse secundum antiqvorum authoritatem singulari cautela prohibitum, ne tales de sanctis legendæ coram populo percenserentur, subjecta hac ratione, qvòd ea vel ab infidelibus, vel ab hæreticis, vel ab incertis authoribus ita conscriptæ judicarentur, ut veræ fidei potius subsannatio, qvàm confirmatio sint futuræ.

Neqve satis est Pontificiis, tantam qvasi minorum gentium Deorum turbam Pontifici & Mediatori nostro unico Christo adjunxisse: qvin etiam in terris idola seu simulachra eorum lignea, argentea, æneaqve effingunt, passimqve in templis posita religiosè venerantur, colunt, adorant. Imò non effingunt tantùm, sed & ornatu vario condecorant, chlamyde, peplo, vestibusqve variis amiciunt, haud secus ac si vel ab æstu, vel frigore periculum ipsis immineret.

1032. Lucret. lib. 2.

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca,
Qualibus in tenebris vitæ, qvantisq; periclis
Degitur hoc ævi qvodcunqve est!

Lact. lib. 1. cap. 21. Qvis hæc ludibria non derideat, qvi habet aliqvid sanitatis? cùm videat, homines velut mente captos, ea seriò facere, qvæ si qvis faciat per lusum & jocum, minùs sanus, imò ineptus esse videatur?

Unde verò, qvæso te, habent aut mutuati sunt Pontificii hanc impiam & stolidam vanitatem, nisi ab ipsis Ethnicis? Probaverit hoc, opinor, vel solus ille Dionysius senior, Siciliæ Rex, egregius simulachrorum contemtor & spoliator, qvi, ut refert Valer. Max. lib. 1. cap. 2. ingressus Deorum templum, detraxit Jovi Olympio magni ponderis amiculum aureum, qvo eum tyrannus Hiero è manubiis Carthaginensium ornaverat, proqve detracto aureo, laneum ei injecit pallium, dicens: Æstate grave esse amiculum aureum, hyeme frigidum, laneum autem ad utrumqve anni tempus magis esse accommodatum. Idem Epidauri Æsculapio barbam auream evulsit, affirmans, minimè decere, ut parente Apollo imberbis, filius Æsculapius barbatus conspiceretur. Et rursum, cùm videret simulachra porrectis manibus victorias aureas, pateras & coronas aureas tenere, eripuit illis, subjiciens, se oblata accipere, non auferre, imò perabsurdum fore, à qvibus qvotidie bona petamus, ab iisdem ultrò porrigentibus nolle accipere.

Unum tamen inter gentiles & Pontificios videtur interesse, videlicet qvòd, cùm pagani olim argento & auro idola sua ornarent, Pontificii nostri vix sordido & sqvalido panno Mariam suam circumvestiant, qvippe qvod argentum & aurum in alios usus meliores convertere didicerint.

Ac sanè, qvæ dixi & demonstravi hactenus de Pontificiorum πολυθεΐα, qvanqvam cum maxima DEI ignominia conjuncta sint, majora tamen & magis nefaria committere Pontificios, affirmare nihil dubito. Neqve enim suffecerit illis tantam Deorum multitudinem cum Ethnicis introduxisse: jurant præterea, jurant (inqvam) per Sanctos demortuos, illisqve honorem soli Jehovæ debitum impertiunt, cùm tamen jurare sit nefas, nisi per eum, qvi verè habeatur & existat creaturis omnibus, ne angelis qvidem exceptis, major: imò juramentum deferri nulli possit, nisi in solidum eidem divinæ simul omniscientiæ & omnipotentiæ laus adscribatur. Qvare cùm cultus invocationis, qvi basis & fundamentum salutis est, à Pontificiis in Paganismum conversus & transformatus sit, qvid obstat, qvò minùs Theologia Pontificia cum gentilismo hac qvidem in parte reciprocetur ac convertatur?

Dicat igitur nunc Albertus, verùm Pontificia, an Lutherana Theologia, Theosophiæ Ethnicæ sit similior, in eo fidei capite, ubi vel summa cum DEO æterno est copulatio, vel ab eodem extrema disjunctio & propter spiritualem fornicationem, ut Christiana pietas appellat, manifestum divortium?

Sed enim, ad similitudinem Platonicorum, Porphyrianorum, Græcorum, ac Romanorum, multitudinem Deorum, de qvi

qva hactenus diximus, introduxerunt: ita nominatim cum Epicuro etiam ex eodem fundamento propitiam DEI erga nos providentiam tollunt: dum non ad solius DEI curam, sed & Divorum tutelam perinde nos ablegare solent. Cùmqve pro πληροφορίᾳ fidei, & spe immotis DEI promissionibus subnixa, dubitationem de gratia DEI erga nos, deqve precum nostrarum exauditione substituunt, qvid aliud qvæso faciunt, qvàm qvòd omnem consolationem nobis eripere, Academicam verò seu Pyrrhoniam ἐποχὴν persvadere conantur?

Proinde, Alberte, ne puta, injuriam tibi à me fieri, si insolentissimas tuas ἐκφωνήσεις, qvas passim in oratione tua ponis, in teipsum retorqveam: si (inqvam) de te conqverar, & alta voce exclamem: ô homines Epicureos; addo, & academicos impiissimos. Ecqvidni enim Lutherum rectissimè de providentia divina docentem excusem, te verò (Alberte) cum Monachis tuis accusem, qvi plenis buccis qvotidie, ingenti boatu in templis vestris, & privatim etiam in cubilibus vestris, non ad curam DEI, non ad providentiam DEI, non ad promissiones præsentiæ DEI confugitis, sed de cura, de cura (inqvam) & providentia Sanctorum demortuorum unicè soliciti atqve suspensi existitis.

Hinc illæ nefariæ vestræ voces: Ave Maria, salus & consolatrix vivorum atq; mortuorum, mecum sis in omnibus tribulationibus, tentationibus, necessitatibus & angustiis meis, & maximè in hora mortis meæ, & impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, & cœlestis patriæ gloriam: ô peccatorum consolatrix, infirmorum curatrix, errantium revocatrix, justorum confirmatrix, desolatorum spes & auxiliatrix, atqve mea promtissima adjutrix, & singularissima invocatrix, tibi Domina gloriosa commendo hodiè & qvotidie animam meam. O beate Paule ora pro nobis. Hæccinè Scripturarum sacrarum de providentia divina sententia est? Annon hoc ipsum est, DEO providentiam suam detrahere, & cum creaturis communicare? Sed tempus me jubet progredi.

De peccato peccante, seu originario, & conseqventer de viribus humanis, vel libero hominis nondum renati arbitrio, qvid aliud qvæso tradunt Pontificii, qvàm id, qvod Philosophi gentiles, qvibus tristissimus ille primorum parentum lapsus, & horrenda imaginis DEI in homine destructio prorsus erant ignota, docent & produnt memoriæ?

p. 993. Aqvam lustralem, qvam vulgò Benedictam vocant, & qva non corporis sordes, sed animi & conscientiæ vitia, ceu sacro qvodam februo purgari existimant, unde petiverunt Pontificii? Ab Ethnicis profectò. Sic enim Romani, Paganismo adhuc florente, ad portam Capenam, aqva Mercurio sacra aspergere se invicem, & hoc modo à vitiis, potissimùm vero perjuriis, purgare se solebant. Eadem perfusione Peleus Patroclum abluisse, Acastus Peleum à cæde fratris Phoci expiasse, Ægeus Medeam à cæde liberorum liberasse scribuntur. Eodem ritu Orestem expiatum esse à cæde matris Clytemnestræ, Pausanias author est in Corinthiacis. Ac sanè ut Pontificii, ita Ethnici qvoqve nihil sacrorum sine corpore lustrato attrectare solebant, sed potiùs piaculum & nefas id esse putabant. Hinc Æneas apud Vergilium, ceu multa cæde pollutus, ad patrem Anchisen:

Tu genitor cape sacra manu, patriosq; Penates;
Me bello è tanto digressum, & cæde recentem
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et notus est Sarcasmus Diogenis Cynici apud Laërcium lib. 6. Is enim cum qvendam videret religionis causa fluvialibus undis se aspergentem, ridebat hominem, dicens: ô infelix, an ignoras, qvoniam, ut in grammatica erratis aspersus, non absolveris, ita nec vitæ criminibus evades liber: rectè nimirum insaniam hominis notabat, qvi, aqva sensibili & elementari animi maculas purgari & elui opinabatur. Notum etiam est Valentiniani Imperatoris factum, qvi nondum qvidem Imperator, cum aliqvando unà cum Juliano templum Fortunæ ingressus esset, atqve ab æditimo aspersus guttulam in chlamyde purpurea vidisset, pugno percussit æditimum, hoc non purificare, sed inqvinare est, dicens.

Tantò autem magis in Pontificiis reprehendendus est impius hic aqvæ lustralis abusus, qvòd ipsi Ecclesiæ titulum sibi vendicant, & ii videri volunt, qvi cum universa Ecclesia Catholica de effusione preciosi Sangvinis JESU CHRISTI (qvi solus ab omni emundat peccato) rectè & piè sentiant, cum tamen id negent facto, qvod verbis jam erant professi. Imò (qvod pejus est) instar incantatorum lustralem hanc aqvam peculiaribus qvibusdam demurmurationibus consecrant, & inde divinam qvandam intrinsecam virtutem atqve efficacitatem stultissimè ei affingunt.

Qvid dicam de purgatorio? Bella videlicet fabula, & digna suis authoribus. Sed unde eam Pontificii? Respondent, ex Augustino, & aliis non nullis scriptoribus ecclesiasticis. Verùm si qværas, unde Augustinus & reliqvi? Affirmant, ex Platone, Homero, Vergilio. Proh Deûm atqve hominum fidem! Ergone articulus fidei ex Platone, Ecclesiæ dogma ex Vergilio & Homero extruetur? Qvæ hæc Theologia philosophica est? Non miror jam ampliùs, Alberte, qvod adeò perstrinxeris Luthe-

ruma

rum, cùm summum alioqvi philosophum Aristotelem Aristultelum appellasset, & ut tu verba ejus germanica adducis. Der hohen Schulen Narrentreiber.

Hæc enim propter te & similes Theologastros scripsit Lutherus, qvi Paganismum à Christianismo non discernentes, βδελύγματα etiam illa Philosophorum in DEI verbum & ejus Ecclesiam, contra omnem pietatem ingeritis, veram Philosophiam à notha & spuria non discernitis, sed indiscriminatim sic ea abutimini, & ante vos abusi sunt majores vestri, ut ante pauca secula omnium scholarum vestrarum pulpipita Theologica plus haberent spinarum Aristotelicarum, qvàm sanæ & puræ doctrinæ ex verbo DEI petitæ, imò in omnibus penè disputationibus & controversiis Theologicis dirimendis solus advocaretur judex Aristoteles.

Non igitur tantoperè mirandum, si propter hunc vestrum abusum Lutherus Aristotelem vocet Aristultelum: cùm simili ratione etiam D. Tertullianus generatim philosophos paganos omnes, haudqvaqvam dubitaverit hæreticorum appellare Patriarchas.

Sed hæc de purgatorii structura: modum etiam & rationem relevandarum animarum Pontifici à gentibus sunt mutuati. Sic enim apud gentes receptum, & publicè persvasum erat, animos mortuorum, viventium exeqviis, inferiis & sacrificiis relevari & adjuvari, ut ex Stygiis paludibus & Cerberi latratibus protinus ad campos Elysios subvolent, ibiq; ad reqviem & refrigerium deducantur: reliqvorum verò animas, qvibus ejusdem suffragia à vivis haud præstentur, miserè detineri cruciariqve. Eadem Pontificiorum est opinio, ritus iidem: nimirum qvia ϖρὸς τὰ ἄλφιτα.

Ergò in hac unico tandem laudandus erit mihi candor Ingolstadiensium Monachorum, qvòd publicis editis scriptis, id ipsum haud gravatim fuerint confessi, videlicet extare purgatorium, si non in Scriptura Canonica, apud Homerum tamen in Ulissea lib. α. & γ. apud Verg. Æneid. 6. apud Ovid. 1. Fastorum: apud Aristotelem etiam uspiam: & tandem in Alcorano art. 10. Qvæ autem & qvantæ hæ sint in DEI Ecclesia tenebræ, cordati Christiani, etiam me non admonente, ultrò perspiciunt.

Verùm Augiæ stabulum repurgandum mihi sumsi. Itaqve, Auditores optimi, si paulò longius in prima illa parte commoratus sum, rogo, ut, id non mihi, sed potiùs fœcunditati errorum Pontificiorum imputandum esse, existimetis. Strictim autem & breviter, & qvasi extremis digitis duntaxat attingam, qvæ de Pseudojudaismo atqve Pseudochristianismo Pontificiorum deinceps dicenda restant. Qvanqvam verò omnia illa in jejunis mundi elementis, ut cum Paulo Apostolo loqvar, & litera potiùs qvàm spritu consistant: tamen ne hæc qvidem Pontificii sine opinione necessitatis, cultus aut meriti asserere, sed sub interminatione Anathematis credenda, conscientiis solent obtrudere atqve venditare.

Ut verò in populo Judaico unus qvondam erat Sacerdos & Pontifex summus, qvi qvotannis in Sanctum Sanctorum ingrediens, pro se & populi ignorantia offerebat, & sic Christum, ἀρχιποιμένα secundum ordinem Melchisedeci, adumbrabat, ejusqve typum ad certum & definitum gerebat tempus: ita Pontificii suum Oecumenicum & universalem habent Episcopum, qvem Papam salutant, eumq; ceu Christi in terris vicarium, plusqvàm Aaronea potestate instructum falsissimè fingunt, adorant, exosculantur. p. 926

Rursum, ut multi erant Sacerdotes Levitici, gradu & ordine summo Sacerdote inferiores, qvibus nunqvam in Sanctum Sanctorum licebat ingredi, sed proprium erat munus, in priori tabernaculo se continere, ibiq; pro distinctis & ordinatis à DEO ἐφημερίαις τῆς λατρείας ἐπιτελεῖν, ut loqvitur Apostolus ad Hebr. 9. cap. Ita Pontificii suos habent Sacrificulos seu Missificatores, qvi ut ordine longè inferiores sunt Papa, ita proprii sui officii ducunt, corpus Christi, si Diis placet, consecrare, idqve transsubstantiatum in arculas reponere, ac qvibus lubet, adorandum proponere.

Præterea, ut in eodem populo veteri erat juge Sacrificium, qvod singulis diebus ex instituto DEI peragi conveniebat: ita Pontificii ex umbræ hujus & similitudinis imagine, jam pridem suum habent Deum Maozim, Missam inqvam, in qva, ut ipsi nugantur, qvotidie incruentum corporis Christi transsubstantiati Sacrificium offerunt; neq; offerunt tantùm, sed & expiatorium statuunt pro peccatis tum vivorum, tum mortuorum, imò qvod iniqvius est, & à Scripturæ veritate longè alienius, expiandi illam virtutem non à precioso Christi sangvine, pro nobis semel in ara Crucis effuso, sed ab ipsius Missificatoris seu Sacrificuli συνεργείας hoc est, opere operato, ut ipsi loqvuntur, dependêre, existimant. Qvo ipso nimirùm tam injuriosi sunt atqve blasphemi in Christi Mediatoris cùm officium tum personam, ut pectori Christiano cogitatu nihil tam sit horrendum, atqve monstrosa, imo crudelis hæc furiosorum Monachorum sacrificandi dementia.

Porrò conferte ipsimet altaria Judaici populi, candelas, fumigia, vestitus sacerdotalis splendorem, reliqvumqve Sacerdotii Levitici apparatum, cum Pontificiorum altaribus, candelis, suffitibus; infularum & reliqvorum vestimentorum luxurie: conferte annum Jubilæum qvi qvinqvagesimo qvovis anno clangore buccinæ in populo

Judai-

Anno Judaico significabatur, cum anno Jubilæo Bonifacii octavi, qvi in centesimum annum collocârat: Clementis sexti, qvi in qvinqvagesimum: Gregorii undecimi, qvi in 30. Sixti qvarti, qvi in 25. contraxerat: & evadet meridiana luce clarius, ne hîc qvidem Pontificios inficias ire posse, qvin omnia illa sine DEI mandato per κακοζηλίαν duntaxat ex veteri lege sint mutuati.

Ad ultimum igitur membrum accingor, in qvo tametsi plurima Pseudochristianismi documenta in medium possem afferre, studio tamen brevitatis attingam nonnulla duntaxat, ex qvibus de reliqvis simile fiat judicium.

Sunt igitur propriè sic appellati Papismi emblemata hæc: Hominum demortuorum invocatio idololatrica: Transsubstantiatio panis & vini in verum corpus & sangvinem Christi: Incruentum Missæ sacrificium, & illud qvidem expiatorium, cum pro vivorum tum demortuorum peccatis: Cœlibatus Sacerdotum; usus unius speciei in Cœna Dominica: Monachorum varii ordines, qvorum alii alios crudelissimè sunt insectati: Prohibitio Conjugii, ab Encratitis & Tatiano; una cum delectu ciborum, & aliis dæmoniorum doctrinis petita: Conspurcatio Baptismi, qvæ fit sputo, sale, & aliis sordibus aspersis: Baptismis campanarum: Salis & aliarum creaturarum exorcisatio.

Deniqve universalis illa Romani Pontificis potestas, qva pleno ore & calamo assentatores & Monachi ipsius nugantur: qvòd Papa Romanus omnia jura habeat in scrinio pectoris sui, etiamsi idiota sit, & immemor sui nominis: qvòd Papa idem habeat Consistorium cum DEO, & idem tribunal cum Christo: qvòd Papæ sit tradita omnis potestas in cœlo & in terra: qvod à Papa ne ad DEUM qvidem appellare liceat: qvòd Papa possit aliqvid de nihilo facere: qvòd Papa major sit omni alia creatura, & contra Epistolas Pauli possit statuere: qvòd Papa sit magnus Sacerdos & summus Pontifex, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum: in primatu Abel: gubernatione arca Noë: Patriarchatu Abraham: ordine Melchisedech: dignitate Aaron: authoritate Moses: judicatu Samuel: zelo Helias: mansvetudine David: potestate Petrus: unctione Christus: & similia innumera.

At verò qvis unqvam hominum inde à Mundi exordio, tot mille retrò seculis, tam vecors, tam audax, tam insanus, tam blasphemus in DEUM, Angelos, & homines fuit, ut se talem non hominem, sed hominis monstrum confingi atqve appellari pateretur? Ex qvibus omnibus concludi aliud potest nihil, qvàm Papam Romanum esse Antichristum: Antichristum (inqvam) illum magnum de qvo nominatim apud Paulum 2. Thess. 2. Daniel. 12. Apocal. 17. & aliis scripturæ locis ex professo differitur. Anno

Qvare, cùm hæc omnia ita se habeant, ut hactenus est commemoratum, qvis non vel manibus palpet, argumentum, qvod initiò Albertus Hungerus adversus nostras Ecclesias sibi sumserat, validissimè adversus Ecclesiam Pontificiam militare? qvis non vel cæcus videat, Theologiam Romanam superstitioni Ethnicæ adeò esse consimilem, ut ovum ovo vix sit similius: imò non similem modò, sed & propter reliqvos in medium productos errores, qvos partim sub Pseudojudaismo, partim sub Pseudochristianismo comprehendimus, longè pejorem deterioremqve. DEUM æternum, Patrem DOMINI nostri JESU Christi ex toto pectore oro, ut ipse in lucis veritate diutissimè nos conservet, ab Epicureâ verò securitate & Pontificiis tenebris nos custodiat ac tueatur. Imper. Rud. 2. Papa Urban. 7.

Ex eadem Oratione ejusdem de Ecclesia, ejusqve auctoritate & potestate. Habet Ecclesia authoritatem & potestatem excommunicandi sceleratos, recipiendi pœnitentes: habet claves ligandi & absolvendi, occludendi regnum cœlorum, idemqve resignandi, attestante illud Scriptura sacra Matth. 16. Tibi Petro (Petri nomine Ecclesiam intellige) dabo claves regni cœlorum: qvodcunqve ligaveris super terram, erit ligatum in cœlo: & qvodcunqve solveris super terram, erit solutum in cœlis. Et iterum, Joh. 20. Accipite Spiritum sanctum, qvorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & qvorum retinueritis, retenta sunt. Hæc potestas consolationis plenissima est, omnibusqve Mundi potestatibus longissimè anteferenda, dum privatim ac publicè remissionem peccatorum, & qvidem non semel aut septies in die, sed septuagies septies annunciari pœnitentibus audimus. p.995.

Hoc parabolæ Christi probant, de pastore ovem perditam qværente, de amissa drachma mulieris, de filio prodigo, qvi post consumtam cum meretricibus pecuniam, ad patrem revertebatur. Sic Petrum contra conscientiam gravissimè lapsum, Christus ipse recepit, Ecclesiæqve suæ pastorem fecit, ut suo exemplo lapsos consolaretur peccatores: juxta illud Lucæ 22. Et tu aliqvando conversus, confirma fratres tuos. Sic Paulus Galatarum Ecclesiam à Pseudoapostolis seductam recepit. Sic idem Corinthium incestuosum.

Habet deniqve Ecclesia potestatem, ceremonias ac ritus Ecclesiasticos, pro ratione loci ac temporis, ad ædificationem & ordinem facientes, constituendi, dummodò non pugnent cum Scriptura sacra, liberè & ἀδιαφόρως censeantur fieri, careantqve opinione cultus, & necessitatis ac meriti.

In

Anno In his, qvæ diximus, vera, legitima, genuina, ordinaria, & à Christo ipso concessa Ecclesiæ consistit potestas: ad qvam si deinceps infinitam illam, qvam sibi Pontifex Rom. Ecclesiæ titulo usurpat, potestatē, paulisper pro temporis ratione contulero, Colophonem orationi meæ imponam.

Pontifex Romanus, Ecclesiarum qvotqvot in orbe sunt Episcopus, si Diis placet, generalis & summus, potestatem Ecclesiæ, eam esse affirmat, qvam ipse sibi, suiqve ipsi tanqvam capiti Ecclesiæ, Christiqve in terris vicario asscribunt. Nos contrà negamus, & dicimus, falsissima & turpissima esse mendacia, impudentiamq; plusqvàm meretriciam.

Qvòd scil. Papa Romanus omnia jura habeat in scrinio pectoris sui, lib. 6. Decretalium de constitutionibus: etiamsi sit idiota & immemor sui nominis. Nec etiam si suæ propriæ fraternæqve salutis immemor, qvotidie innumeras animas catervatim secum abduceret in infernum, qvisqvam illi debeat dicere: Qvid, aut cur facis? distinct. 40. cap. Si Papa.

Qvòd Papa sit supra omnia Concilia, & qvòd ea omnia ab authoritate Papæ dependeant. Concil. Florentinum.

Qvòd suprema sit ejus potestas, adeoqve absoluta præcipiendi, qvam habeat, ut vult: ut Franciscus de Ripa affirmat, ita ut DEUS rata hebeat, qvæcunqve faciat Papa, ut Sigismundo Loffredo placuit.

Qvòd Papa idem habeat Consistorium cum DEO, & tribunal cum Christo.

Qvòd possit mutare formam Sacramentorum. Archi-Diaconus.

Qvòd in fide errare non possit. Joh. de turre cremata.

Qvòd Papæ tradita sit omnis potestas in cœlo & in terra, juxta illud: Data est mihi omnis potestas. Antoninus Florent. Unde mandat Angelis Paradysi, ut morientis in via, Romam versus religionis causa, animam à purgatorio penitus absolutam, in Paradysi gloriam introducant. Clemens VI. in sua bulla de anno jubilæo.

Qvòd sicut aurum excellit plumbum, sic dignitas Papæ excedat Imperialem: & sicut Sol dicatur Pater omnium Planetarum & dominus: ita Papa sit pater omnium dignitatum. Et sicut Luna recipiat lumen à Sole, ita imperialis dignitas à Papa.

Qvòd Papa sit pater universalis omnium fidelium & omnium ovium Christi. Johan. de turre cremata.

Qvòd sit qvoddam Numen, qvasi visibilem qvendam DEUM præ se ferens. Ludovicus Gomesius.

Qvòd à Papa ne ad DEUM qvidem appellari possit. Qvòd immutet rerum naturam, substantialia unius rei applicādo alii. Qvòd possit aliqvid de nihilo facere, de injustitia justitiam, corrigendo jura & mutando. Qvòd possit omnia facere, qvæ Deus facit: & qvòd non sit disputandum, qvin Papa omnia possit. Marianus Soccinus. Anno

Qvòd Papa sit Deus: ut Felinus affirmat: vel secundùm alios, qvòd nec Deus, nec homo, nec Angelus sit.

Qvòd ipsius potestas major sit omni alia Creatura, & extendat se ad cœlestia, terrestria, & infernalia.

Qvòd vel D. Petri sedes Papam sanctum faciat, ut Papa Symmachus jactitavit: & contrariis Petro vivens moribus nihilominùs verus sit Pontifex, ut Concil. Constantiense contra Joh. Hussdeterminavit.

Qvòd Papa possit contra Epistolas Pauli statuere: Carolus Ruinus: Qvia major Paulo: & Petro par in administratione: Antonius de Rosellis.

Qvòd liceat ipsi novos concedere articulos fidei, & conscientias sine verbo DEI astringere necessitate obtemperandi.

Qvòd Papa sit Sponsus Ecclesiæ. Joh. de turre cremata & Papæ nullus par nisi Deus. Augustinus Berojus.

Deniq; adulatores Pontificii sic Papam alicubi alloqvuntur: Tu es Sacerdos magnus, & Pontifex summus: Tu Princeps Episcoporū, & hæres Apostolorum: in primatu Abel: gubernatione Arca Noe: Patriarchatu Abraham: ordine Melchisedech: dignitate Aaron: authoritate Moyses: judicatu Samuel: zelo Elias: mansvetudine David: potestate Petrus: unctione Christus. p. 996.

Qvid ampliùs Pontifex Romane? qvare non Deum prorsus, vel saltem filium ejus à dextra omnipotentis patris sui detrudis, & tu pro tribunali sedes solus?

Nos hæc omnia & singula, qvæcunqve modò de te ex tuis protulimus, turpissima & impudentissima mendacia esse dicimus, ab ipso diabolo excogitata, ab Antichristo, filio perditionis usurpata, à Thrasonibus Antichristianis defensa.

Heus tu Pontifex Romane, dic, unde habes illam infinitam & immensam potestatem? Respondes, te Ecclesiæ nomine illam habere, cujus tu sis caput universale. At proba nobis primò, te esse Ecclesiæ caput, & Episcopum generalem: proba secundò, hanc esse germanam Ecclesiæ potestatem. Nos tibi dilucidè ex Scripturis sacris, & testimoniis piæ & eruditæ vetustatis demonstrabimus, te falsò utrumq; asseverare. Caput enim Ecclesiæ universale nō es, qvia ad Eph. 1. Christum caput Ecclesiæ datum esse legimus: Suscitavit Christum, inqvit Apostolus, ex mortuis, non Pontificem Romanum, qvem sedere fecit ad dexteram in cœlestibus, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, qvæ est corpus illius, complementum ejus, qvi omnia in omnibus adimplet. Christus ipse Matt. 28. aperte dicit SIBI (non Pontifici Rom.) datam omnem potestatem in cœlo & in terra.

Anno

Itaqve manifestam injuriam Filio DEI faciunt, qvotqvot Ecclesiæ caput aliud, qvàm Christum qværunt. Ascendit qvidem Christus in cœlum, ita tamen, ut nihilominùs omnibus diebus ad consummationem seculi nobiscum sit: recessit à nobis, ita tamen, ut nihilominùs adsit nobis, & orphanos seu capite gubernante & protegente destitutos neqvaqvam relinqvat.

Sed videor mihi audire exceptionem Pontificiam, non agi de Christi honore & dignitate, qvæ salva & integra maneat, sed tantùm de visibili & ministeriali capite, ac vicario Christi in terris. Atqvi Christum adhuc habere in terra potestatem, & cùm è terris migraret, abundè suæ prospexisse Ecclesiæ, edocti sumus: qvandoqvidem in altum ascendens, dedit dona hominibus, Ephes. 4. atqve alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad instaurationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi id est, Ecclesiæ.

Hæc ministeria DEUS ipse in Ecclesia constituit, non Pontificem Romanum, qvæ si (ut facit Pontifex) sufficere non arbitrabitur, næ ipso sapientior DEO fuerit. Scilicet qvia Pontifex Romanus est, qvi nec Deus nec homo sit (ut asseclæ ipsius ridiculè affirmant) sed medium inter utrumqve. Accedit, qvòd omnibus temporibus tales aliqvos Ecclesiæ suæ Doctores præficit, qvibus & confert Spiritum sanctum, & præclara dona, ad Ecclesiæ gubernationem necessaria & sufficientia, qvæ Pontifex in scrinio pectoris sui, reliqva misera Monachorum turba, in Insulis suis habere se, stultè existimant.

Qvid? annè Pontifex Romanus in vera Christi Ecclesia universale & ministeriale caput esset, qvod reliqvis Ecclesiæ membris non modò præemineret, sed pro lubitu in illa dominaretur? cùm Christus & Petrus disertè hoc in concionibus suis vetuerint? Fallitur, & profectò fallitur, qvisqvis hoc persvaderi sibi à Pontifice patitur. Ita námqve Luc. cap. 22. Facta est contentio, inqvit, inter Apostolos, qvis eorum videretur esse major: at respondit JESUS: Reges Gentium dominantur, & qvi potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic: sed qvi major est in vobis, fiat sicut minor: & qvi Princeps est, sicut qvi ministrat. Nam uter major est: an qvi ministrat, an qvi accumbit, nonnè qvi accumbit? At ego in medio vestrùm sum, ut qvi ministrat, vos autem estis, qvi permansistis mecum in tentationibus meis.

Præterea, Apostolus Ephes. 4. disertè affirmat, omnes cujuscunqve conditionis in Ecclesia numerari inter corporis membra, & laborandum ipsis ad ædificationem corporis Christi. Ex qvo manifestum sit, nullum ex illis membris posse fieri caput, sed soli Christo, in qvo & per qvem omnes proficiunt, qviq; solus est perfectus, dignitatem hanc esse relinqvendam.

Anno

Qvin etiam in Scripturis nusqvam legitur, qvòd hic vel alius ex Apostolis jus in reliqvos aut primatum sibi usurpaverit, sed summa inter omnes ostenditur æqvalitas. In Synodo Hierosolymitana, Act. 15. Jacobus & Petrus, ceu pares, de oblatis negociis disserunt, 1. Corinth. 3. pluribus verbis docet Apostolus, non esse gloriandum in ullis hominibus, vel ulli Apostolo plusqvàm alteri tribuendum. Omnia, inqvit, vestra sunt, sive Paulus, sive Apostolo, sive Cephas.

Ad Galatas, se vel summis Apostolis, nominatim verò Jacobo, Cephæ & Johanni per omnia parem esse, disserit: & addit, se, cùm Petrum in Antiochia (etiam in adiaphoris) videret errantem, obstitisse in faciem, ac reprehendisse, qvà parte reprehendi meruerat.

Petrus ipse 1. Epist. 5. ad Gubernatores Ecclesiarum sic loqvitur: Presbyteros, qvi inter vos sunt, obsecro, qvi sum & ipse Presbyter, & testis afflictionum Christi, atqve idem consors gloriæ, qvæ revelabitur: pascite qvantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes, non coactè, sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo: neqve ceu dominium exercentes adversus cleros, sed sic, ut sitis exemplaria gregis. Et cùm apparuerit ille Pastorum Princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam: qvo loco profectò disertè Petrum uni Christo, qvem ἀρχιποίμενα facit, supremum deferre honorem, simulqve prohibere seriò videmus, ne qvisqvam in Ecclesia dominium sibi in populum DEI vendicet.

His argumentis validissimis planeq; invictis, nisi profligatam eversamqve pontificiam authoritatem existimarem, forem fortassis in recensendis sincerioris antiqvitatis testimoniis aliqvantò longior: sed ne vestra benevolentia abuti videar, brevitatis ratione habita, unum & alterum protulisse sufficiet. p.997.

Origenes igitur Homil. 6. in Esai. Qvi ad Episcopatum vocatur, inqvit, non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ. Si vis credere Scripturis, qvia in Ecclesia servus sit omnium, qvi primus est: svadeat tibi ipse Salvator & DOMINUS, qvi talis tantusq; factus est in medio discipulorum, non qvasi discumbens, sed qvasi ministrans.

Cyprianus in Synodo Carthaginensi, referente Augustino de Baptismo lib. 3. c. 3. Neq; enim qvisqvam nostrùm, inqvit, Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obseqvendi necessitatem Collegas suos adigit. Idem ad Roma-

nos

Anno hos Episcopos Cornelium, Stephanum, Lucium scripturus, ita cum ipsis agit in omnibus, ut eos pares, non autem superiores ab illo agnitos; promtissimum sit intelligere.

Chrysostomus Hom. 1. Epist. ad Titum pluribus verbis docet, Episcopatum non esse principatum. Et ad Innocentium Episcopum Romanum scribens, nusqvam universalem Episcopum ipsum agnoscit, sed veluti à patre consilium & auxilium expetit.

Hieronymus ad Evangelium: ubicunq; fuerit Episcopus, inqvit, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Thanis, ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii. Potentia divitiarum, vel paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Scitum est illud Domitii Oratoris: cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut senatorem? Et addit, unus DOMINUS, unum Templum, unum sit etiam ministerium. Recordemur semper, qvid Apostolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: Pascite eum, qvi in vobis est, gregem. Idem Epistolam ad Titum enarrans prolixè demonstrat, Episcopos ac Presbyteros esse ejusdem & paris inter se authoritatis.

Augustinus cum Hieronymo idem sentit.

Gregorius I. ejusdem Romanæ Ecclesiæ præsul, multis locis exponit, qvantopere Pontifici Romano Universalis Episcopi appellatio fugienda sit. Ex qvo apparet, sexcentis annis à Christo nato, in vera primitiva Ecclesia, Episcopi universalis nomen neqvaqvam Pontifici Romano impositum fuisse, donec tandem circiter annum Domini 610. Bonifacius III. ab Imperatore Phoca, qvi Mauricium Imperatorem cum uxore & liberis interfecerat, impetravit, ut omnium Episcoporum Princeps appellaretur. Qvod tamen ipsum seqventibus temporibus adeò non placuit Ecclesiis Orientalibus, ut cùm Joh. 23. Pontifex Roman. à Græcis petiisset obedientiam, qvod caput esset universalis Ecclesiæ, & Christi in terris Vicarius, rectè ipsi respondisse legantur: potentiam tuam summam erga subditos tuos firmiter credimus: superbiam tuam summam tolerare non possumus; avaritiam tuam satiare non valemus: Diabolus tecum, qvia DOMINUS nobiscum.

Et notum est responsum Philippi pulchri Regis Galliarum, datum Bonifacio VIII. in hunc modum: Philippus DEI gratia, Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus aliqui nos non subesse: Ecclesiarum & præbendarum collationem ad nos jure Regio pertinere, secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus.

Verùm enimverò objiciunt Pontificii, Babylonicam meretricem excusantes, plenariam illam potestatem Romanis præsulibus jure divino deberi propterea, qvòd D. Petri Apostoli in sede sint successores: super hunc autem ædificatam esse Ecclesiam, dicente Christo: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: huic traditas esse claves regni cœlorum, & ligandi ac solvendi potestatem: huic terna vice dictum, pasce oves meas. Anno

Atqvi, num D. Petrus Romæ unqvam fuerit, non immerito dubitamus, cum, contrà qvàm docent Pontificii, ex D. Pauli epistolis, Actis Apostolorum, aliisqve indubitatæ fidei historiis, certissimis argumentis colligatur, ipsum neqvaqvam Romæ (qvæ ex gentilismo ad fidem JESU CHRISTI conversorum erat Ecclesia) sed Hierosolymis potiùs vel alibi in Judæos versatum esse: nimirum cum hoc pactum inter Petrum & Paulum non solùm initum, sed mutuis etiam dexteris confirmatum legamus, ut hic in gentes, ille verò in circumcisionem Apostolatu fungaretur.

Et si maximè concederemus (qvod tamen nondum concedimus) Petrum aliqvandiu Romæ sedisse, inde tamen nondum efficeretur, tenuisse Petrum in reliqvas Ecclesias primatum, cum neqve Christum ipsi talem assignasse, nec ipsum in Epistolis suis eum usurpasse legamus: qvin contrà potiùs Apostolos primatum affectantes Christum acriter reprehendisse, & Petrum semetipsum compresbyterum appellasse, paulò antè planum fecimus. Nec D. Petri sedes, ut ipsi nugantur, Papam sanctum faceret. Cathedra enim, ut rectè Chrysostomus scribit, non facit Sacerdotem, nec locus sanctificat hominem, sed contrà potius Sacerdos cathedram facit, & homo locum sanctificat. Nec etiam hæreditaria sunt Apostolorum dona, sed personalia, videlicet personam illorum non excedentia.

Unde non inscitè Thomas Aqvinas, Pontifici Romano, opes suas & pecuniarum suarum acervos ostentanti, ac dicenti: ecce Thoma, non possum cum D. Petro dicere, aurum & argentum non est mihi, respondit: Ideò etiam (sanctissime pater) non potes cum eodem dicere, surge & ambula.

Adhæc, qvòd, ipsum Ecclesiæ columnam & petram esse, dicunt; ex male intellecta Christi ad Petri confessionem responsione: ex ipsius Petri verbis (qvi proculdubio sui ipsius optimus est interpres) liqvidò respondemus. Is disertè in 1. Epist. cap. 2. pronunciat, CHRISTUM esse Petram; siqvidem gustastis, inqvit, qvòd benignus est DOMINUS, ad qvem accedentes, qvi lapis est vivus, ab hominibus qvidem reprobatus, apud Deum verò electus, ipsi qvoqve veluti vivi lapides ædificemini. p.998

Ad eundem modum D. Paulus 1. Cor. 10.

 asse-

Anno asserit, CHRISTUM esse Petram spiritualem, de qva Patres in deserto hauserunt & biberunt potum spiritualem.

Itaqve Christi verba ad Petrum de petra, accipi oportet de ipso Christo, qvem Petrus confessus fuerat DEI viventis filium. Astipulatur nobis Augustinus, eadem verba enarrans Serm. 13. Qvibus Christus petra, inqvit, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est: Ideò Petrus à petra, non petra à Petro, qvando non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergò, inqvit, Petrus: & super hanc petram, qvam confessus es, super hanc petram, qvam cognovisti, dicens: Tu es Christus, Filius DEI vivi; ædificabo Ecclesiam meam, id est, super meipsum, Filium DEI vivi, ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te. Simili modo Hieronymus in commentar. ad 7. Matth. Caput, super petram Christum, ait, fundatam Ecclesiam, & ab ea petra etiam Petrum sortiri nomen.

Deniqve, qvod de clavibus, uni Petro concessis, objiciunt, ex Augustino respondemus, tract. in Joh. 118. Cùm omnes Apostoli essent interrogati, inqvit, solus Petrus respondit: Tu es Christus, Filius DEI vivi. Et ei dicitur: tibi dabo claves regni cœlorum: tanqvam ligandi atqve solvendi solus acceperit potestatem, cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanqvam personam gerens ipsius unitatis, acceperit: ideò unus pro omnibus, qvia unitas est in omnibus.

Nec etiam Petrus solus oves Christi pavit, nec solus ordinavit Episcopos, sed reliqvi Apostoli omnes idem factitârunt. Ita non Petrus Timotheum & Titum ordinavit, sed Paulus. Qvi postea hos qvoqve oppidatim presbyteros constituere voluit; imò qvod amplius est, nec Petrus, nec Paulus, nec qvisqvam Apostolorum alius amplissimas Antiochenam & Romanam Ecclesias, sed horum discipuli plantasse leguntur. Ac, si inspiciantur Apostolorum res gestæ, si accuratè expendantur omnia ipsorum scripta, in his omnibus comperimus, omnes inter se fuisse pares, nec ullo modo Petrum se prætulisse aliis, nec alios superiores agnovisse.

Gregor. 14. Pp. 236.

1591. PApa Romanus Sfondrato, dictus Greg. 14. confœderatis Gallis in auxilium misit agnatum suum, Franciscum Sfondrato, Ducem Montis Martiani creatum, cum 6000. Helvetiorum & 1000. Italorum peditum, qvibus juncti erant eqvites mille, qvi ex Italia simul venêre, seriùs tamen, qvàm ut Germanos transitu prohibere possent. Deinde, unà missum est diploma datum 1. Martii, anno 1591. per nuncium Pontificis Marcellum Landrianum, qvo denuò Regem excommunicabat. Contra qvod summus Galliæ senatus edictum promulgavit, qvo idem diploma, seditiosum, verbo DEI & SS. decretis contrarium, Galliæ Ecclesiæ libertati adversum, scandali ac erroris plenum declarabatur.

Conclusum ergo est, ut id à carnifice laceraretur, & ante palatium exureretur. Præterea sancitum, ne qvis id haberet, vel legeret, sub pœna criminis læsæ Majestatis, amissioneqve privilegiorum. Adhæc eundem Papam hostem Regni Galliæ: turbatorem pacis Christianæ, & sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Religionis; auxiliatorem & amicum conjuratorum, tam adversus præsentem Regem Henricum 4. qvam postremum Henricum 3. nefariè adeò interemtum. Qva propter in posterum omnibus Romam abire, qvacunqve etiam de causa, interdixerunt. Postremò ubicunqve dictus Marcellus, Pontificius legatus, vivus vel mortuus inveniretur, justitiæ traderetur. Eâdem, qvâ præscriptum est, formâ dictum diploma Pontificium in elata pyra & alibi exustum est. Imp. ut suprà, Rud. 2.

Idem. Gregorius XIV. singulis annis qvater dat annos ducentos indulgentiarum, Rosarium, vel Coronam, qvam vocant, recitantibus; & remissionem peccatorum omnium, in mortis articulo apud se Rosarium & grana consecrata habentibus, & nomen JESU pronunciantibus: ut ex diplomate ejus apparet, excuso Romæ apud Paulum Bladum.

Antichristus triceps. 1592.

EDidit hoc tempore Johannes Prætorius Saxogallensis libellum hoc titulo: in qvo probare nititur, Papam, Alcoranum, & Calvinum, tricipitem Antichristum esse ut apud eum.

Gregorius Iordanus. 1592.

HIc Prophetias qvasdam edidit hoc tempore; sed qvia plerasqve ex Abbate Joachimo, & aliis, qvos multò perfectiores suprà habemus, desumsit, eas relinqvimus.

Nicodemus Turlupinus in Anti-Choppino. 1592.

OMnes isti Papæ moderni habent cor obduratum, & aures obturatas, & maximè qvòd ipsi sunt creaturæ Regis Hispaniæ, sine qvo Cardinales non audent ampliùs facere Papam, tantum possunt regales & ducati de Hispania, juxta Poëtam: p. 990.

Qvid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Et qvia certo certius est, qvòd Vice-Rex de Neapoli semper habet literas Regis Philippi Domini sui paratas, qvas non aperit, anteqvam audiat de morbo periculoso, vel de morte Papæ: & his reseratis inibi legit nomina eorum, qvos Dominus suus vellet crea-

Anno creari in Papam: & sunt ad minus tres nominati in illis literis, qvæ merito dicuntur literæ Spiritus sancti: qvia Spiritus sanctus in iis mittitur ex Hispaniâ usq; in Italiam, inclusus sub bono sigillo.

Sed qvia aliqvæ novitates possent intercidere, qvatenus inter os & offam multa cadunt, & ne literæ illæ sint nimis vetustæ, solet Rex Philippus eas renovare de tribus mensibus in tres menses, & ad summum de mezanno in mezannum, atq; in iis ad plenum voluntatem suam declarare: qvæ est certè bene nova forma, & multùm differens ab antiqvâ electione, qvæ practicabatur olim in Ecclesiâ, incipiendo ab Apostolis, qvando Mathiam in locum Judæ per sortem elegerunt, Actor. 1. & continuando per tempora primitivæ Ecclesiæ usqve ad decretum factum in Concilio Lateran. ubi statutum est, ut Papa eligatur ab omni clero, & populo; & ab Imperatore confirmetur, & qvòd, qvi alio modo & viâ se intronisaverit, anathema apostaticus, non apostolicus reputetur, sine regressu & spe restitutionis.

Et paulò pòst. Ista tamen electio moderna est prudenter adinventa à Consilio Hispanico; qvia si in electione novi Papæ oporteret semper expectare voluntatē præfati Regis Hispaniæ, sæpè alius eam prævenirct (ut fortè jam factum est) propter longitudinem itineris, & magnam intercapedinem terræ & maris inter Romam & Hispaniam, licet non sit secundum antiqvum modum: qvia Reges Hispaniæ volunt jam habere suum cambium pro tot Papis, qvi facti sunt Avenione, in duobus schismatibus, ad devotionem Regum Franciæ: ut patet per Platinam in vitis Pontificum: qvòd permulti ex illis erant Gallici, non autem Hispanici, vel Italici.

Super qvo non possunt tacere isti Olybrii, & dicunt: se verificaturos, qvòd Domini Cardinales moderni sunt omnes perjuri (dico de iis, qvi se immiscent electioni Papali) ut patet ex formulâ juramenti, qvod faciunt qvando ingrediuntur ad conclave, ut procedant ad electionem novi Papæ:

Ego N. Cardinalis, juro & promitto omnipotenti DEO, Patri, & Filio & Spiritui S. & B. Petro Apostolorum Principi, cum eligere illi Pontificem, quem credam Ecclesiæ universali in spiritualibus & temporalibus utilem! nec illi vocem dare; quem verisimiliter scivero, promissione, aut datione alicujus rei temporalis seu prece, per se vel per alium interpositam, aut alias qualitercunq; directè vel indirectè pro se electionem procurare, electoq; in Pontificem non prius obedientiam facere, quàm juret juxta formam decreti Concilii Basiliensis: ita me DEUS adjuvet, &c. Gnimier. in gloss. Concord. cap. Sicut. §. Ego. de auct. gen. Concil. & tamen vos estis ita impudens, qvòd audetis affirmare in 30. pag. libri vestri, qvòd Papa Gregorius XIII. nuper defunctus fuit cœlitus designatus: in qvo dicunt, qvòd vos estis pejor, qvàm omnes hæretici, qvia ipsi nunqvam dixerunt, qvòd Concilium Hispanicum esset cœlum. Anno

Sed per DEUM, hæc non est magna novitas apud vos ligatores, qvi non recognoscitis alium patrem, qvàm Papam: alium servatorem, qvàm Regem Hispaniæ: alium Spiritum sanctum, qvàm pistolettos Italicos, vel duplones & qvadruplones Hispanicos. O qvando ista mirabilis forma eligendi Papæ discooperta fuit, & qvòd apertè ille Gregorius intravit in hanc Ligam cum Rege Hispaniæ, & cum rebellibus Franciæ; & de facto, qvòd misit Nepotem suum Sfondratam de Montemarciano cum exercitu in Franciam, & satis qvàm plurimis aliis actibus iteratis declaravit se hostem Regis, Coronæ Franciæ, & qvòd isti Papæ sunt omnes icti ad eundem cuneum: tunc Parlamenta & ordo Ecclesiasticus prædicta illa arresta, & declarationes fecerunt, qvas in pulchrum Latinum convertistis, statim in fronte libri vestri.

Et profectò mirùm est, qvòd isti Catholicoregalistæ non fecerunt adhuc pejus ad exemplum Regis Angliæ Henrici VIII. & aliorum satis Regum, qvi Papam, & jugum suum excusserunt: & ab eo tempore semper vixerunt in pace prædicti Hugonotti, alligantes lepidam historiam (& credo si est historia, qvòd non est fabula) apud Appianum, de qvodam paupere Agricolâ: qvi conducens suum aratrum, sentiebat pediculos in suâ camisiâ, qvam illicò despoliavit, & interfecit tantum, qvantum potuit: postmodum cùm reverteret ad laborem, sensit iterum alios, qvi illum mordebant, & pro secundâ vice adhuc exuit camisiam, & occidit pediculos: sed tertiâ vice qvando vidit, qvòd hoc impediebat suum laborem, & qvòd hæc erat una perpetua molestia: tunc ultimo exspoliavit suam camisiam, & eam conjecit in ignem.

Pari modo qvia veraciter scio, qvòd dominus Papa & Curia Roman. habent nimis magnum interesse in conservatione amicitiæ Coronæ Franciæ, aliàs qvòd sua Sanctitas perdit pulchriorem plumam de suo pileo, seu magis pretiosum rubinum de suâ triplici coronâ: mihi videtur, secundùm meum obtusum intellectum, qvòd prælibata sua Sanctitas & Reverendissimi domini Cardinales Italici deberent istam parabolam mentetenus ediscere, & semper tibi eam ante oculos repræsentare: qvia nihil est dulcius agno: sed tamen si est molestatus, etiam commovetur & ferit: juxta mythologiam qvæ est in fabulis Faërni:

Furor fit læsa sæpius patientia.

Qvin imò dominus Papa deberet cogitare, & se reminisci, à qvo, & unde, & qvare habet talem potestatem? Si à DEO immedia-

Anno

diatè, qvid ergò data est sibi ad pascendum gregem DOMINI? prout est in Evangelio ternis vicibus repetitum; Pasce, Pasce, Pasce: non autem Occide, amazza, interfice: & dictum est Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Si ab hominibus qvod certè manifestissimum est, & meridie clarius ex omnibus historiis, qvòd Carolus Martellus, Pipinus Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alii satis Imperatores & Reges Franciæ liberarunt Papam à suis inimicis: dederunt sibi territorium, qvod vocatur B. Petri: concesserunt sibi multa jura, & magna privilegia 63. dist. ego Ludovicus.

Deniq; fecerunt sibi plus honoris, qvàm nulli alii Reges & Principes: & insumma, dederunt sibi omnem ferè potestatem, qvam habet, tam temporalem, qvàm spiritualem: & tumet Choppinus ipse replens tres, aut qvatuor integras paginas libri tui, meritis & beneficiis Regum Franciæ erga Papam: in qvo tu nimis stultè facis, qvatenus hoc facit contra te: & ita tu es unus prævaricator, & proditor causæ tuæ. Nam si tu ipse fatearis, qvòd Reges Franciæ sunt auctores tantorum benefactorum: profectò seqvitur, qvòd non data est illis tanta potestas, ut eâ insolenter abutantur in donatores, prout aliqvando fecerunt Bonifacius VIII. Benedictus XIII. Julius II. & alij satis Papæ Romani, de qvo habemus singulare consilium Baldi in cap. olim. extr. de Rescripto, qvòd contra Papam, nedum inferiorem Principem, suâ potestate abutentem, primò utendum est verbis, secundò herbis, tertiò lapidibus: & qvòd, ubi non sufficit virtutis ingenium, ibi valet armorum præsidium.

Nam videmus, qvòd, si alicui tribuitur plenum arbitrium: non potest propterea ex tali plenitudine potestatis contra rationem aliqvid indiscretè facere. Panorm. in cap. 1. de constitutione Card. flor in tract. de unione Ecclesiæ. Ubi vehementer insurgit contra istos blanditores, dicentes; Papam posse omnia: & dicit, eum posse, non qvod libet, sed qvod licet: & qvòd ex his blandimentis infiniti surrexerint errores: Et Gerson in tractat. de Eccles. Potest. dicit in terminis: Meminerit summus Pontifex, datam sibi potestatem summam in Ecclesiâ, ad ædificationem, non ad destructionem: juxta qvod unus Ambasciator Franciæ semel dicebat domino Papæ Syxto nuper defuncto, qvòd revera Papa potest omnia: id est, Papa potest facere bonum & malum.

Habet enim tantam authoritatem in Europâ, qvòd potest, si est malus, eam replere bellis, flammis, & furoribus: & si est bonus (ut dicunt, qvòd iste futurus est, & propterea nomen Clementis assumsit) qvòd potest conciliare pacem & concordiam inter Principes Christianos; potest castigare filium suum Philippum, propter nimiam suam ambitionem: potest reducere rebelles & seditiosos Franciæ regni ad obedientiam Regis sui legitimi, atqve naturalis: potest (tanqvam pater omnium) ostendere omnibus bonum exemplum pietatis, mansvetudinis, & sanctimoniæ; & per alios modos procedendo, qvàm qvi huc usqve practicati sunt; pacem non tantum in regnis temporalibus, sed etiam in Ecclesiâ Catholicâ, in regno spirituali D. N. JESU CHRISTI ponere, firmare, stabilire: & finaliter potest hoc præstare, qvod nemo prædecessorum suorum facere voluit, id est, reformare abusus, tollere errores & superstitiones ex Ecclesiâ, & ponere finem huic importuno & diabolico schismati, qvod jam turbavit & afflixit Christianitatem per amplius septuaginta vel octoginta annos.

Anno

Sed revertendo ad propositum de istâ plenitudine potestatis, de qvâ Card. flor. dicit, qvòd tanti nati sunt errores; volo tibi enumerare pulchram historiam: qvæ tamen est satis vulgaris, qvæ accidit eo tempore, qvando Papæ habebant sedem suam Avinione, & erant omnes ferè Gallici (nam fuerunt tres Vascones & qvatuor Lemovicenses, creati in Papas, qvi regnârunt ordine) de Lemovicensibus: qvi cum audirent, qvòd Papa erat vicarius Dei, imo qvòd ipsemet erat Deus (ut patet per Canonistas) & qvòd, sicut tu dicis, ipse habebat potestatem in cœlo, & in terra, sperantes, se reperturos gratiam in oculis domini Papæ, qvia erat ipsorum compatriota; miserunt sibi legationem, ad demonstrandam paupertatem patriæ suæ Limosinæ, in qva ferè nihil crescit præter rapas, & castaneas, & parum bladi pro diebus Dominicis; qvatenus attentâ paupertate prælibata, sua sanctitas vellet fructificare patriam suam, & sibi concedere, ut bis in anno facerent messem!

Dominus Papa, audita legatione, rem ad consilium retulit, & post longam & maturam deliberationem, concessit eis petitionem suam, sua eâ tamen conditione, ut in posterum non amplius XII. sed XXIV. menses computarent in anno: de qvo boni Limosini exhilarati, in patriam suam festinantes reversi sunt: & credo, qvòd adhuc gaudent isto suo privilegio: prout ritè & rectè. Imper. 120. Rudolph. 2. Pp. 237. Clemente 8.

Ordines Belgici.

p.1002. 1592.

HOc tempore Hollandi nummos cuderunt, in qvorum priori latere ancilla, Hollandiam repræsentans, dormiens in septis suis recubabat: apertâ & clancularia vi ac insidiis infestata, cum inscriptione: PAX PATET INSIDIIS. In altero late-

Anno latere Hollandiæ repræſentatrix puella, ſedens intra ſepta ſua, bonis præſidiis cuſtodita muniebatur, cum inſcriptione: TUTA SALUS BELLO. Imper. 120. Rud. 2. Pp. 237. Clem. 8.

Eodem anno Geldri, Hollandi, Seelandi, Friſii, Oberiſſelani & Utrechtani, numiſmata cudebant, qvibus ab unâ parte inſculptæ erant duæ manus invicem connexæ, adjunctis ſex telis firmiter coadunatis, hac inſcriptione latinâ; DEO JUVANTE: ab alterâ parte columna unica, magno libro (cui nomen Religio) inſiſtens, & eidem ſuper impoſitus erat pileus, libertatis ſignum. Columna hæc à manibus ſex virorum (qvi ſex illas provincias unitas, videlicet Geldriam, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam, Tranſiſulanam, & ultrajectenſem ditiones ſignabant) tenebatur: additis his verbis: HAC NITIMUR, HANC TUEMUR: qvaſi dicere vellent, unanimes ac concordes Religioni innixi, libertatem conſervamus. Imp. & Pp. ut ſuprà.

1591. *Matthæus Sutlivius.*

SCripſit librum de Catholica, Orthodoxa, & vera Chriſti Eccleſia: & è contra, qvaliter Pſeudo-Eccleſia Romana miſeros mortales jam multos per annos ludificârit. Affirmat, omnia mala, qvæ in Europa longo tempore evenerunt, ab uno fonte Pontificiæ malitiæ profecta, ſuſcepta, & perfecta eſſe: majoremqve ni DEUS avertat, tempeſtatem aut jam adeſſe, aut ſaltem impendere: ut non tam Pontifices, qvàm carnifices dici mereantur. Cætera Imperia aut jure, aut armis conſtituta eſſe: pontificiam vero poteſtatem, ex omnium generum rapinis conflatam, & auctam fraudulentia & perfidia ſtare: ut ibi. Imperat. 120. Rudolp. 2. Pp. 237. Clemente 8.

Idem. Nulla ſunt apud nos publica Lupanaria: hæc Romanæ religionis ſunt ornamenta: mores Maſſylienſes & cinædicos deteſtamur: iſti diligenter colunt. Apud nos Magiſtratus abominanda iſta flagitia maximis ſuppliciis coërcent: qvæ iſti aut non curant, aut una diſpenſatiuncula condonant, imò ex lupanaribus & uſuris ſub nomine montium pietatis magna vectigalia habent: nulli apud nos licet aliena rapere, nec in alienas poſſeſſiones invadere; hoc non tantùm apud iſtos licet, ſed ſummo honori eſt: maximè enim laudantur, qvi pontificis hoſtes ulciſcuntur, eorumqve fines latiſſimè igne & ferro vaſtant, nec ullo alio jure Hiſpanus regnum Navarreum, aut Siculum poſſidet, nec præter pontificis donationem ullum in Indiis jus prætendit.

p.1001. Nullos nos ſicarios ad hoſtes noſtros trucidandos emittimus, nec conducimus, nec probamus; hæc omnia pontificiorum aut propria ſunt, aut cum barbaris & læviſſimis tyrannis communia: veneficia diligenter inveſtigamus: maleficii hujus convictos ſupplicio afficimus; iſti veneficiis Johannem Navarræum, Principem Condentem, Saxonem, & Landgravium, multosqve nuper illuſtres & bonos viros: imò & ſe invicem tollere ſolent: non ſolemus nos indemnatos trucidare, nec ad infantulos innocentes patrum apud nos noxiorum extendimus pœnam, iſti hoſtes non judicio, ſed latrocinio tollunt, unaqve infantulos & ſenes, viroſq; inermes æqve, ac armatos, imò innoxios trucidant, mutilatimq; more barbaro conſcindunt.

Fidem nos datam ſervandam docemus, iſti perfidiam docent: nos fidem ſanctiſſimè colimus; illi turpiſſimè violant. Nam, præterqvàm ſuis nulli (imo vix ſuis) fidem ſervant: nam ſi ſervaſſent, Philippo Hiſpano patriam perduelles Galli prodidiſſent, ſicut ſæpius promiſerant, & juraverant: non agimus noſtram cauſam mendaciis, nec nitimur calumniis aut convitiis: illi in omnes paſſim debacchari ſolent, eæqve artes & maximæ vulgatæ & qvæſtuoſæ apud iſtos eſſe ſolent: nihil apud iſtos blaſphemiis familiarius; apud nos nihil odioſius: nusqvam plura, qvàm apud iſtos reperiuntur avaritiæ, & Perſici faſtus exempla; apud nos nihil hujusmodi.

Nolo reliqva perſeqvi, hoc tantùm dixiſſe ſufficiat; Romam, ut olim ſuperſtitionis, ſic nunc ſceleris & flagitii eſſe epitomen, omniumqve malorum ſentinam; cujus urbis ſi qvæ apud nos ſimilis eſſet; non negarem, illam digniſſimam eſſe, qvæ cum urbe Romanorum, Sodomorum inſtar, incendio conflagraret. Libertinorum & Anabaptiſtarum ſpurcitiem animo averſamur: iſti licet verbo ſimulent ſe odiſſe, vitâ tamen Sybaritarum & Libertinorum referunt mores.

Idem. Nec, ſi plura impuritatum & portentoſarum libidinum, propter qvas maximâ jampridem infamiâ Pontifices laborârunt, exempla proferre liberet, unqvam deeſſet oratio. Mores Alexandri ſexti Guicciardinus, qvi & ipſe Romanæ erat Eccleſiæ Cardinalis, teſtatur fuiſſe impuriſſimos: Lucretiam enim filiam magis amavit, qvàm decuit patrem: pluresqve habuit ille ex diverſis meretricibus ſpurios, qvos ille ut filios publicè habuit, & agnovit: licet alii Pontifices, ut velarent infamiam, ſpurios ſuos nepotes appellârint. Hujus filius Cæſar Borgiæ, patri in amore filiæ rivalis erat: utriqve omnium indicio, propter libidines nefandiſſimas & turpitudines, infames erant; hic ſororis occidit maritum, qvò liberius ſorore potiretur.

Calixtus tertius ſpurium habuit Petrum Bor-

Anno Borgiam: & stolidus ille Innocentius 8. Franciscottum Cibium, & filiam, liberorum ille gregibus se testatus est esse patrem. Julius 2. ex vagis suis libidinibus unam tantùm habuit filiam notham, nomine Fœlicem, callidam nempe & fœlicem meretricem. Leo 10. qvia cæculus erat, sororem suam Magdalenam ab alia distinguere non potuit: huic ille qvæstum indulgentiarum pro incestu præmium persolvit: erat illa, ut fertur, timidiuscula, & propterea cum fratre cubitavit; timens cubare sola.

Omnes autem reliqvos superavit verpus ille Priapus Julius tertius: iste enim suos amores adeò parùm celavit, ut puerum sibi amatum Cardinalitio galero ornârit. Innocentium de monte appellabant Itali: Romani sibilis prætereuntem excipiebant: famosus enim erat. Paulus ex muliere qvadam Aneonitana, qvam perjuriis suis decepit, genuit sibi similimum filium Petrum Luisium.

Nec sanè honori duxisset. Clemens 7. si à priscis patrum moribus degenerasset: ipse spurius genuit spurios; ita alios enim nati erant ejus pleriq; majores. Henrico 8. facultatem concessit, ut cum consangvinea in secundo, cum affini in primo gradu contraheret matrimonium, etiamsi cum alio antea illa contractam matrimonii iniisset. Sunt enim & neqvam, & magistri neqvitiæ.

Sed qvid ego plures commemorem, cùm pleriqve Romani pontifices in amoribus liberiùs versari soleant, adeoqve non turpis videatur incestus, ut facilè dispensent? Duxit Ferdinandus amitam suam ex dispensatione Alexandri sexti. Philippus Hispanus, ex dispensatione pontificis, neptem nunc in matrimonio habet. Tertius Martinus autem Papa dispensavit cum eo, qvi duxit in uxorem germanam suam sororem. Ex Julii secundi dispensatione contendunt Pontificii, legitimas fuisse Henrici octavi cum fratris uxore nuptias.

p. 1003. Habent igitur Pontificii causas gravissimas, cur aliis incestum objiciant. Qvanto enim communius est crimen, tantò minùs grave videtur: eadem de causa etiam adulteria aliis objiciunt: nam exiguam habent illi matrimonii legitimi rationem, utpote cùm vulgò adulterium committant, & adulteria inter minora crimina numerentur.

Præterea facilè separant illi matrimonia; cum Carolo Magno dispensavit Pontifex Romanus, ut, repudiata Desiderii filia, aliam duceret uxorem. Eandem facultatem concessit Alexander 6 Ludovico 12. Gallorum Regi: minùs enim peccatum est, ut disjungantur, qvàm qvod fecit Cæsar Borgia, ut interficiat qvis maritum, ut uxore ejusdem potiatur, vel ut uxorem jugulet, ut ad alias convolet nuptias. Anno

Hæc ex historiis constant fide dignis, & ab iis narrantur, qvorum maximè intererat, talem turpitudinem celatam esse. Hujusmodi testimonia cur non proferunt contra Henricum octavum? cur inqvam tacent? sciunt illi, ideò illum repudiasse Catharinam, qvòd incestas horreret conjunctiones: hujusmodi autem apud istos copulæ peccata non habentur: lupanaria enim publicè probantur, scortatioqve istis pro ludo est, & joco: apage igitur istos non nauci homines, qvi propriorum vulnerum abjecta cura, alienæ innocentiæ turpitudinis notam inurere conantur.

Idem. Papa Romanus Galliarum Regi Carolo Nono hoc dedit consilii: qvò possent è medio tolli Hugenotti: scilicet, ut connubio jungeret sororem suam Principi Navarræo, & ad nuptias invitaret hospites omnes Hugenottos, qvoqve posset illos in nassam pertrahere, publicum conductum sub fide Regia illis polliceretur salvum. Qvòd si verò eos in sua habeat ditione, omnes interficeret: hæreticis enim non esse servandam fidem. Se verò (Papam) ipsum ab hoc scelere absoluturum, & omnium peccatorum plenariam remissionem ipsi indulturum, & certum facturum, qvòd hoc facto sempiternum consecuturus esset præmium, & angelis in cœlo sanctisq; DEI æqvalis futurus.

Carolus igitur sororis nuptias, ad qvas sub Regia fide hospites invitaverat, ingenti cæde fœdavit, cùm tot homines innocentes, inopinantes & inermes, qvi se regio promisso tutos arbitrabantur, miserè interficeret. Qvod factum adeò Pontifex approbavit, ut in aula sua illud in duabus tabulis depictum, spectandum omnibus proposuerit. Imò ex consilio legati sui, hoc scelus & susceptum & perfectum, & ex primo ejus rei nuncio universa Roma in lætitiam effusa est. Qvod mirum non est, cùm nec suis qvidem fidem servet. Imperatores enim Græcos primum, deinde verò & Germanos, qvorum opera ille ejectus fuerat, perfidia sua ex Italia pepulerunt: possunt enim fidem datam violare, & pacta ac conventa rescindere.

Recitat deinceps hic Sutlivius exempla plurima, qvibus fidem datam turpiter violaverunt Pontifices: & id eis convenire & licere refert.

Idem. Qvidam Decanus Ecclesiæ Moguntinæ vixit temporibus Imperatoris Caroli qvarti, qvi de peregrinatione terræ sanctæ reversus, cogitans de Ecclesiæ insigni labe, istas effudit qverelas. Magistratus (inqvit) omnes Ecclesiæ, & universi optimates dormiunt, gravi lethargia depressi: modò ipsi salvi evadant, cæteris pereuntibus, nihili pendunt, ac flocci faciunt.

Anno ciunt. Et paulò pòst: cui monstro hujusmodi prælati, aut Principes comparandi sint, hinc adverti potest; nimirum, qvòd rector navis in medio maris dormiens, & qvasi sopitus gubernator, amisso clavo, inter tempestates jactatur.

Qvemadmodum (inqvit ille) custos civitatis carens gladio, canis non valens latrare, speculator absqve buccina: sic pastor, & idolum, qvidcunqve perfunctoriè agens. Dicit præterea, non subitanea ruina defecisse, Ecclesiam, sed per incuriam præsidentium, & prælatorum paulatim, virtutibus & exercitiis primis decedentibus, & per hoc sensim vitiis crescentibus, tam miserabili concidisse casu. Sordes, litigia, & omnia genera vitiorum, qvæ in Ecclesia regnabant, perseqvitur.

Cumqve multa complexus esset, ita concludit. Recessit lex à Sacerdotibus, à Principibus justitia, consilium à senioribus, à populo fides, amor à parentibus, à subditis reverentia, charitas à Prælatis, religio à Monachis, à juvenibus honestas, à clericis disciplina, à Magistris doctrina, studium à scholaribus, à judicibus æqvitas, à civibus concordia, timor à servitoribus, à rusticis communitas, veritas à mercatoribus: à nobilibus virtus, castitas à virginibus, à viduis humilitas, dilectio à conjugatis, à pauperibus patientia. O tempora, ô mores: tempora turbatissima, tempora damnatissima: mores reprobi, mores perditi, & clerici & populi.

Idem. Qvæ adversus alios nunc parantur arma, eadem, si alios subjugare poterunt, adversus vos etiam distringentur, si nihil aliud cavere volueritis: at cavete venena & sicarios, similes Monachorum istorum, qvi pernitiem optimo cuiqve machinantur, tuqve etiam Philippe cave. Nam licet senectus te ferè extra aleam periculi constituerit, magnaqve Pontifices Romani circumstantia pericula, nunc ne qvid in te, tuosqve moliantur, deterreant: magnum tamen tuis posteris impendet periculum, ne aut regnum Neapolitanum, aut ducatum Mediolanensem amittant.

p. 1004 Provincias enim istas ne nunc qvidem secundis pontificibus ipse tenes: sin adversi venti flare inceperint te mortuo, cogita, qvàm facile istis erit, qvi transferendi regna sibi jus postulant, hæc tua regna à tuis posteris, aut ad alios transferre, aut sibi tanqvam Dominis legitimis vendicare.

Idem. Qvem enim nisi planè scurram & sycophantam non puderet, nostram religionem à diabolo profectam dicere? at, inqvit ille, Lutherus & Zvvinglius apertè fatentur, se habuisse doctrinam à diabolo: at hujus, qvod iste illos confessos esse, idqve apertè, dicit; nos nullum reperimus vestigium, aut indicium; nec dicit qvidem Rosseus aliqvod ejus argumentum, nec librum sanè legisse videtur, unde leves qvidam scurræ hujus calumniæ materiam desumserunt. Est enim scriptus Germanicè, qvam ille lingvam non intelligit; etiam malè testibus istis, qvi ista narrant, convenit.

Profert Rosseus librum Lutheri Latinè scriptum, è tomo septimo librorum ejus Wittenbergæ excusorum: Ulenbergius tomum sextum citat, verbaqve in Germanico libro Jenæ excuso reperiri confirmat, è qvibus unum vos videtis mentitum esse: nos utrosqve mentitos esse, non dubitamus. Nam qvòd cum Luthero diabolum collocutum narrant, primum est mendacium: nam per somnum tantùm sibi, diabolum secum colloqvi visum (ut est in libro) dicit. Pungebat enim Lutherum conscientiæ stimulus, qvòd tot annos missas dixisset, diaboloqve ea in re operam præstitisset.

Secundum autem est mendacium, qvod, de universa religione diabolum cum Luthero egisse, asserunt, (nam tantùm de missa agere visus est:) tertium autem est, qvòd fingunt, Lutherum à diabolo didicisse, missam rem esse malam: (nec enim qvicqvam didicisse se per somnium narrat) contrà enim Lutherus dicit, sibi, qvi multò ante, missam rem esse pessimam, sciret, diabolum visum esse objicere, qvòd tot annos rei malæ operam dedisset, ut vel bonam esse missam fateretur; vel in desperationem abduceret, qvòd ex re pessima tam diu vitam sustentasset.

Qvartum est mendacium, qvòd Lutherum diabolo cessisse memorant, nam contrarium ex narratione constat: fortiter nempe illum diabolo restitisse, qvi illum ad missæ antiqvum usum retrahere, aut saltem in desperationem abducere conatus est.

Sed qvid ego reliqva mendacia ponam, cùm præter mendacia nihil habeant, qvod dicant? exploratissimum certè est, eos à diabolo didicisse: est enim ipse & mendacii pater, & mendax spiritus in ore hominum mendacium. Lutherus autem nihil aliud peccavit, qvam qvòd, ut homo Germanus, & non ita pridem Monachus, qvi has de diabolorum apparitionibus monasticas fabulas è mente adhuc non ejecerat, somnium narrat crasso filo, & Monachis familiari.

Qvare si nullum aliud habeant hujus calumniæ fundamentum præter somnium, qvod ipsi etiam malè detorqvent: nihil est, qvod aut Rosseus narret, aut pingat Versteganus diabolum, Lutherum aliqvid docentem: nam præter Monachos pauci nunc

Anno per mundum oberrant diaboli visibiles. Ideò pinxit Versteganus diabolum fraterculi habitu, & resti succinctum, tanqvam bellum aliqvem Franciscanum. Non meminerat ille Jesuitarum, nam si meminisset, proculdubio palliatum pinxisset: illi enim maximè strenui sunt Diaboli ministri.

Mirum autem profectò non est (ut sentit qvidam doctus in hac re de Luthero) eum tam graviter fuisse afflictum à Satana, propter tot missarum celebratarum flagitia: cùm enim Lutherus DEI gratia viderit, qvanta Idololatria & se polluerit, & DEUM offenderit: conscientia angi cœpit, & dolore carpi: igitur ἐπιχαιρέκακος humanarum miseriarum ille, pluribus telis eum & angustiis fatigare cupiens, Idololatriæ Missarum iniqvitatem pluribus amplificavit, eiq; exprobravit: recensitis enim omnibus humanæ imbecillitatis deliqviis, majus peccatum illo invenire non poterat ipse, qvo turbatum Spiritum adoriretur. Igitur qvod omnium arripere potuit maximum, atrocissimum, & abominabile, ei ob oculos statuit, qvò magis ipsius conscientiam ferire, & ad desperationem adigere posset.

Ut enim moris est Diaboli; primùm blandè, & svaviter, ac speciosè insinuat (qvod testatur applausus, qvo Missæ idolum fuit exceptum è gremio Satanæ à circumventa his dolis Ecclesia) impietatem peccatori; verum ubi in retia collapsum videt, crudelissimè ei insultat, & omni in eum consurgit nisu, qvò æternæ salutis DEIqve ipsum gratia defraudet.

Idem. Multa veteres de Antichristo, licet (ut de re futura) obscurè, tamen ita commodè loqvuti sunt, ut nisi ad Roman. Pontificem, ad nullum rectè detorqveri posse videantur. Irenæus, nomen ejus λατεῖνος futurum fore, retur. In Latio autem Pontifices isti dominantur. Huic suffragatur & Sibylla de temporibus ultimis loqvens: venturum enim dicit Regem, alba infula insignem, qvi à ponto nomen ductum habebit, qvi magnas opes coacervabit, qvi omnes errorum fontes, & arcana magica aperiet: & ejus interitum & regnum describit, prope Tyberis ripas.

Præter Pontifices, qvis habet nomen à Ponto? Qvis alius est alba infula insignis? Qvis tam latè in mundo imperavit? Qvis inqvinatiores habet aut pedes, aut manus? & qvis pedes, præter illos, maximi muneris loco protendit osculandos? Qvis plures in Christianam religionem induxit errores? Qvis arte Magica & diabolica majora effecit miracula? Deniqve si hos exceperis, nullus per multos annos juxta Tyberis ripas Princeps Imperii sedem habuit, nec alterius cujusqvam lugubres juxta Tyberim auditæ sunt qverelæ.

Qvamvis sit Apostata & latro, tamen qvasi DEUS esset, ita se coli vult, teste Irenæo. Jubebit (inqvit) seipsum pro Deo coli, & in templo collocari, non Hierosolymitano, sed in Ecclesia: in templo DEI (inqvit Hieronymus) sedebit, vel Hierosolymis, ut qvidam putant, vel in Ecclesia, ut veriùs arbitramur. Antichristus se & suos cupiet videri Templum spirituale DEI, & veram Christi Ecclesiam, ut ait Augustinus. Chrysostomus, Hierosolymæ non, sed in Ecclesia Christi Antichristum sessurum, dicit. Anno

Qvis autem templum DEI occupavit, & se pro DEO colendum, præter pontifices Romanos, per hos superiores annos ostentavit? Templum illi Christi invaserunt, sibiq; divinos honores arrogârunt. Illi enim, se pro Christo in terris Ecclesiam regere profitentur, & coram illis qvocunqve incedunt, cuncti procidunt, tanqvam numina aliqva adoraturi. Babylonem Hieronymus Romam interpretatur. Qvis igitur dubitet, qvæ de Babylonis eversione Johannes Apocal. 18. vaticinatur, ad pontificium in urbe Roma regnum pertinere?

Gregorius non dubitat, eum, qvi se universalem Episcopum dixerit, Antichristi præcursorem vocare. Certum est igitur, Antichristum, qvi illo tempore instabat, jam venisse: cùm ante multos annos universalis Episcopi nomen, à Gregorio & Synodo qvadam Carthaginensi damnatum, Pontifex Romanus sibi vendicârit. Dicit præterea Gregorius, Antichristum Judaicas ceremonias revocaturum, cui suffragatur etiam Sedulius. Hoc autem Antichristi opus jampridem absolverunt Pontifices Romani.

Bernardus ex turpi qvæstu, qvo Ecclesiam undiq; fœdatam conspexit, argumentatur, fore, ut brevi Antichristus reveletur. Cùm igitur in infinitum excreverit illa turpitudo, multaq; alia scelera pontificiam sedem deformârint, proculdubio nunc Antichristus potentiam suam & regnum inchoavit. Synodus Wormatiensis & Brixiana, contra Gregorium 7. habita, eum ut Antichristum aversata est. Nec ab eo tempore unqvam de Antichristo destitère concionatores loqvi.

Sed qvid alia conqviram adversus istos testimonia, cùm ipsos pontifices propria conscientia accuset & convincat, se Antichristos esse? Nam nisi ipsos conscientia argueret, qvæ causa est, cur nullas de Antichristo conciones, aut sermones ferre possint? Profectus est Româ Paschalis secundus, vel ut alii dicunt, Sixtus 4. Florentiam, ut Episcopo cuidam ibi de Antichristo concionanti, silentium imponeret. Cùm Sanonarola ne interdicto qvidem Papali deterreri potuisset, qvò minùs de Antichristo loqveretur, flammis sublatus silere

edo-

Anno adoctus fuit. Eo nomine & Joachimi cujusdam revelationes supprimunt. Antichristi enim nomine suum regnum exagitari, sentiunt.

Qvare si nobis non credit Bellarminus, pontificem Romanum esse Antichristum: at saltem credat Pontificibus suis, qvi nihil magis metuunt, qvàm concionatorum suorum de Antichristo ejusq; adventu liberas voces.

Qvæ, tantum à Romanis pontificibus depellendæ invidiæ causa, disputat ille, leviora sunt, qvàm ut vim argumentationum nostrarũ sustinere possint. Dicit, Antichristum unum tantùm hominem fore, eumq; ex tribu Dan nasciturum: nondum autem venisse: sed cùm tandem venerit, Henochum & Eliam occisurũ esse: & postqvàm aliqvot menses Hierosolymis regnârit, interfectum iri.

Ridicula pleraqve & falsa. Partim enim authoritate scripturæ, partim rei evidentia & patrum sententia, hæc omnia convicta sunt. Scripturæ sacræ affirmant, multos futuros Antichristos, licet propter summam eorundem contra Christum conspirationem, unus illi omnes dicitur Antichristus. Audistis (inqvit Johannes) qvòd Antichristus veniet, & nunc Antichristi multi facti sunt. Dicit præterea Christus; Multos in nomine suo venturos esse, dicentes, se Christos esse. Nec obstat, qvòd Apostolus Antichristum hominem peccati, & filium perditionis vocet: nec qvòd sub bestiæ bicornis agno similis, & loqventis ut draco, aut sub meretricis unius nomine Antichristus adumbretur.

Nihil enim freqventius in sacris literis, qvàm ut sub singulari numero plures ejusdem speciei comprehendantur. Plures fuerunt Imperatores Romani: omnes tamen sub nomine unius pardi designantur. Similiter per Danielis singulas bestias singula intelliguntur regna. Hæ qvatuor bestiæ (inqvit Propheta) 4. regna sunt. Similiter per unam illam fœminam, qvæ fugit in desertum, omnes particulares designantur Ecclesiæ. Sub uno, qvi in prælium exiit, Apoc. 6. multi designantur, qvi in eodem militiæ genere milicant. Nec adeò cessârunt artes Satanæ ejusqve potentia, ut unum tantùm habeat hominem perditum.

Præterea dicit Apostolus, apostasiam futuram, & mysterium tunc temporis operari cœpisse: & Antichristum omnibus impiis patres pro capite futurum dicunt, qvæ ad unum tempus & unum hominem pertinere non possunt. Atq; ut sit aliqvis unus in hoc numero, propter impietatem singularis, nihil tamen hoc impedit, qvo minus pontifices Romani sint Antichristi. Antichristos (inqvit Hilarius) plures esse, cognovimus. Qvisqvis enim Christum, qvalis ab Apostolo est prædicatus, negavit, Antichristus est.

Utcunq; igitur, unum aliqvem singularem fore Antichristum, sentiant patres: Anno Pontifices tamen Romani qvotqvot Christum unicam justitiam nostram, prout ab Apostolis prædicatus est, non agnoscunt, constat esse Antichristos. Misera igitur hæc est Bellarmini pro suo pontifice excogitata defensio, cùm nec qvod affirmat probet, nec probatum juvet.

Idem. Multæ in legendis feruntur pro- An. 1066
phetiæ, de uberi proventu caulium: aut de donariis, qvæ monasteriis suis à nonnullis donata iri, Monachi distenti somniârant; & hujusmodi suorum monasteriorum commodis aut incommodis: vatesq; apud istos ille habetur optimus, qvi de re conventus sui, & commodis fratrum optimè vaticinari potuit. Sed multum interest inter DEI Prophetas, & istos pseudoprophetas: illi enim de Christo ejusq; regno, de regnis etiam, & populis, & Ecclesia, rebusq; maximis, Spiritu sancto præditi, multa prævidetunt & prædixerunt, isti de sua culina, & ollis, & scutris, multisqve hujusmodi nugis, licet nihil prævideant, prædicunt tamen.

Dicit Possevinus cum aliis, apud Anglos mulierem summum esse Pontificem: at omnes nôrunt, hoc summum est mendacium: neqve enim mulieres apud nos, aut verbum tractant, aut Sacramenta, aut munere aliqvo ecclesiastici ministerii funguntur: nec illa, in qvam ista tela diriguntur, aliqvid in se suscepit, qvod non jure regio sibi conveniat: Reges enim tabularum divinarum custodes sunt, & leges suis præscribunt, & supremo jure jus dicunt: &, ut cuncta fiant in Ecclesiâ decentèr, præcipuam curam gerunt: nec aliqvid Elizabetha suscepit, qvod non Mariæ sorori, qvam summè laudant Pontificii, ante ipsam competebat. Romæ autem mulier qvædam olim non tantùm summus erat Pontifex, sed etiam summa meretrix: publicè enim peperit, publiceqve ministerio functa est.

Idem. Alexander 6. duos alios habuit qvæstus modos, insignes nefarios, & impios. Nam in morientium invasit bona, hæres non nominatus; qvosqve ipse veneficio sustulerat, eorum bona diripuit. Opulentissimum (inqvit Onuphrius) qvemqve in aula Sacerdotem, & in his aliqvos Cardinales exteris ditiores, veneno tollendos constituit, ut eorum opibus in fiscum redactis potitus, profusissimè largiretur. Præterea ex Maranis, & Judæis magnum tributum collegit. Qvem modum qvoqve posteriores etiam retinent Pontifices. Judæos enim Christi professos hostes Romæ alunt, eosqve privilegiis augent. Desinite igitur mirari, cur Christianos ferre non possint Pontifices, cùm fœdera cum Christi hostibus ferire soleant.

Anno

Ex meretricibus & usuris qvanta vectigalia habeant; jam antea diximus: vetus est enim qvæstus genus; hoc postremum à Judæis didicerunt; illud prius à Carpocratianis habent: hoc tamen sunt illis turpiores, qvòd, ut in rebus sua opinione licitis, nullum exegerint illi pro turpitudine ista precium: isti ex oblationibus meretriciis in sanctuarium Rom. illatis ditescant. Præterea tanta arte Canones Pontificii pleriqve conditi sunt, ut instar hamorum qvicqvid adhæserit statim capiant. Sanctiones Pontificiæ (inqvit Budæus) non moribus regendis usui sunt, sed propemodum dixerim, argentariæ faciendæ authoritatem videntur accommodare.

Idem. Jactitant Jesuitæ de Japonia, India, & novis Insulis conversis, & ampliato Romanismo: sed cum consideraverint, altera parte Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Norvvegiam, Saxoniam Pomeraniam, Germaniam, Galliam, Belgium, Poloniam, defecisse, & inde nihil ampliùs in illorum ærarium inferri ut olim, auri & argenti, imò potiùs araneorum qvàm nummorum plenum esse; & mercatum fraudesq; indulgentiarum planè detectas, parum de Regni illorum ampliatione gloriari poterunt.

Idem. Nostros non legitimè ordinatos, dicit: sed qvaliter qvæso Johannem 12. putas suos ordinasse, qvi hoc in stabulo eqvorum fecisse dicitur: secundum Luitprandum, & alios. Ubi non puto infulatos, sed loco eorum cum strigilibus eqvisones.

Idem. Constat, Clementem 7. hastâ proposita in foro tres Cardinalitios galeros venales fecisse, plurimum offerentibus, pro auro bono & præsentario.

Ibidem. Cùm canones Spurios à sacerdotio arceant; Clemens 7. subornatis testibus perjuris, se legitimo natum matrimonio probavi: Romana enim Ecclesia fons est perfidiæ, & schola perjurii: fidemq; vitiosâ nuce viliorem habet. Petrarcha.

Idem. Sic enim ipsorum Palingenius:

Ut meritò (in[illegible]t ille) possit mundus speluncis latronum
Dicier: en, Reges, sub honesto nomine, necnon
Pontifices spoliant populos: en depeculantur
Certatim civesq laniantes viscera matrum.
Quid tot stupra loquar, sunt cuncta libidine plena.
Et passim prostant, & clàm fodiuntur ephœbi.
Quis non mœchatur? mystæ, vafriq; cuculli:
Quos castos decet esse, palàm cum pellicibus, vel
Furtim cū pueris, matronis, virginibusq;
Nocte dieq; subant.

Idem. Tot ego illi ex Pontificibus Romanis, & Cardinalibus, & Pseudoepiscopis, & sacrificulis, & probrosis Monachis, ex variis annalium monumentis proferam pædicones, priapos, veneros nepotulos, ganeones, & puerorum, & viduarum corruptores, ut oculos sibi erui optaturus sit, ne tam turpem sociorum suorum catervam conspiciat: omnesq; facilè agnoscant, illos non tam Ecclesiam, qvàm Sodomorum cloacam esse.

Anno

Idem. Neqve enim aliud pleriq; Pontifices hos 600. annos fecerunt, nisi ut lustris & luxui operam darent. Petri Palatium [illegible] nunc pædiconum & cinædorum lustrum: non est illa Ecclesia, sed ganeum & popina: non sunt illi Romani antistites pontifices, sed pæderastæ: hic cinædis & prostibulis honores habiti, pudori nullus locus: Lateranense palatium nunc, inqvit Luitprandus, est prostibulum meretricum, Ecclesiæ hujus militia lenocinium: moriuntur illi, non ut olim martyrio, sed libidine, luxuq; marcidi; vivunt ut edant, ingurgitant se, ut amori sufficiant. p 1007

Qvo igitur istos nomine appellem, gurgites, helluones, lurcones, ganeones? Qvæ igitur hos intemperies agitat, ut verbi ministris honorabile conjugium exprobrent, cùm eos ut summos venerentur Pontifices, qvi lustra, popinas, omnesq; seqvuntur impuritates? Aut qvid Verstegano in mentem venit, ut conjuges pudicas ministris pro maximo probro objiceret, & ante oculos nostros poneret, cùm domi haberet verpos illos pontificios priapos, & pontificum cinædos, & prostibula, & popinas, & lustra, puerorumqve infames amationes? Cùm tanta esset pontificum Romanorum turpitudo, qvid opus est in nostris argumentum qværere?

Idem. Germani non tantùm legitimam, sed & honorariam habuêre causam, cur se Carolo qvinto Imper. opponerent. Adversus enim hostes externos (Italos & Hispanos) lares, uxores, liberos, libertatem patriæ & suam defendebant. Nec illi qvidem adversus Principem suum, sed adversus Imperatorem, cui præter vectigal aliqvod & obedientiam qvandam ex pactis nihil debebant. Cur ipsi Imperatoris facta improbarent, justas habuêre causas: cur Germanorum fœdus condemnaret, nullam ille habuit. Nec legibus ille, sed armis superior fuit: isti armis victi, causa fuêre superiores, ut ipse testatur Carolus.

Ibidem. Vigilate vos Christiani Principes, & hanc infinitam Pontificum Romanorum ambitionem, unde tot manârunt seditiones & rebelliones, maturè coercete. Videtis, qvid doceant, qvid moliantur, se judices constituunt, & arbitros vestri juris. Nisi his omnia concesseritis, qvæ postulant, adversus vos paratum est excommunicationis telum, & subditorum rebellio.

Vi-

Anno Videant itaq; non tantùm, qvi Pontificum jugum rejecerunt, ut se adversus has molitiones muniant: sed etiam, qvi nunc Pontifici adversus alios militant.

1593.

Vaticinium memorabile.

HOc loco nonnullos Scriptores Germanicos video posuisse qvoddam vaticinium, hoc anno in Italia inventum: qvod, ne defraudemus eo Lectorem, nos etiam hic inserere voluimus.

Ajunt, D. Petrum Paulum Abbatem in Calabria, dum in suo Monasterio veterem parietem demoliretur, ut novum denuò extrueret, fundamentum altius fodi præcepisse; inventum autem inter fodiendum sepulchrum lapideũ, extrinsecus vario marmore fornicatum, in qvo cruces, & qvædam passionis Dominicæ mysteria sculpta videbantur. Apertum est sepulchrum hoc, præsente Abbate & Monachis, Secretario qvoqve, & Vicario domino Angelo: inventumqve cadaver penè consumtum, capillos nihilominus adhuc in capite, & barbam canam prolixamqve, in manibus verò laminam argenteam habens, cum hac inscriptione: Cùm sancta civitas fulgebit splendore stellæ, Sol iterum me videbit. Hoc est, corpus Abbatis Werdini Hydruntini, sepulti 6. Kal. Nov. an. 1279. à virgineo partu. Sed & sub capite illius cadaveris reperta est ex marmore arcula, & in ea capsula plumbea, cum membrana, in qva antiqvis characteribus seqvens scriptum erat cum epigraphe vaticinium.

Ego Abbas Werdinus Hydruntinus, ab Angelo meo custode admonitus tempus resolutionis meæ instare, qvæ mihi prius revelata fuerant, ventura in apertione sexti sigilli, ista in hac membrana scripsi, & in ista capsula marmorea servavi, mandans in virtute sanctæ obedientiæ, Jacobo Hydruntino, & Mauro Panormitano discipulis charissimis, ut ipsam in hoc sepulchro, unà cum cadavere meo deponerent. Cùm in sede Petri fulgebit stella coruscans, præter hominum expectationem electa, in maxima electorum controversia, cujus splendor universam Ecclesiam irradiabit, sepulchrum cadaveris mei aperietur. Hic bonus pastor custoditus ab Angelis, multa reædificabit. Ejus vigilantia & solicitudine elevabuntur altaria, & Ecclesiæ discooportæ coöperientur. Tunc gratiosus juvenis de posteritate Pipini veniet peregrè, ad videndum hujus Pastoris claritatem, qvi pastor mirificè collocabit hunc juvenem in Gallicana sede, hactenus vacante, eiqve imponet Diadema Regni, ipsumqve in adjutorium regni vocabit. Non post multos annos stella cadet, eritqve luctus ingens: nam cum eo tunc temporis sepelietur Aqvila septuagenaria: relicto pullo sub primorum custodia; ubi omnia ruent in pejus. Fera pessima cum cauda amarissimo veneno plena, in suum intrabit cubiculum, in tantumqve maxima serpentum qvantitas multiplicabitur. Itaqve indies per universa cubicula clericorum transibunt, & dignitates sacerdotales in maxima sangvinis effusione pervenient, eruntqve angustiæ, & fames per universa mundi loca, in tantumqve major pars gentium mortem clamabit. Anno

In illis diebus multæ solennes civitates peribunt per direptiones tam internorum qvàm externorum, potissimè in Italia, tam in regno Neapolitano, qvàm Hetruria: timenda, tremendaqve sunt, qvantum credi posset. Hydruntina patria mea iterum à Dracone Mahumetano vastabitur. Roma singulariter concutietur. Florentia qvoqve concutietur tunc, expectans vindictam sub Duce suo Apostata: & nidus Philosophorum æqvaliter concutietur, & Genua hostium tribulationes incurret. Sic mihi ostendit DOMINUS.

Turcæ cum lingvis futuris Venetiam polluent, & hic non spectantibus prælium intentabunt. Totum regnum Siciliæ peribit. DEUS propitius sit servis suis. Multa monasteria corruens, ob venenum Aqvilæ Septentrionalis, maximus sangvis effundetur, ob duas pugnas Gallorum & Batavorum. Utinam avertat DEUS iram suam. Refert M. Jansonius Doccomensis Frisius, in Mercurio Gallobelgico, de qvo plura infrà. Imp. Rud. 2. Pp. Clem. 8.

Monstrosum, ex Ioanne Pontano.

p. 1008
1593.

MUlier hoc tempore qvædam paupercula in Rhœlbek, novæ Marcæ pago, tribus a Regio monte milliaribus, noctu peperit masculum, habentem uti bos, dependentia palearia, undiqve eminentia circa collum, ex solidis carnibus, sed in formam lascivientis nunc hominum ætatis collarium; suis folliculis egregiè & mirificè, longèqve & latè explicatorum, qvod attolli & deprimi potuit. Circa tempora cincinnos ac fimbriatos crines gestabat, qvemadmodum nostri reguli & centauri faciunt: in vertice frontis arduæ capilli conspiciebantur erecti, qvomodo & juvenes delicatiores nostri ævi cura & arte capillos sursum pectunt; & instar puerorum Turcicorum, qvi cuti frontis perforatæ pennas gruis insertas gerunt (qvales aliqvot Sinan Bassæ Budæ, anno Christi clↃ. IↃ. LXXXIV. qvi fuit Mahumetis D. CCCCXCI. Henrico Baroni in Lichtenstain & Nicolspurg, Legato Cæsares Budæ exhibuit) componunt.

Monstrum hoc à diversis cujusvis ordinis hominibus conspectum, & jussu Johannis Pontani Pastoris Regiomontani, ad vivum delineatum est. Ipse qvoqve Pontanus idem monstrum descripsit, additaqve ad le-

ctorem

Anno ctorem pia admonitione, scriptum publicavit, in qvo & alterius monstri meminit, Danielis Cortini Regiomontani filii, qvi hoc anno 28. Martii natus, ventrem habuit protuberantem, nodisqve distinctum, & prolixè defluentem ultra umbilicum; inferiori item parte acutiorem, qvo modo nunc thoraces, aliæqve vestes viriles conficiuntur.

Qvæ omnia qvorsum, DEO permittente, fiant, nisi ad ludibrium nostræ stoliditatis & vanitatis, non video. Sacrum, pulchrum, perfectumqve animal homo est, ad imaginem & similitudinem DEI conditum: nullo eget fuco, nullo externo vestium apparatu, in qvo qvi gloriam qværunt, qvid aliud agunt, qvàm fur qvispiam, qvi in cruce, aut furca, à qva suspenditur, gloriatur: non enim ad ornatum nobis concessæ sunt vestes, sed ad necessitatem, in signum & memoriam nostræ prævaricationis, primiqve in Paradiso peccati. Ex eodem Merc. Gallobel.

1593. *Portentosum.*

EOdem hoc tempore Judenburgi in Stiria, cœlo sudo, in Solis corpore nigra stella apparuit de die, ex opposito verò aliqvot machinæ bellicæ, è qvibus magnæ qvantitatis & fumigantes pilæ in solem jaciebantur: qvæ umbras in terris dedêre, colore similes iridi. Circum solem visa qvoq; sunt multa Turcarum capita, replictis pileis Turcicis, & fasciis inde dependentibus tecta, collis autem oblongis. Ingens qvoq; ciconia, cujus pedes ferreâ catenâ stringebantur, conspecta fuit; ibidemqve media nocte Cometes ardebat: vide Bartholomæi Huberi, Erfordiensis Medici librum, in qvo perqvàm digna memoratu de Cometis, eorumq; portentis hoc anno scripsit. Idem Mer. Gall. Imp. & Pp. ut suprà.

1593. *Elias Hasenmüller.*

ISte Elias, omni artium genere cultissimus, ab initio qvidem singulari in Jesuitas affectione movebatur, eorum vitæ, moribus ac gestis acerrimè intendens, pactisq; hostium ejus acqviescens, ratus, eo haud se vanam operam in vera religione esse positurum. At verò arcana eorum expiscatus probè, in viam, unde exorbitaverat, aspirante DEO, rediit: & qvæ antea (Lutheranos oppugnandi gratia) pugillaribus suis inseruerat, ea deinde contra ipsos Jesuitas eorumqve sectam in medium attulit: DEO immortales gratias agens, qvòd, ipsum suam ante mortem illorum hominum technas percontari & agnoscere, concessisset. In libro ipsius, qvem nominavit historiam ordinis Jesuitici, variæ & elegantes scilicet de Jesuitis recensentur historiæ & narrationes, earum qvendam saltem gustum hic propinabimus Lectori.

Augustæ, cùm per plateas incederem, cum qvibusdam Jesuitis, Evangelicorum pueri nos inclamabant JESU zu wider, JESU zu wider/ qvò tendis, nonne ad Diabolum? Illi autem qvasi surdi & muti transibant, probè sibi conscii, qvod tales essent, qvales hi illos decantabant. Et certè si tales pueri silerent, lapides locuturi essent.

Itali, qvorum cordibus lux Evangelii Jesu Christi aliqva ex parte affulsit, eos vocant pultrones, cattivos tristos, bestias: hoc est, perditissimos nebulones, æterno carcere dignos, nec in rerum natura ferendos.

Cum Romæ versarer, ex nobilibus viris, qvi stemmatis & generis sui claritatē à Cæsare & Octavio deducunt, unde & Cæsareani & Octaviani dicuntur, hujusmodi sermones audivi: Jesuitæ, seu, ut ipsi loqvi eban- tur, Compagnia di Giesu, etiamsi summa videatur Pontificis Romani columna, hoc tamen aliqvando effectura est, ut Papa dejiciatur, & ipsi Jesuitæ rerum potiantur. Maturè igitur Pont. Rom. evigilare & de remedio cogitare debebat, antequam Jesuitarum secta majores, qvam olim Templariorum vires acqvirerent. Idem 110. Rud. 2. Pp. 237. Clemente 8.

Idem. Landspergæ (oculatus testis hæc refero) erat auriga, qvi parochum accedens dixit: Aliqvoties me Satan ad tuas usq; januas comitatus est: sed neqve ipse ingreditur, neq; ingredi patitur. Cumq; aliqvandiu hac fraude uteretur, atqve tandem in furta incideret, deprehensus ait, se à dæmonio agitatum hæc fecisse, & insaniam finxit. Vocantur Jesuitæ, qvi dicunt illum obsessum; adhibent igitur varios exorcismos, verum nihil proficiunt; qvò etiam plura adhibent crucis signa, eò majorem ille fingebat insaniam.

Tandem Rector Landspergensis, multis preculis & characteribus adhibitis, à tergo agnum cereum illi alligans, imperat dæmoni, ut in nomine B. Mariæ egrediatur. Dæmon respondit Crusio: (sed hoc nemo nisi ille audiebat) non egredior, nisi hominem hunc vestris intercessionibus à fune liberaveritis. Hoc autem omnes astantes furem dicere audiebant: citò sanarer, si à patibuli pœnâ tutus esse possem. Postqvàm igitur Jesuitæ pollicerentur, se suis intercessionibus illum liberaturos: ibi continuò convaluit, qvietus sedit, & risit.

Cùm verò Magistratus secundum juris rigorem cum ipso agere, illumq; supplicio afficere vellet: Jesuitæ misso ad Principem supplici libello, illum à reste liberârunt. Qvi liberatus ipsemet confessus est, se omnia ista finxisse tantum, qvia liberationem ipsi Jesuitæ promisissent. At Jesuitæ hoc pro miraculo in vulgus sparserunt, agni DEI imagunculam ceræ impressam mirè commendantes, illarumqve ingentem copiam venden-

Anno dentes. Hujusmodi conficta miracula innumera disseminant, absqve pudore: licet pleriqve sciant, hæc dolo & fraude peragi.

Idem. Ne autem qvis existimet, me Jesuitis vel aliqvam saltem facere injuriam, cùm absqve dubio votum castitatis, qvo se obstrinxerunt, fidelius sint observaturi: ex plurimis duos tantùm hac vice producam in medium, qvi verbis qvidem castitatis votum voverunt, factis autem illud negarunt. Primus est Melchior Stor, Romæ Theologiæ Doctor creatus. Is ut salvus & incolumis in Germaniam redire posset, vovit, se societatem ingressurum. A qvo proposito multis amatoriis literis eum Abbatissa qvædam, ipsi non ignota, dehortabatur, rogabatqve eum, ut præsulem Monasterii potius ageret. Se enim sine illo vivere non posse. Qvid hæc sibi velint, divinate vos, ô fatidici patres Jesuitæ!

Alter est Fridericus Sommerman Doctor, qvi eadem, qvâ alter, fortunâ Jesuita factus, sic votum castitatis servavit, ut in Monasterio qvodam monialium non procul à Lucerna sito, cùm sororem qvandam, qvæ se à dæmonio agitari conqverebatur, liberaret, dæmoniumqve ejiceret, effecerit, ut nescio qva virtute umbræ illius Patris, in locum Satanæ infans intrârit. Id qvod mihi ipsi Landspergenses Jesuitæ retulerunt.

Idem. Ego sanctè & verè testari possum, me in Italiâ & Germaniâ inter centum non qvinq; reperisse sacrificulos, qvi sese ab impuro meretricum tactu continuerint. Taceo, in Italiâ plerosqve sacrificulos, addo etiam nonnullos Episcopos, ex meretricibus esse natos: & Ecclesiæ Pontificiæ non præsidere Episcopos unius uxoris viros: sed scortatores, adulteros, Sodomitas, masculorum concubitores, & ipsius Romanæ bestiæ amatores & negociatores.

Ex qvibus omnibus, non solùm impietas voti Jesuitici, de compulsæ castitatis coäctione apparet: sed & luce meredianâ manifestius est, Jesuitas furiis infernalibus agitari: qvòd honesto, casto & sancto conjugio suis Sacerdotibus & fratribus interdicant: nec ullis precibus, nec ipsa naturæ vi, nec scandalorum multitudine moveantur, ut soluto laqveo hoc conscientiarum, & sublata turpitudine suorum spiritualium, qvi exemplaria gregis esse debebant (ut & nomen illorum & professio exigunt) ipsis legitimum conjugium inire permittant. Si qvis verò interim castè, legitimè & absqve offendiculo cum propria conjuge vivere cupiat: eum non ab officio tantùm, sed etiam ab arbore suspendant. Qvàm tyrannidem & crudelitatem inauditam Filium DEI in illustri suo adventu, perpetuis ignis infernalis cruciatibus adjudicaturum & puniturum, certò experientur.

Idem. Sed Jesuitæ illam opinionem urgent, ut sic errores de merito congrui, secundum qvod gratiam dari dicunt, tueri, & aliis, ceu rem meritoriam, vendere possint. Sicuti dicere non erubescunt: Hominem infidelem vel hæreticum, in peccatis mortuum, suffragiis & missis suorum, ex damnatione liberari, & salvari posse. Hoc dolo fraudeqve, hodie Jesuitæ à Gentilibus, & eorum hæredibus in Indiâ maximas opes corradunt: dum, etiam non conversos, & ante aliqvot centum annos in *[illegible]* defunctos ipsorum Majores suorum meritis salvari posse, comminiscuntur. Anno

Idem. Romæ aliqvando fœmina obsessa p. 1010.
à dæmone, Lojolam secuta est, & clamavit: Tu solus me liberare & juvare potes. Tunc Ignatium conversum, dixisse hunc Virgilii ajunt versum:

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem.

Qvâ voce audita Dæmonem mulierem prostravisse, ac egredientem vociferasse: O Fili Lojola, tu ceu Leo, me ad Speluncam inferni abire cogis. Sed rogo te, ne me æternæ speluncæ injicias. Tunc Ignatium dixisse: Vade qvocunq; volueris, modò nullum ampliùs hominem obsideas. Sicq; Dæmonium magno cum strepitu egressum, fœminamq; liberatam: qvæ deinde per omnem suam vitam (verbis utor Jesuitæ Turtiani) Ignatio Lojolæ devotissima fuerit.

Idem. Certè, si Christus JESUS visibiliter appareret, Jesuitas consimili modo, qvo Samaritanam est allocutus, perstringeret, eosq; impuritatis convinceret; in hanc fortè formam: Jesuitæ, vocate uxores vestras, & venite huc. Responderent illi utiqve, & dicerent: non habemus uxores: JESUS autem responderet; Benè dixistis, non habemus uxores: qvia istæ, qvas habetis, non sunt vestræ. Qvid hic responsuri essent Jesuitæ aliud? qvàm, DOMINE, videmus, qvia Propheta es tu: Patres nostri idem fecerunt. Sed rogamus te cùm Gargesenis, ut de finibus nostris exeas, ne fortassis cum illorum porcorum grege ad barathrum gehennæ præcipites feramur.

Idem. Ignatius etiam Lojola, prostitutæ pudicitiæ fœminis Romæ xenodochium extrui curavit, in qvibus aluntur istæ, qvæ vel per ætatem, vel propter Gallicum morbum, nec veneris castra ampliùs seqvi, neqve Pontifici Romano censum offerre possunt: in recompensationem puto longè diuqve usurpatæ earum operæ.

Idem. In templo dum sedent carnifices conscientiarum in cathedra propter confessionem nihil exigunt: si qvis autem pecuniam super altare ponit, tacent, eamq; hominibus absentibus auferunt. Si qvis in illorum manus vult mittere confessionis sortem, eam recipere nolunt: dicunt autem, si qvid nobis communicare vultis, illud ad portas collegii mittatis: non enim licet nobis qvicqvam in templo recipere.

Anno

Hac autem arte qvæstum suum augent. Ubi enim in templo, sicut reliqvi sacrificuli, uno atqve altero nummo contentos esse oportuisset: ibi hoc aucupio aliqvot florenos, vel alia, ex qvibus lautè vivere possunt, venantur. Egregii sanè hominum rudium deceptores, qvorum hæc Maxima est: Non recipio mercedem. Sed inde inferunt: Ergò debes mihi hoc loco eleemosynæ. Item: gratis tibi laboravi: sed, debes mihi tot florenorum eleemosynam. O vos impostores, perfidos, & deceptores sacrilegos. Qvomodo hujus vestræ hypocrisis rationem aliqvando reddetis DEO, justo Judici?

Idem. Ad eundem modum Jesuitarum confessarii nummum confessionalem (ut vocant) à nemine in templo recipiunt. Hortantur autem, ut eleemosynas ad illorum collegia mittant: sicqve pro nummo uno aut altero sæpè florenum unum aut pures recipiunt. Nemo enim facilè, loco eleemosynæ, ad illorum collegium nummum saltem miserit. Sunt tamen etiam nonnulli confessarii inter illos, qvi clam, hoc est, inscio Rectore nummos confessionis recipiunt, inter qvos unum nomino Patrem Johannem, Augustæ ædilem, qvi cum aliqvando in hospitio, non procul à Landsperga sito, pro octo sociis symbolum solvisset, & interrogatus, unde eam pecuniam haberet, respondit: sunt antiqvi nummi confessionales, sed ST. fratres, silentium præstare, alioqvin oportet me restitutionis subire pœnitentiam. Sic ergo Jesuitæ & Rectores suos, & eos, qvi illorum ministerio Antichristiano utuntur, decipiunt.

Idem. Si ergo (dicat qvis) nihil recipere audent ab aliis: unde tot illis collegia? unde tot redditus? Verum est, nihil, dum in templis sedent, accipiunt: præsertim si qvid loco mercedis illis offeratur. Sed sunt hac in parte Jesuitæ, ut qvidam in ipso jocantur, participii partis. Partem enim capiunt à Pontificibus Romanis, Cardinalibus & Episcopis: partem etiam à laicis: sed certo fine, qvem hoc exemplum monstrat.

Est Augustæ concionator in Ecclesia Cathedrali, insignis Sophista, & Jesuitarum Augustæ degentium Rector, nomine Gregorius Rosphus, ob jocosam loqvacitatem præcipuis in ea urbe, Pontificiæ Idolomaniæ addictis, maximè gratus. Hic, ut dixi, in primaria urbis æde conciones habet. Cùm autem Canonici & reliqvi, qvi ipsum audiunt, pro concionandi laboribus ei offerent loco mercedis in singulos annos 500. florenos: respondit, hac conditione mihi eos recipere non licet. Nam mihi regula est, ut, qvæ gratis accepi, gratis communicem. Si autem Domini nostrorum inopiam sua copia juvare cogitant, poterunt loco eleemosynæ, qvicqvid voluerint, ad nostrum collegium remittere. Nobis enim licet eleemosynas, non mercedem recipere. Sicqve singulos in annos in die nativitatis Christi ad illorum collegium deferuntur 500. floreni, qvos isti gratis recipiunt, pro gratuitis, vel potius frustraneis Gregorii concionibus.

Ann

Idem. Solent Jesuitæ Bavariæ Principi Guilhelmo, strenæ loco qvotannis mittere catalogum: in qvo significant illi, qvas pœnitentias illorum fratres, pro ipsius Celsitudinis, conjugis & filiorum incolumitate facere velint. Nempe hic sacerdos vult pro ipsis missas celebrare 2. alius 3. hic frater Rosaria centum: alius Psalterium Mariæ: alius officium Mariæ: alius hortulum animæ recitare: alii volunt 4. alii 12. facere disciplinas, hoc est, toties se flagellare, &c. Pro his plerunqve solet [illegible] gratitudinis ergò divites strenas mittere.

Anno tamen 1582. cùm Landspergenses hujusmodi xenium misissent, neqve circa Bacchanalia remunerationem acciperent, ajebat Crusius Rector Landspergensis: Nostri fratres hoc anno non tam benè, qvam superiori, suam locârunt strenam. Nam præterito anno accepimus à Principe loco strenæ bovem, qvo cum splendidè peregimus Bacchanalia: hoc anno carere cogimur. Sic ergo Jesuitæ & tauros, & boves, & si maximè non coronas; tamen coronatos, imò domos, agros, templa, scholas, & omnis generis bona recipiunt. Digniores certè, qvos homines (sicut postea Gentes, mutatis animis, Barnabæ & Paulo facere volebant) lapidibus exciperent, eo, qvod lapidem illum Ecclesiæ angularem, Christum JESUM reprobant.

Idem. Neophytus Jesuitarum Schrenck Landspergæ retulit mihi, se Romæ audivisse à Societatis Professis, Jesuitarum socios Romæ servum qvendam Alexandri Farnesii Cardinalis, singularis Societatis hujus fautoris, at acerbissimi & capitalis omnium Evangelicorum hostis, à dæmone obsessum Monachos liberare conatos fuisse: verùm frustra omnes omnia exorcismatum genera adhibuisse. Tandem igitur Patrem qvendam dæmonio dixisse: Qvare non egrederis? Respondisse eum: Non priùs egrediar, qvam potestate filii Lojolæ fuero ejectus. Mox ergò Lojolam vocatum; verùm dixisse Lojolam: Non mihi ignotus est hic dæmon: me, ut & vos ridere præsumit: sed decipietur.

Fratri ergò de suo Rosario dat granum, seu globulum ligneum, olim à Pio 5. consecratum, & dicit fratri: Tu ergo hominem obsessum accede, & hoc grano ipsius tergum attinge, voceqve submissa his verbis alloqvere dæmonem: Adjuro te in nomine B. Mariæ, & jussu Patris mei Lojolæ, & virtute hujus grani benedicti, ut de hoc servo

excas,

Anno exeas. Ibi vix adhibito ad vestimenti oras grano, dæmonem exclamasse: Qvid me Lojola torqves? Omnes circumspexisse, nec Lojolam vidisse. Admirantibus autem dæmonem dixisse: Granum Lojolæ fortius est omnibus vestris exorcizationibus. Sicq; hominem liberatum, & ad Societatem conversum, eos filios DEI pronunciasse. F. Anno 1570.

Idem. Erat Landspergæ novitius, nomine Johannes artificio sartor: hic cum reliqvis novitiis animi recreandi gratia in campum procedit. Obviam fit illi pater senio confectus, qvi filium, qvem intra annum non viderat, alloqvi & salutare cupit. Filius verò faciem avertit, horrendum videt, & ne patrem audiat, gressus promovet. Pater senex filium inclamat: hoccinè est mihi nutricationis gratiam referre? At ille surdus & mutus pergit. Pater ergò justa indignatione percitus, ait: Faxit, ut ita fugias, ne in æternum redeas. Addit insuper reliqvis Jesuitis, qvi pariter silentium præstabant, audientibus: Hæc est pietas, qvam Jesuitæ suos docent: qvod malum istud consceleratum hominum genus Germaniæ invexit? Vosnè Jesuitæ sitis? Non estis Jesu fratres, sed filii Satanæ, qvi tantam impietatem filios docetis. Vadat ergò in nomine diaboli filius iste meus degener, non se talem gessit, qvalem Christianum decet.

Ubi domum deventum est, res ad Rectorem defertur. Rector filii ingrati, potiùs fuste & stigmate, qvàm laude digni, factum probat: Benè fecisti, ait, mi, fili, qvi patrem tibi elegisti patres Societatis, qvos te magis qvam patrem tuum amare decet eò, qvòd hic secularis sit, ille spiritualis.

Idem. Ignatium Lojolam, primum Societatis auctorem, ipsius vitæ scriptor, placidè defunctum scribit. Sed Turrianus Jesuita mihi notissimus sæpè dixit: illum in Cœna, Prandio, Missa, in recreationibus etiam ita à dæmonibus exagitatum, ut in magna copia frigidissimum mortis sudorem fuderit. Bobadilla dixit: illum sæpius conqvestum, se nunqvam & nullibi à dæmonibus tutum esse posset. Octavianus Jesuita, Romæ minister, seu novitiorum Oeconomus, retulit mihi dicens: Sanctus erat noster Pater Ignatius: sed circa agonem ita tremebat, qvasi febri esset correptus, & suspirans dixit: Multa bona contuli in Ecclesiam Romanam: multas nostrorum provincias, multa collegia, domos, residentias & opes nostræ Societatis vidi: sed hæc omnia me deserunt: & qvò me vertam, ignoro.

Turrianus dixit: ipsius Comitem assiduum, usqve ad Missæ aram, fuisse dæmonem. Tandem verò cum tremore ipsum obiisse: mortuumq; nigerrimo vultu conspectum esse, idem affirmavit. Cùm an 1554. Anno ipsius corpus ad templum, ab Alexandro Farnesio extructum, transferre vellent, testibus omnibus Jesuitarum Professis, ipsius cadaveris ossa non sunt inventa: fingentibus ipsis, ea esse per Angelos forsitan translata: qvod ego non negaverim: si angelos malos intelligant.

Idem. Multi eorum imagines secum portant, qvarum beneficio se præterita scire, futura prædicere, & cuncta nosse gloriantur? Sic Jesuita Peltanus, qvem doctissimum putabant Augustæ, suo in musæo mihi monstravit imagunculam, & dixit: se nunqvam illam salutasse, vel coram ea genu flexisse: qvin eorum, qvæ voluerit scire, notitiam variamq; gratiam fuerit adeptus. Sic senex qvidam Jesuita Romæ apud S. Andream, nomine Julius, qvi postea ad Turcarum fines est emissus, ostendit mihi imaginem, cujus virtute se futura scire, & ulcera sanare posse dixit. Erat tunc frater, qvi ulcus habebat in fronte, super illud qvam primùm posuit istam suam imaginem, illicò pus & sangvis effluxerunt. Hi sunt revera Magi, sortilegi, superstitiosi, signa diesqve eligentes. Sed qvis horum Doctorum artes malas & neqvitias, vel mente concipere possit, nedum verbis dignè exponere?

Idem. Jesuita Fabricius Romæ mihi in faciem dixit: Ego mallem Sodomiam exercere publicam, qvàm contra Papæ mandatum inire matrimonium.

Idem. Ille qvoqve Jesuita Andreas, Romæ apud S. Andream Jesuiticorum novitiorum infotmator, dixit: Non minùs peccat Sacerdos, si uxorem ducat, ac si cum mula rem habeat.

Idem. Anno 1584. bubulci filia gravissimè à dæmonio exagitabatur, & aliqvoties seipsam & suspendere & transfodere conabatur. Pater filiam offert Jesuitis, qvi pro more suo Pontificio, dant illi imagines benedictas, suspendunt à collo illius Evangelium S. Johannis: & agnos cereos. Verùm illa hæc omnia adjiciebat, dicens: Hæc sunt res mortuæ, nihili, stultitiæ, qvæ me juvare non possunt. Nec temerè hoc faciebat. Diu enim Augustæ Evangelicas conciones audiverat, & falsitatem istarum rerum cognoverat. Jesuitæ verò pergebant suis exorcizationibus, sed absqve profectu. p. 1011.

At verò mulierculæ qvædam astantes. Nicodemi instar clàm fidem suam habentes, dicebant; Omittamus has res: neqve enim illa eas suscipit, aut in eas credit: qvin procidamus in genua, & oremus DOMINUM CHRISTUM JESUM, ut liberet eam. Qvibus auditis, virgo illa ait: Dicite Jesuitis, ut abeant, illi enim me non juvant, sed magis excruciant. Puella ergò post dies non adeò multos precibus piorum liberata, catenis soluta, patrem & ma-

Anno trem relinqvens, Augustam rediit, Evangelio & Christianæ fidei se totam addicens. Jesuitæ verò, homines mendaces & impudentes, scripserunt ad alia Collegia, sua ope puellam à dæmone liberatam.

Idem. Alexander Farnesius, truculenta illa bestia, Germaniam impetitura, dixerat: Sic Germanos & Protestantes Ecclesiæ Romanæ reconciliabo, ut eqvus meus ventrem-tenus in sangvine Protestantium incedere possit. F. Anno 1534.

Idem. Dicunt, eos, qvi ipsorum religionem ingrediantur, Christi fratres effici, ac eodem jure, qvo Christus, regnum cœlorum possidere. Ehem, qvæ blasphemia major excogitari potest, qvàm asserere, se eodem jure regnum cœlorum cum Christo possidere? qvod absqve jure gratis tantùm datur credentibus.

Idem. Qvidam autem sunt omninò lutei, hoc est, tales, qvi qvidem in aurea nostra societate vivunt, sed cogitationibus & mente rebus luteis, id est, parentibus, amicis, & opibus adhærent. Hinc dubium non est, nostram societatem, ut subitò cœpit, ita subitò interituram: qvia qvotidie in pejus ruit. Neqve nostris tam curæ est, ut Societas bonis, qvàm multis qvibuscunqve augeatur. Tale, fratres, spectaculum fumus.

Idem. *Annôn Sacerdos est Jesuita? Ita.*
Et socii ejus boni Antistites phani? Vani.
Qvale igitur est eorum Sacerdotium? Otium.
Atqvi freqventes sunt in Ecclesia. I. A.
Et qvotidie DEO offerunt sacrificia. Vitia.
Legem qvoqve urgent formidolosè. Dolosè.
Ac proinde in tollendis vitiis insignes. Segnes.
Conciones insuper habent utiles. Futiles.
Evangelium cum Apostolis proponentes realiter. Aliter.
Et tradentes DEI verbum incorruptum. Corruptum.
In extirpandis hæresibus sunt violenti. Lenti.
Ex sua parte stantem habentes Paulum. Paulùm.
Inde multùm occupati sunt circa bona opera. Æra.
Et in plantanda pietate studiosi. O, si!
Vultum qvoqve fingere possunt severum. Ferum.
Cùmprimis amantes homines continentes. Nentes.
Hinc omnes homines eorum mores probârunt. Parùm.
Qvia diligenter observant suas regulas. Gulas.
Atqve strenui sunt defensores Papæ. Papè.
Ejus gratia in periculis constituti. Tuti.
Ac propterea meritò in Ecclesia sunt primi. Imi.
Sperant enim Principes, ipsis multum profuturos. Ut uros.
Certè tu Jesuitas rides. Vides.
Qvales ergò sint, uno verbo commonstra? Monstra.
Qvi homines speciosè fallunt? Fallunt.
Qvid itaq; qværunt, offerentes sua? Sua. Anno
Aut flectentes coram potentibus crura? Rura.
At omnibus se inservire gratis dicunt. Dicunt.
Et vix habere panem qvotidianum: Ab non.
Ut qvos sola pascat lectio divina! Vina.
Qvo igitur salario hi Sacerdotes digni? Igni.
Atqvi in hoc mundo amplos habent honores. O res!
Ergò in inferno merces ipsis est reposita. Ita.
Interim Deus compescat hoc crabronum examen. Amen.

Idem. Meo tempore Landspergæ frater qvidam Jesuitarum, Johannes nomine, qvi veritatem Evangelii agnitam reliqverat, & Jesuiticum ordinem ob ocium ingressus erat, miserabiliter planè vitam cum morte commutavit. Nam qvod vidi & audivi, nullam prorsus consolationem admittere voluit. Afferebant ad ipsum Jesuitæ agnos suos orbiculares, rosaria, granà, imagines, ligneas cruces, signa benedicta, hostiam consecratam, monstrantiam, in qva DEUS eorum impanatus incarceratus sedebat: promittebant illi preces, rosaria, Missas, suffragia: hortabantur illum, ut consideret fratrum omnium sanctorum meritis: verùm frustra inania fundebant verba.

Ille enim vicissim dicebat: Removete hæc omnia. Nam propterea, qvòd his credidi, jam damnabor. Dicebam ego ipsi: Crede in JESUM CHRISTUM. Respondit miser: in hunc credidi, sed turpiter illum negavi. Mihi ex JESU factus est damnator. Non possum salutem conseqvi. Et Petro Hispano dixi: Qvæso, aut me interficias, aut da mihi cultrum, ut me ipsum transfodiam. Nam totus flammis infernalibus ardeo. Qvæ audientes Jesuitæ, ob oculos illi ponebant crucis signum, & herbas benedictas corpori admovebant. Ille verò ait: Removete ista qvibus oleum igni additis: nihil præterqvam dæmones meam animam ungvibus apertis expectantes video. Illis jam sum traditus. Nam DEUM, & verba ejus abnegavi. Qvæ Jesuitæ percipientes: fratres, ne offenderentur, discedere jubent. Sicqve iste miserè in desperatione obiit.

Noctu paratum ipsi est sepulchrum. p. 1013. Cumqve manè Sacristanus aqvam benedictam, priusqvàm corpus humaretur, foveæ infundere vellet, niger canis de ea prosiliit: qvo viso, frater Sacristanus aufugit territus, reliqvis annuncians se dæmonem vidisse. Cui Jesuitæ ajebant: si illum aqva lustrali aspersisses, te terrere non potuisset. Ille verò respondit: Omnem etiam aqvam in sepulchrum effudi, nihilominùs me terruit.

Idem. Qvin & experientia testatur: qvanta puritate (scilicet) & perfectione, castitatis votum observent: dum neqve castè, neqve cautè id, qvod voverunt, præstant. Nota est enim patris Christophori (qvi recti

Anno ctiùs diceretur Satanæphorus) impuritas: qvi Monachii primas in confessionibus mulierecularum excipiendis tenet. Nota est illorum, qvibus cives Dillingani pallia surripuerunt. Nota est Landspergensium cœlibatus, in qvo coqvas, habitu Jesuitico indutas, extra jejuniorum tempora, habent. Nota est virginitas Jesuitarum Augustanorum: inter qvos Jesuitica infantem lactare visa est. Nota Leonardi coci Jesuitici Landspergensis continentia, qvam Comitis Svveickhardi conjunx, ob scandalum, manifestare coacta, multas mulieres, nutrices & lotrices, infamia notari curavit. Nota historia, de qva Christiana Echo ita canit:

Hos fratres agitné qvæstus? *Æstus.*
Non carent furioso amore? *More.*
Spiræ perplacuitné vultus? *Ultus.*
Et coma mulierculæ fulva? *Vulva.*
An Fulda hac pia corda torret? *Horret.*
Sartricem unamné ibi sarsit? *Arsit.*
Virgis cæsané Jesuitis? *Ictis.*
Cui prodest Satanæ ille follis? *Ollis.*

Qvid? Qvòd in Bavaria palàm ferunt, Jesuitas dolium in collegium subvexisse, è cujus fundo effracto, meretrix in publicas plateas prolapsa sit. Hæc cùm Ingolstadii & Gregorio de Valentia & Bonaventuræ exprobrarem, responderunt: Illi sunt rumores vani de nostris, qvos nobis Societatis hostes & hæretici affingunt. Si Veneri operam dare vellemus, haberemus utiqve occasiones multas: sed scimus, nostros esse puros & perfectos, aut si qvi ex nostris lapsi, non statim omnes qvoqve tales esse oportet: qvia gratia adjuti se continere possunt. Homines sumus, non Angeli, dicebat alter; qvasi diceret: si votum hoc non servamus castè, facimus tamen illud cautè, neqve ita publicè, ut reliqvi Clerici, qvos concubinas habere oportet propter res domesticas, qvibus ipsi præesse non possunt. Hi dicunt, Angeli non sumus: at Ignatius Lojola, primus illorum inventor, angelicam puritatem ab ipsis exigit. Qvàm belle igitur hæc inter se conveniunt?

Idem. Qvamobrem ut historiam hanc, qvàm bona fide recitavi, sicuti eam & audivi & vidi, dum rebus Jesuitarum interfui; tandem concludam: omnes, & singulos per Christi misericordiam, & propriam animarum suarum salutem, oratos & obtestatos volo, ut hosce socios, lupos, & pseudoprophetas, divino nomine tectos, Jesuitas dico, fugiant, & omnibus qvibuscunqve possunt modis devitent. Nam sunt Antichristi devotoria mancipia: qvi animas falsa doctrina inficiunt; qvi corpora inutilibus macerationibus consumunt: qvi in omni vita & societate sua nihil, qvàm hypocritas agunt: qvi ficta pictaqve pietate qvadam, sanctulos se ostentant: qvi in hac ultima mundi senecta, ceu novissimi diaboli servi, omnes Antichristi Romani errores, nugas, & idololatrias sanctificant. Anno

Imò ut rem dicam propriis verbis (qvibus tamen veniam dari peto) omnia turpissima Papæ stercora, nescio qvibus foliis involuta orbi Christiano pro aromatis vendunt, & per vim etiam falsa pro veris Christianis obtrudunt: qvi omnem Pontificis & asseclarum ejus, plus qvàm Sodomiticam turpitudinem, ceu res divinas, defendere conantur: qvi verbum DEI calumniantur: qvi totam TRINITATEM blasphemant: qvi Christi Personam discerpunt: qvi Christi officium negant: qvi testamentum Filii DEI violant & mutilant: qvi Baptismi virtutes sui ordinis ingressu annihilant: qvi omnes fidei articulos corrumpunt: qvi Legem Decalogi abolent, & transgrediuntur, locoqve ejus traditiones inutiles & impias Ecclesiæ obtrudunt: qvi Ecclesiæ claves in tyrannidem vertunt: qvorum deniqve proprium est Judaizare, Gentilizare Sodomizare, & apertè Antichristianismum profiteri.

Taceo hic damna, qvæ Rebuspublicis & œconomiis Christianis hæ Harpyjæ inferunt: dum filios in parentes armant, eos ad religionem suam trahunt, & ita abalienant, ut etiam parati sint, fasciculos, & ligna, ac lapides ad parentum trucidationem comportare, carnifices juvare, vel etiam spontè sese in parentum cædes offerre: sicuti in Hispania nunc aliqvoties factum ipsi Jesuitæ testantur. Taceo, illos viduarum domos devorare. Taceo, illos clandestinos proditores Germaniæ, dulcissimæ nostræ patriæ esse. Taceo, illos ad hoc unicum destinatos, ut omnibus, qvibuscunqve possunt, artibus, Principes Evangelicos, ac eorum subditos seducant, prodant, & perdant.

VVitgiftus.

HIc, in Ecclesia Anglicana supra 10000. Ecclesiarum parochialium, in omnibus autem non sexcentos Idoneos ministros, sed multos indoctos asinos & inhabiles esse: ac plerosq; ex mœchanicis opificibus desumtos, scribit.

Carte VVrightus.

p.1014. 1593.

ILli, in qvibus jure patronatus est beneficia Ecclesiastica conferendi potestas, ea plerumqve circumcidunt; agros qvos possunt auferunt, magnam fructuum partem avertunt, & Simoniacis deinde pactionibus qvod restat, addicunt ei, qvem minimo pretio possunt conducere, ut Ministri personam gerat. Unde vir doctus Hollinshed in descript. Britanniæ lib. 2. capite 5. fol. 76. ait: Beneficia tribuunt suis pistoribus, coqvis, & agasonibus, in longi & labo-

Anno laboriosi servitii compensationem. Fieri autem, ut si reditus pro uxoribus & tot liberis non sufficiant, latrocinentur, atqve eripiant viatoribus boves, qvorum ipse noverit aliqvot, publicis judicum sententiis infurcas fuisse sublatos. Et Harchibal. Hamilion scripto demonstrat; paucos inter Ministros Regni Anglici reperiri, qvi non negociandi simul & fœnerandi artibus incumbant.

1593. *Georgius Hekelius.*

SCribit Hekelius iste, solere Jesuitas acerrimè in Monachos, Prælatos & Canonicos, aliosqve juxta se clericos animadvertere: eoqve extremè niti, qvonam modo omnium in ipsos odia concedare valeant: ac magnoperè contendere, nihil eos ad rem facere, nihil adferre momenti, nullum movere lapidem: sed torpere ocio, voluptatibus & neqvitia diffluere, asseqve ad omnes libidines & scortationes divulgatos: orare itaqve & rogare, uti à cœnobiis & præbendis suis arceantur omnes, relegentur, & dispellantur. Non ob hunc sanè finem, ut de abusu tollendo loqvi videantur: sed qvò ipsi in nidos illos monasticos pingves atqve affluentes ponantur, ibidemqve cuticulas curare suas, latamqve alvum ducere in ætatula mundana valeant.

Utqve hæc & alia de re sua obtineant: mirum in modum insinuare sese nosse: conciliare sibi subfragia Principum: inducere in sententiam suam nobiles: ludere vulgus, & fallere: hominumq; penè omnium animis glaucomam offundere: ipsi autem Papæ circulum in nares ponere, eumqve in labyrintho ducere, sursum & deorsum rapere: Adolescentes deprunare & corrumpere, ac eos ad horrenda flagitia qvævis, & ad Sodomiticas abominationes destinare. Qvæ longiùs author ille, adductis inauditæ neqvitiæ exemplis, contaminatæ juventæ crimen maximè perstringentibus, in libello germanico exposuit: unde unum excerpere libet.

Est & hoc, inqvit, inter alia considerandum maximè, qvod Turrini Sabaudiæ oppido, flagitiosè in nobili adolescente à Jesuita est perpetratum. Innotuit exsecrandum & infandum scelus: & Sodomitam ad pœnas popoſcère judices. Alii ejus farinæ Jesuitæ pro sodali suo intercedere, hominemqve ferinæ libidinis dimitti, facinus celari atqve supprimi, rogare & postulare. Sed illi nefas esse duxère, hominem, qvi naturæ vim intulisset, absolvere: ideoqve eum ad triremes, & perpetuam vitæ acerbitatem legavère. Nunc agunt Jesuitæ, non sine DEO factum hoc esse. Non potuisse enim in intaminata sua societate hominem impurum impunè vivere. Imp. Rud, 2. Papa Clem. 8. ut suprà.

Andreas Crastovius Polonus. Anno 1594.

NIsi Regem nostrum Stephanum Deus celeriùs, qvàm ipse vellet, morte calamitosa & horrenda velut Angeli sui flagello, percussisset, atqve sustulisset: qvandoqvidem, post mortem ejus arcana cum pontifice pacta esse revelata, dicunt; jam pridem, cruentissimam civilis belli sangvinis effusionem haberemus. Imp. Rud. 2. Papa Clem. 8. ut suprà.

Idem in libro de Missa, non sine maximo mysterio fieri, ait, qvod Missa gratiarum actionem publicam non habet.

Contributio adversus Turcam. 1594.

JEsuitis (ajunt) usitatum esse illud, ut, in expeditionibus contra Turcas, Lutheranis Ducum munia non committenda esse, dicant: ne omnia infeliciter cedant. Sed heus Jesuita? Si hoc est, cur non etiam pecuniam eorum, qvæ non minùs tibi, qvàm illi (nisi avaritia obstaret) exosa esse posset, infaustam arbitraris: Sed benè se res habet. Nam cùm spes sit, Lutheranam religionem mox in aurum conversum iri, qvis dubitat, qvin illos firmos Lutheranos illicò simus habituri?

Daniel Cramerus. 1594.

REstat adhuc, qvòd defendendum tibi sit Romanum Imperium à calumniis, ut qvòd nemo vituperare possit Compagniam Jesuiticam, qvin simul vituperet omnes mundi Monarchas, Imperatores, Reges, & Principes. Hic miror insignem tuam & Jesuitarum impudentiam, qvi se tam arcto cum Imperatore, Regibus, Principibus, Ducibus conjungunt vinculo, ut nihil dici in Jesuitas possit, qvin id statim in ipsos Principes redundet. Parùm abest, qvin vos fratres germanos, affines, consangvineos tantorum Dynastarum faciatis. Unde, qvæso, isthæc cognatio? Qvid audio? qvi majestatem Jesuitarum lædit, is reus sit læsæ majestatis. Attendite vos Protestantes, cavete cavete, ne qvid duriusculè in Jesuitas scribatis, aut loqvamini, si ea est Jesuitarum majestas, Stevartio teste. Parùm erit, ut, qvi solium suum exæqvant soliis Imperatorum, & Regum, illis se eminentiùs præferant. p. 1015.

Sed inferunt, qvia nos fovemur à Principibus; qvòd si tales Alastores essemus, illi participarent nostra vitia. Heus tu, non statim qvales Principes alunt, tales etiam ipsi sunt. Nam alunt etiam Moriones, nec sunt tales, nec participant illorum stulticiam. At qvod ais: aut amant, aut ignorant Principes illa vitia in Jesuitis; respondeo; non ignorant, imò multi sunt apud

Anno vos addicti Pontificiæ religioni, qvi vos impensè oderunt. Contestor vos honestos Pontificios, jurate, nonne res ita se habet? Scimus ita esse, negari neqvit. Multi, qvi vos amant, amant personas, qvatenus illæ addictæ sunt religioni Romanæ,& oderunt in vobis scelera. Ita nec ignorant vestra scelera, nec amant illa, ferunt tamen patienter vestras personas religionis ergò, cui se dicaverunt. Et ita nihil adhuc proficis tuo hoc dilemmate, qvo inducere conaris, fieri non posse, qvin etiam ipsi Reges & Principes tangantur, si Jesuitæ petantur. Imper. Rudolpho 2. Papa Clem. 8.

1594. *Friderici, hodierni Palatini Electoris Confessio, in proxim. Comitiis Regenspurgensibus oblata, ex Meterano.*

A Religione patris mei, bonæ piæqve memoriæ, qvæ in scriptis Prophetarum & Apostolorum fuit, non recessi; credidit, dum viveret, non in Martinum, sive Jacobum, sed in Christum. Idem Symbolum (eadem fidei fundamenta) constanter qvoqve servo, servaturusqve sum. Arrii, Nestorii, Eutychii, & Anabaptistarum errores Pater meus abnegavit, eosdem & ego filius abnego, & detestor ex animo. Sacramentorum errores (qvi duplices sunt: alii eorum, qvi ex Sacramentis idola faciunt, & signa pro re signata venerantur ac æstimant; non observantes aut considerantes Sacramentorum sententias: alii eorum, qvi ea pro nudis & simplicibus habent signis) detestatus est pater; hos & ego detestor filius.

Accedo propiùs. Calvinismum & Zvvinglianismum rejecit pater; idem facio ego filius, si modò verum est, qvod Ubiqvitarii & Flacciani fingunt, nimirum, si veritas aut omnipotentia, sive tota Christi præsentia in terris abnegaretur. Sed hoc in errore feliciorsum patre, qvòd, sub nomine Calvini, à seditiosis & ambitiosis in Germania, veram orthodoxamqve Religionem contaminari, & conviciari, sciam. Qvod tandem pius Princeps, Pater meus cognovisset, si DEUS ipsi diuturniorem largitus fuisset vitam: qvemadmodum & hunc dolum ac fraudem potentissimi duo Saxoniæ Electores animadverterunt, Augustus pater,& Christianus,filius,Principes certè prudentissimi,& omnium scriptorum summa laude dignissimi.

D. Lutheri scripta non minoris facio aut æstimo, qvàm bonæ memoriæ pater meus. Sed rectè eos imprudentes judico, qvi omnia, qvæ ipsi ut homini exciderunt, pro auro gemmisqve habent & deosculantur.

1594. *Antonius Arnaldus in Philippica adversus Jesuitas reos.*

Jesuitæ cogunt patres deserere filios suos, fascinatos nescio qvo philtro, aut mera vi raptos, præcipuè sicubi ipsis sunt ad gustum, cujus rei utinam minus qverelarum publicatum, utinam minus vulgo esset exemplorum, qvæqve ad omnem etiam durabunt posteritatem, dum crudelissimi plagiarii jucunda illa pignora, imò verò partem viscerum, parentum avellunt amplexibus, eosqve adeò freqventer extorqvent, qvi sunt familiæ suæ aut solidum subsidium, aut solum columen: sicut accidit Vicario rerum Criminalium civitatis Andeganensis Airoldo: cui cùm septem essent liberi, Jesuitæ nostri præripuerunt eum, qvi natu erat maximus, ideoqve jam potuisset in patris decrepiti locum substitui, fratribusqve insuper ac sororibus junioribus parentis præstare vicem.

Subduxerunt autem, cùm annum ageret XIV. detinentqve sive in Italia, sive in Hispania, nec qvidqvam interim de eo rescire pater potuit, qvanqvam crebris monitis ac censuris Ecclesiasticis Jesuitas illos de eo interpellaverit: derident enim hæc talia, sustentati, imò tuti, unica Absolutione, transmissa à Generali suo homine Hispano. Interim tamen non omittent Jesuitæ, ubi fato concesserit Airaldus; qvin poscant Jus primogenituræ, neqve enim unqvam paupertatis urgent votum, nisi cùm jam omnis spes successionis planè evanuit, ac tunc qvoqve, cùm profitentur ac sodalitatis subeunt Sacramentum,bona sua priùs Collegio resignant. p. 1016.

Idem. Sed & non ita pridem interceptus est Jesuita sicarius in Flandria. Is in morte testatus est, alium item submissum ab Hispano ex ipsis Hispaniis, maturandæ Regis neci: & qvid scimus, si non ille idem intra mœnia atqve in sinu urbis, in Jesuitico (inqvam) occultetur Collegio, tempestivam exsecutionis suæ opperiens occasionem? Nam ut convincam, Jesuitas non posse, non agnoscere pro sociis eos omnes, qvæ scelera ista suscipiunt Regum interficiendorum: imò verò Jesuitis nihil magis honorificum, qvàm fovere, producere, exstimulare hanc gentem sicariam, eamqve inter martyres collocare, si qvi forte facinus suum morte luant:

Sunt ampliùs qvàm tria hominum millia, qvi uno testabuntur ore, Comoletum concionantem postremo Natali Dominico, in templo S. Bartholomæi, thematis sumsisse loco caput tertium Judicum, ubi sermo est de qvodam Aod interfectore Regis Moabitarum. Is itaqve Comoletus, ut pluribus disseruerat de nece Regis defuncti, mirisqve eam extulerat modis: collocato inter Angelos illo parricida, illa tygri, illo diabolo, illo Jacobo Clemente: tandem

Anno dem post exclamationem longam infit: opus nobis altero Aod, altero Aod nobis opus est, sive ille fuerit Monachus, sive miles, sive cacula militis, sive adeò bubseqva qvis, nihil interest: opus solùm nobis Aod! nec nisi unicus desit ictus, ut res nostræ votivum sortiantur effectum.

Videte Domini, ac ter qvater considerate, ad qvem usq; gradum nostra stupiditas, aut nostra verius ignavia atqve oscitantia (ignoscite ita loqventi; justo enim abripior dolore) provexerit audaciam, insolentiam, temeritatem, impudentiam talium proditorum, talium emissariorum Hispanicorum, talium homicidarum; ut jam scilicet audeant DEI illam cathedram occupare vocibus, qvæ ad Regum nefandissimam necem etiam gelidissimum qvemqve inflamment: qvanqvam alioqvin hoc ipsum istorum pura puta est doctrina; idq; peculiari expressit libello Allinus, Principalis Collegii Seminarii, qvod est Rhemis. Et qvia inibi sum, libet attexere historiolam.

Cùm Guilhelmus Parirus supplicio adjudicaretur: palàm præ se ferebat declarabatqve, Benedictum Palmium Jesuitam persvasisse sibi: omnimodè permissum esse, occidere atqve assasinare Reges omnes & Principes, qvos excommunicasset Papa. Qvàm rem cum postea communicasset cum erudito Sacerdote, nomine Vates; asseverasse illum, tale dogma falsissimum esse; Parriumqve infernalibus damnandum pœnis, si tale qvid exeqveretur: qvibus dictis constitutus in consiliorum qvasi salo, rem omnem confessione auriculari patefacit Annibali Cadreto Jesuitæ, habitanti Parisiis (illi scilicet, qvi libello qvodam impresso Lugduni apertè scribit, Societatem Jesuiticam suum inde nomen habere, qvoniam à DEO adsciti sint Contubernales, datiqve Filio ejus JESU CHRISTO, qvi ipsos individuo suo sibi assumserit comitatu) idem ergò Codretus dicere Parrio: Vatem illum certè esse hæreticum: atqve affirmare insuper, nullum ipsum aggredi posse opus meritorium magis; ac tale qvidem, ut eo peracto, Angelorum humeris ocyus ad cœlos usqve perveheretur.

Qvid nunc, Reges ac Principes terræ? estne, qvòd ampliùs securi degatis à metu percussorum, sive in Aularum vestrarum penetralibus, sive inter apparitorum satellitia, si diabolicum istud dogma, qvodq; Infernus è penito sui evomuit fundo, hominum animis porrò influat? non est sanè: at interim tamen illud ipsum iisdem inculcant instillantqve Jesuitæ per auriculares suas confessiones: & cur non? cum vel ei rei Regulorum suorum vi tantum non obligentur, qvarum una habet: Sum const. pag. 308. Tyrannos aggredientur, lolium ab agro Dominico evellent.

Idem. Nulli non innotuit Portugallorum historia. Jam diu erat, qvòd regno illi oculum adjecerat Philippus: sed plus nihilo erat eam occupare velle, Rege incolumi, & parte potissima nobilitatis: qvid ergò fit? Adhibet Jesuitas, qvi circa Regem Sebastianum, qviqve ibidem locorum sanctimoniæ opinione taliter conciliaverunt sibi homines, ut vocarentur speciosissimo nomine Apostolorum. Ii ergò mille artium cuniculis, fidissimum qvemqve atqve veterrimum removerant Aulicorum, interqve alios etiam Petrum Alcasonium, regno à Secretis; Regi persvaserunt, trajiceret in Africam adversus hostem, infinitis modis ipso potentiorem. Suscipit profectionem; sed adeò infeliciter, ut & vitam is amitteret, & Portagalliæ nobilitas penè tota.

Idem. Et liqvidò qvidem affirmare possumus majestati vestræ Catholicæ, vota & desideria omnium Catholicorum in eo versari, ut videant, Catholicam vestram majestatem occupare sceptrum hujus regni, & dominari nobis: qvemadmodum etiam libenter ac meritò nos jacimus infra majestatis vestræ brachia, veluti parentis nostri: aut certè, ut ipsa vestra majestas alium qvemdam stabiliat constituatqve, qvi sit de progenie ejus. Hæc excerpta sunt ex epistola qvadam Jesuitarum in Galliis ad Regem Hispanum, Parisiis scripta anno 1591. 2. Novembris.

Idem. Anno 828. imperante Ludovico Bono, ut Gregorius IV. jam itineri se accinxerat, Regis excommunicandi causa, Ecclesia Gallicana significari jussit, rediret, unde malum attulerat pedem, & rediret qvidem ipse excommunicatus. Simile prorsus accidit tempore Caroli calvi adversus Papam Adrianum.

Idem. Ut primùm innotuerat electio Papæ, etiamnum superstitis, Comoletus, cùm de pulpito descendisset, iterum statim ascendit, inqve hæc erupit verba: Audi Policite: nova scies, Papam habemus; qvem qvæso? probè Catholicum: qvid ampliùs? probè Hispanum: ito Politice, & suspende te.

Idem. Ne qvid videar addere de meo: audite decreti Sorbonici ipsissima verba, paucis sanè describentia pestem illius sectæ.

Hæc nova Societas, insolitam nominis JESU appellationem peculiariter sibi vendicans, tam licenter & sine delectu qvaslibet personas, qvantumlibet facinorosas, illegitimas, & infames admittens; nullam à secularibus Sacerdotibus habens differentiam, in habitu exteriori, in tonsura, in horis Canonicis privatim dicendis, aut publicè in templo decantandis, in claustris & silentio; in delectu ciborum & dierum, in jejuniis, & aliis variis legibus ac ceremoniis

Anno

moniis (qvibus status religionum distinguuntur & conservantur) tam multis tamqve variis privilegiis, indultis, & libertatibus donata; præsertim in administratione Sacramenti pœnitentiæ & Eucharistiæ, idqve sine discrimine locorum aut personarum; in officio etiam prædicandi, legendi, & docendi: in præjudicium Ordinariorum, imò etiam Principum & Dominorum temporalium; contra privilegia Universitatum, in magnum populi gravamen, religionis monasticæ honestatem violare videtur, studiosum, pium & necessarium virtutum, abstinentiarum, ceremoniarum, & austeritatis enervat exercitium: imò occasionem dat, liberè apostatandi ab aliis religionibus: debitam Ordinariis obedientiam & subjectionem subtrahit; Dominos tam temporales, qvàm Ecclesiasticos suis juribus injustè privat; perturbationem in utraqve politia multas in populo qverelas, multas lites, discordias, contentiones, æmulationes, rebelliones, variaq; schismata inducit.

Itaqve his omnibus atqve diligenter examinatis & perpensis, hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesiæ perturbativa, monasticæ religionis eversiva, & magis in destructionem, qvàm ædificationem.

Idem. Jesuitarum votum est: obedire per omnia & in omnibus Generali suo ac superiori, qvi semper est Hispanus, electusq; suffragio Hispanici Regis: cujus rei testimonium esto vel experientia. Loyola enim primus Generalis, Hispanus erat; ut & secundus Laynes: tertius Everhardus, Flander qvidem erat natione, sed jure tamen Hispanus: Borgia qvartus numero, item Hispanus: Aqvaviva qvintus, etiamnùm superstes, ortu qvidem Neapolitanus est, at etiam jurisdictionis Hispanicæ. Cæterùm verba voti illius qvarti mira prorsus sunt, imò horrenda: eò enim usqve procedunt, ut in illo Christum velut præsentem agnoscant:

Si JESUS Christus homicidium juberet, factum oportuit. Ergò si Generalis ipsorum Hispanus imperet, occidere, aut curare, occidi Regem Galliarum, necessariò faciendum est.

Et paucis pagellis pòst: Nonnè Varadius, Jesuitarum Principalis, pro tali sanè selectus, tanqvam qvo nemo esset aut homo melior, aut melior Jesuita: nonnè, inqvam, Varadius selectus fuit electusqve, ut qvocunqve verborum lenocinio induceret exhortareturqve; atqve animaret homicidam illum publicum? nonnè affirmavit inter alia, nullum fieri ab ipso posse opus meritorium magis, qvàm si regem obtruncaret, qvamvis etiam esset Catholicæ religionis: animamqve ipsius rectà subvolaturam in cœlos, æternæq; beatitudinis participem fore? Imò ut firmiùs in proposito illo detestabili persisteret ac perduraret, neqve à suscepto descisceret scelere: nonnè eum, conscientiam suam ut detegeret, jussit confiteri cuidam Jesuitæ, cujus ignoratur nomen, qvi tamen fortassis adhuc in hac urbe, similibus intentus occasionibus: delitescit. Anno

Qvid ampliùs? impii isti, & exsecrandi Assasini nonnè communierunt Barrierium illum in Regiam necem, exhibitu Sacramenti, rei sanctissimæ, rei pretiosissimæ, sacerrimiq; adeò Christianæ religionis mysterii? O qvàm maluissent patrati, qvàm incepti facinoris rei esse! O officinam Satanæ, in qva fabricati sunt omnes Assasinatus, sive attentati per Europam, sive patrati ab hinc annis 40.? verè successores Arsacidum atqve Assasinorum: per qvos periit Comes Raimundus Tripolitanus: per qvos Marchio Montisferratensis Conradus: per qvos Edoardus Angliæ Regis filius, aliiqve plures & re & nomine Principes.

Et paucis pagellis pòst: Percunctemini Marchionem Pisanum, & fidem vobis faciet ab anno LXIV. qvo veluti Legatum egit Gallicum cùm in Hispania, tum in Italia, nullum unqvam habuisse se in manibus majoris momenti negotium, cui se non mox adversario opposuerit animo aliqvis Jesuitarum.

Idem. Liberalitas & favor, qvibus Rex Philippus eosdem Jesuitas proseqvitur, satis produnt, haberi ipsos ac foveri tanqvam optimi subditi, & devoti clientes; nec non apposita admodum dominationis suæ instrumenta. Grandis illa navis Jesuitica, qva ab Indis aurum & merces ipsorum advehuntur (ubiqve enim hamus illis pendet, pro incremento thesaurorum, qvos habent & Romæ, & in Hispaniis) grandis, inqvam, illa navis nullum vectigal qvintanum Regi pendet: qvo ipso comparcunt triennio qvoqve ultra ducenta coronatorum millia.

Jam verò, pro parte præmii, ob occupatam communi commilitio Portugalliam, concessit iis idem ille Philippus munus illud, qvod tertio qvoqve anno Portugalliæ Regiæ offerebatur ab Indiæ occidentalis regulis, cujus muneris aurum, uniones, aromata facilè qvadringentorum scutatorum conficiant millia. Qvare & ipsi qvoqve gratitudinis ergò, & in remunerationem tantæ liberalitatis, haud aliter de eo loqvuntur, qvàm de Principe optimo maximo, qvi est, qvi fuit, qvi erit, supergresso longè vires Romani Imperii antiqvas, qviqve ipse unus ampliùs possideat terra mariqve, qvàm reliqvi Reges universi. p. 121

Idem. Ludovicus XII. cognominatus Pater Populi, haud minùs odio fuit Romæ, qvàm in amore suæ Galliæ. Is cùm plura

Ita-

Anno Italiæ oppida liberali dono transtulisset in Julium secundum: ille gratitudinis ergò nullos non in ipsum concivit hostes, Hispanos, Germanos, Helvetios, Anglos. Sed enim anno 1510. idem Rex Concilium indixit Turoniæ, in qvo solenni modo decretum fuit, Papam armis castigandum, qvod ipsum deinde mox confirmatum alio Concilio habito Pisis. Unde factum, ut Papa Regem, nec non omne regnum ejus excommunicaret, concessa absolutione qvorumcunqve peccatorum eis, qvi Gallum hominem vel vi, vel fraude occidissent. Aliis igitur fines adjicitis, alios agris mulctatis, aliis vectigal imponitis, regna augetis, minuitis, donatis, adimitis: sed unde vobis ista auctoritas? Certè DEUS dixit, regnum vestrum non esse de hoc mundo.

Idem. Scitur, qvale Jesuitæ testamentum extuderint Præsidi Godrano Divionensi, qvo sororem germanam, unicam alioqvin hæredem, dimidio coronato (proh contumeliam) contentam esse jusserit, relictis interim qvotannis Jesuitico ordini septem librarum millibus. Palàm qvoqve est, qvomodo involârint domum laresqve Bollaniorum, qvæ familia una est de opulentissimis Burdegalę. Jamqve etiam recenter admodum, loco juris primogenituræ, abstulerunt familiæ Domini Præsidis de Largebaston terram Fajolensem, eamqve distraxerunt XII. scutatorum millibus: qvod precium ocyus in Hispaniam ablegârunt, thesauri sui accessionem scilicet. Nam in Gallia sanè nihil sibi servant retinentve rerum immobilium, nisi qvæ sub conditione ea legata sunt, ne alienentur. Notissimus præterea est raptus ille sceleratus fratris unici, Domini Marchionis Canillaci, cui jam modò cedunt octo millia librarum annua; spe verò substitutionis, qvadraginta qvinqve ampliùs millia

Arrestum supremæ Curiæ contra Johannem Chastelium Scholasticum, studiis operam dantem in Collegio Jesuitarum; ob parricidium, qvod intentavit ipsi Regi.

Auctoritas breviter prolata è monumentis Curiæ.

UT vidit Curia, congregato majore ac minore Auditorio, processum criminalem, intentatum primò à Præfecto Regii Palatii, seu Judice Prætoriano; peractumqve deinde, petitu Procuratoris Generalis Regii, actoris atqve accusatoris, adversus Johannem Chastelium Parisiensem, non ita pridem studiis operatum in Collegio Claræmontano, nunc verò Regii carceris captivum, ob maximè execrabile atqve abominabile parricidium, intentatum ipsi Regi: ut insuper audivit interrogationes ac confessiones, cum ejusdem Johannis Chastelii super publicum istud parricidium, tum etiam Johannis Guereti Præsbyteri, dicentis se de Societate Jesu, antehac Præceptoris dicti Johannis Chastelii; nec non Petri Chastelii, & Dionysiæ Hazardæ, parentum suprà nominati Johannis: consideratis deniq; Procuratoris Generalis conclusionibus, cæterisqve rebus omnibus: dictum volumus, eandem Curiam declarasse & declarare Johannem illum Chastelium, argutum convictumqve reum læsæ Majestatis divinæ atq; humanæ, gradu supremo, sceleratissimo illo ac detestabilissimo parricidio, qvod intentavit ipsi Regi. Anno

Ob cujus criminis expiationem, Curia condemnavit & condemnat Johannem illum Chastelium in mulctam honorariam, hoc est, uti se sistat, tectum solummodò indusio, præcipuæ portæ Templi Parisiensis, tenentem manu facem ceream duarum librarum, ibidemqve genibus inflexis dicat declaretqve, se nefariè ac proditoriè attentasse inhumanissimum atq; abominabilissimum parricidium, & læsisse faciem Regis cultro: falsis item ac damnandis imbutum instructionibus, dixisse pro Curia; permissum esse occidere Reges: Regemqve Henricum IV. hodie regnantem exclusum Ecclesiæ gremio, donec eum Papa approbaverit: qvarum rerum omnium ac singularum pœnitere ipsum, & veniam exposcere DEI, Regis, ac justitiæ.

Qvibus peractis, ducatur ac conducatur humili veha ad locum suppliciis destinatum: ibi forcipe candenti perturatur brachia ac femora; manus autem dextra, cultrum eum prætendens, qvo connisus est illud suum parricidium, præcidatur. Post id, corpus ipsi distrahatur ac laceretur qvatuor eqvis: membraqve inde ac corpus conjiciantur in ignem; ac redigantur in cineres vento dispergendus. Declaravit & declarat eadem Curia, bona ipsius universa ac singula, acqvisita & confiscata Regi. Anteqvàm tamen lege in eum agatur, arripictur dictus Johannes Chastelius ad torturam ordinariam atqve extraordinariam, uti constet de complicibus ejus, aliisqve rebus nonnullis, ex judicio isto resultantibus. p.1019.

Inhibuit præterea atqve inhibet curia omnibus personis, cujuscunqve sint qvalitatis ac conditionis, idqve sub pœna criminis læsæ Majestatis, ne suprà dictas voces aut publicè, aut privatim, clàm palàmvè ullo modo proferant, utpote qvas Curia declaravit, ac hisce declarat scandalosas, seditiosas, contrarias DEI verbo, damnatasqve ceu hæreticas, sanctis Decretis.

Sta-

Anno Statuit deinde decernitqve eadem Curia, ut Presbyteri sive Sacerdotes, ac Scholastici studiosiqve collegii Claræmontani, omnesqve alii, qvi se dicunt ejusdem Societatis, tanqvam corruptores juventutis, perturbatores qvietis publicæ, inimici Regis ejusqve Imperii, habeant abire atqve exire, intra diem tertium a significatione præsentis Arresti, urbe Lutetia; aliisqve civitatibus ac locis omnibus, ubi sua habent Collegia: qvindecim vero post seqventibus diebus toto prorsus regno Galliarum, sub pœna, ut, si termino eo finito alibi forte reperiantur, in eosdem mox animadvertatur, veluti pariter reos læsæ Majestatis. Cæterùm adhibebuntur bona ipsorum tam mobilia, qvàm immobilia ad usus pios, distribuenda juxta Curiæ sententiam. Qvæ Curia insuper vetat, ne qvis subditorum Regis, liberos suos extra regnum alibi mittat ad Collegia ejusdem societatis, studiorum causa, sub eadem pœna læsæ Majestatis.

Sed & statuit eadem, extracta ac breviaria hujus Arresti transmittantur ad Præfecturas ac Diœceses, qvæ illius sunt jurisdictionis, uti formam ac tenorem ejus Arresti ocyus exseqvantur, imperatqve Præfectis qvibuscunqve Provinciarum, Baillivis, ac Seneschallis, eorum item Vicariis, Generalibus juxtà ac particularibus, sententiæ hujus executionem urgeant ac proseqvantur, à die statim dilatio vis ibidem concessæ: qvod uti promtiùs fiat, qvi substituti sunt Procuratoris Generalis, omne suum item auxilium atqve operam adhibebunt, inqvisitione facta in contravenientes ac refractarios, & insinuando Curiæ hanc suam saltem diligentiam, sub pœna planè privationis officiorum.

Subscriptum Du Tillet. Pronunciatum dicto Johanni Chastelio; deqve eo supplicium sumtum die Jovis, 29. Decembris, ꝯↄ. Iↄ. XCIV.

1594. *Libellus supplex Universitatis, eidem serviens fini.*

NOstris dominis Curiæ parlamenti supplicant submissè Rector, Decani, & Facultates, Procuratores nationum, Suppositi & Scholastici Universitatis Parisiensis: dicentes, jamdudum factum, qvòd qverelas suas detulerint Curiæ, de magna confusione in eadem Universitate, ob novellam sectam, ortam in Hispaniis ac vicinis locis: qvæ insigniat Societatem suam ambitioso nomine Jesus: qvæq; semper qvidem antea, sed præcipuè tamen post turbas tumultusq; postremos, tota se in Reipubl. perspicuam perniciem adglutinaverit factioni Hispaniæ, tam Parisiis, qvàm tota passim Gallia, locisq; vicinis: qvæ omnia ab ipsis inde incunabulis prævisa fuerunt ab iisdem supplicantibus, & imprimis Decreto Facultatis Theologicæ tunc interposito: cujus erat tenor, novellam hanc sectam introductam, ad dissolutionem omnis ordinis politici atqve hierarchici Ecclesiæ, præcipuè verò dictæ Universitatis: utpote qvi recusarent obedire Rectori, qvodqve magis, etiam Archiepiscopis, Episcopis, Pastoribus, aliisq; superioribus Ecclesiæ. Anno

Jam autem triginta sunt anni, ex qvo suppositi ac clientes ejusdem societatis, qvæ prætendit nomen JESUS, cùm nondum venenum suum infuderant aliis passim Galliæ urbibus, sed ista solùm urbe, exhibuerint supplicationem, eo fine, ut incorporarentur membraqve fierent Universitatis nostræ: qva controversia aliqvandiu ultrò citroqve agitata, tandem ita utrinqve convenit intercessu Consilii, uti res manerent in statu, hoc est, ne Jesuitæ qvicqvid aggrederentur aut novarent, in præjudicium illius Decreti atqve arresti: cui tamen illi minimè steterunt: sed qvod amplius est, intermiscentes negotiis publicis practicas suas perniciosas, consiliaqve nefaria, tota palàm se gesserunt Gallia pro ministris atqve emissariis partium Hispanicarum, qvemadmodum omnibus satis constat.

Qvæ ipsa instantia in consilio pacti ac conventi statim deserta est: adeò qvidem, ut neutra pars litis instrumenta apud Acta deposuerit, eoqve modo obsoleta atqve emortua fuerit. Qvibus consideratis, Domini nostri, placeat vobis, uti ista secta exterminetur non solùm dicta Universitate, sed toto regno Galliarum: petimusqve ad eum finem adjutorium Domini Procuratoris Generalis Regii: hoc ipso bene feceritis. Subscriptum Le Royer; ad latus, d'Amboise, Academiæ Rector; signatum verò cera rubra.

Ecqvid nunc, Reges atqve Principes orbis Christiani, ex publica ista & solenni actione vobis videtur de sacrato illo Jesuitarum, post tot (uti constat) gravissimas contradicentium sententias, ægre tandem approbato & confirmato ordine? Anne, uno atqve altero exacto suo originis lustro, nefarii & infesti sceleris, ac flagitiosæ vitæ satis de se dederunt speciminum? adeò, ut nulla penè secta & difficiliùs incepisse, & celeriùs & flagitiosiùs sub sanctitatis & religionis insignibus adolevisse, atqve in inmensum usqve excrevisse videri qveat? Vosné existimabitis, qvenqvam ita impudentem fore, nisi illos ipsos omnis pudoris & verecondiæ expertes, qvi ausit accusationis hujus præcipua capita inficiari, vel à se in alios derivare? Neqve enim hæc in remotissimis Americæ regionibus: sed Lutetiæ, in totius Europæ luce gesta sunt. 1510.

Cui

Anno Cui verò minùs veritati videatur consentaneum, qvòd toties advocatus ille Regem suum, de fraudibus illorum & insidiis, vix ulla satis diligentia (nisi regno exactis, aut qva alia, qvam merentur, severitate punitis) sibi cavendis, haud inanis vates admonuit & obtestatus est? Qvid enim tot in medium allata exempla corruptæ pueritiæ & juventutis, cui unicè operam dant; adolescentiæ perditæ & dissolutæ, patrimoniorum dissipatorum, hæreditatum expilatarum, atqve familiarum funditus eversarum?

At ista fortassis inter privata qvis referat incommoda: qvin publicè graviora longè, provincias integras & regna, turbata & perversa novimus, ubicunqve, qvam sibi vendicant, autoritatis & potestatis vim obtinent: induciarum conventiones, fœdera sacrosancta si violanda, aut bellorum incendia (qvibus, proh dolor, Christiana Respubl. nimiùm ardet) conflanda; ipsorum opera, ipsis internunciis, auctoribus atqve flabellis, hæc fieri hodie, videmus. In Reges & eos, penes qvos rerum summam leges esse volunt, non minùs illi, qvàm olim domini in servos, vitæ atq; necis arbitrium & potestatem sibi sumunt, ac etiam exercent, neqve verò illud ex juris, & religionis præscriptio, sed impotentis animi libidine, & ad commodum Hispanicæ Monarchiæ.

Hinc nuperrimè Galliarum Regem in summum vitæ discrimen adductum scimus, non à militari aliqvo homine, aut aliqva injuria lacessito, vel luc hæretica polluto: sed ab eo, qvi Jesuitis præceptoribus usus est, & naturæ pravitati ac insitæ malitiæ, disciplinam illorum & institutionem, qvò perfectior evaderet furcifer, conjunxit, cui spes omnis impetrandæ scelerum veniæ (qvòd nec matri suæ, nec sorori pepercerat, qvin in istam nefarias manus conjiceret, in hanc turpia designaret) ademta fuerat: nisi in verba Jesuitæ confessoris jurasset, & omnium detestabilissimo interficiendi Regis sceleri se astrinxisset, & tandem diabolicis artibus instructus, facinus tam audax, in præsentia tot procerum, honoris & gratulandi causa concurrentium, aggressus fuisset.

Sicciné ex schola Jesuitarum, tanqvam ex eqvo Trojano, prodire experimur sicarios, grassatores, & veneficii omnis atqve flagitii artifices? Neqve verò qvis objiciat, unum tantum atqve alterum ex Jesuitico ordine facinoris hujus fortè conscios fuisse: qvin nullum non participem extitisse, hinc probabile sit, qvòd vultu atqve gestibus, qvò minùs desiderii & mente conceptæ lætitiæ signa proderent, temperare sibi neqvivisse perhibentur. Huc facit, qvòd Helvetiis nonnullis Lutetiam proficiscentibus, in Alpibus obviam facti Jesuitæ, authores fuêre, ne ulteriùs progrederentur, frustra Anno enim eos Regi operam suam navare velle, qvem ad Calendas usqve Januarii superstitem non futurum, exploratum haberent.

Verùm qvô ordine res ista gesta sit Lutetiæ in ipso Regis conclavi, qvàm insigni misericordiæ exemplo, frustrato facinore, DEO Optimo Maximo Regis & afflictissimi regni saluti & incolumitati consulere, visum sit, pluribus nunc verbis explicare nostri instituti non est, cùm toti terrarum orbi publica illa summi Senatus & Judicii Parisiensis sententia, supplicio de patricida nuper sumto, & Jesuitis regno omni excedere jussis, fides tergestæ comprobata sit: qvàm sententiam huc adscribendam putavimus.

Nunc itaqve denuò, uti ab initio etiam fecimus, vos Reges atqve Principes appellandi nobis estis, & ex vobis qværendum, num dubitare ampliùs possitis, nisi vobis ipsis & subditis vestris adversus istam generis humani pestem qvam maturrimè prospexeritis, qvin idem vitæ & fortunarum periculum & exitium certissimum, qvasi fatum aliqvod, singulis vos momentis maneat? Qvamobrem vos per salutem vestram, si modò illa vobis curæ est, rogamus & obsecramus, ut Jesuitarum sodalitium qvàm longissimè à ditionibus, liberis atqve charissimis conjugibus vestris remotum esse, velitis:

Resolutio Academiæ Parisiensis, solenniter ac legitimè convocatæ 18. Aprilis, M. D. XCIV. pro supplicatione, de ejiciendis omninò Jesuitis. 1504

ANno DOMINI 1594. die Lunæ 18. mensis Aprilis, convocata universitas omnium ordinum hujusce inclyti studii Parisiensis, apud ædem S. Maturini, pro supplicatione peragenda ab Academia ad ædem S. Capellæ Regalis Palatii Parisiensis, ad reddendas gratias altissimo DEO, pro deductione felici hujusce almæ urbis, prosperitate & felicissimo successu Christianissimi & invictissimi Domini nostri Henrici quarti, Regis Francorum & Navarræ, conservatione dictæ urbis subditione & protectione dicti Domini nostri Regis, ac pro qvàm pluribus aliis rebus ad Academiam spectantibus, atqve super supplicatione facta à Domino Magistro Laurentio Bourceret, artium Doctore, de vocando in jus Jesuitis, ut omninò ejiciantur.

Dicta universitas debitè, ut moris est, hora solita convocata, ex consensu unanimi omnium Doctorum & Magistrorum singulorum qvatuor facultatum, & qvatuor Procuratorum nationum, nemine repugnante, censuit & determinavit, esse annuendum supplicationi dicti Dn. Bourceret,

idcóq;

Anno ideoqve in judicium & jus ritè & convenienter Jesuitas vocandos, ut ejiciantur omninò. Eam ob rem censuit universitas, ex singulis ordinibus nominandos aliqvot selectos viros, qvi ea diligenter curent, qvæ ad litem contra Jesuitas movendam pertinent.

Unde facultas Theologorum nominavit Dn. Magistrum Adrianum d' Amboise, summum regiæ Navarræ moderatorem; & alium Doctorem, qvem dictus Dn. d' Amboise voluerit eligere. Facultas decretorum, qvæ acta sunt, approbavit: & qvia unicus tantùm Doctor, nomine dominus David Son aderat, promisit, se nominaturum aliqvem alium ex suis Doctoribus. Facultas autem Medicorum ordinavit Dn. Magistrum Jacobum Cousinot. Postremò facultas Artium nominavit dictum Magistrum Laurentium Bourceret, & Dn. Georgium Criton. Sicq; statutum fuit unanimiter & conclusum, nemine reclamante, per Dn. Jacobum d' Amboise, Academiæ Rectorem; totamq; Academiam, anno & die præfatis.

Subscriptum Du Val, & ad Latus; visa per nos ad Rectorem, Jacobum d' Amboise, & signatum cerâ rubeâ.

1594. *Conradus Schlüsselbergius.*

PHilippus Melanchthon solebat dicere cũ gemitu: qvòd oporteat mundum pœnas tam horrendæ ac terræ Idolatriæ, qvæ est in Missâ Pontificiâ, & prophanatione idolatricâ cœnæ Dominicæ. Solebat qvoq; referre cum lachrymis, initia atq; incrementa Tyrannidis Turcicæ, tam subita atq; præpropera, pœnas esse idolatriæ ejusdem. Qvia eo ipso tempore, qvo decretum de transsubstantiatione factum, & cultus idoli publicâ authoritate sancitus est: Ottomannica potentia primùm sese commovit, & incredibilibus successibus extulit in Oriente versus Occidentem: ubi hujus idoli cultus præcipuè viguit.

1594. *Iacobus Colerus Doctor.*

QVid Berlini, duobus Spandaviâ milliaribus oppido, per hos dies acciderit, D. Jacobus Colerus prolixo scripto Germanico proseqvitur, cujus hæc est summa.

Octavo post festum Michaëlis die, fama Berlini increbuit, Angelum cuidam puellæ apparuisse, cui cùm ipse Colerus initio fidem adhibere non posset, fama autem qvotidie magis magisq; invalesceret, puella ab Electrice in arcem vocata est. Aderant Electoris filii, Lüneburgensis & Brunsuicensis Ducissæ, coram his, aliisqve pluribus puella rogata & examinata est. Colero his auditis, cœpit aliqva veri suboriri suspicio, & post privatum examen 20. die Octobris, patrem hujus puellæ, Ambrosium Segerum, civem honestum, qvi cerevisiam coqvendo & promendo se suamqve sustentat familiam, ipsamq; puellam, Ursulam nomine, ad se vocat, & in compluribus pastorum consessu examinat. Hic puella pia, modesta, verbi divini studiosa, præcibusq; dedita confessa est, 28. Septembris, stylo Juliano, nocte inter 11. & 12. horam se evigilasse, vidisseq; ad se venientem Angelum. Dormivisse qvidem secum in eodem cubiculo patrem ac matrem, sed eos nec vidisse qvicqvam, nec audivisse: profundissimo namqve somno sepultos fuisse. Anno

Initio splendore qvodam, instar fulminis, cubiculum illustratum: qvi splendor continuatus noctem in diem convertit. Inde Angelum sine ullo strepitu ad se in lectum venisse, & ad pedes illius constitisse: candidum cum fuisse, qvasi camisia indutum, sed discinctum. Faciem ejus instar pulcherrimi adolescentis, sed ad modum solis rutilasse, notata nihilominùs à se in facie membra singula, nares, oculos, aures, os; crines flavos, circa tempora cincinnatos, cætera lævos. Nudum dextra tenuisse gladium, sinistra pectori admota: tandem clara & distincta voce se compellasse, atq; dixisse:

Audi hominis filia; Ego sum Archangelus Dei Michaël, seu Raphaël (præ timore enim & perturbatione distinctionis hujus erat oblita) à Deo missus, ut tibi annunciem, & tu ad alios referas; Germaniam brevi gravissimis cladibus puniendam: cùm alias ob causas, tum maximè ob intolerabilem superbiam, qvam in oblongis collaribus, in exoticis vestibus, in muliebri mundo homines ostentant, vultus suos componentes, & facies suas stibio & purpura fucantes, indigni profectò, qvi faciem Dei conspiciant. His de causis dira manet Germaniam vindicta, horrendum supplicium. Deus arcum suum tetendit, & gladium suum exacuit: & virgam colligavit, veniens veniet, & non tardabit, vindictæ tarditatem ultionis gravitate compensabit.

Multò plura locutum esse, ultra horam sibi adfuisse, omniaq; disertè idiomate Germanico pronunciasse: sed se in ista trepidatione, metu, & terrore, omnia observare non potuisse.

Post hæc puella, capite in aliud latus reflexo, vidit immane monstrum, virum atrum juxta se stantem, cujus oculi haud aliter qvàm ignis ardebant; aures non habebat, sed aurium loco duo cornua oblonga, recta; nusqvam inflexa: in fronte extabat aliud minus, sed incurvatum. Hunc Angelus gladio suo percussit, dicens: qvid astas hic cruenta bestia? & mox disparuit. Puella verò hoc spectro adeò est exterrita, ut vocem nullam emittere potuerit;

 sed

Anno sed planè obtorpuerit. Angelus verò puellæ manum apprehendit, eratq; manus ejus lanâ mollior, nive aut glacie frigidior, & dixit: ter ad te veniam, evigilabisq;, & tecum agam latiùs. Deniq; ter rotans gladium suum, ter exclamavit, Væ, Væ Germaniæ; qvo dicto, non visus ea nocte est ampliùs, disparuit lux, & prioribus tenebris nox denuò inhorruit.

p. 1022.

Seqventi nocte idem Angelus absqve ullo strepitu ad puellam reversus est, minori tamen cum claritate, & absq; gladio; sed manibus complicatis. Affatus puellam, interrogavit eam, an, qvæ pridie ad ipsam locutus esset, divulgâsset: aliisq; nunciasset? cumqve puella responderet, se ea nemini, præter patri & matri, revelasse, ait Angelus: qvin potiùs hæc omnibus communica: noli tacere, aut secreta Dei abscondere: si hoc feceris, eris æternæ hæreditatis filia: si tacueris, non impunè feres. Et ter ingeminans, abiit. Mane cùm puella surgeret, lectoq; se levaret, cum inmodum trepidavit, totoq; corpore tremuit, ut, cum thoro descenderet, in terram corruerit: & nec ire, nec pedibus insistere potuerit: sed opem aliorum imploraverit; qvi accurrentes corripuerunt eam, & ad focum portantes igni applicuerunt. Refert Mercur. Gallubelg.

Adhuc de Coleto idem Mercur. Spandaviæ oppidulum est electoratus Brandenburgensis, ad Havelum fluvium, sex circiter à Brandenburgo distans milliaribus. Hic (ut Colerus asserit) anni hujus mense Septembri, die decimo tertio, circa qvartam horam vespertinam Dæmon specie humana visibili, juvenem qvendam, nomine Grabielem Crummerum, arte pileonem, natione Leupscheitzium, sub ditione Marchionis Ansbachaii, accessit: offerens illi opes & divitias multas, si, suæ potestatis se in posterum futurum, polliceretur. Juvenis exterritus: Propitius, inqvit, sit mihi Deus, ne hoc faciam: Christi sum, ejus ero semper: is animam meam ditabit; qvæ opes mihi sufficiunt. Qvò autem acriùs eum tentaret Dæmon, eò se magis contrà armavit, & divino illi verbo restitit juvenis.

Tandem discedendi à Magistro suo Melchiore Hartmanno imperata venia, Francfurtum ad Oderam abiit, & operam suam Joanni Samueli elocavit. Nocte autem intempestâ venit ad eum Angelus, vestimento amictus candido, præcipiens illi, ut Spandaviam reversus, populum ad agendam pœnitentiam hortaretur. Cùm autem juvenis Angelum, qvis esset, trepida & tremula voce interrogâsset, respondit Angelus: se illum esse Angelum, qvi Virg. Mariæ, ipsam esse concepturam & parituram Christum, nunciàsset. Qvo dicto, aperto vestimento, pectus ostendit, in cujus latere sinistro literis capitalibus scriptum erat: FORTITUDO, in dextro verò DEI. Confestim Angelus disparuit. Anno

Juvenis hoc Angeli mandato contemto, aut neglecto, ulteriùs Furstenbergum profectus est. Hic verborum Angeli memor, cœpit animum advocare, secumq; perpendere, fieri posse, ut si Spandaviam non revertatur, & Angeli præcepto non satisfaciat, à Deo graviter puniretur. Spandaviam igitur reversus, ad antiqvum Magistrum suum divertit. In profesto S. Martini, media circiter nocte venit iterum Dæmon, & ejus lecto humana forma, oblonga lupi pelle tectus astitit, cumqve ad eò exterruit, ut occlusis faucibus, vocem nullam posset emittere. Mox Angelus illi denuò apparuit, habens in manu sua falcem: qvo adveniente totum cubiculum admirabili claritate illustratum est. Dæmon nihilominùs carbone nigrior ex adverso perstitit.

Alloqvitur Angelus juvenem, cumqve bono animo esse, & metum jubet deponere. Juvenis verò ex veste, literis in pectore exaratis, ex aurea cruce illi à collo pendente, & à corolla capiti ejus imposita agnovit, Angelum eundem esse, qvi sibi Francfurti apparuerat. Interea Dæmon propiùs accedens, juvenum graviter oppugnavit adeò, ut lassus inopsq; animi penè succumberet. Sed Angelus flatu suo Dæmonem fugavit, gladioqve aureo, ex ore suo procedente abegit. Deinde decerpta corollæ suæ particula, juveni in nomine Jesu Christi commedendam dedit, candidissimoq; linteo, in cujus medio crux intexta erat, totum juvenem involvit, qvo facto confestim vires omnes pristinas recuperavit, & jucundissimam harmoniam audiit, Canticum Ambrosii & Augustini primò, deinde Tresshagium illud Propheticum: sanctus, sanctus, sanctus, &c.

His absolutis, Angelus juveni præcepit, confestim lecto surgeret, & ad Superintendentem, seu summum pastorem, M. Albertum Colerum se conferret, eiqve diceret: populum severioribus verbis & majori zelo, qvàm hactenus, ad pœnitentiam exhortaretur. At juvenis somno gravis, iterum obdormivit. Paulò pòst Angelus reversus, juvenem denuò excitavit, cumq; rogavit, cur mandato suo non paruisset, surgeret, atq; officium faceret, futurum enim, ut nisi populus pœnitentiam agat, à septentrione in meridiem Væ & lamentatio audiatur: & mundo tali obventura supplicia, qvalia ab hominum memoriâ, visa, nec nec audita sunt.

Cùm autem pridie profesti S. Martini, qvo hæc acciderunt, post vespertinam concionem multi Dæmoniaci, energumeni, & à Diabolis oppugnati & obsessi, in templum introducti, coram universa multitudine piis

Anno pijs admonitionibus ad meliorem spem erigerentur: interrogavit juvenem Angelus, an non vidisset eum heri in templo, inter miseros illos homines obambulantem? Negante id juvene, sed affirmante, se Dæmonem cum lupina pelle super ipsorum capitibus saltantem & exultantem conspexisse, & sibi laqveum injecisse, sed stringere non potuisse, ait Angelus: se tunc Dæmoni restitisse: sine sua ope horrendam in templo tragœdiam excitatum iri: & Deum permisisse Diabolo, ut præter illos, plures obsideret ac exagitaret; sed si continuis precibus Deo supplicaverint, fieri posse, ut iram, ipsius multitudine peccatorum provocatam & exasperatam, mitigent: decretamqve in se sententiam avertant.

p. 1023. Die Lunæ post festum Martini, octava circiter hora vespertina, cùm juvenis ad dormiendum se composuisset, & Deo se commendâsset, Diabolus eum denuò vehementissimè oppugnavit. Adfuit mox eadem qva hactenus forma Angelus, qvi eum compellans dixit: Gabriel surge ocyus, & accedens Comitem Spandaviensem, dic illi, ut jubeat suo Magistratui, & Ecclesiasticis hominibus, singulis diebus hora septima vespertina novas preces instituant, & majori campana signum dent, ut Deus per hujusmodi supplicationes exoratus, imminentes plagas à populo avertat. Qvod nisi fiat, & populus pœnitentiam non agat, habere se in mandatis, ait, hac falce, qvam manu ferebat, probos & pios demetere, & naturali morte ex hoc mundo auferre, ne dira supplicia, qvæ Germaniæ præparata sunt, videant, aut experiantur. Neqve preces istæ, istaqve campanæ signa in hoc solùm oppido, sed & in toto territorio, omnibusqve pagis decernantur.

Hæc cùm dixisset, addidit: juvenem posthac ipsum carnalibus oculis non visurum: nihilominùs bono sit animo, præcipit, adfuturum se illi modo invisibili, consolaturum, & adversus Diaboli infestas tentationes opem se laturum, pollicetur. His dictis evanuit. Hæc Colerus, & cæteri superiùs nominati Spandaviæ, qvarto & ultimo Decemb.

Placet autem hanc materiam (inqvit porrò Mercur. Gallobelg.) Coleri verbis concludere. Postqvàm ille admonuisset homines, ut se à nimia & prodigiosa abstineant superbia; peregrinas, Hispanicas, Hungaricas, Belgicas, aliasq; exoticas vestes; spicas præsertim collares oblongas, qvalibus Diaboli Spandaviæ collo cincti incedunt, detestentur; thoraces monstrosis ventribus prominentes extuberantesq; exuant; aureos, argenteosq; nodos, calceamentorumq; claustra tollant; lacinias & fimbrias aureas, argenteas, & sericas, qvæ vestibus ad pompam subassuuntur, aliaq; ornamenta Principibus, Regibus & Cæsaribus permissa, deponant: à juramentis, perjuriis, execrationibus diris, veneficiis & mendaciis se temperent: tandem conqveritur & detestatur pessimum patriæ abusum, qvo, si qvid affirmandum est, mox in hæc verba prorumpitur: nisi verum sit, hic & ille Diabolus me tollat. Si cui malè precari velint, optant ei multa vasa, multos in ventre Dæmonum modios, & firmissima claustra, qvibus objectis, nullus exeat. Anno

Hinc, inqvit, nunc Spandaviæ, Fridbergi, & aliis in locis Dæmones clamare; Diu nos invocastis, tanto jam tempore nos invitâstis, semel veniendum est, ecce adsumus. Abstinete, ait, ab inobedientia vestra, qvam Hypodidascalis, Magistratibus & pastoribus vestris hactenus protervè nimis exhibuistis; clamant modò Spandavienses Dæmones, Præfectis vestris hactenus obedire noluistis, nunc nobis obedire cogimini, idqve absqve mercede, absqve gratiarum actione, absqve ulla retributione. Nunc nos vobis pœnitentiam commendare, & ad eam vos exhortari debemus, licet inviti illud agamus. Hinc enim multarum animarum jacturam facimus. Sed qvid agemus? volentes nolentes cogimur vobis concionari. Si liberum nobis esset, mallemus profectò tacere & vos minimè inqvietare.

Cùm autem Diabolus Spandaviæ obsessam puellam vellet submergere, eiq; proponeretur exemplum Gerasenorum Dæmonum, qvi porcos mergere, nisi accepta priùs à Christo facultate, non potuit exterrens Dæmon digitos; Vos, inqvit, estis porci isti: qvando ad vomitum usq; vorastis & potastis, ego in vos potestatē habeo.

Alii rogati, cur creaturas Dei exagitent? cogimur, inqviunt, facere: Altissimus præcepit nobis. Audire, obedire, credere, orare non vultis; ideo vos cruciare debemus: pœna nobis & dolor est, qvòd vobis ad salutem inservire compellimur; resipiscitis nunc, & orationibus solito diligentiùs vacatis: idcirco nunc vix animæ tres in casses nostros incidunt, cùm decem & ampliùs antea comprehendere soleremus. Angelorum verò conciones & admonitiones ubiqve eædem sunt. Hortantur populum ad pœnitentiam, conversionem, orationem, peccatorum fugam, & superbiæ detestationem; de oblongis & monstrosis collarium spiris, de syrmatis, de fastuosis amictoriis & castulis, de striatis cycladibus, de latis subductisqve pileis, de ventriosis thoracibus, follicantibus brachiis, &c. concionantur. Hæc Deo displicere; dissimulare diutius eum non posse, nisi homines resipiscant, mundum severè graviterqve brevi vindicatum iri tenebris & ignorantia,

terræmotu, peste, bello, cæde & sanguine, fame & igne, quem Deus pluet super impios, quæ omnia si nihil proficiant, ipsa mundi fundamenta, quasi ligna & stipulas arsura. Hactenus recensuit rem gestam: ut à prædictis scriptoribus idiomate patrio commemoratur. Imp. 120. Rud. 2. Pp. 237. Clem. 8.

1595. *Remigius Nauntelius Danus in Rationali Jesuiticorum.*

SOlebant ante tempora principis Parmensis Jesuitæ bellis non interesse; imò etiam alios religiosos apud milites degentes censere inhonestos, discolos, & irregulares. Sed Parmensem in Galliam secuti sunt ideò: quòd sperarent, si Parmensis vicisset, & Regnum Gallicum subjugâsset: habituros se magnam honoris partem, ut per quorum orationes, & præsentiam Deus inimicos prostrasset; & maximam etiam portionem prædæ. Hinc illorum multi vexilla Parmensium seqvuti, currus in militiam expediebant onustos, atq; ornatos: qvibus etiam more principum insignia sua [qvæ fuere nomen Jesu] ad latera ambitiosè affigebant. Sic qvoq; ex instituto suo profitentur, se non procuraturos aut accepturos Ecclesiasticas dignitates: qvasi non conveniant humilitati religiosæ:
p.1024. & tamen acceptant clanculùm & captant, ubi sunt insigniores qvædam & pingujores præbendæ: qvemadmodum, acceptasse eos Cardinalatum, constat: ubi licet finxerint, parumper se cunctari & hærere; placuit tamen, atq; animum vicit tandem titulus ille, Reverendissimus & Illustrissimus. Imp. Rud. 2. Pp. Clem. 8.

Idem. Sixtus qvintus Jesuitarum lasciviam comprimere inceperat, eosq; si vixisset, ad normam monasticæ religionis cogere decreverat, aut penitus abolere.

1595. *Eustachius Poyssel.*

HOc tempore edidit scripta varia Eustach. Poyssel, de clave David, de fine mundi anno 1623. futuro, mutatione temporum, & alia. Producit autem ex vocabulis & numeris multa mystica. Ubi inter cætera vide, qvænam ex Roma, Wittebergâ, Heydelberga, Luthero, Rudolpho, & similibus nominibus cogat & eruat. Imp. Rud. 2. Pp. Clem. 8.

ↃCIXI. I 35 ↃCIX ∴ ∴

·|·

CUM anno supra sesqvi millesimum nonagesimo qvinto, in mense Aprili tam profunda illa nix cecidisset Ericitæ ditionis Clempenovianæ in agro Wolgastico, Ducis Pomerani, & tum Ciconia qvædam ibidem in nidum aliarum duarum Ciconiarum, super ædibus Pastoris se ingerere conata, tam diu & multum ab iisdem repulsa fuisset, donec labore victa & fessa, tandem ad fores ædium Pastoris delabi necesse haberet, ibi à puerulis capta stabulo qvodam inclusa fuit. Pastor autem, hoc ex puerulis audito, iterum libertati suæ restituit Ciconiam, & dimisit. hæc verò statim super dolium qvoddam cerevisiarium ante ædes consedit, ibiqve ovum peperit, qvod videntes Pastor & conjunx ejus, ovum contemplati sunt, & primum sanguinolentum esse conspicati: postea odum ablutum totum albuit, & tandem has depictas numerorum figuras & signa ex omni parte atra, & tam perspicua; ac si data opera manus humanæ illa sic inscripsissent. Hoc ovum Pastor præfecto Klempenovii, & aliis multis contemplandum exhibuit: & è Pomerania ad nos attulit vir excellenti virtute & doctrina præditus, Nobilis Osvvaldus Suafe, amicus singularis, Illustrissimi Principis Palati. D. Philippi Ludovici consiliarius. Imperat. Rud. 2. Papæ Clemente 8.

Calvinus Iudaizans. 1595.

HOC tempore librum hoc titulo edidit Ægidius Hunnius, Professor Academiæ Wittebergensis, in eo Joannem Calvinum Theologum arguens, qvod dicta & testimonia sacrosanctæ scripturæ de Trinitate, divinitate & adventu Messiæ, aliisqve locis, more Judæorum pervertat & depravet: qvomodo, autem, & qvaliter, videat apud eum lector.

Idem conqvestus fuit edito libro Henricus de Homeliis, Anno 93. qvem vide itidem.

Deplorandum. 1595.

HOc tempore (ut qvidā primarius Theologiæ Doctor, audivisse se ex illustri viro, retulit) in loco N. qvidam manuarii opificii juvenis, cùm in concione ad mentionem nominis Jesu (meritò enim in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & inferorum: Philip. 2.) Salvatori suo debitum exhibuisset honorem: à concionante propterea vehementer increpatus: & cùm non pareret, à lictoribus prehensus, ac per triduum in carcerem detrusus fuit. Hæc est ultimæ senectæ perversi hujus mundi, & in reprobum dati sensum pervicacia, ut homines impietate & malitiâ etiam diabolos superare contendant, atqve minus honoris & reverentiæ præstent

Deo, Christoqve Redemtori suo, qvàm de ipso Satana memorarunt veteres. Nam in vitis Patrum, & speculo exemplorum reperitur, qvòd diabolus aliqvando ingressus templum, & videns, qvendam ad pronunciationem nominis Jesu non incurvare se, nec aperire caput; alapam ei infregerit, & summam ingratitudinem turpiter exprobraverit.

Interea tamen, si qvis ejusmodi concionatorem fortè in platea obviam haberet, aut compellare vellet, & non aperto humiq; demisso capite prolixam ad pedes usq; deferret ei reverentiam: annón putas apud eum statim anathematis reus fieret? cujus ergo spiritus filii sint istiusmodi Christomastyges, piùs Lector judicet: & videbunt illi tandem, in qvem pupugerunt.

I. N. Doctor.

1595. Retulit qvidam utriusq; Juris Doctor, vir fide dignus: Syndicus civitatis Imperii N. qvòd cùm ante hoc tempus in Italia magnæ qvidam authoritatis homo uxorem duxisset, eaq; infœcunda planè sterilisq; esset: hoc pro acqvirenda prole consilium (ne suis olim amicis, qvibus invidebat clanculùm, sua bona cederent) cum uxore inierit: ut nimirùm viro cuidam aptiori concumberet.

p. 1035. Illâ ab initio ex pudore reluctante, sed tandem affatim assentiente; qvidam ex Germania oriundus atq; nobili satus stirpe juvenis, ac ætate florentissimus, ad fabulam agendam, ut qvi eo loci literis incumbebat, occasione commoda adducitur: qvi qvidem haud multa moratus, in id facilè consensit, qvodqve suarum erat partium, graviter est executus. Ideoq; illa concepit, & filium peperit: unde factum est, ut & postmodum fœcundissimam se præberet marito, sobolemqve abundè generaret.

Hoc cùm vir animadverteret, & jam bonis externis, suisq; facultatibus, qvas amplissimas habebat, instruere filios averet: illum autem primogenitum, suum non esse, exploratum haberet: miserum in Ecclesiasticum ordinem detrusit: qvi tamen ita profecit, ut brevi temporis intervallo fieret Episcopus, & deinde Cardinalis, ac tandem, ne qvid homini benè nato deesset, Papa crearetur. Sedens igitur jam, & Petri vices hoc modo agens, à matre, qvam conscientia ad pœnitentiam urgebat, fit certior, de vero patre suo.

Huic cùm Pontifex omninò gratiam referendam esse: putaret, Romam eum, qvi in Germania jam Canonicum agebat, citavit: eumq; cum matre primùm ab omnibus peccatis absolvit, & Episcopum ac Cardinalem, itemq; etiam legatum à latere, (qvi omnium primus hanc dignitatem ex merito accepit) fecit,

Est autem hoc minimè fabulosum, sed omninò vera historia, ut illius etiam, prout est gesta, stirps illa, qvæ etiamnum floret, est conscia. Imp. & Pp. ut supra.

Jacobus Franco.

Anno 1595. Defuncto Sebastiano, Rege Lusitaniæ, qvidam audaculus, qvi faciem regis ad amussim repræsentabat, auxiliis & Consiliis malè feriati cujusdam monachi, ordinis Augustini, Rex fieri voluit: sed à ministris Hispanicis hoc aditu gloriæ prohibitus est, & maturè contossus. Imp. 120. Rud. 2. Pp. 237. Clem. 8.

Idem. In Anglia Londæ, mense Julio, duo Jesuitæ pœnas dedere sub carnifice; qvòd immani facinore se obligassent, ut Reginam sclopeto trajicerent. In id ipsum qvoq; conspirârunt alii octo, uti fatebantur adhibiti qvæstionibus, & torturæ, de qvibus alibi locorum meritum supplicum sumtum est, eorumqve rasa capita præacutis sudibus ob oculos omnium infixa fuerunt.

Idem. Posteaqvàm Turcarum Sultanus, exercitus sui lustrandi gratiâ qvem contra Christianos innumerabili copiâ conscripserat, urbe Constantinopolitanâ egressus est: ea derepentè vehementia venti cœliq; intemperies ingruit, ut in unum peditesqve eqvitesqve horrendâ strage conjecerit: unicuiq; verò Turcæ crux sanguinea vestibus inhæsit, ut haud unqvam elui potuerit. Extemplo turbati animi; simul ipse, cum acie confusâ, Cæsar in urbem se recipit, & præ angustiis in declivi grabato membra trepidantia demittit.

Hic verò ut obdormivit, virum qvendam insolitæ proceritatis & magnitudinis somniat, qvi super excelsâ turri Constantinopoli pedem unum statuens, alterum cis mare in aridam defigat. Illius ubi mirandâ proportione stupet: ecce gigas iste pede suo turrim impellit, qva ruinam trahens, atrium & templum intenso fragore subruit: & videbatur etiam unâ solem, alterâ manu Lunam virilis ingentibus ausis amplecti. Præsagiebant arioli & magi, futurum esse, ni summâ vi, ceu ventus ille, eos omnes, qvibus illapsæ sint cruciculæ, Christianos expediat; ut regnum ejus irâ Mahometis arlutâ concidat. Ibi fertur Imperator perjuros elevasse digitos, & in perniciem mox omnium Christianorum jurasse. Sed omen in ipsum vertat Deus opt. Max.

Idem. In Martio, Capuzinus Monachus, & Victor, qvi nobilem simulabat, in necem Henrici 4. Regis Galliæ, & Navarræ, fœdus litium inière: ut egredientem templo protinus contrucidarent: sed qvia prodire conantes, à circumfuso populo excipiebantur, & apud eos impactæ plumbo pyricq; pulvere sclopeta, atq; sicæ deprehendebantur;

Anno ideo qvàm primùm manibus amputatis Victor, transactâ per sedem præacutâ sude, combustus est: effrenis autem Monachus ad dignum facto supplicium, qvestionesq; severiores, est in sqvalore vinculorum reservatus.

Idem. Anno eodem Archiater Angliæ Reginæ Doctor Lopes à comite de Fuentes, & Stephano Divarra 50000. coronatis inductus, una cum perjuris aliis, nimirum Emanuele Loji Vinaco & Stephano Fererâ de Hannâ, immane facinus, hoc anno, mense Majo, aggressus, obtruncare Reginam voluit: atqvi deprehensus exqvisito supplicio occubuit.

Ab eodem comite de Fuentes, Emanuel de Andradâ, compellatus amplissimis præmiis, & eò usq; solicitatus, ut promitteret, se velle tenui veneno rosam inficere, qvæ Regem Galliæ solummodò olfacientem enecet, instituto fine caruit.

Idem. Anno eodem qvidam etiam sacrificulus Namurensis, nomine Michaël Rechons, militem mentitus, interficere clandestinâ nece conatus est illustrissimum Principem Uraniæ, Mauricium, ejusqve filium decennem, in Academiâ Leydensi literis incumbentem. Ut superioribus annis Hispanica inqvisitio tanqvàm fovea latronum existens, alium qvendam de stirpe Uraniæ, contra jus gentium, contra jura, libertatem, & privilegia ejus nationis, è matriculâ Lovensis universitatis abripuit, & sicariâ nace contrucidavit.

Idem. Carniolæ circa Labacum Selagi, cùm templum esset de novo funditus extrendum, jamqve adeò terra foderetur: ecce qvidam fœtus, uti fungi solent esse, p.1026. aut spongiæ, eruitur, humano capiti non absimilis, cui duplicatum collare, & tiara velo devincta, forma serpentis, erat: occipitis verò loco caput aliud lupinum eminebat, hiante palato, oculisq; vibratis torvè prospiciens: inferiùs autem porrigebatur brachium, hujusmodi literis insigne; VV. N. VV. virgarumqve fasces in manu tenebat.

Idem. Subinde passim anno 1595. novi qvidam aurifabri adulteri Chymistæ capiebantur à magistratibus. Inprimis autem mentio fit cujusdam monachi Capuzini, Marci Bragadini, qvi cum in Europâ vagabundus obambularet aulas principum, eosqve falsariâ arte deciperet, ut pro illustrissimo qvodam haberetur ab omnibus: incidit non sine fato in Bavariam, & suis præstigiis inducturus Principem, aulam petiit, & sanè solemniter acceptus est, ubi verò fraudes ejus patuêre technæq; diabolicæ, conjectus est in vincula homo illustrissimus iste, & desperatus Monachus, & postmodùm 29. Julii posito ob oculos patibulo laminis aureis obductio, capite truncatus obiit, atq; deinceps à suis fratribus, aliis Monachis, honorificè Anno sepultus fuit.

Idem. Badelbornæ in Westphaliâ præsagi rhythmi qvidam sunt inventi, qvi futura ad annum usqve 1600. protendunt; ut:

Anno 1590.

Hoc anno videas si qvid præsagia possunt:
Qvòd doleat magnis Austria tota malis.

Anno 1591.

Saxonia impurâ qvia relligione laborat:
Erigitur summi morte repente viri.

Anno 1592.

Qvin etiam Turca rabies, & multa potestas,
Insulam in Oceano sub sua jura trahet.

Anno 1593.

Pura palatinùs hoc, atq; seqventibus annis,
Religio, & circum prædia læta, sonat.

Anno 1594.

Hassia fulgenti privari fertur ocello,
Et decreta novi Gallia regis habet.

Anno 1595.

Practica perjuri luget Germania Papæ
Consilia, & mista mellea dicta nece.

Anno 1596.

Hinc duo de pacto cedunt Helvetia jure
Mœnia, Nam dispar jurgia fœdus habet.

Anno 1597.

Et vir, qvo non est alios præstantior ullus,
Debet ob Hæreticam morte perire fidem.

Anno 1598.

Rhenus in hoc anno, multis venientibus undis;
Cum stabulis secum multa jumenta rapit.

Anno 1599.

Sangvineo magnus deflagrat crine Cometa:
Nulla fames orbem, sed fera bella manent.

Anno 1600.

Tum modè de terris Turcæ gradientur Eois:
At puto non illos posse redire domum.

Idem anno 1590. qvinto die septembris, Vienna Austriâ, omnisqve circùm regio horribili terræ motu contremuit. Etenim hora 5. pomeridianâ, & ab hac usqve ad horam primam intempestæ noctis, magnâ animorum consternatione, & inauditâ clade violentus ille motus terrenæ molis intumuit: oppidum totum concussit: muros disjecit: templorum apices ad medium, & nonnunqvam ad horologia usqve præcipitavit: unde fornices & laqveana contremuere: altaria rimas egerunt: alto vero qvadrati lapides, aut potiùs saxa projecta fuère, qvibus homines & pecudes, in stabulis & diversoriis, aliisqve ædibus, penè ad internecionem miserrimè comminuebantur. Homines ignari, qvò fata ferant, ubi sistere detur, ex urbe fugiebant, & sub dio non pauci desperabundi jacebant: ipse qvoqve Archidux Ernestus, qvi illis fortè diebus Viennam venerat extra pomæria oppidi nocte terriculosâ prodire, seqve in hortum qvendam recipere coactus est: ut & alii ditissimi suas

Anno suas ædes, præ metu longè maximo, reliqvêre.

Qvid? qvod in viciniâ non minùs, ac in ipsâ urbe perdito in statu res omnes fuêre? Qvatuor in milliaria circumqvaq; serpebat hæc intemperies, & irrecuperabili damno delæviebat, eruendo funditus uno turbine triginta domos, alibi integram arcem demoliendo, pagos diripiendo, cauponis una cum hospitibus absorbendo, molas à fundamento ex aqvis elevando, & in aridam reponendo, pisces excutiendo fluminibus. Infra Viennam autem terra dehiscens immanem exhalabat mephitim, qvam nemo hominum accedere fuit ausus.

Eodem mense hinc inde, præcipuè verò Basileæ in Cathedrali sede, Burgundiâ superiori, & Galliâ novum genus muscarum, raræ magnitudinis, & præsentissimo veneno armatum apparuit: cui turpe caput, & toto corpore longior erat promuscis, oculi protuberantes, cornua 2. 4. alæ membranaceæ, sex pedes, & pollicem viri crassa cauda, in vertice pressa corona, color ater, albus, & cinereus: ipsæ vero muscæ trahebant aluum per octo pedis uncias exporrectam, & aculeo suo qvemcunq; hominum & pecudum & icere, infuso mox humore virolo, letho dabant.

Idem memorat qvoqve in relatione historica, qvod anno 1595. N. & N. duo Syndici civitatis N. suspecti de religione, dum alios qvoqve in suam opinionem pertrahere, & novam illam Ecclesiam inferre conarentur; ex urbe ante Solis occasum migrare compulsi sint. In qvo maximoperè sanè dolendum est, qvosdam politicos reperiri in Imperiis, qvi, mera ambitione &
p. 1027. avaritia impellente, soli arbitri esse volunt, non tam in mundi, qvàm etiam religionis Deiqve negotiis, ab ipsorum vocatione, noticia, & professione longè remotis: qvive suos Principes, civitates, atqve Magistratus (qvorum illi non capita, sed pedes; non domini, sed servi esse debebant) eò deducere nituntur, ut flamma ferroqve credere & approbare cogant suos, qvod illis placet, sive bonum sive malum, seu pium aut blasphemum sit. Imò verò, ut & alios secum in exitium abripiant, eò dementiæ, audaciæ, & temeritatis deveniunt, ut ausint animam oppignorare pro confirmatione; veriorem & salubriorem esse suam opinionem. Et tamen hoc non obstante, ex mera κενοδοξίᾳ cùm alibi spes affulget majoris dignitatis & authoritatis, illicò relicta priore, in qvam sanctè juraverunt, perfidè pinguiorem sectantur: ita ut, si animam pignoris loco pro qvavis religione reprobata relinqvant diabolo, amplissimis jam pridem animarum spoliis abundet infernus.

Probè igitur sibi prospiciant, ac caveant Magistratus, ne capiantur verbis hujusmodi Sycophantarum levibus, & temerè ad nutum qvorumvis ambitiosorum, qvi Theologiæ nullam operam impenderunt unqvam, mutent vel religionem vel rempublicam, miserisqve subditis gravent conscientiam. Nam profectò omnium sangvinem, qvi seducti perierint, in extremo aliqvando judicio ab ipsorum manibus reqviret Dominus. Graviùs enim, ut inqvit Catharina Senensis, punientur; nempe pro se, & subditis suis pœnam luent. Qvod idem qvoqve monet Clariss. D. Andreas Cludius I. C. Professor in Academia Helmstadiensi, in Præf. tractatus de seqvestratione, nimirum ut maximè hoc tempore, ubi omnia in pejus ruunt, Principes singulari circumspectione vitent tales Simones & Iscariotas, qvorum impulsu vidimus etiam optimos, prudentissimosq; in fraudem illectos, inq; extrema pericula & vitæ & fortunarum præcipitatos.

Hujusmodi Pestes Principum & rerum publicarum qvaliter etiam viros bonos traducant, & à curiis aulisqve, ut soli imperent, & ipsorum neqvitia minùs fiat manifesta, abigant; reperies apud annum 780. sub titulo, Paulus Diaconus: & apud annum 1590. sub titulo de calumnia & Apelle: & in libello Friderici Furii Ceriolani de consiliariorum reqvisitis.

Monstrum. 1595.

Baccharach oppidum est in ipsa Rheni ripa, inter Confluentiam & Maguntiam situm, qvod qvidam Bacchiaras vocant, ex vini præstantissimi nobilitate longè lateqve celebre. Hic tunc natum est monstrum horrendum, & maximè prodigiosum, anteriore superioreqve parte homini, posteriore inferioreqve serpenti simile, caudam habens tribus ulnis longam, nec diutius vixit, qvàm qvoad munere suo, propter qvod missum erat, perfunctum esset. Cum enim pater homo impius, contemtor Dei & hominum, ebriosusqve Dominica 15. in cauponam abiisset, ut secundum consuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetqve aleis, & omnem improbitatem exerceret, uxor verò illius partui vicina, eum secuta admoneret, ut ab ista impietate abstineret, homo impius non tantùm monitricis verba contemsit, sed eam miserè percutiens præcepit, cum vivo suo Dæmone, qvem utero gerebat, & qvi illi in partu opitularetur, domum concederet; si non pareat, se gladium suum capulotenus in ventrem illius impacturum. Illa verò: Eja, inqvit, mi vir, egóne vivum gero dæmonem? esto igitur; nec plura locuta, domum reversa est: maritum inter combibones aleatoresq; relinqvens.

Cùm domum venisset mulier, dolores partus sensit, & teribile hoc monstrum, omni-

Anno omnibus qvi aderant horrorem incutiens, peperit. Phocas autem ille, cùm libidinem suam potando ludendoqve satis explesset, & ipse domum rediit; ingressusqve est, ubi & puerpera & partus jacebat: tunc monstrum instar falconis in eum illatum sibilans, caudæ suæ implicatum hominem venenosis ictibus eum in modum pupugit, ut toto corpore tuberibus, contusionibusq; pleno, paulò pòst infelicem animam exhalaverit. Marito mortuo, puerpera qvoq; extincta est, & tandem monstrum vivere desiit. Mercur. Gallobelg. Imp. & Pp. ut suprà.

1596. *Mira.*

Habuit Fridericus Myconius somnium, in qvo ipsi persona Lutheri anno 1510. oblata fuit, anteqvàm ille docere inciperet. Item reperta fuit imago Lutheri Norimbergæ, falcem & Rosam in manibus gestans. Tom. Luth. epist. ad Lincum. Et Sebastianus Besselmajer in hist. obsidionis Magdenburgensis narrat, Angelum S. Michaëlem personaliter hostibus pugnantem visum fuisse. Refert Petrus Clemens Rugianus in breviario, sive tractatu, qvem de Pontificia purpurata, & Lutherana Philadelphica Ecclesia ex Apocal. Ab. Joach. & S. Berhardino tract. de ult. jud. Nicolao Collado in meth. Ap. Georgio Mylio de veteri & nova Babylone, & aliis scripsit.

1596. *M. Jansonii Doccomensis Frisii* *Mercurius Gallobelgicus.*

Initium anni 1589. auspicaturo, primùm mihi occurrit mors Cath. Medicææ. Laur. III. Medices, Ducis Urbini, ac Magdalenæ Bononiæ, Averniæqve Comitis filiæ. Hæc

p. 1028. postqvàm ad decrepitam penè ætatem pervenisset, Galliamqve multis, iisqve funestis toto imperii sui tempore seditionibus commovisset, variisqve cladibus affecisset, postqvàm tres filios suos diademate insignitos vidisset, totum Franciæ regnum consiliis suis rexisset, & nunc à Guisiis & Catholicis, nunc à Navarræo & hæreticis clàm stetisset, mulier vafra, & ad fundendum sanguinem nata, sexto tandem hujus anni die Epiphaniæ profesto: naturæ debitum reddidit.

Huic ab Astrologiæ peritis prædictum refert Guicciardinus, natam esse ad destruendum illius Principatum, ad qvem connubio perveniret, qvod ipsum & Paul. Jovius Clem. VII. Pont. Max. ejusdem Catharinæ avunculum, Imp. Carolo V. retulisse testatur.

Ferunt autem Hugonotti, eam, cùm in extremis esset, Regem filium ad se vocasse, ei statum regni exposuisse, dixisse, dubium non esse, qvin ira Dei in regnum Franciæ vehementer esset commota. Hanc iram populum, & Principes sibi ipsis concitasse, & adhuc qvotidie concitare eò, qvòd bellum qvàm pacem mallent, nec sanis qvietisqve Navarræi, aliorumqve Regii sanguinis Principum consiliis acqvieverint, sed Guisios (sub prætextu religionis Catholicæ, Romanæ promovendæ: Calvinianæqve extirpandæ, Regi insidias struentes, Regnumqve affectantes) seqverentur, & promotos cuperent. Sperare tamen se, eosdem Principes, omnesqve subditos ad saniorem mentem redituros, præsertim cum non propria perfidia, sed infectorum Guisiorum persvasionibus à Rege defecissent. Anterim sese jam ingravescente morbo penè oppressam, mortiqve vicinam hæc ultima Regi monita relinqvere:

Primò, Regem Navarræum, omnesqve Principes Regii sanguinis, vere Francos & indigenas, cujuscunqve religionis ii sint, accersat, & ad se attrahat; ut perpetuò cum Rege sint, eumqve auxiliis & consiliis suis adjuvent: eos enim nunqvam non fore fideles, qvi tot bellis a Rege propter religionem lacessiti, nunqvam a fide, qva Regi erant obstricti, defecerunt. Secundò, cùm jam pridem in Germania, aliisqve locis compertum esset, intestina bella propter religionem mota, componi non posse, nisi cuiqve sua religio libera permittatur; monere se Regem, ut idem faciat, qvò pacem hoc modo, & tranqvillitatem Regno restituat. Hoc si à primo pacis edicto observatum fuisset, feliciorem nunc Reipublicæ statum fore, asseruit.

Qvòd si tandem aliqvandò, mi fili, ait, hostibus tuis victoriam extorqveas, pacem cole: Principes tibi sanguine propinqvos, aliosqve subditos, qvi tam dura hactenus passi sunt, tuere, & omnem in Regno abusum tolle. His dictis Regi hæreticos, qvos semper bello erat persecutu, commendasse; & pacem, qvam ipsa nunqvam vivens amaverat, moriens persuasisse dicitur.

Idem. Legatus Pontificius, postqvàm vidisset, Guisios fratres in liberis comitiis trucidatos, Cardinalem Borbonium, Archiepiscopum Lugdunensem, Episcopum Ambianensem, aliosqve magni nominis Principes captos, Regem per literas ad pœnitentiam facti admonuit, & ne simile qvid in futurum perpetret, seriò hortatur: nisi caveat, fore, ut Pontifex eum anathematis fulmine feriat. Respondet Rex: se Pontificis fulmen ne flocci qvidem facere; neqve se credere, suam sanctitatem qvicqvam hujusmodi in se ausuram: cùm Pontifex in Francia nullum se excommunicandi jus habeat: præsertim cum ea, qvæ ipse in Guisios statuisset, Politica, sint, non Ecclesiastica, & necessitas ista postulaverit.

Anno Idem, Joannes Regiomontanus, Mathematicus summus, aliqvantò antequam Romæ anno à partu Virginis 1475. ætatis suæ 41. in vivis esse desiit, prognosticum seu vaticinium in hanc ferè sententiam edidit:

Post mille expletos à partu virginis annos,
Et post quingentos rursus ab axe datos,
Octuagesimus octavus mirabilis annus
Ingruet, [illegible] secum tristia fata trahet.
Si non hoc anno totus male concidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumq; ruat;
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atq; deorsũ
Imperia, & luctus undiq; grandis erit.

Eadem Joannes Stœfflerus, insignis Astrologus: & nostro seculo generosissimus Heros Henricus Rantzovius, in suo de annis climactericis & imperiorum periodis libello, vaticinatus est. Qvorum vaticinia qvam veros eventus sortita sint, ipsi hoc anno vidimus. Nam etsi pauca, qvæ admiratione digna, & eorum vaticiniis congruentia sunt, à nobis, qvi Gallica precipuè & Belgica promittimus, in hoc libello recenseantur: in omnibus tamen regnis & Imperiis maximas rerum mutationes, imò totius orbis paroxysmos conspeximus.

Annon insolens inauditumqve, qvod unicum Poloniæ regnum intestinis procellis & bellis miserè excarnificatum, 4. uno eodemqve tempore Reges hoc anno habuerit? (rem inauditam narro, attamen vera) Sigismundum Suecum, Maximilianum Austriacum, Henricum Valesium Gallum, profugum Regio Poloniæ titulo, ad ultimum usqve agona utentem; & Stephanum Bathoræum, tum temporis inhumatum. Seqvitur Suecia, qvæ similiter dicto tempore tumultuum incendiis flagrat, arces aliqvot bello pridem captas amittit: Moscus mente licet paululum remotus, amissa recuperat. Daniam, Rege Frederico II. demortuo, relictoqve undecenni filio, interreges qvatuor gubernant. Scotiæ regina à propria consanguinea, mulier à muliere, contra datam hospitalitatis fidem, damnatur, & suppremo supplicio afficitur.

p. 1029. Anglia, fugata classe Hispanica, mirabilem victoriam obtinet. Hispanus classem præpotentem amittit, & variis à Draco modis infestatur. Persa moritur. Turca infeliciter in Ungaria cum Christianis pugnat. Ungari crebris ejusdem incursionibus molestantur. Maximilianus Austriacus à Polonis captus custodiæ traditur. Italia à Bannitis plurimùm vexatur. Germania veteri lethargo sopita, nunc hanc, nunc illam religionis faciem exosculatur, atqve (ut compendio dicam) ab ortu solis usq; ad occasum, nullus fermè remansit locus, in qvo non miratu dignum aliqvid hoc anno contigerit.

Omitto portenta hoc anno visa, qvæ plerumqve præcedunt, cùm insignis aliqva calamitas impendet. Prætereo civem illam in oppidulo Holsatiæ Apenradio, qvæ qvinqve dierum interstitio geminos, mense hujus anni Februario, peperit: qvinqve soles in Dithmarsia eodem mense visos: Xiphiam, seu piscem gladium, variis literis & signis, puta crucibus, gladiis, vexillis, ligone, pugionibus, eqvorum capitibus, & navigiis insignitum, Gryphisvvaldiæ, celebri Pomeraniæ urbe, vigesimo secundo Maji captum: solem Vinariæ vigesimo sexto mensis Junii, aëre sereno repentè obscuratum, totoq; eo die cum gladii stricti figura in ore conspectũ: rupem Culmerbergensem prope Salsfelt prodigiosè sese aperientem, disruptam; panes secundarios à qvodam tenacissimo Euclione, cujus genus, nomen, & avaritia nobilis reticetur, prope Rodopolin furno immissos, palaqve rursum extractos, sanguinem miraculosè lachrymantes, & paulatim in cineres resolutos. Anno

Idem. Elizabetha Angliæ Regina, cùm ut opem ferret Antonio Lusitaniæ notho, qvi sibi Regnum Portugalliæ jure deberi venditabat, & Gallos primùm, deinde Anglos invocabat, tum etiam ut se de Hispanis vindicaret, eorumqve vires frangeret, novam hoc tempore classem instruebat, qva æstate proxima Regem oppugnaret: Hispaniam totam, qvasi jam amissa classe desolatam & inermem, spe devorans; an verò suis, an aliorum etiam Principium sumtibus, incertum est: nam & fœdus illam cum Turcarum Imperatore pepegisse, tunc constans apud multos fama erat. Augebant suspicionem hanc literæ Imperatoris Othomannici ad Reginæ legationem responsoriæ, qvæ tunc Latino Germanicoqve idiomate Ingolstadii excusæ typis circumferebantur, in hunc modum:

Honorata à Domino legis Christianæ Matrona, culmen castitatis, inter castissimas fœminas populorum, qvi serviunt Jesu, ornata splendore dominationis ac regiminis, Regnorum domina, magnitudine & laude maxima in Nazarena natione reputata, Elizabetha Angliæ Regina, cui felicem & prosperum finem exoptamus. Ex litteris nostris sublimibus & Imperialib9 ad te datis intelliges, qvemadmodum orator vester, residens in excelsa mea & sublimi aula, præsentaverit throno magnitudinis meæ scriptum qvoddam, in qvo nos certiores fecit, qvemadmodum à qvatuor jam elapsis annis, bellum intuleris Hispaniarum Regi, ad minuendas & frangendas vires ejus, qvibus minas intentat omnibus aliis Principibus Christianis; statuitqve, socium facere eorum, ac præterea totius mundi Monarcham: item qvemadmodum D. Antonio,

Anno tonio, legitimè creato Regi Portugalliæ, idem Rex Hispaniæ per vim abstulerit regnum, & qvod intentio vestra sit, ut naves, qvæ in Indiam proficiscuntur, & inde redeunt, impediantur in posterum ab hac navigatione, in qva singulis annis deportantur in Hispaniam gemmæ, aromata, aurum & argentum, multis millionibus æstimata, qvibus rebus, ut etiam magna pecuniæ summa, prædictus Rex ditatus est, habetq; commoditatem molestandi qvosvis alios Principes Christianos, qvam si continuaverit, seipsum indies validiorem efficiet, talemqve, qvi non facilè debilitari qveat.

Deinde dictus vester legatus nostræ amplitudini supplicavit, ut incunte vere mittam Imperialem nostram classem, cùm sit certum, Regem Hispaniæ ei non facilè restiturum eò, qvòd à vestra classe ingentem jam cladem acceperit, & cum tibi soli vix resistere possit, futurum, ut, si à compluribus partibus invadatur, necessariò succumbat, cum omnium Principum Christianorum emolumento, & etiam nostræ sublimis aulæ. Ad hæc cùm prælatus dominus Antonius, ut, antea dictum est, vi sit pulsus & privatus regno suo, ut nos, nostrorum antecessorum felicis memoriæ exemplo, qvorum Deus sepulchra illuminet, eis, qvi recursum habuerunt ad ipsorum sublimen aulam, ut & nos opem nostram & auxilium subministremus, fuit nostræ aulæ excelsæ consultum visum.

Idem. Venetia habet Insulas viginti qvinq;, prochias sexaginta duas, monasteria qvadraginta unum, pontesqve publicos qvadringentos comprehendit, qvæ qvotannis è solo vectigali vicies centena ducatorum millia capit.

Idem. Hoc loco observandum est obiter, qvod qvidam annotavit, fatale qvodammodo Pontificibus Rom. esse, eos ut plurimum tot annis in gubernatione vivere, qvot numeros continet adsumtum ab illis in electione nomen. Alexand. enim II. secundo; Clemens III. tertio; Victor IV. qvarto; Pius V. qvinto; Leo X. decimo; Gregorius XIII. decimo tertio Pontificatus anno finito, ex hac vita migravit.

Idem. Parisienses, imperii Regis sui Henrici pertæsi, libellum supplicem suo Gubernatori offerunt, orantqve, ut in consessu Theologorum & Jurisconsultorum hæ duæ qvæstiones ventilentur & decidantur: Primò, an subditi & incolæ regni Gallici, ob impium & immane Regis latrocinium, & qvæ in perniciem Regni, religionisqve molitur, fide Regi debita, & Sacramento illi dato soluti sint, necne? Secundò, an iisdem subditis secura conscientia contra Regem bellum movere, fœdera inire, tributum imperare, & pecuniam cogere, ad Religionem Catholicam, Regniq; salutem defendendam, liceat?

Anno Congregatum est itaqve collegium Sorbonicum, aliiqve Doctores numero 70. omni diligentia, ingeniiqve acumine qvæstiones has discutientes, ponderantesqve: tandem post multas in utramq; e partem p. 10[illegible]
disputationes compertum est, causam Regis iniqvam esse: hanc sententiam sacræ scripturæ, juri positivo, civili & Ecclesiastico esse consentaneam. Conclusum itaqve est, populum sacramento esse solutum, & licere ei contra Regem suum pecunias colligere, confœderationis inire, arma ferre, pugnare. Ut autem hæc majore cum autoritate fiant, petunt à Legato, ut aliqvem ex suis ad Romanum Pontificem mittat, qvi hujus conclusionis approbationem impetret, ut tutiori cum conscientia ad Catholicam Rom. religionem, qvæ non parùm morte Guisii erat labefactata, tuendam, & hæresin omnem radicitus extirpandam hæc exeqvantur.

Postqvàm omnia, qvæ Blæsis, & passim per totum Regnum acta erant, certis nunciis Romam essent perlata, magna fuit Pontificis, omniumqve Cardinalium consternatio. Pontifex purpuratorum omnium senatum cogit, & in eorum consessu summum animi sui mœrorem declarat, ob barbarum, inauditum, detestandum & impium scelus in Gallia, ab ipso Rege, in Guisios fratres, præcipuè autem in Cardinalem perpetratum: qvem, inqvit, non obstante, qvòd Dei Sacerdos, qvod Cardinalis, qvòd Arciepiscopus, qvod Gallorum Regum unctor esset, indicta causa, absqve ulla juris aut justitiæ forma, perfidè trucidavit, atqve profanis armis, sine consilio, authoritate, consensu, & suo & sedis Romanæ, cujus ille membrum erat, necavit: haud aliter, qvàm si nec Pontifex, nec Romana sedes, nec ulla jurisdictio Ecclesiastica in terris esset.

Divinis legibus cautum esse, nemini licere qvendam occidere. Ab hac lege neminem, ne Regem qvidem ipsum exemptum esse: nisi fortè Princeps aut Magistratus legitimus, juxta præscriptum legum & constitutionem, prævia judicum sententia, qvempiam e medio tollat; hoc enim homicidium non esset, sed justum supplicium. At Cardinalis hic, ait, absqve ullo judicio, absqve ulla causæ cognitione, non auditus aut damnatus, sine nostro consensu interfectus est: haud aliter, qvàm si laicus fuisset, nulla ejus, in qva constitutus erat, Ecclesiasticæ dignitatis habita ratione.

Idem. Augustæ, Trevirorum, Osnaburgi, in Suevia, Dania, & cæt. magnus Magnorum numerus, tam plebejorum qvàm Sacerdotum, LL. Doctorum, Consulum &

eorum

Anno eorum, qvi existimationis & opum nota clari extitère, Vulcano instar novi holocausti oblati sunt. Qvos inter fuit vir prædives, & celebris IV. Doctor Flattenus, Electoris & Archiepiscopi Treverensis Consiliarius, qvi post sex mensium custodiam, Maji 16. publicè in rogum missus, & combustus est: nec non perversissimus qvidam præstigiator, de qvo in oppidulo Bebber, tria millia passuum Colonia distante, sub comite Warnero à Ristersheid, supplicium sumtum est.

Qvi, præterqvàm qvod insolitis aëre sudum fulminibus ciere, tonitru, grandinem, & tempestates insperatò excitare, homines detrimento gravi afficere, fruges excantare, segetem aliò transferre, maribus virile robur adimere, etiam se ex homine in lupum, cingulo (qvod remunerationis loco, abjurata Christo fide, à Dæmone acceperat) cinctus, toties qvoties voluit; convertere potuit; in qva sua metamorphosi seu Lycanthropia tredecim homines laniavit & devoravit.

1596. *Ianus Iacobus Boissardus Gallus.*

Nunqvam fieri potest, ut illum mortalem piè ac sanctè revereamur, qvem pollutum, turpem & sceleratum novimus. Sic soror, qvæ suum fratrem ad incestum provocavit apud Ovidium, crimen suum ita excusavit: *Qvid deceat* (inqvit) *nescimus adhuc: nos enim cuncta decere credimus*, qvia *seqvimur magnorum exempla Deorum.* Sic hodie qvoq; Papæ & Cardinalium ejus facta imitari licebit. Imp. 120. Rud. 2. Pp. 237. Clem. 8.

1596. *Meteranus in Annal. Belg.*

Ex hoc authore habes, qvid sit inqvisitio Hispanica, nempe illa, qvam Reges Hispaniarum, ad subjugandos Saracenos, Judæos & Æthiopes, priùs in Hispania instituerant: & qvoq; in Belgas absq; ullo respectu hodie convertere conantur. Ad qvam stabiliendam anno 1559. & 1560. tres Archiepiscopatus, & alii novi Episcopatus à Papa, contra jura & privilegia patriæ, ordinati, & Inqvisitoribus attributi fuerunt. Imp. & Pp. ut suprà.

1596. *Levinus Hulsius Gandensis in Chronolog.*

Terræmotus horrendus Ferrariæ (qvam Mathilda fœmina Pontifici dono dedit) contigit, in qvo duodecim cœnobia corruerunt, & incolæ ex civitate aufugerunt. Imp. & Pp. ut suprà.

Idem in Chronologia describit, qvas regiones & urbes in Ungaria Turca occupaverit, & qvæ damna intulerit Christianitati; ut ibi:

Præcipuarum, qvarum plerasq; Turcæ & Saraceni Christianis paucissimis ademerunt annis, regionum & regnorum Catalogus est hic: Anno

Achaja, Ægyptus, Albania, Anatolia, Arabia, Argia, Armenia, Asia minor, Attice, Ateja, Atholia; Bathami, Bethania, seu Botania, ibi est sepultura Turcarum; Bœotia, Bosna, Bulgaria; Cappadocia, p. 1031. Caria, Geneositia, Chalcidia, Chamogena, Characia, Cilicia, Croacia, Curis, Cyprus; Dacia, Dalmatia, Dardania, Decapolis, Doris; Epidaurus, Epirus, Eubœa; Galilæa, Getia, Græcia; Habartissena, Horsena; Illyria, Jonia, Isthmus, Istria, Judæa, Idumæa, Insulæ omnes; Laconia, Lania, Lemnos, Lesbos, Liburnia, Licaonia, Licia, Logus, Lydia; Macedonia, Melitena, Melogna, Mesena, Mesopotamia, Migdonia, Miletus Ins. Milia, Misia superior, Mœonia, Mœotides paludes, Monenia, Monitis, Moræa, Mulda; Natolia, Nigropontus, Ordacia, Palestina, Pamphilia, Pannonia, Peloponnesus, Phœnicia, Pisidia, Pontus Insula, Proconeso; Raonia, Rhodes; Samaria, Sclavonia, Servia, Scudoris, Symplegatus, Siria; Thessalia, Thracia, Trapezuntis regnum universum; Wallachia, & aliæ terræ regnaq;, nobis partim incognita, partim recenti bello ditioni Turcarum subacta.

Urbium insignium nomina: Adrianopolis, Alcairum, Alexandria, Anticlira, Antiochia, Apollonia, Asatus, Ascalon, Athenæ; Barudum, Bella, Bethlehem, Blomais; Cæsareæ duę Calcedonia, Cirogia, Constantinopolis, Corinthus, Corsica; Damascus, Diannosiapolis, Diasopolis, Duratum; Emaus, Ephesa, Epidaurum; Gaza; Hebron; Idonia, Jericho, Jerusalum, Joppe; Libisa, Lidda, Littum; Medostum, Mego, Melona, Metonia, Mistum; Nicea, Nicomedia; Olympia; Patres, Pera, Phillipolis, Prusia; Rama; Sebastia, Sebastipolis, Schmirnet, Schutaurum, Sodon, Siria; Tharsus, Tarrachrum, Tirus, Tripolis; aliæq; urbes Græcorum, Ungariæ, Pannoniæ, Sarmatiæ, Transsylvaniæ, aliarumq; terrarum.

Nomina Montium celebrium: Amanias, Atris, Carmelus, Lasius, Libanus, Parnassus, Pelion, Olympus, Ossa, Sinai, Taurus.

Magna & ampliora maria: Asphaltites, Carpatis, Cesis, Cilirius, Eugus, Euxinus pontus, Jonium, Pamphilæum, Rubrum mare, cum multis centenis insularum & oppidorum; & alia 60. maria vasta, qvorum qvodlibet singularia gaudet nomine, & hic descripta nimis longum foret.

Insignia flumina; Ersisus. Euphrates, Europa, Jordanus, Ister, Nilus; & qvæ sunt reliqva in Græcia & Europa plurima.

Cùm ergo reditus solius Ægypti sint secun-

Anno secundum Ciceronem, ac strabonem in Geographia, ccIↃↃ. cIↃ. cIↃ. IↃ. talentorum, qvantos putas reliqvorum omnium imperiorum esse.

Olim tantùm ex effossione æris in Macedonia singula talenta singulis diebus Alexandro pendebantur. Alex. ab Alex.

Babylon regi Persarum singulis diebus singulas argento plenas artabas solvebat. Idem Alexandr. ab Alexandr.

Leptis in Africa tantum vectigalibus valuit, ut singula indies talenta Carthaginensibus penderet. Idem Alex. ab Alex. Ubi notandum est: talentorum diversum esse valorem. Est enim talentum vulgare, regium, templi, Atticum, Alexandrinum, Neapolitanum, Syracusanum, Euboicum, Achajum, Ptolemaicum, Syrium, Antiochenum, Babylonium, parvum & magnum de qvibus singulis reqvirere potest lector rationem ex Budæo, Lazio, Prisciano, Alexandr. ab Alexandr. Buntingo, & aliis.

Turpis Caligula (ut & hodierni Papæ) ex prostitutis, qvantum unaqvæq; uno concubitu mereret, accepit vectigal. Idem Alex. ab Alex.

1596. *Effigies monumenti, in reproborum Rabinorum & Judæorum apostatarum, confusionem & ignominiam, ad VVittebergensis Templi oppidani murum versus ortum antiqvitus positi.*

QVid dicemus de hac profunda Judæorum ἀναισθησίᾳ. Venerat Filius Dei salvare populum suum, ad sui eum non agnoverunt: venit Dominus in propria sua, & sui eum non receperunt: ad instructas nuptias rex cœlestes vocavit Judæos; at illi cœperunt se excusare. Dignatus illos fuerat Deus vita æterna: verùm illi se indignos vita æterna fecerunt. Elegerat Deus semen Abrahæ in populum suum, ut essent sancti, sicut Deus ipsorum sanctus est; at illi per incredulitatem exciderunt: vocati erant, & ad id electi, ut Dei essent, qvod replere suo verbo gestiebat Dominus; sed illi ora obstruxerunt Deo infundenti omnia bona, & diabolo aperuerunt os & omnes sensus, qvi eos implevit omni mendacio, impietate, & blasphemia. Qvia enim amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò efficaces
p. 1032. deceptiones illis misit Deus, ut credant mendacio, & damnentur omnes, qvi veritati credere noluerunt; sed potiùs acqvieverunt in injustitia.

Degeneravit primùm illud sanctum Schemhamphorasch, non est ampliùs nomen Dei, expositum sancta Trinitate, non est Symbolum absconditi mysterii, & secretioris scientiæ, qvo soli pii ante Christum incarnatum gaudebant. Factum est Schemhamphorasch nunc Schamhappe- Anno resch, qvod excæcatis Judæis ille dux tenebrarum pro sancto Schemhamphorasch objecit. Est Schemhamphorasch, ad profanitates adhibitum, extra mysticum usum freqventatum, ad magiam usurpatum (qvo omnes angelos in ordinem cogere, ut confestim omnia eis pro illorum lubitu faciant, & Deum ipsum illigare conantur) nihil aliud qvàm שם Scham, qvod est ibi, & הפרש stercus, & fœtidum animalium excrementum, qvod Satanas Judæis excæcatis lingendum & degustandum apponit, ut saturentur excrementis fœdissimis, qvi nauseabant ad fercula mysteriorum divinorum.

Hanc fœditatem abusus fœdissimi Schemhamphorasch, ut religiosi Christiani Judæis sibi cohabitantibus ob oculos ponerent, atqve illos à suis aris & ritibus arcerent, néve sacras ædes ingressi, adversus sanctam Trinitatem, adversus Christum unigenitum Dei Filium nascentem, patientem, & ad cœlos adscendentem, adversus Mariam castissimam Christi genitricem, blasphemias ejacularentur; scrofam aut porcam saxo incisam aut pictam in frontispicio portarum aut Templorum collocabant, & eorum conspectui objiciebant. Didicerant enim ex Lege Dei Christiani, scrofæ non solùm esu interdictum esse, adeò ut, qvi comederent carnem suillam, inter maximos Legum divinarum contemtores haberentur, qvi qvotidie Deo in faciem peccarent: sed etiam sacrificium suillæ carnis fuit prohibitum. Qvi enim sanguinem suillum offerebat, ille summa ignominia Deum afficiebat: ideò sacrificia porcorum non inter concessa sacrificia, sed gentilium legibus, in ignominiam veri Dei introducta fuisse alibi legimus.

Cùm ergò Christiani scirent, non solùm esum & sacrificium porcorum, sed etiam imaginem suis, in loco sacro Judæis esse invisam: ideò locis sacris, qvæ intacta ab accessu Judæorum blasphemorum esse volebant, scrofas apponebant, non ut sacrum locum fœdarent, vel Deum in suis sanctionibus illuderent, aut qvædam sacrificia probare, nonnulla improbare viderentur: sed ut loca divinis cultibus dicata, impuris Judæis invisa redderent, ut porcæ imagine ab eorum ingressu arcerentur. Judæi enim hodierni non solùm Christianos: sed & loca, in qvibus convenitur ad præstandum Deo cultum, extremè oderunt & abominantur. Hæc fuit causa scrofæ templo Wittebergæ affixæ, cujus imaginem paululum [si placet] intuebimur.

Cùm te iter à collegiis publicis per crates in cœmiterium detulit, videre licebit, si oculos elevaveris, in extremitate muri prope tectũ, porcam saxo insculptam cum hac inscri-

Anno inscriptione: *Rabini Schemhamphorasch.* Docet te inscriptio non verum usum sed abusum Schemhamphorasch; non eo modo intellectum, qvem priore oratione explicatum audivisti: sed qvem posteriore Oratione sum persecutus. Eam ob causam non nuda supra porcam ponitur inscriptio *Schemhamphorasch*: sed adjectum est vocabulum, *Rabinorum*, per qvos non antiqvissimos, eosqve religiosissimos Doctores Judæos, qvi religiosissimè de Jehova, & ejus expositione sentiebant: intelliges: verùm per Rabinos intelligendi tibi veniunt Doctores Judæi illi reprobi, excæcati, & insensissimi Messiæ hostes: qvi virtutem edendorum miraculorum Christo ereptam, in blasphemum & mendacissimum suum Schemhamphorasch, cum summa ignominia DEI, & extrema sua pernitie transtulerunt.

Sed qvid occurrit sub inscriptione illa? offertur porcæ sculptæ imago: videas ibi, ingentem scrofam mammillis dependentibus stare, non alio modo, qvàm cum porcæ lactantes, grunnitu seu screatu blandiore lac nutrimentale porcellis propinant. Habet verò hæc porca sub se tres puerulos Judaicos, qvorum duo aversa facie ex scrofæ sugunt mammillis, tertius verò horum, aperta facie sub alvo scrofæ ad spectatores prospectat. Sub collo verò scrofæ accurrit porcellus, ut cum pueris mammillas suis unâ sugat.

An nihil præterea cernere est? Immò, in parte scrofæ posteriore videbis grandæviorem Judæum, mitrâ professionis Rabbinicæ ornatum; hic accumbens, videtur sinistrâ porcæ caudam elevare, & dextrâ pedem dextrum suis, non in codicem, sed in ejus podicem limis oculis prospectare; & meditabundus intentis sensibus, nescio qvæ mysteria in Thalmud scrofæ rimari, tumultuantesqve intestinorum flatus audire, ut horum oraculis edoctus, novi qvippiam ad suos auditores Judæos referre qveat. Postqvàm imaginis singulas partes, contemplatus fuisti, siste nonnihil gradum, & singularum partium interpretationem meditare.

Totam hanc sculpturam in odium Rabinorum, osorum DEI & blasphematorum Messiæ, & ejus sanctissimæ matris, esse collocatam, certum est: qvi cum grege Judaico nihil divini sapiunt, nihil oraculorum divinorum Sacris Bibliis comprehensorum intelligunt, sed mera Rabbinica, seu potiùs Ethnica & diabolica tradunt & hauriunt dogmata: qviq; pro scaturientibus aqvis in vitam æternam, sugunt lac suillum: qvi pro articulis Evangelicis, qvi & ipsis in salutem cedere debebant, si Messiam natum fide exoscularentur, non nisi Schamhappereſch; fimos & sterqvilinia amplectuntur.

Attende verò ipsorum παιδείαν: habent porcam magistram, porcarium pædagogum, & ut uno dicam verbo, tota ipsorum disciplina est porculatio, omnes illorum Doctores, porculatores. Qvam enim porcam pii Judæi olim ad esum & sacrificium non admittebant, illam hodie Judæi ignari, magristram sibi constituerunt: qvi, relicto sacro codice, occupantur in magistræ suæ podice. Nec juniores Judæi salubrius lac sugunt, qvàm grandiores suppeditant. Qværunt hi omnia sua mysteria in Thalmud porcino: sugunt illi omnem impuritatem ex mammillis porcinis. Sic resecti ab olea & vite Christo per incredulitatem, non nisi impurissimas fœditates sectantur. Deserto Christo, adhærent scrofæ; spreta doctrina Messiæ, stercora vorant; neglecto verbo vitæ, lac suum lutulentarum sorbent. Hæc voluerunt Christiani religiosi hostium Judæorum hostes, hac porcaria imagine & Judæis & fideli populo ob oculos ponere.

Sed qvis est primus inventor hujus picturæ? non certè Divus Lutherus, qvi hanc saxeam scrofam, cùm Wittebergam veniret, Wittebergæ invenit, & de hac in suis Polemicis scriptis adversus Judæos ita scriptum reliqvit:

Est hic Wittebergæ ad templum Parochiale porca saxo incisa, sub qva procumbentes porcelli & Judæi sugunt; post porcam est Rabinus qvispiam, qvi porcæ pedem attollit dextrum, sinistra verò manu caudam illius elevat, & inclinato corpore, summo studio, sub caudam suis, in Thalmud prospectat, non aliter, ac si qvippiam eximii atqve acuti cognoscere atqve legere ibi constituisset. Ex illo procul dubio scrofæ Thalmud habent hodierni Judæi mysteria sua Shemhamphorasch.

Nam ante hæc tempora in his regionibus qvàm plurimi habitaverunt Judæi; hoc demonstrant nomina oppidulorum, vicorum, civium, & rusticorum, qvæ Hebræa sunt etiamnum hodie. Consentaneum igitur est vero, virum qvempiam religiosum fuisse, cujus consilio & svasu hoc porcæ simulachrum fuerit sculptum: qvi impurissimorum Judæorum hostis fuit. Ita enim consvevimus apud Germanos de illis, qvi sesqvipedalia verba sonant, & turgidam sapientiam, absqvè re ostentant: unde huic tanta sapientia, ubi legit hanc? in Podice (sine verecundia satis rusticè) scrofæ. Hæc Lutherus de scrofa.

Unde manifestum, jam olim hanc saxeam scrofam hic fuisse. Sic enim illi, qvi nomen Christi professi erant, Judæos nominis Christi hostes perpetuos, lacessere, & à suis focis arcere consveverant. Hoc enim nomine in hospitiorum publicorum, à qvibus Judæos exulare voluerunt, fuem pictum aut sculptum prostibulis colloca-

Anno p. 1033

Anno bant, ut videre est Berlini & alibi. Hoc modo etiam Judæos Germani à suis aris & templis abigebant, à qvibus suum cultum irrideri, dum & matrem JESU blasphemari etiam in sacris Templis audiebant. Jam enim olim, cùm in his regionibus dominaretur Antichristus Romanus, ex indultu Pontificis Romani, & qvorundam Principum, multi habitaverunt in his locis Judæi, non solùm Judaismum propalantes: sed juxtà, Christianorum sacras Ceremonias irridentes, qvi non raro solebant in eorum irruere templa, & suas blasphemias eructare.

Hoc fine etiam apud nos Wittebergæ sus lapideus templo adhæret: eadem de causa in antiqva Soraborum urbe, in ducatu vicino Anhaldino, columnæ templi exteriori suem lapidi incisum spectamus: talem scrofam Judæos lactantem videre licet Magdeburgi in templo magno Canonicorum, in sacello, in qvo versus occidentem, Imperatoris Romani Othonis primi sepulchrum ostenditur: hujuscemodi porcam videbis in Bavaria Salisburgensi curiæ incisam, in ignominiam Judæorum, qvi aliqvando hostiam cœnæ consecratam, & emtam à Monacho, ibi consciderunt: & procul dubio in aliis locis, ejusmodi porcæ plures imagines reperire licebit.

Tales verò Porcarum sculpturas, in ignominiam Judæorum efformatas, publicis locis, ut portis, & templis apponere cœperunt, imitati exemplum Hadriani Imperatoris, qvi circa annum Christi 139. non solùm legem tulit, ne qvis Judæorum in Ierusalem, à se de novo restauratam, & à suo nomine Æliam dictam, ingrederetur, cùm urbem solis Christianis inhabitandum concessisset: sed etiam, ne qvis illorum ex locis sublimioribus & longinqvis terram Palæstinam spectaret, severè interdixit: & qvò magis ab accessu & introitu in urbem, Judæos deterreret, in publicam gentis Judaicæ ignominiam, portæ, qva Bethlehem itur, ante annos 1450. plus minus, annis ab hoc 96. retrò computatis, suem marmoreum imposuit.

Hoc terriculamento à locis sacris Judæos abigendi, ab eo usqve tempore Christiani uti cœperunt, & ex Judæa in Græciam, ex Græcia in Germaniam transtulerunt, qvo signo publicè professi sunt, se alienos à Judaica religione, & optare, ne ab impiis Judæis in suis ritibus turbentur; qvové tutiores esse possent à sannis & blasphemiis Judæorum in suis templis, illos hac suis sculptæ imagine à cœmiteriis, à foribus & aris templorum suorum arcere voluerunt. Horum ardorem pium, in tuenda doctrinæ Christianæ veritate, & propulsanda doctrinæ Judaicæ, & aliarum sectarum falsitate, ut nos qvoqve imitemur, ne postliminiò Judaicæ impietates reducantur; aut ab aliis doctrina, ab Augustana Confessione asserta, & scriptis magni illius Lutheri propugnata, labefactetur: aut scabie humanarum opinionum inficiatur, svadet ipsa pietas, flagitat grata posteritas, hortatur præsentis seculi conditio, & futuræ salutis necessitas. Hæc Laurentius Fabritius Hebrææ lingvæ Professor Wittebergæ, in oratione de Schemhamphorasch usu & abusu.

Causæ, cur Belgæ cum suo Rege pacem inire nolint: ex Meterano.

Anno 1596.

Juxta Salomonem namqve, iram Regis indubitatum esse mortis initium.

Christianum, Daniæ olim Regem, ob Tyrannidem regno pulsum, iterumqve conditionibus jurejurando sancitis receptum: Regnum per aliqvod tempus mansvetè administrâsse: verùm tandem in celeberrimo qvodam convivio proceres, nobilesq; præcipuos amantissimè principio exceptos, mensis nondum prorsus remotis, capite truncari Carnificis manu, & infantes qvoqve aliqvot trimos & qvadrimos crudeliter necari jussisse.

In Gallia neqve duorum annorum inducias, neqve nuptias sororis Regiæ, neqve juramento firmatam pacem obstitisse, qvin vindictam horribilem Rex etiam in multos innocentes homines sumserit.

Maximilianum, Carol. 5. avum, post intercessiones Electorum, eorumqve manu signatam & juratam pacem, Brugenses nihilominùs ita ultū esse, ut rei narratio audientibus etiam hodie terrorem incutiat.

Seriò nunqvam pacem facturum Regem, sed tantùm in eum finem, ut postea tantò faciliùs, positis armis, inermes eos opprimat.

Licet pax constituatur, & juramento firmetur: tamen illam (instigante Papa) iterum rumpi, & Regem à juramento absolvi, dicente Papa: Hæreticis nullam esse servandam fidem: imò Reges, nisi cum periculo æternæ damnationis, pactis talibus stare non posse.

Regem esse mortalem: eo mortuo, faciliùs & tutiùs firmam pacem successuram, & constantiùs permansuram.

Unam salutem esse victis, nullam sperare salutem.

Exempla esse præ oculis nostri temporis, Protestantium in Germania & Gallia, Ducem Saxoniæ & Landgravium, qvos constet nimiùm fidendo fuisse deceptos: neminem, nisi qvi nimiùm fidit, unqvam fuisse deceptum, aut decipi posse. Contrà verò illos, qvi constanter se defenderunt, & in DEI misericordia, suæq; causæ æqvitate spem collocârunt, inter qvos sint Magdeburgenses, Roschellenses & alii, religionem & libertatem retinuisse.

Con-

Anno Consvevisse Reges, ex schola Machiaveli & similium Præceptorum, blandis verbis & promissis, ut matres filiolos pomis & piris, attrahere, qvos deinceps fallere licitum sit, & illis regni causa fidem frangere. Sic Johannem de Austria de pace tractasse, sed interim altera parte cruentum & tragicum exitium illis parâsse, id qvod literæ illius interceptæ ostendissent.

Eodem fuco Albanum decollâsse Egmondanum & Hornium.

Ex Machiaveli schola promanâsse: Regem ex pacto non ulteriùs teneri, qvàm sit utile: ad honestum minimè obligari. Reliqva plura similia habes apud Materanum.

1596. *Iohannes Rheinoldus Anglus, de Romanæ Ecclesiæ Idololatria.*

ILlustres & pii Heroës ejus ordinis, qvi Insigne gerunt Georgii, Draconem interficientis, non Georgium illum Papisticum Cappadocem, sed Symbolicum intelligunt. Qvo monentur & excitantur ut virginem, hoc est, Ecclesiam à Dracone, hoc est, Romano Antichristo animosè defendant. Imp. Rud. 2. Papa Clem. 8.

1597. *Iohanes VVernerus Gebhart.*

ITem & hic ex navigationibus Indicis M. Mont. lib. 3. cap. 6. multas, & alicujus certè pensi rationes affert: ob qvas omninò fieri posse negat, qvòd umqvam ad ditionem atqve jura Regis Hispaniæ Belgæ redire aut possint, aut velint. Idem etiam censet, perqvàm utile futurum fuisse, si nullum planè aurum ex Indiis umqvam exportatum esset: idqve suis etiam causis confirmat. Imp. Rud. 2. Pp. Clem. 8.

Ex Iohanne VVernero Gebhardo, & aliis diversis authoribus de Jure-Consultis, Causidicis, Advocatis, Procuratoribus, Consiliariis, Syndicis, &c.

CUm ferè in hoc Opere, de Ecclesiástico statu ejusdemqve defectibus, & qvibus modis emendari possit, ac in melius restitui, dictum sit satis superqve: & apud hunc autorem alterius qvoqve, qvo administratur hic mundus, Politici scil. ordinis, deq; ejusdem abusibus fiat: placuit, nonnulla, qvæ hac de re etiam alii prodiderunt scriptores, coacervata huc in unum locum referre, in qvo tamen de bonis non est sermo: illi enim, sive Politici sint, sive Ecclesiastici, non egent reformatione: nec est, cur in hisce se innocentes noxiis admisceant: sed eò tantum omnia hæc tendunt, ut rei ejus habeant speculum, & incitamentum ad meliora.

p. 1035. Fuit autem hic Wernerus cùm militaris scientiæ, tum literarum humanarum peritus (rara avis:) & non ita pridem edidit libellum de omnifariis memorabilibus: in qvo inter alia etiam refert, qvòd Barones, Nobiles, Eqvites aurati, & Doctores, paucorum annorum spacio adeò increbruerint, ut propter multitudinem vilescant. Si cupit Lector sedulus, de hoc apud illum plura reqvirat. Nunc de Juristis. Anno

Methodius in glossa: Nec Juristæ, inqvit, qvi benè judicant, constituuntur; sed qvi judicium pervertunt: qvi jura secundum voluntatem, & largissimè exponunt: cerea facientes jura, ut ad qvamcunqve partem velint, flectant. Eligunt enim, qvod ipsis placet; & qvod contra eos est, omninò tacent. Certè non dicuntur Juristæ, sed pervertistæ. Illi enim præ aliis eruditis volunt vocari Doctores, & Rabbi: & qværunt salutationes in foro, & adulatores in curiis Dominorum Episcoporum, & Prælatorum. Unde Seneca: Nihil pejus, qvàm adulatores in curiis Prælatorum. Amen dicitur de illis, qvod receperunt in hoc seculo mercedem suam. Tales enim foventur, & nutriuntur, & pro Secretariis, atqve intimis consiliariis in curiis Episcoporum habentur præ cæteris, & qvi multa beneficia possident. Alii verò viri scientifici, parum vel nil possidentes, ab Episcopis spernuntur.

Livius eos Forenses canes, & togatos vultures appellat; apud qvos cessante lucelli specula, & rubiginosi auri marsupii, cessabunt & causarum indagamenta: sic misericordiæ totius exortes esse & humanitatis.

Seneca ait: Juridicos, veluti canes acerrimos, non nisi oblato cibo mansvescere.

Hieronymus inqvit: Juridici lincibus & leonibus crudeliores, ore rabido tam diu deprædandi memoriam non perdunt, qvàm diu venter est vacuus.

Petrus Blesensis in epist. 140. inqvit: Verba siqvidem lepida plerumqve habet censura civilis: sed sunt folia sine fructu, nugæ canoræ, & Syrenes usqve in exitium dulces. Mentior, si unqvam videris, illius scientiæ Professorem, in ipsius exercitio, felices exitus habuisse.

Fasc. temp. S. Ivo Britto Doctor, canonisatur: qvia fuit advocatus pauperum, & sanctæ vitæ. Hic solus inter Juristas modernos, sanctus computatur.

Arnoldus Ferronus. Dixit sæpius Ludovicus XII. Rex Galliarum, optimum esse ad oculorum sanitatem remedium: non multos videre Juristas & Procuratores. Item, leges Juris-Consultorum habere se instar corii sutorum. Ut enim hi corium, si brevius aut densius sit, qvàm conveniebat, dentium morsibus fricant, stringunt & distendunt: si & Juristas suas leges distrahehere, fingere, contorqvere, & artibus mirabilibus tornare, donec proposito iniqvo reddant accommodas.

Anno Ita & Philosophus ille non ineptè per Aranearum telas & retia, apto admodum hieroglyphico, legum notat inæqvalitatem propterea, qvòd veluti muscæ & volatilia alia pusilla, si in eas inciderint, capiuntur & pereunt; fortiora verò animalia, perrupto texto facilè, qvoqvò libuerit, elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atqve castigant: potentioribus verò nihil adversantur, qvi eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant & refigunt. Hoc est, qvò pollutior vita, eò præclarior, qvò plus scelerum, eò plus præmii & gloriæ. Sicut Diomedes pirata comprehensus ad Alexandrum ait: Ego, qvia uno navigio latrocinor, accusor pirata: Tu, qvia ingenti classe id agis, vocaris Imperator: Me rei familiaris angustia, Te fastus intolerabilis & inexplebelis avaritia furem facit.

At non ita Antiochus tertius, qvi civitatibus sibi subditis scripserat, si qvid unqvam per literas mandasset, qvod legibus adversaretur, ne curarent, tanqvam illud esset se nesciente scriptum. Neqve sic Rex ille, qvi Præfecto aulæ suæ gladium præbens, dixit: Hoc in administranda justicia utere, & si ego qvoqve eam neglexero, in me distringito.

Forum muricibus sterni, Cato dixit. Plutarchus.

Philo inqvit, Sis intactus à contentionibus, veritatem inqvire, & *nihil* præter eam admitte, longè aliter qvàm isti, qvi accepta semel qvaliacunqve dogmata obstinatè defendunt, sive probata, sive improbata; causidicorum mercenariorum morem imitantes.

Ut antea flagitiis, sic nunc legibus laboratur. Tacitus.

Publicæ mercis nihil tam venale, qvàm advocatorum perfidia. Idem. Venali versutiæ Juridicæ arte non infructuosè usus est Demosthenes, Orator ille Græcus. Nam Harpalus, qvi Alexandro Magno thesauros abstulit, ut Athenis tutum conseqveretur hospitium, Demostheni 12000. coronatorum, atqve poculum dono dedit, qvòd pro ipso causam dixit. Ejusmodi γλωσσοχρυσῦργοι possent adhuc plures recenseri, nisi freqventia occurrerent qvotidie in lectione historiarum exempla.

Thurinum Verconium Alexander Severus Imperator gravi exemplo fumo enecavit, qvia simili arte fumos vendidit, hoc est, responsa Imperatoris, accepta pecunia, cùm causas nunqvam ad Imper. retulisset, effinxit, & sæpe ab utraqve parte munera accepit. Jussit autem Imperator præconem clamare; fumo punitur, qvi fumos vendidit: & cùm fraudes consiliariorum suorum animadvertisset, sæpius hunc recitavit versum:

ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Mutius lib. 14. ait: Jurisperitos multi in cognoscendis causis adhibent: qvod, si probi essent, qvantum emolumenti adferret ad hanc vitam feliciter degendam, nemo sanæ mentis ignorat. Anno

Cominæus: Nam & sua inqvit, qvadam sponte Principes eò propendent, ut, qvod libet, licere sibi putent, & qvi sunt circum ipsos, qvoniam aucupandæ modò gratiæ sunt intenti, planè serviunt, illorum cupiditatibus; & si qvis ad meliorem frugem aliqvando hortetur, magnas tempestates excitat. Temperare mihi non possum hoc loco, qvin gravius aliqvid dicam in Principes imperitos & ignavos.

Habent sibi pleriqve familiares aliqvot Jurisperitos, & qvosdam, qvi longiori veste discernuntur ab aliis: & rectè qvidem, cùm sunt viri boni, sed periculosè admodum, & magno cum detrimento, qvando sunt vitiosi. Cujuscunqve rei sermo inciderit, illicò legem aliqvam, aut historiam adferunt; plerumqve & sæpenumero præter rem, dum ad suum sensum & affectum omnia detorqvent, idqve eò crebriùs faciunt & audaciùs, cùm Princeps ipse nullam habet rerum cognitionem, qvi si vel ingenio valeret, vel librorum lectione qvæ sitam haberet aliqvam prudentiam, non temerè circumveniri posset, nec sic ludificationibus aliorum esset expositus.

Hoc enim certò staduendum est. DEUM non condidisse regna, ut gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, qvi frivola qvadam, & misera jactatione solent dicere, se, qvòd usum literarum non habeant, suis familiaribus & necessariis omnem actionem committere, ac deinde nulla probabili adducta ratione, cur ita loqvantur, totos sese dedunt voluptatibus. Si benè fuissent à teneris annis educati, longè aliam viam ingrederentur: & hoc darent operam, ut homines benè & præclarè de ipsis sentirent.

Liber de dictis & factis memorabilibus Lutheri. Jurisconsulti vident, qvotidie multa iniqva committere Principes suos. Qvòd si igitur vellent digni esse nomine, qvod ipsimet arrogant sibi Sacerdotum justiciæ: non sic connivere subinde deberent ut muli, dicam muti: sed dicere, Illustrissime Princeps, hic peccatum est, hoc iniqvum est, hoc contra leges divinas & humanas pugnat; V. C. hoc omittat, hoc avertat, istud fugiat; aut ego officium meum resignabo, vestroqve valedicam muneri. Sed non adeò multos reperias ejus candoris & integritatis, qvi hoc faciant.

Et sanè inficias ire neqvimus, qvod hic Lutherus de Jur. Cons. dixit. Si enim nonnun-

Anno nunqvam Magnatibus sua improba cœpta à consiliariis fidelibus interdicerentur, à multis eqvidem incommoditatibus & malis immunes essemus.

Verùm appositè Lutherus idem dicere potuisset & de Theologis suis.

Nonnulli enim, tametsi qvorundam in aulis & civitatibus dominorum, qvibus sunt à confessione, enormia sæpe, & indigna Christiano nomine crimina & vitia noverunt: tamen ad ea (ne eos offendant, aut ab mensa aulica vel curiali abstinere cogantur, & qvo pedem alterum in suggesto templi, alterumqve in curia retinere qveant) impiè & turpiter connivent; approbant, & indulgent omnia, adblandiuntur, adulantur, & admittunt ad communionem & absolutionem levissimè: sed ô factum malè, imò verò pessimè!

Nam si & illi officiis vel renunciarent, vel, ut decet, satisfacerent, & ejusmodi peccatores non reciperent, nisi dixissent priùs (ut Nathan Davidi) Tu es ille, qvi fecisti malum: & [ut Johannes Herodi] non licet tibi uxorem habere fratris, & (ut B. Ambrosius Mediolani Episcopus, Theodosio Imperatori, cùm Ecclesiam intrare vellet) siste gradum, te enim hominem propter peccata prophanum, & manus in noxio sanguine commaculatas habentem fas non est, anteqvàm pœnitentiam agas, ad divinorum mysteriorum communionem admittere; &c. & seriò castigassent eorum delicta, omitterentur certè plurima scelera & peccata, qvorum culpa penes neminem est alium qvàm Theologos & Jurisconsultos, qvi & de illis olim gravissimam tenebuntur reddere rationem severo judici Deo: Sanguis enim pereuntium de illorum manibus [teste Propheta] reposcetur.

Ibidem. Dixit etiam Lutherus, se cogi, ut in argenteos Juristas, qvi Principes ad iniqvissima sæpè incitent, librum scribat & emittat: omninò enim nimiam esse ipsorum in malè suadendo improbitatem.

Abbas Joachimus libros Decretalium Vituio, qvem Aaron populo Israëlitico adorandum consecerat, comparat: ut in qvibus omnis dolus & calumnia perseveret: ac curiam sedis Petri nullum pontificare, qvi hujus simulachra non adoret, affirmat. De qvo suprà in relationibus ex hoc Joachimo plura.

Antonius tit. 24. cap. 9. Joannes Florentinus cùm esset Jurisperitus, & in civitate Castellana Judex. respiciens aliqvando per fenestram, audivit, porcorum pastorem, porcos includere non valentem, his verbis incantare eos; Porci porci, intrate in stabulum vestrum, sicut judices & Jurisperiti intrant in infernum Qvo dicto, statim porci morigeri intrârunt stabulum. Pro omine hoc habens Joannes, & metuens, ne & ipse intraret in infernum cum Jurisperitorum suorum & Juridicorum turba, relictis & contemtis omnibus, cum filio, Minorum Ordinem intravit: cujus mox Generalis factus, sanctam adeò gessit vitam, ut, cùm ordines visitandi essent, illud faceret nudis pedibus. Anno

Fratris Joannis Junioris in Scala cœli verba ad Juristas sunt hæc: Venite advocati mei, qvi viliores estis qvàm meretrices, vendentes viliorem partem, vos autem meliorem. Item viliores usurariis, qvi lucrantur in temporalibus: vos autem sapientiam & intelligentiam vendidistis, viliores estis omni creatura, emti Christi sanguine, cùm res venerabiles exhibueritis ad omnem injustitiam. p. 1037.

Item ad Idem. Qvidam habuit filium, & venit cum eo ad qvendam sapientem, & dixit ei: domine, pauper sum, & vellem ditari: & qvia Advocati summè ditantur, si consulitis, vellem, filium meum fieri advocatum. Cui sanctus senex respondit: Qvicunqve fit advocatus, statim ponit sibi ad collum unam scalam duodecim graduum, qva mediante, descendit ad damnationem æternam. Cujus latera sunt honor & avaritia.

Et primus gradus hujus scalæ est: non subvenire miseris, qvia qvi non subvenit, tollit. Secundus gradus est, injustam causam suscipere, & defendere desperatam. Tertius gradus est, sustinere causam, qvam in processu cognoscit injustam. Qvartus est, in ducere ad compromissum, qvoniam sciunt injustam causam. Qvintus est, per ignorantiam vel negligentiam perdere causam justam, vel detestandam. Sextus est, immoderatum lucrum accipere. Septimus est obtinere injustas dilationes. Octavus est, odium contra aliam partem. Nonus est, falsa allegatio testium, instrumentorum, vel legum. Decimus est, venditio scientiæ. Undecimus est, inanis gloria. Duodecimus est, infidelitas: & ideò, cùm isti talibus malis sint onerati, consulo tibi, qvòd damnationem æternam non præponas salvationi animæ filii tui.

Secundò Jurista est Ecclesiæ destructor: legitur enim, qvòd qvidam advocatus mortuus portabatur ad Ecclesiam. Cùm autem esset juxta portam Ecclesiæ, portæ clauserunt se, nec poterant ipsum introducere ad ecclesiam. Cùm autem qvidam sanctus rogaret Deum, ut revelaret causam hujus, apparuit ei beatus Petrus, & dixit: Isti sunt destructores Ecclesiæ, & plus nocent Ecclesiæ, qvam raptores omnes unius terræ: qvia auferunt prælationem à justo & bono, & dant alteri indigno. Plus nocent Ecclesiæ, qvàm Dæmones: qvia omnes illi non possunt facere, qvòd regimen ecclesiæ subderetur servo

Anno Diaboli, & per consequens Diabolo, sed hoc facit malus advocatus: fideles expellit, & introducit Dæmones; machinam erigit ad destructionem Ecclesiæ, & tanqvam sagittarii dæmonis, cum arcu falsitatis veritati nocet; pejor est, vel æqvè malus, sicut hæreticus. Nam ille corrumpit fidem; iste opera fidei; ille peccat ignoranter, credens, se benè credere; iste scienter. Qvare non est dignum, ut tales beneficia Ecclesiæ recipiant.

Tertium est, linguæ præcisio: Unde narravit mihi ante paucos menses aliqvis sacerdos de Saxonia, dicens: Nuper in terra nostra qvidam Decretista, & nominatus advocatus mortuus est, qvi cùm hiaret, lingua in ore ejus defuncti non est inventa. Et meritò linguam perdidit moriens, qvi illam sæpè vendiderat vivens; licet in illo divino examine, ubi aperti erunt libri, nullus advocatorum neqve pro se, neqve pro aliis assignare poterit aliqva falsa loca ex legibus sive decretis: justo tamen Dei judicio, ad tribunal Christi iturus, linguam, qva multos vel injustè accusârat, vel temerè defenserat, amisit.

Qvartum est, misericordiæ Dei deprivatio: unde Jacobus de Vitriaco dicit: qvòd qvidam advocatus in morte existens, petebat à Deo inducias pœnitendi: tunc vox audita est: Advocatus summè similis est dæmoni: qvia sicut ille vult litigium, & odit pacem: sic tu in causis inducias non dedisti, nisi ut adversarium gravitate temporis fatigares: qvare vade ad tuum similem, qvia non es dignus misericordia: & tunc mortuus est, & à dæmonibus deportatus.

Qvintum est, proximi deceptio. Duo homines tradiderunt cuidam mulieri depositum, cum ista conditione; qvòd nulli redderet, nisi ambo essent simul, processu temporis alter accessit ad eam, qvam verbis decipiens, recipiebat depositum. Cùm autem secundus venisset post multos dies, reqvisivit pecuniam traditam; qvæ stupefacta, ad unum Advocatum accessit: tunc ille dedit talem responsionem: in pactis est, qvòd simul ambo adesse debeatis, qvando reddetur depositum; & ideò adhuc socium tuum, & restituetur tibi: qvi non potuit adducere socium, qvia jam depositum habuerat.

Sextum est, peccatorum cumulatio: qvidam advocatus solennissimus intravit ordinem Cistertiensem, & factus procurator monasterii, omnes causas perdebat. Cùm autem interrogâssent eum monachi, qvæ esset ratio, qvare omnes causas perderet, ex qvo esset in monasterio, cùm nullam perdidisset causam existens in seculo? Respondit, qvando jam eram in seculo, utebar mendaciis & fallaciis, & ideò lucrabar mundi partem: qvia verò dimisi mundum, & adhæsi veritati, non est mirum, si perdo ea, qvæ sunt falsitatis.

Anno

Septimum est, in morte infatuatio: legitur, qvòd qvidam advocatus jacens in lecto ægritudinis, dum Eucharistia præsentaretur sibi, dixit: Volo, ut judicetur, an debeam recipere, an non? Cùm autem Sacerdos moneret eum ad pœnitentiam, dixit: Appello, tunc diabolus accedens suffocavit eum.

Item ad idem: Advocatus qvidam tantæ superbiæ erat, qvòd vix loqvebatur cum hominibus, & hoc propter subtilitatem suam: qvi divino judicio ad tantam devênit miseriam, qvòd infirmatus venientibus ad videndum eum dicebat, se esse cattum, ponendo se subtus scamnum & bancas.

Item ad idem: Qvidam advocatus tempore charistiæ, ne audiret voces pauperum, accessit ad qvandam hæreditatem suam, juxta aqvam, ubi tamen nec dum defuit populus clamans fame oppressus: qvorum voces cum audiret, respondit: Non durabo cum illis canibus: & fecit poni mensam in alia camera: & statim qvidam armatus in porta pulsavit, & dixit: Nuncius Dei sum, & volo loqvi cum domino vestro; & statim servus de mandato domini asserebat, eum ibi non esse: at ille ait, mentiris; in illa camera se abstulit, ne audiret voces pauperum: & nunc cito eum, ut compareat coram Deo, reddere rationem de commissis: & statim infirmabatur, & exhortabatur ab amicis, ut confiteatur: renuit, & finaliter ad æternam damnationem pervenit. p. 108.

Item ad idem: Rusticus qvidam advocatum rogavit, ut doceret eum, qvid esset melius verbum juris? & ille daret sibi par anserum: tunc advocatus: domine, non est verum. Cùm autem peteret ab eo, qvod promisisset, respondit rusticus: domine, non est verum.

Franciscus de Rosieres in libro Stem. Lotharing. Non contemnimus, inqvit, Jurisprudentiæ religionem, sine qva civilis nexus, communisqve societas subsistere neqveunt; sed rabularum forensium ineptitudinem, eloqventiam fastuosam; sordidum qvæstum, & ut plurimùm barbarismum, qvo tumidiores cæteris vel negotium facessere, vel legem conantur imponere. Præda victitant, ut accipitres. Si consulantur, vel adeuntes suspiciunt, adulantur, in aures insusurrant; falsa, vera negligunt, tum plerumqve superbia, qvæ est ignorantiæ magistra, efficiuntur.

Doctor Felix Malleolus in libro de gradu Doctoratus in stultitia, varia qvoqve de abusibus I. C. scribit, & concludit pòst verbis hisce: qvoniam ego unus ex illis sum, prout novit bubulcus bubulcum, igitur

Anno tur cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Vide idem suprà in parte 1. fol. 834. hujus Operis.

Baldus colum. lib. 1. Sine causidicis satis felices olim fuêre, futuræqve sunt & essent urbes: sit enim per eos, ut legibus fundata civitas, legibus evertatur. Plin. Paneg.

Idem colum. Et cur dissimulem? Europæ pestis est caninum hoc studium, qvod haud temerè qvispiam concessum latrocinium dixit.

Modicæ conscientiæ Jureconsultos esse, affirmat idem Baldus, ipse inter omnes summus Jureconsultus, l. ab Anastasio, c. mandati. Advocatus dicitur parum conscientiari: & præsumitur, qvòd omnia mala cogitet. Auth. de exhib. reis. §. sancimus.

Sunt enim docti plerumqve mali, ut refert Cebes Thebanus, Joannes Camers, Lactantius, Cicero: & in eandem sententiam Bias; οἱ πλεῖςοι κακοὶ. Artibus etenim si qvi malè utantur, latam fenestram ad neqvitiam aperiunt. Plautus. Et doctrina bonos effectus habet, si in bonam naturam cadit; si in malam, malos. Cominæus. *Sincerum enim est nisi vas, qvodcunqve infundis, acescit.* Ajunt, causam horum ex philosophorum doctrina esse hanc: qvòd ab extremo ad extremum sine apto medio nemo pervenire possit.

Franciscus Petracha apud Sqvarzaficum, cùm eum Cynus I. C. ad juris studium adhortaretur, respondit: Studium, ad qvod me hortaris, servile officium reputo, & mancipium omnibus se præstare, qvi illo utitur. Et si paterna non foret reverentia, si post me curreret, qvia libertate uti cupio, non acceptarem. Qvis est qvi non dicat, hæc jura venalia esse? & ad benè recteqve vivendum longè aliis studiis esse inferiora. Qvid ad faciendum virum bonum ista conveniunt? Sed qvis non videt, ad virtutem conseqvendam nihil pertinere? ac cupidum magis, mendacem, iracundumqve hominem reddere? Qvid mihi est de aqva arcenda disputare? qvid de stillicidio? qvid, si ancillæ partus in fructibus censeatur? qvid, si qvis legata persolvere teneatur? Cùm, etiamsi testamentum septem testibus caruerit, executioni mandetur; cùm ista à legumlatoribus luculenter explicata sint. Vos vestris commentationibus omnia pervertitis, sunt commenta super commenta, qvæ indies novi leguleï scribunt, ut jam eveniat ex hoc id, qvod ait Comicus, Ne intelligendo nihil intelligant. Sed ut dignitati tuæ, & paterno amori morem geram, perseqvar, &, tempus non inutiliter me trivisse, ostendam.

Sed qvis naturam urgentem evadat? non poterat qvidem facere, qvin eloqventiæ studia perseqveretur. Excitabatur multorum amicorum hortatione, qvi & scriptas ab eo epistolas & carmina laudarent, & in amplissima reponebatur spe, si in dicendo perseveraret, ut sui temporis omnes superaret, & se indubiè antiqvis adæqvaret. Crescebat indies ejus laus & fama, & ut aliqvid dignum laude promeret, à multis incitabatur; sicuti ille, qvi jam Ciceronis fundamenta & disciplinam intelligebat. Anno

Patri autem, qvæ de filio ferebantur, non placebant, qvanqvam laudaretur; sed excandescens ira, Bononiam pergit, & filio diris verbis increpato, qvid Cicero? qvid Virgilius? qvid scriptores historiarum, & poëtæ deniqve omnes sibi facere possent, dicebat, cum ad asseqvendas opes non valerent, sed ut fabellæ & somnia essent: Juri autem civili studeret, qvòd amplissimum inde honorem & fructum haberet; hortabatur, & commonebat.

Postea ignem accendi jussit, ut, qvotqvot filius haberet libros Ciceronis & poëtarum, omnes combureret, & cùm jam aliqvos ita igni mandasset, & Rhetoricam Ciceronis & Virgilij opus manu teneret, ut in flammas mitteret, non ampliùs ferre potuit egregius juvenis, innocuos talem injuriam pati, genibus flexis, lachrymisqve precibus admixtis, ut tantum nefas ne faceret, & à tanta indigna re abstineret, & si qvid esset peccatum à se, non ab illis claris viris pœnas exigeret, exorat, obtestatur, adjurat, patrem amplectitur, osculatur, pollicendo non ampliùs illos legere, sed studium sibi impositum seqvi.

Ex iis patris iram placuit, atqve deinde, qvoad vixit pater, juri civili diligentiùs operam dedit. Solebat ipse admodum senex hanc historiam incundissimè narrare. p. 1039.

Cùm secundum & vigesimum haberet annum, matrem amisit, de qva tanto dolore consternabatur, ut per aliqvot menses steterit, qvòd consolari non poterat. Non defunctæ matris transacto anno, patrem diem clausisse extremum, audivit. Indoluit satis; sed cùm sciret, semel moriendum esse omnibus, & resolvendum eò, undè manavimus; & imbecillem homines statum longâ meditatione cogitasset, eo mœrore se æqviore animo sustulit. Cùm sui juris factus esset, studia legum, qvæ oderat, posuit; & qvos amabat, poëtas & oratores in manus resumsit.

Corn. Agrippa. Huc spectant etiam vastissimi illi gigantes, qvi nobis, contra Justiniani edictum, tot glossarum, commentariorum, expositionum, ingentia innumeraqve volumina, unoqvoqve illorum aliter & aliter interpretante, genuerunt. Præterea tot opinionum procellas, tot vaferrimorum consiliorum ac cautelarum sylvas infelicissima fœcunditate parturierunt,

Anno runt, qvibus Advocatorum instruuntur nutriunturqve neqvitiæ, qvi tam celebri illorum Jurisperitorum prr singulas periodos & (ut vocant) paragraphos nomenclatura pudorem suum obstringunt, ac si non potiùs rationibus constet veritas, qvàm confusis testimoniis, ex tam nugantium opinatorum colluvie adductis, penes qvos tanta laus est contentioni atqve discordiæ, ut qvi non dissenserit ab aliis, qvi nescierit novis opinionibus aliorum dictis contradicere, ac judicata omnia in dubium revocare, & bene inventas leges per ambiguas expositiones ad sua figmenta adaptare: is parum, vel nihil doctus habeatur.

Hinc tota illa juris prudentia facta est consilium perversum, & subdolum rete iniqvitatis: hæc sunt ingenia, hæ artes, qvibus hodie regitur orbis Christianus, qvibus constituuntur imperia, & regna, & principatus populorum, atqve ex his nebulonibus deliguntur Principum Pontificumqve officiales, atqve Parlamentarii, isti senatores & præsides, ac si qvi iniqvi hactenus fuerint advocati, æqviores futuri sint judices, atqve tandem capita regnorum sunt. Hi etiam regibus suis, ut soni qvondam Titanes, formidabiles.

Porrò ex his prodeunt tandem Cæsarum regumqve ventricosi isti archiscribæ, ac circumpurpurati cancellarii, qvibus rerum summa commissa est, qvi Principum placita, dona, beneficia, officia, dignitates, rescripta, diplomata: præterea jus, fas, leges, æqvum & honestum, omnia venalia habent, & abs se mercari compellunt. Ex qvorum arbitrio regum numerantur amici & inimici, qvos pro libidine sua nunc fœderibus jungunt, nunc rursus funestis bellis committunt.

Atqve cùm ipsi ex infima plebis fece sordidissima vocis prostitutione ad tantum dignitatis culmen conscenderint, ad tantum simul audaciæ scelus evehuntur, ut audeant nonnunqvam proscribere Principes, & vel absqve senatus consulto, ac vel indicta causa, damnare capitis, & mutare regnorum status, ipsi interim tumentes furtis & latrociniis suis.

Joannes Bodinus recitat, qvòd Ferdinandus rex Hispanorum, cùm Proregem in Indiam Orientalem mitteret, in mandatis ei dederit, ne I. C. aut causidicos eò deduceret, ne litium semina, qvæ in regionibus illis nulla erant, importarentur.

Idem. Matthias Corvinus Rex Ungariæ I. C. & causidicos ex Italia magna mercede accersivit; sed litibus crescentibus, populo rogante, iterum ejecti fuerunt.

Polycratus. Improbitas Causidicorum eò devênit, ut testimonium conscientiæ, & sinceritas causæ apud eos planè deficiat, precium interveniens omnia intervertat. Anno

Rodericus Episcopus Zamorensis, in speculo humanæ vitæ de I. C. & consiliariis loqvens ait: Ad consulendi munus non nisi sacramento admittuntur Consiliarii, sed toties dejerare videntur, qvoties Senatum ingrediuntur.

M. Cato, Cicero, & Zamorensis. Sic consulendum est Reipublicæ, non ut placeas, sed ut prosis, utilisqve sis. Sed qvomodo utilis sis, tristis eventus ostendit: qvo illa indies fit pauperior, tu ditior. Non tam consulis qvàm consumis, non tam regis qvàm premis, non tam protegis qvam lædis. Civibus imponis gravissimas collectas, non reipublicæ, sed tibi imbursandas: consulis non Reipublicæ, sed tibi: gaudent Consiliarii hoc nomine, à cujus re & effectu plurimùm sunt alieni. Pauperum domos evertunt, ut suas construant; miserorum capellas, agros, atq; prædia subhastant, ut ipsi viliùs emant; & qvæ seqvuntur.

Idem Zamoren. Difficilis conditio I. C. Neminem enim juvare potest, qvin alterum lædat: commodius est neutrum juvare, qvàm alterum gravare. Ubi desinunt Advocati, ibi qvoqve litigia desunt: ubi verò Advocatorum turba strepit, ibi litium anfractibus tota civitas ardet; nec domus aliqva à litigio vacat: tolle cupidos litigandi ministros, simul tolles & lites. De pace non cogitat, qvi cum bello lucratur. Advocatus diffidendo, litigando ditescit: qvi mendicaret, si qvietissimè omnes viverent. Qvomodo opes litigando qværere possumus licitè, qvi nostra proximis offerre jubemur? Charitatis ordo per Advocatos perit.

Minùs pernitiosum foret, aliqvos injustè opprimi ob advocationis defectum, qvàm plurimos: imò ipsam Rempublicam, ejusqve qvietem tot tantisqve [ut cernimus] litium perturbationibus concuti atqve subverti, qvæ veluti qvædam incendia cunctas Respublicas adurunt, atqve confundunt. Non tantùm justiciam, sed & ipsam injusticiam vendunt: veritatem vilificat & inhonorat, qvi eam precio exponit & vendit. Seculo aureo laudabilis erat ars, laudabile exercitium, nunc verò, qvia ad precium exponitur, meritò in sordibus computatur. Servus est justiciæ, qvæ virtutum Regina est atqve domina: qvi ergo dominam suam vendit, ut proditor judicandus est. p. 1049.

O qvot litigia & mortales contentiones suscitant, qvæ sopiri per Christianum decebant. O qvot superfluas dilationes; qvot acta in utilia adducunt & scribunt, ut crescat

ſcat regiſtrum, proceſſusq; in pretio augeatur: & qvæ ſeqvuntur.

B. Auguſtinus. Callidi argumentatores, & Juriſperiti fallaces, dum cupiunt ditari; vix prævaricationis periculum fugiunt; controverſias actionesqve cauſarum contra ipſa jura vertunt: & ut adverſarios coërceant, juſſionibus legum; ad illudendos judices, exqviſitis exemplis, multiplices intellectus, & cavilloſas à legibus eliciunt conjecturas. Qvid igitur in eis laudem, non facilè invenio; vendunt enim lingvam ſuam, qvæ Spiritus ſancti donum eſt.

Idem inqvit, Forma in eis eſt litigioſa: hoc ipſo laudabilior, qvò fraudulentior. Fateor enim utilis eſt juris ſcientia: ſi ejus Profeſſores intra ejus limites agerent, & legum terminos non transgrederentur. Sed illis abutuntur, & falſo legum intellectu, & novis interpretationibus, ſacris legibus illudunt. Qvod ſi ſecus agerent, pauperes admodum & inopes; fateor tamen, felices viverent.

S. Bernhardus. Rurſus, niſi fallor, fallitur qvisqvis, qvi litigandi officium aſſumit, & longè magis fallitur, qvi artes litigandi & contendendi eligit; in qvibus propter nocendi facilitatem, qvantò qvis doctior, tantò neqvitior evadit; ut de aleatoribus Polycratus ait.

Jethro Socer Moyſis, Exod. 18. cùm Moyſes gener ſolus regeret populum Iſraël: dixit illi: ſolus hoc non poteris ſuſtinere, ſed adjunge tibi viros timentes DEUM, in qvibus ſit veritas, & qvi oderunt avaritiam. Rara avis. Talibus virtutibus utinam omnes, qvi Reipublicæ præſunt, eſſent ornati, inqvit Andr. Oſiander ſuper Biblia: ubi poterat addere, & Eccleſiæ.

Fridericus Imperator factus, per Antonium de veteri prato Bononienſem J. C. librum de uſibus feudorum renovari, fecit, etſi Juriſperitos non nimiùm dilexit, qvòd, juris æqvitatem ab eis inverti, juſticiamqve fœdari, diceret.

Memoratu dignum eſt de Trajano Imperatore, qvòd, correptus ab uxore Plotina, calumniis & malitia ſuorum Procuratorum provincias divexari, deteſtari eos cœpit, & improbos vocare fiſcilienes: uſurpans verbum hoc memorabile, qvod in præcordiis omnium Principum utinam eſſet reconditum. Nam qvadam egregia ſimilitudine fiſcum vocabat lienem. Sicut enim creſcente in corporibus noſtris liene, artus reliqvi tabeſcunt: ita turgente Principis fiſco, reliqva civitatis membra macreſcunt & ægrotant. Ita uxor hæc bonæ frugis, maritum ſuis præceptis juvit, ac corripuit, ne ſuæ laudis foret incurioſus: & ad honeſtiorem reduxit ordinem. Cuſpinianus.

Veſpaſianus Imper. item locupletiores Procuratores condemnavit, & pro ſpongiis, ut dicere ſolebat de eis, uſus eſt. Idem Cuſpinianus.

Vincentius in ſpeciem viſionem Caroli Imperatoris narrat, qvi raptus ad inferos, vidit ibi & ſuos, & patris ſui conſiliarios, dicentes illi: Heu nobis Carole! Vides enim, qvàm gravia habeamus tormenta, propter noſtram malitiam & ſuperbiam, malaqve conſilia, qvæ Regibus noſtris & tibi dedimus, propter cupiditatem. Integram hiſtoriam habes apud Vincentium.

Johannes VVolfius Iur. Conſ. autor Operis hujus, de Jurisprudentiæ uſu & abuſu, ad Amicum.

Juriſprudentiam rebus humanis neceſſariam, & magna apud veteres ſemper veneratione excultam eſſe, cùm omnium penè teſtimonio conſtat, tum cumprimis perſpicuum eſt ex Cicerone cùm ait: legibus duodecim tabularum, ex qvibus reliqvæ omnes fluxerunt, omnium Philoſophorum Bibliothecas ſuperari: viros Juris-Conſultos dignos eſſe, qvi laudibus in cœlum efferantur, qvorum domus oraculum ſit civitatis: eſſe deniqve Jurisprudentiam ſenectutis ornamentum atqve perfugium. Eſt enim hæc divinarum atqve humanarum rerum notitia, juſti atqve injuſti ſcientia: hoc eſt, ipſa ἐγκυκλοπαιδεία, cujus complexu omnes ferè artes continentur.

Eam cùm Ulpianus multò conciſiùs nominat boni artem & æqvi, Salomonius in eam ſententiam accipit, ut Jurisprudentiam ex actione exiſtimari velit, id eſt, ex officio boni æqviqve viri. Neqve enim in Juriſconſulto ſatis eſt, nihil ignorare, qvod legibus ſcriptum, moribus receptum, prudentumve authoritate confirmatum eſt: qvod homini mediocri ingenio aſſidua lectio afferre poteſt: neqve rabula in Jure-Conſulto reqviritur, ſed vir ejusmodi, qvi, ut Cicero inqvit, divinitus ſit ad nos delatus, per nos non partus, juſtaqve cognoſcat, & faciat. Qvod ipſum Ariſtoteles affirmare videtur, dum in Ethicis ait, non cognoſcere juſta & injuſta, ſed facere illa, hæc fugere, ſapientis eſſe: cùm res, de qvibus leges loqvuntur, non ita ſit magni negocii, intelligentia atqve animo complecti, ſed facere longè maximi. Proinde ab Ulpiano, ſanctiſſimo encomio ornantur, ut Sacerdotes juſtitiæ nominet, id eſt, æqvitatis, juſtitiæ, veritatis, & omnis boni, recti, honeſti laudatiqve cultores: cùm juſtitiam colere debeant, & boni atqve æqvi non tantùm notitiam profiteri, ſed etiam cultum reipſa teſtari: ut æqvum ab iniqvo ſeparent, licitum abjungant ab illicito: & in omnibus veram Philoſophiam, non ſimulatam affectent, atqve imitatione exprimant. p. 1041

Hæc juris ſanctimonia olim veteribus JURECONSULTIS ſemper fuit curæ, Coruncano, Sex. Papirio, Appio Claudio, Sem-

Anno Sempronio, Scipioni, Nasicæ (cui publicam domum in sacra via tribuerunt, qvò faciliùs consuli posset) Q. Fabio, Sex. Ælio, P. Attilio, Catoni, Bruto, Mutio, Crasso, Sulpitio, Gallo, Aqvilio, Cajo Labeoni, Trebatio, Ulpiano, Modestino, Paulo, Papiniano, Proculo, Celso, Pomponio, Marcello, & aliis pluribus, qvi non solùm ex peritia juris, sed multò magis summa justitia, æqvitate, vitæ honestate, ac Reipublicæ administratione, vivi ad amplissimos summi splendoris, maximæqve dignitatis gradus ascenderunt: & mortui ad immortalem perpetuamqve totius posteritatis memoriam fuerunt consecrati.

At ab horum hominum innocentia (DEUS bone) qvantum hodie pleriqve absunt, non solùm plebeji, sed etiam majorum gentium Juris-Consulti: ut videri penè posset antiqva Jurisprudentia, à nostri seculi luce & consvetudine longissimè peregrinari, nisi in paucorum honestissimis animis retineretur. Qvotus qvisqve enim est hodie, qvi omnes suas rationes ad justum & æqvum dirigat, eoqve animum solum tanqvam ad scopum intendat? neqve aut pecunia, aut alio qvæstu, à recta conscientia transversum ungvem discedat?

Sed contrà qvot in aulis Principum sunt, qvi sub Juris-Consultorum nomine (probos semper excipio) non tantùm jus pervertunt, & in omnibus ad sensum & voluptatem, atqve adeò ad nutum dominorum turpissimè assentantur: sed etiam non dubitant, omnia in reliqvo vitæ cursu veteratoriè, simulatè, interdumqve fatui aut bardi personam suscipere, & qvasi hesterni convivii nondum exhalassent crapulam, omnia joculatoriè & scurriliter ludere, ut Principum gratiam captent! qvi sese in Principum mensas & servitutes dediderunt, non ut jus interpretentur, aut servandi juris sint Principibus authores, sed ut res injustas verborum pigmentis & turpibus involucris convestiant, & commentitiis præstigiis inobscurent veritatem; neq; ad justitiam & æqvitatem, verùm ad lites, dolos, fraudes, & juris cavillationes Principibus aditum patefaciant, aperiantqve viam.

Deinde extra aulas, qvanta est eorum ubertas, qvi lingvas qvasi flabella controversiarum vendunt, & ne fame emoriantur, ipsi lites serunt, & pecuniam magis qvàm jus respiciunt: item qvi planè (ut apud Græcos olim causidici declamatores) non pro æqvitate, sed commodo atqve lucro, juris tractationem exercent, & ad illiberalem turpemqve qvæstum affixi, jus in injuriam, æqvitatem in prædam commutant: & veterum justas probatasq; sententias petulanter convellunt.

Scitum est illud Catonis, qvi mirari se ajebat, qvòd non rideret aruspex, qvoties aruspicem videret: existimans, id genus divinationes nihil aliud, qvàm meram esse imposturam & vanitatem: qvod idem hodie in qvosdam Juris titulum circumferentes non absurdè, teste Jur. Conf. Fr. Duareno, dici posset: qvi singulari artificio, planissimas atqve explicatas causas mirabilibus tenebris & dubitationibus involvunt, & unius simplicis atqve expediti negotii tractationem, conqvisitis verborum & rerum fucis, supra hominum memoriam, in longissima multorum annorum intervalla producunt. Ex qvo qvidem ipsi plurimum colligunt lucri: verùm miseri clientes fortunis opibusqve omnibus dispoliantur: qvas illi in convivia & comessationes, in qvibus symphonia canit, & maximis poculis ministratur, vestes, & vitæ hujus splendorem atqve luxuriam impendunt: dum aliàs, ut est in veteri proverbio, *Curios simulant, & bacchanalia vivunt.*

Qvod tanto nobis majorem doloris sensum afferre debet: qvòd videntes, istorum hominum improbitatem & culpam reliqvis etiam honestis viris nonnunqvàm imputari, totiusqve artis authoritatem dedecorari, & proscindi maximis verborum contumeliis omnes artis cultores: & planè in hoc idem usu venire qvod Poëta qveritur:

Ἐν δ᾽ ἴσῃ τιμῇ ἐς ἡμῶν Ἐσθλὸς ἠδὲ καὶ Κακός.

Sic enim vulgus solet, ut omnes unius rei atqve artis sectatores ex paucorum sceleribus existimet, neqve aut pravos ab improbis discriminet, aut artem à magistrorum vitiis abjungant.

Cæterùm etsi res ita habet, tamen nos ab officii nostri cursu aliorum improbitas dimovere non debet, qvin amplissimos honores, tributos arti nostræ, honestissimo totius vetustatis Judicio, summaqve diligentia conservemus: neq; peritiæ tantùm, sed actæ & honestè & laudabiliter vitæ exempla de veteribus Juris-Consultis imitatione in nos transferamus, &c.

Ex Iohanne Matthæo Theologo de Jure-Consultis.

QVod restat, vos Jurisperitos & politicos viros alloqvor, qvi res Theologicas præter vocationem vestram, ad vestras consultationes trahitis, & Theologis servis CHRISTI, ac si servi vestri essent, præscribere non verecundamini, qvid concionibus publicis & scriptis reprehendere, & qvid approbare debeant: qvi talia consilia agitatis, & Principibus viris inculcatis, per qvæ Calvinismo omnes valvæ, & fenestræ aperiuntur: si modò vobis consultoribus obedirent: vos, inqvam, alloqvor & fideliter hortor, ut exempla illorum, qvi ante vos fuerunt, & similia conati sunt, considerare velitis. p.1042.

Notum enim vobis est, qvomodo DEUS Jurisperitos qvosdam & politicos, rebus Theologicis se ingerentes & immiscentes, tanqvam ἀλλοτριοεπισκόπους, alienarum rerum inspectores, 1. Petri 4. horribilibus pœnis affecerit. DEUS, qvi ordinis, non confusionis DEUS est, non vult, politica à Theologis tractari, nec Theologica à Jurisperitis. Nota sunt exempla recentia illorum Theologorum, qvi seipsos rebus politicis intruserunt: vel passi sunt, res politicas sibi imponi, qvàm tragicè perierint. Nota sunt exempla recentia Jurisperitorum sapientissimorum, qvi pessum iverunt, ob res Theologicas, qvibus sese implicuerant.

Annè existimatis, vos prudentiores esse antecessoribus vestris, qvorum prudentiam DEUS tam horribiliter confudit & evertit? Consulti à dominis vestris de rebus Theologicis, remittite eos ad Theologos, qvorum officium divinitus ipsis traditum est, ut de rebus Theologicis respondeant. Vobis hoc munus non est datum, ut ipsi scitis. Si hortationi huic obtemperaveritis, benè vobis erit, & res vestræ prosperabuntur: sin verò eam spreveritis (ad qvod fortassis fastus vester vos instigabit) ante fores pœna vestra jam præstò est, & vos in medio consiliorum vestrorum curriculo opprimet ac perdet.

Conveniebant Rex & Archiepiscopus, & stipatus erat uterqve magno grege J. Consf. qvos ex diversis locis summo studio concitaverant, ut canones sibi non pro veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretantur, & causam ejus, qvoniam veris non poterant, sophisticis allegationibus corroborarent. Lambertus Schafnaburgensis, Monachus Herfeldensis. vide p. 1. fol. 307.

Ribbi Gamaliel (ut est in veteri Hebraico libro, cui titulus est, capitula patrum) F. Ribbi Jehudah Principis, dicit: Qvicunqve occupati sunt negotiis Reipublicæ, debent hoc ipsum facere propter DEUM: sed præceptum hoc vetus Hebræorum nunc ferè exolevisse, videmus.

Alexander ab Alexandro Jur. Consultus Neapolitanus excellens, ob Jure-Consultorum qvorundam excessus, avaritiam & ambitionem, relictis legum & causarum studiis, ad historias & alia se convertit: ut apud eum in libro genialium dierum lib. 6. cap. 7.

Hieronymus Porcarius etiam, qvaliter & qvibus modis ab iniqvis judicibus & Jureconsultis litigantes iniqvissimè frustrentur & deludantur, refert apud Alexandrum ab Alexandro lib. 5. cap. 14.

1597. *Guilhelmi Reginaldi Calvino-Turcismus.*

Hic edidit librum sub hoc titulo: in qvo inter alia varia, Turcicus Imper. inqvit, in cujus aula Constantinopoli Neuserus Calvinista vixerat, audita sententia Calvinistarum & adversariorum, pronunciavit, sibi opinionem Cinglianorum magis approbari. Nec in uno solo articulo, sed in aliis plerisqve omnibus. Anno

Et postea ait: Legatus Turcicus ad Poloniæ Regem missus, illic Calvinistarum causam agens, disertè fatebatur, suum Imperatorem valdè probare doctrinam Calvinistarum, veluti cum Religione Turcarum prorsus congruentem: paucis articulis exceptis. De hoc Neusero habes suprà plura.

David Herlicius Mathematicus. 1597.

Numerus eqvidem nihil potest: est enim res abstracta, immateriata, & mathematicum qvid: nec esse potest causa, vel principium interitus vel ortus ullius rei naturæ. Adde: qvòd Politiæ & Imperia mundi constitui solent secundum hominum judicia varia & mutabilia: nihil adjuvante ulla numerorum vi, seu ἐνεργείᾳ: etiamsi esset numerus numeratus, seu numerosa conversio cœli: qvod tamen nulla vi cogere animum & voluntatem humanam potest: qvia non est medium inter cœlum & mentem: stellam, & voluntatem agendi, ac patiendi hac ex causa: cœlum enim est corpus, anima verò & voluntas spiritus.

Accedit & illud, impium esse, certas Imperiorum periodos ad fatum ac numeros alligare, &c. Item, qvòd secundum providentiam DEI, qvi naturæ mediis utitur pro arbitrio, scientia illa, & consideratio illorum mediorum nobis hominibus cæcis non est concessa. Vide Peucerum de Divinatione: Garcæum de Tempore: Casam in Politica Aristotelis: Bodinum in methodo historica: Chytræum super 11. & 13. cap. Apocal. Johannis: & Aristotelem in Politicis, & Methaphysicis. Imp. Rud. 2. Papa Clem. 8.

Idem. Referunt monumenta historicorum: Turcas in arcanis suis habere libros, in qvibus hæc inter alia legantur: Qvòd cùm Mahometes, illorum patriarcha, decursa vita graviter ægrotaret, nuncqve animam ageret: Mysterium autem qvoddam adhuc in animo repositum teneret, idqve suis revelare magni interesse putaret: sibi verò alio modo complicatam animi notionem evolvere non licet, nisi gestu qvodam persentisceret: qvòd (inqvam) ille vates, ad Imperii à se inchoati durationem significandam, utraqve manu extensa, decem porrexerit digitos: atqve ita nihil ulteriùs agendo decesserit. Idcirco Proceres adstantes expalluisse, regno suo metuentes, ut qvi dubitarent, utrùm id ex sententia Prophetæ, saltem 10. diebus annis mensibus, an annis sit in flore futurum: & proinde magos adhibuisse interpretes, qvi convoca- p. 1049.

Anno vocatis in consilium cogitationibus suis, præter omnem spem decies 100. annos, seu mille duraturæ Tyrannidis elicuerint. F. Anno 631.

At verò jamjam illorum imminere annorum fata, si prodigiis habenda sit fides, vel ex eo conjicere licet. Cùm anno Domini 1572. 5. Martii qvodam terræmotu marmor excuteretur: effigies in eo Turcarum Cæsaris est conspecta, juxtaqve hebraica scriptio, in hunc sensum: qvòd nempè tempus affluxerit, qvo sub uno Pastore una per Baptismum Ecclesia sit congreganda, unumqve ovile constituendum: ac proinde mandari tibi, (Turce) ut baptizère. Hanc enim esse æternam voluntatem. Ex qvo apparet, brevi eradicatum iri Mahometem.

Turcæ porrò Arabicos habent, à motu Lunæ computatos, aqve Juliano nostro discrepantes annos: ut qvi singuli diebus 11. & horis aliqvot, illis arabicis sint ampliores. Ideò mille Arabici 970. Julianos, appositis præterea diebus 74. efficiunt annos: hacqve ratione à nativitate Mahometis, ab anno nimirum salutis 597. arabicè computati 1000. anni decurrunt usqve ad annum Domini 1592. diemqve Septembris 6. secundum Julianum verò Calendarium descripti, finiuntur anno labente 1597.

Alia apud hunc etiam prophetia extat: qvando regnabit R. veniet Turcus Imperator: & qvando denuò regnabit R. Romanum qvassabitur Imperium.

Idem. Licet etiam astrologica qvadam conjectura de ruina Turcis imminente præsagire. Poterit illa desumi ex doctrina Trigonorum, & conjunctionum magnarum Saturni & Jovis in Ariete, qvæ qvidem in qvavis triplicate bis, anteqvàm ipsam mutent, accidere solent: qvas, observatum est, hinc ab exordio Mundi, variis rerum, Imperiorumqve vicissitudinibus insignes fuisse. Earum autem conjuctionum ab orbe condito sex jam fuêre, ut nunc in septima versemur. Aut, qvemadmodum antiqvi volunt astronomi,, respicientes cœli, noviter à DEO facti, faciem, in octava, septem retrò decursis illis conjunctionibus, hæc rerum natura fluctuat.

Primus autem trigonus Igneus, seu Conjunctio magna Saturni & Jovis in ipsummodò recentem orbem incidit: estqve notabilis horrendo lapsu parentum nostrorum, promissione Seminis, & Cæde, qvam in fratre suo Cain perpetravit.

Secundus, Anno Mundi 789. qvo Prophetæ officio defunctus est Enoch, & Caini gigantes omnibus injuriis filios DEI affixerunt, accidit.

Tertia Conjunctio, seu Trigonus igneus anno Mundi 1583. recurrit, qvo tempore Noah, pœnitentiam agendam, & pietatem colendam esse, prædicavit: & destinata jam diluvii pœna, Arcam suam fabricare cœpit. Anno

Qvarta Conjunctio revoluta est anno Mundi 2377. tempore Moysis & Aaronis: cùm in Ægypto indignissimè haberentur Israëlitica matresqve masculos suos infantes in Nilum projicere adigerentur: Ægyptus autem postea decem illis sævissimis plagis à DOMINO percuteretur: Israëlitæ gloriosè ex captivitate redimerentur: Pharao cum universa militia sua in mari rubro concideret: & DEUS in deserto miraculis inauditis Legem humano generi pronunciaret.

Qvinta Conjunctio facta est anno Mundi 3171. qvo tempore Roma est exstructa, & Israëlitæ per Salmanassarem Assyrium sunt dissipati: & deinceps ipsa qvoqve sancta civitas Hierosolymorum est eversa. Judæis in Babylonem abductis, & captivitati mancipatis.

Sexta Conjunctio ascendit anno Mundi 3965. qva labente, Filius DEI natus est homo, passus, & mortuus pro peccatis universi mundi, qvi sibi Ecclesiam Evangelio suo congregavit: eo etiam tempore extremum excidium passi sunt Judæi, ex qvo ne hodierno qvidem die respirârunt: tum etiam passim in toto orbe terrarum bellis omnia conqvassata fuerunt.

Septima Conjunctio ingruit anno Mundi 4759. Christi verò 789. qvo tempore Concilium Nicænum est celebratum, & Carolus Magnus acerrimè militavit: Imperiumqve Occidentis & Orientis singulare fatum sustinuêre.

Octava porrò, & ultima nostra Conjunctio magna fiebat anno Domini 1583. qvo tempore Gregorius Papa Calendarium fecit, idqve toti mundo obtrudere conatus est. Et hìc animadvertendum est, qvid rei sit, unde fiat; casune, anne certa DEI voluntate, qvòd, cùm hic ipse annus à mundo condito, nempe 1583. numeraretur, eo inqvam, diluvio omnis caro perierit: jamqve, à Christo nato si tot etiam computemus annos, Conjunctio magna hæc incidat, qva sit metuendum, ne ruina qvædam singularis immineat?

Cæterùm hæc Conjunctio trigoni aqvei qvando mutabitur in igneum, id qvod aliâs singulis 800. annis solitum fuit accidere, fietqve nostro seculo, anno 1603. certè ultima rerum vicissitudo, mutatio, & subversio Imperiorum mundi tum incidet: & jam Natura currit ad finem suum.

Nunc, ut hac ratione Turcis etiam operam aliqvam præstemus, eisqve de rebus suis aliqvid dicamus: hanc Mathematicorum habeo regulam: Statuta, & Imperia florent sub illis triangulis, in qvibus cœperunt. Ergò haud immeritò colligendum est: qvòd, qvia Romanum Imperium in igneo, Turcicum autem in aqveo cœpit tri-

Anno trigono: iam verò in aqueo versemur: quod, inquam, extremum quidem & ultimum, sed longe maximum Turca nobis exitium sit illaturus. At, quia mox, anno 1603. trigonus igneus accelerat, Romanoque imperio plurimùm arridet, ut quòd in eo cœperit: Turcæ penitus, ut confido, eradicabuntur; & nos sperata pace fruemur.

Iosephus Scaliger.

1597. INterpretatur iste Hebraicum illud Apoc. 16. Geddon-Harma, Harma-Geddon, id est, excisio Excelsæ, sive Romæ: vide ibi, Imp. Rud. 2. Papa Clem. 8.

Idem Scaliger in lib. de emendatione temporum scribit, Reges Babyloniorum olim omnes, ad Imperium accedentes, nomen mutare solitos fuisse. Hoc ergo quia usitatum fuit veteribus Regibus Babyloniæ; cur Novis, qui hodie novam Babylonem, priore eversa, hoc est, secundum patrum scripta, Romam inhabitant, sceptraque ibi tenent, non idem sit licitum? Habuit enim, & habebit etiam, quoad initium & finem, Roma cum Babylone semper similia omnia; ut referunt Paulus Diaconus, & Otho Frisingensis alibi in hoc Opere. Sic itaque mutatio illa nominis Paparum non ad putidum illud Os porci, ut quidam putârunt, sed longè aliud multò sublimius, Regium scilicet initium referendum est. Nam

Magnos magna decent: Papas sic nomina Regum.

1597. ***Prodijt hoc tempore sequens admonitio**, Theutonicæ linguæ scripta idiomate, ad laudatam Germaniæ nationem, de occultis Iesuitarum virtutibus, in omnium piorum & bonorum, tam summi quàm infimi status, Germanicæ Nationis hominum utilitatem; præcipuè verò Omnipotentis Dei gloriam: à quodam veritatis studioso adornata: & à docto viro, Erhardo Cellio, Tubingâ nuper ad me, in Latinam ab ipso translata linguam, missa.*

I. Reg. cap. 22. Propheta Micha ad Regem Achabum inquit: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris; & ait, Dominus: Quis decipiet Achab Regem Israël, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba huiuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem Spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ait ille: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita. Nunc igitur, ecce, dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum.

Paræнesis ad inclytam Germaniæ Nationem; ut exitiosam Iesuitarum sectam, & ipsorum crudelitatem animadvertat, atque devitet: qui vanissimis mendacijs, & imposturis, ac inaudita, horrenda, insatiabilique tyrannide, & sangvinis effusione, miserorum, simpliciumque animas, corpora, & fortunas, in perpetuum simul, & temporale exitium præcipitare; dulcissimam nostram patriam in durissimam Pontificis, & veri Anticristi servitutem conijcere conantur. Anno

Totus Christianorum cœtus, omnipotenti, indivisæ, divinæ Trinitati gratias debet maximas; incorrupto, pio, & devoto corde, complicatis manibus, & flexis genibus peragendas: quòd illa ultimis his temporibus, post clementem suæ iam patefactæ voluntatis declarationem, & gratiosi fœderis, dudum per Antichristianos neglecti, & humi depressi restitutionem, suos & sacrosancti sui verbi, Ecclesiæ, huicque adhærentium membrorum hostes tanta claritate in lucem produxit; ut iam non modò doctrinam illorum falsam, & verbo Dei adversam perspici, sed etiam ex eorundem vita, actionibus, proposito, & deliberationibus colligi oporteat: eos non à Dei spiritu, sed illo, qui humani generis hostis, id tam in hoc caducum, quàm illud perpetuum adducere summoperè gaudet, ac delectatur, & in eo noctes, diesque omne studium suum impendit; agitari.

Nam Christi quidem Domini nostri (qui veritas ipsa est) verba fallere nequeunt, quando expressè dicit: ultimis temporibus Pseudoprophetas, sub vestitu ovium in Christianam Ecclesiam obrepturos esse: hos à fructibus, & actionibus dignoscendos, ac meritò tanquam detrimentosos homines fugiendos, vitandos, doctrinamque eorum sequendam non esse.

Quòd igitur omnipotens Deus mirabiliter lupos eiusmodi, hypocritas, & impostores miseræ suæ Christianæ Ecclesiæ revelet, & digitis notatos eos omnibus demonstret: manifestum est ex historijs, quæ in Gallico regno, anno 94. nuper elapso, acciderunt: ubi perniciosæ huius Iesuiticæ sectæ instinctu, quidam adolescens, illorum curæ, ac scholasticæ disciplinæ commissus, falso æternæ salutis consequendæ prætextu, persuasus est, ut Regem Galliarum iam regnantem latronis instar, crudeliter enecaret.

Quod tamen immutabili Dei providentia, ex voto illorum, & animi sententia in opus non perductum; sed eò solummodò (Deo sit laus) directum fuit; ut non tantùm illorum (Iesuitarum) immane propositum in apricum prolatum: verum etiam illa huc usque fallax, & pharisaica quadam insolentiâ tradita doctrina, apud universos cuiuscunque religionis homines in suspicionem adducta, sicque ansa oblata

Anno fuerit: ut tam Pontificiæ, quàm reformatæ religioni addicti petiverint, sollicitaverintq;, illos tanquam omnium hactenus malorum, accepti damni, cædium, incendiorum, diffidentiæ, & totius suæ patriæ devastationis authores, è laudatissimo Galliarum regno (quod iam modò tranquillitatem, pacem, & concordiam conservare studet) eiici, & exterminari.

2. Quod quia in viciniâ Germanicæ Nationis, non solùm memoriâ dignum, sed etiam nobis exemplo esse debet; hoc fine, ac consilio, ut probè exploratum habeamus, nobis non minùs, quàm regno Gallico illos damnosos latrones, inexplebilia avaritiæ mancipia, & pseudodoctores, diligenter cavendos, maturè omittendos; sicque; plurima imperscrutabilia malorũ onera, & detrimenta, divinâ ope, ab humeris nostris avertenda esse.

Ut autem simpliciori vulgo exitialis Iesuitarum secta innotescat; hæc omnia Germanicâ linguâ literis mandata sunt: ut manifestũ, & planum fiat, quibus machinationibꝰ sub initium non minùs in nostram, quàm Galliarum, & Angliæ regionem, falso quodam, & hypocritico simulatæ pietatis colore obrepserint; ac quid, & quantum damni, dissidij, ac pertubationis, exitiales, & sangvinarij illi homines, ex quo in Germanica Natione tolerati sunt, concitârint, & attulerint.

¶ Sicque initium capiamus ex prooemio illius Transactionis Anthonij Arnoldi, Iurisperiti, & Advocati supremi Senatus Parisiensis, sicut & defunctæ Reginæ, nomine Universitatis ejusdem, Procuratoris, ut Actoris contra Iesuitas reos: in quo horum (JESUITARUM) origo, & adventus; dein etiam quomodo se, ex quo in Gallia vixerant, gesserint; ac tandem quid vel emolumenti, vel damni pepererint, clarè perspicietur.

Insuper etiam quindàm in Germania factitaverint; unde ortum sumserint; quid animo intenderint; in quid elaborârint; quid inde natum; quivdè adhuc quotidie imminentis periculi ab illis expectandum sit, explicabitur.

3. Principiò quidedem, quod originem illorum attinet, cùm ex historiis tum propria eorum Confessione patet; quòd Galli urbem Pampelonam, anno redemtionis nostræ 1521. obsidione cinxerint. Qua in urbe Hispanus quidam erat Dux bellicus, nomine Ignatius Layola: qui fortiter & animosè, ut magnanimum decet Heroa, decertans, tandem utroque crure tam graviter læsus, & vulneratus fuit; ut officio suo ampliùs defungi non posset, sed militiæ valedicere cogeretur.

Hic, cùm ipsi ad vindicandum se de Gallis nulla alia superesset facultas, depravatam illam Iesuitici ordinis sectam excogitavit; hoc suo invento, ut in sequentibus fusiùs declarabitur, acriùs se vindicans, quàm si viribus integer, & ad pugnandum idoneus fuisset. Imo etiam si apertissimus hostis bellum conflasset: imò si pestis venenum, famis sævitiam, & omnia ærumnarum, plagarumq; quibus Deus peccata hominum punire solet, genera in manibus, & potestate sua habuisset; ac ijs unicuique pro libera voluntate nocere debuisset; plus tamen Gallorum Regno, quàm factum est, incommodare non potuisset.

Quibus apparet, hujus Sectæ authorem non pietatis ductu: sed vindictæ cupiditate, ac extrema desperatione adactum, huic se ordini devovisse. Nam DESPERATIO facit Monachum.

Et inter alia hoc admiratione maximè dignum est; quòd, etiamsi aliâs natura immanibus, terribilibus, & tyrannicis beluis, ut leonibus, & id genus aliis, hoc quasi peculiare, ac propriũ indiderit; ut in omni vitâ, unũ tantùm fœtũ, nec plures suscipiant: tamẽ omnipotens pernicioso huic tyrannico, & sangvinario hominum generi frena non iniecerit; sed potiùs ita laxârit; ut hæc secta, quæ sub initium non ultra sexaginta cõstabat, brevi temporis spacio, ultra decem millia adaucto numerq; postea præterlapsis triginta annis, in centena millia accreverit.

Sic immundum hoc Iesuitarum examen, quemadmodum vermiculi, ac tarmi pingues caseos, non solùm optimas nationes, & regna; sed totum fermè terrarum orbem falso, & efficto suo cognomine fœdârunt, & polluerunt.

4. Neque verò vel in Germaniam, vel in Galliam se catervatim intruserunt; sed solitarij, tenuique apparatu obrepserunt: seque apud Ecclesiastici ordinis Magnates, Romanam sedem magno suo fructu, & lucro venerantes, subdolè insinuârunt: Pharisaicamque vitam simulârunt: donec tandem animos eorum, quibus cum versabantur, explorârunt; & fucato suo prætextu, ac fallaci denotione simplices eluserunt; ut cum propter externam civilis vitæ integritatem, tum similiter singularem diligentiam in tenera ætate informanda, ac linguis, & liberalibus artibus tradendis, adhibitam, fermè prò angelis habiti fuerint.

Inde consecutum est, ut Pontifex Romanꝰ eos primarijs Germaniæ Principibus commẽdârit, eosq; promoveri seriò præceperit.

Quia verò in toto Christianorum cœtu apud commune Presbyterium crassa ignorantia, tam in collegiis, quàm monasteriis, ut etiam provinciarum parochiis, cum detestando vitæ luxu conjuncta, proh dolor, invaluerat: ac inde multi pij sese gravatos deprehenderent; his alijsq; de causis ferè in dubium vocantes; annè Sacerdotum religioni cum verbo Dei aliqua intercederet communio? tum Cacodæmon callidam hanc suam, & fraudulentam Iesuitarum

Anno rum viperam, permissu Dei (siquidem nos veritatem, hac extremâ mundi senectâ patefactam, pia devotione, & vera in misericordiam ejus fide, ad partem verè agnoscere, & acceptare nolimus) excitavit: quæ errores antea dudum ministrorum negligentiâ immissos, novis coloribus pinxit; & facunda sua (quantumvis mendaci) garrulitate miseram plebem à vera via ad falsam, & ad orcum declivem abduxit.

5. Ut autem in tota Christianorum universitate aliquam sibi conciliare possent authoritatem, propositi sui periculosi, & crudelitatis plenissimi, apud teneram, charamque juventam initia fecerunt. Nec est de nihilo, quòd eam principiò in omnibus linguis, & liberalibus artibus magnâ diligentiâ informaverunt adeò, ut etiam Scholæ & Academiæ, quæ tum temporis magnoperè decrescentes, in ipsam ferè barbariem inciderant; illis temporibus restauratæ, magnum sumserint incrementem.

Quoniam verò nostra non solùm in terest, linguas ut sciamus, & artes: sed eò potiùs spectandum, & laborandum; ut pietas, quæ omnis sapientiæ initiû est, alatur, propagetur, & conservetur: agite, accuratiùs expendamus, an hæc Iesuitarum disciplina & institutio, studiosæ juventuti utilis, ac salutaris fuerit: & an fucata illorum opera, & hypocritica pietas, Ecclesiæ Dei, & communi patriæ adiumento, & utilitati fuerit; nec nè.

Est igitur initio verùm: Iesuitas ficta quadam devotione, & singulariter simulatâ pietate, apud floridam & tenellam ætatem, specioso quodam titulo ac splendore, institutionis suæ primordia cepisse. Illa namque primò omnium magnificis Missarum pompis adesse, attendere; omnia precibus, & sanctorum defunctorum invocationibus ordiri; adhæc castam & moderatam vitam agere, certis temporum intervallis iejunia instituere, & largiter sacrificia offerre coacta fuit.

6. Deo autem omnipotenti querela hæc facta cordi sit: dulcissimam nostram patriâ, & florentissimam juventutem ab hisce verbi divini corruptoribus, & ipsorum veneno falsoq; dogmate in tantum infectam, & seductam esse: ut jam via veritatis, Jesu Christo, derelicta, fictis hominum commentis, ne quidem ullo cœlestis veritatis fûdamento, ac Domini mandato suffultis, salutem assequi satagant.

Quid enim omnipotenti magis molestû esse potest, quàm, salutari merito dilecti sui filij Jesu Christi (quem ἀντίλυτρον, & reconciliationem humani generis in mundû dedit: & acerbissimam in crucis patibulo mortem pati voluit) homines non acquiescere? sed sibiipsis aliud reconciliationis genus in sacrificio Missæ confingere; ubi loco Domini nostri Jesu Christi, maledictum, à peccatore & scelerato fœtidoq; homine adinventum, Panem aut hostiâ adortem; proq; Deo (quem tamen mures arrodunt, muscæ inquinant, venti circû agitant) venditât, colunt, circûferunt, auro, argentoq, exornant? Anno

Adhæc honorem officii mediationis, Christo soli debitum, sanctis defunctis adscribunt, & è beatis emortuis sanctis Deos alienos, & vana efficiunt numina.

Etquid aliud commonefactionibus suis, & ad vitam moderatam adhortationibus quæsiverunt, quàm aliquem errori suo stabiliendo colorem, & patrocinium? quasi homo suis viribus, & vitæ rigidioris observatione, cœlum, & æternæ vitæ beatitudinem, absque Christi merito & satisfactione, adispici valeat. Ex quibus facilè deprehenditur, ipsum fundamentum super quod turrim & totum suum ædificium extruere moliebantur; falsum & putridum, imò planè ruinosum esse.

Hoc suum lethale, & perniciosum animæ venenum dilectæ juventuti, sub dulcissimo mellis liquore ita instillârunt: ut illud, proh dolor, non perseuserit; sed ei potiùs totum insederit, & ita inveteraverit; ut sine singulari Dei gratia (cujus manus nunquam præclusa est) difficulter auxilium, consilium, & remedium malo huic inveniri queat: atque hac ratione multi cùm hoc temporali, tum illo æterno exitio, ab ejusmodi occultis impostoribus involvantur, & implicentur.

7. Cùm igitur ex divini verbi corruptione nihil aliud, quàm Idololatriæ scelus, cui reliqua omnis vitia adhærescunt, enascatur: attendite, quæso, quos seductores isti frivoli miserandi juventuti, postquàm jam in studiis suis aliquos fecit progressus, laqueos ponant, ut eam intra septa in obedientia & officio coërcere possint.

8. Quam primùm versuti & callidi ingenij hominem deprehendunt, summis eum deprædicant laudibus: amplas ei & splendidas faciunt promissiones, ad magnos honores, prælaturas, dignitates, & annuorum proventuum ubertatem adispicendâ. Hinc inscia, & mundanarum rerum avidissima juventus, eos facilè voti sui (ad suffugiendum egestatis onus) reddit compotes petitioni annuit, & sibi persuaderi patitur; ut omnia justa, quàm horrenda etiam, quàm inaudita, & planè tyrannica sint, ac nominari possint, ipso opere cum gaudio, & delectatione perficienda suscipiant: sicut hoc ipsum deinceps exemplis quibusdam fide dignis demonstrabitur.

Hæc versuta ingenia jurisjurandi fide sibi, suisque primatibus arctissimè obstringunt; quam si non facto ipso sanctissimè servent, in corporis & vitæ periculum incidunt; & vel veneno ac clandestinis cædibus è medio tolluntur, vel perpetuis carceribus includuntur.

Anno

Similiter simplicem & meticulosum nacti hominem, qui tanto non pollet judicio, ut doctrinas eorum ad divini verbi normā examinare possit, hunc ad vilem & miseram paganæ parochiæ functionem ablegant; ubi vix vel panem habet, quo corpus nutriat: sed, non secus ac ignavæ & rapaces volucres herbis, & emortuis cadaverum ossibus pascuntur; sic ille defunctorum facultatibus, & recitatione ac demurmuratione precum, ac maledictarum aliquot missarum pro animabus defunctorum, victum sibi quæritare cogitur.

Et si quando ei de annuo victu, ac salario aliquid residui fit; miris id consiliis, & rationibus ad se derivant: sicque miserrimus ille, asinus illorum ac bajulus esse, & manere cogitur; nisi & planè à sibi commissa functione removeri, & victu suo privatus, in perpetuo metu fluctuare malit.

Ex his itaq; clarum & liquidum est; insatiabilem hanc sectam institutione sua nihil aliud quæsivisse, quàm ut ordo suus extollatur, ditetur, & adaugeatur.

9. Præterea è tali sua floridæ juventutis institutione ingens faciunt lucrum: siquidem non facilè quidquam gratis, sine precio, & mercede faciant. Primùm enim quasi per lucrum devinciunt & conciliant sibi animos parentum; qui summoperè gaudent, liberos suos non modò in omni studiorum genere benè institutos: sed etiam cotidie ad majora honorum fastigia evehendos esse; adeò, ut faciles ac propensi sint, Iesuitis splendida munera, vel ultimis suis voluntatibus adornandi: ita quidem, ut reliquis superstitibus liberis politicæ societati addictis exigua hæreditatis portio sæpe relinquatur. Ac si videant parentes quidem opulentiores, sed ad erogandum minùs propensos: juventutem miseram & imperitam æternæ salutis promissione (quæ tamen in eorum potestate haud quaquam sita est) tam vafrè circumveniunt; ut postea bona per hæreditatem accepta ad ipsos transferre oporteat; sicq; debita hæreditatis pars legitimis hæredibus subtracta insaturabili illi Iesuitarū sectæ impendatur.

Notum etiam, & manifestum est, illos hoc medio in regno Gallicano magnam pecuniarum, & bonorum copiam sibi acquisivisse: imò etiam in Germania Natione, parentibus quibusdā honestatis amantibus, dulcissima sua pignora spe patriæ illorū hæreditatis aliquando ad se attrahendæ, subripuisse, in peregrinas terras abduxisse. Atq; ita piissimi parentes & liberi non modò suis facultatibus, sed etiā liberorum, fratrum, & propinquorum optatā præsentiā, & con-versatione in summis suis angustiis; & extrema senectute privantur.

Quibus de causis etiam omnipotentem Deum ardentibus, & justissimis clamoribus dies noctesque de vindictā suscipienda solicitant: quorum exempla nominatim quidem percenseri possent; nisi verendum esset, ne sāgvinaria illa cohors offensas hasce in dilectos parentes vindicare; ac porrò etiam danma illis dare conaretur.

Anno

10. Præter hæc omnia, quando simpliciori juventæ persuaserunt, ordinem suum Iesuiticum omnium sanctissimum esse; in quo & Deo omnipotenti, & Ecclesiæ ipsius optimè placere ac servire possint; ac inde etiam caducā in hac vita emunerationem expectare: hæc appendicis loco annectunt; his de causis magis impios & perniciosos homines non inveniri; quàm eos; quos odioso nomine Lutheranos, & Calvinianos nuncupant. Quapropter juventutem extimulant, ut hosce omnibus, quibus fieri possiit, mediis ac modis, sive justis sive injustis, imò etiā falsò effictis calumnijs, veneno, cæde, igne, ferro, malisq; consiliis & machinationibus persequi collaborent: ut [illegible] omnem apud vicinos principes, dominos, aliosq; invidiam, offensionem, & inclementiam, odio sinceræ nostræ religionis (quam Iesuitæ nugamentis suis heresens arguunt, & tanquā exitiosam damnant) accendant, ad impatientiam adigant, & tandem in extrema quæque pericula conjiciant.

11. Quisquis igitur in hoc illorum opere ac proposito, ad sustentandū & propagandum Romanum Antichristum, dirigendo artifex est: & studium operamque suam omnium diligentissimè offert, ac confert: is eò plus laudis & gratiæ meretur. Qui verò stimulante conscientia, vel commiseratione erga proximū, hoc idem facere recusat; vel virtute Dei ab intento & negotio suo retrahitur: illi nil, nisi mala quæq; persecutio, cōtumeliæ, ac probra imminent. Siquidem in rei veritate, magistri & impulsoris sui Satanæ naturam sequantur; qui jurata sibi mancipia, Magos & Ariolos, ad nocendum hominibus instigat; quod si non fecerint, verbera, & plagas infligit; ut magistrum suum probè agnoscere discant.

12. Ad summam: informant, docent, & instituunt juvenilem ætatem ad nihil aliud, quàm manifestam Idololatriæ turpitudinem. Hinc charitas erga proximum elangvit: hinc cædes, jurgia, & diffidentiæ malum apud Germanos originem traxit.

Quicunque ergo generosam juventutem in immaturā sua ætate; & (ut sic dicam) imperitiā seducit, ac tot, tantisq; scandalis onerat: illi quidem expediret, molam asinariam de collo ejus suspensam, ipsumque in profundum maris demersum esse.

13. Quocirca malum ad hoc anteverten-dum; charissimæ nostræ patriæ, ac ejus gubernatoribus maximè necessarium; & eò totis viribus contendendum est: ut verè Antichristiana, Romana, Pontificia cohors, quæ nil nisi sangvinem sitit, amoveatur; & eliminetur: ne pœna in nos (tanquam eos qui

Anno qvi liberorum nostrorum salutem & beatitatem, secundum dulcissimæ nostræ patriæ privilegia, parùm curemus: sed eos vivos Gog, & Moloch immolemus; nosq; ipsos, & totam nostram posteritatem, intolerabili Papisticæ, & verè Antichristianæ servitutis jugo submittamus) in nos, inqvam, nostrumqve caput redundet; & tandem unà cum illis cœcis Ducibus in profundissimâ æternæ damnationis abyssû præcipitemur.

14. Cùm igitur avidissimum hoc genus hominum vidisset, se institutione & doctrinâ suâ, qvâ studiosam adolescentiam imbuerat, & informârat, magnam apud universos aucupatum esse laudem, & gratiam; sicqve propositi sui boni fecisse initia: adeò, ut ab omnibus viri boni haberentur, & qvæ ipsi laudarent, laudanda; qvæ contra vituperarent, vituperanda censerentur: mox adolescentes disciplinæ suæ commissos Magnatibus obtulerunt; & pro diverso illorum in studiis profectu, merces suas in his literariæ mercaturæ nundinis, splendidè venales exposuerunt.

Hos primùm in Grammatophylacia; postea supremum Consiliarorum ordinem intruserunt. Cùmqve, ad naturam præceptoris sui, versutiæ ac Pharisaicæ hypocriseωs pleni, multa simularent; ad hæc temperantem vitam viverent; insuper in cōsiliis dandis præ aliis eloqventes, singulari artificio res suas promtiùs & disertiùs, ac alii, proponere possent: non immeritò à Magnatibus aliis prælati; eisqve potiùs, qvàm reliqvis arcana commissa fuerunt. His mediis callidi Jesuitæ Principum, & Dominorum deliberationes ac consilia; judicia, item naturas, animos; sicut & opes annuosq; illorum proventus facilè percontari & explorare potuerunt; ac inde conjecturam facere; qvomodo ea omnia, qvæ ad Papistici Antichristianissimi propagationem facerent, in opus perducenda: & contra ea omnia, qvæ detrimentum eidem afferre possent, maturè vel dolo, vel vi removenda, & avertenda forent.

p.1048.

Hoc ut faciliùs obtinerent, magnum erat eis adjumentum prædicta illorum studiosa juventus, qvam à consiliis habebant, lethali suo illo veneno totam perfusam, atqve pollutam. Tam arcto enim fidei vinculo illis hæc obligata est; ut corporis, vitæ, honoris, bonæqve famæ jacturam & damnum pati malit: qvàm minimum etiam, ad Papatus nocumenta spectans permittere, multò minùs adjuvare.

Qvæ sic in Consiliis Principum & deliberationibus Rerumpubl. proponuntur, Jesuitas non latent: imò anteqvàm Senatus conveniat, suos jam de ferenda sententiâ instruerunt, qvid approbandum, qvid concludendum.

Si qvid igitur Papatui adversum in deliberationem veniat, omni illud conatu, qvoad ejus verbis & probationibus fieri potest, impediunt. Cui si non pareatur, Pontificii anathematis fulmen, & proscriptionem, aut ad minimum amotionem ab officio, & pristina dignitate, si Ecclesiastica persona sit, minitantur: sin Politica; vicinos Principes, ac Dominos, aut etiam ipsam Cæsaream Majestatem in ejus caput instigant: imò ad gravissimas persecutiones adigunt; qvemadmodum hoc pluribus exemplis demonstrandum, & planum faciendum esset. Anno

16. ¶ Postqvàm igitur pedes suos tam in Curiam, qvàm in suggestum & scholas intulerunt; animadvertentes, se ferè pro Diis haberi, coli, & adorari; non potuerunt, non (& id qvidem ex singulari providentia & immutabili decreto DEI) lupinam suam immanitatem prodere; & rabiem suam sangvinariam; piorum persecutionem, ac propositam animo tyrannidem in apertum opus referre.

17. Et primùm qvidem horribilem illam Inqvisitionem (HISPANICAM nominant) excogitârunt, è qva in omnibus Christianismi provinciis ingentes, ac inauditæ persecutiones & cruentæ interneciones ortæ sunt: velut hoc ipsum tam in Gallia, qvàm inferiore Germaniâ, & locis vicinis; multò magis autem in Hispaniâ, & Italiâ, magno rigore, ipso facto & opere completum est: & inde tot locorum devastationes, sangvinis effusiones, diffidentia, negociationum & commerciorum abolitiones, & id genus infinita mala, qvibus, proh dolor, etiamnum hodie non omninò liberati sumus, profecta, & subsecutata sunt.

Expendatur animis historiæ priùs memoratæ: perspicietur tum, horribiliora tyrannidis specimina inter Christianos nunqvam edita fuisse: qvàm cùm Jesu-adversi potestatem suam, subdolè ac fraudulenter ad se raptam, exercuerunt.

Annòn verum est, in Galliarum & Belgii ditionibus omnes eos; apud qvos vel Biblicum volumen lingvâ maternâ editum; vel alius qvispiam liber, Christianæ doctrinæ corruptelas detegens, domi suæ inventus & deprehensus fuerat; continuò durissimis vinculis constrictos, & vel ad conscientiæ suæ reclamandum adactos; vel si fortè renuerint, horribili cruciatu, igne, ferro, laqveo; confiscatis item bonis; uxore, ac liberis in exilium projectis, de vita ad mortem raptos, mactosqve fuisse?

18. Insuper Satanici illi, & sangvinarii carnifices, ne hoc qvidem exariati fuerunt; qvòd Magristratus permissu, miseros illos, insontes, & ad serviendum DEO ardentissimos homines, prædictis rationibus, sine judiciali processu, & qvæstione habita, adversus DEUM, & præter omnem æqvitatem, trucidârunt, & jugulârunt, sed & tandem ipsa etiam summa capita, & præclara

Anno eorum fulera, in quibus omnem, & unicam suam spem, & fiduciam reposuerunt; nimirum Philippum regem Hispaniarum eò compulerunt, ut suum unicum superstitem filium, qui super Belgio, propter sævissimam in eo exercitam tyrannidem singulari commiseratione ducebatur, & intimè condolebat: interficipatere ut.

Nec hoc etiã nefario facinore insatiabilis eorum, & cruenta libido expleta fuit; verum nec ipsi regi pepercerunt: cùm regia ejus majestas ex paterno, innato, & radicitus inhærente amoris affecta, super filio suo neci tradendo, ingenti dolore, ac mœrore afficiebatur; judicium inde fecerunt, ipsum quoque patrem Lutheranæ, ut vocant, hæreseωs contagio infectum esse; regemq; eò pertraxerunt; ut venam sibi in fronte incidi pateretur; quò hætericus ille sangvis hoc modo è regia ej9 majestate, exsorberetur; nec ampliùs afflueret, & adaugeretur.

19. Non absimili idem modo in Germaniâ, Imperatore quondam invictissimo Cæsare Ferdinando; lautatiss. recordationis, in ejus dilectissimum filium Maximilianum, tum Romanum Regem constituerant. Nam absque omni fuco verissimũ; ac proculdubio adhuc in Cæsareæ Majestatis Aula manifestum, & cognitum est; quòd post discessum ex hac vitâ Cæsareæ qvondam Majestatis, honorificentiss. memoriæ Ferdinandi; ejusdem charissimus filius Maximilianus, hæres, & electus Romanorum Imperator, in sui domini patris, beatiss. record. relictis secretioribus literis, & monumentis epistolam invenerit, àquodam Iesuita, nomine Petro Canisio, ad suum dominum, patrem piiss. mem. datam; in qua inter alia, & hæc referantur, SE Canisium certò exploratum habere, Maximilianum Filium, Lutheranis vel Augustanis Confessoribus sese addicere, constituisse.

Quoniam igitur hoc modo Catholica Romana Ecclesia [quam vocat] in periculum; & magnũ detrimentum incidere Possit; suum esse consilium; Cæsaream Majestatem matute imminenti huic mola remediũ parare; & vel filiam sereriter in melius emendare, vel omninò è regni finib9 in exilium propulsare. Hæc modò memorata Epistola à Cæsare Maximiliano antè nominato Iesuitæ præmonstrata fuit: is ad propriæ manus subscriptionem dignoscendam seriò commonefactus; postea (præmissa quæstione, quid is, qui inter patrem & filiũ, præsertim tantæ dignitatis personas, tanta dissidia suscidet, commerverit?) eidem prælecta.

Ex verissimâ hac historica naratione perspicuũ est, nisi De9 omnipotens. Imperatorem Ferdinandum [qui pius, & devotus Romanus Catholicus fuit] ex hac lachrymarum valle evocando, impedimenta sua immisisset: facilimè per hos incendiarios magnum. imò inextinguibilẽ ignẽ in totius Christianimi, comprimus vero charissimæ nostræ patriæ Germanicæ Nationis, interitũ suscitari potuisse. Quæ omnia hoc solo fine facta sunt; ut Pontifex Romanus regnũ, & tyrannidẽ suam eò latiùs extendere valeat. Quid dicendũ de inauditâ illa sangvinis effusione; quæ jã longo temporis spacio facta est, atq; etiãnũ hodie in regno Gallico ingravescit. Et hæc omnia quidẽ Iesuitarũ instinctu; ut cœlestis veritatis Confessoribus oppressis, pontificia Antichristiana abominatio eò magis propagaretur, confirmaretur & conservaretur. Quis regem Henricum II. magis, ad Christianorũ persecutionẽ in suo regno suscipiendã, solicitavit, quàm hi ipsi IESUITÆ, per Cardinales & Episcopos, quibus accessus ad regem & clementes ej9 aures parebant, factitârunt? Quid autẽ aliud inde consecutũ, quàm manifesta pœna, ultio, & textræ Dei potentia? adeò, ut in summis suis gaudiis, imò spe, quã postero die libidinẽ suã in miseris illis Jesu Christi confessoribus (flammæ supplicio addictis) explere gestiebat; improvisò capite collisus, confractaq; hastâ fronte læsus; incredibili dolore vitã fini erit ac interierit. Quis præclaræ indolis, & generosi sangvinis Regi Francisco persuasit; ut crudele illud homicidiũ nocte, Anno 1560. Amboysæ in Galliis perpetraret, quàm hi ipsi Iesuitæ? Quid aliud consecutũ, quàm manifesta Dei pœna, ut nempe Leprâ, vel (quã Medici honestiore titulo dignantur) Elephantiasi correpto, & in adolescentiæ suæ flore acutissimis aurium doloribus confectus, miserè perierit. Quis alius, quàm Iesuitæ, Regi Carolo suasor fuit, ad immanem illam, tam inter barbaras gentes & Turcas, quàm inter Christianos in auditam lanievam, cùm ipsius Admiralij, tum aliorum etiã innumerabilium Christianorũ tam fœminei quàm masculini sexus, Anno 72. Parisiis faciendã? Idcircò etiã pœnam omnipotentis non euasit; sed ad memorabile omnis sangvinariæ crudelitatis exemplum, proprio suo sangvine suffocari, & perimi eum oportuit. Quis alius Guisium instigavit; ut Regis Henrici III. ultime defuncti regale affectaret diadema, & semetipsum regem constitueret, quàm Pontificæ dignitatis patroni, sicarii Iesuitæ? Quid aliud inde consecutũ, quàm quòd Rex justis rationibus permot9, ut seseq; regnũ trãquillũ reddere posset, Guisiũ vivis eximi curavit? Quis ali9 auctor fuit, ut rex Henric9; qui tamen Romanæ Catholicæ religioni semper addictus fuerat, per monachum, nefandâ sub proditione miserabiliter cõfoderetur; quàm Iesuitæ: cum rasâ seâ cohorte ipsis adhærente? Quis alius iam modò imperantem Regem Henricum. IV. ab omnipotente Deo mirabiliter & inopinatò ad regnũ vocatũ; imò ab antecessore suo Regẽ designatũ; & ab eodẽ adhunc novi regiâ Galliarum Coronâ, capiti [ut sic ... dicam

Anno dicam) impositâ exornatum, aliquoties hactenus insidiosè obtruncandi ansam occasionemque dedit, imò plura, annexa æternæ salutis promissione, si nefarium propositum feliciter & ex animi sententia succederet, adversus Dei verbum, humanasq; vires spopondit, quàm exudelis Iesuitarum progenies? Quoniam igitur hæc omnia luce clariora, & ab ipsis etiam Iesuitis negari, vel everti nequeunt: meritò è regno in exilium projecti; bona illis erepta; & in mediores versus scholarum, & Nosodochiorum, pauperumque ac infirmorum emolamentum, collata & destinata sunt. Quod etiam omnibus in aliis locis imitandum est; & perniciosi corporum animarumque latrones omninò è Christianorum cœtu proscribendi, & extirpandi. Quòd præterea laudatissimum Uraniæ Principem, dominum Wilhelmum Comitem Nassaniensem, latronum instar, Delphis, in Hollandiâ militari cormento transfigi fecerint: ex Belgicis historiis & propriâ rei confessione patebit: qui postea quoque Celsidutinis ejus filio Comiti Mauritio aliquoties & corporis & vitæ, latronis pariter more, insidias struxit, à quo etiam debitum suppliciū, proditoribus ejusmodi ignum (Deo sit laus) sumtum est.

Silentio insuper prædeteundum non est; quænàm, rapax hoc volucrum genus, diri vultures, exitiosi falcones, imò potius noctuæ, claram veritatis lucem suffigientes, latrocinia, cædes & sangvinis effusiones; ac persecutionem, à Deo ipso ordinati & ab omnibus statibus regni Portugalliæ electi regis Anthonij, susceperint. Necessitas igitur requirit, ignaris, & historiarum imperitioribus Germanis, hanc historiam fide dignam, distinctis sæpius temporum intervallis, & diversis linguis editam percensere. Quæ ita se habet: cum Regnum Portugalliæ; excellens & opulenta regio; tam auro & argento, quàm negotiationibus & commerciis; cum primis verò spectatâ nobilitate, & virili robore fuerit insignis ita, quòd benè digna sit, ut, qualiorum damno ditescere, & Monarcha orbis esse cupiat; regnū ad hoc occupādum, nihil inausum, intentatumvè relinquat: cùm præterea iam dudum Rex Hispaniarum in regiam hanc ditionem & oculos & animum defixisset; id autem superstite Rege Sebastiano, ipso opere assequi non potuisset: tandem immoderati, vafri & subdoli Iesuitæ pium hunc Regem, quodam sanctitatis prætextu, ad Romanæ Ecclesiæ ædificationem, quam supra omne id, quod nominari potest, extollunt; fraudulenter; senioribus aulicis Consiliariis remotis; imperijque fascibus ad se, tanquam à Deo singulariter ad hoc ablegatus, attractis; auctoritateque quasi Prophetica, & Apostolica sibi comparata; pium hunc, inquam, Regem in eam induxerunt sententiam; ut navigatione in Africam susceptâ, contra hostem, decies viribus & potentiâ superiorem, bellum susciperet. Pius ille Rex præmaturo quodam zelo annuit: ad pugnam progreditur: & in eâ ipse, unà cum præcipua laudatissimæ & Heroicæ suæ nobilitatis parte, occumbit. Post mortem dicti Regis, regni Portugalliæ proceres, unanimi consensu Anthonium ad Imperium elegerunt: Iesuitæ autem, qui excellentis, fructuosi & opulenti hujus regni gubernandi desiderio flagrabant, vafricie suâ rem eò direxerunt, ut cum brevi post regno expulsum, ij, quorum in potestate portus erant, graviter persecuti fuerint. Anno

Etiam si autem adhuc Insulæ aliquot & ditiones, imò etiam Franciscani ordinis Monachi, & alij complures, electi regis Anthonij partes defenderint. id tamen illi effecerunt, ut iam electus Rex in fugam se conjicere, ac variatis vestibus quadraginta milliarium spacia pedes conficere coactus fuerit. Licet verò tum satis caussæ fuisset, hanc proditorum turbam, vel in profundum demergendi; vel à regno omninò arcendi: eos tamen suis tantum ædibus conclusos fuisse, tum satis erat. Quid autem porrò Iesuitæ hi moliti sunt? Ut primùm occasio data est, portas suas noctu reserârunt; & illarum loco suum Deum siligineum, & Mausim, ad incutiendū populo terrorem, substituerunt, proruperunt & mira celeritate ac calliditate sua effecerunt, ut populus à suo legitimè electo rege desciscere; & Gallos, quorum supremus Mareschallus Stroza fuit, in fugam ageret. Et insuper (attendite, rogo: hoc enim ipsæ ipsorum historiæ contestantur) una quadam die, mandato quidem Regis Hispaniarum; sed dubio procul latronum horum Iesuitarum incitamentis, publicè carnificis manu percussos esse præcellentium Nationis dominorum, villæ Francæ, viginti octo: aliorum generis nobilitate præstantium, quinquaginta duo: ac inter cætera memoratur, eo ipso tépore varii generis Eccles. personas, cū primis verò Franciscanos, quòd in electi regis favorem nonnulla fortè dixissent: ultra quingentos miserè occisos & trucidatos esse. Ex his videre est, hos nequam homines, & latronū confœderatos, nemimini, si vel ullū in desperandum sit lucrum, parcere, sed tā suæ propriæ religionis consortes, quàm alios, ad extremū, imò ad necé usq; insectari, & obtruncare.

22. Gloriantur superbi, inflati & ambitiosi Iesuitæ, pro suggestu, & æditis libris; & frequenter ac effusè gloriantur; se Barbaras Indiæ gentes ad Christianam religionem adduxisse: ibidemque simul stupenda miracula, apostolicis non absimilia, edidisse.

Quâ verè ratione, ac quibus mediis ignari illi populi ad religionem Christianam conversi sint: probè animadvertendum est. Non enim verbi divini præticatione; sed

Anno sed internecionibus, & inhumana sangvinis effusione, miseros homines ad Idolum suum, Mausim adorandum compulerunt: & ut in propriis ipsorum historiis percensentur, viribus & adjumento Hispanici exercitus, ultra vicies centena millia innocentium hominum, in Indiâ occiderunt.

Qvando igitur hi afflictissimi homines, parentes, fratres, filios, & qvoscunq; alios sangvine sibi junctos in tantis vitæ periculis constitutos viderunt: ingenito qvodam naturæ horrore mortem reformidârunt; & ad consulendum vitæ suæ, Christianos se simulârunt. Qvæ verò intima eorum fuerit animi sententia, omnipotenti DEO notum est. Illis etiam, qvi se Christianorum more gesserunt, non pepercerunt, sed hinc inde in montanas auri, argentiq; fodinas detrusos, æra fodere coëgerunt: qvi verò nihil invenire, vel efferre potuerunt, cùm illis actum pessimè fuit, adeò, ut mori, qvàm vivere maluissent. Mulieres autem omni rigore assiduis agriculturæ laboribus exercuerunt; & tantis oneribus obruerunt; ut multos sæpius abortus fecerint; aut licet interdum fœtus svavissimam hanc lucem aspexerint, mox tamen eâ rursus sint privati: adeò, ut ibidem duodecim annorum spacio, nulli alii fermè homines, nisi militum & Jesuitarum spurii inveniri potuerint.

In regione qvoq; Peruanâ, in foro, aliisqve publicis locis, domunculas sibi exstrui curaverunt, in qvibus ærumnosos illos homines pilorum funibus: ignitis, ferreis, & acutis fibulis, ac id genus aliis carnificum, torturarumqve instrumentis immaninissimè cruciârunt, & torserunt: hisqve artibus repositos illorum thesauros investigârunt. His inauditis cruciatibus & tormētis multos eò pertraxerût, ut priùs uxore liberisq; ante oculos suos, ne incrudelium horum latronum manus inciderent, miserè trucidatis; laqveo sibi ipsis mortem asciverint.

Si qvando calamitosos hosce homines in aciem producunt; tanta famis necessitate eos premi patiuntur, ut ad necessariam vitæ conservationem abjecta hostium cadavera dentibus invadere, ac eorum carnibus devoratis famem depellere cogantur. Adhæc miserorum captivorum ingentes (suæ propriæ utilitatis aucupio) imò tantas numero copias in naves contrusas abduxerunt; ut commeatus non sufficeret: sed maximâ ex parte mediâ confectæ, & è navibus ad portum ejectæ: & cadavera in multis portubus horribiliter lacerata inventa fuerint. Hæc vera Apostolici eorum muneris indicia sunt; siqvidem, qvo loco divinum verbum, & gratiosum fœdus Evangelii Christi annunciandum esset; illi tormentis, gladiis, rotis, laqveis, & patibulis usi sunt, & ita compellendo intrare fecerunt.

Hanc rationem beati Apostoli non observârunt: verùm se potiùs humiles, mansvetos, & misericordes, cumprimis erga fidei suæ consortes, demonstrârunt: langvidos, & infirmos pristinæ sanitati restituerunt; pauperibus indigentiam pane fracto levârunt: cùm hi econtra ex sanis ægrotos, ex opulentis pauperes, mendicos fecerint, & immisericorditer vitâ spoliârint. Anno

Hæc sancta sunt miracula Jesuitis familiaria, vi nimirum, & coactione perturbatissimos homines in suam pertrahere sententiam. Deponerem aliqvid; si cum nonnullis eorum prædictis rationibus tyrannicè ageretur; eos brevi temporis spacio omnes, cum primis si facultatibus suis non exuerentur, ad Augustanam Confessionem calculo suo approbandam & amplectendam, adductum iri.

23. Hanc inauditam tyrannidem etiam in Christianorum communione affectârunt: qvando REGI Hispaniarum falsis suis doctrinis, & hypocritico suæ sanctitatis prætextu persvaserunt: ut regia majestas ipsius inauditum illum navigiorum & inusitatæ classis apparatū, qvi aliqvoties millies decies centenis millibus auri constiterat, adordinari; & in Angliam contra laudatissimam illam Reginam emitti, atqve deduci curaverit: hoc fine ac proposito, ut non solum eos, qvi à Pontificii abominatione successionem fecerant; verùm etiam alios omnes, summi & infimi ordinis homines potestati & Imperio Romani Pontificis subjugaret: nemini ne qvidem infantibus in cunabulis parsurus.

Omnipotens autem mirabili suo consilio hanc eorum intentionem miraculosè ad suum ipsorum interitum & eversionem deflexit: eosqve (veluti Pharaonem in mari rubro) suffocari permisit: nihilominùs tamen indurati & sangvinolenti illi carnifices hoc exemplo nec deterriti, nec in melius emendati fuerunt: sed conceptum animo furorem in Christianissimam Reginam indies magis, magisq; effundere sunt conati. Qvoties veneno illam enecare studuerunt? qvoties crudelibus suis concionibus ad Reginam perseqvendā, & regali diademate spoliandā, potentiss. Angliæ Dominos (qvorum capita adhuc hodie in Ponde Lādano conspicua sunt) incitârunt? Ex qvibus similiter sangvinarius eorum animus, p.1051 & immanissima voluntas; pervitissimumq; adversus Christianam Ecclesiam propositum, solummodò ad Papalis dominii amplificationē, & Antichristianæ abominationis propagationē directū, animadvertitur.

24. In Poloniæ qvoqve, ac Sveciæ sese regnum insinuârunt. Qvid verò aliud ibidē patrârunt, & effecerunt; qvàm cruentas occisiones, statuum regni dissidia, diffidentiā & mala qvæqve, ad perniciem & eversionē terrarum, populorumq; illius loci spectantia? sicut hoc ipsum tam experientia, qvàm temporum horum historia confirmat.

Hæc

Anno Hæc & alia antè commemorata exempla, & indubitatæ veritatis, imò manifestæ historiæ, meritò Germanicã Nationem admonere debuissent: ut ad malum hoc prævertendum, conjunctis viribus, perniciosi hi Lupi, immanes Tigrides, Christianæ religionis eversores, à vera salvificaq; fide seducentes; perturbatores itẽ civilis concordiæ, ac politicæ pacis; imò iræ divinæ, temporaliũ & æternarum pœnarum, authores profligati, & in his regionibus haudquaquam tolerati fuissent. Ex his autem perspicuum, & liquidum est, Deum omnipotentem justo suo judicio; ob summam nostrã ingratitudinem, & cœlestis verbi despectũ, detrimentosam hanc Iesuitarum sectam in suam hæreditatem & vineam, tanquam perniciosos vastatores apros, intromittere, iisq; ad eam vastandam, irruptionẽ permittere. Nã hæc quidem, unã ex parte, ingẽti nostræ securitate adscribenda sunt, nimirũ, quòd patefactæ divinũ voluntati non obtemperavimus; sed ad hæc plures & varii generis idololatricas ceremonias, & superstitiosas actiones in nostris Ecclesiis toleravimus: nec eas ad divini verbi præscriptum abrogavimus. Insuper etiam vitã nostrã ad sacra scripturæ normam & Dei voluntatem non conformavimus; multò minùs fraternum amorem erga nos invicem demonstravimus.

Altera ex parte causa calamitatis hujus ea est, quòd postquàm Deus iis, qui Ecclesiastici audiunt, voluntatem suam, & quàm longè à Christianæ fidei veritate, per verum illum Antichristum, Papam Romanum abducti sint, in verbo suo anunciavit: ipsi tamen, adversus conscientiam suam, & verbo Dei convicti, eidem non obsequuntur: nec doctrinam, nec vitam emendant, nec ad revelatam Dei voluntatem, meliores redduntur. Quoniam igitur omnipotens Deus ejusmodi cæcitatem densis tenebrarum nebulis semper punire solitus est: hanc cæcam, pervicacem, & malitiosam sectam, ut indies magis magisque ad exitium, opinione citius imminens, roboretur, exoriri passus est.

26. Quamvis igitur Iesuitæ perversum suum propositum in Germanica Natione, tyrannide ac latrociniis suis, quemadmodum in aliis regionibus, ut suprà demonstratum est, hactenus persecuti non sunt: eam tamẽ jam præparationem adhibuerunt, ut non laboriosa sit opus sufflatione, ad inextinguibile aliquod è parva scintilla incendium omnis discordiæ, & inde ortæ sangvinolentæ occisionis, citissimè inflammandum.

27. Omnibus etiam notum est, clementissimum Deum, postquàm voluntatem suam laudatissimæ Germaniæ Nationi revelavit, illa etiam benedictione: tam Cæsaream Majestatem, Carolum Quintum; quàm reliquos omnes Electores, Principes, & status Imperij, sua gratia & cœlesti favore auxisse, Anno & eos esse animos largitum: ut inter sese mutuò, communi religionis, & pacis per suas ditiones universalis fœdere inito, in hoc pacificè convenerint; neutri parti concessũ esse, alteram, cujuscunq; [ex duabus permissis] religionis sit, verbis vel factis offendere, contumeliisvè aut probris ullã propter religionem exhibere molestiam. Hinc, Deo Laus, ab eo tempore quo laudatissimi Cæsares, Carolus Quintus; Ferdinandus Primus, & Maximilianus secundus regnãrunt, optata pax, tranquillitas, fides, & concordia in inclyta Germanorum Natione conservata; omne mali & incommodi genus aversum, & generosa Germani sangvinis indoles omni incolumitate, divina benedictione, omnibus ex partibus adaucta fuit, & cumulata.

28. Quamprimùm autem perniciosi, callidi, & versuti nebulones, omnipotenti Deo, & dilecti ejus filio Jesu Christo Salvatori nostro adversi, in hanc nostram quietam, & dilectam patriam pedẽ suum fixerunt; statim illorum cum adventu optata illius temporis felicitas mutata est, ut omnis in Germania fides sublata, & contrà aliud nil nisi animorũ & voluntatum dissensiones, & suspiciones introductæ sint & plantatæ adeò, ut etiam laudabilis ille de religione pacificatio in suspicionem adducta sit, & à Iesuitis prætensum, neminem ad hanc servandam obligatum esse: siquidẽ Romano Pontifici, ac ejus decretis, quæ æquè ac verbum Dei facienda tradiderit, nec opere, nec sermone sit adversandum. Insuper hæreticis [quo nomine Augustanæ Confessione addictos insigniunt] ad fidẽ datã præstandam, neminem obstrictum esse; sed contrà licitum, eam aliquandiu, usq; ad bonã aliquam oblatam occasionem servare; deinde verò mutare; in pontificis, asseclarumq; ejus plena potestate situm esse. Hoc eorum propositum Romani pontificis Assentatoribus acceptum, & pergratum fuit: præsertim cùm iam longo temporis spacio in pace, ac tranquillitate constituti, à nullo vicinorũ quidquam damni, & impedimenti in suis ditionibus, subditis, proventibus, & alijs rebus accepissent; atq; ita post levem rerum suarum jacturam aliquando factam; vel potiùs fidelem de imminente periculo avertendo monitionẽ, sibi egregiè opibus undiq; corrasis prospexissent: splendida palatia extruxissent annuisq; reditibus adauctis, & magno rerum cumulo congesto, innumerabiles thesauros collegissent. Sic Magnates ac boni isti domini per hosce disertos, callidos, Satanicos artifices, sibi multa persuaderi passi sunt; illi autem cristas suas in altum rursum erexerunt.

29. Et primũ quidẽ in eorũ subditos de religione aliquantùm suspectos, impetũ fecerũt, eosq; aut à sana, doctrinã, & divini nomi-

nis

Anno nis ac voluntatis confessione, suis minitationib9 deterritos abduxerunt, aut tandem aut domos, fortunasq; suas deserendas, vi conpulerunt. Unde plures boni viri, aut à verbi divini auditione repulsi, aut magno sustentationis suæ dispendio, cum uxoribus, liberisque in exilium sunt missi.

Notum insuper est, multos honestos viros, fideliter, & benè de Republicâ meritos, patriæ salutem quærentes, & omni vitæ turpitudini summè infensos, è senatu, & justiciis rejectos fuisse.

30. Hisce etiam impij Iesuitæ non acquieverunt; sed domino suo insusurrârunt, ut una cum vicinis, sub quorum magistratu, falsô sibi sumtam Ecclesiasticam jurisdictionē & Chrisma (sic enim meritò, ac rectè nuncupant) collaturas, & collegia habuerant, illud sinistrâ quadam opinione arreptum ius & dominatum, secundum Dei verbū ab Ecclesiastico ordine prorsus alienū[sicut hæc iā dudū in imperialibus recessibus. utrarumq; partium consensu, sublata & abrogata fuerant) quasi postiliminiò revocaret; & primùm quidem excommunicationem: deinde inquisitionem, quæq; sequuntur eam, cædes, obtruncationes, & parricidia, quæ omnia Politicæ à Deo ipso ordinatæ gubernationi ferro punienda demandata sunt.

Quâ intempestivâ susceptione vicinorum Magnatum animi non leviter concitati, sed tandem etiam in tantum ergo se invicem exacerbati fuerunt, ut inde omnis generis odij & diffidentiæ orta mala, indies magis, magisque radices egerint: & proh dolor, adhuc dum in pluribus locis, non sine ingenti periculo, & imminentibus detrimentis, longiùs serpant, indiesque augeantur.

31. Nec his etiā hactenus exsatiati fuerunt, sed summumMagistratum eò adduxerunt; ut iis, qui ductu Spiritus sancti. divini verbi mandato, & translactionis in negotio religionis salutariter factæ permissu (ad quam omnes imperij status sanctè servandā semet-invicē jurisjurandi fide obstrinxerunt) Augustanæ Confessioni, & incorruptæ Christianæ religioni se addicere vellēt omni vi, & ingente persecutione adit9 præcluderetur.

Quid igitur, & quantum calamitatum, miseriarum, & perniciei tam animæ, quàm corporis, illa inæqualitate in patria nostra exoriri posset: iam, proh dolor, initia vidimus, & peiora sub finem expectanda sunt.

32. Utque porrò omnes discordias p& ffensiones etiam ad majorem ordinum Imperalium animorum acerbitatem accenderent; nec in se quicquā desiderari paterentur: Iesuitæ apud Papam caput suum hoc effeceunt, ut professionem fidei [quam nominant] omnibus germanicæ Nationis Episcopis transmitteret hoc annexe mandato, ne quenquā, cujuscunq; conditionis vel dignitatis sit, in collegia, parochias, aut aliud ordinū gen9 reciperent, & cōfirmarent: nisi professionem modò dictam (quæ omnium abominationū & blasphemiarū in Deū plenissima nihil ad aliud, quàm omnis discordiæ propagationē conducit) approbârit; & ad eā prædicta ratione sequēdā se obligarit.

33. Ac præter id, quòd ad varij generis horrendas abominationes [quas apostata Antichristianus Papa. per tyrannicas illorū machinationes Christianis obtrusit] corporali juramento sese devinciunt: hoc insuper ei adiecerunt, quòd obstricti esse debeant, cum nemine sinceræ religioni[quā ipsi, licet verissimè hæretici, hæreticam, aut Lutheranam appellitant) adhærente ullum habere commercium; imò neq; cum eis vel cibum, vel potum capere; verùm potiùs, si eos exploratos habeant, quamprimùm ad magistratum deferre; eosque ad necem usque persequendi ansam præbere, teneantur.

Hac fidei professione, præcellentes, summi & inferioris status homines, honestatis amantes, à collegiis, (quæ majores ipsorum constituerant, dotârant, & tunc regni Germanici cives omnia onera sustinere coacti fuerant, hisque de caussis fructibus, & usu eorū privari nequiverant) excluduntur: idq; tegnum, terra, incolæq;, omnesq; aliæ prærogativæ, & honestiora officia solis Antichristianis assignantur, & tribuuntur.

In pontificiis urbibus eo rem perduxerunt, ut ne quidem ullus sinceræ religionis cultor in senatum cooptetur, aut honestis muneribus [nisi procuratoribus, eorumq; negotiationibus ac commertiis damno, & impedimento sint] præficiatur. Cui etiam servando, consules senatumq; juramento adstringi, aut ab officio removeri, oportet.

Quid hinc aliud expectari potest; quàm (si vi, & rigore præstiti jurisjurādi hæc exequenda forent) immanissimæ occisiones; ac inde propinquorum hisce offensorū ultiones? sicq; gladij nunquam in vaginas reconderentur: sed evaginati, singulis horis in manibus ad mutuas cædes essent tenēdi.

34. Quid dicendum de maxima illorū avaritia, & habendi cupiditate; quæsitisq; variè compendiis, quibus in omnibus terrarum partib9 ineffabiles nummorū, opumq; copias, & acervos congesserunt? Et apparet quidem, eos mirandis fraudibus, & occultis eam ad rem artibus uti.

Nam principiò (uti suprà sub initium in ortus & adventus eorum expositione declaratum est) pios & indigentes, qui neque bona, neque laborum suorum compensationem petant, se simularunt: postea verò omnia necessaria, imò superflua, ab iis, quorum sub potestate erant, poposcerunt: donec fixum in patriam pedem intulerunt; & tandem domino suo, cui subjecti erant, formam & modum, quo ædes suas, vel potiùs latronum speluncas extructas cuperent, præscripserunt; & sub Pon-

Anno Pontificis inclementiâ, sumtuosum cultum ac victum sibi præbendum postulârunt, vel potiùs extorserunt.

Annon miserorum, & indigentium Monachorum cœnobia occuparunt, illis omninò in exilium profligatis?

Annon in optimis & fertilissimis regionibus, urbibus, & aliis magnificis locis consederunt; ibidemque bona undique venalia coëmerunt?

Annon Iesuitæ miseris, & afflictis hominibus auricularem suam Confessionem persuaserunt; quo medio omnia arcana explorârunt: & quæ ex marito ipso tyrannica sua inquisitione cognoscere nequiverant; ex minimis ejus servis & ancillis expiscari: sicque maiorem eis multum irrogare; & fornicosos suos acervos ditare, augereque potuerunt. Omnibus ex hac vita discedentibus, tanquam præ aliis maximè pij, adesse voluerunt; ut ab opulentioribus in Testamentis etiam inter hæredes relati, suum inde quæstum facere possent. Sicut etiam illis ad suam petitionem, à quadam magnæ auctoritatis persona, effœtus asinus, quem tamen non repudiaverunt, in extremo mortis agone, legatus est.

Si Episcopatus etiam, prælaturæ, aut aliorum munerum electio, & optio contingit: aut alia functio Ecclesiastica, ad ordinarium pertinens, in Pontificis mensem incidit: callidis suis consilijs inde suam quoque portionem auferunt; ut ita Romanas illas Cortisanicas, diu multumque notas pensiones accipiant: sicque indigenti mercenario vix necessarius corporis victus relinquatur, nisi corvorum escis, missis puto, pro animabus defunctorum factis, pascatur. Itaque præcipui proventus ad eos redundant, quibus facultates suas indies magno incremento amplificare annituntur.

Constat etiam, & liquidum est; quantoperè Academiis, jam olim ab Imperatoribus Regibusque privilegiis ornatis, dignitates suas, jura, annuos per insidias subtrahere moliti sint. Hinc graves judiciariæ actiones, & processus Parisijs exorti sunt: & in Germania, nisi propositum ipsorum interversum, & ab illis ipsis minùs consultum judicatum fuisset, eadem machinati ausi fuissent.

In omnibus Abbatiis, Prælaturis, & Ecclesiasticis dignitatibus ac ordinibus, suum quoque quæstū consequuntur; quemadmodum apes fucis in alvearia sua mel & alimenta comportant: ipsi autem ne ulli quidem, nisi triplicis spe lucri, frigidum vini, vel cervisiæ haustum præberent.

Ceterùm hi avari homines præter technas suprà detectas, aliam quandam, quâ dignitate, ac opibus præstantiorum bona sibi pararent, hoc modo excogitârunt.

Clarum est, quòd initiò, postqàm venena sua, & nefaria sangvinariaq; instituta in Germaniā invexerunt; & Hispanicā inquisitionē instituerunt; multos magnificos, spectabiles & opulentos homines, veræ quidem religioni præcipuè non addictos; sed tamen quiâ ditiores, non solùm in suspicionem, sed etiā vinculorū angustias conjectos: & leves ob causas, de vita ad mortem, tanquam hæreticos, ferro, laqueo, & igne condemnatos; ac insuper, cum uxoris, liberorumque detrimento ac pernicie, bona confiscata, & talæ Pontificis cohorti tradita fuisse.

Quando igitur sua hac tyrannide miseram, seductamq; plebem eò pertraxerunt, ut etiā in minimis rebus ac verbis, omnem de religione suspicionem evitare studeat; nec de sceleratâ eorum vitâ; & perniciosâ doctrina quisquam conqueri ausit: jam præda ori eorum voraci erepta est.

Ut verò non minùs, quàm antè, crumenā suam replere, & lucrum captare possint; ex hæretis præstigiatores fecerunt: & locupletem, opibusq; abundantiorem nacti hominem, de religione levissimè suspectum, eum accusant; quòd à Diabolo fascinatus divitias illas; ejusdem adiumento, sibi acquisiverit; nec aliud quicquam meditetur, quâm ut proximo suo, adversis motis tempestatibus, venenatis pecudū occisionibus idq; genus aliis veneficis artibus, detrimentū afferat.

Sic autē hujus de aliquo conceptæ suspicionis causæ investigentur; respōdent, eos ab aliis mulieribus (quæ quidem incredilibus cruciatuum tormentis, superstitiosorum hominum instinctu, ad earum etiam confessionem adiguntur, quæ in mentem eis nunquam venerant) nominatos esse.

Hoc nudè & simpliciter, vel ab audacibus vetulis; vel iis, qui se forsan Satanæ [mendaciorū spiritui, ab initio mendaci, & humani generis hosti] mancipârunt, enunciato: sine ulla porrò quæstione habita, indicatos illos vinculis cōstringunt; constrictos sine more carnificū tormentis, & aliis inhumanis cruciatibus subiiciunt, & eò adigunt, ut ad maiores tormentorum dolores effugiendos, se veneficos, omniaque illa accusantium dicta vera esse, confiteantur. Quo peracto, sine ullo legitimo processu igne cremantur, bona eorum confiscantur, & maiori ex parte Iesuitis addicuntur. Ac insatiabiles illi Iesuitæ quibusdā in locis, ubi vivebant, à Magistratu obtinuerunt; ut potior pars mulctarum, deliquentibus subditis irrogatarū, ipsis impetrata fuerit; quā in tēplorū & domuū suarū ædificationē ac usū convertunt.

Deteriores igitur sunt Pharisaicis Iudæis; qui cōscientiā stimulati, triginta argenteos, Iudæ proditori traditos, in sacros Deo usus, & eleemosynas impendere voluerunt: hi autem multaticia tali pecuniā, templa domosq; ædificant; & crebris subditorum delectantur transgressionibus; ut tantùm opes opibus cūmulare possint, & delinquentiū uxores, liberiq; in perpetuū exitiū coniiciantur.

Summa: omnia ea, quæ Deo abominationi [illegible] sunt;

Anno sunt: illis lucro sint necessum est: ac commodè dici potest, damnosos hosce homines verissimas illas esse locustas, de quibus Apostolus Johannes in sua Apocalypsi cap. 9. testatur; quòd ex abysso inferni ascendant. ut soli humano generi non fructibus noceant. Qua de causa à spiritu sancto Abaddon in Hebræo; & Apollyon in Græco, Germanis perditores, nominantur.

Observetur, quæso; quot, & quàm magnificia ædificia in Germaniã, omnia miro splendore & apparatu, imò munitis potiùs arcibus, quàm scholis accommodata, in præcipuis urbibus, & Ducatibus extruxerunt. Et sanè magnoperè verendum est, ne temporis successu, in illis cuniculos & occultos in urbes [neminem enim præter suã familiã, & ministros sibi juratos, in ædes suas intro mittunt] parent aditus: quibus facilè numerosum facis exercitũ (si modò ull9 per Pontificios istis locis susciperetur transitus) recipere; cives noctu, interdiùne obruere, & eius loci dominatum sic adipisci possent.

Quamobrem meritò civitates his de causis prudenter sibi prospiciant, caveantque; ne illis ulla quidquam ædificandi, copia & potestas fiat; nisi priùs à quibusdam ad hoc officii genus deputatis, quid ædificatu necessarium, accurratè cognitum, & oculatâ inspectione exploratum fuerit; nec plus materiæ quàm præsens structuræ necessitas flagitet, illorum curæ, ac fidei committatur. Callidi. n. sunt, ad omne nequitiæ genus faciles & proclives; sibique modò latrociniis, tyrannide, ac rapinis victum comparare laborant.

Principiò quidem, quando in optima regna, & præcipuè Germaniam penetrârunt, nihil aliud ore simulârunt, quàm divitias se non appetere; sed omnia gratuitò ad Dei gloriam, Ecclesiæ incrementum, & Christianismi propagationẽ dirigere velle: verùm Philippica Anthonij Arnoldi attendatur; quæ, Iesuitas, triginta annorum spacio post suum ortum & adventum, annuos sibi reditus in Gallijs, ultra bis centena millia librarum comparasse, testatur. Quid arbitrandum est, quantum in Germanica natione, ubi, ut antea delibavimus, nobilissima loca, et fertilissimas regiones occupârunt, undique multa emerunt, & astutis suis artibus ad se attraxerunt; annuorum proventuum sint consecuti?

Et fide bona relatum est; eorum opes, & facultates adeò accrevisse; ut in Pontificis & Ligæ ejus emolumentum, decem millia instructissimorum ad pugnam militum, foris continuè in armis alere possint. Proindeque meritò talis, tamque potens hostis, cujus opulentia Templariorum longè superat, quique in umblico Regni consistit, fugiendus, cavendus est: ac quibus rationibus illi resistendum sit, maturo consilio dispiciendum.

Utinam inclyti Germaniæ Principes ac Anno domini, aliique sine discrimine status, vel tandem oculos aperirent; videre possent, quàm detrimentosi homines sint ij, qui non sine summa contumelia in unicum & solum salvatorem nostrum, Dominum Jesum Christum, verum Deum ac hominem, propitiatorem nostrum, mediatorem & intercessorem coram Deo patri cœlesti, Iesuitas se nominant: omni mox severitate in lupos illos rapaces, simul & semel (quemadmodum iam in Anglia & Gallia, Deo gloria factum est) amovendos & arcendos, curam suam & studium conferrent.

Considerent, obsecro, & diligenter pia, inclyta Christique cultrix Germania consideret; quantorum hi homines, ex quo in Christiano cœtu tolerati sunt, & animæ & corporis malorum causæ extiterint?

Annòn verum est, dilectam veritatem verbi divini tantoperè ab illis esse obscuratam; ut ne quidem ullus Christianæ fidei articulus fictis eorum additamentis non corruptus fuerit: & ab iisdem sacra scriptura, antiqui Doctores & patres, vetustaque concilia, ad errorem sectæ suæ stabiliendum, falsò adducta & allegata?

Annòn pios illos & beatos, à Deo omnipotente ipso in hunc mundum ablegatos Concionatores, suis concionibus & divulgatis rhapsodiis, adversus agnitam veritatem, summis ignominiis prosciderunt; hæreseωs damnârunt, hisque rationibus miseram plebam, suã Papæque Romani manifestã Idololatriã seductam, in illa cœcitate ad perpetuum exitium confirmarunt, & detinuerunt?

Annòn verum; sanctissima Sacramenta in usus, ab authoris Christi Domini nostri institutione multùm diversos; imò potius abusus, pro arbitratu ipsorum, adhiberi?

Annon verum est; quòd charissimæ juventuti virulento suo dogmate infectæ, persuaserunt; ut plus de Pontifice Romano, quàm Christo sentiret; quod quidem venenum ætati juvenili sic radicitus in hæsit! ut quàm diu detestandi illi homines, de quibus duodecimus Psalmus dicit ac monet, hisce locis ferantur, haud illud eradicari possit?

Annòn verum; quòd omnia dissidiorum incendia in tota Christianorum universitate inter magnates excitârint, & quotidie adhuc nutriant?

Annòn verum; quòd latrocinia, & cædes hominibus, tam excelso, quàm humili loco constitutis, paraverint?

Annòn verum; quod in omnibus concionibus suis aliud nihil satagunt & urgent; quàm, Augustanæ confessionis consortes, horumq; asseclas, quos hæreticos appellitant, persequendos, profligandos, interficiendos, comburendos, è patibulo suspendendos, & aquis suffocandos esse? (An-

Annón verùm; qvòd suæ propriæ religioni deditos, variiqve generis fraudibus, fortunis & bonis suis violenter exuant, & proscribant?

Annón verum; qvòd nulli Magistratui, cui subsunt, jurisjurandi religione obstricti sint; sed soli Romani Papæ, & Domino suo Regi Hispaniarum?

Annón verùm; qvòd per illos, eorumq; in Germania semper oberrantem Legatum & Nuncium; Germaniæ Principum & Dominorum, aliorumqve secreta, & Pontifici, ad institutum commodiùs persequendum; & inexplebilem sangvinis Christiani sitim restingvendam; proditione nefaria detegantur, & revelentur?

Annón verùm; qvòd Jesuitis in summis illis Collegiis omnis sit potestas: & in electionibus formam ac modum illis præscribere conentur?

Annón verùm; qvòd inclytam Germaniæ Nobilitatem per illam fidei professionem à Pontifice introductam, facultatum, & bonorum ad Collegia pertinentium usufructu spolient; eaqve ad se temporis successu transferre animum induxerint?

Annón verùm; qvòd hac ratione animi erga se invicem exacerbentur; & ob illam inæqvalitatem, ad bella, & id genus alia mala, in charissima nostra patria fenestra aperiatur?

Annón verum; qvòd Dominos contra subditos, & vicissim subditos contra Dominos instigent, & ad discordiam concitent?

Annón verum; qvòd per eosdem adversus pios, & intrepidos DEI confessores omnis generis fœdera illorum svasu sanciantur?

p.1055. Annón verùm; qvòd Romanus Pontifex jam ante qvingentos annos, regnante laudatissimæ recordationis Imperatore Carolo Magno; ac postea singulis annis ad præsentem usqve horam, in id solummodò animum intenderit; ut in omnibus regnis, præcipuè verò in celebratissimâ nostrâ Germaniæ Natione, nostros Imperatores & Principes, sicut & non minùs aliarum regionum, terrarumqve Reges & Magnates, suo jugo, & detestando servitio subjicere sit annixus?

Annón verum; etiam Imperatorem Carolum V. se non solùm Pontifici opposuisse; sed eundem etiam Romæ oppugnâsse, & urbem occupatam spoliâsse; de qvibus rebus gestis proprii ipsorum Historiographi; ut Platina, Cranzius, Mersburgensis, Tritemius, Paulus Jovius, & Paulus Æmilius, omnes Pontificii, testantur?

Annón verùm; celeberrimum Germaniæ Regnum, ab eo, qvo Christianam religionem amplexum est, tempore; nunqvam ad Pontificis scopum, & intentionem (ut nimirùm sua Germanicæ Nationi privilegia, libertates & jura auferentur) propiùs accessisse; qvàm ex qvo Jesuitarum lerna dilectam nostram patriam suo veneno, & apostaticâ doctrinâ, fraudibusqve tam turpiter (ut, proh dolor, jam nunc ante oculos est) polluerit?

Annón deniqve verùm; omnes, qvi locum illis concesserunt, & conversatione sua eos dignati sunt, neqviter ab iisdem deceptos, & miserabiliter per insidias circumventos esse: ac ipsos Jesuitas tandem, Magistri sui diaboli more, summo dedecore, ac ludibrio, & graveolente fœtore recessisse?

Qvæ cùm ita se verissimè habeant; qvid, qvæso, inclytæ Germanicæ Nationi aliud imminet; qvàm perniciosus hosce & neqvam homines eundem processum, qvo in Indiæ, Portugaliæ, Galliarum, & Britanniæ regnis usi sunt, adversus nos qvoqve Germanos, jam modò multis partibus dissidentes, observaturos: & temporis successu reipsa persecuturos esse.

Agitè ergò, Germani optimi, diutius in utramqve (qvod dicitur) aurem non dormiamus; sed excusso veterno, oculos animumqve aperiamus; & vicinorum detrimento ac pernicie sapere discamus; nec permittamus, ut nostri vicini, imò posteri, de cæcitate, surditate, ac imprudentia, qvâ malo huic maturè medicinam non paraverimus; justè conqveri possint.

Agitè, non concedamus, nobis exprobari, qvibus ex causis dilectam nostram juventam, ab hisce animarum latronibus adeò turpiter seduci conniveamus.

Agitè, non permittamus, nobis à DEO omnipotente collata beneficia, & divinæ suæ voluntatis patefactionem, per rapaces ejusmodi vultures, in DEUM blasphemos & manifestos mendaciorum architectos, è cordibus nostris, æternæ salutis dispendio auferri.

Agitè, fraternæ charitatis, & Christianæ patientiæ erga nos invicem non obliviscamur; nec ab ea per istos incendiarios nos abalienari patiamur.

Agitè, non committamus; ut hi advenæ, imò terrarum faces, bona nostra nobis eripiant, deprædentur, ac possideant.

Agitè, demonstremus, laudatissimam Germanicam Nationem heroicam suam antiqvam virtutem & animum, ad libertatem & inclytam suam originem conservandam, nondum abjecisse; sed ut eam contra verum Antichristum, Papam Romanum, tueri possit, omni (qvo fieri potest) studio & labore, imò corporis, vitæ, fortunarumq; periculo contendere.

Agitè severissimum DEI omnipotentis mandatum, sanctissimo Prophetæ Mosi, Deut. cap. 13. præceptum exeqvamur, & Pseudoprophetas, qvi manifestè ab omnipotente DEO ad pura puta Idola, & alie-

Anno nos Deos, qvos majores nostri nunqvam agnoverunt, nos seducere moliuntur, ad necem usqve perseqvamur; ut nec corpora, nec animæ nostræ perdantur; & DOMINO nostro surripiantur.

Agitè non patiamur, Nationem nostram, his latronibus & omnis mali auctoribus, receptis ac intromissis, pro spelunca latronum reputari.

Si igitur, divinâ annuente gratiâ, ea nobis voluntas & animus esset, omnipotenti DEO, juxta verbi sui præscriptum, & revelatam immutabilem voluntatem, gloriam dare; vocationem ejus seqvi; ad mandata ejus actiones nostras conformare, ac ita Christianam vitam verâ fide in Christum Dominum fixâ ducere: tum extra omnem dubitationis aleam positum, nos in bona pace, tranqvillè ac piè vitæ nostræ caducæ periodum absoluturos, & post hanc illius æternæ hæreditatem possessuros esse.

Si verò contrà adversa pars, à nostrorum omnium vel singulorum persecutione desistere, & ab immodico suo Idolatrico cultu abstinere nolit; nec hi impii Jesuitæ omninò amori fuerint: certum est, viventem DEUM (cui nihil magis adversum est, qvàm Idolomania, & spiritualis scortatio) hanc nostram oscitantiam & ingratitudinem, multiplicibus pœnis; comprimis infensissimo illo Christiani nominis hoste, Turcico Tyranno vindicaturum, & horribiliter puniturum esse.

Extrema igitur necessitas postulat, ut vero & pœnitenti corde ad DEUM, secundum voluntatem ejus, qvam in Propheta Esaia cap. 59. exposuit, peccata nostra confitendo, ab iisdem porrò abstinendo, & vitam inculpatam instituendo, nos convertamus; tum preces nostræ ad DEI aures penetrare, ac in conspectu ejus exaudiri, acceptariqve poterunt.

Ad extremum etiam pius & candidus lector non arbitretur, hæc antè memorata, singulari qvodam & improbo zelo allata esse: sed potiùs ad laudatam Germanicam Nationem præmonendam, ut, aliorum regnorum exemplo ante oculos posito, sapere & cavere disceret; ne per exitiosos illos homines, tam in illud perpetuum, qvàm hoc temporale exitium præcipitaretur; hæc omnia composita & instituta.

Jesuitis autem id meritò eò servire debebat; ut cùm animadvertant, toti Christiano cœtui sangvinaria sua, & avara consilia innotuisse: sponte, ad DEI gloriam, &
p. 1056. Ecclesiæ utilitatem, à suâ crudelitate abstinerent; ut & ipsi & alii, periculis immunes, unà nobiscum placidam, & qvietam vitam possent traducere.

Non etenim qvisqvam Christianorum, vel caducam, vel sempiternam illorum perniciem expedit; verùm multò magis, ut per Spiritum sanctum, unà cum omnibus fidelibus, hæredes & possessores cœlorum regni, cum CHRISTO capite nostro esse, ac vivere qveant, toto corde precatur. Anno

Id qvod altissima TRINITAS DEUS Pater, Filius, & Spiritus Sanctus clementer largiatur; AMEN.

Superstitio ex qvæstu. 1597.

RETulit N. N. qvidam fide dignus amicus, qvòd non procul à pago, Siessa major nuncupato, qvi Ulmensium ditionis est, & Geislingâ ejusdem Reipubl. oppido, milliare vulgare distat, ex Ducatu inclyto Wirtembergico in Ulmensium territorium & Dynastiam iter facientibus, ad sinistram, in proximo colle, vetusta capella conspiciatur, nomine Hyberspach / ad nobilem qvemdam pontificium spectans: cui antiqvitus, præter alia pontificiæ religiositatis genera, hæc peculiaris superstitio, uti admodum ridicula, ita maximoperè piis auribus & animis penitus adversa, attributa sit.

Ea est, ut, qvi aliqvando illicitis flammis pellectus mœchatus esset, subligaculo præfatæ Capellæ oblato & immisso (qvæ subligacula in summo illius Capellæ pavimento sunt asservata; & superioribus annis cuidam viro fide digno satis magnus eorum fasciculus est visus: qvi etiam, qvò sibi hujus superstitionis irrefragabile testimonium suppeteret, unum ex istis pecuniâ redemit) in posterum à mœchationis malo prorsus liber existeret, neqve crimini huic nefando denuò foret obnoxius.

Similiter & qvi impermissâ venere æstuaret, & de thori violatione periclitaretur, horum subligaculorum, in sæpius memoratam Capellam oblatorum, uno, suo pretio redemto, parte corporis conveniente cinctus uteretur, omne periculum malesvadi æstus Venerei effugeret, nec qvicqvam adversus conjugale vinculum admitteret. Imp. Rud. 2. Pp. Clem. 8.

S. G. S. 1597.

ILle, qvi nuper Catalogum testium veritatis Illyrici auxit, nomen suum non aliter, qvàm hisce tribus literis prodere voluit. Is hohannem 8. Papam Androgynum nominat, & librum magicum conscripsisse, dicit. Item Pontificiâ pompâ supra omnes se extulisse, Lotharioq; defuncto, filio sceptrum & coronam contulisse. Hæc referenda sunt ad dicta suprà parte 1. de Papissâ illa.

Iohannes VVilhelmus Stuckius in libr. Antiqvitatum convivalium. 1597

MUndi immundissimi, & ad occasum interitumqve suum appropinqvantis, decrepita atqve delira senectus talis est, ut videamus, avaritiæ, ambitioni; crapulæ, & ebrie-

Anno ebrietati etiam cultui divino consecratos, addictos ac mancipatos esse; ac licet in fide & religione semper ferè dissentiant, conspicimus tamen, in Cereris, Bacchi & Pluti cultu concordissimos esse. Imp. & Pp. V.S.

1597. *Thomæ Sigfridt Vaticinium.*

FOrtuna Christianorum est eadem, qvæ Judæorum; qvos Deus Ethnicorum Tyrannorum frenis in via retinuit, subqve disciplinam coërcuit, qvemadmodum & nos jam à Turcis, & Tartaris domamur: utinam tantùm non impœnitentes nos aliqvando ab iisdem, qvemadmodum pervicaces Judæi qvondam in captivitatem fuerunt abrepti, ab hostibus gentilibus obruamur, & captivi abducamur. Id qvod auguror omninò metuendum, ac de nobis futurum esse. Imp. Rud. 2. Pp. Clem. 8.

1597. *Andreas Angelus de Mirabilibus Mundi.*

QVemadmodum DEUS summus mundi arbiter, suos undiqvaqve tueri & protegere potest, & ex omnibus malis salvos reddere: sic & eos, qvi peccatis eum offendunt, plectere novit, ut omnes mirentur mortales. Et hoc esse verum, seqventia testantur exempla in Marchia visa.

Primùm enim referunt historiæ Schopperorum Magdeburgi, anno Domini 1203. post reparatam à Christo salutem, in feriis Pentecostes, cùm Pastor Ecclesiæ Ossema-
p.1057. rianæ prope Stendelam vetustæ Marchiæ rusticis suis lusisset cythara, fulmine ex DEI permissu ipsi dextram (qvæ plectrum tenebat) fuisse abscissam & ademtam: & cum eo adhuc alios 24. homines ictu tonitrui interiisse. Hoc referendum est ad præceptum tertium: Memento, diem Sabbathi sanctifices.

Anno 1525. 26. Decembris, ipso S. Stephani die, Monachus qvidam pro concione publica Coloniæ ad fluvium Spree D. Paulum Apostolum arguebat mendacii: at DEUS vicissim eum sic corripuit & animadvertit, ut illicò adhuc in suggestu constitutus, impiam efflaverit animam, & repentina deperierit morte. Hæc ad primum & secundum Decalogi præceptum spectant. Imper. & Papa ut suprà.

Idem. Anno 1551, in feriis sanctæ Pentecostes, cùm plebecula in qvodam pago non longè à Witstock convivaretur ex cerevisia, & qvædam fœmina horrendas inciperet evomere in DEUM blasphemias, protinus illam adoritur Satanas, in conspectu omnium, & abripit hinc per fores, ac subducit in auras, ex qvo omnis populus ingenti fuit perculsus horrore & metu. Nonnulli tamen ex virorum & mulierum grege seqvebantur, conspicaturi, qvò tandem cessurum esset hoc tam dirum miraculum. Cùm verò hinc à vico venissent spatium unius penè stadii & mulierem per aërem vehi satis longo tempore vidissent, tandem ex diaboli manibus in rus decidit ipsa, & mortua inventa fuit. Ad secundum mandatum hoc refertur. Anno

Idem. Anno Domini 1593. infensissimus humani generis hostis, satanas omnem vim exporrexit suam, & Fridebergi in nova Marchia, non procul à finibus Poloniæ, plures qvàm centum homines obsedit, & miserè vexavit, qvi omnes clamitàrunt & qveritati sunt: Janum Consulem ejus loci, & ipsius conjugem hujus ipsis esse mali causam. Et hanc qvoqve ob rem iste consul cum uxore sua aliqvandiu Custrini in custodiam compingebantur, deniqve tamen iterum libertati restituti fuerunt.

Idem mali diabolus etiam subsecuto anno 1594. Spandavii struxit, ubi etiam ultra qvadraginta homines occupavit, qvorum multos adhuc hodie captos tenet. Primùm verò eos instar aucupis inescavit: projectis ob oculos eis variis næniis & rebus, qvas simulac qvis apprehendit à diabolo fuit protinus correptus. Qvæ autem miseri illi se tunc expertos esse perhibuerint, silentio hìc prætereunda putavi. Omitto etiam varia & monstrosa hominum judicia de ejusmodi hominibus, & suo relinqvo singula loco & dignitati.

Hoc tamen dico, nusqvam historiarum simile extare exemplum: eodem in loco uno, & qvidem mediante qvarundam rerum inventione ac usu, tantam hominum copiam una vice simul obsessam fuisse: nisi qvòd Wierus refert, in cœnobio qvodam Sanctarum virginum omnes Moniales, inventis & manducatis qvibusdam granis saccari, eodem modo à diabolo mente captas. DEUM in cœlis misereat miseriæ nostræ & tribulationum: ipse prohibeat à nobis hunc hostem, & omnes corporis & animæ salute, propter Filium suum JESUM CHRISTUM, beare dignetur, Amen.

Idem. Diem novissimum, qvo CHRISTUS JESUS redibit solenniter, ad judicandum vivos & mortuos, præ foribus esse, non solùm sacra testantur oracula, qvorum monita & vaticinia pleraqve suum jam sunt consecuta effectum: sed & experientia qvotidiana docet manifestò tot exemplis horribilium turbarum, tumultuum, bellorum hinc inde vastum terrarum orbem vastantium, item pestium, calamitatum, & stupendorum miraculorum, portentorum, & monstrorum. Qvanqvam verò & Satanas sæpiusculè pro sua libidine ludat & divexet homines: tamen ejus pessima facta qvilibet Christianæ doctrinæ gnarus, à DEI miraculis & magnalibus facilè distingvere potest.

Cùm igitur annus 1597. passim mirifica, & post omnium mortalium memoriam in-

Anno audita nobis exhibeat prodigia, voluimus (& meritò qvidem, ad admonendos pœnarum impios & securos; pios autem, qvorum proh dolor sunt paucissimi, consolandos: & certissimè DEUM vigilare, nec longè à nobis absuturum) referre etiam, qvid Stralosunthæ, insigni emporiali qvadam Pomeraniæ urbe, Junii 16. die, anni 1597. acciderit.

Nam in aliqvibus hortis extra mœnia urbis pro porta Francica, de manè ex arboribus, herbis, floribus, graminibus & frondibus, & alibi pendebant guttæ sangvineæ: nec non & glebæ gramine carentes, erant sangvine tinctæ & rutilæ. Et ex eo sanè qvilibet conclusit, pluisse præterita nocte sangvinem, præsertim cùm & Piscatores, qvi eadem nocte aqvæ incubuerant laboribus, idem in suis navigiis & callibus animadverterint & offenderint, & ejus rei signum manifestum dederint eorum vestes sangvine conspersæ. Idem testabantur & lapides, qvos illi ex aqvis in suis retibus elevâssent: habebant enim cruentarum notas guttarum.

Præcipuum verò indicium erat qvoddam operimentum lineum cervicalis, inventum in loco, ubi solent exponi lintea auræ & radiis solis, ut albescant, spectans ad alicujus incolæ uxorem. Hæc igitur cùm ex linteo sangvinolentas vellet eluere maculas, adhibito smigmate & aliis mediis: protinus maculæ cruentæ se dispersêrunt in cruces, & qvo sæpius lavabantur cruciculæ, eò magis multiplicabantur, donec tredecim numero factæ sunt: qvarum qvælibet de nocte unum exæqvabat longitudine digitum: & tam nitidæ erant ac venustæ, ac si qvis summa industria & artificio eas pinxisset. Et tale hoc linteum qvibusvis, universo Senatui, & omnibus Ecclesiasticis ibidem contemplandum & ad numerandum cruces impertiebatur.

p. 1058.

Abhinc brevi, post qvatriduum, die Junii vicesimo, qvidam Bibliopegus Stralosunthius, nomine Johannes Hermarius, ex vico, qvi dicitur Catenarum, ablegatur in qvendam pagum, interim offendit in via qvendam virum, longitudinem duorum virorum habentem, canum, nudipedem, coloris purpurei subfusci. Hunc ille conspicatus terrore perhorruit, & omnino consternatus obstupuit: & sacræ crucis signo se obmunivit. Ingens igitur ille vir tam alta & crassâ, tonitru audire reputâsset, ad ipsum infit oratione, demulcens impotem animi sui placidiusculè, & sic inqviens. Noli timere, contra qvem te benedicendo munis, non sum ego.

Ex eo recollectis sensibus & animi viribus, ille denuò sustulit ea, qvæ ex hebescentibus manibus & membris priùs illi exciderant humi. Verùm ille Gigas statim secus eum accessit proximè, sistere gradum, dictisqve aures, & effectum postmodùm dare suis mandans: Redi, inqviebat, in urbem, & refer optimatibus, ut ab impiissima & execrabili ac inchristiana vita sua desistant, & valedicant vel tandem abominabili suæ avaritiæ, usuræ & carnificinæ pauperum: aliàs enim superba urbs 10. Augusti, qvi est Laurentii dies, omnis fumo fumabit, funditus extirpata. Anno

Bibliopegus autem nuncium hoc referre renuens, secunda vice ab illo tam seriò, tantisqve minis admonitus fuit, qvòd nisi oppidò jussa facesseret, non habiturus esset portionem in regno cœlorum. Ideoqve descendens in se altiùs, & sagaciori expendens arduitatem negotii & salutis suæ trutina, reversus domum, illicò omnia horrore & timore plenus, & Senatui Ecclesiastis urbis significabit.

Ante hæc, tempore verno, non longè à Wecla in Misnia, tanta aqvarum vis desuper se ex nubibus in terram effudit, ut ex illa inundatione septuaginta sex homines, exceptis pecoribus & infantibus, perierint suffocati: inæstimabile qvoqve damnum acciderit multis ædificiis, agris, & rebus aliis.

Item in Aprili in Hispaniis, Bourgeis inauditum qvoddam monstrum protulit mundus, qvod ex multorum ad varios scriptis illic & Venetiis certò constat literis. Ibi enim vacca qvædam duos vivos & integros omninò homines, masculum & fœminam, enixa est in lucem: qvibus & Archiepiscopus aliqvamdiu sacrum baptisma negabat, rei novitate, qvid faciendum esset, dubius; cùm simile exemplum neqve viderit aut audierit ipse, neqve de tali scripserit alio tempore qvisqvam: sed de hoc Legati Pontificii facultatem & permissum præstolabatur.

Hæc igitur & similia signa ac miracula, qvare his annis DEUS nobis ob oculos posuerit, jam pridem disputare non placuit: sed hisce nostrum tractatum concludemus, & ultima ornabimus coronide, sperantes: qvod in prologo dictum, hunc animum nostrum pium & candidum omnibus Christianis optimè probari, & laborem nostrum gratum fore, eosqve ista monita meditaturos pia mente. Adveni igitur, ô DOMINE JESU CHRISTE, citò, veni citò, Amen. Hæc Andr. Angelus.

Portentosum. 1598.

IN Hollandia procellosis ventorum turbinibus agitatum hoc anno, mense Februario, mare ejecit in littus grande cete: qvod loco movere, imò nec levare qvidem leviter poterant centum viri: longitudinis erat 60. pedum: altitudinis 30. rictu tanto os distendens, ut procerum elevatis sursum brachiis erectum virum capere potuerit. Dentes habuit 40. qvorum minimi 3. digitos

Anno tos erant crassi. Cùm moreretur, tantum edidit fragorem, ut qvasi ahenei tormenti maximi displosi sonitus audiretur; qvod non levis momenti portentum esse potest Ordinibus Belgicis, si animadvertere volent. Nigrin. in supplem. ad Rebvvicium.

1598. *Lucas Antonius Resta, Episcopus Andriensis.*

HIc conscripsit formulam generalis visitationis Ecclesiarum, Monasteriorum, piorumqve locorum & personarum, qvam pœnitet emisse & perlegisse: cum enim considerarem scripta Matth. cap. 23. (Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qvi mundatis, qvod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia: Pharisæe cæce, munda priùs, qvod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, qvod deforis est, mundum. Item. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qvia similis estis sepulchris dealbatis, qvæ à foris patent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos à foris qvidem peretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi & iniqvitate, &c.) vidi, me operam & oleum perdidisse.

Unum tamen notandum maximè reperi, qvod ipsemet fatetur Resta, multis in locis factum fuisse, qvòd clerici sine aliqva lucri spe (juxta prophetiam Mich. cap. 3. Sacerdotes in mercede docebant, & in pecunia divinabant) sacra administrare noluerint.

pag. * Hæc est imago Pyramidis, Chasteliani Jesuitarum impulsu perpetrati in Regem parricidii memoriæ ergò, positæ in dirutarum ædium illius Chastelii area Parisiis, cui Gallica aureis literis insculpta sunt verba sententiæ (illius, qvæ Latino sermone, paulò superiùs, fol. scil. 1018. ex Arnaldi Philippica in Jesuitas reos recitata est, & hoc anno 1598. cum hac monumenti ejus effigie, seqventibusqve carminibus & epigraphis denuò excusa Lutetiæ, par Jean le Clete, rue S. Jean Letran, à la Salemandre avec privilege du Roy) latæ in Jesuitas à Parlamento regio, qvibus rei criminis læsæ Majestatis, corruptores juventutis, perturbatores pacis publicæ, & inimici Regis atqve boni publici, convicti, judicari, & eò extra regnum ejecti fuerunt.

D. O. M.

PRo salute Henrici IV. clementissimi ac fortissimi Regis, qvem nefandus parricida (perniciosissimæ factionis hæresi pestifera imbutus, qvæ nuper abominandis sceleribus pietatis nomen obtendens, unctos DOMINI, vivasqve Majestatis ipsius imagines occidere populariter docuit) dum confodere tentat, cœlesti numine scelestam manum inhibente, cultro in labrum superius delato, & dentium occursu feliciter retuso, violare ausus est; Ordo amplissimi (ut vel terror pœnæ conatus tam nefarii, simul & præsentissimi in optimum Principem ac regnum, cujus salus in ejus salute posita est, divini favoris apud posteros memoria extaret) monstro illo admissis eqvis membratim discerpto, & flammis ultricibus consumto, ædes etiam, unde prodierat, heîc sitas, funditus everti, & in earum locum, hoc salutis omnium ac gloriæ signum erigi decrevit. 4. Non. Jan. Anno X. cIↃ. IↃ. XCV. Anno

Qvod sacrum votumq́; sit memoriæ perennitati, longævitati, salutiqve maximi, Fortissimi & Clementissimi Principis Henrici IV. Galliæ & Navarræ Regis Christianissimi.

Audi viator, sive sis extraneus,
Sive incola urbis, qvoi Paris nomen dedit.
Hic alta qvæ sto Pyramis, domus fui
Castella, sed qvam deruendam funditus
Freqvens senatus crimen ultus censuit.
Huc me redegit tandem herilis filius,
Malis magistris usus, & schola impia.
Sotericum, eheu, nomen usurpantibus;
Incestus, & mox parricida in Principem,
Qui nuper urbem perditam servaverat:
Et qui favente sæpè victor numine,
Deflexit ictum audaculi sicarii,
Punctusq́; tantùm est dentium septo tenus.
Abi viator, plura me vetat loqvi
Nostræ stupendum Civitatis dedecus.

In Pyramidem eandem.

QVæ trahit à puro sua nomina Pyramis igne,
Ardua barbaricas olim decoraverat urbes,
Nunc decori non est, sed criminis ara piatrix:
Omnia nam flammis pariter purgantur, & undis.
Hic tamen esse pius monimentum insigne Senatus
Principis incolumis statuit, quo sospite, casum
Nec metuet pietas, nec Res grave publica damnum.

EX S. C.

HEic domus immani qvondam fuit hospita monstro.
Crux ubi nunc celsum tollit in astra caput.
Sanciit in miseros pœnam hanc sacer Ordo Penates;
Regibus, ut scires, sanctius esse nihil.

D. O. M. S.

QVum Henricus Christianissim. Francorum & Navarror. Rex, bono Reip. natus, inter cætera victoriarum exempla (qvibus tam de Tyrannide Hispanica, qvàm

Anno qvàm de ejus factione priscam regni hujus Majestatem justis ultus est armis) etiam hanc urbem, & reliqvias regni hujus penè omnes recepisset; ac deniq; felicitate ejus, intestinorum Franciæ nominis hostium furorem provocante, Johannes Petri Fr. Castellus, ab illis submissus, sacrum Regis caput cultro petere ausus esset, præsentiore temeritate, qvàm feliciore sceleris successu: ob eam rem, ex amplissimis Ordinis consulto, vindicato perduellione, diruta Petri Castelli domo (in qva Johannes ejus Fr. in expiabile nefas designatum patri communicaverat) in area æqvata hoc perenne monumentum erectum est, in memoriam ejus diei, in qvo seculi felicitas (inter vota & metus urbis) liberatorem regni, fundatoremq; publicæ qvietis, à temeratoris infando cœpto; regni autem hujus opes attritas ab extremo interitu vindicavit; pulso præterea tota Gallia hominum genere novæ ac maleficæ superstitionis, qvi Remp. turbabant, qvorum instinctu piacularis adolescens dirum facinus instituerat.

S. P. Q. P.

EXtinctori pestiferæ factionis Hispanicæ, incolumitate ejus & vindicta parricidii læti, Majestatiqve ejus devotissimo.

Duplex potestas ista fatorum fuit,
Gallis saluti qvod foret, Gallis dare:
Servare Gallis, qvod dedissent, optimum.

p. 1061. 1598.

Memorabilia.

HOc tempore pervenit ad manus meas ex Justini Gobleri, Viri docti, Rectoris olim scholæ Trevirensis, Bibliotheca liber manuscriptus, seqventi titulo: Promissiones & prædictiones, per Spiritum sanctum in sacris literis traditæ omnes, omnium seculorum, ab exordio creaturæ ad finem usqve, atqve etiam ad renovationem rerum, qvod est regnum DEI, authore sancto qvodam, qvi vixit ante nongentos annos.

Habet is liber impleta jam multa, sed etiam plurima adhuc implenda, mira, & suspicienda, qvorum utinam tantùm qvædam referre liceret, sed brevitas non patitur, unum tantùm adscribam, qvod super verbis in Apocalypsi de Romana urbe scribit.

Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis: in poculo qvo miscuit, miscete ei duplum; & in qvantum se clarificavit, & potestatis habuit, in tantum date ei cruciatus & luctus, qvia dicit: sedeo Regina, & vidua non sum, nec luctum visura sum. Ideoqve una hora plagæ ejus supervenient, mors, fames, & luctus, & ipsam igni cremabunt, qvoniam fortis est DOMINUS, qvi eam judicabit. Qvis autem non intelligat, qvámnam dicat ferentem poculum plenum execrationibus, immunditia, & fornicatione totius terræ: æterna enim dicitur, qvæ temporalis est. Utiqve nomen est blasphemiæ, cùm mortales Reges in ea dicuntur Divi, eisqve supplices dicunt, numini vestro, altaribus vestris, perennitati vestræ, &c. qvæ vanitas, non veritas tradidit, ut qvæ execrabilia sunt. Hæ enim æterno DEO debentur.

Sanè in Sacris sacrilegis, & mollibus tunc Sacerdotibus, ad fornicationem idololatriæ omnes gentes invitans, seipsam in subditis contaminavit. De qvibus sacer insonat Psalmus: Perdidisti omnes, qvi fornicantur abs te. Veruntamen qvia sunt in ea cives supernæ patriæ Hierusalem, qvi dicunt, mihi autem adjungi DEO bonum est, dicitur eis: Exi de ea populus meus, ne particeps sis delictorum ejus, & ne perstringaris plagis ejus. Exeunt enim hi, qvi non fastus ejus, sed per humilem viam CHRISTUM seqvuntur, qvi non rapinam, sed misericordiam diligunt, qvi pacem & sanctificationem custodiunt, sine qva nemo poterit videre DEUM, qvi gemunt & dolent ob iniqvitates, qvæ fiunt in medio eorum, nec sunt jugum ducentes cum infidelibus.

Hos etiam DOMINUS in Evangelio suo exhortatus alloqvio, dicens inter cætera: Beati mites, qvia ipsi possidebunt terram: Beati misericordes, qvia ipsi misericordiam conseqventur: Beati pacifici, qvia ipsi filii DEI vocabuntur: Beati lugentes, qvia ipsi consolabuntur. Beati, qvi persecutionem patiuntur propter justitiam, qvoniam ipsorum est regnum cœlorum. Testatur id & Paulus, dicens: Tantùm qvi modò tenet, teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur iniqvus, qvem DOMINUS JESUS interficiet Spiritu oris sui, & evacuabit in illuminatione præsentiæ suæ. Hæc ille. Vidi qvoq; librum hunc impressum ab Henrico Petri Basileæ anno 1538.

Thomas Stapletonus. 1599.

HIc Professor Lovaniensis, in libro de admiranda magnitudine Romanæ Ecclesiæ sic scribit: Romanæ Ecclesiæ principatus à DEO ortum & principium habet, ab eo suscitatum; potestas ejus, potestas divina, cœlestis, claves regni cœlorum sortita: potestas æterna, qvæ non auferetur: & cujus Regnum non corrumpitur. Regnum hoc omnium seculorum est, & dominatio ejus perpetuò durabit, est enim à Christo, &c.

Hugo Trimperg. 1599.

HOc tempore misit ad me Vir Nobilis, virtute doctrinaqve excellens, Conradus à Liebenstein, librum manuscriptum

Anno ptum Hugonis hujus Trimperg. qvi claruit anno 1300. Continet defectus omnium statuum, & imprimis Ecclesiasticum vehementer deplorat. Titulus libri est Rieu und Land. Extat apud Nobiles de Zillhart.

1599. ## *Raphaël Eglinus Iconius.*

EDidit hic tractatum cum titulo seqventi: prophetia halicutica, nova, & admiranda, ad Danielis & sacræ Apocalypseos calculum chronographicum, divina ope nunc primùm in lucem productum: qva totius Ecclesiæ militantis status, notis & characteribus ternorum piscium maritimorum, ad latera stupendo prodigio insignitorum, præmonstratur.

Et infrà: At tertium Decembris, anno 1596. cùm fortè ad publicum conventum itaremus, exhibita nobis fuit à præcipuo hujus Ecclesiæ ministro figura qvædam piscis marini, lupo lacustri non absimilis; qvem alii Xyphiam, alii Cabelah esse putârunt, variis notis hieroglyphicis & Arithmetico-Geometricis insigniti, capti Grypsvvaldæ à Martino Hausatel cive, eo
p.1062. anno, 22. Maji; cujus deformationem modo attulerat secum Vir Amplissimus Anno Reipublicæ nostræ, ab Illustrissimo Archiduce Matthia, perlatam paulò antè Constantiam; eam ipsam videlicet urbem, ubi insignes duo illi martyres DEI, Johannes Huss, & Hieronymus Pragensis, Anno Christi 1415. cremati sunt.

Eam figuram Archidux à fratre Imper. Imperator à civitate Grypf. habuisse dicebatur. Cœtu dimisso, cùm primùm domum repetii, cœpi reqvirere haleces leraucuriani inter scrinia librorum &c. Reliqva (sunt enim prolixa) ut & ipsas piscium imagines ac characteres, vide apud authorem, impressum Tiguri anno 1598.

Augustinus Brunnius Annæmontanus.

SCripsit hic librum, qvem nominavit Triadem Electoralem: ibi refert inter alia, Joachimum Brandeburgicum 1. contra Turcas, Imperatori adduxisse exercitum auxiliarem 1100. eqvitum, & peditum 4000. ac cùm iter ingressus fuisset, gallos vix ante biduum natos læta acclamatione totum diem cecinisse.

Finit Centenarius Decimus-Sextus.



Anni ante Christum.		CENTENARII PRIMI IMPERATORES.	Anno	Menses	Dies
		Notabis hic Lector, nos in Imp. & Pontificum vitis in fine centenariorum, Onuphrij in ipso contextu verò & marginalibus, Funccij calculum ut plurimum insecutos fuisse.			
47	1	C. Julius Cæsar	4	8	15
50	2	C. Julius Cæsar Octavianus August.	43	21	18
Post Christum.					
14	3	Ti: Julius Cæs. August. German.	22	6	26
37	4	C. Julius Cæs. August. German.	3	10	9
41	5	Tib: Claudius Cæs. Aug. German.	13	8	20
55	6	Nero Claudius Cæs. Aug. German.	13	7	28
69	7	Ser. Sulpitius Galba Cæs. Aug.	0	7	7
70	8	M. Salvius Otho Cæs. Aug.	0	3	5
70	9	A. Vitellius German. August.	0	8	5
71	10	Cæs. T. Flavius Vespasianus August.	9	6	0
81	11	Titus Cæs. Vespasianus August.	2	2	20
81	12	Cæs. T. Flavius Domitian. Aug. Germ.	15	0	6
98	13	Cocceius Nerva Cæs. Aug.	1	4	9
99	14	Cæs. Ulpius Nerva Trajanus, optimus August. Germ. Dacicus, Parth.	19	6	15
		PONTIFICES.			
44	1	Simon Petrus Cephas Apostolus.	24	5	12
67	2	Linus Volaterranus Thuscus.	11	3	12
68	3	Clemens Romanus.	9	4	10
77	4	Cletus Romanus.	6	5	5
84	5	Anacletus Atheniensis Græcus.	12	8	10
96	6	Evaristus Bethlehemites Syrus Græcus.	13	3	0
		CONCILIA.			
48	1	Hierosolymitanum.	Epis.	Sess.	Cā.

ORDINES.

An. 31. REperit natus Christus in mundo sectas primarias tres, quæ ante ejus nativitatem annos circiter 130. sub Joanne Hircano Simonis filio emerserunt, & confirmatæ sunt. Vestitum habuerunt ab aliis sacerdotibus & Levitis alienum. PHARISAEI erant inter eos facilè præcipui: interpretabantur sacras literas, Unde & nomen, expositor & doctor, accepisse volunt. Alii eos à Pharez, id est, separatione, quia ab aliis separati esse voluerunt, deducunt. Ut etiam Hieronymus adversus Luciferianos, & in quæstionibus Hebraicis, eos à dissidio sic appellari dixit. Hi vestes longas gestabant: pitacia chartarum in fronte gerebant, & in sinistro brachio, quibus Decalogus inscriptus erat: quòd dixerat Dominus, Habebis quasi quid appensum inter oculos tuos, & in manu suâ. Et hæc philacteria dicebantur, quæ dilatabant, ut magis essent conspicua, quæque purpurea dicit fuisse Epiphanius. De doctrina eorum alibi dicitur: & Christus ipse eos luculenter describit Matth. 23. & 15. Mar. 3. & Joan. 11. Horum septem erant genera, ut habes in Judæorum Thalmud: & vide apud Andr. Osiandrum c. 15. Harmoniæ Evang. De his quoque vide Josephum lib. Antiq. 13. c. 23. In multis aliis, præcipuè tamen in eo Pontificibus nostris similes extiterunt, quòd Regibus infesti fuerunt, adeò ut eos etiam apertè impugnare non sint veriti. Joseph. lib. 17. c. 3. SADDUCÆI à Zaddikim justitia denominari voluerunt. De his vide Josephum lib. Antiq. 13. c. 9. de bello Jud. lib. 2. c. 7. Matth. 22. Marci 12. Luc. 20. ESSÆI vel ESSENI ab Hebræo Assa, quòd salutem bonis hominum operibus acceptam ferant, non autem gratiæ Dei. De eis Philo de vita contemplativa Essæorum. Et Plinius lib. 5. cap. 17. Josephus de bello Jud. lib. 2. cap 7. ibi eorum leges & instituta reperies. De quibus quoque Philo, Euseb. lib. 8. de præparatione Evangelica, & Chemnitius in Examine Trid. Concilii. NAZARÆI etiam tum fuerunt: sed jam dictis multò vetustiores. De voce hac habes Gen. c. 46. & Deut. c. 33. De eorum institutis & moribus, Numeri 6. per totum caput. Et apud Cyrillum & Procopium in lib. numerorum. Sed & RECHABITÆ, & PROPHETARUM filii multo tempore Christum antecesserunt. De illis habes in lib. 1. Paralip. c. 2. In Jeremia, c. 35. & apud Hieronymum in epist. ad Paulinum de institutione Monachi. De his verò Sam. 10. 2. Reg. 2. & 6. 2. Reg. 4. 1. Sam. 10. 4. Regum 2. & apud Hieronymum in epist. ad Rusticum. De quibus omnibus etiam plura infrà Anno 341.

VIRI DOCTI.

Eum ordinem hîc & postea seqvemur: ut qvidem excellentiores, eosqve solùm qvi sub hoc centenario floruerunt, annotare: reliqvus qvi allegantur, alio autem centenario vixerunt, ad universalem indicem reservare velimus.

Liber Baalam Divinatoris. Chalcidius Platonicus. Phlegon Trallianus. Chilius Higinus; qui poeticon Astronomicū scripsit, quod extat. Marcus Manilius Astronomus. Quintus Curtius. Titus Livius. Patavinitatem ejus quam nos non gustamus, gustavit tamen Annius Pollio: de quo infrà.

pag. 32

20. Lucius Fenestella. Ovidius. Velleius Paterculus. Petrus Apostolus. Seneca. Philo Judæus.

40. Dionysius Areopagita. Persius. Juvenalis.

50. Pomponius Mela Hispanus de situ orbis. Valerius Maximus. Nicodemus, Magister in Israël descripsit gesta Christi. Hujus libri meminit Theodosius Magnus Imp. & ex hebraica translatum Hierusalem extare dicit. Seneca Tragicus. Columella de re rustica. Evax Rex Indiæ scripsit de virtutibus gemmarum ad Neronem. Manethon. Cornutus de ærumnis Herculis. Cato. Lucanus.

80. Mutonius de optimo Principe. Asconius Pædianus. Solinus: cujus extat Polyhistor. C. Val. Flaccus Poëta: cujus extant libri Argonautici. Silius Italicus Poëta de bello Punico. Epictetus Philosophus. Statius. Frontinus scripsit libros stratagematum. Dion.

100. Abdias Babylonicus.

pag. 38

Christi An.	Num.	CENTENARII SECUNDI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
119	15	Cæsar Trajanus Hadrianus August.	20	6	29
139	16	Cæsar T. Aelius Hadrianus Antonius August. Pius.	22	7	26
162	17	Marcus Aurelius Antoninus Augustus solus: cū sequente.	19	0	24
			9	0	0
161	18	L. Aelius Aurelius Verus Antoninus Augustus cum illo.	9	0	0
180	19	L. Aelius Aurelius Commodus Antoninus Pius Felix Augustus, cum patre.	3	3	18
182		Solus.	12	8	15
194	20	P. Helvius Pertinax Augustus.	0	2	28
194	21	M. Didius Commodus Severus Julianus Augustus.	0	2	5
194	22	L. Septimius Severus Pius Pertinax Aug.	17	8	3
200	23	M. Aurelius Antoninus Pius Felix Augustus cum patre.	[illegible]	0	0

Christi An.	Num.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
109	7	Alexander Romanus.	7	5	19
117	8	Sixtus Romanus.	9	10	9
127	9	Telesphorus Græcus.	10	8	18
138	10	Hyginus Atheniensis Græcus.	4	0	0
148	11	Pius Aquileiensis.	11	5	17
155	12	Anicetus Humiliensis Syrus.	9	3	4
163	13	Concordius Soter Fundanus.	7	11	18
171	14	Habundius Eleutherus Nicopolitanus Græcus.	15	0	11
186	15	Victor Afer.	15	1	18
198	16	Habundius Zephyrinus Romanus.	10	0	19

pag. 18

Christi An.	Num.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	Ca.
144	2	Laodicense 1.			
187	3	Romanum 1.			
	4	Cæsareæ Palestinæ.	Paschatis die		
	5	Galliarum.			
	6	Achaiæ.			
198	7	Ponti.			
	8	Asiæ.			
	9	Osdroenæ.			

ORDINES.

Hoc centenario nulli reperiuntur ordines, apud Il... Apricos.

DOCTI VIRI.

Ignatius. Papias. Plinius secundus. Quadratus. Aristides.

110. Plutarchus. Serenus Granius. Archibaldus: Vechtanus: Doracus.

140. Caradocus: Phadius: vates Francici. Galenus 140. annis vixisse legitur. Thalmud. Thalmud Hierosolymitanum & Babylonicum. R. Asse. R. Judas. Misna liber. R. Johanan. R. Samuel. Rab. Rabina. Mor. Suetonius.

pag. 4

160. Lucianus. Arrianus Historicus. Aulus Gellius. C. Ptolomæus. Pausanias. Diogenes Laertius. Cornelius Tacitus, eques R. habes in latino sermone duriuscula quædam, non imitanda: sed est grandis & audax, multumque in eo inest spiritus. Minutius. Hermes Pastor. Athenæus Naucratita.

180. Justinus Martyr. Egesippus. Cataphrygū: Montani Priscillæ, & Maximillæ Vatum. Theophilus. Tatianus. Apollonius. Julius Pollux. Lucius Florus. Irenæus. Judas Chronographus. Clemens Alexandrinus.

190. Serapion.

Christo	Num.	CENTENARII TERTII IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
213	23	I. Aurelius Antonius, Felix Augustus solus.	6	2	1
219	24	M. Opelius Aurelianus Severus Macrinus Felix Aug.	1	2	8
220	25	M. Aurelius Antonius Pius Felix Aug.	3	9	4
224	26	M. Aurelius Severus Alexander Pius Felix Aug.	13	0	9
236	27	C. Julius Maximinus Germanicus Pius Felix Aug.	2	[illegible]	0
238	28	Cælius Balbinus & una			
	29	M. Clodius Pupienus Maximus	1	0	0
239	30	M. Antonius Gordianus P. F. A.	6	0	0
246	31	M. Julius Philippus, & filius.			
	32	Philippus Cæsar Aug.	5	0	0
251	33	Cn. Messius Quinctus Trajanus Decius, & filius.			
	34	Decius Cæsar.	2	0	0
252	35	C. Vibius Trebonianus Gallus & C. Vibius Volusianus.	2	6	0
255	36	P. Aurelius Licinius Valerius Valerianus &			
	37	P. Aurelius Licinius Gallienus cum illo.	7	0	0
		Solus.	8		
270	38	M. Aurelius Fl. Claudius.	1	10	15
271	39	M. Aurelius Quinctillus.	0	0	17
271	40	L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus.	4	11	7
276	41	M. Claudius Tacitus.	0	6	20
277	42	M. Aurelius Valerius Probus.	5	4	
pag. 94 283	43	M. Aurelius Carus Manlius Aurelianus.			

Christo	Num.	IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
284	44	M. Aurelius Carinus &			
	45	M. Aurelianus Numerianus.	1	0	0
285	46	C. Aurelius Valerius Diocletianus Jovius.	20	0	0
287	47	M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius.			
		PONTIFICES.			
218	17	Domitius Callistus Romanus.	5	1	9
223	18	Urbanus Romanus.	7	7	9
231	19	Calphurnius Pontianus Romanus.	5	5	2
236	20	Anterus Græcus.	0	1	14
237	21	Fabius Fabianus Romanus.	14	0	13
251	22	Cornelius Castinus Romanus.	2	2	3
253		I. Novatianus Romanus schismaticus.	6	0	0
253	23	Lucius Romanus.	1	5	13
255	24	Julius Stephanus Romanus.	2	3	25
257	25	Xystus 2. Junior Atheniensis Græcus.	2	10	23
260	26	Dionysius Monachus.	10	6	5
271	27	Felix Romanus.	4	5	5
275	28	Eutychianus Lunensis Thuscus.	8	6	4
283	29	Cajus Salonitanus Dalmata.	12	4	6
296	30	Marcellinus Romanus.	7	9	25

CONCILIA.

Christo	Num.	CONCILIA.
244	10	Philadelphicum.
246	11	Albeeanum.
	12	Africanum 1. & 2.
251	13	
	14	Romanum 2 & 3.
252	15	
	16	Antiochenum 1.

pag. 95

Christo	Num.	CONCIL.	Episc.	Sess.	Can.
253	17	Romanum 4.			
	18	Carthaginense 1. & 2.			
	19	Iconiense Lycaoniæ.			
254	20	Synnadanum Phrygiæ.			
	21				
255	22	Africanum 3.			
264	23	Antiochenum 2.			
269	24	Romanum 5.			
270	25	Antiochenum 3.			

ORDINES.

Nec hoc Centenario Ordines ulli sunt; sed ut dictum est, in anno post Christum natum 141. modo sese offerent.

DOCTI VIRI.

Polycrates. Alexander Aphrod. Tertullianus. Cyprianus. L. Apuleius.

Herodianus. Origenes. Hildegastus Vates. Ammonius Philosophus. Dion Cassius. Ulpianus I. C. 220.

Modestinus I. C. Methodius Græcus. Ælianus. Triphon Orig. auditor. Minucius. pag. 96 240.

Berillus. Antonius Eremita. Plotinus. Porphyrius. Julius Africanus. Novatianus. Anatholius. 260.

Pierius. Trebellius Pollio. Lampridius. Ael. Spartianus. Dionysius Halicarnassæus. Stobæus. 280.

Julius Capitolinus. 300.

Christo	Num.	CENTENARII QVARTI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
305	48	Fl. Valerius Constantius &			
	49	C. Galerius Valerius Maximianus.	1	10	8
307	50	Flavius Valerius Constantinus Maximus.	30	9	29
	51	Aurelius Maxentius.			
	52	C. Galerius Maximinus.			
	53	Licinius.			

pag. 128

Anno	Nu.		Anni	Menses	Dies
337	54	Fl. Valerius Constantinus Junior, &	0	0	0
	55	Fl. Julius Constantius Junior, &	24	5	9
	56	Fl. Valerius Constans	10	0	0
		unà	3	0	0
362	57	Fl. Claudius Julianus,	1	7	27
363	58	Fl. Jovianus.	0	7	22
365	59	Fl. Valentinianus,	11	8	22
365	60	Fl. Valens.	14	4	13
367	61	Fl. Gratianus,	8	2	28
376	62	Fl. Valentinianus Junior cum illo,	9	9	9
		Solus.	8	8	12
379	63	Fl. Theodosius Magnus.	16	0	2
383	64	Fl. Arcadius.	12	0	0
394	65	Fl. Honorius.	[illegible]	0	0

PONTIFICES.

304	31	Marcellus Romanus.	5	6	21
310	32	Eusebius Medicus Graecus.	1	7	27
311	33	Miltiades Afer.	3	2	0
314	34	Silvester Romanus.	21	0	4
336	35	Marcus Romanus.	0	8	22
336	36	Julius Romanus.	16	1	16

pag. 129

Christi	Nu.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
353	37	Liberius Romanus.	13	4	14
355		2. Felix 2. Junior Romanus	10	3	11
366	38	Damasus Vimarensis Lusitanus Hispanus.	13	[illegible]	11
366		3. Ursicinus Romanus.		1	23
384	39	Siricius Romanus.	13	1	25
398	40	Anastasius Romanus.	4	0	21

		CONCILIA.	Sess.	Epis.	Ca.
303	26	Sinuessanum.			
	27	Eliberinum in Hispania.			18
	28	Romanum 6.			
313	29	Arelatense 1.			
	30	Carthaginense 3.			23
314	31	Arelatense 2.			
316	32	Ancyranum.			37
316	33	Neocaesariense.			24
325	34	Nicaenum.			14
	35			318	34
335		Romanum 7. & 8.			
	36				
328	37	Romanum 9.			
	38	Tyrium.			
335	39	Hierosolymitanum.			
342	40	Romanum 10.			
341	41	Antiochenum 4.			
346	42	Coloniense.			
347	43	Sardicense.			21
348	44	Hierosolymitanum 3.			
348	45	Alexandrinum.			
350	46	Syrmiense.			18

pag. 130

Christi	Nu.	CONCILIA.	Epis.	Sess.	Ca.
354	47	Mediolanense.			
359	48	Ariminense.			
359	49	Seleucianum.			
360	50	Constantinopolitanum.			
	51	Caesariense 2.			
	52	Ponticum 2.			
361	53	Gangiense.			
	54	Melitinense.			
	55	Antiochenum 5. & 6. & 7.			
	56	Alexandrinum 2.			
362	57	Nicaenum 2.			
	58	Macedonianorum.			
	59	Majumenum.			
363	60	Antiochenum 8.			
	61	Alexandrinum 3.			
364	62	Laodicenum 2.			59
364	63	Illyricianum.			
	64	Lampsacenum.			
	65	[illegible]			
	66	Tarsense.			
365	67	Antiochenum 9.			
	68	Cariae.			
	69	Tyanense.			
367	70	Pazense Phrygiae.			
368	71	Romanum 11.			
37[illegible]	72	Valentinum.			
	73	Constantinop. 2.	150		7
381	74	Aquileiense.			
	75	Romanum 12.			
382	76	Constantinop. 3.			
383	77	Constantinop. 4.			

pag. 131

Christi	Nu.	CONCILIA.	Epis.	Sess.	Ca.
386	78	Angari Bithyniae.			
394	79	Carthaginense 4.			13
	80	Carthaginense 5.			
	81	Taurinas.			
	82	[illegible]ptanum.			
397	83	Carthaginense 6. & 7.			
398	84				
	85	Carthaginense 8.			
400	86	Cyprium.			
	87	Alexandrinum 4.			20
	88	Toletanum.			

ORDINES.

Ordines quorum apud Historicos fit mentio post Christum natum sunt.

341. Ord. Thabennesiotarum.
366. Ord. Publicae Religiosae foeminae.
384. Ord. S. Basilij.
399. Ord. S. Augustini.

DOCTI VIRI.

Arnobius Afer. Miltiades Episc. Romanus. Lactantius, Eusebius Caes.

320 Jamblichus. Arrius. Spiridon. Juvencus. Athanasius.

340 Palladius Monachus. Julius Firmicus Astronomus. Liberius Papa. Ammianus Marcellinus. Hilarius Pictaviensis.

pag. 131

360 Vigilantius. Martinus Turonensis. Julianus Apostata. Eunomius Monachus. Damasus. Ambrosius. Vegetius de re militari. Ephrem Syrus.

380 Aurelius Prudentius. Evagrius Monachus. Gregorius Nazianzenus. Haymo. Hieronymus. Tichonius Afer. Pachomius Monachus. Amphilochius. Epiphanius. Ruffinus. Sisinnius.

400 Sex. Aurelius Victor.

pag. 152.

Christi	Nũ.	CENTENARII QVINTI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
408	66	Fl. Theodos. Junior. cum patre solus	6 42	2 8	15 0
451	67	Fl. Marcianus	6	6	0
457	68	Fl. Leo.	17	0	0
474	69	Leo Junior, &			
474	70	Fl. Zeno Isauricus. hic solus	1 15	 0	 0
475	71	Fl. Basiliscus.	1	6	0
492	72	Fl. Anastasius Dicorus	27	3	3

Christi	Nũ.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
401	41	Innocentius Albanus.	15	8	21
416	42	Zosimus Cæsariensis Cappadox Græcus.	3	4	7
419	43	Bonifacius Romanus.	3	9	10
420		4. Eulalius Romanus.	0	3	7
423	44	Celestinus Romanus.	8	5	3
432	45	Sixtus 3. Romanus.	7	11	0
440	46	Leo Magnus Romanus.	20	11	0
461	47	Hilarius Sardus.	6	3	0
467	48	Simplicius Tiburtinus Latinus.	15	6	23
483	49	Felix 2. dictus 3. Junior Romanus.	8	11	17
492	50	Gelasius Afer.	4	8	19
496	51	Anastasius 2. Junior Romanus.	1	11	24
498	52	Cælius Symmachus Sardus.	15	7	28
498		5. Laurentius Romanus.	1	0	0

pag. 153.

Christi	Nũ.	CONCILIA.	Epis.	Sess.	Can.
	89				
	90				
402	91	Constantinop. 5.			
	92	Chalcedonense 1.			
	93	Milevitanum.			
403	94	Palæstinum.			30
	95	Constantinop. 6. & 7.			
	96	Constantinop. 8.			
408	97	Ephesinum.			
	98	Alexandrinum 5. & 6.			

Christi	Nũ.	CONCILIA.	Epis.	Sess.	Can.
413	99	Carthaginense 9.			15
	100	Carthaginense 10.			
414	101	Sebarsusiense.			
415	102	Cirthense.			
417	103	Telense.			
418	104	Carthaginense 11.			20
422	105	Hipponense.			
430	106	Ephesinum 1.	200		
	107	Pamphiliacum.			
431	108	Romanum 13.			
	109	Antiochenum 10.			
433	110	Armeniacum.			
	111	Regiense.			
	112	Hierosolymitanum 4.			
439	113	Romanum 14. & 15.			
	114				
441	115	Arausicum 1.			
442	116	Vasense.			
443	117	Arausicum 2.			
444	118	Carpentoratense.			
446	119	Aquilienicse.			
448	120	Constantinop. 9.			
449	121	Constantinop. 10.			
	122	Ephesinum 3.			
449	123	Berytium			
	124	Romanum 16.			
450	125	Ephesinum 4.			
	126	Constantinop. 11.			
451	127	Chalcedonense 2.	630		
452	128	Alexandrinum 7.			
455	129	Arelatense 3.			
463	130	Veneticum			
461	131	Thuronense			
478	132	Carthaginense. 12.			
	133	Romanum 17. & 18.			
484	134	Epaunense			
	135	Romanum 19.			
	136	Constantinop. 12.			
494	137				
495	138	Romanum 20.			

pag. 154. Con-

Christi	Nũ.	CONCILIA.	Anni	Menses	Dies
498	139	Ravennas			
	140				
	141				
	142	Romanum 21. 22.			
	143	23. 24. 25. 26.			
	144				
	145				

ORDINES.

pag. 155.

422. Ord. Paulæ Romanæ.
495. Ord. Canonissarum Regularium.
495. Ord. Canonicorum.

VIRI DOCTI.

Claudianus Poëta. Rabina & Rabasse. Vigilius. Chrysostomus. Innocentius Episcopus Roman. Isidorus. Orosius. Paulinus presbyter.

Eusebius Emisenus. Zosimus. Theodoretus. VVisigastaldus & Salagastus. Socrates & Sozomenus. Posidonius Afer. Julianus Toleti Episcopus. Theodorus Episcopus. Serenus. Jo. Cassianus Scytha. Cyrillus. Evodius Episcopus. Palladius Episcopus. Leporius. Proba Falconia Romana mulier docta. Eudoxia Theod. Junioris Imp. uxor literata. 420.

Junilius. Eugenius Chartag. Episcopus. Polychronius. Sulpitius Severus. 440.

Victorianus. Theodorus Lector. Prosper Aquitanus. Sabinianus Episcopus Massiliensis. 460.

Sydonius Apollinaris. Faustus Abbas. Hesychius Presbyter. Gelasius. Jo. Maxentius. Ennodius. Gennadius Episc. Constantinop. Simplicius Papa. Gennadius Massiliensis Eccl. Presbyter. Fulgentius Episcopus Ruspensis in Africa. 480.

Pascasius R. Ecclesiæ Diaconus. 500.

pag. 179.

Christi	Nū.	CENTENARII SEXTI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
518	73	Fl. Anicius Justinus.	9	0	28
528	74	Fl. Anicius Justinianus.	38	8	13
566	75	Fl. Anicius Justinus Junior.	10	10	20
576	76	Tiber. Anicius Constantinus.	6	10	8
584	77	Ti. Fl. Mauricius.	19	8	13

Christi	Nū.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
514	53	Cælius Hormisda Frusinas Campanus Latinus.	9	0	18
523	54	Joannes Thuscus.	2	9	16
526	55	Felix 3. dictus 4. Beneventanus Samnis.	4	2	13
530	56	Bonifacius 2 Junior Roman.	1	0	2
530		6. Dioscorus Romanus.	0	0	28
532	57	Joannes 2. Jun. Mercur. Rom.	2	4	6
534	58	Rusticus Agapetus Romanus.	0	11	19
531	59	Cælius Silverius Frusinas Hernicus Campanus Latinus sedit annum ab electione ordinatione.	1 1	10 5	7 11
537	60	Vigilius Romanus à creatione à consecratione.	18 18	7 5	15 28
556	61	Pelagius Romanus.	4	0	18
560	62	Joannes 3. Catellinus Romanus.	13	0	26
573	63	Benedictus Bonosus Romanus.	4	2	13
577	64	Pelagius 2. Junior Rom.	10	8	29
590	65	Gregorius M. Romanus Monachus.	14	0	6

pag. 180.

Christi	Nū.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	Cā.
	146	Romanum 27. & 28.			
501	147				
502	148	Romanum 29.			71
505	149	Agathense			
507	150	Ilerdense			16
508	151	Valentinum 2.			6

Christi	Nū.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	Cā.
510	152	Sidonense.			
512	153	Romanum 30.			
512	154	Aurelianense.			18
	155	Heracliense.			
515	156	Romanum 31.			
516	157	Tarraconense.			10
	158	Cæsaraugustanum.			8
518	159	Constantinop. 13.			
519	160	Secundæ Syriæ.			
529	161	Toletanum.			5
	162				
531	163	Romanum 32. 33. 34.			
	164				
534	165	Constantinop. 14.			11
535	166	Aurelianense.			32
539	167	Aurelianense			37
541	168	Arvernense.			
550	169	Aurelianense.			
558	170	Aurelianense.			
	171	Constantinop. 15.			
553	172	Mopsuestenum.			
	173	Hierosolymitanum. 5.	16		
557	174	Parisiense.			0
558	175	Parisiense			
570	176	Turonense.			66
580	177	Gradense.			1
582	178	Brenacense.			
	179	Cabilonense.			
583	180	Matisconense.			
584	181	Lugdunense.			23
587	182	Matisconense.			
589	183	Constantinop. 16.			10
590	184	Matisconense.			
	185	Lugdunense.			
591	186	Pictaviense.			
	187	Toletanum.			
593	188	Hispalense.			
596	189	Romanum 35.			
600	190	Metense.			

Con-

pag. 181.

ORDINES.

530. Ord. Apostolicorum.
530. Ord. Benedictinorum.
510 Ord. Scholasticanarum Benedictinarum.
595. Ord. Gregorianorum.

DOCTI VIRI.

Symmachus. Gildas Albanius Britto. VVastaldus.

510. Hunibaldus. Hormisda. Procopius Cæsariensis. Jordanus Episcopus Gothorum. Marcellinus Comes. Cassiodorus. Boëtius. Proclus: cujus commentarius in Platonem extat. Agathias. Tribonianus J. C. Suidas. pag. 181.

540. Theliesinus Helius Bardus Britto. Pelagius Episcopus Romanus. Brendanus.

560. Remigernus Ervius Britto. Merlinus Caledonius Britto.

580. Gildas Badonicus. Gregorius Magnus Episcopus Romanus. Speculum Saxonicum. Mahumetes.

600. Gregorius Turonensis.

pag. 190.

Christi	Nū.	CENTENARII SEPTIMI. IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
608	78	Fl. Phocas.	8	4	9
611	79	Fl. Heraclius.	30	5	0
633	80	Fl. Heraclius Constantinus cum patre	28	5	0
		solus.	0	4	0
641	81	Fl. Heracleonas.	0	11	0

Fl. He-

Anno	Nû.		Anni	Menses	Dies
642	82	Fl. Heraclius Constans.	26	8	0
669	83	Fl. Heraclius Constantinus V. Pogonatus.	16	7	0
684	84	Fl. Heraclius Justinianus cum patre	0	0	0
		solus.	10	5	0
		& iterum post bellum, quo occidit	6	0	0
697	85	Fl. Leontinus.	3	0	0
700	86	Fl. Tiberius absimarus.	7	0	0

PONTIFICES.

Anno	Nû.		Anni	Menses	Dies
604	66	Sabinianus Bleranus Thuscus.	0	5	19
605	67	Bonifacius 3. Romanus.	0	8	23
606	68	Bonifacius 4. Valeriensis Marsus.	6	8	12
615	69	Deus Dedit Romanus.	3	0	19
617	70	Bonifacius 5. Neapolitanus	5	10	0
626	71	Honorius Campanus.	12	11	7
637	72	Severinus Romanus.	1	2	4
639	73	Joannes 4. Dalmata.	1	9	18
640	74	Theodorus Hierosolymita Græcus.	6	5	19
647	75	Martinus Tudertinus Thuscus.	6	4	7
654	76	Eugenius Romanus.	2	9	24
657	77	Vitalianus Signinus Latinus	14	5	29

pag. 193.

Christo	Nû.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
672	78	Adeodatus Rom. monachus.	4	2	16
676	79	Domnio, Donus vel Domnus Romanus	1	5	10
679	80	Agatho Panormitanus Siculus monachus.	2	6	0
682	81	Leo 2. Junior Aidonensis Catanensis Siculus	0	10	19
684	82	Benedictus 2. Junior Romanus	0	10	27
685	83	Joannes 5. Antiochenus Syrus.	1	0	9
686		7. Petrus Romanus.			
686		8. Theodorus.			
686	84	Cuno Thrax.	0	11	6
		9. Theodorus presbyter.			
687		10. Paschalis Archidiacon.			
687	85	Sergius Antiochenus Syrus. Panormitanus Siculus.	13	8	23

pag. 194.

CONCILIA.

Anno	Nû.		Epis.	Sess.	Ca.
601	191	Anglicanum.			
601	192	Romanum 36.			
609	193	Lusense.			
610	194	Romanum 37.			
	195	Bracarense.			80
615	196	Matisconense.			
614	197	Antisiodorense.			41
633	198	Toletanum.			74
614	199	Hispalense.			
636	200	Toletanum.			9
638	201	Hierosolymitanum 8.			
639	202	Toletanum.			19
645	203	Romanum 38.			
645	204, 205, 206	Africana 3.			
647	207	Toletanum.			6
650	208	Hispaniense.			
658	209	Romanum 39.			
656	210	Toletanum.			18
653	211	Cabilonense.			
	212	Toletanum.			19
659	213	Toletanum.			7
664	214	Brittannicum.			
673	215	Herudfordianum.			
	216	Toletanum.			
674	217	Bracarense.			
679	218	Adauvifordianum.			
680	219	Romanum 40.			
680	220	Gallicanum.			
	221	Brittannicum Hedifeldense.			
	222	Constantinopolitanū 17.	190		108
684	223	Toletanum.			18
683	224	Toletanum.			
685	225	Gallicanum.			
687	226	Niddense.			
700	227	Aquilense.			

ORDINES.

610. Ord. Gerundinensium.
623. Ordines Turcorum. Vide apud Georgevviz, Cuspinianum, & Hospinianum.

DOCTI VIRI.

Alcoranus. Isidorus Hisp. Episc. Nicephorus. 620.

Joannes Gerundinensis. Joannes Eleemosynarius. S. Columbanus. S. Gallus. Gallinicus. 640.

Paulus Cretensis Episcopus. 700.

pag. 212.

Christo	Nû.	CENTENARII OCTAVI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
712	87	Fl. Philippicus Bardanes.	2	0	7
711	88	Fl. Artemius Anastasius.	1	3	0
716	89	Fl. Theodos. IV. Adramitenus.	0	7	6
719	90	Fl. Leo 3. Isaurus.	24	2	25
720	91	Fl. Constantin. VI. Copronymus Porphyrogenitus cum patre	21	2	0
		solus.	35	2	27
741	92	Fl. Leo IV. Porphyrogenitus cum patre	24	5	0
771		solus.	4	11	16
776	93	Fl. Constantinus VII. Porphyrogenitus cum patre	4	4	16
780		sub matre	10	6	0
798	94	Irene sola.		2	16

PONTIFICES.

Christo	Nû.		Anni	Menses	Dies
701	86	Joannes 6. Græcus.	3	2	3

Joan-

Anno					
705	87	Joannes 7. Græcus.	[illegible]	9	12
707	88	Sisinnius Syrus.	0	[illegible]	20
707	89	Constantinus Syrus.	8	[illegible]	10
714	90	Gregorius 2. Junior Romanus.	14	10	[illegible]
731	91	Gregorius 3. Syrus.	10	8	24
741	92	Zacharias Græcus monachus.	10	3	[illegible]
752	93	Stephanus 2. Junior.	0	0	4
752	94	Stephanus 3. dictus 2. Junior Romanus.	[illegible]	[illegible]	[illegible]
757	95	Paulus.	10	1	[illegible]
757	96	Theophylactus Romanus.	0	0	[illegible]
767	[illegible]	Constantinus Nepesinus.	1	1	[illegible]
768	[illegible]	Philippus Roman. monachus.	0	[illegible]	[illegible]
768	96	Stephanus 4. dictus 3. Siculus monachus.	3	5	27
Pag. 213. 772	97	Hadrianus Romanus.	23	10	17
795	98	Leo 3. Romanus.	26	5	18

CONCILIA.

Anno			Epis.	Sess.	Ca.
704	228	Anglicum.			
[illegible]	229	Londonense.			
[illegible]	230	Constantinop. 18.			
	231	Romanum 41.			
716	232	Romanum 42.			
720	233	Germanicum.			
725	234	Syriæ.			
[illegible]	235	Constantinop. 19.			
731	236	Romanum 43.			
742	237	Augustanum.			
	238	Romanum 44.			
742	239	Gallicanum.			
744	240	Cloneshoanum Brittann.			
745	241	Cistinense.			
755	242	Constantinop. 20.	338		
755	243	Ascheimense.			
765	244	Dingulfinense.			
767	245	Gentiliacense.			
768	246	VVormaciense 1.			
	247	Romanum 45.			
769	248	Romanum 46.			
770	249	VVormaciense 2.			
772	250	VVormaciense 3.			
774	251	Romanum Lateranense 47.			
779	252	Onnense.			
780	253	Ad Lippam Saxoniæ.			
782	254	Geminense.			
	255	Ratisbonense.			
785	256	Paderbornense.			
786	257	Anglicanum.			
788	258	Ingelheimense 2.			
Pag. 214. 789	259	Nicenum 2.	350		
793	260	Romanum 48.			
794	261	Francfordiense.			
797	262	Aquisgranense.			

ORDINES.

In hoc centenario octavo nulli apud Historicos leguntur novi Ordines.

DOCTI

DOCTI VIRI.

Accas Hagustaldensis Episcopus.
Beda. Liber de vita Crodegangi. 720
Cuthbertus. Bonifacius Germanorum Apostolus. Albertus Gallus. 740
Claudius Clemens. S. Gangulphus Martyr. Albinus. 760
P. VVarnefridus Diaconus. VVillibaldus. Avenzoar medicus Arabs. Ægidius monachus Atheniensis. Burchardus Episcopus VVirtzburgensis. Eginhardus. 780
Hincmarus Episcopus Remensis. 800

Christi	Nu.	CENTENARII NONI	Anni	Menses	Dies
		IMPERATORES.			
801	95	Carolus Magnus	13	[illegible]	4
814	96	Ludovicus Pius Augustus 2.	26	4	24
840	97	Lotharius.	15	[illegible]	[illegible]
855	98	Ludovicus 2 Junior.	19	[illegible]	0
875	99	Carolus 2. Junior Calvus.	2	[illegible]	0
877	100	Ludovicus 3. Balbus.	1	6	1
879	110	Carolus 3. Crassus.	8	[illegible]	[illegible]
887	102	Arnulphus.	12	[illegible]	10
899	103	Ludovicus IV.	12	[illegible]	[illegible]

Pag. 247

Christi	Nu.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
816	99	Stephanus V. dictus 4.	0	[illegible]	29
817	100	Paschalis Romanus monachus.	7	[illegible]	[illegible]
824	101	Eugenius 2. Junior Romanus.	3	[illegible]	24
824	[illegible]	Zinzinus Romanus.	0		[illegible]
827	102	Valentinus Romanus.	0	[illegible]	10
828	103	Gregorius 4. Romanus.	16	0	[illegible]
844	104	Sergius 2. Junior Roman.	[illegible]	3	[illegible]
847	105	Leo 4. Roman. monachus	8	[illegible]	6
855	106	Benedictus 3. Romanus.	2	[illegible]	[illegible]
855		Anastasius 3. Romanus.	[illegible]		
858	107	Nicolaus Magnus Rom.	9	6	20
867	108	Hadrianus 2. Junior Rom.	[illegible]	10	[illegible]
872	109	Joannes 8. Romanus.	10	0	[illegible]
882	110	Marinus Galesinus Faliscus.	[illegible]		[illegible]
884	111	Hadrianus 3. Rom. Agapitus.	1	[illegible]	[illegible]
885	112	Stephanus 6. Rom. Basilius	6	0	[illegible]
891	113	Formosus portuensis.	4	6	12
895	114	Bonifacius 6. Romanus.	0	0	15
896	115	Stephanus 7. dictus 6.	1	2	19
	116	Romanus Gallesianus Faliscus.	0	4	28
897	117	Theodorus 2. Junior Romanus.	0	[illegible]	20
	118	Joannes 9. Tiburtinus monachus.	2	[illegible]	[illegible]
[illegible]	119	Benedictus 4. Romanus	[illegible]	[illegible]	[illegible]

CON-

Chri. Ao	Nũ.	CONCILIA.	Epi	Sess.	Cã.
802	263	Salzburgense.			
803	264	Haliense.			
809	265	Aquisgranense.			
811	266	Triburiense.			
812	267	ad Theodonis villam.			
	268	Moguntinum.			56
	269	Remense.			44
813	270	Turonense.			51
	271	Cabilonense.			63
	272	Arelatense.			26
816	273	Aquisgranense.			
824	274	Vormaciense.			145
	275	Moguntinum.			
829	276	Aquisgranense.			
830	277	Aquisgranense.			
834	278	Moguntinum.			
835	279	Gallicanum.			
837	280	Aquisgranense.			
840	281	Remense.			
	282	Meldense.			
848	283	Moguntinum.			31
850	284	Romanum 49.			64
851	285	Ticinense.			
852	286	Moguntinum.			
862	287	Romanum 50.			
863	288	Romanum 51.			
	289	Constantinop. 21.			
	290	Metense.			
864	291	Aquisgranense.			
	292	Romanum.			
	293	Constantinop. 22.			
865	294	Romanum 53.			
	295	Francicum.			
867	296	Constantinop. 23.			
868	297	Romanum 54.			
869	298	Constantinop. 24.	100		
871	299	Coloniense.			
876	300	Vermeriense.			
	301	Aciniacum.			
877	302	Pontigonense.			
	303	Constantinop. 25.			
878	304	Trecense.			
880	305	Macrense.			
887	306	Coloniense.			6
888	307	Moguntinum.			24
	308	Ravennas.	74		
896	309	Triburiense.			58

pag. 249.

ORDINES.

pag. 23..

Horum hic nulla fit mentio apud Historicos.

DOCTI VIRI.

Claudius Turonensis Episcopus. Claudius Clemens Scotus. Freculphus Episc. Lexoviensis. Adalbertus Gallus. Samson Sidonius. Vergilius Hibernus.

830. Rabanus Maurus. Chronicon ordinis Cisterciensis. Luitpertus Episc. Moguntinus. Joannes Zonaras Monachus. Joannes Turpinus Archiepisc. Remens. & multi. Annales Ludovici Imperatoris. Valafridus Abbas. Aimonus Monachus.

Eutropius presbyter. Strabus Monachus Fuldensis. Godescalcus Presbyter. Xiphilinus. Rosvida Monialis docta. Fulcuinus Morinorum Episcopus. Anastasius Bibliothecarius Romanus. 840.

Methodius Illyricus. Bertramus. 860.

Pascasius Rodobertus Abb. Corbeiens. B. Remigius. Ansegisus. Fabianus. Almannus Monachus. Ansbertus. 880.

Hugbaldus Monachus Gallus: Eclogam scripsit de Calvis, in qua omnia verba incipiunt à litera C. 900.

pag. 272.

Chri. Ai	Nũ.	CENTENARII DECIMI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
913	104	Chunrade Rex Germaniæ.	7	[illegible]	0
919	105	Henricus 1 Auceps.	17	[illegible]	0
936	106	Otto Magnus 1.	36	1	6
973	107	Otto 2. Junior.	10	7	2
983	108	Otto 3.	17		14

Chri. Ai	Nũ.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
903	120	Leo 5. Priapensis Latinus.	0	1	10
903	121	Christophorus Romanus.	0	7	0
903	122	Sergius 3. Romanus.	7	3	16
911	123	Anastasius 3. Romanus.	2	1	22
913	124	Lando Sabinus.	0	6	22
914	125	Joannes 10 Ravennas.	14	2	15
928	126	Leo 6.	0	6	15
928	127	Stephanus 7. dictus 7. Romanus.	2	1	15
930	128	Joannes 11. Romanus.	4	10	15
935	129	Leo 7. Romanus.	3	6	10
939	130	Stephanus 9 dictus Romanus.	3	4	15
942	131	Marinus 2. Junior Roman	3	6	14
946	132	Agapetus 2. Junior Rom.	9	7	10
956	133	Joannes 12. Romanus.	8	4	6
963	134	Leo 8. Romanus.	1	3	12
964		16. Benedictus 5. Romanus.	0	1	10
965	135	Joannes 13. Romanus.	6	11	5
972	136	Donus, Dominus, Domnus, Domnio 2. Junior Romanus.	0	3	0
972	137	Benedictus 5. dictus 6. Romanus.	1	3	0
974	138	Bonifacius 7. Rom. Franco.	1	1	12
975	139	Benedictus 6. dictus 7. Tusculan.	9	1	19
984	140	Joannes 14. Papiensis.	0	8	0
985	141	Joannes 15. Romanus.	9	6	10
995	142	Joannes 16. Romanus.	[illegible]	4	0
995	143	Gregorius 5. Saxo Germanus.	2	8	3
996		17. Joannes 17. Græcus.	0	10	
998	144	Sylvester 2. jun. Aquit. Gallus.	4	6	12

pag. 273

Chri-sti	Nũ.	CONCILIA.	Epi/.	Sess.	Cã.
905	310 & 311	Remensia 2.			
916	312	Althalmense.			
9[illegible]	313	Dingelfingense.			
927	314	Duisbergense.			
935	315	Erfordiense.			
943	316	Bonnense.	22		
948	317	Ingelheymense.	34		
951	318	Augustanum.	21		
957	319	Ravennas.			
958	320	Ingelheimense.	16		
963	321	Romanum 55.			
964	322 & 323	Romanum 56. & 57.			
966	324	Constantinop. 26.			
967	325	Romanum 58.			
972	326	Ingelheimense.			
	327	Unnoniense.			
9[illegible]	328	Calnense.			
	329	Constantinop.			
978	330	Romanum 59.			
990	331	Silvanectanense.			
992	332	Remense.			
	333	Romanum 60.			
995	334	Remense seu Molomense.			25
996	335	Romanum 61.			

pag. 274.

ORDINES.

912 Ord. Cluniacensis.
940 Ord. Camaldulensium.
977 Ord. Canonicorum secularium.

DOCTI VIRI.

Conradus Neopagus. Geophardus Argentoratensis.
910. Regino Abbas Promiensis. M. Philippus Secretarius Imp. Henrici 1.
950. VVitichindus vel VVindichinus Corbeiens. Radulphus Flaviacens. Luitprandus Ticinensis. Serlo Dorobernens. Britto.
970. Casfinense Chronicon. Smaragdus Abbas. Suidas 2 nam duos fuisse autumant. Theophylactus.
1000. R. Mose filius Maimon Aegyptij R. Samuel Judæus.

pag. 325.

Chri-sti	Nũ.	CENTENARII UNDECIMI IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
1002	109	Henricus 2. Junior Claudus.	23	5	21
1024	110	Cunradus 2. Junior Saliquus.	14	10	28
1039	111	Henricus 3. Niger.	17	4	24
1057	112	Henricus 4.	49	10	5

PON-

		PONTIFICES.			
1003	145	Joannes 17 Sicco Romano.	0	4	21
1003	146	Joannes 18 Fanassus Rom.	5	7	22
1009	147	Sergius 4 Romanus.	2	9	18
1012	148	Benedictus 7 dictus 8 Romanus.	11	8	22
1012		18 ἀνώνυμος.			
1024	149	Joannes 19 Romanus.	8	9	9
1032	150	Benedictus 8 dictus 9 Romanus.	12	4	20
		secundò	0	1	21
		tertiò		6	
1045		19 Sylvester 3 Romanus.	0	1	20
1045	151	Gregorius 6 Romanus.	1	7	20
1047	152	Clemens 2 Junior Saxo Germanus.	0	9	15
1048	153	Damasus 2 Junior Bavarus Germanus.	0	0	23
1049	154	Leo 9 Francus Gallus Dagspurgensis.	5	2	8
1055	155	Victor 2 Svevus Germanus Calbensis.	2	3	16
1057	156	Stephanus 10 dictus 9 Lotharingus Gallus.	0	7	28
1058		20 Benedictus 9 dictus 10 Rom.	0	5	20
1058	157	Nicolaus 2 Junior Allobrox.	2	6	5
1061	158	Alexander 2 Junior Mediolanens.	11	6	22
1061		21 Honorius 2 Junior Parmens.	5		
1073	159	Gregorius 7 Soanensis Thuscus.	12	1	3
1080		22 Clemens 3 Parmensis.	21	0	0
1086	160	Victor 3 Beneventanus.	1	3	24
1088	161	Urbanus 2 Junior Gallus.	11	4	18
1099	162	Paschalis 2 Bledensis Thuscus.	18	5	9

pag. 3[illegible]

Anno Chri-sti	Nũ.	CONCILIA.	Epi/.	Sess.	Cã.
1004	336	Germanicum.			
1007	337	Francfordiense.			
1016	338	Aquisgranense.			
1017	339	Noviomagense.			
1022	340	Gandersheimense.			
1023	341	Salegunstadiense.			20
1024	342	Geilicense.			
1024	343	Francfordiense.			
1030	344	Triburiense.			
1046	345	Papiense.			
1046	346	Sutrinum.			
1048	347	Marsburgense.			
	348	Romanum 62.			
1049	349	Ticinense.			
	350	Remense.			
	351	Moguntinum.			
1050	352	Romanum 63.			
1050	353	Vercellense.			
1051	354	Romanum 64.			
1053	355	Romanum 65.			
1055	356	Florentinum.			
1056	357	Turonense.			
	358	Sutrinum.			
1059	359	Halberstadense.			
	360	Romanum 66.			
1060	361	Romanum 67.			
1061	362	Romanum 68.			

pag. 3[illegible]

Medi-

	363	Mediolanense.
1062	361	Romanum 69.
1064	364	Mantuanum.
1065	365	Unitoniense.
1066	366	Triburiense.
1067	367	Melphitanum.
1067	368	Mediolanense.
1068	369	Romanum 70.
1069	370	Moguntinum.
1071	371	Moguntinum.
1072	372	Romanum 71.
1072	373	Gallicanum.
1073	374	Romanum 72.
1073	375	Erfordiense.
1074	376	Romanum 73.
1074	377	Erfordiense.
1075	378	Romanum 74.
1075	379	Moguntinum.
	380	VVormaciense.
	381	Romanum 75.
1076	382	Oppenheimense.
	383	Ticinense.
	384	Triburiense.
1078	385	Romanum 76. 77.
1079	386	Romanum 78.
1080	387	Romanum 79.
1080	388	Moguntinum.
1080	389	Brixinense.
1081	390	Romanum 80.
1083	391	Romanum 81.
1083	392	Educense.
1084	393	Romanum 82.
1084	394	Moguntinum 2.
1085	395	Berchachense.
1085	396	Capuanum.
1085	397	Beneventanum.
	398	Garstungense.
1088	399	Quintelingepurgense
	400	Moguntinum.
1089	401	Trojanum 1.
1091	402	Melphiense.
1093	403	Trojanum 2.
1094	404	Barense.
1095	405	Vastalense.
1096	406	Placentinum.
1096	407	Claromontanum.
1097	408	Romanum 83.
1098	409	Romanum 84.

pag. 388.

ORDINES.

1082. Ordo militum Hospitalariorum S. Joannis, qui etiam Joannitæ, Rhodij, ac Melitenses Domini appellantur.
1017. Ordo Humiliatorum.
1030. Ordo Jejunantium.
1046. Ordo Lazaritarum, seu Hierosolymitanorum.
1050. Ordo Luceolaniorum.
1076. Ordo Grandimontensium.
1080. Ordo Carthusiensium.
1095. Ordo S. Antonij de Vienna.
1098. Ordo Cisterciens.

DOCTI VIRI.

Berno Abbas.

Areta Græcus. Volbodo Episc. Leodiens. R. Abraham. Guido Aretinus. Campanus Philosophus & Mathematicus. Haymo Cantuariens. 1020. pag. 359.

Guido Musicus. Chron. Bambergense. Jacobus Mansor. Berengarius. Jacobus Klingershofer. Nicetas Pectoratus Græcus. Suiggerus Presbyter. Petrus Damianus Hostiens. Humbertus Episc. Sylvæ Candidæ. Serapion. Hermannus Contractus. 1040.

Gregorius Cedrenus. Lanfrancus. Michaël Psellus. Abbas de cruce S. Leufredi. Guitmundus Aversanus. Algerus monachus. Maniaces. Benno Cardinalis. Gerochus Monachus, Lambert. Schafnaburgens. Matthias Michovientis. 1060.

Venericus Vercellensis. Marianus Scotus. Giselbertus Monachus. Ivo Carnotensis. Hildebertus Cenomanensis. Theodoricus Abbas S. Trudonis. 1080.

Valentinus Munzer. Simeon Metaphrastes. Gazo monachus. 1100.

pag. 902.

Anno Chri. sti.	Nu.	CENTENARII DUODECIMI	Anni	Menses	Dies
		IMPERATORES.			
1106	113	Henricus V. Junior.	18	9	11
1125	114	Lotharius Junior.	13	2	21
1139	115	Cunradus 3 Svevus.	12	10	15
1152	116	Fridericus 1 Barbarossa.	37	5	7
1190	117	Henricus 6.	8	8	22
1199	118	Philippus.	9	3	15
1199	119	Otho IV.	10	8	aliquot
		PONTIFICES.			
1101		23 Albertus Atellanus.	0	4	
1102		24 Theodoricus Romanus.	0	3	15
1102		25 Sylvester 3 Romanus.		aliquot.	
1118	163	Gelasius 2 Jon. Cajetanus.	1	0	1
1118		26 Gregorius 8 Hispanus.	3		
1119	164	Callistus 2 Burgundio.	5	10	13
1124	165	Honorius 2 Bononiensis.			
1124		27 Cælestinus 2 Romanus.	0	0	1
1130	166	Innocentius 2 Romanus.	13	7	8
1130		28 Anacletus 2. Romanus.	7	9	
1138		29 Victor 4 Romanus.	0	5	
1143	167	Cælestinus 2 Tifernas Thuscus.	0	5	13
1144	168	Lucius 2 Bononiensis.	0	11	14
1145	169	Eugenius 3 Pisanus.	8	4	18
1153	170	Anastasius 4 Rom. Suburanus.	1	4	24
1154	171	Hadrianus 4 Anglus.	4	8	28
1159	172	Alexander 3 Senensis Thuscus.	21	11	23

1119	170	Victor 5. Romanus,	4	7	
1164	171	Paschalis 3 Cremensis.	5		
1169	172	Callistus 3 Hungarus.	7	5	
1177		3 Innocentius 3.		ali-quot.	
1181	173	Lucius 3 Senensis Thuscus. (pag. 504.)	4	2	18
1185	174	Urbanus 3 Mediolanensis.	1	10	25
1187	175	Gregorius 8 Beneventanus.	0	8	27
1188	176	Clemens 3 Romanus.	3	3	20
1191	177	Celestinus 3 Romanus.	6	9	11
1198	178	Innocentius 3 Anagn. Signius.	18	6	9

Anno Christi.	Nu.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	
1102	410	Romanum 85.			
1104	411	Florentinum.			
1106	412	Moguntinum.			
1105	413	Vallalense.			
1107	414	Trecense.			
1108	415	Beneventanum.			
1112	416	Romanum 86.			
1113	417	Beneventanum.			
1114	418	Cyperanum.			
1115	419	Trojanum.			
1116	420	Romanum 87.			
1117	421	Beneventanum.			
1118	422	Viennense.			
	423	Coloniense.			
1119	424	Fritesláriense.			
	425	Remense.	426		
1122	426	Romanum 88.		7	
1123	427	Romanum 89.			
1125	428	Trojanum.			
	429	Pisanum.			
1130	430	Claromontanum.			
	431	Stampisanum.			
1131	432	Leodiense.			
1131	433	Remense.			
1133	434	Placentinum.			
1135	435	Pisanum.			
1139	436	Romanum 90. (pag. 505.)	1000		
1148	437	Remense			
1150	438	Galliarum.			
1163	439	Turonense.	550		
1177	440	Veneticum.			
1179	441	Romanum 91.			
1184	442	Veronense.			

ORDINES.

1120. Ord. Templariorum.
1120. Ord. Bernhardiorum.
1119. Ord. Præmonstratensium.
1128. Ord. Militiæ Calatravæ.
1137. Ord. Robertinorum.
1148. Ord. Gilbertinorum.
1160. Ord. Carmelitarum.
1170. Ord. militum D. Jacobi de Spatha.
1190. Ord. Teutonicorum Marianorum.
1190. Ord. Franciscanorum seu Minorum.
1200. Ord. Cruciferorum.

DOCTI VIRI.

Petrus Alphonsus. Sigebertus Gemblacensis. Fluentinus Episcopus. Hali Abbas.

1120. Gratianus. Petrus Lombardus. Petrus Comestor. Raymundus Hispanus. Gvilielmus Tyrius. Benedictus ab Acoltis. Honorius Augustodunensis. Celsus Armachanus. Rupertus Abbas Tuitiensis. (pag. 506.) Judaici Annales. Tanchelinus. F. Felix Fabri. Hugo de S. Victore. Eccardus Abbas. Elmerius monachus Malmesburiens. Helmoldus presbyter.

1140. D. Bernharndus Abbas Claræuall. Joannes Saresburiensis. Henricus Tholossanus. Petrus de Bruis. Gvilielmus Mamelsburiens. Avicenna. Averrois. Ligurinus Poëta. Rupertus Lincolniens. Episc. Arnoldus Brixiensis. Anselmus Avelburgensis. Ugetinus. Elizabetha virgo. Edmundus Cantuariens. Albertus Rigiens. Galfridus Monumetens. Radevicus. Alpetragius Marrocritanus. Astron. παρά ... Antonius du Pinet. Dodechinus. Saxoniæ Chron.

1160. Joannes VValdus. Joannes Mesue vel Damascenus. ... de Repkau. Ekbertus Abb. Benedictinus. Petrus Blesensis. Bernhardus Cluniacensis. Otto Frisingensis. Simeon Dunelmensis. Gualo Britannus. Ialredus Rivallens. Michaël Glicas. Joannes Comnenus. Nicolaus ab Arragonia. R. Beniamin Tudelensis. Rupertus Abb. de monte S. Michaëlis. Almericus Gallus. Hildegardis. Angela virgo. Petrus Cantor. Gottfridus Viterbiensis. Bertoldus de Osinberg. Ganfredus. Nicellus VVirecker. Joannes Salobriensis. Constantinus Manasses. Gilbertus Cisterciens. monach. Petrus Cluniacens. Sylvester Giraldus. Gualterus Mapes.

Christi.	Nu.	CENTENARII DECIMI TERT. IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
1210	120	Fridericus 2 Rogerius.	40		
1250	121	Conradus 4.	5	9	10
1255	122	Guilhelmus Dux Holandiæ.	3	0	0
1258	123	Richardus Rex Romanorum.	6	0	0
1258	124	Alphonsus Hispanus.	15	6	12
1273	125	Rodulphus.	17	18	19
1292	126	Adolphus Nassaviensis.	7	6	
1298	127	Albertus.	8	9	9

pag. 532.

PONTIFICES.

1216	179	Honorius 3 Romanus.	10	8	0
1227	180	Gregorius 9 Anagninus.	14	5	3
1241	181	Cælestinus 4 Mediolanens.	0	0	7
1243	182	Innocent. 4 Genuens. Ligur.	11	5	14
1254	183	Alexander 4 Anagninus.	6	5	5
1261	184	Urbanus 4 Trecensis Campanus Gallus.	3	2	4
pag. 593. 1265	185	Clemens 4 Narbonens. Gallus.	3	9	25
1271	186	Gregorius 10 Placentinus.	4	4	10
	187	Innocentius 5 Burgundio.	0	5	2
1276	188	Hadrianus 5 Genoensis Ligur.	0	1	9
	189	Joannes 20 dictus 21. Ulissiponensis, Lusitanus, Hispanus.	0	8	8
1277	190	Nicolaus 3 Romanus.	2	8	19
1281	191	Martinus 2 dictus 4 Turonens. Gallus.	4	1	7
1285	192	Honorius 4 Romanus.	2	0	2
1288	193	Nicolaus 4. Asculanus.	4	1	14
1294	194	Cælestinus 5 Esernienfis.	0	5	7
1294	195	Bonifacius 8 Anagninus Hernicus.	8	9	18

CONCILIA.

			Zpof	Sess.	Cā.
1215	443	Romanum 92.			
1240	444	Romanum 93.			
1244	445	Lugdunense.			
1274	446	Lugdunense.			

ORDINES.

1201 Ordo S. Spiritus Hospitaliorum.
1202 Ordo Gladiatorum seu Gladiferorum.
1205 Ordo Prædicatorum seu Dominicanorum.
1211 Ordo S. Trinitatis, sive Eqvitum de redemtione captivorum.
1214 Ordo Militiæ Montesiæ.
1215 Ordo Eremitarum S. Pauli.
1217 Ordo Vallis Scholarium.
1228 Ordo S. Claræ.
1231 Ordo Canonicorum Regularium S. Marci.
1232 Ordo Militiæ S. Mariæ.
pag. 594. 1250 Ordo de Observantia, Minorum, & Prædicatorum.
1252 Ordo Fratricellorum Beghardorum, Beghinarum, seu Beguttarum.
1257 Ordo Bethlehemitarum.
1258 Ordo Bonorum hominum seu virorū.
1273 Ordo Augustinensium Eremitarum, & Gvilhelmitarum.
1282 Ordo Servorum S. Mariæ.
1297 Ordo Cælestinorum.
1300 Ordo Militum sepulchri Domini.

DOCTI VIRI.

Alexander Theologus Britto. Mainardinus Imolensis, Gvilielmus Podius. Alfaharabius Medicus. Andreas Dandalus.

R. Abraham Abbenezra. Hali Abben Ragel Astronomus. Humpertus de Romania. Joannes de Argentina. Jacobus de Vitriaco. Cæsarius de Haisterbach. Angelus Hebræus de tribu Juda. Bonaguidas Aretinus. Flores Historiarum. Accursius Florentinus. Alexander ab Ales. Azo J. C. Chronicon Thuringiæ. Hugo Cardinalis. Hali Heben Rodan. Petrus de Vineis. Gvilielmus Parisiensis. Raymundus de Penna forti, Cyrillus Carmelita. Othofredus J. C. Gerardus Laodicens. R. Samuel Judæus. Joannes de Planasco J. C. Cunradus à Liechtanavv Abb. Urspergens. 1220. Pag. 595.

Vincentius Burgundio. Sevaldus Eborac. Arch. Albertus Lincolniens. Episc. Gvilielmus de S. Amore, Henricus Leodiens. Episc. Gerrardus Sagarellus. Dulcimus Navarræus. Desiderius Longobardus. Crescentius de Escyō. Thomas de Ceperano. Bernhardus de Bessa. Bonaventura. Nicolaus Gallus. Laurentius Anglicus. Godefridus de Fontanis, Helias Rubeus. Thomas de Aqvino. Joannes Semeca. Thomas Cantipratensis. Monachus S. Justinæ Paduanæ. Joannes Teutonicus. Alfonsus Rex Castellæ Astron. Joannes Mandevilla. Gvilielmus Placentinus. Petrus Hispanus. Petrus de Tarantasia. Jacobus de Belvisio, Joannes de Esculo. Fulsteinius. 1240.

Rogerius Bacho. Albertus Magnus, Sifridus Pres. Misnensis, Martinus Polonus, Guido Bonatus Astrologus. Borcardus Monachus. Henricus Gutelknopf. Thomas Lermont. Jacobus Januensis sive de voragine, autor Historiæ Lampardicæ. Nicolaus de Biberach. Arnoldus de villa nova. Richardus de Media villa. Henricus de Gandavo. Gvilhelmus Peraldus. Potho Promiensis. Dinus J. C. Robertus Gallus. Joannes 1280. pag. 596.

Bernhardus VVesterodi. Theolesphorus de Cusentia. Rusticianus. Chron. fratrum Minor. Ord. Prædic. Joannes Taulerus. S. Brigitta. Joannes Bocatius. Henricus de Jota. Henricus de Hassia. Albertus Leicheisen. Franciscus Petrarcha. S. Catharina Senensis. Theodorus Logotheta.

1380. Nicephorus Gregoras. Robertus Ormeskircus. Philippus Ribottus. Gvi-
pag. 735. lielmus Paradinus. Philippus Repington. Joannes Astonus. Thomas Netter VValdenus. Salicetus J. C. Matthæus Ludecus. Pupilla Oculi Joannis de Burgo. Joannes Muntziger. Liber Scholæ paris. de periculis Ecclesiæ. Mathæus Paris seu Parisius. Jacobus de Terano. Gamaleon. M. Alofrelaat Rhodius. Georgius VVidemannus. Joannes Trevisa. Vulcuinus Abbas. Joannes Fernandus. Joannes de Brugis. Gvilhelmus VVhyte. Nicolaus Gorran. Joannes VVünschelbergius. Georgius Morgenstern. Joannes Petrus Ferrariensis.

1400. Frossardus.

pag. 1006

Anni Christi.	Nũ.	CENTENARII XV.	Anni	Mens.	Dies
		IMPERATORES.			
1411	135	Sigismundus.	26	8	0
1438	136	Albertus Jun. Austriacus.	1	9	27
1440	137	Fridericus 4. Austriacus.	53	7	19
1486	138	Maximilianus 1. cũ patre.	7	6	4
1493		solus	25	4	25
		PONTIFICES.			
1381		7. Clemens 8. Hispanus.			
1378	204	Urbanus 6. Neapolitanus.	1	6	7
1389	205	Bonifacius 9. Neapolit.	14	11	0
1404	206	Innocent. 7. Sulmonens. Pelig.	2	0	21
1406	207	Gregorius 12. Venetus.	2	7	5
1409	208	Alexander 5. Cretensis.	0	10	8
1410	209	Joannes 21. dictus 23. Neapolit.	5	0	15
1412	210	Martinus 3. dictus 5. Romanus.	1.	3	10
1431	211	Eugenius 4. Venetus.	15	11	28
1439		58. Felix 4. dictus 5. Allobrox.	9	5	
1447	212	Nicolaus 5. Sergianens. Lunens.	8	0	19
1455	213	Callistus 3. Valentinus. Hispan.	3	4	0
1458	214	Pius 2. Senensis.	1	11	27
1464	215	Paulus 2. Venetus.	6	10	26
1471	216	Xistus 4. Savonensis. Ligur.	13	0	4
1484	217	Innocentius 8. Genuensis.			
1492	218	Alexander 6. Valentinus. Hispan.	11	0	8

CON-

CONCILIA.

1409	447	Pisanum.
1411	448	Romanum 94.
1414	449	Constantiense.
1431	450	Basiliense.
1438	451	Florentinum.
1459	452	Mantuanum.

ORDINES.

pag. 1007

1405 Ordo D. Hieronymi, sive Hieronymitarum.
1407 Ordo Canonicorum S. Georgij in Alga.
1407 Ordo Mendicantium D. Hieronymi.
1407 Ordo S. Spiritus.
1407 Ordo Montolivetensium.
1408 Ordo Canonicorum Lateranensium congregationis Frisonariæ.
1409 Ordo S. Justinæ.
1409 Ordo Mauritianorum Eqvitum.
1420 Ordo eqvestris Annunciationis B. Virginis Mariæ.
1419 Ordo Eqvitum Aurei Velleris.
1431 Ordo S. Ambrosij ad Nemus.
1453 Ordo Eqvitum S. Spiritus.
1455 Ordo S. Catharinæ Senensis.
1464 Ordo Eqvitum Lunæ.
1469 Ordo Eqvitum S. Michaëlis.
1499 Ordo pœnitentium mulierum, seu meretricum.
1500 Ordo peregrinorum pauperum.

DOCTI VIRI.

Liber de Insolentiis Romanæ curiæ. Engelbertus VVustervviz. Theodoricus Uriæ. Laurentius Justinianus. Mechtildis. Laurentius Valla. Frater Reinhardus. Joannes Huss. Joannes de Gerson. Petrus de Alliaco. Pancratius Cardinalis. Nicolaus Clemangis. Theodoricus à Niem. Franciscus Za- pag. 1008 barella. Joannes de Lignano Astronomus. Joannes ab Oldencastel. Bartholomæus Miller. Berengosius. Poggius Florentinus.

Bartholomæus Florarius. Baldus J. C. Joannes Turvæus. Gvilielmus Sartoris. Henricus à Taken. Thomas Scropus. Joannes Barath. Joannes Andreæ. Panormitanus. Petrus Anchoranus. Portugalius. Joannes à Sculelis. 1420.

fello. Thomas de Corfellis, Alexan-
der Fabricius feu Carpentarius, Difci-
pulus, Julianus Cardinalis, Nicolaus
de Buldesdorff. Gnavus Fridrici Ange-
lus. Petrus Clarke. Joannes Rhode.
Hermannus Gigas. Conradus Halber-
ftadenfis. Flavius Blondus, Lubertus
Hanfchild. Georgius Heimburgenfis.
Nicol. Siculus de Thudefchis, Panormit.
Joannes Robitzana. Thomas Rhedo-
pag. 1009 nenfis. Petrus Payne. R. Levi ben Ger-
fon. Matthias Palmerius. Joannes
Gattes Siculus.
1440. Jacobus Carthufienfis, Joannes de
Capiftrano. Joannes Segobius. Al-
bertus Suhovius, Hermannus Hamel-
man, Philippus à Norrys, Laurentius
Arofienfis, Vitæ fratrum Eremitarum,
Thomas Patriarcha. Barbarienfis. Fe-
lix Hemmerlin. Talheimius. Joannes
VVeffelus, S. Vincentius. Æneas Syl-
vius. Martinus Meier. Jacobus de Pa-
radifo. Antonius Epifcopus Florenti-
nus. Henricus Bebelius. Roffredus
Beneventanus.
1460. Eblendus Hiftoricus, Civitatenfis
Epifc. Henricus Harphius. Barth.
Platina. Carfulanus, Defenforium
Ecclefiæ, feu Speculum Hierarchiæ Ec-
clefiaft. Joannes ab Hagen, vel de In-
dagine, Nicolaus Cufanus. D. Lutt-
zen. Thomas Gafcoigne. Joannes
Monachus. Alanus Copus. Joannes
de VVeffalia. Joannes Capgrave. Mar-
pag. 1010 cus Marullus, Joannes de fancto Ro-
mano. J. C. Hermannus Ridh, Ja-
cobus Papienfis. Hiftoria Scandalofa.
Compilatio Chronologica. Philippus
Cominæus. Stephanus Brulifer, Ja-
cobus Angularis. Dionyfius Kykel.
Theodorus Gaza. Laurentius Minia-
tenfis, Campo Fulgofius, Roderius
Zamorenfis, Bartholomæus Guldin-
beck. Jacobus Mofander. Joannes
Campanus, Hermannus Archiep. Co-
lonienfis. Domicius Calderinus. Mi-
chaël Feraus, Dominicus de Domini-
cis Antonius Eradmi. M. Marcus Au-
ditor curiæ Romanæ.

Rudolfus Agricola. Hieronymus 1480.
Tortus, Antonius Torquatus. Ni-
colaus Eremita. Joannes Ibenhagen,
Nicolaus Qvodus. Antonius Codrus.
Francifcus Philelphus. Alexander ab
Alexandro. Joannes à Liechtenberg.
Jofquinus Grœningenfis, Nicafius de
Brabantia cæcus, Doctor, Paratus,
Bochardus. Liber de miferia Curato- pag. 1011.
torum. Philippus Beroaldus. Joan-
nes Jovianus Pontanus. Joannes Go-
chius. Flavius Melfenfis. Philippus Cal-
limachus. Georgius Riplai. Bartho-
lomæus Pincernus. Virunnius Britto.
Thomas Brabantinus. Alcabitius A-
ftronomus. Thomas Sutqpus Seba-
ftianus Titio. Joannes de Janduno,
Joannes Abiofus, Hermolaus Barba-
barus. Joannes Bertram, Jafon J. C.
Baptifta Renatius. Jacobus Regius,
Robertus Gaguinus, VVernerus Ro-
levvinck, Jacobus Philippus Bergo-
menfis. Hieronymus Savanorola. Hart-
mannus Schedel. Marcus Antonius
Coccius Sabellicus, Malleus Venefica-
rum. Joan. Picus Mirandulanus, Dio-
nyfius Ruremundanus. Pomponius Læ-
tus. Petrus Mendoza. Georgius de
Monte ferrato. Liber deflorationum
Patrum. Joannes de Tritenheym. Jo-
annes de Lamhsheym. Martinus ab pag. 1012.
Azpilcueta. Accius Syncerus Sannaza-
rius. Jacobus Sannazarius. Speculum
Exemplorum. Conradus Sommer-
hard. Joannes Marius Belga. M. Elu-
cidarius, Michael Lochmeyr, Ga-
briel Biel, Laonicus Chalcondyles, Lu-
cius Bellantius Senenfis, Aftron. Pau-
lus Scriptoris Tubingenfis, Petrus à Bi-
axio. Tilemannus Spangenberg. An-
tonius Theodorus, Stella Clericorum,
Joannes Lupus de palmis rubeis. Ste-
phanus ex Nottis. Nicolaus Gilles Gal-
lus. Tilemannus Minorita. Baptifta
Mantuanus. Arnoldus Boftius. Con-
radus Nuccrinus. Enguerranus de Mon-
ftrelet. Joannes Paleonydorus. Lu-
dovicus Bologninus. Jacobus Prunus A-
ftron. Albertus Crantzius.
Joannes Nauclerus. 1500.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

Anno Christi	Nu.	CENTENARII XVI. IMPERATORES.	Anni	Menses	Dies
1519	139	Carolus 5. Hispanus.	38	8	14
1531	140	Ferdinandus Austrius cum illo	27	2	9
		solus.	6	4	18
1564	141	Maximilianus II. Junior Austr.	12		
1576	142	Rudolphus 2.	24		

Anno Christi	Nu.	PONTIFICES.	Anni	Menses	Dies
1503	219	Pius 3. Senensis Thuscus.	0	0	26
1503	220	Julius 2. Savonensis Ligur.	9	8	21
1513	221	Leo 10. Florentinus.	8	8	20
1522	222	Hadrian 6. Trajectens. Flander.	1	8	6
1523	223	Clemens 7. Florentin. Thuscus.	10	10	7
1534	224	Paulus 3. Romanus.	15	0	28
1550	225	Julius 3. Aretinus.	5	6	16
1555	226	Marcellus 2. Politianensis.	0	0	21
1555	227	Paulus 4. Neapolit.	4	2	27
1560	228	Pius 4. Mediolanens.	5	11	15
1566	229	Pius 5. Alexandrinus.	5		
1572	230	Gregorius 13.	13		
1585	231	Sixtus 5.	5		
1590	232	Urbanus 7.	1		
1591	233	Gregorius 14.	1		
1592	234	Clemens 8.	6		

Anno Christi	Nu.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	Cã.
1511	453	Pisanum.			
1511	454	Augustanum.			
1512	455	Romanum 95.			
1512	456	Pisanum.			
1517	457	Romanum 96.			
1518	458	Augustanum.			
1523	459	Norimbergense.			
1524	460	Lucernas.			
1524	461	Ratisbonense.			
1526	462	Spirense.			
1529	463	Spirense.			
1530	464	Augustanum.			
1530	465	Smalcaldicum.			
1532	466	Ratisbonense.			
1536	467	Coloniense.			
1537	468	Tridentinum.		25	
1537	469	Smalcaldicum.			
1539	470	Hildesheimense.			
1539	471	Francofordiense.			
1540	472	Smalcaldicum.			
1540	473	VVormaciense.			
1541	474	Ratisbonense.			
1546	475	Francfordiense.			
1548	476	Augustanum.			
1548	477	Trevirense.			
	478	Coloniense.			
1549	479	Moguntinum.			
	480	Trevirense.			
1550	481	Augustanum.			
1555	482	Augustanum.			
1557	483	VVormaciense.			

ORDINES.

1506 Ordo Iadianorum.
1529 Ordo Sodalitatis divini amoris, sive Theatinor.
1537 Ordo Paulinorum sive Gastalianorũ.
1540 Ordo Jesuitarum, sive Societatis Jesu.
1549 Ordo Capucinorum.
1561 Ordo militum S. Stephani.
1572 Ordo Minorum Jesu Mariæ, seu Tertiariorum.
1579 Ordo Equitum S. Spiritus.

Libuit huc etiam apponere alios Ordines, qui sub certis annis non sunt scripti, Veluti sunt:

Ordo Ambrosianorum.
Ordo Antonianorum.
Ordo Fratrum de Armenia.
Ordo Equestris de Avis.
Ordo Bamtinorum.
Ordo bonæ voluntatis, seu de Communi vita frater.
Ordo Bursfeldensium.
Ordo Canonicorum Regularium, diversorum á superioribus.
Ordo Cappellanorum.
Ordo Chalomerianorum.
Ordo Cellariorum.
Ordo Clavigerorum.
Ordo Constantinopolitanorum militum.
Ordo Cruciferorum, discrepantium á superiorib.
Ordo Fratrum crucis.
Ordo Stellatorum crucis.
Ordo Forficiferorum.
Ordo Genettæ Equestris.
Ordo S. Gertrudis monialium.
Ordo fratrum Helenæ.
Ordo fratrum de Hispania.
Ordo Histricis Equestris.
Ordo Hospitalariorum.
Ordo fratrum D. Jacobi.
Ordo Ignorantiæ.
Ordo Joannitarum de civitate.
Ordo Vallis Josaphati.
Ordo Josephi.
Ordo militum de Labanda.
Ordo Lazari, seu Magdalenæ.
Ordo Kinonchleniorum.
Ordo monialium S. Mariæ.
Ordo S. Mariæ novus.
Ordo conceptionis Mariæ.
Ordo ex fratribus Martyrum.
Ordo Maturinorum.
Ordo mensæ orbicularis, seu de Rotunda tabula, Equestris.
Ordo pauperum voluntariorum.
Ordo de Corbulo S. Petri.
Ordo S. Petri in Schunbach.
Ordo Purgatorialium.

Ordo Rebattinorum.
Ordo Reclusorum sive Inclusorum.
Ordo S. Ruffi.
Ordo Monachæ vel Sacerd. liberæ.
Ordo Scalæ Dei.
Ordo Sclavonianorum.
Ordo fratrum ex Scotia.
Ordo S. Sophiæ sive Gratiæ.
Ordo Speculariorum.
Ordo Stellatorum.
Ordo militum S. Thomæ.
Ordo Vespillonum.
Ordo fratrum de viridi valle.
Ordo valetudinario-servientium.
Ordo Ungarici equitis.
Ordo VVenceslaitarum.
Ordo Zambonitarum.
Ordo Zupfnonnarum.

DOCTI VIRI.

pag. 1066 Hieronym. Paulus Catalanus. Conradus Stifel. VVolfgangus Aitinger. Joannes Hilten Vates. Ptolo. Lucen. A. Rudim. Nov. Vartomannus. Joannes Stella. Raphaël Volaterranus. Sylvester Prieras. Joannes Quintinus Heduus. Joannes Linturius. Antonius Benivenius. Guilielmus de Mara. Petermannus Etterlin. D. Joannes Scheiringus. Bernhardinus de Busto. Jacobus Spiegel. Scala cœli F. Joannes Mino. Ord. Prædicator. Bonifacius Simoneta. Annales Misnenses. Carolus Bovillus. Nicolaus Horius. Zoppinus. Joan: Mainardus. Commentarius Magistr. Parisi. Jacobus VVimphelingus. P. Ræsteriscus. Nicolaus Rus. Ringmannus Philesius. Gvilielmus Caitonus. Antonius Rosellus. Narquardus Græter. Joannes Syringus. Joannes Multivallis. Petrus Bojasteau. Joan: Keisersbergius. D. Andreas Proles. Henningus monachus August. Bernhardus Libliensis. Joannes Mathesius. Joan: Francis. Picus Miran. Antonius Mancinellus. Georgius Tansteter. Lilius Gregorius Gyraldus. Ægidius Viterbiensis. Arnoldus Ferronus. Gvilhelmus Budæus. Georgius Simlerus. Guido de fonte Nayo. Bartholom. Georgievvitz. Nicolaus Hanapius. Ponchetus. Augustinus Niphus. Doctor Mellerstadius. Petrus Varadiensis. Joannes Grevenstein. Theodoricus Gresmundus. Jacobus Almainus. Franciscus Alvarez. F. Flecken. Haillamus. Historia Comit. de monte fort. Petrus de Cruce Hispanus. Paulus Æmilius. Petrus de Cugneriis. Joannes Dubravius. Ludolfus Castrick. Jodocus Gallus Rubeacensis. Christianus F. de Landeck. Marinus Baclerus. D. Joannes Staupitius. Martinus pag. 1067 Lutherus. Ambrosius Catharinus. Ulricus ab Hutten. Andreas Barbatia. Joannes à Salhausen. Onus Ecclesiæ. Petrus de Piperno. Janus Pannonius. Bonifacius de Vitalinis. Franciscus Irenicus. Acta imperii.

Albertus Pighius. Liber 1123 ceremoniarum. Liber Pontificalis. Henr. Cornelius Agrippa. Casparus Goldvvurm. Ludovicus Guicciardinus. Vadiscus. Dietherus à Dalburgio. Trias Romana. Marcellus Cervinus. Udalricus Hugvaldus. Joannes Major Scotus. Desiderius Erasm. Roterod. Franciscus Gvicciardinus. Adrianus Barlandus. Joannes Cellarius. H[illegible]pus J.C. Reginaldus Polus. Paulus Langius. D. Pfenningius. Gvilielmus Farellus. Marinus Caracciolus. D. Hieronym. Schurfius. Anton. Cornelius Lynnichan. Abydenus Corallus. Bartholom. de Saligniaco. Matthæus Schienerus. Henricus Phœnicus. Jacobus Fontanus. Joannes Podusca. Nicolaus Ecmondanus. Georgius Lilius. Joannes Nevisanus. Claus Bucr. Asclepius Barbatus. Henricus à Kettenbach. C. Battus Parmensis. Gravamina C. German. nationis. Taxa Ecclesiarum. Petrus Turrellus Astron. VVenceslaus Rosdialovinus. Querela sacerdotum. Nicolaus Leonicus. VVolfg. F. Capito. Joannes Virdunus Mathem. Joan: Baptista Folengius. Fasciculus rerum expetendar. Orruvinus Gratius. Joannes Schvvebel. Theolog. Joannes Ravisius. Joannes Aventinus. Lamentationes Germ. nation. Hector Boëtius. Paulus Grillandus. Joannes Bouchet. Ludovicus Romanor. Patricius. Ri- pag. 1068 chardus VVasseburgius. Joannes Odenbach. Pugna pietatis & superstitio-

fitionis. Annales Colonienses M. Sc. Adam Reusner. Joannes Carion. Julianus Pistorius à Prato. Joannes Staphylæus. Matthias VVeikel. Alexander Citolinus. Martinus Castenenga. Martinus de Arles. Ernestus Brottauf. Philippus Melanchton. Ludovicus Vives. Jodocus Clichtoveus. Jason Pratensis. Joachimus Camerarius. Olaus Magnus. Marcellus Palingenius. Hieronymus de Levandiro. Polydorus Virgilius. Josephus Grundpeck. Stephanus Doletus. Jacobus Sadoletus. Christophorus Longolius. Bernhardus Girardus. Alcimus Viennensis. Ludovicus Hetzer. Aloysius Florentinus. Joannes Brentius. D. Mensingius. Joannes Eccius. Joannes Faber Theolog. Valentinus Vannius. Georgius Spalatinus. Justus Jonas D. Vincentius Pimpinellus. Ulricus Zvvinglius. Joannes Hedericus. VVicelius. Thessaro Theca. Joan: Pierius Valerianus. Gaudentius Merula. Sebastianus Francus. Nicolaus Brugner. Hieronymus VVellerus. Hans Pfluog. Andreas Althamer. Joannes Faber J.C. Albertus de Trotis. Lælius Capilupus. Philippus Decius J.C. Christophorus Mandelius. Conradus Huserus. Ambrosius Moibanus. Thomas Fazellus. Antonius Musa à Brassavolo. Matthiolus. Joannes Lucidus. Franciscus Georgius. Lælius Jordanus. Castellius Eugubinus. Ambrosius Blaurer. Joannes Agricola. Marinus Barletius Scodren. Hemeus. Antonius de Bitonto.

1069 Antonius Bonfinius. Achilles Gassarus. Ægidius Tschudus. Caspar Hedio. Breviarium Compertorum. Caspar Peucerus. Hermannus Bonnus. Joannes Gastius. Hieronymus Schuvarzaphicus. Simon Grinæus. Adrianus Venetus. Petrus à monte J.C. Nicolaus Boerius J.C.

40. Andreas Alciatus. Joannes Manlius. Joannes Sambucus. Joannes Rivius. Ludovicus Cœlius Rhodiginus. Leonhardus Puccius. Petrus Viretus. Petrus Cieza. Gvilielmus à Schauvenburch. Joannes Gennadius. Christianus Massæus. Antonius Campanus. Urbanus Rhegius. Gondissalvus de villa Diego. Gvilielmus Postellus. Donatus Gianotius. Henricus Bullinger. Joannes Peregrinus. Mornnessa. Asotus. Paulus Jovius. Ægidius Corrozetus. Beatus Rhenanus. Varamundus Luitholdus. Joannes Sturmius. Eberhardus Billick. Martinus Borrhæus. Valerius Anshelmus Rhid. Pandulphus Collenutius. Laurentius Frisæus. Joannes Tilius. Joannes Cuspinianus. Rodolphus Gvalterus. Theophrastus Paracelsus. Michaël Neander. Joachimus Rheticus. Franciscus Duarenus. Petrus Joannes Olivarius Valentin. Joan: Monheimius. Prognosticon finis mundi. Laurentius Dover. Hieronymus Cardanus. Franciscus Encenas. Job: Fincelius. Vidus Vidius. Hieronymus Montuus. Joan: Avene. Alfontius de Castro. Eduardus Hallus. Bernhardus Saccus. Antonius Mizaldus. Thomas Stybarus. Carolstadius. F. Hentinus Mechliniensis. Joannes Andreas J.C. Dethlevus Reventlovius. Joannes Igneus. Liber de signis ante novissi. diem. Barth. Chassanæus. VVolfgangus Musculus. Franciscus Duarenus. Emericus Zigerius. Petrus Bembus. Sigismundus ab Herberstein. Index Expurgatorius. Franciscus Junius. Casparus Bruschius. Barthol. Latomus. Jacobus de monte pessulano. Andreas Tevetus. Joannes Lerius. Jodocus Ludovicus Decius. Joannes VVierus. Joannes Funccius. Francis. Rabelajus. Cornelius Amsterdamus. Gvilielmus Rondeletius. Michael Nostradam. Vates. Petrus Bellonius. Baptista Egnatius. Eras. Reinhold. Mathem: Mathias Cornax. Franscis. Leander. Sebastianus Munsterus. Joannes Lelandus. Stanislaus Orichovius. Michas Morasthites. Joan: Srigelius. Petr: Massovius. Bernhardin. Ochinus. Remigius de Convy. Farrago Conformitatis. Carolus Molinæus. Joan: Foxus. Thomas Coperus. Joan: Noviomagus. Joan: Benedictus. Reginaldus Gonsalvus. Natalis Comes. Jodocus Damhouderius. Ludovicus ab Avila. Alvearium. Joan: Vasæus. Augustin. Steuchus. Hieronym. Mutius Italus. Fridericus Nausea. Hieronim. Garimbertus. Matthæus Delius. VVolfgang. Lazius. Hulderic. Mutius German. Barthol. Casasius. Joan: Cosmius. Lucas Gauricus. Georg. Fabricius. Thomas Neogeorgus. Gerardus Busdragus.

dragus. Hieronym, Marius. Marcus Anson. Murctus. Rutgerus Rulandus. Andreas Hondorpius. Jacobus Ratz. Conradus Bellovesus. Ludovicus Masurius. Jacob. Ruff. Andradius. Laurentius Agricola. Joannes Ferus. Marcus Fritschius. Martin. Cromerus. Matin. Chē-
pag. 1071 mnicius. Caspar Styblinus. Mensio Popiꝰ Curothalassius. Richardus Samson. Xenocarus. Paulus Fabritius Astron. Petr. Paulus Vergerius. Nicolaus Ambsdorf. Conrad: Thrasybulus. Petr: Canisius. Joan: Balæus. Simon Rosarius. Henr: Stephanus. Onuphrius Panvinius. Ferellus. Carmelus. Budæus. Jacob Brocardus. Jacob: Curio. Philipp: Nicolai Theol. Joan: Sleidanus. Robert: Barnus. Ludovicus Cavitellius.

1560. Francisc. Ottomannus. Calichus. Cyriacus à Spangenberg. Chuman: Flinsbach. Nicolaus Gallasius. Francisc. Sansovinus. D. Ludovic: Rabus. Georg: VValther. Gulielm: Lindanus. Mappemonde Papistique. Libri Pasquillorum. Petr: Martyr. Thom: Jordanus. Fran: Belleforestius. Gilbert. Cognatus. Joan: Calvinus. Joan: Lasicius. Gabriel Prateolꝰ. Margarinꝰ de la Bigne. Nicolaus Machiavelus. Abraham Bicholzer. Arnoldus de Palude. Joann. Michaël Brutus. Theodorus Zvvingerus. Joannes Spinæus. Erasmus Screckenfuchs. Joan: Acronius. Joan: Garcæus. Joan: Oldendorpius. Gilles Corrozetus. Christian. VVurstisius. Aloisius Luisinus. Andr. Duditius Spardelat. Matthias Flaccius Illyr. Stanislaus Hosius. Paulus Scalichius. Petrus Asilius. Taxa pœnitentiaris. Theodorus Gramineus. Baldinus de Luca. Joan: Bodinus. Joan. Basilius Herold. Adrianus Turnebus. F. Bernhardꝰ Comensis. Religio patiens. Franciscus
pag. 1073 Stancarus. Petrus Galatinus. Dominicꝰ à Soto. Adamus Ursinus. Israël Acharius. Jacobus Ravenstein. Cornelius Gemma Astron. Crato Medicus Cæsareus. Jacobus Medicus. Adamus Schubertus. Franciscꝰ Sarmencus. Franciscus Turrianus. Daniel Bodenberg. Richardus Argentinus. Joan. Banderius. Goropius. F. Joann: Nass. Guilielm. Bidembach. M. Beurilorus. Michaël Neander. Henricus Bussenius. Leonhardus Krentzheim. Antonius Paganus Venetus. Bandivick Angia. Joan: Pollius. Georgius Buchananus. D. Georgius Mylius. Georgius Nigrinus. Joachimus Cureus. Sixtus ab Hemminga Astron. M. Leo de Castro. Martin. Bellajus. Laurentius Surius. Laurentius Capella. Joann Stumpius. Cassiodorus Renius. Henricus Esterhen. Andreas Musculus. Ludovicus Lavaterus. Joan. Herburtus de Fulstin. Joannes Philogenetus. Joan: VVigandus D. Huishucer. Joachimus Merlin. Hieronym. Conestagius. Theodorus Beza. Antonius Senenus. Grio Malvij Eques. Vincentiꝰ Scarusius. Thomas Beccerius. Christophorus Irenæus. Magnus Metus Rhodent. Tilemannus Breuletus. Carolus Sigonius. Melchior Cavus Hispan. Simon Goulartius. Jacobus Ledesma. Joannes Hieruvol. D. Stephanus Gerlach. Michael Bapst. Joannes Pomarius. Columbanus Uanex. Josephus Stephan. Valent. Philippus Lonicerus. Alexander Guagninus. Ruardus: Tapperus Halepo Aldron: Nicolaus Balei. Jacobus Heerbrand Theol. Andreas Kreychius. Jacobus Cotterius. Jacobus Meyer. Zacharias Rivander. VVigoleius Hund. Valentinus Rudolphꝰ Bufstadien. Jacobus Schopperus. Cyriacus Schuchtenberger. Hieronym. Franck. Hieronym. Turlerus. Henricus Pantaleon. Paulus Seidelius. Joann: Guil. Kirchof. Matthæus Dresserus. Franciscus de Rhenes. Augustinus Lercheimer. Adrianus Rheinhannus. Stephanus Tichegedinus. Michaël Eizingerus. David Chytræus. Conradus Danzinger J.C. Albertus Pistt. Joannes Olearius Theol. Franciscus de Billebec. Jacobus Grætzer. Daniel Schaller. Franciscus Costerus. Henricus Buntingus. Henricus VVolfius. Martinus Crusiꝰ. Gilbertus Genebrardꝰ. Lambertus Danæus. Albertus Hartungus. Petrus Mersæus. Petrus Ærodius. Eutychius Myon. Petrus Pomponatius. Quirinus Reutter. Laurentiꝰ Faustus. Andreas Langius. Cornelius Callidius. Sigismundus Svevus. Joan: Lenlæus. Richardus Dinothus. Rodolphus Hospinianus. Albert. Abbas Stadensis. Petrus Berexasius. Adam Nachenmoser. Georgius Sohn Theol. Petrus Lindebergius. Barth. lo. Reifschacher. Sigefridus Ribisch. Georgius Steinhart. Betnerus. Laurentius Cupræus. Stephanus Beuvverst. Sigefridus Saccus. Joann: Nos... Robertus Bellarminus. Leonhardus Thurneisser. Ursisius. Joan. Stadius David Schramm. Georgius Gothart. Gregorius de Valentia. Joannes Rasch. Joann: Scheuck à Grafenberg. Joannes Rosinus. Otto Gualtperius. Nicodemus Furlupinus. Matthæus Sutlilius. Bartolom. Huber Astron. Elias Hasenmiller. Georgius Hekelius. Andreas Crastovius. Daniel Cramerus. Antonius Arnaldus. Conradus Schlusselburgius. Jacobus Colerus D. Remigius Nannelius. Eustachius Poyssel. Ægidius Hunnius. Henricus de Homelle. Jacobus Franco. Marcus Brograndinus. M. Jansonius Doccomen. Jacob. Bissardus. Joan. Reinoldus. Joan. VVernerus Gebhart. David Herlicius. Josephus Scaliger. Guilielmus Stuckius. Andreas Angelus. Thomas Sigfrid, &c.
pag. 1079

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

IN

JOHANNIS VVOLFII JURIS CONSULTI ET CONSILIARII PALATINI, SUMMÆ ERUDITIONIS VIRI, TOMOS DUOS, SIVE CENTENARIOS XVI.

LECTIONUM MEMORABILIUM ET RECONDITARUM SUPERIORIBUS ANNIS EDITOS

INDEX ABSOLVTISSIMVS

Methodice, qvantum Alphabeti ordo permittit, omnia in toto opere præclara & relatu digna, sub singulis principalioribus & velut substantialibus vocabulis; per Distinctiones, Prædicata, Concreta, Abstracta, &c. complectens, uti latiùs ex Præfatione ad Lectorem apparet.

AUTHORE
M. JOHANNE JACOBO LINSIO,
COGNOMINE HAGENDORN.

Cicero ad Atticum.

Commoditas homines studiosos invitavit librorum Indices comparare, quibus minimo labore ad id quod quisq; quæreret, tanquam manu duceretur.



LIPSIÆ,
APUD GROSSIANOS
ANNO clↄ Iↄc LXXII.

PRÆFATIO AD BENEVOLUM Lectorem.



OPTIME ET HUmanissime Lector, hunc Indicem in opus illud insigne Cl. Viri Dn. JOHANNIS WOLFFII, p. m. LL. Licentiati, M. Johann. Jacobus Linsius, agnominatus Hagendorn, p. m. adhuc Ecclesiæ in Lauffen ad Nicrum Diaconus, gener instar filij mihi charissimus, cùm in illius ipsi à me concessi lectionem incidisset, concinnavit, studio & labore, ut apparet, non exiguo, & qvidem in suum suorumq; tantum usum. Verùm postqvàm alijs qvoq; hæc ipsius opera innotuit, non modò Ecclesiæ pastoribus, sed etiam aliis doctis & præclaris, adeoqve Nobilibus viris, non destiterunt aliqvi indicis illius editionem petere & urgere. Et qvidem D. Jeremias Imlinus civis Heilbrunnensis gener & præcipuus hæres Dn. Wolfij, suis sumptibus illum prælo subjicere jam constituerat, ita ut Index tum instantibus Nundinis, in Catalogo ad futuras promitteretur: sed qvoniam is non longè post morbo correptus rebus humanis eximebatur, eumq; Indicis Autor elapsis aliqvot mensibus subseqvebatur, interea, interjectis aliqvot impedimentis, editio hucusq; est dilata, donec præter alios Reverendus & Clarissimus vir Dn. Philippus Heilbronner, S.S. Theologiæ Doctor & Professor Lavingæ ejus editionem repeteret, & ipso mediante, præclarus & laboriosus vir, de literis optimè meritus Dn. Sebastian. Myllerus Bibliopola Augustan. suam operam ad publicationem procurandam offerret. Sic igitur Index iste postliminiò tandem in lucem prodit, multis eruditis & præstantibus viris judicantibus & sperantibus, hanc operam non fore inanem in Domino, præsertim cùm non cujusvis sit nec etiam multorum occupationes hoc sinant, ordine, non tam vastum qvàm longè utilissimum opus perlegere. Poterit hujus Indicis adminiculo, qvæ volet, prout res & occasio ipsaqve tempora ferent, sine morâ & labore alioqvi insumendo, omnia & singula qvilibet inqvirere & in promptu habere. Sic enim adornatus est index hicce, ut etiam minutissima qvæqve operis complectatur, ut qvò inventu sint faciliora, non uno sed aliqvot locis ea indagandi rationem monstret. Sed aliqvot observationes indicis usum uberiorem indigitantes, ipsemet Autor in conspectu ponit &c. Hac ergo, Amice & candide Lector Autoris opera & studio fruere, & vale in Domino.

M. LUDOVICUS MUNSTERUS
Ecclesiastes Heilbronnensis
Senior.



B.

Robu-

Nobi-

Electio

Con-

Frid.

G.

Helvio-

H.

Vxe-

Eccle-

Cola

Multi

N.

Vitio

O.

Defectio

Titulis

Urbibus

Deus

Romanenses, Romanista, Romanus, Romanum.

Super-

Vatici-

Wirtem-



IMPERATORES ROMANI ANTE ET POST NATIVITATEM JESU CHRISTI.

126 ADolph. Hispan. an. 1258
127 Albertus I. 1299
136 Alb. II. Jun. Austri. 1438
124 Alphon. Hispanus. 1258
72 Anast. I. Dicorus. 492
88 Anastasius 2. 715
68 Arcadius. 385
10 Arnulphus. 887
71 BAsiliscus. 475
1 CJul. Cæs. ante Christ. 47
2 C. Jul. Cæs. Octavianus. Augustus ante Christum. 30
27 C. Julius Maximinus. 236
4 C. Jul. Cæs. Caligula. 38
52 Cajus Valerius Maximinus
95 Carolus Magnus. 801
99 2. Junior calvus. 875
101 3. Crassus. 879
131 4. 1346
139 5. Hispanus. 1519
43 Carus. 283
38 Claudius. 270
10 Cæs. T. Flavius Vespas. 71
12 T. Flavius Domitian. 83
14 Ulpius Nerva Trajan. 88
15 Trajanus Hadrianus Augustus. 119
16 T. Ælius Hadri. Antoninus. 139
28 Cælius Balbinus. 238
14 Cocceius Nerva Cæs. Aug. 98
54 Constantinus I. 337
55 2.
80 3. 613
83 4. vel 5. 669
86 6. Copronimus. 720
91 7. 776
82 Constans. 642
104 Cunradus I Rex Germ. 913
110 2. Ju. Saliquus. 1024
115 3. Suevus. 1139
33 DEcius. 251
34 Decius Cæsar.
45 Diocletianus Jovius 285
94 FIrene. 798
146 FErdinand. Austriac. 1538
48 Fla. Valer. Constantius, &c. & Galer. Valer. Maxim. 305
54 Fl. Val. Const. Junior. 337
56 Fl. Jul Constantin. Junior, &
56 Fl Valer. Constans.
57 Fl. Claud. Julianus 362
58 Fl. Jovianus. 363
116 Frid. I. Barbarossa. 1152
120 2. Reg. 1210
129 3. Austriacus 1314
133 3. [illegible] 1400
137 4. Austriacus. 1440
61 GRatianus. 367
122 Guliel. Dux. Hol. 1255
105 HEinricus I. Auceps 919
109 2. Jun. Claudus. 1001
111 3. Niger. 1039
112 4. 1057
113 5. Junior. 1106
117 6. 1190
128 7. Lutzelburg. 1308
65 Honorius 394
57 JUlianus. 362
73 Justinus I. 518
75 Justinus 2. Junior. 566
74 Justinianus I. 528
84 Justinianus 2. 684
69 LEo I. & 2. Jun. 457. 474
85 Leontinus vel Leo 2. 697
90 Leo 3. Isaurus. 717
92 4. 741
53 Licinius.
97 Lotharius I. 840
114 Loth. 2. Junior. 1125
18 Luc. Ælius Aurelius Verus Antoninus. 162
19 L. Ælius Aur. Commodus Antoninus. 170
22 L. Septimius, Severus, Pius, Pertinax. 194
40 L. Domitius Aurel. Valerius Valerianus. 271
96 Ludovicus I. Pius. 814
98 2. Junior. 855
100 3. Balbus 877
103 4. 899
130 4. Bavarus. 1314
8 MSalvius Otho Cæsar. August. 70
17 M. Aurel. Anto. Aug. 162
21 M. Didius Commodus Severus Julianus August. 194
23 M. Anton. Antoninus Pius Felix. 200
25 M. Aurel. Antoninus Felix August. 213
24 M. Opel.us Aurelian. Severus Macrinus Felix. Aug. 219
25 M. Aur. Ant. Pius &c. 220
26 M. Aurel. Severus Alexander Pius. 224
29 M. Clodius Pupienus Maximus, circa annum. 239
30 M. Antonius Gordianus 239
39 M Aurel. Quintillius. 271
44 M. Aur. Carinus & M. Aurelianus Numerianus. 284
47 M. Aurel. Valerius Maximianus Herculius. 287
67 Marcianus. 451
77 Mauritius. 584
27 Maximianus I. 236
141 Max. 2. Junior Aust. 1564
47 Maximianus. 287
27 Maximinus Germanicus. 136
8 NEro Claudius Cæsar. 56
106 OTto I. Magnus. 936
107 2. Junior. 973
108 3. 983
119 4. 1199
87 PHilippicus Bardanes. 712
92 Philippus, circa annũ. 247
78 Phocas. 602
42 Probus. 277
20 P. Helvius pertinax Aug. 194
36 P. Aurelius Licinius Gallienus.
123 RIchardus Rex Rom. 1258
125 Rudolphus I. 1275
142 Rudolphus 2. 1576
134 Rupert. Com. Palat. 1400
7 SErvius Sulpitius Galba. Cæsar August. 70
135 Sigismundus. 1411
41 TAcitus. 276
63 Theodosius Magnus. 379
66 Theod. 2. Junior. 402
89 Theod. 3. vel 4. 716
5 Tiberius Jul. Cæs. Aug. Germanicus. 16
76 Tiberius 2. Anitius Constantinus. 576
86 Tiberius 3. Absimarus. 700
11 Titus Cæs. Vespas. Aug. 81
36 VAlerianus. 255
59 Valentinianus. 365
60 Valens. 365
62 Valentinianus Junior. 376
132 WEnceslaus. 1379
70 ZEno Isauricus. 674

ROMANI PONTIFICES.

78 ADeodatus Rom. Monachus. 672
132 Agapetus I. Junior Rom 946
80 Agatho Panormitanus Sic. Rom. 679
7 Alexander I. Roma. 109
158 2. Junior Mediol. 1061
172 3. Senensis Thuscus. 1159
183 4. Anagninus. 1254
208 5. Cretensis. 1409
218 6. Valentinus Hisp. 1492
- Albertus Atellanus. 1105
5 Anacletus 2. Rom. 1130
40 Anastasius I. Rom. 398
51 2. Jun. Rom.
3. Romanus 955
122 4. Rom. [illegible]
170 4. Rom. Suburanus. [illegible]
12 Anicet, Humiliensis Syr 153

21. An-

Romani Pontifices.

CONCILIA.

INDEX VIRORUM DOCTORUM.

Mon-

Reli-

Ordines quære in Indice rerum in voce Ordo.

FINIS.

